F. LUCII FERRARIS

PROMPTA

BIBLIOTHECA

CANONICA, JURIDICA, MORALIS, THEOLOGICA.

Digitized by Google



Digitized by Google

F. LUCII FERRARIS

SOLER-ALEXANDRINI, ORD. MIN. REG. OBS. S. FRANCISCI, LECTORIS JUBILATI, EXPROVINCIALIS
EXAMIN. SYNODALIS AC S. O. CONSULTORIS,

PROMPTA

BIBLIOTHECA

CANONICA, JURIDICA, MORALIS, THEOLOGICA,

NEC NON

ASCETICA, POLEMICA, RUBRICISTICA, HISTORICA.

EDITIO NOVISSIMA, MENDIS EXPURGATA,

NOVIS AD SINGULAS FERE VOCES ADDITAMENTIS NOVISQUE ARTICULIS LOCUPLETATA,
TUM PECULIARIBUS SUMMARIIS, TUM GENERALI MATERIARUM INDICE INSTRUCTA,
ADJECTA AD CALCEM CUJUSCUNQUE VOLUMINIS ABSOLUTISSIMA APPENDICE EX OMNIUM SS. CONGREGATIONUM DECRETIS
QUÆ VEL IN ANTEACTIS EDITIONIBUS DESIDERANTUR, VEL DEINCEPS USQUE AD PRÆSENS LATA SUNT,
JUXTA VOCUM HUJUSCE BIBLIOTHECÆ SERIEM DIGESTIS;

OPERA ET STUDIO MONACHORUM ORDINIS SANCTI BENEDICTI

ABBATIÆ MONTIS CASINI,

PATRONO ET AUSPICE VIRO EMINENTISSIMO

ALOISIO S. E. R. CARDINALI LAMBRUSCHINI

EPISCOPO SABINORUM,

SANCTISSIMI D. N. GREGORII XVI P. M.

A PUBLICIS NEGOTIIS ET A BREVIBUS, ETC., ETC.;

ACCURANTE RURSUM ET INNUMERIS NOTIS LOCUPLETANTE J.-P. MIGNE

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS, EDITORE.

TOMUS QUINTUS.

VENEUNT 8 VOL. 60 FRANCIS GALLICIS.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM,
SEU PETIT-MONTROUGE.

1854

Digitized by Google

Rec. July 25, 1901.

Ex typis MIGNE, au Petit-Montrouge.

Digitized by Google

BIBLIOTHECA
F. LUCII FERRARIS.

L

LEGITIMUS.

Vide verb. FILIUS

LEX

ARTICULUS I.

Lex quoad ea quæ concernunt ipsius naturam, divisionem, et eos, qui ipsam condere possunt.

SUMMARIUM.

1. Lex unde sic dicta? — 2. Lex solet appellari variis nominibus, quæ assignantur. — 3. Dicta nomina in quo differant? — 4. Ad legem variæ requirantur conditiones, ex cap. *Erit autem lex* 2, dist. 4. — 5. Primo, debet esse honesta, et justa. — 6. Secundo, debet esse possibilis. — 7. Tertio, debet esse loco temporique conveniens. — 8. Quarto, debet esse necessaria et utilis. — 9. Quinto, debet esse manifesta. — 10. Sexto, debet esse nullo privato commodo, sed pro communi civium utilitate præscripta. — 11. Brevius tamen et clarius omnes necessariæ legis conditiones continentur in ejus definitione, quæ hic datur. — 12. Primo igitur requiritur quod lex sit recta agendorum ratio. — 13. Secundo, quod sit lata a publica potestate. — 14. Tertio, quod sit communitati denuntiata. — 15. Quarto, quod sit lata cum voluntate perpetuo obligandi. — 16. Assignatur prima differentia legis a simplici præcepto. — 17. Assignatur secunda. — 18. Assignatur tertia. — 19. Lex dividitur immediate in æternam, et temporalem; et quæ sit utraque? et in quo differant? —20. Lex temporalis subdividitur in naturalem et positivam; et quæ sit utraque et in quo differant? — 21. Lex positiva subdividitur in divinam et humanam, et quæ sit utrumne?—22. Lex divina positiva subdividitur in legem veterem et novam, et quæ sit utraque? — 23. Lex divina positiva alia est mere divina positiva, et alia est divina naturalis, et quæ sit utraque? — 24. Lex positiva humana subdividitur in legem, seu jus gentium, in legem ecclesiasticam, seu canonicam, et in legem sæcularem, seu civilem, et quæ sint omnes? — 25. Lex, seu jus gentium, subdividitur in primarium et secundarium, et quid, et quale sit utrumque? *remissive.* — 26. Lex ecclesiastica, seu canonica quomodo subdividitur? *remissive.* — 27. Lex sæcularis, seu civilis quomodo subdividatur? *remissive.* — 28. Lex, seu jus gentium in quo differat a lege canonica et civili? — 29. Et in quo a lege naturali? — 30. Quando inter leges ecclesiasticas, seu canonicas, et sæculares, seu civiles, est aperta contrarietas, quænam sint servanda? *remissive.* — 31. Summus Pontifex potest condere leges ecclesiasticas, seu canonicas in materia spirituali, et concernente animarum salutem, obligantes pro toto orbe Christiano. — 32. Legatus pontificis potest leges ecclesiasticas ferre intra fines suæ legationis. — 33. Cardinales possunt similes leges ferre in ecclesiis sui tituli. — 34. Patriarchæ, primates, archiepiscopi et episcopi possunt dictas leges ferre pro suis respective diœcesibus. — 35. Abbates exempti, aliique prælati obtinentes in suis territoriis jurisdictionem quasi episcopalem. — 36. Item abbates, priores, abbatissæ, priorissæ, superioresque similes independentes, pro suis monasteriis. — 37. Concilium generale legitime congregatum potest condere leges ecclesiasticas obligantes totam Ecclesiam, dummodo Pontifex consensum præbeat, easque confirmet. — 38. Item leges ecclesiasticas condere potest concilium provinciale, et synodus diœcesana obligantes proprios subditos intra limites sui territorii existentes. — 39. Capitulum ecclesiæ cathedralis, sede vacante, potest condere leges totam diœcesim obligantes, etiam post electionem novi episcopi, donec ipse illas revocaverit. — 40. Affertur, et solvitur objectio. — 41. Capitula generalia regularium possunt condere leges, et statuta propria pro tota religione ad successores transeuntia, juxta modum in quavis respective regula præscriptum, et consuetudines proprias, et privilegia. Et sic capitula provincialia respective pro unaquaque sua provincia. — 42. Leges civiles, seu politicas condere potest Summus Pontifex pro ditione temporali suo dominio subjecta; imperator pro imperio, reges pro suis regnis, et alii duces, seu principes, aut reipublicæ suprema jurisdictione temporali gaudentes pro suis respective ditionibus. — 43. Principes autem inferiores, civitates et communitates suprema jurisdictione temporali non gaudentes, nequeunt leges et statuta condere, nisi accedat concessio, seu confirmatio supremi principis, cui subjiciuntur, aut consuetudo legitime præscripta. — 44. Nulla potestas legislativa humana, sive ecclesiastica, sive laica potest condere leges, vel statuta contra jus naturale, vel divinum præceptivum, vel prohibitivum. — 45. Quinimo nulla potestas legislativa humana, Summo Pontifice excepto, potest leges ferre, et quidpiam statuere contra jus commune canonicum, aut alias constitutiones apostolicas. — 46. Subnectuntur addit. ex alien. manu ad n. 57. — 58. De lege Mosaica speciatim ad n. 63.

Digitized by Google

(1. Lex secundum etymon nominis dicitur vel a *legendo*, ut vult S. Isidorus lib. II *Etymol.* cap. 10, eo quod leges apud veteres solebant in publicis tabulis scribi, et populo legendæ proponi, ut in ipsis legerent, quæ practicare, et a quibus abstinere deberent; vel ab *eligendo* secundum Ciceronem lib. I *De legib.*, et S. Aug. quæst. 15 *Novi Testamenti* dicentem : « Lex ab electione dicta est, ut e multis quod eligas, sumas, » vel potius a *ligando*, eo quod homines legibus ligentur, seu obligentur ad aliquid faciendum, vel omittendum, ut vult S. Thom. 1-2, q. 90, art. 1, et Scotus in 4, dist. 15, qu. 2, § *Hic sunt quatuor.*

(2. Lex solet variis aliis nominibus appellari. Interdum enim vocatur *Jus*, eo quod definiat, ac præscribat quod justum est: cap. *Jus generale*, 2, dist. 1. ibi : « Jus autem est dictum, quia justum est. » Quamvis tamen, stricte loquendo, inter legem et jus nonnulla sit differentia, quia, ut dicitur in cit. cap. *Jus generale* 2, dist. 1, « Jus generale nomen est, lex autem Juris est species ; » sub uno enim jure divino vel humano, canonico vel civili, leges plurimæ continentur. Aliquando lex appellatur *constitutio*, quia illam præcedere solet plurium consilium, et consensus quidpiam simul statuentium, quasi communis statuitio. Quandoque lex dicitur *statutum*, eo quod per ipsam statuatur aliquid stabile atque firmum. (3. Dicta autem nomina in hoc differunt, quod leges supremi principis sæcularis dicantur *jura*; Sumni Pontificis vero decreta appellentur *constitutiones* ; et decreta inferiorum principum, civitatum et populorum dicantur *statuta*, quamvis sæpe sæpius soleant confundi, et sumi promiscue.

(4. Ad legem variæ requiruntur conditiones, quæ ex divo Isidoro assignantur, in cap. *Erit autem lex* 2, dist. 4, ibi : « Erit autem lex honesta, justa, possibilis, secundum naturam, secundum patriæ consuetudinem, loco, temporique conveniens, necessaria, utilis, manifesta quoque, ne aliquid per obscuritatem in captionem contineat, nullo privato commodo, sed pro communi civium utilitate conscripta. » (5. Debet igitur lex primo esse *honesta et justa*; quia ideo lex conditur, ut genus humanum informetur honeste vivere, alterum non lædere, jus suum cuique tribuere; § *Juris*, *Institut. De justit., et jure*, ibi : « Juris præcepta sunt hæc : Honeste vivere, alterum non lædere, jus suum cuique tribuere : » et cap. *Consuetudo*, 5, distinct. 1, ibi : « Lex erit quod ratione constiterit, religioni conveniat, disciplinæ congruat, saluti proficiat. »

(6. Debet secundo esse *possibilis* ; nam, ut habetur in l. *Impossibilium* 185, ff. *De regul. juris* : « Impossibilium nulla est obligatio, » et cap. *Nemo* 6, *De regul. juris* in 6 : « Nemo potest ad impossibile obligari. » Et additur *secundum naturam*, quia lex non debet præcipere supra vires, et possibilitatem naturæ ; sic, ipsa naturali ratione dictante, cui lex conformari debet ; cap. *Consuetudo* 9, dist. 1. Et subjungitur *Secundum patriæ consuetudinem* ; quia rationabiles patriæ consuetudines non facile per legem contrariam sunt abrogandæ ; ut enim expresse habetur in l. *De quibus*, ff. *De legibus* : « Inveterata consuetudo pro lege non immerito custoditur ; » et in dubio lex secundum patriæ consuetudinem est intelligenda et interpretanda, l. *Si de interpretatione*, ff. *De legibus* cum consuetudo sit optima legum interpres, c. *Cum dilectus* 8, *De consuetud.*

(7. Debet tertio esse *loco temporique conveniens*, quia leges condi debent, et moderari juxta diversitatem locorum, et qualitatem temporum, atque hominum, quibus dantur, textu expresso in cap. *Sciendum est* 1, cap. *Regulæ* 2, et c. *Necesse est* 3, distinct. 29. Et de facto nostra Fratrum Minorum Regula a sancto Patre Francisco divinitus accepta habet modificationem in c. 4, ibi : *Secundum loca et tempora.*

(8. Debet quarto esse *necessaria et utilis*, quia jus novum statui non debet nisi instante necessitate, cap. *Regulæ* 2, dist. 29, et leg. *Ergo omne* 39, ff. *De legibus*, et in l. 3, ff. *De constitut. princip.* expresse dicitur, quod « in rebus novis constituendis evidens esse utilitas debet, » alioquin tanquam sine ratione, et causa lata, superflua censeretur, et potius quam de novo condenda, esset rursus abjicienda, si jam fuisset condita, textu claro in c. *Omnia talia* 12, dist. 2.

(9. Debet quinto esse *manifesta quoque, ne aliquid per obscuritatem in captionem contineat* ; quia propter ejus obscuritatem posset captiose et perperam interpretari, et inde multa possent mala evenire, ad quæ evitanda merito statuitur etiam in cap. *Abbate* 25, § *Contra*, *De verbor. signific.* quod « Lex non debeat esse obscura, vel captiosa, sed certa et manifesta. »

(10. Debet sexto esse *nullo privato commodo, sed pro communi civium utilitate conscripta*, quia lex primario et principaliter debet esse ordinata ad bonum commune reipublicæ, ut expresse habetur in l. 1, ff. *De legibus*, ibi : « Lex est commune præceptum, communis reipublicæ sponsio, et l. 2, ff. eod., ibi : « Lex est communis sponsio Civitatis, ad cujus præscriptum omnes, qui in ea Republica sunt, vitam instituere debent, » et l. 8, ff. eod. ibi : « Jura non in singulas personas, sed generaliter constituuntur. »

(11. Brevius tamen, et clarius omnes necessariæ legis conditiones continentur in definitione, quæ de ipsa generatim sumpta, et prout est quid commune ad constitutiones humanas, tam ecclesiasticas, quam civiles, traditur his verbis : « Lex est recta agendorum ratio a publica potestate communitati denuntiata cum voluntate eam perpetuo obligandi ad aliquid agendum, vel omittendum; » sic in re *Communis doctorum.*

(12. Primo igitur ad veram legem requiritur, quod sit *recta agendorum ratio*, id est *justa et honesta* : quia si non sit justa, non est absolute dicenda lex, ut expresse

Digitized by Google

dicit S. Augustin. lib. 1 *De liber. arbitr.*, cap. 5, ibi : « Mihi lex esse non videtur, quæ justa non fuerit. » (13. Secundo requiritur quod sit lata a *publica potestate*, scilicet a legislatore habente legitimam et publicam auctoritatem ferendi legem ; aliter talis lex posset sine incursu culpæ et pœnæ non observari, c. *Ut animarum* 11 *De constitutionibus*, in 6, ibi : « Cum extra territorium jus dicenti non pareatur impune. » (14. Tertio requiritur quod sit *communitati denuntiata*, id est quod sit promulgata, aliter ignorantia merito excusaret subditos ab observatione legis : cap. 1, *De præbend.*, in 6, ibi : « Lex seu constitutio, et mandatum nullos astringunt, nisi postquam ad notitiam pervenerint eorumdem ; *Authent.* Ut factæ novæ constitutiones § *Sancimus*, collat. 5, ibi : Cur enim (inquit imperator) culpabimus eos, qui positas nostras ignoraverint Constitutiones ? » (15. Quarto, quod sit lata *cum voluntate perpetuo obligandi*, id est quod legislator intendat subditos obligare ad observantiam talis legis ; aliter non erit lex, sed consilium. Et quidem *obligandi perpetuo*, quia lex, quantum est de sui natura, nisi postmodum legitime revocetur, est, ut obliget in perpetuum ; arg. cap. *Nemini dubium est* 10, *De officio legati*, et cap. *Ex rescripto* 1, *De locato*, cum similibus, et quidem merito, cum ea quæ ad jus pertinent perpetua esse debeant ; l. *Falso*, *Cod. de diversis rescriptis*.

(16. Hinc lex differt a simplici præcepto. Primo, quia lex durat etiam post mortem legislatoris, et semper suam vim habet, donec revocetur, aut per contrariam consuetudinem legitime abrogetur, argum. cit. *Juribus ;* simplex vero præceptum exspirat morte præcipientis, et absque nova revocatione cessat cessante vita aut officio præcipientis, ut de se patet, et tenet Menoch. lib. 1, *De arbitrar. judic.*, quæst. 69, n. 4 ; Sanch., lib. VIII, *De matrimon.*, disput. 28, n. 47, Layman., in cap. *Gratum* 20, *De offic. delegat.* in 6, et alii passim. (17. Secundo differt, quia lex censetur immediate afficere locum, seu territorium legislatoris, et inde in subditos inibi existentes transire. Unde leges territorii non obligant cives absentes ; cap. *Ut animarum* 2, *De constitut.*, et sic tenent doctores communiter, argum. leg. *Omnes populi*, ff. *De justitia et jure*. Simplex vero præceptum econtra immediate fertur in personas singulares, earumque ossibus inhæret, quocunque locorum abierint, et hoc patet de præceptis superiorum, v. gr. prælatorum regularium, quæ obligant subditos, ubicunque existant, cum eis competat jurisdictio in ipsos subditos, non ratione loci, sed per se, ac ratione personæ propter votum obedientiæ. (18. Tertio differt, quia lex imponitur toti reipublicæ, seu communitati, et loquitur non tantum ad præsentes, sed etiam ad futuros l. 1, ff. *De legibus*, ibi : *Lex est commune præceptum*, l. *Leges* 7, *Cod. de legibus*, cap. *Quoniam* 13, *De constitutionibus*, ibi : « Cum leges, et constitutiones futuris certum est dare formam negotiis. » Simplex vero præceptum imponitur personis singularibus, et præsentibus, cum quibus ordinarie exstinguitur, nec transit ad successores, ut patet de præcepto patris imposito huic, vel illi filio ; de præcepto superioris huic, vel illi religioso, et hujusmodi.

(19. Lex, ut sic, dividitur immediate in æternam et temporalem. *Lex æterna* est ordinatio quædam divinæ voluntatis ab æterno fixe determinantis quæ sint agenda, vel cavenda a creatura rationali, ut debitum finem assequatur. *Lex temporalis* est, quæ ad dictum finem est condita in tempore. Et in hoc differunt, quod prima sit increata, et in Deo, secunda autem creata, et extra Deum.

(20. Lex temporalis subdividitur in naturalem et in positivam. *Lex naturalis* est regula obligans creaturam rationalem ad practicandum ea quæ ex se necessario conveniunt naturæ rationali, et omittendum ea quæ eidem disconveniunt. *Lex positiva* est quæ ab aliquo legislatore positivo, sive Deo, sive homine posita est, tanquam regula obligans creaturam rationalem ad practicandum, vel omittendum ea, quæ non ex se, nec necessario conveniunt, aut disconveniunt naturæ rationali. Et in hoc differunt, quod in lege naturali objectum ex se, necessario, et ab intrinseco habet, quod sit conveniens, aut disconveniens, bonum, aut malum. In lege vero positiva objectum solum ab extrinseco libere, et contingenter a voluntate legislatoris positivi habet, quod sit conveniens, aut disconveniens, et quod sit obligans ; unde quæ lege naturali sunt prohibita, ideo sunt prohibita, quia ex se mala. Quæ autem lege positiva prohibentur, ideo sunt mala, quia prohibita.

(21. Lex positiva subdividitur in divinam et humanam. *Lex divina positiva* est quæ a Deo in tempore lata et condita est. *Lex humana positiva* est quæ lata et condita est ab homine.

(22. Lex divina positiva subdividitur in legem veterem et in legem novam. *Lex vetus*, seu Mosaica, est quæ a Deo per angelos Moysi, et per Moysen Israelitis pro tempore Veteris Testamenti tradita fuit. *Lex nova*, seu evangelica, est quæ a Christo fuit condita, et partim per ipsummet, partim per apostolos fuit publicata.

(23. Lex divina positiva alia est mere divina positiva, et alia est divina positiva naturalis. *Lex divina mere positiva* est, quæ mere præcipit ea quæ non sunt præcepta a lege naturali, ut quod confessarius debeat esse sacerdos, quod confessio peccatorum mortalium debeat præmitti sumptioni Eucharistiæ, et hujusmodi. *Lex divina positiva naturalis* est, quæ præcipit eadem quæ præcipiuntur a lege naturali, ut quod Deus sit colendus, parentes sint honorandi, non sit mentiendum, et non sit occidendum, et hujusmodi.

(24. Lex positiva humana subdividitur in legem, seu jus gentium, in legem ecclesiasticam, seu canonicam, et in legem sæcularem, seu civilem. *Lex*, seu *jus gentium*, est

Digitized by Google

illa, seu illud, qua, vel quo omnes gentes, vel ferme omnes utuntur. *Lex ecclesiastica*, seu canonica, est, quæ a Summo Pontifice, et aliis superioribus ecclesiasticis pro recta gubernatione Ecclesiæ, et ad spiritualem animarum profectum, est legitime condita. *Lex sæcularis*, seu civilis est, quæ auctoritate principis, seu magistratus sæcularis, est condita ad civium politicam gubernationem, et ad rem publicam in pace et justitia conservandam.

(25. Lex, seu jus gentium subdividitur in primarium et secundarium. « Lex, seu jus gentium primarium, et lex, seu jus gentium secundarium » quæ, et quales sint? *Vid.* verb. Jus, n. 10.

(26. Lex ecclesiastica, seu canonica quomodo subdividatur? *Vid.* verb. Jus, a n. 19 ad n. 34.

(27. Lex sæcularis, seu civilis quomodo subdividatur? *Vide* verb. Jus, a n. 12 ad 14.

(28. Lex, seu jus gentium in hoc differt a lege ecclesiastica, seu canonica, et a lege sæculari, seu civili, quod lex, seu jus gentium concernat semper universalem, seu fere universalem hominum societatem; lex autem ecclesiastica, seu canonica, et sæcularis, seu civilis, concernat aliquando unicum regnum, unicam provinciam, imo et interdum unicam civitatem. (29. Et lex, seu jus gentium in hoc differt a lege, seu jure naturali, quod lex, seu jus naturale stricte sumptum dirigat hominem, præsertim solitarie spectatum; lex autem, seu jus gentium præcise illum dirigat, ut in aliorum consortio commorantem; imo ita in regulandis hominibus simul convenientibus occupatur, ut ejus dispositiones concernant universalem, seu fere universalem hominum societatem.

(30. Quando inter leges ecclesiasticas, seu canonicas, et sæculares, seu civiles est aperta contrarietas, quænam sint servandæ? *Vide* verb. Jus a n. 37, ad n. 43.

(31. Summus Pontifex potest condere leges ecclesiasticas, seu canonicas in materia spirituali, et concernente animarum salutem, obligantes pro toto orbe Christiano. *Communis*, per textum in cap. *Solitæ* in 6, *De majoritat. et obedient.*, et patet clare ex verbis Christi *Matth.* XVI, ibi : *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis*, cum similibus. (32. Legatus Pontificis potest leges ecclesiasticas ferre intra fines suæ legationis, cap. *Nemini dubium*, ex. *De officio legati.* (33. Cardinales possunt similes leges ferre in ecclesiis sui tituli, in quibus jurisdictionem quasi episcopalem habent, cap. *His quæ*, 11, *De majoritat. et obedient.* (34. Patriarchæ, primates, archiepiscopi et episcopi possunt dictas leges ferre pro suis respective diœcesibus; cap. *Si quis venerit* 2, *De majoritat. et obedient.*, cum similibus. (35. Item abbates exempti, aliique prælati obtinentes in suis territoriis jurisdictionem quasi episcopalem. Hostiens. in summa *De onstitutionibus*, n. 3 et 4; Suarez lib. IV *De legib.*, cap. 3, et c. 4, n. 2 et seq., et c. 4, n. 3 et 4. Pirhing, lib. I *Decret.*, tit. 2, n. 4, et ali passim, arg. cap. *Annis singulis*, dist. 18, et cap. 1, *De consecr.*, dist. 3, et cit. cap. *Si quis venerit* 2, *De majorit. et obedient.*, cum similibus. (36. Item abbates, priores, abbatissæ, priorissæ, et præfectæ monialium, superioresque similes independentes pro suis monasteriis. La Croix, lib. I, tr. 2, cap. 1, n. 562, et alii passim.

(37. Concilium generale legitime congregatum potest condere leges ecclesiasticas obligantem totam ecclesiam, dummodo Summus Pontifex consensum præbeat, easque confirmet. *Communis* et certa. Et patet in habitis conciliis generalibus, et signanter in concilio Tridentino, ubi præter articulos fidei, plura decreta circa reformationem morum condita fuerunt : Et quod debeant esse approbatæ et confirmatæ a Summo Pontifice, habetur clare ex cap. *Significasti* 4, *De electione*, ibi : « Cum omnia concilia per Romanæ Ecclesiæ auctoritatem, et facta sint et robur acceperint, et in eorum statutis Romani Pontificis patenter excipiantur auctoritas, » et expresse patet ex cap. *Regula* 2, dist. 17, cum similibus. (38. Item leges ecclesiasticas condere potest concilium provinciale, et synodus diœcesana obligantem proprios subditos intra limites sui territorii existentes. *Comm.* per text. in cap. *Catholicæ* 8, dist. 11, cap. *Quod dicitis* 14, dist. 16, cum similibus.

(39. Capitulum ecclesiæ cathedralis sede vacante potest condere leges totam diœcesim obligantes etiam post electionem novi episcopi, donec ipse illas revocaverit; arg. cap. *Cum olim* 14, *De majorit. et obedient.*, et cap. un. eod. in 6, n. 61. Capitulum sede vacante succedit episcopo in his quæ sunt jurisdictionis; potestas autem condendi leges, ut patet, pertinet ad potestatem jurisdictionis, adeoque, etc. Et sic tenent Abbas in cit. cap. *Cum olim*, n. 2, § *Septimo dubitatur*; Fagn., *ibid.*, n. 57; Layman., *ibid.*, n. 6; Felinus in cap. *Cum omnes*, 6 *De constitutionib.*, n. 50; Pirhing., lib. I *Decr.*, tit. 2, n. 6; Reiffenst., *ibid.*, n. 89, et alii passim.

(40. Nec valet objicere quod, sicut collegium cardinalium nequit condere leges vacante sede papali, ex cap. *Ubi periculum* 3, § *Iidem quoque cardinales*, *De elect.*, in 6, et Clementin. *Ne Romani*, § 1 *De elect.*, ita multo minus leges condere potest capitulum vacante sede episcopali. Non valet, inquam, quia id est peculiariter statutum de collegio cardinalium, ne forsan cum gravi universalis ecclesiæ periculo et detrimento, Romani pontificis electio diutius protraheretur, si interim collegium cardinalium posset exercere jurisdictionem papalem; secus autem est de capitulo sede episcopali vacante, quod ubi ipsi competit electio successoris, habet a jure præfixum sibi solum trium mensium spatium. Tum quia sede papali vacante jurisdictio papalis non transit ad collegium cardinalium ex cit. *Juribus cum similibus*; bene vero juris-

Digitized by Google

dictio episcopalis transit in capitulum sede vacante episcopali; cap. *Cum olim* 14 *De majorit, et obed.*, et cap. unic. eod. in 6, cum similibus.

(41. Capitula generalia regularium possunt condere leges, et statuta propria pro tota religione ad successores transeuntia, juxta modum in unaquaque respective regula præscriptum, et consuetudines proprias, ac privilegia, et sic capitula provincialia respective pro quaque sua provincia. *Commun.*

(42. Leges civiles, seu politicas condere potest summus Pontifex pro ditione temporali suo dominio subjecta, imperator pro imperio, reges pro suis regnis, et alii duces, seu principes, aut respublicæ suprema jurisdictione temporali gaudentes pro suis respective ditionibus; l. 1, ff. *De constitutionibus principum*, cum similibus. Et sic tenet *communis doctorum*. (43. Principes autem alii inferiores, et civitates, seu communitates suprema jurisdictione temporali non gaudentes, sed jurisdictionem dependentem habentes, nequeunt leges et statuta condere, nisi accedat cessio, seu confirmatio supremi principis, cui subjiciuntur, aut consuetudo legitime præscripta. *Communis.*

(44. Nulla potestas legislativa humana, sive ecclesiastica, sive laica, potest condere leges, vel statuta contra jus naturale, vel divinum præceptivum, vel prohibitivum, sive statuere aliquid contra id quod lex naturalis aut divina præcipit, seu prohibet. *Communis*, arg. c. *Inferior* 4, dist. 21, c. *Cum inferior* 16, *De majorit. et obedient.*, Clementin. *Ne Romani* § 1. *De elect.*, ibi: « Lex superioris per inferiorem tolli non potest. »

(45. Quinimo nulla potestas legislativa humana, Summo Pontifice excepto, potest leges ferre, et quidpiam statuere contra jus commune canonicum, aut alias constitutiones apostolicas. *Comm.* per textus in citatis Juribus, et in cap. *Institutionis* 7, caus. 25, qu. 2, et cap. *Quod super his* 9, *De majorit. et obed.*, cum similibus.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(46. Lex non male definitur: « Norma liberarum actionum a superiore inferiori sub præmio vel pœna præscripta. »

(47. Ex hac autem definitione facile est judicare de diversis legis speciebus. Si enim de essentia legis est, ut feratur a superiore inferioribus, quot sunt hominibus superiores (intelligo de supremis), tot sunt leges.

(48. Homines autem in statu naturali considerati sunt inter se æquales, ita ut nemo alteri superior sit; unum tamen habent superiorem, *Deum*. (49. In statu vero civili eum habent superiorem, qui pro forma reipublicæ, in qua sunt, summum obtinet imperium. (50. Quinimo iis qui Christianam religionem amplexi sunt, accedit et alter superior in statu civili, nimirum Vicarius Christi, scilicet Summus Pontifex.

(51. Patet hinc legem optime dividi in *divinam* et *humanam*. *Divina* vero, prout a Deo promulgatur hominibus, est vel *naturalis*, si lumine rationis promulgetur; vel *revelata*, si promulgetur per revelationem. (52. Quomodo autem lumine rationis assequi possimus hanc, quam dicimus *naturalem* legem, plures post Grotium adlaborarunt: sed frustra. (53. Meo judicio satis est simul considerare ideam Dei, et ideam hominis, ut noscere possimus, et quidem facili negotio, omnia nostra erga Deum, erga nos ipsos, et erga alios homines officia: et summa ratione. (54. Nequit enim Deus quidquam hominibus præscribere, quod consentaneum non sit suis attributis, tum proprietatibus hominum; sed hæc inquisitio non est hujus loci.

(55. Lex *humana*, si ab eo qui potitur summo imperio in statu civili feratur, dicitur *civilis*, sin autem a Summo Pontifice, *ecclesiastica.*

(56. Habes diversas legis species. Nec mireris quod nihil dixerim de *jure gentium*. Si enim *jus* hoc *gentium* diversum est a *lege naturali*, commentitium est. Sunt enim, ut dictum est, homines in statu naturali inter se æquales. (57. Quomodo igitur ferre potuerunt gentes gentibus dictantes leges, quæ nonnisi a superiori inferioribus ferri possunt? Quod si nomine *juris gentium* intelligas quasdam consuetudines inter nonnullas cultas gentes, tum tempore pacis, tum belli receptas, abuteris nomine *juris*, nam hæ consuetudines non in vim legis, sed potius in vim pacti obligant. Sed hæc jam nostra tempestate excussa sunt a tot viris doctis.

ADDITIONES CASINENSES.

(58. Quantum ad legem veterem attinet, de qua obiter agit auctor, sub n. 22, triplicis hæc generis præcepta continet: *moralia* nimirum, *cæremonialia*, ac *judicialia.*

(59. *Moralia* ad legem naturalem spectant, quæque in Decalogo habentur; *cæremonialia* cultum divinum, et ritus sacrificiorum judaicorum respiciunt; *judicialia* demum circa causas judiciales, et debitum ordinem, ac æquitatem in populo Judaico servandam sese exerunt.

(60. Jam vero quorum posteriorum generum præcepta per adventum Christi vim obligandi amisisse extra controversiam est.

Præstat in hac re audire S. Thomam ita docentem: « Respondeo dicendum, quod judicialia præcepta non habuerunt perpetuam obligationem, sed sunt evacuata per adventum Christi; aliter tamen quam cæremonialia. »

« Nam cæremonialia adeo sunt evacuata, ut non solum sint *mortua*, sed etiam *mortifera*, observantibus post Christum, maxime post Evangelium promulgatum. » 2-2, quæst. 104, art. 3.

Hoc pacto, eodem Thoma docente « circumcidi, et alias cæremonias observare post passionem Christi, est peccatum mortale: (Siquidem) omnes cæremoniæ sunt quædam protestationes fidei, in qua consistit inte-

Digitized by Google

rior Dei cultus. Sic autem quem interiorem potest homo protestari factis, sicut et verbis; et in utraque protestatione, si aliquid homo falsum protestatur, peccat mortaliter. Quamvis autem sit eadem fides, quam habemus de Christo, et quam antiqui patres habuerunt; tamen, quia ipsi præcesserunt Christum, nos autem sequimur, eadem fides diversis verbis significatur a nobis et ab eis. Nam ab eis dicebatur : *Ecce Virgo concipiet, et pariet filium* (*Isa.* VII), quæ sunt verba futuri temporis : nos idem repræsentamus per verba præteriti temporis, dicentes quod *concepit* et *peperit*. Et similiter cæremoniæ veteris legis significabant Christum ut nasciturum et passurum; nostra autem sacramenta significant ipsum ut natum et passum.

« Sicut igitur peccaret mortaliter, qui nunc suam fidem protestando, diceret *Christum nasciturum*, quod antiqui pie et veraciter dicebant, ita etiam peccaret mortaliter, si quis nunc cæremonias observaret, quas antiqui pie et fideliter observabant. » (2-2, quæst. 103, art. 4 [1].)

(61. « Præcepta autem judicialia, sunt quidem *mortua*, quia non habent vim obligandi; non tamen sunt *mortifera* : quia si princeps ordinaret in regno suo illa judicialia observari, non peccaret : nisi forte hoc modo observarentur, vel observari mandarentur, tanquam habentia vim obligandi ex veteris legis institutione, talis enim intentio observandi esset mortifera. » (2-2, quæst. 104, art. 3.)

(62. Quoad vero præcepta moralia, cum sint ipsa legis naturæ dictamina, neutiquam hæc Christi adventu abrogata fuisse in compertis habe : semperque vim habitura planum est, non quidem ex auctoritate veteris legis, sed quia sunt ipsius naturæ dictamina, et a Christo Domino in Evangelio quoad observantiam inculcata, juxta illud ejusdem divini Servatoris : *Si vis autem ad vitam ingredi, serva mandata. Quæ? Non homicidium facies; non adulterabis; non facies furtum; non falsum testimonium dices...* (*Matth.* XIX, 17 et seqq.)

(63. Ad majorem rei claritatem, ac distinctionem, operæ pretium est doctrinam cl. Engel hoic per integrum afferre : « Leges cæremoniales et judiciales, sic ille, quia vel specialiter pro gente Judaica, eorumque moribus latæ, vel præfigurativæ Christi, et *umbra futuri hominis* erant, per adventum Christi, et veri luminis disparuerunt, et vim obligandi amiserunt, ut ex D. Paulo *ad Galat.* III et IV satis probatur, et docent interpretes communiter ad cap. unic. *De purific. post partum.* Imo cæremonialium legum observatio non tantum *mortua* sed etiam *mortifera*, et interdicta est Christianis. Judiciales vero, licet ex se non obligent tempore gratiæ, propter moralem æquitatem tamen, vel honestatem possunt etiamnum hodie, vel Constitutione, vel consuetudine introduci c. 1 *De homic.*; c. 1 et seqq., *De injuriis* (2). Illæ quoque leges cæremoniales, quæ non tam mysteria nascituri Christi præfigurabant, uti sunt *immolatio agni*, *circumcisio*, etc., quam potius ad devotionem, et cultum Dei decenter peragen-

(1) Illud porro non immerito addendum legalia non statim ab adventu Christi, sed in ejus morte, cessasse. Audiamus Thoman in hæc verba : « Dicendum quod mysterium redemptionis humani generis completum fuit in passione Christi. Unde tunc Dominus dixit *consummatum est* (*Joan.* XIX). Et ideo tunc totaliter debuerunt cessare legalia, quasi jam veritate eorum consummata. In cujus signum in passione Christi velum templi legitur esse scissum (*Matth.* XXVII). « Et ideo ante passionem Christi, Christo prædicante, et miracula faciente, currebant simul Lex et Evangelium; quia jam mysterium Christi erat inchoatum, sed nondum consummatum. Et propter hoc mandavit Christus Dominus ante passionem leproso, ut legales cæremonias observaret. » (2-2, q. 103, art. 3, ad. 2.)

Disputatum fuit olim, quando legalia hujusmodi cessaverint, ut non solum *mortua*, sed etiam illicita, id est *mortifera* evaserint. Lubet ejusdem D. Thomæ doctrinam afferre, tenoris sequentis : « Dicendum quod circa hoc diversimode sensisse videntur Hieronymus et Augustinus. Hieronymus enim... distinxit duo tempora : Unum tempus ante passionem Christi, in quo legalia non erant *mortua*, quasi non habentia vim obligatoriam, aut expiativam pro suo modo; nec etiam *mortifera*, quia non peccabant ea observantes : statim autem post passionem Christi incœperunt esse non solum *mortua*, id est non habentia virtutem et obligationem, sed etiam *mortifera*, ita scilicet quod peccabant mortaliter quicunque ea observabant. Unde dicebat quod apostoli nunquam legalia observaverunt post passionem secundum veritatem, sed solum quadam pia simulatione, ne scilicet scandalizarent Judæos, et eorum conversionem impedirent. Quæ quidem simulatio sic intelligenda est, non quidem ita quod illos actus secundum rei veritatem non facerent, sed quia non faciebant tanquam legis cæremonias observantes... Sed quia indecens videtur quod apostoli ea occultarent propter scandalum, quæ pertinent ad veritatem vitæ et doctrinæ, et quod simulatione uterentur in his quæ pertinent ad salutem fidelium, ideo convenientius Augustinus... distinxit tria tempora : *Unum* quidem ante Christi passionem, in quo *legalia* neque erant *mortifera*, neque *mortua* : *aliud* autem est post tempus Evangelii divulgati, in quo legalia sunt *mortua*, *et mortifera* : *tertium* autem est tempus medium, scilicet a passione Christi usque ad divulgationem Evangelii; in quo legalia quidem fuerunt *mortua*, quia neque vim aliquam habebant, neque aliquis ea observare tenebatur; non tamen fuerunt *mortifera*, quia illi, qui conversi erant ad Christum ex Judæis, poterant illa legalia licite observare, dummodo non sic ponerent spem in eis, quod ea reputarent sibi necessaria ad salutem, quasi sine legalibus fides Christi justificare non posset. His autem, qui convertebantur ex gentilitate ad Christum, non inerat causa ut ea observarent. Et ideo Paulus circumcidit Timotheum, qui ex matre Judæa genitus erat : Titum autem, qui ex gentilibus natus erat, circumcidere noluit. Ideo autem noluit Spiritus sanctus ut statim inhiberetur his qui ex Judæis convertebantur observatio legalium, sicut inhibebatur his qui ex gentilibus convertebantur gentilitatis ritus, ut quædam differentia inter hos ritus ostenderetur. Nam gentilitatis ritus repudiabatur, tanquam omnino illicitus, et a Deo semper prohibitus : ritus autem legis cessabat, tanquam impletus per Christi passionem, utpote a Deo in figuram Christi institutus. » (2-2, quæst. 103, art. 4, add. 1.)

(2) Et revera in tit. ex. *De homic.*, cap. 1, habe-

Digitized by Google

dum pertinebant, veluti *vestes sacerdotales*, etc., etiam in nova lege per Ecclesiam repeti possunt, ita tamen ut non ex lege divina, sed ecclesiastica obligent. *Moralia* præcepta Veteris Testamenti adhuc vim habent, et perpetuo habebunt, non tam ex auctoritate veteris legis, quam ex eo quod sint a natura ipsa instituta, et a Christo in Evangelio passim præcepta, et *præcepta servare* jubente repetita. Demum aliquæ sunt leges mistæ, quæ partim sunt *cæremoniales*, vel *judiciales*, et partim *morales*, cujusmodi sunt *decimæ*, quæ quod ad quantitatem, scilicet decimam partem, legibus *judicialibus*, quoad congruam sustentationem ministrorum Ecclesiæ *moralibus* recte annumerantur... Item *sabbati sanctificatio* quæ quoad diem *sabbathinum*, *cæremonialis*; quoad cultum divinum, qui aliquibus saltem diebus soli Deo debetur, *moralis* est. Istæ leges mistæ non obligant quidem hodie ex jure divino, in quantum sunt *cæremoniales* vel *judiciales*, sed in quantum sunt morales. » (Ad Tit. II, ex. *De constit.*, § 1, *n.* 5.)

ARTICULUS II.

Lex quoad ea quæ concernunt ejus promulgationem, acceptionem, et oblioationem.

SUMMARIUM.

1. Ad hoc ut lex obliget quoad culpam, vel quoad pœnam requiritur ejus sufficiens promulgatio. — 2. Ut lex dicatur sufficienter promulgata, sufficit quod taliter promulgetur, ut ea ad notitiam communitatis deveniat, quamvis singulorum auribus specialiter, et sigillatim non inculcetur. — 3. Si lex, juxta legislatoris mandatum, promulgata sit tali loco, et tempore, a quo velit ipsam obligare, tunc ipsa, sive sit civilis, sive canonica, non incipit obligare, nisi post promulgationem factam in loco præscripto, et elapso tempore a legislatore statuto. — 4. Leges imperiales, seu cæsareæ, latæ pro pluribus provinciis non incipiunt obligare, nisi post duos menses elapsos a die promulgationis factæ in cujuslibet provinciæ metropoli. — 5. Leges regum, aliorumque principum Romano imperio non subditorum, nisi aliud certum præfixerint tempus pro observantia, aut aliud legitima consuetudine præscriptum fuerit, incipiunt obligare statim ac sufficienter sunt promulgatæ, et ad notitiam subditorum pervenerint. — 6. Leges Pontificiæ incipiunt obligare, quantum est ex se, totum orbem Ecclesiæ subjectum, statim ac Romæ in curia, aliisque consuetis locis solemniter fuerint promulgatæ, et ad aliorum cognitionem pervenerint; nec est necesse, quod etiam promulgentur in singulis provinciis, et episcopatibus, nisi in ipsis aliud exprimatur. — 7. Veritas hujus conclusionis constat ex recepta praxi, consuetudine, ac stylo curiæ Romanæ. — 8. Hanc sententiam qui teneant? — 9. Ad intrinsecam legis constitutionem non requiritur acceptatio populi. — 10. Affertur solida ratio. — 11. Affertur, et solvitur instantia ex illo dicto Gratiani : « Leges instituuntur cum promulgantur; firmantur cum moribus utentium approbantur. » — 12. Hinc subditi peccant mortaliter, si sine rationabili causa non acceptent legem obligantem sub mortali. — 13. Lex sine rationabili causa non acceptata, adhuc perseverat obligare, præsertim si legislator instet pro legis acceptatione et observantia. — 14. Si lex non acceptetur, nec observetur, et id sciat, et taceat legislator, quamvis primi sine rationabili causa ipsam non acceptantes, nec observantes peccaverint; tamen ipsi, et alii a die, quo cognoscuntur id scire, et tacere legislatorem, non peccant. — 15. Si legislator nesciat legem non acceptari, nec deduci ad observantiam, durat legis obligatio, donec elabatur decennium; quo elapso habet locum contra eam præscriptio, et non amplius obligat, sive sit lex civilis, sive canonica. — 16. In dubio an lex sit acceptata, nec ne, præsumi debet, quod sit acceptata, et observari debet. — 17. In dubio an superior habeat protestatem ferendi hanc vel illam legem obligatoriam, talis lex debet acceptari et observari. — 18. In dubio an lex sit justa, nec ne, debet acceptari et observari. — 19. Populus habens rationabilem causam non acceptandi legem a supremo principe, potest et debet ad ipsum recurrere per remedium supplicationis pro sublatione legis : et si lex sit lata a legislatore inferiore, potest appellare ad superiorem. — 20. Et durante tali supplicatione, vel appellatione, licitum est populo suspendere obligationem legis. — 21. Alii tamen sentiunt contrarium. — 22. Si legislator, vel superior, audita populi supplicatione, vel appellatione, taceat, nec ulterius pro legis observantia instet, cum possit, censetur populi supplicationi vel appellationi tacite annuere, et eo ipso legem revocare. — 23. Excipe tamen in casu, quo aliunde satis colligeretur, quod talis taciturnitas legislatoris, vel superioris esset per modum repulsæ, aut indignationis. — 24. Leges humanæ justæ, tum ecclesiasticæ, tum civiles, obligant in conscientia, ita ut earum transgressio culpabilis in materia gravi, sit peccatum mortale. — 25. Non sic tamen obligant ad culpam leges mere pœnales. — 26. Lex mere pœnalis quomodo differt a lege morali, et a lege mista. — 27. Lex pœnalis alia est latæ sententiæ, et alia sententiæ ferendæ, et quæ sit utraque. — 28. Regula prima pro cognoscenda lege pœnali, an sit latæ vel ferendæ sententiæ. — 29. Regula secunda. — 30. Regula tertia. — 31. Regula quarta. — 32. An quando lex utitur verbis imperativi modi, quæ afficiunt immediate ipsam pœnam, sit latæ sententiæ, vel ferendæ : ad n. 34. — 33. Regula quinta. — 36. Lex pœnalis sententiæ ferendæ obligat ante sententiam judicis. — 37. Lex pœnalis latæ sententiæ in iis quæ aliam exsecutionem externam non requirunt, obligat in conscientia ante sententiam declaratoriam judicis. — 38. Lex pœnalis latæ sententiæ in iis quæ externam exsecutionem requirunt, non obligat in conscientia ante judicis sententiam declaratoriam de crimine commisso; nisi lex in specie addat clausulam : *alia etiam declaratione non secuta*. — 39. Imo secundum plurimos, etiamsi lex addat talem clausulam, *alia etiam declaratione non secuta*, vel simili; non obligat ante declaratoriam judicis de crimine commisso, nisi in aliquibus specialibus pœnis, quæ assignantur. — 40. Declaratoria de crimine commisso requirit citationem partis, et ab ea dari potest appellatio. — 41. Adducitur, et solvitur instantia. — 42. Assignatur notabilis differentia inter sententiam condemnatoriam, et sententiam declaratoriam. Assignatur quomodo, non obstante clausula ipso facto incurrenda, adhuc requiratur sententia declaratoria judicis. — 44. Assignatur quomodo, non obstante clausula *absque alia declaratione*, adhuc

tur : « Si quis per industriam occiderit proximum suum, et per insidias, ab altari meo evelles eum, ut moriatur : » Qui utique textus desumptus est ex *Exodo* cap. XXI. Pari modo in tit. *De injuriis* ex. affertur alius textus *Exodi*, ex eod. cap. hoc pacto : *Si rixati fuerint homines, et percusserit alter proximum suum lapide, vel pugno, et ille mortuus non fuerit, sed jacuerit in lecto, et perrexerit, et ambulaverit foris super baculum suum, innocens erit qui percusserit; ita tamen ut opera ejus, et impensas in medicos restituat.*

Digitized by Google

requiratur talis sententia declaratoria judicis. — 45. De lege episcopali, vel synodali ad n. 50. — 51. Subnectuntur Addit. ex alien. manu ad n. 54. * De obligatione, et promulgat. legis speciatim n. 55 et seqq. *

(1. Ad hoc ut lex obliget quoad culpam, vel quoad pœnam, requiritur ejus sufficiens promulgatio. *Communis* per textum in cap. *Quia cunctis* 1, *De concess. præbend.*, ubi expresse dicitur, « quod lex, seu constitutio, et mandatum nullos astringunt, nisi postquam ad notitiam pervenerint eorumdem ; » et Authentic. *Ut factæ novæ constitutiones*, § *Sancimus*, collat. 5, ubi imperator sic inquit : « Cur enim culpabimus eos, qui positas nostras ignoraverint constitutiones ?» Et ratio est quia, cum lex sit præceptum rationale, nemo potest aut tenetur illi parere, si ipsi non sit sufficienter promulgata, et sine sua culpa non sit cognita ; ignorantia enim tollit voluntarium, et ubi non est voluntarium, ibi nulla est culpa, et consequenter neque pœnæ locus esse potest, cum culpa et pœna sint correlativa, arg. cap. *Satis* 7, distinct. 56, et capit. *Cognoscentes* 2, *De constitutionibus*, ibi : « Rem, quæ culpa caret in damnum vocari non convenit, » et cap. *Sine culpa* 23, *De regul. juris*, in 6, ibi : « Sine culpa (nisi subsit causa) non est aliquis puniendus..

(2. Ut lex dicatur sufficienter promulgata, sufficit quod taliter promulgetur, ut ea ad notitiam communitatis deveniat, quamvis singulorum auribus specialiter et singillatim non inculcetur. *Communis* textu expresso in cap. *Ad hæc* 1, *De postulatione prælator.*, ubi dicitur « quod nec sit necessarium, cum constitutio solemniter editur, aut publice promulgatur, ipsius notitiam singulorum auribus per speciale mandatum, vel litteras inculcare : sed id solum sufficit, ut ad ejus observantiam teneatur, qui noverit eam solemniter editam, aut publice promulgatam ; » et concordat cap. *Quod dicitis* 14, dist. 16, cum similibus.

(3. Si lex juxta legislatoris mandatum promulganda sit tali loco, et tempore, a quo velit ipsam obligare, v. gr., statim ac in curia, in metropoli, vel postquam in singulis civitatibus, vel parochiis promulgata fuerit, vel statim elapso uno mense a die publicationis, et hujusmodi, tunc ipsa, sive sit civilis, sive canonica, non incipit obligare, nisi post promulgationem factam in loco præscripto, et elapso tempore a legislatore statuto. *Communis*, per varia exempla similium legum, quæ habentur tum in Jure communi, ut in cap. *Cum singula* 32, in fin. *De præbend.*, in 6, ubi statuitur exsecutio ipsius legis infra mensem postquam ad notitiam pervenerit ; tum in conc. Trident., sess. XXIV, *De reform. matrim.*, cap. 1, ubi statuitur talem legem non habere vim, nisi post triginta dies a die primæ publicationis in singulis parochiis factæ numerandos ; tum in Authent. *Ut in privatis domibus*, et cap. § *Hæc enim*, collat. 5, ubi statuitur tempus trium mensium; tum in Authent. *Ut neque miles*, § *Sint igitur*, collat. 8, ubi statuuntur triginta dies computandi ab insinuatione, seu promulgatione dictarum legum.

(4. Leges imperiales seu cæsareæ, latæ pro pluribus provinciis non incipiunt obligare, nisi post duos menses elapsa die promulgationis factæ, in cujuslibet provinciæ metropoli. *Communis*, textu expresso in authent. *Ut factæ novæ constitutiones*. collat. 5. (5. Leges regum, aliorumque principum Romano imperio non subjectorum, nisi aliud certum præfixerint tempus pro observantia, aut aliud legitima consuetudine præscriptum fuerit, incipiunt obligare statim ac sufficienter sunt promulgatæ, et ad notitiam subditorum pervenerint, arg. cap. *Quia cunctis* 1, *De concession. præbend*, § *Nec obstaret*, ubi expresse dicitur, « quod lex, seu constitutio, vel mandatum nullos astringunt, nisi postquam ad notitiam pervenerint eorumdem ; aut nisi post tempus infra quod ignorare minime debuissent. » Dicta enim authentic. *Ut factæ novæ constitutiones*, est respectiva, ut in ipsa patet, ad solas leges imperiales latas pro pluribus imperii provinciis; unde cum de legibus regum, aliorumque principum Romano imperio non subjectorum, nihil quoad hoc reperiatur in jure statutum, non est quid speciale temere asserendum. « Erubescimus enim sine lege loqui, » inquiunt jurisconsulti ; arg. authent. *De triente et semisse*, § *Consideremus*, collat. 3, et l. *Si vero*, § *De viro*, ff. *Soluto matrimon.*, cum similibus ; et concordat cap. *Consuluisti* 20, caus. 2, qu. 4, ibi : « Quod sanctorum Patrum documento sancitum non est, superstitiosa adinventione non est præsumendum, » et sic tenent Abbas in cap. *Cognoscentes*, num. 7, *De constitutionib.*, Pirhing. l. I *Decretal.*, tit. 2, n. 30; Engel., *ibid.*, n. 46; Reiffenst., *ibid.* n. 113; Suarez, lib. III *De legibus*, c. 16, n. 7; Navarr., Palao, et alii passim.

(6. Leges Pontificiæ, seu constitutiones apostolicæ incipiunt obligare, quantum est ex se, totum orbem Ecclesiæ subjectum, statim ac Romæ in curia, aliisque consuetis locis solemniter fuerint promulgatæ, et ad aliorum cognitionem pervenerint ; nec est necesse quod etiam promulgentur in singulis provinciis ac episcopatibus, nisi in ipsis aliud exprimatur. Colligitur clare ex cap. *Ad hæc* 1, *De postulatione prælatorum*, ubi ut patet ex propriis verbis adductis sup., n. 2, expresse dicitur, quod « id solum sufficit, ut ad ejus (scilicet constitutionis pontificiæ) « observantiam teneatur, qui noverit eam solemniter editam, aut publice promulgatam. » Hoc autem jam fit, si constitutio Pontificia Romæ solemniter promulgetur, et de tali promulgatione cuipiam certo constet. Et quod magis certam reddit nostram sententiam est, quia ibi Pontifex per allatam rationem solemniter reprobat excusationem adductam de non servando interdicto in diœcesi Altissiodorensi, ex quo in tali diœcesi non fuisset promulgatum Pontificium decretum ; adeoque Pontifex aperte declaravit decreta Pontificia esse observanda, quamvis in tali diœcesi non fuerint promul-

Digitized by Google

gata, et colligitur etiam ex c. *Quia cunctis* 1, § *Nec obstaret, De concess. præbend.*, in 6, per propria verba adducta supra sub. n. 5. Et consequenter ad hoc ut leges pontificiæ obligent, non requiritur quod publicentur in singulis provinciis, seu diœcesibus, sed sufficit quod solemniter promulgentur Romæ in locis consuetis, et alibi de ipsis sufficiens notitia habeatur; arg. c. *Eum qui* 31, *De regul. juris*, in 6, ibi : « Eum qui certus est, certiorari ulterius non oportet. »

(7. Tum quia veritas hujus nostræ sententiæ aperte constat ex recepta praxi consuetudine, ac stylo curiæ Romanæ, ubi omnes judices orbis, ut experientia constat, judicant contra omnes totius orbis Christianos secundum leges, seu constitutiones Pontificias in locis Romæ consuetis promulgatas, quamvis non fuerint promulgatæ in singulis provinciis, dummodo vere illas non ignoraverint; consuetudo autem est optima legum interpres, c. *Cum dilectus* 8, *De consuetud.*, et l. *Si de interpretatione*, ff. *De legibus*. Quinimo ipse stylus curiæ Romanæ habet vim legis; arg. c. *Quam grave* 6, *De crimine falsi*.

(8. Et hanc sententiam tenet abbas Panormit. in c. *Noveris* 49, *De sentent. excommunic.*, n. 3, ubi expresse dicit, quod « constitutio Papæ non est necessario publicanda in qualibet provincia, quia satis est quod publicetur in curia Romana; » Vallensis *De constitutionibus*, § 2, n. 2, card. de Luca tom. XII, par. 1, *De benefic.*, disc. 76, n. 7, allegans Rotam dec. 365, n. 13 et 14; Antonius Burgosius in *Repetit.*, ad c. *Cognoscentes*, n. 207, *De constit.*; Quintilianus Mandosius in *Repetit.* ad c. 2 *De constit.*, n. 79; Pirhing., lib. 1 *Decretal.*, tit. 2, n. 32, ubi citans Suarez, Silvestrum, Azor., Navarr., et alios, dicit quod hæc sententia sit communior; Reiffenstuel, *ib.*, n. 118, ubi dicit quod hæc sit communior; La Croix, lib. 1, tract. 2, cap. 1, n. 579, ubi aliis citatis dicit quod ita docent communiter canonistæ; Cardenas in 1, crisi, disp. 9, cap. 20, art. 12, ubi dicit hanc esse certam; Farinacius cum pluribus aliis part. 1 *Fragmentorum criminalium*, n. 653, dicens quod hæc opinio sit verior, magisque communis, et canonizata in Rota; Castropalao, par. 1, tract. 3, disp. 1, punct. 12, n. 2, citans Suarez, Vasq., Silvestrum et alios, ubi vocat hanc certam, et omnino tenendam sententiam. Et sic plurimi alii, contra plures alios tenentes contrarium. * Nihil ad hanc de legum Pontificiarum promulgatione controversiam opportunius afferri posset, quam singula Ecclesiæ sæcula percurrere, et quæ in singulis servata sint, ubi de hujusmodi legibus promulgandis ageretur, ex certis monumentis depromere; variam quoque hac in re disciplinam adnotare, atque unde orta ea varietas fuerit, et quis in ea usurpanda modus habitus, diligenter considerare. Id enimvero cum Franc. Antonius Zaccaria præstiterit in suis Latinis dissertationibus Fulginiæ editis t. XI, diss. XI, quæ inscribitur : *De varia Ecclesiæ præsertim Latinæ, in promulgandis sacris constitutionibus disciplina, satis erit illum consulere* *.

(9. Ad intrinsecam legis constitutionem non requiritur acceptatio populi, unde ante populi acceptationem lex cæteroquin justa jam obligat; sic late Fagnanus in cap. *Treguas* 1, *De tregua et pace*, n. 48 et seq.; Pirhing, lib. 1 *Decretal.*, tit. 2, n. 37, ubi dicit quod hæc est theologorum sententia magis recepta, et per se loquendo absolute vera. Suarez, l. III, d., cap. 19, n. 6; Layman., lib. 1, tract. 4, cap. 3, n. 1., ubi cum multis aliis ibi citatis dicit quod hæc sententia absolute, et per se loquendo est vera. Castropalao par. 1, tract. 3, disputat. 1, punct. 13; Felix Potestas, tom. I, par. 1, n. 193, ubi dicit hoc esse certum. Busemb., *De legibus*, tract. 2, cap. 1, dub. 3; La Croix, *ibidem;* Viva in proposit. 28, damnat. ab Alexand. VII, n. 6 et seq.; Reiffenstuel., lib. 1 *Decretal.*, tit. 1, n. 136, ubi dicit quod hæc communior doctorum, et jam post propositionem 28, damnatam ab Alexandro VII infra adducendam, est fere indubitata, quamvis antea multi oppositum docuerint.

(10. Et ratio nostræ conclusionis est, quia ad hoc ut intrinsece censeatur constituta, et vim de se habeat obligandi subditos, duo solum requiruntur et sufficiunt ex parte legislatoris, scilicet potestas, et voluntas obligandi subditos ad legis observantiam, prout desumitur ex cap. *Cum super* 23, *De offic. delegati*. Neutrum autem horum deficit in legitimis legislatoribus, quia quantum ad potestatem, si sit sermo de supremo legislatore ecclesiastico, scilicet de Summo Pontifice, habet eam absolutam ferendi leges sine consensu, et acceptatione populi Christiani, immediate a Christo; *Matth.* XVI, ibi : *Quodcunque ligaveris super terram*, etc., et *Joan.* XXII, ibi : *Pasce oves meas.* Et si sit sermo de supremis legislatoribus laicis, habent talem potestatem ferendi leges absque consensu et acceptatione populorum; l. 1, ff. *De constit. princip.*, § *Sed et quod principi; Instit. de Jur. nat. gent. et civ.*, et potestatem etiam habent obligandi, et cogendi subditos ad illarum observantiam; l. *Leges* 7, ff. *De legib.*, et cap. 1, ad finem, dist. 20. Quantum autem ad voluntatem, quod scilicet legislatores eam habeant obligandi subditos independenter ab eorum acceptatione, et non sub prætensa ab adversariis conditione, *si subditi velint acceptare*, de se clare patet, quia alias essent potius consilia, seu exhortationes, quam leges, seu præcepta, textu claro in cap. *Quisquis* 3, caus. 14, qu. 1. Tum quia cum legislatores ferunt leges, cogunt subditos independenter ab eorum voluntate, pœnis et suppliciis ad earum observantiam cap. *Præceptis* 2, dist. 12, cap. *Non frustra* 18, et c. *De Liguribus* 43, caus. 23, qu. 5; cap. *Cum clericorum* 13, *De vita et honest. cleric.*, cum similibus leg. *Leges* 7, ff. *De legibus*, cum concordantiis, adeoque eo ipso censentur habere voluntatem subditos obligandi absolute, et non solum sub conditione, *si subdidi velint legem acceptare*, ac per consequens, cum ex

Digitized by Google

citatis juribus possint legislatores subditos coercere independenter ab eorum consensu ad legum observantiam, et punire trangressores, stat clarum, quod possint etiam independenter ab eorum acceptatione ferre leges obligatorias, quia in tantum possunt subditos sic coercere, et punire, in quantum possunt eos obligare.

(11. Nec valet objicere cap. *In istis* 3, dist. 4, ubi dicitur, « quod leges instituuntur, cum promulgantur, firmantur cum moribus utentium approbantur. » Non valet, inquam, quia ultra quam quod dictum istud, cum sit Gratiani, non habeat canonis auctoritatem, textus ille aperte favet nostræ conclusioni, quia *si leges instituuntur, cum promulgantur*, ergo cum promulgentur ante populi acceptationem antecedenter ad hanc acceptationem, sunt jam institutæ, et jam obligant, ideoque si leges sunt jam institutæ ante populi acceptationem, populi acceptatio non requiritur ad intrinsecam legis constitutionem. Id autem quod sequitur, scilicet *firmantur, cum moribus utentium approbantur*, debet intelligi, ut cum aliis recte notat Fagn. in c. *Treguas* 1, *De tregua et pace* n. 48 et 49, quod leges firmantur moribus, quoad firmitatem stabilitatis, seu de facto, non autem quoad firmitatem auctoritatis, seu de jure; nam de jure, et quoad auctoritatem obligandi, sunt jam satis firmatæ ab ipsa legitima institutione, seu firmantur moribus, et usu non firmitate intrinseca et essentiali, ut incipiant obligare, cum usus ipse ex obligatione nascatur, sed firmantur quadam firmitate extrinseca et accidentali, ut sic moribus utentium comprobatæ, stabiliores sint, et non facile per desuetudinem abrogentur.

(12. Hinc, subditi peccant mortaliter, si sine rationabili causa non acceptent legem obligantem sub mortali; habetur clare ex illo apostoli Pauli *ad Roman.* XIII, ibi: *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt*, et ideo merito fuit damnata ab Alex. VII, die 24 Septem. 1665, sequens propositio ordine 28, ibi: « Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a principe promulgatam. » (13. Ex qua damnata propositione aperte infertur, quod lex sine rationabili causa non acceptata, adhuc perseveret obligare, præsertim si legislator instet pro legis acceptatione et observantia, et lex sit justa, et legislator sit legitimus ex illis assignatis art. 1, a n. 41 ad 43.

(14. Si lex non acceptetur, nec observetur, et id sciat, et taceat legislator, quamvis primi sine rationabili causa ipsam non acceptantes, nec observantes peccaverint, tamen ipsi et alii, a die quo cognoscunt id scire, et tacere legislatorem, non peccant, quia tunc rationabiliter censetur hoc ipso legem revocare, si cum possit pro acceptatione, et observantia instare, non instat. (15. Si legislator nesciat legem non acceptari, nec deduci ad observantiam, durat legis obligatio, donec elabatur decennium, quo elapso, habet locum contra eam præscriptio, et non amplius obligat, sive sit lex civilis, sive canonica.

(16. In dubio an lex sit acceptata nec ne, præsumi debet quod sit acceptata, et observari debet, quia, cum constet de lege, pro ea stat possessio. Tum quia ipsa debuit acceptari ex dictis n. 12 et 13, adeoque præsumendum est fuisse acceptatam. Bonacina, Sanchez, et alii cum La Croix lib. I, tract. 2, c. 1, dub. 1, n. 592; Busemb. *ibid.*, dub. 3, in fine; Viva ad proposition. damnat. 28 Alexandri VII, n. 14, et alii. (17. In dubio an superior habeat potestatem ferendi hanc vel illam legem obligatoriam, talis lex debet acceptari et observari. Possessio enim stat pro absoluta potestate superioris ad ferendam omnem justam et rationabilem legem, nisi habeatur certitudo, quod hæc vel illa lex sit supra ejus potestatem: in casu autem nostro non haberetur certitudo, sed sola dubietas, uti supponitur, adeoque, etc. Sanch. *in Decalog.* lib. VI, c. 3, n. 6; La Croix, lib. I, tract. 2, cap. 1, n. 594, et alii passim. (18. In dubio an lex sit justa nec ne, debet acceptari et observari; superior enim est in possessione imperandi omne id, quod judicat justum et licitum, et subditus tenetur observare omne tale præceptum, quod non scit certo esse injustum et malum. Ovied., *De conscient.*, controv. 3, punct. 5, n. 61; La Croix, *loc. cit.*, n. 595, et alii passim; arg. cap. *Quid culpatur* 5, caus. 23, q. 1.

(19. Populus habens rationabilem causam non acceptandi legem latam a supremo principe, potest et debet ad ipsum recurrere per remedium supplicationis pro sublatione legis; et si lex sit lata a legislatore inferiore, potest appellare ad superiorem. *Communis*, arg. c. *Si quando* 5, *De rescriptis.* (20. Et durante tali supplicatione, vel appellatione, licitum est populo suspendere obligationem legis, sic enim habet usus et praxis; neque ideo puniuntur subditi, si pendente tali supplicatione vel appellatione, legem non observent. Et revera sic convenit suavi reipublicæ guberhationi, ne subditi illico premantur nimia legis gravitate, ad quam alias non tenentur ex rationabili causa a legislatore ignorata, quæ si ab ipso cognita fuisset, talem legem non condidisset; tum quia subditi allegantes justam causam ob quam nequirent propter peculiares circumstantias loci, temporis, consuetudinis, et hujusmodi, talem legem observare, sibi ipsis ipsomet facto contradicerent, si ipsam interea observarent. Sic Rodriguez, Salas, Bonacina, Granad. et alii apud Moyam in *Sel.* tom. VI, d. 1, qu. 6, n. 16; Herincx part. II *Summæ theologicæ*, disp. 3, *De legibus*, n. 116, cum aliis ibi citatis; Illsung., tract. 1, d. 2, n. 5; La Croix, lib. I, tract. 2, cap. 1, n. 639; Reiffenst., lib. I *Decretal.*, tit. 2, n. 145, et alii plures; arg. cap. *Si quando* 5, *De rescriptis*, ubi Alex. III rescribit Ravennat. archiepiscopo præcisis his verbis: « Si quando aliqua tuæ Fraternitati dirigimus, quæ animum tuum exasperare videntur,

Digitized by Google

turbari non debes. » Et infra : « Qualitatem negotii pro quo tibi scribitur diligenter considerans, aut mandatum nostrum reverenter adimpleas, aut per litteras tuas quare adimplere non possis rationabilem causam prætendas, quia patienter sustinebimus, si non feceris quod prava nobis fuerit insinuatione suggestum. » (21. Suarez tamen lib. IV *De legibus*, cap. 16, n. 8; Castropalao, part. I, disput. 13, n. 14; Vasquez, Lorca, Garcias, teste Leurenio part. III, qu. 170, n. 5, tenent oppositum, volentes interim esse observandam legem, quia certo possidet, et excusatio est dubia.

(22. Si legislator, audita populi supplicatione, vel alius superior, audita populi appellatione, taceat, nec ulterius pro legis observantia instet, cum possit, censetur populi supplicationi vel appellationi tacite annuere, et eo ipso legem revocare : arg. cap. *Qui tacet* 43, *De regul. juris*, in 6, ibi : « Qui tacet, consentire videtur; » Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 146; Bonacina, disp. 2 *De legibus*, quæst. 1, punct. 4, n. 43; Castropalao, *loc. cit.*, punct. 13, n. 15; La Croix, *loc. cit.*, n. 640; Salas, et alii plures. (23. Limitanda tamen est conclusio in casu, quo aliunde satis colligeretur, quod talis taciturnitas legislatoris, seu superioris, esset per modum repulsæ, aut indignationis, quia tunc potius firmaretur lex, ut recte notat La Croix, *loc. cit.*, n. 640.

(24. Leges humanæ justæ, tum ecclesiasticæ, tum civiles obligant in conscientia, ita ut earum transgressio culpabilis in materia gravi sit peccatum mortale. *Communis*. Et ratio est, quia leges humanæ continent præceptum superioris, et consequenter obligant in conscientia, cum lex naturalis præcipiat esse obediendum superioribus justa imperantibus. Unde Apostolus *ad Roman.* XIII sic expresse habet : *Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit*, et infra subdit : *Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam*, id est non solum metu pœnæ, quam posset infligere princeps iratus transgressoribus, sed etiam metu culpæ, quam incurrerent subditi ejus legem transgrediendo, quæ Scriptura expressius loquitur de superioribus temporalibus, iisque etiam gentilibus et ethnicis. Unde Apostolus ibidem loquendo de regibus, principibus et aliis superioribus sæcularibus, ait : *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit; qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt*. Damnatio autem non incurritur nisi ob peccatum mortale, adeoque, etc. Et quod nedum leges ecclesiasticæ, sed etiam civiles sic obligent, habetur etiam ex cap. *Quo jure* 1, dist. 8, ubi sic dicitur : « Ipsa jura humana per imperatores et reges sæculi Deus distribuit humano generi; » cap. *Nemo* 17, caus. 16, q. 3, ubi dicuntur *Venerandæ* Romanæ leges divinitus per ora principum promulgatæ, etc. Unde c. *Quæ contra* 2, dist. 8, dicitur expresse : « Generale pactum est societatis humanæ, obedire regibus suis. »

(25. Non sic tamen obligant ad culpam leges mere pœnales; quia istæ obligant ad solam pœnam transgressoribus taxatam. Sic *Communis* cum S. Th., 2-2, qu. 189, art. 9, ad 1, ubi id probat ex Regula Patrum Prædicatorum in qua dicit dari aliqua, quorum transgressio, vel omissio ex genere suo non obligat ad culpam, neque mortalem, neque venialem, sed solum ad pœnam taxatam subeundam. Et ratio est quia lex non obligat ultra mentem legislatoris; ergo si legislator intendat, et declaret expresse se solum quoad pœnam velle subditos obligare, jam clare patet talem legem non obligare quoad culpam; nam actus agentium non operantur ultra eorum intentionem; cap. ult. *De præbend. et leg.*, *Non omnis*, ff. *Si certum petatur*, cum similibus.

(26. Hic juvat notare quomodo differat lex mere pœnalis a lege morali, et a lege mista. Unde *lex mere pœnalis* ea est, quæ ad culpam, per se loquendo non obligat, sed ad solam pœnam transgressoribus taxatam. Lex *moralis* ea est, quæ expresse nullam pœnam transgressoribus imponit, sed mores dirigit, obligando ad actum, vel omissionem illius; unde tunc, ne crimina remaneant impunita, pœna non taxata a lege potest imponi transgressoribus prudenti arbitrio judicis. Lex *mista* ex mortali et pœnali ea est quæ obligat ad actum, seu omissionem illius, et simul ad pœnam transgressoribus taxatam.

(27. Lex pœnalis alia est latæ sententiæ, et alia sententiæ ferendæ. Lex *pœnalis latæ sententiæ* est illa, per quam, posito delicto, statim, vi ipsius legis, pœna irrogatur, et legislator pœnam per ipsamet legem delinquenti imponit, atque ad eam condemnat. *Lex pœnalis sententiæ ferendæ* econtra est illa, per quam legislator pœnam solummodo comminatur delinquenti, nondum autem per se, ac vi legis suæ imponit, sed primum per sententiam judicis imponendam decernit.

(28. Pro cognoscenda lege pœnali an sit latæ, vel ferendæ sententiæ, attendendæ sunt sequentes regulæ. Prima : quoties est dubium, an verba legis contineant sententiam latam, vel ferendam, tunc censendum est quod contineant solum sententiam ferendam. *Communis*, argum. capit. *Odia restringi* 15, *De regul. jur.*, in 6, et cap. *In pœnis* 49, eod., in 6, ibi : « In pœnis benignior est interpretatio facienda, et l. *Interpretatione* 42, ff. *De pœnis*, ibi : « Interpretatione legum pœnæ molliendæ sunt potius quam exasperandæ. » (29. Secunda regula est, quod quando lex solum comminatur pœnam, tunc continet solum sententiam ferendam, ut si dicat : « Sub pœna excommunicationis, sub pœna interdicti, sub pœna privationis officii, sub pœna privationis vocis activæ et passivæ, » et hujusmodi, dummodo tamen non addatur alia particula importans pœnam latæ sententiæ; ut si dicatur : « sub pœna excommunicationis, seu privationis officii, aut vocis activæ et passivæ *ipso facto* incurrenda. » Sic *Communis* cum Farinac., p. II, fragment., verb. *Lex*, n. 69.

(30. Tertia regula est quod quando lex pœnalis utitur verbis futuri temporis, tunc

Digitized by Google

est solum sententiæ ferendæ, ut si dicat: « Excommunicabitur, officio, seu voce activa et passiva privabitur, » et hujusmodi. *Communis* cum Farinacio, *loc. cit.*, n. 63; Reiffenstuel, lib. I *Decretal.*, tit. 2, n. 210; arg. Clementin. *Sæpe*, verb. *Irritandus*, *De verb. significat.*, ubi verbum illud *irritandus* expresse opponitur verbo *irritus*, quod importat nullitatem actus ipso jure.

(31. Quarta regula est, quod quando lex utitur verbis imperativi modi, quæ non afficiunt immediate ipsam pœnam, sed ipsam actionem judicis, ut si dicat : « Excommunicetur, privetur voce activa et passiva, » et hujusmodi, tunc est solum sententiæ ferendæ : nisi tamen addatur alia particula importans pœnam latæ sententiæ; Farinac., *loc. cit.*, n. 63; Herincx, part. II, disput. 5, *De legibus*, n. 5; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 211, et alii passim. (32. An autem quando lex utitur verbis imperativi modi, quæ afficiunt immediate ipsam pœnam, ut si dicat : « Sit excommunicatus, anathema sit, sententiam excommunicationis incurrat, subjaceat excommunicationi, seu interdicto, » et hujusmodi, sit latæ sententiæ, vel ferendæ, variant doctores. Multi enim volunt quod per dicta et similia verba importetur pœna latæ sententiæ; arg. c. *Et si pignorationes* 1, *De injuriis*, in 6, et ibi *Glossa* in fine, ubi notatur quod ly *sententiam excommunicationis incurrat*, et ly *subjaceat interdicto* pœnam latæ sententiæ importet. Sic notat etiam Abbas in cap. *Quia in omnibus de usuris*, n. 9. Et ita etiam verba illa : « Anathematis vinculo subjaceat, » in cap. *Si quis suadente* 24, caus. 17, quæst. 4, volunt plures quod importent pœnam latæ sententiæ ; et quod ly *sit anathema*, importet pœnam latæ sententiæ docet Felinus in c. *Rodulphus*, *De rescriptis*, n. 33, post Glossam in cap. *Guilsarius* 23, qu. 4. Et id ostendunt doctores hujus opinionis ex conciliis generalibus, et præsertim ex Tridentino, quod contra quemcunque de definitionibus fidei a se factis contrarium sentiat, absolute pronuntiat *anathema sit*, id est *sit ipso facto excommunicatus*.

(33. Plurimi tamen alii tenent quod dicta, et similia verba, de se importent solum sententiam ferendam, et non sententiam latam, nisi alia adjecta verba, vel jura id declarent. Sic Navarr., c. 16 *Manual.*, n. 22, ubi ex professo docet quod hæc verba *sit excommunicatus*, non denotent sententiam latam, sed ferendam, nisi cum alia adjecta verba, vel jura id declarant. Idem tenet Sanch. lib. VII *De matrim.*, disput. 12, n. 2, et post Baldum in cap. *At si clerici*, n. 20, *De judiciis*, et alios, docens quod ly *Excommunicatus, anathema sit*, non continet sententiam latæ excommunicationis, nisi hæc aliunde habeatur. Idem docet Layman., lib. I, tract. 6, part I, n. 3; Herincx par. II, disp. 5, *De legibus*, n. 7; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 15, et alii. Quinimo licet Abbas, cap. 2, n. 13, *De foro competent.*, post Glossam in cap. *Quicunque*, verb. *Innodetur*, *De hæretic.*, in 6, et quosdam alios tenent per hæc verba *Sit excommunicatus*, *innodatus*, et hujusmodi, significari excommunicationem ipso facto, illico tamen addi, ob jura in oppositum pugnantia, hujusmodi verba esse intelligenda juxta subjectam materiam, nec continere latam sententiam, quando per alia jura patet quod non inferatur sententia ipso facto. Et ratio hujus opinionis est, quia plurimi canones habent illa verba : *Anathema sit :* et tamen continent solummodo sententiam ferendam, juxta Glossam final. cap. 2, *De foro competent.* Quæ etiam censet in simili, verba illa, *Ab Ecclesia Dei sit sequestratus*, significare sententiam ferendam. Tum quia verbum *sit* est futuri temporis, et potest commode explicari per ly *Fiat excommunicatus*, prout Glos. final. in c. *Si quis ex clericis*, *De vita et honestat. cleric.* explicat ly *Anathema sit*, dicens : « hoc est fiat; non enim est excommunicatus ipso jure. » Et sic explicanda esse dicit Laym., *loc. cit.*, ista verba, « excommunicatus sit, anathema sit, qua præcipiatur judici ut ab ipso criminosus excommunicatus fiat. » Unde per similia verba non videtur ferri sententia ipso jure, seu ipso facto, nisi aliquid aliud addatur, v. g. « ipso facto sit excommunicatus, ipso jure sit suspensus, ipso jure innodatus existat, » et hujusmodi. Tum etiam quia dicta verba, et similia, uti liquet ex ipsa doctorum varietate sentiendi, et ex allatis rationibus, dubia sunt, an contineant sententiam latam, vel solum ferendam : atqui quoties dubium est, an verba legis contineant sententiam latam, vel ferendam, tunc censendum est quod contineant solum sententiam ferendam, ut tenet *Communis*, per jura adducta sub n. 28, ergo, etc. Tum tandem quia, si conditor legis voluisset præfata et similia verba esse intelligenda de sententia lata, cum potuisset exprimere, expressisset; arg. cap. *Inter corporalia* 2, *De translation. episcop.* § *Sed neque istud*, c. *Quia circa* 22, *De privilegiis*, et cap. *Ad audiendam* 12, *De decimis*.

(34. Ad auctoritates pro prima opinione adductas, præsertim ex cap. *Si quis suadente* 29, caus. 17, qu. 4, ubi verba illa : *Anathematis vinculo subjaceat*, intelliguntur communiter de sententia lata ; respondetur quod in tantum ibi sic intelliguntur, quia verba immediate sequentia, quibus ibidem absolutio reservatur Papæ, et plures alii sacri canones clare significant excommunicationem ob injectas manus violentas in clericum, esse latæ sententiæ. Et ad illud de concilis generalibus, et signanter in concilio Trident. ubi ly *Anathema sit*, contra hæreticos, seu contra sentientes contrarium de definitionibus fidei ab ipso concilio factis, fulminatum, importat sententiam latam. Respondetur quod ibi de tali sententia lata sic intelligitur, quia hæretici ipsomet jure jamdudum fuerant excommunicati excommunicatione latæ sententiæ, ut patet in cap. *Achatius* 1, et in cap. *Majores* 2, caus. 24, quæst. 1, cum similibus. Unde ob hujusmodi instantias notanter in conclusione posita sub n. 33, additum fuit, verba illa non

Digitized by Google

denotare sententiam latam, sed ferendam, « nisi alia adjecta verba, vel jura id declarent; » prout accidit in allatis exemplis de cap. *Suadente*, et de concilio Tridentino, et de aliis similibus, quæ possunt afferri; sic fere litteraliter Reiffenstuel *loc. cit.*, n. 26.

(33. Quinta regula est, quod quando lex utitur verbis, quæ nullam dilationem temporis admittunt, v. g. *mox*, *statim*, *illico*, *ex tunc*, *ipso facto*, et hujusmodi, tunc est latæ sententiæ. Item lex latæ sententiæ est, quando legislator, sibi, vel legi suæ adscribit sententiam, dicendo, v. gr.: « Auctoritate nostra; Virtute præsentium, ipso jure subjaceat tali pœnæ. » Item lex latæ sententiæ est, quando utitur verbis indicativi modi, præsentis, vel præteriti temporis, dicendo, v. gr.: « Excommunicamus, suspendimus, interdicimus, sciat se esse excommunicatum, sciat se excommunicationem incurrisse, noverit suspensionem, interdictum, seu excommunicationem se incurrisse, » et hujusmodi; Farin., cit. part. II *Fragment.*, verb. *Lex*, n. 74; Cardin. Tuschus, litt. *P.*, conclus. 719, n. 16; Herincx, *loc. cit.*, n. 7; Layman., *loc. cit.*, n. 3; Suarez, lib. V. *De legib.*, c. 6, et alii passim.

(36. Lex pœnalis sententiæ ferendæ non obligat ante sententiam judicis. *Communis.* Reus enim non obligatur ad amplius quam lex ipsi imponit; lex autem ferendæ sententiæ solum imponit reo, ut pœnam subeat postquam ad ipsam per sententiam judicis fuerit condemnatus, adeoque lex pœnalis sententiæ ferendæ non obligat ante sententiam judicis.

(37. Lex pœnalis latæ sententiæ in iis, quæ aliam exsecutionem externam non requirunt (v. gr. in censuris latæ sententiæ, in irregularitatibus, impedimentis matrimonii, et hujusmodi), obligat in conscientia ante sententiam declaratoriam judicis. Sic Suar., lib. V *De legibus*, cap. 5; Sanch., lib. *De matrimon.*, disput. 27, n. 2, et disp. 30, n. 2; Reiffenstuel lib. I *Decretal.*, tit. 2, n. 226; Engel, *ibidem*, n. 43; Mastrius, *Theol. moral.*, disp. 2, quæst. 5, artic. 3, cum Cajetan., Banuez, Medina, Valentia, ab ipso citatis; Castropal., par. I, tract. 3, disput. 2, punct. 2, n. 1, et alii passim. Et ratio est, quia valde expedit ut Ecclesia, ad augendum spiritualem fidelium profectum, utatur non solum pœnis in foro externo infligendis, sed etiam pœnis in foro interno illico incurrendis ob peccata etiam occulta, ut hac ratione ipsi fideles magis magisque retrahantur; et hoc patet ex pluribus sacris canonibus, in cap. enim *Si quis suadente* 29, caus. 17, quæst. 4. Excommunicatio lata in percussores clericorum et monachorum incurritur ipso facto, et idem est de aliis censuris ecclesiasticis ipso jure latis; cap. *Cum desideres* 15, *De sentent. excommunic.*, cap. *Illud Dominus*, et sequen. *De cleric. excommunicat. ministrant.*, et alibi, et idem est de irregularitate, cap. ult. *De temporibus ordinat.* et cap. *Presbyterum* ac sequent. *De homic.*, et idem est de impedimentis matrimonii, ut de affinitate ex copula illicita, impedimento criminis, et hujusmodi, quæ ipso facto oriuntur, quamvis crimina sint occulta.

(38. Lex pœnalis latæ sententiæ in iis, quæ externam exsecutionem requirunt (v. gr. est amissio dominii, confiscatio bonorum, privatio beneficii, aut officii ecclesiastici, aut privationis alicujus rei propriæ, etiam acquisitæ, et hujusmodi, non obligat in conscientia ante judicis sententiam declaratoriam de crimine commisso, nisi lex in specie addat clausulam, *alia etiam declaratione non secuta*. Sic Menochius, *De arbitrar. judic.*, casu 416, n. 2; Sanch., lib. II, *in Decalog.*, cap. 27, n. 7; Silvest., verb. *Hæresis*, 1, n. 31; Navarr., tom. II *Comment. de datis et promissis*, notab. 31, n. 44; Reiffenstuel, lib. I *Decret.*, tit. 2, n. 27; Engel, *ibid.*, n. 45; Laym., lib. I, tract. 4., cap. 15, n. 6; Mendo, verb. *Lex*, n. 31; Felix Potestas, tom. I, par. V, n. 180; Mastrius, *loc, cit.*; Herincx, disput. 5, qu. 2; Kazenberger *in supplem. Theol. moral. Patr.* Sporer., cap. 1, sec. 3, qu. 5, n. 265; Sylvius *in Resol. variis*, par. I, verb. *Beneficium*, cas. 5; Illsung, tom. I, dist. 2, n. 73; La Croix, lib. I, tract. 2, cap. 1, dub. 2, n. 612, ubi citat Granad., Molin., Covarruv., Vasq., Lezan., Less., Suarez, et alios; et plures alii apud Leuren., par. II, quæst. 288, Farinac., par. II *Fragment.*, verb. *Lex*, num. 158, et alii : argum. cap. *Cum secundum* 19, *De hæreticis* in 6, ubi, quamvis bona hæreticorum decernantur ipso jure confiscata, tamen ipsi non illico in conscientia obligantur bona sua tradere fisco; imo ibi Bonifacius VIII, conditor illius decretalis, expresse prohibet fieri dictæ confiscationis exsecutionem, seu bonorum occupationem, ante sententiam declaratoriam judicis ecclesiastici super crimine hæresis commisso; adeoque idem est dicendum de aliis similibus legibus pœnalibus externam exsecutionem requirentibus, cum de similibus idem judicium sit habendum, capit. *Inter corporalia* 7, *De translation. episcop.* Et ratio est clara, quia lex debet esse possibilis moraliter observatu, ac secundum naturam humanam, scilicet naturæ humanæ accommodata, c. *Erit autem lex* 2, dist. 4. Est autem ab hominum natura et moribus alienum, ut quis seipsum ante omnem judicis sententiam, etiam declaratoriam, in conscientia spoliare debeat rebus jam possessis, aut juribus acquisitis, cum sic delinquens teneretur suum occultum delictum propalare, seipsum infamare, et condemnare, quod esset naturæ humanæ durissimum, adeoque, etc.

(39. Imo Illsung, tom. I, disp. 2, n. 72, universaliter concludit quod, quamvis legi addatur clausula *ipso facto ante declarationem*, tamen de facto nulla datur lex pœnalis, quæ nulla præmissa judicis sententia denuntiante vel pœnam, vel crimen, obliget, exceptis legibus statuentibus censuram ecclesiasticam, irregularitatem, reservationem absolutionis, impedimentum criminis in matrimonio, privationem petendi debitum conjugale ratione incestus intra secundum gradum, privationem fructuum ob neglectas

Digitized by Google

Horas. Et idem tenent Dominicus Soto, l. I, *De justit.*, qu. 6, art. 6; Covarruv., *De matrim.*, part. II, cap. 6, § 8, n. 9 et 13; Henriq., *De excommunic.*, cap. 16; Paulus Mezgor, tract. VIII, disp. 35, art. 2, n. 4; Lessius, lib. II, *De justitia*, cap. 29, dubitat. 8, n. 63; et ipso teste, multi alii recentiores; Herincx, *l. c.*, n. 14; Kazenberg, *l. c.*, n. 267, et alii, qui docent, quod si lex dicat: « ipso facto absque alia declaratione, seu nulla declaratione præmissa, vel nulla alia declaratione exspectata, » et hujusmodi; tales clausulas esse intelligendas de declaratione, qua declaretur pœnam esse incursam, non autem qua declaretur crimen commissum; id est intelligendæ sunt de declaratione pœnæ, non negata declaratione criminis. Et quamvis hæc expositio videri posset non parum torta et violenta, et minus congruens menti legislatoris, et ideo rejiciatur a Suarez et pluribus aliis, illam tamen confirmat usus, ut dicunt Lessius, Herincx, Kazenberg., *loc. cit.*, et alii; ex quo usu constat non teneri reos, seu possessores se abdicare bonis, vel officiis ante declarationem criminis, quamvis leges pœnales dicant pœnam incurrendam esse *ipso facto absque alia declaratione*, quia, licet prima legislatoris mens fuisset alia, non equidem obligaret ex hoc capite; cum similes leges non videantur receptæ in illo rigore, ut sponte teneatur se reus spoliare, sed potius est eis per contrariam consuetudinem in hac parte derogatum, et praxis habet, ut nulla alia pœna proprie dicta (qualis est privatio alicujus rei jam cœptæ possideri, vel alicujus juris quæsiti) incurratur ante sententiam declaratoriam criminis, ut post Farinac. et alios asserit Castropal., disp. 2, punct. 2, n. 12; Kazenberg., *loc. cit.*, adeo ut nullatenus alioquin possit mandari exsecutioni; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 233, cum aliis ibi citatis. (40. Declaratoria autem requirit citationem partis, teste Julio Claro, et Reiffenst., *loc. cit.*, n. 234; et ab ea dari potest appellatio, ut docet Farinacius, et alii apud Kazenberger, *loc. cit.*, n. 267, in fine.

(41. Dices, si lex pœnalis latæ sententiæ in iis quæ externam exsecutionem requirunt, non obligat in conscientia ante judicis sententiam, juxta dicta supra n. 38; ergo nulla erit differentia inter legem pœnalem latæ sententiæ, et legem pœnalem sententiæ ferendæ, cum in utraque ad inducendam obligationem æque requiratur sententia judicis. Respondetur negando sequelam cum sua probatione; adest enim inter ipsas sua vera et realis differentia; nam pro incurrenda pœna legis pœnalis ferendæ sententiæ, requiritur sententia condemnatoria judicis, et talis pœna debetur solum a tempore latæ sententiæ; pro incurrenda autem pœna legis pœnalis latæ sententiæ, nullimode requiritur sententia condemnatoria, sed sufficit sola sententia declaratoria judicis super admisso crimine; et hæc pœna debetur non solum a die latæ hujus sententiæ declaratoriæ super admisso crimine, sed etiam a die perpetrati delicti, cui pœna a jure imposita fuit, cum per juris fictionem ad tale tempus retrahatur sententia declaratoria; quod non verificatur de sententia condemnatoria. (42. Sententia enim condemnatoria cadit supra pœnam, quæ cum sit sententiæ ferendæ, non incipit currere, nisi a die hujus latæ sententiæ. Sententia vero declaratoria cadit supra culpam, cui cum a jure fuerit imposita pœna statim ac fuerit commissa, statim ac habita declaratione de tali culpa commissa, incipit currere a die talis commissionis, seu perpetrationis. Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 230 et seq., cum aliis ibi citatis; Kazenberg., *loc. cit.*, n. 260, et alii.

(43. Instabis: Ergo si, non obstante clausula *ipso facto incurrenda*, adhuc requiritur sententia declaratoria judicis, frustra apponitur in lege pœnali dicta clausula *ipso facto incurrenda*. Respondetur negando consequentiam, quia talis clausula denotat quod post judicis declarationem de commissa culpa, seu delicto, non requiratur alia sententia condemnatoria circa pœnam subeundam, sed tunc ipso facto debere delinquentem subire eam, quæ in lege ipso jure designata est. Sic Mendo, verb. *Lex*, n. 32; Felix Potestas, tom. I, part. I, n. 180, doctores omnes supra citati.

(44. Urgebis: Ergo saltem superflua erit illa addita *absque alia declaratione*. Respondetur negando consequentiam, quia, ut dictum est supra n. 39, talis et similis clausula intelligenda est de declaratione, qua declaretur pœnam esse incursam, non autem de declaratione, qua declaretur crimen esse commissum. Unde quamvis talis et similis clausula videatur superflua quoad declarationem incursæ pœnæ, non est tamen superflua quoad declarationem commissæ culpæ, seu dilecti, cui a jure imposita est talis pœna. Sic doctores citati d. n. 39. Vide Nicolium in *Flosculis*, verb. *Pœna*, n. 14, ubi dicit hanc opinionem probasse Sacr. Congr. episcop. et regul. 5 Octobr. 1846, et 26 Novembr. 1649.

(45.* Legi episcopali, vel synodali non tenentur illi, qui in diœcesi quidem degunt, sed extra diœcesim abeunt mox redituri, si interim extra fines diœceseos aliquid agunt contra illam legem, quia lex per se, et immediate territorium respicit. Verum si quis e diœcesi se absentet animo declinandi synodale statutum, fraudem illi patrocinium præstare non est æquum; quare tunc peccat contra eamdem legem; ita Clemens V in constitut. incip. *Superna*, edixit pœnitentes recedentes e territorio in fraudem non esse absolvendos a reservatis sui territorii. Benedict. XIV, *De synod. diœces.*, lib. XIII, cap. 4, § 9 et 10.

(46. Lex ab episcopo lata extra synodum, audito tamen consilio capitulari, longe probabilius perseverat etiam post obitum ejusdem episcopi: neque enim habet quid diversum a lege in synodo lata, quam etiam, defuncto episcopo, perseverare satis constat. *Ibidem*, lib. XIII, cap. 5, § 1. (47. Lex synodalis, si non acceptetur a populo, quamvis peccant non acceptantes, tamen si id sciat superior post paucos actus ab eo neglectos, et

Digitized by Google

non punitos, ligare desinit ex quadam ejus conniventia *Ibidem*, lib. XIII, cap. 5, § 3.

(48. Si vero id nesciat episcopus, tunc decennium sufficere censetur; hoc enim sufficit ut consuetudo longi temporis dicatur. *Ib.*, § 4.

(49. Si vero jam acceptata sit, præscriptio contra illam inducitur per decennium, neque enim agitur de præscriptione, qua aliquod jus proprietatis ab Ecclesia auferatur, quæ præscriptio annos quadraginta exigit. Requiritur tamen ut a majori communitatis parte libere sit inducta, continuis actibus frequentata, animo legem tollendi, et adsit consensus legislatoris juridicus saltem, et legalis, qualem scilicet leges requirunt. *Ib.*, lib. XIII, c. 5, § 5.

(50. Lex synodi diœcesanæ obligans totam provinciam, si obtinuerit confirmationem a Sede Apostolica in forma communi, ut plerumque fit, quæque his verbis concipi solet: « Si juste, canonice ac provide facta sint, et dummodo sacris canonibus concilii Tridentini decretis, et constitutionibus apostolicis non adversentur; » tunc utique abrogari ab episcopo potest, cum maneat lex ejusdem tantummodo. Si vero confirmatio fiat in forma specifica cum causæ cognitione, singulis statutis expensis, et in confirmatione addatur ex *motu proprio*, *atque ex certa scientia*, tunc utique fit lex pontificis, in qua episcopus dispensare non potest. *Ibid.*, lib. XIII, c. 5, § 11.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(51. De lege nova a Summo Pontifice promulgata, utrum ea obliget statim, an post duos a promulgatione menses, juxta Authent. *Ut factæ novæ constitutiones*, quæri solet.

(52. Negant communiter doctores apud Sell. *De legib.*, part. I, § 1, n. 47. « Pontifex (ait laudatus auctor loco mox citato) in modo ferendi legem suam, et obligationem inducendi non acceptavit authent. *Ut novæ constitutiones*, quoad primam partem, scilicet quoad publicationem faciendam in qualibet provincia, ut supra ostendimus. Ergo, nec quoad secundam, nempe duarum mensium, quia hæc acceptatio, neque aliquo textu juris canonici, quo Pontifices declarant velle se adhibere leges civiles pro modo ferendi, vel obligandi Ecclesiam per suas leges, neque probatur consuetudine, ut fidem suam interponunt graves auctores, et specialiter Vasquez, etc. Et Navarrus, etc., docet, de consuetudine, et stylo in Urbe servari, ut constitutionum apostolicarum transgressores, ante duos menses a promulgatione puniantur, non solum qui probantur scivisse promulgationem, sed etiam qui non potuit illam ignorasse. Quod autem hanc consuetudinem aliqui Navarrum secuti restringendam putent ad forum tantum exterius, et urbicolas, seu incolas Romæ, profecto tanquam naturæ repugnans probari non potest. Ecclesia enim non punit, nisi propter delictum, aut verum, aut præsumptum. Sed neutrum adesset hoc casu. Non verum, quia, ubi non datur vera transgressio legis, non potest dari verum delictum; sed antequam obliget lex, non datur vera transgressio. Ergo. Sed neque præsumptum invenitur delictum; nam certo ponitur non constare, nondum esse elapsum tempus duorum mensium. Ergo si sciens legem judicatur ut transgressor, ex nulla præsumptione judicatur, sed ex certa probatione delicti. Unde consuetudo ita transgressores puniendi, aperte supponit legem obligare Romæ ante duos menses, quæ suppositio, utpote in voluntate Pontificis modum, et stylum curiæ Romanæ utique non ignorantis fundatur. Altera vero restrictio facta ad urbicolas, quæ asseritur a Navarro non impliciter, sed sub particula *Forte*, non probatur, neque apparet Suario esse verisimilis, nec immerito, opinionem si hanc rite ponderemus. »

(53. Negativæ huic opinioni standum et ego censeo, unice motus consuetudine illa puniendi transgressores novæ legis pontificiæ ante duos menses. (54. Cæterum, seposita hac consuetudine, lex nova pontificia, uti et lex nova civilis, non obligaret, nisi post duos menses a promulgatione; idque quia jus canonicum, ubi contrarium aperte haud decernit, imitari profitetur civile. Et obligare statim debet lex Pontificia nova, non solum incolas urbis, sed et alios, ad quos ipsius notitia pervenerit.

ADDITIONES CASINENSES.

Circa obligationem legis humanæ servandæ de qua disserit auctor, sub. n. 24 et seqq. hæc addere placet.

Ac primum « Leges humanæ, cum ecclesiasticæ, tum civiles, non obligant ut plurimum cum vitæ aut incommodi gravissimi periculo. Neque enim lex ipsa naturalis (exceptis iis præceptis, quæ prohibendi rem per se malam habent), neque lex divina positiva semper obligat cum vitæ periculo, cum tamen majorem obligandi vim habeant quam leges humanæ: lex enim de reddendo deposito non obligat eum cui ex redditione depositi mors imminet. Lex de eleemosyna graviter indigenti eroganda non obligat eum qui fame conficiendus est, si panem unicum, quem habet, alteri tribuat... Leges etiam divinas positivas cum vitæ periculo non semper obligare, certum est. Nam Davidem panes propositionis, urgente necessitate, innoxie comedisse: Machabæos Sabbato pugnasse inviolata lege de sanctificatione Sabbati, res est ex Scripturis sacris comperta et explorata. Pari ratione dixerimus neminem ad audiendum Sacrum festis diebus, ad jejunium ecclesiasticum servandum, ad horas canonicas recitandas, ad vitandum excommunicatos, et similia, cum periculo vitæ, vel alterius incommodi gravissimi, passim, et semper obligari. » Natalis Alex. *Theol. dogmat. moral.*, lib. IV *De Decalogo*, art. 3., regul. 14.

(56. « Quando (vero) legis observatio est moraliter necessaria ad publicum bonum conservandum, tunc lex humana potest obligare cum aperto vitæ periculo... estque

Digitized by Google

communis. Ratio est quia conservatio boni communis omnino est præferenda bono vitæ privati hominis: ergo in tali casu necessitatis potest superior, cui ex officio incumbit providere bono communi, obligare subditum ad observantiam legis cum periculo vitæ. Sic in primis communiter admittitur teneri militem tempore periculoso permanere in statione sua cum aperto mortis discrimine. Similiter tempore pestis tenetur parochus, tum vi sui officii, tum præsertim accedente speciali præcepto episcopi, permanere in suo loco ad excipiendas pestiferorum confessiones, non obstante manifesto vitæ periculo: idem accidere potest in aliis similibus casibus. »

(57. Pari modo « quando violatio legis humanæ cederet in contemptum fidei, aut ecclesiasticæ legis, vel potestatis, tunc lex est servanda, etiam cum periculo vitæ. Ita Herincx cum omnibus catholicis doctoribus. Sic si quis ab hæreticis captus, urgeatur ad comedendum carnes tempore Quadragesimæ in contemptum ecclesiasticæ legis, illique hæretici minitentur mortem, nisi carnes comedat, potius ei moriendum foret, quam ut in talibus circumstantiis carnes comederet. Ratio est quia violatio legis ecclesiasticæ in talibus circumstantiis cederet in contemptum fidei catholicæ, potestatisque ecclesiasticæ, et comedens carnes ad talem hæreticorum instantiam, eorum sectam exterius profiteretur ac metu mortis ipso opere contemneret potestatem Ecclesiæ: hoc autem nullo modo licet, sed est intrinsece malum. Unde tali potius esset subeunda mors, quam si quis ex præfata causa oppeteret; revera foret martyr, cum moreretur ob confessionem fidei catholicæ, qua credimus Ecclesiam a Christo accepisse potestatem certas leges fidelibus imponendi. » Reiffenstuel, *Theol. mor. De obligat. legum human.*, quæst 3, n. 23, concl. 2 et 3 (3).

(58. Quæritur an in dubio si lex existat, lex obliget? Respondetur minime obligare postad hibitam sufficientem diligentiam ad inquirendam veritatem, præciso tamen scandalo, vel alio notabili inconvenienti, quia tunc possidet libertas. Ita communiter Suarez, tom. V, in p. III, d. 40, sect. 5, n. 15; Sanch., Dec., lib. I, cap. 10, n. 32 et 33; Pal., tr. 1, d. 3, p. 7, n. 1; Salm., *De leg.*, cap. 2, n. 110, cum Tap., Vill., Arav., etc. Id expresse confirmant D. Th. qu. 17, *De verit.*, art. 3, ubi : « Nullus ligatur per præceptum aliquod, nisi mediante scientia illius præcepti. » Scotus in 4, d. 3, q. 4 : « Nullus tenetur ad aliquod præceptum divinum, nisi per aliquem idoneum, et authenticum sibi promulgetur. » Item *Glossa* in c. *Cum sunt*, *De reg.*, in 6. *In dubio nullum præsumi obligatum*, ex Authent. *Quibus modis*. Item *Glossa* in cap. *Ex parte de cens.* : « In dubio liberum est sequi quod magis placuerit. » Item. N. SS. Bened. XIV, notif. 13, ibi : « Non si debbono porre legami, quando non ve una chiara legge, che gl'imponga. » Id clare probatur ex cap. *Erit*, dist. 4, ubi S. Isidorus sic ait : *Erit autem lex manifesta.* Item ex c. *Cum jure* 31, *De off. et pot. jud. del.*, ibi : « Nisi de mandato certus exstiteris, exsequi non cogeris quod mandatur. » Item in cap. fin. *De transact.* « In his vero, ubi jus non invenitur expressum, procedas æquitate servata, semper in humaniorem partem declinando. » Item S. Leo in cap. *Sicut quædam*, dist. 14, sic docuit : « In his quæ vel dubia fuerint, vel obscura, id noverimus sequendum, quod nec præceptis evangelicis contrarium, nec decretis SS. Patrum inveniatur adversum. » Item Lactantius in lib. III *Instit.*, cap. 21, dixit : « Stultissimi est hominis, præceptis eorum velle parere, quæ utrum vera aut falsa sint dubitatur. » Ratio est quia Deus sane, donavit homini dominium libertatis, ex Apostolo (*I Cor.* VII, 37) : *Potestatem autem habens suæ voluntatis.* » Et ex *Ecclesiastico* (XV, 14) : *Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui. Adjecit mandata et præcepta sua. Si volueris mandata servare, conservabunt te.* Quamobrem possidet homo libertatem ad agendum quidquid vult, quod non constet a lege sibi vetitum, ut ait D. Th. (in 4, d. 15, q. 2, a 4 ad 2 et q.) : « Illud dicitur licitum quod nulla lege prohibetur, » ex l. *Necnon*, ff. *Ex quib. caus. maj.* ubi : « Omnia sunt permissa per legem, quæ prohibita non inveniuntur. » Hinc Melchior Canus (in Relect. 4, *De pœnit.*, part. IV, q. 2, prop. 3., n. 5) sic impugnat sententiam Scoti, et aliorum, qui volunt peccatores teneri ad actum contritionis in quolibet die festivo : « Quoniam (ait Canus) ignoro unde ad hanc opinionem DD. illi venerint, libere possum quod non satis explorate præceptum est, negare. » Ac propterea D. Th. quodl., 9, art. 15, dixit : « Periculosum est (determinare aliquid esse peccatum mortale) ubi veritas ambigua est, *nempe* si in jure divino non invenitur determinata expresse. » Et D. Antoninus part. II, tit. 1, c. 11, ait bene excusari ignorantiam, utpote invincibilem, « quantum ad ea quæ non sunt expresse contra jus divinum, vel naturale. »

Et idem dicendum cum Salm., dicto n. 110, et aliis, si dubitetur, an aliquid comprehendatur sub lege : seu an lex extendatur ad aliquid. Item in dubio, an incœperit

(3) « Quamvis, juxta multos, liceat catholico transeunti per loca hæreticorum, comedere carnes die alias vetito, ne si abstineat, prodat se Catholicum, et ideo de vita periclitetur, eo quod præceptum Ecclesiæ non obligat cum tanto damno; tamen si quis ab hæretico cogeretur ad comedendas carnes die vetito, ut ostenderet hoc facto se despicere ecclesiasticam legem, seu potestatem, teneretur subire mortem potius quam comedere. Nec excusaretur, etsi declararet se non comedere carnes in contemptum Ecclesiæ, sed propter necessitatem ad vitandam mortem; nam tunc adhuc esset contemptus externus legis, qui semper est intrinsece malus. » Delugo apud Antoine, *Theol. mor. de legibus*, cap. 2, quæst. 5.

Digitized by Google

legis obligatio; secus autem in dubio, an finierit. Salm., *ibid.*, n. 120, cum Laym., Sanch., Pal. D. Ligorio, cap. 1, *De natura et obligat. legis*, dub. 1, n. 97. » Ita D. de Ligorio, *Theol. moral., De natur. et obligat. legis*, n. 97.

(59. « Quid in dubio an causa quam habes, sit sufficiens ad te excusandum a lege? Quidquid dicat *Salas*, verius est teneri ad legem; quia tunc possidet lex antecedenter ad tuam libertatem. Salm., *ibid.*, n. 112, cum Sanchez, Pal., etc.» D. de Ligorio, *loc. et n. cit.*

(60. « Quid in dubio an lex sit promulgata? Legem non obligare tenent Dicast. apud La Croix, *ib.*, n. 590. et Salm., *ib.*, cap. 2, n. 110. Excipit tamen La Croix, si lex fuerit jam usu recepta. » D. de Ligorio, eod.

(61. « Quid in dubio an lex usu recepta sit? Adsunt tres sententiæ.

Prima sententia tenet tunc legem non obligare, saltem si sit pœnalis, ut Azor., tom. I, lib. II, cap. 19, q. 12; Salas D. un., n. 169, et Dian. Tap., etc., apud Salm., *De leg.*, cap. 2, num. 113. Et universaliter de omni lege hoc tenent Nav., Rebell., Felin., Dec., etc., apud Pal., *De consc.*, disp. 3, part. VII, n. 4, et probabile putant ipse Pal. Sporer *De consc.*, cap. 1, n. 81, ac Tamb. *De consc.*, cap. 3, § 7, verb. *Legis*. Ratio quia, tunc, cum dubitetur de receptione legis, dubitatur etiam an lex unquam obligaverit; et ideo possidet libertas...

Secunda sententia, quam tenet La Croix, lib. I, n. 591, dicit legem obligare, si sit ecclesiastica; secus vero, si sit civilis.

Tertia tamen sententia sequenda affirmat legem obligare. Et hanc tenent Pal. *loc. cit.* n. 3; Sanch., *Dec.*, lib. I, cap. 11, et Salm., *loc. cit.*, n. 114. Ratio 1 quia, cum constet de lege, pro ea stat possessio. Regula enim generalis est, ut factum præsumatur, quod de jure faciendum erat, prout hic præsumitur facta acceptatio. Ratio 2 quia lex, cum jam lata et promulgata fuerit, non indiget acceptatione... Saltem, ut recte dicunt La Croix, lib. I, n. 591, et Mazzot, cap. 6, quæst. 6, lex, modo non sit certe abrogata... jam habet vim obligandi; unde, licet quis non peccet contra legem, quia ipsa nondum est recepta, peccat tamen, quia eam non acceptat... » D. de Ligorio, *ibid.*, n. 98.

(62. « Quid in dubio an lex præcipiat, vel suadeat? Aut an obliget sub gravi, vel levi? Resp. tunc legem, aut non obligare, aut non obligare sub gravi, ex regula juris 59, ff. *De regulis jur.* « Semper in dubiis benigniora sunt præferenda. » Ita La Croix, n. 596, cum Nav., Sanch. et contra Laym. » D. de Ligorio, *ib.*, n. 99.

(63. « Quid in dubio an advenerit, vel præterierit tempus obligationis legis? Resp. In dubio inceptionis, v. g. an expleveris annos 21, non teneris ad jejunium, quia tunc possessio est pro libertate; secus in dubio præteritionis, v. gr. an in sabbato transacta sit hora mediæ noctis, ne quis edere carnes, tunc enim possidet lex. Sic etiam si dubitas an habeas annos 16, ad professionem, vel an. 25 ad sacerdotium, nequis profiteri, aut ordinari. Ita communiter Laym., lib. I, tr. 1, cap. 5, § 4; Sanch., *De matr.*, lib. II, d. 41, n. 4, et *Dec.*, lib. I, c. 10, n. 38; Pal., tract. 1, d. 3, part. VIII, a n. 6; et Sal., c. 2, n. 120, cum Tapia, Diana et Villal. Quid in dubio an legem impleveris? In dubio negativo teneris implere; secus, in positivo. Carden. et Ills. cum La Croix, lib. I, n. 600 : » D. de Ligorio, n. cit.

(64. Atque ut speciatim aliqua dicamus de obligat. legis, sive de ejus implemento ex debito conscientiæ, « ante omnia notandum quod alia est lex pure pœnalis, quæ nullum dat præceptum : v. g. qui hoc fecerit, solvat pœnam; et hæc non obligat in conscientia, etiamsi pœna sit gravissima... Hinc leges oppidorum prohibentes *sub pœna* cæsionem lignorum sive herbarum, piscationem, venationem, non obligant sub culpa; sic enim habet consuetudo...

(65. « Alia est lex non pure pœnalis, seu mixta, quæ præcipit et pœnam imponit : v. g. Nemo hoc faciat sub pœna, etc. (Hisce positis.)

« Omnes leges sub pœna excommunicationis latæ sententiæ obligant graviter. Est commune... » D. de Ligor., l. cit., dub. 4, n. 145.

(66. « Quæritur an obliget sub gravi lex, quæ præcipit sub pœna suspensionis, interdicti, vel irregularitatis? Negant obligare sub gravi, cum ista possint incurri sine peccato gravi, Cajet. Val. Salon. apud Salmat. Contradicunt tamen Salmaticenses, tam quoad irregularitatem cum Sanchez, Pal. Tan., etc., quam quoad interdictum et suspensionem, si sint majores, prout suspensio ab officio, vel beneficio ad longum tempus, et interdictum ad omnem usum, quæ dicunt non posse incurri sine peccato gravi. Ita Salm., etc... Et idem dicunt de aliis pœnis spiritualibus gravissimis. » D. De Ligorio, ib., n. 146.

(67. « Quid si tales pœnæ sint ferendæ sententiæ, an obligent sub gravi? Alii affirmant : alii probabilius negant, ut Salmat... Nisi dicatur quod censura incurratur *sine ulla monitione :* vel nisi de se materia sit gravis. » D. De Ligorio, eod.

(68. « Quæritur an leges assignantes pœnam temporalem, et simul præcipientes, obligent ad culpam, an solum ad pœnam? *Prima* sententia negat, nisi ipsa lex exprimat, velle obligare etiam ad culpam. Ita Nav. Man., c. 23, n. 55 et 60. ubi ait : « Leges humanæ, « etiam præcipientes, quæ pœnam tempora- « lem constituunt, in dubio ad æternam non « obligant, quatenus sunt leges ejus qui « pœnam statuit.» Ita etiam Cajet. in Summ., v. *Clericus*, § *Verum*. Item Mencada, Gomez, Imola ap. Salm., *De leg.*, c. 2, n. 47. et probabilem *ibid.* vocant Val. Bon. Dian. Tap. ac Vill. et, loquendo de lege civ. probabilem etiam putat Mazzot., *De leg.* q. 2, c. 1, cum Fill. Ratio quia, licet principes bene possint obligare, tam ad pœnam, quam ad culpam, tamen cum non sint imponenda

Digitized by Google

onera sine necessitate, non præsumuntur ipsi velle ad culpam obstringere, quando sufficit pœna ad eos coercendos : et ita hujusmodi leges dicunt a consuetudine interpretari. Verius tamen contradicit *secunda* sententia, quam absolute tenent Salm., *l. c.*, n. 49, et probabiliorem *ibi* censent Val. Bon. Dian. Tap. et Vill. Ratio, quia hæc est differentia inter legem *pure pœnalem*, quæ obligat ad solam pœnam, et hæc est, quando in ea tantum pœna assignatur; et legem *mixtam*, quæ obligat etiam ad culpam; et hæc est, quando, ultra pœnam, præceptum adjungitur; ipso enim præcepto tunc creditur Superior velle ad culpam obligare, ne frustra videatur præcipere. » D. de Ligorio, *De leg. dub.* 4, n. 147.

(69. « An legislator potest in materia gravi obligare solum sub veniali?

« Multi asserunt, et videtur communis (4) sententia. Quia 1. Potestas obligandi, quam habet legislator, est, quoad usum, in ejus libera voluntate, et sic potest eam applicare, prout voluerit. Ergo potest illam applicare ad obligandum solum sub veniali; præsertim cum materia majoris obligationis sit etiam capax minoris, et hoc ad convenientem gubernationem interdum expediat, ne scilicet nimium oneretur conscientia subditorum, qui sufficienter ad talis legis observationem inducuntur per obligationem sub veniali. 2. Multæ leges ac constitutiones Religiosorum, ut Carmelitarum discalceatorum, a SS. Pontificibus approbatæ, obligant solum sub veniali in rebus gravibus, ut jejuniis, abstinentiis, etc. 3. Lex divina solum præcipit, ut pareatur superiori, quantum, et quatenus præcipit, et ab illa oritur obligatio commensurata voluntati superioris. Ergo, si superior leviter exigat, et præcipiat aliquid, etsi de se grave, inde oritur solum obligatio levis, et tunc præceptum censetur formaliter leve. 4. Actus liberi agentium non operantur ultra intentionem eorum. (Ergo, etc.) » Ita Antoine, *Theol. Moral.* c. 2, quæst. 3.

(70. « An quando lex requirit aliquam conditionem, sine qua irritet actum, uti lex irritans testamentum sine solemnitatibus, vel lex irritans alienationem bonorum Ecclesiæ sine consensu capituli, obliget in conscientia? *Prima* sententia negat, ut Nav., Covarr., Tap. Sylv., Medin. et alii ap. Salm., c. 2, n. 44 et 103. Ratio, quia tales leges fundantur in præsumptione fraudis, quæ tunc non adest. *Secunda* sententia affirmat quia tales leges non solum fundantur in præsumptione fraudis, sed etiam in periculo illius, quod semper adest. Ita Salm. cum Sanch., Pal., n. 104. Utraque est probabilis, sed secunda probabilior. » D. de Ligorio, *loc. cit.*, n. 151.

(71. « Quæritur hic ultimo, quando teneamur tollere impedimenta, vel ea non apponere, quæ obstant impletioni legis? Prænotandum est ad quæstionis solutionem, aliud esse, quod quis non obligetur a lege, sive ab illius obligatione extrahatur : aliud, quod excusetur a transgressione legis, manendo tamen sub ejus obligatione. Unde fit ut dupliciter possis te impedire ab observatione legis; vel apponendo causam, qua extraharis a legis observatione, scilicet si ab hoc loco, ubi est præceptum audiendi sacrum, discedas ad alium, ubi tale præceptum non viget : vel efficiendo opus, quod, licet impediat te ab observatione legis, non te extrahit tamen a legis obligatione; nempe, si die Dominico discedas a loco sacri ad silvam, ubi, etsi sacrum audire nequeas, ab illius obligatione tamen non extraheris. Deinde notandum est quod contra leges naturales nunquam licet apponere impedimentum, ut ab illius obligatione extraharis : secus autem dicendum de legibus humanis, quæ non obligant cum tanto rigore. Ita sapienter distinguunt Salm. c. 2, num. 158, 159 et 160.

« Hinc inferunt non peccare excommunicatum, si sacrum non audiat, et absolutionem non procuret; nam per impedimentum excommunicationis jam extrahitur ab obligatione audiendi sacrum. Inferunt 2. Non peccat contra præceptum jejunii, recitandi officium, etc., qui sua culpa incidit in infirmitatem, etsi præviderit : nec qui die jejunii, pedestre iter agit, vel multum laborat, ex quo excusetur inde a jejunio : etiamsi ex pravo fine iter assumat, nempe ad furandum, etc. Ita Salm., c, 2. n. 161, cum Sanch., Medin., Henr., etc. Sed nos omnino oppositum sentimus cum S. Thom.

« An vero peccet contra legem, qui eo animo id impedimentum apponit, ut a legis obligatione extrahatur, scilicet si fatiget, ut non jejunet? Affirmant peccare Pal., Salas, Med., etc., ap. Salm., c. 2, n. 163, quia nemini debet prodesse sua fraus. Negant tamen peccare contra jejunium Sanch. Fill. Azor. Vill., etc., quod satis probabilem sententiam vocant Salm., ibid., n. 164, quia tunc ille utitur jure suo, quo potest extrahi ab obligatione legis, in quo nulla est fraus : prout si quis exeat a sua patria, ubi est obligatio jejunandi, ut eximat se a jejunio. Sed nos tanto potius, juxta sententiam quam mox supra secuti sumus, omnino primam sententiam sequimur.

« Peccat vero contra præcepta naturalia, vel divina, qui prævidens se hominem occisurum in ebrietate, ab ebrietate non abstinet : vel qui non procurat absolutionem excommunicationis tempore paschali; tunc enim urget gravius præceptum radicaliter divinum communionis. Sic etiam peccat, qui se inebriat, vel somno se tradit tempore audiendi sacrum, vel recitandi officium, quia alia præcepta tunc jam eum obligant, neque per eas actiones a præcepto extrahitur. Ita

(4) « Sententia (hæc) affirmans, et si multos, eosque graves patiatur adversatores, puta Sotum, Victoriam, Tannerum, Medinam, Bellarminum, etc. longe plurium tamen theologorum auctoritate prævalet, simulque rationibus magis stipata videtur. » (Philip. de Carboneano *in not. ad hanc Antoine quæst.*)

Digitized by Google

Salm., tb., n. 162, cum *communi.*» D. de Ligorio, *eod.*, n. 152.

(72. Quoad legis promulgationem spectat, de qua agit auctor n. 3 et seqq., « quæritur, an leges Pontificiæ, ut obligent, promulgari debeant, non solum Romæ (sive in curia) sed etiam in singulis provinciis?

(73. « *Prima* sententia affirmat, et hanc tenent plures graves auctores, ut Becanus, *De leg.* qu. 5, num. 5; Nat. Alex., *Theol.* lib. IV, art. 3, reg. 25 (5). *Continuat. Tourn.*, t. II, De legib., sec. 4; Cabassut., *Theor. Jur*, lib. I, c. 4, num. 4, cum Medina, Angel., etc., et probabilem vocant Sylvius, tom. II, in 1, 2, q. 96, art. 4, concl. 3; Anadetus, Roncaglia, et alii. Citatur pro hac sententia etiam Cajetanus, sed Cajetanus aliud non dicit (6), quam quod leges canonicæ non obligant ignorantes. Citatur etiam Lessius, sed Lessius, lib. II, c. 22, n. 89, loquitur tantum de legibus quæ contractus irritant. Citatur quoque Dom. Soto, sed Soto *De just.*, l. I, q. 1, a. 4, potius loquitur de legibus inhabilitantibus, aut revocatoriis privilegiorum. Fautores autem hujus primæ sententiæ principaliter fundantur in authentica mox supra relata, *Ut factæ novæ*, et aiunt quod, ubi non adest specialis dispositio legis canonicæ, standum civili, prout infertur ex cap. 2 *De nov. op. nunc*, in quo dicitur: « Sacrorum statuta canonum, prin« cipum constitutionibus adjuvantur. » Præterea, inquiunt, nimis esse durum fideles totius orbis Christiani obstringere ad servandas leges tantum Romæ publicatas. Sed adhuc, juxta hanc primam sententiam, excipi debent bullæ insertæ in Bullario, quoniam hæ sunt jam corpus legum; et in hoc omnes conveniunt, ut testatur cardinalis Petra in *Proœmial.*, c. 4, n. 50 et 54.

(74. « *Secunda* vero sententia, valde communior et probabilior, id negat, tenetque leges pontificias obligare fideles sola promulgatione Romæ peracta; ita Suarez *De leg.*, l. III, c. 16, n. 8; Bonac., eod. tit., d. 1, q. 1, p. IV, n. 10, vers. *Concedo*; Laym., l. I, tract. 4, c. 3, n. 4; Azor., p. I, l. V, c. 3, vers. *In hac q.*; Castrop. *de leg.*, trac. 3, d. 1, p. XI, n. 4; Carden., in 1 Crisi; d. 9, c. 20, a. 12; Ferrar., *Bibl.*, tom. IV, verb. *Lex*, art. 2, n. 6. Salm., tract. 11 *De leg.*, c. 1, ex n. 86, cum Valent., Navarr., Vasq., Menoch., Pontio, Diana et Salas. Ratio hæc est: Nulli dubium quod lex, ut vim habeat obligandi, debet esse promulgata; alias ad notitiam subditorum pervenire non posset: sed quod ad

(5) Natalis Alexander *citat. loc.*, hæc habet: « Lex humana, sive ecclesiastica, sive civilis obligare non videtur, nisi solemni more publicata fuerit in provinciis. Leges enim ita promulgari necesse est, ut in eorum, quibus latæ sunt, notitiam facile perveniant, aut pervenire possint, ut constat ex l. *Leges Sacratissimæ*, c. *Tit. de legibus*, et colligitur ex Innocentio III, cap. *Ad hæc*, ex. *De postulat. prælat.*, cujus hæc sunt verba: « Cum constitutio solemni« ter editur, aut publice promulgatur, non est neces« sarium notitiam ipsius per speciale mandatum sin« gulorum auribus inculcare, sed id solum sufficit, ut « ad ejus observantiam quis teneatur, si eam solem« niter editam, aut publice noverit promulgatam.» In omnium porro notitiam facile pervenire non possunt, nisi sint in provinciis promulgatæ. Hinc Siricius Pontifex Maximus, Epistola ad Himerium Tarraconensem episcopum, decretalem suam in quinque Hispaniæ, vicinisque provinciis promulgari sanxit. « Et « hæc, inquit, ad tua consulta rescripsimus, ut in « omnium coepiscoporum nostrorum perferri facias « notionem, et non solum eorum, qui in tua sunt « diœcesi constituti, sed etiam ad universos Carthagi« nenses, Boeticos, Lusitanos, atque Callaicos, vel « eos qui vicinis collimitant hinc inde provinciis, hæc « quæ a Nobis sunt salubri ordinatione disposita, « sub litterarum tuarum prosecutione mittantur. Et « quanquam statuta Sedis Apostolicæ, vel canonum « venerabilia definita, nulli sacerdotum Domini igno« rare sit liberum, utilius tamen, et pro antiquitate « sacerdotii tui, dilectioni tuæ admodum poterit esse « gloriosum, si ea, quæ ad te speciali nomine generali« ter scripta sunt, per unanimitatis tuæ sollicitudinem, « in universorum fratrum nostrorum notitiam perfe« rantur; quatenus, et quæ a Nobis non inconsulte, sed « provide, et sub nimia cautela, et deliberatione sunt « salubriter constituta, intemerata permaneant, et « omnibus in posterum excusationibus aditus, qui « apud Nos nulli patere poterit, obstruatur.» Eamdem formam prisci Pontifices sunt secuti: eumque morem Novellæ Justiniani pro civilibus legibus præscriptum, in legibus etiam ecclesiasticis promulgandis observari æquissimum duxerunt, ut scilicet non obligarent, donec in provinciis publica auctoritate fuissent promulgatæ. Ipsaque concilia generalia, decreta sua non aliter obligare, satis aperte significaverunt. Concilium enim Lateranense IV, sub Innocentio III, canone 22, relato cap. *Cum infirmitas*, ex. *De pœnitent. et remiss.* cum præcepisset medicis, ut ægros inducerent ad consulendum suarum animarum saluti antequam morbo remedia parentur, addit tamen pœnæ canoni adjectæ non esse locum, donec promulgatio canonis istius facta fuerit ab episcopo diœcesano: « Si quis autem medicorum « hujus nostræ constitutionis, postquam per prælа« tos locorum fuit publicata, transgressor exstiterit, « tandiu ab Ecclesiæ ingressu arceatur, donec pro « transgressione hujusmodi satisfecerit competen« ter. »

Et sacra synodus Tridentina decretum primum *De reformatione matrimonii*, tunc demum vim obligandi fideles habiturum declarat, cum in eorum parochia fuerit publicatum: « Ne vero, inquit, hæc « tam salubria præcepta quemquam lateant, ordinariis « omnibus præcipit ut, cum primum potuerint, curent « hoc decretum populo publicari, ac explicari in sin« gulis suarum diœcesum parochialibus ecclesiis, « idque in primo anno quam sæpissime fiat; deinde « vero quoties expedire viderint. Decernit insuper ut « hujusmodi decretum in unaquaque parochia suum « robur post triginta dies habere incipiat, a die pri« mæ publicationis in eadem parochia factæ nume« randos. » Unde theologi omnes, et jurisconsulti summo consensu docent decretum illud non obligare, ideoque et matrimonia contra formam in eo præscriptam contracta... rata esse in iis provinciis, et regnis, in quibus promulgatum non fuit. Hinc Panormitanus... Cajetanus... Dominicus Soto.. et alii theologi plerique, solam in Romana curia promulgationem non sufficere censent, ut lex ecclesiastica fideles obliget universos, sed necessariam esse per singulas provincias publicationem contendunt.» Atque hæc est summa rationum prioris sententiæ.

(6) Verba Cajetani hæc sunt: « Si lex aliqua Romæ publicatur; et non curia ipsa procurat, ut promulgatio ad cathedrales ecclesias deveniat, neque prælati, qui ibi sunt, insinuant suis ecclesiis, accusari, nec apud Deum nec apud homines possunt absentes nescii.» (In D. Thom., 2, quæst. 90, art. 4.)

Digitized by Google

promulgationis modum pertinet, hic ab arbitrio, et intentione legislatoris pendet. Hinc observavi (prout etiam Salmanticenses pro certo testantur) quod inter omnes DD. adhuc inter adversarios, non est qui neget opus non esse de sua natura, ut lex obliget, quod in qualibet provincia publicetur, sed satis est quod promulgetur in curia legislatoris, sicut de facto etiam in Hispaniis (scribunt iidem Salmanticenses) leges regiæ, eo quod rex ibi non tenetur Cæsareas servare, tantum Matriti promulgantur. Et sic pariter bullæ pontificiæ, ut plurimum, juxta usum jam receptum, tantum Romæ promulgantur locis ibi ad id destinatis; et vigore hujusmodi constitutionum deinde omnes causæ ecclesiasticæ judicantur. Contra autem Sedes Apostolica, cum vult aliquam legem non obligare, nisi post publicationem factam in provinciis, id exprimit, sicut expressit in *Interdicto ab Ecclesia*, imposito a concilio Lateranensi IV adversus medicos, qui pergunt ad assistendum infirmis, antequam illi confessionem expleverint, ut præcipitur in cap. *Cum infirmitas*, *De pœnit. et remiss.* Et sic etiam expressum fuit a concilio Tridentino, sess. XXIV, cap. 1, circa invaliditatem matrimoniorum clandestinorum.

« Hoc posito, cum Pontifex statuit suas bullas tantum Romæ publicari, minime verisimile est, quod ipse non alias provincias, sed solam Romanam obligare intendat. Cum Papa tantum Romanos obstringere vult, solet peculiaria edicta emanare (et hæc italico idiomate efformat); sed statuta per totam Ecclesiam condens, eaque solemniter promulgans cum clausulis obligatoriis, procul dubio præsumitur omnes fideles obligare velle, statim ac ipsis notitia pervenerit. Quæ notitia facile est, ut e Roma ad provincias perveniat; Romæ enim conveniunt omnes fere nationes, et omnes prælati habent ibi suos procuratores, qui ordinarie satagunt suos principales de novis bullis, quæ promulgantur, certiores facere.

(75. « Præterea, quod leges Pontificiæ obligent statim ac solemniter promulgantur, id clare deducitur ex cap. 1, *Ad hæc*, *De postulat. prælat.*, ubi dicitur: « Nec sit necessa« rium cum constitutio solemniter editur, aut « publice promulgatur, ipsius notitiam singu« lorum auribus per speciale mandatum, vel « litteras inculcare; sed solum sufficit, ut ad « ejus observantiam teneatur, qui noverit eam « solemniter editam, aut publice promulga« tam. » Noletur « solemniter editam, aut pu« blice promulgatam. » Qui igitur notitiam certam habet de aliqua bulla jam solemniter Romæ promulgata, bene tenetur ad eam servandam. Idem satis infertur ex cap. *Quia cunctis* 1, § *Nec obstaret*, *De concess. præbend.* in 6, ubi habetur: « Lex, seu constitutio, vel « mandatum nullos astringunt, nisi post« quam ad notitiam pervenerint eorumdem, « aut nisi post tempus, infra quod ignorare « minime debuissent. » Ergo quisque tenetur leges illas observare, quarum notitia jam ipsi pervenit, cum illæ jam promulgatæ fuerint modo, quo legislator eas promulgare potest.

(76. « Nec est dubitandum, quin Papa adstringere possit omnes fideles ad observantiam bullarum suarum per solam promulgationem Romæ factam, sicut quilibet princeps (prout omnes auctores admittunt, ut supra vidimus), obligare suis legibus valet cuncta sua regna per solam publicationem in sua curia expletam. Sed quod magis nostræ sententiæ vim præbet, sunt duæ clausulæ, quæ apponi solent in his bullis, quæ Romæ promulgantur, locisque consuetis affiguntur. Altera clausula sic dicit: « Ut autem præ« sentes litteræ ad omnium notitiam facilius « deveniant, et nemo illarum ignorantiam al« legare valeat, volumus illas ad valvas, etc., « affigi, et publicari, sicque publicatas, omnes, « et singulos, quos illæ concernunt, perinde « arctare, et afficere, ac si unicuique eorum « personaliter intimatæ fuissent. » Altera dicit: « Volumus autem, ut præsentium litterarum « transsumptis, etiam impressis, manu alicu« jus notarii publici subscriptis, et sigillo « personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ « munitis, eadem prorsus tam in judicio, « quam extra illud ubique adhibeatur obser« vantia, ac si unicuique forent exhibitæ, « vel ostensæ. » Hæ autem clausulæ nimis diserte ostendunt mentem Pontificis esse velle omnes fideles obstringere ad hujusmodi statuta, independenter ab eorum publicatione in singulis provinciis. Et Sylvius, ac Roncaglia, quamvis admittant ut probabilem primam sententiam, habent tamen ut certum, quod omnes bullæ cum præfatis clausulis Romæ promulgatæ obligent per se absque alia promulgatione (7).

(77. « Cæterum, recte ait Roncaglia quod ex relatis verbis talium clausularum firmum adduci potest argumentum pro primæ sententiæ probabilitate, respectu ad eas bullas, ubi prædictæ clausulæ desunt; nihil enim in legibus frustra appositum supponendum, et clausulæ illæ omnino essent superfluæ, si omnes bullæ Romæ publicatæ etiam sine talibus clausulis obligarent ante quamlibet aliam publicationem in provinciis; modo (excipit) in aliquo loco consuetudo non vigeret indifferenter amplectendi bullas Romæ quocunque modo promulgatas.

(78. « Quærit autem Sylvius, loco supra citato, vers. *Petes*, an episcopi teneantur promulgare, aut satagere, ut alii observent omnia pontificia statuta jam Romæ promulgata? Et sic respondet: « Teneri curare ut

(7) « Sententia defendens sufficientem promulgationem legum pontificiarum in Romana curia, judice Bened. XIV (lib. XIII *De syn.* cap. 4, n. 1), *magis communis* est apud DD. Ei nempe longe plures, si theologos et canonistas simul computes, suffragantur, partim Italiæ ferme universæ, partim exterarum regionum: quales sunt ex. Io. ex Hispanis Bas. Pontius, Suaresius, et Navarrus; ex Belgis Sylvius et Vanroy; ex Germanis Smalzgruber, Pirhingius, etc. » *Philip. de Carboneano ad Theol. Mor. Antoine*, cap. 2 *De legib.* q. 7.

Digitized by Google

« observentur, quando Pontifex significat se « velle quod sua lex ubique obliget, etiam « absque alia promulgatione alibi facta. Non « tenentur tamen curare, ut promulgentur, « nisi vel mandatum pontificium ad eos diri- « gatur, vel rationabiliter judicent, promulga- « tionem in suis diœcesibus esse necessariam. « Nihilominus qui legis notitiam habent, ad « eam obligari videntur, nisi illa recepta non « fuerit, vel per non usum ejus obligatio de- « sierit. Cæterum, si Pontifex non significet « esse opus alia promulgatione, neque man- « datum dirigat ad ordinarios, probabile est « quod ipsi non tenentur legem promulgare, « vel curare ut observetur, nisi fructum nota- « bilem ex talis legis promulgatione in suis « diœcesibus exspectent. Possunt enim tunc « interpretari mentem Pontificis esse, quod « lex in diversis provinciis tunc observari, vel « promulgari curetur, quando ordinarii exis- « timaverint ita esse pro suis locis expediens, « et utile.» Idem scribit Diana in *Summa*, v. *Lex*, n. 18, cum Wigers et Maldero, dicens: « Quando Pontifex non significat opus esse « alia publicatione, et non præcipit ordinariis, « ut servari eam (legem) faciant, nec populis « ut servent, non tenentur publicare, et obser- « vari curare, nisi pro loco sperent fructum; « nam mens Pontificis generalem legem præ- « scribentis est, ut ubi cum fructu fieri potest, « curetur observari. »

(79. « Præterea probabiliter aiunt Suarez *De leg.*, l. v, c. 33, num. 8, et Layman *eodem tit.*, c. 2, num. 7, cum Molina et Soto, quod leges Pontificiæ, quæ infirmant aliquem contractum suapte natura validum (prout fecit bulla S. Pii V quoad contractus censuales), vel quæ jurisdictionem auferunt, v. gr. in sacramento pœnitentiæ, circa has benigne interpretari possumus, mentem esse Pontificis, quod nolit eas effectum habere, nisi postquam fuerint in diœcesibus promulgatæ; alioquin ipsæ redundarent in detrimentum plurimorum, qui illas invincibiliter ignorarent.

(80. « Secus autem est respectu pœnarum, quæ statuuntur adversus clericos male ordinatos, et episcopos male ordinantes, prout Sixtus V declaravit (præsertim quoad simoniace promotos, et promoventes, nam quoad alios bulla Sixti per aliam bullam Clementis VIII, 40 *Romanum*, fuit reducta ad terminos concilii Trident.). Sicut etiam secus procedit in legibus irritantibus actum aliquem ob defectum solemnitatis; quæ leges, postquam obligandi vim habuerunt, etiam respectu ignorantium valent, ut dicunt Sanchez, *De matr.*, l. III, d. 17, et l. IX, d. 32, num. 2, ac Laymann, *loc. cit.*, cum Navarr. et aliis. » D. de Ligorio, *De nat. et obligat. legis*, cap. 1, n. 96.

(81. « Quæritur (amplius) an, ut lex obliget, requiratur spatium duorum mensium a promulgatione? Tres sunt sententiæ. *Prima* dicit statim obligare. Ita Salas, Vasq., Villal., etc., apud Salm., cap. 1, num 89. Ratio, quia lex, cum promulgatur, jam in suo esse integro constituitur. *Secunda* dicit obligare statim, vel quasi, saltem existentes in curia, alios autem non obligare, nisi post sufficiens tempus, plus minus, juxta distantiam locorum. Ita Palaus, tract, 3, d. 1, part. XI, num. 7; Suar., lib. III, cap. 17, a num. 7. Item Montes., Gran., etc., ap. Salm., n. 90. *Tertia* sententia probabiliter dicit, quando in lege non determinatur tempus ad obligationem, nullos obligare, neque in curia existentes, nisi post duos menses a promulgatione; sed transactis duobus mensibus, jam arbitrio prudentum taxatis, omnes obligare. Ita Soto, *De just.*, lib. II, quæst. 1, art. 4; Bonac., tom. III, cap. 6, concl. 2, n. 3; Sa, v. *Lex* n. 8; Sylvest., *eod verb.*, quæst. 6, et Salm., n. 91, cum Valent., Reg. Men. Tab. et aliis. Ratio, quia lex non obligat, nisi ejus notitia moraliter ad omnes subditos pervenire possit, ut eruitur ex l. *Leges*, c. *De leg.*, ubi : « Leges sacratissimæ intelligi ab « omnibus debent, ut universi, præscripto « earum manifestius intellecto, prohibita de- « clinent.» Et ex cap. *De concess. præb.*, in 6, v. *Nec obstat*; ibi : « Lex, seu constitutio, et « mandatum nullos adstringunt, nisi post- « quam ad notitiam pervenerint eorumdem, « aut nisi post tempus intra quod ignorari « minime debuissent. » Hoc autem tempus, quo lex humano modo pervenire possit ad aures subditorum, taxandum est arbitrio prudentum, hocque arbitrium jam taxatum habemus in auth. *Ut facta*, etc., uti supra dictum est. Ergo illi standum, ubi tempus non est determinatum. » D. de Ligorio, *loc. et n. cit.*

Sed hæc hactenus.

ARTICULUS III.

Lex quoad ea quæ concernunt personas ad ipsam obligatas.

SUMMARIUM.

1. Ad leges Ecclesiæ obligantur omnes Christi fideles. — 2. Ad tales leges obligantur infantes, seu pueri post septennium in iis quorum materia eorum ætati est conveniens. — 3. Imo ad tales leges in iis, quorum materia eorum ætati est conveniens, secundum multos, obligantur etiam infantes, seu pueri habentes perfectum usum rationis ante septennium. — 4. Alii tamen tenent contrarium. — 5. Pueri, et puellæ post septennium completum, et ante pubertatem, id est ante annum 14 completum in masculis, et ante 12 in feminis, possunt incurrere excommunicationem latam in eos, qui ingrediuntur monasteria monialium. — 6. Et sic dicendum est de puellis, quæ in simili ætate ingrediuntur monasteria, seu conventus virorum. — 7. Etiam probabilius est tales impuberes incurrere excommunicationem latam in percussores clerici. — 8. Item valde probabile est tales impuberes incurrere alias censuras a jure, vel ab homine latas. — 9. Amentes non perpetui, sed delirantes per intervalla tantum, sicuti et ebrii, obligantur ad leges humanas. — 10. Non tenentur tamen ad ipsas humanas leges amentes perpetui. — 11. Ad leges et statuta infer. prælator. et alior. superiorum obligantur solum subditi propr. territorii : ' v. addit. in fine. ' — 12. Imo neque ad tales leges tenentur subditi, quando actu existunt extra territorium legislatoris. — 13. Legislator humanus tenetur ad proprias leges, in quibus continetur jus naturale, vel divinum. — 14. Legislator humanus monarchicus non tenetur suis legibus, quoad vim coactivam, neque quoad vim directivam directe, sed tantum indirecte. — 15. In legibus duplex vis

Digitized by Google

obligandi distinguitur, una directiva, et alia coactiva, et quæ sit utraque ? — 16. Vis directiva, alia dicitur directa, et alia indirecta, et quæ sit utraque ? — 17. Probatur prima pars conclusionis, scilicet quod legislator humanus monarchicus non teneatur suis legibus, quoad vim coactivam. — 18. Imo supremus monarchicus legislator quoad vim coactivam, neque obligatur legibus suorum antecessorum. — 19. Probatur secunda pars conclusionis, scilicet quod legislator humanus monarchicus non teneatur suis legibus, neque quoad vim directivam directe. — 20. Probatur tertia pars, scilicet quod legislator humanus monarchicus teneatur suis legibus quoad vim directivam indirecte. — 21. Papa exemptus est ab omnibus pœnis canonicis jure humano introductis, et episcopus exemptus est a pœnis per se, suosque antecessores statutis. — 22. Non sunt tamen exempti a culpa, nec Papa, nec respective episcopus, si suas, vel suorum antecessorum leges non observent. — 23. Papa, quamvis non teneatur ex præcepto ecclesiastico ad annuam confessionem, et paschalem communionem vi coactiva, tenetur tamen vi directiva. — 24. Et sic, salva proportione, dicendum est de aliis legislatoribus ; cum hoc tamen, quod, secluso scandalo, et damno, seu injuria tertii, peccatum legislatoris monarchici propriam legem, seu suorum antecessorum transgredientis, raro sit mortale. — 25. Si legislator sit ipsa communitas, v. g. respublica, capitulum, vel alia universitas, tunc singuli de tali communitate tenentur ad legum ab ipsa conditarum observantiam. — 26. Hæretici, quamvis de facto resistant legibus ecclesiasticis pro toto christiano orbe latis, de jure nihilominus ad earum observantiam sunt obligati. — 27. Judæi, pagani, et catechumeni non tenentur legibus ecclesiasticis. — 28. Peregrini, et advenæ existentes extra territorium suum non obligantur ad leges speciales sui territorii. — 29. Imo peregrini et advenæ existentes extra suum territorium, non solum non obligantur ad leges speciales sui territorii, sed nec ad leges communes in suo territorio vigentes, si istæ non vigeant in loco, ubi per modum hospitii reperiuntur, aut morantur. — 30. Peregrini et advenæ exeuntes e suo territorio, et nacti domicilium in alio loco cum animo ibidem permanendi, illico adstringuntur legibus illius loci, tam communibus, quam specialibus. — 31. Peregrini, et advenæ discedentes mane ex oppido, ubi non est jejunium, possunt ibi comedere carnes, quamvis vesperi, aut meridie venturi, seu redituri sint ad locum ubi est jejunium de præcepto. — 32. Neque domum reversi amplius tenebuntur illa die servare jejunium. — 33. Tenebuntur tamen adhuc abstinere a carnibus. — 34. Item tenentur abstinere a carnibus in loco domicilii ubi est jejunium, si inde mane discedant, perventuri ad locum, ubi non est jejunium. — 35. Peregrini et advenæ se transferentes in fraudem jejunii de loco ubi viget præceptum jejunandi ad locum ubi non jejunatur, peccant graviter. — 36. Sic nullum est matrimonium illorum qui in fraudem legis et loco proprii domicilii ubi est publicatum concilium Tridentinum, non mutato realiter domicilio, transeunt ad locum ubi non est publicatum Tridentinum, eo solo animo, et fine, ut absque parocho et testibus contrahant. — 37. Peregrini autem et advenæ, qui de loco ubi jejunatur, non in fraudem jejunii, sed bona fide transeunt ad loca, seu per loca ubi non jejunatur, non tenentur jejunare. — 38. Sic qui non in fraudem jejunii, sed peregrinationum, aut negotiorum causa, de loco proprii domicilii, ubi ob discrepantiam novi et veteris kalendarii, nondum est incepta Quadragesima, pergit ad locum ubi per hebdomadam est quadragesima jam incepta, et observatum jejunium, non tenetur illic illo anno jejunare per adhuc alios octo dies Paschæ ad complendam integram Quadragesimam, sed potest licite se accommodare moribus eorum apud quos est. — 39. Econtra vero si talis in loco sui domicilii complevisset Quadragesimam, non teneretur postea alibi observare illos octo dies. — 40. An peregrini, et advenæ exeuntes e loco ubi est festum, de præcepto, transituri ad alium locum ubi non est festum, teneantur ante discessum audire missam? — 41. Tales peregrini et advenæ ante discessum a territorio ubi currit festum toto illo tempore, quo permanent ibi, tenentur abstinere a labore servili. — 42. Cum autem pervenerint ad locum ubi non est festum, dummodo illuc non se contulerint in fraudem legis, possunt laborare, quamvis in loco sui domicilii, propter peculiare festum ibi currens, debeant ex præcepto abstinere a labore servili. — 43. Peregrini et advenæ tenentur ad leges locales in celebratione contractuum. — 44. Unde si sponsus et sponsa e loco ubi non est promulgatum Tridentini concilii decretum de contrahendo matrimonio coram parocho, et testibus, peregrinentur ad locum, ubi est promulgatum, tenentur contrahere coram parocho, et testibus, alias matrimonium esset invalidum. — 45. Peregrini et advenæ tenentur ad leges locorum ubi reperiuntur, quando tales leges latæ sunt specialiter ob bonum commune illorum locorum ubi sunt. — 46. An vagi, seu vagabundi obligentur legibus et consuetudinibus locorum per quæ transeunt, vel in quibus hospitantur ? multi tenent affirmativam. — 47. Unde parochus proprius vagorum, seu vagabundorum in ordine ad matrimonium, est parochus illius loci ubi vagi actu versantur. — 48. Multi alii tamen satis probabiliter docent eamdem esse rationem vagorum, quæ peregrinorum, ut scilicet vagi, seu vagabundi obligentur, vel non obligentur illis legibus particularibus locorum per quos transeunt, quibus obligantur, vel non peregrini, seu advenæ ; alia ad rem ibi *. — 49. Clerici et regulares nullatenus tenentur ad leges civiles, quæ sine apostolica approbatione de personis, locis et rebus ecclesiasticis specifice, hoc est expresse, vel nominatim disponunt, etiamsi eorum commodum, vel favorem contineant, et tanto minus, si contineant eorum præjudicium et incommodum. — 50. Clerici et regulares, quoad vim coactivam, nec tenentur legibus civilibus, et statutis laicorum, quæ non specifice, seu non expresse, vel nominatim disponunt de ecclesiis, rebus, et personis ecclesiasticis, sed generaliter, seu communiter ob publicam utilitatem, seu necessitatem quidpiam præcipiunt, aut prohibent, quamvis id non repugnet statui clericali, aut immunitati ecclesiasticæ. — 51. An autem clerici et regulares teneantur dictis legibus civilibus, et statutis laicorum quoad vim directivam, variant doctores. Plurimi enim docent clericos et regulares teneri dictis legibus quoad vim directivam, si non directe, et per se, saltem indirecte, et per accidens. — 52. Alii tenent, quod leges civiles, seu laicales, etiam favorabiles, et generaliter loquentes, non includant, et obligent clericos et regulares, si præcipiendo, vel prohibendo loquuntur. — 53. In praxi ad bonum publicum promovendum, et peccatorum pericula, aliave mala evitanda, consultissimum est, quod prælati ecclesiastici tempore caritatis, pestis, aut alterius publicæ necessitatis coadjuvent similibus edictis principum sæcularium proclamata. — 54. Et hoc est de mente sac. Congr. Episcoporum et Regularium, quæ pluries id ordinavit. — 55. Et sæpe sæpius quoad hæc, et similia idem rescripsit, et decrevit sacr. Congr. Immunitatis, et afferuntur ad id plurima ejusdem decreta, *usque ad n.* 78. — 79. Leges sæculares, sive communes, sive municipales aliquorum locorum generaliter disponentes circa contractus, aliasque res profanas, si sint favorabiles, extenduntur, et procedunt etiam quoad clericos, et Ecclesias, earumque res ; secus si sint istis præjudiciales. — 80. Clericus contrahens, seu celebrans contractum cum laico,

Digitized by Google

ut valeat contractus, debet observare solemnitatem, et formam a lege sæculari pro tali validitate præscriptam, aliter contractus corruit. — 81. Secus autem si clericus contrahat cum alio clerico. — 82. Subnectuntur additiones ex aliena manu ad n. 84.

(1. Ad leges Ecclesiæ obligantur omnes Christi fideles; *Communissima* per textum in cap. *Canonum statuta* 1, *De constitutionibus*, ibi : « Canonum statuta custodiantur ab omnibus. Et nemo in actionibus, vel judiciis ecclesiasticis suo sensu, sed eorum auctoritate ducatur, » cum similibus.

(2. Ad tales leges obligantur infantes, seu pueri post septennium, in iis quorum materia eorum ætati est conveniens. *Communis.* In tali enim ætate communiter censentur capaces rationis; et leges positivæ attendunt ad ea quæ communiter contingunt; leg. *Nam ad ea*, ff. de *legibus*. (3. Imo ad leges Ecclesiæ in iis, quorum materia eorum ætati est conveniens, secundum multos obligantur etiam infantes, seu pueri habentes perfectum usum rationis ante septennium. Sic Busemb. lib. I, tract. 2, cap. 2, dub, 1, n. 3; Navarr., Henriq., Azor, ab ipso citati, Bosco, *De pœnit.*, d. 7, n. 2., ubi docet tales pueros obligari ad confessionem annuam, et sic tenent plures alii, et hæc sententia est satis probabilis, teste La Croix, l. I, n. 676, ubi dicit hanc sententiam saltem esse suadendam in praxi. Et ratio hujus sententiæ est, quia cum tales pueri sint capaces præcepti non requirentis certos annos, si plenum usum rationis habeant, ut supponitur, Lex procedit contra eos, adeoque, etc. (8). (4. Alii tamen dicunt tales pueros, seu infantes, non teneri ad ipsas leges ante septennium completum, quamvis plenum rationis usum habeant, quia leges ecclesiasticæ in obligando procedunt humano modo, et ideo neminem obligant, nisi habentem plenum usum rationis, quem non præsumunt, nisi post septennium completum, quia leges positivæ attendunt ad ea quæ communiter contingunt, cit. l. *Nam ad ea*, ff. *De legibus;* communiter autem non contingit plenus usus rationis ante septennium completum, adeoque, etc. Sic Diana part. x, tract. 12, resol. 37; Burghaber centur. 2, casu 24; Ilslung, tom. I, d. 2, n. 18; Castropalao, tr. 4, disp. 1, punct. 14, § 2; Kazenberger, *loc. cit.* n. 238; Joannes Sanchez, et alii, et hæc sententia est etiam satis probabilis, teste La Croix, *l*, c. n. 676.

(5. Pueri et puellæ post septennium completum et ante pubertatem, id est ante annum 14 completum in masculis, et ante annum duodecimum completum in feminis, possunt incurrere excommunicationem latam in eos qui ingrediuntur monasteria monialium. Concilium enim Tridentinum sess. xxv, cap. 5, *De regularibus* expresse addit « cujuscunque ætatis sint; » unde cum post septennium completum, licet ante pubertatem, pueri et puellæ sint doli et malitiæ capaces, si ingrediantur cum cognitione talis prohibitionis monasteria monialium, incurrunt excommunicationem. Sic tenent Suarez, Vasquez, Dicastill., cum La Croix, lib. vii, n. 41; Kazenberger, *loc. c.*, n. 241, et colligitur ex declaratione *Sacræ Congregat. Episcopor. et Regular.* Quæ sæpe sæpius censuit, quod introducens infantes cujusvis sexus, vel ætatis, incurrit censuras violatæ clausuræ, et signanter in *Tudertina* 7 April. 1579; in *Neapolit.* 22 Mart. 1580; in *Taurinen.* 10 Junii 1650. (6. Et sic dicendum est de puellis, quæ in simili ætate ingrediuntur monasteria, seu conventus virorum; ut habetur ex constitutione Eugenii IV edita pro congregatione S. Justinæ de Padua incipien. *Et si quaslibet personas. Vide* verb. *Conventus*, art. 3, n. 18, ubi adducuntur præcisa ejus verba.

(7. Etiam probabilius est tales impuberes incurrere excommunicationem latam in percussores clerici, uti ex jure probant Castrop. *De legibus* d. 1, p. 24, § 2, n. 9; Delbene, c. 15, dub. 3; Dicastill., d. 1, n. 228 et 231; La Croix, lib. vii, cap. 41; Kazenberger, *loc. cit.*, n. 241, et alii. (8. Item valde probabile est tales impuberes incurrere alias censuras a jure, vel ab homine latas. Suarez, Dicastill., cum La Croix, *loc. cit.*, n. 42; Kazenberg. *loc. cit.*, n. 241; Et ratio est, quia ætas illa est de se capax

(8) *Romani theologi Nota.* — Non solum suadenda est pueris, in quibus usus rationis obtinet ante septennium, ac malitia supplet ætatem, confessio sacramentalis, sed inculcanda, ac omnino præcipienda. Fac enim hos pueros inter bonum et malum discernere, ac peccati conscios esse, quis neget necessarium iis esse sacramentum pœnitentiæ, ut a peccato surgant? Si confessarium adire tenentur nondum expleto septennio, ergo divino præcepto de expiando per sacramentalem confessionem peccato revera astringuntur. Cum itaque Ecclesia, ne fidedeles salutare, ac necessarium post peccatum remedium negligant, generatim præcipit: ut omnes, saltem semel in anno, confiteantur, idque sub ecclesiasticis quoque pœnis, ut fortius negligentes excitet, omnesque moveat ad reconciliationem cum Deo, saltem semel in anno procurandam, manifestum est, tempus determinasse, ultra quod nulli prorsus peccati capaci confessionem differre liceat. Itaque si pueri, in quibus usus rationis acceleratur, ac malitia ætati prævalet, peccati, ac gravis culpæ capaces sint, quis unquam eos poterit ab illo Ecclesiæ præcepto eximere, quo ad annuam confessionem omnes fideles obligantur? Vides ergo quam longe a vero aberrent benigni illi theologi, qui probabilis opinionis usu, aut hortandos tantum, aut omnino excusandos a confessione hujusmodi pueros docent. Atque hæc in causa sunt, ut apud peritiores, ac de æterna hominum salute magis sollicitos theologos, doctrina probabilismi male audiat. Nam admissa etiam opinione quæ tradit Ecclesiæ præcepta homines non obligare ante septennium, quod leges positivæ ad ea referuntur, quæ generatim accidunt, nihilo tamen minus de annuæ confessionis præcepto in puero peccati capace ante septennium aliter philosophandum est: nisi velimus asserere, Ecclesiam de horum puerorum salute sollicitam non esse, vel leges suas non extendere ad omnes quibus congruunt, ac etiam necessariæ sunt. Congruit vero, ac necessarium est ut puer capax peccati, et qui gravis esse possit culpæ reus, pœnitentiæ sacramentum recipiat.

Digitized by Google

censuræ, uti quamvis sit contrariæ sententiæ, fatetur etiam Krimer, l. v, n. 1662, et nullo jure probatur exempta. Imo, ut fatetur etiam Delbene, *loc. cit.*, videtur certum in praxi, quod quando fertur censura interdicti in totum populum, obligentur etiam impuberes, cum et illi abstineant a divinis, adeoque communis sensus est, quod incurrant censuram interdicti, et consequenter et alias, quamvis non tam facile, cum eorum actio sæpius excusetur a peccato.

(9. Amentes non perpetui, sed delirantes per intervalla tantum, sicuti et ebrii obligantur ad leges humanas. *Communis.* Ipsi enim absolute pollent usu rationis, adeoque non eximuntur absolute a legibus humanis, sed solum tempore delirii, et ebrietatis per accidens excusantur a formali, et imputabili earum transgressione, cum careant tunc usu rationis ad peccatum formale necessario requisito. (10. Non tenentur tamen ad ipsas humanas leges amentes perpetui. *Communissima.* Perpetuo enim amentes sunt perpetuo incapaces usus rationis, necessario requisiti ad peccatum formale.

(11. Ad leges, et statuta inferiorum prælatorum ecclesiasticorum, aliorumque superiorum obligantur solum subditi proprii territorii. *Communis.* Ad obligationem enim legis necessaria est jurisdictio, quam non habet legislator in non suos subditos; argum. l. ult., *De jurisdict. omn. judic.*, ibi : « Extra territorium jus dicenti non paretur impune; » et concordat cap. *Ut animarum* 2, *De constitutionibus*, in 6, ibi : « Cum extra territorium jus dicenti non pareatur impune. » (12. Imo neque ad tales leges tenentur subditi, quando actu existunt extra territorium legislatoris; quia leges non feruntur, in personas absolute, sed dependenter a territorio, leg. *Omnes populi*, ff. *De justitia et jure*, et expresse habetur in cit. cap. *Ut animarum* 2., *De constitutionibus* in 6, ibi : « Statuto episcopi, quo in omnes qui furtum commiserint excommunicationis sententia promulgatur, subditi ejus furtum extra ipsius diœcesim committentes, minime ligari noscuntur, cum extra territorium jus dicenti non pareatur impune, » et concordat cit. l. ult. *De jurisd. omn. jud.*

(13. Legislator humanus tenetur ad proprias leges in quibus continetur jus naturale, vel divinum, quia hæc jura, cum procedant ab auctore Deo, sunt supra legislatorem humanum, quamvis ab eo sint populo proposita, et declarata, adeoque nequit ab ipsis se eximere, cum inferior in legem superioris nullam habeat protestatem, cap. *Inferior* 4, dist. 21, cap. *Cum inferior* 16, *De majorat. et obedient.*, et Clement. *Ne Romani, De election.*

(14. Legislator humanus monarchicus non tenetur legibus quoad vim coactivam, neque quoad vim directivam directe, sed tantum indirecte. Sic cum communi theologorum et canonistarum S. Thomas 1-2, qu. 96, art. 5, ad 3; Fagnan. in cap. *Canonum statuta*, n. 57, *De constitutionibus*; Barbosa lib. 1 *Juris ecclesiast. univers*, cap. 2, n. 187, cum pluribus ibi citatis; Pirhing, lib. 1 *Decret.*, tit. 2, n. 67; Reiffenst., *ib.*, n. 268, Engel, *ib.*, n. 28; Navarr., in cap. *Si quando de except.* 8, et n. 12, *De rescriptis*; Covarruv., in cap. *Alma mater*, par. 1, § 1, n. 5, Fachineus, lib. 1 *Controvers. juris*, cap. 2, Mastrius, *Theol. moral.*, disp. 2, q. 4, art. 4, et alii passim.

(15. Ad faciliorem captum conclusionis præmittendum est, quod in legibus duplex vis obligandi distingui solet, scilicet una directiva, et alia coactiva. (16. *Vis directiva* est quæ obligat ad solam culpam in conscientia incurrendam; *Vis coactiva* est quæ obligat non solum ad culpam in conscientia incurrendam, sed etiam ad pœnam ratione transgressionis subeundam. Vis autem directiva alia dicitur *directa*, et alia *indirecta*. *Directa* est illa cujus obligatio provenit ex vi ipsiusmet legis, et hæc proprie non obligat, nisi subditos legislatoris. *Indirecta* est illa cujus obligatio non provenit ex vi ipsiusmet legis, sed ex naturali æquitate, ac dictamine rectæ rationis post latam ejusmodi legem; et hæc obligat etiam ipsummet legislatorem ad se conformandum suis subditis in observantia suæ latæ legis. His prænotatis,

Probatur prima pars conclusionis, scilicet quod legislator humanus monarchicus non teneatur suis legibus, quoad vim coactivam, quia nemo sibi imperare, aut prohibere potest; textu expresso in l. penult. ff. *De receptis arbitris*, ibi : « Neque autem imperare sibi, neque se prohibere quisquam potest; » adeoque cum legislator monarchicus non habeat superiorem, a quo vi coactiva obligetur ad leges, et neque possit seipsum sic ad illas obligare, stat clarum, quod, quantum ad obligationem pœnæ subeundæ, solutus est, textu expresso in l. *Princeps* 30, ff. *De legibus*, ibi : « Princeps legibus solutus est » (18. Imo supremus monarchicus legislator, quoad vim coactivam, neque obligatur legibus suorum antecessorum; cap. *Innotuit* 20, *De election.*, § *Quamvis autem*, ibi : « Successoribus suis nullum potuit in hac parte præjudicium generari, pari post eum, imo eadem potestate functuris, cum non habeat imperium par in parem, et c. *Exiit* 3, *De verborum significat.*, in 6, § *Cæterum sanctæ memoriæ*, ibi : « Nec successorem suum quomodolibet obligavit, cum non habeat imperium par in parem. »

(19. Probatur secunda pars conclusionis, scilicet quod legislator humanus monarchicus non teneatur suis legibus neque quoad vim directivam directe; quia omnis obligatio directa, etiam directiva, supponit in imponente superioritatem, et in faciente subjectionem, ut habet communis doctorum, arg. l. ult., *De jurisdic. omnium*, et cap. *Ut animarum* 2, *De constitutionibus*, in 6, cum similibus, adeoque cum legislator, respectu sui ipsius, non sit superior, nec subditus, suis legibus non tenebitur directe, etiam quoad vim directivam, arg. cit. l. penult., ff. *De*

Digitized by Google

receptis arbitris, et cit. l. *Princeps* 20, *De legibus*.

(20. Probatur tertia pas, scilicet quod legislator humanus monarchicus teneatur suis legibus quoad vim directivam indirecte; quia legislatorem teneri suis legibus quoad vim directivam indirecte, nihil aliud est, quam etiam ipsum, posita semel lege pro bono totius communitatis, teneri consecutive hanc observare ex jure naturali ac divino ad se conformandum suis subditis in observantia legum, ne pars a toto discrepet, et ne subditi scandalizentur. Ad hoc autem revera legislator tenetur ex ipsa naturali æquitate, et rationis ordine, ut colligitur ex cap. *Quæ contra* 2, dist. 8, ubi sic dicitur : « Turpis est enim omnis pars universo suo non congruens, » et conc. Trid., sess. XXIV, *De reform.*, cap. 1, ubi sic habet : « Totius familiæ domini status, et ordo notabit, si quod requiritur in corpore, non inveniatur in capite. » Quia ut dicitur *Ecclesiastici* X : *Qualis rector est civitatis, tales et inhabitantes in ea.* Unde si qui forent legislatores, qui suas leges ita non observarent, posset illis merito improperari illud, quod tanquam omni juri repugnans improbavit Christus scribis et pharisæis, *Matth.* XIII, dicens : *Alligant onera gravia, et importabilia, et imponunt in humeros hominum; digito autem suo nolunt ea movere.* Hinc cap. *Justum est* 2, dist. 9, sic expresse insinuatur : « Justum est principem legibus obtemperare suis; tunc enim jura sua ab omnibus custodienda existimet, quando et ipse illis reverentiam præbet. Principes legibus teneri suis convenit, nec in se posse damnare jura, quæ in subjectis constituunt, justum est. Justa est enim vocis auctoritas eorum, si quod populis prohibent, sibi licere non patiantur. » Et cap. *Cum omnes* 6, *De constitutionibus*, expresse dicitur : « Patere legem quam tu ipse tuleris; » et ibi *Glossa*, verb. *Patere legem*, sic habet : « Nec debent aliis legem imponere, quam ipsi negligunt observare, » ut similiter habetur in cap. *Pro illorum* 22, *De præbendis*, ibi : « Cum nobis legem imponere non debeant, quam ipsi negligunt observare, » et l. 4 *Cod. de legibus*, sic præcise dicitur : « Digna vox est majestate regnantis, legibus obligatum se principem profiteri. » Adeoque, etc.

(21. Ex adductis sequitur quod Papa exemptus sit omnibus pœnis canonicis jure humano introductis; et episcopus exemptus sit a pœnis per se suosque antecessores statutis; cum enim, ex dictis, legislator non teneatur legibus suis, et antecessorum quoad vim coactivam, et tales pœnæ proveniant a vi coactiva legum pontificiarum, et respective episcopalium, Papa, et respective episcopus est ab ipsis exemptus. (22. Non sunt tamen exempti a culpa, nec Papa, nec respective episcopus, si suas, vel suorum antecessorum leges non observent; cum, ex dictis, teneantur ad earum observantiam quoad vim directivam. (23. Hinc Papa, quamvis non teneatur ex præcepto ecclesiastico, cap. *Omnis utriusque sexus*, *De pœnitentiis et remissionibus*, ad annuam confessionem, et paschalem communionem vi coactiva, ita ut subjaceat pœnis ibidem in transgressores taxatis; tenetur tamen vi directiva, ita ut, si id facere negligeret, peccaret. Geminian. in cap. *Justum est* 2, dist. 9; Joan. Andreas, in cap. *Significasti*, *De foro competent.*; Fagnan., in cap. *Canonum statuta* 1, *De constitutionibus*, n. 17 et sequent., cum aliis ibi citatis; Covarruv., in cap. *Alma mater*, part. I, § 1, n. 6; Barbosa, part. I *Jur. eccles. univers.*, cap. 2, n. 87; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 212, et alii passim, arg. citatis juribus, et cap. *Confidimus* 1, caus. 25, q. 2, ubi Gelasius Papa sic dicit : « Id quod universalis Ecclesiæ probavit assensus, nullam magis exsequi sedem præ cæteris oportere, quam primam, » cum similibus. (24. Et sic, salva proportione, dicendum est de aliis legislatoribus, cum hoc tamen, quod secluso scandalo, et damno, seu injuria tertii, peccatum legislatoris monarchici propriam legem, seu suorum antecessorum transgredientis, raro sit mortale, ut tenet Tannerus t. II, disp. 5, q. 6, n. 22; Reiffenst., *loc. cit.*, n. 273; Kazenberger, *loc. cit.*, n. 229, et alii.

Si legislator sit ipsa communitas, v. g., respublica, capitulum, vel alia universitas, tunc singuli de tali republica, universitate, seu tali religione, vel communitate repræsentata per capitulum, adeoque etiam ipsimet senatores, capitulares, aliique conditores ipsarum legum tenentur ad earumdem observantiam, non solum quoad vim directivam, sed etiam quoad vim coactivam, quia senatores tota republica, et capitulares tota religione, vel universitate, seu communitate simul sumpta sunt inferiores, et vere subditi. *Communis*, arg. c. *Cum omnes* 6, *De constitutionibus*, § « Cum igitur, quod quisque juris in alterum statuit, ipse debeat uti eodem. Et sapientis dicat auctoritas : « Patere legem quam tu ipsere tuleris; » cum similibus.

(26. Hæretici, quamvis de facto resistant legibus ecclesiasticis, seu constitutionibus pontificiis pro toto christiano orbe latis, de jure nihilominus ad earum observantiam sunt obligati. *Communis.* Hæretici enim per baptismum, ac fidem Christi susceptam, jam sunt ingressi Ecclesiam catholicam, ejusque membra effecti, adeoque manent obligati legibus ipsius; nec, ex quo ipsius legibus de facto resistant, per hoc liberantur ab obligatione eas observandi, quia, ut expresse dicitur l. *Nemo ex suo*, ff. *De reg. juris* : « Nemo ex suo delicto meliorem suam conditionem facere potest, » et concordat cap. *Intellexímus* 7, *De judiciis*, ibi : « Ne videatur de sua malitia commodum reportare. »

(27. Judæi pagani et catechumeni non tenentur legibus ecclesiasticis. *Communis.* Leges enim nequeunt obligare non subditos legislatoris; arg. l. ultim. *De jurisdiction. omn. judic.*, et cap. *Ut animarum* 2, *De constitutionibus*, in 6, cum similibus. Judæi autem, pagani, et catechumeni non sunt

Digitized by Google

subaiti Ecclesiæ, cum necdum per baptismi januam in ipsam sint ingressi; adeoque, etc. Hinc Apostolus *I ad Corinth.* v, dicit : *Quid mihi de iis qui foris sunt judicare? Nam eos qui foris sunt Deus judicabit;* et concordat cap. *Gaudemus* 8, *De divortiis*, ubi expresse Papa fatetur quod infideles, et pagani, « constitutionibus canonicis non artantur. Quid enim ad nos, secundum Apostolum eumdem, de his qui foris sunt judicare? » Et idem supponere videtur concilium Tridentinum sess. XIV, cap. 2. ibi : « Cum Ecclesia in neminem judicium exerceat, qui non prius in ipsam per baptismi januam fuerit ingressus. »

(28. Peregrini et advenæ existentes extra territorium suum non obligantur ad leges speciales sui territorii. *Communis*, per textum in l. ult. *De jurisdict. omn. judic.*, ibi : « Extra territorium jus dicenti non paretur impune, » et cap. *Ut animarum* 2, *De constitutionibus*, in 6, ibi : « Cum extra territorium jus dicenti non pareatur impune. » Leges enim non feruntur in personas absolute, sed dependenter a territorio, l. *Omnes populi*, ff. *De justitia et jure.* (29. Imo peregrini et advenæ existentes extra suum territorium, non solum non obligantur ad leges speciales sui territorii, sed nec ad leges communes in suo territorio vigentes, si istæ non vigeant in loco ubi per modum hospitii reperiuntur, aut morantur. *Communis;* arg. cap. *Illa autem* 11, dist. 12. Tunc enim quilibet potest se accommodare rationabilibus consuetudinibus locorum, in quibus existit, cum privilegio locali frui possint omnes in eo loco existentes. Hinc Itali, dum hospitantur, aut morantur in Germania, possunt licite vesci lacticiniis diebus jejunii, quamvis hæc in Italia pro talibus diebus non liceant; et sic de similibus.

(30. Peregrini et advenæ exeuntes e suo territorio, et nacti domicilium in alio loco cum animo ibidem permanendi, illico astringuntur legibus illius loci tam communibus, quam specialibus. *Communis*, arg. l. *Domicilium* ff. *Ad municipalem*, l. *Cives*, Cod. *De incolis*, lib. X, cap. *Ex parte* 15, et cap. *Licet* 20. *De foro competent.*, cum similibus.

(31 Peregrini et advenæ discedentes mane ex oppido ubi non est jejunium, possunt ibi comedere carnes, quamvis vesperi, vel meridie venturi, seu redituri sint ad locum ubi est jejunium de præcepto; quia in priori loco constituti nondum tenentur lege jejunii posterioris loci. *Communis.* (32. Neque dum reversi amplius tenebuntur illa die servare jejunium, quippe jam violatum, et servatu impossibile. *Communis.* (33. Tenebuntur tamen adhuc abstinere a carnibus, quia hæc abstinentia est divisibilis, et adhuc tunc illam pro reliqua diei parte servare possunt. *Communis.* (34. Item tenentur abstinere a carnibus in loco domicilii ubi est jejunium, si inde mane discedant, perventuri ad locum ubi non est jejunium, quia tenentur legibus proprii domicilii, quandiu in eo reperiuntur. *Communis.*

(35. Peregrini et advenæ se transferentes in fraudem jejunii de loco ubi viget præceptum jejunandi ad locum ubi non jejunatur, peccant graviter, quia fraus et dolus alicui patrocinari non debent : cap. *Sedes* 15, et cap. *Ex tenore* 16, *De rescriptis*, cap. *Tuæ* 12, *De clericis non residentib.*, cap. *Ex litteris* 2, *De dolo et contumacia*, l. *In fundo*, ff. *De rei vindic.*, l. *Cum hi*, ff. *De transact.*, l. *Si legatarius*, Cod. *De legatis*, cum similibus. *Vide* verb. *Jejunium*, art. 2, n. 29 et 36, ubi solide probatur hæc conclusio, tum ex concilio Mediolanensi, tum ex constitutione Clementis X, incipient. *Superna*, tum ex ratione intrinseca, plurimis etiam adductis doctoribus. (36. *Vide* etiam verb. *Impedimenta matrimonii*, art. 2, n. 98, ubi affertur decretum Urbani VIII confirmativum decreti sacræ Congreg. Conc. in quo declaratur nullum matrimonium illorum qui, in fraudem legis, e loco proprii domicilii ubi est publicatum concilium Tridentinum, non mutato realiter domicilio, transeunt ad locum ubi non est publicatum Tridentinum, eo solo animo et fine, ut absque parocho et testibus contrahant.

(37. Peregrini autem et advenæ qui de loco ubi jejunatur, non in fraudem jejunii, sed bona fide, v. gr., peregrinationum causa, transeunt ad loca, seu per loca ubi non jejunatur, non tenentur jejunare, quia lex illa jejunii est affixa loco. *Vide* dict verb. *Jejunium*, art. 2, n. 31. (38. Sic qui, non in fraudem jejunii, sed peregrinationum, aut negotiorum causa, de loco proprii domicilii ubi, ob discrepantiam novi et veteris kalendarii, nondum est incepta Quadragesima, pergit ad locum ubi per hebdomadam est Quadragesima jam incœpta, et observatum jejunium, non tenetur illo anno jejunare illic per adhuc alios octo dies Paschæ ad complendam integram Quadragesimam, sed potest licite se accommodare moribus eorum apud quos est. *Vide* d. verb. *Jejunium*, n. 32 (9). (39. E contra vero si talis in loco sui domicilii complesset Quadragesimam,

(9) Lucius Noster cum suis probabilistis opinatur eum qui in loco domicilii Quadragesimam jejunando absolverit, non teneri ad jejunium, si in locum veniat ubi nondum expletum Quadragesimale jejunium sit, ob diversum Kalendarium ibi usurpatum : contra vero eum qui in loco domicilii octo, vel decem dies jejunare adhuc debuisset secundum illius kalendarium, non teneri ad jejunium, si ad locum venerit ubi Quadragesima transacta, ac Pascha celebratum sit. Non video quomodo hæc duo invicem cohæreant. Si in loco ad quem perrexerit peregrinus christianus, jejunandum sit, non tenetur sese conformare moribus, ac loci institutis, quia Ecclesiæ præceptum jam implevit; at si ibi non sit jejunandum, potest optime ipse sese accommodare moribus et regionis institutis, etsi, juxta Ecclesiæ præceptum, de Quadragesimali jejunio octo, aut decem dies adhuc jejunare deberet. Nunquid ergo ita sunt cum loco in quo versamur præcepta conjuncta, ut a loco nullo modo pendeant, dum res sit de jejunando, vel festo servando; pendeant vero, dum liberandi homines sint a jejunio, festoque celebran-

Digitized by Google

non teneretur postea alibi observare illos octo dies, quia præceptum illud jam implevit, et Ecclesia tantum obligat ad unam Quadragesimam, dummodo tamen caveat ne alii scandalizentur. *Vide* d. verb. *Jejunium*, n. 33.

(40. An peregrini et advenæ exeuntes e loco ubi est festum de præcepto, transituri ad alium locum ubi non est festum, teneantur ante discessum audire missam? Variant doctores; auctores enim 18 apud Pasqualigum *De sacrificio*, qu. 1296, teste La Croix, l. II, tr. 2, cap. 2, dub. 2, n. 684, tenent partem affirmativam. Alii autem undecim apud eundem Pasqualigum, Busemb., et varii alii tenent absolute partem negativam. At placet distinctio quam multi alii afferunt: vel enim antequam discedant e suo territorio, nullum ibi celebratur sacrum; et tunc non tenentur exspectare, sed possunt discedere, et non audire sacrum. Vel antequam discedant, celebratur sacrum, quod sit unicum in tali loco: et tunc ante discessum tenentur illud audire, quia pro tali differentia temporis tenebantur illa die audire sacrum, quod cum ibi supponatur esse unicum, non poterat ibi audiri alia hora, adeoque tenebantur illud audire ante suum discessum, cum ante suum discessum eos urgeret præceptum audiendi illud unicum sacrum tali tempore celebratum. Vel tandem in loco a quo discedunt, celebrantur plura sacra; et tunc quamvis unum, vel duo sacra celebrentur ante suum discessum, si alia sacra remaneant celebranda, postquam discesserint, non tenentur sacrum audire antequam discedant, quia si ibi mansissent, potuissent licite exspectare aliud sacrum, et etiam ultimum ibi celebrandum, adeoque cum ante elapsum tempus illius sint deobligandi, eo quod migraturi sint in aliud territorium in quo non est talis obligatio, etiam non tenebuntur prævenire. Et ratio est quia, quando præcipitur auditio sacri, subintelligitur tacita conditio, si toto illo tempore, quo sacra celebrantur, permanserit quis in loco diei festi, et consequenter subditur præcepto; in supposito autem nostro casu tales peregrini et advenæ non remanent in loco festi pro toto tempore quo sacra celebrantur, sed eodemmet mane antequam omnia sacra celebrentur, exeunt fines illius loci, et perveniunt ad alium locum ubi non currit festum de præcepto, adeoque, etc. Sic Sanchez, Lessius, Castropalaus, Bonacina, Henriquez, Præpositus, Amicus, Reiffenstuel, Delbene, Moya, Illsung, aliique multi apud La Croix *loc. cit.*, n. 684, et Kasenberger, *loc. cit.*, n. 252 (10).

(41. Tenentur tamen tales peregrini et advenæ ante discessum a territorio, ubi currit festum, toto illo tempore quo permanent, ibi abstinere a labore servili, quia hoc præceptum obligat divisibiliter pro qualibet parte notabili totius diei. Paulus Mezger, tract. 8, dis. 33, art. 5, § 4, n. 28; Kazenberg., loc. cit., n. 252, et alii passim.

(42. Cum autem pervenerint ad locum ubi non est festum, dummodo illuc non se contulerint in fraudem legis, possunt laborare, quamvis in loco sui domicilii, propter peculiare festum ibi currens, debeant ex præcepto abstinere a labore servili; statuta enim et consuetudines locales sunt veluti loco affixæ, adeoque tale peculiare festum sui domicilii non ligat ipsos, dum existunt sine fraude legis extra districtum dicti sui domicilii. Lessius, lib. IV *De justitia et jure*, cap. 2, n. 55; Navarr., capit. 13; *Manualis*, n. 5; Reiffenstuel., *Theol. moral.*, tractat. 2, *De legibus*, dist. 3, quæst. 4, n. 33, et alii passim. Vide dicta supra a n. 34 ad 36.

(43. Peregrini et advenæ tenentur ad leges locales in celebratione contractuum, cap. *Licet* 20, *De foro competent.*, leg. *Hæres absens*, et leg. *Omnem obligationem*, ff. *De judiciis*. (44. Unde si sponsus et sponsa e loco ubi non est promulgatum Tridentini concilii decretum de contrahendo matrimonio coram parocho et testibus, peregrinentur ad locum ubi est promulgatum, tenentur contrahere coram parocho et testibus; alias matrimonium esset invalidum, eo quod semper sit habenda ratio loci ubi matrimonium per verba de præsenti contrahitur, *Communissima*, et sic declarasse sacr. Con-

do, secundum ecclesiasticam legem? (*Vide* quæst. hanc a nobis tractatam tom. II *Theologiæ moral.* Patris Antoine pag. 58, edit. Romanæ, an. 1757, ubi Verricellum id asserentem, quod Ferraris tuetur, confutavimus.)

(10) Vide, amice lector, quam stupendum sit horum theologorum studium, ut homines a legibus solvant! Peregrinus et advena loco discessurus ubi festum celebratur, si una tantum in eo celebranda sit missa, eam audire tenentur, dum ante ipsorum discessum celebretur. Si vero plures adsint celebrandæ ibi missæ, licet duæ, aut tres celebrentur ante eorum discessum, nullam audire tenentur. Ubi majus est satisfaciendi præcepto commodum, ibi minor, imo nulla obligatio est. Quis id in animum inducat suum, dum recte cogitet? Audi ergo Antoine, pag. 40, tom. supracit, qui hanc ait esse praxim, et persuasionem fidelium timoratorum, ut ante discessum a loco præceptum audiendi sacrum impleant, si prævideant postea impeditum iri, ac revera ita agere tenentur, quia lex peregrinum illum obligat: tempus vero quo adhuc in suo domicilio versatur, unicum est ei aptum ad illam observandam: quare perinde est ac si eo solo tempore obligaretur. Quisque vero tenetur servare præceptum quo astringitur. Rursus præceptum affirmativum debet impleri quando potest, præsertim si prævideatur postea non implendum; neque enim temporis spatium concedit, pro quo differri possit ejus observatio; sed obligat ut, quam primum potest, observetur, si postea non possit impleri, alioquin non esset satis efficax, et sæpe eludi posset; ita sapientiss. Suarez. « Hinc qui abit die festi ad locum ubi non est festus, tenetur audire sacrum priusquam exeat, si possit absque gravi incommodo, et nequeat alibi audire, sicut si non exiret, teneretur audire primam missam, si prævideret postea impeditum iri. Quia præceptum obligat simpliciter eo die, et non potest impleri, nisi audiendo primam missam: nam hic et nunc, et respectu talis hominis, illa est unica, et præsens hora est ultima ipsi apta ad implendum præceptum. » (Hæc Antoine.)

Digitized by Google

greg. Concilii referunt Wamesius in *Concil.*, tom. II, cons. 530; Pignatell., tom. V, cons. 79, n. 33: La Croix, l. VI, part. III, n. 714.

(45. Peregrini et advenæ tenentur ad leges locorum ubi reperiuntur, quando tales leges latæ sunt specialiter ob bonum commune illorum locorum, uti sunt, v. gr., leges quæ prohibent ne certæ merces ex oppido evehantur, ne certæ pecuniæ expendantur, ne certa genera armorum deferantur, et hujusmodi; aliter si ipsas leges scienter transgrederentur, possunt puniri, ac alii inquilini, cum tunc ratione delicti fiant subditi, et sortiantur forum loci ubi delinquunt. *Communis*, per textum in cap. *Postulasti* 14, et cap. *Licet* 20, *De foro competent.*, cap. *De illis* 1, *De raptoribus*, et cap. *Placuit* 6, qu. 3, et Authent. *Quia in provincia*, Cod. *Ubi de criminibus agi oportet*, ubi sic expresse habetur: « Qua in provincia quis deliquit, aut in qua pecuniarum, aut criminum reus fit, illic etiam juri subjaceat. »

(46. An vagi, seu vagabundi, qui nullibi habent domicilium, obligentur legibus et consuetudinibus locorum per quæ transeunt, vel in quibus hospitantur, variant doctores. Affirmant enim Sotus, Suarez, Mastrius, Herincx, Mezger, Bonacina, Mendo, Felix Potestas, et alii plures; arg. cit. cap. *Postulasti* 14, *De foro competent.*, cum aliis numero antec. allegatis, et cit. Authent. *Qua in provincia*, Cod. *Ubi de criminibus agi oportet*. Vagi enim seu vagabundi possunt a loci magistratu capi, atque puniri, nedum ob delicta in loco talis magistratus commissa, sed etiam ob delicta alibi perpetrata, unde colligitur eos in quovis loco ubi hospitantur, sortiri forum, ac eisdem legibus subjici, alias nullis legibus localibus ligarentur, quod esset absurdum. (47. Unde parochus proprius vagorum seu vagabundorum in ordine ad matrimonium, est parochus illius loci ubi vagi actu versantur. Sanchez, l. IV, disp. 20 n. 5, 8 et 11; Pirhing. l. IV, dec., tit. 15, n. 19; Reiffenst. *loco cit.*, n. 88, et alii communiter. *Vid.* verb. *Impedimenta matrim.*, art. 2, n. 78, et verb. *Vagus*, seu *Vagabundus*, n. 4.

(48. Multi alii tamen, ut Lessius l. IV, c. 2, dub. 7, n. 49; Laymann *De leg.*, I, tract. 4; cap. 12., n. 7; Busemb., lib. I, tract. 2, cap. 2, dub. 3, cum pluribus aliis ibi citatis; Kazenberger, cit. cap. 1, sect. 3, n. 258; Sayrus, et alii satis probabiliter docent eamdem esse rationem vagorum, quæ peregrinorum, ut scilicet vagi, seu vagabundi obligentur, vel non obligentur illis legibus particularibus locorum per quæ transeunt, quibus obligantur, vel non obligantur peregrini, seu advenæ. Et ratio istorum est, quia sunt tantum quatuor modi ordinarii, seu speciales sortiendi forum, scilicet, vel ratione delicti, vel ratione contractus, vel ratione domicilii, vel ratione rei, sive possessionis sitæ in territorio, textu expresso in cap. *Licet* 20, ex. *De foro compet.*, ibi: « Ratione delicti, seu contractus, aut domicilii, sive rei de qua contra possessorem causa movetur, forum regulariter quis sortitur. » Vagi autem, seu vagabundi nullo horum modorum subjecti sunt, ut supponitur, adeoque non sortiuntur forum in locis per quæ transeunt, et consequenter nec obligantur illorum particularibus legibus. Unde vagi et vagabundi transeuntes per locum in quo sit particularis lex jejunandi, seu festandi, et audiendi sacrum, possunt ibidem, secluso scandalo, comedere carnes, labori servili se applicare, et missam non audire. Et ad rationem prioris opinionis respondent, quod per consuetudinem est introductum, ut etiam vagi, seu vagabundi, cum proprium judicem non habeant, puniri possint ubicunque reperiantur, ne eorum crimina omnino impunita maneant, ex quo tamen non sequitur eos simpliciter et in omnibus sortiri forum, sive jurisdictionem et leges loci in quo existunt; nec est absurdum quod nullis specialibus locorum legibus teneantur, quia ipsi adhuc tenentur servare leges communes, seu juris communis, imo etiam illas ex municipalibus quæ respiciunt specialiter bonum commune illius loci per quem transeunt, uti dictum est supra n. 44, *De peregrinis et advenis*. Item servare tenentur leges illas particulares quæ concernunt contractus, uti dictum est supra n. 42 et seq., et ideo, ut dicebatur supra sub n. 46. Parochus proprius vagorum et vagabundorum in ordine ad matrimonium, est parochus illius loci ubi vagi actu versantur, et sic de similibus.

Romani theologi nota.

Si vagi non tenérentur legibus locorum in quibus versantur, dici posset, nec ulla lege etiam communi vivere posse, cum locus dari queat in quo communis lex non vigeat, ut optime animadvertunt doctissimi censores. Suntne hæc æquo animo ferenda? Itaque vagi leges servare debent etiam speciales locorum in quibus versantur. Primum quia peregrini et vagi, eo ipso quod exeunt ex proprio territorio, solvuntur ab illius legibus; dum ergo ingrediuntur territorium alienum, subjecti illius legibus fiunt, præsertim cum gaudeant illius privilegiis, et qui sentit commodum, et onus sentire debeat, ex *Reg. juris* 55, in 6. Deinde peregrini et vagi subjiciuntur regimini, et jurisdictioni territorii ratione suæ præsentiæ in illo; nam, juxta omnes, quibusdam legibus subditi sunt, v. g., ne quis noctu arma ferat, ne triticum afferat, ne peregrinus ultra triduum commoretur, etc.; ergo titulo subjectionis etiam vagi leges servare debent territorii in quo degunt, ac vere subditi sunt principis illius territorii transeunter, et actu, alioquin nec legibus supradictis astringerentur. Præterea pax, ordo ac bonum commune postulat ut leges locales serventur ab omnibus qui in territorio versantur, quandiu in illo morantur; et princeps, cum potestatem habeat ad bonum commune, et rectum ordinem tuendum, non videtur dubitandum quin suis legibus etiam vagos in eodem commorantes obligare velit. Vide S. Augustinum in *Epist.*

Digitized by Google

ad Januarium, et lib. II *Confession.*, cap. 8, ubi ita rem comprobat : « Quæ contra mores hominum sunt flagitia, pro morum diversitate vitanda sunt, ut pactum inter se civitatis, aut gentis consuetudine, vel lege firmatum, nulla civis, aut peregrini libidine violetur. Turpis enim omnis pars est suo universo non congruens. »

Responsio auctoris.

Advertendum est quod relata hic opinio de vagis seu vagabundis impugnata a Theologo, non est mea, sed doctorum *ibi* adductorum, ut clare patet ex verbis meis, dico enim : « Et ratio istorum est; » sed mea vera opinio est illa a me conclusa antea sub n. 46 et 47, ubi, adductis juribus et auctoribus pro illa tuenda, concludo sic : « Unde colligitur eos in quovis loco ubi hospitantur, sortiri forum, ac ejusdem legibus subjici, alias nullis legibus localibus ligarentur, quod esset absurdum : Unde parochus proprius, etc. » Et relata opinio auctorum sub n. 48 est tantummodo ad eruditionem, ut legentes sciant quid etiam alii sentiant, relinquendo interim unamquamque opinionem hujusmodi etiam ex supra traditis, et a Theologo notatis in suo probabilitatis gradu, juxta tradita a recol. mem. Benedicto XIV in constit. incip. *Sollicita ac provida*, § 17, ubi expresse sic habet : « Hoc de cætero cogitantes, non paucas esse opiniones quæ uni scholæ, instituto, aut nationi certo certiores videntur; et nihilominus sine ullo fidei ac religionis detrimento ab aliis catholicis viris rejiciuntur, atque impugnantur, oppositæque defenduntur, scienteque ac permittente Apostolica Sede, quæ unamquamque opinionem hujusmodi in suo probabilitatis gradu relinquit (11). »

* Porro « certum est legibus communibus totius Ecclesiæ ubique locorum teneri peregrinos et advenas christianos, cum semper subsint jurisdictioni Ecclesiæ, ubicunque existant. Sic quilibet peregrinus tenetur ad jejunia Quadragesimæ, et vigiliarum, atque ad audiendam missam diebus dominicis, festivisque, quia hæc sunt de præcepto totius Ecclesiæ.

« Certum insuper est illum qui migrat aliorsum, fixurus ibidem domicilium, mox teneri legibus illius loci, cum primum incipit ibidem degere; nam extunc incipit esse incola illius loci. » Reiffenst. *De legib.*, q. 3, n. 20 et 21.

Ille vero acquirit quasi domicilium, qui manet in aliquo loco per majorem partem anni; vel qui ibi moratur per aliquod notabile tempus, cum animo ibi manendi majori parte anni, ut recte aiunt Roncaglia, Laymann, et Summus Pontifex Benedictus XIV, *Inst. Eccl.*, 33, n. 6 : et communis sententia tenenda docet, quod talis contrahens quasi domicilium, teneatur legibus loci ubi est.

« Non tenentur absentes ad leges patriæ, ut communissimum est ex c. *Ut animarum*, *De constit.*, in 6. Etiamsi lex sit de jure communi, quando peregrinus est in loco ubi illa abrogata est... et hoc etiamsi discederet a patria ad eximendum se a lege. Hinc docet Palaus cum Basilio posse peregrinum qui nolit confiteri peccata reservata proprio parocho, alio discedere, ut ab alio absolvatur; quia tunc utitur jure suo. Et hoc etiam valet, si ille maneat in sua patria, sed in loco exempto.... An vero pro locis exemptis intelligantur etiam conventus regularium? Negant Suarez, Con. apud Salmat..... Sed dicunt intelligi tantum oppida, et Ecclesias intra diœcesim, alienæ tamen jurisdictioni subjectas. Sed affirmant Salmanicenses.... quia tam loca, quam personas Tridentinum exemptas appellat, sess. XIV, cap. 5, *De reform.*, in fin., et valde probabile est. »

Unde resolves : « Si episcopus, sub pœna

(11) Præstat hac in re audire D. de Ligorio, ita scribentem : « An, si quis in aliquo loco ad breve tempus moretur, teneatur leges illius servare? Prima sententia affirmat, et hanc tenent Pontius, Suarez... etc. Probant 1. ex c. *Illa*, dist. 20, ubi refertur illud celebre D. Ambroisii : « Cum Romam venio, sabbatum jejuno; cum Mediolani sum, non « jejuno; sic, et tu, ad quamcunque Ecclesiam veneris, ejus morem serva; si cuiquam non vis esse « scandalo, nec quemquam tibi. » Probant 2 ratione, quia expedit, ad pacem publicam servandam, et ad scandalum vitandum, ut omnes servent leges loci ubi reperiuntur, uti colligitur ex relata doctrina Ambrosii : et saltem, ratione dicti scandali vitandi, ut ait Suarez, episcopus loci jurisdictionem habet in peregrinos..... Hæc sententia est satis probabilis.

« Sed probabilior videtur secunda, quæ dicit advenam non teneri legibus loci ubi non moratur, nec intendit morari per majorem anni partem (*siquidem per majorem partem anni quis alicubi manendo, acquirere in eo loco quasi domicilium tenent Silvest. v. *Domicilium*, Sanchez, *De matrim.*, lib. III, disput. 18, n. 9 *). Ratio, tum quia leges non obligant, nisi subditos, quales non sunt peregrini, cum ipsi ob brevem illam moram minime subjiciantur jurisdictioni superioris loci, ut habetur ex citat. 1. *Hæres absens;* tum quia non dicitur moraliter commorari in aliquo loco ubi non manet, nec animum manendi habet per majorem partem anni. Ad textum autem D. Ambrosii, respondetur 1° illum procedere tantum, ubi vitandum est scandalum. Respondetur 2° S. doctorem loqui ibi de lege communi servandi jejunii, quod Mediolani non servatur in primis quatuor diebus Quadragesimæ; sed lex communis utique servanda est a peregrinis, quando absunt a patria ubi lex illa non servatur, ut ex communi sententia docent Suarez, Laym., etc., quamvis tamen Laym. non improbet oppositam Sanchezii, qui, *De matr.*, *l. c*, n. 7, ait cives mox in patriam redituros, per fiction. juris, pro præsentibus haberi.

« Limitatur vero hæc secunda sententia 1. in legibus de jure communi, vel circa solemnitates contractuum, aut circa commoda ipsius loci, v. g. de non extrahendo triticum, arma, etc. 2. Limitatur si eædem leges vigeant in patria peregrini, licet Sanctius cum Diana huic contradicat. 3. Limitatur, si peregrinus ibi delinquat contra jus commune, tunc enim fit subditus ratione delicti, ex c. *Finali*, *De foro competenti.* » D. de Ligorio, *De natur. et obligat. legis*, n. 156. — Et sic, ex eod., D. de Ligor., *l. c.*, n. 139 et seq. vagi et peregrini non tenentur (salvis limitat. ut etiam apud. Auct. sub n. 43, etc.) præceptis special. locorum ubi morantur.

Digitized by Google

excommunicationis, vetet lusum aleæ, non obligantur clerici ludentes in loco exempto a jurisdictione episcopi.» Bonac., Laymann.

« Si quis die jejunii aut festo sit in loco alio, non sui territorii aut exempto ubi tunc non est jejunium aut festum, potest ibi comedere, exercere servilia. » Laymann, Bonac.

« Id etiam habet locum in præceptis juris communis, si in loco isto sint usu abrogata, vel non recepta, vel habeatur privilegium. Quare potes, v. g. Mediolani primis quatuor diebus Quadragesimæ vesci carnibus; item in loco ubi Tridentinum non est receptum valide (etsi non licite) inire matrimonium clandestinum. » Suarez, Sanchez, Less.

« Hic magna quæstio occurrit disceptanda, an peregrini possint dispensari ab episcopo loci ubi sunt, tam in legibus communibus (puta jejunii, vel abstinentiæ ab opere servili), quam in votis et juramentis? Adsunt quatuor sententiæ. Prima... affirmat universe tam pro legibus, quam pro votis... Secunda sententia prorsus opposita... dicit quod peregrinus, quoad usque acquirat alicubi verum domicilium, nunquam subditus est censendus, et ideo nec tenetur ad leges loci, nec potest dispensari in legibus communibus, neque in votis, aut juramentis ab illius episcopo.... Tertia sententia censet peregrinum adhuc transeuntem bene posse dispensari ab ordinario loci in legibus etiam communibus, quia ipse quoad leges bene subditur jurisdictioni illius superioris, non autem quoad vota et juramenta... Quarta sententia communissima... cui subscribimus tenet posse peregrinum dispensari ab episcopo loci, non solum in legibus, sed etiam in votis et juramentis, modo ibi sit animo permanendi per majorem anni partem. Ratio, quia ex illa diuturna habitatione contrahitur quasi domicilium.... Et idem sentit Sanchez.... quoad dispensationem facultatum concessarum episcopis a Tridentino in cap. 6, *Liceat.*, sess. XXIV *De reformat.* » Ex D. de Ligorio *De natur, et obligat. legis*, n. 156 et 157.*

(49. Clerici et regulares nullatenus tenentur ad leges civiles quæ sine Apostolica approbatione de personis, locis, et rebus ecclesiasticis specifice, hoc est expresse, vel nominatim disponunt; etiamsi eorum commodum, vel favorem contineant, et tanto minus, si contineant eorum præjudicium et incommodum. *Communissima*, textu expresso in cap. *Quæ in Ecclesiam* 7, et cap. *Ecclesia Sanctæ Mariæ* 10, *De constitutionibus*, ibi : « Nos attendentes quod laicis, etiam religiosis, super ecclesiis et personis ecclesiasticis, nulla sit attributa facultas, quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi, a quibus, si quid motu proprio statutum fuerit, quod ecclesiarum etiam respiciat commodum et favorem, nullius firmitatis existit, nisi ab Ecclesia fuerit approbatum. Unde statutum Basilii de non alienandis prædiis rusticis, vel urbanis, ministeriis, et ornamentis ecclesiarum, illa reprobatum fuit potissimum ratione, quod auctoritate non fuit Romani Pontificis roboratum : » et concordat cap. *Bene quidem* 1, dist. 96, cum similibus. Et ratio est clarissima, quia lex lata sine jurisdictione, seu erga non subditum, vim obligandi non habet, cap. *A nobis* 21, *De sentent. excommun.*, cap. *Ut animarum* 2, *De constitutionibus*, in 6, et l. ultim., *De jurisdiction. omnium judic.*, cum similibus. Personæ autem ecclesiasticæ, ac ecclesiæ, earumque res sunt exemptæ a jurisdictione sæculari, gaudentque privilegio fori, et immunitate ecclesiastica; cap. ultim. *De rebus Eccles. non alienand.*, cap. *Nimis*, *De jurejurando*, cap. *Non minus*, *De immunit. Eccles.*, cap, *Quanquam*, *De censibus*, in 6, cum similibus; et patet ex dictis verb. *Clericus* art. 2, verb. *Forum*, seu *Forus*, et verb. *Immunitas*. Adeoque, etc.

(50. Clerici et regulares, quoad vim coactivam, nec tenentur legibus civilibus, et statutis laicorum, quæ non specifice, seu non expresse, vel nominatim disponunt de ecclesiis, rebus et personis ecclesiasticis, sed generaliter, seu communiter ob publicam utilitatem, seu necessitatem quidpiam præcipiunt, ac prohibent, quamvis id non repugnet statui clericali, aut immunitati ecclesiasticæ. *Communissima*, textibus claris in cap. *Bene quidem* 1, cap. *Denique* 5, cap. *Satis evidenter* 7, cap. *In scripturis* 8, cap. *Quis dubitet* 9, cap. *Si imperator* 10, cap. *Nunquam* 11, dist. 96, cap. *Decernimus* 2, cap. *At clerici* 4, cap. *Clerici* 8, et cap. *Qualiter* 17, *De judiciis*, cap. *Sæculares* 2, *De foro competent.*, in 6., et cit. cap. *Ecclesia Sanctæ Mariæ*, ibi : « Nos attendentes quod laicis, etiam religiosis, super ecclesiis et personis ecclesiasticis, nulla sit attributa facultas, quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi, etc., » cum similibus. Clerici enim et regulares, ob privilegium fori ipsis competens, sunt omnino exempti a jurisdictione sæcularium; adeo « ut nihil commune clerici cum publicis actionibus, vel ad curiam pertinentibus, cujus corpori non sunt annexi, habeant, » ut fatetur ipsemet imperator in l. *Placet*, cod. *De episcop. et cleric.*

(51. An autem clerici et regulares teneantur dictis legibus civilibus, et statutis laicorum quoad vim directivam? Non satis conveniunt doctores. Plurimi enim docent clericos et regulares teneri dictis legibus, quoad vim directivam, si non directe, et per se, saltem indirecte, et per accidens. Ita Abbas in cap. *Ecclesia Sanctæ Mariæ* 10, *De constitutionibus*, n. 13; Fagnan., *ibidem*, n. 29, cum multis ibi citatis; cardin. de Luca, tom. I, disc. 8, *Miscellanei ecclesiastici*, n. 6; Mastrius, *Theolog. Moral.*, disp. 2, qu. 4, art. 4: Kazenberger, loc. cit., n. 232, ubi testatur de communi; Suarez, lib. III, *De legib.*, capit. 33, n. 6; Bellarmin., lib. I, *De clericis*, cap. 28; Covarr., *Practicar. quæst.* cap. 33, n. 7; Reiffenstuel, lib. I *Decret.*, tit. 2, n. 301 et sequent.; Pirhing, *ibid.*, n. 79, testans ita tenere communiter canonistas et theologos. Et ratio est quia, licet clerici,

Digitized by Google

et regulares nequeant obligari a dictis legibus civilibus, et statutis laicorum ex vi propria ipsarum legum, seu statutorum ob defectum jurisdictionis in clericos et regulares, quod quidem requiritur ad obligationem directivam directam, et per se, ex notatis supra n. 16 et 19, tamen obligantur a dictis legibus vi directiva indirecte et per accidens, in quantum, positis dictis legibus civilibus pro bono communi reipublicæ latis, tenentur ad earum observantiam ex ratione naturali, cui leges illæ innituntur, ipsaque naturali æquitate dictante, quod pars non debeat discordare a toto : « Nam turpis est omnis pars suo universo non congruens, » ut expresse dicitur cap. *Quæ contra* 2, dist. 8. Tum etiam obligantur ad earumdem observantiam ex jure naturali et divino de vitando scandalo proximi, quod nimis facile eveniret, si sæculares viderent clericos, qui potiori perfectioni sunt obligati, et alios ad integram legum observantiam alioquin exhortantur, palam, et libere ipsas leges transgredientes, seu negligentes; tum pariter ad ipsarum observantiam obligantur ex auctoritate sanctæ matris Ecclesiæ, ejusmodi leges pro bono publico approbantis, seu recipientis; cap. *Si in adjutorium* 7, dist. 10, c. *Intelleximus*, *De novi operis nuntiatione*, ubi Lucius tertius Summus Pontifex expresse dicit : « Sicut leges non dedignantur sacros canones imitari, ita et sacrorum statuta canonum principum constitutionibus adjuvantur. » Unde in defectum canonum recte allegantur hujusmodi leges civiles in utroque foro, videlicet tam canonico, quam civili, et ipsis legibus civilibus pluries sunt usi ipsimet Summi Pontifices, ut patet in cap. 1 et 2 *De novi operis nuntiatione*, et sæpe alibi, et ideo in cap. *Super specula* 28, *De privileg.*, notanter dicitur, « quod sancta Ecclesia legum sæcularium non respuat famulatum, quæ æquitatis et justitiæ vestigia imitantur. »

(52. Alii autem, ut Navarrus, consil. 3, *De const.*, n. 4, cum quibusdam aliis ibi citatis; Decius in d. cap. *Ecclesiæ Sanctæ Mariæ* 10, *De constitionib.*, n. 24, tenent quod leges civiles, seu laicales, etiam favorabiles, et generaliter loquentes, non includant, et obligent clericos et regulares, si præcipiendo, vel prohibendo loquantur, cui sententiæ favere videtur Sperellus decis. 13, *Fori ecclesiastici*, n. 4 et sequent., ea motus ratione, quod clericorum actiones sint extra sphæram activitatis, et jurisdictionis, etiam directivæ, principum sæcularium; cum clericorum et regularium directio ad suos pertineat prælatos; cap. *Si imperator* 11, dist. 96, cum similibus. Idem tamen sub n. 10, exemplificans de statuto, seu edicto laicali taxante justum pretium frumenti, vini, aliorumque victualium ad vitam necessariorum, dicit cum aliis ibi citatis, quod, licet ex defectu potestatis, clericos non comprehendat; tamen, illo statuto posito, debent clerici taxatum pretium non præterire, non quidem obligatione orta ex vi statuti, seu edicti sæcularis, sed ex vi juris naturalis, ac divini præcipientis ne quis ultra justum pretium vendat; quale justum pretium dignoscitur, vel ex communi cæterorum hominum consensione, vel ex legis, seu statuti declaratione, vel aliunde; ad quam notitiam justi pretii per accidens est, ut ex principis declaratione perveniamus; adeoque est ratio naturalis, vel divina, quæ, posito statuto, clericos dirigit; non autem lex principis, quæ illos nullatenus dirigere potest, ut ibi, multis citatis, subjungit, postquam dixerat quod vendentes ultra pretium a statuto taxatum, quatenus faciunt contra justitiam, tenentur ad restitutionem; quatenus vero contra rationem, ac legem divinam, mortaliter peccant, plures ad hoc citans doctores. Unde sub n. 13 concludit quod non peccant contra legem principis laici, sed contra regulam charitatis et justitiæ, qua jure divino, et naturali tenentur ad ea observanda, quæ ad convenientem reipublicæ ordinem, gubernationem, conservationem, et pacem sunt necessaria; et ita vult esse intelligendos doctores, qui docent clericos vi directa teneri ad observantiam talium et similium legum principum sæcularium.

(53. Hinc in praxi ad bonum publicum promovendum, et peccatorum pericula, aliave mala evitanda, consultissimum et maxime opportunum est, quod prælati, seu superiores ecclesiastici, tempore caritatis, pestis, aut alterius publicæ necessitatis, coadjuvent similibus suis edictis principum sæcularium proclamata, ut notant Navarrus cap. 23 *Manual.*, n. 88; Azorius, part. 1, dub. 5, cap. 12, in fine; Sperell., decis. 13, *Fori ecclesiastici*, n. 14; Reiffenst., *lib. 1 Decretal.*, tit. 2, n. 310, et alii plures. Et de facto id practicavit sanctus Carolus Borromæus, cardinalis zelantissimus, et vigilantissimus archiepiscopus Mediolanensis, qui cum a gubernatore illius urbis per litteras requisitus fuisset, ut cogeret clericos ad observandum edictum a se pro publica utilitate conditum, die 27 Aprilis 1576, eidem in hæc verba rescripsit : « Hoc Excellentiæ vestræ, quam paterna charitate unice in Christo diligimus, primum persuasum esse debet, in Ecclesia Dei novum atque insuetum esse, et canonum sanctionibus, sanctæque Ecclesiæ immunitatis ratione alienum, ecclesiasticos edictis ejusmodi laicorum principum, magistratuumve servandis astrictos teneri, ad eaque exsequenda per episcopos compelli. » Nihilominus, ut publicæ utilitati melius, et opportunius consuleretur, statim et ipse super eodem negotio edictum a se confectum promulgari fecit, prout patet ex eadem sua epistola, ibi : « Nihilominus tamen nos, non ut decreta laici principis exsequeremur, sed ut in re quæ ad utilitatem publicam spectare aliquo modo posse videtur, omni cautione uteremur, superioribus proximis diebus, pro nostro pastorali munere, de ea ipsa Orizæ ratione, tum edictum auctoritate nostra confectum promulgari jussimus, tum alia, prout expedire censuimus, opportuna officia adhibuimus, » etc. Sic refert Sperellus dec. 12, n. 20, et dec. 13,

Digitized by Google

n. 34, et latius legitur post consil. 1000 Menochii.

(54. Et hoc itidem est de mente sacræ Congregationis Episcopor. et Regular. quæ, teste Sperello, cit. dec. 43, n. 14, pluries ordinariis locorum rescripsit, ut quoad annonam, et ad exactionem frumenti conforment se cum ordinationibus magistratuum sæcularium, similes facientes ordinationes, quas postea servari curent, et signanter ita rescripsit D. Nuntio Neapolitano sub die 13 Septemb. 1591, et 23 Augusti 1595, domino episcopo Parmensi de anno 1599, et alias passim. (55. Et sæpe sæpius quoad hæc et similia idem rescripsit, et decrevit sacra Congregatio Immunitatis, ut patet ex variis decretis adductis verb. *Frumentum*, et ex aliis, quæ hic ad litteram dantur, prout referuntur a D. Petro Andrea Riccio in sua *Synopsi*, verb. *Edicta laicalia*, et verb. *Edicta ecclesiastica*, ibi : (56. Edicta, et banna eminentissimi legati comprehensiva ecclesiasticorum, tum sæcularium, tum regularium, sunt repugnantia immunitati et libertati ecclesiasticæ, et injungitur, ut ea revocet. Ferrar. 18 Octob. 1633, lib. II *Decr.*, *Paul.*, p. 175.

(57. Edicta sanitatis publicata a laicis contra ecclesiasticos tempore contagionis, et simul continentia pœnas, etc., revocantur tanquam contraria immunitati, et jurisdictioni ecclesiasticæ, et injusta, et ideo tanquam nulla, irrita et invalida censuit, et declaravit sacr. Congr. quæ tamen injungit episcopis, ut dicto tempore contagionis, summa concordia, et diligentia eorum Tribunalia una cum sæcularibus publicæ sanitati et securitati incumbant, et communibus consiliis hanc rem gerant. *Neapolitana*, *et Mediol.* 10 Jul. 1657, *Lib. decr.* Rocci, pag. 16, 18.

(58. Edictum magistratus sanitatis tempore suspicionis pestis comprehensivum omnium ecclesiasticorum, est revocandum, et episcopus debet se conformare, seu se unire potestati laicæ, edendo edictum pro eo, quod respicit ecclesasticos. *Mantuana* 11 Novemb. 1679, lib. II *Decr.* Altovit., pag. 1870. Hoc edictum magistratus pie reformavit opera episcopi ad formam debitam canonicam, in eadem 20 Jan. 1680, lib. II *Decr.* Altov., pag. 1910.

(59. Senatus Mediolanen. revocat edictum sanitatis tempore contagionis editum, læsivum immunitatis, et jurisdictionis eccles. ut ex litteris dicti senatus ad Sanctissimum, et ex brevi Sanctissimi eidem senatui patet. *Mediolan.* 26 Febr. 1658, *Libr. decret.* Rocci, pag. 65.

(60. Edictum laicorum prohibens extractionem frumenti, et similium, episcopus revocet per decretum registrandum in actis suæ curiæ ad perpetuam rei memoriam, et deinde publicet denuo aliud edictum prohibens ecclesiasticis talem extractionem, ad formam edicti publicati a laicis, nulla tamen facta mentione de illo. *Parmen.* 26 Martii 1658; *Lib. decr.* Rocci, pag. 80.

(61. Edictum principis laici prohibens ecclesiasticis extractionem bladarum, et animalium, ac venditionem ipsorum sine ejus licentia, delendum, et ad hoc ser. ser. Princeps est cogendus. *Sarzanen.* 17 Dec. 1624, *Lib. script. veterum*, p. 46.

(62. Edictum, consuetudo, vel statutum principis sæcularis, quo prohibetur extractio fructuum extra territorium, non comprehendit ecclesiasticos. *Casalen.* 14 Febr. 1628, *Lib. decr.* Paul., p. 84.

(63. Edictum super bladis extrahendis ju dicis laici non comprehendit ecclesiasticos. *Papien.* 10 Septemb. 1629, lib. II *Decr.* Paul., p. 68.

(64. Edictum generale magistratus urbis Alcaniz regni Aragoniæ, prohibens, ex motivo publicæ necessitatis, extractionem frumenti, quoad omnes habitantes, absque exceptione ecclesiasticorum, est irritum, *Cæsaraugust.* 23 Novemb. 1688, *Lib. decr.* Martelli, p. 379.

(65. Edictum per communitatem publicatum super prohibitione pascendi, non comprehendit ecclesiasticos; sed episcopus, ob necessitatem boni publici, hoc idem edicto publico mandare debet. *Sutrina* 13 Augusti 1629, lib. II *Decr.* Paul., p. 2.

(66. Edictum in materia annonæ a laicis publicatum comprehensivum ecclesiasticorum, est moderandum quoad ea quæ tangunt ecclesiasticos. *Mantuana* 3 Martii 1676, lib. I *Decr.* Altov., p. 1212.

(67. Episcopus curet declarari edictum regium quo prohibetur ne quisquam emat, aut vendat res cujuscunque generis sine mensura bullata a communitate, non comprehendere nec directe, nec indirecte ecclesiasticos. *Lycien.* 27 Maii 1687, *Lib. decr.* Martelli, p. 105.

(68. Edictum vulgo *Grida*, jussu ducis N. facta, præcipiens describi omnes personas sui status, non comprehendit ecclesiasticos, nec personas exemptas. *Casalen.* 9 Maii 1690, *Lib. decr.* Martelli, p. 607.

(69. Edictum gubernatoris Mediolani circa omnes censualistas nequit afficere loca pia: *Cremon.* 31 Jul. 1691, *Lib. decr.* Martelli, p. 748.

(70. Edictum regium quoad taxas impositas causa monetæ novæ, non afficit ecclesiasticos. *Aprutina* 1 April. 1695, lib. I *Decr.* Vallemani, p. 180.

(71. Syndicus communitatis potest cogi ad declarandum, quod sub edicto prohibitivo contractionis farinæ non comprehenduntur ecclesiastici ad removenda omnia impedimenta contra ecclesiasticos. *Ruben.* 11 Apr. 1690, *Lib. decr.* Mart., p. 599.

(72. Quoad edicta generalia, quæ poterant afficere ecclesiasticos, publicata a quodam sacerdote ministro baronis, quæ fuerant affixa in prædiis ecclesiasticorum, absque tamen mandato dicti sacerdotis, decernitur, quod prævia declaratione de non comprehendendo ecclesiasticos, et abolitis actis respicientibus affixionem, quatenus adsint, episcopus absolvat ad cautelam dictum sacerdotem; ministri vero publicantes, et affigentes præfata edicta non absolvuntur, nisi prævia revocatione, eo modo, quo fuit

Digitized by Google

facta publicatio. *Oritana* 22 Apr. 1698, lib. II *Decr.* Vallem., p. 149.

(73. Præcipitur confectio novi edicti exclusivi ecclesiasticorum, tam directe, quam indirecte. *Spoletana* 13 Maii 1698, lib. II *Decr.* Vall., p. 154.

(74. Quoad edictum magistratus prohibens tabernariis appendere res venales in columnis porticus, quos ecclesia S. Laurentii habebat jus locandi, episcopus procedat prout de jure. *Imolen.* 4 Maii 1699, lib. II *Decr.* Vall., p. 219.

(75. Jubente sanctissimo, injungitur archiepiscopo Neapolitano publicare edictum pœnale, ne aliqua persona ecclesiastica sæcularis et regularis audeat tempore suspicionis pestis ingredi civitatem Neapolitanam absque speciali licentia in scriptis ejusdem archiepiscopi gratis concedenda. *Neapolitana* 20 Junii 1656, lib. VI *Decr.* Paul., p. 100.

(76. Et injungitur nuntio, ut quinque canonicos Lateranenses, qui fuerunt ingressi, puniat rigorose, nec non abbatem, qui illos recepit. *Ibid.*

(77. Archiepiscopus edere debet edictum separatum ab edicto laicali quoad personas ecclesiasticas, prohibitivum circa immunditias. *Tarentina* 12 Decembris 1651, lib. IV *Decr.* Paul., p. 711.

(78. Episcopus publicet edictum conforme ad statutum civitatis circa qualitatem animalium detinendorum in territorio Spoletano. *Spoletana* 16 Jul. 1686, lib. III *Decr.* Altov., p. 586.

(79. Leges sæculares, sive communes, sive municipales aliquorum locorum, generaliter disponentes circa contractus, aliasque res profanas, si sint favorabiles, extenduntur, et procedunt etiam quoad clericos, et ecclesias, earumque res; secus si sint istis præjudiciales. *Communis* cum Menochio lib. II *De jurisd.*, c. 1, casu 3 et 4; card. de Luca. *Miscellan. Ecclesiast.*, disc. 7, n. 6 et 10; Pirhing. lib. I *Decretal.*, tit. 2, n. 74; Reiffenstuel, *ibid.*, n. 315.

(80. Clericus iniens contractum cum laico, ut valeat contractus, debet observare solemnitatem, et formam a lege sæculari pro tali validitate præscriptam, aliter contractus corruit. Abbas in cap. *Ecclesia Sanctæ Mariæ* 10 *De constitutionibus*, n. 43; Felinus, *ib.*, n. 81; Maranta, disp. 8 *Quæstionum legalium*, n. 33 et 48; Federicus *De senis* cons. 85; Sperellus, dec. 10, n. 3; Reiffenstuel *loc. c.*, n. 342, et alii passim. Et ratio est, quia tali contractui resistit lex sæcularis, utpote inhabilitans laici consensus ad taliter contrahendum; l. *Cum lex*, ff. *De fidejussorib.* adeoque corruit contractus in totum, et nulla ex eo oritur obligatio; cum enim contractus claudicare nequeat, veluti importans ultro citroque obligationem, l. *Labeo*, § *Contractum*, ff. *De verbor. signific.*, neque clericus, quamvis ipse tali legi astrictus non sit, tali informi contractu juvari, et contra laicum uti poterit. (81. Validus tamen est contractus, si clericus, ubi viget talis lex, contrahat cum alio clerico; quia tali casu utraque pars contrahentium est persona non subdita legi sæculari, seu laicali, adeoque non tenetur ad ejus observantiam, cum leges sæculares, seu laicales nequeant astringere, neque sub nullitate actus obligare personas ecclesiasticas, ex quo istæ, vi privilegii fori, sint exemptæ a jurisdictione laicali; c. *Bene quidem* 1, c. *Satis evidenter* 7, cap. *Si imperator* 10, et cap. *Nunquam* 11, dist. 96; c. *Decernimus*, cap. *At clerici* 4, cap. *Clerici* 8, et cap. *Qualiter* 17. *De judiciis*; c. *Ecclesia Sanctæ Mariæ* 10, *De constitutionibus*, cap. ultim. *De rebus ecclesiast. non alienand.*, c. *A nobis* 21, c. *De sententia excommunic.*, c. *Ut animarum* 2, *De constitutionib.*, in 6; cap. *Sæculares* 2 *De foro competent* in 6, l. ult. *De jurisdict. omnium judic.*, cum similibus. Ita Felinus in cit. cap. *Ecclesia Sanctæ Mariæ*, n. 94; Maranta, cit. disp. 8, n. 51; Reiffenstuel, *loc. c.*, n. 343, et alii passim cum Sperello dec. 15, n. 10, ubi dicit hoc esse indubitatum, si in clerici testamento alter clericus sit institutus, vel ab uno clerico fiat donatio in favorem alterius clerici, cum tunc lex laicalis in clericos sic testantes, vel donantes nullam habeat jusrisdictionem, nec ratione rerum, nec ratione personarum.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(82. De legatis, tum studiosis disputari solet, an ii, durante legatione, et peregrinatione studiorum causa, ligati sint legibus illius regionis, in qua morantur?

(83. Quod concernit legatos, eorumque comites, cum considerandi ii haud sint ex sua persona, sed repræsentent absentes a quibus sunt missi, perinde ac absentes illi, haud tenentur jure civili ejus populi, apud quem legationis causa degunt, Voet *Comment. ad Pand.*, lib. I, tit. 3, n. 12.

(84. Quod vero attinet ad studiosos, diversa sane esse debet eorum causa. Etenim cum in his haud militet maxima illa utilitatis publicæ ratio, et jure gentium introducta sanctitas; inde fit, ipsos quoque communi jure censeri, ac parere legibus illius loci, in quo causa studiorum morantur, eo tamen modo, et eatenus, quatenus et peregrinantes alii, dum sunt in territorio, tenentur; idem Auctor ubi supra, n. 13.

ADDITIONES CASINENSES.

Traditis ab auctore sub n. 11 et seqq. et illud adde, nempe, archiepiscopos posse quidem condere novas constitutiones obligantes in sua particulari diœcesi (ibi namque suam propriam habent jurisdictionem, non secus ac alii episcopi); non tamen posse statuere leges obligantes totam provinciam, nisi in concilio provinciali, et de consensu suorum suffraganeorum, seu comprovincialium episcoporum. Patet hoc totum ex can. *Nullus primas*, 7, caus. 9, quæst. 3, ibi : « Si quis metropolitanus episcopus (nisi quod ad suam solummodo propriam pertinet parochiam) sine consilio, et voluntate omnium comprovincialium episcoporum extra aliquid agere tentaverit, gradus sui periculo subjaceat, et quod egerit, irritum habeatur, et vacuum. » Concordat c

Digitized by Google

Sicut olim 25, *De accusat.*, ac .enent Suarez... Sanchez... etc. Reiffenstuel, ad tit. ex. *De constitution.*, § 4, n. 74.

ARTICULUS IV.

Lex quoad ea quæ concernunt intentionem, modum, et tempus eam adimplendi.

SUMMARIUM.

1. In exsecutione operis a lege præcepti duplex potest haberi intentio : una scilicet præstandi opus, quod præcipitur, et alia satisfaciendi legi, seu præcepto per tale opus. — 2. Ad impletionem legis, seu præcepti non requiritur intentio ei satisfaciendi. — 3. Hinc si quis die festo, missam audiat, immemor esse diem festum, is nihilominus satisfacit præcepto, neque necesse est, ut postea intelligens esse diem festum, velit tunc satisfacere per missam jam auditam. — 4. Quamvis autem ad satisfaciendum legi, seu præcepto non requiratur intentio satisfaciendi ipsi legi, seu præcepto, requiritur tamen intentio præstandi opus, quod præcipitur. — 5. Hinc, si quis, curiositatis gratia, aut fine inveniendi amicum, intret in ecclesiam nihil cogitans de missa, quæ interim celebratur, is non satisfacit præcepto audiendi missam. — 6. Legi, seu præcepto satisfacit, qui faciens opus præceptum, expresse intendit per illud non satisfacere. — 7. Affertur, et solvitur instantia. — 8. Hinc licet quis die festo, missam attente audiens, habeat expressam intentionem tunc non satisfaciendi præcepto Ecclesiæ, sed aliam missam postea audiendi, is nihilominus satisfacit, ita ut non teneatur postmodum aliam audire. — 9. Item qui recitavit officium divinum non ex devotione, seu attentione qua voluisset, et ideo proposuit repetere ad satisfaciendum præcepto, is non tenetur repetere. — 10. Item qui missam audivit, divinum officium recitavit, pœnitentiam sacramentalem peregit, et alia hujusmodi, cum expresso animo non satisfaciendi, non tenetur postea mutare voluntatem, ut velit per præcedens opus satisfecisse. — 11. Leges et præcepta impleri possunt sine charitate, seu gratia sanctificante. — 12. Quinimo potest etiam satisfieri legi, seu præcepto per actionem, ex fine, vel circumstantia extrinsece malam, seu vitiatam. — 13. Hinc si quis jejunet, vel intersit missæ ob vanam gloriam, vel etiam, ut furetur, vel ob alium pravum finem, potest nihilominus implere præceptum etiam per tales, et similes actus, ex fine, seu circumstantia peccaminosos. Ipse tamen peccat contra aliud præceptum, cui finis ille malus opponitur. — 14. Item sacerdos, qui missam celebrat in statu peccati mortalis, satisfacit et suæ obligationi, et præcepto audiendi missam die festo, non obstante, quod gravissime peccet. — 15. Item adimpletur votum, juramentum Deo factum, pœnitentia sacramentalis, et hujusmodi, quamvis actus, per quem adimpletur, sit malus, et peccetur contra aliud præceptum, cui actus ille malus opponitur. — 16. Nec valet objicere, quod adimplens legem, seu præceptum per actum peccaminosum, non adimpleat modum, ac finem præcepti; quia respondetur, quod modus, et finis non cadit sub præcepto, nisi sit de intrinseca ratione actus præcepti; seu in aliqua lege, vel præcepto sit specialiter, et expresse requisitus. — 17. Si autem modus, et finis sit de intrinseca ratione actus præcepti, seu in aliqua lege, vel præcepto sit specialiter, et expresse requisitus, nequit utique adimpleri præceptum, non adimpleto modo, ac fine, et affertur exemplum de sacrilega communione. — 18. Sic autem si quis dormiens die festo assistat missæ, non satisfacit præcepto ecclesiæ. — 19. Leges, seu præcepta, quamvis sine charitate, seu gratia sanctificante possint adimpleri satisfactorie, non tamen sine charitate, et gratia sanctificante possunt adimpleri meritorie. — 20. Potest eodem tempore satisfieri pluribus legibus, et præceptis per diversos actus, quando unus actus non impedit alium debite exercendum. — 21. Hinc, qui die festo, audiendo missam, recitat Horas canonicas, satisfacit eodem tempore præcepto audiendi missam, et præcepto recitandi Horas canonicas. — 22. Item satisfacit præcepto, qui tempore missæ conscientiam suam examinat, elicit actus doloris, vel aliis piis actionibus se præparat ad confessionem. — 23. An autem, qui per notabilem partem missæ confitetur sua peccata, satisfaciat præcepto audiendi missam? *remissive.* — 24. Unico, et eodem actu potest satisfieri pluribus legibus, seu præceptis, extra tamen materiam justitiæ, et nisi aliud colligatur ex mente legislatoris, seu præcipientis. — 25. Hinc qui obligatur ad recitandas Horas canonicas ratione ordinis sacri, simulque beneficii ecclesiastici, satisfacit unica recitatione. — 26. Item qui tenetur jejunare ex voto die Veneris, si tali die currant quatuor anni tempora, et vigilia alicujus sancti, unico jejunio satisfacit tribus obligationibus. — 27. Item quando festum alicujus sancti incidit in Dominica, satisfit duplici præcepto auditione unius solius missæ. — 28. Quando tamen sunt plures obligationes justitiæ, iis satisfieri non potest unico actu. — 29. Item quando circumstantiæ, seu verba legis denotant, legislatorem velle exigere actum non debitum, non potest satisfieri actu alias debito. — 30. Hinc si confessarius injungat pœnitenti Rosarium pro pœnitentia, et talis pœnitens sit voto obstrictus ad Rosarium recitandum quotidie, pœnitens non satisfacit præcepto confessarii per recitationem Rosarii debitam ex voto : nisi confessarius oppositum exprimat, vel aliunde colligi possit. — 31. Item si confessarius pro pœnitentia injungat auditionem missæ, nisi oppositum exprimat, vel aliunde colligi possit, censetur velle obligare pœnitentem ad aliam auditionem missæ ab ea, quam die festo audire tenetur. — 32. Secus autem esset, si confessarius injungeret pro pœnitentia auditionem quotidianam missæ pro uno mense, pro uno anno, et hujusmodi.—33. Nullatenus potest unica numerice recitatione divini officii satisfieri duplici præcepto, v. g. pro die præsenti, et pro die crastino.

(1. In exsecutione operis a lege præcepti, duplex potest haberi intentio : una scilicet præstandi opus, quod præcipitur, et alia satisfaciendi legi, seu præcepto per tale opus. *Communis.* (2. Ad impletionem legis, seu præcepti non requiritur intentio ei satisfaciendi; Vasquez 1, 2, q. 100, art. 9, Sanchez, lib. 1 *Decal.*, c. 13, n. 9; Herincx, disp. 3, *De legibus*, n, 88; Reiffenstuel, *Theol. moral.*, tract. 2, *De legibus*, dist. 3, quæst. 5, n. 45, et alii communiter. Et ratio est, quia lex humana præcipit solam liberam, seu voluntariam operis externi exsecutionem v. g. auditionem missæ; non autem quasi reflexam implendi præcepti intentionem, seu ut alio peculiari actu quis velit, vel intendat præcepto satisfacere. (3. Hinc infertur, quod si quis die festo missam audiat, immemor esse diem festum, is nihilominus satisfaciat præcepto; neque necesse est, ut postea intelligens esse diem festum, velit tunc satisfacere per missam jam auditam, quia implevit substantiam actus præcepti. *Communis.*

(4. Quamvis autem ad satisfaciendum legi, seu præcepto non requiratur, ex dictis, intentio satisfaciendi ipsi legi, seu præcepto, requiritur tamen intentio præstandi opus, quod præcipitur. Sanch., lib. 1. *Decal.*, cap.

Digitized by Google

13, n. 2; Bonacina, *De legibus*, disp. 1, q. 1, punct. 10, n. 2; Reiffenstuel, l. c. n. 44, et alii passim. Et ratio est, quia opera præcepta debent præstari modo humano; non præstantur autem humano modo, nisi adsint voluntas, et intentio ea præstandi, adeoque, etc. (5. Hinc infertur, quod si quis curiositatis gratia, aut fine inveniendi amicum, et alio hujusmodi fine intret in ecclesiam, nihil cogitans de missa audienda, quæ interim celebratur, is non satisfacit præcepto audiendi missam, quia cum non habuerit intentionem et animum ipsam audiendi, non censetur eam audivisse. Item si quis recitet Horas canonicas solo fine et animo legendi, vel discendi, non satisfacit præcepto divini officii persolvendi, quia ad id requiritur intentio saltem recitandi Horas canonicas, seu orandi. Sic doctores citati, et alii communiter.

(6. Legi, seu præcepto satisfacit, qui faciens opus præceptum, expresse intendit per illud non satisfacere. Sanchez lib. I *Moral.*, cap. 13, n. 9 et 12; Lessius lib. II, c. 7, dubit. 10; Suarez, lib. II, *De legib.*, lib. *De horis*, c. 26, et III part. tom. III, disp. 88, sect. 3. Valentia, tom. III, disp. 6, qu. 10, in fine; Reiffenstuel, *l. c.* n. 46; Vasquez, 1, 2, q. 100, art. 9; Busemb., lib. I *De legibus*, tract. 2, c. 3, dub. 3, n. 693; La Croix, *ibid.*; Laymann, *Theolog. moral.*, lib. I, tr. 4, c. 4, n. 7, et alii plures contra Navar. *De orat.*, c. 16, n. 73; Azor., tom. I, lib. VII, c. 2, q. 16. et alios. Et ratio est, quia leges et præcepta obligant solum ad substantiam operis injuncti, adeoque, illa posita, satisfit legi, etiam contra expressam intentionem operantis, cum non sit amplius in potestate operantis, ut non satisfaciat. (7. Nec valet objicere quod actus non operentur ultra intentionem agentis, l. *Non omnis* 19. ff. *De rebus creditis*: quia id debet intelligi, quando est in potestate operantis, v. g. satisfacere, vel non. Nec item valet dicere, quod sicuti voto obligatus ad faciendam eleemosynam, si illam faciat animo non adimplendi, non satisfacit; ita a pari, in casu legis adimpletæ cum animo illam non adimplendi, non satisfacit; non valet, inquam, quia in tantum obligatus voto ad faciendam eleemosynam, si illam faciat animo non adimplendi, non satisfacit, quia talis et similis obligatio provenit ex voluntate promittentis, qui sicut ab initio debitorem se libere constituit, sic indebito libere permanere potest; obligatio autem parendi legi provenit ex voluntate legislatoris, ideoque non exenditur ultra ejus intentionem et voluntatem, nempe ultra substantiam operis præcepti, quæ posita non est in potestate operantis, nolle per ipsam satisfacere, quia cum legislator hoc solum præceperit, ut opus humano modo impleatur, eo opere præstito, exstinguitur statim obligatio independenter ab intentione satisfaciendi operantis. Busemb. *loc. cit.*, n. 693; Coninch., n. 309; Laym., *loc. cit.*, n. 7. Lessius *loc. cit.*, et alii. *Vid.* verb. *Missa*, art. 17, n. 11 et 12.

(8. Hinc infertur quod licet quis die festo missam attente audiens, habeat expressam intentionem tunc non satisfaciendi præcepto Ecclesiæ, sed aliam missam postea audiendi, is nihilominus satisfacit, ita ut non teneatur postmodum aliam audire. (9. Item, qui recitavit divinum officium, vel partem ejus, non ea devotione et attentione qua voluisset, et ideo proposuit repetere ad satisfaciendum præcepto, non tenetur repetere, quia per illam primam recitationem satisfecit præcepto. (10. Item, qui die festo missam audivit, divinum officium recitavit, pœnitentiam sacramentalem peregit, et alia hujusmodi cum expresso animo non satisfaciendi, non tenetur postea mutare voluntatem, ut velit per præcedens opus satisfecisse, quia vere satisfecit. Lugo *De Eucharistia*, disput. 22, sect. 2, n. 12; Salas, d. 9, n. 33; Busemb., *loc. cit.*, Sanch., et aliisupra citati.

(11. Leges et præcepta impleri possunt sine charitate, seu gratia sanctificante. *Communis*. Et ratio est, quia præcipitur solum substantia actus inclusi in præcepto, non autem modus præcepti; æque enim adimplet legem, qui eam observat in peccato, ac qui eam observat, in gratia; quis enim diceret, quod non satisfaciat præcepto audiendi missam, præcepto jejunandi, præcepto honorandi parentes, et hujusmodi, qui talia, et similia præcepta exsequatur existens in peccato? Unde falsissimum est, charitatem esse necessariam ad implenda omnia præcepta, ut perperam docuerunt Baius, Jansenius, et alii, et ideo a S. Pio V, die 1 Octob. 1567, const. incip. *Ex omnibus*, a Gregorio XIII, die 29 Januarii 1579, constit. incip. *Provisionis nostræ*, et ab Urbano VIII, die 6 Martii 1641, constitut. incip. *In eminenti* inter 79 propositiones Michaelis Baii, et aliorum, merito damnata fuit sequens propositio in ordine 16. *Non est vera legis obedientia, quæ fit sine charitate.*

(12. Quinimo potest etiam satisfieri legi, seu præcepto per actionem ex fine, vel circumstantia extrinsece malam et vitiatam. Sanch., lib. I *Moral*, c. 14. Layman, l. I, tract. 4, c. 4, n. 6; Lugo, disp. 22, sect. 2, n. 23; Reiffenst., *loc. cit.*, num. 43, et alii communiter apud Mastrium, *Theol. moral.*, disp. 2, q. 5, num. 169. Et ratio est, quia lex præcipit tantum substantiam actionis ex objecto suo honestæ: non autem finem, vel circumstantias, adeoque potest quis, ponendo substantiam legis, seu præcepti, satisfacere ipsi legi, seu præcepto; etiam per actionem ex fine, vel circumstantia extrinsece malam et vitiatam, quamvis peccet pro ratione pravi finis aut circumstantiæ malæ. (13. Hinc infertur, quod si quis jejunet, vel intersit missæ ob vanam gloriam, vel etiam ut furetur, vel ob alium pravum finem, potest nihilominus implere præceptum, etiam per tales et similes actus ex fine seu circumstantia peccaminosos, quia implet substantiam illius præcepti, licet peccet contra aliud, cui finis ille malus opponitur. (14. Item sacerdos, qui missam

Digitized by Google

celebrat in statu peccati mortalis, satisfacit, et suæ obligationi, et præcepto audiendi missam die festo, non obstante quod gravissime peccet; ponendo enim actum præceptum, jam adimplet, quod ei erat injunctum, et consequenter satisfacit etiam præcepto. (15. Item adimpletur votum, juramentum Deo factum, pœnitentia sacramentalis, et hujusmodi, quamvis actus per quem adimpletur, sit malus, et peccetur contra aliud præceptum, cui actus ille malus opponitur. *Omnes citati doctores*, et alii passim.

(16. Nec valet objicere, quod adimplens legem, seu præceptum per actum peccaminosum, non adimpleat modum, ac finem præcepti, qui est honorare Deum per actum præceptum; non valet, inquam, quia modus et finis non cadit sub præcepto, nisi sit de intrinseca ratione actus præcepti; sive in aliqua lege, vel præcepto sit specialiter et expresse requisitus. Sic communis doctorum sententia. (17. Si autem modus et finis sit de intrinseca ratione actus præcepti, seu in aliqua lege, vel præcepto sit specialiter et expresse requisitus, nequit utique adimpleri præceptum, non adimpleto modo, ac fine; sic sacrilege confitens, non satisfacit præcepto annualis confessionis, et sacrilege communicans, non satisfacit præcepto paschalis communionis; quia ad sacramentum pœnitentiæ necessario requiritur dolor de peccatis commissis, propositum de cætero non peccandi, et confessio omnium peccatorum; finis enim talis præcepti est, ut peccatores per tale sacramentum remittantur in Dei gratiam, sicuti finis, et modus recipiendi sacram communionem est, ut recipiatur in statu gratiæ, et gratia per ipsam in communicante augeatur; unde merito ab Alexandro VII, die 24 Septembris 1665, inter alias fuit damnata sequens propositio 14 in ordine. « Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ: » et ab Innocentio XI, die 2 Martii 1679, merito inter alias fuit damnata sequens propositio 55 in ordine: « Præcepto communionis satisfit per sacrilegam corporis Domini manducationem. » (18. Sic etiam, si quis dormiens die festo, assistat missæ, non satisfacit præcepto Ecclesiæ, quia de intrinseca ratione præcepti audiendi missam die festo est, ut quis ei assistat modo humano seu cum advertentia rationis, quod a dormiente non fit, adeoque, etc. Et sic dicendum est de similibus.

(19. Leges, seu præcepta, quamvis sine charitate, seu gratia sanctificante possint adimpleri satisfactorie, id est ipsis satisfieri, non tamen sine charitate, et gratia sanctificante possunt adimpleri meritorie, id est per talem impletionem præmium mereri. *Communis.* argum., Epist. *I ad Corinth.* c. XIII, n. 1, ibi : *Si linguis hominum loquar, et angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens;* et infra n. 3: *Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.*

(20. Potest eodem tempore satisfieri pluribus legibus, et præceptis per diversos actus, quando unus actus non impedit alium debite exercendum. *Communis.* Et ratio est, quia qui facit id, quod lege, vel præcepto præscribitur, legi, vel præcepto satisfacit: sed potest quis eodem tempore facere quod præscribunt diversæ leges, seu diversa præcepta; ergo potest quis eodem tempore satisfacere pluribus legibus, vel præceptis, quoties unus actus non impedit alium debite exercendum. (21. Hinc infertur quod, qui die festo audiendo missam, recitat Horas canonicas, aliasve preces obligatorias, satisfacit eodem tempore præcepto audiendi missam, et præcepto recitandi Horas canonicas, seu obligationi recitandi alias preces aliunde debitas, quia recitatio Horarum, seu aliarum precum non impedit attentionem requisitam ad missam. *Communis.* (22. Item satisfacit præcepto, qui tempore missæ conscientiam suam examinat, elicit actus doloris, vel aliis piis actionibus se præparat ad confessionem, quia istæ actiones non impediunt attentionem requisitam ad missam. *Communis.* (23. An autem ille qui per notabilem partem missæ confitetur sua peccata, satisfaciat præcepto audiendi missam. *Vid.* verb. *Missa* art. 17, n. 27, ubi alia ad rem per totum articulum.

(24. Unico, et eodem actu potest satisfieri pluribus legibus, seu præceptis extra tamen materiam justitiæ; et nisi aliud colligatur ex mente legislatoris, seu præcipientis. Sanchez lib. I *in Decalogum*, cap. 14, n. 5; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 51; Herincx, disp. 3; *De legibus*, n. 85. Salas, Bonacina, et alii apud Mastrium, *Theol. moral.* disp. 2, qu. 5, art. 170. Et ratio est, quia obligatio legis, seu præcepti pendet a mente legislatoris, seu præcipientis, ipsiusque voluntatem non excedit: ergo si legislator, seu præcipiens unico actu intendit, et permittit pluribus simul satisfieri legibus, seu præceptis, sequitur, unico actu pluribus legibus, seu præceptis satisfieri posse. (25. Hinc sequitur quod, qui obligatur ad recitandas Horas canonicas ratione ordinis sacri, simulque beneficii ecclesiastici, satisfacit unica recitatione. (26. Item, qui tenetur jejunare ex voto die Veneris, si tali die occurrant quatuor anni tempora, et vigilia alicujus sancti, unico jejunio satisfacit tribus obligationibus scilicet voto, et duobus Ecclesiæ præceptis.

(27. Item, quando festum alicujus sancti incidit in Dominica, non tenetur quis audire duas missas, sed, unica audita missa, satisfacit duplici præcepto, scilicet et præcepto pro Dominica, et præcepto pro festo talis sancti. Et sic de similibus.

(28. Notanter autem fuit dictum in conclusione sub n. 19, *extra tamen materiam justitiæ*, quia si sint plures obligationes justitiæ, iis satisfieri non potest unico actu; si enim Petrus debeat Paulo centum aureos ex contractu, et alios centum ex damnificatione injusta, non satisfacit utrique obliga-

Digitized by Google

tioni, semel dando Paulo centum, sed tenetur dare ducentos, quia in materia justitiæ commutativæ, seu in debitis justitiæ, attenditur æqualitas rei ad rem; non potest autem unum centum esse æquale debitis plurium centum; secus autem est in materia legali, seu in debitis legalibus, quia ibi attenditur mens, et intentio legislatoris, quæ sæpius ferri potest in unum idemque opus; ita doctores omnes citati.

(29. Notanter etiam fuit dictum in eadem conclusione, « nisi aliud colligatur ex mente legislatoris, seu præcipientis, » quia si circumstantiæ, seu verba legis denotent, legislatorem velle exigere actum non debitum, tenebitur subditus illum actum non debitum præstare, et non poterit satisfacere actu alias debito. (30. Hinc si confessarius injungat pœnitenti Rosarium pro pœnitentia, et talis pœnitens sit voto obstrictus ad Rosarium recitandum quotidie, pœnitens non satisfacit præcepto confessarii per recitationem Rosarii debitam ex voto, quia confessarius, nisi oppositum exprimat, vel aliunde colligi possit, obligare intendit pœnitentem ad rem non debitam. (31. Item si confessarius pro pœnitentia injungat auditionem missæ, nisi oppositum exprimat, vel aliunde colligi possit, censetur velle obligare pœnitentem ad aliam auditionem missæ ab ea, quam die festo audire tenetur. (32. Secus autem esset, si confessarius injungeret pro pœnitentia auditionem quotidianam missæ pro uno anno, et hujusmodi; quia ex benigna interpretatione censetur contentus esse missa debita ex præcepto diebus festivis, neque enim censendus est velle obligare ad audiendas duas missas diebus festivis, nisi id exprimat; cum enim sit grave onus, si id voluisset, expressisset, arg. cap. *Inter corporalia* 2, *De translation. episcop.*, § *Sed neque istud*, cap. *Quia circa* 22, *De privilegiis*, et cap. *Ad audientiam* 12, *De decimis*. Sic Castropalaus disp. 1, punct. 19, n. 1 et seq.; Kazenberger *Supplem. theolog. Decal.*, cap. 1, sect. 1, quæst. 4, n. 46; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 63, et alii supracitati.

(33. Nullatenus tamen potest unica numerice recitatione divini officii satisfieri duplici præcepto, v. g. pro die præsenti, et pro die crastino, quando hora licita anticipandi Matutinum, et Laudes recitatur hodie officium diei sequentis; adstricti enim ad Horas canonicas tenentur legere officia singulis diebus affixa; unde Alexander VII, die 18 Martii 1666, merito damnavit inter alias sequentem propositionem 35 in ordine : « Unico officio potest quis satisfacere duplici præcepto pro die præsenti, et crastino. »

ARTICULUS V.

Lex quoad ejus cessationem.

SUMMARIUM.

1. Lex humana cessat, vel per cessationem ejus causæ finalis, vel per ejus abrogationem, vel per interpretationem, seu epicheiam, vel per dispensationem, vel per privilegium, vel per consuetudinem contrariam. — Lex cessat, omnisque ejus obligatio, quando cessat universim totalis ejus causa finalis. — 3. Secus autem si cesset tantum finis partialis seu partiale motivum legis. — 4. Item nec cessat obligatio legis, cessante causa, seu fine ipsius in particulari homine. — 5. Lex in præsumptione fundata cessat obligare, si de contraria veritate constet. — 6. Lex cessat per ejus abrogationem, cum a legislatore, seu a legitimo superiore in totum tollitur. — 7. Assignatur differentia inter abrogationem, derogationem et irritationem legis. — 8. Legem abrogare potest legislator, qui eam tulit. — 9. Item legem abrogare potest legislatoris successor in officio, vel in jurisdictione superior. — 10. Inferior tamen nequit abrogare legem superioris. — 11. Nova lex, seu constitutio principis tollit priorem sibi directe contrariam, etiamsi de ipsa non faciat mentionem. — 12. Lex nova, seu constitutio principis generaliter lata non tollit, nec revocat rationabiles consuetudines, nec particularia statuta locorum, nisi id exprimat. — 13. Expressio autem talis abrogationis, seu derogationis sufficit, quod fiat per clausulas generales in lege appositas. — 14. Leges non sunt abrogandæ, seu immutandæ, nisi ex gravi et justa causa. — 15. Justa autem, et gravi interveniente causa pro varietate temporum, valide et licite possunt mutari leges, eas vel in totum abrogando, vel ipsis ex parte derogando. — 16. Sine justa et gravi causa possunt quidem abrogari leges valide, at non licite. — 17. Lex cessare potest per veram interpretationem et epicheiam. — 18. Interpretatio quid sit? — 19. Interpretatio est triplex, scilicet authentica, usualis, et doctrinalis, et quæ sit quælibet? — 20. Interpretatio doctrinalis subdividitur in declarativam, extensivam, et restrictivam, et quæ sit quælibet? — 21. Authentica legis interpretatio fieri potest a legislatore, ejusque successore, vel utriusque superiore. — 22. Non potest fieri ab inferiore, nisi ad hoc ipsum a superiore habeat potestatem. — 23. Usualis legis interpretatio fieri potest ab ipso usu communi, et consuetudine legitime introducta. — 24. Doctrinalis legis interpretatio fieri potest etiam a privatis doctoribus, si observent regulas communiter præscribi solitas. — 25. Prima regula assignatur : *Verba clara non admittunt interpretationem, neque voluntatis conjecturam.* — 26. Secunda regula : *Verba legis sunt intelligenda secundum propriam significationem, nisi aliud constet sensisse legislatorem.* — 27. Tertia regula : *Si de mente legislatoris constet, interpretatio est facienda potius secundum ipsam, quam secundum legis verba, quidquid aliud ipsa verba sonare videantur.* — 28. Mens legis, seu legislatoris unde desumi debeat? — 29. Quarta regula : *Lex generaliter, et distincte loquens, generaliter et distincte est intelligenda.* — 30. Quinta regula : *Exceptio firmat regulam in contrarium in casibus non exceptis.* — 31. Sexta regula : *Ubi eadem est ratio, eadem est juris dispositio.* — 32. Septima regula : *In omnibus causis potior debet esse ratio æquitatis, quam stricti juris.* — 33. Ubi deficit æquitas scripta, servanda est æquitas non scripta. — 34. Æquitas quid sit? — 35. Octava regula : *Argumentum a sensu contrario est satis validum.* — 36. Nona regula : *Non censetur plus de priori lege mutatum, quam est expressum in posteriori.* — 37. Decima regula : *Lex pœnalis, et omnis alia odiosa, est stricte interpretanda, nec regulariter extendenda ultra casum, et personas expressas.* — 38. Undecima regula : *Leges favorabiles ampliori interpretatione sunt intelligendæ; seu in materia favorabili verba legis accipi debent secundum amplam suam significationem.* — 39. Duodecima regula : *In beneficiis plenissima est interpretatio facienda.* — 40. Excipienda tamen sunt rescripta ad beneficia ecclesiastica obtinenda quæ sunt strictæ interpretationis. — 41. Epicheia quid sit? — 42. In quo differat epicheia ab interpretatione legis. — 43. Datur locus epicheiæ in casu aliquo particulari ob certas circumstan-

Digitized by Google

tias concurrentes. — 44. Lex cessare potest per dispensationem factam ab habente legitimam dispensandi potestatem. — 45. Quoad ea, quæ speciatim concernunt dispensationem, *remissive*. — 46. Lex cessare potest per privilegium concessum ab habente legitimam potestatem ipsum concedendi. — 47. Privilegium quid sit? — 48. Privilegium est stricte interpretandum. — 49. Lex cessare potest per consuetudinem contrariam legitime introductam. — 50. Circa ea, quæ speciatim quoad hanc concernunt consuetudinem, *remissive*. — 51 et seq. Additiones ex aliena manu.

(1. Lex humana cessat, vel per cessationem ejus causæ finalis; vel per ejus abrogationem; vel per interpretationem, seu epicheiam; vel per dispensationem; vel per privilegium, vel per consuetudinem contrariam. *Communis*. (2. Lex igitur cessat per cessationem ejus causæ finalis; scilicet lex cessat, omnisque ejus obligatio, quando cessat universim totalis ejus causa finalis. Suarez, lib. VI *De legibus*, cap. 9, nu. 5; Silvester, verb. *Lex*, quæst. 9. § 8; Laymann, lib. I, tract. 4, cap. 21, num. 3. et communis aliorum; argum. l. *Adigere* § 2, ff. *De jurepatr.*, ubi aperte habetur, quod cessante ratione et causa, legis, vel obligationis, cessat lex, seu obligatio ipsa; et cap. *Cum cessante* 60, *De appellationib.*, ibi: «Cum cessante causa, esset effectus.» Et ratio est; quia sicuti lex ab initio non subsistit, si sine ratione lata sit, cum ratio legis sit anima legis; l. *Cum ratio*, ff. *De bonis damnatorum*, ita etiam postea desinit, desinente ratione ejus, quandoquidem tunc ejus observatio inutilis atque supervacanea esse incipit. Unde hac ratione Apostolus *ad Hæbræos* VII, ait: *Reprobatio fit præcedentis mandati* (id est legis Mosaicæ) *propter infirmitatem ejus, et inutilitatem*. Sic in primitiva Ecclesia apostoli (*Actor.* XV) legem constituerunt, ut omnes abstinerent ab immolatis, sanguine et suffocatis, eo solo fine, ut Judæi ab iis abhorrentes tanto facilius in fide et religione cum gentilibus jungerentur. Quo fine successu temporis cessante, cessavit quoque illa lex talis abstinentiæ, ut docet S. Augustinus lib. XXXII *contra Faustum*, cap. 13; Nicolaus primus in *responsione ad Bulgaros*, cap. 90; S. Thom. 1-2, q. 103, art. 4 ad 3, ubi addit: «Procedente autem tempore, cessante causa, cessavit effectus,» scilicet obligatio illius legis apostolicæ. Et sic docent doctores communiter.

(3. Notanter autem dictum fuit, *quando cessat totalis ejus causa finalis*. Nam si cesset tantum finis partialis, seu partiale motivum legis, non ideo cessat ipsa lex, cum tunc perseveret adhuc alter finis, seu aliud legis motivum sufficiens ad conservandam ejus obligationem, ut recte observat Abbas, in cap. *Cum cessante* 60, *De appellat.*, num 2; Laymann, *loc. cit.*, nu. 3; La Croix, lib. II, num. 86; Herincx, disp. 3, quæst. 16, n. 202; Paulus Mezger, disp. 86, n. 5; Mastrius, cit. quæst. 6, n. 209, et alii plures apud ipsos. Et ratio est, quia quando sunt plures fines, licet simul sumpti faciant unicum finem totalem, tamen deficiente uno, si alius maneat, manet quoque adhuc legis obligatio; adeoque, si cesset tantum finis partialis, seu partiale motivum legis, non ideo cessat ipsa lex.

(4. Notanter etiam dictum fuit *quando cessat causa universim*; quia, cessante causa, seu fine legis in particulari homine, non ideo cessat obligatio ipsius legis. Et ratio est, quia finis legis humanæ non potest cessare quoad aliquem in particulari, si adhuc maneat quoad communitatem; finis enim legis in præsumptione periculi fundatæ, non est evitare quodcunque periculum in particulari, sed periculum in communi, et generaliter, adeoque quamvis cesset periculum in aliquo particulari, cum non cesset periculum in communi, et generaliter, non cessat obligatio legis. Si enim v. gr. princeps, lege lata, interdicat civibus usum armorum ad vitandas rixas, et homicidia, fas non erit alicui particulari arma prohibita gestare, quamvis in ipso ob senectutem, vel pacificam naturam, seu morum probitatem, vel simplicitatem cesset rixarum et homicidiorum periculum; quia interest boni publici, ut leges communes ab omnibus communiter observentur, quandiu non occurrit aliquod impedimentum contrarium, quod per epicheiam excuset; aliter orirentur multa incommoda in damnum reipublicæ, si tali, et similibus casibus tribueretur licentia agendi contra legem; nam quisque facile sibi posset blandiri, causam, et finem legis hic et nunc in se cessare. Et sic tenent D. Thom. 2-2, qu. 154, art. 2, in capit.; Suarez, lib. VI, *De legibus*, cap. 9, n. 6; Laym., *loc. cit.*, n. 3; Mastrius, *loc. cit.*, n. 210; Herincx, *loc. cit.*, n. 203; La Croix, *loc. cit.*, n. 314; Paulus Mezger, *loc. cit.*, n. 6; Kazenberger, *loc. cit.*, n. 314, ubi testatur de communi, Amicus, Aversa, Caspensis, Solus, Salas, Reding., aliique plurimi contra Granad., Henriquez, Dianam, et alios.

(5. Lex in præsumptione fundata, cessat obligare, si de contraria veritate constet, quia, ex communiter recepto axiomate, Præsumptio cedit veritati; arg. cap. *Super hoc* 5, *De renuntiat.*, l. *Continuus* 137, ff. *De verb. signific.*, l. ult., ff. *Quod metus causa*; l. *Imperatores*, ff. *De probation.*, ibi; «Respondit, veritati locum superfore:» ex quibus aperte deducitur, quod mens legislatorum nunquam fuit per leges in præsumptione fundatas aliquid disponere contra veritatem; adeoque, veritate cognita, sive per propriam confessionem, sive per alias legitimas probationes, cessant tales leges obligare etiam in foro externo; et multo magis cessant obligare in foro interno, seu conscientiæ, ubi talis veritas est manifesta; quia ut Apostolus *II ad Corinth.* I, dicit: *Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ*. Tum quia talibus præsumptione a parte rei falsa infestatis, non delicit, suum verum jus, sed solum probatio, arg. l. *Duo sunt*, ff. *De testamen. tutel.*, adeoque cum leges debeant esse justæ, c. *Erit autem lex* 2, dist. 4, cum similibus, nullimode potest dici mentem legum in præsumptione fundatarum fuisse jus suum alicui adimere, etiam cognita ve-

Digitized by Google

ritate, cum jus suum unicuique tribuere, pertineat ad tria juris præcepta § *Juris*, *Instit. de just. et jur.*, his verbis expressa: « Juris præcepta hæc sunt, honeste vivere, alterum non lædere, jus suum cuique tribuere. » Et sic tenent Abbas in capit. *Quia plerique*, n. 18, *De immunit. Eccles.*; Covarr. in cap. *Cum esset*, n. 9 *De testam.*; Navarr. in cap. *Ita quorumdum*, *De Judæis*, notab. 10, n. 29; Laymann, lib. I, tract. 4, cap. 21, n. 4, et alii passim.

(6. Lex cessat per ejus abrogationem, cum a legislatore, seu legitimo superiore in totum tollitur. *Communis.* Hic tamen advertendum venit, quod datur differentia inter abrogationem, derogationem, et irritationem legis. Abrogatio enim legis fit, cum lex in totum tollitur; derogatio vero cum lex tollitur solum ex parte; textu expresso in l. *Derogatur* 102, *De verb. signific.*, ibi: « Derogatur legi, cum pars detrahitur; abrogatur legi, cum prorsus tollitur. » (7. Irritatio autem legis fit, cum lex ab inferiori instituta, auctoritate superioris irritatur, seu rescinditur, et nullius valoris efficitur, ut si lex ab episcopo lata, a Summo Pontifice annulletur, irrita, et inanis ac nullius roboris declaretur. *Communis.*

(8. Legem abrogare potest legislator, qui eam tulit. arg. cap. *Omnis res* 1, *De reg. juris*, ubi expresse dicitur, quod « Omnis res, per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur. » (9. Item legem abrogare potest legislatoris successor, vel in officio, vel in jurisdictione superior; quia voluntas successoris æquivalet in jurisdictione voluntati antecessoris; et voluntas superioris etiam prævalet, adeoque quod in jurisdictione licuit antecessori, etiam licebit successori, vel utriusque superiori. *Communis*, argument. capit. *Innotuit* 20, *De election.*, § *Quamvis*, capit. *Exiit* 3, *De verb. signific.*, in 6. § *Cæterum sanctæ memoriæ*, cum similibus. (10. Inferior tamen nequit abrogare legem superioris, cum voluntas inferioris nullum habeat jus, seu nullam potestatem supra voluntatem superioris; cap. *Inferior* 4, dist. 21. c. *Cum inferior*, 16, *De majorit. et obed.*; Clement. *Ne Romani*, *De elect.*

(11. Nova lex, seu constitutio principis tollit priorem sibi directe contrariam, etiamsi de ipsa non faciat mentionem. *Communis*, textu expresso, in c. *Licet* 1, *De constit.*, in 6, ibi: « Licet Romanus Pontifex (qui jura omnia in scrinio pectoris sui censetur habere) constitutionem condendo posteriorem, priorem, quamvis de ipsa mentionem non faciat, revocare noscatur, » etc.: et concordat jus civile; l. *Sed et posteriores*, ff. *De legibus*, ibi: « Sed et posteriores leges ad priores pertinent, nisi contrariæ sint. » Hinc pariter in testamentis statur ultimo, etiamsi in ipso non fiat mentio de priori, l. *Si mihi et tibi*, ff. *De legatis* 1, et cap. *Ultima voluntas* 4, caus. 13, q. 2, ubi dicitur « quod ultima voluntas defuncti modis omnibus servari debet. »

(12. Lex nova, seu constitutio principis generaliter lata, non tollit, nec revocat rationabiles consuetudines, et particularia statuta locorum, nisi id exprimat. *Communis*, textu expresso in cit. c. *Licet* 1, *De constit.*, in 6, ubi post verba n. antecedenti allegata, statim subjungitur: « Quia tamen locorum specialium, et personarum singularium consuetudines, et statuta (cum sint facti, et in facto consistant) potest Romanus Pontifex probabiliter ignorare; ipsis dum tamen sint rationabilia, per constitutionem a se noviter editam (nisi expresse caveatur in ipsa), non intelligitur in aliquo derogare. » (13. Expressio autem talis abrogationis, seu derogationis sufficit, quod fiat per clausulas generales in lege appositas v. g. « Nulla obstante consuetudine contraria, vel non obstantibus quibuscunque statutis particularium locorum, seu non obstantibus quibuscunque statutis, vel consuetudinibus etiam immemorialibus », et hujusmodi. Gailus lib. I, *Pract.*, observ. XVIII, n. 2; Laym., cap. 1, n. 12, *De const.*, in 6; Reiffenst., l. I *Decr.*, tit. 2, n. 499, et alii passim.

(14. Leges non sunt abrogandæ, seu immutandæ, nisi ex gravi, et justa causa; l. III, ff. *De const. princip.* « In rebus novis constituendis evidens esse utilitas debet, ut recedatur ab eo jure, quod diu æquum visum est »: quia (ut expresse dicit Benedictus XI Summus Pontifex in extravag. *Inter cunctas* 1, *De privil.*, § *Sane*) « plerumque pariunt novitates discordiam, præsertim dum ab eo, quod diu æquum visum est » per novam constitutionem receditur, nec quare recedatur, utilitas evidens, vel alia causa subest. Ita communis doctorum.

(15. Justa autem, et gravi interveniente causa, pro varietate temporum, et circumstantiarum, valide et licite possunt mutari leges, eas vel in totum abrogando, vel ipsis ex parte derogando. *Communis*, textu expresso in c. *Non debet* 8, *De consang. et affinit.*, ibi: « Non debet reprehensibile judicari, si, secundum varietatem temporum, statuta quandoque mutentur humana, præsertim cum urgens necessitas, vel evidens utilitas id exposcit, quoniam ipse Deus ex his, quæ in Veteri Testamento statuerat, nonnulla mutavit in novo. » Item in cap. *Alma Mater* 24, *De senten. excomm.*, in 6, ibi: « Alma mater Ecclesia plerumque nonnulla rationabiliter ordinat et consulit, quæ suadente subjectorum utilitate, postmodum consultius, et rationabilius revocat, in meliusve commutat. »

(16. Sine justa vero, et gravi causa possunt quidem abrogari leges valide, at non licite. *Communis.* Et quidem quod possint abrogari valide, stat clarum, quia cum obligatio legum dependeat a voluntate legislatoris in fieri et conservari, tanquam a causa adæquata, sublata hac voluntate, peribit obligatio legum, et consequenter earum abrogatio erit valida; arg. cap. *Omnis res* 1, *De reg. juris*, ibi: « Omnis res per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur. » Quod autem nequeant abrogari licite, clare patet, quia legislator, seu ejus successor,

Digitized by Google

vel superior peccat agendo contra exigentiam boni publici: abrogare autem leges sine justa et gravi causa est contra exigentiam boni publici; argum. cit. *Juribus* sub. n. 14, adeoque, etc.

(17. Lex cessare potest per veram interpretationem, et epicheiam. *Communis.* (18. Interpretatio autem nihil aliud est, quam congrua per aliud clarius explicatio verborum legis ordinata ad concipiendum verum legis sensum a legislatore intentum. Est in re communis. (19. Interpretatio juxta *Gloss.* in l. 37, ff. *De legibus* est triplex, scilicet authentica, usualis et doctrinalis. Interpretatio *authentica* seu necessaria, cui nempe necessario est acquiescendum, est illa quæ fit a legislatore, seu ejus successore per aliam legem prioris declarativam, et obtinet eamdem auctoritatem, ac ipsa lex, quam declarat; et de hac interpretatione intelligendum est id, quod habetur l. XI *Cod. De legibus*, juncto summario, *ib.* « Ejus est legem interpretari, cujus est condere; » et cap. *Inter alia* 31, *De sent. excomm.*, ibi : « Ut unde jus prodiit, interpretatio quoque procedat. » Interpretatio *usualis* est quæ per usum et consuetudinem introducitur; nam consuetudo, ut dicitur cap. *Cum dilectus* 8, *De consuetudine*, est prima legum interpres; sed de hac infra. Interpretatio *doctrinalis*, seu scholastica, vel magistralis est quæ a doctoribus, seu magistris dari solet; l. unic. *Cod. de prof. urbis Constant.*, l. XXII, et hæc per se loquendo non inducit obligationem, sed duntaxat probabilitatem; unde huic interpretationi non est necessario inhærendum, nisi fiat a communi doctorum consensu, ac alia meliora, et solidiora juris fundamenta non suppetant.

(20. Interpretatio doctrinalis, seu magistralis subdividitur in declarativam, extensivam, et restrictivam. Interpretatio *declarativa* est congrua dubiorum, vel obscurorum verborum expositio. Interpretatio *extensiva* est ea per quam fit ampliatio legis ad non expressa, et hæc, vel est *mere extensiva* per quam dispositio legis, ob paritatem, vel similitudinem rationis, extenditur ad personam, vel casum, neque verbis, neque mente legislatoris comprehensum; vel est etiam *comprehensiva* per quam lex extenditur ad personam, vel casum, verbis quidem non expressum, mente tamen legislatoris comprehensum ob adæquatam rationis identitatem. Interpretatio *restrictiva* est ea per quam verba legis aut statuti, suadente sic æquitate, in sua generali significatione coarctantur et restringuntur.

(21. Authentica legis interpretatio fieri potest a legislatore, ejusque successore, vel utriusque in jurisdictione superiore. *Communis*, arg. l. XI *Cod. de legibus*, ubi summarium inquit: « Ejus est legem interpretari, cujus est condere, » etc. Inter alia 31, *De sentent. excomm.*, ibi : « Ut inde jus prodiit, interpretatio quoque procedat. » (22. Non potest tamen authentica legis interpretatio fieri ab inferiore, nisi ad hoc ipsum a superiore habeat potestatem. *Communis* arg. cap. *Inferior* 4, dist. 31, cap. *Cum inferior* 16, *De majorit et obed.*, et Clement. *Ne Romani*, *De elect.*

(23. Usualis legis interpretatio fieri potest ab ipso usu communi, et consuetudine legitime introducta. *Communis* per textum in l. *Si de interpretatione* 37, ff. *De legibus*, ibi : « Si de interpretatione legis quæratur, in primis inspiciendum est quo jure civitas retro in hujusmodi casibus usa fuisset; optima enim est legum interpres consuetudo : » et cap. *Cum dilectus* 8, *De consuetudine*, ibi : « Consuetudinem approbatam quæ est optima legum interpres. »

(24. Doctrinalis legis interpretatio fieri potest etiam a privatis doctoribus, seu magistris, si observent regulas communiter præscribi solitas. Cum enim lex sæpe sæpius quid obscurum et ambiguum in sua significatione contineat, necesse erat, ut doctoribus, seu magistris tribueretur facultas eam interpretandi, et per quid clarius explicandi. *Communis* per textum in l. un. *De professoribus urbis Constantinop.* l. XII. et in cap. *Cum de diversis* 2, *De privilegiis*, in 6.

(25. Pro interpretatione doctrinali, seu magistrali observandæ sunt sequentes regulæ. Prima regula : « Verba clara non admittunt interpretationem, neque voluntatis conjecturam. » *Communis*, cum *Glossa* in c. *Cum dilectus* 8, *De consuetudine*, verb. *Nec juri communi*, ubi sic præcise dicit : « Ubi verba non sunt ambigua, non est locus interpretationi; sed ubi sunt dubia, necessaria est interpretatio » et colligitur ex l. *Licet imperator* ff. *De legatis* 1, et l *Ille, aut illa*, ff. *De legatis* 3.

(26. Secunda regula : « Verba legis sunt intelligenda secundum propriam significationem, nisi aliud constet sensisse legislatorem » : *Communis* per textum in c. *Ad audientiam* 12, *De decimis*, et in l. *non aliter*, 69. ff. *De legatis* 3, ibi : « Non aliter a significatione verborum recedi oportet, quam cum manifestum est, aliud sensisse testatorem. » Et l. I, § *Licet*, ff. *De exercitoria actione*, ibi : « In re dubia melius est verbis edicti servire. »

(27. Tertia regula : « Si de mente legislatoris constet, interpretatio est facienda potius secundum ipsam, quam secundum legis verba, quidquid aliud ipsa verba sonare videantur : » *Communis*, per textum in cap. *Humanæ aures* 11, caus. 22, quæst. V, ibi : « Non debet aliquis verba considerare (intellige nude et simpliciter), sed voluntatem et intentionem : quia non debet intentio verbis deservire, sed verba intentioni. » Hinc l. *Scire* 16. ff. *De legibus*, dicitur : « Scire leges non est earum verba tenere, sed vim et potestatem » : et c. *Certum est*, 88, *De reg. juris* in 6, ubi expresse dicitur : « Certum est quod is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem. » (28. Mens autem legis, sive legislatoris desumi debet tum ex materia legis, tum ex circumstantiis temporum, locorum et personarum, præcipue ex ratione in lege posita ; cap. *Intelligentia* 6,

Digitized by Google

De verbor. significat., ibi : « Intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi, quia non sermoni res, sed rei est sermo subjectus. »

(29. Quarta regula : « Lex generaliter et indistincte est intelligenda ; » *Communis* per textum in cap. *Quia circa* 22, *De privileg.*, ubi additur hæc ratio : « Cum nihil exceperit et poterat excepisse. » Unde commune juristarum axioma, juxta summarium in l. *De pretio*, ff. *De publiciana in rem actione*, sic expresse habet : « Ubi lex non distinguit neque nos distinguere debemus. »

(30. Quinta regula : « Exceptio firmat regulam in contrarium in casibus non exceptis ; *Communis* per textum in l. *Quæsitum* § idem, ff. *De instruct.*, etc., ibi : « Nam qui hæc excepit, non potest non videri de cæteris rebus, quæ in ea essent sensisse, » et concordat l. *Cum prætor* 12, ff. *de judiciis*, c. *Qualis hinc*, dist. 25, cap. *Dominus* 32, quæst 7, cap. *Nonne*, *De præsumpt* ; et cap. 2, *De conjug. leprosor.*, cum similibus, et tenet expresse Fagnan. in cap. *illa, ne sede vacante*, num. 31, Barbosa, axiomat. 85, num. 4 ; *Glossa* communiter recepta, l. *In iis quæ*, ff. *De legibus*, ubi ait : « Exceptio a regula firmat regulam in aliis. »

(31. Sexta regula : « Ubi eadem est ratio, eadem est juris dispositio ; » *Communis*, per textum in leg. *ideo*, ff. *De legibus*, ibi : « Semper quasi hoc legibus inesse credi oportet, ut ad eas quoque personas, et ad eas res pertineant, quæ quandoque similes erunt » : et l. *Non possunt*, ff. eodem, ibi : « Non possunt omnes articuli singillatim, aut legibus, aut senatusconsultis comprehendi, sed cum in aliqua causa sententia eorum manifesta est, is qui jurisdictioni præest, ad similia procedere, atque ita jus dicere debet. » Et c. *inter corporalia* 2, *De translation. episcop.*, ibi : « Cum de similibus idem judicium sit habendum. »

(32. Septima regula : « In omnibus causis prior debet esse ratio æquitatis, quam stricti juris ; » *Communis*, per textum in leg. *Placuit*, cod. *De judiciis*, ibi : « Placuit in omnibus rebus præcipuam esse justitiæ, æquitatisque scriptæ, quam stricti juris rationem ; » et leg. *In omnibus* ff. *De reg. juris*, ibi : « In omnibus quidem maxime tamen in jure æquitas spectanda est. » Et l. *Quod si Ephesi*, § *Interdum*, ff. *De eo quod certo loco*, ibi : « In summa æquitatem ante oculos habere debet judex ; » et c. *Ex parte* 13, *De offic. delegati*, ibi : « Et in causa juxta juris æquitatem procedere. » (33. Ubi autem deficit æquitas scripta, et in jure circa aliquam causam nihil habetur expressum, tunc servanda est æquitas non scripta, et judex procedere debet prout æquum et justum esse censuerit ; cap. *Ex parte tua* 21, *De transactionibus*, ibi : « In his vero super quibus jus non invenietur expressum, procedas (æquitate servata) semper in humaniorem partem declinando, secundum quod personas, et causas, loca et tempora videris postulare. »

(34. Æquitas vero est justitia fulgore misericordiæ temperata, ut eam definit S. Cyprianus relatus ab Abbate in cit. cap. *Ex parte tua* 11, *De transactionibus*, n. 7. Vel æquitas est quædam factorum convenientia, et rectitudo judicii naturalem sequens rationem, ut eam definit Baldus in leg. *Omnes populi*, n. 19, ff. *De justitia et jure* : Barb. axiomat. 15, n. 5.

(35. Octava regula : « Argumentum a sensu contrario est satis validum ; » *Communis*, per textum in leg. 1, ff. *De officio ejus, cui mandata est jurisdictio*, ibi : « Hujus rei fortissimum argumentum est quod lege Julia de vi, nominatim cavetur, etc. » *Non aliter igitur mandare poterit* : et cap. *Qualis hinc*, dist. 25, ibi : « Quod enim de uno negatur, consequens intellectus patet, quia de quibusdam conceditur. » Unde *Glossa* in cap. *Cum apostolica verb. Datur intelligi, de his quæ fiunt a prælatis*, expresse dicit, quod « a contrario sensu datur fortissimum argumentum. » Dummodo tamen ex tali argumento a sensu contrario nullum sequatur absurdum, aut inconveniens, sed jurium correctio ; quia argumentum a sensu contrario non valet, quando ei alia jura resistunt, ut expresse dicit *Glossa* communiter recepta in cap. *Significasti*, verb. *Clerici*, *De foro competent*, ibi : « Argumentum a sensu contrario non habet locum, cum alia jura contradicunt. »

(36. Nona regula : « Non censetur plus de priori lege mutatum, quam est expressum in posteriori ; » *Communis* per textum in leg. *Præcipimus*, cod. *De appellat.* ibi : « Quidquid autem hac lege specialiter non videtur expressum, id veterum legum, constitutionumque regulis omnes relictum intelligant ; » et leg. *Si vero*, § *De viro*, ff. *Soluto matrimon.*, ubi summarium sic habet : « Provisio legis contra jus commune non extenditur ultra illud quod exprimit, licet eadem sit ratio. » Accedit ratio, quia correctio legum, utpote odiosa, non facile est præsumenda ; jura enim juribus, quantum fieri potest, sunt concordanda, neque eorum correctio est inducenda sine necessitate, textu expresso in cap. *Cum expediat* 29, *De election.* in 6, ibi : « Cum expediat concordare jura juribus, et eorum correctiones, si sustineri valeant, evitari ; » et concordat textus in leg. unic. *De inofficios. dotibus*, ibi : « Leges legibus concordare promptum est, » cum similibus ; unde in leg. *Non est novum* 25, et sequent. ff. *De legibus*, generaliter sancitur, ad evitandas legum correctiones, leges priores esse habendas, et explicandas per posteriores ; et e contra has per priores, ibi : « Non est novum, ut priores leges ad posteriores trahantur, etc., sed et posteriores leges ad priores pertinent, nisi contrariæ sint. »

(37. Decima regula : « Lex pœnalis, et omnis alia odiosa, in dubio, est stricte interpretanda, nec regulariter extendenda ultra casum, et personas expressas ; » *Communis* per textum in l. XXXXII, ff. *De pœnis*, ibi : « Interpretatione legum pœnæ molliendæ sunt potius, quam exasperandæ : » et c. *Odia* 14, *De reg. juris*, in 6, ibi : Odia restringi et favores convenit ampliari : » et c.

Digitized by Google

In pœnis 49, in 6, ibi : In pœnis benignior est interpretatio facienda ; » dicitur autem notanter in dubio ; quia si ipsa verba legis pœnalis, aut alterius odiosæ, ejusque mens adeo clara sint, ut, salva ratione recti sermonis, non possint aliam interpretationem habere, non obstante quod lex appareat nimis dura et odiosa, adhuc erit observanda, leg. *Prospexit*, ff. *Qui, et a quibus manumissi*, ibi : « Quod quidem perquam durum est ; sed ita lex scripta est. »

(38. Undecima regula : « Leges favorabiles ampliori interpretatione sunt intelligendæ : seu in materia favorabili verba legis accipi debent secundum amplam suam significationem. » *Communis* per textum in cit. cap. *Odia* 15, *De regul. juris*, in 6, ibi : *Favores convenit ampliari*. Dummodo tamen nihil aliud exprimatur, vel appareat ex verbis legis, seu alterius dispositionis, nec exinde illusio legis sequi possit ; prout notatur in c. *Si sententia* 16, et cap. *Si civitas* 17, *De sent. excomm.*, in 6.

(39. Duodecima regula : « In beneficiis plenissima est interpretatio facienda ; » *Communis*, textu expresso in c. *Cum Dilecti* 6, *De donationibus*. ibi : « In contractibus plena ; in testamentis plenior ; in beneficiis plenissima est interpretatio facienda, » et cap. *Olim* 16, *De verbor. significat.*, ibi : « Cum beneficia principum sint interpretanda largissime. » (40. Excipienda tamen sunt rescripta ad beneficia ecclesiastica obtinenda, quæ sunt strictæ interpretationis, textu expresso in cap. *Quamvis* 4 *De præbendis*, in 6 ibi : « Quamvis plenissima sit alias in beneficiis interpretatio facienda ; litteræ tamen super obtinendis beneficiis debent, cum sint ambitiosæ, restringi. »

(41. Epicheia est benigna legum interpretatio secundum æquum et bonum, declarans casum aliquem particularem, ex mente legislatoris ob suas circumstantias speciales, sub lege universaliter lata non esse comprehensum. Est in re communis ; arg. l. *Placuit*, cod. *De judiciis*, ibi : « Placuit in omnibus rebus, præcipuam esse justitiæ, æquitatisque scriptæ, quam stricti juris rationem : » et l. *In omnibus*, ff. *De reg. juris*, ibi : « In omnibus quidem, maxime tamen in jure, æquitas spectanda est, » cum aliis jur. adductis sup. n. 32 et 33.

(42. In hoc autem differt epicheia ab interpretatione legis, quod per interpretationem interpretantur verba legis, quando sunt obscura, et ambiguum sensum reddunt ; per epicheiam vero interpretatur mens legislatoris, ubi constat de universali verborum sensu, dubitatur autem de mente legislatoris, utrum nempe is talem casum particularem, ob certas circumstantias, voluerit, vel potuerit comprehendere sub generali locutione legis ; unde tunc speciatim verificatur textus cit. cap. *Intelligentia* 5, *De verbor. significat.*, ibi : « Intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi, quia non sermoni res, sed rei est sermo subjectus : » et c. *In his* 15, eod. *De verbor. signif.*, ubi Pontifex factæ a se interpretationis allegat hanc rationem : « Considerantes nihilominus, quod non debet aliquis considerare verba, sed voluntatem ; cum non intentio verbis, sed verba intentioni debeant deservire, interpretamur, etc. »

(43. Hinc quandoque esse locum epicheiæ in casu aliquo particulari ob certas circumstantias concurrentes tenet communis doctorum ; arg., l. IV, ff. *De legibus*, ubi dicitur, quod « ex iis, quæ forte uno aliquo casu accidere possunt, jura non constituuntur : » Neque sic præjudicium infertur potestati legislativæ, cum præsumatur legislator in simili casu eadem fuisse dicturus, ut colligitur ex l. *Nulla juris*, ff. *De legibus*, ubi habetur : « Nulla juris ratio, aut æquitatis benignitas patitur, ut quæ salubriter pro utilitate hominum introducuntur, ea nos duriore interpretatione contra ipsorum commodum producamus ad severitatem. »

(44. Lex cessare potest per dispensationem factam ab habente legitimam dispensandi potestatem. *Communis*. (45. Quo autem ad ea, quæ speciatim concernunt dispensationem, *vid.* verb. *Dispensatio* per tot.

(46. Lex cessare potest per privilegium concessum ab habente legitimam potestatem ipsum concedendi. *Communis*. Privilegium enim est, quod princeps contra communes regulas juris, seu contra communes leges cuipiam concedit, seu rescribit, juxta illud *Esther* XXV : *Non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est*. (47. Dicitur enim privilegium, quasi *lex* privata ; neque esset privata, nisi aliquod speciale indulgeret ; c. *Privilegia* 3., dist. 3, et c. *Abbate* 25, *De verbor. significat.*, § *Contra*.

(48. Quia igitur privilegium est contra jus commune, et omnis recessus a jure est odiosus, cap. *Is qui* 1, *De filiis presbyterorum*, § *Ille vero*, in 6, ibi : « Quam exhorbitantem a jure oportet veluti odiosam restringi. » Hinc privilegium est stricte interpretandum, ac restringendum, dummodo ex hoc non reddatur inutile. *Communis* arg. cit. cap. *Is qui*, et cap. *Odia* 15, *De regulis juris* in 6, ibi : « Odia restringi, et favores convenit ampliari, » cum simil.

(49. Lex cessare potest per consuetudinem contrariam legitime introductam. *Communis*. (50. Circa autem ea, quæ speciatim quoad hoc concernunt consuetudinem. *Vid.* verb. *Consuetudo* per tot.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(51. Pertinet et ad jurisconsultos, judicesque leges interpretari. Tripliciter autem interpretari possunt jurisconsulti et judices leges. (52. Primo ad casus similes producendo legis dispositionem, considerata ratione ejus in aliis ad eamdem utilitatem tendentibus militante, idque etiamsi taxativis verbis lex uteretur, quippe quia taxatio tantum ad casus dispares excludendos pertinet, non item ad eos, in quibus militat similis, aut eadem, aut major ratio. (53. Secundo restringendo generalia legum effata ad casus illos, in quibus solis manifesta, et adæquata ratio legis locum habet. (54. Ter-

Digitized by Google

tio denique explanando verba legis obscura, vel ambigua, et dubium ipsius legis sensum eruendo.

(55. Id autem ut recte fiat, servanda sunt quædam universalia præcepta. In primis, et ante omnia de mente legis non est judicandum, nisi tota lege perspecta, cum ex antecedentibus et subsequentibus ut plurimum evidens evadat sententia legis, leg. 24, ff. *De legib.*

(56. Deinde semper adhiberi debet ea interpretatio, quæ caret vitio, et aptior est rei gerendæ, et convenientior menti legislatoris, l. XIX, eod. tit. l. LXVII, et l. XCVI, ff. *De reg. jur.*, non calumniosa. (57. l. penult. ff. *Ad exhib.* (58. non talis, quæ circumveniat mentem legis, dum fieret, quod lex fieri noluit, fieri tamen expresse non vetuit, l. XXIX et XXX, ff. *De leg.* l. v, cod. eod. (59. Quæve redderet legem inutilem, nullis accomodata casibus, et sic omni effectu destitutam, arg., l. I, § ult. ff. *Ad municipal.* aut, quæ in favorem alicujus inventa, torqueret severius in ejusdem dispendium ac læsionem; l. XXV, ff. *De leg.*, et l. VI, cod. eod.

(60. Sed nec petenda est interpretatio ex iis, quæ constituta sunt jure singulari, aut necessitate quadam in certis solummodo casibus; l. XIV, ff. *De leg.*, et l. XVI, ff. *De reg. jur.*, aut errore sunt introducta leg. XXIIX, ff. *De leg.*

(61. Recedendum nec aliter est a propria verborum significatione, quam cum manifestum est, id legislatorem voluisse, argum., l. LIIX, ff. *De leg.*, 3, magisque in dubio verbis edicti serviendum ait Ulpianus in l. I, § 20, ff. *De exercit. action.* Recedere autem voluisse legislatorem a propria significatione verborum, erui valet cum ex antecedentibus et subsequentibus verbis legis, præfatione, epilogo et similibus, tum ex ratione legis ipsi legi subjuncta, tum etiam ex eo quod verba in proprio significatu accepta, involverent absurditatem, impossibilitatem, vitium, vel significationem non satis aptam rei gerendæ.

(62. Omittendum haud est etiam, ex argumentis desumptis a contrario sensu, legis sensum erui posse, et interpretationem fieri, ut servarunt ipsi jurisconsulti in l. I, ff. *De offic. ejus, cui mandat. jurisd.*, l. XVIII, ff. *De testib.*, l. XX, § 6, ff. *Qui testam. facere poss.*, l. XXVI, ff. *De pact. dotal.*

(63. Quod si hisce, similibusque præceptis observatis, necdum manifesta reddi possit legis sententia, aut evitari absurditas, iniquitasque, quam videbatur involvere dispositio legis, haud poterit judex, prætextu æquitatis, arrogare sibi licentiam spernendæ legis, tanquam duræ, et iniquæ, ac judicare contra perspicuam legis decisionem, cum judicis sit secundum legem, nequaquam vero de legis justitia, vel injustitia judicare, et facti quidem quæstio, non item juris auctoritas, in ejus potestate sit: l. I, § 4, ff. *ad senatus consult. Turpilian.*, juncta l. XII, § 1, ff. *Qui et a quibus liberi non fiant*, solumque superest, ut eatur ad legislatorem; l. XI, ff. *De leg.* l. II, § 18, *code de veter. jur. enucleand.* l. I, l. IX, l. penult. et ultim. cod. *De legib.*

LEX COMMISSORIA.

Vid. verb. EMPTIO *art.* 4, *a n.* 40 *ad* 45, *et verb.* HYPOTHECA, *n.* 34 *et* 35.

LIBELLUS FAMOSUS.

SUMMARIUM.

1. Libellus famosus quid sit? — 2. Libellus famosus sit scriptura, vel pictura, et quid veniat appellatione scripturæ, et picturæ. — 3. Ad constituendum libellum famosum quinque requisita copulative debent concurrere. — 4. Primo requiritur, quod occultetur nomen libellantis. — 5. Secundo requiritur, quod in illo exprimatur nomen libellati, seu injuriati. — 6. Tertio requiritur, quod libellus famosus publicetur. — 7. Quarto requiritur, quod interveniat dolus. — 8. Quinto requiritur, quod libellus contineat non solum contumeliam, sed et simul delictum aliquod considerabile. — 9. Dicta requisita debent cumulative concurrere ad hoc, ut quis dicatur reus libelli famosi. — 10. Unde qui joco facit libellum famosum, non incidit in crimen, et pœnam libelli famosi. — 11. Et jocus præsumitur, quando deficit causa. — 12. Et quando faciens est juvenis lætus, et facetus, et bonæ famæ. — 13. Item non incidit in pœnam libelli famosi, qui mittit epistolam alicui in injuriam, et infamiam alterius, cum expressione et mandato, quod illam teneat secreto. — 14. Vel etiam mittit ipsi injuriato, qui præsumitur eam secreto retenturus. — 15. Item non incidit in crimen, et pœnam libelli famosi, qui provocatus et lacessitus libello famoso, libellum in auctorem primi confici et crimina in ipsum retorquet. — 16. Multi sancti Patres scriptis lacessiti cum mordacitate et cum aliis scriptis responderunt. — 17. Libellos famosos facientes, publicantes, consulentes, seu mandantes fieri, seu publicari, committunt crimen gravissimum, et detestabile. — 18. Insuper rei hujus detestabilis criminis subjacent gravissimis pœnis, tum de jure canonico. — 19. Tum de jure civili. — 20. Eadem pœna puniuntur mandantes, cooperantes, et consulentes fieri libellos famosos. — 21. Eadem pœna puniuntur invenientes libellum famosum, et illum non lacerantes, nec comburentes, sed aliis manifestantes. — 22. Eadem pœna puniuntur dictantes, scribentes et exemplantes libellum famosum. — 23. Eadem pœna puniuntur componentes carmina, cantiones et similia in detractionem famæ alicujus. — 24. Item eadem pœna puniuntur eas cantiones, seu carmina cantantes. — 25. Eadem pœna puniuntur facientes libellum famosum contra mortuum. — 26. Eadem et majori pœna puniuntur, qui libellum famosum faciunt, non sub nomine suo, sed sub nomine alterius. — 27. Eadem pœna puniuntur, qui faciunt cadere in terram libellum famosum, ad effectum ut publicetur. — 28. Eadem pœna puniri possunt bibliopolæ, et mercatores librorum ementes, retinentes et vendentes libellos famosos. — 29. Ex constitutionibus S. Pii V, et Gregorii XIII, appellatione libelli famosi continentur pariter, nedum, ut vulgo dicitur *li avvisi secreti*, sed etiam pasquilli, vulgo *pasquinate*. — 30. Si libellus famosus respiciat statum alicujus religionis in communi, ultra supradictas pœnas, auctor est ipso facto excommu-

Digitized by Google

nicatus excommunicatione majori papæ reservata. 31. Pœna libelli famosi habet locum, etiam si quis in eo verum dixerit. — 32. Non desunt tamen doctores tenentes contrarium. — 33. Qui detraxerunt aliis libello famoso continente vel falsum crimen, vel verum occultum ad quid teneantur; *remissive*. — 34 ad 41. Additiones.

(1. Libellus famosus est chartula quædam in quocunque loco reperta, ad alterius infamiam scripta, vel picta : colligitur ex l. unic. cod. *De libell. famos.*, et cap. *Si quis famosum* 5, qu. 1, et est *in re communis* cum Moscatell., *De cognition. delict.*, tit. *De injur.* et *Libell. famos.*, n. 8 et 9, Raynald., tom. I, cap. 11, § 1, n. 4; Ursaya, *Institut. crimin.*, lib. II, tit. 9, n. 78. (2. Unde ut vides, libellus famosus fit scriptura, vel pictura. Nomine et appellatione chartulæ veniunt nedum scripturæ, sed etiam carmina, epigrammata, et similes cantiones in detractionem famæ alterius compositæ. Farinac., qu. 105, n. 467 et sequent.; Ursaya *loco cit.*, n. 80, et alii passim. Nomine, et appellatione picturæ veniunt nedum picturæ obscenæ, et turpes in alterius injuriam et infamiam factæ, sed etiam stercorationes factæ, seu appositæ in portis, fenestris, seu domo alterius et omnes turpitudines, et multo magis cornua ibidem in alterius injuriam, et infamiam affixa. Clarus in *Praxi* § fin., qu. 68, n. 25; Panimol., dec. 52, annot. 1, n, 22 et 23; Ursaya *loco cit.*, n. 28 et seq.; Farinac., qu. 105, n. 469 et 471; Bertazin., consil. 237, n. 2, et alii apud ipsos.

(3. Ad constituendum libellum famosum quinque requisita copulative debent concurrere ut recte observat Ursaya *loc. cit.*, n. 86; Raynald., lib. I, cap. 11, §. 1 a. n. 7. (4. Primo requiritur, quod occultetur nomen libellantis, id est, quod occultetur nomen suum, ut habetur in l. unic. cod. *De famos. libell.*, et tenet Engel in l. *Lex Cornelia.* § *Si quis librum*, ff. *De injur.*, etc.; Clarus qu. 68, n. 25; Ursaya *loc. cit.*, n. 86; Raynald., *l. c.*, n. 7, et plures alii apud ipsos.

(5. Secundo requiritur, quod in illo exprimatur nomen libellati, seu injuriati : Sarno in *Praxi crimin.*, part. II, formul. 10, vers. et primo, Maresca apud Sarn. loc. mox cit. vers. *Et primum* in fine. Raynald., *l. cit.*, n. 10; Ursaya *loc. cit.*, n. 87; nisi tamen aliunde constet, quod de eo auctor loqui voluit. Farinac., qu. 105, n. 47; Conciol., *Resol. crim.*, verb. *Læsæ majestatis crimen*, resol. unic., n. 19; Raynald., *loc. cit.*, n. 11; Ursaya, *l. c.*, n. 88, et alii.

(6. Tertio requiritur, quod libellus famosus publicetur; est enim de substantia libelli famosi, quod ex eo sequatur diffamatio, quæ sine publicatione non datur. Farinac., *loc. cit.*, n. 486; Sanctor., *De pœnis*, part. II, c, 12, qu. 3; Ursaya, *loc. cit.*, n. 89; Raynald., *loc. cit.*, n. 13, cum pluribus ibi cit; Conciol, *Resolut. criminal.*, verb. *Libellus famosus*, resol. un., n. 10 et plures. alii apud ipsum.

(7. Quarto requiritur, quod interveniat dolus, quia, si aliquis non animo injuriandi, sed vel per simplicitatem, vel per jocum libellum componat, et publicet vel libidinis, motivo cantiones canat, non erit reus libelli famosi, Conciol., *Resolut. crimin.*, vers. *Læsæ majestatis crimen*, resul. unic., n. 20; Ursaya, *loc. cit.*, n. 92 et seq.; Raynald., *loc. cit.*, n. 18, cum plurimis ibi citatis per textum in l. *Lex Cornelia*, § *Si quis librum*, ff. *De injur.*, ibi : *Dolove malo fecit, vel curavit*, et l. 1. ff. *Ad legem Jul. majestat.*, ibi : *fueritve dolo malo*, cap. *Si qui inventi fuerunt* 3., caus. 5, qu. 1. ibi : « Sed vim earum dolose manifestaverit. »

(8. Quinto requiritur, quod libellus contineat non solum contumeliam, sed et simul delictum aliquod considerabile ; quia si contineret solum contumeliam, non libellus famosus, sed injuria in scriptis dicenda esset. Theodoric., *De delict. privat.*, c. 2, aphorism. 16, n. 32; Ursaya, *loc. cit.*, n. 95; Raynald., *l. c.*, n. 19 et seq., et plures alii apud ipsum.

(9. Dicta requisita debent cumulative concurrere ad hoc, ut quis dicatur reus libelli famosi, quia si unum, vel alterum ex his deficiat, deficit nomen et crimen libelli famosi; et remanet crimen et actio injuriarum. Binsfedel., *De injur. et damno dato*, c. 1, quæst. 13, conclus. 3 et 4; Carpzov., *Pratic. crimin.*, q. 98, n. 50; Maresca penes Anell., « De Sarnoin *Prax. crim.*, par. II, vers. *Debet sane*; Raynald., *loc. cit.*, n. 23, et alii passim.

Unde qui joco facit libellum famosum, non incidit in crimen, et pœnam libelli famosi; arg. l. *Si non convicii*, c. *De injur.* et l. *Item apud Labeonem* § *Meminisse*, ubi *Glossa*, ff. eod. tit. et sic tenent Surd., dec. 89; Thorvot., dec. 50, n. 6 et 7; Navarr., collect. 2, ad pragm. 1, *De injur.*, n. 4; Carpzov., *l. c.*, q. 98. n. 58; Gargareus, *Tract. de libello famoso*, c. 4, n. 10, et c. 7, n. 50; Raynal, *l. c.*, n. 26 et seq., et plures alii apud ipsos. (11. Qui omnes aiunt præsumi joco factum, quoties non apparet de causa propter quam quis moveri potuerit. (12. Et quoties imputatus sit juvenis lætus; et ut dicitur; *allegro e faceto*, seu bonæ famæ.

(13. Item non incidit in pœnam libelli famosi, qui mittit epistolam alicui in injuriam, et infamiam alterius cum expressione et mandato, quod illam teneat secreto. (14. Vel etiam mittit ipsi injuriato, qui præsumitur eam secreto retenturus. Farinac., q. 105, n. 487, et conclus. 123, n. 5; Ursaya, *loc. cit.*, n. 133, n. 38, vers. *Quinta ratio*, part. 5; Raynald., *loc. cit.*, n. 24 et seq., et alii plures apud ipsos.

(15. Item non incidit in crimen et pœnam libelli famosi, qui provocatus, et lacessitus libello famoso, libellum in auctorem primi conficit, et crimina in ipsum retorquet, l. *Qui cum* § *Idem*, ff. *De bon. libert.*, ibi; « Et si ab eo petitus retorsit in eum crimina ; ignoscendum est enim ei, qui voluit se ulcisci provocatus, » ibique *Glossa*. verb. *Retorsit*, ibi ; *Ignoscendum ei, qui non facit*

Digitized by Google

sponte, et cap. *Ad limina* 30, q. 1, ibi : « Inculpabile judicandum est, quod necessitas intulit (12).

(16. Hinc multi sancti Patres scriptis lacessiti cum mordacitate, et cum aliis injuriis pariter in scriptis responderunt, ut patet de S. Gregorio Nazianzeno « in ejus vita et oratione de episcopis ; » de S. Hieronymo in Apologia contra Ruffinum : de S. Bernardo lib. IV *De consideratione* : de S. Thoma in opuscul. 19 ; de S. Bonaventura in *Apologia contra Gulielmum de Sancto Amore* ; et de aliis pluribus. Et sic tenent Ursaya, *loc. cit.*, n. 111, cum aliis ibi citatis., Farinac., quæst. 104, num. 488 ; Raynald., *loc. cit.*, a num. 29, cum pluribus citatis.

(17. Libellos famosos facientes, publicantes, consulentes, seu mandantes fieri, seu publicari, et hujusmodi, committunt crimen gravissimum et detestabile, ut recte notant Farinac., qu., 105, n. 490 ; Raynald., *loc. cit.*, n. 2, et alii communiter ; et comprobatur ex constitutione S. Pii V incipient. *Romani Pontificis providentia*, in princip.

(18. Insuper rei hujus detestabilis criminis subjacent gravissimis pœnis ; jure enim canonico sancitum est, quod tales rei anathematizentur, fustibus ac verberibus carpantur ; cap. *Qui in alterius* 1, cap. *Quidam* 2, et cap. *Si qui inventi fuerint* 3, caus. 5, q. 1 ; Farinac., q. 105, n. 422, et sequent. ; Panimoll. decis. 52, adnot. 1, n. 42 ; Ursaya, *loc. cit.*, n. 108, et alii. Et secundum citat. constitution. S. Pii V incipient. *Romani Pontificis providentia*, libellos famosos retinentes, facientes, dictantes etc., in Statu Ecclesiæ, gravissimis pœnis sunt puniendi, et bonorum confiscatione, et aliquando etiam ultimo supplicio.

(19. De jure autem civili hujusmodi rei efficiuntur infames, et intestabiles, leg. *ob carmen*, ff. *De testibus* et l. *Lex Cornelia*, § *Si quis*, ubi *Glossa* verb. *Intestabilis*, ff. *De injuriis*, Ursaya, *loc. cit.*, n. 107, et alii. Insuper aliquando fustigantur, aliquando ad triremes transmittuntur, et aliquando ultimo supplicio condemnantur, l. unic. cod. *De famoso libello* ; Panimoll., *loc. cit.*, sub. n. 42, et alii apud ipsum Ursaya, *loc. cit.*, num. 103, et sequent., ubi refert exemplum de quodam Cremonensi, qui ob malos versus, et similes cantilenas contra Clementem VIII prædefunctum, et nonnullos cardinales fuit decapitatus, et confiscatione bonorum plexus. Idem evenit abbati Francisco Dominico Rivarola, qui ob similes libellos contra Clementem XI, fuit capite punitus in Urbe die 4. Augusti 1709, nec non Cajetano Vulpino die 5 Februarii 1720.

(20. Eadem pœna puniuntur mandantes, cooperantes, et consulentes fieri libellos famosos ; omnes enim isti concurrunt in genere causæ efficientis, et dicuntur illos componere, et facere, l. *Lex Cornelia*, § *Si quis librum*, ff. *de injur.* ; Gargiareus, *De libello famoso*, c. 9, n. 3 et 18 ; Farinac., q. 105, n. 442 et seqq. ; Ursaya, *loc. cit.*, n. 125 ; Raynald., *loc. cit.*, § 4 et 6 ; n. 50, et alii plures apud ipsos.

(21. Eadem pœna puniuntur invenientes libellum famosum, et illum non lacerantes, nec comburentes, sed aliis manifestantes ; l. unic. cod. *De famos libell.* ibi : « Si vero non statim easdem chartulas, vel corruperit, vel igne consumpserit, sed vim earum manifestaverit, sciat, se quasi auctorem hujusmodi delicti, capitali sententiæ subjugandum ; » et late Farinac., quæst. 105, n. 450 et sequent. ; Raynald., *loco cit.*, § 2, n. 5 et sequent., ubi tres rationes assignat. 1° Quia retinens libellum famosum præsumitur illius auctor. 2° Quia videtur habere animum manifestandi. 3° Quia dat occasionem, ut libellus ab aliis possit inveniri et videri.

(22. Eadem pœna puniuntur dictantes, scribentes et exemplantes libellum famosum, l. *Lex Cornelia*, § *Si quis librum*, in verb. *Scripserit*, ff. *De injuriis*, l. *Item apud Labeonem*, § *Hæc in verbo scribit*, ff. eodem, et expresse cavetur in cit. constitut. S. Pii V incipient. *Romani Pontificis Providentia*, Panimoll., decis. 52, adnot. 1, n. 17 ; Farinac., quæst. 104 n. 446 ; Bursat., consil. 20, n. 55, et communis aliorum.

(12) *Nota Romani theologi.* — Auctor, ut ego opinor, de foro externo, et criminali judicio loquitur, quo spectant leges, quas citat, non vero de foro conscientiæ. Sed si de foro conscientiæ sermo sit, quis unquam probare poterit licitum esse homini Christiano libello famoso per libellum famosum respondere ? Lex enim Christi diligere inimicos jubet, eisque benefacere ; percutienti consulit alteram maxillam præbendam, et tollenti pallium dandam quoque tunicam esse. Item cum eadem Christi lex, tum etiam lex ipsa naturæ odio habere proximum vetat, iram compescere jubet, ac ea omnia prohibet, quæ homines ad iram et odium apta sint provocare. Age vero : fac hominem libello famoso lacessitum, libello alio famoso, ac recriminatione publica respondere, dum tamen id necessarium ita non sit ad propriam defensionem, ut alia via non suppetat, quis non videat, præceptum illud infringere, quo jubemur inimicos diligere, eisque benefacere, quo tenemur patienter injurias ferre ac injuriam irroganti parcere ; quo denique odium proximi prohibetur, et ea omnia interdicuntur, quæ ad iram, et odium proximi incitare possint, et debeant ? Si res ita se habet, ut revera est ; qua ratione probari poterit usus libelli famosi in homine Christiano, qui per libellum antea lacessitus fuerit ? Atque hinc liquet, quam inepte, ad suam comprobandam assertionem, attulerit Lucius sanctos Ecclesiæ Patres, qui non libellis, neque injuriis usi sunt in refutandis adversariis ; sed veritatis studio ac virtutis amore, fervore quodam incitati adversus hæreticos, vel novatores, aut scandalosos homines, objurgationes, ac tales phrases adhibuere, quæ vel detestandos errores, vel noxias novitates, vel improbatos ac perniciosos mores, aut obstinatam perversorum hominum malitiam exprimerent ac veluti horrendam Christianæ plebi prædicarent. At ita scribere non est *injuriis* respondere, nulla enim injuria fit homini perverso, dum publici ipsius errores, ac perversi, et humano generi noxii mores objurgantur ac maledictis etiam palam reprehenduntur. Si vero quisquam Patrum injuriis in adversarium responderit, secus ac patientia et charitas Christiana postulat, a culpa in illa actione liberari non potest ; sed prædicanda potius erit pœnitentia eximia, qua culpam illam expiavit, et pœnitentes imitandi erunt, non vero irati, ac injuriis proximum afficientes.

Digitized by Google

(23. Eadem pœna puniuntur componentes carmina, cantiones, et similia in detractionem famæ alicujus, l. *Lex Cornelia*, § final. et ibi *Glossa* in verbo *Epicheia*, et in verbo *Sive scripturam*, ff. *De injuriis:* Farinac., quæst. 105, n. 467 et seq., cum multis aliis a se citatis, Panimoll., decis. 12, adnot. 1, n. 30, et alii passim. (24. Item eadem pœna puniuntur eas cantiones cantantes, textu expresso in l. *Item apud Labeonem* § *Hæc autem*, ibi : *Vel cantant aliquid, quod pudorem alicujus lædat*, ff. *De injuriis.* Farinac., *loc. cit.*, n. 468; Panimoll., *loc. cit.*, n. 31, et alii.

(25. Eadem pœna puniuntur facientes libellum famosum contra mortuum, quia non est minor injuria, quæ infertur mortuo, quam vivo, l. 1, ff. *De his quæ ut indignis.* Ursaya, *loc. c.*, n. 138, Muta *ad Pragm.*, tit. 40, *De pœn eden. famos. libell.*, n. 37, et alii. Et patet exemplo adducto supra sub n. 18, de quodam Cremonensi, qui fuit decapitatus ob malos versus, et similes cantilenas confectas contra Clementem VIII prædefunctum.

(26. Eadem, et majori pœna puniuntur, qui libellum famosum faciunt, non sub nomine suo, sed sub nomine alterius; ipsi enim magis delinquere videntur, cum alium, ad se exscusandum, de hujusmodi crimine falso inculpare intendant: l. *Lex Cornelia*, § *Si quis librum*, ibi : « Etiamsi alterius nomine » et ibi *Glossa*, ff. *De injuriis;* Farinac., q. 105, n. 472; Panimoll., *loc. cit.*, n. 27, et alii communiter.

(27. Eadem pœna puniuntur, qui faciunt cadere in terram libellum famosum, ad effectum ut publicetur. Hoc enim idem est, ac si illum publicassent, sive illum confecerint ipsi, sive ab aliis acceperint; l. 1, cod *De famos. libell.* ibi : *Sed vim earum manifestaverint*, et ibi *Glossa*, Farinac. quæst. 105, n. 458 et sequent., cum aliis ibi citatis Panimoll., *l. c.*, n. 26, et alii passim.

(28. Eadem pœna puniri possunt bibliopolæ, et mercatores librorum, ementes, retinentes et vendentes libellos famosos; sunt enim causa, ut ab aliis legantur. Gargiareus *De libello famoso*, cap. 8, n. 50; Coler., decis. 154, n. 8 et seq.; Ursaya *loc. cit.*, n. 139, et alii passim.

(29. Ex dispositione cit. constitutionis S. Pii V incipient. *Romani Pontificis providentia*, et constitutionis Gregorii XIII, relatis a Navarr. in *Summ. Bullar.*, p. II, com. 83, n. 1, appellatione libelli famosi continentur pariter, nedum, ut vulgo dicitur *li avvisi secreti*, ut plurimum continentes læsionem alterius famæ, in quibus constitutionibus contra illos conficientes imponitur pœna mortis; sed etiam pasquilli, vulgo *pasquinate*. Ursaya *loc. cit.*, num. 147, cum aliis ibi adductis.

(30. Si famosus libellus respiciat statum alicujus religionis in communi, v. g. ordinis Prædicatorum, Minorum, Augustinensium, Carmelitarum, Societatis Jesu, et hujusmodi, ultra supradictas pœnas, auctor est ipso facto excommunicatus excommunicatione majori Papæ reservata, ut observat. Navarr. in *Summario Bullar.*, part. II, comm. 83, n. 7; Ursaya, *loc. cit.*, n. 143, ubi notat, quod in eamdem excommunicationem non incurrit conficiens libellum famosum contra privatum religiosum, ejus personam tantum infamando, quia constitutiones Apostolicæ respiciunt favorem religionis in communi, non autem alicujus religiosi in particulari. Navarr. et Ursaya, *l. c.*; Medina, *De confess.*, l. 1, c. 15, n. 35, et alii passim.

(31. Pœna libelli famosi habet locum etiam si quis in eo verum dixerit, l. II, cod. *De famoso libello*, ubi *Gloss.* in verb. *Sane*, Oltrad., consil. 53, n. 2., vers. *Si per libellum;* Azor., in summ. *De famos. libell.*, n. 2, in fin.; Boss., t. *De injur.*, n. 4, post princip., vers. *Nec obstat:* Covarruv., *Variar. resol.* lib. 1, c. 11, n. 5; circa med.; Panimoll., dec. 52, adnot. 2, n. 9, et alii adducti per Farinac. in *Praxi crimin.*, t. *De var. divers. crimin.*; qu. 101, n. 24 et 244, et aperte id disponitur in cit. constit. S. Pii V, incipient. *Romani Pontificis providentia*, et comprobat Gauzzin. *De confiscat.* conclus. 13, ampliat. 91, n. 2 et 4, ubi testatur dispositionem dictæ constitutionis S. Pii V esse in viridi observantia, et diversis casibus occursis, ita fuisse decisum, prout etiam refert Farinac. consil. 30, n. 109, t. I, et ex ipso Panimoll., d. 52, adnot. 2., n. 11, adducens diversa exempla.

(32. Non desunt tamen doctores tenentes contrarium, scilicet pœnam libelli famosi non habere locum, quando sunt vera in libello expressa. Sic multi apud Farinac., *l. c.*, q. 104, n. 242 et seq.; Raynald., *l. c.*, n. 24 et seq.; Famian. Centolin., in *Adnot. ad consil. crimin.*, 30; Farinac., litt. V., ver. *Contrarium videtur voluisse.*

(33. Qui detraxerunt aliis libello famoso continente vel falsum crimen, vel verum occultum, ad quid teneantur? *Vide* verb. *Detractio*, art. 2, per tot., ubi salva proportione abunde dictum est de simili obligatione.

NOVÆ ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(34. Publicum judicium ex senatusconsulto redditum est ob libellum famosum; l. VI, ff. *De injur.*, cujus pœna capitis est l. unic. cod. *De famos. libell.*

(35. Non male vero nostri interpretes pœnam hanc capitis restrixerunt ad famosum libellum, quo alicui objiciuntur gravia, et capitalia crimina ab eo, qui sævitiæ judicum, aut principis adrepere satagit. Absurdum namque foret ob quamcunque contumeliam scripto factam imminere reo pœnam capitis. Confirmatur communis hæc sententia tum per verba mox cit. legis unicæ cod. *De famos. libell.*, tum per constitutiones, quæ sunt in codice Theodosiano sub eodem titulo. Potissimum vero vide 4, 5, 8 et 10.

(36. Puniunt imperatores Valentinianus et Valens eos quoque capite, qui libellum inventum non illico consumpserint, sed aliis sensum ejus manifestaverint. (37. Id sane

Digitized by Google

durum videtur. Sed restringenda verba ad eum sunt, qui contenta libello crimina effert dolo malo, ut periculum ex ea re capitis creet infamato.

(38. Quod qui fecit, cum eo non valde duriter agetur, si ea pœna afficiatur ipse, cujus spectaculo in alterius cervicem crudelem animum satiare voluit. (39. Cæterum si quis non dolo id faciat, sed *vitio linguæ*, *atque impotentia*, dum cognita facere nescit, durissimum foret pœnam capitis *garrulitati* statuere. (40. Injuria enim sine dolo, atque affectu injuriandi nequaquam committitur, garrulitas autem non dolus, sed culpa est.

(41. Restat ut disseramus de pœna ejus, qui non appetierit famoso libello vitam, et salutem alterius, sed famam tantummodo, atque existimationem. Nihil autem nominatim scriptum est, nisi quod damnatus ob carmen famosum fiat intestabilis; l. v, § *Si quis librum*, ff. *De injur.*, l. II, ff. *De testib.* Sed cum jurisconsultus dicat in d. l. v, si condemnatus sit, qui id fecit intestabilem ex lege esse juberi, satis indicat aliam fuisse pœnam, quæ sententia judicis infligeretur. Quæ cum prodita non sit, dicamus puniendum reum extra ordinem arbitrio judicis. Hæc de pœna famosi libelli de jure civili. Quod autem innovatum sit summorum Pontificum constitutionibus, indicat Auctor.

LIBERALITAS.

Vid. verb. AVARITIA., *n.* 12.

LIBRI.

SUMMARIUM.

1. Sub pœna excommunicationis latæ sententiæ tenetur quisque suscipere pro sacris, et canonicis omnes libros Novi et Veteris Testamenti a concilio Trident., sess. IV, in Decreto de canonicis scripturis enumeratos. — 2. Libros de rebus sacris sine nomine auctoris nullus imprimere potest, nec illos vendere, vel apud se retinere, nisi prius sint examinati et approbati ab ordinario sub pœna excommunicationis, et pecuniaria apposita a concilio Lateranensi et Tridentino. — 3. Regulares, ultra examinationem et approbationem hujusmodi, licentiam quoque a suis superioribus impetrare tenentur. — 4. Et utramque concessionem debent imprimi facere ad principium operis. — 5. Libros scriptos communicans, vel vulgans ante examen et approbationem, subjicitur pœnis, quibus et impressores: et eos habentes, vel legentes, nisi prodant auctores, pro auctoribus habebuntur. — 6. Librorum approbatio danda est in scriptis et gratis, sicuti et examen est gratis faciendum. — 7. Libri non sunt imprimendi sine nomine auctoris, vel certi collegii. — 8. Libri imprimi non possunt Romæ absque licentia cardinalis vicarii, et magistri Sacri Palatii. — 9. Alibi vero imprimi non possunt absque licentia ordinarii et inquisitoris. — 10. Librarii, seu impressores imprimentes absque his licentiis incurrunt excommunicationem et pœnam amissionis librorum et centum ducatorum. — 11. Libri auctorum degentium in statu Ecclesiæ imprimi non possunt extra statum sine licentia card. vicar. et magistri Sacri Palatii (et extra), sine licentia Inquisitorum; aliter impressi ipso facto sint prohibiti, et aliæ pœnæ ab imprimente incurruntur. — 12. Libri de miraculis, gratiis, beneficiis et aliis, quæ dicuntur accepta ope alicujus defuncti cum opinione sanctitatis, a Sede Apostolica non canonizati, nec beatificati, imprimi non possunt sine licentia Sedis Apostolicæ. — 13. Impressores et bibliopolæ habentes libros lutheranos, aut aliorum hæreticorum, aut de hæresi suspectos, quas pœnas incurrant, nisi eos consignent inquisitoribus. — 14. Libri sine nomine typographi, vel loci impressionis, vendi non possunt sub pœna confiscationis librorum. — 15. Libros furto extrahere, seu subtrahere ex bibliothecis regularium est prohibitum sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Papæ reservatæ. — 16. Referuntur ad hoc summarie variæ constitutiones Pontificiæ, usque ad n. 33.

(1. Libros Novi, et Veteris Testamenti a concilio Trident., sess. IV, in decr. *De canon. Script.* enumeratos, qui integros cum omnibus suis partibus, prout consueverunt legi in Ecclesia catholica, et habentur in veteri vulgata Latina editione, non suscipit pro sacris et canonicis, est excommunicatus. Conc. Trid., *l. c.*

(2. Libros de rebus sacris sine nomine auctoris nullus imprimat, vel imprimere faciat, et illos non vendat, vel apud se retineat, nisi prius sint examinati, et approbati ab ordinario, sub pœna excommunicationis et pecuniæ apposita in canone concilii Lateranensis, sess. X, *De impressione librorum*, sub Leone X. Sic expresse concil. Trident. Decret. cit. sess. IV, in Decr. *De editione et usu sacrorum librorum.*

(3. Regulares, ultra examinationem, et approbationem hujusmodi, licentiam quoque a suis superioribus impetrare tenentur, recognitis per eos libris, juxta formam suarum ordinationum. Concil. Trident. *loc. c.* et sic habetur etiam in instructione Clementis VIII, auctoritate regulis indicis adjecta § 2, *De impressione librorum.* (4. Ubi additur, quod « utramque concessionem, quæ appareat, ad principium operis imprimi faciant. »

(5. Libros scriptos communicans, vel vulgans ante examen et approbationem, subjicitur pœnis quibus et impressores. Et eos habentes, vel legentes, nisi prodant auctores, pro auctoribus habebuntur. Sic expresse conc. Trid., *loc. cit.*

(6. Librorum approbatio danda est in scriptis; atque ideo in fronte libri, vel scripti, vel impressi authentice appareat, idque totum, hoc est, et probatio, et examen, gratis fiat; sic expresse concil. Trid., *loc. c.*

(7. Libri non sunt imprimendi sine nomine auctoris, vel certi Collegii. Concil. Trid., *loc. cit.*, et cit. Instruction. Clementis VIII, *De impressione librorum* § 1, ubi sic expresse habetur, ibi: « Nullus liber in posterum excudatur, qui non in fronte nomen, cognomem, et patriam præferat aucto-

Digitized by Google

ris. Quod si de auctore non constet, aut ob justam aliquam causam, tacito ejus nomine, episcopo et inquisitori liber edi posse videtur, nomen illius pro nomine auctoris describatur, qui librum examinaverit, atque approbaverit. In his vero generibus librorum, qui ex variorum scriptorum dictis, aut exemplis, aut vocibus compilari solent, is qui laborem colligendi et compilandi susceperit, pro auctore habeatur. » Hæc ibi.

8. Libri imprimi non possunt Romæ absque licentia cardinalis vicarii Papæ, et magistri Sacri Palatii. Leo X, constit. 12, incipient. *Inter sollicitudines*, quæ est concil. Lateran. V, sess. x, *const.* 3.

(9. Alibi vero imprimi non possunt absque licentia ordinarii et inquisitoris hæreticæ pravitatis. Leo X. in cit. constit. incipient. *Inter sollicitudines*, et concil. Lateran. V, sess. x, et concil. Trid., sess. iv. in decreto *De editione et usu sacrorum librorum*.

(10. Librarii, seu impressores imprimentes absque his licentiis, incurrunt excommunicationem, et pœnam amissionis librorum, et centum ducatorum applicandorum fabricæ S. Petri Romæ. Leo X, cit. constitut. incip. *Inter sollicitudines*, et concil. Lateranens. V, cit. sess. x.

(11. Libri auctorum degentium in Statu Ecclesiæ, imprimi non possunt extra Statum sine licentia cardinalis vicarii, et magistri Sacri Palatii (et extra), sine licentia inquisitorum ; aliter impressi ipso facto sunt prohibiti, et aliæ pœnæ ab imprimente incurruntur. Urban. VIII, constit. 50., incip. *Sanctissimus*.

(12. Libri de miraculis, gratiis, beneficiis, et aliis, quæ dicuntur accepta ope alicujus defuncti cum opinione Sanctitatis a Sancta Sede Apostolica non canonizati, nec beatificati, imprimi non possunt sine licentia Sedis Apostolicæ. Urban. VIII, constitut. 37, incip. *Sanctissimus*.

(13. Impressores et bibliopolæ habentes libros Lutheranos, aut aliorum hæreticorum seu de hæresi suspectos, quas pœnas incurrant, nisi eos inquisitoribus tradant, aut consignent? Pius IV, constit. 76, incip. *Cum pro munere*, assignat.

(14. Libri sine nomine typographi, vel loci impressionis vendi non possunt, sub pœna confiscationis librorum. (Concil. Mogunt. IV, cap. 99; conc. Coloniens. III, part. xii, c. 9.

(15. Libros furto extrahere, seu subtrahere ex bibliothecis regularium est prohibitum, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ papæ reservatæ, ut constat ex pluribus pontificiis constitutionibus pro variis religionibus diversis temporibus emanatis, quæ summarie hic subnectuntur, prout referuntur a Pittono in *Collectione Constitutionum Pontificiarum ad regulares*.

(15. « 1568, 4 Novembris. Universis, et singulis personis ecclesiasticis sæcularibus et regularibus mandatur, ne ex Bibliothecis ordinis S. Francisci, aut earum aliqua, librum aliquem, aut quinternum furto subtrahere quoquo modo præsumant, sub pœna excommunicationis, cujus absolutionem Romano Pontifici (excepto mortis articulo) reservat S. Pius V, in const. quæ incipit : *Cum sicut accepimus*, apud Flavium Cherubin. in *Compend. Bullar.*, tom. II, pagin. mihi 129, et refert etiam Roderic. in *Collect. privilegior. regular.* tom. II, bulla 17. »

(17. « 1587, 3 Octobris. Minister ac commissarius generales, ministri provinciales, commissarii, guardiani, cæterique Fratres Minores de Observantia S. Francisci, aliæque omnes personæ ecclesiasticæ sæculares et regulares nullo prætextu audeant per se, vel alios amovere, vel amoveri facere de bibliothecis dicti ordinis libros ibidem existentes, quinterna, folia, nec res aliquas, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna (reservata Papæ absolutione) ipso facto incurrenda, neque consulere, vel alicui auxilium præstare præsumant, sub eadem pœna, nec non privationis vocis activæ et passivæ, ac inhabilitatis perpetuæ ad quælibet officia dictæ religionis obtinenda. Monasteriorum guardiani munus guardianatus non assumant, nisi prius in præsentia discretorum loci, in quo fuerit aliqua bibliotheca, subscripserint cum dictis discretis inventarium dictorum librorum, quod erit etiam a quolibet ministro provinciali, et dictæ provinciæ commissario singulis annis revidendum. Si prædicta non fuerint facta, guardianus et minister ac commissarius sint statim privati et inhabiles ad quævis officia. Sixtus V, apud. Cherub., in *Bullar. Roman.*, tom. II, constitut. 67, quæ incipit *Cum sicut.* » *Vide* P. Ubaldum Girald. a S. Cajetano in suis Notis, et Accessionibus ad P. Carolum Antonium Thesaurum in sua *De pœnis ecclesiasticis praxi*, verb. *Bibliothecæ*, c. 1, pag. 82, editionis Patavinæ, an. 1761.

(18. « 1593, 29 Maii. Amoventes, et subtrahentes ex bibliothecis ordinis Fratrum Beatæ Mariæ de Monte Carmelo libros et monumenta, sive impressa, sive manuscripta, excommunicationis sententiæ ipso facto incurrendæ (a qua ab alio, quam a Romano Pontifice, nisi in mortis articulo absolvi non possint), subjacent. Clemens VIII apud. Cherubin., in *Bullar. Rom.*, t. III, constitut. 24, quæ incipit : *Quæ ad tuendam*, § 1. »

(19. « 1625, 13 Februarii. Interdicitur et prohibetur, ne de cætero quisquam quosvis libros, vel quinterna, aut folia sive manuscripta, sive impressa, bibliothecæ Genuensi ordinis Fratrum Minimorum S. Francisci de Paula assignata, et assignanda quovis quæsito colore audeat ex dicta bibliotheca extrahere, vel præsumat permittere ut extrahantur, vel removeantur, sub excommunicationis ac privationis vocis activæ et passivæ pœnis per contrafacientes incurrendis. Urbanus VIII, apud Cherubin., in *Bullar. Rom.*, t. V, constitut. 44, incipient. *Conservationi*, et refert etiam Peyrin. *De privileg.*

Digitized by Google

Regular., tom. II, constitut. 4 ejusdem Pontif., pag. 1278. »

(20. « 1626, 23 Martii. Nemo de cætero, quavis auctoritate fungens, libros, vel quinterna, seu folia, sive impressa, sive manuscripta bibliothecis domorum regularium ordinis Fratrum Prædicatorum hactenus donata, seu assignanda, ex eisdem bibliothecis, extrahere, seu ut extrahantur permittere, aut consentire, sub quovis prætextu, audeat, seu præsumat, sub excommunicationis, nec non privationis vocis activæ, et passivæ per contrafacientes eo ipso incurrendis pœnis, prout interdicit, et prohibet Urbanus VIII, apud Cherubin, in *Bullar. Rom.*, tom. IV, constit. 55, quæ incipit : *Cum sicut accepimus.* »

(21. « 1628, 31 Octobris. Vicarius generalis, et Fratres Minimi pro tempore existentes Collegii S. Francisci de Paula ad Montes in Alma Urbe, et aliæ personæ quæcunque, tam sæculares, quam regulares nullas reliquias, nec libros, seu volumina, et scripta ab Ecclesia, et bibliotheca dicti collegii ullo modo amovere, transportare, distribuere, seu mutuo dare audeant, seu præsumant, sub excommunicationis eo ipso incurrendæ sententia. Urbanus VIII, apud Cherub., in *Bull. Rom.*, tom. IV, constitut. 96, quæ incipit : *Justis et honestis.* »

(22. « 1637, 13 Octobris. Nemo libros, aut quinterna, vel folia, sive impressa, sive manuscripta bibliothecis, aut paramenta, et ornamenta quæcunque ecclesiis Fratrum Minorum S. Francisci de observantia Recollectorum provinciæ Granatensis donata, vel donanda audeat, vel præsumat ex dictis bibliothecis, et ecclesiis respective extrahere, seu quibusvis aliis ecclesiis, et monasteriis, ac locis piis, aut personis commodare; sive ut extrahantur, seu commodentur permittere. Et hoc sub excommunicationis, ac privationis vocis activæ, et passivæ pœnis per contrafacientes incurrendis, intendit, ac prohibet Urbanus VIII, in *Bullar. Rom.*, tom. V, constit. 235, quæ incipit : *Conservationi.* »

(23. « 1638, 20 Julii. Interdicitur, et prohibetur sub excommunicationis, ac privationis vocis activæ et passivæ pœnis per contrafacientes incurrendis, ne de cætero quispiam libros, vel quinterna, aut folia sive impressa, sive manuscripta ex bibliothecis Fratrum ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum extrahere, sive ut extrahantur permittere audeant, seu præsumant. Provincialibus tamen, et diffinitoribus dicti ordinis conjunctim procedentibus permittitur, ut per eorum syndicos possint libros inutiles cum aliis utilibus commutare; superioribus vero singularum hujusmodi domorum conceditur, ut dictos libros valeant extrahere pro usu prædicatorum ordinis; ac fratribus facultas tribuitur illos ad suas cellas deferendi, relictis tamen in bibliotheca nominibus suis, et librorum. Postquam autem dicti prædicatores, et fratres illis usi fuerint, illico ad bibliothecas sub eisdem pœnis reportent. Urbanus VIII, in *Bullar. Roman.*, tom. V, constitut. 249, quæ incipit : *Conservationi.* »

(24. « 1642, 25 Martii. Nullus ex religione Discalceatis ordinis beatæ Mariæ de Monte Carmelo congregationis Hispaniæ audeat vel præsumat ex bibliothecis domorum regularium hujusmodi ordinis libros, vel quinterna, aut folia impressa, sive manuscripta extrahere, seu commodare, aut donare, sub excommunicationis majoris pœna, etiam a quovis sæculari, vel alterius religionis, seu congr. regulari, qui prædicta extraxerit, vel utenda acceperit, aut sibi retinuerit, ipso facto incurrenda. Urbanus VIII, in *Bullar. Rom.*, tom. V, constitut. 302, quæ incipit : *Conservationi.* »

(25. « 1643, 6 Februarii. Interdicitur, et prohibetur, ne de cætero quisquam libros, vel quinterna, aut folia sive impressa, sive manuscripta sub quovis prætextu et bibliothecis, et domibus regularibus Fratrum ordinis Eremitarum S. Augustini Discalceatorum extrahere, seu asportare, aut ut extrahantur, seu asportentur permittere, sub excommunicationis, ac privationis vocis activæ, et passivæ pœnis per contrafacientes eo ipso incurrendis, audeat, seu præsumat. Urbanus VIII, in *Bullar. Rom.*, tom. V, constitut. 319, quæ incipit : *Conservationi.* »

(26. « 1643, 23 Decembr. Nullus sive generalis, sive provincialis minister, aut alius quivis superior ordinis Minorum S. Francisci Recollectorum, e sacristiis, et bibliothecis conventuum eorumdem Fratrum Recollectorum de provincia Granatensi audeat, vel præsumat ulla paramenta, et ornamenta ecclesiastica, aut libros, vel quinterna, vel folia amovere, aut cuiquam commodare in virtute sanctæ obedientiæ, etc., prout prohibet Urbanus VIII in *Bullar. Rom.*, tom. V, constitut. 332, quæ incipit : *In his quæ.* »

(27. « 1651, 27 Julii. Interdicitur et prohibetur, ne de cætero quispiam libros, quinterna, folia, aut scripturas tam impressa, quam manuscripta bibliothecis domorum Fratrum ordinis Minorum S. Francisci de observantia Reformatorum donata, vel donanda, quibusvis personis commodare, aut sub quovis quæsito colore e dictis bibliothecis, seu eorum aliqua extrahere, et asportare, seu ut commodentur, vel extrahantur, et asportentur permittere, aut consentire præsumat, sub excommunicationis latæ sententiæ (reservata Papæ absolutione) ac privationis vocis activæ, et passivæ pœnis per contrafacientes eo ipso incurrendis. Permittitur tamen dictarum domorum Fratribus Verbum Dei prædicantibus, et studiis operam navantibus libros, quinterna et folia hujusmodi e dictis bibliothecis extrahere, et illis in eorum cellulis tantum uti; sed finito usu hujusmodi, illos, seu illa ad dictas bibliothecas respective sub eisdem pœnis referre teneantur. Innocentius X, in *Bullar. Roman.*, tom. V, constitut. 47, quæ incipit : *Conservationi.* »

(28. « 1656, 3 Julii. Sub excommunicationis latæ sententiæ, ac privationis vocis activæ, et passivæ pœnis per contrafacientes eo ipso incurrendis, interdicitur et prohi-

Digitized by Google

betur, ne de cætero quispiam libros, aut scripturas, seu quinterna, vel folia tam impressa, quam manuscripta bibliothecis Fratrum ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum donata, vel donanda, quibusvis personis (præterquam Fratribus dicti ordinis, qui quidem libros a bibliothecis hujusmodi respective de superioris, seu bibliothecarii pro tempore existentis licentia extrahere, et eis pro communi conventuum hujusmodi, et particulari Fratrum dict. Ordinis usu in suis cellulis, Fratribus quoque ejusdem Ordinis verbum Dei prædicantibus, qui etiam extra suos conventus uti possint, sed finito usu hujusmodi ad dictas bibliothecas respective, sub prædictis pœnis subito reportare omnino debeant) commodare, aut sub quovis quæsito colore a dictis bibliothecis extrahere, et asportare, seu ut commodentur, aut extrahantur, et asportentur permittere, aut consentire audeat, seu præsumat. Alexander VII, in *Bullar. Rom.*, tom. V, constit. 21, quæ incipit : *Conservationi.* »

(29. « 1657, 2 Octobris. Universis et singulis personis ecclesiasticis, tam sæcularibus, quam regularibus, ac etiam laicis interdicitur, et prohibetur; ne sub quovis prætextu, per se, vel alios e bibliotheca Sancti Martini de Senis ordinis Eremitarum S. Augustini, libros, sive typis editos, sive manuscriptos, nec non picturas, et antiquitates extrahere, seu extrahi facere, vel ut extrahantur permittere audeant, seu præsumant, sub excommunicationis pœna latæ sententiæ (reservata Papæ absolutione), et insuper quoad regulares, etiam privationis vocis activæ, et passivæ eo ipso incurrenda. Alexander VII, in *Bullar. Rom.*, tom. V, constit. 43, incip. *Cum sicut.* »

(30. « 1658, 24 Septembris. Interdicitur, et prohibetur sub excommunicationis latæ sententiæ, ac privationis vocis activæ, et passivæ pœnis per contrafacientes eo ipso incurrendis, ne quispiam libros, quinterna, scripturas publicas, et privatas, indulta, privilegia, tam impressa, quam manuscripta ex archiviis, et conventibus, ac bibliothecis Canonicorum Regularium congregationis S. Augustini in regno Portugaliæ existentibus extrahere, aut aliis commodare audeat, seu præsumat. Alexander VII, in *Bullar. Rom.*, tom. V, constit. 56, quæ incipit : *Conservationi.* »

(31. 1708, 21 Novembris. Interdicitur et prohibetur, ne quispiam extrahat quomodolibet libros, chartas, et mobilia quæcunque ex bibliotheca monasterii SS. Fabiani, et Sebastiani extra muros Urbis, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Papæ reservatæ, et quo ad regulares, etiam privationis vocis activæ, et passivæ. Clemens XI, constitut. *Cum sicut dilectus.*

(32. 1713, 19 Maii. Interdicitur, et prohibetur sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Papæ reservatæ, et quo ad regulares, etiam privationis vocis activæ, et passivæ, ne quispiam extrahat libros, et quinterna bibliothecæ conventus S. Mariæ Majoris Tiburis ordinis Fratrum Minorum de observantia S. Francisci, extra ipsum conventum, absque auctoritate Apostolica. Clemens XI, constit. incipient. *Cum sicut dilectus.*

(33. 1720, 12 Julii. Interdicitur, et prohibetur sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Papæ reservatæ, et quo ad regulares, etiam privationis vocis activæ, et passivæ eo ipso absque alia declaratione incurrenda, ne quispiam præsumat extrahere, vel asportare libros, et scripturas ex publica bibliotheca nuper a Sanctitate Sua in conventu Fratrum ordinis Minorum S. Francisci Conventualium nuncupatorum civitatis Urbinatensis instituta. Clemens XI, constit. incip. *Cum nos.*

LIBRI PROHIBITI.

SUMMARIUM.

1. Libri prohibiti ex Indice sunt triplicis classis. — 2. Qui sint libri prohibiti in prima classe? — 3. Qui sint libri prohibiti in secunda classe? — 4. Qui sint libri prohibiti in tertia classe? — 5. Libri prohibiti in prima et secunda classe dupliciter differunt inter se, et assignatur talis differentia. — 6. Libri prohibiti in tertia classe, non ideo ponuntur in tertia et ultima classe, quasi sint minoris periculi, et malitiæ, adeoque minus prohibiti, ut male olim plures existimarunt. — 7. Unde ad evitandam confusionem, quam ob dictam malam intelligentiam pariebat recensita in tres classes librorum prohibitorum divisio, Novus librorum prohibitorum Index de mandato Alexand. VII, fuit editus; retentis adhuc regulis prioris Indicis. — 8. Adducuntur regulæ Indicis. — 9. Alexander VII, omnes pœnas, et censuras contra legentes, retinentes, etc. libros prohibitos hactenus latas, reduxit ad pœnas contentas in constitut. Pii IV, incip. *Dominici gregis*, super dicti Indicis Tridentini confirmatione edita. — 10. Pœnæ, et censuræ in dicta constit. Pii IV contentæ referuntur. — 11. Dicta constit. Pii IV, quos libros, et qua pœna eos percutiat? — 12. Legentes, tenentes, etc. libros prohibitos solum, quia sunt contra bonos mores, et hujusmodi, nullam incurrunt excommunicationem, sunt tamen denuntiandi. — 13. Adducitur ad hoc constitutio Apostolica. — 14. Hinc qui assereret, posse in conscientia retineri libros prohibitos non ob hæresim, nec falsi dogmatis suspicionem, sed solum ob aliam causam, esset denuntiandus, ut assertor propositionis temerariæ, et scandalosæ. — 15. Item denuntiandus esset, qui assereret, quod libri non perpetuo prohibiti, sed donec expurgentur, possunt retineri usquedum adhibita diligentia corrigantur; sicuti etiam denunciandi essent retinentes tales libros. — 16. Habentes libros quomodocumque prohibitos, non satisfaciunt illos comburendo, sed necessario eos deferre debent inquisitoribus. — 17. Unde libros prohibitos propria auctoritate comburentes, et ipsos non consignantes inquisitoribus, cum possunt sine gravi suo incommodo et periculo, peccant mortaliter. — 18. Non incurrunt autem excommunicationem, aliasque pœnas latas a Julio III et Pio IV, *usque ad n.* 21.—22. Qui consignant dictos libros prohibitos aliis habentibus licentiam illos legendi, non abdicantes a se dominium, sed tantum deponentes ad tempus, incurrunt excommunicationem. — 23. Econtra si illos ipsis tradant, abdicantes a se dominium, possessionem, licite faciunt, et religiosi, imo et alii sæculares

Digitized by Google

satisfaciunt, si tradant in locum sequestratum, ut in bibliothecis regularium, *usque ad n.* 24. Card. autem Petra sentit contrarium, et quidem tutius. — 25. Licentiæ legendi libros prohibitos non possunt hodie concedi, nisi a Summo Pontifice, et a sac. Congr. S. Officii, aut a specialiter deputatis ab ipsis. — 26. Unde eas concedere non possunt cardinales, episcopi, inquisitores, nec generales ordinum, imo nec ipsimet possunt tales libros prohibitos legere, nisi habeant specialem sibi concessam licentiam. — 27. Quot conditiones requirantur, et quæ ad incurr. excom. Papæ reservatam, quæ lata est in bulla Cœnæ, *ad n.* 38. — 39. Quinam veniant sub nomine *legentium* ad incurrendam censuram bullæ Cœnæ, *ad n.* 43. — 44. Quinam vero veniant sub nomine *retinentium*, *ad n.* 57. — 58. Et quinam sub nomine *imprimentium*, *ad n.* 63. — 64. Quinam denique sub nomine *defendentium*, *ad n.* 66. — 67. Alia ad rem, *ad n.* 71. — Sequitur Appendix, sive novus de librorum prohibitione articulus.

(1. Libri prohibiti ex Indice sunt triplicis classis. *Communis*, et patet ex ipsorum Indice jussu concilii Tridentini edito, et a Pio IV approbato in const. incipiente *Dominici gregis*. (2. Libri prohibiti in prima classe sunt illi, qui sunt damnati, seu prohibiti propter eorum auctores, quatenus ipsi sunt hæretici, aut de hæresi publice, et communiter suspecti; unde omnes istorum libri tam editi, quam edendi, de religione ex professo tractantes, quamvis de ea bene tractent, et nullam hæresim contineant, sunt prohibiti in prima classe, quia, ut expresse habet summarium, in cap. *Fraternitatis* 4, *De hæreticis*, ibi: « Damnato auctore, damnantur ejus scripturæ, et libri et opera. »

(3. Libri prohibiti in secunda classe sunt illi qui, sunt prohibiti, non propter eorum auctores, qui sunt catholici, sed propter non sanam, et moribus fidelium repugnantem doctrinam; aut aliquam, quam incidenter continent hæresim, aut falsi dogmatis suspicionem.

(4. Libri prohibiti in tertia classe sunt illi qui, prohibiti propter ignotum nomen auctoris, et ob doctrinam quam continent malam, sive in genere *moris*, sive in genere *religionis*, sive in genere *fidei*.

(5. Libri prohibiti in prima, et secunda classe dupliciter differunt inter se. *Primo*, quia libri prohibiti in prima classe, sunt prohibiti principaliter propter eorum auctores, qui sunt hæretici, ideoque omnes eorum libri de religione tractantes, etiamsi sanam doctrinam contineant, sunt prohibiti. Libri vero prohibiti in secunda classe sunt prohibiti principaliter propter materiam pravam, quam continent, et non propter eorum auctores, qui sunt fideles Catholici. *Secundo*, quia libri prohibiti in prima classe, sunt prohibiti duplici excommunicatione, scilicet, et excommunicatione bullæ cœnæ, et excommunicatione Indicis, et Pii V ex constitut. incipiente; *Dominici gregis*. Libri vero prohibiti in secunda classe sunt prohibiti sola excommunicatione Indicis, et Pii IV

(6. Libri prohibiti in tertia classe, non ideo in tertia, et ultima classe ponuntur, quasi sint minoris periculi, et malitiæ, adeoque minus prohibiti, ut olim plures etiam ex classicis doctoribus existimarunt, putantes, quod gravitas malitiæ, periculi, et consequenter prohibitionis, desumenda esset ex ordine classis, ita ut magis essent perniciosi, et prohibiti, qui in prima classe, minus qui in secunda, et multo minus qui in tertia classe. Nam contrarium a parte rei se habet, cum plures libri, ob ignotum auctorem, in tertia classe prohibiti, sint multo perniciores, quam libri prohibiti in prima, et secunda classe, uti expresse dicit Alexander VII, in constitutione super observatione librorum prohibitorum, incipiente *Speculatores domus Israel*, ubi § 1 postquam dixit, quod « illa classium (trium scilicet supra specificatarum) distinctio plurimos non modo vulgares, sed etiam eruditos decipiebat, dum ex earum ordine confixionis gravitatem æstimabat, quasi severius actum semper videatur cum legentibus anteriorum, quam posteriorum classium libros; quod tamen secus esse ex ipsa classium institutione a concil. Trident. facta colligi facile potest. » Addit prope finem: « Contingit ut plerique libri ignoti auctores, qui tertiæ classi assignantur, multo pejores sint, quam in prima, aut secunda recensiti. »

(7. In qua constitutione dictus Pontifex, ad vitandam confusionem, quam pariebat recensita in tres classes librorum prohibitorum divisio, novum librorum prohibitorum Indicem fieri decrevit, in quo, omissa illa trium classium distinctione, reponerentur ordine alphabetico non solum libri prioris Indicis, sed etiam illi, qui de novo in dies prohibiti fuerint. Quem Indicem, et successores Pontifices servari et continuari fecerunt usque in præsens; cum sola significatione illorum librorum, qui sunt primæ classis, utpote speciali nota digni, per ly 1 *Cl.* ad denotandum, quod libri in hoc novo indice tali signo notati, sunt prohibiti in prima classe. Quoad regulas autem generales nihil a dicto Pontifice in tali constitutione fuit immutatum; immo easdemmet veteris Indicis stricte observari præcipit, et adhuc in præsentiarum adamussim observantur, et ad hunc finem in novo Indice reponuntur, cum quibusdam observationibus Clem. VIII ad regulam decimam, quæ, ut ab omnibus tali novo Indice carentibus in promptu habeantur, hic ad litteram dantur, prout ibi continentur una cum ipsis regulis.

(8. REGULÆ INDICIS

Sacrosanctæ synodi Tridentinæ jussu editæ.

REGULA I.

Libri omnes, quos ante an. 1515, aut Summi Pontifices, aut concilia œcumenica damnarunt, et in hoc Indice non sunt eodem modo damnati, esse censeantur, sicut olim damnati fuerunt.

REGULA II.

Hæresiarcharum libri, tam eorum, qui post prædictum annum hæreses invenerunt, vel suscitarunt, quam qui hæreticorum ca-

Digitized by Google

pita, aut duces sunt, vel fuerunt, quales sunt Lutherus, Zuvinglius, Calvinus, Balthasar Facimontanus, Schuvencfeldius, et his similes, cujuscumque nominis, tituli, aut argumenti existant, omnino prohibentur.

Aliorum autem hæreticorum libri, qui de Religione quidem ex professo tractant, omnino damnantur.

Qui vero de religione non tractant, a theologis catholicis, jussu episcoporum, et inquisitorum, examinati, et approbati permittuntur.

Libri etiam catholice conscripti, tam ab illis qui postea in hæresim lapsi sunt, quam ab illis qui post lapsum, ad Ecclesiæ gremium rediere, approbati a facultate theologica alicujus universitatis catholicæ, vel ab inquisitione generali, permitti poterunt.

REGULA III.

Versiones scriptorum etiam ecclesiasticorum, quæ hactenus editæ sunt a damnatis auctoribus, modo nihil contra sanam doctrinam contineant, permittuntur.

Librorum autem Veteris Testamenti versiones viris tantum doctis, et piis, judicio episcopi, concedi poterunt, modo hujusmodi versionibus tamquam elucidantibus vulgatæ editionis, ad intelligendam sacram Scripturam, non autem tanquam sacro textu utantur.

Versiones vero Novi Testamenti ab auctoribus 1. Classis hujus Indicis factæ, nemini concedantur, quia utilitatis parum, periculi vero plurimum lectoribus ex earum lectione manare solet.

Si quæ vero adnotationes cum hujusmodi, quæ permittuntur versionibus, vel cum vulgata editione circumferuntur, expunctis locis suspectis a facultate theologica alicujus universitatis catholicæ, aut inquisitione generali, permitti eisdem poterunt quibus et versiones.

Quibus conditionibus totum volumen Bibliorum, quod vulgo Biblia Vatabli dicitur, aut partes ejus, concedi viris piis, et doctis poterunt.

Ex Bibliis vero Isidori Clarii Brixiani prologus, et prolegomena præcidantur, ejus vero textum nemo textum vulgatæ editionis esse existimet.

REGULA IV.

Cum experimento manifestum sit, si Sac. Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde, ob hominum temeritatem, detrimenti, quam utilitatis oriri; hac in parte judicio episcopi, aut inquisitoris stetur, ut cum consilio parochi, vel confessarii Bibliorum a catholicis auctoribus versorum lectionem vulgari lingua eis concedere possint, quos intellexerint ex hujusmodi lectione non damnum, sed fidei, atque pietatis augmentum capere posse, quam facultatem in scriptis habeant.

Qui autem, absque tali facultate ea legere, seu habere præsumpserit, nisi prius Bibliis ordinario redditis, peccatorum absolutionem percipere non possit.

Bibliopolæ vero, qui prædictam facultatem non habent, Biblia idiomate vulgari conscripta vendiderint, vel alio quovis modo concesserint, librorum pretium in usus pios ab episcopo convertendum, amittant; aliisque pœnis pro delicti qualitate ejusdem episcopi arbitrio subjaceant

Regulares vero, nonnisi facultate a prælatis suis habita, ea legere, aut emere possint.

REGULA V.

Libri illi, qui hæreticorum auctorum opera interdum prodeunt, in quibus nulla, aut pauca de suo apponunt, sed aliorum dicta colligunt, cujusmodi sunt Lexica, Concordantiæ, Apophtegmata, Similitudines, Indices, et hujusmodi, si quæ habeant admixta, quæ expurgatione indigeant, illis episcopi et inquisitoris, una cum theologorum catholicorum consilio, sublatis, aut emendatis, permittantur.

REGULA VI.

Libri vulgari idiomate de controversiis inter Catholicos et hæreticos nostri temporis disserentes, non passim permittantur, sed idem de iis servetur, quod de Bibliis vulgari lingua scriptis statutum est.

Qui vero de ratione bene vivendi, contemplandi, confitendi, ac similibus argumentis vulgari sermone conscripti sunt, si sanam doctrinam contineant, non est cur prohibeantur, sicuti nec sermones populares vulgari lingua prohibiti.

Quod si hactenus, in aliquo regno, vel provincia aliqui libri sunt prohibiti, quod nonnulla contineant, quæ sine delectu ab omnibus legi non expediat, si eorum auctores catholici sunt, postquam emendati fuerint, permitti ab episcopo et inquisitore poterunt.

REGULA VII.

Libri, qui res lascivas, seu obscenas ex professo tractant, narrant, aut docent, cum non solum fidei, sed et morum, qui hujusmodi librorum lectione facile corrumpi solent, ratio habenda sit, omnino prohibentur, et qui eos habuerint, severe ab episcopis puniantur.

Antiqui vero ab ethnicis conscripti, propter sermonis elegantiam, et proprietatem permittuntur : nulla tamen ratione pueris prælegendi erunt.

REGULA VIII

Libri quorum principale argumentum bonum est, in quibus tamen obiter aliqua inserta sunt, quæ ad hæresim, seu impietatem, divinationem, seu superstitionem spectant, a catholicis theologis, inquisitionis generalis auctoritate, expurgati concedi possunt.

Idem judicium sit de prologis, summariis, seu annotationibus, quæ a damnatis auctoribus libris non damnatis appositæ sunt : sed posthac nonnisi emendati excudantur.

Digitized by Google

REGULA IX.

Libri omnes, et scripta geomantiæ, hydromantiæ, aeromantiæ, pyromantiæ, onomantiæ, chiromantiæ, necromantiæ, sive in quibus continentur sortilegia, veneficia, auguria, auspicia, incantationes artis magicæ prorsus rejiciuntur.

Episcopi vero diligenter provideant, ne astrologiæ judiciariæ libri, tractatus, indices legantur, vel habeantur, qui de futuris contingentibus, successibus, fortuitisve casibus, aut iis actionibus, quæ ab humana voluntate pendent, certo aliquid eventurum affirmare audent.

Permittuntur autem judicia, et naturales observationes, quæ navigationis, agriculturæ, seu medicæ artis juvandæ gratia conscripta sunt.

REGULA X.

In librorum, aliarumve scripturarum impressione servetur quod in concilio Lateranensi sub Leone X, sess. XX, factum est.

Quare si in Alma Urbe Roma liber aliquis sit imprimendus, per vicarium Summi Pontificis, et Sacri Palatii magistrum, vel personam a Sanctiss. Dom. N. deputandam prius examinetur.

In aliis vero locis ab episcop. vel alium habentem scientiam libri, vel scripturæ imprimendæ, ab eodem episcopo deputandum, ac inquisitorem hæreticæ pravitatis ejus civitatis vel diœcesis, in qua impressio fiet, ejus approbatio, et examen pertineat, et per eorum manum, propria subscriptione gratis, et sine dilatione imponendam, sub pœnis, et censuris in eodem decreto contentis, approbetur; hac lege et conditione addita, ut exemplum libri imprimendi authenticum, et manu auctoris subscriptum apud examinatorem remaneat.

Eos vero, qui libellos manuscriptos vulgant, nisi ante examinati, probatique fuerint, iisdem pœnis subjici debere judicarunt Patres deputati, quibus impressores. Et qui eos habuerint, et legerint, nisi auctores prodierint, pro auctoribus habeantur.

Ipsa vero hujusmodi librorum probatio in scriptis detur, et in fronte libri, vel scripti, vel impressi authentice appareat, probatioque et examen, ac cætera gratis fiant.

Præterea in singulis civitatibus, ac diœcesibus, domus, vel loci, ubi ars impressoria exercetur, et bibliothecæ librorum venalium sæpius visitentur a personis ad id deputandis ab episcopo, sive ejus vicario, atque etiam ab inquisitore hæreticæ pravitatis, ut nihil eorum quæ prohibentur, aut imprimatur, aut vendatur, aut habeatur.

Omnes vero librarii, et quicumque librorum venditores habeant in suis bibliothecis Indicem librorum venalium, quos habent, cum subscriptione dictarum personarum; nec alios libros habeant, aut vendant, aut quacumque ratione tradant sine licentia eorumdem deputatorum, sub pœna amissionis librorum, et aliis arbitrio episcoporum, vel inquisitorum imponendis; emptores vero, lectores, vel impressores eorumdem arbitrio puniantur.

Quod si aliqui libros quoscunque in aliquam civitatem introducant, teneantur iisdem personis deputandis renunciare; vel si locus publicus mercibus ejusmodi constitutus sit, ministri publici ejus loci, prædictis personis significent libros esse adductos.

Nemo vero audeat librum, quem ipse, vel alius in civitatem introducit, alicui legendum tradere, vel aliqua ratione alienare, aut commodare, nisi ostenso prius libro, et habita licentia a personis deputandis, aut nisi notorie constet, librum jam esse omnibus permissum.

Idem quoque servetur ab heredibus, et executoribus ultimarum voluntatum, ut libros a defuncto relictos, sive eorum Indicem illis personis deputandis offerant, ab iis licentiam obtineant, priusquam eis utantur, aut in alias personas quacumque ratione eos transferant.

In his autem omnibus, et singulis, pœna statuatur, vel amissionis librorum, vel alia, arbitrio eorumdem episcoporum, vel inquisitorum, pro qualitate contumaciæ, vel delicti.

Circa vero libros, quos Patres deputati aut examinarunt, aut expurgarunt, aut expurgandos tradiderunt, aut certis conditionibus, ut rursus excuderentur, concesserunt, quidquid illos statuisse constiterit, tam bibliopolæ, quam cæteri observent.

Liberum tamen sit episcopis, aut inquisitoribus generalibus, secundum facultatem, quam habent, eos etiam libros, qui his regulis permitti videntur, prohibere; si hoc in suis regnis, aut provinciis, vel diœcesibus expedire judicaverint.

Cæterum nomina eorum librorum, qui a Patribus deputatis purgati sunt, tum eorum, quibus illi hanc provinciam dederunt, eorumdem deputatorum Secretarius notario sacr. universalis Inquisitionis Romanæ descripta Sanctiss. D. N. jussu tradat.

Ad extremum vero omnibus fidelibus præcipitur, ne quis audeat contra harum regularum præscriptum, aut hujus Indicis prohibitionem, libros aliquos legere, aut habere.

Quod si quis libros hæreticorum, vel cujusvis auctoris scripta, ob hæresim, vel ob falsi dogmatis suspicionem damnata, atque prohibita legerit, sive habuerit, statim in excommunicationis sententiam incurrat.

Qui vero libros, alio nomine interdictos, legerit, aut habuerit præter peccati mortalis reatum, quo afficitur, judicio episcoporum severe puniantur.

Observationes ad regulam quartam et nonam Clementis Papæ VIII jussu factæ.

Circa quartam Regulam.

Animadvertendum est circa supradictam quartam regulam Indicis fel. rec. Pii IV nullam per hanc impressionem, et editionem de novo tribui facultatem episcopis, vel inquisitoribus, aut regularium superio-

Digitized by Google

ribus, concedendi licentiam emendi, legendi, aut retinendi Biblia vulgari lingua edita, cum hactenus, mandato, et usu sanctæ romanæ et universalis Inquisitionis, sublata eis fuerit facultas concedendi hujusmodi licentias legendi, vel retinendi Biblia vulgaria, aut alias Sacræ Scripturæ, tam Novi quam Veteris Testamenti partes, quavis vulgari lingua editas, ac insuper summaria, et compendia, etiam historica, eorumdem bibliorum, seu librorum sacræ Scripturæ, et quocumque vulgari idiomate conscripta, quod quidem inviolate servandum est.

ADDITIO.

* Quod si hujusmodi Bibliorum versiones vulgari lingua fuerint ab Apostolica Sede approbatæ, aut editæ cum annotationibus desumptis ex Sanctis Ecclesiæ Patribus, vel ex doctis, catholicisque viris, conceduntur, *Decret. S. Congreg. Indicis* 13 *Junii* 1757 *.

Circa nonam Regulam.

Circa regulam IX ejusdem Indicis, ab episcopis, et inquisitoribus Christi fideles sedulo admonendi sunt, quod in legentes, aut retinentes contra regulam hanc libros hujusmodi astrologiæ, divinationum, sortilegiorum, rerumque aliarum in eadem regula expressarum, procedi potest, non modo per ipsos episcopos et ordinarios, sed etiam per inquisitores locorum, ex constitut. fel. rec. Sixti Papæ quinti, contra exercentes astrologiæ judiciariæ artem, et alia quæcumque divinationum genera, librosque de eis legentes, ac tenentes, promulgata. Sub Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarn. Dom. MDLXXXV, Nonis Jan., pontificatus sui anno primo.

De Thalmud, et aliis libris Hebræorum.

Quamvis in tertia classe Indicis prædicti Pii Papæ IV, sub littera T. Thalmud Hebræorum, ejusque glossæ, annotationes, interpretationes et expositiones omnes prohibeantur; sed, quod si absque nomine Thalmud, et sine injuriis et calumniis in religionem christianam aliquando prodiissent, tolerarentur, quia tamen sanctissimus D. noster Dominus Clemens Papa VIII, per suam constitutionem contra impia scripta, et libros Hebræorum, sub datum Romæ apud Sanctum Petrum, Incarnat. Dom. MDXCIII, pridie Kal. Martii, pontific. sui anno secundo, illos prohibuit, atque damnavit: mens ipsius non est, eos propterea ullatenus, etiam sub illis conditionibus, permittendi, aut tolerandi; sed specialiter, et expresse statuit, et vult, ut hujusmodi impii Thalmudici, Cabalistici, aliique nefarii Hebræorum libri omnino damnati, et prohibiti maneant, et censeantur, atque super eis, et aliis libris hujusmodi prædicta constitutio perpetuo, et inviolabiliter observetur.

De libro Magazor.

Ad hæc sciant episcopi, ordinarii, et inquisitores locorum, librum *Magazor* Hebræorum, qui continet partem officiorum, et cæremoniarum ipsorum, et Synagogæ, Lusitanica, Hispanica, Gallica, Germanica, Italica, aut quavis alia vulgari lingua, præter quam Hebræa, editum, jamdiu, ex speciali decreto, rationabiliter prohibitum esse. Idcirco provideant illum nullatenus permitti, aut tolerari debere, nisi Hebraica lingua prædicta.

De libris Joannis Bodini.

Cum in appendice 2 classis sub littera I, dicatur (Joannis Bodini Andegavensis, *Dæmonomania* omnino prohibetur; liber vero De *Republica*, et *Methodus ad facilem historiarum cognitionem* tandiu prohibita sint, quousque ab auctore expurgata cum approbatione mag. sac. palatii prodierint), id quidem per errorem fortasse librarii factum creditur: nam liber De *Republica* ejusdem Joann. Bodini, primum die 25 mensis Octob. MDXCII, deinde liber *Dæmonomaniæ*, die 1 mensis Septemb. MDXCIV, ab eodem Sanctiss. D. N. Papa simpliciter damnati sunt, ac proinde uterque damnatus, et prohibitus censendus est.

Observationes ad regulam decimam Alexandri Papæ VII jussu additæ.

Observandum est circa Regulam decimam, quod degentes in statu Sedi Apostolicæ mediate, vel immediate subjecto, non possunt transmittere libros a se compositos alibi imprimendos, sine expressa approbatione, et in scriptis Em. ac Rev. D. card. Sanctiss. D. N. vicarii, et mag. sac. pal. si in Urbe; si vero extra Urbem existant, sine ordinarii loci illius, sive ab his deputatorum facultate, et licentia operi infigenda.

Qui vero super impressione librorum ordinariam, aut delegatam auctoritatem exercent, dent operam, ne ad examen librorum hujusmodi personas affectui auctorum quomodolibet addictas, præsertim vero propinquitate illos, aut alia quantumvis a longo petita ea sit (veri et sinceri judicii corruptrice) necessitudine contingentes admittant; super omnia autem ab oblatis sibi in hanc operam per eosdem auctores censoribus caveant. Sed iis demum utantur, quos doctrina, morumque integritate probatos ab omni suspicione gratiæ intactos, ac si fieri potest, auctoribus ipsis ignotos, et unius boni publici, Deique gloriæ studiosos cognoverint; quo vero ad auctores regulares, cujuscumque ordinis, et instituti sint, illud præterea observandum, et ne eorum scripta, vel opera aliis ejusdem instituti regularibus examinanda committantur, sed alterius ordinis, et instituti viri pii, doctique, et a partium studio, atque ab amoris et odii stimulis prorsus remoti eligantur; per hoc autem non tollitur, quin intra eorumdem Regularium ordinem per religiosos ejusdem ordinis, superiorum suorum jussu, præfati libri examinari debeant.

(9. Advertendum venit quod dictus Alexander VII, in cit. constit. incip. *Speculatores domus Israel*, omnes pœnas, et censuras contra legentes, et retinentes, etc., libros prohibitos hactenus latas, exceptis latis in bulla Cœnæ, reduxit ad pœnas contentas in constitutione Pii IV quæ incip. *Dominici*

Digitized by Google

gregis, super dicti Indicis Tridentini confirmatione edita. En verba præcisa dictæ constitutionis Alexandri VII. « Indicem (*supplet*) librorum prohibitorum observari mandamus, et præcipimus, sub pœnis in constitutione fel. mem. Pii IV etiam prædecessoris nostri super dicti Indicis Tridentini confirmatione edita contentis, ad quas varietatis veterum decretorum proponendis transgredientium pœnis tollendæ gratia, omnes, et singulas pœnas per constitutiones apostolicas, et decreta anteriora hujusmodi quomodolibet inflictas, harum serie reducimus: firmis tamen manentibus his, quæ de auctoribus et libris damnatis in litteris apostolicis die cœnæ Domini publicari solitis sancita sunt, circa quos nihil omnino mutare, ac ne contingere quidem intendimus. »

(10. Pœnæ autem, et censuræ contentæ in dicta constitutione Pii IV exprimuntur per præcisa ipsius verba: « Si quis autem adversus eas regulas, prohibitionemque fecerit, is quidem, qui hæreticorum libros, vel cujusvis auctoris scripta propter hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem damnata, atque prohibita legerit, habueritve, ipso jure in excommunicationis pœnam incidat, eamque ob causam in eum, uti de hæresi suspectum, inquiri, et procedi liceat; præter alias pœnas super hoc ab Apostolica Sede, sacrisque canonibus constitutas. Qui autem libros alia de causa prohibitos legerint, habuerintve, præter peccati mortalis reatum, episcoporum arbitrio severe se noverint puniendos. »

(11. Unde, ut vides, hæc constitutio Pii IV percutit solummodo excommunicatione latæ sententiæ non reservata, libros quoscunque hæreticorum, et libros, aut scripta, propter hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem prohibita, sive sint hæreticorum, sive catholicorum; nulla autem excommunicatione percutit libros catholicorum prohibitos ob aliam causam, v. gr. quia sunt contra bonos mores, pacem, et charitatem, et hujusmodi, sed solum declarat ipsos legentes, et retinentes incurrere peccati mortalis reatum, et esse severe episcoporum arbitrio puniendos.

(12. Cæterum licet legentes, tenentes, etc., libros prohibitos, solum quia sunt contra bonos mores, pacem, et charitatem, seu hujusmodi, nullam incurrant excommunicationem, sunt tamen denunciandi, ut clare patet ex bulla Gregorii XV incip. *Apostolatus officium*, edita 30. decembr. 1621 et innovata ab Urbano VIII 2 April. 1631, ut sequitur.

(13. « Apostolatus officium, etc. Cum librorum lectio magno sinceræ fidei cultoribus detrimento esse noscatur, et, sicut accepimus, nimis excessiva sit licentia hujusmodi libros legendi, et habendi libros quoscumq. ob hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem, seu per constitut. Apostolicas, etiam astrologiæ judiciariæ, vel alios quomodolibet prohibitos, quibuscunque personis laicis, et ecclesiasticis, tam sæcularibus, quam regularibus, cujuscunque ordinis, societatis, et instituti existentibus, ac quacumque dignitate, etiam ecclesiastica fulgentibus, etc. etiam speciali nota, et mentione dignis etc. ex quacumque causa, etc. concessa, etc. revocamus, cassamus, et anullamus, etc. quinimo libros per licentias hujusmodi permissos legentes, aut habentes, pœnas in sacris Canonibus, constitutionibus Apostolicis et indicibus librorum prohibitorum contentas incurrere volumus et declaramus.

« Decernentes, ut præsentes litteræ postquam in valvis, etc., affixæ fuerint infra duos citra montes, ultra vero montes infra quatuor menses ex tunc proximos, omnes, et singulos, ad quos spectant, arctent, et afficiant, perinde ac si unicuique personaliter intimatæ fuissent; quodque dictis duobus, et respective quatuor mensibus durantibus, ii, qui libros prohibitos habuerint, eos ad episcopum, seu inquisitorem, qui illos quantocius comburere debeat, deferre, quique aliquos similes libros prohibitos habere sciverint, eos denuntiare teneantur. Neque de cætero similes licentiæ, nisi a congr. S. Officii, dum singulis hebdomadis coram nobis habetur, vel ab aliis per Nos etiam in ead. congr. specialiter deputandis, concedantur etc. » *Dat. sub die 1 Aprilis* 1631.

Ubi, ut vides, hæc ultima verba, *Aliquos similes libros prohibitos*, referuntur ad priora: « Libros quoscunque ob hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem, seu per constitutiones Apostolicas, etiam Astrologiæ judiciariæ, vel alios quomodolibet prohibitos. » Unde præfati Summi Pontifices præcipiunt, denunciandos esse a scientibus detinentes libros quomodo libet prohibitos etiam ob aliam causam, quæ non sit hæresis, aut falsi dogmatis suspicio.

(14. Hinc qui assereret, posse in conscientia retineri libros prohibitos non ob hæresim, nec ob falsi dogmatis suspicionem, sed solum ob aliam causam, v. gr. quia sunt contra bonos mores, et hujusmodi, esset denunciandus, ut assertor propositionis temerariæ, et scandalosæ. 15. Item denuntiandus esset, qui assereret, quod libri non perpetuo prohibiti, sed donec expurgentur, possunt retineri, usque dum adhibita diligentia corrigantur; sicuti etiam denuntiandi essent retinentes tales libros; Alexander enim VII, die 18 Martii 1666, merito damnavit inter alias sequentem propositionem 45 in ordine: « Libri prohibiti, donec expurgentur, possunt retineri, usquedum adhibita diligentia corrigantur. »

(16. Habentes libros quomodocumque prohibitos, non satisfaciunt illos comburendo, sed necessario eos deferre debent inquisitoribus. Sic statuit Julius III, constit. incip. *Cum meditatio*, et Pius IV, constitut. incip. *Pro munere*, et tenent Sanchez, lib. II *Moral.*, cap. 10, n. 56; Palao, de *fide* tract. 4, disp. 2, punct. 20, § 2, n. 12; Barbosa *De offic. et potest. episcopi*, part. III, alleg. 90, cum pluribus ibi citatis, et alii passim.

(17. Unde libros prohibitos propria auctoritate comburente, et ipsos non consignantes inquisitoribus, cum possunt sine gravi suo incommodo, et periculo, peccant mortaliter,

Digitized by Google

quia faciunt contra præceptum obedientiæ impositum a Julio III, et confirmatum a Pio IV, *in citat.* constitution. ibi, *In virtute sanctæ obedientiæ.* Et sic tenent doctores citati, et alii communiter. (18. Non incurrunt autem excommunicationem, aliasque pœnas latas in citat. constitutionibus a Julio III et Pio IV quia Alexander VII, in cit. constit. incip. *Speculatores domus Israel*, supra adducta sub n. 9, omnes pœnas, et censuras in materia librorum prohibitorum hactenus latas, exceptis latis in bulla Cœnæ reduxit ad pœnas contentas in constit. Pii IV incip. *Dominici gregis*, in qua constitutione, ut patet ex ipsius verbis adductis supra *sub n.* 10, non infligitur excommunicatio, aliave pœna non consignantibus, aut retinentibus, aut legentibus. (19. Tum quia dicti Pontifices Julius III et Pius IV in citatis constitutionibus non percutiunt excommunicatione, aliisque ibi latis pœnis ipsos non consignantes, ut non consignantes, sed solum ut retinentes, in quantum scilicet supponuntur retinere libros, quos non consignant; quod non verificatur de comburentibus, cum ipsi, ex quo libros comburant, aperte constet, quod non retineant. Sic Bordonus in *Manual. consult.*, sec. 48, n. 54; Pueronus apud Dianam part. 10, tract. 12, resolut. 48; Felix Potestas, tom. II, par. II, n. 372 et sequent. et Sanchez, Filliuc., Pignatell., apud La Croix, lib. VII, n. 355, et alii contra Suarez, Barbosa, Dicastill. Krimer, et alios. Et constat ex verbis ipsius constitutionis Julii III, confirmatæ a Pio IV, ibi prope finem : « Volumus autem quod ii, qui libros Lutheranos, seu alios prædictos infra spatium, et terminum hujusmodi, dictis Inquisitionibus consignaverint, nisi ipsi alias, quam ex retentione librorum hujusmodi hæretici, seu de Fide suspecti fuerint, eo ipso, etiam absque aliqua desuper facienda abjuratione, a censuris, et pœnis propterea forsan incursis in utroque foro absoluti sint, et esse censeantur, prout Nos, etc. »

(20. Et colligitur etiam ex duabus constitutionibus Innocentii XI, una incip. *Cum sicut accepimus*, edita die 16 Sept. 1680, et alia incip. *Dum sicut Nobis*, edita die 26 Feb. 1687, in quibus, sub excommunicatione majori, interdicit lectionem, et retentionem quorumdam librorum, deinde absque illa expressione censuræ, præcipit, ut qui eos habuerint, « teneantur tradere, atque consignare locorum ordinariis, vel inquisitoribus, qui exemplaria sibi tradita illico flammis aboleri curent. »

(21. Nec etiam incurrunt excommunicationem bullæ Cœnæ, quia, licet Alexander VII in cit. constitut. incip. *Speculatores domus Israel*, reducens, omnes pœnas, et censuras contra legentes, et retinentes, etc., libros prohibitos ad pœnas contentas in constitut. Pii IV incip. *Dominici gregis*, excipiat expresse pœnas, et censuras latas in bulla Cœnæ, ut patet ex ipsius verbis adductis supra sub n. 9, in fine, bulla Cœnæ tamen exprimit solum legentes, retinentes, imprimentes, et defendes libros hæreticorum, et nullam mentionem facit de comburentibus, de quibus etiam, voluisset, si expressisset, quod enim voluit expressit; arg. c. *Inter corporalia* 2, *De translat. episcop.*, § *Sed neque istud*, et cap. *Quia circa* 22, *De privileg.*, et cap. *Ad audientiam* 12, *De decimis.* Eo vel maxime, quod ex regula 15 *Juris*, in 6 : « Odia restringi, et favores convenit ampliari, » et ex Regul. 49, eodem in 6 : « In pœnis benignior est interpretatio facienda, » et ex. l. *Interpretatione* 42, § *De pœnis* : « Interpretatione legum pœnæ molliendæ sunt potius, quam exasperandæ. »

(22. Qui vero consignant dictos libros prohibitos aliis habentibus licentiam, seu facultatem illos legendi, non abdicantes a se dominium, sed tantum deponentes ad tempus, incurrunt excommunicationem, quia reipsa tales libros retinent apud alios : Ugolin, Graff., Sayrus, Fagund., Sanch., Bonac., Sousa, Pignatell., citati, et secuti a La Croix lib. VII, n. 253. Ubi subdit, quod econtra, si illos ipsis tradant, abdicantes a se dominium, et possessionem, licite faciunt; religiosi autem, imo, et alii sæculares satisfaciunt, si tradant in locum sequestratum, qui solet esse assignatus in singulis monasteriis : et dicitur carcer hæreticorum, seu infernus. Hæc ille. (23. Et sic tenent Veruys, tract. 5, art. 7, Reiffenst., lib. V *Decretal.*, tit. 7, a n. 129, et alii plures, volentes, quod consignatio, et conservatio librorum prohibitorum in bibliothecis regularium, ubi solent adesse Religiosi habentes licentiam, seu facultatem ipsos legendi, non repugnet nec bullæ Cœnæ, nec Indici librorum, imo, quod plerumque melius, et consultius sit, libros prohibitos modo supradicto in ipsis regularium bibliothecis asservari, quam comburi; quia, si juxta verborum corticem, omnes libri hæretici, et suspecti de hæresi, vel falso dogmate, postquam ab aliquo fuerunt lecti, statim deberent comburi, et non possent pro ulteriori lectione ab eodem, vel ab aliis similes ipsos legendi licentiam habituris, asservari, hoc cederet in magnum Ecclesiæ, et religionis catholicæ præjudicium et detrimentum. Quomodo enim possent ad defensionem veritatis infallibilis nostræ fidei, et religionis objurgari, et impingi ad oculum ipsis hæreticis falsitates, errores, deceptiones, contradictiones, discordiæ, mutationes, mutilationes quas etiam in substantialibus fidei, et religionis articulis, et sacræ Scripturæ textibus ipsi ad fundandas, et tuendas falsas suas sectas adinvenerunt, fecerunt, et commiserunt, si combusti fuissent, et in dies comburerentur eorum libri, tractatus, confessiones, conciliabula, et scripta, in quibus supradicta omnia apparent, ut de facili reperiuntur, et ex quibus hactenus fuerunt deprompta ad eorum confusionem, et confutationem non sine ingenti nostræ catholicæ fidei incremento ?

(24. Tum quia, si, ut volunt aliqui, juxta corticem textus, quivis liber prohibitus, postquam ab aliquo lectus est, non amplius retineri posset, sed statim comburi deberet,

Digitized by Google

seu consignari ad comburendum, omnes libri prohibiti cito perirent, et sic superfluæ, et inutiles redderentur facultates, et licentiæ libros prohibitos legendi a sacra Indicis congregatione, de mente sanctissimi, in dies concedi solitæ, quod non est dicendum, cum omnia privilegia, facultates, et rescripta gratiæ aliquid operari, et effectum aliquem sortiri debeant, arg. c. *In his* 30, *De privilegiis*, cum similibus. Unde expediens et satis proficuum videtur pro licita, et utili lectione, eos, ut supra ante, asservari posse in bibliothecis monasteriorum, ubi adsunt, et solent adesse religiosi habentes licentiam illos legendi, non obstante quod cortex verborum aliud insinuare videatur, quia etiam ad *rescripta* applicari bene possunt, quæ de legibus dicuntur pluribus in locis, et signanter in cap. *Humanæ aures*, 11, caus. 22, qu. 5, ibi : « Non debet aliquis verba considerare (*Intellige, nude et simpliciter*) sed voluntatem et intentionem, quia non debet intentio verbis deservire, sed verba intentioni, » et cap. *Intelligentia* 6, *Verbor. significat.*, ibi : « Intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi, quia non sermoni res, sed rei est sermo subjectus, » et cap. *In his* 15, eodem tit., ibi : « Considerantes nihilominus, quod non debet aliquis considerare verba, sed voluntatem, cum non intentio verbis, sed verba intentioni debeant inservire, interpretamur, etc. Hinc *Scire* 27, *De legibus*, dicitur: Scire leges non est earum verba tenere, sed vim et potestatem. » Petra autem, et quidem tutius, sentit contrarium in tom. III *Comment ad constitut.* 2 *Innoc. IV*, sect. 1, n. 15. *Vide ibi.*

(25. Licentiæ legendi libros prohibitos non possunt hodie concedi, nisi a Summo Pontifice, et sacra congregatione S. Officii, aut a specialiter deputatis ab ipsis. Sic expresse statuit Urbanus VIII, 2 Aprilis 1631, const. incip. *Apostolatus officium*, ibi : « Neque de cætero similes licentiæ, nisi a congregatione S. Officii, dum singuli hebdomadis coram Nobis habetur, vel ab aliis per Nos etiam in eadem congregatione specialiter deputandis, concedatur. » Unde eas concedere non possunt cardinales, episcopi, aut inquisitores, vel generales ordinum.

(26. Imo nec ipsimet possunt tales libros prohibitos legere, nisi a Sede Apostolica, seu per dictam sacram congregationem sit eis specialis ad id concessa facultas; sic colligitur ex constitutione Julii III incip. *Cum meditatio cordis*, quæ expresse revocat omnes, et quascunque facultates legendi libros damnatos, concessas quibuscunque personis, cujuscunque status, ordinis, et conditionis, etiamsi episcopali, vel archiepiscopali, vel alia majori dignitate ecclesiastica, seu sæculari præeminentia fulgeant, cum qua concordat const. Pii IV incipiens : *Quia in futurorum eventibus;* et alia ejusdem incipiens : *Cum pro munere;* et citat. constitutio Urbani VIII, incipiens *Apostolatus officium*, ubi sic præcise habet : « Motu proprio, etc., omnes, et singulas licentias legendi, et habendi libros quoscumque ob hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem, seu per constitutiones Apostolicas, etiam ratione astrologiæ judiciariæ, vel alias quomodolibet prohibitos, quibuscumque personis laicis, et ecclesiasticis, tam sæcularibus, quam regularibus cujuscunque ordinis, societatis, et instituti existentibus, ac quacunque dignitate, etiam ecclesiastica fulgentibus, cujuscunque status, gradus, conditionis, qualitatis, et præeminentiæ, etiam speciali nota, et mentione dignis, ac per Litteras Apostolicas ad tempus, seu ad vitam, et aliter quomodocumque a prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, seu a quibuscumque aliis a nobis, vel ab eis facultatem, et auctoritatem habentibus; non tamen a Nobismetipsis per Litteras Apostolicas etiam in forma brevis, seu per chirographum manu nostra signatum concessas, earum tenores præsentibus pro expressis et insertis habentes, hac nostra perpetuo valitura constitutione revocamus, cassamus, et annullamus, etc. » Sic Suarez, *De fide*, disputat. 20, sect. 2, n. 28; Sanchez, in *Præcepta Decalog.* lib. II, cap. 10, n. 46; Ricciul., *De jure personar.*, lib. V, cap. 25, n. 4; Bordon., in *Manual. Consultat.*, sect. 60, n. 22; Felix Potest., tom. II, part. II, n. 386; Barbosa, *De offic. et potest. episc.*, part. II, allegat. 90, n. 7 et 8, et alii passim.

(27. Ad incurrendam excommunicationem Papæ reservatam, latam in bulla cœnæ § 1, his verbis : « Excommunicamus, anathematizamus, etc., omnes, et singulos hæreticos, quocunque nomine censeantur, etc., ac eorumdem libros hæresim continentes, vel de religione tractantes, sine auctoritate nostra, aut Sedis Apostolicæ scienter legentes, aut retinentes, imprimentes, seu quomodolibet defendentes, ex quavis causa, publice, vel occulte, quovis ingenio, vel colore, etc., » quinque simul conditiones requiruntur, ita ut, una deficiente, excommunicatio non incurratur. Layman, lib. II, tract. 1, cap. 15, n. 1; Busemb., lib. VII, cap. 2, dub. 4, art. 5, n. 1; Felix Potestas, tom. II, part. II, n. 353, et alii passim.

(28. Prima requisita conditio est, ut liber sit alicujus veri hæretici, seu ut auctor sit vere hæreticus; unde excommunicationem bullæ Cœnæ non incurrunt, qui legunt librum pagani, Turcæ, Judæi, vel alterius infidelis non baptizati, quamvis de religione tractet, et hæresim contineat. Nec illi qui legunt librum auctoris catholici, qui unam, vel plures hæreses ex ignorantia, seu imprudentia, aut inadvertentia inspersas habeat, vel hæreticorum hæreses, ad ipsas impugnandas, etiam ad longum, referat. Bulla enim excommunicat solum illos qui legunt librum hæretici, unde si auctor libri non est verus hæreticus, illum legentes non incurrunt talem excommunicationem, cum lex pœnalis, et omnis alia odiosa sit stricte interpretanda; c. *Odia* 14, *De regul. juris* in 6 ibi : « Odia restringi, et favores convenit ampliari, » et cap. *In pœnis* 49, eod. in 6, ibi :

Digitized by Google

« In pœnis benignior est interpretatio facienda. » et l. *Interpretatione* 42, ff. *De pœnis*, ibi : « Interpretatione legum pœnæ molliendæ sunt potius quam exasperandæ. » Navar., *Manual.*, c. 27, n. 36; Laym., lib. II, tract. 1, c. 15, n. 1 : Sanchez, lib. II. *Moral.*, cap. 10, n. 23; Castropalao, *De fidelitate*, tract. 4, disp. 2, punct. 10, § 2; Reiffenstuel., lib. V, *Decretal.*, tit. VII, n. 36, et alii passim.

(29. Secunda requisita conditio est, ut liber, vel expresse contineat hæresim, vel de religione tractet, ita ut alterum horum sufficiat, quia bulla loquitur disjunctive per dictionem *Vel*, quæ alterutrius subsistentia verificatur; arg. l. *Eum*, ff. *Quando dies legati*; l. *Si illud*, ff. *De legatis*, cum similibus. Unde hanc excommunicationem incurrunt legentes librum hæretici de religione ex professo tractantem, v. g. de theologia scholastica, morali, vel mystica, quamvis nullam contineat hæresim; et eamdem incurrunt legentes librum hæretici, si contineat hæresim, etiam in singulari, quamvis de religione non tractet, sed de medicina, philosophia, et hujusmodi; bulla enim plus non requirit, quam, ut liber, vel de religione tractet, vel hæresim contineat; in nostro autem casu liber vere de religione tractat, quamvis non contineat hæresim : et vere continet hæresim, quamvis unam solam in singulari contineat, et tractet de religione; et sic conditio bullæ adimpleta habetur, adeoque excommunicatio incurritur, Sanch., lib. II *Moral.*, cap. 10, n. 34; Diana part. VI, tract. 6, resolut. 55; Castropalao, *De infidelitate*, tract. 4, disput. 2, punct. 10; Leander, *De censuris*, tract. 3, disput. 1, qu. 39, n. 34; Bonac., *De censuris*, disp. 2, q. 5, punct. 4, n. 19; Farinac., *De hæresi*, quæst. 180, n. 22; Felix Potestas, tom. II, par. II, n. 357 et seq.; Suar., par. III, tract. 5, et alii plures contra Filiuc., Graff., Sayr., Carenam, et alios.

(30. Tertia conditio requisita est, ut scienter liber legatur, retineatur, etc., id est sciatur talem librum esse auctoris hæretici, et tractare de religione, vel hæresim continere; textu expresso in eadem bulla, ibi : « Scienter legentes, aut retinentes, » etc. (31. Unde qui, vel non scit auctorem libri esse *hæreticum*, vel, si id sciat quidem, ex tenore tamen, vel aliunde deceptus ignorat, illum de religione tractare, vel hæresim continere, excommunicationem bullæ Cœnæ non incurrit, etiamsi ignorantia esse crassa, aut supina, ut tenet *Communis* cum Sanchez, lib. II. *Moral.*, cap. 10, n. 38; Laymann, lib. II, tract. 1, cap. 24, n. 4; Busemb., lib. VII, cap. 2, dub. 3, art. 5, n. 7; Reiffenst., *loc. cit.*, n. 55; Felix Potest., *loc. cit.*, n. 379. Et ratio est, quia universaliter, quando in lege ad incurrendam censuram requiritur scientia, ut in præsenti, illa ignorantia excusat, quæ opponitur scientiæ; talis autem est ignorantia crassa, et supina, nam crasse et supine ignorantes, non dicuntur scientes. Covarr., in c. *Alma mater*, par. I, § 10, n. 17; Silvester, verb. *Ignorantia*, q. 8, dist. 4; Reiffenstuel., *loc. cit.*; Sanchez, et alii communiter. (32. Imo Diana, par. III, tract. 6, resolut. 7, et par. V, tract. 6, resol. 11; Bonac., Tamburrin., Hurtad., et alii cum La Croix, lib. VII, n. 345, tenent, quod excuset etiam ignorantia affectata, id est cum quis, data opera, vult ignorare, ut in casu nostro, cum quis, data opera, non vult scire an hic liber sit hæretici, ut liberius illum legat, aut retineat. (33. Quod tamen de hac ignorantia affectata negant Felix Potestas *loc. cit.*, et alii, quia ignorantia affectata æquiparatur scientiæ, et æquivalet dolo, cum sic affectati ignorantes dolose nolint intelligere, ut liberius peccent, juxta illud Psalmistæ, *Psalm.* XXXV : *Noluit intelligere, ut bene ageret;* Fraus autem et dolus nemini patrocinari debent, cap. *Sedes* 16 et cap. *Ex tenore* 16. *De rescriptis*, cap. *Tuæ* 12; *De clericis non resident.*, cap. *Ex litteris* 2, *De dolo et contumac.*, et l. *In fundo*, ff. *De rei vindicat.*, et l. *Cum hi*, ff. *De transact.*, l. *Si legatarius*, Cod. *De legatis*, cum similibus.

(34. Quarta conditio requisita est, ut legatur materia notabilis sufficiens ad mortale. Qualis autem sit materia notabilis, et sufficiens ad mortale, multum controvertitur inter doctores : Toletus enim dicit sufficere unam, vel alteram lineam legi, cum in ea contineri possit hæresis; at hæc opinio, ut nimis rigida, paucos adinvenit patronos. E contra Crousers apud Dianam in summa, verb. *Hæreticorum libri*, n. 39, dicit requiri eam libri partem, quæ per se sumpta, vere dici possit liber, et quod infra est, dicit esse veniale. At hæc, ut nimis laxa, pauci sunt, qui eam sequantur. Sanchez, Sa, Vivald. Krimer, et alii volunt, minus quam paginam in folio non sufficere ad mortale. Marchant. autem in *Tribunal.*, tom. I, tract. 2, tit. 2, qu. 2; Sporer in *Moral.*, tract. 1, cap. 5, n. 28 : La Croix, lib. VII, n. 340, et alii melius dicunt, in hac re attendendam esse materiam, non secundum se, sed secundum finem prohibitionis : Unde, cum quis aperit librum hæreticum, et statim incidit in unam, vel alteram lineam continentem formalem, et veram apertam hæresim, dicendum est, si non statim desistat, ac cognoscit, ipsum peccare mortaliter, et incurrere excommunicationem, quamvis legat paucas lineas, quia et periculo se exponit, et agit contra totum finem legis; Si vero incidat in materiam indifferentem, et ut talem cognoscat, dicendum est, ipsum non peccare mortaliter, quamvis legat integram paginam talis materiæ indifferentis, quia sic, cum non se exponat periculo perversionis, non agit directe contra finem legis.

(35. Hinc graviter peccant, et excommunicationem incurrunt legentes hæretici epistolam, concionem, orationem, vel aliam similem parvam scripturam de religione tractantem, aut hæresim continentem; et ratio est, quia in his eadem ratio, idem, et majus periculum perversionis invenitur, ubi

Digitized by Google

autem eadem est ratio, eadem est legis dispositio, l. *Illud*, ff. *Ad legem Aquiliam*, etc., inter *corporalia* 2, *De translation. epis.* Unde sicuti, ubi cessat ratio, et finis legis, vel obligationis, cessat lex, seu obligatio ipsa; l. *Adigere*, § 2, ff. *De jurepatron.* cum ratio legis sit anima legis, l. *Cum ratio*, ff. *De bonis damnator.*, ita a sensu contrario, ubi perseverat, et etiam viget finis legis, vel prohibitionis, perseverat, et etiam viget lex, seu obligatio ipsa.

(36. Nec valet dicere, quod tales epistolæ, conciones, orationes, seu aliæ similes parvæ scripturæ separatæ non veniunt nomine *libri*, de quibus solum loquitur bulla Cœnæ : *Ac eorundem libros.* Non valet, inquam, quia ex declaratione facta in simili materia a sac. cong. Conc., etiam supradicta veniunt nomine *libri*; cum enim esset interrogata circa decretum concil. Trident., sess. IV, *De editione librorum* emanatum, quænam comprehenduntur ibid., nomine *libri?* respondit comprehendi sub illo etiam *conciones, lectiones, disputationes*, et similia. Sic testatur Reiffenst., *loc. cit.*, n. 43, et cum aliis Barbosa *Collec. in Trid.*, sess. IV, n. 8. Tum quia bulla Cœnæ, prohibendo hæreticorum libros, revera intendit, et voluit prohibere omnia illorum opera, sive magna, sive parva, sive impressa, sive scripta, quorum lectio possit esse periculum perversionis legentibus; unde cum etiam ex lectione similium epistolarum, concionum, modicarum scripturarum idem, ac forsan majus periculum subsit, dicendum est, quod etiam similes, epistolæ, conciones, et parvæ scripturæ cadant super eadem bullæ Cœnæ censura, sive in stricto, ac communi sensu libri dici possint, sive non; quia, propter verba legis, non debemus judicare contra intentionem illius, cap. *Humanæ aures* 2, caus. 22, qu. 5, ibi : « Non debet aliquis verba considerare (*intellige nude et simpliciter*) sed voluntatem, et intentionem, quia non debet intentio verbis deservire, sed verba intentioni, » cap. *Intelligentia* 6, *De verb. signif.*, ibi : « Intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi, quia non sermoni res, sed rei est sermo subjectus, etc. » *In his* 15, eod. *De verb. signific.*, ibi : « Considerantes nihilomus, quod non debet, aliquis considerare verba, sed voluntatem, cum non intentio verbis, sed verba intentioni debeant deservire, interpretamur; » et cap. *Certum est* 88, *De regul. jur.*, in 6, ibi : « Certum est, quod is committit in legem, qui legis verba complectens contra legis nititur voluntatem, » et l. *Scire* 16, ff. *De legibus*, ibi : « Scire leges non est verba earum tenere, sed vim, et potestatem, » et sic tenet Farinac., *De hæresi*, qu. 80, n. 30 et 31; Suar., disp. 20, sect. 2, n. 10; Stoz, l. II, part. III, n. 536, et alii plures ibi cit.; La Croix, lib. VII, n. 887, cum Pignatel. et aliis ibi cit.; Reiffenst., *loc. cit.*, a n. 41, et hanc opinionem probabiliorem, et in praxi tenendam censet Palao, *De infidelitate*, tr. 4, dis. 2, punct. 10, § 1, n. 4 et 5. Et probabilissimam vocat Dicastill., d. 3, n. 1165, et vere probabiliorem dicunt Spor., Krimer., et plurimi alii.

(37. Alii autem tenent contrarium. Lugo *De fide* disp. 21, n. 33. Alberghinus, cap. 2, n. 5; Diana par. I, tract. 11, resol. 34; Buzemb., lib. VII, cap. 2, dub. 3, art. 5, n. 4; Felix Potest., tom. II, par. II, n. 366; Sanch., lib. II *Moral.*, cap. 10, n. 29; Bonac., disp. 2, *De censur.*, qu. 5, punct. 4; Durandus, lib. IV, in caus. 1, qu. 44, n. 6; Herincx, disp. 9. *De fide*, qu. 8, n. 86; Laymann, lib. II, tract. 1, cap. 15, n. 3. Alii plures, quorum aliqui contrariam sententiam tenent esse veram, et alii saltem probabilem esse putant, hac ducti ratione, quod tales epistolæ, conciones, et aliæ similes parvæ scripturæ separatæ, non sunt proprie *libri*, de quibus solum loquitur bulla Cœnæ, adeoque sub ejus censura non comprehenduntur, cum verba legis pœnalis et odiosæ sint stricte interpretenda, cap. *Odia* 15., *De regul. jur.* in 6. ibi : « Odia restringi, et favores convenit ampliari, » et cap. *In pœnis* 49, eod in 6. ibi : « In pœnis benignior est interpretatio facienda. » Quæ sententia revera non caret sua probabilitate.

(38. Quinta conditio requisita est, ut legatur, et retineatur sine auctoritate, seu licentia Sedis Apostolicæ, ut expresse habet ipsa bulla Cœnæ, ibi : « Sine auctoritate nostra, aut Sedis Apostolicæ. » Unde, qui habet licentiam legendi ipsos libros hæreticorum, vel a Summo Pontifice, vel ab aliis ab ipso ad id deputatis, non incurrit dictam censuram bullæ Cœnæ, legendo aut retinendo similes libros prohibitos; qui autem tales licentias concedere possint, vel non. *Vide sup., n. 23 et 26.*

(39. Per ly *legentes*, ad incurrendam censuram bullæ Cœnæ, intelligitur omnis, qui non solum voce legit, sed etiam qui tacitus oculis librum percurrit. *Communis.* (40. Legens autem voce, seu oculis librum percurrens, si non intelligat libri idioma, aut linguam, non incurrit talem censuram, quia is proprie non legit, nisi materialiter; ad lectionem enim ab Ecclesia prohibitam requiritur, quod scriptura mente percipiatur, cum solum talis lectio inducat periculum perversionis catholici, et communicationem cum hæretico in doctrina. Sic Diana par. I, tract. 12; Bordon. in *Manual. consult.*, sect. 49, n. 12 et 72; Felix Potest., tom. II, part. II, n. 403; La Croix, lib. VII, n. 341, cum Suarez, Sanchez, Filliuc., Tambur., Krimer, Pignatell., Castropal., Dicastill., Stoz ibi citatis contra Bonacinam, et alios (13).

Nota Romani theologi. — (13) Etsi non incurrit perlustrando oculis librum, cujus idioma ignoretur, incurrere tamen in censuram videtur retinendo illum; cum etiam retentio sit sub hac pœna prohibita

Digitized by Google

(41. An autem audiens alium legentem librum prohibitum incurrat censuram? Variant doctores; quidam enim tenent, ipsum censuram non incurrere, si audiat casu, at vero eam incurrere, si consilio, petitione, jussu, aut mandato inducat alium, ut sibi legat, quia qui per alium facit, per se ipsum facere videtur, cap. *Qui facit* 72, *De regul. jur.*, in 6, ibi : « Qui facit per alium perinde est ac si faciat per se ipsum. » Tum quia talis audiens non se habet mere passive, sed active influendo, cum enim mandato, seu concilio inducat alium, ut sibi legat, est ipse causa lectionis, et censetur ipse legere. Econtra si ipse non induxerit, non censetur legere, sed tantum audire. Sic tenent Nald., Azor., Sair., Graff., Reginald., Silvester, Pignatell., Veruys, cum La Croix, *loc. cit.*, n. 342, ubi dicit hanc sententiam videri probabiliorem, et alii apud Leandr., *De censuris*, tract. 3, dis. 1, qu. 59. Alii autem absolute tenent, ipsum censuram incurrere, sive audiat casu, consilio, petitione, aut mandato, quia idem est periculum infectionis in audiente, et legente, et idem odium hæreseos, quæ fuit ratio prohibitionis sub tali censura : adeoque, etc. Sic Leander, *loc. cit.*, qu. 58 et 59; Suarez, Roccaful., et alii. Econtra, alii absolute docent, ipsum censuram non incurrere, sive audiat casu, sive consilio, petitione, aut mandato, quia proprie ille tantum dicitur legens, qui visu, et mente scripta percurrit, et ex Jure verba legis pœnalis sunt in propria, et stricta significatione accipienda, cit. cap. *Odia* 15, et cap. *In pœnis* 49, *De regul. jur.*; sic Diana par. 1, tract. 11, resol. 133, cum multis ibi citatis; Portell., verb. *Librorum prohibitio* in addit., n. 11; Tambur., lib. II, *Decalog.*, cap. 1, § 7, n. 32; Felix Potest., tom. II, par. II, sub n. 471, ubi cum aliis solvit rationes opinionum contrariarum; Ugolin., Sanch., Coninch, Dicastill., Stoz, Krimer, et alii cum La Croix, *loc. cit.*, ubi hanc etiam tenet probabiliter.

(42. Legens librum de mandato alterius, a quo prudenter timet grave damnum, non incurrit censuram, quia metus gravis in constantem virum excusat a transgressione præcepti ecclesiastici, cum præceptum ecclesiasticum non obliget cum tanto detrimento. Bordon in *Manual. cons.*, sect. 49, n. 41; Leander, *De censuris*, tr. 3, disp. 1, q. 57, et disp., 9, qu. 23, cum pluribus aliis ibi citatis. (43. Incurrit tamen censuram, si legat de mandato alterius solum ex metu levi, quia metus levis non excusat a transgressione præcepti ecclesiastici. *Communis.*

(44. Per ly *retinentes*, ad incurrendam censuram intellegitur omnis, qui habet apud se librum, sive proprium, sive alienum, quomodocumque illum habeat, sive retineat illum nomine proprio, sive nomine alieno. Imo etiamsi in aliena domo retineat, quia semper dicitur vere retinens. Buzenb., l. VII, cap. 2, dub. 4, art. 3, n. 8; La Croix, *ibid.*, n. 347; Bonacina, tom. III, disp. 1, quæst. 2, punct. 4, n. 15; Felix Potest., *loc. cit.*, n. 428; Pignatell. et *Communis* aliorum. (45. Hinc tam deponentes librum apud alium, seu alteri commodantes, aut in pignus tradentes, quam depositarii, seu commodato, aut in pignus accipientes incurrunt censuram. La Croix, *loc. cit.*, cum Pignatell. et *Communis* aliorum.

(46. Item censuram incurrunt vendentes scienter libros hæreticorum, seu asportantes de uno in alium locum, quia isti nedum sunt retentores, sed etiam fautores hæreticorum. Leander, *De censuris*, tract. 3, disp. 1, qu. 88, et alii communiter. (47. Item censuram incurrunt librum retinentes ad confutandum, quia bulla Cœnæ absolute prohibet retentionem, et factum respicit, non affectum; et intentio bona non potest cohonestare actum absolute prohibitum. Bordon., in *Manual. consult.* sect. 49, n. 13, *et communis aliorum.* (48. Item censuram incurrunt, qui retinent libros hæreticos solum ad ornatum in bibliothecis, licet sine animo legendi, et quamvis idioma non intelligant, quia talis retentio est in periculum infectionis aliorum, et contra finem adæquatum prohibitionis factæ a bulla, nempe ultra periculum infectionis, ut tales libri plene abolerentur in odium auctoris hæretici, et hujusmodi. Sanchez, lib. I, *Moral.*, disp. 10, n. 52 et seq.; Castropal., *De fide*, tract. 4, disput. 2, punct. 10, § 2, n. 7 et seq., et ipso teste *Communis aliorum.* (49. Item censuram incurrunt tales libros retinentes, quamvis cognoscant, nullum esse perversionis periculum, quia talis prohibitio non est facta solum ob periculum perversionis, sed, ut dictum est, etiam in odium hæreticorum, et ut sui libri penitus exterminentur. *Communis.*

(50. Item censuram incurrunt bibliopolæ, et bibliopeces, qui hujusmodi libros ad distrahendum, et compingendum retinent. Sanch., Reiffenstuel., lib. III *Decretal.*, tit. 7, n. 72, cum plurimis ibi citatis. La Croix, lib. VII, n. 353, cum Ugolin., Sanchez, Pignatell. ibi cit. (51. Item qui librum, antequam prohiberetur, redegit in compendium, incurrit Censuram, si hoc solum compendium manuscriptum legat, vel retineat post prohibitionem, quia est moraliter idem ipse liber compendiatus, et a fortiori, si redactus sit in Compendium post prohibitionem. La Croix, *loc. cit.*, n. 350; Pignatell., ibi cit. et alii. (52. Item censuram incurrit, qui partem libri retinet, quia is vere dicitur retinere librum, sicuti dicitur legere librum, qui partem illius legit. Sanchez *loc. cit.*, n. 54; Reiffenstuel., *loc. cit.*, n. 73 et alii passim. Hinc Sanchez, Filiuc., Castropalao, Dicastil., Pignatell., Veruys, Krimer, apud La Croix *loc. cit.*, n. 349, excommunicatos censet aromatarios, mercatores, et quosvis alios, qui hujusmodi libros, aut partes eorum retinent ad involvendas merces, aut similia.

(53. Retinentes librum per unum, vel

Digitized by Google

alterum diem cum proposito postea tradendi, excusantur a peccato mortali, et censura. La Croix, *loc. cit.*, n. 348, cum Sanchez, Duard., Reginald., Castropal., Diana, Pignatell., Sporer ibi citatis. (54. Item excusantur a peccato, et censura, qui longiori tempore libros tales retinent, ex eo quia non habent opportunum tempus, et occasionem illum tradendi inquisitoribus, vel habenti licentiam eos legendi, et retinendi. Laymann, lib. II, tract. 3, cap. 15, n. 7; Castropal., tract. 4, *De fide*, disp. 2, punct. 10, § 2, n. 10; Reiffenst. *l. c.*, tit. 7, n. 75, et alii. (55. Si tamen tandiu exspectarent ad consignandum, ut conserentur non velle consignare, peccarent mortaliter, et incurrerent censuram. La Croix, *loc. cit.*, n. 348; Veruys, trac. 5, art. 8 et alii.

(56. Si autem haberent voluntatem absolute retinendi, et paulo post mutarent hanc voluntatem, et vere proponerent, quam primum poterunt, consignare, peccassent quidem mortaliter ratione habitæ absolutæ voluntatis retinendi contra gravem prohibitionem ecclesiæ, at probabilius non incurrissent censuram, quia censura non incurritur ob voluntatem; sed ob ipsam retentionem, adeoque, si retentio de se non sit mortalis, et longa, non est materia sufficiens ad censuram. (57. Sicuti si quis habuisset absolutam voluntatem; occidendi clericum, et paulo post mutaverit ipsam voluntatem, nec clericum occiderit, nec vulneraverit, quamvis peccasset mortaliter ratione talis habitæ absolutæ voluntatis, non esset tamen excommunicatus. Sanchez, Reginald., Castropal., Sporer, Diana, Veruys, Dicastill., Krimer citati et secuti a La Croix, *loc. cit.*, n. 348.

(58. Per ly *imprimentes*, ad incurrendam censuram, intelliguntur, et veniunt omnes, qui ad libri impressionem propinque concurrunt, et veræ illius causæ sunt ut typographus, aut patronus officinæ, cujus auctoritate libri typis mandantur; qui humectat, seu præparat chartam, imponit atramentum, typos ordinat, et componit, chartam madefactam supponit torculari, torcular premit. *Communis* cum Reiffenstuel, lib. V *Decretal.*, tit. 7, n. 77; Leandro, *De censuris*, tract. 3, disp. 1, quæst. 82; La Croix *loc. cit.*, n. 356; Sanchez, lib. II *Moral.*, disp. 10, n 37. (59. Item eandem censuram incurrunt transcribentes libros hæreticorum, quia nulla est in substantia diversitas. Leander *loc. cit.*, quæst. 87; Felix Potest. *loc. cit.*, n. 448, et alii. Imo transcribentes incurrunt etiam censuram tanquam legentes, et detinentes librum hæreticorum, et tanquam fautores hæreticorum. *Communis.*

(60. Qui facit expensas pro impressione, incurrit censuram, ut fautor hæreticorum, non autem ut impressor, quia non dicitur proprie imprimere, sed solum remote concurrit ad impressionem. Leander *loc. cit.*, quæst. 84 et 86; La Croix lib. VII, n. 356, cum Ugolin., Sair., Fifliuc., Dicastill., Pignatell., ibi citatis, et alii plures. (61. Item corrector exemplaris impressi non incurrit censuram ut imprimens, quia non est proprie impressor sed impressi inspector. Unde incurrit censuram ut legens, et quidem toties, quoties legit magnam partem et etiam ut fautor hæreticorum. *Citati doctores.* (62. Item vendentes impressoribus chartam, characteres, atramentum, aut alia necessaria ad impressionem incurrunt solum censuram ut fautores hæreticorum, si talia ipsis vendant animo favendi hæresi, non autem ut imprimentes, quia non concurrunt, nisi valde remote ad impressionem. *Citati doctores.* (63. Imo nullam censuram incurrunt, si talia vendant, non ut faveant hæresi, sed solum negotiationis, et justi lucri gratia. La Croix *loc. cit.*, n. 356, cum Castropal., Tamburin., Krimer, Pignatell., ibi citatis, et alii passim

(64. Per ly *defendentes*, ad incurrendam censuram, intelliguntur, et veniunt omnes, qui quocunque prætextu, vel causa librum hæretici, quatenus talem, defendunt et tuentur verbis, vel factis, laudando v. gr. et exaltando talem librum, probando ea quæ in eo scripta sunt esse vera, abscondendo illum, aut impediendo, ne inquisitoribus tradatur, aut ne comburatur, et hujusmodi. Sanchez *loc. cit.*, n. 58, Castropal., *loc. cit.*, n. 14; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 78, et alii communiter, textu expresso in ipsa bulla Cœna § 1, ibi : « Seu quomodolibet defendentes ex quavis causa, publice, vel occulte, quovis ingenio, vel colore, » etc.

(65. Hinc qui talis libri stylum, vel doctrinam, seu ingenium auctoris laudat eo fine, et animo, ut damnationem, seu consignationem impediat, censuram incurrit, quia ad censuram incurrendam non requiritur quod defensio fiat præcise ob hæresim, vel hæreticum, sed ut expresse loquitur bulla : « Ex quavis causa publice, vel occulte, quovis ingenio, vel colore. » La Croix *loc. cit.*, n. 359; Pignatell., ibi cit., et alii. (66. Non incurrit tamen censuram, si laudet stylum libri, vel ingenium auctoris, vel catholicam doctrinam, quæ in eo est, sed non quatenus in eo est, nec in ordine ad tuendum, ne damnetur, ne inquisitoribus tradatur, aut comburatur; quia hæc laudat secundum se, non ut opera hæretica, et auctoris hæretici, adeoque non defendit librum hæretici. Sanchez *loc. cit.*; Reiffenstuel., *loc. cit.*; Busemb., lib. VII, cap. 2, dub. 4, art. 5. n. 8; Leander, *De censuris*, tr. 3, disp. 1, quæst. 94 et 95; Bonacina, Laymann, et alii passim.

(67. Libri, et Scripturæ de ritibus Sinensibus publicari prohibentur; Benedict. XIV, tom. I, constitut. 59, incip. *Ex quo*, § 8. (68. Libri gentilium de falsa religione, seu de rebus obscenis, et superstitionis tractantes, fidelibus prohibentur. Idem constitut. 107 incip. *Omnium sollicitudinem* § 3 et 14. (69. Librorum quorumque editio super argumento immunitionis festorum de

Digitized by Google

præcepto prohibetur sub gravissimis pœnis, Idem tom. II, constitut. incip. *Non multi menses.*

(70. Libri noxii, tam a congregatione Universalis Inquisitionis, quam a congregatione Indicis proscribuntur; et utraque summa maturitate, et consilio utitur in proscriptione evulganda. Benedict. XIV, constitut. incip. *Sollicita*, in qua methodus præscribitur in examine, ac proscriptione librorum a congregationibus Universalis Inquisitionis, et Indicis servanda, certæque har. congreg. relatoribus, ac consultoribus proponuntur regulæ, quas in examine, judicioque ferendo sequantur; quæ constitutio est merito tota attente legenda, et plene observanda.

(71. Secretum, sive silentium, quod in congregatione sancti Officii præscriptum est, eodem prorsus modo in examine, ac proscriptione librorum in congregatione Indicis, a cardinalibus, revisoribus, et consultoribus custodiendum præcipitur a Benedict. XIV, constit. incip. *Sollicita*, § 12.

APPENDIX, SIVE NOVUS DE LIBRORUM PROHIBITIONE ARTICULUS.

In quo de Ecclesiæ potestate in libris proscribendis, de antiqua et nova disciplina circa hujusmodi prohibitionem, de auctoritate decretorum Apostolicæ Sedis libros vetantium, deque pœnis in eos latis, qui hujusmodi libros legant, retineantque, ac de nonnullis ad hanc materiam pertinentibus quæstionibus.

§ I.

De concessa Christi Ecclesiæ potestate prohibendi libros, deque antiqua circa rem hanc disciplina, quæ ad inventam usque artem typographicam perduravit.

Improbatæ lectionis libri sunt, qui religioni, bonis moribus, pietatique obsint. Hos vero, ex hominum manibus eripiendos, proscribendosque esse, ipsa recta ratio suadet, atque exemplis cujusque bene ordinatæ reipublicæ comprobatur. Constat enim ex Laertio, Græcos Protagoræ libros in foro jussisse comburi; atque in Romana Republica plures ex senatus consulto libros, qui homines vel a divino cultu avocarent, vel ad superstitionem, quam pravam ipsi crederent, provocassent, fuisse combustos, ut legere est apud Valerium Max. aliosque. Eademque lex ita apud Romanos viguit, etiam postquam summa rerum penes imperatores esset, ut Ulpianus, l. *Cæteræ*, ff. *Famil. Erciscund.*, scripserit, improbatæ lectionis libros, dum hæreditaria res sit dividenda, non dividi, sed a judice aboleri oportere, non secus ac mala medicamenta, et venena. Hæc autem animadvertenda duxi, non solum ut lector intelligat, consentaneum esse rectæ rationi, ut noxii libri interdicantur, sed etiam ut inde sciant, quinam fuerit in republica usus circa hujusmodi libros, dum Christiana religio cœpit, et quam majus fuerit servandæ religionis studium apud idololatras ipsos, quam apud

novatores ætatis nostræ, e quorum officinis prodiere Obbesii, Tollandi, Spinosæ, Bælii, aliorumque male feriatorum hominum opera, quæ christianam, ac religionem omnem, omnemque pietatem evertunt.

Ecclesiæ autem fecisse Christum Dominum potestatem proscribendi libros, tum ex munere pastoribus concredito, tum etiam ex usu, quem ejusdem potestatis semper fecit, est omnino exploratum. Voluit enim, ut in ea essent pastores, qui eamdem regerent usque ad consummationem sæculi; atque vos episcopos vocat Lucas in *Actis apostolorum, quos posuit Spiritus sanctus regere Ecclesiam suam.* Iisdem Christus pascendi oves suas unus, potestatemque clavium indidit, quæ passim in Scripturis ad supremam designandam potestatem adhibetur. At munus Christi Pastoris est, suam doctrinam, quæ viam salutis demonstret, edocere, ea proponere, quæ æternæ salutis consecutionem faciliorem faciant, quæque obstacula tollant quæ impedimento esse possint. Huic autem muneri conveniens ac necessaria est potestas eripiendi ab hominum manibus noxios libros, qui non solum maximo obstaculo sunt æternæ saluti, sed ad certam perniciem homines trahunt. Quis ergo dubitet, quin auctoritatem dederit proscribendi perniciosos libros, ac opportunis etiam pœnis ab horum lectione homines evocandi? Ex solo Pastoris munere intelligi id facile posset, sed ut inexcusabiles omnino novatores essent, hanc potestatem notissimis ætate illa phrasibus, ac luculentissimis verbis in Scripturis Novi Testamenti explicavit. Quid enim aliud innuit Scriptura, dum hos ait a Spiritu sancto positos ad regendam Ecclesiam Christi; dum iis ligandi et solvendi, et clavium potestatem concessam tradit; dum ita eos missos fuisse declarat Luc. (xx, v. 16), ut qui hos loquentes præcipientesque audit, Christum audiat, qui vero eos contemnat, et spernat, Christum spernat; dum denique per Paulum ad *Hebræos* xiii, vers. 17, eosdem præpositos appellat, quibus parere ac subesse oporteat? Hæ phrases, hi loquendi modi satis superque declarant, Christum Ecclesiam suam instar reipublicæ stabilisse, in qua pastores præessent, auctoritate freti, ea prohibendi, præcipiendi, ac etiam certis pœnis interdicendi, quæ commune Ecclesiæ bonum postularet.

Fac vero hæc ambigua fore, atque in alium quoque sensum detorqueri posse; si constet, hanc apostolos, ac episcopos deinde eorumdem successores exercuisse potestatem; eamque in iisdem agnovisse, ac fuisse veneratos primos Christianorum principes, quis dubitet, quin eam revera a Deo habuerint? Neque est verisimile, Ecclesiam viventibus adhuc apostolis formam a Christo stabilitam mutasse; eamque veluti a Deo sibi collatam pastores sibi usurpasse potestatem, quam non habuissent. At Ecclesia hanc semper exercuit potestatem. Nam ut ea mittam, quæ *Actorum* xix, vers. 19, leguntur, de libris eorum, qui fue-

Digitized by Google

rant curiosa sectati, quorum ingens numerus Ephesi, Paulo prædicante, combustus fuit, auctor *Constit. Apostolicarum*, lib. I, cap. 7, ait: « Apostolos prohibuisse initio fidelibus libros gentilium, et falsorum prophetarum; et canon. 59, ex iis qui apostolorum nomen præferunt: « Si quis, inquit falso inscriptos impiorum libros, tanquam sanctos in Ecclesia publicat ad populi, et cleri perniciem, deponatur. » Hæc satis sunt ad ostendendum Ecclesiam etiam dum sub principibus infidelibus esset, auctoritate, quam a Christo habuerat, usam, libros noxios prohibuisse, ac pœnas, prout temporum circumstantiæ ferebant, adversus inobedientes statuisse.

Reddita vero Ecclesiæ pace, hanc potestatem liberius exercuit, probantibus, ac faventibus etiam ipsis Christianis principibus. Nam in concilio Nicæno I, Patres damnarunt Arii libros, eosque comburendos esse docuerunt. Constantinus vero Magnus indicta pœna capitis in eos qui illos occultassent, omnes comburi curavit; ut scribit Socrates lib. I, cap. 9, et Nicæphorus, lib. VIII, c. 25.

Patres concilii Ephesini, damnatis Nestorii scriptis in synodica epistola, ita ad Theodosium scribunt: « Vestram autem majestatem iterum atque iterum rogatam cupimus, ut universam illam doctrinam e sanctis ecclesiis submoveri, ejusdemque libros, ubique locorum repertos, jubeat flammis absumi. » Similem sententiam tulere Chalcedonenses Patres in scripta Eutychetis, quæ ex edicto imperatorum, fuere deinceps combusta. Hac via antiqui illi patres, auxilium eisdem præbentibus imperatoribus e fidelium manibus hæreticorum libros prærripere studuerunt. Imo piissimi principes, ut promptiores essent ministri ad libros, quos Ecclesia religioni inimicos declarasset, abolendos, leges quoque statuere, quibus hæreticorum libros comburi præcipiebatur. Id vero, non ut potestatem, quam non haberet Ecclesia, supplerent, ut falso scripsit Petrus Giannone, sed ut necessarium ei præberent auxilium per pœnas temporarias ad facilius hujusmodi pestem extirpandam. Nam cum primum potuit libere Ecclesia horum librorum combustionem decernere, atque executioni mandare, id propria auctoritate fecisse constat. Sanctus enim Leo Magnus, anno 443, propria auctoritate et sententia Manichæorum libros Romæ combussit. Et Epistola 93, quæ est ad Turibium Asturicensem episcopum: « Apocryphæ, inquit, Scripturæ, quæ, sub nominibus apostolorum, multarum habent seminarium falsitatum, non solum interdicendæ, sed etiam penitus auferendæ, atque ignibus concremandæ. » Et infra: « Si quis episcoporum, vel apocrypha per domos non prohibuerit, vel sub canonicorum nomine eos codices in ecclesiis permiserit legi, qui Priscilliani adulterina sunt emendatione corrupti, hæreticum se noverit judicandum. » Symmachus quoque et Hormisdas Manichæorum libros combusserunt.

Concilium Nicænum secundum act. 5, libros hæreticorum damnavit, comburique jussit. Nicolaus I, in *Respons. ad consul. Bulgarorum*, noxios blaphemosque Saracenorum libros igni tradendos constituit. Nicolaus II, anno 1059, idem in concilio Romano de Berengarii libris decrevit. Et, ut alia mittam, concilium Romanum, et Constantiense igni tradidere Joannis Hus, atque Wiclephi libros. Atque hinc patet, Patres, ac Supremos Pontifices apostolos imitatos, usque ad quintidecimi sæculi initium, hæreticorum librorum combustione, malis occurrere consuevisse quæ ex hujusmodi librorum lectione in Ecclesia oriri potuissent. Hæc præcipua pastorum ac præsertim Romanorum Pontificum cura fuit, atque hac unica via tot hæreticorum libros perdere potuerunt. Mirum itaque non est si antiquæ Ecclesiæ nullus proscriptorum librorum catalogus occurrat, nam Index ille librorum apocryphorum a Gelasio Papa in Romana synodo propositus, inquit Cl. P. Catalani, « nequaquam dici potest index librorum prohibitorum, juxta usitatam modernam phrasim, *Index exhibens libros, tum privatim, quam publice lege prohibitos*, » cum scopus illius decreti esset libros proponere, « qui *in Ecclesiis per anni circulum*, a nonnullis leguntur *pro fidelium ædificatione*. » At inde injuria colligas, nunquam in Ecclesia privatam librorum lectionem fuisse prohibitam. Nam id vetitum fuisse constat ex supra cit. Const. Apost. lib. ex sancti Leonis verbis, ex conciliis omnibus generalibus, in q .ibus damnati fuere hæreticorum libri, ex can. 16 conc. IV Carthag., quo statuitur, ne *episcopus gentilium libros legat;* hæreticorum *autem pro necessitate, ac tempore:* atque ex eo, quod sanctus Epiphanius ann. 401, synodo Cypri librorum Origenis lectionem prohibuerit. Hæc sane ostendunt privatam quoque librorum lectionem interdici consuivisse. Nec desunt gravissimi theologi, qui Gelasianum quoque decretum ad privatæ quoque lectionis prohibitionem extendat librorum, qui apocryphi declarantur; cum scripta eorum in illo catalogo se consignare voluisse declaraverit *quæ a Catholicis vitanda sint*. Hactenus de disciplina, qua universa usa est Ecclesia in eripiendis e fidelium manibus hæreticorum libris, noxiisque scriptis.

§ II.

De stabilita per Apostolicam Sedem disciplina circa examen, proscriptionemque librorum post inventam artem typographicam, ac post ortas Lutheri Calvinique hæreses.

Superiori in capite ostendimus qua via Ecclesiæ pastores e fidelium manibus impiorum libros eripuerunt, cum nondum ars typographica inventa esset. Quanta vero eorum, ac præsertim Romanorum Pontificum cura fuerit, quantum principum in Ecclesiæ et Apostolicæ Sedis decreta obsequium, vel ex eo intelliges, quod ne vel unus quidem antiquorum hæreticorum liber supersit. At inventa arte typographica, ortis Lu-

Digitized by Google

theri et Calvini hæresibus, atque divisa malis, hæreticorum artibus in varia schismata Europa, alia ratione occurrendum fuit malis, quæ ex pravorum librorum lectione orirentur. Viguit etiam deinceps, (et ipse Leo X omnes Lutheri libros sub gravissimis pœnis comburi jussit), ac etiam nunc viget usus comburendi per manus Carnificis certum librorum genus. At etsi id satis est ad conciliandam iniquis auctoribus infamiam, et ad ostendendam Ecclesiæ voluntatem, quæ illos abolitos vellet : ac publicam præ se fert execrationem, qua homines ad horrendam illius lectionem incitantur : tamen sufficiens non est ad omnia prorsus perdenda typis evulgata, et dissitis in locis in multorum manus delata exemplaria. Quamobrem nova, atque aptiori disciplina fideles ab horum librorum lectione deterrere oportuit.

Cœpit ars typographica circa annum 1460. Initio autem, cum omnes imprimendis selectioribus antiquorum scriptis intenti essent, commoda hujus novæ artis homines experiebantur, ac laudabant; quæ vero mala inde oritura essent, nec præsentiebant, nec suspicabantur. Sed postquam initio sextidecimi sæculi, ob nimiam in antiquis theologis, patribusque carpendis, atque sacris Scripturis interpretandis libertatem, et ob novas Lutheri Calvinique hæreses, plures noxii libri ederentur, inter quos nonnulli, mentito quoque nomine, heretico fermento conspersi essent, nova Apostolicæ Sedis œconomia, majorque cura, et sollicitudo enituit. Nam Leo X, combustis nonnullis Lutheri scriptis, interdictisque sub anathematis pœna illius operibus, in concilio Lateranensi anno 1515, sess. x, vetuit, ne deinceps imprimerentur libri nisi prius in Urbe, ab ipsius vicario et magistro sacri palatii, aut personis ab ipso deputatis examinati essent; in aliis locis vero ab episcopo, vel ab ejus deputato, aut ab inquisitore hæreticæ privatis ejus civitatis, et diœcesis, in qua impressio fieret. In transgressores vero, præter excommunicationem, suspensionem ab exercitio artis, amissionem librorum, aliasque pœnas arbitrio ordinarii infligendas constituit. Deinde etiam Julius III cavit, ne cui liceret legere, aut habere apud se libros Lutheranorum, aliorumque hæreticorum, idque sub pœnis spiritualibus, et temporariis, quæ in hæreticos latæ essent.

Sed cum plures quotidie prodirent hæretica labe conspersi libri, qui mentito plerumque auctoris nomine, ac variis artibus ita errores occultabant, ut facile non esset eos a catholicorum libris secernere, ac simplices illorum lectione decipere ac seducere possent, communi orthodoxorum voto catalogus, sive Index librorum, quorum, lectio perniciosa foret, optabatur. Hinc etiam Carolus V Facultati Lovaniensi jussit ut librorum qui hæretici, vel hæreseos suspecti essent, catalogum texeret, qui auctoritate ipsius Caroli V, anno 1546, vulgatus fuit. Cum vero assidue novi hæreticorum

libri prodirent, fusiorem quoque edidit eadem sacra Facultas, quem, addito speciali edicto, imperator publicari mandavit anno 1556.

Sed cum istiusmodi indices summæ auctoritatis non essent, quæ omnes ubique fideles obligaret, ac libri etiam, qui ab hæreticis Italica lingua editi essent, desiderarentur, Paulus IV, P. M. anno 1557, iis, qui sacræ inquisitioni contra hæreticam pravitatem præsunt, mandavit ut Indicem conficerent, confectumque eodem anno vulgavit. In quo, etsi nullum exstat decretum, « Ita tamen a tergo faciei libri legitur, » inquit Catalanus *De secret. Sac. Congr. Indicis*, cap. 4. « Index alphabetico ordine distinctus est, » etc. Edidit præterea idem Pontifex alium indicem anno 1558, die 30 Decembris, quem initio anni 1559, vulgavit, latis censuris contra legentes, et tenentes libros prohibitos in bulla Cœnæ expressis, additis etiam aliis gravissimis pœnis. Pius autem IV, Pauli successor, rigorem temperans, totum illud Indicis librorum negotium ad concilium Tridentinum detulit.

Quid vero deinceps actum fuerit, paucis innuit Clemens VIII, in constit. cujus initium est *Sacrosanctum*, in qua ait : « Sed cum nostris hisce calamitosis temporibus antiquus humani generis hostis a sua malitia nunquam recedens, ad eamdem catholicam doctrinam labefactandam, pestiferas hæreses, et detestabiles errores aut novos conflasset, aut veteres ex inferis excitasset, sacra Tridentina synodus pestilentem noxiorum librorum copiam, quæ plus nimio excreverat, coercere aut auferre cupiens, primum quidem doctissimos aliquos viros delegit, qui de tota ea re cognoscerent et deliberarent : deinde vero cum ii in negotio illo parum progressi essent, justis de causis eadem synodus permota, ad ipsam Sedem Apostolicam, integram rem deferendam statuit. » Quid vero Romanus Pontifex egerit, iis verbis declarat : « Itaque fel. rec. Pius Papa IV prædecessor noster, qui tunc ad Ecclesiæ gubernacula sedebat, prælatis quibusdam doctrina et prudentia præstantibus adhibitis, indicem librorum prohibitorum, et regulas quasdam per suas litteras in forma brevis promulgavit, et ejusmodi noxiorum librorum detrimentis depellendis opportune providit. » Litteræ autem Pii IV initium habent, *Dominici gregis*, etc. Clemens vero VIII, hac eadem constitutione eumdem Indicem, jam a Sixto V auctum, Apostolica auctoritate recognitum, publicavit : instructione adjecta de exequendo prohibitionis decreto, deque sincere emendandi, et imprimendi libros ratione. » Hujus Indicis confectionem commiserat Gregorius XIII sacræ Indicis congregationi a S. Pio V institutæ; Index vero auctus fuit sub Sixto V ac absolutus sub Clemente VIII.

Itaque Apostolicæ Sedis cura librorum improbatæ lectionis indices plures prodiere, ac novis concurrentibus libris, iterum aucti in lucem mittuntur. Præter congregationem supremæ Inquisitionis, aliam quoque cardi-

Digitized by Google

nalium congregationem, quæ Indicis appellatur, instituit S. Pius V, eamque novis facultatibus auxit Sixtus V novisque privilegiis roboravit Clemens VIII in supra citata constitutione.

Hæc autem indicavi, ut inde omnes agnoscant, quæ fuerit, quæque nunc sit Romanæ Sedis pro impedienda noxiorum librorum lectione, sollicitudo; quantumque ejusdem hac de re decretis debeatur obsequium. Ecclesiæ enim unice munus est demonstrare fidelibus, quinam sint noxii libri, quorum lectio homines seducere, ac depravare possit. Ubi vero nisi in Romana, ac Petri Sede id fieri potest? Quis non videat, divina ei providentia concessum esse, ut in statum illum devenerit, in quo hac nostra ætate, et undique conquirere libros, et doctos cujuscunque facultatis censores, et tantæ dignitatis, et auctoritatis judices, quantæ sunt cardinales, habere possit? Si non aliam auctoritatem haberet, quam ab Ecclesia in Tridentina synodo congregata eidem collatam; an non omnes ejusdem decretis obtemperare deberent? At eam habet, quam Christus Petro, supra quem Ecclesiam suam fundavit, contulit; quam Petrus ipse, eorumque successores in universam Ecclesiam semper exercuere, quam denique agnovere semper Ecclesiæ omnes, veluti fontem totius sacerdotalis jurisdictionis, veluti centrum unitatis, ac veluti matrem, et magistram omnium Ecclesiarum.

Sed videamus quas regulas pro dijudicandis vetandisque libris stabilierit, et qua ratione ad eosdem proscribendos procedat. « Libri, qui in hujusmodi catalogum referri debent, » inquit Pius IV constit. in cip. *Dominici gregis*, « ii sunt qui vel hæretici sunt, vel de hæretica pravitate suspecti, vel certe moribus, et pietati nocent. » Hæc sane præcipua, ac generalis regula est, atque ad hanc facile revocantur prohibitiones etiam librorum in odium auctorum, eorumque, qui, ob non servatas in editione præscriptas ab Ecclesia regulas, vetantur, ut rem serio expendenti liquet. Quis vero non videat, pastoris munus esse, hos ex illorum manibus, quorum animarum rationem sint reddituri, præripere libros? Quæ autem methodus sit, quam Apostolica Sedes in iis examinandis, proscribendisque libris servet, habes ex const. fel. rec. Benedicti P. XIV; quam integram hic exhibemus.

BENEDICTUS episcopus, servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

« Sollicita ac provida Romanorum Pontificum prædecessorum Nostrorum vigilantia in eam semper curam incubuit, ut Christi fideles ab eorum librorum lectione averteret, ex quibus incauti ac simplices detrimenti quidpiam capere possent, imbuique opinionibus, ac doctrinis, quæ vel morum integritati, vel catholicæ religionis dogmatibus adversantur. Nam, ut vetustissimum mittamus sancti Gelasii I decretum, quæque jampridem a Gregorio IX aliisque Pontificibus hac de re statuta fuerunt, ignorare

neminem arbitramur, quæ fuerint a prædecessoribus nostris Pio IV, sancto Pio V et Clemente VIII, diligentissime præstita, ut saluberrimum opus a sacrosanctæ Tridentinæ synodi Patribus susceptum, maturo discussum, ac pene ad exitum perductum, de vetitæ lectionis librorum Indice conficiendo, atque vulgando, non absolverent solum, atque perficerent, sed sapientissimis etiam decretis ac regulis communirent. Quod quidem negotium Apostolica Sedes continenter urget, ac promovet, ad id deputatis duabus sanctæ Rom. Eccl. cardinalium congregationibus, quibus onus inquirendi in pravos, noxiosque libros impositum est, cognoscendique, quibus emendatio, et quibus proscriptio debeatur. Id muneris congregationi quidem Romanæ universalis inquisitionis a Paulo IV commissum perhibent, idque adhuc ab ea exerceri pergit, ubi de libris ad certa rerum genera pertinentibus judicandum occurrit. Certum est autem sanctum Pium V primum fuisse congregationis indicis institutorem, quam subsequentes deinde Pontifices Greg. XIII, Sixtus V et Clemens VIII confirmarunt, variisque privilegiis, et facultatibus auxerunt: ejusque proprium, ac fere unicum officium est, in examen libros vocare, de quorum proscriptione, emendatione, vel permissione capienda est deliberatio.

« § 1. Qua maturitate, consilio, ac prudentia in congregatione universalis Inquisitionis de proscribendis, vel dimittendis libris deliberetur, cum neminem latere putamus, tum nos plane perspectum, ac diuturna experientia compertum habemus; nam in minoribus constituti de libris nonnullis in ea censuram tulimus, et consultoris ejusdem congregationis munere diu perfuncti sumus; postremo inter sanctæ Rom. Eccl. cardinales cooptati, inquisitoris generalis locum in ea obtinuimus: ac demum ad Apostolicam Sedem, meritis licet imparibus, evecti, non modo censorum animadversiones in libros nonnullos aliquando legere ac ponderare, sed etiam in congregationibus, quæ singulis feriis quintis coram nobis habentur, cardinalium sententias atque suffragia, antequam de iisdem libris quid decernatur, audire et excipere consuevimus. Haud minoris diligentiæ testimonium ferre possumus, adeoque debemus, pro altera congregatione Indicis, cui generaliter incumbit, ut supra diximus, de quorumvis librorum proscriptione decernere. Dum enim in minoribus versaremur, cum primi, tum secundi censoris, seu relatoris, officium in ea congregat. non semel obivimus; ex quo autem supremum Pontificatum gerimus, nullius libri proscriptionem ratam habuimus, nisi audito congregationis secretario, qui libri materiam, revisorum censuras, cardinalium judicia, et suffragia accurate nobis exponeret.

« § 2. Sed quoniam compertum est nobis, atque exploratum, multas librorum proscriptiones, præsertim quorum auctores catholici sunt, publicis aliquando, injustisque

Digitized by Google

querelis in reprehensionem adduci, tanquam si temere, ac perfunctorie in tribunalibus nostris ea res ageretur; operæ pretium duximus, hac nostra perpetuo valitura constitutione, certas, firmasque regulas proponere, juxta quas deinceps librorum examen, judiciumque peragatur: tametsi plane affirmari possit, idipsum jampridem, vel eadem prorsus ratione, vel alia æquipollenti, constanter actum fuisse.

« § 3. Porro Romanæ universalis Inquisitionis congregatio ex pluribus constat sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus a Summo Pontifice delectis, quorum alii sacræ theologiæ, alii canonici juris doctrina, alii ecclesiasticarum rerum peritia, munerumque Romanæ curiæ exercitatione, prudentiæ demum, ac probitatis laude, conspicui habentur. His adjungitur unus ex Romanæ curiæ præsulibus, quem assessorem vocant; unus ex ordine Prædicatorum, sacræ theologiæ magister, quem commissarium appellant; certus præterea consultorum numerus, qui ex utroque clero sæculari, ac regulari assumuntur; alii demum præstantes doctrina viri, qui a congregatione jussi, de libris censuram instaurant, iisque qualificatorum nomen tributum est. De variis in præfata congregatione, iisque gravissimis rebus agitur, in primis autem de causis fidei, ac de personis violatæ religionis reis: At cum librum aliquem ad eam, tanquam proscriptione dignum, deferri contigerit: nisi ad Indicis congregationem, ut fieri plerumque solet, judicandum remittat, sed pro rerum, temporumque ratione sibi de illo cognoscendum esse arbitretur; Nos, inhærentes decreto lato ab eadem congregatione feria quarta Kalendis Julii anni millesimi septingentesimi quinquagesimi, atque a Nobis confirmato feria quinta insequente, hac ratione et methodo judicium institui mandamus.

§ 4. Primo nimirum uni ex qualificatoribus, aut consultoribus a congregatione designando, liber tradatur, quem is attento animo legat, ac diligenter expendat; tum censuram suam scripto consignet, locis indicatis, et paginis, in quibus notati errores continentur. Mox liber cum animadversionibus revisoris ad singulos consultores mittatur, qui in congregatione pro more habenda singulis feriis secundis in ædibus sancti officii, de libro, et consultorum suffragiis ad cardinales transmittatur, ut hi in congregatione, quæ feria quarta haberi solet in Fratrum Prædicatorum cœnobio Sanctæ Mariæ supra Minervam nuncupato, de tota re definitive pronuntient. Post ab assessore sancti Officii acta omnia ad Pontificem referantur, cujus arbitrio judicium omne absolvetur.

« § 5. Cum autem sit veteri institutione receptum, ut auctoris catholici liber, non unius tantum relatoris perspecta censura, illico proscribatur; ad normam præfati decreti mensis Julii anni millesimi septingentesimi quinquagesimi, volumus, eam consuetudinem omnino servari; ita ut si primus censor librum proscribendum esse judicet, quamvis consultores in eamdem sententiam conveniant, nihilominus alteri revisori ab eadem congregatione electo liber, et censura tradantur, suppresso primi censoris nomine, quo alter judicium suum liberius exponat. Si autem secundus revisor primo assentiatur, tunc utriusque animadversiones ad cardinales mittantur, ut, iis expensis, de libro decernant; at si secundus a primo dissentiat, ac librum dimittendum existimet, tertius eligatur censor, cui suppresso priorum nomine, utraque censura communicetur. Hujus autem relatio, si a priore consultorum sententia non abludat, cardinalibus immediate communicetur, ut ipsi, quod opportunum fuerit, decernant; sin minus, iterum consultores, perspecta tertia censura, suffragium ferant; idque una cum omnibus præfatis relationibus, cardinalibus exhibeatur, qui, re ita mature perpensa, de controversia denique pronunciare debebunt. Quotiescunque autem Pontifex, vel ob rei, de qua in libro agitur, gravitatem, vel quia id auctoris merito, aliisque circumstantiis tribuendum censeat, libri judicium coram se ipso in congregatione feriæ quintæ habendum decreverit; quod sæpe a nobis factum fuit, et quoties ita expedire judicabimus, in posterum quoque fiet, tunc satis fuerit exhibere Pontifici et cardinalibus libri censuras, et consultorum suffragia, omisso examine congregationis feriæ quartæ, ejusque relatione, quam per assessorem Pontifici faciendam diximus: nam cardinalium suffragiis coram ipso Pontifice ferendis, atque hujus definitiva sententia, vel alio opportune consilio in eadem congregatione capiendo, res absolvetur.

« § 6. Altera quoque Indicis congregatio plures complectitur cardinales ipsi a Pontifice adscriptos, iisdemque dotibus præditos, quibus sancti Officii cardinales pollere solent; quum etiam eorum aliquos in utraque congregatione locum habere contingat. Ex iis unus ejusdem congregationis præfectus existit; assistens vero perpetuus est magister sacri Palatii: secretarius autem, a prima congregationis institutione usque in præsentem diem, ex ordine Fratrum Prædicatorum a Summo Pontifice pro tempore eligi consuevit. Sunt præterea ex utroque clero sæculari, et regulari, ejusdem congregationis consultores, et relatores selecti; et quidem, ubi aliquis librorum relationes coram congregatione semel, bis, tertio laudabiliter peregerit, tum ipsa congregatio Pontificem rogare solet, ut ejus auctoritate in consultorum numerum referatur.

« § 7. Sub ipsa pontificatus nostri primordia, ea nos subiit cogitatio, ut certam aliquam, et immutabilem methodum pro examine, judicioque librorum in hac Indicis congregatione servandam statueremus. Qua de re non modo consilium exquisivimus dilecti filii nostri Angeli Mariæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalis Quirini nuncupati, ejusdem sanctæ Romanæ Ecclesiæ bibliothecarii, dictæ congregationis præfecti, qui pari pru-

Digitized by Google

dentia et doctrina suum nobis sensum scripto declaravit: verum etiam antiquiores aliquot ejusdem congregationis consultores coram dilecto filio Josepho Augustino Orsi, ordinis Prædicatorum, tunc ipsius congregationis secretario, nunc autem palatii Apostolici magistro, convenire jussimus, suamque sententiam aperire, quæ pariter scripto concepta, nobis jam nunc exhibita fuit. Cumque hæc omnia diligenter apud nos asservata fuerint, nunc demum veterem deliberationem nostram resumentes, quemadmodum ea, quæ ad librorum examen, atque judicium in primodicta congregatione sancti Officii peragendum, pertinent, auctoritate nostra constabilivimus; ita etiam, ea, quæ ad congregationem Indicis, et ejusdem generis negotia apud eam tractanda facere possunt, opportunis decretis constituere volentes, prælaudati cardinalis præfecti consiliis, dictorumque consultorum votis inhærendo, hæc deinceps servanda decernimus.

« §8. Cum congregatio Indicis ad librorum censuram unice, ut dictum est, instituta, non ita crebro convocari soleat, ut altera sancti Officii congregatio, quæ ob causarum, et negotiorum multitudinem, singulis hebdomadis ter haberi consuevit; illius propterea secretario peculiare munus, et officium recipiendi librorum denuntiationes, ut fieri jam ante consuevit, committimus et demandamus. Is autem a libri relatore percunctabitur diligenter, quas ob causas illum prohiberi postulet, tum librum ipsum haud perfunctorie pervolvet, ut de propositæ accusationis subsistentia cognoscat: duobus in eam rem adhibitis consultoribus, ab ipso, prævia Summi Pontificis, aut cardinalis præfecti, vel ejus, qui præfecti vices supplet, approbatione, eligendis; quorum collato consilio, si liber censura et nota dignus videatur, unus aliquis relator ad ferendum de eo judicium idoneus, illius nempe facultatis, de qua in libro agitur, peritus, eadem, quam nuper innuimus, ratione eligendus erit, qui scripto referat animadversiones suas, adnotatis paginis, quibus singula ab ipso reprehensa continentur. Sed antequam ejus censura ad cardinalium congregationem feratur, haberi volumus privatam consultorum congregationem, quam olim *parvam* dixerunt. Nos autem *præparatoriam* vocabimus, ut relatoris animadversionibus ad librum collatis, de earum pondere judicium fiat. Hujusmodi congregatio semel omnino singulis mensibus, aut etiam sæpius, si oportuerit, ab ipso congregationis secretario convocanda erit, vel in suis cubiculis, vel opportuniore, ut ipsi videbitur, loco, intra prædicti cœnobii ædes, ubi is commoratur. Eique semper intererit magister sacri Palatii pro tempore existens, una cum sex aliis e numero consultorum, singulis vicibus, pro qualitate argumenti, et materiæ de qua disputandum erit, *ut supra de primis duobus consultoribus, et de relatore constitutum est, a secretario eligendis; præter secretarium ipsum, cujus partes erunt in tabulas referre consultorum sententias, quas deinde ad congregationem cardinalium mittet, cum relatoris censura. In generali demum congregatione omnia illa servari debebunt, quæ superius statuta sunt pro congregatione sancti Officii circa librorum examen. Ac quemadmodum ad assessorem sancti Officii pertinet de actis in congregatione Summum Pontificem certum reddere; ita ad secretarium congregationis Indicis spectabit, quoties hæc librum aliquem proscribendum, aut emendandum censuerit, ejusdem Pontificis assensum, prævia diligenti actorum omnium relatione, exquirere.

« § 9. Quoniam vero in congregatione Indicis de sola librorum prohibitione agitur, nonnulla hoc loco adjungenda judicavimus, eidem congregationi potissimum usui futura, quæ tamen ab altera etiam congregatione Sancti Officii, dum in hujus quoque generis causis se immiscet, ubi similes rerum circumstantiæ se offerant, æque observanda erunt. Quotiescunque agatur de libro auctoris catholici, qui sit integræ famæ, et clari nominis, vel ob alios editos libros, vel forte ob eum ipsum, qui in examen adducitur, et hunc quidem proscribi oporteat: præ oculis habetur usus jamdiu recepta consuetudo prohibendi librum, adjecta clausula: *donec corrigatur* seu *donec expurgetur*, si locum habere possit, nec grave quidpiam obstet, quominus in casu, de quo agitur, adhiberi valeat. Hac autem conditione proscriptioni adjecta, non statim edatur decretum, sed suspensa illius publicatione, res antea cum auctore, vel quovis, altero pro eo agente et rogante, communicetur, atque ei quid delendum, mutandum, corrigendumve fuerit indicetur. Quod si nemo auctoris nomine compareat, vel ipse, aut alter pro eo agens, injunctam correctionem libri detrectet, congruo definito tempore decretum edatur. Si vero idem auctor, ejusve procurator, congregationis jussa fecerit, hoc est novam instituerit libri editionem cum opportunis castigationibus, ac mutationibus; tunc suprimatur proscriptionis decretum: nisi forte prioris editionis exemplaria magno numero distracta fuerint; tunc enim ita decretum publicandum erit, ut omnes intelligant, primæ editionis exemplaria duntaxat interdicta fore, secundæ vero jam emandatæ permissa.

« § 10. Conquestos scimus aliquando nonnullos quod librorum judicia, et proscriptiones, inauditis auctoribus, fiant, nullo ipsis loco ad defensionem concesso. Huic autem querelæ responsum fuisse novimus, nihil opus esse auctores in judicium vocare, ubi non quidem de earum personis notandis, aut condemnandis agitur, sed de consulendo fidelium indemnitati, atque avertendo ab ipsis periculo, quod ex nocua librorum lectione facile incurritur; si qua vero ignominiæ labe auctoris nomen ex eo aspergi contingat, id non directe, sed oblique ex libri damnatione consequi. Qua sane ratione minime improbandas censemus hujusmodi librorum prohibitiones, inauditis auctoribus,

Digitized by Google

factas; quum præsertim credendum sit, quidquid pro se ipsa, aut pro doctrinæ suæ defensione potuisset auctor afferre, id minime a censoribus, atque judicibus ignoratum, neglectumque fuisse. Nihilo tamen minus, quod sæpe alias summa æquitatis, et prudentiæ ratione ab eadem congregatione factum fuisse constat, hoc etiam in posterum ab ea servari magnopere optamus, utquando res sit de auctore catholico, aliqua nominis et meritorum fama illustri, ejusque opus, demptis demendis, in publicum prodire, et prodesse posse dignoscatur, vel auctorem ipsum causam tueri volentem audiat, vel unum ex consultoribus designet, qui *ex officio* operis patrocinium defensionemque suscipiat.

« § 11. Quemadmodum vero, ubi de congregatione sancti Officii agebamus, eidem Nos semper interfuturos recepimus, quotiescunque de libro, cujus materia gravioris momenti sit, judicium agatur; quod erit Nobis facillimum, quum eadem congregatio qualibet feria quinta coram nobis habeatur; sic et Indicis congregationi præsentiam nostram impendere parati sumus, quoties rei gravitas id promereri videbitur. Neque enim id opus esse dicendum est, quum vel hæretici hominis liber denuntiatur, in quo auctor errores catholico dogmati adversantes consulto tradit, aut tuetur; vel opus aliquod in examen adducitur, quo rectæ morum regulæ labefactantur, ac vitiis et corruptelis fermenta præbentur. In his enim casibus ne illas quidem, quas supra scripsimus, accuratiores cautelas adhibere necesse erit, sed hæretico dogmate, vel pravo moris incitamento semel comperto, proscriptionis decretum illico faciendum erit, juxta primam, secundam, et septimam Indicis regulas sacrosancti Tridentini consilii jussu editas atque vulgatas.

« § 12. Cum in prælaudata congregatione sancti Officii severissimis legibus cautum sit, ne de rebus ejusdem congregationis quisquam cum alio extra illam loquatur, Nos hanc eamdem silentii legem a relatoribus, consultoribus et cardinalibus congregationis Indicis religiose custodiendam præcipimus. Illius tamen secretario potestatem facimus, ut animadversiones in libros censuræ subjectos, eorum auctoribus, vel aliis illorum nomine agentibus, et postulantibus, sub eadem decreti legi communicare queat, suppressis semper denuntiatoris censorisque nominibus.

« § 13. Examinandis, corrigendisque libris peropportuna sunt, quæ decem regulis Indicis a Patribus Tridentinæ synodi confectis atque editis continentur. In instructione autem felicis recordationis Clementis Papæ VIII ejusdem regulis adjecta, tit. *De correctione librorum* § 5, episcopis et inquisitoribus cura committitur, ut ad librorum edendorum examen *spectatæ pietatis et doctrinæ viros adhibeant, de quorum fide et integritate sibi polliceri queant nihil eos gratiæ daturos, nihil odio, sed omni humano affectu posthabito, Dei duntaxat gloriam spectaturos, et fidelis populi utilitatem.* His porro virtutibus, animique dotibus, si non majori, at pari certe de causa, præstare oportet hujus nostræ congregationis revisores et consultores. Cumque eos omnes, qui nunc hujusmodi munera obtinent, tales esse non ignoremus, optandum, sperandumque est, non absimiles deinceps futuros, qui ad id eligentur; homines nimirum vitæ integros, probatæ doctrinæ, maturo judicio, incorrupto affectu, ab omni partium studio personarumque acceptatione alienos; qui æquitatem, libertatemque judicandi, cum prudentia, et veritatis zelo conjungant. Cum autem eorum numerus nunc certus et constitutus non sit, ab ejusdem congregationis cardinalibus consilium exspectabimus, atque capiemus, num eum pro futuris temporibus definire oporteat, vel expediat; hoc tamen jam nunc decernentes, quatenus eorum numerus definiatur, ut tam relatores, quam consultores, ex utroque clero, sæculari nempe, et regulari, assumantur, alii quidem theologi, alii utriusque juris periti, alii sacra et profana eruditione præstantes, ut ex eorum cœtu, pro varietate librorum, qui ad congregationem deferuntur, idonei viri non desint ad ferendum de unoquoque judicium.

« § 14. Ipsos autem relatores consultoresque, tam nunc existentes, quam in posterum quandocunque futuros, monemus, et vehementer hortamur, ut in examine judicioque librorum, sequentes regulas diligenter inspiciant, accurateque custodiant.

« § 15. I. Meminerint, non id sibi muneris, onerisque impositum, ut libri ad examinandum sibi traditi proscriptionem modis omnibus curent, atque urgeant: sed ut diligenti studio, ac sedato animo ipsum expendentes, fideles observationes suas, verasque rationes congregationi suppeditent, ex quibus rectum judicium de illo ferre, ejusque proscriptionem, emendationem aut dimissionem pro merito decernere valeat.

« § 16. II. Tametsi hactenus cautum sit, cavendumque deinceps non dubitemus, ut ad referendum et consulendum in prædicta congregatione, ii solum admittantur, qui scientiam rerum, quas libri delati respective continent, diuturno studioacquisitam possideant; decet enim de artibus solos artifices judicare; nihilominus si forte eveniat, ut alicui per errorem materia aliqua discutienda committatur ab illius peculiaribus studiis aliena, idque a censore, aut consultore electo, ex ipsa libri lectione deprehendatur; noverit is se neque apud Deum, neque apud homines culpa vacaturum, nisi quamprimum id congregationi aut secretario aperiat, seque ad ferendam de hujusmodi libro censuram minus aptum professus, alium magis idoneum ad id muneris subrogari curet: quo tantum abest, ut existimationis suæ dispendium apud pontificem et cardinales passurus sit, ut magnam potius probitatis, et candoris opinionem et laudem sibi sit conciliaturus.

Digitized by Google

« § 17. III. De variis opinionibus, atque sententiis in unoquoque libro contentis, animo a præjudiciis omnibus vacuo, judicandum sibi esse sciant. Itaque nationis, familiæ, scholæ, instituti affectum excutiant : studia partium seponant; Ecclesiæ sanctæ dogmata, et communem Catholicorum doctrinam, quæ conciliorum generalium decretis, Romanorum Pontificum constitutionibus, et orthodoxorum Patrum, atque doctorum consensu continetur, unice præ oculis habeant; hoc de cætero cogitantes, non paucas esse opiniones, quæ uni scholæ, instituto, aut nationi certo certiores videntur, et nihilominus, sine ullo fidei aut religionis detrimento, ab aliis catholicis viris rejiciuntur, atque impugnantur, oppositæque defenduntur, sciente ac permittente Apostolica Sede, quæ unamquamque opinionem hujusmodi in suo probabilitatis gradu relinquit.

« § 18. IV. Hoc quoque diligenter animadvertendum monemus, haud rectum judicium de vero auctoris sensu fieri posse, nisi omni ex parte illius liber legatur; quæque diversis in locis posita, et collocata sunt, inter se comparentur; universum præterea auctoris consilium, et institutum attente dispiciatur; neque vero una, vel altera propositione a suo contextu divulsa, vel seorsim ab aliis, quæ in eodem libro continentur, considerata et expensa, de eo pronuntiandum esse : sæpe enim accidit, ut quod ab auctore in aliquo operis loco perfunctorie, aut subobscure traditum est, ita alio loco distincte, copiose, ac dilucide explicetur, ut offensæ priori sententiæ tenebræ, quibus involuta pravi sensus speciem exhibebat, penitus dispellantur, omnisque labis expers propositio dignoscatur.

§ 19. V. Quod si ambigua quædam exciderint auctori, qui alioquin catholicus sit, et integra religionis, doctrinæque fama, æquitas ipsa postulare videtur, ut ejus dicta benigne, quantum licuerit explicata, in bonam partem accipiantur.

« § 20. Has porro, similesque regulas, quæ apud optimos scriptores de his agentes facile occurrent, semper animo propositas habeant censores et consultores; quo valeant in hoc gravissimo judicii genere, conscientiæ suæ, auctorum famæ, Ecclesiæ bono, et fidelium utilitati consulere. Duo autem reliqua sunt, in eum finem plane opportuna, quæ hoc loco adjungenda omnino esse judicamus.

« § 21. Prodeunt aliquando libri, in quibus falsa, et reprobata dogmata, aut systemata, religioni, vel moribus exitiosa, tanquam aliorum inventa et cogitata, exponuntur, et referuntur, absque eo quod auctor, qui opus suum pravis hujusmodi mercibus onerare satagit, ea refutandi curam in se recipiat. Putant vero, qui talia agunt, nulli sese reprehensioni, aut censuræ obnoxios esse, propterea quod de alienis, ut aiunt, opinionibus nihil ipsi affirment, sed historice agant. At quidquid sit de eorum animo, et consilio, deque personali in eos animadversione, de qua viderint, qui in tribunalibus ad coercenda crimina institutis jus dicunt, dubitari certe non potest, magnam ejusmodi libris in Christianam rempublicam labem, ac perniciem inferri; quum incautis lectoribus venena propinent, nullo exhibito, vel parato, quo præserventur, antidoto. Subtilissimum hoc humanæ malitiæ inventum, ac novum seductionis genus, quo simplicium mentes facile implicantur, quam diligentissime revisores advertant, ac censuræ subjiciant; ut, vel hujusmodi libri, si aliqua ex ipsis capi possit utilitas, emendentur; vel in vetitorum Indicem omnino referantur.

« § 22. In ea, quam superius laudavimus, prædecessoris nostri Clementis Papæ VIII instructione, tit. *De correct. lib.*, § 2, sapientissime cautum legitur, ut *quæ famæ proximorum, et præsertim ecclesiasticorum et principum detrahunt, bonisque moribus, et Christianæ disciplinæ sunt contraria, expungantur.* Et paulo post : *Facetiæ etiam, aut dicteria, in pernicium, aut præjudicium famæ, et existimationis aliorum jactata, repudientur.* Utinam vero in aspectum, lucemque hominum libri ejusmodi in hac temporum licentia, et pravitate non efferrentur, in quibus dissidentes auctores mutuis se jurgiis, conviciisque proscindunt : aliorum opiniones nondum ab Ecclesia damnatas censura perstringunt, adversarios, eorumque scholas, ac cœtus sugillant, et pro ridiculis ducunt, magno quidem bonorum scandalo, hæreticorum vero contemptu, qui digladiantibus inter se catholicis, seque mutuo lacerantibus, plane triumphant. Etsi vero fieri non posse intelligamus, ut disputationes omnes e mundo tollantur, præsertim cum librorum numerus continenter augeatur : *Faciendi enim plures libros nullus est finis*, ut est apud *Ecclesiasten*, cap. XII; compertum præterea Nobis sit, magnam aliquando utilitatem ex eis capi posse; modum tamen in defendendis opinionibus, et Christianam in scribendo moderationem servari merito volumus. *Non inutiliter* (inquit Augustinus in *Enchirid.*, capit. 59, prope finem) *exercentur ingenia, si adhibeatur disceptatio moderata, et absit error opinantium se scire, quod nesciunt.* Qui veritatis studium, et purioris doctrinæ zelum, quo suarum scriptionum mordacitatem excusent, obtendere solent, ii primum intelligant, non minorem habendam veritatis, quam Evangelicæ mansuetudinis, et Christianæ charitatis rationem. Charitas autem de corde puro, patiens est, benigna est, non irritatur, non æmulatur, non agit perperam (utque addit idem Augustinus, *Lib. contra litteras Petiliani*, cap. 29, n. 31), *sine superbia de veritate præsumit, sine sævitia pro veritate certat.* Hæc magnus ille non veritatis minus, quam charitatis doctor, et scripto, et opere præmonstravit. Nam in suis adversus Manichæos, Pelagianos, Donatistas, aliosque tam sibi, quam Ecclesiæ adversantes assiduis conflictationibus, id semper diligen-

Digitized by Google

tissime cavit, ne quempiam eorum injuriis, aut conviciis læderet, atque exasperaret. Qui secus scribendo, vel disputando fecerit, is profecto nec veritatem sibi præcipue cordi esse, nec charitatem sectari se ostendit.

« § 23. Ii quoque non satis idoneam justamque excusationem afferre videntur, qui ob singulare, quod profitentur, erga veteres doctores studium, eam sibi scribendi rationem licere arbitrentur. Nam si carpere novos audeant, forte ab lædendis veteribus sibi minime temperassent, si in eorum tempora incidissent; quod præclare animadversum est ab auctore *Operis imperfecti in Matthæum*, homil. 42: *Cum audieris* inquit, *aliquem beatificantem antiquos doctores, proba, qualis sit circa suos doctores: Si enim illos, quibuscum vivit, sustinet et honorat, sine dubio illos, si cum illis vixisset, honorasset: si autem suos contemnit, si cum illis vixisset, et illos contempsisset.* Quamobrem firmum ratumque sit omnibus, qui adversus aliorum sententias scribunt, ac disputant, id quod graviter, ac sapienter a Ven. servo Dei prædecessore nostro Innoc. XI, præscriptum est in decreto edito die 2 Martii anni millesimi sexcentesimi septuagesimi noni: *Tandem*, inquit, *ut ab injuriosis contentionibus, doctores, seu scholastici, aut alii quicunque in posterum abstineant, ut paci et charitati consulatur, idem Sanctissimus in virtute sanctæ obedientiæ eis præcipit, ut tam in libris imprimendis ac manuscriptis, quam in thesibus ac prædicationibus, caveant ab omni censura et nota, nec non a quibuscunque conviciis contra eas propositiones, quæ adhuc inter catholicos controvertuntur, donec a Sancta Sede recognitæ sint, et super eis judicium proferatur.* Cohibeatur itaque ea scriptorum licentia, qui, ut aiebat Augustinus lib. XII *Conf.*, cap. 25, n. 34, *sententiam suam amantes, non quia vera est, sed quia sua est,* aliorum opiniones non modo improbant, sed liberaliter etiam notant atque traducunt. Non feratur omnino, privatas sententias, veluti certa ac definita Ecclesiæ dogmata, a quopiam in libris obtrudi, oppositas vero erroris insimulari; quo turbæ in Ecclesia excitantur, dissidia inter doctores aut seruntur, aut foventur, et Christianæ charitatis vincula persæpe abrumpuntur.

« § 24. Angelicus scholarum princeps, Ecclesiæque doctor S. Th. Aquinas, dum tot conscripsit nunquam satis laudata volumina, necessario offendit philosophorumque, theologorumque opiniones, quas, veritate impellente, refellere debuit. Cæteras vero tanti doctoris laudes id mirabiliter cumulat, quod adversariorum neminem parvipendere, vellicare, aut traducere visus sit, sed omnes officiose, ac perhumaniter demereri. Nam si quid durius, ambiguum, obscurumve eorum dictis subesset, id leniter et benigne interpretando, emolliebat atque explicabat. Si autem religionis ac fidei causa postulabat, ut eorum sententiam exploderet ac refutaret, tanta id præstabat modestia, ut non minorem ab iis dissentiendo, quam catholicam veritatem asserendo, laudem mereretur. Qui tam eximio uti solent, ac gloriari magistro (quos magno numero esse, singulari nostro erga ipsum cultu, studioque, gaudemus) ii sibi ad æmulandum proponant tanti doctoris in scribendo moderationem, honestissimamque cum adversariis agendi, disputandique rationem. Ad hanc cæteri quoque sese componere studeant, qui ab ejus schola, doctrinaque recedunt. Sanctorum enim virtutes omnibus in exemplum ab Ecclesia propositæ sunt. Cumque Angelicus doctor sanctorum albo ascriptus sit, quamquam diversa ab eo sentire liceat, ei tamen contrariam in agendo, ac disputando rationem inire omnino non licet. Nimium interest publicæ tranquillitatis, proximorum ædificationis, et charitatis, ut e catholicorum scriptis absit livor, acerbitas, atque scurrilitas, a Christiana institutione, ac disciplina, et ab omni honestate prorsus aliena. Quamobrem in hujusmodi scriptorum licentiam graviter, pro munere suo censuram intendant revisores librorum, eamque congregationis cardinalibus cognoscendam subjiciant, ut eam pro zelo suo et potestate coerceant.

« § 25. Quæ hactenus a nobis proposita ac constituta sunt, prædecessorum nostrorum decretis plane consona, congregationum quoque nostrarum legibus et consuetudinibus comprobata, in librorum examine, ac judicio instituendo, Apostolica auctoritate deinceps servari decernimus; mandantes universis, qui in præfatis congregationibus locum obtinent, seu illis quomodolibet operam suam præstant, ut adversus præmissa sic a nobis statuta nihil edicere, innovare, decernere, aut intentare præsumant, absque nostra, vel successorum nostrorum pro tempore existentium Romanorum Pontificum expressa facultate.

§ 26. Non obstantibus contrariis quibusvis, etiam Apostolicis constitutionibus, et ordinationibus, necnon earumdem congregationum, etiam Apostolica auctoritate, seu quavis firmitate alia roboratis decretis, usibus, stylis, et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, cæterisque in contrarium facientibus quibuscunque.

« § 27. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrorum decretorum, mandatorum, statutorum, voluntatum ac derogationum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

« Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, anno Incarnationis millesimo septingentesimo quinquagesimo tertio, septimo Idus Julii, pontificatus nostri anno tertio decimo.

« D. card. PASSIONEUS.

« J. Datarius.

« Visa de curia

« J. C. BOSCHI.

J. B. EUGENIUS.

Loco † Plumbi.

Registrata in secretaria brevium.

Digitized by Google

§ III.

De auctoritate decretorum libros vetantium; de pœnis in eos latis, qui hujusmodi libros legant, retineant, etc.

In primo capite ostendimus, antequam inventa esset ars typographica, Ecclesiæ cutam universim fuisse, ut igne perderet hæreticorum, aliosque religioni ac pietati inimicos libros, vocato multoties in subsidium brachio sæculari, et ecclesiasticis quandoque censuris adhibitis, ut hujusmodi libros detegeret, ut excitaret episcopos ad eorumdem inquisitionem, fidelesque ad eos episcopis deferendos, ut comburerentur. Id autem non ita intelligant, velim, quasi illorum lectio vetita non esset, sed sola librorum combustio decerneretur. Nam regula generalis erat, ut ex S. Gregorio Magno lib. VII, capit. 48, colligitur, *damnato auctore damnari ejus scripturas, et libros, et opera*, in quibus errores essent, quorum causa damnaretur. Quæ vero damnatio fuisset operum, si retineri ac legi potuissent? Imo dum sub anathematis pœna auctores damnati essent, eisdem pœnis subjectos fuisse arbitror tenentes legentesque eorum libros. Præsertim cum eorum fautores haberentur, quorum apud se haberent ac legerent libros. In altero autem capite ostendimus, post illius artis inventionem, et postquam tot hæreses in schismata divisere christianos, consuevisse utique nonnullos libros juxta antiquam consuetudinem comburi, at fieri non potuisse, ut hac via e fidelium manibus omnino prærriperentur; quamobrem nova opus fuisse disciplina, quam quidem singulari Apostolicæ Sedis cura stabilitam ac absolutam fuisse demonstravimus. In hoc itaque primum de pœnis in hac disciplina constitutis, deque obligatione agemus, quæ ex decretis libros vetantibus oritur.

Primum itaque lex in concilio Lateranensi sub Leone X lata, inculcata in concilio Tridentino, atque in Indice renovata, contra typographos, qui libros evulgent, qui prius ab illis non sint approbati, quibus hoc munus commissum est, pœnam constituit contra illius violatores, *amissionis omnium librorum, eorumque publicæ combustionis, ac centum ducatorum :* item *excommunicationis,* et integri anni *suspensionis* ab officio et exercitio typographico, præter pœnas arbitrio episcoporum contumacibus infligendas.

Deinde in legentes, tenentes, ac imprimentes libros prohibitos variæ constitutæ sunt pœnæ, pro varietate librorum : nonnulli enim sub *excommunicatione* vetantur, quæ bulla Cœnæ continetur, quæque est Romano Pontifici reservata. Alii vero sub pœna excommunicationis, quæ in regulis Indicis exprimitur, prohibiti sunt, quæ tamen excommunicatio nulli reservatur. Alii brevibus, seu bullis Romanorum Pontificum singulariter proscripti fuere, atque ita prohibiti in novo Indice indicantur. Ii vero fere omnes, etsi ab auctoribus catholicis conscripti sint, et ex professo de hæresi non tractent, tamen sub excommunicationis pœna Romano Pontifici reservatæ prohibentur, ut consulenti brevia, bullasque Pontificias liquebit. Alii denique sub pœna tantum peccati mortalis, aliisque pœnis arbitrio episcopi contumacibus infligendis. Ne vero lectores cum P. Concina tom. I *Theol. Christ.*, lib. I, disput. 2, pag. 221, putent, etiam libros omnes catholicos, quacunque ex causa prohibitos, vetari sub peccato mortali, et excommunicatione non reservata, placet hic in medium proferre verba constitut. Pii Papæ IV incipien. *Dominici gregis : Si quis,* inquit, *adversus eas regulas, prohibitionemque fecerit, is quidem, qui hæreticorum libros, vel cujusvis auctoris scripta propter hæresim, aut falsi dogmatis suspicionem damnata, atque prohibita legerit, habueritve, ipso jure in excommunicationis pœnam incidat, eamque ob causam in eum tanquam de hæresi suspectum inquiri et procedi liceat; præter alias pœnas super hoc ab Apostolica Sede, sacrisque canonibus constitutas. Qui autem libros alia de causa prohibitos legerit, habueritque, præter peccati mortalis reatum, episcoporum arbitrio severe se noverit puniendum.*

In excommunicationem bullæ Cœnæ incurrunt legentes, vel retinentes quoscunque libros Lutheri, Calvini, aliorumque hæresiarcharum, de quocunque argumento tractantes, sive ex professo de religione agant, sive non, sive hæreses inspersas habeant, sive non. Hoc autem nomine designantur, qui novas hæreses et sectas condiderunt, aut veteres jam sepultas et exstinctas iterum instaurarunt, aut suscitarunt. Quod quidem nomina ipsa designant hæresiarchæ, capitis, et ducis in prima regula Indicis expressa. In eamdem excommunicationem incidunt legentes, habentesque libros, quorumcunque hæreticorum, ex professo de religione tractantes. Tractant autem ex professo de religione, agentes de sacra Scriptura, de theologia dogmatica, scholastica, et morali, de jure canonico, de historia ecclesiastica, de clericis, de monachis, de sanctorum cultu, de sacramentis, de sacris ritibus, deque aliis ad religionem pertinentibus. Itaque qui *scienter*, hoc est, scientes auctores esse hæreticos, vel libros esse ab Ecclesia vetitos, hujusmodi libros legunt sine debita licentia, sive id ex mera curiositate, sive etiam animo refellendi errores id agant, excommunicationem antea dictam subeunt; dummodo parvitas materiæ non excuset. Eamdem incurrunt eosdem ementes, etiam ad merum ornatum bibliothecæ, imo et qui apud alios quoque retineant, qui facultatem habeant, retento dominio, nisi id per breve sit temporis spatium, quod aliquantulum extendi potest, dum justa causa adsit spei obtinendæ facultatis. Extenditur quoque excommunicatio illa ad eos, qui operam ad horum librorum editionem conferunt, ut sunt typographus, qui sumptus suppeditat, qui æneas litteras jungunt et componunt, qui prælo excudunt, quique typos perlegunt et corrigunt. Ac demum ad eos, qui hujusmodi libros defendant; defendere autem dicuntur libros, qui eorum prohibitionem impediant; qui eosdem

Digitized by Google

utiles bonosque esse, non vero damnandos prædicent; aliaque agant, quæ ad illorum detentionem pertineant. Ii omnes in duplicem excommunicationem incidunt, alteram bullæ, cujus absolutio Summo Pontifici reservata est, alteram Indicis, quæ non est reservata.

Dum vero libri sint ab hæretico homine conscripti, de religione vero non tractent, sed philosophiam, rhetoricam, historiam profanam, medicinam, aliamque inferiorem facultatem exponant, si a theologis, aliisque jussu episcoporum, vel inquisitorum, examinati, approbatique sint, omnino permittuntur. Tunc enim præsumitur, aut nullos habuisse errores, aut fuisse jam expurgatos. Quia vero quotquot exeunt ex hæreticorum officinis, juxta præscriptum regularum Indicis editi non sunt, omnes cujusque argumenti per regulam 10 proscripti esse videntur. Sed ad Catholicorum loca delati universim veluti permissi haberi solent, donec Ecclesiæ judicio in damnatorum catalogum referantur. Id autem non alia de causa, ut ego arbitror, nisi quod per revisores deputatos ad examen librorum, qui in catholicorum civitates introducuntur veluti examinati, probatique habentur. Quamobrem graviter peccant revisores, si suspectos hujusmodi libros examinare negligant, ac mercatores etiam librorum, aliique, qui scientes illos e suspectis typographis prodiisse, eosdem de industria deputatis revisoribus occultare student. Nam præter quam quod contra Ecclesiæ legem agunt libros illos examini subjicientem, in causa sunt, ut noxii libri e simpliciorum manibus, aliisque quos seducere ac depravare possint, juxta Ecclesiæ voluntatem non eripiantur. Peccant itidem, et quidem graviter, qui hujusmodi libros legentes, in iisque vel hæreses aut errores alios religioni, pietatique contrarios offendentes, eos denuntiare negligunt sacræ congregationi, vel episcopis, aut inquisitoribus, ut in catalogum prohibitorum referantur. Imo si libri alieni etiam a religione argumenti, de philosophia ex. gr. vel jure civili, tales sint, ut hæreses plures sæpius inculcent, vel unam eamdemque crebro inserant, ac persuadere conentur, sicuti passim usuvenire solet novatoribus, ii habentur pro libris de religione tractantibus, inquit doctissimus P. Gretserus, ac jam damnati sunt per generalem legem, tum bullæ in Cœna Domini, tum Indicis; illosque tenentes, fac legentes sine necessaria licentia, postquam noverint hujusmodi esse hæresibus infectos, atque ab Ecclesia damnatos hæreticorum libros, in pœnas incidunt illis legibus contentas. Nam omnium judicio, per hæreticorum libros, ii intelliguntur, qui de religione tractant, et hæreses continent, *non unam, vel alteram, sed plures : et si eamdem, sæpius, et cum studio repetitam, et inculcatam.* Hujusmodi itaque libri, etsi in catalogo prohibitorum non leguntur, tamen ut hæreticorum libri ipso jure damnati sunt : Addit etiam citatus Gretserus lectionem libri qui de religione non agat, sed aliquam hæresim tantum obiter contineat, excommunicationem secum ferre Indicis tantum, *ob materiæ parvitatem.*

Si liber, qui de religione non tractat, aut catholici auctoris, sub excommunicatione prohibeatur, sed nec bullæ Cœnæ, neque reservationis mentio ulla fiat, excommunicatio reservata non est. At qui post Alexandr. VII brevibus, sive bullis particularibus proscripti sunt, omnes fere reservatam excommunicationem secum ferunt; ut ex iisdem brevib. intelligere est, ad quæ lectores remittuntur in Epistola novæ Indicis editioni præfixa.

Nota 1. Constitutione pluries cit. *Omnium sollicitudinum*, Christi fidelibus in regno Madurensi, aliisque finitimis regionibus interdicitur, *gentilium libros legere, et retinere, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, nisi prius habita licentia parochi, sive missionarii curam animarum exercentis, quorum prudentiæ committitur facultas super hoc dispensandi, et libros (qui forte sunt) noxia superstitione vacuos, nihil contra bonos mores tractantes, pro Christianorum usu seligendi, eorumque lecturam permittendi.*

Nota 2. In bulla Cœna non prohibentur libri ethnicorum, judæorum, et mahumetanorum. Nam ii hæreticorum nomine non veniunt. Libri de astrologia judiciaria, ac divinatione de rebus contingenter futuris, prohibentur a Sixto V sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Summo Pontifici reservatæ. Celebriores theologi censent, nomine librorum hæreticorum venire etiam libros Photianorum, Armeniorum, Jacobitarum, et recentiorum Nestorianorum, quia ii non sunt sub obedientia Romani Pontificis, sicut hæretici, atque eorum libri ita religioni sunt inimici, et ad seducendum apti, ut præsumi omnino debeat Ecclesiam, et Apostolicam Sedem, illorum quoque lectionem vetare voluisse. Hæc quantum ad pœnas : nunc decretorum vi et auctoritate agendum est. Id vero nonnullorum dubiorum solutione præstabimus

§ I

Proponuntur circa hanc materiam nonnullæ quæstiones.

Quæst. I. *Utrum in prohibitione libri etiam manuscripta prohibita censeantur?*

Resp. *Affirmative*, nam vel libri sunt hæreticorum, qui de religione tractent; vel sunt libri Catholicorum in catalogum prohibitorum Ecclesiæ sententia relati. Utrique autem prohibiti sunt sive manuscripti, sive typis editi circumferantur. Ad hæreticorum libros quod spectat, quis ignoret ab Ecclesia in bulla Cœnæ, et in generalibus regulis Indicis omnes damnari hæreticorum libros, *qui de religione ex professo tractant?* Itaque si manuscripta hæreticorum de religione ex professo agant, dubitari non potest, quin generali illa lege prohibita fuerint. Deinde, nemo negat, librorum nomine etiam manuscripta venire, quæ hoc nomine designabantur, dum nondum haberetur ars typographica, ac etiam nunc exprimi solent. Denique

Digitized by Google

nemo ignorat, Ecclesiam hos proscribere libros, ut a periculis, qui ex eorumdem lectione imminent, fideles liberet.

Itaque Ecclesiæ finis fuit hac prohibitione fideles a lectione scriptorum hæreticorum avocare, ne simpliciores corrumperentur, neve ipsi etiam docti in varios errores abirent, ut loquitur Pius IV, in sæpe citata constitutione. At si manuscripta non prohibuisset, incommoda hæc non evitaret. Nam possent hæretici sola manuscripta divulgare, aut alii curare possent, ut hæreticorum libri ita describerentur, sicque omnem prohibitionem eludere. Accedit etiam, quod Ecclesia per hanc prohibitionem non minorem adhibeat sollicitudinem, quam adhibuisset ante inventionem artis typographicæ, ut a fidelium manibus noxios libros præripiat. Ergo omnem prorsus lectionem vetat, etiam manuscripti. Ita sane omnes doctiores, et qui sunt in hisce rebus magis versati sentiunt, et ut nimis laxam contrariam opinionem rejiciunt, atque ut omnino commentitiam habent declarationem sac. congregationis ab adversariis assertam.

Si liber vero prohibitus, aut de religione non tractet, vel sit auctoris catholici, cum non damnatus sit, quia typis editus, sed ob noxiam quam habent doctrinam, quis non videat etiam manuscriptum, prohibitum esse?

Quæst. II. *Utrum libri Catholicorum prohibiti in uno, sint etiam in alio idiomate vetiti?*

Resp. *Affirmative*, nam regula præscripta a Clemente VII, § 6 ita habet: *In universum autem de malis et perniciosis libris id declaratur, atque statuitur, ut qui certa lingua initio editi, et deinceps prohibiti, ac damnati a Sede Apostolica sunt, eosdem quoque in quamcunque postea vertantur linguam, censeri ab Apostolica Sede sub eisdem pœnis interdictos, et damnatos.*

Quæst. III. *Quinam concedere debeat legendi libros prohibitos facultatem?*

Resp. Jus concessum episcopis et inquisitoribus sublatum esse per constitutionem Gregorii Papæ XV, incip. *Apostolatus officium*, in qua statuitur, *de cætero similes licentiæ, nisi a congreg. sancti Officii concedantur.* Deinde istud idem jus concessum fuit sac. Congr. Indicis, habetque magister sac. palatii pro Roma, et ejus districtu. Hoc autem notatum volui, ut lectores intelligant non posse locorum ordinarios hanc licentiam concedere, nisi illius concedendæ facultatem habuerint ab Apostolica Sede; *quia inferior non potest legem superioris tollere, neque absolvere a reservatis Papæ*, ut optime advertit Navarr., l. 1 *Consil.* tit. 2, consil. 1, quæst. 36, et quia per superiorem constitutionem hujusmodi jus Apost. Sedi reservatur.

Quæst. IV. *Utrum decreta, quibus Romæ prohibentur libri, obligent omnes omnino fideles?*

Res. *Affirmative.* Primum id liquet ex verbis supra citatis regulæ Clem. PP. VIII ubi dicitur libros prohibitos a Sede Apostol. in quamcunque vertantur linguam, *censeri ab eadem Sede ubique gentium sub eisdem pœnis interdictos et damnatos.* Deinde, hujusmodi decreta approbari solent a Summis Pontificibus ac de re sunt quæ ad omnes fideles pertinet, cujusmodi est fidei, et morum doctrina. Quis vero dicat, decreta edita a summis viris, quales sunt cardinales, et approbata a Summo Pontifice, qui fatentibus omnibus catholicis, auctoritatem et jurisdictionem habet in universam Ecclesiam, vim non habere obligandi omnes fideles? Ab eo enim approbata vulgantur, qui potestatem, et animum obligandi habet. Ne dicas recepta non esse, vel non esse satis vulgata. Quis enim dicat, ex ovium acceptatione vim pendere legum, quas pro communi bono supremus Ecclesiæ Pastor constituat, quibus velit omnes omnino obligare: Vel satis vulgata non esse decreta, quæ ita publicantur, ut facile ad omnium notitiam pervenire possint? Nam præterquam quod decreta hujusmodi typis consignantur, ut facile per manus episcoporum ad omnium notitiam pervenire possint, libri proscripti Indici librorum prohibitorum inferuntur, ex quo fideles omnes facile intelligere possunt quinam sint libri Apostol. Sedis decreto damnati.

Denique, id eadem sac. congr. definivit die 4 Decembr. an. 1674, in solutione dubiorum, quæ fuerant ex parte episcopi Malacensis proposita, quorum primum erat: An decreta sacr. congregation. obligent etiam in regnis Hispaniarum? Alterum vero: An episcopi procedere possint contra transgressores horum decretorum? Sacra Congregat. respondit ad 1, *id non posse verti in dubium, cum decreta hujus Congregationis obligent universos Christianos.* Ad 2. *quod episcopi possunt procedere contra transgressores utendo propria auctoritate.*

Nota. Si alicubi ex Sedis Apostolicæ indulgentia, vel tolerantia usu receptæ non sint regulæ Indicis, ac bullæ Cœnæ, id unice inferri poterit, legentes libros non incurrere in censuras in illis expressas. At certum est, graviter peccare contra Ecclesiæ præceptum, quæ semper vetuit horum librorum lectionem, quæque eamdem per Romanum Pontificem inculcat et renovat. Hinc boni, probique Catholici ex omnibus partibus recurrere solent ad Apostolicam Sedem, vel ad habentes ab ea facultatem, ut legendi vetitos libros licentiam obtineant. Quæ ad libros prohibitos, Indices eorum regulas in illis præscriptas, et Apostolicas constitutiones spectant, Franciscus Antonius Zaccaria in opere, cui titulus: *Storia polemica delle proibizioni de libri*, Romæ 1777, copiose pertractavit; nihil ut hic addi possit, quam ut qui plura de hoc gravissimo argumento desiderant, eam historiam conferant.

Digitized by Google

LIGAMEN.

Vid. verb. IMPEDIMENTA MATRIMONII. *art.* 2, *an.* 8 *ad* 19.

LIMINA APOSTOLORUM ROMÆ.

SUMMARIUM.

1. Limina Apostolorum Romæ visitanda esse ab episcopis statuit, sed absque præfinitione temporis Leo III. — 2. Sanctus Anacletus statuit visitanda esse juxta Papæ chirographum. — 3. Zacharias Papa statuit ab episcopis propinquis quolibet anno visitanda esse personaliter, a remotis vero per epistolas. — 4. Episcopi noviter creati jurant se visitaturos limina apostolorum per se, vel per certum Nuntium quolibet anno, nisi a Sede Apostolica dispensentur, seu ad longius tempus eorum visitatio prorogetur. — 5. Nunc autem episcopi viciniores, ut Itali, etiamsi sint cardinales, tenentur per se ipsos, si non sint legitime impediti, visitare limina Apostolorum tertio quoque anno. Alii vero pro majori, vel minori distantia, quarto, ut Germani, Galli, Hispani; quinto, ut Africani; decimo, ut Asiatici. — 6. Episcopi legitime impediti, si per seipsos non possunt visitare Limina, tenentur id facere per alium in dignitate constitutum, vel si hunc non habent, per sacerdotem diœcesanum id facere debent; et si nec hunc habent, per alium clericum, et docere debent de impedimento. — 7. Limina Apostolorum visitare tenentur etiam patriarchæ, archiepiscopi, et episcopi titulares. — 8. Coadjutor autem episcopi non tenetur visitare ipsa limina Apostolorum, sed coadjutus. — 9. Munus visitationis liminum consistit potissimum in tribus actibus, scilicet in materiali sacrorum liminum visitatione, in exhibitione debitæ obedientiæ et reverentiæ Romano Pontifici, et in relatione status ecclesiæ. — 10. Pro exarandis relationibus statuum Ecclesiarum servanda est instructio novissime edita de mandato Benedicti XIII. — 11. Episcopi pro visitandis liminibus possunt abesse a residentia suæ Ecclesiæ per septem menses, si sint ultra montes, et per quatuor, si sint citra; dummodo ad alios actus non divertant. — 12. Episcopus tamen, qui beatorum Apostolorum limina visitavit in fine unius triennii, non potest immediate in principio sequentis triennii iterum visitare, ac proinde visitationis titulo nequit per octo menses continuos abesse a sua ecclesia. — 13. Canonicus, qui accedit Romam pro servitio episcopi, qui venit ad visitanda limina Apostolorum, etiam quod veniat post episcopum, et non simul, lucratur distributiones quotidianas. — 14. Sic etiam distributiones lucrantur canonici missi ab ipsorum episcopis ad limina Apostolorum visitanda eorum nomine. — 15. Canonico autem in Urbe commorante, si ipse deputetur ab episcopo suo ad visitanda limina, debentur ei distributiones unius mensis. — 16. Si vero episcopum ad visitanda limina comitasset, tunc distributiones debentur pro toto tempore accessus, mansionis et recessus. — 17. Quantum possit esse tale tempus? — 18. Episcopi, interveniente legitimo impedimento visitandi per se ipsos limina Apostolorum, possunt ipsa visitare per certum nuntium, aut procuratorem specialiter ad id deputatum. — 19. Nequeunt tamen ipsa visitare per manentem in curia. — 20. Neque per presbyterum diœcesanum non existentem de capitulo cathedralis, neque in dignitate Ecclesiastica constitutum. — 21. Neque per sacerdotem regularem. — 22. Episcopi, quando visitant limina Apostolorum, referre debent, se paruisse constitutioni Urbani VIII, incip. *Salvatoris*. — 23. Tempus præfixum ad visitanda limina Apostolorum incipit currere a die publicationis constitutionis Sixti V, incip. *Romanus Pontifex*. — 24. Talis publicatio quando facta sit, et quando cœperit currere primum triennium. pro episcopis Italis : primum quadriennium pro episcopis Germanis, Gallis, Hispanis, etc.; primum Quinquennium pro episcopis Africanis, et primum Decennium pro episcopis Asiaticis? Et hæc Triennia quando finiant, et de novo incipiant? — 25. Computatio fieri debet ab ipsa die 20. Decembris exclusive, et sic in fine cujusque triennii, quadriennii etc. integra dies vigesima Decembris cedit commodo episcoporum. — 26. Triennia, quadriennia, quinquennia, et decennia respective currunt perpetuis temporibus pro omnibus successoribus, episcopis, et quomodo? — 27. Liminum visitatio fieri debet in ultimo anno triennii, quadriennii, etc. — 28. Ad limina visitanda non admittuntur episcopi nuper consecrati, priusquam se ad residentiam conferant, nisi in casu, quo consecrentur in curia paulo ante finem triennii sui antecessoris. — 29. Limina Apostolorum ibi esse dicuntur, ubi est Papa. — 30. Episcopi, archiepiscopi, primates, et patriarchæ, etiamsi cardinalatus honore præfulgeant, si seclusis legitimis impedimentis, per se, vel per certos nuntios limina Apostolorum non visitaverint statutis temporibus, incurrunt censuras, et pœnas, et quas? — 31. Cætera ad rem *ad n.* 45. — 46. Subnectuntur Addit. Casin. ad n. 53. Ponitur in fine *Instr. pro expedienda Lim. visitatione.*

(1. Limina Apostolorum Romæ visitanda esse ab episcopis statuit, sed absque præfinitione temporis, Leo III, epist. 1. (2. Sanctus Anacletus autem statuit esse visitanda juxta Papæ chirographum; c. *Juxta* 3, dist. 93. Qui hujus disciplinæ antiquitatem ex certis vetustatis sacræ monumentis pernosse velit, relicta Anacleti epistola, quæ Isidori figmentum est, adeat is Cl. Viri Petri Lazeri *De liminibus Apostolorum* disquisitionem historicam Romæ vulgatam 1775. Neque mirum, episcopis onus impositum visitandi Apostolorum limina. Nam a sæculo saltem XI, in formula juramenti a beneficiariis S. Neapolitanæ Ecclesiæ præstari soliti, quam Chioccharellus primus vulgavit, deinde Aurelius Alexius Pelliccia *De christiano Ecclesiæ politia*, diss. 5. pag. 103, iterum exhibuit, ipsimet clerici se *limina Beati Januarii singulis annis personaliter* visitaturos sacramento spondebant. (3. Zacharias vero in concilio Romano cap. 4. statuit, ab episcopis propinquis quolibet anno visitanda esse personaliter, a remotis vero per epistolas, cit. cap. *Juxta* 3, dist. 3. (4. Episcopi noviter creati jurant se visitaturos limina Apostolorum per se, vel per certum nuntium quolibet anno, nisi a Sede Apostolica dispensentur, seu ad longius tempus eorum visitatio prorogetur; cap. *Ego N. episcopus* 4, *De jurejurando*. Nunc autem talis obligatio est eis prorogata, ut infra.

(5. Episcopi viciniores, etiamsi sint cardinales, per seipsos, si non sint legitime impediti, visitare limina Apostolorum, et

Digitized by Google

sui pastoralis officii rationem reddere, ac totius suæ Ecclesiæ status relationem facere tenentur tertio quoque anno, ut Itali. Alii vero pro majori, vel minori distantia, quarto, ut Germani, quinto, ut Africani, vel decimo anno, ut Asiatici, iter suscipere, et, Deo concedente, perficere debent, et successive, eisdem temporibus transactis, repetere debent. Sixtus V, const. 15, incip. *Romanus Pontifex.*

(6. Episcopi legitime impediti, si per seipsos non possunt visitare limina, tenentur id facere per alium in dignitate constitutum, vel si hunc non habent, per sacerdotem diœcesanum id facere debent, et si nec hunc habent, per alium clericum, et docere debent de impedimento, et quomodo id est faciendum. Sixtus V, cit. const. incip. *Romanus Pontifex*, § 4.

(7. Limina Apostolorum visitare tenentur etiam patriarchæ, archiepiscopi, et episcopi titulares, ut declaravit sac. congreg. Conc. teste Fagnan., lib. II *Decret.*, in cap. *Ego N. episcopus* 4, *De jurejurando* n. 82. (8. Coadjutor autem episcopi non tenetur visitare limina Apostolorum, sed coadjutus. Sac. congreg. Conc., 4 Aug. 1609, apud Gavant. in *Manual.*, verb. *Limina Apost.*, n. 2, in addit.

(9. Munus visitationis liminum in tribus actibus potissimum consistit; scilicet in materiali Sacrorum liminum visitatione, in exhibitione debitæ obedientiæ, ac reverentiæ Romano Pontifici, et in relatione status Ecclesiæ. Quos tres actus complectitur cit. bulla Sixti V, § *Quo circa*; et eorumdem meminit sac. congreg. Concil. in litteris patentibus, quas tribuere solet episcopis post peractam visitationem, quarum formulam tradit Fagn., *loc. cit.*, n. 61. (10. Et novissime Benedictus XIII, in concilio Romano celebrato anno 1725, tit. 13, cap. 1, et *Appendice*, instruct. 12, ubi ne deinceps defectu instructionis nunquam editæ pro exarandis relationibus statuum Ecclesiarum, earum aliquæ exhibeantur abundantes in superfluis, et aliquæ deficientes in necessariis, ut olim non semel accidebat, datur instructio hactenus emissa de mandato ejusdem Summi Pontificis a sacra congregatione Concilii edita, et ab omnibus episcopis, archiepiscopis, primatibus, et patriarchis adamussim servanda. Vide ibi per tot.

(11. Episcopi pro visitandis liminibus possunt abesse a residentia suæ Ecclesiæ, seu diœcesis per septem menses, si sint ultra montes, et per quatuor, si sint citra montes: dummodo eo tempore ad alios actus non diverlant; sic expresse Urban. VIII, constit. inc. *Sancta synodus.* (12. Episcopus tamen, qui beatorum Apostolorum limina visitavit, v. gr. in fine unius triennii, non potest immediate in principio sequentis triennii iterum visitare, ac proinde visitationis titulo nequit per octo menses continuos abesse a sua Ecclesia, seu diœcesi. Sacr. Cong. *super residentia episc. habita in Quirinali ex ordine Sanctissimi*, die 17 Jul. 1657.

(13. Canonicus, qui accedit Romam pro servitio episcopi, qui venit ad visitanda limina Apostolorum, etiam quod dictus canonicus veniat post episcopum, et non simul, lucratur distributiones quotidianas. Sac. congreg. Conc., die 9 Septemb. 1623.

(14. Sic etiam distributiones lucrantur canonici missi ab ipsorum episcopis ad limina Apostolorum visitanda eorum nomine, Sic decisum fuisse a sac. congreg. Concil. refert Garcias *De benefic.* part. 3, cap. 2, n. 248, et Barbosa, *Collectan. Apostol. decis.*, verb. *Distributiones quotidianæ*, n. 11. (15. Canonico autem in Urbe commorante, si ipse deputetur ab episcopo suo ad visitanda limina, debentur ei distributiones unius mensis. Sacr. congregat. Concil. *in Vigilien.*, 6 Januarii 1682.

(16. Si vero episcopum ad visitanda limina comitasset, tunc distributiones debentur pro toto tempore accessus, mansionis, et recessus. Ead. sac. congregat. Conc. *in Comen.* 28 Aug. 1688. (17. Quoad tempus ead. sacr. congreg. Concil. constituit esse trium mensium *in una Vasionen.*, 17 April. 1627. At advertendum est, quod tempore hujus ultimi decreti nondum erat edita cit. constitutio Urbani VIII, incip. *Sancta synodus*, emanata solum 12 Decemb. 1634, concedens episcopis ultra montes septem menses, et episcopis citra montes quatuor menses pro visitandis liminibus, quod tempus videtur respective concessum etiam canonicis ipsos pro tali fine comitantibus.

(18. Episcopi, quamvis interveniente legitimo impedimento visitandi per se ipsos personaliter limina Apostolorum, possint ipsa visitare per certum nuntium, vel procuratorem specialiter ad id deputatum, ut expresse conceditur in cit. cap. *Ego N. episcopus* 4, *De jurejurando*, (19. et cit. constit. Sixti V, incip. *Romanus Pontifex*, tamen nequeunt ipsa visitare per manentem in curia, ut respondit sac. congreg. Conc. *in Forolivien.*, 12 Aug. 1628. (20. Neque per presbyterum diœcesanum non existentem de capitulo cathedralis, neque in dignitate ecclesiastica constitutum, ut censuit sac. congreg. Conc. *in Elboren.* sub die 4 Decemb. 1627. (21. Neque per sacerdotem regularem, ut respondit ead. S. cong. Conc. *in Visen*, sub die 13 Novemb. 1627. * Cæterum vide *Addit. Casinenses* per tot. *

(22. Episcopi quando visitant limina Apostolorum, referre debent, se paruisse constitutioni 195 Urbani VIII. incipient. *Salvatoris*, editæ 3 Februar. 1634, in qua præcipit, quod locorum ordinarii, et verbi Dei concionatores, ad minus duabus vicibus quolibet anno Adventus, et Quadragesimæ temporibus, necessitates locorum Terræ Sanctæ commendari curent. Sic statuit Innocentius X constitut. 10, incip. *Salvatoris*, et confirmavit Clemens V, constitut. 39, etiam incip. *Salvatoris.*

(23. Tempus præfixum ad visitanda limina Apostolorum incipit currere a die publicationis dictæ constitutionis Sixti V, incip. *Romanus Pontifex.* Sic declaravit etiam sac congreg. Concil. *in Burgen.* 12 Aug. 1628

Digitized by Google

24. Talis autem publicatio facta fuit die 20 Decemb. 1585. Unde a tali die cœpit currere primum triennium pro episcopis Italis, primum quadriennium pro episcopis Germanis, Gallis, Hispanis etc. primum quinquennium pro episcopis Africanis, et primum Decennium pro episcopis Asiaticis. Et hæc triennia, quadriennia, quinquennia, et decennia durant usque ad diem 20 Decemb. sui respective elapsi triennii, quadriennii, quinquennii, et decennii; et a tali die 20 Decembr. semper incipiunt nova triennia, quadriennia, etc., aliis jam respective elapsis, et ipsa die completis. (25. Quæ tamen computatio fieri debet ab ipsa die 20 Decemb. exclusive, et sic in fine cujusque triennii, quadriennii, quinquennii, et decennii integra dies 20 Decemb. cedit commodo episcoporum; adeo ut tempus ad visitandum præfixum duret usque ad ultimum momentum ejus diei; dies enim termini non computatur in termino: l. 1, ff. *Si quis cautionibus*, cap. *Frequens* 1, *De restit. spoliator.*, in 6, cum concordantiis de quibus per *Glossam*, *ibid.*, verb. *Proponitur;* Fagnan., *loc. cit.*, n. 43, et alii passim.

(26. Hinc est advertendum quod triennia, quadriennia, decennia respective currunt perpetuis temporibus pro omnibus successoribus episcopis: unde si quis episcopus Italiæ consecretur, v. gr. prima die Junii tertii anni triennii, quod currebat suo præmortuo, vel translato antecessori, qui pro illo triennio limina non visitavit, tenetur ipse limina visitare eodem ipso anno ante elapsam totam diem vigesimam Decemb. ejusdem anni: et si hoc spatium temporis nimis breve videatur ipsi episcopo ad perfecte conficiendam relationem suæ recenter adeptæ Ecclesiæ, et limina visitanda, poterit prorogationem ad hoc munus obeundum impetrare a sac. congregat. Conc. quæ in similibus casibus solet ipsam concedere. Si autem suus antecessor pro tali currenti triennio jam limina visitaverit, ipse episcopus successor poterit differre visitationem liminum spatio trium annorum, et sex mensium, et viginti dierum a die prima Julii suæ consecrationis usque ad diem 20 Decemb. ultimi anni sui primi respective currentis triennii. *Communis*. per text. d. constit. Sixti V, inc. *Romanus Pontifex*, § *Ad hoc autem*, vers. *Quæ ne longius disserantur*, etc.

(27. Liminum visitatio fieri debet in ultimo anno triennii, quadriennii, quinquennii, et respective decennii. Unde episcopi, præsertim Italiæ, non consueverunt in primo anno triennii admitti ad visitationem liminum, in secundo autem anno nonnisi raro, et ex aliqua rationabili causa; Sic censuit sacr. congreg. *super residentia episcopor. habita in Quirinali ex ordine Sanctissimi*, die 17 Julii 1657. Hinc ad limina visitanda non admittuntur episcopi nuper creati priusquam se ad residentiam conferant, nisi in casu, quo Consecrentur in curia paulo ante finem triennii sui antecessoris, v. gr. mense Octobris, seu Novembris; quia tunc,

cum non subsit tempus adeundi suam Ecclesiam, et conficiendi ejusdem status relationem, et redeundi ad Urbem ad limina visitanda ante elapsam die 20 Decemb. immediate sequentis, ex gratia admitti solent a sac. congr. Conc. ad visitationem liminum, priusquam abscedant a curia, aliquibus eis conditionibus impositis. Fagn. *loc. cit.*, n. 49, et alii.

(29. Limina Apostolorum ibi esse dicuntur, ubi est Papa; sic ex multis, cum multis probat Fagn., *loc. cit.*, a n. 69, per text. in cap. *Qui cathedram* 3, et cap. *Juxta* 4, dist. 93, cap. *Ad limina* 7, caus. 31, quæst. 1, cap. *Ego N. episcopus* 4, *De jurejurando*, et cit. constit. Sixti V, incip. *Roman. Pontifex.*

(30. Episcopi, archiepiscopi, primates, et patriarchæ, etiamsi cardinalatus honore præfulgeant, si, seclusis impedimentis legitimis, per se, vel per certos nuntios, aut specialiter deputatos procuratores, statutis, ac supra assignatis temporibus limina Apostolorum non visitaverint, ab ingressu ecclesiæ, ac etiam ab administratione tam spiritualium, quam temporalium, nec non a perceptione fructuum suarum ecclesiarum a capitulis earum interim libere exigendorum, et in opus fabricæ, seu ornamentorum Ecclesiæ emptionem, prout major exegerit necessitas insumendorum, ipso facto, elapso respective triennio, quadriennio, quinquennio, et decennio, tandiu sunt suspensi, donec a contumacia resipiscentes relaxationem suspensionis a Sede Apostolica meruerint obtinere, textu expresso in cit. const. Sixti V, incip. *Romanus Pontifex*, § *Si vero, quod absit.*

(31. Limina Apostolorum statutis temporibus visitari debent ab omnibus episcopis: Bened. XIV, const. 7, incip. *Quod sancta*, § 1 et 2. (32. Item ab inferioribus prælatis jurisdictionem quasi episcopalem habentibus. (33. Idem *ibid.*, § 5. Qua de re juramentum præstare jubentur, si præsentes in curia fuerint, in manibus S. R. E. diaconi cardinalis ordine prioris; si vero absentes, in manibus nuntii, aut legati Sedis Apostolicæ, (34. si præsens fuerit; (35. sin minus in manibus alicujus episcopi, aut archiepiscopi eorum arbitrio eligendi. (36. Idem *ibid.*, § 5. Itali, et insularum adjacentium tertio quoque anno.; (37. Reliqui autem in aliis provinciis, regnis, et terrarum orbis partibus, et regionibus existentes, tam qui nunc sunt, quam qui in posterum erunt, quinto quoque anno a tempore captæ possessionis computando; Idem *ibidem*, § 7.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(38. Ex constitutione ss. mem. Bened. XIV, data 23 Novembris 1740, incip. *Quod sancta:* omnes et quicunque abbates, priores, præpositi, aliique quocunque nomine ac titulo insigniti, etiam sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales, tam sæculares, quam regulares *jurisdictionem quasi episcopalem habentes*, jam promoti, et promovendi, antequam suorum monasteriorum, seu eccle-

Digitized by Google

siarum possessionem apprehendant, juramentum præstare debent juxta formulam in dicta constitutione descriptam in manibus cardinalis decani, si præsentes in curia, et si absentes, in manibus nuntii, aut legati Apostolici, eoque absente, in manibus alicujus archiepiscopi, aut episcopi eorum arbitrio eligendi, se liminum visitationem, *nullo intercedente legitimo impedimento*, personaliter peracturos esse, ac de sibi commissa monasteriorum, et ecclesiarum procuratione relationem Romano pro tempore Pontifici facturos esse singulis trienniis a die possessionis apprehensæ incipiendis, si sint Itali, vel ex Insulis, et provinciis Italiæ adjacentibus, sin minus, quinto quoque anno, sub pœna suspensionis ingressus ab ecclesia, administrationis tam temporalium, quam spiritualium, perceptionis fructuum, etc., *intercedente vero legitimo aliquo impedimento*, (39. per virum in dignitate ecclesiastica constitutum de gremio monasteriorum, vel ecclesiarum, aut per aliquem sacerdotem regularem, aut sæcularem, per quem docere debent de impedimento.

(40. His qui tenentur visitare limina, tum relationem facere de statu suarum ecclesiarum, adde etiam administratores datos alicui episcopo in legitima ætate nondum constituto, ut usuvenit, dum aliquis regius princeps, nondum in ætate legitima constitutus præficitur alicui Ecclesiæ; sa. mem. Benedictus XIV, *De synod. diœcesan.*, lib. XIII, cap. 6, n. 5.

(41. Recte *Auctor* num. 7 sentit teneri, et episcopos titulares ad visitationem liminum, (42. Tametsi enim Andreuccius *De episcopo lit.*, p. 4, § 1, n. 290, neget eos teneri, ea reddita ratione, quod Ecclesiarum suarum statum plane ignorantes, illius relationem facere nullo modo queunt; (43. tamen optime ex Fagnano advertit dictus Benedict. XIV, *De synod. diœces.*, lib. XIII, cap. 6, n. 5, « quod quum in visitatione sacrorum liminum (*sunt ejus verba*) præter venerationem erga sanctorum apostolorum cineres, debitus Romano Pontifici submissionis, et obedientiæ actus contineatur; quum etiam episcopus titularis, licet absens, et impeditus quominus ad suam Ecclesiam accedat, de hujus tamen statu aliqua identidem cognoscere possit, quæ Pontifici referenda sint, et quorum occasione aliquid in ejusdem Ecclesiæ utilitatem proponendum occurrat; hinc affirmandum videtur, episcopos quoque titulares ad Sixtinæ bullæ observantiam teneri. » Adde pro hac sententia Thomassin. *De veter. et nov. Eccles. disciplin.*, part. II, lib. III, cap. 42, n. 12 et sequent.

(44. Recte quoque auctor, n. 8 sentit, et teneri coadjutum, nequaquam vero coadjutorem. (45. Cæterum si coadjutor visitationem peregisset, et relationem de Statu Ecclesiæ fecisset, minime pro ea vice tenetur coadjutus; Bened. XIV, *De synod. diœc.* lib. XIII, cap. 6, n. 5.

ADDITIONES CASINENSES.

(46. Quod tradit auctor sub. n. 21, nempe

episcopos, ubi ex legitimo impedimento, nequeant per seipsos visitare limina Apostolorum, quo in casu facultas eis conceditur ipsa visitare per certum nuntium, vel procuratorem ad id specialiter deputatum, nequaquam id muneris demandare posse sacerdoti regulari, id intelligendum, quando adsit copia sacerdotum sæcularium. Quod si clerus omnino in diœcesi deficiat, tunc per sacerdotem regularem posse antedictos antistites eadem limina visitare, utique exploratum est ex formula juramenti ab episcopis ante consecrationem edi soliti, prout exstat in Pontificali Romano, quamque in nostris additionibus sub v. *Juramentum*, in fine, attulimus: In qua formula sequens particula continetur: « Apostolorum limina singulis trienniis personaliter per me visitabo... Quod si legitimo impedimento detentus fuero... adimplebo per certum nuntium ad hoc speciale mandatum habentem, de gremio capituli, aut alium in dignitate ecclesiastica constitutum.... aut iis mihi deficientibus, per diœcesanum sacerdotem; et clero deficiente omnino, per aliquem alium presbyterum sæcularem, vel regularem, etc. »

(47. Idem etiam aperte liquet ex Constitutione felic. recordat. Sixti V Pontificis M. incip. *Romanus Pontifex*, cujus Auct. supra meminit.

(48. Verum quidem est, S. congregationem concilii limina ad visitanda pro episcopo Visen. noluisse admittere regularem episcopi familiarem, et commensalem, etiamsi alium non invenire diceret, et iste jam esset in Urbe, ut in Visen. sub die 13 Nov. 1627. Apud Barbosam, *Apostol. Decis.* collect. 451, n. 5, v. *Limina Apostolorum*. At id ex causis, et circumstantiis particularibus repetendum.

(49. Cæterum, eodem Barbosa referente « limina Apostolorum ut possint visitari per sacerdotem regularem bene informatum, fecit gratiam sacr. congreg. Concil. episcopo Canarien. sub die 9 Maii 1629, cum fuerit ab illis partibus transmissus, stante, quod propter itineris longitudinem milliarium 1700 et ob pericula in quæ occurrunt alias transmissi sacerdotes sæculares, qui a Turcis captivi facti fuerunt, nullus invenitur, qui mitti voluit. » *Ibidem*, n. 6.

Ubi, ut vides, S. congreg. admisit pro visitatione SS. liminum sacerdotem regularem, etsi sæculares sacerdotes non absolute deficerent, ex particularibus nimirum considerationibus.

(50. Hinc porro est, cur is idem clar. canonista, in allegat. 111, n. 41, *De offic. et potest. episc.*, de visitatione SS. liminum agens, fundamentaliter ponit secundum a nobis tradita ex textibus allatis, nempe quod « omnes patriarchæ, primates, arch. et episcopi, si legitime impediti fuerint, per certum nuntium ad id speciale mandatum habentem de gremio suorum capitulorum... et si clero careant omnino, per aliquem alium presbyterum sæcularem, aut regularem... hoc ipsum adimpleant. »

Digitized by Google

(51. Atque ad uberiorem totius materiæ notitiam, nec non ad confirmationem eorum, quæ a nobis notata sunt, facturos operæ pretium putamus, si nonnulla loca ex syn. Diœces. Benedicti XIV, heic afferamus, in hæc sane verba :

« Abstinendum hic autem ducimus ab exponendis controversiis olim in prædicta congregat. agitatis tam super qualitate impedimenti, quo episcopus a personali sacrorum liminum visitatione recte excusetur, quam super documentorum genere, quæ ad idem impedimentum legitime probandum afferri debeant, ac demum super persona Procuratoris ad obeundas episcopi vices delegandi; de quo disputatum fuit, an liceret canonicum, aliumve diœcesanum sacerdotem, non præcise in eum finem delegatum, sed jampridem in Urbe commorantem, suasque res ibi agentem, ad visitationem peragendam, procuratorem constituere; et an sacerdotem regularem mittere, et deputare liceret. In hoc enim rerum genere jamdudum facilius atque remissius agi cœpit, et pristinus rigor progressu temporis valde temperatus est, habita ratione gravium expensarum, quæ ad Romanum iter conficiendum episcopis subeundæ sunt, graviorumque onerum, quibus episcopales mensæ, vel temporum calamitate, vel aliis de causis, subjiciuntur. Unde si episcopus, justo quolibet impedimento detentus, a sacra congregatione licentiam petat visitandi limina per procuratorem, atque etiam in eum finem deputandi canonicum aliquem, aut sacerdotem diœcesis suæ jam in Urbe existentem, et privatis suis rebus vacantem, vel etiam ordinarium suum negotiorum gestorem, seu agentem, de rebus Ecclesiæ et diœcesis probe instructum, dummodo ecclesiastico charactere sit insignitus, facta Romano Pontifici per secretarium ipsius congregationis instantiæ illius relatione, non ita frequenter rejici solet, ut olim evenisse constat; sed petita licentia, et facultas passim benigne conceditur. De regulari tamen sacerdote, cum mentio quidem fiat in citata Sixti V constitutione, § 4, sed pro eo tantum casu, quo clerus in diœcesi deficiat; adjecta lege, ut Sacerdos regularis probus, et religiosus sit, Ecclesiæque, ac diœcesis res, et negotia optime calleat, atque hæc etiam enuntientur in formula juramenti, quam recitat episcopus, dum ad suscipiendum consecrationis munus accedit, quæque inserta est Pontificali Romano, ubi sic legitur: « Et, clero « deficiente omnino, per aliquem alium pre« sbyterum sæcularem, vel regularem, specta« tæ probitatis, et religionis, de supradictis « omnibus plene instructum » : hinc est, quod si regularis aliquis sacerdos deputari velit, nonnihil difficultatis offendi solet : cum prius probanda sit deficientia capituli, et cleri sæcularis : eaque non probata, nequaquam admittatur procurator regularis sive a diœcesi missus, sive jampridem in Urbe degens; nisi forte agatur de Ecclesiis in remotissimis regionibus constitutis, unde difficillimum est specialem procuratorem de

gremio capituli, aut cleri sæcularis ad visitanda Apostolorum limina Romam transmittere. »

« Nonnullas (prosequitur Ben. XIV) alter. generis quæstiones in præf. congr. Conc. discussas, et definitas breviter hoc loco indicabimus. Et primum, cum in Sixtina constitutione inter eos, qui singulis decenniis ad sacrorum liminum visitationem adiguntur, non alii recenseantur, quam episcopi Asiatici, et qui in novis terris orientalibus, meridionalibus, occidentalibus, et septentrionalibus existunt; episcopi Hiberniæ olim postularunt, ut eorum paupertatis ratione habita, ipsis concederetur, singulis pariter decenniis semel duntaxat eamdem visitationem explere : quod iis, ob allegatam paupertatis causam, a sacra congregatione, annuente Pontifice, indultum fuit die 10 Maii 1631, ut adnotatum reperitur lib. XIV *Decr.*, p. 422, quantumvis in ipsa Sixti V constitutione de iis nominatim statutum fuisset, ut quarto quoque anno ad id tenerentur. Eadem lex de visitandis quarto quoque anno Apostolorum liminibus in dicta constitutione imponitur episcopis Gallis. Quæsitum itaque fuit an episcopus Carpentoractensis singulis quadrienniis, vel potius trienniis, ad hujusmodi visitationem teneretur : et quidem perpenso, quod comitatus Venusinus, non secus ac Avenionensis, licet non de Gallia, in Galliæ tamen partibus situs est, ut dictum fuit in decis. 30, n. 1 et seq., post Tondut. *De pensionib. ecclesiast.*, et in *Disquisitionibus legalibus* Pauli de Gandecombe, cap. 12, n. 1, et pluribus seq., dicta congregatio die 19 Februarii 1718, dum nos secretarii illius munere fungeremur, merito censuit episcopum Carpentoractensem singulis tantum quadrienniis sacra limina visitare debere : ut videre est tom. I *Thesaur. Resolut.*, Urbin. edit., p. 23. »

« De aliis præterea controversiis actum, et pronuntiatum fuit, quæ pertinent ad personas prædictæ visitationis, et reddendæ rationis lege obstrictas. Quæsitum nempe aliquando fuit an id oneris incumberet episcopis, quibus coadjutor ab Apostolica Sede datus fuisset. Summus autem Pontifex Clemens VIII die 25 Februarii 1592 respondit satis esse, ut vel episcopus ipse, vel coadjutor, illius nomine, visitationem expleret, et relationem status Ecclesiæ exhiberet : idque relatum fuit in Acta dictæ congregationis Concilii lib. LXXIII *Supplicum libellorum*, p. 29. Accidit aliquando, gravibus id suadentibus causis, ut regius aliquis princeps, in legitima ætate nondum constitutus, alicui Ecclesiæ præficiatur, adjuncto eidem certo administratore ad hoc, ut meliori diœcesis regimini consulatur. Cum itaque dubitatum olim fuerit, an hujusmodi administrator Apostolorum limina visitare, et statum Ecclesiæ sibi quoque ad regendum commissæ, Apostolicæ Sedi repræsentare teneretur : sacra congregatio Concilii die 13 Augusti 1622, respondit, administratorem tam proprio nomine, quam etiam principis

Digitized by Google

episcopi, cujus partes in Ecclesiæ gubernatione adimplet, Sixtinæ constitutionis præceptum servare debere.

« Nemini ignotum est (sic idem cl. scriptor) in S. R. E. cardinalium collegio sex esse episcopos, suburbicarios nuncupatos, Ostiensem videlicet, Portuensem, Sabinensem, Albanensem, Prænestinum et Tusculanum...

« An vero hujusmodi suburbicarii cardinales episcopi ad visitationem sacrorum liminum, et ad relationem status propriæ cujusque Ecclesiæ juxta Sixtinam constitutionem tenerentur, controversia olim fuit : de qua cum enim congregatione Concilii die 9 Januarii 1616 actum fuerit, sacra congatio ita rescripsit : « Agendum esse cum « sanctissimo domino nostro, ne illos ob« stringat; sed potius benigne declaret, non « teneri ejusmodi onus subire, cum sintquo« tidie in conspectu Sanctitatis Suæ. » At summus Pontifex Paulus V, ut in actis ejusdem congregationis adnotatum legitur lib. XIX *Supplic. libellor.*, p. 887, hujusmodi declarationem edere noluit; « sed dixit, nec velle se illis id oneris imponere, si alias non teneantur : verum expedire, sibique placere, ut et ipsi Constitutionem observent. » Denique Clemens XII, in constit. *Pastorale offic.*, § 9, jure ac merito declaravit, ipsos vere obligatos esse ad Sixtinæ constitutionis observantiam : « Necnon re« lationem status earumdem Ecclesiarum, et « diœcesium, quibus præsunt, ipsi Pontifici « juxta constitutionem san. mem. Sixti Papæ « V prædecessoris quoque nostri, quæ incipit « Romanus Pontifex, exhibere. » Quod quidem jure ac merito a Clemente XII factum fuisse diximus. Cum enim in Sixtina constitutione episcoporum etiam cardinalium expressa mentio fiat; cumque iidem cardinales episcopi suburbicarii diœceses suas gubernare, et visitare teneantur, nec ab alio episcopalis officii onere exempti sint, præterquam a residentia materiali, difficile sane erat intelligere, qua ratione a Sixtina constitutionis lege immunes censeri possent. » *De synod. diœces.*, lib. XIII, §§ 3, 4, 5, 6, 7.

52. Præstat insuper ad totius rei de qua agitur in hoc articulo explanationem, suprad. Sixti V constitut. heic afferre tenoris sequentis.

Romanus Pontifex ibi : « Hac perpetua constitut. sancimus, decernimus, et mandamus, ut omnes patriarch., primates, archiep., episcopi per universum orbem terrarum constituti, a Nobis deinceps ordinandi, etiam si cardinalatus honore præfulgeant, antequam munus consecrationis suscipiant, seu eis consecratis pallium de B. Petri corpore sumptum tradatur, aut si ad aliam Ecclesiam transferantur, antequam illius regimini, et administrationi se immisceant, si quidem præsentes in curia fuerint, in manibus S. R. E. diaconi cardinalis ordine prioris, si vero absentes in manibus antistitis, qui ad impendendum munus prædictum, aut ad tradendum pallium hujusmodi a Sede Apostolica delegabitur, jurent juxta formulam in libro Cancellariæ Apostolicæ Quinterno appellato nuper descriptam, se beatissimorum apostolorum Petri et Pauli limina statutis in hac nostra constitutione temporibus personaliter, ac per se ipsos visitaturos, ac Nobis, et successoribus nostris pro tempore existentibus Romanis Pontificibus rationem reddituros de toto eorum pastorali officio, deque rebus omnibus et ipsarum, quibus præsunt, Ecclesiarum statum, ad cleri, et populi disciplinam, animarum denique, quæ illorum fidei creditæ sunt, salutem quovis modo pertinentibus, et vicissim mandata Apostolica humiliter recepturos, et quam diligentissime exsecuturos.

« Quod si legitimo impedimento detenti fuerint, jurent, se prædicta omnia adimpleturos per certum nuntium ad illa speciale mandatum habentem de gremio suorum capitulorum, aut alium in dignitate ecclesiastica constitutum, seu alias personatum habentem, aut si hujusmodi hominem ecclesiastica dignitate, et personatu præditum non habeant, per diœcesanum sacerdotem, et si clero careant omnino, per aliquem alium presbyterum sæcularem, vel regularem spectatæ probitatis, et religionis de supradictis omnibus plene instructum. De hujusmodi autem impedimento docere debeant per legitimas probationes, ad dictum primum diaconum cardinalem per supradictum nuntium transmittendas.

« Quin etiam principes temporales, si quid pro eorum pietate, et erga hanc Apostolicam Sedem observantia Rom. Pont. voluerint significare, eosdem sive episcopos, sive alios, qui ab eis mittentur, fidos habebunt nuntios ac relatores, quorum opera ab eadem Sede pro illorum dominii ditionibus, et rebus firmandis, ac stabiliendis et cum Dei, et sanctæ religionis causa, sine qua tuto consistere haud possint, conjungendis, opportuna sinceræ charitatis officia, consilia, atque subsidia exspectare certo poterunt.

« Ad hoc autem debitum visitationis officium commode explendum supradicti omnes patriarchæ, primates, archiepis. et episc. Itali videlicet, vel ex Italicis insulis, unde in Italiam commodius trajici potest, veluti Siculi, Sardi, Corsi, et alii adjacentium provinciarum Italiæ, ac etiam Dalmatiæ, et Græcarum, quæ e regione ipsis Italiæ et Siciliæ oris sunt, tertio anno : Germani vero, Galli, Hispani, Belgæ, Bohemi, Hungari, Poloni, Angli, Scoti, Hiberni, et cæteri omnes, qui in Europa sunt citra mare Germanicum, et Balticum, ac omnium insularum maris Mediterranei, quarto anno : et qui intra Europæ fines sunt his provinciis remotiores; ac etiam Africani littoribus nostris adversi, ac insularum maris Oceani septentrionalis, et occidentalis Europæ, et Africæ citra continentem novi orbis, tam qui nunc sunt, quam qui ad catholicam fidem per misericordiam Dei aliquando redierint V anno. Asiatici vero, et qui extra Asiam, et in aliis novis terris orientalibus,

Digitized by Google

meridionalibus, occidentalibus, et septentrionalibus, tam in insulis, quam in continentibus, et denique in quibuslibet mundi partibus, decimo anno iter suscipiant, et Deo concedente perficiant, idemque institutum certo quoque quarto, quinto, et decimo anno repetant, et observent. Hæc autem annorum spatia a tempore suscepti muneris consecrationis, vel pallii traditionis, aut translationis, ut præfertur incipiant. Quæ ne longius differatur, volumus quod tempus qualecunque excursum alicui ex supradictis præsulibus, qui sive morte præventus, sive alia quacunque de causa ob non finitum tempus ei præscriptum dicta limina non visitaverit, ita illius successori effluxisse, et excurrisse intelligatur, ut termino ipso juxta prædecessoris sui jusjurandum completo, debitam tunc visitationem quam primum conficere teneatur.

« Hi vero ex supradictis antistitibus, qui hactenus ab hac Sancta Sede ordinati sunt, aut dictum pallium ab ea susceperunt, aut ad aliam Ecclesiam translati sunt, prout cuique distantia locorum et temporum intervalla præscripta sunt, ad supradicta omnia observanda a die publicationis præsentis constitutionis omnino teneantur.

« Jubemus igitur in virtute sanctæ obedientiæ supradictis omnibus antistitibus præsentibus et futuris, ut visitationem prædictam sibi, suisque Ecclesiis adeo utilem ac necessariam, juxta præscriptam formulam omnino conficiant. Si vero, quod absit, non egerint, eos ab ingressu Ecclesiæ, ac etiam ab administratione tam spiritualium, quam temporalium, necnon a perceptione fructuum suarum Ecclesiarum, a capitulis eorum, omni exceptione et mora cessante, interim libere exigendorum, et in opus fabricæ, seu ornamentorum Ecclesiæ emptionem, prout major exegerit necessitas insumendorum, ipso facto tamdiu suspensos esse volumus, donec a contumacia resipiscentes, relaxationem suspensionis hujusmodi a Sede prædicta meruerint obtinere. Non obstantibus, etc. »

(53. Tandem satius putamus addere instructionem pro rite conficienda relatione status singularum ecclesiarum in visitandis Apostolorum liminibus, a sacr. congregat. Concil. jussu Benedicti XIII exaratam, subindeque probatam, et publica auctoritate donatam tenoris ut sequitur.

INSTRUCTIO SACRÆ CONGREGATIONIS CONCILII.

PRO EPISCOPIS, PRIMATIBUS ET PATRIARCHIS.

Super modo conficiendi relationes statuum suarum Ecclesiarum, quas, occasione visitationis sacrorum Liminum, eidem sacræ congregationi exhibere tenentur.

Summus Pontifex Sixtus Papa Quintus, qui tempora statuit, quibus singuli episcopi, archiep., primates, et patriar. per seipsos, vel per eorum certum nuntium, visitare tenentur limina beatissimor. Apostolorum Petri et Pauli, antiquissimæ observantiæ inhærendo, nedum voluit, ut ultra sacrorum liminum visitationem, Romano pro tempore Pontifici de toto eorum pastorali officio, et de rebus omnibus ad ipsarum, quibus præsunt, Ecclesiarum statum, ad cleri et populi disciplinam, animarum denique, quæ illorum fidei creditæ sunt, salutem, quovis modo pertinentibus, rationem redderent, uti fusius habetur in prædicti Pontificis constitutione, quæ incipit *Romanus Pontifex*; sed in alia etiam constitutione, quæ incipit *Immensi æterni Dei*, sacræ congregationi præpositæ interpretationi sacrosancti concilii Tridentini, curam demandavit, prædictam rationem, quæ dicitur *Relatio status Ecclesiæ*, perpendendi, et examinandi, ac postulatis in eadem proponendis respondendi.

Sixtinæ hæ constitutiones suo non caruerunt effectu tum quoad sacrorum liminum visitationem, tum quoad relationem statuum ecclesiarum; sed cum nulla unquam edita fuerit instructio prodictis relationibus exarandis, factum hinc est, ut aliquæ ex eis aliquando fuerint exhibitæ abundantes in superfluis, et aliquæ aliquando deficientes in necessariis : cumque, ad hæc avertenda, in synodo Romana, hoc anno 1725, a sanctissimo domino nostro Benedicto Papa XIII, habita in basilica Lateranensi, præscriptum sit, ut Instructio hactenus omissa, a sacra Concilii congregatione ederetur; hæc idcirco instructio publici juris fit, ut in relationibus statuum suarum ecclesiarum, ad eamdem sacram congregationem in posterum transmittendis curent episcopi, archiepiscopi, primates, et patriarchæ, ipsi se conformare, et suas relationes ad quædam distincte capita reducere : quorum primum ad statum ecclesiæ materialem; secundum ad personam ipsius referentis; tertium ad clerum sæcularem; quartum ad clerum regularem; quintum ad moniales; sextum ad seminarium; septimum ad ecclesias, confraternitates, et loca pia: octavum ad populum, et ultimum denique referatur ad postulata, quæ ab ipso referente sacræ congregationi proponuntur.

§ I.

De primo relationis capite, pertinente ad statum Ecclesiæ materialem.

In hoc primo relationis capite sequentia erunt exponenda :

I. Institutio.

II. Confinia.

III. Privilegia, et prærogativæ episcopatus, archiepiscopatus, aut patriarchatus.

IV. Numerus civitatum, oppidorum, aut locorum, qui episcopatui, archiepiscopatui, aut patriarchatui subjecti sunt.

V. Status cathedralis, metropolitanæ, aut patriarchalis ecclesiæ, una cum numero Canonicorum, et aliorum servitio chori addictorum; et an erectæ fuerint præbendæ pœnitentiaria, et theologalis.

VI. Status ecclesiarum collegiatarum, una cum numero pariter canonicorum, et cæterorum, qui choris earum intersunt, et an in collegiatis erecta sit præbenda theologalis.

Digitized by Google

VII. Status, et numerus ecclesiarum parochialium, necnon aliarum ecclesiarum, et oratoriorum in episcopatu, archiepiscopatu, aut patriarchatu existentium; referendo signanter, an cathedralis, metropolitana, aut patriarchalis et collegiatæ, oratoria, necnon parochiales, cæteræque ecclesiæ sint sacris supellectilibus instructæ, et quænam ex eis habeant redditus pro fabrica assignatos.

VIII. Numerus monasteriorum tam virorum, quam mulierum; exprimendo, an aliqua ex monasteriis virorum sint subjecta suæ juridictioni : et an, et quæ mulierum monasteria sibi subjecta sint, vel prælatis regularibus.

IX. An adsit in diœcesi seminarium clericorum, quot clerici in eodem alantur, an fuerit statuta taxa, et in qua quantitate, et an aliqua beneficia fuerint eidem unita, et in universum quinam, et quot sint redditus prædicti seminarii.

X. Numerus hospitalium, collegiorum, confraternitatum, et aliorum locorum piorum, quæ sunt in episcopatu, archiepiscopatu, aut patriarchatu, et quinam sint eorum redditus.

XI. An adsint montes pietatis, et quot sint, una cum aliis consimilibus ad statum materialem Ecclesiæ spectantibus; cum advertentia tamen, ut plena status materialis relatio in prima relatione tantum, quæ fit ab episcopo, archiepiscopo, aut patriarcha, exhibeatur : in subsequentibus enim relationibus, satis erit, quod ipsi se referant ad primum, nisi aliquid novi, pertinens ad dictum statum materialem, contigisset, quod referens notificandum sacræ congregationi existimaret (13).

§ II.

De secundo relationis capite, pertinente ad ipsum episcopum, archiepiscopum, primatem, et patriarcham.

In hoc capite exponi debebit

I. An residentiæ præceptum, a sacris canonibus, concilio Tridentino, et constitutione Urbana præscriptum, adimpleverit; et an aliquo, et quo tempore abfuerit, et an ultra menses conciliares, et an cum, vel sine Sedis Apostolicæ licentia.

II. An, et quoties diœcesis sibi commissæ visitationem expleverit.

III. An per se, vel per alium episcopum sacras ordinationes expleverit, et sacramentum confirmationis administraverit.

IV. An, et quoties synodum diœcesanam coegerit : et si episcopus nulli archiepiscopo subjectus sit, an ad synodum provincialem ejus archiepiscopi, quem ad tramites Tridentini eligere tenetur, ut ejus synodo provinciali intersit, accesserit: et si sit archiepiscopus, an synodum provincialem habuerit, et quinam suffraganei eidem interfuerint.

V. An verbum Dei per se ipsum prædicaverit, et an, legitimo concurrente impedimento, viros idoneos assumpserit ad hujusmodi prædicationis officium salubriter exequendum.

VI. An habeat depositarium pœnarum, et multarum pecuniariarum, et an eædem fuerint piis usibus applicatæ.

VII. Quænam taxa, et an Innocentiana in sua cancellaria observetur.

VIII. An aliquod habeat, quod sibi obstet circa exercitium episcopalis officii, jurisdictionis ecclesiasticæ, necnon tuendæ libertatis et immunitatis Ecclesiarum.

IX. An aliquod pium opus peregerit pro Ecclesia, pro populo, aut pro clero.

§ III.

De tertio capite, ad clerum sæcularem pertinente.

In hoc capite exponendum erit.

I. An canonici, cæterique choro addicti cathedralis, metropolitanæ, aut patriarchalis ecclesiæ, necnon collegiatarum, choro jugiter intersint.

II. An ultra matutinum, laudes, cæterasque alias horas canonicas, quolibet die celebrent missam conventualem.

III. An quolibet die eam applicent pro benefactoribus.

IV. An suas habeant constitutiones, et eas punctualiter observent.

V. An qui obtinent præbendam pœnitentiariam, aut theologalem, adimpleant, quæ adimplenda sunt, et quomodo.

VI. An parochi in suis parochiis resideant.

VII. An librum matrimonii et baptizatorum aliosque libros, quos ad normam Ritualis Romani retinere debent, retineant.

VIII. An aliqui ipsorum indigeant aliorum sacerdotum opera, ut sacramenta populo administrent.

IX. An iidem per se, vel per alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem Dominicis, et festis solemnibus, plebes sibi commissas pro sua, et earum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, juxta monitum Tridentini et præcitati concilii Romani.

X. An saltem Dominicis, et aliis festis diebus, in suis parochiis, fidei rudimenta et obedientiam erga Deum et parentes, pueros, cæterosque hoc adjutorio indigentes doceant; et an, et qui eis operam præstent in hoc opere adimplendo, et an fructuose hoc opus adeo necessarium in singulis parochiis proficiat.

XI. An singuli parochi, cæterique curam animarum exercentes, singulis dominicis, festisque de præcepto, missam applicent pro populo eorum curæ commisso.

(13) « Non semper hæc paragenda sibi esse, sed prima tantum vice, qua sacra limina visitantes, Apostolicæ Sedi Ecclesiarum suarum statum exponunt : deinde vero necessarium non esse, ut semper hæc eadem repetant; sed satis futurum, si ad ea se referant, quæ in superioribus significarunt : nisi quid interea in diœcesi mutatum fuerit, aut novi aliquid contigerit, quod statum Ecclesiæ materialem inverterit, et tanti momenti sit, ut exprimendum merito videatur. » Sic quoque Benedictus XIV, lib. XIII *De synodo diœces.*, cap. 7, n. 2.

Digitized by Google

XII. An et quæ præmittantur, antequam quis ad primam tonsuram, et minores ordines admittatur, et an sacris ordinibus initiandi, ante cujuscunque ordinis sacri receptionem, piis meditationibus, vulgo spiritualibus exercitiis, vacent per aliquot dies in aliqua domo religiosa.

XIII. An omnes prædicti vestes jugiter deferant clericales, et an, quoad fori privilegium, serventur disposita a sacrosancta synodo Tridentina sess. XXIII, c. 6, *De reformat.*, et a constitutione sanctissimi domini nostri Benedicti Papæ XIII in eodem concilio Romano emanata.

XIV. An habeantur conferentiæ theologiæ moralis, seu casuum conscientiæ, et etiam sacrorum rituum, et quot vicibus habeantur, et qui illis intersint, et quinam profectus ex illis habeatur.

XV. Quinam sint mores cleri sæcularis, et an aliquod in eo adsit scandalum, quod remedio indigeat potentiori.

§ IV.

De quarto capite ad clerum regularem pertinente.

In hoc capite exponendum erit

I. An regulares curam animarum exercentes qui episcopali jurisdictioni, visitationi et correctioni subsunt in iis, quæ ad curam pertinent, et administrationem sacramentorum, munus sibi commissum fideliter adimpleant, juxta ea, quæ in præcedenti capite dicta sunt de parochis sæcularibus.

II. An aliquis regularis extra monasterium degat: an aliqui adsint in diœcesi, a suis superioribus, servatis servandis, ejecti, vel aliquis fuerit regularis intra claustra monasterii degens, sed qui extra ea ita notorie deliquerit ut populo scandalo fuerit; et quomodo in hisce casibus in sic delinquentes animadvertit.

III. An sua jurisdictione delegata usus sit in explenda visitatione conventuum et granciarum monasteriorum, in quibus religiosi non aluntur in numero a sacris constitutionibus præfixo; et quinam sunt religiosorum mores, in dictis conventibus, et granciis degentium.

IV. Denique an aliquod habeat cum regularibus offendiculum in exercitio jurisdictionis delegatæ in illis casibus, in quibus eadem ipsi tributa est a sacro concilio Tridentino, vel a summorum pontificum constitutionibus, et signanter a bulla Clementis Papæ X quæ incipit *Superna*.

§ V.

De quinto relationis capite ad moniales pertinente.

In hoc capite exponendum erit

I. An moniales, episcopo subjectæ, suas servent constitutiones.

II. An clausura in earum monasteriis inviolate custodiatur.

III. An aliqui abusus in iisdem monasteriis irrepserint, qui consilio, aut auxilio sacræ congregationis indigeant.

IV. An, præter ordinarium confessorem, alius extraordinarius ab ipso bis, aut ter in anno fuerit oblatus.

V. An dictorum monasteriorum redditus fideliter administrentur, et monialium dotes fuerint persolutæ, et quomodo erogatæ.

VI. An in monasteriis monialium, quæ sunt prælatis regularibus subjecta, curaverit ut clausura dictarum sanctimonialium fuerit exacte observata; et an contra inobedientes et contradictores, per censuras ecclesiasticas, et alia juris remedia processerit.

VII. An harum monialium confessarii regulares, sive ordinarii, sive extraordinarii, fuerint ab ipso approbati, antequam earum confessiones exceperint.

VIII. An, adhibitis superioribus regularibus, singulis annis exegerit rationem administrationis ab his, qui administrarunt bona pertinentia ad hæc monialium monasteria regularibus subjecta: et an fideliter eorum redditus administrentur, et alia fuerint adimpleta, quæ præscribuntur in bulla Gregorii XV, quæ incipit *Inscrutabili*.

§ VI.

De sexto relationis capite pertinente ad seminarium.

In hoc capite exponendum erit

I. Quot sint in seminario alumni

II. An in ecclesiastica disciplina recte instituantur.

III. Quibusnam studiis vacent, et quo profectu.

IV. An cathedrali, et aliis locis ecclesiæ diebus festis inserviant.

V. An cum consilio duorum canonicorum seniorum, a se electorum, necessaria pro recto regimine statuerit.

VI. An illud aliquando visitet, et operam det ut constitutiones adimpleantur.

VII. An statuta sit taxa ad tramites concilii Tridentini, eademque exigatur; et an aliqui sint morosi in ejus solutione.

§ VII.

De septimo capite ad ecclesias, confraternitates et loca pia pertinente.

In hoc capite exponendum erit

I. An in sacristiis omnium, et singularum ecclesiarum exposita sit tabella onerum missarum et anniversariorum, ad tramites decretorum san. mem. Urbani VIII, et an eis punctualiter satisfactum sit.

II. An in confraternitatibus, scholis, aliisque locis piis, punctualiter executioni mandentur pia opera a testatoribus injuncta.

III. An quolibet anno sibi fecerit reddi rationes ab horum locorum administratoribus.

IV. An montem pietatis, sive charitatis visitaverit: et an idem habeat redditus, qui superabundent sustentationi ministrorum, aliisque necessariis expensis, et in quas causas redditus illi erogentur; et si quid exigatur ab illis, qui pecuniam, aut frumentum, si agatur de monte frumentario, ab eo recipiunt.

V. An infirmorum hospitalia visitaverit, redditumque rationes ab administratoribus

Digitized by Google

exegerit, et an infirmis necessaria, quoad salutem animæ, et corporis, in eis submministrentur.

§ VIII.

De octavo relationis capite ad populum pertinente.

In hoc capite exponendum erit

I. Quinam sint populi mores, et an in pietate proficiant.

II. An aliquis irrepserit abusus, aut prava quædam in eodem inoleverit consuetudo, quæ consilio indigeat, et Sedis Apostolicæ adjutorio.

§ IX.

De ultimo capite ad postulata pertinente.

Ultimo loco episcopi, archiepiscopi, primates et patriarchæ, qui suarum Ecclesiarum relationes ad sacram transmittunt congregationem, si quæ habent postulata proponenda pro suarum regimine Ecclesiarum, proponere poterunt, cum clara facti, et omnium circumstantiarum expressione; et quatenus postulata spectent ad negotia forensia, exponant, an ea sint in aliis tribunalibus introducta, an adsint super iisdem aliorum tribunalium sententiæ, ut, omnibus mature pensatis, possit sacra congregatio congruum suppeditare prædictis postulatis responsum.

Et hæc sunt, quæ opportuna visa fuerunt, ut in hac instructione inserantur. Quod si aliqua fuerint, quæ episcopi, archiepiscopi, primates et patriarchæ pro suarum indigentia Ecclesiarum, atque diœcesium, addenda existimaverint, sciant, ibi liberum esse addere, quæ ipsis addenda videbuntur et ad notitiam sacræ congregationis deferre, quæ ex charitatis et justitiæ norma per se expediet, quæ poterit, et majora ad summum Pontificem deferet, qui fratribus suis episcopis, quantum cum Domino licet, gratificari semper exoptabit.

C. card. Origus præfectus.

Loco ✠ Sigilli.

P. Archiepisc. Theodosiæ Secret.

LINEA AFFINITATIS, CONSANGUINITATIS, LEGALIS PATERNITATIS, LEGALIS FRATERNITATIS, LEGALIS AFFINITATIS.

Vid. verb. Affinitas, et verb. Impedimenta matrimonii, art. 1, n. 27, ad 78.

LITANIÆ.

SUMMARIUM.

1. Verbum *litaniæ* est nomen græcum, quod latine significat humiles supplicationes et devotas, seu ferventes preces. — 2. Quatuor litaniarum species apud sacros scriptores reperiuntur, scilicet: *litaniæ* Veteris Testamenti, *litaniæ* sanctorum, *litaniæ* B. M. V. et *litaniæ* SS. nominis Jesu. — 3. Litaniæ Veteris Testamenti quæ sint? — 4. Litaniæ sanctorum quæ sint? — 5. Litaniæ sanctorum quare vocantur *majores* in Festo S. Marci, et *minores* diebus Rogationum? — 6. Litanias sanctorum qui primo instituerit? —7. Litaniæ beatissimæ Virginis Mariæ quæ sint? — 8. Litaniarum B. M. V. qui fuerit primus auctor et compositor? Eas recitantes lucrantur ducentos dies indulgentiæ. — 9. Litaniæ SS. nominis Jesu quæ sint? — 10. Litaniæ SS. nom. Jesu non sunt prohibitæ, imo ex concessione Sixti V. eas recitantes lucrantur trecentos dies indulgentiæ. — 11. Exceptis his SS. nominis Jesu, nullæ aliæ præter litanias sanctorum, et B. M. V. recitari, et cani possunt sine approbatione Sedis Apostolicæ, aut sac. congr. Rituum. — 12. Litaniæ non approbantur a sac. congr. Rit. præter ordinarias impressas in Breviario, et quæ recitantur in Ecclesia Lauretana de B. V. M. — 13. Litaniis non possunt inseri alii sancti præter ibi descriptos, neque tempore pestis addendi sunt titulares, et civitatis patroni sine speciali concessione. — 14. Litaniæ majores, si occurrunt in die sancto Paschatis, transferuntur in feriam 3 sequentem. — 15. Si festum S. Marci incidat infra octavam Paschæ, transfertur post octavam: at non transferuntur litaniæ. — 16. Obligatio recitandi litanias in festo S. Marci, et tribus diebus Rogationum est de præcepto sub mortali. — 17. Et recitandæ sunt proprio mane, nec possunt anticipari vesperi pridie. — 18. In litaniis propriis seu particularibus quibusdam regularibus concessis, nihil prætermittit debet de litaniis universalis Ecclesiæ; et solum addi possunt nomina propriorum sanctorum. Nullimode autem nomina eorum, qui solo fruuntur titulo beatorum. — 19. In litaniis sanctorum post nomen S. Joannis Baptistæ, statim adjungi debet illud S. Josephi.

(1. Verbum *litaniæ* est nomen græcum, quod latine significat humiles supplicationes et devotas, seu ferventes preces, concil. Mogunt. I, c. 2., et tradunt communiter doctores, agentes de litaniis. Suarez, tom. II., *De religione*, lib. III, *De orat. vocali*, cap. 9, in fine; Lezana in *Summa*, verb. *Litaniæ*, n, 2; Serrarius, in opusculo *Litaniæ*, lib. I, c. 2.

(2. Quatuor litaniarium species apud sacros scriptores reperiuntur; scilicet *litaniæ* Veteris Testamenti, *litaniæ* sanctorum, *litaniæ* B. V. Mariæ, et *litaniæ* sanctissimi nominis Jesu. Sic Clericatus nelle *Spighe raccolte*, verbo *Litaniæ*, n. 217.

(3. Litaniæ Veteris Testamenti sunt illæ, quas recitabant Hebræi, tum publice in templo, tum privatim in suis domibus, recolentes divina attributa reducta in 27 versiculos collectos in *Ps.* XXXV, incip. *Confitemini Domino quoniam bonus.* Cuilibet ex ipsis versiculis, dum recitabantur, respondebant Hebræi: *Quoniam in æternum misericordia ejus*, uti respondemus nos Christiani invocationi cujuslibet sancti: *Ora pro nobis.* Menoch., nelle sue *Stuore*, part. II, centur. 3, cap. 76; Clericat., *loc. c.*, n. 218.

(4. Litaniæ *sanctorum* sunt illæ, quæ habentur in Breviario Romano in fine psalmorum pœnitentialium, et vocantur modo *majores* et modo *minores*. (5. Majores vocantur in festo S. Marci evangelistæ, quia tales litaniæ a principio majori solemnitate fuerunt institutæ et celebratæ, ut notant Suarez

Digitized by Google

lib. III *De orat. vocali*, cap. 9, n. 6; Castaldus in *Praxi cæremon.*, lib. II, sect. 10, cap. 7; Quarti, *De processionibus*, sect. 2, punct. 9, § *Respondeo;* seu quia, ut dicit Clericatus *loco c.*, n. 219, tali die recitantur, et canuntur processionaliter in toto orbe catholico, et Romæ processio dirigitur ad ecclesiam Sanctæ Mariæ Majoris, a quo hoc supranomen sumpserunt, ad differentiam litaniarum quæ canuntur in processionibus trium dierum Rogationum ante Ascensionem Domini, quæ dicuntur *minores;* quia diriguntur ad alias ecclesias inferiores*. Sunt tamen qui litaniam a sancto Gregorio Magno, VII Kal. Maias primum institutam, *majorem* velint dictam, *minores* vero appellatas *rogationes* a S. Mamerto inductas; sed falluntur, Moguntina enim synodus can. 33, Capitularia Caroli M. aliique veteres ipsas Mamerti rogationes *litanias majores* vocant. Binghamus et Selvaggius *Antiquit. Christianar.* lib. II, p. I, cap. 6, § 7, opinati sunt (neque contemnenda eorum opinio est) *Kyrie eleison* pluries repetitum, et ad matutinum, ad missas, et ad alias liturgiæ partes adhibitum, *litaniam minorem* fuisse dictum, quippe quod brevior fuerit supplicationis formula, in omnibus ecclesiis per diversas nocturni, diurnique officii horas usitata. Cæterum ab eadem formula etiam litaniæ, quæ in Gregoriana supplicatione, et Mamerti rogationibus canebantur, vel etiam pro aliis opportunitatibus sive privatim, sive a populo publice recitabantur, initium sumebant. Nec tamen exempla desunt litaniarum, quæ, omissis consuetis illis græcis precibus, *Kyrie eleison*, atque adeo omissa ipsa sanctissimæ Trinitatis expressa invocatione, statim incipiant a latina Christi invocatione: *Christe, audi nos.*

Vide tomo XXXII *Syllog. Opusculorum Calogeranæ* Joan. Chrysostomi Trombellii disceptationem epistolarem in quasdam veteres litanias quæst. 3, part. CCLXIII*.

(6. Quis autem has sanctorum litanias primo instituerit, non conveniunt doctores. Quidam enim, ut notant Marcius in suo *Hierolexico*, verb. *Litaniæ*, et Quarti in tract. *De litaniis sanctorum* sect. 1, punct. 4, dicunt, fuisse institutas et compositas a divo Gregorio Magno Summo Pontifice, et Ecclesiæ doctore, anno Christi 600. At hæc opinio communiter rejicitur, quia in pluribus conciliis, quæ longe præcesserunt D. Gregorium Magnum, fit mentio litaniarum majorum et minorum, ut patet in concilio Aurelianen., cap. 29, concil. Gerunden., cap. 3; concil. Bracaren. II, cap. 9; concil. Toletan. I, cap. 1; Toletan. II, cap. 6; concil. Moguntin. I, cap. 32 et 33, cap. *Rogationes* 2, dist. 3, *De consecrat.*, cum similibus. Quamvis enim ipse S. Gregorius Magnus sæpius eas indixerit et celebrari præceperit, solemniorique ritu præ cæteris, non tamen ipse instituit et composuit, cum jam multo tempore ante ipsum fuerint litaniæ sanctorum in usu: quippe cum id. S. Mamertus episcopus Viennæ in Gallia de anno 475, ad impetrandam liberationem infestationis luporum a suo territorio, multas indixit publicas processiones cum cantu ipsarum litaniarum sanctorum: imo in Ecclesia Orientali ipsæ litaniæ sanctorum erant in usu tempore S. Basilii et Greg. Thaumaturgi, qui postremus vivebat in dimid. tertii sæculi, testibus ipso S. Basilio Epist. 63, Clericat., *loc. c.*, n. 220; Socrate, lib. VI *Histor.*, c. 8; Sozomeno, lib. VIII, c. 8; Nicephoro, l. XIV, c. 3, et aliis *2. Equidem vereor, ne hanc in rem perperam hi Patres laudentur; nam præterquam quod card. Bona *De divinis Psalm.*, cap. 14, § 4, hujusmodi testimonia ad preces liturgicas refert, quæ in liturgiis Jacobi, Basil., Chrysost. *Litaniæ* appellantur, notum est Græcis Litaniæ, et litæ, λιταὶς nomina nativa suo significatu preces quascunque Deo fusas designare. *Vide* Eusebium *De vita Constantini*, lib. II, cap. 14, et lib. XV, c. 61. Exstat tamen de nostris litaniis egregius ejusdem Chrysostomi locus, *Hom. contra ludos et theatra*, ubi ait: « Ante hos dies, irrumpente pluvia, litaniæ et supplicationes fuere, totaque civitas nostra, quasi torrens ad loca apostolorum currebat, advocatosque implorabamus S. Petrum, et B. Andream, par illud apostolorum, Paulum item, et Timotheum*. » Unde eminentiss. cardinalis Baronius in notis *Martyrologii Romani* ad diem 25 Aprilis, sic concludit: « A quo litaniæ primum fuerint institutæ, adhuc mihi est inexploratum, vetustissimum sane morem fuisse in Ecclesia litanias peragere, certissimum est* 3. » Non omittendum, litanias in antiquis libris nunc *ternas*, nunc *quinas*, nunc *septenas*, et *septiformes* appellari. Nonnulli sic dictas volunt litanias, quæ in tres veluti partes, quinque, aut septem sectæ sunt et dispertitæ, dum scilicet tria, quinque, aut septem personarum genera totidem ex locis initio sacræ processionis ducto, in eamdem denique sacram ædem conveniunt, de quo luculentum exstat exemplum apud sanctum Gregorium M., lib. XI *Epistolar.*, indict. IV, ep. 2. Alia quoque de causa hæc litaniarum divisio orta est. Scilicet, ut recte animadvertit Joannes de Joanne, *De divinis Siculorum officiis*, cap. 29, *septena litania* sic erat appellata, quod ejus invocationes singulæ septies repeterentur, scilicet a quinque clericis sigillatim, dehinc a dextro choro, postea a sinistro; *quina*, quod repeteretur quinquies, a tribus nempe clericis, et utroque choro singulatim; *terna* vero, quod triplici constaret repetitione: nam ei cantandæ vacabant archichori duo simul, respondente primum choro dextro, deinde sinistro. Plura dabit Trombellius in citata disceptatione epistolari q. 1, pag. 250*.

(7. Litaniæ sacratissimæ Virginis Deiparæ sunt illæ, quæ dicuntur *Lauretanæ*, ex quo omni sabbato canantur magna cum solemnitate et devotione in sancta domo Laureti, et jam fere apud omnes Catholicos sic recitari, et cani consueverunt. (8. Harum etiam litaniarum primus auctor, et compositor ignoratur; solum testantur catholici scriptores has etiam antiquissimas, et sem-

Digitized by Google

per recitatas fuisse a fidelibus, tum in publicis ecclesiis, tum in privatis domibus, sacras porrigendo Deo deprecationes per invocationem specialem ejusdem beatissimæ Genitricis, eamdemq. Virginem honore prosequendo variis mysticis nominibus, encomiis et attributis, cuiquam ipsorum respondendo : *Ora pro nobis.* Laudatus autem Pater Quarti in suo tractatu *Litaniarum*, sect. 1, punct. 4, secus a Clericato, *loc. cit.*, n. 211, censet quod hæ litaniæ fuerint institutæ, et formatæ a sanctis apostolis, quod satis verisimiliter dicet citatus clericatus id factum esse post Assumptionem beatissimæ Virginis Dei Genitricis in cœlum, ut excitarentur fideles ad implorandam in omnibus indigentiis spiritualibus, et temporalibus ejus potentissimam protectionem; « Cum autem, » dicit Quarti, *loc. cit.*, « Cum autem nemo ab historicis litaniarum auctor, quantumvis vetustissimus asseratur, quin eo antiquior litaniarum usus inveniatur, merito ab apostolis eas ducere originem censendum est. » Recitantes litanias beatissimæ Virginis Mariæ lucrantur ducentos dies indulgentiæ; Sixtus V, constitut. incip. *Reddituri.*

(9. Litaniæ sanctissimi nominis Jesu sunt illæ, quæ continent varia attributa, et encomia ipsius sanctissimi nominis Jesu ad similitudinem litaniarum beatissimæ Virginis Dei Genitricis Mariæ, quæ, cum recitantur, cuilibet ex ipsis respondetur *Miserere nobis.* (10. Dubitarunt aliqui ex scriptoribus, an hæ litaniæ sint censendæ prohibitæ, attenta constitutione 122 Clem. VIII, incip. *Sanctissimus*, et declaratione sacræ congregationis Rituum *in Alexandrina* 15 Maii 1608 infra adducenda, in qua conceditur recitari solas litanias sanctorum, et illas beatissimæ Virginis Mariæ Laureti recitari solitas. At nihilominus affirmant omnes communiter, tales sanctissimi nominis Jesu litanias esse approbatas a Sede Apostolica, ac per consequens non includi in prohibitione generali Clementis VIII, et sacræ congregationis Rituum 15 Maii 1608, quia videntur solum loqui de litaniis a Sede Apostolica alias non approbatis; Sixtus enim V, constitut. incip. *Reddituri* in Bullario, Rodriguez tom. II, inter bullas Sixti n. 25, ad instantiam Patrum Carmelitarum Discalceatorum concessit trecentos dies indulgentiæ recitantibus dictas litanias sanctissimi nominis Jesu, quod satis indicat tales litanias esse a Sede Apostolica approbatas, et posse ab omni fideli absque ullo scrupulo recitari. Gobat. in *Quinario*, tract. 4, n. 602; Lezana in *Summa*, verb. *Litaniæ*, n. 5; Quarti in *Appendice de litaniis sanctorum*, sect. 1, punct. 1, Clericat., *l. c.*, n. 222, et alii passim.

(11. Exceptis igitur his sanctissimi nominis Jesu litaniis, nullæ aliæ præter litanias sanctorum, et beatissimæ Virginis Mariæ Lauretanæ nuncupatæ recitari, et cani possunt sine approbatione Sedis Apostolicæ, aut sacræ congregat. Rituum : Clem. VIII, in cit. constitut. incip. *Sanctissimus*, promulgata octavo Idus Septemb. 1601, in qua sic habetur : « Quoniam multi hoc tempore privati etiam homines, prætextu alendæ devotionis, novas quotidie litanias evulgant, ut jam prope innumerabiles formæ litaniarum circumferantur, et in nonnullis ineptæ sententiæ, in aliis (quod gravius est) periculosæ, et errorem sapientes inveniantur, pro sollicitudine sua pastorali providere volens ut animarum devotio, Deique ac sanctorum invocatio sine ullius detrimenti spiritualis periculo foveatur, præcipit et mandat, ut retentis antiquissimis et communibus Litaniis, quæ in Breviariis, Missalibus, Pontificalibus, ac Ritualibus continentur, necnon litaniis de beatissima Virgine, quæ in sacra æde Lauretana decantari solent, quicunque alias litanias edere, vel etiam editis in ecclesiis, sive oratoriis, sive processionibus uti voluerint, eas ad congregationem sacrorum Rituum recognoscendas, et si opus fuerit, corrigendas mittere teneantur, neque sine licentia et approbatione prædictæ congregationis eas in publicum edere, aut publice recitare præsumant sub pœnis (ultra peccatum) arbitrio ordinarii, et inquisitoris severe infligendis. » Quaranta in *Summa Bullarii*, verb. *Litaniæ*.

(12. Litaniæ non approbantur a sacra congregatione Rituum præter ordinarias impressas in Breviario, et quæ recitantur in ecclesia Lauretana de beatissima Virgine Maria. Sacra congregatio Rituum *in Alexandrina* 15 Maii 1608, in responsione ad dubium 16; apud Sellium in *Selectis canonic.*, cap. 2, n. 48, et Barbosam, *Collectan. Apostolicar.*, verb. *Litaniæ*, n. 6.

(13. Litaniis non possunt inseri alii sancti præter ibi descriptos, neque tempore pestis addendi sunt titulares, et civitatis patroni sine speciali concessione. Sacr. Congregat. Rituum *in Rhegien.*, 22 Martii 1631; apud Gavant., in *Rubric.*, sect. 9, cap. 4, n. 10; Barbosa, *loc. cit.*, n. 3; La Croix, lib. VI, p. II, n. 2055, decret. 310.

(14. Litaniæ majores si occurrant in die sancto Paschatis, transferuntur in feriam tertiam sequentem. Sacr. congregat. Rituum die 25 Septemb. 1627. apud Gavant. in *Rubric. Missalis*, part. IV, tit. 11, n. 10, et in *Rubric. Breviarii*, sect. 7, cap. 6, n. 25; apud Barbosam, *loc. cit.*, n. 2; La Croix, *loc. cit.*, decret. 182. (15. Si festum sancti incidat infra Octavam Paschæ, transfertur post Octavam. At non transferuntur litaniæ. La Croix, lib. IV, n. 1291, et Communis aliorum cum praxi.

(16. Obligatio recitandi Litanias in festo sancti Marci, et tribus diebus Rogationum. est sub mortali. Lezana tom. I, cap. 12, n. 23, ex Suarez, et Bonacina ibi relatis, et in *Summa*, verb. *Litaniæ*, n. 7. Tannerus, in 2-2, disp. 5, qu. 1, dub. n. 148; Castropalao, t. II, disp. 2, punct. 2, n. 13; La Croix, lib. IV, n. 1290, et alii passim. Ex communi enim sententia theologorum, et usu Ecclesiæ censetur pars officii illorum dierum, ut notat Lezana *loc. cit.* Unde qui ad divinum officium sunt obligati, si illas in processionibus non recitaverit, privatim eas recitare tenentur de præcepto, ut solent notare quo-

Digitized by Google

tannis suis propriis locis Kalendaria, et cum multis tenent Reiffenst. *Theolog. Moral.*, tract. 6, dist. 1, q. 3, num. 6 et seq.

(17. Et quidem tenentur illas recitare proprio mane, nec possunt illas recitare vesperi pridie statim post Matutinum, et Laudes officii diei etiam pridie recitatas, ut colligitur a simili de officio defunctorum die commemorationis omnium fidelium defunctorum, quod recitandum est de præcepto etiam extra chorum mane illius secundæ diei Novembris, nec potest anticipari pridie in Vesperis, ex decreto sacræ congregationis Rituum 1 Septemb. 1607. Merati, t. II, sect. 6, cap. 15, ubi cum multis hanc defendit sententiam. *Vid* verb. *Officium defunctorum*; et verb. *Rogationes*, num. 7 (14).

* Nunc autem paritas deducta ex officio defunctorum, recitando die 2 Novembris amplius non currit, ex quo anticipari posse permittat S. R. congregatio, cujus decretum habes tomo V, verb. *Matutinum*, n. 15, et tomo VIII, inter *Decreta S. R. C.*, sub n. 1301.

(18. In litaniis propriis, seu particularibus quibusdam regularibus ex indulto Apostolico concessis nihil prætermitti debet de litaniis universalis Ecclesiæ, et solum addi possunt nomina propriorum sanctorum; nullimode autem nomina eorum, qui solo fruuntur titulo beatorum. Sic expresse cavetur in *Rubricis particularib. Breviarii Franciscani*, n. 19.

(19. In litaniis sanctorum post nomen S. Joan. Bapt. statim adjungi debet illud S. Josephi a Benedictus XIII, 19 Dec. 1726, in *Decreta Urbis et orbis*.

LITTERÆ APOSTOLICÆ.

SUMMARIUM.

1. Litteras Apostolicas falsificantes, et illarum exsecutionem impedientes, quomodo puniantur: ad n. 2. — 3. Quando expediendæ, et quomodo publicandæ litteræ Apostolicæ super beneficiis resignatis: ad n. 4. — 5. Litteræ Apostolicæ non sunt exsecutioni tradendæ ab iis quibus diriguntur, si obreptionis, aut subreptionis vitio aperte laborent, aut si deficiat conditio, sine qua concessæ non fuissent. — 6. Litteræ Apostolicæ super dispensationibus matrimonialibus quomodo et quibus adjectis conditionibus concedi soleant. — 7. Alia ad rem *vide* verb. *Exsecutor litterarum Apostolicarum*, et verb. *Falsum, Falsarius*, n. 39 et seq.

(1. Litteras Apostolicas falsificantes, aut falso publicantes excommunicantur in bulla Cœnæ. Bened. XIV, t. I, const. 14, incip. *Pastoralis*, § 6. (2. Litterarum Apostolicarum exsecutionem impedientes excommunicantur. Idem *ibid.*, § 14.

(3. Litteræ Apostolicæ super beneficiis resignatis expediri debent post duos ad summum menses a data Rescripti, quo admissa fuit resignatio. Idem t. II, constit. 10, incip. *Ecclesiastica ministeria*. (4. Et publicari debent ad normam constitutionis Gregorii XIII, inter sex menses a data concessionis computandos, si beneficia citra montes posita sint; vel intra novem, si ultra. Idem *ib.* De Litterarum hujusmodi expeditione docendum est in Officio subdatarii ad obtinendam prorogationem ad publicandum etiam pro prima vice. Idem, *ib.*

(5. Litteræ Apostolicæ exsecutioni tradendæ non sunt ab iis, quibus diriguntur, si obreptionis, aut subreptionis vitio aperte laborent, aut si deficere comperiatur conditio, sine qua concessæ non fuissent; (6. Idem const. 51. incip. *Magna nobis*. Litteræ Apostolicæ super dispensationibus matrimonialibus quomodo, et quibus adjectis conditionibus concedi soleant. *Vide* verb. *Dispensatio*.

(7. Alia ad rem. *Vide* v. *Exsecutor litterarum Apostolic.*, et verb. *Falsum, Falsarius*, a num. 39.* Et sub v. *Matrim.*, art. 7, Add. Casinenses *.

LITTERÆ.

SUMMARIUM.

1. Litteras, vel scripturas alienas aperire et legere invitis dominis, communiter est mortale. — 2. Litteras dilaceratas et abjectas probabilius non licet, partibus recollectis et junctis, legere. — 3. Et hoc maxime si talia frusta dilaceratæ litteræ projecta sint a domino in ignem et fornacem, vel in alium similem locum a quo difficilis sit extractio. — 4. Et a fortiori non possunt legi litteræ, quas aliquis casu, vel inconsideratione reliquit in loco etiam publico. — 5. Litteras alienas aperire, et legere quando quis probabiliter scit esse scriptas in suum injustum damnum et in suam injuriam, regulariter non est peccatum; hinc princeps potest aperire et legere litteras, non tantum hostium, sed etiam aliorum, quæ tempore belli veniunt ex locis finitimis hostium, aut ex aliis suspectis; et idem possunt facere ministri publice, quoties in bono publico necessarium esse judicant. — 6. Injuste aperiens litteras alterius, ex quibus cognoscit, ipsum aliquod pingue beneficium certo medio consecuturum, certa negotiatione multum lucraturum et hujusmodi, et postea prævenit, impedit, et sibi tali medio, aut negotiatione acquirit, peccat contra justitiam, et tenetur ad restitutionem juxta proportionem certitudinis, probabilitatis, aut spei habitæ illud bonum consequendi. — 7. Item peccat contra justitiam, et tenetur sic ad restitutionem, qui dolose retinet litteras alienas, quas ex justitia, officio vel contractu tenetur tradere, si ex morosa consignatione litterarum alicui fuit impedita consecutio ali-

(14) *Nota Romani theologi.* — Episcopo præsente concedit S. R. congr. posse recitari die prima Novembris ante horam completorii officium Defunctorum in cathedralibus ecclesiis. Similiter et in aliis non cathedralibus, et episcopo absente, quando consuetudo esset in contrarium, dummodo pro commoditate et frequentia populi esset introducta; extra chorum vero licite absolvi posse post vespertinas horas statuit rursus S. R. C. 4 Septembr. 1745, ita decernens: *Privata officiis defunctorum commemoratio absolvi licite potest post vespertinas horas festi Omnium Sanctorum; in choro autem juxta rubricas adimplenda est mane die secunda Novembris: nisi, ut populi commodius et frequentius illis interesse possint, contraria jam faceret consuetudo.* Præsente vero episcopo, etiam sine causa in hac sanctione expressa recitari potest, ut supra dictum est.

Digitized by Google

cujus boni. — 8. Regulares utriusque sexus dantes, aut recipientes litteras sine licentia superiorum regulariter non peccant contra votum paupertatis, nisi sint contra utilitatem monasterii, aut expendatur aliquid in illis dandis, aut recipiendis. — 9. Litteras a superioribus ad inferiores et ab inferioribus ad superiores missas aperire, legere, impedire, aut retardare est peccatum grave, et ut casus reservabilis, solet esse casus reservatus in omnibus fere religionibus. — 10. Superiores regulares an licite aperire et legere possint litteras suorum subditorum? — 11. Nullimodo possunt superiores litteras subditorum missas ad superiorem majorem, aut ab ipso superiore majore ad tales subditos directas aperire et legere. — 12. Scribere ad superiores contra aliquem litteras sine nomine, seu cæcas, continentes notabilia delicta occulta, communiter ex genere suo est peccatum mortale. — 13. Non esset tamen peccatum, si id fieret ex charitate ad correctionem, et non ex odio ad vindictam. — 14. Non possunt autem superiores ex hujusmodi litteris procedere ad specialem inquisitionem illorum delictorum, quæ continent, etiamsi in ipsis litteris notificarentur testes, qui delictum testificari possent. — 15. Possunt tamen superiores ex hujusmodi litteris procedere ad generalem inquisitionem. Subnect. Addi ad n. 29.

(1. Litteras, vel scripturas alienas aperire et legere furtive, et invitis dominis communiter est mortale, nisi excuset levitas et parvitas materiæ. Baldell. lib. III, d. 11; Laymann, lib. II, tract. 3, par. I, cap. 4; Navarr., c. penult., d. 6; *De pœn.*; Busemb., lib. V, c. 3, dub. 2, n. 6; La Croix, *ib.*; Toletus, Molina et alii passim. (2. Litteras dilaceratas et abjectas probabilius non licet, partibus recollectis legere, quia hoc ipso, quod dominus dilaceraverit, maxime si parva frusta effecit, sufficienter significavit, se nolle ut legantur, et sic non ideo voluit redere juri suo, aut dimittere secretum; adeoque talia parva frusta colligens, jungens et legens peccat, cum, invito domino id faciat. Pestchacher, *De restit.*, q. 5, art. 4; La Croix, lib. III, par. II, n. 1236; Rebell. par. I, lib. IV, qu. 4, et alii plures. (3. Et hoc maxime, si talia frusta dilaceratæ litteræ projecta sint a domino in ignem, vel fornacem, et in alium similem locum, a quo difficilis sit extractio; quia tunc si quis extrahat et legat, facit gravem injuriam domino, qui talia frusta projiciendo in talia loca aperte indicavit se nolle ut legantur. Lugo disp. 15, n. 150; Busemb. *loc. c.*, resol. 6, et alii supracitati. (4. Et a fortiori non possunt legi litteræ, quas aliquis casu, vel in loco etiam publico ex inconsideratione reliquit. La Croix, *loc. cit.*, n. 12, 36; Busemb., *loc. cit.*, resol. 6, et alii passim.

(5. Litteras alienas aperire, et legere, quando quis probabiliter scit esse scriptas in suum injustum damnum, vel in suam injuriam, regulariter non est peccatum, si id simpliciter faciat ad avertendum suum damnum, vel injuriam, cum quilibet possit sibi omni meliori modo consulere: præceptum enim naturale de evitando damno injuste inferendo, præponitur præcepto de observando secreto. Hinc princeps potest aperire et legere litteras non tantum hostium, sed etiam aliorum, quæ tempore belli veniunt ex locis finitimis hostium, aut ex aliis suspectis. Sic etiam possunt facere ministri publici, quoties id bono publico necessarium esse judicant. Navarr. in *Manual.*, cap. 18, n. 53; Lugo, disp. 15, n. 148; Reginald., lib. XXIV, cap. 6, n. 60; Escobar, Lezana, et alii passim

(6. Injuste aperiens litteras alterius, ex quibus cognoscit ipsum aliquod pingue beneficium certo medio consecuturum, certa negotiatione multum lucraturum, et hujusmodi, et postea prævenit, impedit, et sibi tali medio, et negotiatione acquirit, peccat contra justitiam et tenetur ad restitutionem juxta proportionem certitudinis, probabilitatis, vel spei habitæ illud bonum consequendi; quia talis injusta aperitio et lectio litterarum fuit impeditiva ipsius boni et causa mali. Lugo, disp. 18, sect. 5, n. 104, et in *Resp. moral.*, lib. V, dub. 10; Lessius, lib. II, cap. 12, a n. 140; Sporer, t. II, tract. 4, *Prælimin. ad præcepta secundæ Tab.* c. 2, sect. 5, n. 205; La Croix, lib. III, par. 2, n. 76, et alii.

(7. Item peccant contra justitiam et tenentur sic ad restitutionem, qui dolose retinent litteras alienas, quas ex justitia, officio, vel contractu tenentur tradere, si ex morosa consignatione litterarum alicui fuit impedita consecutio alicujus boni, talis enim dolosa litterarum detentio fuit graviter injuriosa et præjudicialis ei cui erant directæ. Sic doctores supracitati et alii passim.

(8. Regulares utriusque sexus dantes, aut recipientes litteras sine licentia superiorum, regulariter non peccant contra votum paupertatis, nisi sint contra utilitatem monasterii, aut expendatur aliquid in illis dandis, vel recipiendis, tunc enim sunt materia proprietatis. In aliis autem casibus solum erit peccatum contra obedientiam, si id fiat contra rationabile præceptum superioris. Navarr. lib. III, *Consil. de statu monacor.*, consil. 3, et comment. 2 *De regular.*; Peyrin., tom. I *De subdito*, q. 2, *De paupertate*, c. 2, § 10; Lezana *Summa quæstionum regularium*, c. 6, n. 49, et alii.

(9. Litteras a superioribus ad inferiores et ab inferioribus ad superiores missas aperire, legere, impedire, aut retardare est peccatum grave, quia per hoc impeditur maxime bonum regimen religionis et fraterna charitas inter religiosos: unde inter casus reservabiles a superioribus regularibus Clemens VIII, in suo decreto edito 26 Maii 1593, designavit: « Malitiosum impedimentum, aut retardatio, aut aperitio litterarum a superioribus ad inferiores et ab inferioribus ad superiores » et talis casus fere in omnibus religionibus solet reservari, et in nostra religione minorum de Observantia est reservatus sub n. 15, his verbis: « Generalis et provincialis, aut eorum secretariorum litteras tum missas, tum accipiendas, impedientes, frangentes, falsificantes, vel quomodolibet impedientes. »

Digitized by Google

(10. Superiores regulares licite aperire et legere possunt litteras suorum subditorum, ubi id mandant seu permittunt propriæ constitutiones, vel legitima consuetudine introductum est pro bono publico religionis; dummodo tamen eas non aperiant et legant ex mera curiositate, aut privata passione et malitia, quæ pacem et fraternam charitatem potius violaret. Unde in his debent superiores, depositis privatis passionibus, caute procedere, maxime cum similes constitutiones, et consuetudines jam fere in omnibus religionibus abierint in desuetudinem, et passim religiosi subditi scribant et accipiant litteras sine scientia et licentia superiorum. (11. Nullimode autem possunt superiores aperire et legere litteras subditorum missas ad superiorem majorem, seu ab ipso majore superiore ad tales subditos directas, propter dicta et adducta numero antecedenti. Diana, p. III, tract. 6, resol. 15; Peyrin., *De relig.* tom. I, q. 2, c. 1; Busemb., *loc. c.*, cap. 3, dub. 2, n. 6, resol. 3; Escobar et alii passim.

(12. Scribere ad superiores contra aliquem litteras sine nomine, seu, ut vulgariter dicitur, cæcas, continentes notabilia delicta occulta, communiter ex genere suo est peccatum mortale; quia est revelare notabilia occulta fratris, seu proximi, quod de se est mortale; maxime cum ordinarie hoc procedat ex odio, seu vindicta. Peyrin., tom. I *De subdito*, quæst. 2, *De paupertate*, c. 2, § 12; Lezana *Summa quæstionum regularium*, cap. 8, n. 31, et alii passim.

(13. Non esset tamen peccatum, si id fieret ex charitate, et non ex odio, aut vindicta, ultionem, et punitionem non quærendo, sed solum correctionem et emendationem et ideo solum celetur nomen scribentis, ne si forte perveniat ad notitiam illius, contra quem scribitur, reddatur illi inimicus, et aliquod malum injuste pati cogatur. Peyrin. et Lezana *loc. c.*, et alii communiter.

(14. Non possunt autem superiores ex hujusmodi litteris procedere ad specialem inquisitionem illorum delictorum, quæ continent, etiamsi in ipsis litteris notificarentur testes, qui delictum testificari possent; quia hujusmodi litteræ nullam inducunt infamiam, textu expresso in c. *Inquisitionis* 21, *De accusationibus*, § *Tertiæ dubitationis*; Rodrig., tom. II qq. *Regular.*, q. 6, art. 10; Lezana, *loc. c.*, cap. 8, n. 31, et c. 17, n. 3; Lessius, lib. II *De justit. et jur.*, c. 20, dubit. 15, n. 136; Thomas a Jesu, *De visitat. regul.*, tract. 2, c. 3, n. 9, et communis aliorum.

(15. Possunt tamen superiores ex hujusmodi litteris sine nomine scribentium procedere ad generalem inquisitionem, quia ad generalem inquisitionem non requiritur infamia. Alderete *De disciplina regular.*, lib. I, cap. 7, n. 31; Lezana, *loc. cit.*, 17, n. 4, et alii communiter.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(16. De aperitione litterarum alienarum agit auctor, sed *in foro*, ut aiunt, *poli:* Agendum paucis de ea *in foro*, ut pariter aiunt, *fori*.

(17. Aperitio alienarum litterarum communiter refertur ad crimen falsi ob l. I, § 5, et l. XVI, § ff. *De leg. Cornel. De fals.* Quod tamen putant nonnulli procedere concurrentibus hisce tribus. I. (18. Si aperiens alienas litteras sciat esse alienas. II. Si id faciat sine justa causa. III. (19. Si id faciat, animo promulgandi secreta et nocendi alteri. Quæ si desint, reus falsi dici nequit aperiens alienas litteras.

(20. Atque hinc est, quod si quis putet litteras alienas ad se scriptas, forte quod idem nomen sit sibi ac illi, ad quem litteræ erant datæ, falsi crimen aperiendo haud committit, cum justa penes ipsum sit ignorantia; Menoch., *De arbitr.*, lib. II, c. 538, n. 7; Genua, *De scriptur. privat.*, lib. III, q. 2, n. 4. (21. Dummodo silentio involvat contenta, et in alterius præjudicium eadem non propalet. (22. Quod si propalaverit, extra pœnam haud erit. (23. Licet namque nullus adfuerit dolus in aperitione litterarum, adfuit tamen in propalatione; Stryk., *Juridic. dissert.*, disput. 8, c. 4, n. 39.

(24. Pariter falsi crimen ne admittit ille, qui litteras alterius aperit, sed solius curiositatis gratia, ut scilicet sciat quid in iisdem contineatur. (25. In crimine enim falsi necesse est, ut quid fiat in fraudem, vel damnum alterius. Id autem non intendit aperiens litteras solius curiositatis gratia. Reus igitur falsi haud est. (26. Reus tamen stellionatus est et propterea extra ordinem puniri potest; Hœping., *De jur. sigill.*, cap. 14, n. 54; Tabor, *De intercept. crimin.*, par. IX, n. 6.

(27. Num litteræ aperiri impune possint, si quis damnum quoddam iisdem sibi, vel proximo injuste parari timeat? *Vide* apud Stryk., *Juridic. dissert.*, vol. III, disputat. 13, cap. 5, n. 14.

(28. Nota quod ubi concurrunt tria illa, de quibus supra mentionem fecimus, tanquam falsarius puniri poterit, qui alterius aperit, legitque litteras, sive illæ sint clausæ, sive apertæ; sive publicæ, sive privatæ, sive integræ, sive dilaceratæ; Stryk. *Juridic. dissert.*, vol. III, disp. 13, c. 5, n. 36.

(29. Plura de aperitione alienarum, si scire cupias, adi Wurms. *Practic. For.*, lib. I, t. 47, observ. 25; Hœping., *De jur. sigill.*, cap. 14; Viv., l. I, dec. 62.

LITURGIA.

NOVISSIMÆ ADJECTIONES.

SUMMARIUM.

1. Generalis hujus nominis significatio, ad n. 2. — 3. Peculiariter tamen cultum Deo tributum designat, ejusque partes universe complectitur. — 4. Præcipue vero incruentum Christianæ Ecclesiæ sacrificium, ejusque ritus et ministerium significat. — 5. Primis ipsis Ecclesiæ sæculis scriptæ sunt Liturgiæ. — 6. Quid de quibusdam apostolorum liturgiis sentiendum sit. — 7. — 8. Alii liturgici libri, eorumque in rebus theologicis usus.

Digitized by Google

(1. Liturgiæ Græcum nomen est, quod universali comprehensione publicum ministerium, vel publici ministerii opus significat. Interdum tamen sumitur aliquanto latius pro quovis officio, famulatu ac ministerio, etiam inter privatos. Sic Apostolus *II Cor.*, IX, 12, eleemosynas vocat diaconiam liturgiæ, nempe *ministerium publici officii.*

(2. Omnium tamen percelebris ea est hujus nominis acceptio, qua cultus Deo tributus designatur, is præsertim, qui non ex privata cujusque sententia, sed ex communi ratione legitime institutus usurpatur. Hinc factum, ut cum in Veteri Testamento sacri apud Hebræos ministerii mentio occurrit, LXX interpretes illud seu nomen, seu verbum plerumque reddiderint per suum nomen *Liturgiæ*, aut verbum *Liturgeo.*

(3. Igitur sic accepta liturgia omnes divini cultus partes universe complectitur. Hoc autem sensu passim in Scripturis et apud ecclesiasticos auctores liturgiæ nomen usurpatur, ut ad *Hebr.* x, 11, et in Sardicensis concilii canone 12; quem locum explicans Zonaras, « Liturgiæ, inquit, nomine hic.... statas preces et hymnos, qui solemni more Deo concinuntur, intelligi oportet. »

(4. Est tamen peculiaris quædam liturgiæ acceptio, eaque apud Græcos usitatissima, qua significatur incruentum Christianæ Ecclesiæ, verumque ac proprii nominis sacrificium; ritus item omnes et cæremoniæ designantur ad illud litandum diversimode pro locorum et gentium diversitate usurpatæ, quo usu penes Latinos potissimum occurrit *Missæ* nomen, de quo infra suo loco.

(5. Quo primum tempore liturgiæ ad sacrificium peragendum scripto consignari cœperint, nondum eliquata res est. Nam P. Le Brun et Joannes Pinius Bollandianus quinto primum sæculo liturgias fuisse scriptas contenderunt. Plerique tamen hanc opinionem veluti paradoxam rejiciunt, ut Meratius *in Gavantum*, t. I, Sala in notis ad eminentiss. Bonæ *Res liturgicas*, t. I, p. 123, seq.; Muratorius, *Dissert. de liturg. Rom.*, c. 1; Assemannus *Cod. liturg.*, lib. IV, p. I, p. 137 seqq.; Zaccaria, *Bibl. Ritual.*, t. I, diss. 11, cap. 7, n. 1, et editor Venetus S. Gregorii M. in *Isagoge liturgica*, cap. 12. Difficillimum certe in Brunii, Piniique sententia videri debet, non exiguam orationum, consecrationum, benedictionum antiphonarum farraginem, quæ tamen sequentibus sæculis multum accrevit, memoriæ ab omnibus episcopis, presbyterisve fuisse mandatam, et veluti ex tempore quatuor sæculis recitatam.

(6. Neque tamen crediderim liturgias, quæ sub S. Petri, Jacobi, Marci, aliorumque apostolorum nomine circumferuntur, eosdem in omnibus auctores habuisse, quorum nominibus prænotantur. Vere idem Venetus Gregorianorum Operum editor, seu Joannes Baptista Gallicciollius cit. *Isagog.* cap. 5, n. 2, monuit, apostolos. v. gr. Petrum, Jacobum, vel Marcum, quibus addendus Clemens, primos fuisse, qui liturgiarum fundamenta jecerint, eisque Ecclesiis quas quisque ordinavit reliquerint. Quorum instituta retinentes Ecclesiæ illæ, ut Antiochena, Hierosolymitana, Alexandrina, Romana, etsi plura subinde adjecta fuerint, venerationis tamen ergo, priorum institutorum nomina custodierunt. Quæ autem nobis supersunt vetustissima istarum liturgiarum monumenta, merito quidem hujus, vel alterius apostoli nomen præseferunt; esse vero purum illius apostoli fœtum, somniantis hominis fuerit pertinacius affirmare. Confer Zaccariæ *Bibliothecam ritualem*, t. I, lib. I, cap. 3, artic. 2, § 1.

(7. Præter hasce liturgias plures habent Græci liturgicos libros. Caveus eos percensuit; tum copiosius idem Zaccaria, tom. I, ejusdem *Bibl. Ritual.*, pag. 17. Idem deinde pag. 19. Orientalium quoque libros liturgicos enumeravit. De libris liturgicis Latinorum egit peculiari dissertatione Cl. Dominicus Georgius, tum Zaccaria, cap. 1, pag. 29 ad 76. Quem vero nuper appellavi, Joannes Baptista Gallicciolius *Isagog.*, cap. 12, pag. 257, syllabum librorum liturgicorum cum Græcæ, tum Latinæ Ecclesiæ ordine alphabetico exhibuit.

Horum liturgicorum librorum magnus esse potest in rebus theologicis usus, si canones quidam serventur pro delectu eorum librorum, unde theologus petere argumenta jure possit, itemque ad germanum, verumque eorumdem librorum sensum assequendum. Ejusmodi canones, aliaque ad insignem hunc theologiæ fontem pertinentia dabit idem Zaccaria dissert. 11 *De usu librorum liturgicorum in rebus theologicis*, quæ exstat t. I *Bibl. Rit.*, pag. 55. et seqq.

LITURGICUM JUS.

NOVISSIMÆ ADJECTIONES.

SUMMARIUM.

1. Quid jus liturgicum sit? — 2. Hoc exercuerunt Apostoli, præstituto primum liturgiæ ordine. — 3. — 4. Ritibus quoque et certis precum formulis præscriptis. — 5. Regulas ad Apostolicas hasce constitutiones dignoscendas. — 6. Translit jus liturgicum ab apostolis ad eorum successores episcopos, qui in conciliis maxime illo sunt usi. — 7. Præcipue vero spectavit illud semper ad Romanos pontifices. — 8. Nihilne in re liturgica possit principum auctoritas?

(1. Jus liturgicum jus est ad rationem, qua cultus publicus sit Deo, sanctisque præstandus, constituendam.

(2. Atque hoc quidem apostoli exercuerunt. Nam I ordinem aliquem missæ præscripserunt, præsertim vero sancti Joannes, Jacobus ac Petrus. Ac de Petro quidem S. Isidorus Hispalensis lib. I *De eccles. officiis*, cap. 15, id diserte asserit : « Ordo, inquiens, missæ, vel orationum, quibus oblata Deo sacrificia consecrantur, primum a S. Petro est institutus. » Idem de S. Joanne

Digitized by Google

tradit Antoninus, fortasse monachus Loxoviensis sæculi VII, ab Henrico Spelmanno editus tom. I *Concil. Magn. Brit.*, p. 177, quem Mabillonius quoque magnifaciebat. Sed antiquiorem demus hujus rei testem de omnibus apostolis, deque Jacobo Hierosolymorum episcopo, Epiphanium, inquam, hær. 79. Namq. enumeratis apostolis addit : « Hi omnes electi sunt apostoli per orbem, sacram Evangelii functionem administrantes, una cum Paulo et Barnaba ac reliquis, et mysteriorum ordinatores fuere cum Jacobo fratre Domini : » et primo Hierosolymorum episcopo, quem a Jacobo Alphæi aperte distinguit. Ad S. Paulum quod attinet, ipse quid in sacris conventibus agendum esset, *I Cor.* XI, 4, seqq. et *I Cor.* XIV, 26, docet. Singularis porro de precibus, quæ in sacrificio missæ fundebantur, locus exstat *I Tim.* XI, 1 et seq. ubi sanctus Apostolus ait : *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, et omnibus, qui in sublimitate sunt, ut quietam, et tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate;* quæ ad sacrificium referri tradunt S. Augustinus, Ep. 59 *ad Victorinum*, quæst. 5, et celeberrimus, quisquis demum is fuerit, auctor operis *De vocatione gentium*, lib. I, cap. 4.

(3. Quosdam præterea liturgiæ ritus ab apostolis accepimus. Ejusmodi sunt 1° Invocatio Spiritus sancti, de qua S. Basilius in libro *De Spiritu sancto* cap. 27 ; 2° Aquæ mixtio cum vino, quam S. Cyprianus in *Epistola ad Cæcilium* memorat ; 3° Orationis Dominicæ recitatio ; 4° Hostiæ fractio. *Vide* Bonam, lib. II *Rer. liturg.*, cap. 15.

(4. Formularum quoque nonnullarum vestigia in veteribus Patribus supersunt, quæ nonnisi ab apostolis edi potuere, ut formula : *per omnia sæcula sæculorum*, cui populus respondebat : *Amen ;* cujus quidem formulæ indicia suppeditant S. Irenæus lib. I *Adv. hær.*, cap. 1, et Tertullianus in libro *De spectaculis*, cap. 25. Sic etiam præfatio : *Sursum corda*, cui respondet *Plebs*, ut in *Lib. de oratione Dominica* scribebat Cyprianus, *Habemus ad Dominum.*

(5. Ut autem hæc omnia, aliaque colligamus, regulam ponamus, qua quæ in liturgia ab Apostolica præceptione manarunt, certissime dignoscamus. Sit autem ea, quam emin. Bona lib. I, cap. 6, § 1, indicat. « Sunt quædam in omnibus Liturgiis, in quibus omnes Ecclesiæ conveniunt, utpote sine quibus sacrificii ratio nullo modo subsisteret ; cujusmodi sunt panis et vini præparatio, oblatio, consecratio, consummatio et ipsius sacramenti communicare volentibus distributio. Aliæ item præcipuæ partes sunt, quæ licet ad sacrificii integritatem non spectent, in omnibus tamen omnium gentium liturgiis reperiuntur, psalmorum scilicet modulatio, lectio sacræ Scripturæ, ministrorum apparatus, thurificatio, catechumenorum et aliorum profanorum exclusio, fractio hostiæ, præcatio pacis, preces diversæ, gratiarum actio et si quæ aliæ sunt ejusdem generis. » Statue jam cum Ernesto Grabe, licet heterodoxo, *ad S. Irænei* l. I, c. 3 *illos qui omnibus liturgiis* (iis præsertim, quas *Apostolicas* vulgo vocant) *exprimuntur ritus, ex Apostolica traditione fluxisse.*

(6. Ab Apostolis transiit jus liturgicum ad eorum successores episcopos, unde liturgiæ Gregorii Nazianzeni, Basilii, Chrysostomi ; imo Syri Jacobitæ plurimis utuntur liturgiis, quas eorum episcopi ad sæculum XIV procuderunt. In conciliis tamen potissimum jure hoc liturgico usi sunt prioribus Ecclesiæ sæculis episcopi : quo spectant canones quos *Apostolorum* dicunt, tertius, quartus, quintus, octavus, nonus, decimus, quadragesimus nonus et quinquagesimus ; item plures conciliorum canones, ut Eliberitani, Antiocheni, etc. In Græca tamen Ecclesia patriarcha Constantinopolitanus omne fere jus liturgicum sibi vindicavit, ut ex Theodoro Balsamone constat *ad canonem Trullarum* XXXII. Etiam apud Syros Maronitas post sæculum VIII, summam rei liturgicæ solis patriarchis servatam affirmat Assemannus in *Diss. de orig. liturg.*, p. 134.

(7. Itaque eo minus mirabimur, Romanos Pontifices vel ut occidentis patriarchas, vel etiam ut universæ Ecclesiæ primates jus liturgicum a primis Ecclesiæ temporibus ad nostrum sæculum exercuisse. Exempla suppeditant Siricii ep. 1 *ad Himer.*, et ep. 10 *ad Gallos*, Innocentii I, ep. 6., et 25, *ad Decentium*, Cœlestini I, ep. 4 *ad episcopos provinciæ Viennensis et Narbonensis*, S. Leonis Magni, Gelasii, Gregorii M. Sacramentaria. Eodem jure usi sunt, seu cum Ecclesias saltem occidentales ad Romanæ Ecclesiæ ritus adducere Innocentii I exemplo studuerunt, (hincque abolitæ sunt liturgiæ celeberrimæ Gallicana, Mozarabica, et tandem ipsa Aquileiensis) ; seu, cum ad S. Gregorii M. in epistola ad Augustinum sententiam, ritus a Romanis diversos in aliis Ecclesiis prudenti œconomia aut tolerarunt, aut permiserunt ; ut Ambrosianos, adnitente præsertim S. Carolo Borromæo, aliosque, quos S. Pius V in nova Missalis et Breviarii editione exceptos voluit in constitutionibus a se datis, pro Breviario quidem an. 1568, septimo Idus Julii, pro Missali vero an. 1570, pridie Idus Julii.

(8. Quæres, nihilne principis in re liturgica possit auctoritas? Certe apud Baluzium, t. I *Capitular. regum Franc.*, exstat Caroli M. constitutio « de emendatione librorum et officiorum ecclesiasticorum. » Sed duo distingui hic velim, ipsos scilicet liturgicos ritus, libros, ministros, et si quæ id genus sunt alia ; tum aliqua, quæ ita ad cultum publicum pertinent, ut adiaphora sint. Ad ritus illos quod pertinet, unum habet princeps, quod in reliquos Ecclesiæ canones, externamque disciplinam universam sacris sanctionibus constitutam et usu receptam jus tuitionis, curandæque executionis, ubi id Ecclesia ipsa expetierit. Neque vero Carolus M. hujusce juris fines

Digitized by Google

prætergressus videri jure possit. Nam quæ egregius ille imperator sive illa, quam indicavi, constitutione præcepit, sive ad Romanam liturgiam Gallicanæ substituendam egit, non solus, sed de consilio episcoporum statuit, ut Hadriani I desiderio satisfaceret. Ad cætera, quæ adiaphora diximus, quod spectat, quoniam de rebus agitur ad ipsum Dei, sanctorumque cultum pertinentibus, quæ licet aut pacato, aut opulentiori reipublicæ statui obesse videantur, fortasse tamen revera non obsunt; obesse contra plurimum religionibus publicis et divino honori possent, si publicæ quietis obtentu abrogarentur; mallem ex veteri more hæc ipsa a principibus episcoporum judicio relinqui; neque enim dubitandum, quin Ecclesiæ antistites, si quid in sacrum cultum irrepserit, unde respublica detrimentum capere possit, de emendatione sint solliciti futuri. Imo vero non expectabunt ipsi, ut ea super re in consultationem vocentur, sed ad illud, quodcunque est, amoliendum curas omnes primi, collato inter se se studio, convertent; tum si irritos suos esse conatus perspexerint, principis auxilium implorabunt, ut ab Africanis Patribus factum novimus, ad abolendas in sacris ædibus agapas, quæ a primæva charitate, dignaque christianis moribus lætitia degeneraverant. Sed de his omnibus, quæ in novo hoc articulo dicta a nobis sunt, consuli velim Francisci Antonii Zaccaria dissertationem primam *De jure liturgico* præmissam tom. I *Biblioth. Ritual.* *.

LIVELLUM

Vid. verb. Monialis, *art.* 2.

LOCATIO.

SUMMARIUM.

1. Locatio quid sit et quænam locentur et conducantur : ad n. 2. — 3. In quo differat locatio a commodato et a precario ad n. 4. — 5. Locator, conductor, inquilinus, colonus, redemptor et publicanus qui dicantur, et an conductor rem sibi locatam alteri locare possit : ad n. 6. —7. Bona ecclesiastica quando, quomodo, pro quanto tempore et a quo locari possint : ad n. 9. — 10. Minores et pupilli, sive uxores ad quid teneantur quoad locationes per tutores et curatores, sive per maritos factas : ad n. 11. — 12. An et quando teneantur stare locationibus, seu conductionibus factis heredes universales, emptores, legatarii, donatarii, successores in majoratu, fidei commissarii, filii successores in legitima ad n. 19. — 20. Ad quid teneatur locator erga conductorem : ad n. 30. — 31. Quot et quibus causis possit locator ante finitum tempus locationis conductorem e re conducta invitum expellere : ad n. 36. — 37. Quot sint et qui casus præcipui, in quibus locator teneatur, vel non remittere, vel minuere pensionem : ad n. 47. — 48. Quid sibi invicem debeant locatores et conductores operarum : ad n. 60. — 61. Ad quid teneatur conductor, qui sit in culpabili mora solvendi pretium tempore in contractu præfixo : ad n. 62. — 63. An possit unquam conductor ante tempus conductionis finitum rem conductam deserere : ad n. 64. — 65. Ad quid teneatur conductor transacto locationis tempore : ad n. 66. — 67. An et quando conductor uti possit re conducta ad alium usum, ad quem non fuerit concessa : ad n. 69. — 70. An, et quando conductor teneatur ad resarciendum damnum, sive propria, sive famulorum culpa contingat : ad n. 71. — 72. An et quando conductor mercedem solvere teneatur, etiamsi re conducta uti nequeat : ad n. 74. — 75. Conductor an teneatur augere mercedem, si tempore ubertatis ac fertilitatis majores solito fructus percipiat ex re frugifera conducta : ad n. 77. — 78. Quæ sit conductoris obligatio quoad casus fortuitos : ad n. 80. — 81. Quid juris habeat locator in fructibus rei locatæ pro sibi debita pensione : ad n. 82. — 83. Quænam jura et actiones locatori competant ex *locato*, et e contra conductori ex conducto : ac utrum hæc jura et actiones transeant ad eorum hæredes : ad n. 84. — 85. Subnectuntur additiones ex aliena manu ad n. 94

(1. Locatio est contractus, « quo quis rem aliquam alteri utendam, vel fruendam concedit, certo pretio, sive mercede constituta. » Est in re communis. (2. Dicitur « quo quis rem aliquam alteri utendam, vel fruendam concedit » ad denotandum, quod locantur, et conducuntur non tantum res, quæ ad solum usum deserviunt, ut domus ad inhabitandum, equus ad equitandum, bos ad arandum, et hujusmodi : l. IX *Princ.*, ff. *De locato et conducto;* sed etiam res, quæ deserviunt ad fructus percipiendos, ut ager, vineæ, pascua, jura et redditus; l. *Sed addes* 19, § 1, ff. *De locato et conducto;* insuper non solum locantur, aut conducuntur ipsæ res, sed etiam personæ, seu potius operæ et labores personarum, ut patet in famulis et ancillis, operariis, officialibus, artificibus et hujusmodi, qui se, seu operas suas aliis locant et ab aliis conducuntur; l. *Item*, 51, 22, § 2, ff. *De locato et conducto*, ibi : « Locat enim artifex operam suam. » (3. Dicitur « certo pretio, sive mercede constituta, quia pretium, seu merces in locatione necessario intervenire debet; l. *Si convenerit* 23, in fine, ff. *Communi dividendo*. (4. Et in hoc differt locatio a commodato, e precario, vi quorum res ad usum gratis conceduntur, ut patet sub verb. *Commodatum*, et verb. *Precarium*.

(5. Ex contractu locationis contrahentes varia sortiuntur nomina. Qui enim pro usu, vel fructu rei, aut pro opera sua pretium, seu mercedem recipit, dicitur *locator*; qui pro usu, vel fructu rei, aut opera personæ pretium, vel mercedem dat, dicitur *conductor*. Sic passim in totis titul. ff. et cod. *De locato et conducto;* qui prædium urbanum, vel domum conducit, dicitur inquilinus; l. *Sed addes* 19, § 4 et 5, ff. *De locato et conducto;* qui conducit agrum, vel prædium rusticum, dicitur *colonus;* l. *Res pignoris* 37, ff. *De acquirenda possess.* Qui conducit operam personæ, dicitur *redemptor*, l. *Cum* ...

Digitized by Google

plures 60, § 3, ff. *De locato et conducto;* qui conducit vectigalia, dicitur *publicanus*, *l. Quantæ* in fin. ff. *De public.*

(6. Conductor potest rem sibi locatam locare alteri æque idoneo; l. *Si tibi alienam* 7, *De locato et conducto*, nisi aliter conventum sit, l. *Nemo*, cod. *De locato et conducto*. Si enim locator convenisset cum conductore, quod rem conductam, seu sibi locatam non posset alteri locare, esset servanda conventio, nec in tali casu posset ipsam alteri locare; arg. c. *Contractus* 85, *De reg. juris* in 6, ibi : « Contractum ex conventione legem accipere dignoscuntur. »

(7. Bona ecclesiastica quomodo, et pro quanto tempore locari possint; *vide* verb. *Bona*, art. 1, a n. 9 ad 13. (8. Locatio bonorum ecclesiasticorum facta ab antecessore beneficiario, non obligat successorem in beneficio, si talis antecessor locavit bona ad proprios reditus suæ dignitatis, aut præbendæ pertinentia : in tali enim casu successor non tenetur stare contractui, quia perinde se habet ac successor in majoratu, cui prædecessor præjudicare non potuit, nec disponere de ipso, nisi pro tempore, quo reditus ad ipsum pertinent; et sic conductor etiam libere poterit a conductione recedere. Lugo, tom. II *De justitia et jure*, disp. 29, sect. 1, n. 24; Molina, disp. 492, n. 6; Silvester, verb. *Locatio*, quæst. 11; Regin., l. xxv, n. 141; Covarruv., l. II *Var. res.*, cap. 15, n. 6; Riccius, verb. *Alienatio*, dec. 123; Rossignol, *De locato et conducto*, contr. 10, præn. 13, n. 17; Pirhing lib. III *Decret.*, tit. 18, n. 36; Reiffenstuel, *ibid.*, n. 83, et alii communiter; nec non Rota recent. p. 10 dec. 219, n. 10, ubi expresse dicit in hac materia firmari quod, exstincto antecessore, terminetur omne jus locationis, et propterea locatio facta ab antecessore, non obligat successorem, quamvis agatur de locatione ad modicum tempus, ut expresse habet eadem Rota p. 21, decis. 75, n. 3.

(9. Locatio autem bonorum ecclesiasticorum facta a prælato antecessore obligat etiam successorem, si talis prælatus antecessor, servatis juris solemnitatibus, et pro debito tempore locavit bona pertinentia non ad se, seu ad proprios reditus suæ dignitatis, aut præbendæ, sed pertinentia ad ecclesiam ipsam, vel conventum, seu monasterium, cujus erat superior, seu administrator; in tali enim casu tenetur stare locationi etiam successor, quia cum prælatus non locaverit talia bona nomine proprio, sed ecclesiæ, cujus erat legitimus administrator, talis locatio ita se habet, ut locatio bonorum facta a tutore, vel curatore nomine pupilli, aut minoris; huic autem stare tenentur pupillus, aut minor, et successor tutoris, seu curatoris; l. *Si Tutela* 8, ff. *De administrat. tutor*, adeoque, etc. Sic communis doctorum cum supracitatis, et Rota recent. p. 11, cit. dec. 75, n. 4, 5 et 8.

(10. Minores igitur et pupilli tenentur stare locationi factæ per suos tutores et curatores tempore tutelæ et curæ; et ita etiam successores dictorum tutorum et curatorum : quia quæ agunt tutores et curatores, intelliguntur agere non nomine proprio, sed nomine pupillorum et minorum, vel ex voluntate expressa testatorum, vel ex dispositione judicum; l. *Si tutela*, ff. *De administratione, et peric. tutor.* et sic Molina disp. 492, n. 1; Mantica, *De tacitis, et ambig. convent.* lib. v, tit. 20, n. 23; Azorius, part. III, lib. VIII, cap. 6, quæst. 5; Rossignol., *loc. cit.*, n. 14; Gomez t. II *Variar.*, cap. 14, n. 5, et alii passim.

(11. Uxor tenetur stare locationi factæ a marito in iis quæ maritus locavit nomine ejusdem uxoris; non autem in iis quæ maritus locavit nomine proprio; unde uxor tenetur stare locationi factæ a marito, quoad bona paraphernalia; at non quoad bona dotalia, quia cum bonorum paraphernalium administratio de jure communi non competat marito, sed uxori, si maritus ea administret, omnes contractus circa ipsa censetur facere nomine uxoris : non sic autem circa bona dotalia, quia cum eorum administratio de jure communi pertineat ad ipsum maritum, omnes contractus circa ipsa, et consequenter locationem, censetur facere nomine proprio. Monita *De justitia et jure*, tract. 2, quæst. 492; Covarr., lib. II *Var. resol.*, cap. 15, n. 5; Gomez tom. II *Variar. resol.*, cap. 3, n. 8, conc. 1; Bonacina, disput. 4, qu. 7, punct. ultim., propos. 2, n. 8; Rossignol., *loc. cit.*, n. 16, et alii.

(12. Locatoris et conductoris successor, seu hæres universalis tenetur stare locationi, seu conductioni ab ipso locatore, seu conductore respective factæ. *Communis* per textum in § final. *Instit. de locato*, et l. *Viam veritatis*, cod. *De locato*, et leg. *Veteris* 13, cod. *De contrahend. et commit. stipul.*, ubi universaliter ita statuitur : « Generaliter sancimus omnem stipulationem, sive in dando, sive in accipiendo inveniatur, et ad hæredes et contra heredes transmitti. » Ubi etiam ratio redditur : « Cur enim quod in principalibus personis justum est, non ad hæredes et adversus hæredes transmittatur? » Hæres enim quoad jura et onera una cum defuncto persona censetur.

(13. Non tenetur autem stare locationi et conductioni successor particularis locatoris et respective conductoris. *Communis*, per textum in l. *Qui fundum*, ff. *Locati*, et l. *Emptorem*, cod. *De locato*. (14. Hinc emptor non tenetur stare locationi per venditorem factæ; textu expresso in cit. l. *Emptorem*, cod. *De locato*, et in leg. *Si merces*, § *Qui fundum*, ff. *Locati*. (15. In tali tamen casu conductor potest agere de suo interesse contra venditorem, aut contra suos hæredes, si ille fuerit prærnortuus; l. *Qui fundum*, ff. *Locati*, et l. *Nihil*, § ult., ff. *De legatis* 2.

(16. Neque legatarius, neque donatarius tenetur stare locationi factæ per legantem, aut donantem de re legata, aut donata; legatarius enim, seu donatarius est successor singularis; successor autem singularis non tenetur stare contractui locationis inito per suum prædecessorem in tali re; cit. l. *Qui fundum*, ff. *Locati*, et l. *Nihil*, § ult., ff. *De legatis* 2.

Digitized by Google

(17. Neque successor in majoratu tenetur stare locationi factæ per præcedentem in majoratu ; leg. *Si quis Domum*, § *Hic subjungi*, ff. *Locati*. (18. Neque fideicommissarius tenetur stare locationi factæ per hæredem gravatum; l. *Peto*, § *Prædium*, ff. *De legatis* 2.

(19. Neque filius successor in legitima tenetur stare locationi factæ in ipsa per patrem ; legitima enim debetur omni onere, et quavis obligatione detracta ; leg. *Omnimode*, et leg. *Quoniam novello*, cod. *De inofficios. testam.* Non esset autem legitima sine onere et obligatione, si filius in eadem succedens, teneretur stare locationi factæ per patrem.

(20. Locator tenetur rem locatam juxta modum, et tempus per locationem conventum præstare conductori, alias, si ob ejus causam conductor nequeat frui re conducta tempore et modo convento, debet restituere pretium et interesse. *Communis* per textus in l. *Ex Conducto* 15, § 8 et l. XXIV, § 4. ff. *Locati*. (21. Item tenetur locator restituere pretium et interesse conductori, si impedimentum ab alio proveniens non impedivit, dum potuit; si autem non potuit impedire, tenetur solum restituere pretium et non interesse; l. *Ex conducto* 15, § 8, ff. *Locati;* et l. *Si fundus* 33, ad fin., ff. eodem., ibi : « Si colonus tuus frui re, a te, aut ab eo prohibetur, quem tu prohibere, ne id faciat, possis, tantum ei præstabis, quantum ejus interfuerit frui : sin vero ab eo interpellabitur, quem tu prohibere propter vim majorem, aut potentiam ejus non poteris, nil amplius ei, quam mercedem remittere, aut reddere debebis. »

(22. Locator tenetur propriis expensis reparare, et reficere in re locata, quæ necessario reparanda sunt, ut conductor modo et tempore convento, ea commode uti et frui possit; alias conductor agere potest ex *conducto*, contra ipsum ad refundendum pretium, et interesse. *Communis*, textu expresso in l. *Ex conducto* 13, ff. *Locati*, et l. *Si merces* 25, § 2, ff. eodem.

(23. Locator obligatur etiam ad refundendas expensas tam necessarias, quam utiles a conductore in rem locatam factas et duraturas etiam post finitam locationem. *Communis*, textu clarissimo in l. *Dominus* 55, § 1, ff. *Locati*, ibi : « Si in conducto fundo (supple tu, vel alia re locata) conductor sua opera aliquid necessario, vel utiliter auxerit, vel ædificaverit et instituerit, cum id non convenisset, ad recipienda ea, quæ impendit, ex conducto cum domino fundi experiri potest. » Et concordat l. *Colonus* 61, in princip., ff. eodem.

(24. Locator etsi noli refundere expensas tales necessarias, sive utiles duraturas etiam post finitam locationem ad commodum ipsius locatoris, potest conductor meliorationes factas secum asportare, si sint amovibiles sine læsione rei locatæ, l. *Sed addes* 19, § 4 et 5, ff. *Locati*. (25. Vel si sint inamovibiles sine læsione rei locatæ, potest conductor rem locatam tandiu retinere, et ea uti, donec per decurrendas pensiones de factis expensis se compensaverit, l. v, princip., ff. *De impensis in rem dot.*, et l. *Colonus* 61, in principio, ff. *Locati*. Nisi tamen de expensis faciendis aliter inter contrahentes conventum sit, seu consuetudine loci aliud receptum sit, ut communiter advertunt doctores.

(26. Locator tenetur manifestare conductori vitia occulta rei locatæ, alias si ex vitio non manifestato sequatur damnum conductori, tenetur ad restitutionem; l. *Sed addes* 19, § 1, ff. *Locati;* l. *Item quæritur* § 1, ff. eodem, cum similibus. (27. Unde si equum assuetum sese in aquam projicere alteri locavit ad merces transferendas non prænonito conductore de tali vitio, tenetur merces exinde perditas et alia damna secuta resarcire; idem dicendum est de nauta locante navem non idoneam et de locante pascua ferentia herbas nocivas et de similibus; c. l. *Sed addes* 19, § 1, ff. *Locati*, l. *Item quæritur* § 1, ff. eodem, juncta l. *Tenetur* § *Sed si vas*, ff. *De action. empt.* (28. Si autem locator tale occultum vitium penitus ignoravit, tenetur restituere solum pretium, at non interesse et damna ; c. l. *Sed addes* 19, § 1, ff. *Locati*, juncta leg. 15, 33 et 34, ff. eod.; Molina disp. 494; Bonacina, *De contr.*, disp., 3, qu. 7, punct. 3, n. 3; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 36, et alii passim.

(29. Locator, non vero conductor, tenetur præstare tributa et onera publica, quæ ratione domus, aut fundi locati debentur. *Communis*, textu expresso in leg. *Ædiles studeant*, unic. ff. *De via publica*, ibi : « Construat vias publicas unusquisque secundum propriam domum; et aquæductus purget, qui sub dio sunt, et construat ita, ut non prohibeatur vehiculum transire • Quicunque autem mercede habitant, si non construat dominus, ipsi construentes computent dispendium in mercedem. »

(30. Locator absque legitima et justa causa ante finitum locationis tempus nequit expellere conductorem invitum e re conducta, et si illegitime expellat, tenetur ad refundendum pretium et interesse. *Communissima*, textu expresso in l. *Æde* 3 ; l. *Si cleri* 21, *Si in lege*, 24, § 4, ff. *Locati*, et concordat l. *Si merces* 25, et l. *Si fundus* 33, ff. eodem.

(31. Quatuor autem ob causas potest locator ante finitum tempus locationis conductorem e re conducta invitum expellere, ejusque usu et fructu privare. *Communis*, textu expresso in l. *Æde* 3, cod. *De locato*, et cap. *Propter* 3, *De locato et conducto*.

(32. Prima causa est, si conductor per biennium pretium conventum non solverit; cit. cap. *Propter* 3, *De locato et conducto*, ibi : *Cum canonem per biennium non solvisset* : et concordat l. *Æde* 3, c. *De locato*, et l. *Quæro* 54, et l. *Cum Domini* 56, ff. *Locati*. Tempus autem hoc biennale ad repellendum conductorem invitum requisitum intelligitur solum in locatione ad longum tempus celebrata, v. gr. ad decem annos, vel etiam ad quinque annos; in locatione vero ad brevius tempus, v. gr. ad duos, vel tres

Digitized by Google

annos, si conductor non solverit pretium statuto tempore, potest statim expelli. *Communis* cum *Gloss.* in cit. c. *Propter*, verb. *Canonem*, arg. cit., l. *Ædе* 3, cod. *De locato*, et l. *Quæro* 53, § 1 ff. eodem.

(33. Secunda causa est, si locator ipsemet indigeat domo, vel alia re locata propter necessitatem aliquam, quæ tempore locationis non erat, et cui necessitati aliter providere nequit; cit. l. *Ædе* 3, cod. *De locato*, ibi: « Nisi propriis usibus dominus eam necessariam esse probaverit, » et cit. cap. *Propter* 3, *De locato et conducto*, ibi: « Verum invito inquilino domum inhabitare poteris, si necessitas (quæ tamen tempore locationis non erat) id exposcat. » Et talem necessitatem locator habere dicitur, etiamsi suus filius, suus pater, vel mater re alteri locata indigeat, quia hi jure naturæ extraneo conductori præferuntur. Bald. in cit. leg. *Ædе* 3, cod. *De locato*, n. 11; Molina, disp. 449, n. 5; Azorius, part. III, lib. VIII, qu. 2; Pirhing., l. III, *Decretal*, tit. 18, n. 13, Reiffenstuel *ibid.*, n. 53, et alii.

(34. Tertia causa est, si locator re locata male utatur, vel contra bonos mores, vel eam deteriorando; cit. l. *Ædе* 3, cod. *De locato*, ibi: « Aut in male in re locata versatus es, » et cit. cap. *Propter* 3, *De locato et conducto*, ibi: « Etiam inde rationabiliter amovetur, si perverse ibi fuerit conversatus. »

(35. Quarta causa est, si domus, seu alia res locata necessaria indigeat refectione, seu reparatione, qua non indigebat tempore locationis et quæ fieri nequit, nisi ad tempus discedat conductor: cit. l. *Ædе* 3, cod. *De locato*, ibi: « Aut corrigere domum maluerit, » et cit. cap. *Propter* 3, *De locato et conducto*, ibi: « Verum, invito inquilino, domum... reficere poteris, si necessitas (quæ tamen non imminebat locationis tempore) id exposcat. » (36. Locator autem domo refecta, tenetur ad permittendum, ut inquilinus redeat, si velit, ad pristinam conductionem pro tempore, pro quo conduxit; *Glossa* communiter recepta in leg. *Si duo* 3, § *Cum inquilinus*, ff. *Uti possidetis*; Bartolus, *ibidem*; Carocius, part. IV, tit. *Causæ recusationis quatuor*, q. 6; Rossig., *loc. cit.*, prænot. 29, n. 21; Reiffenst., *loc. c.*, n. 54, et alii passim.

(37. Regulariter loquendo, si ob sterilitatem, seu alios evenientes casus sine culpa conductoris, ipse conductor fructus non percipit ex re frugifera locata, tenetur locator remittere mercedem, vel totam, si omnino nullos percipit fructus, vel ad ratam, si paucos et exiguos colligit. *Communis* textu expresso in cap. *Propter sterilitatem* 3, *De locato et conducto*, ibi: « Propter sterilitatem afficientem magno incommodo conductores vitio rei sine culpa coloni, seu casu fortuito contingentem, colonis Ecclesiæ tuæ pro rata pensionis remissio est facienda. » Et l. *Ex conducto* 15, § 2, ff. *Locati*, l. *Si merces* 25, § *Vis major*, ff. eodem, et l. *Licet* 18, cod. eodem. Et ratio est clara, quia pensio, sive merces locationis constituitur in compensationem fructuum ex re, vel fundo conducto percipiendorum, adeoque ratio et æqualitas postulat, ut si conductor omnino nullos percipit fructus, aut paucos et exiguos, pensio seu merces ex toto, vel ex parte pro rata, juxta proportionem damni ei a locatore remittatur.

(38. Notanter autem dicitur, *regulariter loquendo*, quia multi sunt casus, in quibus locator non tenetur pensionem minuere, seu de pretio, vel mercede remittere. Primus casus est, quando sterilitas unius anni compensatur per majorem fertilitatem alterius anni, sive præcedentis, sive subsequentis, textu expresso in cit. cap. *Propter sterilitatem* 3, *De locato et conducto*, ibi: « Nisi cum ubertate præcedentis, vel subsequentis anni valeat sterilitas compensari: » et concordat l. *Ex conducto* 15, § 4, ff. *Locati*, et l. *Licet* 2, cod. eodem. Nec refert sive continuis, sive interpolatis annis sterilitas fertilitate compensetur, ut recte notant Molina disp. 496, n. 20, Barbosa in cit. cap. *Propter sterilitatem*, n. 18; Pirhing., lib. III *Decretal.*, tit. 18, n. 6; Reiffenstuel *ibid.*, n. 41, et alii, arg. leg. *Ex conducto* 15, § *Papinianus*, ff. *Locati*.

(38. Quinimo si ob præsentis anni sterilitatem, v. gr. Locator mercedem ex toto, vel ex parte remittit, eamdem iterum repetere potest, si immediate sequenti, vel etiam secundo, tertio, aut quarto anno ubertate compensatur damnum illatum, textu expresso in l. *Ex conducto* 15, § *Papinianus*, ff. *Locati*, ibi: « Papinianus ait, si uno anno remissionem quis colono dederit ob sterilitatem, deinde sequentibus annis contingit ubertas, nihil obesse domino remissionem, sed integram pensionem etiam ejus anni, quo remisit, exigendam. » Et sic tenent omnes doctores citati n. antecedenti, et insuper Gregorius Lopez l. XXIII, tit. 5, part. V; Ancharanus in cap. *Propter sterilitatem*, col. 3, n. 23, *De locato*; Bartolus in l. *Si merces*, § *Vis major*, n. 6, ff. *Locati*; Antonius Gomez, lib. II *Variar. resol.*, cap. 3, n. 19; Silvester, verb. *Locatio*, qu. 14; Filliucius, tract. 36, cap. 3, q. 5; Onnate tract. 35, *De locatione*, disp. 127, sect. 8, n. 120; Azorius, *Instit. moral.*, part. III, lib. IX, qu. 2, Rossignolus *De locato et conducto*, contract. 10, prænot. 6, n. 5, et alii volentes, quod superveniente in fundo locato magna fructuum abundantia, augmentum pensionis faciendum sit in favorem locatoris, quia dicunt ipsi: in contractibus onerosis ultro citroque obligatoriis debet esse æqualis utriusque contrahentis conditio, adeoque si in magna sterilitate debet locator minuere pensionem conductori, eamdem debet augere in magna abundantia conductor locatori; sed de hoc infra sub. n. 75, et seq.

(40. Secundus casus est, quando colonus est partiarius, scilicet dat locatori loco mercedis pecuniariæ mediam v. g. vel tertiam partem fructuum, quia tunc ad ratam dividitur damnum inter locatorem et conductorem, ut expresse dicitur in leg. *Si merces* 24, § 6, ff. *Locato*, ibi: « Partiarius colonus, quasi societatis jure damnum et lucrum

Digitized by Google

cum domino fundi partitur, » et concordat l. LIII, § 4, ff. *Pro socio*, et tenet *communis doctorum*.

(41. Tertius casus est, quando inter locatorem et conductorem conventum est, quod, quocunque eveniente casu fructuum perceptionem impediente, adhuc conductor pensionem solvere debeat, textu expresso in l. *Si quis* 9, § 2, ff. *Locati*, ibi : « Si quis fundum locaverit, ut etiam si quid vi majori accidisset, hoc ei præstaretur, pacto standum est :» et concordant l. *Licet* 8, cod. *De locato*, l. *Item quæritur*, § *Si gemma*, ff. eodem; l. *Juris gentium*, § *Si quis pactus*, ff. *De pactis*, et cap. *Contractus* 85, *De reg. jur.*, in 6, ubi expresse dicitur, quod *contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur*. Et sic doctores communiter. *Vide* infra n. 78.

(42. Quartus casus est, quando consuetudo regionis aliter obtinuit, quia sicuti pacta obligant, ita et consuetudines; cap. *Cum tanto* 11, De consuet., l. *Ex conducto* 15, § *Si vis tempestatis*, ff. *Locati*, l. *Licet* 8, cod. eod., l. semper 34, ff. *De regul. juris*, ibi : « Semper enim in contractibus id sequitur quod actum est; aut si non appareat quod actum est, erit consequens, ut id sequamur, quod in regione, in qua actum est, frequentatur. »

(43. Quintus casus est, quando sterilitas est consueta, vel oritur ex vitio, seu intrinseca qualitate rei locatæ, quia sibi imputare debet colonus, si conducit rem cum manifesto periculo, quod scit et prævidet, vel scire debet; ut si conducat agrum prope flumen, quod sæpe sæpius excedat, vel tempore belli conducat prædium, ubi adest periculum hostilis incursus. Sic *communis doctorum*, textu expresso in l. *Ex conducto* 15, § 2, ff. *Locati*, ibi : « Si qua tamen vitia ex re oriantur, hæc damno coloni esse, etc. Si vero nihil extra consuetudinem acciderit, damnum coloni esse. »

(44. Sextus casus est, quando sterilitas, vel damnum in fructibus provenit ex culpa ipsius conductoris. *Communis*, arg. cit., l. *Ex conducto* 15, ff. *Locati*, ibi : « Cui resisti non potest, » et cap. *Damnum* 86, *De reg. juris* in 6; ibi : « Damnum, quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non aliis imputare. » Si enim colonus negligens fuerit in colendis, vel stercorandis agris, in cooperiendis vitibus tempore hiemis et hujusmodi, sibi imputet, si paucos et exiguos fructus perceperit.

(45. Septimus casus est, quando damnum ex sterilitate, aut casu fortuito proveniens est modicum. *Communis*, textu expresso in l. *Si merces* 25 § *Vis major*, ff. *Locati*, ibi : « Modicum damnum æquo animo debet ferre colonus, cui immodicum lucrum non [illegible]tur, quia qui sentit commodum, sentire debet et damnum. »

(46. Quodnam autem censeri debeat damnum parvum et modicum, ob quod non debeat fieri remissio pensionis conventæ, et e contra quodnam censeri debeat damnum magnum et notabile, seu immodicum, ob

quod debeat fieri talis remissio? Variæ sunt doctorum opiniones. Alii enim, inter quos est Bartolus in l. *Si merces*, § *Vis major*, ff. *Locati*, tenent tunc solum adesse magnum, seu notabile et immodicum damnum, ob quod fieri debet remissio pensionis, quando, deductis impensis, colonus nihil percipit, vel lucratur. Alii autem dicunt intelligi magnum, seu notabile et immodicum damnum, quando tertia pars fructuum, qui communiter colligi solent, deficit. Sic Panormitanus, Navarrus, et alii, quos refert et reprobat Lugo, *De justitia et jure*, tom. II, disput. 19, n. 42. Alii demum et revera multi, quos refert et sequitur Molina disp. 495, n. 5. Lugo, *loc. cit.* n. 43, defendunt, tunc adesse magnum et notabile, seu immodicum damnum, quando, detracto semine et impensis, non percipiuntur tot fructus quot adæquent mediam partem pensionis annuæ præstandæ, qui in jure magna læsio adesse non censetur, nisi sit ultra dimidium justi pretii; l. II, cod. *De rescind. vend.*, et l. *Si voluntate*, cod. eod. Et juxta hanc satis probabilem sententiam tantum est remittendum de pensione propter sterilitatem, seu alium casum fortuitum, quantum sufficit, ut damnum adæquet partem pensionis solvendæ detracto semine et expensis; unde in tali casu, primo deducendum est semen, et id quod impensum est; deinde ex reliquo dimidia pars tradenda est locatori; reliquum vero dividendum inter eumdem locatorem et conductorem; sic v. gr. si prædium aliquod conductum fuerit pro mille libris imperialibus, et ex illo prædio consueverint colligi centum modii tritici, et pro aliquo anno non fuerint collecti, nisi quadraginta, tunc conductor debet prius de illis quadraginta modiis detrahere quantum valet semen et expensæ in colendo factæ; postea reliquum debet appretiari juxta stylum fori, et dimidium valoris tradi locatori, et aliud dimidium dividi inter ipsos; sic docte exemplificat Rossignolus *l. c.*, sub. n. 3.

(47. Quamvis autem hæc ultima opinio sit satis probabilis, probabilior tamen est sententia docens ad effectum, ut fiat remissio, æstimandam esse vulgi opinionem, sicuti æstimatur pretium rerum venalium. Sic *Glossa* in l. *Si uno*, ff. *Locati*, Cinus in l. *Licet*, cod. *De locato* Gail., lib. II, observ. 23, n. 1; Laym., lib. III, tract. 4, cap. 29, n. 7; Rossign., *loc. cit.*, sub n. 3; Pirhing., l. III, *Decret.*, tit. 18, n. 5: Reiffenst., *ibid.*, n. 47, et alii, arg. l. 1, ff. *De jure* lib. et l. *Circa locationes* 18, cod. *De locato*, ubi statuitur circa contractum locationis attendendum esse ad regionum consuetudines.

(48. Locatores, qui operas suas aliis locant, ut famuli operarii, artifices et hujusmodi, tenentur juxta tenorem conventionis fideliter laborare, et in casu negligentiæ pro rata laboris omissi, vel non debite præstiti mercedem remittere, vel jam acceptam restituere debent. *Communissima*, arg. l. XV, § 6, ff. *Locati*, l. fin., cod. *De condict. ob causam.*

Digitized by Google

(49. Locatores operarum suarum tenentur etiam ad interesse et damna, si quæ ex eorum culpa lata, vel levi, non tamen levissima, domino emergunt, *Communis*, arg. l. *Si*, § 10, ff. *Ad legem Rodiam;* et ratio est, quia in contractibus, qui fiunt in gratiam utriusque contrahentis, ex culpa lata, vel levi, non tamen ex levissima, obligantur contrahentes; arg. l. *Sicut certo*, ff. *Commodati :* unde si quis sit conductus ad opus aliquod faciendum, et illud sive ob suam imperitiam, sive ob non adhibitam debitam materiam, sive ob aliam causam sua culpa opus imperfecte, aut vitiose conficit, tenetur ad interesse et omnia damna resarcienda. *Communis*, per textum in l. *Si in lege princ.* ff. l. *Opus* 36, l. *Ea lege*, l. *Locavi*, ff. *Locati.*

[redacted] Qui operam suam locarunt ad custodiendum gregem, vel aliam rem, tenentur ad restitutionem, si sua culpa lata, vel levi pereat, seu perditur ovis, vel res et hujusmodi. *Communis*, per textum in l. *Si quis fundum* 9, § 4, ff. *Locati;* l. *Qui mercedem* 5, ff. eod. (51. Et tales custodes ad se liberandum ab onere restitutionis, tenentur probare, quod ovis, seu res furto, vel rapina ablata sit, vel fugerit, vel perierit et hujusmodi et quod eorum culpa id non acciderit. *Communis;* arg. l. *Si quis fundum* 9, § 4, ff. *Imperator*, ff. *Locati;* l. *Si quis ex argentariis prope finem*, ff. *De edendo*, juncta l. fin. ff. *De custod rerum et exhib.*

(52. Famuli, aliique locantes operas suas, si ante finitum tempus locationis absque legitima causa ex malitia, et culpa sua discedant, tenentur ad damna domino inde secuta. *Communis;* arg. l. *Dominus* 55, § 2, ff. *Locati*, et l. 1. cod. *De servis fugitivis*, ubi additur ratio, videlicet : « Ne servorum fuga dominis suis ex quacunque causa fiat damnosa. »

(53. Sic etiam dominus debet totum salarium servis conductis, si absque legitima causa eos repellit ante finitum tempus locationis. *Communis;* arg. leg. *Quis opera* 38, ff. *Locati*, ibi : « Qui operas suas locavit, totius temporis mercedem accipere debet, si per eum non steterit, quominus operas præstet; » l. 2, ff. *De his qui sui, vel alieni juris;* l. *Sed addes* 19, § 4, ff. *Locati.* (54. Nisi famuli aliud servitium pro æquali mercede statim acquirant; sicque damnum non sentiant; arg. l. *Sed addes* 19, § 4, ff. *Locati;* ubi statuitur deberi mercedem illi, penes quem non stet, quod operas locatas præstaret, ibi : « Si eodem anno mercedem ab alio non accepit. »

(55. Hinc generaliter tenetur conductor solvere personas conductas, etiamsi uti non possit opera earum, si impedimentum, intuitu ipsius conductoris, proveniat; et nisi tales personæ conductæ interea alii pro æquali mercede operas præstent, sicque damnum non sentiant. *Communis*, per mox citata jura sub. n. 53 et 54.

(56. Si autem impedimentum ratione ipsarum personarum conductarum proveniat, quominus carum opera uti possit conductor, tunc mercedem dare non tenetur, nisi pro rata temporis, quo earum opera uti potuit. *Communis*, arg. l. *Ex conducto* 15, § 2 et 6, ff. *Locati;* l. *Ex fundo* 33, ff. eod. l. final. cod. *De condict. ob caus.*

(57. Unde herus non tenetur dare mercedem famulo pro longo et notabili tempore, quo ægrotat, nisi id specialiter sit conventum, aut ferat consuetudo regionis : Sic *Glossa* communiter recepta in leg. penult. cod. *De condict. ob caus.;* Bartolus, in l. *Si uno*, § *Item cum quidam*, ff. *Locati*, et in l. *Opera*, ff. *De usufr. leg.;* Ancharanus in cap. *Propter sterilitatem* 3, *De locato*, n. 17; Abbas in cap. 1 *De clerico ægrot. et debil*, n. 6; Covarr., lib. III *Variar. resol.*, cap. 13, n. 8; Navarrus in *Manual.*, cap. 17, n. 108; Rossignol., *loc. cit.*, contract. 10, prænot. 9, n. 8; Reiffenstuel., *loc. cit.*, n. 99, et alii passim.

(58. Dicitur autem notanter : « Nisi id specialiter sit conventum, aut ferat consuetudo regionis, » quia cap. *Contractus* 85, *De rég. jur.* in 6, expresse dicitur, « quod contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur; » unde talis conventio omnino servari debet, l. *Exempto* 11, ff. *De action. empt.* Et sic etiam talis consuetudo servanda est, cum hæc legitime introducta vim legis habeat; cap. *Cum tanto* 11, *De consuetudine*, et maxime, quia locatio, seu conductio præsumitur fieri juxta consuetudinem locorum, nisi aliud exprimatur; l. *Circa locationes* 19, cod. *De locato.* (59. Dicitur etiam notanter, *pro longo et notabili tempore*, quia si modico solum tempore v. gr. per aliquos dies ægrotaret famulus ad annum conductus, ex æquitate et naturali charitate, non esset aliquid propterea de sua mercede detrahendum, arg. l. *Cum hæres* 4, § 5, *De statu lib.*

(60. An autem famuli, vel famulæ possint occulte aliquid surripere de bonis suorum dominorum, seu conductorum, quando judicant mercedem, seu salarium eorum esse minus justo. Vid. verb. *Famuli, Famulæ* a n. 26, et verb. *Compensatio* per tot.

(61. Conductor vi conductionis tenetur integrum pretium solvere locatori tempore in contractu præfixo. *Communis*, per textum in l. *Quod si* 28, et l. *Insulam* 58, ff. *Locati.*

(62. Unde si sit in culpabili mora solvendi, tenetur et pretium et usuras ejusdem solvere; si enim qui ei locavit rem, seu operam suam, ratione non sibi soluti conventi pretii tempore præfixo, patiatur aliquod damnum, ut si cogatur credito, et consequenter carius emere sibi necessaria, debita contrahere, et pro summis capitalibus interesse solvere; seu aliquod honestum et licitum lucrum amittere, tenetur ipse conductor ad omnia talia, et similia damna causata ex sua culpabili mora solvendi integrum pretium; textu expresso in l. *Præses* 17, cod. *De locato*, ibi : « Præses provinciæ ea, quæ ex locatione debentur, exsolvi sine mora curabit, non ignarus ex

Digitized by Google

locato et conducto actionem, cum sit bonæ fidei, post moram usuras legitimas admittere; » et sic tenet communis doctorum.

(63. Conductor sine justa et rationabili causa ante tempus conductionis finitum nequit rem conductam dimittere; alias, si dimittat, tenetur solvere pensiones totius temporis conventi. *Communis*, textu expresso in l. *Dominus* 55, § *Qui contra legem*, ff. *Locati*, ibi : « Qui contra legem conductionis fundum ante tempus sine justa et probabili causa deseruerit, ad solvendas totius temporis pensiones ex conducto conveniri potest : » et concordat l. *Si in lege*, § *Si domus*, ff. eodem, cum similibus.

(64. Dicitur notanter *sine justa et rationabili causa*, quia, tali aliqua causa interveniente sine sua culpa, potest rem conductam deserere, et pensiones non solvere; tales autem justæ causæ sunt; si res facta fuerit sine sua culpa inhabilis ad eum usum ad quem conduxit; si nequeat domum inhabitare, vel quia ruinam minatur, vel spectris, seu spiritibus prædominantibus infestatur, vel pestis, et hostilis incursio ibi prudenter timetur, et hujusmodi; l. *Habitatores* 27, § 1, ff. *Locati*, et *cit. l. Dominus*, et cit. l. *Si in lege*, cum similibus, et communis doctorum.

(65. Conductor, transacto locationis tempore, ex vi contractus tenetur rem conductam integram, et non deterioratam reddere locatori, nisi ex ipso usu secundum se, et ex natura sua, et non ex culpa conductoris sequatur aliqua deterioratio, quæ certe non est compensanda. *Communis* per textum in leg. *Conductoris*, cod. *De locato*, et l. *Non absre*, cod. *Unde vi*. (66. Si autem conductoris dolo, vel culpa lata, seu levi res conducta sit facta deterior; tenetur ad restitutionem, seu compensationem, l. *Si quis* 9, § 3, l. *Item quæritur* 13, § 1, ff. *Locati*.

(67. Conductor tenetur non uti re conducta, nisi ad eum usum de quo facta fuit conventio, alias impetitur actione furtiva; l. *Qui juramenta*, et l. *Qui pignore*, ff. *De furtis*, l. *Si ut certo*, § *Sed interdum*, ff. *Commodati*, et § *Furtum autem sit*, *Instit. de obligat. quæ ex delicto*. (68. Nisi forsan rationabiliter præsumeret locatorem non fore invitum l. *Qui re* 76, ff. eod. (69. Unde qui, absque rationabiliter præsumpto locatoris consensu, utitur re conducta ad alium usum ad quem per locatorem non fuit concessa, et in illo usu ex casu fortuito res fuerit deperdita, vel deteriorata, tenetur de casu. Sicut, si quis equum conduxerit pro itinere Taurinum versus, et eo usus fuerit versus Mediolanum, et ultra, eoque in itinere furatus fuerit, seu perierit, tenetur ad restitutionem, et ad omnia damna, et interesse locatoris, quia peccavit contra justitiam in damnum ipsius locatoris, et ex culpa dedit causam ipsi casui fortuito. Molina disp. 295, vers. *Illud præterea;* Filliuccius, tr. 34, cap. 8, n. 186. Baldus, cons. 289, n. 4, citati, et secuti a Rosignolo, *l. c.* contract. 10. prænot. 15, Bonacina, *De contract.*, disput 3, quæst. 7, punct. 3, cum aliis ibi citatis, Reiffenst., *loc. cit.*, n. 58, et alii arg. citatis juribus.

(70. Conductor tenetur ad resarciendum damnum, sive propria, sive famulorum culpa contingat, si negligens vel culpabilis fuit in seligendis bonis ac probatis servis; secus vero si servi selecti erant moribus, et vita probi, et tales, ut prudens paterfamilias eos non reprobaret; argum. l. *Videamus* 11, in princip. *Locati*, ibi : « Videamus an et servorum culpam, et quoscunque induxerit, præstare conductor debeat? etc. Mihi ita placet, ut culpam etiam eorum quos induxit, præstet suo nomine, etsi nihil convenit, si tamen culpa in inducendis admittit, quod tales habuerit, vel suos, vel hospites. » Concordat l. *Nam et servus*, § fin., ff. *De negot.*, ff. l. *De illo*, ff. *Pro socio*, l. *Cum plures*, ff. eod., l. *Qui insulam*, § fin., ff. *Locati* leg. *Si servus servum* 27, § 9, ff., *ad Leg. Aquil.*, ubi expresse dicitur : « Si fornacarius servus coloni ad fornacem obdormisset, et villa fuisset exusta, Neratius scripsit, ex locato conventum præstare debere; si negligens in eligendis ministris fuit ». Ex quibus juribus aperte infertur, conductores teneri quidem de damno proveniente ex culpa servi non probi, nec diligentis, culpabiliter electi, at non de damno proveniente ex culpa servi probi, diligentis, et probati prudenter electi. Sic Azorius *Instit. moral.*, part. III, lib. VIII, cap. 7, quæst. 4, Rosignol. *loc. cit.*, contract. 10, prænot. 7, n. 6, Reiffenst., *loc. cit.*, n. 64 et alii. *Vid.* verb. DAMNIFICATIO, DAMNUM, n. 8, et verb. INCENDIARII.

(71. Probare, quod damnum ortum, v. gr. incendium in domo conducta contigerit culpa conductoris, spectat ad locatorem. Menochius, *De arb. tr. judic.*, cas 390, n. 9. Mynsing., centur. 6, observ. 88; Laymann, lib. III, *De justitia*, tract. 4, cap. 22, n. 6, ubi testatur de communi; Gail., lib. II, observ. 21; Engel, lib, III *Décretal.*, tit. 18, n. 7; Reiffenstuel, *ibid.*, n. 68, dicens esse communem aliorum sententiam : Mascard, vol. II, conclus. 467, n. 8, ubi concludit hanc sententiam veram esse ac communem. Et ratio est, quia actori incumbit probatio, l. II, ff. *De probat.*, et l. IV, cod. *De fatendo;* in casu autem incendii, si locator prætendit damni compensationem, est actor, ut de se patet, adeoque, etc. Tum quia culpa, et delictum in dubio non præsumitur, sed probari debet, ut tenet communis doctorum cum Mascard, *loc. cit.*, n. 1, argum. l. *Merito* 51, ff. *Pro socio*, l. *Dolum* 6, cod. *De dolo*.

(72. Quando conductor uti non potest re conducta ob impedimentum ex parte sua, vel ratione sui proveniens, tenetur nihilominus ad totam mercedem. *Communis;* arg. l. *Habitatores* 27, § 1, ff. *Locati*, et l. *Dominus* 55, § 2, ff. eod. (73. Nisi forsan locator talem rem v. gr. domum a conductore desertam, statim alteri pro æquali pretio locaverit, ac consequenter nullum damnum sentiat arg. l. *Sed addes* 19, § 9, ff. *Locati*, ubi statuitur deberi mercedem illi penes quem non stet, quod operas locatas præsta-

Digitized by Google

ret : « Si eodem anno mercedem ab alio non accepit. »

(74. Si autem conductor non possit uti re conducta ob impedimentum non ex sua culpa, nec ratione sui, sed vel ex culpa locatoris, seu aliunde proveniens, non tenetur solvere mercedem pro illo tempore quo re conducta uti non potuit. *Communis*, arg. cit. leg. *Habitatores* 27, § 1, ff. *Locati*, l. *Si fundus* 33, l, *Perinde* 34, l. *Et hæc* 35, ff. eod.

(75. Conductor an teneatur augere mercedem, si tempore ubertatis ac fertilitatis majores solito fructus percipiat ex re frugifera conducta? Variæ sunt sententiæ doctorum. Prima absolute tenet, in tali casu augendam esse pensionem in favorem locatoris : sic juristæ communiter, quos affert Molina disp. 494, n. 15, ut notat Lugo, tom. II, disp. 19, n. 50 ; Rosign. *De locato et conducto*, contract. 10, n. 5, cum pluribus aliis ibi citatis, et supra adductis sub n. 39, quia in contractibus onerosis ultro, citroque obligatoriis debet esse æqualis utriusque contrahentis conditio, adeoque si in magna sterilitate debet locator minuere pensionem conductori, eamdem debet augere in magna abundantia conductor locatori. *Contrariorum enim eadem est ratio*, leg. 1. ff. *De his qui sui, vel alieni jur.*, et ut dicitur in reg. 10, ff. *De reg. juris :* « Secundum naturam est commoda cujusque rei eum sequi, quem sequuntur incommoda : » et consonat caput *Qui sentit* 55, De regul. jur., in 6, ibi: « Qui sentit onus, sentire debet commodum, et econtra. »

(76. Secunda sententia tenet augendam esse pensionem in favorem locatoris, quando ubertas seu abundantia provenit ex aliquo casu fortuito ob rerum mutationem; ut si v. gr. quis conduxit molendinum, quod solum supersit, reliquis omnibus casu fortuito aquarum impetu destructis, proinde multo plures afferat fructus seu redditus, tunc conductor augere debet pensionem in favorem locatoris : Molina, disput. 494, n. 10; Lessius, lib. II, cap. 24, dubit 3, n. 21; Filliucius, tract. 36, cap. 3, qu. 5; Navarrus, cap. 17, n. 191 ; Reginaldus, lib XXV, cap. 7, n. 524; Abbas in cap. *Si propter sterilitatem* 3, De locato, n. ult.; Azorius, par. III, lib. IX, cap. 10, quæst. 3; Bonacina, *De contractib.*, disp. 3, q. 8, punct. 3, n. 14; Piringh, lib. III *Decr.*, tit. 18, n. 18, ubi dicit esse communem, et idem dicendum esse, quando ubertas provenit ex cœli clementia propter rationem, et jura adducta n. antecedenti.

(77. Tertia sententia tenet absolute nunquam augendam esse pensionem in favorem locatoris propter notabilem ubertatem seu abundantiam, sive ipsa proveniat ex cit. casu fortuito de molendino, sive ex clementia cœli et aeris, et tanto minus si proveniat ex speciali industria et opera ipsius conductoris. Lugo, *De just. et jur.*, tom. II, disp. 19, n. 52; Engel, lib. III *Decretal.*, tit. 18, n. 6; Zoesius, *ibidem*, n. 12; Caninus, *ibid.*, n. 9; Reiffenstuel, *ibidem*, n. 78 et seq.; Barbosa, in cap. *Propter sterilitatem* 3, De locato ; Illsung, t. IV, d. 2, n. 459; La Croix, lib. III, p. II, n. 1049, ubi dicit esse communem, quia l. *Si merces* 25, § *Vis major*, ff. *Locati*, dicitur expresse quod conductori *immodicum lucrum non aufertur*, et pro hac sententia stat consuetudo et praxis fere universalis, ut fatentur Pincianus, Pinellus, Emman. Suarez, Valasc, Salicetus, et alii quos affert et sequitur Rebellus, part. II, lib. XIV, quæst. 9, n. 1; Lugo *l. c.*, n, 52, et alii dicentes usum non esse augendi pensionem ex hac causa: unde ubi revera viget hæc consuetudo et praxis, servanda est : argum. cap. *Cum tanto* 11. *De consuetudine;* et l. *Circa locationes* 1, cod. *De locato*, ubi statuitur circa contractum locationis attendendum esse ad regionum consuetudines.

(78. Conductor obligans se ad casus fortuitos in genere, non obligatur ad casus penitus insolitos. Bartolus in. l. *Scio*, § *Medico*, ff. *De annuis leg.;* Butrius in cap. 1 *De commodato ;* Bonacina, *l. c.*, n. 13; Rosignol., *l. c.* prænot. 8, n. 4; Pirhing, *l. c.*, n. 6; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 40, ubi ex Molina disp. 495, n. 20, dicit esse communem contra Pinellum, et alios apud Molinam *l. c.*, arg. l. *Fistulas*, § *Frumenta*, ff. *De contrahend. emption.* et *Gloss.*, *ibidem*, verb. *Immoderate.* Ut autem reputetur casus pro penitus insolito, non sufficit quod a longo tempore, v. g. a quadraginta annis non contigerit, sed debet esse talis, qui in hujusmodi regione nunquam contigerit, aut omnem memoriam hominum superet, ita ut de illo nulla penitus cogitatio, aut timor a conductore concipi potuerit; sic notant passim doctores.

(79. Si tamen conductor per pactum expressum se obligasset ad quoscunque casus fortuitos, etiam penitus insolitos, tunc ad ipsos teneretur : *Communis* per textum in l. *Si quis* 9, § 2, ff. *Locati*, l. *licet* 8, cod. eod., l. *Item quæritur*, § *Si gemma*, ff. eodem, l. *Juris gentium*, § *Si quis pactus*, ff. *De pactis*, et cap. *Contractus* 85, *De regul. jur.* in 6, ubi expresse dicitur « quod contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur. » *Vid. supra*, n. 41.

(80. Conductor suscipiens in se periculum equi conducti, non tenetur de morte naturali ejusdem, quia nomine et appellatione periculi non venit mors naturalis ex naturalibus causis obventura; sed in his et similibus causis nomine periculorum veniunt ea quæ ex causis extrinsecis possunt obvenire, ut ex incursione hostium, latronum aggressione, viarum difficultate, et similibus. Tum quia mors naturalis æque obvenire potuisset, sive equus fuerit locatus, sive non; sive locatus tali conductori, sive alteri: nisi conductor quodammodo per modum insuetum causam dederit illius morti, quia tunc, ratione culpæ, teneretur de ipsa morte; sic Rosignolus, *loc. cit.*, disquisit. 1, § 25, n. 2, et alii.

(81. Conductor tenetur prius aliis locatori in fructibus rei locatæ, et locator in dictis fructibus habet tacitam hypothecam contra

Digitized by Google

quoscunque creditores anteriores conductoris. Rota recent. par. XIV, dec. 64, n. 9, p. 18, tom. II, dec. 726, n. 3, et sequent., p. 19, tom. I, dec. 91, n. 20. (82. Locator enim, seu dominus fundi pro pensione sibi debita potest agere executive supra dictis fructibus, l. *Si servus* 63. § *Locavi*, ff. *De fur.*, Rota, par. XIV, cit. dec. 64, n. 6, qui fructus fundi tacite censentur pro pensione obligati, l. *In prædiis*, ff. *In quibus caus. pignor. vel hypoth.* Rota, *ibid.*, n. 7, et locator, seu dominus fundi, quousque non fuerit de pensione satisfactus, potest interdirere asportationem fructuum. Rota, *ibid.*, n. 8.

(83. Locatori competit jus, et actio *ex locato* ad ea omnia prosequenda, ad quæ eidem obligatur conductor vi locationis; et econtra conductori competit jus, et actio *ex conducto* ad ea omnia prosequenda, ad quæ eidem obligatur locator vi conductionis. *Communis* per textum in l. *Præses* 17, cod. *De locato*. Et hæc jura, et actiones, sicuti etiam onera, et obligationes, transeunt respective ad eorum hæredes. *Communis*, per textum in l. *Sed addes* 19, § 9, § *Locati*, l. *Viam veritatis* 10, cod. eodem, § final. *Institut.* eod. l. *Veteris* 13, cod. *De contrahend. et commit. stipul.*, ubi universaliter ita statuitur : « Generaliter sancimus omnem stipulationem sive in dando, sive in faciendo inveniatur, ad hæredes, et contra hæredes transmitti ; » et ibi etiam additur ratio : « Cur enim quod in principalibus personis justum est, non ad hæredes, et adversus eos transmittatur? »

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(84. De locatione bonorum ecclesiasticorum disseruimus licet breviter in addit. ad verb. *Alienatio*, articul. 3. Disserendum hic sed breviter quoque de locatione fructuum eorumdem.

(85. Porro, si fructus non ad rectorem ecclesiæ, sed ad ipsam ecclesiam pertineant, ut solent esse fructus destinati in fabricam ecclesiæ, prohibita sine solemnitatibus est eorum locatio ad longum tempus, non secus ac locatio bonorum ecclesiasticorum pariter ad longum tempus : Clement. *De reb. eccles. non alienand.*

(86. Si autem fructus pertineant ad rectorem, indubitanter prohibita est eorum locatio anticipatis solutionibus in præjudicium successoris, ex concilio Trid., sess. XXV, cap. 11, *De refor.* (87. Quinimo, secluso etiam præjudicio successoris, ex constitutione S. M. Benedicti XIV. cui initium est ; *Universalis Ecclesiæ cura*, prohibita quoque est locatio eorumdem ad vitam, recepta unica vice mercede illa, quam beneficiatis habita ratione ætatis, tum valetudinis corporis verisimiliter durante vita consequi potuisset; idque, ne consumpta pecunia illa, mendicare postea cogatur ipse beneficiarius.

(88. Extra hos casus opinio non vulgarium doctorum est, quod ad longum tempus, imo ad vitam, locari sine solemnitatibus a beneficiario possint fructus ad se spectantes, propterea quod sacri canones prohibendo alienationem bonorum ecclesiasticorum., prospicere intellexerunt indemnitati ecclesiarum duntaxat, non item rectorum earumdem, ut nominatim confutatis Guttierez, Barb. aliisque, firmant doctores in *Decret.* ad tit. *De locatis*, Pirhing, n. 26, Scamb., n. 3, Wiestner, n. 14, Leuren., qu. 146, per tot.; Schmalzgrueb, n. 37, Covarruv., *Variar. resolut.*, lib. II, cap. 16, n. 6, Redoan., *De reb. eccles. non alien.* quæst. 7, § ultim., n. 4; Mantic., *De tacit et ambig.*, lib. XII, t. XII, n. 21, Carroc., *De locat et conduct.*, p. III, n. 51; Azor., *Instit. moral.*, part. II, lib. IX, cap. 2, quæst. 7, Vasquez, *Opus de redditib.*, cap. 2, § 2., n. 31 et 34; Castropal., tom. II, tract. 11, disput. unic. part. II, n. 11 ; Sopran., *ad Filiuc.*, tractat. 44, cap. 4, quæst. 1; Quarant., in *Summ. Bullar.*, verb. *Alienatio*, n. 18; Molin., *De primogen. Hispan.*, lib. I, cap. 2, n. 27; Alter Molin. *De just. et jur.*, lib. I, tract 2, disput. 445, n. 6; Giballin, *De univ. negotiat.*, tom. II, lib. IV, cap. 8, articul. 4., consect. 11, n. 9; Delbene, *De immunit.*, tom. II, cap. 17, dub. 24, per tot., et rursus c. 18, dub. 10, n. 1 et 7, ubi monstrat, contrariam huic sententiæ haud esse extravagantem *Ambitiosæ*, *De reb. eccles. non alienand.* Accedit quod eo ipso quod prohibita est locatio fructuum, de quibus disseritur, anticipatis solutionibus, in præjudicium successoris, et recepta unica vice mercede, hisce exceptis duobus casibus, dici debet permissa, cum alias frustra caderet prohibitio super mox dictis duobus casibus.

(89. At nihilominus delata hac controversia ad supremum auditorium Rotæ, censuit ipsum, ne fructus quidem ad beneficiarum pertinentes posse ab eo ad longum tempus, sine solemnitatibus locari. (90. Quinimo sensit, id ipsum procedere, etiamsi expressim in contractum deducta sit *commoditas* fructuum, si fructus percepturus sit conductor. Vide decisiones *in Aversana Manutentionis* 22 Junii 1757, et 21 Novembris ejusdem anni, *cor. R. P. D. Olivatio*. (91. Causa vero semel a sacro Auditorio fuit examinata, et quia prima propositio fuit facta unica duntaxat parte informante, post secundam propositionem per concordiam fuit finita.

(92. Agit auctor n. 8 et 9 de quæstione illa an et quando successor in beneficium stare teneatur locationi ab antecessore factæ ; sed consule qui eam pro dignitate tractat cardinalem Lanfredin. *Respons. Eccles.*, 10, per tot.

LOTH PATRIARCHA.

ADDITAMENTA AUCTORIS.

(1. Loth quis fuerit, et de rebus ab eo gestis satis Scriptura testatur *Genes.* c. XI, XIII, XVIII, XIX, et *Sapient.* X. Uxor vero ejus, quam Rabbini (teste Calmeto in Dictionario, verb. *Loth*) *Hedith* appellant, cum contra Dei mandatum retrospexisset, in pœnam

Digitized by Google

suæ inobedientiæ, et incredulitatis versâ est in statuam salis, *Genes.* XIX, 26, ibi : *Respiciensque uxor ejus post se, versa est in statuam salis.* Et *Sapientiæ* X, n. 7, ibi : *Et incredibilis animæ memoria stans figmentum salis.* Et quamvis verisimile sit illam nonnisi venialiter, atque ita in purgatorio expiatam animam salvam esse, voluit tamen severius punire Deus, et novo salis exemplo fatuos docere credendum in omnibus, et obediendum Deo, nec in sancto proposito respiciendum retro, aut tergiversandum, ita Rupertus, Prosper, et alii apud Tirinum *in Genes.*, c. 19, n. 26, qui recte addit in eamdem sententiam, ipsummet Christum dicere *Luc.* XVII, n. 31 : *Memores estote uxoris Loth.*

(2. De hac Loth uxoris versione in statuam salis variæ sunt opiniones, at, illis brevitatis gratia relictis, communior et verior est, corpus uxoris Loth, retenta figura feminea, illic conversum fuisse in sal lapideum, et quidem durissimum, ac quasi metallicum; Sic Plinius, Solinus, Isidorus, Aulus Gellius, Petrus Hispanus, Calmet, Tirinus, et alii passim. Imo Irenæus, Buchardus, Adricomius, aliique plures asserunt illam statuam mulieris formam servantem hoc quoque tempore exstare inter mare Mortuum et montem Engaddi, in quem Loth confugit. Quinimo aliqui apud Calmetum *loc. cit.* addunt, rem sane incredibilem, ut ipse notat, quod nempe illa statua lapidea uxoris Loth infirmitatibus propriis, et muliebri sexui consuetis adhuc laboret.

ADDITIONES CASINENSES.

Sodomæ, finitimarumque urbium incendio territus, et diutius in Segor degere Loth veritus, in proximi montis specum una cum suis filiabus se contulit. Hæ homines interiisse, orbemque nisi per ipsas novis incolis donaretur, defecturum sibi suadentes, patrem inebriarunt; natuque major, quin rem ille perciperet, ex eodem filium concepit, qui *Moab* appellatus, Moabitarum pater exstitit. Altera vero filia ex patre iterum inebriato, nocte sequenti concepit *Ammonem*, ex quo deinde Ammonitæ.

Qui incestum illum Loth cum filiabus in examen revocarunt, quidquid est criminosum in ea re discutientes, in varias abeunt sententias. Excusandi aliis Loth, et filiæ videntur, neminem excusandum alii maluerunt. Simpliciores puellas, et ignorantem rerum Loth eo nomine excusat S. Irenæus lib. IV, cap. 51, cum maxime, ait, vir ille non ductus libidine scelus perpetraverit. Rem totam ita statuisse Deum observat, ut permitteret filias Loth commisceri cum patre, ut ea veluti figura exprimeretur fecunditas a J. C. Synagogæ, et Ecclesiæ collata. Apologiam pariter Loth et filiarum instruit S. Chrysost., hom. 44 *in Genes.*, singulari divinæ sapientiæ dispositione factum arbitratus, ut vir ille justus, epoto largius vino, ita mentis impos fieret, ut quid eveniret non intelligens, a crimine esset immunis; nihil enim criminosum est, quod

cognitione vacat, et voluntate. Excusat autem a crimine ebrietatis, quod tædio et mœrore potius, quam mala ingurgitandi vini voluptate ad bibendum invitaretur. Observat tandem Scripturam ipsam purgare quodammodo filiarum Loth a crimine voluntatem, cum illarum rectum consilium aperiat. Cum enim igne absumptum humanum omne genus arbitrarentur, metu ne homines funditus perirent, patrem largius ingesto vino a mente abalienarunt, ne horrore actionis, quam necessariam credebant, retineretur.

Chrysostomum præceptorem pro suo more secutus Theodoretus, quæst. 70 *in Genes.*, excusari Loth ignoratione rerum arbitratur; notat enim Scriptura virum illum, sive ante, sive post, nihil novisse. Ejus quidem ebrietas a crimine penitus non absolveretur; sed si forte filiabus suis vinum affundentibus indulsit, factum id potius, quod crederet, illas tædium patris levaturas liquorem illum propinare. Tandem feminæ illæ nunquam criminis damnarentur; non enim voluptatis pellectum quærebant, sed ob exitium hominum reparandum rem totam præstiterunt.

Eadem ferme ratione factum Loth, et filiarum excusat S. Ambros. lib. I *De Abraham.* Origenes, hom. 5 *in Genes.*, mediam viam tenens, Loth nec damnat omnino, nec prorsus absolvit. Ejus ebriotatem criminis habere aliquid fatetur; et nisi ille vinum intemperanter ingurgitasset, adeo ut a mente abalienari se sineret, scivisset profecto quid agitarent filiæ, nec ab illis decipi se passus fuisset. Sed de incestu virum illum accusari nequaquam æquum esse defendit; neque enim quidquam vel de illo norat, vel voluntate in illum ferebatur. Filias porro, quanquam non prorsus eximendas a crimine arbitretur, hæc tamen pro illo leniendo affert : nempe ad adolescentulas illas aliquid pervenerat de suprema orbis vastatione per ignem; sed cum rumorem tantum, nec totam ejus rei veritatem fuissent assecutæ, reputarunt, incendio illo Pentapoleos hominum genus omne absumptum, eoque mundum redactum, quo olim post diluvium : curandum proinde, ut repararentur homines. Quanquam autem insito quodam horrore absterrerentur ab incestu et a deceptione patris in re tanta, plus tamen mali reputarunt, si sua ipsarum causa hominum genus in suo exitio relinqueretur: adeoque bonum, quod exinde sperabant, criminis gravitatem longe superare arbitrabantur. Accesserunt ergo ad patrem, sed semel tantum. Tandem apologiam claudit his memorabilibus verbis : « Ubi hic libidinis culpa, ubi incesti crimen arguitur? Quomodo dabitur in vitio, quod non iteratur in facto? Vereor proloqui quod sentio, vereor, inquam, ne castior fuerit harum incestus, quam pudicitia multarum. »

S. Augustinus in opere *contra Faustum* lib. XXII, cap 44, omnia colligit hic supra adducta in defensionem Loth : sed pro ingurgitato intemperantius vino excusandum illum minime arbitratur, ne illa quidem ratione, quod scilicet levaturus suum, et ti-

Digitized by Google

liarum de obitu matris tædium, indulgendum aliquid voluptati potandi censeret. Eorum pariter rejicit apologiam, qui incestum hunc excusant, quod scilicet Loth typum exprimat veteris legis, puellæ vero Judæorum : « Illud factum, ait, cum in sacra Scriptura narratur, prophetia est : cum vero in illorum vita, qui hoc commiserunt, consideratur, flagitium est. » Calmet, *Comment. in Genes.*, cap. XIX, v. 32.

Porro idem Augustinus concludit in hæc verba : « Loth culpandus, non quantum ille incestus, sed quantum ebrietas meretur. Nam et hanc lex æterna condemnat, quia cibum et potum ad ordinem naturalem, non nisi gratia conservandæ salutis, admittit, » cit. lib. XXII, cap. 44.

« Nos tamen (prosequitur Augustinus) Scripturas sanctas, non hominum peccata defendimus. Non sic autem de hujus facti purgatione satagimus, quasi hoc Deus noster aut fieri jusserit, aut factum approbaverit, aut justi homines in illis libris appellentur, ut si voluerint, peccare non possent. Cum ergo Deus huic facto nullum justitiæ testimonium perhibuerit, qua dementia (Manichæi) hinc illas litteras (SS. Scripturas) accusare contendunt, cum (in) aliis earum locis apertissime inveniantur divinis præceptis ista prohiberi? Unde in illa re gesta de opere filiarum Loth narrata ista sunt, non laudata. » *Ibid.*, cap. 45.

Audiamus insuper D. Thomam, 2-2, q. 150, art. 4, ubi de ebrietate, et de Loth agit, in hæc sane verba : « In ebrietate duo attenduntur, scilicet defectus consequens, et actus præcedens. Ex parte autem defectus consequentis, in quo ligatur usus rationis, ebrietas habet excusare a peccato, in quantum causat involuntarium per ignorantiam. Sed ex parte actus præcedentis videtur esse distinguendum : quia si ex actu illo præcedenti subsecuta est ebrietas sine peccato, tunc peccatum sequens totaliter excusatur a culpa, sicut forte accidit de Loth.

« Si autem actus præcedens fuit culpabilis, sic non totaliter aliquis excusatur a peccato sequenti, quod scilicet redditur voluntarium ex voluntate præcedentis actus, in quantum scilicet aliquis dans operam rei illicitæ incidit in sequens peccatum. Diminuitur tamen peccatum sequens, sicut, et diminuitur ratio voluntarii. Unde August. dicit contra Faustum, quod *Loth culpandus est, non quantum ille incestus, sed quantum ebrietas meruit.* »

Atque hinc ex occasione notamus « quod quamvis effectus illi pravi, qui frequenter accidunt in ebrietate, voluntarie se inebriantibus imputentur ad culpam, eo quod potuerunt prævideri, ac proinde sint voluntarii, saltem virtualiter, et in sua causa : nihilominus illi eventus, qui raro contingunt, nec fuerunt prævisi, ad culpam non imputantur. Et hac de causa S. August.... excusat ipsum Loth ab incestu quem ebrius admisit... eo quod non præviderit incestum ex ejus ebrietate secuturum. » Sic Reiffenstuel, *Theol. moral.*, tract. 1, *De act. hum.*, dist. 1, n. 10.

Sed ad uberiorem rei explanationem lubet referre quæ a Cornelio a Lapide de Loth ac filiabus ejus notata sunt, hoc sane pacto :

« Joseph., S. Chrysost., Theod., Ambros., has filias Loth a peccato excusant, idque ex duplici capite. *Primo* ex ignorantia eorum invincibili; *secundo*, quod tali casu quo illæ solæ cum patre fuissent superstites, licita erat earum cum patre commixtio, ad servandum genus humanum, ait Ambros. lib. I *De Abraham*, c. 6. Sic enim Eva, quæ ex Adami costa est facta, itaque Adæ fuit quasi filia, ejusdem tamen fuit uxor; quia hæc erat tunc sola in mundo femina. Verum contrarium docet S. Augustinus, et communiter theologi. *Primo*, ignorantia hæc filiarum erat vincibilis; *secundo* concubitus filiæ cum patre est contra omnem naturæ pudorem : unde nullo casu, aut necessitate licitus est, nisi Deus dispenset (16), eumque concedat. » *In cap.* XIX *Genes.*, vers. 31.

Et is idem clarus scriptor loquens de secunda ebrietate Loth, addit : « Hæc secunda ebrietas Loth majus peccatum fuit priori, quia ex priori expertus est jam vini potentiam, suamque temulentiam sapere debuisset, et cavere sibique temperare a vino, ne in secundam incideret. Sed quis præsertim ita afflictus per omnia tam providus est? » Vers. 35, *ibid.*

LUDUS, SPONSIO.

SUMMARIUM.

1. Ludus quid sit? — 2. Ut ludus sit licitus, quatuor requiruntur conditiones, quæ assignantur. — 3. Sponsio quid sit? — 4. Ut sponsio sit licita, quatuor etiam requiruntur conditiones, quæ assignantur. — 5. Ludi contractus jure naturæ semper est licitus, quando in eo supradictæ quatuor conditiones concurrunt. — 6. Jure tamen positivo est prohibitus tam laicis, quam clericis ludus, qui sola fortuna et casu regitur, seu omnis ille qui aleæ nomine venit. — 7. Hæc prohibitio quantum ad laicos non est in vigore, saltem ubi ludus est moderatus quoad pretium, tempus, modum, verba, et hujusmodi. — 8. An autem, et quomodo sit talis prohibitio in vigore quoad clericos? *remissive.* — 9. Regulares et episcopi, propter eorum perfectiorem statum, et propter scandalum, possunt præ aliis clericis facilius et gravius peccare in his ludis. — 10. Regulares ludentes lucri gratia pro pecunia, vel re pretio æstimabili, peccant contra votum paupertatis. — 11. Neque prælati possunt ad hoc licentiam concedere. — 12. Honestæ autem recreationis causa possunt regulares ludere aliquam parvam, et modicam pecuniæ quantitatem de licentia superiorum, dummodo non ludant ludis prohibitis, vel a jure, vel a regula, vel constitutionibus, seu scandalosis, aut religioso statui indecentibus —13. Hinc ludens cum religioso, et lucrans quod religiosus ludere non poterat, sive ratione ludi prohibiti, sive ratione quantitatis non sibi permissæ, tenetur restituere ipsi religioso, vel rectius religioni, seu con-

(16) Vid. *Addit. Casinenses*, v. *Matrim.*, ad art. 3.

Digitized by Google

ventui, cujus est filius. — 14. Similiter contra religiosus ludens ultra eam quantitatem quam potest ludere et perdere, non potest lucratum accipere; et si accipiat, tenetur restituere. — 15. Hæc procedunt non solum de religiosis ludentibus cum extraneis, sed etiam de ludentibus cum aliis religiosis monasterii. — 16. Et probabilius victores tenentur ad restitutionem. — 17. Ludere pro re aliqua spirituali, videlicet pro orationibus, aut psalmis, vel precibus dicendis a victo pro victore, non est peccatum, nec irreverentia. — 18. An liceat sacerdoti ludere ludo alias licito cum laico hoc pacto, ut si laicus vincat, teneatur sacerdos dicere pro illo missam, rosarium, officium S. M. V. et hujusmodi; si vero vincatur, teneatur solvere sacerdoti unum julium, unam gallinam, seu aliam hujusmodi rem temporalem? — 19. Filius si alatur in loco distante a parentibus, potest ex alimentis moderate aliquid insumere in ludos honestos. Item illud, quod parcius vivendo, reservat; et tunc si id amittat, non tenetur victor ad ejusdem restitutionem. — 20. Filius degens etiam in domo patris, et a fortiori extra domum ipsius patris, si suo labore, et industria acquirat aliquid amplius, quam Pater expendat in ejus alimentis, potest de illo moderatam quantitatem ludo exponere; et si illud amittat, non tenetur victor ad ejusdem restitutionem. — 21. Etiamsi expresse constaret de positiva voluntate patris, ut filius nihil penitus ludo exponeret. — 22. Filius potest semel, etiam initio anni, ludo exponere omnem illam summam, quæ juxta suam conditionem, seu juxta assignationem sibi factam a patre, posset licite ludere per totum annum, et si illam totam unico ludo, cum animo non ludendi iterum in toto anno, amiserit, non tenetur victor illam restituere; dummodo sciat non amisisse antea cum aliis illam, vel aliam majorem summam. — 23. Si autem victor sciat, talem filium cum aliis jam amisisse totam illam summam, tenetur ad restitutionem. — 24. Si vero ipsemet victor successive ludens cum tali filio supra eam summam, scienter lucretur, non tenetur restituere totum lucrum, sed solum excessum supra illam summam quam filius ludere poterat. — 25. Si tamen victor scire non possit, an talis filius totam, vel partem dictæ summæ jam cum aliis amiserit, necne; tunc retinere potest lucrum usque ad illam summam quam scit ludere potuisse. — 26. Filiusfamilias potest licite exponere ludo licito bona castrensia, et quasi castrensia; et si ea amittat, non sunt ei restituenda. — 27. Filiusfamilias regulariter non potest ludo exponere bona adventitia absque patris consensu, et si exponat, et perdat, potest pater ea repetere. — 28. In tali autem casu, quo pater illa bona repetat, filius obligatur naturaliter de evictione erga suum victorem. — 29. De jure tamen communi positivo non obligatur civiliter ad illam coactionem. — 30. Filiusfamilias exponens ludo bona paterna, quæ, ignorante collusore, alienare non potest, et cum illis lucrans notabilem summam, tenetur illam summam lucratam restituere. — 31. Si autem collusor fuerit conscius quod talia bona essent patris, et non alienabilia a tali filio, tunc talis filius non tenetur ei restituere dictam summam lucratam. — 32. Uxor, inscio et invito marito, regulariter loquendo, non potest exponere ludo bona ejusdem mariti; nec bona dotalia, et communia, et si exponat, et amittat, sunt a victore restituenda. — 33. Et si exponendo ludo talia bona, quæ, ignorante collusore, alienare non potest, notabilem summam lucretur, tenetur eam restituere: secus autem si collusor fuerit conscius. — 34. Uxor potest similia bona moderate ludo exponere, inconsulto, et etiam irrationabiliter invito marito, in pluribus casibus, qui assignantur. — 35. Uxor potest de jure communi ludis exponere, inconsulto, et invito marito, bona sua patrimonialia non data in dotem, et bona paraphernalia. — 36. Ludens volens plus vincere quam possit perdere, peccat, et si plus vincat uno solo depositionis jactu, et cum una sola persona, tenetur illud plus restituere: secus autem si successive diversis jactibus, aut lusibus, aut uno solo jactu cum diversis simul exponentibus, seu colludentibus. — 37. Ludens cum animo deliberato non solvendi, si perdat, et id collusor ignoret, non potest quidquam lucrari, atque ideo nec retinere quod lucratur. — 38. Secus autem si collusor id sciverit. — 39. Si vero etiam alter colludens similem animum non solvendi habuit, tunc qui vincit potest retinere lucrum. — 40. Ludens bona fide cum fure, et rem furtivam in individuo lucrans, cognita veritate, tenetur ipsam rem restituere domino, et non furi collusori. — 41. Si vero lucretur non ipsam rem furtivam in individuo, sed pretium ipsius rei jam venditæ, potest hoc lucrum retinere, si fur sit aliunde adhuc potens restituere; secus vero si, perdito hoc pretio, fur sit impotens ad restituendum. — 42. Ludens pecunia furtiva, aut quomodocunque aliena, si quid lucretur, potest ipsum retinere. — 43. Sic qui, deficiente sibi in ludo pecunia, eam clam a colludente subripit, et eam postea lucratur, et non habeat quid proprium pro facienda debita restitutione talis pecuniæ furto subreptæ, tenetur restituere lucrum: secus autem si habeat quid proprium unde restituat. — 44. Injuste per metum gravem, aut violentiam tractus et coactus ad ludendum potest lucrari et retinere lucrum; trahens autem injuste non potest lucrari, et si lucretur, debet sic injuste tracto restituere *ad n.* 45. — 46. In ludo licitæ et permissæ sunt aliquæ deceptiones, seu simulationes, quæ assignantur. — 47. Sunt autem in ludo prohibitæ deceptiones et fraudes sequentes: *primo*, si quis designet chartas notis aliquibus occultis, vel quid simile efficiendo ut eas a tergo cognoscat; unde hic tenetur lucrum restituere, et id quod alter lucratus fuisset, nisi ipse illas fraudes commisisset. — 48. *Secundo* si quis accuset plura puncta, ac habeat, et hac ratione lucretur, cæteroquin amissurus: unde hic tenetur restituere, nedum lucrum hac fraude reportatum, sed etiam aliud æquivalens, quod ipse certo amisisset, si alter deceptus excedebat in punctis. — 49. — *Tertio*, si quis dolose primam manum subripiat in ludo sibi non competentem, sed alteri, et illa dolosa subreptione lucrum acquirat, cæteroquin non acquisiturus: unde hic tenetur restituere, nedum totum lucrum, sed etiam id quod ipse certo esset amissurus, nisi illam manum dolose usurpasset. — 50. *Quarto*, si quis ex collusoribus, data opera, se constituat in loco ubi chartas adversarii videre possit, et de facto videat: unde si hic ex tali visione victoriam reportet, cæteroquin non reportaturus, tenetur lucrum restituere. — 51. *Quinto*, si quis ludens, ex aliquo circumstante secreto admoneatur de statu alterius collusoris facientis, seu urgentis sponsionem: unde hic si ante monitionem decreverat non acceptare, tenetur ad restitutionem, et in ejus defectu tenetur ipse secretus monitor; si vero ante talem monitionem anceps erat utrum acceptaret vel non, tenetur restituere solum quoad partem, et non quoad totum, et in ejus defectu tenetur ipse secretus monitor. Si autem ante talem monitionem jam absolute, et vere decreverat acceptare, ad nihil tenetur. — 52. *Sexto*, si quis ludens alteri collusori non advertenti minus solvat quam perdiderit: unde hic tenetur absolute restituere reliquum quod non solvit, et vere perdidit. — 53. An ludens peccet contra justitiam, et teneatur ad restitutionem, si non moneat collusorem errantem contra se in numerandis punctis, vel in accipiendo primam manum sibi competentem in ludo, et ideo ipse perdat, et ille lucretur. — 54. An multo magis in arte ludi peritus ludens cum multo minus perito, teneatur ipsi restituere lucrum ab eo

Digitized by Google

reportatum ratione talis suæ majoris peritiæ? — 55. Lusor qui ludo exponit monetam malam, si habet verum animum sustinendi bonam in casu quo perdat, potest licite retinere quod cum ipsa mala lucratur. — 56. Ludentes ludo legibus prohibito, per se loquendo, secluso scand. et contemptu, aliove malo accidente nec peccant, nec si lucrentur, tenentur lucrum restituere in foro conscientiæ ante sententiam judicis. — 57. Potest tamen victus terrere victorem comminando ei repetitionem lucri, seu pretii soluti in judicio, et sic pacisci cum ipso extrajudicialiter de aliqua parte reddenda, seu restituenda, eo quod juri suo cedat non repetendo in judicio. — 58. An si victus solum ficte minetur, non habens animum vere repetendi in judicio, sit tutus in simili transactione? — 59. Qui ludo prohibito lusit credito, et perdidit, est in conscientia naturaliter obligatus ad solvendum. — 60. An qui ludit ludo prohibito cum animo utendi hoc beneficio legis, scilicet non solvendi, vel solutum repetendi per sententiam judicis, si perdat, possit licite retinere lucrum in casu quo lucretur? — 61. Quamvis victus antecedenter renuntiaverit dicto beneficio legis, potest nihilominus postea adhuc uti tali legis beneficio. — 62. Si tamen renuntiaverit cum juramento, tunc stare debet tali juramento. — 63. An in tali casu possit petere relaxationem dicti juramenti. — 64. An victor possit licite impedire ne a judice condemnetur ad restitutionem. — 65. Quoad sponsionem eadem proportionaliter concludenda sunt, quæ de ludo. — 66. Qui certus est de eventu, vel veritate rei, regulariter loquendo nequit sponsionem inire, et inde lucrum recipere.— 67. Si quis a principio certus videatur de veritate rei quam sustinet, et postea altero pertinaciter contradicente, et spondere volente, incipiat formidare, et dubitare, poterit tunc licite spondere et lucrari.— 68. An quando qui habet certitudinem, protestatur se esse certum, nec velle, aut posse spondere, et tamen ille alius contendit, et vult spondere non obstante illa sibi protestata certitudine, ille possit sponsionem acceptare, et lucrum inde recipere, seu receptum licite retinere. — 69. Subnectuntur *Addit. ex alien.* ad n. 33.

(1. Ludus est contractus quo ludentes inter se paciscuntur ut victori in præmium victoriæ cedat quod singuli deposuerunt. Est in re communis. Ut ludus sit licitus, quatuor requiruntur conditiones. (2. I. Ut ludens non utatur dolo et fraude. II. Ne alter alterum compellat ad ludum per vim, aut verbis contumeliosis. III. Ut ludens disponere possit de re quam ludo exponit. (3. IV. Ut sit æqualis conditio colludentium. Sic doctores communiter. Vide alias conditiones in *Addit. novis.*

(4. Sponsio est contractus in quo duo de veritate, aut eventu alicujus rei certantes, sibi invicem aliquid spondent, ut id ejus sit qui veritatem assecutus fuerit. *Est in re communis.* Ut sponsio sit licita, quatuor requiruntur conditiones I. Ut fiat super re dubia. II. Ut sit æqualitas in re quæ spondetur cum æquali incertitudine. III. Ut dubius sit eventus in utroque. IV. Ut uterque eodem sensu accipiat id de quo certatur. Sic doctores communiter.

(5. Ludi contractus jure naturæ semper est licitus, quando in eo supradictæ quatuor conditiones concurrunt. *Communis;* et ratio est, quia sicuti est in potestate cujuscunque rem suam alteri donare absolute, ita etiam in alterum transferre sub quavis conditione, sive ea fortuita sit, sive ex intentione pendeat: Imo Laymann lib. III, tr. 4, c. 21, n. 1; Reiffenstuel., tr. 8, *De contract.* dist. 4, q. 9; Molina, tom. II, disp. 310, in fine, et alii ex S. Thoma 2-2, q. 168, art. 2, colligunt quod si ludus debito modo instituatur, sit actus duarum virtutum; scilicet justitiæ et eutrapeliæ, et utilis sit ad evitandum otium, et quæ inde sequuntur mala.

(6. Jure tamen positivo est prohibitus tam laicis quam clericis ludus qui sola fortuna et casu regitur, seu omnis ille qui alearum nomine venit. De laicis patet l. *Victum* 1, cod. *De aleatoribus et alearum, lusu* l. *Aleatum*, ult. cod. *De religios. et sumptibus funerum;* l. *Prætor* 6, ff. *De aleatoribus*, ubi sancitur ludentes esse puniendos; et hoc est statutum ad evitanda gravia mala ex ludis non raro evenientia, ut sunt perjuria, blasphemiæ, bonorum dilapidationes, familiarum lapsus, rixæ, homicidia, et hujusmodi; unde etiam Horatius scripsit:

Nam ludus genuit strepitum certamen et iram.

De clericis habetur expresse in canon. 41 et 42 apostolorum, cap. *Episcopus* 1, dist. 35; capit. *Clerici officia*, 15 *De vita et honestat. clericor.*, conc. Trid.., sess. XXII, capit. 1, *De reformat.* Imo non solum legibus ecclesiasticis et canonicis est ludus prohibitus clericis, sed etiam legibus cæsareis et civilibus, ut expresse habetur in Authent. *Interdicimus*, cod. *De episcop. et clericis. Vide* verb. CLERICUS, art. 5, n. 1 et 2, ubi afferuntur omnes præcisi textus.

(7. Hanc tamen prohibitionem quantum ad laicos non esse in vigore, saltem ubi lusus est moderatus quoad pretium, tempus, locum, modum, verba, et hujusmodi, declarat totius orbis praxis recepta, et etiam a valde timoratis frequentata.

(8. An autem et quomodo sit talis prohibitio in vigore quoad clericos *Vide* d. verb. CLERICUS, art. 5, a n. 3 ad 9, et verb. VENATIO, n. 1.

(9. Regulares autem et episcopi, propter eorum perfectiorem statum et propter scandalum, possunt præ aliis clericis facilius et gravius peccare his ludis. Rebellus enim, lib. XII, q. 2, censet religiosos et episcopos non posse excusari a veniali, si vel semel ludant, nisi urgeat necessitas excitandi vel recreandi infirmum, et hujusmodi, cui non possit aliter satisfieri, Diana autem part. VII, tr. 9, resol. 4., ex Molina t. II, disp. 21, n. 6; Dicast., Lug., disp. 31, n. 12, putat religiosos et episcopos in ipsis ludis a peccato gravi excusari vix posse. Et Alcozer, *Lib. de ludo*, c. 11, absolute dicit episcopos et religiosos peccare mortaliter, quando ludis vetitis ludunt, nisi ubi consuetum est, et absque pravo exemplo sæcularium, ob levandum aliquem infirmum, vel conjectum in carcerem, et ob solam animi recreationem, quod verum putant Sanchez. lib. I, *concil.*, c. 8, dub. 28, n. 9; Molina, *l. cit.*; Lugo, *loc. cit.*, n. 12; Bannes et alii, quia hi ludi multum dedecent statum religiosorum et episcoporum.

Digitized by Google

(10. Regulares ludentes lucri gratia pro pecunia, vel re pretio æstimabili, peccant contra votum paupertatis, quia res, quas habeant sibi concessas tantum ad usus necessarios. et utiles, expendunt in usus non necessarios nec utiles, et exponunt jacturæ illicitæ, quod utrumque est contra votum paupertatis religiosæ. Sanchez, lib. VII *in Decalog.*, c. 19, n. 76; Medina, lib. I. *Sum.*, cap. 14; Tamburin., *De jur. abbat.*, t. II., disp. 21, q. 12, n. 1; Bonac., *De contract.*, disp, 2, q. 3, punct. 1, n. 9; Lezana, in *Summa, qu. regular.*, tom. I, c. 6, n. 50, et tom. IV, verb. *Ludus*, n. 10, et alii passim. 11. Neque prælati possunt ad hoc licentiam concedere, quia cum non sint domini, sed tantum prudentes administratores bonorum monasterii, seu conventus, sicut non possunt ipsi in proprios usus, nisi necessarios vel utiles, ea expendere, ita neque possunt subditis facultatem concedere, ut in alios quam in prædictos usus expendant, et tanto minus in ludos. Ledesma II tom. *Summæ* tr. 31, *c.* 1, post 10 conclusionem; Sanchez, *l. cit.*, n. 80; Tambur., *loc. cit.*, n. 8; Salonius 2-2, *Tr. de Domin.*, q. 5, art. 6, dub. penult.; Molina, tom. II, *De justit.*, disp. 250; Lezana, *loc. cit.*, verb. *Ludus*, n. 11; Alcozer., *Lib. de ludo*, cap. 39; Petrus a Navarr., *lib.* III *De restit.*, c. 177; Navarrus comment. 2 *De regul.*, n, 15 et 18; Lessius, l. II *De just. et jur.*, c. 4., dub. 5, n. 33, et alii, et signanter sapientissimus P. Rosignolus *De restitutione* 11, disquisit. 1, § 8, n. 14, ubi habet sequentia verba digna ut hic ad litteram referantur, ibi : « Nec incongrua ratione hæc decernuntur, quandoquidem ea quæ habent singuli religiosi, etiam ex facultate superioris, sunt, nemine discrepante, quoad dominium monasterii; superior autem non est bonorum monasterii absolute dominus, sed simplex dispensator et administrator; et quidem ad normam eorum quæ præscribunt instituta ordinis, et decreta, et sanctiones conciliares, et pontificiæ; sed administratores simplices et dispensatores non possunt administrare et dispensare, ut ea quæ sunt monasterii expendantur extra causas licitas et honestas; cæteroquin patrimonium Christi profunderetur in res illicitas et profanas : hinc absolute arbitror, etiam stante consuetudine, religiosos ludentes ludis vetitis alearum et taxillorum causa lucri graviter peccare, quantumvis hoc præstent superioribus videntibus, et non contradicentibus. Quod si hæc verificantur, etiam superioribus scientibus, quid erit dum fiunt remotioribus in abditis, ut passim contingit, ipsis omnino ignorantibus? An præsumetur eorum voluntas et concessio? Abominabile adeo hoc vitium est, ut religiosum statum et perfectionem evertat, sanctitatem comminuat, vota disrumpat. Oh! quam gravibus pœnis apud supremum Dei tribunal obnoxii erunt, nedum religiosi ludentes, et superiores etiam scientes, et corruptelam hanc non resecantes, quæ cedit nedum in animarum perniciem, sed etiam in religionis eversionem? » Hactenus doctissimus et zelantissimus dictus pater Rosignolus.

(12. Honeste autem recreationis causa possunt regulares ludere aliquam parvam et modicam pecuniæ quantitatem de licentia superiorum, dummodo non ludant ludis prohibitis, vel a jure, vel a regula, vel constitutionibus, seu scandalosis ac religioso statui indecentibus; quia tunc ludus est honestus, et ille usus pecuniæ licitus. Lugo, tom. I, disp. 3, n. 144, ubi dicit hanc sententiam esse communem et veram : Major in 4, dist. 18, qu. 13, in solut. ad 2; Ledesma, tom. II, part. IV, q. 15., art. 5. Lezana, *loc. cit.*, c. 6., n. 50, et verb. *Ludus quoad regulares*, n. 10; Bonacina, *l. cit.*; Tambur., *loc. cit.*; Rosign., *l. cit.*, n. 21; et Portell., *Dub. regul.*, verb. *Ludus*, n. 2, subjungit : « Si vero quæratur quantam summam, seu quantitatem possit religiosus ludere, qualis quisque ille sit : Ego credo illum posse ludere illam quantitatem quam extra ludum licite donare vel alienare potest, juxta suam regulam et constitutiones; hæc enim regula certa est et generalis. Si enim v. g. tres *regales* donare potest juxta suam regulam et constitutiones, vel quid simile minus aut majus, idem etiam poterit alienare ludendo : parum enim interest, si potens donare vel alienare, donet aut alienet gratis, vel per ludum sibi alias licitum. » Et idem tenent Navarr. in *Manual.*, cap. 19, n 12; Azorius, tom. III, lib. V, cap. 25, qu. 8, dicentes posse regularem extra conventum existentem de licentia sui superioris, ex iis quæ sibi mittuntur ad congruam sustentationem, si aliquid modicum sibit subtrahat parce vivendo, illud exponere ludo, honestæ recreationis gratia; et sic etiam Sanch. l. 7 in Decal., c. 19, n. 79, referens Valentiam, Lessium, Graffium, Salonium, et alios; et ita etiam Tamburinus, *De jure abbat.* tom. II, disp. 21, qu. 12, n. 3, et alii. Qui tamen id limitant, nisi talis ludus sit prohibitus, aut indecens religioso, ut est ludus alearum, taxillorum, etc., vel prohibitus per regulam, aut constitutiones. quia ludo prohibito nec parvam, nec magnam quantitatem licet religioso ludere, etiam de licentia superioris, cum pro tali ludo non possit illam concedere. Salon., 2-2, *Tr. de Domin.*, q. 5, art. 6, dub. penult. Molina, tom. II *De just.*, disp. 520; Lezana, tom. 1 *Summ. quæst. regul.*, cap. 6, n. 50, et supra citati.

(13. Hinc ludens cum religioso, et lucrans quod religiosus ludere non poterat, sive ratione quantitatis non sibi permissæ, tenetur restituere ipsi religioso; vel rectius religioni, seu conventui, cujus est filius. Ledesma II part. *Summ.*, tract. 31, c. 1, post 10 conclusionem; Alcozer., *Lib. de ludo*, c. 37; Rosign., *l. cit.*, n. 20; Lezana, *l. c.*, c. 6., n. 51; Rodriguez *Add. summ.*, tom. III, c. 228, concl. 10; Rebell., *De oblig. just.*, II par., l. XII, qu. 5, n. 15; Portell., *Dub. regul.*, verb. *Ludus*, n. 3, et, ipso teste, omnes alii communiter. Et ratio est quia cum religiosus nequeat tali ludo, vel talem quantitatem ludere, nec etiam sic ludens

Digitized by Google

cum illo poterit illam lucrari, adeoque si accipiat, tenetur restituere, et sibi imputare debet, quod non præcaverit abstinendo a ludo cum persona quæ incapax erat ad transferendum dominium rei, seu pecuniæ expositæ tali ludo.

(14. Similiter econtra si religiosus ludens ultra eam quantitatem quam potest ludere et perdere ex licentia sui superioris, vel quia non habet talem licentiam, vel quia ludus est illi prohibitus, et contingat tunc lucrari, non potest lucratum accipere, et si accipit, tenetur restituere. Salon. 2-2, post q. 61, q. 5, *De dominio*, art. 6, dub. penult; Valent., 2-2, disp. 5, qu. 6, punct. 5; Lezana, *loc. cit.*, c. 6, n. 51; Lessius, l. II. *De just. et jur.*, c. 26, dub. 5, n. 32; Rosignol., *l. c.*, n. 21; Lugo, tom. 1, *De just. et jur.*, disp. 3, sect. 7, n. 146, ubi dicit hanc esse communem sententiam doctorum, quos refert et sequitur Sanchez, lib. I *Consil.*, cap. 19, n. 86, quamvis aliqui apud ipsum Sanch., *ibid.*, n. 85, id negent. Et ratio est quia de ratione ludi est, ut in eo uterque ludens æqualis conditionis sit in periculo amittendi et spe lucrandi; qui enim non potest perdere, non potest lucrari, sicuti qui non potest lucrari, non potest perdere; adeoque cum religiosus non possit tali ludo, seu ultra talem quantitatem perdere, nec poterit ultra illam lucrari.

(15. Quæ dicta sunt, non solum procedunt de religiosis ludentibus cum extraneis, sed etiam de ludentibus cum aliis religiosis ejusdem ordinis, seu monasterii. Unde religiosi inter se ludentes ludis vetitis in magna quantitate, sive exstet consuetudo, seu potius corruptela, sive non exstet, graviter peccant. Rosignol., *l. c.*, n. 22; Lezana, tom. IV *Summ. quæst. regul.*, verb. *Ludus quoad regulares*, n. 10, et alii passim; (16. et probabilius victores tenentur ad restitutionem. Rosign., *loc. cit.*, n. 23, et alii.

(17. Ludere pro re aliqua spirituali, videlicet pro orationibus, aut psalmis, vel precibus dicendis a victo pro victore, non est peccatum, nec irreverentia. Navarr. in *Manual.*, cap. 19, n. 7; Diana part. VII, tract. 9, resolut. 1; Sanch., *loc. cit.*, dub. 24, n. 15, Rebellus, lib. XII; Salas, dub. 23, n. 1; Lugo, tom. II, disp. 31, sect. 1, n. 5; Lezana, tom. IV *Summ. quæst. regular.*, verb. *Ludus quoad regulares*, n. 13; Busemb., lib. III, part. II, cap. 3, dub. 3, n. 15; Bonac., *loc. cit.*, u. 8: et alii contra Lopez II part. *Instr. conscient.*, cap. 34, in fine; Peyrin., tom. II *De prælato*, quæst. 2, cap. 2, § 5, n. 103; Vegam, verb. *Ludus*, c. 14, volentes non licere propter irreverentiam qua permiscentur sacra profanis. At verius nulla in hoc est irreverentia erga res sacras, cum potius sit signum devotionis et pietatis erga illas, Deum et sanctos; et si quæ est irreverentia in eo quod prædicta dicantur sine devotione, aut reverentia, id est per accidens, cum possint et debeant devote et reverenter recitari; et talis est usus plurium piorum, maxime apud religiosos.

(18. An autem liceat sacerdoti ludere ludo alias licito cum sæculari, seu laico, hoc pacto, ut scilicet si laicus seu sæcularis vincat, teneatur sacerdos dicere pro illo missam, rosarium, officium B. M. V. et hujusmodi; si vero vincatur, teneatur solvere sacerdoti unum julium, unam gallinam, seu aliam hujusmodi rem temporalem? Negant multi, et Lugo, *l. c.*, n. 5, dicit posse esse periculum Simoniæ; sed id non esse Simoniam, nec quid illicitum tenent Rodrig. in. *Addit. ad Summ.*, tom. III, cap. 228, conclus. 9; Portellus, *loc. cit.*, n. 4; Lezana, *loc. cit.*, n. 13; La Croix, lib. III, par. II, n. 1096; cum Diana, Francisco Bonæspei et Stephano a S. Paulo, ibi citatis. Nam, ut ibi dicit, non ideo res spiritualis æstimatur temporali, sed offertur exsecutio rei spiritualis loco temporalis, alioquin tradendæ, quæ commutatio licita est; si enim sacerdos debeat v. gr. 10 Julios alicui sæculari, licite offert 10 missas pro ipso legendas, ut sic ipsum moveat ad ei remittendos dictos 10 julios; sic quisvis alius sacerdos offert licite missas alteri laico, ut ab eo recipiat triticum, vinum, pannum et aliam hujusmodi rem temporalem, ut passim fieri videmus.

(19. Filius, si alatur in loco distante a parentibus, potest ex alimentis moderate aliquid insumere in ludos honestos et licitos, v. gr. quinque ex centum. Item illud quod parcius vivendo reservet ex pecunia sibi missa, dummodo ea de causa non plura alimenta petat, et tunc si id amittat, non tenetur victor ad ejusdem restitutionem. *Communis.*

(20. Filius degens etiam in domo patris, et a fortiori extra domum ipsius patris, si suo labore et industria acquirat aliquid amplius quam pater expendat in ejus alimentis, potest de illo moderatam quantitatem ludo exponere, et si illam amittat, non tenetur victor ad ejusdem restitutionem; hoc enim fundatur in naturali æquitate et interpretativa et præsumpta rationabiliter voluntate patris consentientis in tali moderato ludo filii. Diana part. VII, tr. 9, res. 5; Rosign., *l. cit.*, *De restitutione*, 11, disquisit. 1, § 9, n. 16, et alii passim. (21. Imo etiamsi expresse constaret de positiva voluntate patris, ut filius nihil penitus ludo exponeret, volunt plurimi quod si filius nihilominus moderatam quantitatem ludo exposuerit et amiserit, nec ipse ejus pater possit ipsam repetere, quia ludi moderati et congrui ejusdem filii ætati et qualitati pertinent ad congruum ipsius statum, secundum quem pater tenetur eum alere et ei conferre quæ tali statui conveniunt: unde est irrationabiliter invitus, quod filius aliquid moderatum secundum suum statum et qualitatem exponat in ludis ab aliis suæ ætatis et conditionis frequentatis. Rosignol., *l. c.*, n. 16; Salas, *Tract. de ludo*, dub. 10, n. 1; Ledesma, in *Summa*, t. II, tract. 31, cap. 2, concl. 8; Alcozer, *Tract. de ludo*, cap. 14, et alii cum Sanch., lib. I *Consil.*, c. 8., dub. 7, n. 5; Lugo, tom. II, disput. 31; sect. 2, n. 20.

(22. Filius potest semel etiam initio anni

Digitized by Google

ludo exponere omnem illam summam quæ juxta suam conditionem, seu juxta assignationem sibi factam a patre, posset licite ludere per totum annum; et si illam totam unico ludo, cum animo non ludendi iterum in toto anno, amiserit, non tenetur victor illam restituere, dummodo sciat non amisisse antea cum aliis illam, vel aliam majorem summam, quia in tali casu filius renuntians recreationi lusus pro reliquo anni tempore, ut semel unico illo ludo majorem habeat, licite totam illam summam semel unico ludo exponit, et sic victor illam totam summam semel unico ludo licite lucratur, adeoque non tenetur illam restituere. Sanchez, lib. I *Consil.*, cap. 8, dub. 7, n. 7; Lugo, tom. II, disp. 31, n. 23; Diana, part. VII, tract. 9, resol. 10; Rosignol., *loc. cit.*, n. 19, et alii passim. (23. Si autem victor sciat talem filium jam illo anno amisisse cum aliis totam illam summam, tenetur ad restitutionem; quia sicuti filius nequit ultra illam summam licite ludere pro illo anno, ita neque victor ultra illam summam potest ab illo aliud licite lucrari, adeoque si sciens priorem amissionem, adhuc cum ipso ludat et lucretur, tenetur ad restitutionem, quia in tali casu lucratur id quod respectu filii ludentis erat alienum, nec poterat ludo exponere. Sic doctores citati. (24. Si vero ipsemet victor successive ludens cum tali filio supra eam summam scienter lucretur, non tenetur restituere totum lucrum, sed solum excessum supra illam summam quam filius ludere poterat; quia quoad illum solum excessum vitiatur contractus seu ludus. Lugo, *l. c.*, n. 23; Rosignol., *l. c.*, n. 21; Sanchez *l. c.*, n. 7, cum pluribus aliis ibi citatis contra Alcozer *L. de ludo*, c. 10, et quosdam alios affirmantes in tali casu restituendum esse totum lucrum, quia dicunt ipsi totus ludi contractus redditur tunc vitiosus. (25. Si tamen victor scire non possit an talis filius totam vel partem dictæ summæ jam cum aliis amiserit, necne; tunc retinere potest lucrum usque ad illam summam quam scit ludere potuisse; quia melior est conditio possidentis, Lugo, *loc. cit.*, n. 22; Sanchez, *loc. cit.*, dub. 7, n. 6, cum aliis ibi citatis.

(26. Filiusfamilias potest licite exponere ludo licito bona castrensia, et quasi castrensia : et si ea amittat, non sunt ei restituenda; filius enim familias, quoad hujusmodi bona est sui juris, et habet plenum eorum dominium independenter a patre, et sic potest ipse licite exponere ludo, et collusor ea licite lucrari sine onere restitutionis. *Communis.*

(27. Filiusfamilias regulariter non potest ludo exponere bona adventitia absque patris consensu; et si exponat et perdat, potest pater ea repetere. *Communis.* Et ratio est quia filius familias quod ad dicta bona, nec habet administrationem, nec usumfructum, cum utrumque maneat apud patrem, quoad usque vixerit; adeoque sine consensu patris nequit ea ludo exponere, et si exponens amittat, potest ea pater repetere, cum non sit suo jure ususfructus et administrationis invitus spoliandus.

(28. In tali autem casu, quo pater illa bona repetat, filius obligatur naturaliter de evictione erga suum victorem, cui rem illam tradiderat. Et ratio est quia filiusfamilias in suis contractibus privata auctoritate initis obligatur naturaliter; cum enim fidejussores minorum et filiorum familias pro eorum contractibus obligentur civiliter, leg. fin. ff. *De jurejur.* et leg. *Marcellus.* ff. *De fidejussoribus*; debent iidem minores et filiifamilias obligari saltem naturaliter; nam deficiente principali obligatione, non potest subsistere accessoria, adeoque ut subsistat accessoria, debet principalis saltem naturaliter obligare; l. *Cum lex*, ff. *De fidejuss. et mandat.*, et l. *Naturaliter*, ff. *De condit. indebit.* Colligitur etiam ex l. *Si pupillus*, ff. *Ad leg. Falcid.* ubi dicitur pupillum ex mutuo accepto obligari naturaliter, et ex l. ff. *De noval.*, ubi dicitur pupillum ex promissione naturaliter obligari. Sic cum pluribus aliis Rosignol., *l. c.*, n. 7.

(29. De jure tamen communi positivo non obligatur civiliter ad illam evictionem, arg. *Inst. de auctoritat. tutor.*, initio, et § *Pupillus*, *Instit. de inutil. stipul.*, ubi dicitur quod minores et filiifamilias possint valide contrahere in suum commodum, non tamen in suum incommodum, et meliorem suam facere conditionem, deteriorem vero non. Sic Rosignolus, *loc. cit.*, num. 8, et alii contra Lessium, lib. II *De justit. et jur.*, cap. 26, dub. 5, num. 35; et sic etiam habetur de jure municipali variarum provinciarum et regnorum, et signanter ducatus Mediolani, ubi est expresse statutum eos non posse contrahere, et si contraxerint, eorum contractus non valere et nullimode obligare.

(30. Filiusfamilias exponens ludo bona paterna, quæ, ignorante collusore, alienare non potest, et cum illis lucrans notabilem summam, tenetur illam summam lucratam restituere; Sanchez, lib. VII *Moral.*, cap. 18, num. 86; Amicus, tom. V, *De justitia*, disput. 28, sect. 3, num. 36; Lopez, *Instruct. conscient.*, c. 16, § *Porro circa ea*; Rosignol., *loc. cit.*, num. 17; Sporer, tom. II, tract. 6, in *Complement. VII præcept. Decal.*, cap. 6, sect. 6, num, 71, et alii passim. Et ratio est clara, quia de ratione ludi est, ut in eo uterque ludens sit æqualis conditionis in periculo perdendi, et spe lucrandi; talis autem filius iniit contractum ludi inæqualem, dum vincere et lucrari voluit, sed perdere non potest, cum id quod ludo exposuit non esset suum, sed patris; adeoque ipsam summam lucratam restituere debet. (31. Si autem collusor fuerit conscius quod talia bona essent patris, et non alienabilia a tali filio, tunc talis filius non tenetur ei restituere dictam summam lucratam, quia collusori scienti et volenti nulla facta est injuria. Ita Sayr., Henriquez, Azor, Bonacina apud Dianam, part. I, tract. 7, resol. 67; Sporer, *loc. cit.*, n. 2; Tamburin., lib. VIII, tract. 2, cap. 9, § 5, n. 18, disp. 4, dub.

Digitized by Google

2, n. 12; Navarr. in *Manual.*, c. 19, n. 11; Augelus, verb. *Ludus*, n. 8; Silvester, cod. verb., q. 17, et alii.

(32. Uxor, inscio et invito marito, regulariter loquendo, non potest exponere ludo bona ejusdem mariti; nec bona dotalia et communia: et si exponat et amittat, sunt a victore restituenda. *Communis.* Uxor enim quoad bona mariti, nec habet dominium, nec usumfructum et administrationem; et quoad bona dotalia, licet habeat dominium directum, non habet tamen usumfructum et administrationem, sicuti nec habet quoad bona communia; adeoque non potest, inscio et invito marito, ea alienare et ludo exponere et consequenter victor tenetur ea restituere, quia revera acceptat rem alienam invito domino. (33. Et si exponendo ludo talia bona quæ, ignorante collusore, alienare non potest, notabilem summam lucretur, tenetur eam restituere; secus autem si collusor fuerit conscius quod talia bona essent mariti, et non alienabilia ab uxore, propter rationem adductam de filiofamilias, n. 30 et 31. Sic doctores ibi cit.

(34. Notanter autem fuit dictum *regulariter loquendo*, quia uxor in pluribus casibus potest similia bona moderate lude exponere, inconsulto et etiam irrationabiliter invito marito. Potest enim uxor de illis bonis insumere in ludis illam moderatam summam et quantitatem quam in ipsis et aliis honestis recreationibus solent insumere aliæ uxores similis conditionis, quoad statum et facultates, ut in simili de filiofamilias fuit dictum supra n. 21, et sic tenent Lugo, tom. I, disp. 16, sect. 4, n. 64; Dicastillus, lib. II *De just.*, tract. 18, disp. 5, dub. 9, n. 19 et seq.: Hurtad., *De just.* disp. 9, difficult. 9; Molina, tract. II *De just.*, disput. 520; Amicus, tom. III, *De justitia*, disp. 28, sect. 4, n. 54; Rosignol., *l. c.*, § 10, n. 3, et alii satis communiter; sic etiam potest uxor ludis exponere ea quæ sua privata industria et labore acquirit post præstita marito et domui debita, et consueta obsequia; item ea quæ maritus eidem concedit ut ornatior et comptior procedat, si ipsa restrictius vivendo, aliquid subtrahat. Item a fortiori potest uxor ludis exponere ea quæ maritus ipsi concedit, ut pro libito expendat. Molina, cit. tract. 2 *De just.* disp. 250; Azor., par. III, lib. V, cap. 26, quæst. 10; Villalobos, in *Summa*, tom. II, tract. 28, diffic. 5, n. 3; Rosignol., *l. c.*, n. 3, et alii passim.

(35. Uxor potest de jure communi ludis exponere, inconsulto et invito marito, bona sua patrimonialia non data in dotem, et bona paraphernalia. Communis ac certa. Uxor enim quoad hujusmodi bona habet de jure communi plenum dominium, usumfructum et liberam administrationem independenter a marito, adeoque potest independenter a marito ea ludis exponere sicuti potest pro suo libito de ipsis disponere.

(36. Ludens volens plus vincere quam possit perdere peccat, et si plus vincat uno solo depositionis jactu et cum una sola persona tenetur illud plus restituere; secus

autem si successive diversis jactibus aut lusibus, aut uno solo jactu cum diversis simul exponentibus seu colludentibus. Si enim v. gr. Paulus non habet seu non potest exponere nisi duos florenos et ludat ac si posset exponere quatuor, sicque primo jactu lucretur quatuor a solo Petro, facit injuriam et tenetur ei restituere duos, quia est tunc manifesta inæqualitas contractus, si solum possit perdere duos florenos et velit una vice seu uno solum jactu ab uno solo collusore lucrari quatuor. Si autem successive diversis jactibus vel lusibus aut etiam uno solo jactu exponat Paulus cum Petro, et aliis tribus colludentibus, et singuli exponant duos florenos, poterit Paulus suis duobus florenis unico jactu lucrari octo, id est duos a singulis, quia suos duos etiam exposuit quadruplici periculo jacturæ apud singulos, adeoque licite potest ludere cum spe etiam ab omnibus quatuor colludentibus lucrandi, et si lucretur, potest retinere. *Communis* cum Sporer, *l. c.* n. 70.

Rom. theologi nota.

Si non potest cum eadem persona plusquam duos florenos ludo exponere, quia non potest plus velle vincere, quam perdere possit: qua ratione poterit cum quatuor aut pluribus uno ictu duos illos exponere animo lucrandi non duos, sed octo vel decem? Si primum non potest, nec alterum.

Responsio auctoris.

Sed bona venia theologi jam a me est *ibi* tradita manifesta ratio, quare non possit in primo casu et possit in secundo; quia in primo casu est manifesta inæqualitas contractus, si Paulus possit solum perdere duos florenos cum solo Petro, et velit unico ictu ab ipso solo collusore Petro lucrari quatuor. Si autem unico ictu exponat Paulus duos florenos cum Petro et aliis tribus vel quatuor colludentibus, et singuli exponant solummodo duos florenos, poterit Paulus suis duobus florenis unico ictu lucrari octo aut decem, id est duos a singulis, quia duos suos etiam exposuit quadruplici aut quintuplici jacturæ apud singulos unico ictu, quia in hoc secundo casu adest manifesta æqualitas; quia sicuti illi quatuor aut quinque colludentes cum suis duobus respective expositis florenis possunt singuli singillatim unico ictu lucrari illos duos florenos expositos a Paulo, ita etiam Paulus poterit unico ictu lucrari ab illis singillatim suos duos expositos florenos; sicuti enim possunt singuli singillatim unico ictu vincere duos expositos florenos Pauli, poterit pariter Paulus unico ictu vincere illos similes duos florenos a singulis singillatim expositos. Militat enim inter ipsos omnimoda æqualitas et par ratio, et ubi eadem est ratio, eadem est etiam legis dispositio; L. *Ideo* 27, ff. *De legibus*, l. *Illud* 32, ff. *Ad legem Aquiliam*, et cap. *Inter corporalia* 2, De translat. episcop., tum quia talis inter ipsos intercedit expressus seu tacitus contractus, ut singuli vicissim possint sic perdere aut lucrari et

Digitized by Google

contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur; cap. *Contractus* 85, *De reg. juris*, in 6, l. *Contractus* 23, ff. *De diversis reg. juris*, l. *Depositum* 1, ff. *Deposit.*, § 6. Nec cuiquam in tali casu fit injuria quia scienti et consentienti non fit injuria neque dolus; textu expresso in c. *Scienti* 27 *De reg. juris*, in 6, l. *Nemo videtur* 145, ff. *De diversis reg. juris*, ibi: « Nemo fraudare videtur eos qui sciunt et consentiunt. »

(37. Ludens cum animo deliberato non solvendi si perdat, et id collusor ignoret non potest quidquam lucrari, atque ideo nec retinere id quod lucratur, quia contractus est inæqualis, cum alterum fraudulenter decipiat in ratione substantiali ludi, quod si aliter sciret nollet cum ipso ludere. *Communis.* (38. Si autem collusor sciverit talem ludentem non habere animum solvendi, et nihilominus luserit, potest lucrari et retinere quia lusor censetur consensisse et remittere, Tambur., lib. VIII, tract. 2, cap. 9, § 1, n. 17; Sporer, *l. c.*, n. 69; La Croix, lib. III, part. II, n. 1076, et alii. (39. Si vero etiam alter colludens similem animum non solvendi habuit, tunc qui vincit, potest retinere lucrum, quia decipiendo se mutuo compensant injuriam. Tamburin. Sporer et La Croix, *l. c.*, et alii.

(40. Ludens bona fide cum fure, et rem furtivam in individuo lucrans, cognita veritate, tenetur ipsam rem restituere domino, et non furi collusori, quia dominium rei ablatæ semper manet apud dominum. *Communis.* (41. Si vero lucretur non ipsam rem furtivam in individuo, sed pretium ipsius rei jam venditæ, potest hoc lucrum retinere, si fur sit aliunde adhuc potens restituere, quia fur erat dominus hujus pretii; at si, perdito hoc pretio, sit fur impotens ad restituendum, tunc lucrans tenetur illud restituere, quia tunc contractus ludi reipsa fuit nullus. Cum enim illud ipsum pretium necessario fuerit a fure restituendum domino, non potuit illud tanquam quid alienum a fure valide exponi ludo. Tambuin., lib. VIII *Decalog.*, tract. 2, cap. 9, § 1, n. 30; Sporer, *loc. c.*, n. 76; La Croix, *l. c.*, n. 1078; Bonacina, disp. 2, *De restitut.*, quæst. 2, prop. 1, cum aliis ibi citatis contra alios oppositum velut probabile tenentes.

(42. Ludens pecunia furtiva aut quomodocunque aliena, si quid lucretur potest ipsum retinere, quia est fructus propriæ industriæ et artis, ideoque suum; dummodo tamen habeat aliquid proprium quod tradat, si collusor vincat, alioquin contractus esset nullus, cum nihil ludi periculo exponeret quod collusor acquirere posset, ut postulat ratio pro servanda requisita æqualitate inter colludentes. Lugo, *loc. cit.*, n. 13; Sporer, *l. c.*, n. 79; Molina, Sanchez cum La Croix, *l. c.*, n. 1076, contra Trullench., Villalob., Dianam, dicentes lucrum nequidem tunc fieri talis ludentis. (43. Si quis, deficiente sibi in ludo pecunia, eam clam a colludente subripit et eam postea lucretur, si non habeat quid proprium pro facienda debita restitutione talis pecuniæ furto subreptæ, tenetur restituere lucrum; si autem habet quid proprium, unde restituat, lucrum sibi acquirit et retinere potest æque, ac si exposuisset ludo pecuniam ab aliquo tertio furto ablatam, cum sit idem casus, sive pecunia sit furto ablata ipsi colludenti, sive alteri. Sanchez et Molina cum Sporer, *l. c.*, n. 79.

(44. Injuste per metum gravem, aut violentiam tractus et coactus ad ludum, potest lucrari et retinere lucrum; trahens autem injuste non potest lucrari, et si lucretur, debet sic injuste tracto restituere. Sic Lugo, tom. II, disp. 31, num. 28 et 30, ubi pro hac sententia citat S. Thomam, S. Antoninum, Abulensem, Henriquez, Eman. et alios plures quos affert et sequitur Sanch., *loc. cit.*, dub. 11, num. 1 et 3, ubi hanc tradit ut certam et communem. Salas, *Tract. de ludo*, dub. 6, num. 2, cum pluribus ibi relatis; Lessius, lib. II, cap. 26, n. 9, et alii plures contra Victoriam, Lopez, Alcozer, Franciscum Garciam et alios volentes non solum debere restituere lucrum eum, qui injuste traxit, sed etiam qui injuste tractus fuit, si ipse lucretur; et contra Molinam disp. 516, Franciscum Garciam *De contractibus*, part. II, cap. 19, et alios dicentes neutrum teneri restituere lucrum, licet trahens cum violentia injusta peccet contra justitiam.

(45. At nostram sententiam vocat communem et veriorem Lugo *loc. cit.*, n. 28, ibique eam solide et late probat dicens, obligationem restituendi lucrum injuste tracto seu coacto non oriri in injuste trahente, seu cogente ex inæqualitate ludi, sed ex injusta læsione, cum sic trahens et cogens per violentiam injustam alium ad ludum, inferat ei gravem injuriam et fiat reus totius damni, quod illi ex tali violentia subsequitur, adeoque debeat eum reddere omnino indemnem, sicuti, ut affert ibi exemplum, si Titius v. g. per metum gravem injuste cogat Caium ad ei vendendum equum, etiamsi pretium justum solverit; si tamen Caius ob eam causam coactus sit postea emere alium equum cariori pretio, debet Titius hoc damnum ei resarcire, quod sua causa est passus, non quidem rescindendo contractum, qui mortuo jam fortasse equo, rescindi non potest, sed reddendo eum indemnem a damno, quod ex Titii injuria seu injusta coactione est ei subsecutum.

(46. In ludo licitæ et permissæ sunt aliquæ deceptiones, seu simulationes, consistentes præcise in artificio ludentis, absque eo quod vitient naturam ludi et injuste lædant colludentem. *Primo* igitur qui scit se meliorem ludum habere, potest metum simulare et formidinem, ut adversarius audacior factus sponsionem augeat, et ipse eam acceptando majus lucrum reportet; *secundo*, qui scit se meliorem ludum habere, et securus est jam de victoria, potest augere sponsionem, ut quid magis lucretur; *tertio*, qui scit se inferiorem ludum habere, atque ideo esse amissurum, potest simulare habere ludum majorem et augere sponsionem, ut alter perterritus recuset acceptare sponsionem, et relinquat ipsi quod jam an-

Digitized by Google

tecedenter ad illam sponsionem appositum erat; *quarto* qui videt adversarium plures chartas accipere quam debeat, potest tacere, ut propter ipsum excessum debeat postea perdere quod appositum est; *quinto* denique licitæ sunt generaliter omnes illæ deceptiones et simulationes quæ, secundum leges illius ludi quo luditur, communiter permittuntur; in dubio autem standum est judicio peritorum. Sic communiter doctores.

(47. Sunt autem in ludo prohibitæ deceptiones, et fraudes sequentes. *Primo*, si quis designet chartas notis aliquibus occultis, vel quid simile efficiendo, ut eas a tergo cognoscat; unde hic tenetur lucrum restituere, et id quod alter lucratus fuisset, nisi illas fraudes commisisset. Trullench, in *Decalog.*, t. II, lib. VII, c. 27, dub. 2, n. 4; Regin., in *Praxi*, t. I, l. X, c. 29, n. 385; Amicus, t. IV. *De justit.*, disp. 28, sect. 4, n. 27; Rosignol, *l. c.*, n. 4, et alii passim.

(48. *Secundo*, si quis accuset plura puncta ac habeat, et hac ratione lucretur, cæteroquin amissurus; unde hic tenetur restituere, nedum lucrum hac fraude reportatum, sed etiam aliud æquivalens, quod ipse certo amisisset, si alter deceptus excedebat in punctis. Diana, par. VII, tract. 9, resolut. 47; Rosign., *loc. c.*, n. 3. Dicastill. *De just.* lib. II, tract. 18., disp. 5, dub. 3, n. 22; Alcozer *Tract. de ludo*, cap. 28, dub. 1, et alii passim.

(49. *Tertio*, si quis dolose primam manum surripiat in ludo sibi non competentem, sed alteri, et ex illa dolosa subreptione lucrum acquirat, cæteroquin non acquisiturus, unde hic tenetur restituere, nedum totum lucrum, sed etiam id quod ipse certo esset amissurus, nisi illam manum dolose usurpasset. Diana, part. VII, tract. 9, resolut. 45; Rosignol., *loc. cit.*, n. 9; Dicastill. *De justit.*, lib. II, tract. 18, disp. 5, dub. 3, n. 14 et alii.

(50. *Quarto*, si quis ex collusoribus data opera se constituat in loco, ubi chartas adversarii videre possit, et de facto videat; unde si hic ex tali visione victoriam reportet, cæteroquin non reportaturus, tenetur lucrum restituere. Diana part. VII, tract. 6, resolut. 50; Sanchez, in *Opus*, tom. I, lib. I, cap. 8, dub. 12, n. 9, cum aliis ibi citatis. Rosignolus, *loc. cit.*, n. 5; Trullench., in *Decalog.*, tom. III, disput. 31, n. 37, et alii.

(51. *Quinto*, si quis ludens ex aliquo circumstante secreto admoneatur de statu alterius collusoris facientis seu augentis sponsionem: unde hic si ante monitionem decreverat non acceptare, tenetur ad restitutionem, et in ejus defectu tenetur ipse secretus monitor; si vero ante talem significationem seu monitionem anceps erat utrum acceptaret, vel non, tenetur restituere solum quoad partem, et non quoad totum, et in ejus defectu tenetur ipse secretus monitor. Si autem ante talem significationem jam absolute et vere decreverat acceptare, ad nihil tenetur. Trullench., in *Decalog.*, tom. II, l. VII, c. 27, dub. 2, n. 4; Dicast. *De just.*, l. II, tract. 18, disput. 5, dub. 3, n. 31; Molfesius, in *Summa*, tom. II, tract. XII, c. 21, n. 58; Rosignol., *l. c.*, n. 6; Sayrus in *Clavi regia*, l. IX, c. 12; n. 23; La Croix, lib. III, p. II, n. 1805.

(52. *Sexto*, si quis ludens alteri collusori non advertenti minus solvat quam perdiderit; unde hic tenetur absolute restituere reliquum quod non solvit et vere perdidit. Diana; p. VII, tr. 9, resol. 53. La Croix, *l. c.*, n. 1084, et alii communiter.

(53. An autem ludens peccet contra justitiam et teneatur ad restitutionem, si non moneat collusorem errantem contra se in numerandis punctis, vel in non accipiendo primam manum sibi competentem in ludo, et ideo ipse perdat, et ille lucretur? Affirmant Navarrus, Ludovicus Lopez, et alii apud Sanchez, *loc. cit.*, dub. 14; Azorius, par. III, lib. V, cap. 25, quæst. 3; Philiarcus. *De offic. sacerdot.*, tom. II, p. V, lib. V, cap. 2; Lessius, lib. II, cap. 26, dub. 3, n. 14; Amicus, tom. V *De justitia*, disp. 28, sect. 4, n. 30; Marchantius, in *Quæst. pastor.*, part. I, cap. 8, proposit. 10, quæst. 1, cas. 5; Molina *De justitia*, t. II, tract. II, disp. 517, in fine; Trullench., in *Decalog.*, tom. II, lib. VII, disput. 27, dub. 2, n. 5; Rosignol., *loc. cit.*; n. 7. Rebellus, lib. XII, qu. 3, et alii addentes, nisi consuetudo in tali loco obtinuerit quod collusores non teneantur monere de hujusmodi errore; negant tamen Sanch., *loc. cit.*, dub. 14; Diana, part. VII, tract. 9, resolut 44; La Croix, lib. III, part. II, n. 1084, et alii, qui dicunt quod licitum est non monere adversarium de tali errore, licet ideo perdat; quia ludens tenetur ipse attendere ad suum negotium, et leges ludorum permittunt errores; cum, ut docet Alcozer, *Tract. de ludo* cap. 20, dub. 3, quem videtur sequi Lugo, *loc. cit.*, n. 36; Hurtadus de Mendoza, *De controv.*, disput. 8, difficult. 7, hæc ludi lex sit, ut error proprius noceat erranti, dummodo alter positive non decipiat.

(54. An vero multo magis in arte ludi peritus ludens cum multo minus perito, teneatur ipsi restituere lucrum ab eo reportatum ratione talis suæ majoris peritiæ? Respondendum est cum distinctione; vel ille multo magis peritus nescit collusorem esse ita imperitum; et tunc potest totum lucrum retinere, quia nulla intercessit deceptio. *Communis*, cum Diana, part. VII, tract. 9, resolut. 30; La Croix, *loc. cit.*, n. 1069. Vel talis multo magis peritus scit collusorem esse multo minus peritum; et hic ab ipso vel ab aliis admonitus de illius longe superiore peritia, vel aliunde eam sciens, nihilominus vult secum ludere; et tunc etiam nihil tenetur restituere, quia hic in tali casu censetur cedere juri suo, quod habebat ad æqualitatem servandam in ludo. Scienti enim et consentienti non fit injuria, Sanchez in *Opuscul.* tom, I, lib. I, c. 8, dub. 13, n. 7; Diana, part. VII, tract. 9, resolut. 31; Dicastill., *De justit.*, lib. II, tract. 18, disp. 5, dub. 1, n. 8 et 12. Faustus in *Specul. confessor.*, disput. 32, quæst. 3; Rosignol., *loc cit.*, § 1, n. 12; La Croix, *loc. cit.*,

Digitized by Google

et alii; vel tandem talis scit se esse multo magis peritum, et ideo est moraliter certus se lucraturum, et collusor id nescit, et si sciret non esset lusurus, et tunc tenetur restituere, quia in collusoribus debet esse æqualitas spei lucrandi et periculi perdendi; in hoc casu autem ex parte ludentis multo minus periti reipsa spes lucrandi est fere nulla, periculum vero perdendi est prope certum; contra vero ex parte ludentis multo magis periti; adeoque ludus est inæqualis, et consequenter injustus et restitutioni obnoxius. Sic Lugo, *loc. cit.* n, 44, ubi dicit ita tenere Molinam, Lessium, Rebellum, Medinam, Petrum Lesdesmam, Azorium, Emman. et alios omnes communiter. Sic Rosignolus, *loc. cit.* cum aliis apud ipsum; sic cum aliis Sporer, tom. II, tr. 7; in *Complement. VII præcept. Decalog.*, cap. 6, sect. 4, n. 67; ubi appellat hanc sententiam communem et veram. La Croix, *loc. cit.*, ubi appellat communissimam; quamvis Toletus, Covarr. et alii apud ipsum *ibid.* doceant etiam in hoc casu ipsum multo magis peritum nihil teneri restituere, et alii cum Diana, apud eumdem *ibid.*, dicant ad summum teneri ad partem majorem, vel minorem pro gravitate, vel levitate periculi quod subiit.

(55. Lusor, qui ludo exponit monetam malam, si habet verum animum substituendi bonam in casu quo perdat, potest licite retinere quod cum ipsa mala lucratur. Si autem non habet verum animum substituendi bonam in casu quo perdat, nullimode lucrari potest ratione inæqualitatis cum collusore. Diana, *loc. cit.*, res. 25; La Croix, *loc. cit.*, n. 1077, et alii passim.

(56. Ludentes ludo legibus prohibito per se loquendo, secluso scandalo et contemptu, aliove malo accidentali, nec peccant, nec si lucrentur, tenentur lucrum restituere in foro conscientiæ ante sententiam judicis; sic card. de Lugo, tom. II, disp. 31, n. 60, ubi cum plurimis ibi citatis dicit hanc esse communem et veram sententiam. Rosign., *l. cit.* § 8, cum multis ibi citatis; Sporer, *l. cit.* n. 81, ubi dicit, quod sic docet jam communis doctorum, quos citant et sequuntur Molina, disp. 513; Sanchez lib. I *Consil.*, cap. 8, dub, 1; Lessius cap. 26, dub. 3; La Croix, *l. cit.*, n. 1086, ubi dicit quod sic communissime tenent Alens, Sotus, Medin., Covarruv., Molina, Trullench, Dicastill., Sanchez, Less., Dian., Tamburin., Lugo, Sporer et alii contra S. Thomam, S. Bonaventuram, Silvestrum et alios dicentes lucrantem ludo per legem adhuc vigentem prohibito, teneri restituere in foro conscientiæ. Et ratio nostræ conclusionis est, quia tali ludo ludentes et lucrantes non peccant, nec restituere tenentur de jure naturæ, quia ludus hic de se est contractus justus et licitus, servatis debitis conditionibus. Nec etiam est talis obligatio de jure communi positivo, quia leges humanæ eum ludum, et translationem dominii non irritant, sed solum præcipiunt restitutionem faciendam victo petenti in judicio post sententiam judicis; hæc enim sunt præcisa verba *L. Alearum*, cod. *De aleatorib.* ibi: « Nulli liceat in publicis vel privatis domibus, vel locis ludere, neque in genere, neque in specie; et si contra factum fuerit, nulla sequatur condemnatio (scilicet victi ad solvendum); sed solutum reddatur, et competentibus actionibus repetatur ab his qui dederint, vel eorum hæredibus, aut his negligentibus, a patre, aut defensoribus illius civitatis; vel recipiat fiscus, non obstante 50 annorum præscriptione. » Unde inferunt doctores quod victor non teneatur restituere pretium solutum, seu lucrum ipsi victo repetenti illud extrajudicialiter, sed solum si ipse, vel ejus hæres repetat in judicio, et sententia a judice proferatur, ut clare colligitur ex verbis illis, *et competentibus actionibus repetatur.*

(57. Potest tamen victus terrere victorem comminando ei repetitionem lucri seu pretii soluti in judicio, et sic pacisci cum ipso extrajudicialiter de aliqua parte reddenda, seu restituenda, eo quod juri cedat non repetendo in judicio. *Communis*, cum citatis doctoribus. (58. Si autem victus solum ficte minetur, non habens animum vere repetendi in judicio, Salas, dub. 28; Molina, disp. 515; Alloza, sect. 1, n. 9; Lugo, *loc. cit.*, n. 72, dicunt non esse tutum, quia per dolum et fraudem cogeret victorem ad sic transigendum. Sed Lessius, *loc. cit.*; Tamburin., cit. § 1, n. 10; Sporer, *loc. cit.*, n. 81, aliique cum Diana, *loc. cit.*, resolut. 18, dicunt esse tutum: quod probabile esse fatentur Sanchez, Castrop., Trullench., Dicastill., et alii, quia revera habet jus repetendi in judicio quod pretio æstimabile est; et illi juri cedit pro restitua parte cui non cederet, nisi pars restitueretur, adeoque videtur id posse licite facere.

(59. Qui ludo prohibito lusit credito, et perdidit, est in conscientia naturaliter obligatus ad solvendum, quia contractus ille ludi est validus, et legibus humanis non irritatur, adeoque dat jus victori ad lucrum; promissio enim mutua, valida, onerosa et acceptata, debet jus aliquod ex justitia parere, et per consequens obligationem in promittente. Sic tenent Joannes Medina et Castro apud Molinam, disp. 516; Corduba, in *Summ.*, qu. 98; Conradus, qu. 196; Franciscus Garcias, *De contractibus*, part. II, quæst. 19; Azorius, part. III, lib. V, cap. 24, quæst. 7; Sporer, *loc. cit.*, n. 83; La Croix, *loc. cit.*, n. 1087, et alii. Verumtamen potest victus se tueri exceptione legis alearum, ut etiam in conscientia solvere non teneatur, quia illa lex non tantum est lata in pœnam lucrantis tali ludo, sed etiam in favorem victi, ut solvere non teneatur, si petat exceptionem ipsius. Navarr., c. 20, n. 17; Molina disp. 515; Tolet., lib. V, c. 27; Lessius, cap. 26, dub. 4; Layman, cap. 21, n. 3; Lugo, *loc. cit.*, n. 70; Adrianus, Aragonius, Covarr., et alii quos affert Salas, dub. 26, n. 2, qui n. 4 amplectitur hanc sententiam cum Rebello et Valentia, nempe posse victum non solvere,

Digitized by Google

si petat judicio ut cassetur promissio. La Croix, *loc. cit.*, num. 1087; Sporer, *loc. cit.*, num. 83, ubi testatur de communi; et ratio est, quia cui jus dat actionem repetendi jam solutum, eidem multo magis dat exceptionem, antequam solvat; textu expresso in l. *Invitus* 156. ff. *De regul. juris*, ibi : « Cui damus actionem, eidem et exceptionem competere multo magis quis dixerit, » et c. *Qui ad agendum* 71, *De regul. juris* in 6, ibi : « Qui ad agendum admittitur est ad excipiendum multo magis admittendus. » Jus autem commune dat actionem repetendi jam solutum ei qui ludo prohibito perdidit, et jam solvit, c. l. *Alearum*, cod. *De aleatorib.*, adeoque ei multo magis competit actio ad non solvendum, antequam solvat. Ad quid enim in hoc casu esset solvere id quod statim potest repetere? Frustra enim solvitur quod statim repetendum est; l. *Dolo* 8, ff. *De doli mali exceptione*, et capit. *Dolo*, 59 De regul. jur. in 6, ibi: « Dolo facit qui petit quod restituere oportet eumdem. » Unde cum retinere propriam rem antequam detur, vel ipsam jam datam iterum repetere, reipsa æquivaleant, non erit injustitia, ut inquiunt Tamburin., *loc. cit.*, num. 11; Sporer, *loc. cit.*, n. 83; La Croix, *loc. cit.*, n. 1087, et alii, alterum modum commodiorem absque inutili circulo eligere. Hinc l. III, ff. *De compensatione* dicitur « Interest nostra potius non solvere, quam solutum repetere.

(60. An autem qui ludit ludo prohibito cum animo utendi hoc beneficio legis, scilicet non solvendi, vel solutum repetendi per sententiam judicis, si perdat, possit licite retinere lucrum in casu quo lucretur? Molina, Reginald., Dicastill., Lessius cit. cap. 26, n. 31, dicunt, ipsum teneri restituere id quod lucratur, quia talis decipit adversarium falso significans, se illi cessurum esse si vincat, quam deceptionem, si ille sciret, certe non luderet, deinde non ponit æqualitatem requisitam inter ludentes. Sanchez autem, *loc. cit.*, dub. 5, n. 1; Lugo cit. n. 53; Sporer, *loc. cit.*, n. 84; La Croix, *loc. cit.*, n. 1088, et alii cum Diana, *loc. cit.*, resolut. 25, probabilius dicunt ludum esse validum, et dictum ludentem posse licite retinere lucrum, quia intentio adimplendi non est de essentia promissionum vel contractuum, adeoque etiam licet talis non habeat intentionem solvendi pretium, ludus tamen erit validus, et transferet dominium lucri. In reliquo autem utitur suo jure, ex beneficio legis concedentis sibi exceptionem, ne teneatur solvere, vel actionem ad repetendum solutum si jam solverit; collusor autem sibi imputet, si ludit tali prohibito ludo qui dat jus suo colludenti, vel non solvendi, vel solutum repetendi; neque est inter ipsos inæqualitas, quia etiam alteri competit idem beneficium legis, si perdat.

(61. Quamvis victus antecedenter renuntiaverit dicto beneficio legis; scilicet non solvendi, vel solutum repetendi, potest nihilominus postea adhuc uti tali beneficio legis; quia omnis ludens promittit irrevocabiliter solvere, et tamen lex vult ut, non obstante promissione solvendi, possit adhuc non solvere, vel solutum repetere, cum ipse per talem promissionem non possit vim legis enervare; Sic tenent Rebell., Salas, Lessius, Diana, *loc. cit.*, resolut. 26; Lugo, *loc. cit.*, n. 65; La Croix, *loc. cit.*, num. 1089, et alii. (62. Si tamen renuntiaverit dicto beneficio legis cum juramento, jurando scilicet se non usurum tali beneficio, tunc stare debet juramento quo non potest licite non solvere et licite repetere solutum. Si enim id sub juramento promisit, debet observare cum sit omnimode observandum juramentum promissorium de re licita. Molina, disput. 515; La Croix, *loc. citat.*, n. 108; Lugo *loc. cit.*, n. 66; Sporer, *loc. cit.*, n. 83, Lessius, *loc. cit.*, n. 26, et alii quos affert et sequitur Salas, dub. 26, n. 7. (63. Dicunt tamen Navarrus, Covarr., Valentia, Toletus, Vega, Henriquez, Diana, et alii quos refert et sequitur Salas, *loc. cit.*, n. 8, posse petere relaxationem juramenti, et hac obtenta uti dicto beneficio legis; at melius negant Molina, Sotus, Lessius, Rebellus cum card. de Lugo, *loc. cit.*, n. 66; La Croix, *loc. cit.*, n. 1089, et alii, quia cum tale juramentum sit de re licita et de solutione quam absque peccato accipere et retinere potest victor, videtur confirmare contractum, et dare jus ex justitia, in cujus præjudicium non potest prælatus relaxationem concedere*. Sed vid. *Addit Casinenses* sub. v. JURAMENTUM, n. 78 et seq.*

(64. An autem victor possit licite impedire ne a judice condemnetur ad restitutionem? Omnes communiter docent posse id licite facere, si sine vi vel fraude impediat, v. gr. pure negando se lusisse, donec probetur. Si autem de hoc interrogetur judicialiter a judice, quamvis Molina, Sanchez, et alii cum Diana, *loc. cit.*, resol. 27, dicant ipsum non teneri fateri se lusisse tali ludo et lucratum fuisse, si probari non possit; tamen si de hoc interrogetur judicialiter a judice, Lessius, *loc. cit.*, n. 21; Lugo, *loc. cit.*, n. 64; La Croix, *loc. cit.*, n. 1090, et alii probabilius dicunt teneri fateri, quia lex non est pure pœnalis, sed dispositiva, et judex habet jus ad interrogandum, cum non agatur de punitione, sed de restitutione a lege concessa.

(65. Quoad sponsionem quæ fuit descripta supra n. 3 adductis ibi n. 4, conditionibus ad ipsam requisitis, cum sit ludo valde affinis, de ipsa est concludendum proportionaliter, sicut hactenus de ludo fuit conclusum; unde hic solum aliqua specialia de sponsione adducuntur. (66. Qui certus est de eventu, vel veritate rei, regulariter loquendo nequit sponsionem inire et inde lucrum accipere. *Communis.* (67. Et ratio est clara; quia qui certus est de eventu et veritate rei, nullo periculo perdendi se exponit, ut se exponit alter, qui, si id sciret, nollet spondere cum ipso, adeo-

Digitized by Google

que defectu æqualitatis inter sponsores, est illicita talis sponsio, nec ex ipsa potest aliquod lucrum accipi, et si sit acceptum, debet restitui. Notanter autem dicitur, *regulariter loquendo*, quia si quis a principio certus videatur de veritate rei quam sustinet, et postea altero pertinaciter contradicente, et spondere volente, incipiat formidare, et dubitare reflectens contigisse alias, ut deceptus fuerit etiam in iis quæ sibi prius certa apparebant; poterit tunc licite spondere et lucrari propter aliquale illud periculum cui in sua existimatione se exposuit. Molina, disput. 508, ante fin., Lugo, *loc. cit.*, n. 79, qui testatur de communi.

(68. An autem, quando qui habet certitudinem, protestatur alteri, se esse certum, nec velle, aut posse spondere, quia nulli se exponit periculo, et tamen ille alius contendit, et vult spondere, non obstante illa sibi protestata certitudine, an, inquam, ille possit sponsionem acceptare et lucrum inde recipere, seu receptum licite retinere? Affirmant multi, inter quos Navarr. in *Manual.*, cap. 19, n. 18; Diana, tom. III, tr. 4 *Miscellan.*, resol. 176, Villalobos, in *Summa*, tom. II, tract. 28, diffic. 6, n. 2; Busemb., lib. III, part. II, cap. 3, dub. 13, num. 4; Ludovicus Lopez, Medina, quos affert et sequitur Sanchez, lib. I *Consil.*, cap. 8, dub. 13, num. 11, Layman, l. III, tract. 4, cap. 21, num. 4, ubi dicit hanc sententiam esse veram, et alii: quia tunc, dicunt ipsi, nulla est fraus, aut injuria, cum scienti et volenti non fiat injuria, et sibi debet alter imputare suam temeritatem. Alii tamen id negant, ut Molina Alcozer, Franciscus Garcias, Lessius, Bonacina, quos citat et sequitur Lugo, *loc. cit.*, n. 81, et alii, quia tunc, dicunt ipsi, non servatur æqualitas quæ requiritur ad contractum sponsionis, ut uterque æquale periculum subeat, possitque et vincere et vinci; Filliucius autem, tract. 25, cap. 2, n. 24. secutus a Sporer, *loc. cit.*, n. 85, et ab aliis, recte dicit primam sententiam esse satis probabilem, sed secundam esse magis justam et tutam.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

Libet de ludo, tum de sponsione disserere secundum jus civile, quod utinam ubique gentium servaretur.

(69. Ludus vel est *fortunæ*, vel *virtutis*. Plura autem jure civili contra aleatores sancita sunt, quæ tamen ad omnes lusores *fortunæ* pertinent, ut tradunt Andr. Sensileb. *De alea veter.*, (70. et Passus Just., *De alea, seu curanda in pecuniam ludendi cupiditate.* (71. Huc l. pertinet generalis prohibitio ludi fortunæ tam in privatis, quam in publicis domibus; l. fin. cod. *De aleat.* (72. II. Quod ludo perditum victori petere non liceat; l. I et III, cod., d. tit. (73. III. Quod victus et hæres ipsius perditum condicere valeat non solum ab ipso victore, sed et ab ejus hæredibus; d. l. I, c. d. t. (74. IV. Quod si victus pecuniam

repetere negligat, id facere queat vel ipsius pater, vel magistratus civitatis, vel tandem fiscus; d. l. I, c. d. tit. (75. V. Quod etiam episcopis incumbat prospicere ut hoc fiat, et eo nomine præsidium auxilio utantur; l. final., c. d. tit. (76. VI. Ut huic repetitioni non nisi 50 annorum præscriptio obstet; l. III, c. d. tit. (77. VII. Ut cautio super aleæ usu data sit irrita, et condici possit; l. 1. c. dict. tit. (78. VIII. Si quis verberaverit hospitem lusores tolerantem, damnumve ei dederit, nulla huic detur actio; l. I, in princ., ff. d. t. (79. IX. Qui alium ad ludendum compulit, in latomias, vel vincula publica condemnandus; d. l. I, in. fin., ff. d. t. (80. X. Nec venia digni, qui, licet ab initio ad lusum non coegerint, victi tamen dimittere nolunt; l. II, in princip., ff. d. tit. (81. XI. Quod etiam adversus parentes illius qui in alea quid lucratur, repetitio danda sit; leg. final. in fin. ff. d. tit. (82. Quod tamen procedere reor, si parentum consensu filii ludo indulgeant; (83. vel filiis certam pecuniam ad ludendum dent.

(84. De pecunia ad ludum, de quo disserimus, *fortunæ* credita, an ea repeti possit, nihil speciatim definitum est. Cæterum interest, num ea credita sit a collusore, an a receptatore lusorum, an a tertio. (85. Collusori, et receptatori lusorum actionem communiter denegant DD. *Vide* Pseil, consil. 28, num. 6; Marsmann., in *Miliologia*, cap. 2, fer. per tot.; Coler., part. I, dec. 173, num, 9; Berlich., part. I, decis. 66. (86. At quod attinet ad tertium, ei dant actionem Carpzov., l. VI, respons. 96, num, 15; Berlich, part. I, d. dec. 66, negat vero inter alios Bruneman., ad l. VIII, num. 3, ff. *Pro emptor.* Hactenus de ludo fortunæ.

(87. Ludus *virtutis* permissus est, si honestati non refragetur et sanitatis causa modice adhibeatur. Quorsum spectat locus Ciceronis lib. I *Officior.*, § 103, ibi: « Non omnem damus ludendi licentiam, sed eam quæ ab honestis actionibus non sit aliena. »

(88. Videamus nunc quos virtutis ludos permiserint jura nostra. Paulus illos recenset in l. II, § 1, ff. d. tit. « Si quis, inquit, certet hasta, vel pila jacendo, vel currendo, saliendo, luctando, pugnando, quod virtutis causa fiat. » Consule vero Gothofred. ibidem, tum Pancirol., *Thesaur. variar. lection.*, lib. I, c. 48, in princ.

(89. Sed nec omittendum est quinque ludorum species recenseri et permitti a Justiniano in l. I, et final. c. d. titul. Confer. et Pancirol., *Thesaur. variar. lect.*, lib. I, c. 47, et Marsman. in *Miliologia*, c. 2.

(90. De lottaria, sive olla fortunæ, quæri solet an plus juris hic subsit quam in ludo fortunæ alio? Ollas hasce defendunt plures, modo eæ publica auctoritate sint constitutæ. (91. Adi Molin., *De just. et jur.*, tract. 2, disp. 509, fer. per tot.; Kloch., *De ærar.*, lib. II, c. 118, n. 4; Martin. del Rio, lib. IV *Magic. disquisit.*, cap. 4, q. 1. Illas vero impugnat Dedekenn., *Consil. theolog.*, vol. II, tit. 8, num. 15. Amesius, *De casib. con-*

Digitized by Google

scient., cap. 23. (92. Sed de hac quæstione alibi ex professo disserendum.

(93. Reliquum est, ut verba faciamus de sponsione. Hanc vulgo licitam dicunt, ex sententia *Martiani* in l. III, ff. d. tit., sed omittunt limites ab eodem. Jurisconsulto adjectos, ut scilicet in aliis casibus, ubi pro *virtute* certatum non est, sponsionem facere non liceat. (94. Quinimo ex leg. fin., § *Nec permittimus*, c. d. tit. ubi virtutis causa sponsio fit ultra unum solidum, si multum dives sit, exponere prohibitum. Vide Wissembach., ad tit. hunc, ff. *De aleator.*, § 18.

* NOVA APPENDIX

NOVISS. ADJECT.

Ne lectores non pauca, quæ ad hunc articulum pertinent, ab auctore omissa, aliunde petere cogantur, ea hic subjicienda duximus

(1. Ut ludus, quatenus pro contractu accipitur, licitus sit, præter quatuor conditiones ab auctore nostro n. 2 propositas, tres adhuc Antoine, atque theologi vulgo requirunt. (2. Harum prima est, ut serventur omnes conditiones ad ludum honestum necessariæ: quia ludus, ut contractus, continet ac supponit ludum generatim, cui est accessorius.

(3. Ludus vero generatim ex Antoine in *Tract. de contractibus*, cap. 11, quæst. 1, « est jucundum aliquod dictum, vel factum ad animi relaxationem ordinatum. » Ejus finis proximus est, ut animus oblectatione relaxetur, fiatque aptior ad applicationem ac intentionem necessariam, eo modo, quo vires corporis per somnum reficiuntur : quies enim animæ delectatio, inquit S. Thomas, 2-2, quæst. 168, art. 2. Hinc ludus tam potest esse honestus, quam dormitio, si cum debitis circumstantiis ob finem honestum exerceatur, pertinetque ad virtutem, quam Aristoteles et S. Thomas eutrapeliam vocant, quæ est species temperantiæ, per quam homo dirigitur, ac inclinatur ad modum in ludo tenendum.

(4. Ut autem ludus sit licitus, hæc ex communi sententia requiruntur. 1° Ut ludi genus nullo jure sit prohibitum. 2° Ut non sit occasio peccandi, nec scandalum, aut damnum ullum cuiquam pariat. 3° Ut modus debitus, decorum, et omnes circumstantiæ debitæ serventur, ita ut congruat personæ, tempori, et loco, etc., nam, *bonum ex integra causa, malum ex quovis defectu.* Hinc conc. Senonense prohibet clericis, ne in publico ludant pila, aut aliis ludis, maxime cum laicis, ob indecentiam. 4° Ut nec sæpius, nec diutius ludatur, quam exigit necessitas reficiendi vires animi, et eum expeditiorem reddendi ad debita officia. Necessitas enim est mensura ludi, sicut cibi, et potus. « Parum autem de delectatione sufficit ad vitam, quasi pro condimento, sicut parum de sale sufficit in cibo, » ait Aristoteles a S. Thoma quæst. cit., art. 4, relatus. His adde, ut ludus necessarius referatur ad finem honestum; nam homo semper propter finem honestum agere tenetur. (5. Altera conditio est, ut non ludatur principaliter ob lucrum quia finis proximus ludi est animi levamen, et oblectatio, ut animus vegetior atque aptior fiat ad debita munera propter Deum obeunda. Nec illud prætermittendum, lucrum, quoad lucrum, finem honestum esse non posse. Cæterum qui ludit ex intentione primaria lucrandi, inquit Cuniliati, tractat. 10, cap. 11, § 1, n. 111, cum communiori Cajetani, et Soti non peccat lethaliter, quia revera non desideratur damnum proximi, sed desideratur res proximi, ita ut ad ludentem perveniat modo justo; et quemadmodum non est lethale desiderare rem etiam pretiosissimam, ita ut sibi perveniat modo justo, puta aut donatione, aut alio justo titulo; ita in præsenti. Secus dicendum, si lucrum intentum prævideretur allaturum familiæ colludentis grave detrimentum, ut dixi; tunc enim sicut illicitum esset ludum continuare lucrando, ita illicitum quoque est tale lucrum intendere. Si quis autem moderate ludendo intenderet lucrum, non propter ipsum lucrum, sed puta, ut filiæ dotem convenientem constituat, etc., tunc nec veniale forte videretur.

(6. Tertia conditio est, ut summa, quæ ludo exponitur, sit modica secundum cujusque facultatem, et conditionem, et non major quam opus sit ad excitandum cum oblectatione animum, et impediendum ne ludus langueat.

(7. De regularibus, ludentibus Cuniliati, tractatu 16, cap. 2, § 4, n. 5, et seq. scribit: « Circa ludos alearum, italice *di fortuna*, et præcipue chartarum, quantum dedeceat ecclesiasticas personas, et præcipuæ regulares, declarant sacri canones, ordinumque regulæ; et idcirco theologi communiter damnant peccati lethalis religiosos hujusmodi ludis, præcipue frequenter, operam dantes: sufficiet afferre duos recentiores perdoctos, nec de severitate doctrinæ suspectos. Primus est P. Passerinus, tom. II, q. 187, art. 2. « Ludi « chartarum, » ait ipse, « maxime cupiditati et « avaritiæ deserviunt, eo quod de uno ex illis « ad aliud est facilis transitus... Inde est, « quod nedum in religionibus observantibus, « sed et in omni religione, prælati hujusmodi « pestes, et ludos voluptuosos, nulla consue- « tudine obstante, juxta sancita in concil. Tri- « dentino sess. XXII, cap. 1, *De reformat.*, « exstirpare debent; et graviter peccant, si id « non faciant, et si hujusmodi ludos permit- « tant; et multo amplius si dent licentiam « eis ludendi suis subditis. » (At, dico ego, quid? si forte superior ipse suo exemplo oppositum doceret?) « Manifestum est enim, « quod per usum horum ludorum sub præ- « textu recreationis fratrum, sternitur via ad « dissolutionem religionum. » Hæc doctor primus. Audi secundum; qui est P. Rotarius tom. I, II, lib. III, cap. 1, puncto 12, n. 13 et 14, ubi concedens, quod nos non audemus concedere, nempe licere aliquando regularibus, chartis ludere, deinde sic scribit. « Secus dicendum, si sæpe vacarent « prædictis ludis; nam tunc difficile excusa-

Digitized by Google

« rentur a mortali (*nota bene*), etiamsi ludent sine scandalo, ut ex communi docto« rum testatur Lezana, verbo *Ludus*, n. 4. « Erit autem ludus frequens, et ludens dicetur consuetudinarius, si semel in hebdo« mada fiat, juxta Bordonum. Resol. 33, n. « 3.» Claudit demum hoc punctum Giribaldus gravibus verbis, quibus invehitur in religiosos sæpe ludentes ludis vetitis alear., et taxillor., causa lucri. Rossignolus item, sive hoc faciant, nescientibus, ut communiter contingit, sive etiam videntibus, et non contradicentibus superioribus, (verba ipsius sunt) abominabile hoc vitium est, ut religiosum statum, et perfectionem evertat, sanctitatem comminuat, vota disrumpat. Heu ! quam gravibus pœnis ad supremum Dei tribunal obnoxii erunt, nedum religiosi ludentes, sed superiores etiam scientes, et corruptelam hanc non resecantes, quæ cedit nedum in animarum perniciem, sed etiam in religionis eversionem ! Ex dictis patet, communem sententiam esse, quod etiamsi non obstent decreta, neque sit scandali periculum, neque ingens pecunia ludo exponatur; tamen in religioso consuetudo ludendi nequit a mortali excusari, cum nimis adversetur statui religioso. » Ex his inferri debet: *primo*, ex communi, superiores permittentes introductionem ludi chartarum in suos conventus, graviter peccare, sicuti et introductum exstirpare non procurantes. *Secundo*: dictis ludis religiosos utentes, saltem aliqua frequentia, certo peccare lethaliter. Dixi, saltem aliqua frequentia, ut communem opinionem indicarem : cæterum adopto opinionem semper damnantem ut mortales in religiosis hujusmodi ludos; nisi forte parvitas materiæ, nempe brevissimi temporis, et magnæ raritatis excuset; eo quia et jura ecclesiastica nimis urgeant; et hujusmodi ludi nimis regulari statui adversentur; et regulares obligationes, præcipue studium perfectionis exterminent. *Tertio*: inferendum, graviter peccare superiores, qui, ubi toleratur abusus peculii, concedunt religiosis ludentibus aliis ludis honestis, et non vetitis, puta tesseredibus, scacchis, pila, etc., ut pecuniam exponant, quamvis intra claustra, quia id dissonat paupertatis voto, et excedit suam auctoritatem, quæ nihil potest circa ea quæ sunt voti læsiva. Eo vel magis, quod est moraliter impossibile, impedire transitum paulatim de modica summa ad majorem, et de majori ad grandem, cum voti jactura semper majori. Similiter peccare ipsos religiosos, tam sine licentia pecuniam exponentes, quam cum licentia; quæ cum sit injusta, et sine honesta causa, quandoquidem discordat a voto, et a regularitate, nequit licitum reddere actum. Si opponas : igitur nil pretio æstimabile poterit cum licentia exponi, ad acuendam honestam delectationem ludentium? Respondeo, posse aliquid licite exponi de licentia, puta imagines, cereolos, etc., pecuniam vere non; quia est esca nimis alliciens avaritiæ famem, nimisque adversans voto; usus enim aliarum rerum, imaginum, cereolorum, etc. conceditur religiosis quibuslibet; neutiquam usus pecuniæ, ob datam rationem. » Et tract. 10 *De septimo Decalog. præcepto*, cap. 11, § 2, n. 4 : « Ludentes ludo alioquin permisso, dominium habere debent eorum quæ ludo exponunt, ut patet. Hinc juxta communem, pupilli absque tutoris; et minores absque curatoris; et religiosi absque superioris licentia, nil exponere possunt, et qui lucratur, tenetur lucrata restituere respective tutoribus, curatoribus, religioni : eo quod lucretur ab his, qui rem suam alienare non possunt, » ait S. Thomas, 2-2, q. 32, a. 7 ad 2.

(6. Huc quoque pertinent, atque ut a regularibus et monialium confessariis etiam atque etiam considerentur, deprompsimus, quæ scribit P. Ubaldus Giraldi, *Expositionis juris Pontificii*, part. 1, sect. 558, pag. 369, seq. Sunt autem hujusmodi : « Hic serio monitos velim quoscunque paupertatis voto, tam simplici, quam solemni, et huic potissimum obstrictos, ne cum periculo damnationis æternæ se allucinentur, putantes sibi licitum esse citra sacrilegam dicti voti fractionem, pecuniam, cujus usum habent, cuicunque ludo exponere, et præsertim vulgo *del lotto*, ea falsa innixi ratione, quod id ludi genus, jam prohibitum a Benedicto XIII, die 12 Augusti 1727, etiam sub pœna excommunicationis, Papæ reservatæ, permissum deinde fuerit a Clemente XII, in ejus *Motu proprio*, 9 Decembris 1731, incipien. *Tra le molte angustie*, impresso in typographia Camerali : in hoc enim expresse excluduntur quicunque paupertatis voto obstricti sint; ibi : « Percio ci contentiamo, che nel nuovo « Lotto, da noi, come sopra permesso (Ro« mæ tamen; et tota Ecclesiastica ditione « duntaxat) possa qualunque persona dell' « uno, e l'altro, sesso, *non comprese però « quelle, che venissero impedite dal vincolo « de' voti di povertà.* » Quæ ultima verba repetita etiam leguntur in edictis de mandato ejusdem Pontificis, publicatis ab eminentissimo Urbis vicario, et a generali thesaurario., sub die 12 dictorum mensis, et anni, in eadem typographia impressis. Nec existiment se tutos in foro conscientiæ, si id faciant cum licentia suorum superiorum, si forte hodie, et cum hac faciant; quandoquidem omnia jura proclamant, his omnino interdictum esse, concedere propriis subditis facultatem quidquam erogandi in usus profanos, et contra ipsorum statum, sed in necessarios duntaxat, licitos et honestos. Hinc (ita, hoc certo et incontrovertibili firmato principio, inter alios DD. communiter infert Bartholomæus a S. Fausto congreg. Fuliensis, ordinis Cisterciensis, in *Thesauro Religiosorum*, lib. VIII, *De voto paupertatis*, qu. 94 : « Prælatus non potest facere facultatem hujusmodi religioso, v. g. ut expendat « pecuniam in ludos, luxus et similia : et « quamvis prælatus prædictam licentiam con« cedat, non ideo subditus excusatur a mor« tali, et a nota proprietatis, si in materia

Digitized by Google

« gravi ea u.atur. » Et ratio est quia hoc non est dispensare, vel rectam licentiam dare, sed dissipare, quia dispensatio est discreta pensatio, necessitate, vel utilitate suadente; at in pecunia ad libitum religiosi expendenda, nunquam est salutifera dispensatio : Neque itidem sibi suadeant, tam superiores in concedendo licentia, quam subditi in ea utendo, se mortalis peccati reatui non esse obnoxios, si exponant præfato ludo, sicut et cæteris, parvam aliquam summam, ratione parvitatis materiæ; cum enim non semel, sed pluries intra annum, et hic in Urbe decem et octo vicibus hanc prætensam parvam summam exponere soleant, et sic continuando quolibet anno, non video quomodo dici possit parvitas materiæ; eo pari modo, quo dici nequit, eum excusari a peccato mortali ratione parvitatis materiæ, a quo per pauca moraliter continuata furta ablata est magna summa totalis, juxta propositionem XXXVIII, in ordine, inter alias proscriptas ab Innocentio XI, 2 Martii 1679. Neque tandem ad excusandas excusationes in peccatis, subsidium sibi ita tuto aucupari se posse credant a vivæ vocis oraculo, quod prolatum fuisse dictitant a laudato Clemente post publicationem relati *Motus proprii*, licere scilicet paupertatis vinculo obstrictis parvam aliquam pecuniæ summam prædicto ludo exponere, non obstante prohibitione, in eodem Motu proprio expressa, cum de eo nullo modo constet. Et quamvis ex attestatione aliquorum fide dignorum, ut dictitatur, constaret, præsumi nequit, tantum Pontificem ita zelotypum ad sartam tectam fidelium pietatem servandam, voluisse dicto vinculo obstrictis aperire viam proprietatis, ipsis indulgendo, non ut raro, sed ut toties quoties quolibet anno exponere possent prædicto ludo parvam aliquam summam, quæ integraret, ut dixi, magnam summam totalem contra votum paupertatis. Unde de hoc asserto vivæ vocis oraculo dicendum est, verum fuisse commentum, ab aliquibus excogitatum ad proprie indulgendum cupiditati, palliandumque proprietatis vitium. Si qui vero citra lethalem culpam se tuto id, non semel, sed pluries in anno, facere posse credant, aut vi hujus præsumpti oraculi, aut alterius tituli, puta ad subveniendum, vel suæ, vel loci pii, vel alienæ paupertati, ipsi viderint, cum non meum sit de iis judicium ferre. Audias tamen quid de iisdem sentiat S. Antoninus, part. XI, tit. 1, cap. 23, § 3. « Sed et religiosi, si quæ habent ad « usum, vel per administrationem, illa tamen « donare, vel alienare non possunt licite, ut « in LUDIS. » Est hic notandum, quod quamvis Clemens derogaverit constitutioni Benedicti quoad excommunicationem inflictam iis qui prædicto ludo vacarent, hanc tamen firmam remanere declaravit contra illos, qui in ludendo uterentur pravis artibus, et detestabilibus, ac damnatis superstitionibus, ut dicam infra ad titulum *De sortilegiis*, ad cap. 2, *In tabulis*, nempe pag. 687, ubi hæc ex motu proprio Clementis XII, refert : « Quanto poi alla pena « della scomunica, vogliamo parimente, « che resti fermà solamente contro quelli, « che tratti da una folle speranza di vincere « per mezzi riprovati, ed illeciti, useranno « nel giocare arti prave, o si serviranno « di detestabili, e dannate superstizioni; « quale deve credersi essere stata, ancora « l' unica, e principale mira del prenomi- « nato nostro Predecessore nel l' imporla. » De hoc porro ludo qui plura cupit, legat Hieronymi Ercoli J. C. Romani Dissertationem *Del giucco del lotto, che sia degno di essere da per tutto proibito.* Romæ MDCCXXVIII. Confer Andreæ Hieronymi Andreucci opusculum inscriptum : *L' osservanza divinatoria de sogni fatta scorgere inutile, colpevole, e pericolosa:* in Roma MDCCXLII. Inter alios præcipue legendus Anonymi liber, cui titulus *Trattato de' Giochi permessi, o proibiti ai Christiani*, Roma, 1768; per il Barbiellini *alla Minerva.* Meminerint quoque omnes decreto 15 Julii 1732, proscriptum fuisse libellum, qui inscribitur : *Liste dell' Arti di tutte l' Estrazioni ridotte per ordine di alfabeto;* ut constat ex Indice librorum prohibitorum Benedicti XIV Pont. Max. auctoritate publicato pag. 160 *.

LUNATICUS, ET FURIOSUS.

Vid. verb. IRREGULARITAS, *art.* 2, *n.* 12.

LUXURIA.

SUMMARIUM.

1. Luxuria quid sit. — 2. Luxuriæ species sunt septem : scilicet fornicatio, adulterium, incestus, stuprum, raptus, sacrilegium, et peccatum contra naturam, quod subdividitur in mollitiem, inordinatum concubitum, sodomiam, et bestialitatem; quibus accedit impudicitia. — 3. Fornicatio quid sit. — 4. Fornicatio est peccatum mortale. — 5. Fornicatio est intrinsece mala. — 6. Fornicatio alia dicitur vaga more pecudum, modo cum hac, vel hoc, modo cum illa, vel illo; alia determinata cum una certa et determinata persona, et dicitur concubinatus. — 7. Concubinatus quid sit. — 8. Fornicatio cum persona infidi li an sit simplex fornicatio, vel addat novam malitiam specie distinctam, et in confessione necessario aperiendam? — 9. Fornicatio cum sponsa, vel sponso alterius de futuro, an addat novam malitiam injustitiæ distinctam et in confessione necessario aperiendam? — 10. Qui copulam habuit cum soluta, non sufficit, si dicat in confessione, *Commisi grave peccatum contra castitatem cum soluta*, sed debet explicare copulam. — 11. Adulterium quid sit? et omnia, quæ ipsum concernunt, *remissive.* — 12. Incestus quid sit? — 13. Non solum concubitus, sed etiam tactus, amplexus, oscula, etc., participant rationem incestus, si fiant inter personas consanguineas, aut affines. — 14. Ad hoc ut incestus sit casus reservatus, nisi aliud ab episcopo exprimatur, requiruntur tres conditiones, quæ assignantur. — 15.

Digitized by Google

Incestus est peccatum mortale gravissimum duplicis malitiæ, scilicet contra castitatem, et contra virtutem pietatis personis conjunctis debitæ. — 16. An incestus inter diversos consanguinitatis vel affinitatis gradus commissi distinguantur specie? — 17. Incestus juxta gradus suos sunt necessario in confessione exprimendi. — 18. Incestuosus volens post copulam incestuosam contrahere in gradu prohibito, debet pro dispensatione recurrere ad sacr. Pœnitentiariam, si tam culpa, quam gradus sint occulti. — 19. Si tamen gradus est publicus, copula vero est occulta, debet prius petere a Dataria dispensationem gradus, et postea a sacr. Pœnitentiaria dispensationem impedimenti orti ex copula incestuosa occulta. — 20. Incestuosus an, et quando possit, et debeat, vel non, petere, et reddere, vel offerre debitum? *remissive*. — 21. Stuprum quid sit? — 22. Stuprum non est copula in quam consentit virgo. — 23. Quandonam virgo censeatur ita violenter deflorari, ut ejus defloratio dicatur stuprum stricte, et proprie sumptum? — 24. Concubitus etiam violentus corruptæ non est stuprum. — 25. Stuprum est gravissimum et speciale peccatum ob gravissimam injuriam, quam stuprator infert puellæ virgini et ejus parentibus. — 26. Stuprator tenetur in foro conscientiæ aut virginem stupratam ducere in uxorem, aut illam honeste dotare. — 27. Si tamen puella ob illatum stuprum nullum aliud damnum passa fuit, stuprator ad nullam obligatur restitutionem, seu dotationem ante judicis sententiam. — 28. Raptus quid sit? et omnia quæ ipsum et raptorem concernunt: *Remissive*. — 29. Sacrilegium carnale, et personale quid sit? — 30. Sacrilegium est peccatum gravissimum, et speciale contra virtutem religionis. — 31. Qui simul est sacerdos et religiosus non committit duplex sacrilegium violando castitatem. — 32. Si ambæ personæ, quæ peccant, sunt sacræ, est duplex sacrilegium in confessione exprimendum. — 33. Peccatum contra naturam, quid sit? — 34. Peccatum contra naturam subdividitur in mollitiem, inordinatum concubitum, sodomiam, et bestialitatem. — 35. Mollities, seu pollutio quid sit? — 36. Mollities, seu pollutio ab apostolo vocatur alio nomine *immunditia*, et est peccatum mortale contra naturam. — 37. Mollities est intrinsece mala, adeo ut etiam seclusa prohibitione divina, adhuc foret mala; et sic nunquam, neque prætextu tuendæ sanitatis, vel vitandæ alias certæ mortis, licitum est intendere, et directe procurare mollitiem, seu pollutionem. — 38. Desiderare efficaciter, ut eveniat naturaliter pollutio, vel de ipsa jam secuta gaudere ob delectationem, est omnino illicitum. — 39. Non est tamen illicitum desiderare inefficaciter, ut pollutio mere naturalis, et omnino involuntaria in sommo eveniat, vel de ea naturaliter, et involuntarie secuta gaudere ob aliquem finem bonum. — 40. Pollutio in somnis involuntarie secuta, non est peccatum. — 41. Potest tamen pollutio in somnis esse peccatum, si oriatur ex causa præterita illicita, aut otiosa, proxime ordinata ad venerem. — 42. Si autem pollutio oriatur ex causa tantum remota, et per accidens ad ipsam concurrens, non est peccatum mortale. — 43. Pollutionem omnino involuntariam, sponte sua naturaliter evenientem, aut in somnis jam cœptam non impediens, nec reprimens, non peccat. — 44. Facturus aliquam actionem necessariam, seu licitam, et honestam, et prævidens inde naturaliter secuturam pollutionem, nullo tamen modo a se volitam et intentam, non tenetur abstinere a tali actione, dummodo absit periculum consensus in delectationem. — 45. Polluens se cum imaginatione, seu desiderio peccandi cum persona soluta, conjugata, voto castitatis obstricta, consanguinea, vel affine, debet in confessione circumstantiam personæ exprimere. — 46. Inordinatus concubitus quid sit? — 47. Conjuges gravissime peccant contra naturam, si voluntarie concumbant modo tali, quo certo impediatur generatio. — 48. Sic mortaliter peccant si se retrahant in acta seminationis, ne proles concipiatur. — 49. Conjuges, qui in copula vas naturale servantes, variant situm, et modum coeundi ordinarium, si id faciant sine seminis perdendi periculo, et ex aliqua justa causa tunc excusantur a peccato; si vero id faciant sine justa causa, ordinarie peccant, saltem venialiter. Et si id faciant cum seminis perdendi periculo, peccant graviter. — 50. Sodomia unde dicta? — 51. Sodomia quid sit? — 52. Sodomia est duplex, una perfecta, altera imperfecta, et quæ sit utraque? — 53. Sodomia perfecta differt specie ab imperfecta, et ideo est in confessione specificanda. — 54. Sodomia perfecta committitur inter masculos, sive coeant inter se in vase præpostero, sive in ore; et inter feminas committitur, sive utantur vase anteriori, sive posteriori. — 55. Ut sodomia sit casus reservatus, requiritur, quod actus sit completus cum effusione seminis intra vas. — 56. Sodomia, sive perfecta, sive imperfecta, ultra primam malitiam, habet aliam specie distinctam in confessione explicandam juxta statum personarum copulatarum. — 57. Probabilius in confessione debet exprimi, an quis fuerit agens, vel patiens? — 58. Complexus duorum masculorum se carnaliter per modum copulæ commiscentium cum affectu ad eumdem masculinum sexum; sicuti et complexus duarum feminarum similiter se carnaliter commiscentium, cum affectu ad eumdem femineum sexum cum effusione seminis, licet ipsum semen in nullo vase emittatur, sed in membris effluat, reducitur ad sodomiam, estque hæc circumstantia in confessione explicanda. — 59. Non reduceretur tamen ad peccatum sodomiæ, si mas se polluerit inter coxendices, brachia, seu alias partes femineæ extra quodlibet vas. — 60. Rei hujus nefandi et horrendi criminis sodomiæ puniuntur tum jure civili, tum canonico gravissimis pœnis, quæ assignantur. 61. Dictas pœnas non incurrit, qui mulierem cognoscit Sodomitice. — 62. Nec dictæ pœnæ aliquem ligant ante judicis sententiam criminis declaratoriam. — 63. Hic in detestationem tanti criminis est sciendum, quod sodomitæ omnes mortui fuerunt in illa nocte, qua Jesus Christus natus est. — 64. Bestialitas quid sit. — 65. In confitendo peccato bestialitatis, non est opus dicere cum qua specie animalis sit commissa. — 66. Explicari tamen debet, an sit facta cum bestia mare, vel femella, et in vase naturali, aut in præpostero? — 67. Ad speciem bestialitatis reducitur coitus viri, aut feminæ cum dæmone succubo, vel incubo. — 68. In coitu viri, aut mulieris cum dæmone, triplex ordinarie concurrit peccatum specie distinctum in confessione exprimendum, quod assignatur. — 69. Bestialitas est omnium peccatorum contra naturam gravissimum, et punitur gravissimis pœnis, quæ assignantur. — 70. Mollities, sodomia, et bestialitas habent malitias specie distinctas. — 71. Impudicitia quid sit. — 72. Oscula, tactus, et amplexus impudici ob delectationem sensualem venereum inter personas solutas, sunt peccata mortalia. — 73. Oscula, tactus et amplexus, si fiant secundum morem patriæ, causa urbanitatis, amicitiæ, fovendæ pacis, benevolentiæ, debiti obsequii, et hujusmodi, per se loquendo, excusantur a peccato, et licent. — 74. Tactus, et oscula facta in partibus impudicis, et verendis a personis solutis sunt peccata mortalia. — 75. Imo tactus, et oscula impudica verendorum sunt peccata mortalia etiam in illis, qui propter defectum ætatis, aut alia de causa seminare non possunt. — 76. Osculari pueros ex affectu teneræ infantilis ætatis, item eos complecti, tangere captando delectationem sensibilem ex mollitie carnis teneræ, per se loquendo, secluso consensu, aut complacentia turpi, vel nullum est peccatum, vel tantum veniale. — 77. Ancillæ teneros pueros vestientes, lavantes, eorumque pudenda tangentes, aspicientes, etsi motus sensualis exsurgat, secluso consensu, aut complacentia turpi,

Digitized by Google

aut non peccant, si ita officium exigat, aut solum peccant venialiter, si leviter et ex curiositate faciant : si tamen id facerent cum mora, ordinarie peccarent mortaliter. — 78. Aspicere animalia coeuntia ex curiositate, vel levitate tantum, seclusa voluntaria concupiscentia libidinosa, est peccatum tantum veniale. — 79. Insuper eadem animalia, minora præsertim, ut catellos, catos, et hujusmodi, molliter tractare, demulcere, etiam eorum pudenda contrectare, ex sola curiositate, vel levitate sine ulla impura delectatione, ordinarie est tantum peccatum veniale. — 80. Esset tamen mortale ita bruti alicujus pudenda fricare, ut semen expelleret curiositate illud videndi, et ob delectationem sensibilem. — 81. Personæ ejusdem sexus, simul nudæ existentes in balneo, in habitaculo, seu alibi, et se invicem ex curiositate aspicientes, seu ex levitate aut joco tangentes etiam in partibus verendis cum motu sensualitatis, secluso libidinoso consensu, et complacentia turpi, non peccant graviter. — 82. Peccant autem ordinarie graviter sic aspicientes, vel tangentes personas diversi sexus, aut concubitus humanos, etiam secluso affectu venereo. — 83. Seipsum vero aspicere, seu tangere ex curiositate, vel levitate, seclusa intentione, et complacentia turpi, ordinarie est solum veniale peccatum. — 84. Persona soluta permittens se tangi, osculari, et hujusmodi ab alia, quando peccet graviter vel non? *remissive*. — 85. Obscœna legere, inhonesta canere, turpia loqui, impudicos gestus facere, turpes comœdias spectare, literas amatorias et lascivas scribere, et recipere, talia audire, et similia facere, si hæc fiant cum intentione, et complacentia turpi, vel cum periculo ruinæ spiritualis sui, vel aliorum, sunt peccata mortalia; si autem fiant ex curiositate, vel levitate tantum, seu ex vano solatio sine dicto periculo, sunt solum peccata venialia. — 86. Libros, cantiones, seu tractatus obscœnos componentes, vel divulgantes, comœdias turpes exhibentes, seu repræsentantes, picturas ad libidinem incitantes facientes, seu publico exponentes et hujusmodi peccant mortaliter. — 87. Choreæ de se non sunt malæ, nec actus libidinis, sed communis lætitiæ; dummodo tamen fiant locis, et temporibus non prohibitis, et modis licitis. — 88. Omnes tactus, oscula, amplexus, turpiloquia, aspectus lascivi, et hujusmodi, quæ fiunt inter conjuges sine ordine ad copulam, si fiant cum periculo pollutionis in uno, vel altero, vel pertineant ad Sodomiam quamdam inchoatam, sunt peccata mortalia, alias non sunt nisi venialia. — 89. Quando autem conjuges graviter peccent, vel non, circa delectationem morosam de actu conjugii? *remissive*. — 90. Omnes tactus, oscula, amplexus, turpiloquia, aspectus lascivi et hujusmodi, quæ fiunt inter sponsos cum delectatione sensibili venerea morosa, et directe voluntaria, sunt peccata mortalia; alias non sunt nisi venialia; et si pudice fiant ex recto fine secundum consuetudinem patriæ, sunt licita. — 91. Quando autem sponsi graviter peccent, vel non, circa delectationem morosam de copula futura, et de dictis tactibus, osculis, amplexibus, etc.? *remissive*. — 92. Viduæ quando peccent, vel non circa delectationem morosam de copula præterita? *remissive*. 93. Quando feminæ graviter peccent, vel non, in ornamentis, et similibus provocantibus ad lasciviam? *remissive*. — 94. Quando sint peccata gravia cogitationes impuræ, et delectationes morosæ, quæ ex hactenus recensitis oriri solent? *remissive*. — 95. In delectatione venerea deliberata, seu in re, vel materia luxuriæ in se directe et deliberate volitæ, non datur parvitas materiæ excusans a mortali.

(1. Luxuria est inordinatus appetitus, vel usus venereorum. Est in re communis. (2. Luxuriæ species sunt septem; scilicet fornicatio, adulterium, incestus, stuprum, raptus, sacrilegium et peccatum contra naturam; quorum ultimum subdividitur in mollitiem, inordinatum concubitum, sodomiam, et bestialitatem, quibus accedit impudicitia. Ita doctores communiter, paucis exceptis qui omittunt sacrilegium scilicet carnale, et personale.

(3. Fornicatio est naturalis concubitus illicitus soluti cum soluta. Est in re communis. (4. Fornicatio est peccatum mortale; est de fide et oppositum est hæresis damnata in Clementina incipien. *Ad nostrum* 3, *De hæreticis*. Apostolus enim *ad Ephesios* v, expresse dicit : *Omnis fornicator, aut immundus. . . non habet hæreditatem in regno Christi, et Dei;* et *ad Galatas* v, dicit : *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, et impudicitia, luxuria*, etc., et his similia, *quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur;* et in *Apocal.*, cap. xxi, sic habetur : *Fornicatoribus . . . pars erit in stagno ardenti, igne, et sulphure, quod est mors secunda.*

(5. Fornicatio est intrinsece mala, de jure naturæ graviter prohibita. Natura enim abhorret a fornicario concubitu, tanquam fini generationis, bono prolis, imo et bono communi opposito; Unde merito Innocentius XI, die 2 Martii 1679, inter alias damnavit sequentem propositionem 48, in ordine : « Tam clarum videtur, fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, et solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur ».

(6. Fornicatio alia dicitur vaga more pecudum, modo cum hac, vel hoc, modo cum illa, vel illo. Alia determinata cum una certa et determinata persona, et dicitur concubinatus. (7. Qui concubinatus est fornicatio continuata cum eadem certa et determinata persona, ita ut supra fornicationem addat statum, et perseverantiam, sive interim quis, vel quæ personam fornicariam domi habeat, sive ex consuetudine illam conveniat; et hic concubinatus est tam grave et periculosum peccatum, ut concubinarius absolvi non possit, nisi certo promittat concubinam quamprimum dimittere, et si secundo reversa concubina sine justa causa nondum ejecta, est ei absolutio deneganda, quia concubinarius non solum peccat fornicando, sed etiam in continuo saltem virtuali proposito peccandi perseverat, quandiu concubinam voluntarie detinet; Hinc Alexander VII die 28 Martii 1666 justissime damnavit sequentem propositionem 41 in ordine : « Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgo *regalo*, dum deficiente illa nimis ægre ageret, et aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent et alia famula nimis difficile inveniretur. »

(8. An fornicatio cum persona infideli v. gr. Judæa, vel Turcissa sit simplex fornicatio, vel addat novam malitiam specie distinctam, et in confessione necessario ape-

Digitized by Google

riendam? Affirmant Navarrus, Lugo, et cum nonnullis aliis Sanchez, libr. VII *De matrimonio*, disp. 5, volentes, quod sicuti Ecclesia speciali ratione prohibet matrimonium fidelis cum infideli ob motivum religionis, cum talia conjugia sint damnosa conjugi fideli, et bonæ educationi prolis : ita propter idem motivum censeatur speciali ratione prohibitus fornicarius concubitus fidelis cum infideli. Negant e contra Azorius, par. III, lib, III, c. 29. Diana, Tamburinus, Filiucius, Mastrius; Reiffenstuel, *Theol. moral.* tract. *De præceptis Decalogi*, distinct. 4, qu. 2, n. 15; Felix Potestas, tom. I, part. I, n. 2142, et alii, quia nullo jure probatur malitiam illam esse specie distinctam, quamvis revera sit gravior, et ideo reservari soleat, et puniri; nec id probat assumpta paritas de prohibitione matrimonii, quia in matrimonio habetur longe major conjunctio, et inde majus periculum subversionis conjugis et prolis, quam in simplici accessu fornicario, ut de se patet, adeoque, etc. * Primæ ex his opinionibus magis adhærere videtur Antoine, in tract. *De peccatis*, art. 5, quæst. 2, § *Item fornicatio fidelis*. Et sane copula fidelis cum infideli in religionis dedecus vergit. *

(9. An fornicatio cum sponsa, vel sponso alterius de futuro addat novam malitiam injustitiæ distinctam, et in confessione necessario aperiendam? Negant aliqui cum Mastrio, *Theolog. moral.*, disput. 11, n. 119; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 14. At probabilius affirmant alii cum Henno, tom. I, disput. 6, quæst. 1, conclus. 1; Busemb., lib. III, par. I, cap. 2, dub. 2, n. 1, ubi citat Sanchez, Rodriguez, Fillinciun, quia sponsus et sponsa post sponsalia non sunt amplius personæ plene solutæ, et liberæ : quamvis enim in mutua corpora non habeant jus in re, habent tamen jus ad rem, et ideo alteruter concedens alteri usum sui corporis, specialem injuriam facit comparti, quia, ultra fornicationem, committit aliquam injustitiam reducibilem ad adulterium, tanquam imperfectum ad perfectum sui generis; unde est circumstantia in confessione necessario exprimenda.

(10. Qui copulam habuit cum soluta, non sufficit si dicat in confessione, *Commisi grave peccatum contra castitatem cum soluta*, sed debet explicare copulam, quia, ipsa reticita, non explicat peccatum quod fecit; cum etiam soli tactus impudici, seu oscula ob delectationem carnalem habita cum soluta, sint gravia peccata contra castitatem; unde merito Alexander VII, die 24 Septembris 1665 inter alias damnavit sequentem propositionem 25 in ordine : « Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit confessionis præcepto, dicens, commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam » : Et die 18 Martii sequentis anni 1666, idem Summus Pontifex damnavit etiam propositionem sequentem 40 in ordine : « Est probabilis opinio, quæ dicit esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, et sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris et pollutionis. »

(11. Adulterium quid sit, et omnia, quæ ipsum concernunt. *Vid.* verb. ADULTERIUM, ubi late de omnibus per varios articulos.

(12. Incestus est peccatum luxuriæ cum persona consanguinitate, aut affinitate conjuncta intra gradus a jure prohibitos commissum. Est in re communis. (13. Dicitur autem peccatum luxuriæ ad denotandum, quod non solus concubitus, sed etiam tactus, amplexus, oscula, etc., participant rationem incestus, si fiant inter personas consanguineas, aut affines, eo quod inducant malitiam actus principalis, ad quem ordinantur. (14. Ab hoc autem ut incestus sit casus reservatus, concurrere debent tres conditiones, nisi aliud ab episcopo exprimatur in reservatione; *prima*, quod copula sit perfecta, id est cum seminatione intra vas; *secunda*, quod personæ sint consanguinitate aut affinitate conjunctæ intra gradus in reservatione expressos; *tertia*, quod intercedat malitia moralis.

(15. Incestus est peccatum mortale gravissimum duplicis malitiæ, scilicet contra castitatem, et contra virtutem pietatis personis conjunctis debitæ; unde *Levitici* II mors diversis gradibus incestuosorum statuitur, qui tantam turpitudinem, tantum nefas, tantum scelus patraverunt; et Apostolus *I ad Cor.*, cap. V, incestuosum Corinthium, in detestationem tanti sceleris, tradidit Satanæ, ut spiritus salvaretur; et ratio est, quia actus carnales, utpote fœdi et turpes, graviter adversantur honori, reverentiæ, et pietati, quam debent sibi consanguinei et affines; unde ex instinctu naturali apud omnes gentes damnatur concubitus cum consanguineis in linea ascendente, vel descendente; imo etiam in linea collaterali intra certos gradus; quinimo hanc reverentiam nobis insinuant quædam irrationabilia animalia, quæ ex ingenito reverentiæ instinctu nolunt parentibus misceri; unde Aristoteles lib. IX *Historiæ animalium*, cap. 47, refert, a camelo, qui ex fraude camelarii fuerat congressus cum matre, interfectum esse deceptorem; equum vero similiter deceptum, se ex alto præcipitasse. Sic Henno, *l. c.*, q. 3, conc. 2.

(16. An incestus inter diversos consanguinitatis, vel affinitatis gradus commissi distinguantur specie? Affirmant aliqui; et negant alii; unde cum utraque opinio sit probabilis, et incestus eo gravius peccatum sit, quo gradus est propinquior, talis gradus est in confessione exprimendus, saltem pro majori securitate, ut fatentur passim doctores, etiam sententiæ tenentis ipsos incestus non distingui specie. (17. Imo varii ex ipsis dicunt, quod non obstante incestuum identitate specifica, necessario juxta gradus suos sunt in confessione exprimendi, quia licet speciem non mutent, malitiam notabiliter aggravant, et ideo obligationi suæ non satisfacit, qui dicit simpliciter se commisisse incestum, sed debet exprimere an cum matre, vel noverca, an cum filia, vel cum

Digitized by Google

sorore, vel cum matertera, an cum cognata germana, vel alia, et sic de aliis; sic inter alios expresse Henno, *loc. cit.*, conclus. 3. Item an cum affine, vel cum cognato spirituali, vel legali; item an cum filia confessionis, ut probabiliter tenent Sanch. Coninch, Fagundez, et cæteri citati, et secuti a Busemb., lib. III, par. I, cap. 2, dub. 2, n. 5. La Croix, *ibid.*, et lib VI, p. II, a n. 1073, contra Sa, Dianam, et alios.

(18. Incestuosus volens post copulam incestuosam contrahere in gradu prohibito, debet pro dispensatione recurrere ad sacram Pœnitentiariam, si tam copula, quam gradus sint occulti (19. Si tamen gradus est publicus, copula vero est occulta, debet prius petere a Dataria dispensationem gradus, et postea a sacra Pœnitentiaria dispensationem impedimenti orti ex copula incestuosa occulta: Sanchez *De matrimonio*, disput. 25, n. 11 et 12; Clericatus, c. 71, n. 10; Felix Potestas, tom. I, p. II, n. 2156, et alii.

(20. Incestuosus an, et quando possit, et debeat, vel non, petere, et reddere, vel offerre debitum? *Vide* verb. *Debitum conjugale* per totum.

(21. Stuprum stricte sumptum est violenta defloratio puellæ virginis, seu est concubitus cum puella virgine, ipsa invita, seu per vim coacta. Sic in re doctores communiter. (22. Ponitur autem ly *Violenta*, vel *ipsa invita*, seu *per vim coacta*, ut excludatur copula, in quam consentit virgo, quia talis copula, in quam consensit virgo, pertinet potius ad simplicem fornicationem, quam ad stuprum stricte et proprie sumptum. (23. Censetur vero virgo violenter, vel ipsa invita, seu per vim coacta deflorari, sic ut ejus defloratio dicatur stuprum stricte, et proprie sumptum, quando vi, timore, dolo, fraude, aut ficta promissione matrimonii, et hujusmodi decipitur, et inducitur ad copulam. (24. Dicitur notanter *puellæ virginis*, seu cum *puella virgine*, ut excludatur concubitus etiam violentus corruptæ, seu illius, quæ antea habuerat copulam, quia ille violentus concubitus non est stuprum, cum non sit violatio integritatis virginalis.

(25. Stuprum est gravissimum, et speciale peccatum ob gravissimam injuriam, quam stuprator infert puellæ virgini, et ejus parentibus. (26 Unde stuprator tenetur in foro conscientiæ, aut illam ducere in uxorem, aut illam honeste dotare, secundum sui possibilitatem, et viri prudentis arbitrio. (27. Si tamen puella ob illatum stuprum nullum aliud damnum passa fuit, puta, quia factum mansit occultum, et æque honestum matrimonium consecuta est, ac si non fuisset stuprata, stuprator ad nullam obligatur restitutionem ante judicis sententiam, quia pro injuria, secluso damno, nulla debetur restitutio, sed pœna a judice; Sic quoad omnes has tres ultimas conclusiones, doctores passim. Alia quoad hæc, *vid.* verb. Dos, art. 2; a num. 14 ad 38, ubi late de omnibus.

(28. Raptus quid sit? et omnia, quæ ipsum, et raptorem concernunt. *Vide* verb. *Impedimenta matrimonii*, artic. 2, a num. 103 ad num. 117.

(29. Sacrilegium carnale et personale est concubitus illicitus personæ, aut sacræ cum sacra, aut sacræ cum non sacra, aut non sacræ cum sacra; Est in re communis. (30. Sacrilegium est peccatum gravissimum, et speciale contra virtutem religionis. *Communis.* (31. Qui simul est sacerdos et religiosus non committit duplex sacrilegium violando castitatem, sed unicum gravius, quia moraliter est una numero malitia contra eamdem virtutem religionis. *Communis.*

(32. Si ambæ personæ quæ peccant sunt sacræ, est duplex sacrilegium in confessione exprimendum ob duas injurias et irreverentias numero distinctas. Sic doctores passim.

(33. Peccatum contra naturam quod est vitium inter cæteras luxuriæ species gravissimum, est actus luxuriæ, quo fit seminatio modis repugnantibus institutioni naturæ. Est in re communis. (34. Hoc peccatum, ut jam fuit dictum supra *sub num.* 2, subdividitur in mollitiem, inordinatum concubitum, sodomiam et bestialitatem. *Communis.*

(35. Mollities seu pollutio est voluntaria seminis effusio extra vas solius voluptatis gratia facta. Est in re communis. (36. Mollities seu pollutio quæ ab Apostolo *II ad Corinthios* XII, *ad Galatas* V, alio nomine vocatur *immunditia* quando est perfecte voluntaria, est peccatum mortale contra naturam, quia est contra ordinem naturæ et generationis; unde omnino excludit a regno Dei; ut expresse dicit Apostolus *I ad Corinthios* cap. VI, ibi: *Neque molles regnum Dei possidebunt*, et ad *Galatas* V, ibi: *Manifesta sunt opera carnis quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia*, etc., *quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.*

(37. Mollities est ab intrinseco mala, adeo ut, etiam seclusa prohibitione divina, adhuc foret mala, et sic nunquam, neque prætextu tuendæ sanitatis vel vitandæ alias certæ mortis, licitum est intendere et directe procurare mollitiem seu pollutionem; unde merito Innocentius XI, die 2 Martii 1679, inter alias sequentem damnavit propositionem 49 in ordine: *Mollities jure naturæ prohibita non est; unde si Deus eam non interdixisset, sæpe esset bona et aliquando obligatoria sub mortali.*

(38. Desiderare efficaciter ut eveniat naturaliter pollutio vel de ipsa jam secuta gaudere ob delectationem est omnino illicitum. *Communis.* (39. Non est tamen illicitum desiderare inefficaciter ut pollutio mere naturalis et omnino involuntaria in somno eveniat vel de ea naturaliter et involuntarie secuta gaudere, ob aliquem finem bonum, verb. gratia tentationis sedandæ vel sanitatis recuperandæ. Tunc enim pollutio mere naturaliter eveniens non est nisi spontanea et naturalis evacuatio seu exoneratio naturæ seu corporis, qualis est emissio sudoris vel aliorum superfluorum excrementorum. Sanchez, in *Decalog.*, lib. I, cap. 2, a num. 18; Tannerus, *De peccatis*, dist. 4,

Digitized by Google

quæst. 2, num. 145; Platell., *De peccatis*, n. 244; Lessius, l. IV, cap. 3, num. 105; Laymann, lib. III, sect. 4, num. 17; Vasquez, 1-2, disp. 115, cap 3; Navarrus, in *Manual.* cap. 16, num. 7 et sequent., cum pluribus ibi citatis, Reiffenstuel, *Theolog. moral.*, tract. 9, dist. 1, quæst. 5, num. 55; Busenbaum, lib. III, part. I, tract. 4, cap. 2, dub. 4, num. 4; La Croix, ibidem, num. 932, ubi dicit hanc esse communiorem sententiam. Sporer, tom. I, tract 1, cap. 6, num. 34, ubi hanc appellat communiorem doctrinam, et sic alii plures contra Sylvium, Azorium, Henno, *l. cit.*, quæst. 7, art. 3, concl. 1 et 2, et alios. *Vid.* verb. DELECTATIO MOROSA, a n. 15 ad 23.

(40. Pollutio in somnis involuntarie secuta non est peccatum; quia est effectus mere naturalis. *Communis.* (41. Potest tamen pollutio in somnis esse peccatum si oriatur ex causa præterita illicita aut otiosa proxime ordinata ad venerem, ut sunt tactus, aspectus impudici, lectio, locutio aut auditio turpium et hujusmodi; quia tunc talis pollutio, quamvis non sit directe intenta, si fuit prævisa, est voluntaria in causa et indirecte volita. (42. Si autem pollutio oriatur ex causa tantum remota et per accidens ad ipsam concurrente ut est esus aut potus calidorum, nimia comestio aut potatio, equitatio et hujusmodi tunc non est peccatum mortale, quia in talem rem seu causam remotam, non ordinatam de se ad venerem, consentiens, non ideo censetur velle effectum seu pollutionem, sed potius per accidens eam patitur. Lessius, *l. c.*, num. 90 et 100; Filliucius, tract. 30, num. 152; Sanchez, *loc cit.*; Busembaum, *l. cit.*, num. 6, et alii passim.

(43. Pollutionem omnino involuntariam sponte sua naturaliter evenientem aut in somnis jam cœptam non impediens nec reprimens non peccat, quia id non est ipsam procurare, sed pati ut semen effluat, quod alias corruptum sanitatem læderet. Unde in tali casu dummodo absit periculum consensus in delectationem seu complacentiam potest sanitatis causa sinere, ut natura sponte sua se exoneret. Clericatus, cap. 73, n. 4; Mastrius, disput. 11, num. 129; Sanchez. *De matrimonio*, lib. IX, disput. 45, num. 27; Busembaum. *l. c.*, num. 3; Felix Potestas, tom. I, part. II, num. 2168, et alii. Imo Sanchez, *l. c.*, num. 28, cum aliis idem admittit etiamsi pollutio orta esset prius ex culpa, dummodo de ea doleat, et consensum ulteriorem abstrahat.

(44. Facturus actionem aliquam necessariam, seu licitam, et honestam, et prævidens inde naturaliter secuturam pollutionem, nullo tamen modo a se volitam, et intentam, non tenetur abstinere a tali actione, dummodo absit periculum consensus in delectationem. Clericatus, cap. 73, n. 6, Tamburin., lib. VII *Decalog.*, cap. 7, § 2; Laymann, *loc. cit.*, n. 16; Mendo, verb. *Pollutio*. Felix Potestas, *loc. cit.*, num. 2,166; Busembaum, *loc. cit.*, num. 5, cum Sanchez, Filliuc., Navarro, ibi citatis, Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 53, testans de communi. Et ratio est, quia persequenti suum jus non imputatur effectus per accidens, et præter intentionem et consensum ipsius secutus; Unde quamvis quis prævideat secuturam pollutionem ex auditione confessionum mulierum, ex lectione casuum conscientiæ, ex necessario tactu sui, vel alterius, et hujusmodi, dummodo absit periculum consensus in delectationem, potest nihilominus licite audire confessiones mulierum, legere casus conscientiæ, tangere se, et alios, ex necessitate, et hujusmodi; secus autem si adesset periculum consensus in delectationem, quia tunc cognoscens quis ex simili occasione sæpius fuisse mortaliter lapsum, teneretur a similibus actionibus et officiis, quantumvis licitis et honestis abstinere, ut advertunt citati doctores, et alii. Sanchez, *l. c.*, n. 4.

(45. Polluens se cum imaginatione, seu desiderio peccandi cum persona soluta, conjugata, voto castitatis obstricta, consanguinea, vel affine, debet in confessione circumstantiam personæ exprimere, quia juxta qualitatem personæ illicite concupitæ, intervenit in tali pollutione alia distincta species malitiæ, et turpitudo. *Communis.*

(46. Inordinatus concubitus, seu indebitus; concumbendi modus, est actus peccaminosus contra naturam, quo vir concumbit cum femina modo inordinato, et indebito, ita ut impediatur generatio. Sic Filliucius, tract, 30, cap. 8, num. 161, Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 64, et alii. Et notanter dicitur, *ita ut impediatur generatio*, quia alioquin in rigore, non esset peccatum contra naturam.

(47. Unde conjuges gravissime peccant contra naturam, si voluntarie concumbant modo tali, quo certo impediatur generatio, quia generationem impedire gravissime repugnat bono prolis, et naturæ, et ideo intrinsece malum est, et nullo casu potest cohonestari. *Communis.* (48. Sic mortaliter peccant conjuges, si se retrahant in actu seminationis, ne proles concipiatur. *Communis*, propter dictam rationem.

(49. Conjuges, qui in copula vas naturale servantes, variant situm et modum coeundi ordinarium, si id faciant sine seminis perdendi periculo, et ex aliqua justa causa, quia, verbi gratia mulier est prægnans, vel quia corporis dispositio propter pinguedinem aliter fieri non patitur, tunc excusantur a peccato. Si vero id faciant sine justa causa, ordinarie peccant saltem venialiter. Et si id faciant cum seminis perdendi periculo, peccant graviter. Hinc conjuges sic indebite et inordinate congredientes sine justa causa, sunt graviter reprehendendi. Sic doctores communiter.

(50. Sodomia, sic dicta a Sodoma civitate, quæ propter nefandum hoc vitium, quod ibi, et in finitimis civitatibus plurimum grassabatur, una cum ipsis igne cœlitus delapso fuit concremata; (51. *Genesis* cap. XIX, est coitus libidinosus cum persona indebita, vel si cum persona debita in vase indebito. Sic in re communis. (52. Sodomia est duplex, una

Digitized by Google

perfecta, altera imperfecta; Sodomia perfecta est concubitus masculi cum masculo, aut feminæ cum femina. Sic communior doctorum cum D. Th., 2-2, quæst. 154, art. 11; Sporer, *Theolog. sacramentali*, part. IV, cap. 3, sect. 6, num. 626 et 627; Busembaum, *loc. cit.*, dub. 3., num. 14; Henno, *loc. cit.*, qu. 6, artic. 4; Reiffenstuel, lib. V *Decretal.*, tit. 16, nu. 83, et aliis arg. cap. *Usus* 14, caus. 32, quæst. 6, contra aliquos volentes concubitum feminæ cum femina esse sodomiam imperfectam. Sodomia imperfecta est concubitus viri cum femina extra vas naturale. Sic doctores citati, et alii. (53. Sodomia perfecta differt specie ab imperfecta, et ideo est in confessione specificanda, quia sodomia perfecta fit cum affectu ad sexum indebitum : Imperfecta vero fit cum affectu quidem ad sexum debitum, sed in vase indebito.

(54. Sodomia perfecta committitur inter masculos, sive coeant inter se in vase præpostero, sive (quod horrendum est) in ore; et inter feminas committitur, sive utantur vase anteriori, sive posteriori, cum secundum plurimos feminæ inter se ita misceri possint, et ita invicem exardescere, ut ementitis virilibus congressibus, instrumentis quibusdam diabolicis semen intra vas, sive anterius, sive posterius recipiatur, et sic habeatur sodomia proprie dicta, quæ præsertim consistit in affectu ad sexum indebitum.

(55. Ut sodomia sit casus reservatus (nisi aliter in reservatione ab ordinario exprimatur) requiritur, quod actus sit completus cum effusione seminis intra vas, qua deficiente sive in masculis, sive in feminis, non est casus reservatus, quia non censetur sodomia completa et consummata. Sic doctores citati, et alii.

(56. Sodomia sive perfecta, sive imperfecta, ultra propriam malitiam, habet aliam specie distinctam in confessione explicandam, si personæ copulatæ sint vel Deo sacræ, vel conjugatæ, vel consanguineæ, seu affines; tunc enim committitur etiam vel sacrilegium, vel adulterium, vel incestus; et quidem aliquando duplex sacrilegium, vel adulterium, si utraque persona est Deo sacra, vel conjugata. Sic doctores citati, et alii passim.

(57. Probabilius est in confessione peccati sodomiæ adesse obligationem exprimendi, an quis fuerit agens, vel patiens, quia agens se polluit, non sic patiens. Leander *De pœnitentia*, disputat. 8, § 3, qu. 6; Lugo, *De pœnitentia*, disput. 16, n. 143; Mendo, disputat. 5, n. 188; Henno, *loc. cit.*, art, 4, conclus. 1; La Croix, lib. VI, par. II, n. 1080, cum aliis ibi citatis contra plures id negantes cum Diana pluribus in locis, et præsertim p. I, tract. 1, resol. 11, et tract. 3, resol. 4, et in *Compendio*, verb. *Sodomia*, n. 2.

(58. Complexus duorum masculorum se carnaliter per modum copulæ commiscentium cum affectu ad eumdem masculinum sexum, sicuti et complexus duarum feminarum similiter se carnaliter commiscentium cum affectu ad eumdem femineum sexum cum effusione seminis, licet ipsum semen in nullo vase emittatur, sed in membris effluat, reducitur ad sodomiam, estque hæc circumstantia in confessione explicanda, nec sufficit dicere se exercuisse mollitiem, quia hæc tendit ad explendam libidinem sine speciali affectu ad indebitum sexum, Tamburinus, lib. VII, cap. 7, § 2; La Croix *loc. cit.*, n. 1082, et alii plures contra alios volentes, quod talis complexus sit sola mollities. (59. Non reduceretur tamen ad peccatum sodomiæ si mas se pollueret inter coxendices, brachia, seu alias partes femineæ extra quodlibet vas, quia sic nec haberet affectum ad sexum indebitum, nec ad indebitum vas; adeoque sufficeret in confessione explicare se polluisse cum tactibus impudicis, seu consortio feminæ conjugatæ, vel Deo sacræ, vel consanguineæ, aut affinis. Sic passim doctores.

(60. Rei hujus nefandi et horrendi criminis sodomiæ jure civili puniuntur pœna ignis, ut patet ex *Codice Theodosiano* libr. IX, titul. 7, ubi dicitur : *Hujus* (scilicet Sodomiæ) *scelus spectante populo, flammæ vindices expiabunt;* et idem observari mandavit Carolus quintus *Ordin. crim.*, artic. 116. Jure autem canonico laici de sodomia convicti jubentur excommunicari, cap. *Clerici* 3, De excessibus prælat., ibi : *Si Laici excommunicationi subdantur, et a cœtu fidelium penitus fiant alieni.* Insuper declarantur infames; cap. *Infames* 2, caus 3, quæst. 7, et conceditur facultas eorum uxoribus, ut possint ab eis discedere, sicut ab adulteris : argum., cap. *Omnes* 7, caus. 31, quæst 7. Clerici vero de sodomia convicti jure communi canonico privantur beneficio, et a statu et ordine clericali abjiciuntur; cit. cap. *Clerici* 4, De excessibus prælatorum, et ex constitutione sancti Pii quinti incipient. *Horrendum illud scelus.* Clerici sodomiam exercentes privantur omni privilegio clericali, officio, beneficio, et dignitate, ac degradati traduntur potestati sæculari puniendi ut laici hoc in exitio devoluti. (61. Dictas autem pœnas non incurrit, qui mulierem cognoscit sodomitice, quia hæc sodomia est imperfecta; nec qui mixtus masculo non seminavit intra vas, quia non est sodomia consummata. Leges autem pœnales, nisi in ipsis aliter exprimatur, afficiunt solum delictum perfectum, et consummatum; arg. cap. *Odia* 15, et cap. *In pœnis* 49, De regulis juris. (62. Nec dictæ pœnæ aliquem ligant ante judicis sententiam criminis declaratoriam. Sic doctores communiter. (63. Hic in detestationem tanti criminis est sciendum, quod sodomitæ omnes mortui fuerunt in illa nocte, qua Jesus Christus natus est, ut ex multis refert Barbosa, *De officio et potestate episcopi*, part. II, allegat. 44, n. 2.

(64. Bestialitas est coitus cum brutis. Est in re communis. (65. In confitendo peccato bestialitatis non est opus dicere, cum qua specie animalis sit commissa, quia manet eadem malitia, sive fiat cum cane, ove, et

Digitized by Google

hujusmodi : malitia enim bestialitatis consistit in hoc, quod non servetur eadem species, et natura; et omnia animalia conveniunt in hac una ratione, quod non sint ejusdem speciei cum homine ; Filliucius tract. 30, cap. 8, n. 161. La Croix, *loc. cit.*, n. 1083; Reiffenst., *loc. cit.*, n. 59, et alii communiter. (66. Explicari tamen debet, an sit facta cum bestia mare, vel femella ; et an in vase naturali, aut in præpostero, quia sunt diversæ deordinationes. Mendo distinct. 5, quæst. 25 ; La Croix, *l. c.*, n. 1083, et alii contra alios.

(67. Ad speciem bestialitatis reducitur coitus viri, aut feminæ cum dæmone succubo, vel incubo, quia licet dæmon assumat formam hominis, de facto tamen specie differt ab illo. *Communis.* (68. Hinc in coitu viri, aut mulieris cum dæmone triplex ordinarie concurrit peccatum specie distinctum in confessione exprimendum : *Primo*, scilicet peccatum bestialitatis, quia detorquetur affectus ad non hominem. *Secundo*, peccatum superstitionis, quia est speciale peccatum contra virtutem religionis habere commercium cum maximo Dei et hominum hoste. *Tertio*, peccatum illius speciei, circa quod fertur affectus ; ita ut si vir misceatur dæmoni tanquam masculo, sit peccatum sodomiæ; si tanquam feminæ liberæ, est peccatum fornicationis, si tanquam consanguineæ, aut affini, sit incestus, si tanquam conjugatæ, sit adulterium, si tanquam Deo sacræ, sit sacrilegium.

(69. Bestialitas est omnium peccatorum contra naturam gravissimum, quia congressus ille inter diversas species maxime repugnat naturæ; hinc *Glossa* interpretatur, quod de hoc scelere loqueretur Joseph. *Genes.* XXXVII, dum *accusavit fratres suos apud patrem crimine pessimo ;* et *Levitici* cap. XX, prohibetur coitus ille sub pœna mortis, et statuitur ut bestia, et bestialitatem perpetrans interficiantur. Quod et nunc eo magis servatur apud catholicos, et præsertim in Germania, et pluribus aliis regnis, et provinciis, ubi, ut refert Farinacius in *Praxi criminali*, part. V, quæst. 148, t. 16, n. 46, uterque in detestationem tanti sceleris igne concrematur; et non una semel vice hoc fuisse servatum testatur.

(70. Mollities, sodomia, et bestialitas habent malitias specie distinctas, quia licet opponantur eidem virtuti castitatis, opponuntur tamen ei secundum notabiliter diversas honestates ; unde qui sodomiam, aut bestialitatem commisit, non satisfacit in confessione, eam exprimendo sub nomine *pollutionis*, dicendo se procurasse pollutionem ; hinc justissime Alexander VII, die vigesima quarta Septembris millesimo sexcentesimo sexagesimo quinto, inter alias damnavit sequentem propositionem, in ordine 24 : « Mollities, sodomia, et bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ, ideoque sufficit dicere in confessione, se procurasse pollutionem. »

(71. Impudicitia, quæ ut dictum fuit supra sub n. 2, prædictis luxuriæ speciebus accedit, nihil aliud est, quam species luxuriæ inchoatæ, seu quæ non pertingit usque ad copulam, seu seminationem, ut sunt oscula venerea, tactus et aspectus impudici, verba obscœna, scripta lasciva, turpes cantiones, repræsentationes, et comœdiæ impuræ, et hujusmodi : et de hac impudicitia loquitur Apostolus *ad Galatas* V, ibi : ***Manifesta sunt autem opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria***, etc., ***quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.***

(72. Unde oscula, tactus, et amplexus impudici habiti ob delectationem sensualem veneream inter personas solutas sunt peccata mortalia. *Communis.* Unde merito ab Alexandro VII, die decima octava Martii, millesimo sexcentesimo sexagesimo sexto, fuit inter alias proscripta sequens propositio, in ordine 40 : « Est probabilis opinio, quæ dicit, esset tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, et sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris et pollutionis. »

(73. Oscula, tactus, et amplexus, si fiant secundum morem patriæ, causa urbanitatis, amicitiæ fovendæ, pacis, benevolentiæ, debiti obsequii, et hujusmodi, per se loquendo, excusantur a peccato, et licent. *Communis*, quia oscula, tactus, et amplexus non sunt intrinsece mali, sed indifferentes, adeoque sunt liciti, cum fiunt ob aliquem honestum finem ex assignatis, et similibus (17).

(74. Tactus, et oscula facta in partibus inhonestis, impudicis, et verendis a personis solutis, sunt peccata mortalia, quia de se sunt valde indecentia, et ad delectationem venereum tendunt, eamque valde excitant. *Communis* cum Diana part. III, tract. 4, resolut. 225 ; La Croix, lib III, part. I, n. 905, et supracitatis. (75. Imo tactus, et oscula impudica verendorum sunt peccata mortalia etiam in illis, qui propter defectum ætatis, aut alia de causa seminare non possunt, quia ex sua natura tendunt ad pollutionem, et spiritus venereos notabiliter excitant. Tamburin., lib. VII, cap. 7, § 2; La Croix, *loc. cit.*, n. 906. Sporer ibi cit., et alii.

(76. Osculari pueros ex affectu teneræ infantilis ætatis, item eos complecti, tangere, captando delectationem sensibilem ex mollitie

(17) *Romani theologi notæ.* — Quoad oscula, tactus, et amplexus inter personas, præsertim diversi sexus, hæc attente notanda sunt. Primum gravi culpa non carere, si ob sensualem delectationem fiant, deinde si certum periculum sit hujusmodi delectationis, vel pravi desiderii excitandi; ita enim agentes sese periculo peccandi exponerent ; qui vero periculo se exponit peccandi, revera peccat. Demum si alterutra persona, vel hac delectatione afficeretur, vel in hujusmodi certo periculo per oscula poneretur; nam id ex parte utriusque videndum est, ut oscula, tactus, amplexusque ab omni prorsus culpa liberentur. Quæ quidem notanda attente sunt, ut in huiusmodi usibus peccata cavea-mus.

Digitized by Google

carnis teneræ, per se loquendo secluso consensu, aut complacentia turpi, vel nullum est peccatum, vel tantum veniale. Sanchez *De matrimonio*, libr. IX, disputat. 46, n. 13; Sporer, tom. I, tract. 1, cap. 5, sect. 2; sub n. 19, et tom. III, part. IV, cap. 3, sect. 4, n. 692; La Croix, loc. cit., n. 901; Jacobus Marchant, *Resolut. pastoral.*, part. I, cap. 6, qu. 6, et alii.

(77. Ancillæ teneros pueros vestientes, lavantes, eorumque pudenda tangentes, vel aspicientes, etsi motus sensualis exsurgat, secluso consensu, aut complacentia turpi, aut non peccant, si ita officium exigat, aut solum peccant venialiter, si leviter et ex curiositate faciant. Si tamen id facerent cum mora, ordinarie peccarent mortaliter, ob mortale periculum consensus libidinosi. Sporer *l. c.*; La Croix, *l. cit.*, n. 902, et alii.

(78. Aspicere animalia coeuntia, ex curiositate, vel levitate tantum, seclusa voluntaria complacentia libidinosa, est peccatum tantum veniale, quia id non multum excitare solet ad libidinem. *Communis*, teste Sporer, citat. n. 19, (18). (79. Insuper eadem animalia, minora præsertim, ut catellos, catos, et hujusmodi, molliter tractare, demulcere, etiam eorum pudenda contrectare ex sola curiositate, vel levitate sine ulla impura delectatione, ordinarie est tantum peccatum veniale, Sanchez, lib. IX *De matrimonio*, disp. 46, n. 15; Sporer, cit. tract. 1, cap. 5, sub. n. 19, et cit. part. IV, cap. 3, n. 697: La Croix *loc. cit.*, n. 903, et alios citans Diana part. II, trac. 17 resolut. 37. (80. Esset tamen mortale ita bruti alicujus pudenda fricare, ut semen expelleret, ex curiositate illud videndi et ob delectationem sensibilem, quia talis fricatio pudendorum bruti facta ob sensibilem delectationem, principium ex se est impuræ libidinis. Tamburinus, lib. VII *Decalog.*, cap. 8, § 2, n. 5; Sporer, *loc. cit.*, n. 697; Bonacina, et Salas ibi citati, et alii.

(81. Personæ ejusdem sexus simul nudæ existentes in balneo, in habitaculo, seu alibi, et se invicem ex curiositate aspicientes, seu ex levitate et joco tangentes, etiam in partibus verendis cum motu sensualitatis, secluso libidinoso consensu, et complacentia turpi, non peccant graviter. Sporer *loc. cit.* part. IV, c. 3, num. 693, et alii passim. (82. Peccant autem ordinarie graviter sic aspicientes, vel tangentes personas diversi sexus, aut concubitus humanos, etiam secluso affectu venereo, quia tunc est semper morale periculum consensus libidinosi, et adest gravissima indecentia. Sporer, *loc. cit.*, n. 693; Busemb., lib. III, par. I, tr. 4, cap. 2, dub. 1, num. 6, cum Sanchez, Filliucio, Laym. ibi, citatis. Henno, tom. I *Trac. in Decalog.*, disp. 6, quæst. 6, artic. 3, conclus. 1, et alii.

(83. Seipsum vero aspicere vel tangere ex curiositate, vel levitate, seclusa intentione, et complacentia turpi, ordinarie est solum peccatum veniale, quia minor est indecentia, et minis movent ad libidinem propria, quam aliena verenda. Sporer *loc. cit.*; Busambaum *loc. cit.*, n. 5, et alii passim. Imo aspicere, vel tangere verenda proprii corporis ex naturali aliquo et non malo fine, ne quidem erit veniale, ut si quis verbi gratia, fricatione velit extinguere pruritum non venereum, cum non adest periculum pollutionis aut consensus in eam, dato quod involuntarie, et improviso obveniret Sanchez, lib. IX *De matrimon*, disput. 44; Busembaum, *loc. cit.*, n. 5; Filliucius, trac. 30, n. 200, et alii passim.

(84. Persona soluta permittens se tangi, osculari, et hujusmodi ab alia, quando graviter peccet, vel non? *Vide* verb. FEMINA, a n. 27 ad 30, et per totum, ubi multa ad rem.

(85. Obscœna legere, inhonesta canere, turpia loqui, impudicos gestus facere, turpes comœdias spectare, litteras amatorias, et lascivas scribere, et recipere, talia audire, et similia facere; si hæc fiant cum intentione, et complacentia turpi, vel cum periculo ruinæ spiritualis sui, vel aliorum, sunt peccata mortalia; si autem fiant ex curiositate, vel levitate tantum, seu ex vano solatio, sine periculo ruinæ spiritualis sui, vel aliorum, sunt solum peccata venialia. Sporer, *loc. citat.*, n. 695; Sanchez, *De matrimonio*, l. IX, disput. 46, a n. 31; Filliucius, trac. 30, quæst. 3; Bussemb., *loc. cit.*, n. 8, et alii passim

(86. Libros, cantiones, seu tractatus obscœnos componentes, vel divulgantes, comœdias turpes exhibentes, seu repræsentantes picturas ad libidinem incitantes facientes, seu publico exponentes, et hujusmodi peccant mortaliter, quia sunt spiritualis ruina multorum, cum et ipsi sciant, et scire debeant, plurimos inde in libidinem esse lapsuros, adeoque tot peccatorum fore coram Deo culpabiles, quot personis erunt causa ruinæ spiritualis. Busembaum, *loc. cit.* n. 19; Filliucius, *loc. cit.*, n. 7, Sporer,

(18) Qui ex curiositate, vel levitate actus hujusmodi aspiciant, a gravi culpa liberari haud possunt, si periculo complacentiæ delectationis, atque pravi desiderii sese exponant. At difficile admodum est, ut hujusmodi periculum absit, ut consideranti patet. Id quoque dicendum de iis, qui ex curiositate, vel vano solatio turpia, et obscœna legant, vel canant, dum enim tantæ non sint ignorantiæ, vel stupiditatis hæc legentes, aut canentes, ut ad ea quæ dicunt nullimode attendant, aut ea non intelligant, vix, et ne vix quidem fieri potest, ut lectiones, et cantilenæ hujusmodi pravas cogitationes non excitent, vel prava desideria non foveant; aut saltem in occasione, et periculo proximo non exponantur habendi pravas cogitationes, ac desideria prava. Quam ob rem non adeo facile generatim pronuntiandum est, solius culpæ venialis reos esse, qui ex curiositate, vel vano solatio obscœnos libros volvant, aut turpes cantilenas canant. In choris quoque occasio, et peccandi periculum attente considerandum est; nam si a viris et mulieribus simul fiant non facile erit stabilire abesse occasionem, et peccandi periculum: quia, etsi fortasse ex parte unius desit, non deerit plerumque in altero: atque hoc satis est ut improbentur.

Digitized by Google

loc. cit. et alii communiter. De comœdiis *vide* Pignatel., tom. VIII, consult. 153, ubi tum ex sacra Scriptura, tum utroque jure communi, cum conciliis generalibus, et proviuicialibus, tum auctoritate sanctorum Patrum eas condemnat, plurimum invehens in earum auctores, et spectatores. *Vide* verb. CLERICUS, art. 4 a n. 16.

(87. Choreæ, quamvis non paucis sint plenæ periculis, de se tamen non sunt malæ, nec actus libidinis, sed communis lætitiæ; dummodo tamen fiant locis et temporibus non prohibitis, et modis licitis, scilicet sine malo fine libidinoso, sine tactibus et gestibus lascivis, aut alio periculo delectationis venereæ; sic in hoc sensu choreas non esse malas tenent Cajetanus, Silvester, Armilla, Angelus, Filliucius, Azorius, Bussembaum, *loc. cit.*, n. 9. Sporer, *loc. cit.*, n. 694; Henno, *loc. citat.*, quæst. 9., art 5, conclus. 1, et ipso teste alii communiter. Unde quando sancti Patres eas interdum acriter reprehendunt, loquuntur de choreis turpibus, seu factis locis, et temporibus prohibitis, ut in locis sacris, et tempore divinorum officiorum aut de eorum abusu; et dum sacri canones eas interdicunt, loquuntur specialiter de clericis tum sæcularibus, tum regularibus, quibus choreæ sunt interdictæ, tum Jure Communi antiquo tum novo concilii Tridentini sess. XXII, capit. 1 *De reformation.* *Vide* verb. CLERICUS, art. 4, a n. 13.

(88. Omnes tactus, oscula, amplexus, turpiloquia, aspectus lascivi et hujusmodi, quæ fiunt inter conjuges sine ordine ad copulam, si fiant cum periculo pollutionis, in uno, vel altero, vel pertineant ad sodomiam quamdam, inchoatam, sunt peccata mortalia. Alias non sunt nisi venalia. *Communis.*

(89. Quando autem conjuges graviter peccent, vel non, circa delectationem morosam de actu Conjugii? *Vide* verb. DELECTATIO MOROSA, a n. 24 ad 26.

(90. Omnes tactus, oscula, amplexus, turpiloquia, aspectus lascivi, et hujusmodi quæ fiunt inter sponsos cum delectatione sensibili venerea morosa, directe voluntoria, sunt peccata mortalia. Alias non sunt nisi venialia, et si pudice fiant, ex recto fine, secundum consuetudinem patriæ, sunt licita. *Communis.*

(91. Quando autem sponsi graviter peccent, vel non circa delectationem morosam de copula futura et de dictis tactibus, osculis, amplexibus, etc. *Vide* verb. DELECTATIO MOROSA, a n. 27, ad 29 et n. 32.

(92. Viduæ quando peccent, vel non, circa delectationem morosam de copula præterita? *Vide* verb. DELECTATIO MOROSA, a n. 30 ad 32.

(93. Quando feminæ graviter peccent, vel non in ornamentis, et similibus provocantibus ad lasciviam? *Vide* verb. FEMINA, a n. 14.

(94. Quando sint peccata gravia, vel non, cogitationes impuræ, et delectationes morosæ, quæ ex hactenus recensitis oriri solent? *Vid.* verb. DELECTATIO MOROSA, per tot.

(95. In delectatione venerea deliberata, seu in re, vel materia luxuriæ in se directe, et deliberate volitæ non datur parvitas materiæ excusans a mortali. Est in re communis: et fuit approbata a summis Pontificibus Clemente VIII et Paulo V qui præceperunt denuntiari inquisitoribus eos qui docerent amplexus et oscula libidinosa non esse mortalia, licet sola delectatio venerea in eis placeret sine ordine ad copulam, ut referunt La Croix lib. III, par. I, num 910; Sanchez, *in Decalog.*, cap. 6, num. 12; Reifenstuel., *Theologia moral.*, tract. 9, dist. 4, quæst. 6, n. 85; Castropalao, tom. 1, tract. 2, disp. 2, punct. 10, n. 4; Diana par. 5, tract, 5, resolut. 5; Verricell. tract. 4, quæst. 16, n. 11; et alii passim, qui concludunt oppositam sententiam esse improbabilem, falsam, erroneam, temerariam, periculosam, et scandalosam, et aliqui apud Mendosam disput. 5, n. 4, putant esse damnatam. Et concordat propositio 40 inter alias damnata ab Alexandro VII die decima octava Martii, millesimo sexcentesimo sexagesimo sexto, jam relata supra sub num. 10 et 72: *Est probabilis opinio, quæ dicit esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, et pollutionis;* unde hæc sententia, tanquam jam certissima, non indiget ulteriori probatione.

M

MACELLUM.

SUMMARIUM.

1. Usus Macelli separati pro ecclesiasticis; est permissus. — 2. Episcopi, et alii Prælati inferiores ad evitandas impositiones carnis, etc., constituant Macellum, et alias apothecas separatas pro ecclesiasticis, ao n. 4. — 5. Nihil omnino est innovandum contra ecclesiasticos, et eorum familias super exemptione ipsis competente a gabella cujusvis generis carnis, etc. ad n. 6. — 7. Prohibenda est Ecclesiasticis macellatio carnis porcinæ, nisi pro usu propriarum domorum, monasteriorum, etc., alia ad rem ad n. 9.

(1. Usus Macelli separati pro ecclesiasticis est permissus: et contra impedientes tam directe, quam indirecte, procedendum, ad Censuras: Sac. cong. Immunit. *in Sulmonen.* 9 Septemb. 1631, lib. II *Decret.* Paul., p. 90, *in Baren.* 10 Septemb. 1642, lib. III *Decret.* Paul., 182, *et in Ortonen.*, 29 Maii 1646, ibi pag. 282.

Digitized by Google

(2. Episcopi, et alii prælati inferiores ad evitandas impositiones carnis, et aliorum comestibilium constituant macellum, et alias apothecas separatas pro ecclesiasticis, ita ut eorum immunitati in aliquo non præjudicetur. Sacra congreg. Immun. *in Mutinen. et Regien.*, 12 Februarii 1648, lib. IV *Decret. Paul.*, pag. 6.

(3. Cum civitas imposuerit pretium immodicum carnibus, ecclesiastici tanquam gravati ex hoc pretio aperuerunt macellum, ubi carnes pro ecclesiasticis minori pretio venduntur; verum cum civitas supplicasset dictum macellum claudi, sacrâ congr. respondit : Licere ecclesiasticis aperire macellum. Sacra congr. Immunit. *in Spoletana* 20 Dec. 1702, lib. III *Decr.* Vallem., pag. 464.

(4. Attamen attenta assecuratione exemptionis ecclesiasticorum, aliquando deponitur macellum de consensu eorumdem, juxta mentem Sanctissimi, et sacræ congreg. Sacra Congreg. Immun. *in Beneventana* 19 Novembr. 1641, lib. III *Decret. Paul.*, pag. 159.

(5. Nihil omnino est innovandum contra ecclesiasticos et eorum familias super exemptione ipsis competente a gabella cujusvis generis carnis; sed sunt manutenendi in dicta exemptione, aut quasi possessione respective; et quoad carnes, a die aperitionis macelli civitatis, tam emptio animalium, quam pretium carnium fieri debet cum assistentia, et consensu ecclesiasticorum per capitulum, et clerum deputandorum : et Sanctissimus mandavit omnino ita observari. Sac. Congreg. Immun. *in Beneventana* 1 Martii 1674, libr. *Decret.* Altov., pag. 904.

(6. Quamvis ecclesiastici sint comprehensi, attento chirographo sanctissimi, sub datio carnis, attamen non possunt cogi ad emendam carnem in unico macello. Sac. Cong. Immun. *in Ancomitana* 22 Septemb. 1654, lib. V *Decr.* Paul., pag. 51, et *in Perusina* 21 Januarii 1673, lib. I *decr.* Altov., pag. 673.

(7. Prohibenda est ecclesiasticis macellatio carnis porcinæ, nisi pro usu propriarum domorum, monasteriorum et inserventium, nec non pro usibus propriis non provenientibus a mercatura. Sac. Cong Immunit. *in Florentina* 20 Januar. 1637, lib III *Decr.* Paul., pag. 22.

(8. Quod dubium, an archiepiscopus Rossanen. et virgines monasterii Sanctæ Claræ possint emere belluas suinas, et illas macellari facere in taberna mensæ episcopalis, easque vendere pretio prælixo a conductore communitatis cum exemptione a gabellis, ad quas in eo casu tenentur laici? Sacra congregatio pronuntiavit, non competere exemptionem a gabellis, nisi pro animalibus existentibus in bonis mensæ episcopalis, et monasterii virginum. Sacr. congreg. Immunit. *in Rossanen.* 23 Decem. 1692, lib. I *Decr.* Vallem., pag. 13.

(9. Minister archiepiscopi, si vult gaudere privilegio fori, non exerceat artem macelli, sin munus archiepiscopus removeat litteras patentes. Sacra congr. Immunit. *in Brundusina* 14 Novembr. 1662, lib. *Decr.* Rocci, pag. 436.

MAGI, QUI CHRISTUM ADORAVERUNT IN CUNABULIS.

SUMMARIUM.

1. Magi, qui Christum adoraverunt, fuerunt tres. — 2. Magos reges fuisse, id est dynastas, est probabilior opinio. — 3. Magi non ab arte magica, aut astrologia judiciaria, quam professi fuerint, ut aliqui putant, sic sunt appellati; sed quia erant philosophi astrorum scientia periti. — 4. Quid stella illa fuerit, ab ipsis visa, variant dd. — 5. Magos sexta die Januarii Bethleem venisse Christum adoraturos, communis sententia est. — 6. An eis eodem anno, et die tria illa miracula contigerint, quæ in die Epiphaniæ ab Ecclesia recoluntur, etc., ibi.

(1. Magi, qui Christum adoraverunt, tres fuerunt, ut expresse tradit S. Leo Papa sermon. 30 *in Epiphan.*, cap. 1, ibi : « Tribus igitur magis in regione Orientis stella novæ claritatis apparuit. » Et sermon. 42, *de Epiphan.*, cap. 5, ibi : « Tres magos.... stella perduxit » et pluribus aliis ad id relictis, sic tenet recepta in Ecclesia sententia. Tres isti magi vocantur Melchior, Balthasar, et Gaspar, ut de communi testatur Bollandus *ad diem primam Januarii.* pag. 8 *ad diem* 6, pag. 323, *et ad diem undecimam*, pag. 664. Eorum corpora fuerunt Constantinopolim allata, inde ab Eustorgio episcopo Mediolanum asportata, et in basilica ab eodem episcopo æditicata, collata, et a fidelibus ibi venerata per sexcentos septuaginta annos; et tandem sub Frederico Ænobardo illinc amota, et ab episcopo Reinoldo Coloniam asportata. Sic apud cardin. Lambertin. n. 43, referunt Galesinius, in *Not. ad Martyrolog.*, pag. 13, et Saxus in *Histor. corporum SS. Gervasii et Protasii*, n. 38.

(2. Magos reges fuisse, id est dynastas, est probabilior opinio, ut inter alios tradunt Baronius ad *annum Christi* 1, n. 50, ibi : « Hos igitur fuisse reges dixerimus usitato more divinæ Scripturæ, quæ cujusque oppidi dominum, regem appellare consuevit, ut patet de quinque regibus, quos Abraham armatis suis vernaculis debellavit. » Natal. Alexander *Hist. eccl.*, sæcul. I, cap. 1, art. 4, ibi : « Viros tamen potentes et divites toparchas forte, vel dynastas fuisse, probabile est. » Grefferus tom. V, edit. Ratisbonen. lib. I *De festis*, cap. 30, ibi : « Adde quod regium nomen magnam latitudinem habet, etc. Neque enim necesse est ut omnes qui vel fuere, vel appellantur reges, sint tanti quanti sunt rex Hispaniæ et Galliæ. Favet Scripturæ phrasis, maxime in libris Josue, ubi regis nomen illis tribuitur, qui hodie vix principis nomenclaturam tueri possent. »

* 1° Harduinus, in suo ad secundum Matthæi caput commentario, magos quidem negat fuisse reges. In marmoreis sarcophagis apud Bottarium t. I operis *delle*

Digitized by Google

pitture, e scu.ture de' Sacri Cimiteri, in alio principis Auximani templi, quem in Francisci Antonii Zaccaria *Excursibus litterariis per Italiam* evulgatum habemus, uti et in TI CORCONII sarcophago, quem in Anconitana cathedrali asservatum prolixo commentario Joseph Bartholus illustravit, historia magorum repræsentatur. In his porro sarcophagis, uti et in veteri nummo olim cardinalis Boncompagnii, exhibentur magi capitibus opertis pileo phrygio, quem Tertullianus lib. *De orat.*, cap. 12, *tiaram* appellat. Hoc enim vero capitis tegumentum visum fuit Harduino *rusticanum*, et reliquum quo sculptoribus eos induere placuit, vestis genus *plebeium*. Sed nimis delicatus fuit Harduinus, qui apparatum regium in magis, si reges fuissent, postulabat; quum illi ut itinerantium, qui ab omni pompa abstinendum sibi sapienter censuissent, ne forte adventu suo et inopinato in Judæam ingressu, Herodes rex turbaretur, ferebat habitus, cælati a sculptoribus fuerint. Ad capitis vero tegmen quod spectat, illo ipso cum Paridem in antiquis marmoribus, tum Priamum in picturis codicis Virgiliani Vaticani usos videmus. Cæterum non satis ex criticæ artis legibus pronuntiavit Harduinus, *certius* laudati nummi, quem Tristanus ante eum vulgaverat, quam nostrorum sarcophagorum *testimonium* esse. Ille enim nummus, ut antiquissimus sit, ad summum XI. sæculo vetustior non est. Neque illud probarim, quod idem Harduinus ait, eumdem nummum *cusum fuisse sæculo ut cum tardissime* XIV *ineunte*. In hoc certe vir doctus fallitur quod non animadverterit, nulla potuisse ratione nummum illum XIV sæculi initia attingere. Servatoris enim effigies, uti in antiqua parte proponitur, XI sæculum indicat; deinde XIII et insequentibus sæculis non pileum phrygium, sed coronas magorum capitibus impositas fuisse, quin etiam unum ex illis Æthiopis facie passim a pictoribus atque sculptoribus exhibitum, testatior res est, quam ut illam Harduinus ignorare potuerit.

(3. Magi non ab arte magica, aut ab astrologia judiciaria, quam professi fuerint, ut aliqui putant, sic sunt appellati, sed quia erant philosophi astrorum scientia periti; gensque spectandorum siderum arte pollebat, asserit S. Leo serm. 4, *de Epiph.*; et eruditissimus Serry, in *Responsionibus ad Sandinum*, pag. 34, tradit magos olim fuisse, hoc est philosophos sideralis scientiæ peritos; unde ex hac siderum cognitione, visa stella in Oriente: *Vidimus enim stellam ejus in Oriente* (*Matth.* II), dixerunt ad invicem; hoc signum magni regis est, eamus, et afferamus ei munera, aurum, thus, et myrrham. *Ecce magi ab Oriente venerunt Hierosolymam dicentes: Ubi est, qui natus est rex Judæorum? vidimus enim stellam ejus in Oriente, et venimus adorare Dominum.* (4. Quid enim stella illa fuerit, variant auctores. Verisimilior tamen sententia est, quæ tradit sidus illud meteoræ genus fuisse clarissima luce coruscans, quod angelus in astri figuram formaverat, quodque suspensum in media aeris regione ab Oriente ad Occidentem movebat ad demonstrandum magis iter, uti de columna nubis narratur, qua Judæi deducti sunt per desertum; seu etiam astrum fuisse tum primo creatum; non illud quidem in cœlo, sed in aere non longe a terra, quod nutu Dei moveretur antecedendo magos, usquedum veniens staret supra, ubi erat puer. Sic docet S. Thom., III par., q. 35, art. 3, cit. et secut. a Lambertin. *De festis*, n. 31, et ab aliis communis. * 2° De stella magorum duce plures a Joanne Andræa Schmid, in supplementis ad Sagittarii introductionem tom. XI, p. 34, indicantur protestantium de illa dissertationes, cujusmodi sunt Joann. Frider. Frenzel dissertatio inscripta: *Stella nati Jesu a magis visa*, et Eliæ Bertrandi *observationes, quibus* Jacobi Elsneri *dissertatio apologetica de stella solis Magis visibili modesto examini subjicitur.* *

(5. An magi sexta Januarii die Bethlehemum venerint Christum adoraturi? Relictis aliquibus contrariis opinionibus, communis sententia est, quod d. sexta die Jan., tert. decima post Christi nativit. Magi Bethlehemum ad Christum adorandum petiverint. * 3° Non solum tamen Joannes Clericus, et Samuel Basnagius, sed etiam Richardus Simon, cum in gallica Novi Testamenti versione, et in notis ad caput XI Matthæi; tum in dissertatione, quæ exstat in ejus *Bibliotheca critica*, ausus est inficiari fuisse Jesum a Magis ut Deum adoratum. Eos porro refellunt Benedictinus D. Liron t. I operis prænotati *Singularités historiques et littéraires*, p. 181, 222, ubi et aliqua de magorum nominibus adversus Tillemontium adnotat, Honoratus a S. Maria t. XI *Animadv. in Reg. critic.*, lib. III, diss. 4, artic. 5, et P. Liberatus Fassoni, in dissertatione *De cultu Jesu Christo a magis adhibito;* Romæ 1756, de qua dissertatione conferri poterunt Zachariæ *Annales litterarii Italiæ* t. I, p. 11, pag. 51, seqq., * *et munerandum pervenissent.* Sic laudat. Lambertin., *l. c.* n. 61, allegans ad id S. Thomam, Baronium, Canum, Suarez, Raynaldum, Grævesonum, Card. Gottum, Honoratum a S. Maria, Saudinum, et Ayalam, et ibidem n. 67, ostendit facillime potuisse ipsos tali die Bethlehemum pervenire; cum Arabia Felix, e qua profecti sunt, distet solummodo octo dierum itinere ab Hierosolyma; sicque potuisse commode parare aurum, thus, et myrrham, aliaque itineri necessaria, et Hierosolymis aliquantulum immorari, ut demonstrat Petrus de Marca, in opusculo *De adventu Magorum* a Balusio edito; et ad id præsertim adhibitis pro itinere juxta Isaiæ oraculum velocissimis dromedariis, ut recte advertit Baronius *ad annum Christi* 1, n. 34, ibi: « Quod quidem haud mirum videri debet, si ex Arabia Judæam adjacente, quod superius demonstravimus, advenisse dixerimus, et ut Propheta prædixerat, ad celeritatem itineris dromedariis usos fuisse, quos velociores esse ad cursum equis Nysseis Aristoteles tradit. » Et iisdem fundamentis ad id utitur

Digitized by Google

eruditissimus Lamy in *Harmon. Evang.*, lib. I, cap. 11, § *Ambigitur*; icque tenent plurimi alii brevitatis gratia omissi.

(6. An eodem anno, et die tria illa miracula contigerint, quæ in die Epiphaniæ ab Ecclesia recoluntur, ipsa dicta die sic in ejus Officio canente : « Tribus miraculis ornatum diem sanctum colimus. Hodie stella magos duxit ad præsepium : Hodie vinum ex aqua factum est ad nuptias : Hodie in Jordane a Joanne Christus baptizari voluit, ut salvaret nos. » Eadem die sexta Januarii contigisse magorum adorationem, ut mox diximus, et baptismum Christi, est vetus Ecclesiæ traditio, et fere communis sententia, ut tradit eruditissimus card. Baronius *ad annum Christi* 31, n. 18, ibi : « Quo vero ad mensem, et diem, quibus baptizatus est Christus, spectat, id factum esse sexta Januarii die, ut ex communi, et traditione antiqua Eusebius Pamphili ad Marinum scribens testatur. Confirmat hoc ipsum Hieronymus, ac denique omnes scriptores ecclesiastici, uno duntaxat excepto Epiphanio, ut vidimus; qui sicut audiendus non est, dum ait, Christum natum sexta Januarii, ita nec dum dicit, baptizatum esse sexto Idus Novembris : cum et eidem contradicant Ægyptii, licet de die Natali Domini æque ipsi consentiant. » Sicque tenent etiam card. Gottus, Graveson, Serry, Sandinus, Tillemontius, Honoratus a Sancta Maria allegati, et secuti a Lambertin. *loc. cit.*, n. 58, aliique plurimi. Major controversia est, an eadem die 6 Januarii contigerit etiam aquæ conversio in vinum; quod negant non pauci, et ipsemet Baronius *ad annum Christi* 31, n. 36. Suarez autem, ne totam hanc rem dubitationibus implexam omnino relinquat, affirmat eadem sexta Januarii die, et magos Dominum adorasse, et Jesum fuisse baptizatum, et aquam in vinum fuisse conversam. « Quocirca ne cogamur omnia in dubium vocare, sentiendum existimo baptismum Christi, et alia etiam duo mysteria sexta die Januarii facta esse : » Sic ille, tom. II, disp. 26, sect. 1. Quam sententiam quod eadem die 6 Januarii contigerint omnia dicta tria miracula, quamvis non eodem, sed diverso anno, jam tradiderat S. Thomas lect. 1, *in c.* II *Joannis*, ibi : « In festo Epibaniæ trium miraculorum commemoratio fit, scilicet adorationis magorum, quæ fuit primo anno nativitatis Dominicæ, et baptismi Christi, quo baptizatus est eodem die (sexto Januarii) revolutis triginta annis; et de nuptiis, quæ factæ sunt eodem die (sexto ibidem Januarii) revoluto anno. »

(7. Utcunque tamen res sit, solus Deus certo id scit, et nobis adhuc incerta remanet vera dies præsertim miraculi conversionis aquæ in vinum. Unde S. Maximus, *Serm. de Epiphania*, sic tradit : *In hac, dilectissimi, celebritate, sicut ratione paternæ traditionis instruimur, multiplici est festivitate lætandum. Ferunt enim Christum hodie vel stella duce a gentibus fuisse adoratum, vel invitatum ad nuptias, aquam vertisse in vinum, vel suscepto a Joanne baptismate, Jordanis fluenta consecrasse. Sed quid potissimum præsenti hoc factum sit die, noverit ipse qui fecit.* Hinc Baronius advertit quod, quamvis Ecclesia canat : *Hodie vinum ex aqua factum est ad nuptias*, nihil aliud his verbis velit intelligi, quam eo die fieri ejus miraculi commemorationem, quo aqua in vinum conversa fuit; ut de omnibus tribus miraculis sentit etiam Pererius, *in Joan.*, cap. 2, disp. 2, n. 8, ibi : *Illud hodie non referunt ad tempus rei gestæ, quasi sensus sit, eo die tria illa mysteria esse facta* (ideoque etiam miraculum conversionis aquæ in vinum), *sed refertur ad commemorationem et celebrationem eorum trium mysteriorum eo die fieri solitam, ut sit eorum verborum sensus : hodie colitur et celebratur commemoratio istorum trium festorum.* Quod et tradit Joannes Baptista Casalius, *De veteribus sacris Christianorum ritibus*, edit. Rom. ann. 1647, pag. 119, ibi : « Rectissime antiqua sancta mater Ecclesia hæc tria hac eadem die memorat, nempe adorationem gentium, manifestationem in baptisma, miraculi exhibitionem in Cana, non diebus attentis, quibus singula contigerunt, sed consideratis rationibus, quod his maxime tribus divinitas Salvatoris universo orbi manifestata est. » * Ad quid si historia omnis Magorum in Matthæi Evangelium intrusa foret? Ita quidem Antonius Collins impudentissime asseruit; sed ab eodem Fassonio Scholarum Piarum erudito theologo, pro meritis castigatus fuit in dissertatione, *De veritate atque divinitate historiæ Magorum, quæ est apud Matthæum;* Romæ, 1758 *.

MAGIA

Vid. verb. Superstitio. *n.* 10 *et* 11.

MAGISTER.

SUMMARIUM.

1. In magistrum assumendus non est, qui formam discipuli non assumpsit. — 2. Docere priusquam doceri præposterum est, impossibile. — 3. Qui magisterii, seu doctoratus gradum præpropere, et immutare suscipiunt, corripiuntur. — 4. Magistro non prodest, quod multoties fuerit approbatus, si aperte indignus sit. — 5. Magistri, doctores, regentes universitatum, vel gymnasiorum, docentes quascunque scientias, etiam grammaticam, et alii cujuscunque artis, ac facultatis professores, sive clerici, aut laici illi sint, tenentur emittere fidei professionem. — 6. Magistri scholarum admitti non possunt, nisi prius de fide et moribus examinati reperiantur idonei, et hoc faciendum est, etiamsi magistri sint conducti a magistratu civitatis. — 7. Ipsi tamen magistri examinari possunt ab episcopo in iis duntaxat quæ spectant ad fidem, doctrinam christianam, et bonos mores. — 8. Magistri

Digitized by Google

non solum in grammatica, et rhetorica, aliisque scientiis adolescentes instruere debent, sed etiam in iis quæ ad religionem pertinent, et ipsos ad bona opera compellere possunt. — 9. Magistri, correctionis causa, possunt moderate castigare discipulos clericos sine incursu excommunicationis. — 10. Cum hac tamen advertentia, quod si ipsi magistri sint laici, possunt solum sic corrigere, et punire discipulos clericos in minoribus, non autem in majoribus ordinibus constitutos. — 11. Si autem et ipsi magistri sint clerici, possunt sic corrigere, et leviter punire discipulos suos etiam in majoribus ordinibus. — 12. Magister clericus majorem habet potestatem in discipulum, quam Pater in filium : * Sed vide *Addit. Casinenses* in fine *. — 13. Magistri quoad discipulos peccant in pluribus, quæ assignantur. — 14. Magistri, qui vi, fraude, mendaciis, criminationibus cum aliorum præjudicio curant ad se trahere illos discipulos, qui aliorum schola frequentabant, peccant graviter : et tenentur ad restitutionem juxta proportionem boni impediti, et mali causati. — 15. Non peccant autem magistri contra justitiam, nec tenentur ad restitutionem, si id faciunt sine ulla vi, fraude, mendacio, et criminatione, etc. — 16. Imo in tali casu Lugo, et alii eos excusant etiam a peccato mortali. — 17. Magistri, et doctores laureati æquiparantur nobilibus. — 18. Tales magistri et doctores censentur in dignitates constituti. — 19. Sunt exempti a communibus oneribus. — 20. Si evadant rei criminis, mitius puniuntur, quam alii. — 21. In assumendis dignitatibus, et beneficiis cæteris præferri debent. — 22. Nomine magistrorum et doctorum veniunt etiam *licentiati*, unde et isti gaudent supradictis privilegiis. — 23. Licentia qui sint, et dicantur? — 24. Baccalaurei qui sint, et dicantur? — 25. Baccalaurei unde sic dicantur? — 26. Baccalarii ab aliis vocantur. Subnectuntur *Add. Casin.* ubi plura ad rem *.

(1. In magistrum assumendus non est, qui formam discipuli non assumpsit, textu expresso in cap. *Cum in magistrum* 49, De electione, ibi : *Cum in magistrum assumi non debeat, qui formam discipuli non assumpsit, nec sit præficiendus, qui subesse non novit*, etc. Fagnan., lib. I *Decr.*, in cap. *Cum ad nostram* 37, De election., n. 2, et alii communiter. (2. Docere enim prius quam doceri, præposterum est, et impossibile, textu expresso in cap. *Ordinatus* 4, dist. 59, ibi : *Debet enim ante esse discipulus, quisquis doctor esse desiderat, ut possit docere quod didicit.... Qui minime litteris operam dederit, præceptor esse non potest litterarum.* Baldus in cap. *Cum in magistrum* 49, De election., in principio, Fagn., *ibid.*, n. 2, et alii passim. (3. Unde merito corripiuntur, qui magisterii, seu doctoratus gradum præpropere et immature suscipiunt, nam, ut expresse dicitur in c. *Miserum* 4, dist. 61 : *Miserum est eum fieri magistrum, qui nunquam fuit discipulus.* Fagnanus in cit. cap. (4. *Cum in magistrum*, n. 2. Nec magistro prodest, quod multoties fuerit approbatus, si aperte indignus sit ; arg. cap. *Qui de mensa* 11, dist. 37, et c. *Cum sit ars*, 14, De ætat. et qualit. ; Vincent. et Collector. cum Fagnan., in cit. c. (5. *Cum in magistrum*, n. 4. Magistri, doctores, regentes universitatum, vel gymnasiorum docentes quascunque scientias, etiam grammaticam, et alii cujuscunque artis, et facultatis professores, sive clerici, aut laici illi sint, tenentur emittere fidei professionem : Pius IV, constitut. incip. *Sacrosancta.*

(6. Magistri scholarum admitti non possunt, nisi prius de fide, et moribus examinati reperiantur idonei, et hoc faciendum est, etiamsi tales magistri sint conducti a magistratu civitatis. Conc. Colonien. III, tit. *Quoad institutionem*, cap. 1. (7. Ipsi tamen magistri examinari possunt ab episcopo in iis duntaxat, quæ spectant ad fidem, doctrinam Christianam, et bonos mores, ut declaravit sacr. cong. Concilii apud Aldan. in *Compend. canon. resolut.*, l. III, tit. 4, n. 10 ; Barbos., in *Summa apostolica. decis.*, verb. *Magister*, n. 5.

(8. Magistri, non solum in grammatica, et rhetorica, aliisque scientiis adolescentes instruere debent, sed etiam in iis quæ ad religionem pertinent : et sic adolescentes ad missas, divina officia, et prædicationes audiendas non solum hortari, sed etiam compellere possunt; ea vero, quæ sunt contra bonos mores, aut quæ ad impietatem inducere possunt, legere, vel docere omnino prohibentur; Leo X, const. 6, incip. *Meretur.*

(9. Magistri, correctionis causa, possunt moderate castigare discipulos clericos sine incursu excommunicationis ; cap. 1, cap. *Ex tenore*, 10, et cap. *Cum voluntate*, 54, De sent. excommun. (10. Cum hac tamen advertentia, quod si ipsi magistri sint laici, possunt solum sic corrigere et punire clericos in minoribus constitutos, non autem in sacris et majoribus ordinibus, textu claro in cit. cap. *Cum voluntate*, 54, De sent. excommun. (11. Si autem et ipsi magistri sint clerici, possunt sic corrigere, et leviter punire discipulos suos etiam in sacris, seu majoribus ordinibus constitutos, ut ex cit. cap. *Cum voluntate*, colligunt Hostiens., *ibid.*, n. 8, allegans plures canones, Joann. Andræas *ibidem*, n. 8, Ancharanus, *ibid.*, num. 6 ; Card., *ibid.*, n. 3 ; Butrius, *ibid.*, n. 22 ; Felin., *ibidem*, circa med., vers. *Secus a prælato, vel a magistro ;* Fagn., *ibid.*, n. 32, et idem tenet *Glossa* in c. 1, ver. *Et a magistris*, caus. 35, q. 5. (12. Hinc magister clericus majorem habet potestatem in discipulum quam pater in filium, quia magister potest corrigere, et leviter punire discipulum clericum etiam in sacris, seu majoribus ordinibus constitutum, pater autem potest punire filium solum in minoribus existentem, et nondum in majoribus constitutum, ut *Glossa* in d. cap. 1, vers. *Et a magistris*, Fagnan., *loc. cit.*, n. 33, et alii.

(13. Magistri peccant, si profectum discipulorum in litteris non sedulo promoveant, sed potius negligant. Si non satis studeant ipsi, ut suo officio ex integro cum discipulorum profectu satisfaciant. Si a discipulis exigant stipendium majus justo, quam qualitas gymnasii ferat, aut consuetudo permittat. Si doctoratus, seu magisterii lauream, seu insignia negent dignis, et indignis con-

Digitized by Google

ferant. Si sanam et catholicam doctrinam bonis moribus conformem non tradant discipulis, eorumque spiritualem profectum non promoveant, sed potius eorum peccata dissimulent, et non corrigant, nec impediant, cum possunt. Sic expresse cit. const. Leonis X incip. *Meretur*.

(14. Magistri, qui vi, fraude, mendaciis, criminationibus cum aliorum præjudicio curant ad se trahere illos discipulos, qui aliorum scholas frequentabant, peccant graviter, et tenentur ad restitutionem, juxta proportionem boni ipsis impediti, et damni causati, quia tales nedum peccant contra charitatem, sed etiam contra justitiam. *Communis*. (15. Non peccant autem magistri contra justitiam, nec tenentur ad restitutionem, si id faciant sine ulla vi, fraude, mendacio, et criminatione, sed solis communibus mediis persuasionis, consilii, precum, et hujusmodi, absque intentione alios offendendi; quia tales utuntur jure suo, quod habent ad alios persuadendos in sui utilitatem: nec alii habent jus strictum ad illos discipulos, sicut enim poterant illi sine injustitia sponte sua recedere, sic possunt sine injustitia suaderi; Sanchez lib. II *Consil.*, cap. 3, dub. 3, n. 2; Lugo, tom. I, *De justitia et jure*, disp. 18, n. 109, ubi dicit hanc esse veriorem sententiam; La Croix lib. III, p. 2, n. 81, et alii. (16. Imo Lugo, *ibid.*, n. 111, eos excusat etiam a peccato mortali, quamvis cum aliorum præjudicio curent ad suam scholam trahere eos, qui scholas aliorum frequentare solebant, quia charitas non obligat ad consulendum bono proximi cum magno proprio incommodo. Si enim peccarent mortaliter, ut volunt plures cum Sanchez, *l. c.*, n. 5. « Væ, dicit Lugo, væ, magistris et concionatoribus, qui omnibus artibus, et mediis utuntur, ut scholares, vel auditores sibi accumulent, etiam cum præjudicio omnium concurrentium; imo tunc majorem æstimant suam gloriam, quando ex schola, vel audientia aliorum retrahunt scholares, vel auditores ad suam, quod quidem faciunt, et advocati, procuratores, medici, chirurgi, tonsores, artifices, mercatores, aliique similes, quos omnes, si absque vi et fraude id faciant, non debemus facile peccati mortalis reos dicere. » Sic recte concludit Lugo, *ibid.*; La Croix, l. III, p. 2, n. 81, et alii.

Nota Romani theologi.

Duo hic sunt, quæ cum ethica Christiana hærere haudquaquam posse videntur. Primum, quod ab omni sint culpa immunes, ac justitiam nullo modo lædant, qui communi, hoc est, usu frequentata arte, ab aliis magistris scholares evocant, ut majorem sibi numerum discipulorum acquirant. Alterum vero, quod a lethali culpa excusari universim possint magistri, concionatores, aliique, qui etiam cum aliorum damno scholares, auditoresque ab aliorum ad proprias scholas trahant; nam ethica Christiana inanem gloriam, veluti capitale crimen detestatur, horret ea, quæ odia, et inimicitias nota sint parere; ac generatim vetat aliis fieri, quæ nobis fieri nolumus. Ubi vero in magistro communi arte procurante alterius discipulos ad se trahere, inanis gloria deesset? Illa enim uteretur arte, ut se supra illos efferret, quorum discipulos ad se traheret: atque ita sane res appareret, quæcunque interea foret illius intentio. Præterea nota res est, hac via in partes scholares, auditoresque scindi, ac odia excitari, foverique inimicitias. Id enim vix quidem contingere solet, quin alterius scholares, auditoresque de proprii magistri ac delecti concionatoris præstantia contendant, et quin unum laudibus efferre et deprimere alterum studeant. Scimus denique magistros, concionatoresque ægre admodum ferre, aliorum arte discipulis, auditoribusque privari, ac satis constat de hoc, veluti de maxima injuria, passim conqueri. Potestne sine culpa fieri, quod aliis maxime displicet? Nunquid Jesu Christi ethica hæc, atque similia probat? Imo improbat in unoquoque Christiano. Vide ergo, num in magistro et concionatore id omni vacare possit culpa. Si enim ex officio virtutem docere, prædicare, et inculcare tenetur verbo et exemplo, quod leve in aliis, in iis grave peccatum erit. Ait Lucius, hos justitiam non lædere, at lædunt charitatem, et quidem non sine scandalo, ut ex dictis liquet: Imo et justitiam quoque; injuria enim magistro fit, dum ipsi invito, ac sine ipsius culpa, subtrahuntur discipuli; est enim in possessione illorum, ac recedendo ab ipso, ut ad alium accedant, læditur illius existimatio, ac jus quod ad hanc famam habet. Fac deinde præjudicium, et damnum inde sequi, quis eos a gravi culpa excusabit? Ait Lugo: « Væ magistris, et concionatoribus, » etc. Quorsum hæc? Quia passim ita agunt, etsi passim ita agunt, passim peccant, et graviter, quia charitatem lædunt, quia scandalo sunt fidelibus, et discipulis, quos ædificare tenentur, quia de industria damnum aliis inferunt; quod, etsi demus non esse contra justitiam, quia molestum quam maxime aliis esse solet, et odia inimicitiasque natum est parere, nunquam sine gravi culpa erit.

Responsio auctoris.

Notat hic Rom. theologus duo a me tradita esse *loc. cit.* quæ cum ethica Christiana cohærere haudquaquam posse videntur. Primum, quod ab omni culpa sint immunes, ac justitiam nullo modo lædant, qui communi, hoc est, usu frequentata arte, et sine vi, fraude, mendacio, et criminatione curant ad se trahere discipulos alias scholas frequentantes. Alterum vero, quod a lethali culpa excusari universim possint magistri, concionatores, qui omnibus artibus, et mediis utuntur, ut scholares, vel auditores sibi accumulent etc. Ast hic typographus Venetus vellet scire a nostro theologo, an juxta hæc sua principia, ei licuerit tam avide et ardenter promovere suam editionem Romanam, ipsam sic magnificando, et Venetam parvipendendo ad retrahendos emptores ab emptione Venetæ, et ipsos attrahendos ad

Digitized by Google

emptionem Romanæ cum tanto sui detrimento, nedum spirituali, sed et temporali, quum ipsum sic incitaverit ad non parvam spiritus perturbationem, et animi aversionem nedum contra ipsum theologum, sed et contra ipsum penitus innocentem Lucium, ut sibi, quamvis falso, sed constanter repræsentatum, contra suam illibatam fidem, et religiosam integritatem, socium cum theologo pro editione Romana, in tantum detrimentum suæ Venetæ editionis, ut ex epistolis patet, quæ adhuc servantur, plenis querimoniis, indignationibus, et protestationibus, se velle omnem movere lapidem in Urbe et orbe, pro reparatione tanti sui indebiti detrimenti. En quot mala, quot hinc et inde animorum perturbationes. Sed ad hæc nil noster theologus; omnia sibi licent, aliis nihil, prædicat aliis non furandum, et ipse in hoc genere, ex assertione typographi, satis superque furatur.

(17. Magistri, seu doctores, qui lauream magisterii, seu doctoratus in facultate theologica, vel juridica tum canonica, tum civili, vel medica, vel philosophica legitime sunt consecuti, variis gaudent privilegiis. Primum est, quod nobilibus annumerentur, veramque nobilitatem consequantur; arg. l. H, § ult., in fine, et l. 4, § 1 in fine, *De excus. tut.* Imo nobilitas morum plus ornat, quam genitorum, cap. *Nos qui*, 3, dist. 40. Quapropter etiam gaudent nobilitum prærogativis; arg. c. *De multa* 28, De præbend.

(18. Secundum est, quod a plebeia conditione exempti in dignitate censeantur constituti; arg. c. *Quanto* 3, De magistris, et Clement. *Cum sit nimis* 2, *l. c.*

(19. Tertium est, quod exempti sint ab oneribus tam realibus, quam personalibus, textu expresso l. *Medicos* 6, et l. XI, cod. *De professoribus et medicis.*

(20. Quartum est, quod magistri et doctores criminum rei mitius puniendi sint, quam plebei, adeoque non torturæ, præterquam in criminibus exceptis, sunt subjiciendi, nec pœna triremium, nec fustibus, nec alio ignominiosiori pœnæ genere, sed ultimum supplicium meriti, gladio puniri debent; arg. l. *Custodiam*, ff. *De custod. reorum*, l. IV, cod. *Ad. l. Jul. majest.*, l. *Moris* 9, § 11, ff. *De pœnis*, cum similibus.

(21. Quintum est, quod magistri, et doctores, cæteris paribus, in assequendis dignitatibus, et beneficiis ecclesiasticis, aliis præferri debent: c. *De multa* 28, De præb., c. *Cum in cunctis* 7, De elect., et conc. Trid., sess. XXIV, *De reformat.*, cap. 12.

(22. Nomine magistrorum et doctorum veniunt etiam *licentiati*, unde, et isti gaudent dictis privilegiis; Alciatus in l. *Cui præcipua*, *De V. S.*, Leander, *De privileg. doctorum*, p. IV, n. 11, et alii. Et ratio est, quia licentiati habent etiam illam excellentem, et legitime approbatam scientiam, et doctrinam, bono communi servientem, propter quam principaliter sunt concessa dicta et alia privilegia magistris et doctoribus; ipsi enim licentiati, quamvis lauream magisterii et doctoratus non sint solemniter assecuti, habent tamen licentiam, et facultatem proximam illam solemniter consequendi, quoties velint, cum illa digni jam sint rite et solemniter declarati. Unde pro eis stat illud juris: *Proxime accingendus habetur pro accincto*; l. penultim. ff. *De testament. milit.* Tum quia concil. Trident in assequendis dignitatibus et beneficiis, licentiatos æquiparat doctoribus, sess. XXII *De reformat.*, cap. 2, et sess. XXIV, *De reformat.*, cap. 12.

(23. Licentiati autem sunt, et dicuntur illi, qui supremum in aliqua facultate, sive theologica, sive juridica, sive medica gradum doctoratus, seu magisterii insignia publica capessendi, quando volunt, licentiam seu facultatem habent, eo quod pro talibus post prævium examen, non tantum digni judicati, sed ut licentiati rite et solemniter declarati sunt.

(24. Licentiatis paulo inferiores sunt *baccalaurei*, quorum appellatione veniunt illi, qui in scientia, vel facultate aliqua, sui profectus primum testimonium, primumque gradum sunt adepti. (25. Isti, ut ex Pratejo, et Paulo jurisconsulto refert Calvinus in suo magno *Lexico juridico*, verb. *Baccalaureos*, a *Bacca laurea* nomen assumpsisse videntur. Pignatellus autem to. X, consult. 38, n. 27, de horum etymologia sic præcise habet: « De baccalaureo triplex est hujusmodi cognominis etymologia, mea sententia, non absurda. Prima, est, a *baculo* dicuntur *bacularii*, vel quod adhuc in pristino laborantes, baculis impelluntur, vel quod nondum disciplinis absoluti, opus habeant rectore baculo. Hæc est probabilis. Secunda, constat lauri baccas esse nigras et amaras; porro quoniam id temporis etiamnum arrodentes amarum sapientiæ corticem, nondum ad melleum dulcissimum penetrarunt, baccalaureos appellari placuit. Ista est probabilior. Tertia est, arbitratur non nemo dictionem compositam a *vacca*, et *laro*: *Vaccalarius*; aliquæ enim nationes pro B sonant V consonantem, et e contra; vacca autem lac porrigit, et larus avis est avidissima. Jam de amabili illo sapientiæ principe dictum est: *Mel et lac sub lingua ejus.* Unde quos vehemens quidam ardor hujus lactis agit rapitque, *baccalari* dicuntur; hæc est etiam probabilis. »

(26. Alii ipsos vocant *baccalarios*, qui, teste Rhenano apud Calvinum *loc. cit.*, verb. *Baccalarii* a *bacillo* nominati sunt, quia primi studii auctoritatem, quæ per exhibitionem baculi concedebatur, jam consecuti fuissent. Erat velut quoddam mancipationis signum in hujusmodi aliquod studium, baculi traditio. Vulgus *baccalarios*, eruditi *baccalaureos* vocant. Hæc Calvinus, *loc. cit.*

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(27. De magistro scholæ primum in ecclesia cathedrali, et postea etiam in collegiata ecclesia instituto, agit et quidem latissime Bohemer. in *Decretal.*, lib. V, tit. 5, fere per tot.

Digitized by Google

(28. Munus autem hujus magistri erat docere non solum grammaticam, sed et alias disciplinas, scilicet rhetoricam dialecticam etc. Lectio enim vulgata in cap. 4 *De magistr.*, est depravata, ubi perperam legitur : « qui clericos ecclesiarum ipsarum gratis in grammatica facultate, et alios instruat juxta posse. » At apud Harduin., tom. VII *Concil.*, pag. 30, legitur : « in Grammaticæ facultate, et aliis, » id est facultatibus, seu disciplinis. Notum quippe est, quamlibet disciplinam ab antiquo facultatem dictam fuisse, ut evincit usus loquendi in academiis familiaris.

(29. Hic autem magister in aliquibus ecclesiis cathedralibus etiamnum existit, et vocabulo *scholastici* designari solet, estque dignitas ecclesiastica, sed commissum ipsi principio a sacris canonibus munus haud amplius implet.

(30. Diversi autem ab his magistris scholæ, quos canonici in cathedralibus, collegiatisque ecclesiis volebant sunt magistri, qui de licentia episcopi, grammaticam, aliasque mox dictas facultates hodie docent. (31. Atque hinc est, quod ad hos trahi nequit id, quod de illis a canonibus sancitum reperitur. Illi, ut exemplum aliquod afferamus, eo quia ex proventibus ecclesiæ vivebant, nihil a scholaribus suis, nisi sponte oblatum, accipere poterant. (32. At hi, nisi stipendium publicum habeant, non prohibentur aliquid a scholaribus exigere ; Confer Conzal., *Comment. ad. c.* 4, n. 6, De magistr.

(33. Possunt, ut monet Auctor n. 8, hodierni magistri in iis etiam, quæ ad religionem pertinent, scholares suos instruere, non tamen (ita recte ait Romaguer. ad *Synodal. Gerund.*, l. v, tit. 1, n. 5) « per istos sublevantur parochi a sua obligatione docendi doctrinam Christianam, sed eo non obstante ad eam docendam tenentur. »

(34. De exemptione, qua, ait Auctor n. 19 frui magistros, seu doctores ab oneribus personalibus et realibus, vide Brunemann., in l. final. c. *De profess. et medicis ;* et præcipue Klok., *De contrib.*, cap. 10, per tot., qui de ea ex professo tractat, et quando, tum quomodo procedat, tradit.

(35. Absolutè verum haud est, quod asserit Auctor, n. 22, licentiatos venire nomine magistrorum, seu doctorum, tum frui privilegiis omnibus ipsis concessis ; consule Besold. in *Dissertat. de studiosis*, cap. 8, per tot., et Mendo, *De jure academic.*, l. 1, quæst. 13, n. 321, et plur. seq., qui docent quibus doctorum privilegiis gaudeant licentiati.

ADDITIONES CASINENSES.

Quamvis auctor, sup n. 12 hujus articuli in eam iverit sententiam, magistrum clericum posse corrigere, et leviter punire discipulum clericum, etiam in sacris, seu majoribus ordinibus constitutum, patrem vero posse punire filium solum in minoribus existentem, et nondum in majoribus constitutum : quod etiam adstruit in artic. 11, v. *Excommunicatio*, n. 9; attamen placet nobis doctrinam D. de Ligorio hic afferre, tenoris sequentis : « Quæritur an pater possit verberibus clericum punire ? Certum est posse, si clericus est in minoribus, ex. cap. *Cum voluntate* 54, ex. *De sententia excomm.* § *Si qui vero*... Dubium est an possit, si clericus est in sacris constitutus ? Prima sententia negat ; et hanc tenent Laym.... Pal... cum Host., Panor., Angel., Mol., etc., quia nullibi habetur, quod pater possit manus injicere adversus clericos in sacris. Hæc est probabilis, at sententia affirmans videtur probabilior, et hanc tenent Suarez... Bonac... Concina... Tournely... Salmatic., cum Valent., Bann., Con. et Avila, et probatur ex c. 1, ex. *De sentent. excomm.*, ubi excusatur magister, si scholarem clericum (*quamvis sit plenæ ætatis*, ut ibi præmittitur, unde includitur etiam clericus constitutus in sacris) « intuitu disciplinæ vel correctionis percusserit. » Si ergo non solum causa disciplinæ, sed etiam correctionis, potest magister clericum percutere, tanto magis poterit pater, cui principaliter. et de jure naturali incumbit compescere insolentias filiorum. *Theol. moral.*, lib. 7, *De excommunicatione* n. 275.

Lubet insuper sub hoc articulo sequentia addere.

(1. « Magistrorum docentium theologiam, etiam extra suas Ecclesias, et beneficia, privilegium est, quod non minus, quam si in iis residerent, fructus beneficiorum suorum integre percipere possint (*quotidianis distributionibus exceptis*) quandiu in docendo persistunt. » Engel ad tit. ex. *De magistris*, n. 3. Intellige dummodo in scholis publicis docuerint, ut infra dicendum.

(2. Idemque juris est pro docentibus in scholis publicis sacram Scripturam. Barbosa, cit. t. *De magistr.*, ad cap. *Super specula* 11, n. 3, et constat ex Trident. mox adducendo. Porro eodem privilegio donati sunt scholares per quinquennium, dum theologiæ et S. Scripturæ in scholis publicis operam navant.

(3. « Hinc fit quod licet Summi Pontifices statutis pœnis, usque ad beneficiorum privationem ad residentiam omnes induxerint..... nihilominus tamen judicantes quam utile, ac fructuosum esset Ecclesiæ Dei addiscere, et docere litterarum scientias... statuerunt ut tam docentes in theologica facultate, dum in scholis docuerint, quam studentes in ipsa integre percipiant proventus et fructus suarum præbendarum, et beneficiorum. Ita Honorius III in cap. *Super specula*, De magistris, ibi : « Docentes vero in theologica facultate, dum in scholis Docuerint, et studentes in ipsa, integre per annos quinque percipiant *de licencia Sedis Apostolicæ* proventus præbendarum, et beneficiorum suorum, non obstante aliqua alia contraria consuetudine, vel statuto, cum denario fraudari non debeant in vinea Domini laborantes. » (Sic quoque) concil. Tridentinum, sess. v, cap. 1, *De reformat*, in fine, ibi : « Docentes vero ipsam sacram Scripturam, dum

Digitized by Google

publice in scholis docuerint, et scholares, qui in ipsis scholis student, privilegiis omnibus de perceptione fructuum, præbendarum, et beneficiorum suorum in absentia a jure communi concessis, plene gaudeant, et fruantur. » Apud Barbosam, *Consultat. Canonic.*, 88, dub. 2, n. 29 et 30.

« Itaque (ait Fagnanus, ad cap. *Super specula* 11, cit. tit., ex. *De magistris*) magistri quamdiu publice in scholis sacram theologiam docuerint, et scholares, qui in ipsis scholis eidem studio operam navaverint per quinquennium, fructibus præbendarum, et beneficiorum suorum in absentia plene gaudent et fruuntur... distributionibus quotidianis duntaxat amissis.

« Hoc tamen intelligas, (*nota*) si fructus præbendæ a quotidianis distributionibus sint sejuncti; secus vero si universi fructus hujusmodi distributionibus constent, quia tunc lectores et studentes lucrantur duas tertias illarum partes, omissa alia tertia, quæ inservientibus accrescit; » ut ex sententia sacræ congregationis Concilii, n. 3.

(4. Si vero de parochis sermo sit, cum ipsi vi proprii officii, atque ad mentem S. conc. Trident. stricte ad residentiam teneantur; hinc est, quod docendi causa abesse a sua ecclesia nequeant. Nisi quod « Parochus in civitate ecclesiam suam habens, potest inibi in publica universitate sacram Scripturam legere, ita tamen, ut cura animarum per ipsum exercenda nihil detrimenti patiatur : » Sacr. congregatio Concil. Apud Barbosam, *Collect. Apostol. decis.*, v. *Parochus* quoad residentiam, num 17.

(5. Porro licet in citat. cap. *Super specula*, fiat solum mentio de theologia, id ipsum tamen communiter doctores extendunt ad jus canonicum; « quia (Fagnano docente) tale studium cedit in utilitatem universalis Ecclesiæ... quam (opinionem) sæpius probavit sacra congregat. Concilii Tridentini interpret. Quinimo (*nota*) alias censuit, docentes jus canonicum in aliqua universitate gaudere, et potiri privilegio de percipiendis in absentia fructibus, *quamvis præbendæ, quas obtinent, sitæ sint in cathedrali ejusdem civitatis*, in qua publici lectoris munere funguntur. » *Ibid.* n. 5 (19).

(6. Heic vero notandum, privilegium abessendi, et percipiendi fructus, de quo supra « procedere in docentibus, et studentibus *in studio generali, seu celebri universitate*.... Studium autem generale illud dicitur, quod est erectum, et institutum per Papam, regem, seu principem. » Barbosa., *Consultat. canon.*, 88, n. 36 et 37.— « Dictis privilegiis tum gaudent, si in scholis generalibus, seu publica universitate doceant, aut studeant... Unde non sufficit studium, quæ non sit universitas, quamvis in eo optime legatur, et publice cuicunque audire volenti... et ideo multo minus sufficiet studium, quod habetur in ecclesia cathedrali, sub canonico theologo legente. » Idem Barbosa, *De canonic. et dignit.*, cap. 28, n. 47.

« Advertendum est etiam (sic quoque n. Garcias) quod studentes in ecclesiis cathedralibus non gaudent d. privilegio de percipiendis fructibus in absentia, ut apparet ex sequenti declaratione S. congregationis sup. cap. 1, sess. v Trident., ibi : « Scholares « in ecclesiis cathedralibus non gaudent iis- « dem privilegiis sicut studentes in studiis « publicis, vel academiis. » *De benefic.*, tert. part., cap. 2, n. 118 (20).

(7. Præterea « Amplia, seu potius declara procedere in cathedraticis, qui docent conducti, aut salariati, vel ratione stipendii, seu cathedræ, quam habent, non vero in iis, qui sponte, aut voluntarie legunt sine stipendio, et cathedra, nisi legant cum licentia universitatis, seu claustri, seu collegii doctorum (21). »

(8. Ulterius « Amplia privilegium perci-

(19) « Amplia (quoad perceptionem fructuum præbendæ) procedere, etiamsi præbendæ, quas obtinent docentes, sitæ sint in cathedrali ejusdem civitatis, in qua publice lectoris munere funguntur. » (Barbosa, *Consultat. canonic.*, 88, n. 43.)

« Incontroversa apud omnes interpretes elicitur assertio, quod beneficiati omnes legitime absentes causa studiorum, sive studuerint, sive docuerint, pro præsentibus habentur, ideoque integros fructus suæ præbendæ lucrantur, ac si personaliter residerent, amissis tamen distributionibus quotidianis, etiamsi præbendæ sitæ sint in cathedrali ejusdem civitatis, *in qua respective student, vel docent.* » (Cardinalis Petra, *Comment. ad constit. Apostol.* [Constitut. 9 Bonif. VIII.] tom. III, pag. 544, n. 15.)

(20) Verum licet fatendum sit, hujusmodi sententiam (scilicet quod doceatur, vel studeatur in publica universitate) communi DD. calculo esse assertam; attamen eidem propere subscribere non audeo, cum nullibi in jure eamdem cautam esse inveniam; perperam enim desumitur ex supra cit. text. *Tuæ* (*De cleric. non resid.*), in quo duntaxat sancitur, hoc privilegium cessare, ubi nullum vigeret litterarum studium, idem enim est esse minus competens, et esse nullum... ideo non undique improbabile videtur asserere, quod ad hoc privilegium capessendum sufficiat studere, ubi studium sit celebre, quamvis non sit universitas privilegiata... Pro comperto autem est (*nota*) quod collegia simplicia pro veris academiis, et universitatibus haberi non debent, nec lauream doctoralem consequi possunt, nisi pro certis locis ex speciali privilegio. » Petra *Comment. ad const. Apostol.*, t. III, pag. 553, num. 6, *ad const.* 10 *Bonifac. VIII.*

(21) « Quæro, sic Fagnanus, an canonicus cathedralis publice in aliqua academia docens S. theologiam, si nullum sit ei stipendium a publico constitutum, neque sit ex numero eorum, qui cathedras habent, sed facultatem a rectore, vel aliis ad quos spectat, obtinuerit, gaudeat privilegio a jure concesso, ut fructus canonicatus in absentia percipiat. Hoc dubium habet duas partes. Prima est, an ad gaudendum privilegio, oporteat lectorem esse stipendiatum : secunda, an oporteat eum esse de numero eorum, qui habent cathedras. Quoad primam partem, videtur respondendum, nihil referre ad gaudendum privilegio, ut quis sit stipendiatus, necne. Primo, quia ratio, ob quam a jure concessum est lectoribus privilegium percipiendi fructus beneficii in absentia est, quia promovent utilitatem, nedum ecclesiæ particularis, sed etiam universalis, quæ ad sui regimen juris litteratis indiget... Hæc autem ratio militat in lectore non stipendiato non minus, imo magis, quam in stipendiato; ideoque privilegium debet habere locum...

« Quoad secundam partem dubii, an pro hujusmodi

Digitized by Google

piendi fructibus beneficiorum quoad docentes, non habere ullam temporis determinationem, sed eo gaudere, quamdiu docuerint... In studentibus vero privilegium hujusmodi non suffragari ultra quinquennium, a die quo cœperunt studere (22). »

(9. Denique « Amplia ad dictum privilegium de percipiendis fructibus præbendarum in absentia, non requiri licentiam episcopi in docentibus... Requiri vero videtur in studentibus. » Barbosa *Cons. canonic.*, 88, dub. 2, n. 37 et seqq. (23).

(10. « Porro quæstio est dubia, sic idem Barbosa, an presbyteris, seu aliis in ecclesiastica dignitate constitutis, liceat jus civile publice legere, nec non ad cathedras

Cæsarei juris in aliqua universitate se exponere: pro affirmativa, scilicet docere publice leges esse licitum presbyteris, illisque nullibi reperiri prohibitum, videntur insinuare *Gloss.*, Jo. Andreas, cardin. Zarabello.... Navarr., quibus adde Navarr. Talet. Suarez, etc. » *De offic. et potest. episcop.*, allegat. 56, n. 34.

(11. « An vero hujusmodi juris civilis, aut aliarum facultatum professores gaudeant privilegio, de quo supra, percipiendi scilicet fructus beneficiorum suorum in absentia, dum in aliqua universitate legerint; jure communi negativam decidendum videtur. » Engel ad cit. tit. ex. *De magistris*, num. 4.

MAGISTER CÆREMONIARUM.

SUMMARIUM.

1. Magister cæremoniarum est necessarius in cathedralibus, et collegiatis. — 2. Ad officium magistri cæremoniarum non debet compelli canonicus, sed providendus est alius simplex sacerdos. — 3. Magister cæremoniarum non potest alterare, seu mutare consuetudinem circa præintonationem antiphonarum ad vesperas. — 4. Magister cæremoniarum, absente magistro chori, habet munus indicendi silentium in choro. — 5. Occasione consecrationis monialium non est permissum magistro cæremoniarum clausuram ingredi. — 6. Magister cæremoniarum, si sit beneficiatus, potest in exercitio sui officii dimittere habitum beneficiatorum, et uti superpelliceo. — 7. Magister cæremoniarum, etiamsi sit capellanus, dum est in exercitio sui officii, sedere debet apud celebrantem, vel assistentes. — 8. Magister cæremoniarum in processionibus incedit apud celebrantem, et ejus assistentes, et ubique, quando opus est, discurrit. — 9. Magister cæremoniarum debet personaliter significare episcopo, quando debet ad ecclesiam accedere pro functionibus episcopalibus. — 10. Cæremoniæ unde sint dictæ? — Afferuntur duo dubia novissime a sacra congregatione Concilii resoluta. — 12. Alia ad rem, *remissive*.

(1. Magister cæremoniarum est necessarius in cathedralibus et collegiatis. Unde in cathedrali, quousque assignetur ei aliunde competens stipendium, contribuere debent episcopus, et capitulum pro rata. Sac. cong. Episcop. et Regul. *in Comensi* 10 Julii 1600, et S. congr. Rit. *in Tropien.* 23 Martii 1602.

(2. Ad officium magistri cæremoniarum non debet compelli canonicus, sed providendus est alius simplex sacerdos. S. cong. Episcop. et Regul. *in Castellanaten.* 23 Julii 1602.

(3. Magister cæremoniarum non potest alterare, seu mutare consuetudinem circa præintonationem antiphonarum ad Vesperas. Sac. Congr. *in Suession.* 28 Aprilis 1607.

(4. Magister cæremoniarum, absente magistro chori, habet munus indicendi silentium in choro. Sac. congr. Rit. *in Hydruntina* 6 Decembris 1613.

(5. Occasione consecrationis monialium non est permissum magistro cæremoniarum clausuram ingredi. Sac. congr. Concil. *in Subinen.* in resp. ad 5 dub., die 3 Julii 1632.

privilegiis oporteat, lectorem esse de numero obtinentium cathedras, similiter videtur respondendum, non oportere. Primo, quia jura non requirunt ad gaudendum privilegio lectoribus concesso, ut sint ex numero obtinentium cathedras, sed tantum ut legant in civitate regia, vel privilegiata, vel longissima possessione super hoc munita. Accedit, quod causa privilegii militat etiam in his, qui non sunt de numero obtinentium cathedras: nam et ipsi in vinea Domini operantur. » (Cit. cap. super *Specula*, ex. *De magistr.*, n. 6, 7, 8, 9.)

(22) « Innocentius XII decreto constituit (in suo *Bullario*, pag. 262) ne ejusmodi privilegia, quæ studiorum causa concedi debent, illis qui vigesimum quintum annum jam attigissent in posterum conferrentur, et ne triennii spatium superarent. » (Benedict. XIV, *Institut. Eccles.* 107, n. 72. At DD. vulgo ad 5 annos extendunt.)

« Hic autem non importune quæritur, nimirum, nunquid attento, quod hæc licentia concedi consuevit ad certum tempus limitata, præsertim ad quinquennium, eo transacto, ac hujusmodi studio adhuc minime consummato, poterit, hac de causa idem ordinarius hanc facultatem oratori ad aliud tempus prorogare: et omni prorsus hæsitatione remota, negativa datur responsio, quandoquidem sacra congregatio Concilii desuper consulta, in hunc modum respondit, videlicet licentia, et quis abesse possit causa studii a servitio suæ ecclesiæ, vel sui canonicatus, non suffragatur ultra quinquennium, impetrata a die, quo cœpit studere. » (Pyrr. Corrad., *Praxis dispensat. Apostolic.*, lib. v, cap. 6, n. 34.)

(23) « Quia vero regulare est, quod beneficiatus a sua residentia abscedere non possit, etiam ex justa, et jure canonizata causa, nisi petita et obtenta a suo prælato licentia, ut communiter firmant canonistæ... Ideo requiritur ad hoc, ut absens studiorum causa habeatur pro præsente, quod episcopi consensus accedat... Adeo ut hujusmodi indulta, etiam a Sede Apostolica obtenta, non suffragentur, nisi committantur ordinariis loci, ubi beneficia consistunt ex declaratione Pii IV, in constit. edita 24 Nov. 1564, incip. *Sanctissimus*... Hinc hujusmodi indulta, quæ solent concedi per S. congregationem Concilii, semper expediuntur in forma commissoria directa propriis ordinariis. » (Petra, *Comment. ad const. Apost.* Const. 10 Bonifac. VIII, tom. III, pag. 553 et 54, n. 7 et 8.)

« Hanc autem licentiam si Episcopus, sive alius prælatus sine causa negaret, poterit recursus haberi ad superiorem, qui illum ad eam concedendam compellat. » (Pyrr. Corrad., *Praxis dispensat. Apostol.*, lib. v, cap. 6, n. 33.)

Digitized by Google

(6. Magister cæremoniarum, qui est beneficiatus, potest dimittere habitum beneficiatorum, et uti superpelliceo in exercitio sui officii absque incursu censurarum contra illum habitum non deferentes. S. congr. Rit. *in Januens.*, 9 Decemb. 1617.

(7. Magister cæremoniarum, etiamsi sit capellanus, quando officium exercet, et vestibus illius officii vestitus est, sedere debet apud celebrantem, vel ejus assistentes pluvialibus indutos; quando vero non est in ministerio, sedere debet in choro inter præbendatos, vel presbyteros sui ordinis, servato ordine suæ receptionis; Sac. congr. Rit. *in Patavina* 28 Novem. 1609, et 8 Maii 1617.

(8. Magister cæremoniarum in processionibus incedit apud celebrantem, et ejus assistentes, et ubique discurrit, quando opus est, pro ordinanda processione. Sac. cong. Rit. *in d. Patavina* 30 Augusti 1602, et 8 Maii 1617.

(9. Cum sit officium magistri cæremoniarum episcopo significare, quando debet ad ecclesiam accedere pro functionibus episcopalibus, debet id ei personaliter significare. Sac. cong. Episcop. et Regul. *in Campanien.*, 3 Octob. 1642.

(10. Cæremoniæ dictæ sunt a *Cære*, seu *Cærite*, antiqua celebri urbe Tusciæ, ad quam, Roma a Gallis obsessa, virgines vestales transtulerunt simulacra deorum, et inibi cultum eis exhibebant; ob cujus rei memoriam Romani in libertatem per Camillum asserti statuerunt, ut deinceps divini cultus cæremoniæ appellarentur. Tit. Livius, lib. v; Macrob., l. III, c. 4; *Nouveau Dictionnaire théologique, historique*, etc., par D. de Juigné, verb. *Cere*.

(11. Afferuntur duo dubia novissime resoluta a sacr. congr. Concilii.

I. An Clemens Grattarola cæremoniarum magister archiepisc. Ravennaten, quando ratione sui officii assistit eidem archiepiscopo pontificalia exercenti tam in ecclesia cathedrali, quam in aliis quibuscunque civitatis locis, ejusque suburbiis, necnon extra civitatem in locis suæ diœcesis in actu visitationis, gaudere debeat distributionibus quotidianis? et quatenus negative.

II. An ex gratia indulgendum sit, ut dictas distributiones lucretur in casu, etc.

Sac. congr. Concil. *in Ravennaten.* 1 Augusti 1789, respondit: Negative ad utrumque in casu de quo agitur, præterquam quando assistit archiepiscopo in cathedrali.

(12. Alia ad rem. Vide in tomo IX, Decreta sac. Rit. congr. sub. num. 9, 47, 148, seqq., 159, seqq., 958, 1170, 1338, 1465, 1539.

MAGISTRATUS.

SUMMARIUM.

1. Magistratus non debet occupare locum capituli, et cleri, qui in concionibus sedere debent immediate apud suum episcopum. — 2. Magistratus aut judices non debent proprias dignitatum, et canonicorum sedes, seu stalla in choro, aut presbyterio occupare, quamvis aliquando id eis permissum fuerit. — 3. Magistratus et officiales civitatis thurificandi sunt post dignitates, et canonicos æquis ductibus, non obstante usu in contrarium. — 4. Magistratus in processionibus Sanctissimi Sacramenti debet incedere in loco, in quo secundum antiquam consuetudinem consuevit incedere. — 5. Magistratus debet juxta solitum tibicines mittere ad processionem Sancti Sacramenti, nec licet prohibere solitum tributum ceræ Ecclesiæ, etc. — 6. Magistratus civitatis cogi potest solitum obsequium episcopo accedenti ad ecclesiam præstare, et juxta solitum accedere ad ecclesiam cathedralem in diebus solemnibus, et tempore Adventus, et Quadragesimæ. — 7. Magistratus nihil debet in præjudicium capituli, ecclesiæ, et canonicorum innovare, vel attentare. — 8. Magistratus sæcularis civitatis, quando non est de majoribus, et perpetuis, debet cedere in omnibus et per omnia canonicis ecclesiæ cathedralis, et concionator debet prius canonicos, quam magistratum salutare. — 9. Magistratus, quando est de majoribus, debet incensari ante canonicos post assistentes episcopo. — 10. Magistratus laicus non potest habere locum in choro, seu in presbyterio, sed extra illum. — 11. Magistratus laicus non potest in ecclesia habere retentionem sive usum tapeti, seu stratus. — 12. Magistratus debet cedere præcedentiam capitulo cathedralis in omnibus functionibus ecclesiasticis; et concionator debet prius salutare capitulum, quam magistratum. — 15. Item concionator debet prius salutare canonicos, quam gubernatorem civitatis. — 14. Adducuntur varia dubia ad rem resoluta a sacra congregatione Rituum. — 15. Qualis honor debeatur prælato præsidi provinciæ, *remissive*. — 16. Pœna in magistrat. procedent. contra ecclesiast.

(1. Magistratus non debet occupare locum capituli, et cleri, qui in concionibus sedere debent immediate apud suum episcopum. Sacra congregat. Rit. *in Balneoregien.* 25 Januar. 1602.

(2. Magistratus, aut judices non debent proprias dignitatum, et canonicorum sedes, seu stalla in choro, seu presbyterio occupare, quamvis aliquando id eis permissum fuerit. S. congreg. Rit. *in Compostellana* 4 Februarii 1608, et sub die 21 Februar. 1604, et *in Granaten.* 24 Octobris 1609.

(3. Magistratus, et officiales civitatis thurificandi sunt post dignitates, et canonicos æquis ductibus. Sacra congr. Rit. *in Interamnen.* 10 Julii 1600, et in *Fanen.* 1 Sept. 1607 et in *Narn.* 16 Junii 2617. Non obstante usu in contrarium per quindecim annos servato. Ead. sac. cong. *in Cephalud.* 24 Octob. 1609.

(4. Magistratus in processionibus Sanctiss. Sacramenti debet incedere in loco, in quo secundum antiquam consuetudinem consuevit incedere. Sacra congreg. Rit. *in Forolivien.* 4 Aprilis 1605.

(5. Magistratus debet juxta solitum tibicines mittere ad processiones Sanctissimi Sacramenti, nec licet prohibere solitum tributum ceræ ecclesiæ, canonicis, seu fabricæ debitum a consulibus artium, et massariis villarum. Sac. C. Rituum *in Narnien.* 16 Julii 1606.

Digitized by Google

(6. Magistratus civitatis cogi potest solitum obsequium episcopo accedenti ad ecclesiam præstare, et juxta solitum accedere ad ecclesiam cathedralem in diebus solemnibus, et tempore Adventus et Quadragesimæ. Sacr. cong. Rituum *in d. Narnien.* 16 Julii 1605, et *in Civitat. Castelli* 29 Novemb. 1618.

(7. Magistratus nihil debet in præjudicium capituli ecclesiæ, et canonicorum innovare, vel attentare. Sac. cong. Rituum *in d. Narnien.* 16 Julii 1605.

(8. Magistratus sæcularis civitatis, quando non est de majoribus, et perpetuis, debet cedere in omnibus, et per omnia canonicis ecclesiæ cathedralis; et concionator debet prius canonicos, quam magistratum salutare. Sac. cong. Rituum. *in Tirasonen.*, et *in Oscana* 3 Octobris 1615.

(9. Magistratus, quando est de majoribus, debet incensari ante canonicos post assistentes episcopo. Sacr. congregat. Rituum *in Patavina*, 2 Martii 1602.

(10. Magistratus laicus non potest habere locum in choro, sive in presbyterio, sed extra illum, ut sæpe declaravit Sac. Rit. congregat. et præsertim *in una Auximana*, 2 Julii 1639. Unde eadem sac. Rit. congregat. *in una Amerina Sedilium*, 16 Martii 1697, confirmata 12 Septembr. 1660, mandavit aptandum esse loco magistratui extra presbyterium, juxta designationem porrectam a magistro cæremoniarum, non obstante quod magistratus reperiretur in possessione, et allegaret alterius loci congrui deficientiam.

(11. Magistratus laicus non potest in ecclesia habere retentionem, sive usum tapeti, aut stratus, ut declaravit sacr. congregat. Rit. *in Bar.* 2 Septembr. 1690. *Vide* verb. *Ecclesia*, art. 5, n. 32, ad 36, ubi afferuntur multa decreta ad rem facientia.

(12. In causa Capuana fuerunt proposita, et resoluta sequentia dubia.

I. An capitulo ecclesiæ metropolitanæ debeatur præcedentia super magistratum sæcularem ejusdem civitatis in omnibus functionibus ecclesiasticis?

II. An concionator debeat salutare prius capitulum, vel magistratum.

III. An, absente archiepiscopo, magistratus debeat salutari cum titulo illustrissimi, et capitulum cum titulo reverendissimi?

Sacra congreg. Rit. 23 Januarii 1700, respondit.

Ad 1. *Deberi.*

Ad 2. *Affirmative.*

Ad 3. *Negative in casu proposito*, apud Monacell., tom. IV *Supplement. ad* I *to.*, num. 20 et sequent.

Et jam in alia *Vercellensi* 2 Augusti 1691. declaraverat, quod concionator debeat prius salutare canonicos, quam gubernatorem civitatis.

Et novissime in Veliterna pro magistratu Velitrarum cum capitulo ejusdem civitatis fuerunt in ead. sac. Rituum congregatione proposita, et soluta sequentia dubia.

I. An magistratus Velitrarum in festo S. Francisci Xaverii possit incedere cum clava, et eodem comitatu ac incedit in festivitatibus quatuor Sanctorum Patronorum civitatis sanctissimæ Conceptionis, et beatæ Mariæ Gratiarum?

II. An idem magistratus in ecclesiis extra cathedralem sit thurificandus triplici ductu?

III. An eidem magistratui sit dandum osculum pacis per amplexum, seu potius per instrumentum, et a quo.

IV. An celebrantes post finem missæ tam solemnis, quam privatæ, debeant, antequam ab altari discedant, reverentiam facere magistratui.

V. An eodem magistratu interessente missæ privatæ, liceat in altari accendere quatuor candelas.

VI. An magistratus immediate post canonicos, et ante beneficiatos, cæterosque de clero admitti debeat ad crucis adorationem, et ad cineres?

VII. An magistratus, ejusque officiales in processionibus, in quibus deferunt Intortitia, illa propriis manibus defere debeant?

VIII. An magistratu accedente ad cathedralem, aliasque ecclesias civitatis cum comitatu et clava, licitus sit sonitus tubarum intra easdem ecclesias.

IX. An eodem magistratui in cathedrali, aliisque ecclesiis sæcularibus et regularibus interessente missæ privatæ, licitus sit sonitus tubarum in actu elevationis sanctissimæ Eucharistiæ intus ipsas ecclesias?

X. An eidem magistratui liceat in ecclesia parochiali Sanctæ Mariæ de Trivio retinere scamnum intus presbyterium?

XI. An eidem magistratui in ecclesia Sancti Martini, Sancti Francisci, S. Claræ et S. Theresiæ liceat retinere scamnum a cornu Evangelii?

Die 10 Septemb. 1618, proposita causa per card. Fabron. in sacra congregat. Rituum,

Ad 1. responsum fuit *Affirmative.*

Ad 2. *Negative.*

Ad 3. *Per instrumentum dandam esse pacem ab aliquo ministro superpelliceo induto.*

Ad 4. *Negative.*

Ad 5. *Affirmative, dummodo incedat in habitu consulari.*

Ad 6. *Negative.*

Ad 7. *Affirmative.*

Ad 8. *Affirmative, sed extra januam.*

Ad 9. *Ut ad proximum.*

Ad 10. *Negative.*

Ad 11. *Arbitrio eminentissimi ordinarii, et amplius causa non proponatur.*

(13. Qualis autem honor debeatur prælato præsidi provinciæ, vide dicta verb. Ecclesia, art. 5, n. 36, ubi ad id dantur sacræ cong. Rituum decreta *. Nullus magistratus, sive supremus sit, sive magistratus supremi, principisve nomine agat, in ecclesiæ præsules, aut etiam ministros ecclesiasticos, *uti tales*, jurisdictionem habet. Negant id quidem protestantes, qui principibus jus in sacra adscribunt. Sed audiant quid quarto sæculo Lucifer Calaritanus lib. 1 pro S. Athanasio ad Constantium scripserit: « Proba-

Digitized by Google

te super nos factum judicem : proba, ad hoc te constitutum imperatorem, ut nos armis tuis ad omnem implendam voluntatem amici tui diaboli perduceres. Cum probare non possis, quia præceptum sit tibi, non solum non dominari episcopis, sed et ita eorum obedire statutis, ut si subvertere eorum decreta tentaveris, si fueris in superbia comprehensus, morte mori jussus sis; quomodo dicere poteris, judicare posse de episcopis, quibus nisi obedieris, jam, quantum apud Deum, pœna fueris multatus? » Nec mirum ita locutum fuisse Luciferum Calaritanum. Nam et Binghamus Anglicanæ communionis homo t. I *Origin. ecclesiastic.*, part. cIII, exemplis ab antiquitate petitis, ostendit, fuisse episcopis « omnes subordinatos magistratus in rebus ad spiritualem jurisdictionem attinentibus. »

Equidem Lucifer de solis episcopis loquitur, uti et Binghamus; sed idem de cæteris ecclesiasticis dicendum esse, is solus non videt, qui ecclesiastici status officium, dignitatemque aut imprudens ignoret, aut impius contemnat. Nam etiam hi, *quantum ad ordinem pertinet publicæ disciplinæ*, ut Gelasius Pontifex aiebat, magistratibus, et principibus obnoxii sunt, sed solum ut cives, neque id vi cogente; non vero ut ecclesiastici; imo neque ut cives, si forte magistratus illis aliquid imperet, quod a sacris canonibus vetitum sit. Vere Symmachus Papa : « Nos quidem potestates humanas suo loco suscipimus, donec contra Deum suas non erigant voluntates; » quemadmodum facerent, si aut canonibus adversantia mandarent, aut vi cogente in illos uterentur : *Defer Deo in nobis* (quilibet ecclesiasticus iisdem verbis quemcunque magistratum alloqui potest); *et nos deferemus Deo in te* *.

(17. Magistratus, et judices seculares procedentes in criminalibus contra ecclesiasticos, excommunicantur in bulla Cœnæ : Bened. XIV, tom. I, constit. 14, incip. *Pastoralis*, § 19.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(17. De loco magistratuum in ecclesia, thurificatione ipsorum, pace iis danda, tum de associatione ab illis facienda episcopo, vide, ubi res postulat, Romaguer, in *Synodal. Gerund.*, lib. III, tit. 17, c. 12, per tot., Lagun., *De fructib.*, part. I, cap. 30, § 1, n. 108, et plur. sequ. Cort. *ad decis. Catalan.*, 247, n. 15, et omnium optime Panimoll. dec. 1, adnotat. 11, per tot.

(18. Hic vero non est prætereundum, nullo modo licere dare osculandum Evangelium cuivis magistratui, ut decisum refert a sacra congregatione Rituum Romaguer., *ubi supra*, n. 17; Pignatell. *Consult. canon.*, tom. III., consult. 54, n. 8 et final.* Quod nonnullis antiquorum imperatorum legibus frustra oppugnat Binghamus t. XI *Origin. Eccles.*, p. 223.

MALCHUS.

SUMMARIUM.

1. Quis fuerit ille Malchus, cui a S. Petro amputata fuit auricula nocte Passionis Christi, non conveniunt doctores. — 2. Eum fuisse servum principis sacerdotum, habetur *Matth.* XXVII, *Marci* XIV, *Lucæ* XXII, etc. — 3. Putant nonnulli, Malchum, cum a Christo Domino sibi fuit auricula restituta, fidem Christi amplexum fuisse, etc., *ad n.* 1. — 5. Adolescens, qui, relicta sindone, nudus profugit e manibus satellitum nocte passionis Christi, quis fuerit; vide ibi.

(1. Quis ille fuerit cui a S. Petro amputata fuit auricula nocte Passionis Christi, non conveniunt doctores. (2. Eum fuisse servum principis Sacerdotum, habetur *Matth.* XXVII, *Marci* XIV, *Lucæ* XXII, et illius nomen fuisse Malchum *Joan.* XVIII, ibi: *Erat autem nomen servo Malchus.* Hunc Malchum illum fuisse, qui colapho Salvatoris os percussit, dicendo : *Sic respondes pontifici?* tradunt aliqui. (3. Nonnuli putant, Malchum, cum a Christo Domino sibi esset auricula restituta, fidem Christi amplexum fuisse, ut inter alios Cornelius a Lapide; in cap. XXVI *Matth.*, vers. 51, § *Denique Christus.* An autem Petrus totam integram ei præciderit auriculam, ut in terram caderet, an vero partem tantum, ambigitur. Fortasse tamen pars solum fuit abscissa, cum solo tactu a Christo restituta perhibeatur, *Lucæ* XXII, 51, 52, ut tradit Calmet in *Dictionario*, verb. *Malchus.* (4. Cæterum relicta in suo esse opinione, quod Malchus, amplexa fide, Christianus obierit, verba Scripturæ refragari videntur, quod Malchus ille fuerit, qui colaphum Jesu impegit, dicens : *Sic respondes pontifici?* cum illum fuisse quemdam ex ministris Annæ summi Sacerdotis præsentibus, habeamus *Joannis* XVIII, 31, nihilque de Malcho legatur, de quo tamen in eodem capite actum erat. Vide Lambertin., postea Benedictum XIV, *De festis Domini N. J. Christi* n. 208, et Calmet, in *Dictionario*, verb. *Malchus.*

(5. ADOLESCENS, qui, relicta sindone, nudus profugit e manibus satellitum nocte passionis Christi, quis fuerit, non parum dissident auctores : Hieronymus et Epiphanius censuere illum fuisse Jacobum fratrem Domini Jesu, appellatum Justum; sed hanc opinionem rejiciunt Baronius, Suarez, apud Lambertin. Benedict. XIV, *De festis D. N. J. Christi*, n. 209. Chrysostomus et Ambrosius putarunt fuisse Joannem Evangelistam; sed hæc quoque rejicitur opinio : Lamy enim *Harmon. Evang.*, lib. V, cap. 7, dicit : « Suspicantur quidam, fuisse Joannem Christo dilectum; sed quare id temporis fuisset Joannes nudus, aut prope nudus? » Tillemontius nota 3, in *Vit. S. Joannis*, quærit num dici possit adolescentem

Digitized by Google

illum fuisse nudum, quamvis in vicinia habitantem, qui vestibus exutus in lecto jaceret et audito clamore, et strepitu, lecto desiliisse sindone amictum et domo egressum, sindone in eorum manibus, qui se comprehenderant, relicta, aufugisse. Et ad id inclinat Antonius Bineus *De morte Christi*, t. III, l. II, c. 4, n. 14, sic concludens : « Probabilius nihil est, quam hunc juvenem ex vicina aliqua villa, armorum, virorumque strepitu excitatum, accurrisse, ut cerneret, cognosceretque quid ageretur intempesta nocte. Quare quisnam fuerit, indagare nemo mortalium potest. » Vide Lambert., *l. c.*

MALEDICUS.

Vid. verb. Poena, *art.* 2, *a n.* 160 *ad* 164.

MALEFICIUM.

Vid. verb. Superstitio, *a n.* 55 *ad* 80.

MALESONANS PROPOSITIO.

Vid. verb. Propositiones damnatæ, *num.* 38.

MARITUS.

SUMMARIUM.

1. Marito non licet occidere uxorem in adulterio deprehensam. — 2. Maritus graviter peccat contra justitiam consummando, et dilapidando bona uxoris sine ejus licentia, adeoque tenetur ad restitutionem. — 3. Maritus potest irritare uxoris vota, quæ præjudicant usui matrimonii, educationi prolis, vel administrationi familiæ.—4. Imo secundum multos maritus potest directe irritare quæcumque vota uxoris. — 5. Quamvis tamen probabilius sit oppositum.—6. Mortua uxore, ususfructus dotis spectat ad maritum, proprietas vero pertinet ad filios. — 7. Quid autem possit, vel non, maritus circa dotem, vivente uxore, et quando ejus dominium acquirat, *remissive*. — 8. Maritus peccat mortaliter, si cogat uxorem ad communicandum coram se, seu ad subeundum candentis ferri, vel ferventis aquæ judicium, et hujusmodi in testimonium, quod non sit adultera. — 9. Maritus quando possit, et debeat, seu non, debitum conjugale reddere, petere, et offerre, *remissive*. — 10. Maritus a mortuis reviviscens non tenetur amplius pristinæ uxori. — 11. Maritus occidens propriam uxorem prægnantem, cum non constet concludenter de proditione, gaudet immunitate, etc. — 12. Maritus occidens propriam uxorem ad effectum ducendi aliam, et extractus ab Ecclesia ad formam bullæ, condemnatur, annuente Sanctissimo, ad pœnam extraordinariam. — 13. Maritus occisor propriæ uxoris gaudet immunitate; ad instantiam tamen sacræ Consultæ retinetur in carceribus usque ad novos ordines.— 14. Alia ad rem, *remissive*.

(1. Marito non licet occidere uxorem in adulterio deprehensam. Communis ac certa. Unde Alex. VII, die 24 Sept. 1665, merito damnavit inter alias sequentem propositionem 19 in ordine : « Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam. »

(2. Maritus graviter peccat contra justitiam consummando, et dilapidando bona uxoris sine ejus licentia, adeoque tenetur ad restitutionem. *Commun. Vid.* verb. Bona, art. 4, n. 16 ad 18.

(3. Maritus potest irritare uxoris vota, quæ præjudicant usui matrimonii, educationi prolis, vel administrationi familiæ. *Communis.* (4. Imo secundum Sanchez, Sotum, Tambur. et alios, maritus potest directe irritare quæcunque vota uxoris, eo quod voluntas ejus videatur esse plene subjecta dominio viri, juxta illud Apostoli *ad Ephes.* v, vers. 22, ibi : *Mulieres viris suis subditæ sint sicut domino, quia vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesia*, etc.

Nota Rom. theologi.

Falsum visum est celebrioribus theologis, virum posse *quæcunque* uxoris vota irritare : etsi enim in irritum mittere possit vota sibi, aut familiæ noxia, et incommoda, v. g. vota de jejuniis, humicubationibus, peregrinationibus, et eleemosynis ex rebus ad familiam pertinentibus, ac præsertim continentiæ votum, non sic autem vota de certis precibus recitandis, de superfluo, et dissoluto ornatu rejiciendo, de abstinendo a spectaculis et choreis, de pauperibus alendis labore et opere manuum suarum, quibus familia non indiget, de secundis nuptiis vitandis, de ingressu monasterii, si viro superstes fuerit, ut inquit Natalis Alexander. « Imo mulier ipsa, inquit, nonnulla mariti vota facere potest irrita, quæ scilicet sibi incommoda sunt, aut familiæ, qualia sunt vota continentiæ, abstinentiarum immodicarum, vel diuturnarum peregrinationum, et quarumcunque rerum, quibus impotens ad debitum conjugale fieret. » Atque hinc patet, quam inepte ad id afferatur Paulinus textus, quo mulieres subditæ viris declarantur : nam subjectio hæc tanta non est, ut omne in omnibus eis dominium admittat; sed in iis tantum, quibus marito, ut conjugi, et familiæ domino subjicitur. Quamobrem ita libera est in iis vovendis, quæ supra indicavimus, ut arbitrio mariti fieri irrita nequeant. Regula autem in hoc generalis erit, ut maritus irrita facere possit vota, quæ sine ipsius consensu emittere, ac servare mulier nequeat; quæ vero mulier sine viri consensu licite, ac rationabiliter promittere, et servare potest, vovere etiam potest, quin votum auctoritate mariti revocari possit.

Responsio auctoris.

Dicit theologus, quod falsum visum est celebrioribus theologis, virum posse quæcunque uxoris suæ vota irritare, etc., atque

Digitized by Google

hinc patet, quam inepte ad id afferatur Paulinus textus, ad *Ephes.* v, v. 22, etc. Sed bona venia ipsius theologi, ea non est mea opinio, et Paulinus textus affertur ab aliis; dico enim ibi secundum alios. Meam autem opinionem aperte declaro num. 5, immediate sequenti, sic concludendo, quamvis tamen probabilius sit cum S. Antonio, Navarr., Azor., Valent., Suarez, Less., Bonacin., Laymann, Castrop. Illsung. citatis, et secutis a La Croix, lib. III, pag. 2, num. 493, quod maritus possit solum irritare illa vota, quæ, ut dictum fuit, præjudicant usui matrimonii, educationi prolis, vel administrat. familiæ.

(5. Quamvis tamen probabilius sit cum Sancto Antonio, Navarr., Azor., Valen., Suarez, Lessio, Bonacina, Laymann, Castropalao, Illsung. citatis, et secutis a La Croix, lib. III, part. I, num. 493, quod maritus possit solum irritare illa vota, quæ, ut dictum fuit, præjudicant usui matrimonii, educationi prolis, vel administrationi familiæ, cum subjectio uxoris respectu mariti fundetur tantum in contractu matrimonii, adeoque detur tantum in ordinem ad finem matrimonii.

(6. Mortua uxore, ususfructus dotis spectat ad maritum, proprietas vero pertinet ad filios; leg. 1, cod. *De bonis matern.*; Rota rec., par. III, dec., 126, num. 2, et part. XI, dec. 368, num. 25. (7. Quid autem possit, vel non, maritus circa dotem, vivente uxore, et quando ejus dominium acquirat? *Vide* verb. Dos, art. 1, et art. 3.

(8. Maritus peccat mortaliter, si cogat uxorem ad communicandum coram se, seu ad subeundum candentis ferri, vel ferventis aquæ judicium in testimonium, quod non sit adultera. Ita Sotus apud Escobar lib. VIII, num. 381; La Croix, lib. VI, num. 675, et id esse absolute illicitum docet S. Thomas III part., quæst. 80, art. 6 ad 3; Suarez disput. 67, sect. 6; Dicastill., *De sacrament.*, distinct. 3, num. 280, et alii communiter, argum. cap. *Ex tuarum* 8, De purgatione canonic., cap. *Dilecti* 3, De purgatione vulgari, et capit. *Consuluisti* 20, caus. 2, quæst. 4, ubi expresse prohibentur hujusmodi probationes ad explorandam alterius innocentiam.

(9. Maritus quando possit, et debeat, seu non, debitum conjugale reddere, petere, et offerre? *Vid.* verb. Debitum conjugale per tot.

(10. Maritus a mortuis reviviscens non tenetur amplius pristinæ uxori: maritus enim non tradidit uxori corpus suum, sicuti uxor non tradidit suum marito, nisi usque ad mortem, juxta illud Apostoli *ad Corinth.* VII. *Quod si dormierit vir ejus, liberata est, cui vult, nubat.* Unde si adhuc vellent esse conjuges, de novo foret contrahendum. La Croix, lib. VI, art. 3, n. 418, ubi ex S. Thoma et Gobat testatur esse communissimam theologorum.

(11. Maritus occidens propriam uxorem prægnantem, cum non constet concludenter de proditione, gaudet immunitate; sed, annuente Sanctissimo, attenta atrocitate delictorum, condemnatur in pœnam extraordinariam, dummodo non excedat decennium ad triremes. Sacra cong. Immunit *in Melevitana* 3 Dec. 1670, lib. II *Dec.* Altovit., pag. 511.

(12. Maritus occidens propriam uxorem ad affectum ducendi aliam, et extractus ab Ecclesia ad formam bullæ, condemnatur, annuente Sanctissimo, ad pœnam extraordinariam, quæ non excedat triremes ad decennium. Ead. sac. cong. Immun. *in Acernen.* 2 Decemb. 1681, lib. II D. Altoviti, pag. 2289.

(13. Maritus occisor propriæ uxoris gaudet immunitate; ad instantiam tamen sac. consultæ retinetur in carceribus usque ad novos ordines. Eadem sacra congr. Immunit. *in Beneventana* 24 Martii 1676, lib. I *Dec.* Altov., pag. 1222.

(14. Alia *vid.* verb. *Adulterium*, *Bona*, *Debitum conjugale*, *Dominium*, *Dos*, *Filius*, *Matrimonium*, *Uxor*, et verb. *Immunitas*, art. 2, num. 90, ubi datur novissima constitutio Benedicti XIV, incip. *Ex quo*, et altera ejusd. Pontificis incip. *Officii nostri*, secundum quas nunc intelligenda et moderanda sunt omnia quæ immunitatem concernunt.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(15. De jure mariti in uxorem legesis Stryk. *Juridicar. dissert.*, vol. VIII, disp. 32, per tot. (16. Nota vero hic nobilitatem mariti communicari regulariter uxori, ita ut qui ex patre nobili et matre plebeia natus est, is pro nobili habendus sit: Besol., *Polit.* 1, c. 11, § 33; Carpzov., *Jurisprud. consistorial.*, lib. II, defin. 11.

(17. Quod si ex peculiaribus statutibus, sive ecclesiarum, sive ordinum, nobilitas utriusque ascendentis requiratur, natus ex matre plebeia pro nobili haberi nequit; Rhetius, *Instit. jur. publ.*, lib. III, tit. 21, § 9; Matth. Stephan, *De nobilit. politic.*, cap. 5, num. 44.

(18. Num omnia mariti privilegia uxori communicentur, non conveniunt inter se doctores. Pro regula statuo, personale mariti privilegium, neque vivo, neque mortuo ipso marito, uxori prodesse; secus si maritus commode uti nequeat privilegio, nisi ejus usus liceat uxori; Stryk., *Juridic. dissert.*, volum. IV, disput. 25, cap. 4, n. 34, et plur. seq., ubi exemplis rem illustrat.

(19. Quoad privilegia ratione officii marito concessa, distinguendum ait Stryk., *Juridic. dissert.*, vol. IV, disp. 25, num. 41 et seq. « Inter officium annexum habens dignitatem, et in quod ignobile est, et plebeium; hoc casu nihil potitur mulier ne quidem vivente marito etc. nisi in casibus in jure expressis. In casu vero ubi ratione nobilitatis, et officii dignioris privilegium est concessum, patet illud etiam uxori, etc. Neque id iniquum, quoniam dignitas cum suo annexo transire debet, nominumque identitas identitatem ipsius arguere solet etc. Sed hæc ipsa intelligenda sunt de juribus, quæ in uxores cadere possunt. » Confer et Myler., in *Gamol. Princ.*, cap. 2, ubi et jura

Digitized by Google

persequitur, quæ uxoribus principum, comitum, et baronum ex persona maritorum competunt.

(20. An in viduis permaneant jura mariti? Consule Stryk., *Jurid. dissert.*, vol. IV, disp. 25, cap. 4, n. 48, et plur. sequent.

(21. De marito quoque quæri solet an et quæ ex persona uxoris sortiantur, an aliquando sequatur forum illius, aut radiis ejus coruscet? At de priori adi Stryk., Exercit. 9, thes. 28; Tiraquell., *De legib. connub.*, gloss. 2, num. 46, et de posteriori De Ponte, l. II, consil. 16, n. 23 et seq; Mastrill., *De magistrat.*, lib. IV, cap. 13, num. 20 et seq.

MARTYRIUM.

SUMMARIUM.

1. Martyrium quid sit. — 2. Ad martyrium in adultis requiritur, quod mors, seu cruciatus lethalis voluntarie acceptetur. — 3. Unde, si quis adultus in odium fidei Christianæ dormiens occidatur, et hic antea nihil cogitasset de morte ob fidem subeunda, sicque eam nullatenus acceptaverit, non est proprie censendus martyr. — 4. Esset tamen talis vere martyr, si prius cogitasset de morte ob fidem subeunda, et statuisset secum potius mori in vinculis et in tormentis, quam fidem Christi negare. — 5. Nedum mors ipsa, sed etiam cruciatus de se illativus mortis est sufficiens ad martyrium, ut patet de S. Jo. apostolo et evangelista. — 6. Ad verum martyrium non satis est pœna, vel tolerata mors, sed requiritur, ut toleretur ob causam fidei Christi. — 7. Hinc, si hæretici occidantur propter sectam suam, quam profitentur, non sunt martyres, quamvis pro uno vero articulo occidantur. — 8. Non solum sunt martyres, qui expresse propter confessionem fidei, sed etiam qui pro defensione aliarum virtutum supernaturalium moriuntur, vel cruciatus lethales perferunt. — 9. Hinc S. Jo. Baptista est vere martyr, licet non expresse pro confessione fidei, sed pro reprehensione adulterii decollatus fuerit, et sic de variis aliis martyribus. — 10. Ad martyrium tria potissimum requiruntur, quæ assignantur. — 11. *Martyres* græce, *testes* latine dicuntur. — 12. Martyres sunt, non solum illi, qui violentam mortem, seu cruciatus lethales voluntarie perpessi sunt, sed etiam illi, qui a persecutoribus nostræ fidei comprehensi, varie vexati, in carcerem, vel in exsilium missi, et ærumnis confecti usque in finem perseverantes, propter fidei, aliarumque supernaturalium virtutum confessionem, mortem naturalem subierunt. — 13. Item martyres sunt etiam infantes occisi ob odium fidei Christi. — 14. Imo etiam infantes in utero matris occisi propter fidem sunt veri martyres. — 15. Milites catholici, qui pro fide adversus hæreticos, vel infideles pugnando occiduntur, non sunt proprie martyres. — 16. Si tamen in statu gratiæ sic generose pugnando occidantur, speciali gloria coronandi ad cœlum evolant. — 17. Morientes ob amorem Dei in servitio peste infectorum non sunt proprie martyres. — 18. Seipsos interficientes, etiam propter peccatum a se commissum, non sunt martyres. — 19. Non licet, seclusa rationabili causa, aut divino instinctu, provocare hostes fidei, et se martyrio ingerere. — 20. Affertur clara ratio. — 21. Licet tamen interveniente divino instinctu, vel rationabili causa. — 22. Imo in variis casibus datur obligatio martyrium subeundi. — 23. Ad martyrium in adultis prærequiritur baptismus fluminis, si adsit opportunitas. — 24. Ad martyrium autem in adultis baptizatis, et actuali peccato mortali obnoxiis prærequiritur confessio sacramentalis, si adsit opportunitas. — 25. Si tamen non adesset opportunitas confessionis, satis esset contritio supernaturalis, cum voto sacramenti pœnitentiæ. — 26. An in tali casu, sicut sufficit contritio supernaturalis cum voto sacramenti pœnitentiæ, ita sufficiat etiam attritio supernaturalis cum eodem voto? Seu quod idem est: An si quis bona fide, et invincibiliter ignarus, vel oblitus præcepti de contritione eliceret solum actum attritionis, ipse justificaretur ex opere operato, seu vi martyrii? Adducitur sententia negativa. — 27. Adducitur sententia affirmativa, quæ est communior, et verior, ad n. 28. — 29. Respondetur ad auctoritates adductas pro negativa sententia. — 30. Martyrium in adultis remittit omnem culpam, et pœnam. — 31. Martyrio decoratis respondet in cœlo *laureola*, seu *aureola*, et quid sit? — 32. Martyrium confert gratiam probabilius in ultimo instanti vitæ, in quo eadem gratia nullo peccato mortali actuali impeditur. — 33. Cur in canone missæ nominentur solum martyres, et non confessores. — 34. Martyrum numerus aliqualiter disquiritur. — 35. Alia ad rem cum *Append.* 37 ad 75.

(1. Martyrium est voluntaria perpessio, vel tolerantia mortis, seu cruciatus lethalis propter fidem Christi, vel aliam virtutem Christianam. Est in re communis. (2. Dicitur primo *voluntaria perpessio*, vel *tolerantia* ad denotandum, quod in adultis omnino requiritur, ut mors seu cruciatus lethalis voluntarie acceptetur. (3. Unde si quis adultus in odium fidei Christianæ dormiens occidatur, et hic antea nihil cogitasset de morte ob fidem subeunda, sicque eam nullatenus acceptaverit, non est proprie censendus martyr. Laym., l. III, sect. 3, num. 4; Dicastil., *De bapt.*, d. 3, num. 7; Less. lib. III *De justit. et jure*, c. 1, n. 24; Reiffenst., *Theol. mor.*, tract. 7, dist. 2, q. 6, n. 45; Suarez, et alii. (4. Esset tamen talis vere martyr, si prius cogitasset de morte ob fidem subeunda, et statuisset secum potius mori in vinculis, et tormentis, quam fidem Christi negare, quia ratione voluntatis præhabitæ, et saltem habitualiter perseverantis, censeretur mortem voluntarie acceptare, quamvis dormiens occideretur, et sic tanquam verus martyr esset habendus. Gobat in *Experient.*, tr. 2, an. 615; Reiffenst., *loc. c.* n. 45; La Croix, lib. VI, part. V, n. 231, cum Cajetan., Coninch., Bonac. ibi citatis.

(5. Dicitur secundo *mortis, seu cruciatus lethalis*, quia nedum mors ipsa, sed etiam cruciatus de se illativus mortis, est sufficiens ad martyrium, ut patet de S. J. apostolo et evangelista, qui fuit vere martyr, licet a ferventis olei dolio per miraculum illæsus evaserit, et morte naturali postea decesserit. Unde S. Augustinus, serm. 296 *in Natali apostolorum Petri et Pauli*, cap. 4, tradit eos, qui in tormentis et cruciatibus ob fidem a Deo miraculose præservantur, corona martyrii donari: « Non enim, ait, quia Joa. Apost. passio defuit, ideo passioni animus præparatus deesse potuit; non est

Digitized by Google

passus sed (corona martyr.), potuit pati. Præparation. ejus Deus noverat. Quemadmodum tres pueri arsuri missi sunt in caminum, non victuri. Negabimus eos martyres, quia flamma eos urere non potuit? Interroga ignes, passi non sunt; interroga voluntatem, coronati sunt. »

(6. Dicitur tertio *propter fidem Christi*, ad demonstrandum, quod ad verum martyrium non satis est pœna, vel tolerata mors, sed requiritur, quod pœna seu mors toleretur ob causam fidei Christi. Unde S. Augustinus *in Psal.* XXXIV, serm. 2, n. 13, sic expresse habet : « Itaque martyres non facit pœna, sed causa; nam si pœna martyres faceret, omnes, qui gladio feriuntur, coronarentur. » Et antea n. 1 dixerat : « Multi hic patiuntur, et pro peccatis, et pro sceleribus suis; magna vigilantia quærenda est causa, non pœna : sceleratus enim potest habere martyris similem pœnam, sed tamen dissimilem causam. Tres erant in cruce, unus Salvator, alius salvandus, alius damnandus; omnium par pœna, sed impar causa. » (7. Hinc si hæretici occidantur propter sectam suam, quam profitentur, non sunt martyres, quamvis pro uno vero articulo, v. g. pro Trinitate, aut Incarnatione, seu Adventu Spiritus sancti occidantur, quia, ut dicitur *ad Hebræos* XI : *Sine fide impossibile est placere Deo;* et hæretici non habent veram fidem supernaturalem, cum hæc credat omnia a Deo revelata ab Ecclesia proposita, quod non faciunt hæretici, unum, vel alterum articulum fidei profitentes, et ceteros alios abnegantes.

(8. Dicitur quarto *vel aliam virtutem Christianam*, quia non solum sunt martyres, qui expresse propter confessionem fidei, sed etiam qui pro defensione aliarum virtutum supernaturalium moriuntur, vel cruciatus lethales perferunt; nam omnia virtutum opera, quatenus referuntur ad Deum, sunt quædam protestationes fidei, et qui potius vult mori, quam deficere a virtute, facto ipso protestatur Deum esse summe venerandum ac omnibus aliis bonis creatis præferendum, quod est articulus fidei Christianæ, ut docet S. Thomas 2-2, q. 124, artic. 5 Et communis aliorum. (9. Hinc S. Joannes Baptista est vere martyr, licet non expresse pro confessione fidei, sed pro reprehensione adulterii decollatus fuerit. S. Stanislaus episcopus Cracoviensis martyr veneratur ab Ecclesia, eo quod fuerit occisus propter salutares redargutiones, et sententiam excommunicationis latam in Boleslaum Poloniæ regem, se a gravissimis delictis emendare nolentem. S. Thomas Cantuariensis archiepiscopus martyr celebratur, quia pro defensione libertatis, et immunitatis ecclesiasticæ gladiis impiorum occubuit. * S. Joannes Nepomucenus, ex unanimi consensu sac. congregationis Rituum, declaratus est vere martyrium subiisse; et inter sanctos martyres canonizatus est, cum mortem pertulerit nolens confessionis sigillum propalare. * Sic plurimæ SS. virgines sunt martyres ob toleratam mortem pro defensione virginitatis.

(10. Unde, ut vides, ad martyrium tria potissimum requiruntur. *Primum* est, ut quis mortem subeat, vel saltem cruciatus illativos mortis. *Secundum*, ut eam, vel eos voluntarie acceptet, et sustineat. *Tertium*, ut eam, vel eos sustineat propter veritatem, et confessionem fidei, vel propter alium virtutis actum relatum in Deum, in quo usque ad finem perseveret. (11. Martyres enim, ut expresse dicit S. Isidorus libr. VII *Etymologiarum*. cap. 21 : « *Martyres* græce, *testes* latine dicuntur, quia propter testimonium Christi passiones sustinuerunt, et usque ad mortem pro veritate certaverunt : » et ut dicit S. Augustinus, *Annotationum in Job* cap. 39 : « Martyr est intrepidus et alacer testis fidei salutaris, » juxta illud *Actorum* cap. I : *Eritis mihi testes in Hierusalem.*

(12. Testimonium autem fidei, aliarumque Christianarum virtutum perhibetur, non solum ab illis, qui sanguinem fuderunt, et violentam mortem ab inimicis nostræ fidei voluntarie perpessi sunt, sed etiam ab illis, qui a persecutoribus nostræ fidei comprehensi, varie vexati, in carceres, vel exsilium missi, in ærumnis confecti usque in finem perseverantes propter fidei, aliarumque supernaturalium virtutum confessionem, mortem naturalem subierunt, ut patet exemplo SS. martyrum, et pontificum Marcelli, Joannis, Silverii, Martini, Pontiani, et Eusebii Vercellensis episcopi, quos Ecclesia pro martyribus colit.

(13. Item testimonium, et confessio fidei perhibetur etiam ab infantibus, qui licet nullum actum proprium elicere possint, quando tamen occiduntur ob odium fidei Christi, evadunt et ipsi martyres, ut patet in SS. Innocentibus, qui ab Herode immaniter propter Christum occisi, ejus præconium non loquendo, sed moriendo confessi sunt, adeoque ipsos Ecclesia tanquam martyres veneratur. Et ratio est quia, licet ipsi non sint capaces martyrii quoad actum internum virtutis, cum nullum possint elicere actum, quo acceptent martyrium propter fidem, sunt tamen capaces martyrii quoad opus externum mortis, per quod realiter conformantur cum passione et morte Christi; et reipsa propter fidem perdunt animam suam, adeoque eam rursus in cœlis invenient, juxta illam generalem Christi promissionem *Matth.* X, v. 39 : *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* (14. Imo etiam infantes in utero matris occisi propter fidem, sunt veri martyres, quia revera perdunt vitam corporalem sibi in odium Christi, aut religionis ablatam, adeoque, ut sint veri martyres, militat eadem ratio de ipsis, ac de aliis. Sic Toletus, Henriq., Reginald., Vasquez, Bonacina, Dicastill., cum La Croix, lib. VI, part. I, n. 337; Reiffenst., *loc. cit.*, n. 42; Henno, tom. II, tract. *De baptismo*, disp. 6. concl. 2, et alii passim.

(15. Milites catholici, qui pro fide adversus hæreticos vel infideles pugnando occiduntur, non sunt proprie martyres, quia non voluntate, sed potius necessitate mortem sustinent; imo hanc hostibus inferrent, nisi

Digitized by Google

ab ipsis vincerentur. Neque similitudinem gerunt Christi patientis, qui, ut jam prædixit Isaias, c. 53, v. 7, et dicitur *Actor.* VIII, v. 32, *Tanquam ovis ad occisionem ductus est, sicut agnus coram tondente se sine voce, sic non aperuit os suum.* Et ut habetur *in Epistola* prima B. Petri Apostoli, cap. II, n. 23 : *Qui cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur non comminabatur, tradebat autem judicanti se injuste.* Sic Tannerus, et Dicastil. cum La Croix, *loc. citato*, n. 235; Lessius, Laymann, et alii cum Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 47. Et de facto Ecclesia nunquam consuevit colere pro martyribus tales milites in actuali pugna decessos; imo episcopi restiterunt Phocæ imperatori, cum vellet similes milites cæsos in bello haberi martyres, apud Spondanum, *Epitom.* tom. I, ad ann. 608, n. 2.

(16. Quamvis autem tales milites propter rationem adductam non sint proprie, et rigorose martyres, si tamen in statu gratiæ existentes pia intentione defendendi veram nostram fidem contra hostes ejusdem generose militantes occidantur, summum meritum consecuti speciali gloria coronandi ad Paradisum evolant, c. *Omni timore* 9, caus. 23, qu. 8, ubi ex verbis Leonis IV sic præcise habetur : « Omni timore, ac terrore deposito contra inimicos sanctæ fidei, et adversarios omnium religionum agere viriliter studete; novit enim Omnipotens, si quilibet vestrum morietur, quod pro veritate fidei, et salvatione patriæ, ac defensione Christianorum mortuus est, et ideo ab eo præmium cœleste consequetur. » Et S. Joannes a Capistrano suis cruce signatis militibus contra Turcas proponebat : « O quam felices qui in hac pugna Christi moriuntur, quia statim ab angelis cum sanctis martyribus, qui pro fide mortui sunt, coronabuntur. » Sic apud Wadingum ad annum 1456.

(17. Morientes ob amorem Dei in servitio peste infectorum non sunt proprie martyres. Est jam communis. Opinio enim affirmans, quod tales essent proprie martyres, fuit proscripta sub Urbano VIII et Innocentio X, ut testatur Augustinus Matthæucci in *Practica theologico-canonica*, tit. 4, cap. 2, § 5, n. 85. Et de facto ipsi nec censentur mori pro fide Christi, nec pro defensione alicujus virtutis supernaturalis, prout requiritur ad verum martyrium. Nec martyrologium Romanum solitum citari ab adversariis sub die 28 Februarii, appellat eos proprie martyres, sed velut martyres, ibi : « Quos velut martyres religiosa fidelium fidei venerari consuevit, » enim *velut* indicat, ipsos dici martyres solum per quamdam analogiam et similitudinem, non vero secundum esse proprium et germanum.

(18. Seipsos occidentes, etiam propter peccatum a se commissum, non sunt martyres. Communis et certa. Imo Donatistæ, et Circumcelliones id docentes damnati fuerunt in concilio Romano sub Melchiade Papa anno 313, Carthaginensi I, anno 344.

(19. Non licet, seclusa rationabili causa, aut divino instinctu, provocare hostes fidei, et se martyrio ingerere. *Communis*, et colligitur ex sacra Scriptura, quæ tantum abest, ut ultroneam morti ingestionem consulat, quin e contra fugam præcipiat. *Matthæi* enim X, Christus ipse mandat : *Cum persequuntur vos in civitate ista, fugite in aliam;* et id etiam facto docuit *Joannis* VIII : *Tulerunt ergo lapides, ut jacerent in eum : Jesus autem abscondit se, et exivit de templo.* Unde S. Athanasius, in *Apologia de fuga sua*, sic ait : « Verbum propter nos homo factus non indignum putavit, cum quereretur, quemadmodum et nos, abscondere se, cum persecutionem pateretur, et insidias declinare; » et sic fugit Apostolus persecutionem Hebræorum Thessalonicensium, fugit dictus S. Athanasius persecutionem Constantii imperatoris, et plures alii sancti, ut patet in annalibus ecclesiasticis. Hinc S. Augustinus, epist. 228, *ad Honoratum*, n. 5, sic ait : « Fugit Apostolus, cum a persecutore proprie ipse quæreretur : fugit S. Athanasius episcopus, cum eum specialiter apprehendere Constantius cuperet imperator. »

(20. Et quod, seclusa rationabili causa, aut devino instinctu, non liceat se temere martyrio ingerere, aperte ipsa ratio demonstrat, quia homo non est dominus vitæ suæ, sed Deus, ex *Sapient.* XVIII : *Tu es, Domine, qui vitæ et mortis habes potestatem;* et ex *Deuteron.* XXIII, ibi : *Ego occidam, et ego vivere faciam*, et ex c. *Si non licet*, caus. XXIII, q. 5, et ex l. *Liber*, ff. *ad l. Aquil.* Tum quia sic daretur occidenti gravissimi peccati occasio; tum etiam, quia ita se temere ingerere in martyrium est quædam Dei tentatio, ut advertunt Clemens Alexandrinus *Stromat.*, c. 5; S. Athanasius in *Apologia de sua fuga*; S. Gregor. Nazianzenus, orat. 10, *De S. Cæsario*, et orat. 20 *in S. Basil.*; S. Petrus Chrysolog, serm. 151, et S. Cyprianus, epist. 83, ubi dicit expresse, quod « temeritate non caret, temere procurare martyrium. »

(21. Dicitur autem notanter, « seclusa rationabili causa, aut divino instinctu, » quia, hoc interveniente, licitum est se martyrio ingerere, vel se ultro tyrannis et hostibus fidei sistere, ipsosque provocare, ut licite fecisse creduntur quotquot sancti et sanctæ martyres in Martyrologio, et in Breviario celebrantur, ac in ecclesiasticis historiis commendantur. Unde S. Athanasius in *Apologia de sua fuga* sic ait : « Quod si quidam ex iis se persecutoribus dedidere, non temeritate eo rapiebantur, sed passim apud omnes profitebantur, a Spiritu sancto hanc sui oblationem profectam esse. » Et S. Augustinus loquens de variis virginibus, quæ ex tali divino instinctu se martyrio ingesserunt, et se, vel in flammas, vel in flumen motivo virginitatis servandæ, projecerunt, sic præcise ait : « Quid? Si enim hoc fecerunt non humanitus deceptæ, sed divinitus jussæ, nec errantes, sed obedientes; sicut de Samsone aliud nobis fas non est credere ». Et infra : « Qui ergo audit non licere se occidere, faciat, si jussit, cujus non licet jussa contemnere; tantummodo

Digitized by Google

videat utrum divina jussio nullo nutet incerto. » Sic id. Augustinus, lib. I *De civitate Dei*, c. 26, et concordat textus in cit. cap. *Si non licet*, caus. 23, q. 5. (22. Imo in variis casibus datur obligatio martyrium subeundi, ut si esset fides neganda, aut mors eligenda, si esset peccandum, vel moriendum, si id postulet fidei, aut religionis conservatio, si id foret necessarium ad vitandum scandalum, quod per dissimulationem vel fugam causaretur. *Communis.*

(23. Ad martyrium in adultis prærequiritur baptismus fluminis, si adsit opportunitas ipsum recipiendi. *Communis.* Et ratio est, quia martyrium subituri non excusantur ab onere observandi divina præcepta; in *Epist.* enim prima Joannis, cap. II, dicitur: *In hoc scimus, quoniam cognovimus eum, si mandata ejus observemus : qui dicit se nosse Deum, et mandata ejus non custodit, mendax est.* Præceptum autem baptismi est expressum in sacro textu *Joann.* III: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei;* et sine baptismo fluminis, aut ejus voto nullum adultum posse salvari definit conc. Trident. sess. VI, cap. 4. Unde, qui, data opportunitate ipsum recipiendi, nollet recipere, peccato mortali omissionis poneret obicem gratiæ martyrii, nec per martyrium justificaretur.

(24. Ad martyrium autem in adultis baptizatis, et actuali mortali peccato obnoxiis prærequiritur confessio sacramentalis, si adsit opportunitas; pœnitentia enim sacramentalis est omnibus post baptismum lapsis per se necessaria ad salutem, sicut nondum regeneratis ipse baptismus, ut definivit conc. Trid., sess. XIV, cap. 2, *De pœnit.*; ibi: « Est autem hoc sacramentum pœnitentiæ lapsis post baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse baptismus, » ut idem definivit cap. 5 ejusdem sess. XIV. Unde qui, data opportunitate, scienter nollet peccatum suum mortale sacramento pœnitentiæ subjicere, novo peccato mortali omissionis poneret obicem gratiæ martyrii, nec per martyrium justificaretur, nec habendus esset ut martyr, quamvis a tyranno in odium fidei occideretur. *Communis.*

(25. Si tamen non adesset opportunitas confessionis, satis esset contritio supernaturalis cum voto sacramenti pœnitentiæ, quod in ipsa includitur, ex concil. Trid. sess. XIV, c. 4. Adulti enim martyrium pro Christo subituri, non debent esse deterioris conditionis, quam ceteri fideles, in quibus, in defectu opportunitatis confessionis, sufficit contritio cum voto Sacramenti, ut definit concil. Tridentin., sess. cit. XIV, cap. 4. *Communis.*

(26. An autem in tali casu, sicut sufficit contritio supernaturalis cum voto sacramenti pœnitentiæ, ita sufficiat etiam attritio supernaturalis cum eodem voto? Seu quod idem est, an si quis bona fide, et invincibiliter ignarus, vel oblitus præcepti de contritione, eliceret solum actum attritionis, ipse justificaretur ex opere operato, seu vi martyrii? Gravis est controversia inter doctores. Negativam sententiam esse communem SS. Patrum, et antiquorum scholasticorum doctrinam testatur Vasquez, III part., tom. II, disp. 153, cap. 12, et ex ipso Laymann, lib. III, sect, 3, n. 6. et de facto eam tenent S. Th., III part., qu. 66, art. 12, ad 2, et 2-2, q. 14, art. 2, ad 3; S. Bonavent., in 4, dist. 4, part. II, art. 1, q. 2. n. 51, et 54; Alensis part. IV, qu. 12, memb. 6 art. 1; Paludan., in 4, dist, 4, qu. 3, art. 1, concl. 1, Durand. in 4, dist. 4, qu. 8, ad 2; Laymann, *loc. cit.* n. 6; Vasquez, *loc cit.*, cap. 1; Canus, Bannes, et alii per textum Apostoli, *I ad Corinth.* XIII, ibi: *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.*

(27. Econtra sententiam affirmativam tenent Cajetanus, Scotus, Præpositus, Valentia, Bellarminus, Suarez, Coninck, Tannerus, Lessius, Bonacina, Castropalao, Raynal., Platel, Sporer, Illsung., Aversa, Dicastill., Gobat, Corm., cum La Croix lib. VI, part. I, num. 238; Laureea, in III, part. II, disput. 2, art. 9, n. 146; Frassen, tr. 1, disp. 1, qu. 4, concl. 2, *De sacram. baptismi*; Esparza *Curs. theol.*, tom II, lib. X, qu. 41; Pontius *Theol.*, tract. 11, disp. 41, qu. 1, num. 3; Matthæucci in *Practica theologico-canonica*, tract. 4, cap. 1, § 1, num. 40; Henno, tom. II *Tract. de baptismo*, disp. 6, qu. 3, concl. 2; Felix Potestas tom. I, part. IV, num. 2944, et alii recentiores passim cum Reiffenstuel *Theolog. mor.*, tr. 7, dist. 1., qu. 6, num. 59. ubi citat S. Th., part. III, qu. 87, art. 1; Scotum, in 4, dist. 14. qu. 1, § *Ex his*, qui revera hanc tenet, licet ab aliis citetur pro alia sententia, Mastrium, Herincx, et alios, et hanc tenent Tertullianus in *Apolog.*, ubi dicit: « Quis non pati exoptet, ut totam Dei gratiam redimat, ut omnem veniam ab eo compensatione sui sanguinis expediat? Omnia enim huic operi delicta donantur. » S. Thom. cit. part. 2, qu. 87, art. 1, ad 2, ubi sic ait: « Passio pro Christo suscepta obtinet vim baptismi, et ideo purgat ab omni culpa, et veniali, et mortali, nisi actualiter voluntatem peccato invenerit inhærentem. » Et expressius S. Augustinus lib. XIII *De civit.*, cap. 7, ubi sic præcise habet: « Quicunque, etiam non percepto regenerationis lavacro, pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur sacro fonte baptismatis. Qui enim dixit: *Si quis non renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non intrabit in regnum cœlorum*, alia sententia istos facit exceptos, ubi non minus generaliter dixit: *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est;* et alio loco: *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* Hinc est quod scriptum est: *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus* (qui vel jam sancti sunt, vel per martyrium fiunt). Quid enim pretiosius quam mors, per quam fit ut delicta omnia dimittantur, et merita cumulatius augeantur? » Et consimiliter loquuntur alii SS. Patres apud Platel. part. V, num. 156, martyrium æquiparantes baptismo, imo majorem vim, seu

Digitized by Google

virtutem ei tribuentes, quam baptismo, ut inter alios dicit S. Cyprianus in *Exhortat. ad martyres*, ibi: « Hoc baptisma, *nempe sanguinis*, in gratia majus, in potestate sublimius, in honore pretiosius. » Baptismus autem justificat cum sola attritione supernaturali, ut concedunt omnes ex Trid., sess. VI, cap. 6, ubi nulla fit mentio de contritione perfecta, adeoque etiam martyrium cum sola attritione supernaturali, juxta censum nostræ conclusionis, justificabit adultum peccatorem, seu conferet ei primam gratiam ex opere operato, ex privilegio, seu promissione Christi *Matth.* X, v. 32: *Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est;* et *ibid.* 39: *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam;* et *Marci* VIII, v. 35: *Qui autem perdiderit animam suam propter me et Evangelium, salvam faciet eam;* et *Lucæ* IX, v. 24: *Qui perdiderit animam suam propter me, salvam faciet illam.* Ubi, ut vides, martyrium pro defensione fidei toleratum, elevatum est ad tantam excellentiam, ut quis ex attrito fiat æqualiter contritus, quatenus illius vi et efficacia per speciale Christi privilegium gratiam sanctificantem, et salutem æternam consequitur.

(28. Tum quia tres dantur baptismi, scilicet *fluminis*, *flaminis*, *et sanguinis*; si autem baptismus sanguinis, seu martyrium prærequireret ad justificationem contritionem perfectam, essent tantum duo baptismi, scilicet fluminis, et flaminis, cum tunc martyrium non justificaret, sed contritio ipsum præcedens, sicque falsum esset annexam esse martyrio ex speciali privilegio Christi, seu ex opere operato collationem gratiæ, adeoque non darentur dicti tres baptismi, quod videtur ese contra communem sensum: unde hæc secunda sententia est communior et verior.

(29. Ad auctoritatem autem illam Apostoli: *Si tradidero corpus meum*, etc., quæ videtur esse Achilles adversariorum, respondetur cum SS. Theodoret., Anselm., Thom. et Suarez, quos citat, et sequitur Tirinus in d. Epist. I S. Pauli *ad Corinth.* cap. XIII, v. 3, quod utique, si tradidero corpus meum ita ut ardeam, vel exurar, in hoc sensu v. gr. pro patria servanda, vel pro inani gloria, vel etiam pro fide Christi tutanda, sed odio erga proximum, vel alio mortaliter peccandi affectu reservato, vere nihil mihi prodest. Et in hoc sensu intelligendæ sunt etiam sententiæ SS. Patrum, quando dicunt quod martyrium non habet rationem baptismi sine charitate, seu sine charitate non valet ad salutem, et hujusmodi, et præsertim D. Thom. in illis locis, ubi citatur pro sententia contraria; cum ipsemet sic exponat, et intelligat Apostolum *loc. cit.*, seu respondetur cum Frassen *loc. cit.*, Henno *loc. cit.*, et aliis, martyrium sine charitate antecedente, et concomitante nihil prodest in eo, qui vel antecedentem, vel concomitantem habere potest, concedo; nihil prodest in eo, qui neutram habere potest, cum sit libertatis, et rationis impos, seu, in sensu nostræ conclusionis, bona fide, et invincibiliter ignarus, vel oblitus præcepti de contritione, elicit solum actum attritionis, nego. Imo Suarez tom. III, in III part., disp. 22, sect. addit, quod si quis reus criminis mortalis, immemor contritionis, et attritionis, eliciat propositum, seu voluntatem efficacem obeundi martyrium pro fide Christi, et statim durante tali proposito martyrizetur, adhuc hic justificetur ob virtualem aliquam attritionem inclusam in illo proposito subeundi martyrium pro Deo ex motivo spei, consequendi scilicet beatitudinem, cum tali spe detestetur implicite peccatum hujus beatitudinis impeditivum. Semper autem in attritione requiritur initium amoris Dei.

(30. Martyrium in adultis remittit omnem culpam, et pœnam, nihilque remanet in martyre, quod ipsum remoretur ab ingressu gloriæ cœlestis. *Communis*, arg. cap. *Cum Marthæ* 9, De celebrat. missar., § *Tertio loco*, ubi dicitur: « Injuriam facit martyri, qui orat pro martyre. »

(31. Martyrio decoratis respondet in cœlo *laureola*, seu ut teste Gobat tom. I, tract. 2, n. 618, cum S. Thom. loquuntur communius theologi, et canonistæ, *aureola*, id est speciale gaudium proveniens ex tam excellenti victoria, et redundans in corpus, cum peculiari decore illarum partium, in quibus passi sunt martyres, ut satis indicat. S. Augustinus lib. XXII *De civitate Dei*, cap. 20, et clarius serm. 103 et 115, *De divers.*, et docent Raynaud, *De martyrio* p. II, p. 6, n. 33; Gobat, *l. c.*, n. 619; La Croix, *l. c.*, n. 242; Dicastill. *De baptism.*, d. 3, n. 51.

(32. Martyrium confert gratiam probabilius in ultimo instanti vitæ, in quo eadem gratia nullo peccato mortali actuali impeditur, quia SS. Patres dicunt tunc conferri quando martyr amplius peccare non potest. Raynaldus, *loc. cit.*, n. 25, Platel., part. V, n. 171. Illsung *Theol. moral.*, t. IV, disp. 1, n. 24. Matthæucc., *loc. cit.*, n. 44; Henno, *loc. cit.*, qu. V, concl. 2., et alii.

(33. In canone missæ martyres solum, et non confessores nominantur, quia, ut dicit Innocentius III, lib. III *Myster. miss.*, cap. 10, canon fortassis fuit editus prius, quam Ecclesia memoriam sanctorum confessorum solemniter celebraret, quem canonem varii censent a S. Clemente fuisse ordinatum, et ei subinde quidquam aliud ab aliis Summis Pontificibus esse additum; ulterior autem ratio, et satis verisimilis videtur, quod congruentius in canone fiat memoria, non sanctorum confessorum, sed martyrum, quia ipsi effusione proprii sanguinis imitati sunt passionem Christi, cujus repræsentatio fit in sacrificio altaris: Matthæucci, *l. c.*, 4, et alii.

(34. Tam copiosus est numerus sanctorum martyrum, ut solum Romæ unius mensis spatio decem septem millia Christiani sub Diocletiano imperatore fuerint martyrio coronati; et in Ægypto centum quadraginta quatuor millia, ultra septem centum millia exsilio demandati. Unde Genebrardus, in *Chronico*, numerans omnes Christianos martyrio coronatos in decem persecutionibus, assignat triginta millia cuilibet diei

Digitized by Google

unius integri anni; et S. Birgitta lib. III. *Revelation.*, ex illis solis Romæ occisis septem millia cuilibet diei, *che*, ut refert eruditissimus Berninius, in tomo primo *Historiæ omnium hæresum* italico idiomate scriptæ, cap. 14, sæculi III, fol. 206, *che moltiplicati* (sunt ejus præcisa verba) *ascendono a piu di due millioni, é mezzo di Santi Martiri:* absque numero aliorum plurimorum post tempora Genebrardi, et S. Birgittæ martyrio coronatorum. Et Bosius, veræ Ecclesiæ signa describens, observavit, quod triginta tres pontifices inter coronatos Romæ martyrio fuerunt, atque isti cum aliorum locorum aliis, in tribus solis primis sæculis ad minus quinquagies centena millia exstitere, qui pro Christo mortem sustinuerunt, cum solus Diocletianus edictis suis vicies centena millia morti tradiderit. Uno verbo, ex martyrum capite Christo ad hæc usque tempora plusquam centies, et decies centena millia communi calculo supputantur martyrio donati. O bone Deus, per quot excitas nos ad gloriosam pugnam, ut perveniamus ad æternam coronam, et tamen filii hominum adhuc gravi corde diligentes vanitatem et quærentes mendacium, in eo quod vapor est, modicum parens, demerguntur? Qui plasmasti nos, miserere nostri, quos pretioso sanguine redemisti.

(35. Martyres sunt pueri ante usum rationis in odium Christi occisi; Bened. XIV, constitut. incip. *Beatus Andreas* § 10 et seq. In Martyrologio Romano pluries inscripta leguntur nomina infantium, qui in odium Christi fuerunt occisi (36. Idem *ibid.* § 11, Martyrologio Romano canonizatorum nomina tantummodo inscribenda sunt. Idem *ibid.*, § 5. Non tamen ex eo tantum canonizatus quis fuisse probatur, quod ipsius nomen fuerit in martyrologium Romanum illatum. Idem *ibid.*, § 21.

APPENDIX,

SIVE NOVUS DE MARTYRIO ARTICULUS, E ROMANA EDITIONE.

Novum hunc de martyrio articulum addimus, ut ea suppleamus, quæ sunt a P. Ferrari omissa, ac nonnulla luculentius exponimus, quæ ab ipso vel obscure, aut nimis compendiose tractata sunt, vel juxta minus tutam opinionem asserta. In his vero, quem ipse tenuit, ordinem sectabimur.

(37. Quod Græce *martyrium* dicitur, Latine *testimonium* appellatur. *Martyr* enim *testem* proprie significat; ut S. August. *in Psalm.* CXVIII declarat: « Testimonia græce martyria nuncupantur; quo verbo jam utimur pro latino: unde illos, qui propter testimonium Christi diversis passionibus humiliati sunt, et usque ad mortem pro veritate certarunt, non testes, quod latine utique possemus, sed græce martyres appellamus. » *Vide* t. II, v. CULTUS SANCTORUM, Nova additamenta.

(38. Martyrii causæ tres esse debent. Prima est persecutor mortem inferens: duæ enim personæ ad martyrium necessariæ requiruntur; quarum altera est tyrannus, qui infert, altera fidelis, qui ob fidei Christianæ confessionem mortem sustinet. Quamobrem S. Augustinus Donatistas, Circumcelliones, mortem sibi inferentes, non martyres, sed insanos appellat lib. primo *contra Gaudentium Donatistam*, cap. 30, inquiens: « Non est hoc consilium, sed furor; non est sapientia, sed dementia. » Excusat vero sanctas mulieres, sibi pudicitiæ custodiendæ causa mortem consciscentes: quia, inquit, lib. I *De civ. Dei*, cap. 22, « hoc fecerunt, non humanitus deceptæ, sed divinitus jussæ; nec errantes, sed obedientes, sicuti de Samsone aliud nobis fas non est credere. » Non ergo quæcunque mors sat est ad martyrium, sed solum ea, quæ a persecutore infertur in odium fidei Christianæ. Quare falsa est sententia Theophili Raynaudi, *De martyrio per pestem*, quam communiter Theologi jure improbant. Quamvis enim, qui peste laborantibus inserviunt, et eadem lue inquinati obeunt, heroicum charitatis officium exerceant, et martyres per quamdam analogiam dici possint; martyres tamen ab Ecclesia non habentur, quia deest persecutor, qui vim inferat in odium fidei.

(39. Altera martyrii causa *motiva* appellatur, quæ ad martyrium movet, impellitque. In martyre hæc causa est fidei confessio; in tyranno est fidei odium. Hic in fidei detestationem mortem infert; ille ob fidei confessionem mortem sustinet. Hinc S. Augustinus *Ps.* XXXIV, inquit: « Martyres non facit pœna, sed causa. » Martyres enim testes Christi sunt, de quibus S. Lucas cap. XII: *Omnis quicunque confessus fuerit me coram hominibus, et Filius hominis confitebitur illum coram angelis Dei.* Et Ecclesia universa canit: « Hic est vere martyr, qui pro Christi nomine sanguinem suum fudit. »

Ad causam, quæ *motiva* dicitur, officium spectat cujusque virtutis a lege divina præscriptum. Qui ergo virtutem aliquam exerceat, ejusque veritatem tueatur, et ob istius defensionem, et exercitium, mortem sustineat, voce aut factis testatur se Christum profiteri, qui virtutis istius exercitium præscribit, et urget, et martyrii meritum sibi comparat, juxta illud *Matthæi* V: *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam.* Exempla martyrum, qui ob alicujus virtutis officium mortem sustinuere, videri possunt in suo articulo ad auctore recensita. Hic tamen animadvertas velim, inter martyres haudquaquam recenseri posse, qui mortem sustineant pro aliqua veritate, quæ ad fidem non pertineat eorum, quæ credenda et agenda sunt, vel pro peculiari sibi facta revelatione, aut pro opinione tuenda, quæ nondum Ecclesiæ judicio definita sit vera; ex quo concludit Benedictus XIV, l. III, cap. 19, *De canonizatione sanctorum*, futuros non esse martyres, qui pro immaculato Virginis conceptu sanguinem fundant; quia, cum nondum Ecclesiæ sententia definitum sit fuisse Virginem ab originaria culpa præservatam, mors, quæ pro tuenda pia sen-

Digitized by Google

tentia sustineretur, inter opera recenseri non posset quæ « sunt quædam protestationes fidei, per quam nobis innotescit, quod Deus hujusmodi opera a nobis requirit, et nos pro eis remunerat: » secundum quod virtutum opera esse possunt causa martyrii, ut inquit S. Thom. 2.-2, q. 124, art. 5. Cum enim nobis non proponatur, ut revelata, immaculata Virginis conceptio, defensio hujus assertionis morte confirmata haberi non potest pro protestatione fidei, per quam innotescat, Deum hujusmodi defensionem a nobis requirere, ac nos pro ea gratia martyrii remunerare. Num vero votum emitti possit subeundi mortem pro tuendo immaculato Virginis Conceptu, gravis controversia est a pluribus hac nostra ætate in Italia agitata, sed nondum ab Ecclesia definita sententia, et ab Apostolica Sede permisso cuilibet privato pro arbitrio opinandi, non adeo facile probari posse videtur eorum sententia, quæ asserit, posse Christianum hominem votum emittere fundendi sanguinem, ac dandi vitam pro Immaculati Conceptus defensione. Neque enim vitam, quæ Dei est, pro iis, quæ non Dei, sed nostra sunt, promittere, ac dare possumus; at si liberum nobis est opinari circa Immaculatam Virginis Conceptionem, pia illa sententia, qua id tuemur, nostra opinio est, nec inter opera recenseri potest, quæ Deus a nobis requirat, pro quibus vitam dare possumus, atque tenemur.

(41. Tertia martyrii causa *finalis* est : quia finis mortis sustinendæ debet esse Dei gloria. Atque hac de causa hæretici et schismatici martyrii sunt incapaces; cum enim desit in ipsis veritas et unitas Ecclesiæ, desit quoque necesse est finis ille, qui ex charitate oritur, qua major dari non potest. « Extra ecclesiam occisus, » inquit S. Augustinus, lib. v, *De baptis.*, cap. 17, « charitatem non habuisse convincitur. » Et S. Cyprianus, lib. *De unitate*, inquit : « Esse martyr non potest, qui in Ecclesia non est. » Atque hæc de martyrii causis.

(42. Videndum nunc est, quænam dispositiones requirantur in homine, ut martyrii gratiam consequatur. Agemus primum de adultis; nonnullas deinceps de parvulis dissolvemus quæstiunculas. Satis ab auctore ostensum est n. 23 et sequentibus, prærequiri in adultis baptismum fluminis, si opportunitas recipiendi adsit, aut baptismi recipiendi votum; in baptizatis vero mortali peccato obnoxiis, sacramentum pœnitentiæ, sacramentalem scilicet confessionem, si adsit opportunitas, vel istius votum cum contritione, si confiteri peccata nequeat. Sed ad quæstionem, quam promovet; num scilicet adultus oblitus præcepti de contritione elicienda, per solum actum attritionis disponere se possit ad gratiam martyrii? non adeo facile probanda censetur sententia, quam ipse eligere videtur de sufficientia solius attritionis sine amore benevolo, sive charitate saltem imperfecta.

(43. Moveor autem ad hanc improbandam opinionem, quia, ut Ferraris ipse testatur, contraria sententia communis est SS. Patrum et antiquorum theologorum. Nam cum orthodoxa de efficacia martyrii doctrina non aliunde constet, quam per revelationem; et cum Dei revelatio ad nos usque traducta sit per SS. Patres et per antiquos theologos SS. Patrum successores, manifestum est, non posse nos, nisi temere, a communi Patrum et antiquorum theologorum sententia recedere, ut excogitatam a recentioribus opinionem amplectamur. Deinde SS. Patres astruentes charitatem, necessariam in martyribus dispositionem, propriam sententiam Christi verbis, et sac. Scripturarum oraculis comprobant. (44. Christus enim *Matthæi* x, hæc habet : *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam; Marci* VIII : *Qui perdiderit animam suam propter me, et Evangelium, salvam faciet eam; Lucæ* IX : *Qui perdiderit animam suam propter me, salvam faciet eam.* Augustino vero teste, *Lib. de moribus*, c. 9, non potuit Christus expressius designare charitatem, quam dicendo, *propter me*, exponens enim hæc verba, *propter te mortificamur tota die*, ita subnectit : « Charitas vero ipsa non potuit significari expressius, quam quod dictum est *propter* te. » Adest præterea textus apostoli Pauli *I. ad Corinth.* XIII, dicentis : *Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest;* ex quo fit, martyrium sine charitate susceptum nullum fructum afferre. (45. Ut autem Ferrarianas præcludam exceptiones, proferam expositionem hujus textus, quæ tradita ab Augustino est, sermon. 15, *De verbis Apostoli*, c. 12, ubi inquit : « Deus non amatur, nisi de Deo : multum amavit, qui torqueri potuit, deficere non potuit : sed ille non potuit tanta perferre sine amore, nec tu poteris communicare Christi passionibus sine amore. Sed quæro, quo amore? Non sit cupiditas, sed charitas : *Si*, enim, inquit, *tradidero corpus meum, ut ardeam, et charitatem non habuero, nihil mihi prodest.* Ut prosit tibi communicatio passionum Christi, *charitas* adsit. Si enim in te fuerit charitas Dei, communicabis Christi passionibus, et verus eris martyr, in quo charitas coronatur. »

(46. Audiantur deinde alii Patres. Sic Tertullianus *Lib. adversus Praxeam*, c. 1 : « Etsi, inquit, corpus suum tradidisset exurendum Praxeas, nihil profecisset, dilectionem Dei non habens, » et *Scorpiaci*, c. 6 : « Propterea, inquit, martyribus nihil jam reputari potest, quibus in lavacro ipsa vita deponitur. Sed dilectio operit multitudinem delictorum, quæ Deum scilicet diligens ex totis viribus suis, quibus in martyrio decertat, ex tota anima sua, quam pro Deo ponit, hominem martyrem excudit. » Sic S. Bernardus epist. 77, ad Hugonem Victorinum : « Et si, inquit, martyrium vicem baptismi posse implere conceditur, non plane hoc facit pœna, sed ipsa fides, *quæ utique per dilectionem operatur;* nam absque ipsa quid est martyrium, nisi pœna? Quæ ergo martyrio præstat, ut absque ulla dubietate pro baptismate reputetur, *quomodo* ipsa ita

Digitized by Google

infirma et imbecillis per se erit, ut quod dare alteri valet, sola non valeat obtinere? » Ubi martyrium justificandi vim totam habet ex ea fide, quæ *per se*, et extra martyrium justificare valet. (47. Accedit etiam S. Thomas, qui ex illis Apostoli verbis, tert. part., quæst. 66, art. 12, ad. 2, colligit « quod effusio sanguinis non habet rationem baptismi, si fit sine charitate. « Ex quo, » pergit idem sanctus doctor, « patet quod baptismus sanguinis includit baptismum fluminis, et non e converso; unde ex hoc ipso probatur perfectior. » Et 2-2, quæst. 124, art. 2, ait : « Martyrium est actus charitatis, ut imperantis, fortitudinis autem, ut elicientis. Quod autem sit meritorium, hoc habet ex charitate, sicut et quilibet virtutis actus; et ideo sine charitate non valet. » (48. Nec ratio theologica deest, quæ id suadeat : primum quia martyrium est mors pro Christo tolerata, hæc vero ex effectu amoris amicitiæ erga Christum esse debet, quod est a Christo indicatum, cum dixit : *Majorem ac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis* ubi animam ponere pro amicis, ponere illam ex dilectione amicorum significat. Et sane si ex metu gehennæ, et amissionis paradisi moveretur ad acceptandam mortem, non pro Christo, sed pro se ipso homo daret animam suam; hoc est, ut malum imminens declinaret, et bonum acquireret. Itaque, ut homo pro Christo, et Deo mortuus dicatur, necesse est Dei amore mortem sustinere. Denique non minor sane in adulto dispositio requiritur ad martyrium, quam ad baptismum, ut adversarii fatentur. (49. At ad baptismum suscipiendum amor Dei requiritur saltem initialis; vult enim Tridentinum concilium, ut baptizandus adultus, præter fidem, et spem, amorem quoque habeat, quo incipiat diligere Deum, veluti justitiæ fontem : amor autem hujusmodi charitas est, ut liquet, tum ex eo, quod concilium de tribus sibi virtutum theologicarum actibus loquatur; tum etiam ex eo quod de amore verba faciat, qui spem consequitur; qui sane amor charitatis, et amicitiæ est, non concupiscentiæ; cum amor concupiscentiæ spem præcedat, non vero sequatur.

(50. Et ut ad martyrium in adultis charitatem aliquam saltem initialem desideremus; tamen illorum non placet sententia, qui solum ex opere operantis gratiam conferre opinantur. Scimus in hac versari opinione doctissimum Melchiorem Canum, Sotum, Bannesium, aliosque. (51. Sed horum opinioni præferendam censemus sententiam S. Thomæ, et aliorum fere omnium theologorum aientium, non ex solo opere operantis, « sed etiam ex imitatione Passionis, » ut ait S. Thomas, in 4, dist. 4, quæst. unica, art. 4, ad 3, et alibi; vel ex privilegio, ut alii malunt, et ex speciali quodam favore Christi, ut aiunt Piette, Vanroy, et alii, vel quasi ex opere operato, ut ait continuator Tournely, vel denique ex opere operato, virtute scilicet mortis Christi, ut universim theologi loquuntur. (52. Nam per martyrium remittitur tota pœna temporaria; quamobrem injurius esset martyri, qui pro martyre oraret : hæc vero non remittitur, nisi ex privilegio, aut ex imitatione passionis Christi, aut alio modo ex opere operato. Non enim vi mortis, quæ quandoque lenis esse potest, nec sufficiens ad satisfaciendum pro gravissimis sceleribus, quibus se quis toto vitæ suæ decursu fœdaverit, et ex quibus fortasse ipsam mortem, eamque per graviora quæque supplicia inferendam promeuerit : Non propter fervorem charitatis, cum multi sancti confessores ardentiori charitate fervuerint, quam martyrum plerique, quin tamen indulgentiam pœnæ temporalis peccatis antea commissis debitæ consecuti sint; ergo.

(53. Sed quæstio de baptismi efficacia paulo uberius pertractanda est. Omnes conveniunt, hæreticis Valentinianis exceptis, qui teste Tertulliano lib. *Scorpiaci*, c. 1, non simplicitatem, sed vanitatem, imo dementiam esse fabulabantur pro Deo mori, martyrium peculiari gratia, honore, atque corona a Deo donari; sed dissident invicem theologi in modo designando, quo peculiarem sibi annexam gratiam contineat. (54. Nullus Catholicorum dubitat quin peculiarem hanc secum ferat gratiam, dum ab adultis hominibus Dei amore suscipiatur; Canus vero, et alii, quos supra recensuimus, vim hujus peculiaris gratiæ conferendæ amori illi tribuunt, quo adultus sponte, atque libere martyrium acceptat, et subit, quamobrem ex opere operantis gratiam conferre asserunt. Hos vero supra confutavimus, sed recensere hic placuit iterum opinionem, ut id quod certum est, ab eo, quod in controversiam inter Catholicos revocatur, distingueremus. (55. Major autem difficultas est circa puerorum martyrium. Adulti martyres dicuntur alii voluntate, et opere, ut S. Stephanus. Alii sola voluntate, ut S. Joannes evangelista, in quo voluntas opus martyrii fuit. Alii denique opere tantum, non voluntate. Hujus tertii generis sunt infantes in odium Christi occisi. Hos vero in duas classes distinguimus : in prima ponimus Innocentes Bethlehemitas ab Herode in Christi pueruli odium impia jussione occisos; in altera vero alios pueros, qui vel ferventibus primis Ecclesiæ sæculis persecutionibus, vel postremis sæculis a Judæis in odium Christianæ religionis crudeliter necati perhibentur, de quibus longum catalogum texuit Benedictus XIV, cum in opere suo *De cultu sanctorum*, tum in epistola quadam ad illustrissimum Benedictum Veterani, fidei promotorem, circa causam beatificationis beati Andreæ Pagi Rinensis, qui, nondum tertio ætatis anno expleto, anno 1462. a Judæis in odium Christi occisus fuit. (56. Circa infantes ab Herode occisos, quos semper Ecclesia veluti sanctos, ac martyres venerata est, nonnulli ætate S. Thomæ opinabantur, martyres illos esse, quia Deus acceleravit illis usum rationis, gratiamque contulit, qua mortem pro Christo acceptarent, atqua

Digitized by Google

subirent; alii cum Richardo Armanaco in Irlandia præsule, nullum ex infantibus ab Herode propter Christum occisis, præter circumcisos, salvum fuisse probabiliter defendi posse arbitrantur. (57. Alii vero cum cardinali de Vitriaco, licet fateantur infantes ab Herode interfectos, ex peculiari privilegio salvos, sanctosque esse; tamen negant id de infantibus Christianorum a tyrannis in Christi odium occisis, quos etiam e regno cœlorum exclusos volunt, nisi beneficium baptismi obtinuerint. (58. Ab hac sententia parum dissidere videntur S. Bonaventura, et Alexander Alensis: nam S. Bonaventura, in 4, dist. 4, part. II, dub. 1, postquam dixit ad martyrium completum duo concurrere, scilicet justam voluntatem, et justam causam, subdit quod « Dominus supplevit, quod deerat ex parte voluntatis in Innocentibus, quia simul cum ipso nati erant, et propter hoc, quod erat cœtaneus illis: » et alibi satis superque indicat, deficiente voluntate, non haberi martyrium; similia habet Alensis; ex quibus liquet hos non agnovisse, nec admisisse martyres ex solo opere sine voluntate, exceptis SS. Innocentibus ab Herode occisis, in quibus Deus voluntatem supplevit.

(59. Communis tamen, ac universim recepta hac ætate nostra opinio est, mortem in Christi odium illatam, ex imitatione passionis Christi, aut ex alio huic concesso privilegio, gratiam martyrii conferre, ac baptismum fluminis supplere, etiam in parvulis in utero materno occisis, licet aliquis theologus adsit, qui de parvulis in materno utero interfectis dubitet, dum in tyranno voluntas desit hos occidenti. Ut autem clare pateat tuta hac de re sententia, nonnulla afferemus argumenta, quæ etiam parvulis martyrium prodesse ostendunt. (60. Primum enim ad parvulos quoque pertinere videtur generalis illa Christi Domini sententia apud *Matthæum* 10, vers. 39: *Qui perdiderit animam suam propter me, invenict eam.* Deinde Ecclesia tanquam martyres semper venerata est omnes infantes, quos Herodes jussit occidi. Irenæus enim lib. III *Adversus hæreses*, cap. 16 infantes illos martyres vocat: eodem titulo eosdem donavit Cyprianus, Ecclesiæ sæculo epist. 56., adhortatoria ad martyrium; Chrysostomus, hom. 3 *in Matthæum* maryres eosdem vocat; et ut alios mittam, Augustinus, lib. III *De libero arbitrio*, cap. 23: « Infantes illos, inquit, in honore martyrum receptos commendat Ecclesia; » atque eodem modo patres reliqui loquuntur. (61. Ecclesia ergo semper et ubique docuit, omnes occisos ab Herode infantes in cœlis cum Christo regnare martyrii gloria conspicuos, non distinguens inter circumcisos et incircumcisos. Vim ergo talem in morte illis illata agnovit, qua omnes sanctificarentur, atque digni cœlesti martyrum gloria fierent. Ergo ex universali Ecclesiæ consensu evincitur vere hos martyres fuisse. Nec dici potest, acceleratum in iis fuisse rationis usum, ut inquit S. Thomas 2-2, quæst. 124, art. 1, id enim nulla Scripturæ auctoritate comprobatur; nec patrum testimonio asseritur: imo S. Augustinus serm. *De diversis*, qui in recenti editione est 375, parvulos illos alloquens, inquit: « Non habebatis quidem ætatem, qua in Christum passurum credieretis, sed habebatis carnem, in qua pro Christo passuro passionem sustineretis; » quod serm. 375, supra relatis verbis confirmat. Si ergo non aliud habebant, quod darent pro Christo, quem nondum poterant confiteri, præter carnem, non habebant usum liberi arbitrii. (62. Apertius autem Chrysologus, serm. 152, qui est de Innocentibus, dicens: » In parvulis quæ voluntas, quod arbitrium, ubi captiva fuit et ipsa natura? » Et serm. sequenti: « Vere, fratres, isti sunt gratiæ martyres, confitentur nascentes, nescientes pugnant, vincunt inscii, moriuntur inconscii, ignari tollunt palmas, coronas rapiunt ignorantes. » Et Ecclesia universa in celebratione festi SS. Innocentium, hos veluti martyres, qui fidem Christi *non loquendo, sed moriendo confessi sunt*, satis superque indicat, et mortem, quam pro Christo subiere, causam in hujusmodi infantibus fuisse sanctitatis, et gloriæ martyrii.

(63. Ecclesia itaque semper credidit mortem infantibus pro Christo ab Herode occisis, divina quadam opitulatione, ut loquitur Augustinus, uberem martyrii gratiam contulisse. Atqui martyrii honore donatos etiam habuit infantes reliquos in odium Christi deinceps a tyrannis occisos. Nam quotquot infantes a primis ecclesiæ sæculis ad nostra usque tempora, sive ab idololatris, sive a Judæis Christianæ religionis causa occisi fuere inter martyres recensentur. In martyrologiis enim non semel memoria occurrit martyrum, qui in infantili ætate pro Christo occisi fuerunt: in cœmeteriis itidem pluries reperta fuere corpuscula puerorum, quos Christianæ fidei hostes interfecerunt cum certissimis martyrii signis. (64. Nemo inter criticos est adeo severus, ut pro certo martyrii signo non habeat vas, aut sanguinis plenum, aut aspersum sanguine juxta corpus positum, quod in antiquis Christianorum cœmeteriis reperiatur; videri poterunt hac de re viri clarissimi, Aringus, Mabillonius, Buonaroti, Raphaellus Fabrettus; Ludovicus Antonius Muratorius, Boldettus, Marangonius, atque Victorius, viri hac in re peritissimi, qui unanimi consensu asserunt, supra recensitum vas certum esse martyrii signum. At in cœmeteriis pluries reperta fuere puerorum ossa cum hujus modi signis. (65. Ut unum afferamus exemplum, ex relatione supra citati canonici Boldetti constat, in cœmeterio Cordiano ossa reperta fuisse cujusdam pueruli cum inscriptione nominis Dorothei, et cum antedicto sanguinis vase; ac corpus itidem alterius puerili annorum quinque, nomine Decensii, cui idem vas pro signo appositum erat. (66. Quæ quidem exempla satis nobis videntur ad ostendendum, Ecclesiam Christi semper habuisse ut veros martyres etiam infantes in odium Christianæ religionis occisos. Atque hinc fa-

Digitized by Google

cile patet, recte sentire theologos, qui in parvulis martyrium baptismum supplere asserunt, ac peculiarem quoque gratiam conferre; cum ex dictis constet Ecclesiam agnovisse semper martyres etiam solo opere, et non voluntate; atque hujusmodi martyrio vim quamdam ex Christi favore credidisse, quia etiam isti pueruli sanctificari, et martyrium gloria condecorari possent.

(67. Hujusmodi martyres *solo opere, et non voluntate* in quatuor classes distinguit Benedictus XIV in supra citata ad clarissimum præsulem Veterani epistola. In prima classe reponit illos, qui a remotioribus sæculis in universa Ecclesia publicum cultum obtinent. Qua quidem in classe soli innocentes pueri ab Herode occisi reponi possunt, cum de nullo alio constet in universa Ecclesia a remotioribus sæculis publicum cultum obtinere. In secunda classe pueros statuit in odium Christi fidei occisos, qui ab immemorabili tempore in aliqua civitate, aut diœcesi publicum cultum habent scientia, tolerantia, ac etiam expressa ordinariorum approbatione commendatum; atque ad hos referri quoque posse existimat plures, ac plures alios, quorum vel mentio occurrit in annalibus, et ecclesiasticis monumentis, vel certe nomina in Martyrologio Romano descripta sunt. In tertia classe pueri illi reponuntur, quorum corpora cum nominibus, et signis supra indicatis, in cœmeteriis inventa sunt, quorum deinceps reliquiæ in aliquibus ecclesiis publicæ veneration expositæ fuerunt. In quarta denique classe ii constituendi erunt, quibus vita in odium Christi sublata fuit, quorum cultus via ordinaria beatificationis, aut canonizationis promovetur apud apostolicam sedem, ad quam unice spectat post decretum Alexandri III, permittere decernere, et approbare cultum sanctorum in particularibus locis, et in unaquaque mundi diœcesi. (68. Semper enim ad Apostolicam Sedem pertinuit decernere publicum cultum alicui sancto pro universa Ecclesia, istumque præcipere; ac sine istius approbatione, nullius sancti cultus ab una ad omnes alias diœceses extensus est, atque universim præceptus; et in hoc sanctorum canonizatio consistit. (69. Sed post Alexandri decretum etiam concessio expressa permissionis cultus in aliqua civitate, aut diœcesi in honorem alicujus confessoris, aut martyris, Apostolicæ Sedis auctoritate fieri debet : hæc vero permissio servi Dei beatificatio appellatur. Ad hanc classem spectant beati duo pueri a Judæis in odium Christianæ fidei occisi, Simon scilicet de Tridento anno 1475, interfectus, et Andreas de Pago, cujus martyrium contigit anno 1462. (70. Num expediat hujusmodi pueris permittere, ut post beatificationem etiam decernatur publicus canonizationis cultus? Vide supra citatam Benedicti XIV epistolam.

(71. Unum in præsentia animadvertendum duxi, parvulis scilicet pro Christo occisis, non respondere in cœlis *aureolam*, quæ, juxta theologos, in gloria quadam accidentali consistit, in illa lætitia posita, quam beati martyres experiuntur, dum victoriam cogitant, quam pro Christo dimicando reportarunt; « Innocentes, » inquit S. Thomas in 4, dist. 49, q. 5, art. 3, quæst. ad duodecimum, « sicut non pertingunt ad perfectam rationem martyrii, sed aliquid martyrii habent ex hoc, quod passi sunt pro Christo, ita etiam aureolam, non quidem secundum perfectam rationem, sed secundum aliquam participationem, in quantum scilicet gaudent, se in obsequium Christi occisos esse ut dictum est de pueris baptizatis, quod habebunt aliquod gaudium de innocentia, et carnis integritate. » Iis cohærentia habet eminentissimus cardinalis Capisucchi, in suis controversiis theologicis *De martyrio*, qu. 2, § 26, nempe : « Cum aureola sit præmium a Deo beatis concessum intuitu egregiorum operum, quæ ipsi pro Deo in terris patrarunt, ac proinde sit præmium respondens operibus; evidens est, sanctos Innocentes, et alios parvulos pro Christo ante usum rationis occisos aureola non gaudere martyrii. »

(72. Et si mors in odium Christi parvulis illata semper in Ecclesia veluti quoddam martyrium habita est, atque adeo ex divina quadam dispositione peculiaris gratiæ productiva : tamen censura digni dici non possunt a privatis viris theologi illi, qui de salute dubitant parvulorum, quos hac de causa Infideles interfecerint, priusquam nati essent, aut antequam baptismum suscepissent. (73. Ecclesia enim nunquam antiquos illos theologos damnavit, qui peculiari hujus gratiæ privilegium ad solos Bethlehemiticos pueros restrixere; qui inter hos, solos circumcisos salvos prædicarunt, et qui acceleratum iis fuisse dixerunt rationis lumen, ut ex libera acceptatione mortis pro Christo gratiam consequerentur martyrii : horum enim opiniones nunquam Ecclesia proscripsit. (74. Ac multo minus reprehendi ii theologi possunt, qui negant salvos, ac proinde martyres esse pueros in materno utero inclusos, de quorum occisione ne quidem cogitarunt infideles illi, qui in odium Christi matres interfecere, quin de occidendo filio in ejus utero incluso unquam cogitaverint; cum in his voluntas quoque tyranni desit, saltem directa occidendi puerum pro Christo, et quandoque præsumi etiam possit voluntatem habuisse hos non occidendi.

(75. Restat ut nonnulla dicamus de pluralitate martyrum priorum Ecclesiæ sæculorum. Huic controversiæ occasionem dedit Dodwellus, qui, in suis dissertationibus Cyprianicis, de paucitate martyrum priorum Ecclesiæ sæculorum disputavit. Hujus autem viri temeritatem demonstrarunt plures eruditi catholici viri; scilicet theodoricus Ruinartius, in opere hac de re contra Dodwellum scripto : Augustinus Orsi, celeberrimus ordinis Prædicatorum theologus, postea S. R. E. cardinalis; ex eadem quoque prædicatorum familia, martyrum pluralitatem vindicavit clarissimus Ansaldi, egregius ætatis nostræ in universitate Taurinensi theologus;

Digitized by Google

et, aliis missis, eruditus D. Gerardus Castelli, canonicus ordinis S. Crucis, in controversiis ecclesiastico-historicis; ii enim innumerabilem martyrum multitudinem fuisse ostendunt in Christi Ecclesia primorum sæculorum; tum singulas numerando persecutiones; tum ex antiquis SS. Martyrum actis; tum ex Eusebio Cæsariensi lib. VI *Histor. ecclesiasticæ*, in quo, c. 6, num. 23, innumerabiles Phrygiæ martyres recenset : et cap. 8, *Prope infinitos*, in Ægypto martyres obiisse scribit; tum ex Prudentio, qui martyrum numerum sub solo Diocletiano incredibilem fuisse scribit; tum denique ex omnibus fere SS. Patribus II, III et IV etiam sæculi, qui sine numero obiisse Ecclesiæ martyres scripserunt; scilicet S. Irenæus circa medium II sæculi, lib. IV *Adversus hæreses*, cap. 64 : « Ecclesia, inquit, in omni loco ob eam, quam habet dilectionem, multitudinem martyrum in omni tempore præmittit ad patrem. » Clemens Alexandrinus circa finem ejusdem sæculi lib. II *Stromatum* ait : « Nobis autem sunt quotidie martyrum fontes, qui nostris spectantur oculis, qui torrentur, et capite truncantur » : S. Cyprianus, circa medium III sæculi, *De exhortatione ad mart.*, c. 11 scribit : « Numerari non possunt martyres Christiani : quod si tantus ostenditur martyrum numerus, nemo difficile, vel arduum putet esse martyrem fieri : quando videt Christianorum martyrum populum non posse numerari. » Similia leguntur apud omnes apologistas religionis Christianæ apud Lactantium in lib. *De mortibus persecutorum;* apud Eusebium, et alios antiquos historicos ecclesiasticos; apud Ambrosium, Augustinum, aliosque antiquos Patres; quod sic indicasse sufficiat, ut lectoribus pateat, quanta fuerit hæretici Dodwelli temeritas, qui adversus tot luculentissima testimonia de martyrum paucitate ausus sit disputare.

MARTYROLOGIUM.

SUMMARIUM.

1. Quid sit martyrologium, ad n. 2. — 3. Quomodo a calendariis differat. — 4. Eusebiusne Martyrologium scripserit? — 5. Martyrologium Hieronymianum. — 6. Romanum parvum. — 7. Bedæ. — 8. Adonis. — 9 Usuardi, ad n. 10, 11, 12. — Romanum. — 13. Descriptio in Romano Martyrologio quid importat? — 14. Apponine in Romano Martyrologio queant sancti nondum canonizati? — 15. Martyrologii lectio.

(1. Reddi *Martyrologium* latine posset *sermo de testibus; martyr* enim testem significat, quia martyres Christi fidem suo ipsorum sanguine testati sunt; quod et confessione sua alii sancti fecere, quorum etiam habetur in martyrologio memoria; sed a potiori parte sumitur martyrologii appellatio, a martyribus nempe, qui pro Christi nomine passi sunt.

(2. Inter martyrologia porro, et calendaria, quibus quoque martyrum nomina inscripta sunt, non parvum intercedit discrimen. Nimirum, ut Pagius senior adnotavit, in *Critica ad ann. Christi* 64, num. 6, « singulæ Ecclesiæ sua habuere calendaria, in quibus digesta erant nomina episcoporum, et martyrum, diesque notati, quibus memoria eorum anniversario cultu celebraretur; martyrologia vero non unius loci propria, sed totius Ecclesiæ fuere communia, quippe quæ totius orbis martyres, confessoresque generaliter continerent; et in calendariis quidem antiquioribus, nomen urbis nunquam (verius, plerumque) describitur, cum in usum duntaxat unius Ecclesiæ comparata sint; at in martyrologio nomina singularum urbium, et oppidorum ascribuntur, propterea quod ad usum totius Ecclesiæ institutum est. » Quod etiam a Florentinio *Admonit.*, 5, pag. 23, perspicue affirmatur.

(3. Et aliud calendaria inter, et martyrologia discrimen est; quod in illis vix quidquam, præter sanctorum nomina ascribitur; in his contra sancto, cujus fit mentio, elogium quodpiam modo brevius, modo prolixius texitur. Hinc cum Matthias Fridericus Beckius *Martyrologium* quoddam *Ecclesiæ Germanicæ pervetustum* edidisset, commentario illustratum; Augustæ Vindelicorum 1687; Basnagius in historia *des ouvrages des savants* ejusdem anni pag. 28, Calendarium illud potius, quam *Martyrologium* appellandum esse monuit, cum nuda martyrum nomina contineat.

(4. Baronius cap. 5, *Prolegom. ad Martyrol. Rom.* primum omnium, qui scribendo Martyrologia operam dederit, ab omnibus, ait, prædicari Eusebium. Id quoque dicitur in epistola, quæ Hieronymi nomine ad Heliodorum circumfertur, a Beda in *Retractat. ad Acta apostol.*, cap., 1. Valafrido Strabone *De offic. Eccles.*, cap. 28, et fere, ut idem Baronius animadvertebat, a *recentioribus* (sui temporis) *omnibus*. Porro Eusebii Martyrologium a S. Hieronymo latinitate donatum fuisse Beda, aliique, quos Molanus secutus est, *De martyrologiis* cap. 11, tradiderunt. Verum Baronius cap. 6, Eusebium contendit, non Martyrologium, sed fusiore stylo acta martyrum scripsisse : ad S. Hieronymum vero quod spectat, epistolas illas Heliodori ad Hieronymum, hujusque ad illum confictas docet : ad summum eodem cap. 6, ait : « existimandum esse, Hieronymum brevi summa librum illum Eusebii in compendium redegisse, ipsumque opus postea Martyrologium esse dictum, ac Hieronymi nomine nuncupatum. »

(5. Enimvero Lucas Dacherius tom. IV *Spicilegii* ant. edit., p. 617, *Martyrologium* vulgavit ann. 1661 vetustissimum, S. Hieronymi presbyteri nomine insignitum. Septem post annis illud ipsum Lucensibus typis edi curavit Cl. Franciscus Maria Florentinius, hoc titulo : *Vetustius occidentalis Ecclesiæ Martyrologium D. Hieronymi.* Bollandiani quoque idem S. Hieronymi Martyrologium ex membranis Epternacensibus

Digitized by Google

exhibuerunt, tom. II *April.*: Martenius vero, tom. III *Thes. Anecdot.*, p. 1547, ex ms. monasterii S. Germani Antissiodorensis illud emisit. Tandem Vallasius Dacherianum hujus Martyrologii exemplum in Veronensem Hieronymianorum operum editionem a se curatam intulit t. XI, pag. 475. Verum Dacherius ipse, qui illud, ut diximus, primus protulit, negat, se illud integrum Hieronymo asserere tanquam germanum fœtum, « cum plures ipso recentiores sanctos constet diversis temporibus cum a clericis, tum a monachis pro libito fuisse adjectos, potissime patronos, aliosque qui anniversario cultu cujusque in Ecclesiis celebrabantur. » Nec tamen exiguo in pretio illud habendum monet : « Similes enim, inquit, passæ sunt accessiones Bedæ, Usuardi, Adonis martyrologia : quapropter cogerentur identidem eruditi viri his ipsis Martyrologiis fidem denegare, ni adjecta secernerent. » Dacherii judicium exscribit, probatque in admonitione prævia Vallarsius, suppositisque sancto doctori operibus ad censendum hocce Martyrologium consentit ; addit tamen, esse lectu dignum, et bonæ præ cæteris frugis opusculum. « Nobis satis sit, Martyrologium hocce, quisquis ejus auctor fuerit, antiquissimum esse, quod doctissimus P. Sollerius in *Præfat. ad Martyrolog. Usuardi*, cap. 1; Bedæ, ac præsertim Cassiodori *De instit. divin. litter.*, cap. 32, confirmat, imo, ut idem Sollerius animadvertit, *ex communi Catholicorum consensu* (si Henricum Valesium exceperis) Hieronymi nomen præferre posse, atque adeo Hieronymianum tuto nuncupari, tametsi monumenta desint, quibus ipsum sancto Doctori certo vindicemus. »

(6. Martyrologium Romanum parvum, quod cum Adone ab Heriberto Rosweydo primum, deinde a Dominico Georgio accepimus, Hieronymiano proximum ætate est. Illud enim ipsum est, quod S. Gregorius M. memorat. Negant id quidem Valesius in *Exercitatione* de hoc martyrologio ad Eusebii calcem, Florentinius *Ad Hieron. Martyrolog.* p. 17 seq., et Saussaius *De mysticis Galliæ scriptoribus*, pag. 981, seq. Verum hocce Martyrologium satis antiquum esse ostendit Sollerius, *Proleg. Ad Usuard.*, cap. 2, et si quid est, quo illud sincerum non esse vetus Romanum, de quo Gregorius, fere, mea quidem sententia, ad accessiones spectat Græcorum, qui illud ad suæ Ecclesiæ mores Ravennæ, ubi ejus exemplum descriptum fuit, accommodarunt.

(7. Sequitur Bedæ Martyrologium, quod cum sæpe editum sit, Bollandiani studium operamque contulerunt t. XI *Martii*, ut illud quoad fieri posset, suæ integritati restitutum, et a Flori diaconi Lugdunensis, a quo fuerat circa annum 836 interpolatum, additamentis distinctum exhiberent. Neque tamen ad Bedæ autographum satis repurgatum visum Sollerio aliisque nonnullis fuit. In Anastasio Blanchinianæ editionis extat aliquanto purius, et cum Bollandianorum editione collatum ad pervetustum Veronensis capituli Codicem, de quo Cl. marchio Maffeius in *Biblioth. Veron.*, ad calcem *Historiæ theologicæ*, *De Gratia* p. 93. Omitto alias editiones ; omitto etiam Wandelberti, Rhabani, Votkeri, Balbuli Martyrologia, de quibus eruditissimus comes Fridericus Althanus in Dissertatione *De calendariis*, p. 20 seqq., et p. 337, 339 seqq.

(8. Ad Viennensis IX sæculo archiepiscopi Adonis Martyrologium progredior. Aloysius Lipomanus Patricius Venetus, ac Veronensis episcopus magno in opere *De vitis sanctorum* tom. IV, illud primus edendum curaverat pag. 150 seqq. ; Venetæ a. 1554 editionis. Hanc Adoniani Martyrologii editionem excepere duæ Colonienses a Jacobo Mosandro Carthusiani ordinis curatæ, altera a. 1681, altera a. 1586, in appendice ad Surium. Tertiam Antuerpiæ, ex officina Plantiniana dedit cum præclarissimis adnotationibus, et Romano parvo, ut diximus, Martyrologio P. Heribertus Rosweydus ; quæ deinde in *Bibliothecas Patrum Parisiensem* a. 1645, et *Lugdunensem* a. 1677 illata fuit. Quartam denique, eamque præstantiorem egregius præsul Dominicus Georgius Rhodiginus Romæ a. 1745 exhibuit.

(9. Ante Adonem nominandus mihi fuisset Usuardus Sangermanensis, nono sæculo monachus, si (quod Baronio, Molano, imo et Mabillonio visum fuit) Adonem ætate præcessisset. Sed præstantissimus P. Sollerius in luculenta Usuardini *Martyrologii* editione tom. VI *Junii*, *Bollandiani*, primus feliciter detexit, non solum Adone fuisse Usuardum in concinnando Martyrologio posteriorem, sed etiam id potissimum sibi sumpsisse, ut Adonianum Martyrologium contraheret. Benedictinus tamen Jacobus Bovillart, ut Sollerii editionem minus accuratam fuisse ostenderet, Usuardi *Martyrologium* iterum exhibuit Parisiis 1718, in-4°, ad Usuardi ipsius autographum, quod in Sangermanensi bibliotheca asservari non dubitabat. Nolim tamen prætermittas, quæ in litterariis Patrum Trivultianorum Ephemeridibus mense Maio an. 1719, pro Sollerio adversus Bovillartii observationes disputata fuerunt. Adi etiam in actis Bollandianis ipsius Sollerii vitam.

(10. « Lectio Usuardini *Martyrologii*, » ut ait eminentissimus Lambertinius *De servor. Dei beatif. et beat. canon.*, lib. IV, p. 11, cap. 17, « ad omnes fere alias Ecclesias propagata est, etiam ad Romanam, excepta tamen Vaticana basilica, quæ suum quoddam habebat Martyrologium, quod hodie etiam in archivio capituli conservatur ; ita ut in fine sæculi XV passim in Ecclesiis non aliud Martyrologium legeretur, quam Usuardi. » Itaque hoc Martyrologium illud est « secundum morem Romanæ curiæ, quod emendatum per magistrum Belinum de Padua ordinis Fratum Eremitarum S. Augustini. » Venetiis prodiit *arte et impensis* Lucæ Antonii de Giunta Florentini, anno 1509, illud quoque, quod Franciscus Maurolycus abbas Messanensis ibidem edidit *apud Juntas* ; illud etiam, quod a Petro Galesinio

Digitized by Google

protonotario Apostolico cum notis non contemnendis illustratum exiit Mediolani ann. 1577, iterumque Venetiis 1578.

(11. Sed tandem Gregorii XIII jussu ad Romani Martyrologii correctionem manum admovit Baronius, emendatum anno 1584 vulgavit; quod postea sæpius recusum fuit. Potior tamen est, novisque Baronii curis præstantior editio, quæ Romæ an. 1588 Sixto V inscripta exiit. Recognitum tamen fuit a 1632 Urbani VIII auctoritate, illudque cum notis geographicis tabulisque, et Indicibus, per Augustinum Lubinum Augustinianum, prodiit Parisiis 1661 et 1679. Novam a Clemente X emendationem subiit Martyrologium Romanum, non tamen perfectam, nisi sub Innocentio XI eaque ann. 1681 typis Reverendæ Cameræ exiit. Inter hujusce Martyrologii editiones eminet quam Beneventi, anno 1716, exhibuit Franciscus Maria d'Hasta, archiepiscopus Hydruntinus, cum disceptationibus chronologico-geographicis.

(12. Demum Benedictus XIV Romanum hocce Martyrologium accuratissime emendandum suscepit, illudque ann. 1748 Romæ emisit, præmissa insigni epistola, qua de Martyrologio deque sanctis quos, aut primum in illud intulit (in his S. Siricius Papa), aut inde expunxit (nempe Clementem Alexandrinum et Sulpicium Severum), doctissime disserit. Hinc operi titulus : *Martyrologium Rom. Gregorii XIII jussu editum, Urbani VIII et Clementis X auctoritate recognitum; Editio novissima a Sanctissimo D. N. Benedicto XIV P. M. aucta, et castigata, in qua nonnulla sanctorum nomina in præteritis editionibus omissa supplentur; alia item sanctorum, et beatorum nomina ex integro adduntur.*

(13. An. 1680 dubitatio exorta est, an descriptio in Martyrologio Romano extensionem cultus importet. Itaque D. Prosper Bottinius pro suo, ut aiunt, Promotoris fidei munere, S. R. C. dissertationem exhibuit, in qua eam descriptionem, cultum, ejusque extensionem importare multis contendebat. Atque hæc Bottinii sententia plurimis probata est. At contra cardin. Lambertinius in laudato opere *Deservor. Dei beatif.*, *l. c.*, cap 19 sensit « descriptionem nominis alicujus in Martyrologio Romano ad historiam gestorum pertinere. » Hanc vero doctissimi cardinalis, postea Summi Pontificis sententiam singulari dissertatione adversus Bottinianam propugnavit vir eruditissimus D. Emmanuel de Azevedo, atque ea prostat inter hujus *Exercitationes relectas*, Venetiis ann. 1783, excusas p. 647 seq.

(14. S. R. C. 10 Julii ann. 1616, itemque 31 Augusti, ann. 1680 decretum edidit *De non apponendis in Martyrologio Romano, nisi sanctis canonizatis.* Nihilominus, ex peculiari Summorum Pontificum indulgentia, beatorum aliquot nomina Martyrologio inscripta novimus, ut vere idem Azevedius animadvertit, *Exercit.*, p. 11, exercit. 38, p. 92, quas videsis.

Lectio Martyrologii in choro ad primam præscripta est. Triduo tamen Hebdomadæ sanctæ omittitur, quia Christi Passioni jam nimis sumus intenti, ut de passione aliorum sanctorum cogitemus. Alia *vide infra*, v. NATALIS.

MATER.

SUMMARIUM.

1. Mater prægnans in periculo vitæ, quod nequit aliter evitare, potest sumere medicamenta ordinate directe ad ipsius salutem, quamvis indirecte possint tendere ad fœtus nondum animati interitum. — 2. Non potest tamen mater prægnans in tali periculo ob tuendam sanitatem sumere medicamenta ex se, et directe tendentia ad interitum fœtus, quamvis nondum animati. — 3. Si medicamentum, seu remedium æque tendat ad sanitatem matris, ac ad interitum fœtus nondum animati, potest mater probabilius illud licite sumere. — 4. Quando fœtus est jam animatus, certum est, quod non potest mater pro salvanda propria vita licite sumere medicamenta, seu remedia de se directe, et primario tendentia ad interitum ipsius fœtus animati. — 5. Nec etiam potest mater licite sumere talia remedia in casu, quo dubitetur, an de facto sit fœtus animatus? — 6. In casu autem, quo medicamenta, seu remedia adhibenda æque efficaciter tendant ad sanitatem matris, et interitum fœtus animati alioquin desperati, poterit mater probabilius licite ea sumere. — 7. Quidquid negent aliqui. — 8. Dato quod certo, vel probabili medicorum judicio mater simul cum fœtu animato ante partum moritura sit, et adhibitis remediis, spes sit, quod saltem mater servari possit, tunc licite potest mater adhibere remedia per se directa, et efficacia ad suam sanitatem, quamvis inde per accidens contingat fœtus enecari. — 9. Exstante vero spe, quod proles possit in lucem viva prodire et baptizari, tenetur mater abstinere ab hujusmodi remediis, et postponere propriam vitam corporalem saluti æternæ prolis. — 10. Fœtus quando animetur? — 11. Alia, *remissive*. — 12. An mater teneatur permittere sectionem, ut baptizetur puer, alias moriturus sine Baptismo. — 13. Mater prægnans crebras et numerosas choreas ducens cum agitatione, ob periculum, in quod injicit se ipsam, et fœtum, regulariter non eximitur a peccato gravi. — 14. Mater tenetur alere filios primo triennio. — 15. Alia quoad hæc, *remissive*. — 16. Mater, et nutrix, quæ sine debita cautela infantem tenellum retinent noctu in lecto, in quo ipsæ cubant, sive sequatur suffocatio, sive non, ordinarie peccant graviter. — 17. Possunt tamen dari casus, in quibus mater et nutrix excusentur a culpa gravi, et etiam aliquando a veniali, et assignantur. — 18. Mater suffocans, seu occidens filium, de rigore, privilegio immunitatis gaudere debet. — 19. Mater prætensa rea infanticidii extracta ab hospitali ad formam bullæ, gaudet immunitate, adeoque est restituenda dicto loco immuni. (20. Matricida extractus ab ecclesia gaudere debet immunitate ecclesiastica. Cavendum tamen est, ne in his tribus ultimis casibus interveniat casus præmeditatus, ob quem rei homicidii privantur immunitate ex noviss. constitut. Benedict. XIII relata sub. *Immunitas*. Et ex alia noviss. const. Benedict. XIV allata in *Supplem.* ad dict. *Immunit.* — 21. Matris mœstitia est filius stultus. — 22. Matris maledictio eradicat fundamenta. — 23. Subnectuntur *Add. ex aliena manu*, ad n. 31.

(1. Mater prægnans in periculo vitæ, quod nequit aliter evitare, potest sumere medicamenta ordinata directe ad ipsius salutem, quamvis indirecte possint tendere ad fœtus

Digitized by Google

nondum animati interitum. *Communis*, cum S. Antonino III part., tit. 7, cap. 2, § 5; Diana, part. VII, tract. 5, resolut. 34; Bossio, Tract. *de effect. matrim.*, cap. 9, n. 80; Cardin. de Lugo, tom. I, disp. 10, n. 132, et alii passim. Eadem est ratio quoad hoc de expulsione seminis, et fœtus nondum animati; unde sicuti licite sumuntur medicamenta directe ordinata ad sanitatem, quamvis ex iis sequi possit seminis effusio, seu pollutio omnino præter intentionem, et consensum, ita licite possunt sumi medicamenta directe ordinata ad salutem matris prægnantis; quamvis indirecte omnino præter intentionem ex iis sequi possit fœtus nondum animati interitus.

(2. Non potest tamen mater prægnans in tali periculo ob tuendam sanitatem sumere medicamenta ex se, et directe tendentia ad interitum fœtus, quamvis nondum animati. Lugo, tom. I, disp. 10, sect. 5, n. 132; Sporer, tom. III *Theolog. sacramental.*, part. IV, c. 4, sect. 1, n. 704, cum aliis ibi citatis. Basilius Pontius, lib. X, c. 13, n. 2; Bonacina, *De restit.*, disp. 2, q. ultim., punct. 7, n. 3; Vasquez, *Opuscul. de restit.*, c. 2, § 1, dub. 7, n. 29, et cap. 3, § 6, dub. 15; Mazuchellus, *De casibus reserv.*, disp. 2, cap. 2, q. 1, difficul. 3, Navarr., in cap. 25, n. 62; Corduba, in *Summa*, q. 137, dic. 4, et in *Quæstionar.*, lib. I, q. 38, dub. 2; Rosignolus *De effectibus matrimon.*, contract. 15, *De matrimon.* 8, prænotat. 11, n. 3; Covarruv., in Clementin. *Si furiosus*, part. II, n. 1; La Croix, l. III, part. I, n. 286; Lessius, lib. II, cap. 9, dubit. 10, n. 61, et alii passim contra Torreblancam *De magia*, lib. II, c. 34, n. 10, Joan. Angelum Bossium, tract. *De effectib. matrimon.*, cap. 9, n. 85, et alios. Et ratio nostra est, quia sicuti pro tuenda salute propria, quamvis aliud remedium non suppetat, non licet directe procurare seminis emissionem, seu pollutionem, ut tenet communis doctorum, et patet ex dictis verb. LUXURIA, n. 37, ita neque pro tuenda salute matris, quamvis aliud remedium non suppetat, erit licitum procurare directa remedia, seu medicamenta de se primo tendentia ad interitum fœtus, quamvis nondum animati: est enim tam intrinsece mala abortio voluntarie et directe procurata, quam intrinsece mala sit pollutio.

(3. Si medicamentum, seu remedium æque tendat ad sanitatem matris, ac ad interitum fœtus nondum animati, potest mater probabilius illud licite sumere. Sanchez lib. IX *De matrimon.*, disp. 20, n. 18; Trullench., in *Decalogum*, tom. II, lib. IV, c. 1, dub. 4; Diana, part. VII, tract. 4 *De abortu*, resol. 36; Rosignol., *loc. cit.*, n. 4, et alii infra citandi sub. n. 6. Et ratio est quia, quando remedia, seu medicamenta æque tendunt ad sanitatem matris, ac ad interitum fœtus nondum animati, mater illa sumens non dicitur directe procurare ejusdem fœtus interitum, seu abortum, sed solummodo directe procurat suam sanitatem, quam apta sunt de se conferre illa remedia, seu medicamenta, adeoque in tali casu potest licite illa sumere, quamvis ex ipsis æque sequi possit præter suam intentionem abortus fœtus, cum tunc mater utatur jure suo potius sibi in æquali periculo consulendi, quam fœtui.

(4. Quando fœtus est jam animatus, certum est, quod non potest mater, pro salvanda propria vita, licite sumere medicamenta, seu remedia de se directe, et primario tendentia ad interitum ipsius fœtus animati. *Communis, ac certa* cum Sanchez lib. IX, *De matrim.*, disp. 20, n. 7; Bossio, *Tract., de effect. matrimon*, c. 9, n. 127; Sporer, tom. III *Theol. sacram.* part. IV, cap. 4, sect. 1, n. 710. Et ratio est, quia directe, et voluntarie occidere hominem innocentem, ut esset in casu de fœtu animato, est intrinsece malum, quod nullo unquam casu potest esse licitum. 5. (Nec etiam potest mater licite sumere talia remedia in casu, quo dubitet, an de facto sit fœtus animatus, quia cum supra sub. n. 3 fuerit conclusum non posse matrem licite sumere talia medicamenta, ex se, et directe tendentia ad interitum fœtus, quamvis nondum animati, tanto minus poterit illa sumere exstante dubio, an fœtus sit jam animatus? cum sic se insuper voluntarie, et directe exponeret periculo occidendi hominem innocentem, quod est grave peccatum. Communis cum supracitatis.

(6. In casu autem, quo medicamenta, seu remedia adhibenda æque efficaciter tendant ad sanitatem matris, et interitum fœtus animati, alioquin desperati, poterit mater probabilius licite ea sumere: Sanchez lib. IX *De matrimon.*, disp. 28, n. 18; Trullench., in *Decalog.*, lib. V, cap. 1, dub. 4, n. 5; Raymundus, *De ortu infan.*, cap 9, n. 3 et sequent.; Diana, part. VII, tract. 5, resolut. 36; Joan. Angel. Bossius, *Tract. de effect. matrimon.*, c. 9, n. 121; Bonacina, *De restitut.*, disp. 2, q. ultim., sect. 1, punc. 7, n. 3, vers. *Addo tamen;* Villalobos II, part. *Summæ*, tract. 12, difficult. 3, n. 2, in fine; Rosignol. *loc. cit.*, n. 7; Sporer, *loc. cit.*, n. 712, ubi hanc dicit esse veram sententiam; quidquid negent Corduba, Vega, Lugo, Lopez, et alii. (7. Et ratio est, quia sic mater non intendit directe mortem fœtus animati, ut prætendunt adversarii, sed propriam sanitatem, ad quam conservandam, adhibendo talia remedia, utitur jure suo, cum potius jus habeat mater ad conservandam vitam suam, quam habeat fœtus animatus, cum hic a matre dependeat, et non econtra, adeoque, etc.

(8. Dato tamen, quod certo, vel probabili medicorum judicio, mater simul cum fœtu animato ante partum moritura sit, et adhibitis remediis, spes sit, quod saltem mater servari possit, tunc licite potest mater adhibere remedia per se directa, et efficacia ad suam sanitatem, ut est venæ sectio, medicamentum purgativum, et hujusmodi, quamvis inde per accidens contingat fœtum animatum enecari, alias enim periret Mater una cum fœtu, per talia vero remedia forte liberabitur uterque. Sanchez lib. IX *De matrim.* disp. 20, Laymann, lib. III, tract. 3, part. III,

Digitized by Google

cap. 4, n. 4; Diana, part. VII, tract. 5, resolut. 35; Lugo, *loc. c.* disput. 10, sect. 10; sect. 10; Sporer, *loc. c.*, n. 711, et, ipso teste. Communis aliorum.

(9. Exstante vero spe, quod proles possit in lucem viva prodire, et baptizari, tenetur mater abstinere ab hujusmodi remediis, et postponere vitam propriam corporalem saluti æternæ prolis; Joan. Angelus Bossius *Tract. de effect. matrimon.*, cap. 9, n. 130; Lessius lib. II *De justitia et jure*, c. 9, n. 63; Raynaud., *De ortu infant.*, cap. 9, n. 21. Sanchez, lib. IX *De matrimon.*, disp. 20, n. 17; Diana, part. VII, tract. 5, resolut. 37; Lugo, *loc. c.*, disp 10, sect. 5, n. 133; Sporer, *loc. c.*, n. 713; Rosignol., *loc. c.* n. 8; et alii passim. Et ratio est, quia, ut docent communiter doctores, lex, et ordo charitatis exigit, ut aliena vita spiritualis præferatur propriæ vitæ corporali, adeoque mater in tali casu tenetur potius abstinere ab hujusmodi remediis cum suæ vitæ periculo, quam exponere prolem æternæ damnationi quoad pœnam damni.

(10. Fœtus autem existimatur animari in maribus die 30, vel 35, vel 40, vel 45. In feminis vero die 35, vel 40, vel 45, vel 50. Sic juxta veriorem sententiam probat ex Hippocrate Lessius, *l. c.* n. 65, Lugo, *l. c.*, n. 133, et alii. Hinc Innocentius XI die 2 Martii 1679 merito damnavit sequentem propositionem, 35, in ordine : « Videtur probabile omnem fœtum, quamdiu in utero est, carere anima rationali, et tunc primum incipere eamdem habere, cum paritur, ac consequenter dicendum erit in nullo abortu homicidium committi. »

(11. Alia vide verb. ABORTUS, ubi datur etiam sequens propositio, 34 in ordine inter damnatas a d. Innocentio XI, die et anno, quo supra ibi ; « Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur. »

(12. Matrem teneri permittere sectionem sui, et posse ab aliis secari, ut baptizetur puer alias moriturus sine baptismo, docent Joan. Angelus Bossius *De effect. matrimon.*, cap, 9, n. 200, Torres, 2-2, tom. II, disp. 26, dub. 2, n. 27; Raynaudus *De ortu infant.*, cap. 5 et 6, n. 8; Corduba l. I, q. 26, in secundo puncto ; Ludovicus Lopez, prima part. *Instruct.*, cap. 67; Toletus, *in Summa*, lib. IV, cap. 10, n. 2; Azorius, tom. II, lib. III, cap. 4, § *Tertio loco;* Rosignol., *De effectib. matrimon.*, contract. 15, prænot. 15, n. 8; La Croix, lib VI, p. 1, n. 293, cum aliis ibi citatis; Gobat, tom. I, tract. 2, cap. 8, n. 259, appendic. 1, ubi retractans quæ prius scripserat de vetita hujusmodi sectione; et judicio ac testimonio plurium recentiorum medicorum, certissimisque exemplis una cum Raynaudo, *l. c.*, probat talem sectionem uteri matris sine periculo ejus vitæ fieri posse, adeoque ad eam teneri; quod, his stantibus, utique tenendum esse et nos censemus. Secus vero si ob id occidenda esset mater, ut docent S. Thomas III part. *Summæ*, q. 68, art, 11, ad 3, ubi expresse dicit : « Non sunt facienda mala ut veniant bona, ut dicitur *ad Roman.* III, et ideo non debet homo occidere matrem ut baptizet puerum. Si tamen mater mortua fuerit vivente prole in utero, debet aperiri, ut puer baptizetur. » S. Antonius III part. *Summæ* tit. 14, cap. 13, § 1; Natalis Alexander tom. I *Theolog. dogmatic. et moral.*, lib. II, *De baptismo*, cap. 7, regul. 2; Pontas, verb. *Baptismus*, casu 39; Bonac., *De baptismo*, disp. 2, q. 2, punct. 6, n. 9, cum pluribus aliis ibi allegatis. Boyvin tom. III *De sacramentis*, disp. 2, q. 6, conclus. 3, in fine; Coninch, in III part., q. 66, art 7, n. 75; Comitolus in *Respon.*, lib. I, q. 14, testans de communi, et dicens, neque id licere, etiamsi mater ad sui occisionem consentiat, quia corporis sui nemo dominus est l. *Liber homo*, 13, ff. *Ad legem Aquiliam*, sed Deus solus est directus, et absolutus Dominus humanæ vitæ, *Sapient.* cap. XVI, v. 13, ibi : *Tu es, Domine, qui vitæ et mortis habes potestatem*, cum similibus, in *Additionibus* ad *Theologiam moralem* P. Cuniliati, tract. 8 *De quinto Decalogi præcepto*, cap. 1, § 3, ad n. 7, pag. mihi 327, et seq., hæc leguntur : « Joannes Verardus Zeviani Opusculum edidit impressum Veronæ 1756, in quo *De embryulcia*, sive fœtus vivi extractione per uncos disserit : ostenditque, extractionem hoc modo peractam non esse illicitam. Hisce verbis casum ipse proponit : « Difficillimus omnium, ait, a recentissimis, iisque peritissimis artis obstetriciæ professoribus, tristissimus, atque implicatissimus casus, qui, cum pariendi tempus accesserit, mulieribus accidere potest, illejure censetur, cum fœtus ob caput valde magnum, vel ob vias nimis angustas in ore uteri, vel vagina immotus hæret. Hinc chirurgo ad extrema sæpe, et majora artis præsidia veniendum est. Ibi enim impactus et quasi incuneatus fœtus manet, et fere intra triduum moritur, matrem ipsam in gravi vitæ periculo constituit, nisi protinus educatur. Educi autem facile, ut alias fieri solet, per manus chirurgi non potest, quia manus demitti nequit, neque lubricum caput apprehendi, aut sine mortifera cerebri compressione retrudi potest, ut pedibus apprehensis extrahatur fœtus. Cum talis casus incidit, chirurgus uncum undique levem, breviorisque acuminis, non festinanter nimis capiti fœtus infigit, deinde attrahit, non omni omnino vi cogendo, sed ita ut ex facili integer fœtus subsequatur. Sic fit, ut mater servetur ut plurimum, fœtus vero aliquando. » Porro fœtus vivos sic peruncos extrahere, non esse interfectionis genus asserit ipse; et ad evincendum plura affert, præsertim, inquit, quod occisio, quin desperatam vitam, ut in casu nostro accidit, in ambiguam redigat, eam omnino exstinguit; additque, non esse ita lethiferam hanc curandi rationem, ut vulgo creditur, quod experientia optima rerum magistra comprobat, ac tandem recte concludi posse existimat, istam curandi rationem, qua vivi fœtus uncis extrahuntur, tanquam illicitam non esse rejiciendam, imo et probandam, cum morbi ratio non solum matri, sed fœtui quo-

Digitized by Google

que eam faciat commodam, et necessariam. » Legatur *loc. cit.* *

(13. Mater prægnans crebras et numerosas choreas ducens cum agitatione, ob periculum, in quod injicit se ipsam, et fœtum, regulariter non eximitur a peccato gravi. S. Antoninus II part., tit. 17, c. 8, § 1, Navarrus in *Manual.*, c. 15, n. 14. Silvester, verb. *Homicidium*, 2, n. 11; Facundez in *Decalog.* lib. VI, n. 33; Raynaud. *De ortu infant.*, cap. 11, n. 9; Joannes Angelus Bossius, *Tract. de effect. matrim.*, cap. 9, n. 240, et alii passim. Ex hujusmodi enim choreis exemplo compertum est, pluries abortum provenisse, ut exempla referunt Reynaudus, et Bossius, *loc. cit.*

(14. Mater tenetur alere filios primo triennio, et post triennium tenetur pater usque ad emancipationem, ut docent communiter doctores per textum in l. *Nec filium*, c. *De patria, potest;* et c. *Ex litteris*, De convers. infid. Hinc communiter traduntur hi vulgati versiculi :

Mater alit puerum trimum, trimoque minorem,
Majorem vero pascere patris erit.

* Hinc an mater teneatur lactare proprium filium sub gravi culpa, theologi quidam affirmarunt, cum onus istud impositum ipsis a natura animadvertant, nec ulla sint bruta, quæ natis suis id non præstent. Alii tamen melius culpam ea in re levem agnoscunt. Occurrere tamen plures legitimas causas eximendi ab hoc onere matres ultro fatendum. Bened. XIV, *De synod. diœces.*, lib. VII, cap. 58, § 11.

(15. Alia quoad hæc *vide* verb. Filius Filii, an. 126, usque in finem, et verb. Parentes, n. 19.

(16. Mater et nutrix, quæ sine debita cautela infantem tenellum retinent noctu in lecto, in quo ipsæ cubant, sive sequatur suffocatio, sive non, ordinarie peccant graviter. Exponunt enim infantem periculo suffocationis, ut non semel accidit, et contrafaciunt legibus episcopalibus, quæ fere ubique prohibent talem retentionem sub gravi pœna reservationis, et multis in locis sub pœna excommunicationis. Sic tenent Navarr. *in Manual.*, c. 15, n. 14; Rosign., *l. c.*, contract. 15, *De matrim.*, 19, prænot. 3, n. 1, quibus videtur consentire Bonac. tom. II *De legibus in genere, et in particular.*, disp. 1, q. 1, punct. 7, § 4, n. 19; Vallensis lib. V, *Decretal.*, *tit.* 10, n. 2, et alii arg. c. *Consuluisti* 20, caus. q. 5, ibi : « Monendi sunt namque, atque protestandi parentes, ne tam tenellos secum in illo tecto collocent, ne negligentia qualibet proveniente suffocentur, aut opprimantur. Unde ipsi homicidii rei inveniantur... Hi autem, qui probantur, vel confitentur talis reatus se noxios, tua eos castiget moderatio; quia si ille qui conceptum in utero per abortum deleverit, homicida est, quanto magis, qui unius saltem diei puerulum peremerit, homicidam se esse excusare nequibit? » et concordat c. *De infantibus* 2, De his qui filios occiderunt.

(17. Notanter autem dicitur peccare graviter *ordinarie*, quia possunt dari casus, in quibus mater, et nutrix excusentur a culpa gravi, et etiam aliquando a veniali, ut si id facerent ratione impotentiæ, si alium locum non habeant, ubi puerum reponant, dummodo adhibeant cautelas, quas possunt adhibere, tunc enim necessitas, quæ fundatur in illa impotentia, præponderat juri positivo prohibenti talem detentionem, argum. cap. *Sicut* 11, dis. *De consecrat.*, ibi : « Necessitas non habet legem, » et c. *Consilium* 2, De observant jejunior., ibi : « Cum non subjaceat legi necessitas. » Item ut juxta Barbosam in cit. cap. *De infantibus*, n. 2, contingere potest, si lectum sit amplum, et puer implacabilis, qui aliter a frigore defendi non possit, et mater, seu nutrix in somno suum retinere soleat situm, et locum, vel hujusmodi, dummodo semper adhibeant illas cautelas, quas possunt adhibere.

(18. Mater suffocans, seu occidens filium, de rigore, privilegio immunitatis gaudere debet. Sacr. congr. Immunit. *in Pisauren.*, 12 Novemb. 1647, lib. IV, *Decr.* Paul., pag. 33, *in Maceraten.* 28 Sept. 1694, lib. I, *Dec.* Valleman, pag. 148.

(19. Mater prætensa rea infanticidii, extracta ab hospitali ad formam bullæ, gaudet immunitate, adeoque est restituenda dicto loco immuni. S. cong. Immun. *in una civitatis Castelli* 7 Sept. 1683, lib. III *Decr.* Allovit., pag. 228.

(20. Matricida extractus ab Ecclesia gaudere debet immunitate Ecclesiastica. Sac. congr. Immun. *in Arianen.* 15 Novembr. 1661, lib. *Decr.* Rocci, pag. 367. Cavendum tamen est ne in his tribus ultimis casibus interveniat casus præmeditatus, ob quem rei homicidii privantur immunitate, ex novissima constitutione Benedicti XIII, sub. verb. Immunitas, art. 2, n. 90, vel alias ex casibus exceptis a Benedicto XIV in sua novissima constitutione incipien. *Officii nostri*, allata tom. IV, verb. Immunitas, ubi multa ad rem merito scienda.

(21. Matris mœstitia est filius stultus, patris autem lætitia est filius sapiens. *Proverb.*, cap. X, n. 1, ibi : *Filius sapiens lætificat patrem; filius vero stultus mœstitia est matris suæ*, id est filius sapiens lætificat patrem, quia sua sapientia, prudentia, ac dexteritate juvabit eum in regimine domus, in expediendis negotiis, aliisque rebus gerendis. Tum quia filius sapiens ad conspiciores evehitur honores, sublimiores cathedras, ac insigniora officia, quæ spectans pater, ac reflectens, quod post suam mortem, talis filius honorificentissime suam repræsentabit personam, magno gaudio, et lætitia afficitur; filius vero stultus, quia ineptus est ad res gerendas, ac munia exercenda, et ad officia honorifica obeunda, remanet in domo privatim cum matre, quæ videns et cognoscens ejus stultitiam, et hæc dedecora filii, continuam habet materiam tristitiæ, sicque assidue luget et mœret. Ita Liranus, Cornel. a Lapide, et alii in dicta cap. 10, n. 1, *Prov.* Mystice autem filius sapiens est quilibet justus, et pœni-

Digitized by Google

tens de peccatis, pse enim est lætitia patris sui, id est Christi, qui de pœnitentia ejus gaudet cum tota curia cœlesti; juxta illud *Lucæ* cap. XV, v. 7 et 10, ibi: *Ita gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente.... Ita dico vobis gaudium erit coram angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente.* Filius vero stultus, id est omnis, qui transgreditur mandata Dei, et de peccatis non dolet, mœstitia est matris, id est Ecclesiæ, juxta illud *Baruch* cap. IV, v. 8, ibi: *Obliti estis Deum, qui nutrivit vos, et contristastis nutricem vestram.* Sic cum aliis Lugo card. in cit. c. 1, n. 1, *Proverb.*

(22. Matris maledictio eradicat fundamenta, et benedictio patris firmat domos filiorum. *Eccles.*, c. III, v. 11, ibi: *Benedictio patris firmat domos filiorum, maledictio autem matris eradicat fundamenta;* id est benedictio patris firmat domos filiorum in multiplicatione filiorum, eos magis ac magis in dies divitiis, honoribus, gloria, splendoribus, et omnibus bonis spiritualibus, ac temporalibus augendo, et replendo, ut patet de Sem et Japhet benedictis a patre Noe. *Genes.*, cap IX, v. 26 et 27; de Isaac, qui a patre Abraham, et Jacob qui a patre Isaac fuit sic benedictus: *Genesi* cap. 27, v. 28 et 29. Maledictio autem matris eradicat domos filiorum usque ad fundamenta, eorum sobolem, ac familiam, ac opes, et honores, omniaque eorum bona spiritualia, ac temporalia penitus exstinguendo, ut patet horrendo exemplo adducto a S. Augustino lib. 22 *De civit. Dei* cap. 8, et prolixius serm. 94, *inter novos*, de matre, quæ filiis sibi inobedientibus, ac rebellibus maledicens, omnes illos continue tremulos, ac vagos sine domibus, opibus, et honoribus miseros undequaque effecit. *Est enim maledictus a Deo, qui exasperat matrem: Eccli*, cap. 3, v. 16. Sic Cornel. a Lapide in cit. cap. III, v. 11 *Eccli.* Vel ut cum aliis notat *ibid.* Ugo cardinalis, benedictio patris, id est qua pater benedicitur a Domino, firmat domos, ac familias filiorum; quia cum Deus benedixit patribus antiquis, in eis benedixit filiis filiorum, *Genes.* c. XXII, v. 18, ibi: *Benedicentur in semine tuo omnes gentes;* et iterum *Genes.* cap. XXVI, v. 4: *Benedicentur in semine tuo omnes gentes*, cum similibus. Seu sic benedictio patris, quia pater benedicitur a filiis, firmat domos, quia merito benedictionis hujuscemodi, confirmantur et stabiliuntur filii in bonis temporalibus et spiritualibus; maledictio autem matris, qua scilicet mater maledicitur a filiis, eradicat usque ad fundamenta domos filiorum, non solum in temporalibus, sed etiam in spiritualibus, quia cum mater teneriori amore, quam pater, diligat filios, ac majori cura, sollicitudine et labore ultra dolores partus, eos nutriat, foveat, ac educet, si sibi ingratos agnoscat, eis maledicendo, ex quo amor læsus vertatur in furorem, eradicat usque ad fundamenta domos ipsorum, eos denudando omnibus bonis, ac replendo omnibus malis, juxta illud *Proverb.* c. XVII, v. 13: *Qui reddit mala pro bonis, non recedet malum de domo ejus.* Et universim statutum est quod *Qui maledixerit patri suo, vel matri morte moriatur. Exod.*, cap. XXI, v. 17. *Qui maledixerit patri suo, aut matri, morte moriatur: patri, matrique maledixit sanguis ejus sit super eum, Levit.*, cap. XX, v. 9. *Qui affligit patrem, et fugat matrem, ignominiosus est, et infelix. Proverb.*, cap. XIX, v. 26, *Qui maledicit patri suo, et matri, exstinguetur lucerna ejus in mediis tenebris. Prov.*, c. XXIX, v. 20, cum similibus.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(23, An potestas in filios de jure naturæ competat soli patri, exclusa matre, non convenit. Mihi ea semper arrisit opinio, ut hæc potestas utrique parenti, jure naturæ attento, competat, idque quia onus educandi filios utrumque parentem tenet, educatio autem dari nequit sine potestate. (24. Vide Lockium, *De regimine civili*, cap. 5, qui una tradit quousque se extendat, tum quandiu duret hæc potestas parentum in filios secundum jus naturæ.

Jure vero civili Romanorum uni Patri potestas in filios competit, § 1 *Institut. de adopt.*, § 3, pariter *Instit. de hæred. qualit. et differ.* Atque hinc factum, ut nequeat mater ad exemplum patris filiis pupillariter substituere: princip. *Instit. de pupillar. substit.*, l. 2, princip., ff. eod., nec etiam perinde ac patri usufructus in bonis liberorum competat, Brunemann., l. VI cod. *De bon. quæ liber;* Carpzov., lib. VI, tit. 7, Respons. 70, nec a rationum redditione, nec ab inventarii confectione immunis sit mater tutrix pupillorum, eaque neglecta, ad juratam specificationem teneatur. Stryk., *juridict. dissert.*, vol. II, disput. 4, c. 3, § 2; Carpzov., *Jurisprud. forens.*, p. 2., constit. 11, defin. 5 et 6, quæ omnia aliter se habent in Patre, d. L. 6, c. *De bon. quæ liber.*

Sed licet jure civili Romanorum patri tantummodo potestas in filios competat, sunt tamen officia, quæ filii non patri solum, sed et matri præstare tenentur. Inter hæc principem locum tenet alendi debitum, quod sicuti parentibus respectu liberorum, ita quoque liberis incumbit, si forte contingat parentes inopia laborare, sibique ob senilem ætatem, vel adversam valetudinem prospicere haud posse de vitæ necessariis, l. ultim., § *Ipsum autem*, cod. *De bon. quæ liber.* leg. 8., Cod. *De patr. potest.*, leg. 1 et 3, c. *Decalend liber.*

(27. Persona unius, itemque alterius parentis semper sancta et honesta filiis esse debet, l. 9, ff. *De obsequ. parent., et patron. præstand.* Quo fit, ut filii non solum ab omni injuria, vel reali, vel verbali parentibus inferenda abstinere sedulo debeant, nisi gravissimas animadversiones velint incurrere, l. 3, cod. *De patr. potest.*, sed et nullam actionem, vel exceptionem famosam parentibus dedecori futuram valeant adversus ipsos proponere; quin, si casus ita ferat, suppressa doli mali, fraudisque mentione, in factum verbis uti debeant, l. 11, ff. *De dol. mal.*, l.

Digitized by Google

20, § ult, ff *De injur.*, l. II, § 1, ff. *De obseq. parent. vel patron. præstand.*

(28. Quod dictum est de actione *famosa*, id ipsum in accusatione quoque locum sibi vindicat, leg. 8, ff. *De accusat.* si excipias tamen crimen læsæ majestatis, l. penult. cod. *Qui accusari non poss.* tum et maxime crimen apostasiæ, hæresis, etc., cap. 10 *De hæret.* Admisso vero a parentibus crimine, quod notatur legibus publicorum judiciorum de facto eorum civiliter quærere possunt, Brunemann. in leg. 11, n. 4, cod. *Qui accusari non poss.*

(29. Huc etiam spectat, quod filii absque venia parentes in jus vocare nequeant, leg. 4, ff. *De in jus vocand.* Non male vero Anton. Faber in *Cod.*, lib. II. tit. 2, defin. 13, monet, hodie opus amplius haud esse hac venia, propterea quod judex eo ipso quod ad instantiam alicujus citat, hæc venia impetrata censetur. *Vide* et alia officia liberorum erga utrumque parentem apud Striyk *Jurid. dissert.*, vol. II, disp. 4, cap. 3, § 13 et sequent.

(30. Reliquum est, ut de eo verba faciamus, an matri asserenti filium aliquem ex adulterio natum esse credendum sit? Negatur communiter ex leg. 39, § 1 *De probat.* Idque procedit etiamsi mater de adulterio sit convicta, nam potest esse mater adultera, filius vero legitimus, Brunemann. in d. leg. 29; Stryk., in *Not. ad Lauterbach.* tit. *De hist. qui sui, vel alieni juris sunt*, quinimo etiamsi mater in articulo mortis constituta hanc emiserit confessionem, argum. leg. *Si quis in gravi* 3, ff. *De senatuconsult. Syllanian.* Quid si filius præterea patri sit dissimilis, referatque ipsum adulterum? Nec matri creditur, quum ista similitudo per accidens ex imaginatione mulieris tempore conceptionis contingere potuerit. Gail., 2, observ. 97, n. 7., qui et alias ampliationes affert.

(31. Hinc quemdam regem stultitiæ arguere solent doctores, qui ad confessionem matris, quod scilicet ex adulterio natus erat, regno se abdicavit.

Responsio auctoris.

Quæ addita sunt hic circa fin. jam fuerant a me tradita sub verb. Filius a n. 113, ad 119; præsertim, quod filius non teneatur credere matri asserenti ipsum natum esse ex adulterio; et quod derisus fuerit, et adhuc in dies derideatur rex, qui ad confessionem matris, quod natus erat ex adulterio, regno se abdicavit. Vide ibi multa ad rem.

MATRIMONIUM.

ARTICULUS I.

Matrimonium quoad ea quæ concernunt ejus naturam, materiam, formam, et ministrum.

SUMMARIUM.

1. Matrimonium unde dictum? — 2. Quare dicatur potius matrimonium, quam patrimonium? — 3. Matrimonium aliquando vocatur conjugium, et quare? — 4. Quandoque dicitur connubium, et quandoque nuptiæ: et quare? — 5. Matrimonium quid sit? — 6. Matrimonium dividitur in legitimum, ratum, et consummatum. — 7. Matrimonium legitimum quale sit? — 8. Matrimonium ratum quid sit? — 9 Matrimonium consummatum quale sit? — 10. Dicta tria matrimonia differunt firmitate, seu stabilitate. — 11. Matrimonium ratum, et consummatum differunt inter se etiam in ratione significationis. — 12. Matrimonium in lege veteri, sicut et matrimonium nunc conctractum inter infideles, quamvis fuerit et sit legitimum atque validum in ratione contractus, non fuit tamen, nec est sacramen. — 13. Solum matrimonium contractum inter fideles baptizatos est sacramentum, estque unum ex septem novæ Legis sacramentis a Christo Domino institutum. — 14. Matrimonium in ratione sacramenti probabilius fuit institutum, quando Christus dixit: *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* — 15. Adducitur, et solvitur instantia. — 16. Probabilius est inter fideles, sive baptizatos nullo modo, ne quidem per intentionem contrahentium, posse valide separari rationem sacramenti a contractu matrimonii. — 17. Adducitur, et solvitur instantia. — 18. Est tamen probabilis etiam contraria opinio. — 19. Matrimonium legitime contractum ex dispensatione Pontificia inter fidelem, et infidelem, est sacramentum ex parte fidelis. — 20. Matrimonium duorum conjugum infidelium, si ambo convertantur, et baptizantur, an fiat sacramentum? ad n. 21. — 22. Bona principalia matrimonii sunt tria; scilicet fides, proles, et sacramentum. — 23. Præter dicta tria principalia bona, seu tres primarios fines, aut effectus, habet matrimonium alios effectus, seu fines minus principales, qui assignantur. — 24. Materia remota sacramenti matrimonii sunt ipsa corpora habilia contrahentium, et materia proxima est ipsamet traditio mutua corporum in ordine ad generationem. — 25. Forma sacramenti sunt ipsorum contrahentium verba, seu signa verbis æquivalentia mutuum consensum internum sufficienter exprimentia. — 26. Etiam mutus, et surdus potest contrahere matrimonium? — 27. Illi, qui tenent ministrum matrimonii esse parochum, seu sacerdotem delegatum, tenent etiam, quod legitimus contractus civilis sit materia hujus sacramenti, et forma sint illa, vel similia verba a parocho, seu sacerdote delegato prolata; *Ego vos in matrimonium conjungo; In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* — 28. Ministri tamen sacramenti proprie sunt ipsimet contrahentes, quilibet partialis, uterque totalis. — 29. Adducitur fundamentalis probatio, ad n. 30. — 31. Adducitur, et solvitur instantia. — 32. Assignantur doctores tenentes contrariam sententiam. — 33. Matrimonium inter absentes celebratum, sive fiat per procuratores, sive per litteras, sive per nuntios, validum est in ratione contractus, si certæ serventur conditiones. — 34. Et etiam validum est in ratione sacramenti. — 35. Afferuntur conditiones requisitæ in matrimonio celebrato inter absentes, et satisfit rationibus adversariorum. — 36. Procurator potest esse diversi sexus ab illo, nomine cujus contrahit. — 37. Nec requiritur, quod sit certæ ætatis. — 38. Quando matrimonium contrahitur per nuntios, debent isti utriusque mittentis traditionem, et acceptationem significare coram parocho, et testibus. — 39. Et si contrahatur per litteras, debent etiam istæ legi coram parocho, et testibus. — 40. Contrahentes per procuratores, vel nuntios, seu litteras, optime faciunt, si deinde per se ipsos privatim inter se repetant mutuum consensum. — 41. Principales contrahentes debent esse in statu gratiæ pro eo tempore, quo probabiliter credunt posse procuratores eorum nomine contrahere, vel nuntios suam voluntatem significare, seu litteras suas legi posse

Digitized by Google

coram parocho, et testibus : procuratores autem, et nuntii non peccant, si eo tempore sint in peccato mortali. — 42. Matrimonium contractum a procuratore post revocationem Procuræ etiam ignoratam, est nullum. — 43. Circa parochum ministrum matrimonii, ad n. 60. — 61. Subnectuntur additiones ex aliena manu ad n. 75. — 76. Novissimum additamentum de matrimonio per procuratorem, ad n. 85.

(1. Matrimonium secundum nominis Etymologiam derivatur a ly *mater*, et *munium*, seu *munus*, quasi sit *matris munium* seu *matris munus;* unde S. Augustinus l. XIX, *contra Faustum* sic habet: « Matrimonium ex hoc appellatum est, quod non ob aliud debeat femina nubere, quam ut mater fiat » : et concordat S. Thomas in *Supplem.*, qu. 44, art. 2, ubi dicit quod dicitur matrimonium, quia est præcipue *matrum onus.*

(2. Hinc dicitur *matrimonium* a matre potius, quam patrimonium a patre, quia ad prolem, cujus generandæ et educandæ causa institutum est matrimonium, magis concurrit mater ipsam in utero caute gestando, sollicite nutriendo, difficulter pariendo, et accurate educando.

(3. Matrimonium variis aliis nominibus appellatur; aliquando enim vocatur *conjugium* a conjungendo sub uno mutuo jugo, quia virum ac mulierem sub uno, eodemque quasi mutuo jugo ad servandam fidem, et onera matrimonii sustinenda constituit; Catechism. Rom. *De matrim.*, c. 1. (4. Quandoque dicitur *connubium*, et quandoque *nuptiæ* ab obnubendo, eo quod antiquius pudoris gratia se puellæ obnuberent seu caput, et faciem velarent, dum viris dabantur, exemplo Rebeccæ, de qua idipsum legitur *Genes.* XXIV n 65, ibi: *At illa tollens cito pallium operuit se;* et habetur expresse in c. *Nec illud* 8, caus. 30, q. 5, ibi : « Nec illud otiosum, quod cum veniret Rebecca, vidit Isaac deambulantem, et cum interrogasset, quis esset, cognito quod ipse esset, cui duceretur uxor, descendit, et caput obnubere suum cœpit, docens verecundiam in nuptiis præire debere; inde enim et nuptiæ dictæ, quia pudoris gratia se puellæ obnuberent. »

(5. Matrimonium in jure, tum canonico, tum civili præcise definitur, quod « sit maris et feminæ conjunctio individuam vitæ consuetudinem retinens, » sic expresse in c. *Illud* 2, De præsumptionibus, et caus. 17. qu. 2, § 2 et § 1, *Instit. de patria potestate;* quia vero ibi matrimonium potissimum definitur, et explicatur quoad vinculum; datur hic alia definitio adæquate ipsum complectens, et explicans, et ut contractum, et ut sacramentum, et ut vinculum: « matrimonium est individua conjunctio maris et feminæ legitimo contractu firmata ad generandam, prolem, a Deo auctore naturæ instituta, et sacramento novæ legis signo, et bono a Christo Salvatore elevata ad Christiane generandam prolem. » sic expresse Marchantius t. III *Tribun. seu speculi* part. III, q. 1; Sporer, tom. III *Theol. sacramental.*, part. IV, c. 1, n. 1. Estque in re communis.

(6. Matrimonium dividitur in legitimum, ratum, et consummatum. *Communis.* Matrimonium *legitimum* est illud, quod legitimo consensu inter personas habiles, seu jure non impeditas contrahitur; et dicitur *legitimum*, quia contrahitur juxta leges, et tale matrimonium datur etiam inter Infideles non baptizatos, cum ut sic abstrahatur a ratione sacramenti. (8. Matrimonium *ratum* est illud quod non solum legitimo modo contrahitur, sed insuper accedit ei ratio sacramenti, vi cujus dicitur *ratum*, quia magis indissolubile; cum tamen contractum ab infidelibus sit dissolubile per conversionem alterius ad fidem, et ideo eorum matrimonium, quamvis legitimum, non est ratum, cap. *Quanto* 7, De divortiis, ibi : « Nam etsi matrimonium verum inter fideles existat, non tamen est ratum (quia scilicet potest dissolvi, ut expresse dicit *Glossa* ibidem *verbum ratum*). Inter fideles autem verum et ratum existit; quia sacramentum fidei, quod semel est admissum, nunquam amittitur, sed ratum efficit conjugii sacramentum, ut ipsum in conjugibus illo durante perduret. » Matrimonium *consummatum* est illud quod, accedente mutua actuali traditione corporis, et copulatione carnis, completur, et consummatur, et id non solum in ratione contractus legitimi, sed etiam in ratione sacramenti, ut idcirco majorem, et quasi ultimam ex divina institutione stabilitatem acquirat.

(10. Dicta tria matrimonia, ut vides, differunt firmitate, seu stabilitate, matrimonium enim *legitimum* solvi potest favore fidei, cum alter conjux ad fidem convertitur altero nolente converti. *Ep. I ad Corinth.*, c. VII: *Quod si infidelis discedit, discedat; non enim servituti (nempe ligamini conjugali) subjectus est frater, aut soror in hujusmodi.* Item c. *Si infidelis* 2, caus. 38, q. 2, et cit. c. *Quanto* 7, *De divort.* Matrimonium *ratum* solvitur favore religionis per solemnem professionem. c. *Verum* 2, et c. *Ex parte* 14, De convers. conjug., et est expresse definitum a concil. Trid., sess. XXIV *De matrim.*, canon 6. ibi : « Si quis dixerit, matrimonium ratum non consummatum, per solemnem religionis profesionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit. » Matrimonium *consummatum* quoad vinculum nunquam solvi potest, ut habetur expresse ex verbis Christi *Matth.* XIX, ibi: *Quod Deus conjunxit, homo non separet*, et ex Apost. *ad Rom.*, VII, ibi: *Mulier, vivente viro, alligata est legi*, et *I ad Corinth.*, VII, ibi : *His qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed dominus, uxorem a viro non discedere, quod si discesserit, manere inuptam, aut viro suo reconciliari.* Et est expresse definitum a conc. Trid., sess. XXIV, canon 5, ibi : « Si quis dixerit propter hæresim, aut molestam cohabitionem, aut affectatam absentiam a conjuge, dissolvi posse matrimonii vinculum, anathema sit. » Et *ibid.*, canon. 7, ibi : « Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum docuit, et docet, juxta evangelicam, et apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius con-

Digitized by Google

jugum matrimonii vinculum non posse dissolvi, etc., anathema sit. »

(11. Matrimonium *ratum*, et *consummatum* differunt inter se, etiam in ratione significationis; nam *ratum* significat conjunctionem Christi cum anima justi per gratiam, quæ conjunctio solubilis est per peccatum mortale, *consummatum* autem significat conjunctionem Christi cum Ecclesia per carnem assumptam, seu unionem hypostaticam, quæ conjunctio est omnino insolubilis; nam verbum quod semel assumpsit, nunquam dimisit, cap. *Debitum* 5. De bigamis. Unde, ut recte infert Pignat, tom. I, consul. 148, n. 4. Dominus *Matth.* XIX, non dixit: *Quod Deus conjunxit, homo non separet*, nisi post illa verba: *Et erunt duo in carne una*; et Apostolus *ad Ephes.*, V, non dixit: *Hoc sacramentum magnum in Christo, et Ecclesia*, nisi post illa verba: *Et erunt duo in carne una*: et ideo Leo Pontifex relatus in cap. *Cum societas* 17, caus. 27, q. 2, sic expresse habet: « Cum societas nuptiarum ita a principio sit instituta, ut præter commistionem sexuum non habeant in se nuptiæ conjunctionis Christi, et ecclesiæ sacramentum, etc. »

(12. Matrimonium in lege veteri, sicuti et matrimonium nunc contractum inter infideles quamvis fuerit, et sit legitimum, atque validum in ratione conctractus, non fuit tamen, nec est sacramentum. *Communis.* Qui enim nondum receperunt sacramentum baptismi, non sunt capaces aliorum sacramentorum, cum baptismus sit janua omnium sacramentorum. (13. Unde solum matrimonium contractum, inter fideles baptizatos est sacramentum, estque unum ex septem novæ legis sacramentis a Christo Domino institutum, ut definivit concilium Florentinum, *in decreto Unionis*, et Tridentinum sess. VII, canon. 1, ibi: « Si quis dixerit, sacramenta novæ legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta, aut esse plura, vel pauciora, quam septem, videlicet baptismum, confirmationem, eucharistiam, pœnitentiam, extremam unctionem, ordinem, et matrimonium, aut etiam aliquod horum septem non esse vere, et proprie sacramentum, anathema sit. » Et idipsum definivit specialiter de matrimonio, sess. XXIV, canon. 1, ibi: « Si quis dixerit, matrimonium non esse vere, et proprie unum ex septem legis evangelicæ sacramentis a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre, anathema sit. »

(14. Matrimonium in ratione sacramenti probabilius fuit institutum, quando Christus *Matth.*, XIX, dixit: *Quod Deus conjunxit, homo non separet*: nullum enim aliud tempus talis institutionis potest congruentius assignari in toto Evangelio. Scotus in 3, dist. 26, § *De primo*, Sanchez, lib. II *De matrimon.*, disp. 4, n. 5; S. Antoninus, III part., tit. 1, cap. 2, ante § 1; Rosignol., *De matrimon.*, 1, contract. 15, prænot. 1, n. 6, cum aliis ibi citatis; Reiffenstuel, *loc. c.*, n. 9. Henno, *loc. c.* disp. 2., quæst. 3., concl. 2, ubi testator de communi; quamvis tamen Viguerius, Ledesma, et alii dicant, fuisse elevatum in sacramentum quando *Joan.* II interfuit Christus nuptiis Canæ Galileæ.

(15. Nec valet dicere, quod matrimonium fuerit a Deo jam absolute, et ab initio mundi institutum et in eo statu Innocentiæ, *Genes.* II adeoque non a Christo, quando dixit: *Quod Deus conjunxit homo non separet.* Non valet, inquam, quia ab initio mundi fuit institutum matrimonium, solum in ratione Contractus indissolubilis, atque in ordine ad officium naturæ, et legitimam propagationem generis humani; in ratione autem sacramenti, hoc est, signi efficacis digne recipientibus conferentis gratiam ex opere operato, fuit solum institutum a Christo, quando dixit prædicta verba: *Quod Deus conjunxit homo non separet.*

(16. Probabilius est, inter fideles, sive baptizatos, nullo modo, ne quidem per intentionem contrahentium posse, valide separari rationem sacramenti a contractu matrimonii; id est probabilius nequit fidelis valide inire matrimonium, solum ut contractum, non vero ut sacramentum. Sic Sanchez lib. II *De matrimon.*, disp., 10, n. 6; Suarez tom. I. *De sacramentis*, qu. 64, art. 10; Petrus de Ledesma, *De matrim.*, q. 42, art. 1, dub. 7, in solut. ad primum. et secundum; Rosignolus, *De matrimon.*, 1, contract. 15. prænotat. 2, n. 2; Esparsa, *De matrimon.*, q. 114, ad 3; Layman., lib. V, tract. 10, part. II, c. 2. n. 2; Lugo, *De pœnit.*, disp. 14, n. 42; Tannerus, tom. IV, disp. 8, q. 4, n. 85, Cardenas in 2. Crisi, dist. 20, n. 77, Haunold., lib. IV, n. 716. Germ., disp. 5, n. 345; Bonesp., *De matr.*, disp. 4, dub. 1; Coninch, disp. 24, n. 22, et mordicus Aversa, qu. 1, sect. 5; La Croix, lib. VI, part. III, n. 1276, cum Hiquæo, Pontio, Brancato, Bellarmin. præposit. et aliis ibi citatis; Pignatell. tom. VII, consul. 22, n. 7, aliique plurimi apud ipsos; Sperell., decis. 9, n. 23, ubi dicit hanc esse veram sententiam, et Romæ approbatam. Et ratio est, quia ex institutione Christi in statu legis Evangelicæ ratio sacramenti est essentialiter inhibita in ratione contractus matrimonialis, et hæc videtur esse etiam germana Scoti opinio, qui in 4, dist. 26, n. 13, sic ait: « Ideo dici potest, quod contractui matrimoniali annexuit Deus sacramentum proprie dictum saltem pro lege evangelica, alioquin non esset sacramentum novæ legis; » unde concilia, et SS. Patres dicunt absolute, quod matrimonia fidelium sunt sacramenta, et favet Innocentius III, in c. 7, De divort., ibi: « Etsi matrimonium verum inter infideles existat, non tamen est ratum; inter fideles autem verum et ratum existit, quia sacramentum fidei, quod semel est admissum, nunquam amittitur, sed ratum efficit conjugii sacramentum: » quibus verbis videtur aperte asserere, quod baptismus, hoc ipso, quod inadmissibiliter sit admissus, faciat, contractum matrimonii baptizatorum esse sacramentum, adeoque dicendum est, non posse fideles, seu baptizatos separare

Digitized by Google

rationem sacramenti a contractu matrimonii; nullum enim est solidum fundamentum dicendi, quod Christus reliquerit privatis fidelibus potestatem separandi unam rationem ab altera, aliter posset prudenter suaderi iis, qui in mortali existerent, nec vellent pœnitere ante matrimonium, ut intenderent solam rationem contractus, et non sacramenti, ne committerent sacrilegium: item posset dari, quod unus conjugum intendens contractum, et sacramentum, susciperet sacramentum, alter autem intendens solum contractum, non susciperet sacramentum, quæ, ut recte notant Aversa, *loc. cit.*, sect. 5, La Croix, *loc. cit.*, n. 276, et alii, plane sunt absurda, et præter mentem Ecclesiæ ac existimationem Fidelium.

Nota Rom. theologi

Aliud est non esse in potestate hominis efficere, ut matrimonium juxta Ecclesiæ leges rite celebratum, non sit sacramentum; et aliud, num homo Christianus matrimonium inire queat, quod sacramentum non sit. Primum verum est, cum in hominis potestate non sit, ut jd, quod Christus Dominus sacramentum esse voluit, sacramentum non sit. At in hominis potestate est id ponere, vel non ponere, quod necessarium esse voluit Christus, ut sacramentum efficeretur; quamobrem, si homo, iis positis, quibus matrimonii contractus constat, omissis vero, quæ addidit Christus huic contractui, ut sacramentum fieret, matrimonium ineat, habebimus utique verum contractum, neutiquam vero sacramentum. Fac ergo Christianum hominem ea adhibere, quæ ad rationem naturalis, et civilis contractus spectant, negligere autem cæremonias Ecclesiæ, et institutionis divinæ ritus, quibus contractus hujusmodi sacramentum fit, jam habes verum contractum. deest vero ex gravi hominis Christiani culpa ratio sacramenti. Quid deinceps si intentionem spectemus? Dum in perverso Christiano volente civilem hujusmodi inire contractum animus sit, non solum non perficiendi, et recipiendi sacramenti, sed irridendi potius, et contemnendi, nunquid sacramentum fiet? At in hoc argumento non sistimus; primum indicasse sufficiat, ut inde constet, probabiliorem non esse auctoris assertionem.

Responsio auctoris.

Plura hic adducit Rom. theologus, ut inde constet, probabiliorem non esse assertionem, quam tradidi *loc. c.* At si attente perpendantur omnia *ibi* n. 16 et 17 producta, et quæ tradit rec. mem. Benedictus XIV, *De synodo diœces.*, lib. VI, cap. 7, n. 3, ad. 5, et lib. VIII, cap. 13, a n. 4 ad. 8, manifeste patebit, probabiliorem revera esse opinionem meam. In dicto enim cap. 13, n. 4, laudatus Pontifex sic expresse asserit. « Verum quanquam hucusque explicata Melchioris Cani sententia tot doctorum suffragiis communita, sit valde probabilis. . . attamen nullus inficiabitur, communiorem esse contrariam aliorum opinionem; qui constanter defendunt, solos contrahentes esse ministros sacramenti matrimonii, quod proinde necessario ab illis confici docent, simul ac validum inter se ineunt conjugii contractum: » quæ est mea probabilior assertio, quamvis etiam contraria opinio sit vere probabilis, ut et ego ipse jam ibi sub n. 18 tradidi. Porro ad suam, simul et meam assertionem ostendendam communiorem, et probabiliorem is Pontifex, ultra solida fundamenta adducta *loc. cit.*, in dicto n. 4, sic prosequitur: « Hanc quippe sententiam propugnarunt fere omnes antiqui theologi, jurisque canonici interpretes, quos citant, et sequuntur, Vasquez, Sanchez, Theoph. Raynaudus, Frassen, cardinal. de Laurea, Clericatus, cardinal. Gottus. Nec verum est, quod nonnulli jactitant, hanc opinionem ultra montes jam esse fere antiquam: ex illis quippe, qui ultra montes non diu antea scripserunt, eamdem tuentur Wan Espen, Simonet, Boucat, auctor Theologiæ Moralis ad usum seminarii Petrocorensis, Merbesius, Pontas, aliique non pauci, quocirca Tournelyus, quanquam Melchiori Cano adhæserit, nihilominus ingenue fassus est *loc. cit.* « Si ex auctoritate et numero scholasticorum pugnandum hic foret, vinceret aut dubio opposita sententia. » Sic laudatus Pontifex ad litteram *loc. c.* merito legendus et sequendus. Et doctissimus Maschat edition. Rom. 1757, celeberrimi Ubald. Giraldi, tom. II, lib. IV, tit. 1, n. 41, expresse tradit: « Denique ministri hujus sacramenti sunt ipsi contrahentes, non vero sacerdos; ita vera sententia, » quam efficaciter probat. Unde hic mirandum quod dictus Ubaldus unus ex revisoribus probaverit censuram propositionis, ut probabilioris a me traditæ, quando ipsemet cum suo Maschat; in sua editione, eam non tantum ut probabiliorem, sed ut absolute veram propugnat, atque expresse concludit: « Ita vera sententia. »

(17. Nec valet dicere, quod ad substantiam, seu validatem sacramenti requiritur intentio ministri volentis illud conficere, adeoque non haberi hic validum sacramentum, cum nedum non habeatur intentio ministri volentis illud conficere, sed et ipsius positiva nolitio, seu exclusiva intentio. Non valet, inquam, quia Christus Dominus ita inseparabiliter connexuit contractui matrimoniali rationem sacramenti, ut quamvis positio contractus pendeat a voluntate fidelium, eo tamen ipso non pendeat a voluntate fidelium ratio sacramenti; sed eo ipso, quod legitime ponatur contractus Matrimonialis, statim, ex Christi institutione, sit annexa ratio sacramenti, taliter quod quicunque fideles volunt vere contrahere matrimonium, volunt etiam virtualiter accipere sacramentum, et e contra, si nollent sacramentum suscipere, consequens esset, ut neque matrimonium contrahere intenderent, sicque contractus irritus esset, quia deficiente intentione quoad sacramentum, deficit etiam essentialiter intentio quoad

Digitized by Google

contractum, cum inter fideles intentio vere contranendi matrimonium indivisibiliter afficiat tam sacramentum, quam contractum, adeoque deficiens quoad unum non trahitur ab altero.

(18. Est tamen probabilis etiam contraria opinio docens, rationem sacramenti posse valide, etsi non licite, separari a ratione contractus, saltem per intentionem conficiendi contractum, et non sacramentum, ut tenent plurimi, et maximi doctores, ut Cajetanus, Durandus, Victoria, Vasquez, Rebellus, aliisque congestis, Perez disp. 19, sect. 10; Hurtad. disp. 3, *De matrim.*, difficul. 10; Discastill., dub. 19, disp. 2; Tamburin., tract. 5, cap. 1, n. 6; Diana, part. III, tract. 4, resolut. 225, et probabiliorem censet Henno, tom. II, *Tract. de matrim.* dis. 2, quæst. 4, concl. 1; Sporer, tom. III *Theolog. sacramental.*, part. IV, cap. 1, sect. 4, n. 316; Herincx, disp. 2, quæst. 2, n. 17; Gobat, t. I, tr. 9, cas. 11, n. 228; Gonet, Platel, Krimer, et alii.

(19. Matrimonium legitime contractum ex dispensatione Pontificia inter fidelem, et infidelem, est sacramentum ex parte fidelis, seu baptizati, quia, ut jam dictum est, fidelis, seu baptizatus, ex divina ordinatione, nequit contrahere, nisi simul efficiat sacramentum, quia ipsemet fidelis, seu baptizati contractus est ipsummet sacramentum; et quamvis Christus non prohibeat fidelem cum infideli nondum baptizato contrahere, non propterea eximit fidelem ab iis, quæ circa fideles ipse ordinavit, quod nempe non possit inire matrimonialem contractum sine sacramento; unde dicendum est quod ex tali contractu respectu baptizati consurgat ratio sacramenti, uti, quantum ex vi contractus resultaret etiam respectu alterius non baptizati, nisi obsisteret incapacitas defectu baptismi; hinc divus Thomas in dist. 39, quæst. unica, art. 2, ad primum, dicit quod quamvis illud matrimonium respectu non baptizati non sit sacramentum actu, sit tamen potentia, quatenus immediate ac fuerit baptizatus, sit actu postea tale, eidemque confert gratiam sacramentalem; sic tenent etiam Scotus in 4, dist. 26, quæst. 2, art. 3, in fine; Echius t. IV, hom. 73, *De sacramentis;* Paludanus in 4, dist. 27, quæst. 4., art 3, n. 25; Argentina in 4., dist. 39, qu. 1, art. 1 ad primum; Vera Crux, II part. *Speculi*, art. 36, conclus. 2, Vega, lib. IV *Summæ*, cas. 113; Aversa, quæst. 1, sect. 6; Rebellus, Catherin., et alii : et ex Scotistis, tale matrimonium esse sacramentum ex parte fidelis, tenent Hiquæus, Pontius, Brancatus, et Frassen *De matrim.*, tract. 3, disp. 2, art. 1, quæst. 2, quæres. 1, et videtur conformior menti Scoti, ut observat ejus fidelis interpres Hiquæus in *Commentario* ad dist. 26, n. 56, et alii contra, Vasquez, Henriquez, Sanchez, Coninch, Becan., Krimer, La Croix, *loc. cit.*, n. 277, et alios.

Nota Romani theologi

Probabilior tamen illorum videtur opinio,

quæ negat omnino matrimonium hujusmodi esse sacramentum. Nam ut matrimonium sit validum in ratione contractus, mutuum exigit utriusque conjugis consensum. Matrimonium enim unum est sacramentum, non duo : neque sacramentum dimidiatum est, sed integrum : ergo quando in uno deficit intentio suscipiendi sacramentum, intentio alterius minime sufficit, sicut enim matrimonium est unicum mutuum vinculum, unus contractus, ita unum et sacramentum.

Responsio auctoris.

Contendit hic Rom. theologus, quod probabilior sit illorum opinio, quæ negat omnino, matrimonium hujusmodi, nempe contractum ex dispensatione Pontificia inter fidelem et infidelem, esse sacramentum ex parte fidelis, seu baptizati. Sed mea opinio defenditur non solum ab auctoribus *ibi* a me allegatis, sed etiam ab Henrico, a S. Ignatio in *Ethica amoris* tom. III, lib. VIII, part. II, cap. 8; a Tournelyo *De matrimonio*, pag. 95, edit. Parisien., 1730; card. de Laurea, disp. 13, *De matrimonio*, art. 10, in quo ulterius n. 163, id probat ex paritate baptismi, qui ministratus ab infideli, animo faciendi, quod faciunt fideles, est verum sacramentum. Tum quia si duo fideles matrimonium contrahant, et unus sit in peccato mortali, et incapax gratiæ sanctificantis a sacramento provenientis, alter qui obicem non habet peccati, recipit gratiam, et effectum sacramenti, quin possit ab obice et indispositione alterius præpediri : ita in nostro casu idem est dicendum, si unus sit fidelis, capax sacramenti ratione baptismi et alter sit infidelis et incapax ob defectum baptismi, et ita in uno sit sacramentum, et non in altero, ea potissimum ratione, ut jam tradidi, quod nemo fidelis ex divina ordinatione potest contrahere matrimonium, nisi simul efficiat sacramentum; cum ipsemet fidelis, seu baptizati contractus sit ipsummet sacramentum; et ideo non contraria, sed mea videtur probabilior opinio.

(20. Matrimonium duorum conjugum infidelium, si ambo convertantur, et baptizentur, an fiat sacramentum? Variant doctores : affirmativam enim sententiam tuentur S. Thomas in 4, dist. 39, qu. 1, art. 1, Capreolus, art. ad 5; Bellarminus, lib. I *De matrim.*, cap. 5; Sanchez, lib. II, disp. 9; Gobat, tom. I, tract. 10, n. 390; Aversa, quæst. 1, sect. 6; Paludanus, Covarruvias, Layman, Valentia, Tannerus, et alii plurimi volentes, quod cum baptizantur, eorum matrimonium transeat in sacramentum, quia tunc incipit significare indissolubilem unionem Christi cum Ecclesia, adeoque habere rationem sacramenti, propter quod est absoluta indissolubilitas; et præsertim evadit eorum matrimonium sacramentum, si, ut dicunt Ledesma, Durandus, Capreolus, Henriquez, Bellarminus, Rebellus, Platellius, et alii, post baptismum coram parocho, et testibus renovent consensum, quia tunc

Digitized by Google

ponitur contractus matrimonialis inter fideles, inter quos talis conctractus est sacramentum. Quam tamen renovationem consensus non esse necessario faciendam coram parocho et testibus tenet cum pluribus Barbosa in *Conc.*, sess. XXIV, cap. 1, n 138, et *De offic. et potest. episc.*, allegat. 32, n. 138, et *De offic. et de pot. paroch.*, n. 85.

(21. Sententiam autem negativam tenent Vasquez disp. 2 *De matrimom.*, cap. 10; Coninck, disp. 22, dub. 2, concl. 3; Henriquez, disp. 2, quæst. 2, n. 10; Pontius, lib. II, cap. 9, n. 3 et 9; Krimer, n. 354; Henno, *loc. cit.*, concl. 2, vers. *Petes;* Mastrius, *Theolog. moral.*, disp. 21, n. 17; Frassen, *loc. cit.*, *Quæres* 2, ubi dicit, quod hæc sit verior et conformior doctrinæ subtilis in 4., dist. 39. Præpositus, Discatill., Castropalao, et alii; et ratio est, quia licet tunc consensum renovent, et sacramentum intendant; non tamen per id fit novus contractus matrimonialis, sed confirmatur jam factus; cum enim corpora fuerint jam antea tradita, nec possint tales conjuges iterum tradere, quod suum non est, ex quo neuter conjugum habeat potestatem sui proprii corporis, ut docet Apostolus *I ad Corinth.*, VII, non ponitur tunc nova materia, vel forma contractus, adeoque etc.

(22. Bona principalia matrimonii sunt tria, scilicet fides, proles et sacramentum. *Communis* cum S. Augustino lib. IX *De Genesi*, cap. 7, ubi sic præcise dicit : « Bonum, quod habent nuptiæ, tripartitum, est, fides, proles, sacramentum; in fide attenditur, ne præter vinculum conjugale cum altera, vel altero concubetur : in prole, ut amanter suscipiatur, benigne nutriatur, religiose educetur; in sacramento, ut conjugium non separetur, ut dimissus, aut dimissa nec causa prolis alteri conjungatur ». Et concordat concilium Florentinum, *in decreto unionis Armenorum*, ubi sic expresse habet : « Assignatur autem triplex bonum matrimonii. Primum est proles suscipienda et educanda, ad cultum Dei. Secundum est fides, quam unus conjugum alteri servare debet. Tertium indivisibilitas matrimonii propter hoc, quod significet indivisibilem conjunctionem Christi, et Ecclesiæ. »

(23. Præter autem dicta tria principalia bona, seu tres primarios fines, ut effectus a Christo in institutione sacramenti matrimonii intenta, seu intentos, habet matrimonium alios etiam effectus, seu fines minus principales, et signanter est remedium vitandæ incontinentiæ juxta illud Apostoli *I ad Corinth.*, VII, n. 2, ibi : *Propter fornicationem autem* (scilicet vitandam) *unusquisque suam uxorem habeat, et unaquæque suum virum habeat;* et v. 9 : *Melius est enim nubere, quam uri.* Item conciliat verum amorem inter conjuges, et parit debitam subordinationem uxoris ad virum juxta præceptum Apostoli *ad Ephesios*, V. Item efficit, ut commune jugum levius feratur et patientius tolerentur a conjugibus ærumnæ illæ carnis descriptæ ab Apostolo *I ad Corinth.*, VII, et hujusmodi.

(24. Materia remota sacramenti matrimonii sunt ipsa corpora habilia contrahentium, et materia proxima est ipsamet legitima traditio mutua corporum in ordine ad generationem prolis. S. Thomas in 4 dist. 42, quæst. 3, art. 2; S. Bonaventura in 4, dist. 26, part. II, quæst. 1; Scotus in 4, dist. 26, circa finem; Mastrius, *Theolog. moral.*, disp. 20, num. 9, et 10, et alii passim. Et ratio est, quia materia remota hujus sacramenti, seu contractus matrimonialis est, sicuti in aliis contractibus, res, de qua contrahitur; res autem, de qua contrahitur in hoc sacramento, seu contractu matrimoniali, sunt corpora habilia contrahentium, adeoque, etc. Et quod legitima traditio mutua ipsorum corporum sit materia proxima hujus sacramenti, patet a simili de aliis sacramentis, in quibus materia proxima est traditio materiæ remotæ. Talis autem traditio censetur fieri non per mutuum manus contactum, cum, etiam illo non interveniente, adhuc subsistat sacramentum, sed per consensum mutuum signis externis expressum sufficienter importantibus traditionem corporum.

(25. Forma sacramenti sunt ipsorum contrahentium verba, seu signa verbis æquivalentia mutuum consensum internum sufficienter exprimentia. S. Thomas in 4., dist. 26, art. 1, ad. 1; Scotus in 4, dist. 26, q. unica, num. 14; S. Bonaventura *loc. cit.*, et alii communiter, tum Thomistæ, tum Scotistæ. Et ratio est, quia generaliter forma contractuum sunt verba, vel alia signa verbis æquivalentia, ac sufficienter exprimentia internum consensum contrahentium : (26. tum quia etiam in aliis omnibus sacramentis forma consistit in verbis. Dicitur autem notanter *seu signa verbis æquivalentia*, ad denotandum, quod etiam mutus, etsi loqui non valeat, et surdus, dummodo sufficienter intelligat, potest contrahere matrimonium, ut expresse habetur in cap. *Cum apud Sedem* 24, De sponsalibus et matrimon., addita ibi ratione : « Cum quod verbis non potest, signis valeat declarare. »

(27. Advertendum autem hic est, quod theologi illi, qui tenent ministrum matrimonii esse parochum, seu sacerdotem delegatum, tenent etiam, quod legitimus contractus civilis sit materia hujus sacramenti, et forma sint illa, vel similia verba a parocho, seu sacerdote prolata : *Ego vos in matrimonium conjungo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.*

(28. Minister tamen sacramenti matrimonii proprie sunt ipsimet contrahentes, quilibet partialis, uterque totalis, S. Thomas in 4, distinct. 26, qu. 2, art. 1, ad 1, ubi ait : « Verba, quibus consensus matrimonialis exprimitur, sunt forma hujus sacramenti, non autem benedictio sacerdotis, quæ est quoddam sacramentale. » Unde, si, ut dicit S. doctor, benedictio sacerdotis non est forma sacramenti, nec ipse ministrat sacramentum, cum non concurrat per aliud : Scotus in 4, dist. 26; quæst. unica, § *De ministro*, ubi dicit : « Ipsimet contra-

Digitized by Google

hentes ministrant sibi ipsis hoc sacramentum, vel mutuo, vel uterque sibi.» S. Thomam et Scotum sequuntur celebriores theologi, non solum utriusque scholæ discipuli, sed etiam Bellarminus lib. I *De matrim.*, c. 9, et duobus seqq., dicens oppositam sententiam esse temerariam, uti ex ipso dicit etiam Fagnanus lib. IV *Decret.* in cap. *Quod nobis* 2, De clandestina desponsatione, n. 52, Suarez, disp. 16, sect. 1, et pluribus congestis, Sanchez, lib. II, disp. 6, n. 2, ubi dicit, quod sententia opposita sit temeraria, uti ex ipso dicit etiam Monacell. part. IV *Formul. legal. pract.*, Supplement. ad II tom., n. 447, et alii passim.

(29. Probatur igitur veritas hujus conclusionis auctoritate concilii Florentini *in decreto unionis*, ubi habet, quod contrahentes conficiunt hoc sacramentum mutuo consensu, ait enim : «Causa efficiens matrimonium regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus.» Sed hoc esset falsum, si ad ipsius sacramenti validitatem necessarius esset alius minister distinctus a contrahentibus, maxime cum ex doctrina ejusdem concilii in eodem decreto unionis, tria duntaxat requirantur ad confessionem sacramenti, adeoque, etc.

(30. Colligitur etiam id ipsum ex concilio Tridentino, sess. XXIV, cap. 1, *De reformatione matrimonii*, ubi dicit, quod «dubitandum non est, clandestina matrimonia (id est sine parocho, vel sacerdote delegato celebrata) libero contrahentium consensu facta, rata et vera esse matrimonia, quandiu Ecclesia ea irrita non fecit; et proinde jure damnandi sunt illi, ut eos sancta synodus anathemate damnat, qui ea vera, ac rata esse negant.» Ex quibus concilii verbis clare patet, quod ante irritationem Tridentini valida erant matrimonia sine parocho, ergo tunc parochus non erat illorum minister. Atqui Tridentinum, irritando similia matrimonia, non instituit novum matrimonii ministrum; ergo sicuti tunc soli contrahentes erant ministri, etiam nunc. Quod autem Tridentinum non instituerit novum sacramenti matrimonii ministrum, patet quia institutio, seu immutatio ministri sacramenti, utpote quid substantiale sacramenti, sicuti et aliorum sacramenti substantialium, non Ecclesiæ, sed soli Christo sacramentorum institutori competit, arg. cap. *Sunt quidam* 6, caus. 25, quæst. 1, S. Thomas, in 4, dit. 3, qu. 1, art. 2, quæst. 2; Sotus in 4, dist. 1, quæst. 1, not. 7; Fagnan., *loc. cit.*, n. 53, et alii passim, et patet ex c. 2, sess. XXI, *circa dispensationem sacramenti Eucharistiæ*, ubi idemmet Tridentinum concilium «declarat hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum sacramentorum veneration, pro rerum, temporum et locorum varietate magis expedire judicaret;» ubi, ut vides, excipit a potestate Ecclesiæ mutationem substantiæ sacramentorum, *salva illorum substantia.*

(31. Nec valet objicere quod Tridentinum in cit. cap. 1, *De reformatione matrimon.*, sess. XXIV, subjungat : «Ad celebrationem matrimonii in facie Ecclesiæ procedatur, ubi parochus viro et muliere interrogatis, et eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat, *Ego vos in matrimonium conjungo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*, vel aliis utatur verbis juxta receptum uniuscujusque provinciæ ritum;» quibus verbis significari videtur, quod parochus, seu sacerdos delegatus vere conjungat conjuges in sacramento matrimonii, adeoque sit ejus minister. Non valet, inquam, quia concilium ibi non dicit verba illa *Ego vos conjungo*, etc., esse absolute a parocho proferenda, imo suadet, ut aliis utatur verbis, si alius fuerit usus ejus provinciæ, adeoque verba illa non requiruntur ad substantiam sacramenti. Tum quia sacra congregatio ejusdem concilii interpres pluries declaravit, ut patet ex decretis citatis sub verb. *Impedimenta matrimonii*, art. 2, a n. 69, sufficere ad validitatem sacramenti matrimonii præsentiam parochi nulla verba dicentis, imo etiam inviti, dissentientis et contradicentis, quod falsum esset, si parochus esset minister, cum ad valorem sacramenti requiratur consensus et intentio ministri; et falsissimum esset, si illa verba *Ego vos in matrimonium conjungo*, etc., essent, ut prætendunt adversarii, forma essentialis hujus sacramenti; eum ergo ab illo tot sapientissimorum patrum senatu, non nisi verissimæ, et undequaque æquissimæ soleant emanare declarationes, dicendum est, falsum esse, quod parochus, seu sacerdos delegatus, sit minister sacramenti matrimonii, et illa verba : *Ego vos in matrimonium conjungo*, etc., sint ejusdem forma : et de facto talia verba non pertinere ad matrimonii essentiam expresse declaravit eadem sac. congregat. concilii, quamvis Juenin dissert. 11. *De matrimonio*, quæst. 3, in responsione ad 5 objectionem, dicat eam esse fictitiam, aut illam posse explicari de matrimonio, prout est contractus naturalis et civilis, non autem prout est sacramentum novæ legis.

(32. Sententiam autem contrariam, docentem scilicet ministrum sacramenti matrimonii esse sacerdotem proferentem illa verba pro forma : *Ego vos in matrimonium conjungo*, etc., tuentur Canus, lib. VIII *De locis theologicis;* Estius, § 10; Sylvius, *in Supplemento*, quæst. 42, art. 1, et late Juenin, *cit.* dissert. 11 *De matrimonio*, quæst. 3, per tot., et alii. *Vide* tamen infra a n. 43, ad fin.

(33. Matrimonium inter absentes celebratum, sive fiat per procuratores, sive per litteras, sive per nuntios, validum est in ratione contractus, si certæ serventur conditiones. *Communis.* Et quod sit validum, si fiat per procuratorem, constat ex cap. *Honorantur* 13, caus. 32, quæst. 2, cap. *Procurator* 9, De procuratoribus, in 6, Et quot sit validum per litteras, habetur l. *Mulierem*, ff. *De ritu nuptiar.* et l. *Sufficit*, ff. *De sponsalibus.* Et quod sit validum per

Digitized by Google

nuntios, constat per ea, quæ dicuntur de procuratoribus et litteris; et ratio universalis est, quia etiam alii contractus possunt ab istis fieri inter absentes, arg. c. *Potest quis* 68, De regul. juris, in 6, ibi : *Potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum*, et cap. *Qui facit* 72, eodem in 6, ibi: « Qui facit per alium, est perinde ac si faciat per se ipsum. »

(34. An autem tale matrimonium inter absentes sic contractum habeat nunc post Tridentinum rationem sacramenti? variant doctores. Negativam sententiam tenent Silvester, Canus, Ledesma, Rebell., Cajetan., Victoria, Estius, et alii, quia dicunt ipsi, cum collatio et receptio sacramenti sit actio personalis, non potest matrimonium, ut sacramentum, confici vel recipi, nisi minister et subjectum sint præsentes; tum quia Tridentinum vult virum et mulierem interrogari de mutuo consensu, adeoque vult esse præsentes. Affirmativam autem sententiam merito tenendam ab omnibus docent Innocent., Covarruv., Paludanus, Sotus, Valentia, Navarrus, Barbosa, Sporer, Pontius, Mendo, Aversa, Mastrius, Reiffenstuel, Henno, La Croix, et pluribus congestis, Sanchez, lib. II, *De matrim.*, disput. 11; Frasen, *De matr.*, tract. 3, disput. 2, part. I, quæst. 3, *Petes primo, respondeo secundo*, ubi testatur de communi. Quam sententiam Castropal. disput. 2, part. IX, vocat verissimam, Tannerus et Gobat, tract. 10, n. 278, dicunt temeritatis esse damnandum, qui hoc tempore id negaret; accedit enim praxis ac sensus Ecclesiæ, quæ de facto permittit publice sic celebrari matrimonia, præsertim inter magnates, quod non permitteret, si matrimonium inter absentes celebratum non esset sacramentum, cum ipsa velit semper suscipi sacramentum, quando initur matrimonium; tum quia ex dictis supra n. 16, ratio sacramenti inter fideles est essentialiter imbibita in ratione contractus, nec una potest separari ab alia, cum ipsemet contractus matrimonii sit ipsummet sacramentum. Unde, si ex communi doctorum, matrimonium celebratum inter absentes est validum in ratione contractus, debet esse legitimum et validum etiam in ratione sacramenti, sicut dictum fuit sub n. 33 (24), certæ serventur conditiones.

Notæ Romani theologi.

Non videtur temeritatis damnari posse, qui negant sacramentum esse contractum per procuratores matrimonium; imo P. Danieli Concinæ probabilior visa est contraria sententia, quam tot gravissimi viri tuentur. En argumenta, quibus vir doctus utitur. Nullum sacramentum inter absentes celebratur. Nec minus præsentes contrahentes requirunt hæc verba, *Ego vos conjungo*, quam præsentem pœnitentem postulent hæc alia, *Ego te absolvo*. Atqui opinio quæ olim defendebat hæc ultima verba proferri posse in pœnitentem absentem, damnata a Clemente VIII est. Respondet Tournely, non esse contra naturam sacramenti pœnitentiæ, ut inter absentem ministrum et pœnitentem perficiatur; adeoque valeret absolutio absenti data, nisi obstaret Ecclesiæ prohibitio, quæ potest inhabiles declarare, et sacerdotes ad absolvendum, et pœnitentes ad recipiendam absolutionem, nisi sint præsentes. Hactenus Tournely *De matr.*, q. 1, artic. 2, pag. 43. Hæc responsio nimis est arbitraria. Hoc quippe pacto ratiocinabantur plures theologi ante Clementem VIII, qui illorum proscripsit opinionem. Cur damnavit Ecclesia usum absolutionis datæ absenti? Quia voluit declarare inhabiles pœnitentes absentes ad absolutionem. Sed cur ita voluit? An ex arbitrio Ecclesia suas definitiones pronuntiat? Proscripsit talem opinionem, quia judicavit hæc verba, *Ego te absolvo*, postulare pœnitentem præsentem : quemadmodum illorum reipsa obvius et naturalis sensus hanc præsentiam supponit. Validum itaque est in ratione contractus naturalis et civilis matrimonium initum inter absentes per procuratorem, ut omnes fatentur. At verum sacramentum non esse, mihi est probabilius. Hinc est quod principales contrahentes consensum per procuratores datum renovant coram parocho, qui super eos profert hæc verba : *Ego conjungo vos in matrimonium.* Hæc notanda duxi, ut inde lectores agnoscant, non adeo facile spernendam esse opinionem theologorum, qui distinguentes in matrimonio contractum a sacramento, constitutum a Christo sacramenti matrimonii ministrum sacerdotem esse tuentur. Theologi enim, quia ita sentiunt, viri sunt longe vulgaribus peritiores in ecclesiastica historia, et in iis monumentis, e quibus divina nobis illa traditio patet, per quam scire unice possumus, matrimonium ad sacramenti dignitatem fuisse elevatum; sunt enim theologi, qui ita opinantur, Guillelmus Parisiensis, quem, teste Pallavicino, lib. XXIII, cap. 9, n. 15, secutus est in concilio Tridentino Simon Vigor, unus ex primariis Sorbonæ doctoribus, Melchior Canus lib. VIII, *De locis theologicis*, c. 5; Tolet., lib. VII *Instruc. sacerdot.*, c. 6; Petrus Ledesma, *De matr.*, q. 42, art. 1; Petrus de Marca, *Tract. de matr.*, Maldonatus, q. 1, pag. 441; Estius, in 4, dist. 26, § 10; Sylvius, *Supplem.*, q. 12, art. 1; Tutelensis episcopus, t. III, c. 4; Juveninus, q. 3; Tournelyus, *De matrim.*, p. 60; Petrus Collet, in *Tractatu de matrimonio*, c. 4, art. 2; auctor, *De re sacramentaria*, pag. 580, Herminier, Duhamel, Serry, Piett, Vanroi, Gibert, Daniel Concina, Florentius de Cocq, Natalis Alexander, ac plures alii viri doctissimi; qui tantæ mihi sunt auctoritatis, ut vel unus ex istis sufficere videatur ad revocandam in dubium assertam a vulgo theologo-

(24) Longam Romani theologi ad hunc n. adnotationem, auctoris responsionem, ac nostras animadversiones ad artic., calcem lectorum commodo rejiciendas duximus

Digitized by Google

rum opinionem. Sed videamus argumenta, quæ movent tum supra laudatos auctores, tum etiam plures alios nunc in Urbe degentes viros doctissimos, etiam eminentissima dignitate decoratos, ad existimandum probabilius esse sacerdotem sacramenti matrimonii ministrum.

Primum itaque explorata apud omnes res est, ante sæculum undecimum, nec theologum, nec ecclesiasticum scriptorem occurrere ullum, qui affirmaverit sacramenti matrimonii ministrum esse contrahentes. Id vero satis superque est, ut de veritate contrariæ opinionis vehementer suspicemur: cum enim de re agamus, quæ ex divina institutione pendet, ubi clara Scripturæ auctoritas, vel antiquorum assertio et Ecclesiæ traditio deest, nullum, aut imbecille admodum argumentum erit, quo alia via ostendatur, quinam fuerit a Deo designatus sacramenti minister. Hic ergo cum traditio desit, quæ contrahentes sacramenti matrimonii ministros adstruat, et cum Scriptura saltem generatim hos a sacramentorum ministerio excludat, perspicuum est, vulgarem theologorum opinionem destitutam illo præsidio esse, ex quo assertiones theologicæ certudinem suam habent. Porro Scripturam generatim excludere laicos homines ab ordinario sacramentorum ministerio, facile patet. Nam ministri sacramentorum sunt Christi ministri et dispensatores mysteriorum Dei, ut loquitur Apostolus Paulus; et ut etiam ex eo liquet, quia Christi nomine sacramenta administrant, et quia Dei mysteria, quæ in Ecclesia dispensantur, proprie loquendo sunt sacramenta. Christi autem ministri et dispensatores mysteriorum Dei sunt sacerdotes, ut ex unanimi Patrum et interpretum sententia constat. Itaque sacerdotes tantum in Scriptura generatim dicuntur sacramentorum ministri; quod etiam ex eo comprobatur, quia ii tantum ministri religionis habentur. Nisi ergo clare aliunde constet, Deum ministerium sacramenti matrimonii contrahentibus tribuisse, qua ratione excludere sacerdotes possumus ab ordinario hujus sacramenti ministerio; ecquisnam est Scripturæ textus, quænam antiquorum Patrum sententia est, quæ non sacros religionis ministros, sive sacerdotes; sed contrahentes, hoc est marem et feminam, ministros asserat sacramenti matrimonii? Nil sane hujusmodi occurrit. Imo antiqua traditio nunquam matrimonium rem sacram, aut sacramentum vocavit, *nisi simul meminerit sacerdotalis in illo intervenientis ministerii*, ut optime observavit Benedictus XIV in egregio suo opere *De Synodo diœcesana*, lib. VII, cap. 28. Ex hoc autem constat, in Ecclesia Christi semper matrimonium ut rem sacram, et qua sacramentum est, opus habuisse sacerdotalis ministerii. Ecclesiæ ergo traditio indicat constitutum a Deo fuisse hujus sacramenti ministrum sacerdotem.

Deinde in quolibet sacramento, quod actione contineatur, cujusmodi sunt, una Eucharistia excepta, sacramenta reliqua, suscipiens a ministro distinguitur, ut discurrenti per singula liquet. At si vera contraria opinio feret, sponsi suscipientes sacramentum matrimonii, sibi ministri essent, ac sibi sacramentum conferrent. Undenam constat nubentibus conficiendi et sibi conferendi sacramentum collatam a Deo fuisse potestatem? Id enim ex Scriptura, ex Patribus, ex conciliis, atque ex aliis fontibus eruendum esset, ex quibus divinam sacramentorum institutionem novimus: imo perspicuæ ac clarissimæ hac in re desiderarentur auctoritates; quia stabilienda foret diversa administrandi et conficiendi sacramenti ratio. Scriptura vero, Patres, concilia, etc., nihil de hoc habent.

Denique forma sacramenti, utpote a Christo instituta, est essentialiter opus religionis, per quod gratiam et salutem a Deo consequi speramus; et cum sacramentum sit supernaturale, et efficax gratiæ signum, forma ejus spiritualem sacramenti effectum, ut operari, sic et significare debet. Atqui neutrum in contraria opinione verum est. Nam, ea posita, forma hujus sacramenti non est essentialiter opus religionis: non solum enim verba, sed facta, et nutus sunt forma; hinc ante concilium Tridentinum et nunc etiam, ubi concilium Tridentinum promulgatum non est, sponsalia per copulam carnalem animo maritali facta transibant in matrimonium, et copula hæc erat matrimonii forma. At, inquit doctissimus Sylvius, nullam habet speciem veri, Christum pro sacramenti forma statuisse, quod non potest absque gravi peccato fieri, qualis erat hujusmodi copula, quæ et a sola libidine erat, et grave peccatum, utpote pertinens ad clandestinum matrimonium, ab Ecclesia semper improbatum; et præsertim, si pro signo consensus non aliud sit, quam ipsa corporum commixtio. Præterea nec forma, in sententia illa, spiritualem sacramenti effectum significat; hæc enim in iis sita est verbis: *Accipio te in meam; accipio te in meum.* Hæc porro verba nullum spiritualem gratiæ effectum significant; nec certe magis significant, quam materia ipsa, cum tamen expressior esse debeat formæ significatio, quam materiæ.

Hactenus argumenta theologica innuimus: superest auctoritas conciliorum et Patrum. Ex concilio Tridentino sess. XXIV, cap. 1, *De reformatione*, hæc habemus: « Ad celebrationem matrimonii in facie Ecclesiæ procedatur, ubi parochus, viro et muliere interrogatis, et eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat: *Ego vos in matrimonium conjungo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti;* vel aliis utatur verbis, juxta receptum uniuscujusque provinciæ ritum. » Satis perspicue colligi hinc videtur, sacerdotem esse hujus sacramenti ministrum, et verba, quæ profert, esse formam. Concilium enim certa verba usurpanda præscribit, vel alia, juxta cujusque Ecclesiæ ritum. Ibidem subdit, hanc benedictionem a proprio paro-

Digitized by Google

cho faciendam esse : « Item si quis parochus, vel alius sacerdos alterius parochiæ sponsos sine illorum parochi licentia matrimonio conjungere, aut benedicere ausus fuerit, ipso jure suspensus maneat. » Plura alia concilia provincialia, ut Coloniense, Cameracense, Remense, Turonense, quæ refert Sylvius, prætereo.

His accedunt Ritualia plurima. Rituale Romanum vetus, an. 1494 a P. Alberto Castellano O. P. collectum, hæc habet : « Contrahentibus respondentibus, se nec affines, nec consanguineos, etc., sacerdos pronuntiet verba, quæ sunt forma hujus sacramenti. » Alterum Romanum, Pauli V jussu editum, hæc verba : *Ego vos conjungo*, etc., proferenda a parocho istius sacramenti ministro præscribit. P. Martene, *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, tom. II, pag. 11, lib. I, c. 9, plura alia Ritualia in hanc rem affert. Unum laudare sufficiat, nempe Mediolanense, in quo S. Carolus Borromæus, *Act.* part. IV, hæc inseri curavit, nempe « quinque duntaxat esse sacramenta, quæ parochus ex officio administrare potest, baptismum, eucharistiam, pœnitentiam, matrimonium, et extremam unctionem. »

Hæc pauca indicavimus, ut lectoribus pateat, injuria a Vasquesio opinionem hanc temeritatis accusari, ac gravissima esse momenta, quibus eruditi viri supra a nobis laudati moventur ad affirmandum opinionem hanc longe probabiliorem esse. Videantur auctores illi et præsertim continuator Tournely, tom. VIII, cap. 4, art, 2, ubi alia quoque argumenta in hujus opinionis comprobationem affert, et adversariorum objecta docte et erudite solvit et explicat.

Unum vero adhuc addendum est, nempe sententiam hanc tutiorem esse. Nemo enim in controversiam vocat, inquit P. Concina, matrimonium, benedictione sacerdotali accedente, esse sacramentum. Contra, hac benedictione sublata, gravissimi theologi aperte inficiantur, matrimonium tale esse sacramentum. Hæc autem theologorum opinio probabilis est. An negabunt adversarii hanc opinionem esse probabilem, quam tot doctissimi theologi propugnant? Si quisquam minus peritus hoc auderet, illi oppono auctoritatem sapientissimi pontificis Benedicti XIV, qui lib. VIII *De synod.*, cap. 28, n. 3, hæc scribit : « Verum quamquam hucusque explicata Melchioris Cani sententia, tot doctorum suffragiis communita, sit valde probabilis, ac cuique liberum absque erroris nota eam amplecti, » etc. Non probabilis modo, verum etiam valde probabilis est sententia nostra, teste pontifice Maximo. Est etiam tutior in comparatione oppositæ. Illa enim tutior sententia est, de qua theologorum nemo unus ambigit. Porro omnes ad unum fatentur, conjugium ecclesiastico ritu benedictum a sacerdote esse verum sacramentum. Ergo tutior illa, hæc minus tuta. Atqui ex decreto Innocentii XI, ex duabus opinionibus, quæ in utramque partem a theologis disputantur, tutiorem amplecti debemus, quando de sacramentis agitur. Ergo amplectenda nostra, rejicienda altera est.

Circa materiam et formam secundum hanc opinionem, placuit recensere sententiam continuatoris Tournely, quæ plausibilior visa est. Materia hujus sacramenti sunt actus contrahentium; forma vero sunt verba, quibus sacerdos contractum hunc nomine Ecclesiæ ratihabendo, eidem benedicit. Prima pars ostenditur, tum quod cæteræ opiniones nil habent solidi, nil, quod ambignum non sit; tum quia sacramenti materia in eo bene reponitur, quod cum de se indifferens sit ad esse duntaxat civile, vel ad esse sacramentale, ad istud per formam determinatur, atque contrahentium actus, qui de se indifferentes sunt ad permanendum in ratione contractus civilis, per formam seu per verba sacerdotis determinantur ad acquirendum esse sacramentale; tum demum quia, ut loquitur Estius in 4, dist. 26, § 12. « Sicut in sacramento pœnitentiæ materia, vel quasi materia sunt actus pœnitentis, qui velut informantur per absolutionem sacerdotis, ita recte dicitur, actus contrahentium, quibus mutuo sibi dant fidem matrimonialem, esse hujus sacramenti materiam, vel quasi materiam, quæ deinde informantur ad gratiæ consecutionem per ea verba sacerdotis, in quibus consistit forma sacramenti. Sicut enim Deus actus pœnitentis erexit in sacramentum novæ legis, addita absolutione sacerdotis ut forma, ita valde convenienter dicitur, quod actus contrahentium erexit in sacramentum novæ legis, addita benedictione sacerdotis ut forma. » Favet huic doctrinæ S. Thomas, in part., quæst. 84, art. 1, ad 1, ubi : « In illis sacramentis, inquit, quæ habent effectum correspondentem humanis actibus, ipsi actus humani sunt loco materiæ, ut accidit in pœnitentia, et matrimonio. »

Ostenditur altera pars : 1° Quia in eo reponenda est matrimonii, ut sacramenti, forma, quod antiquitas tota ut potissimam ejus partem commendavit; cui traditio gratiam in christiano matrimonio collatam tribuit constanter; quod formam sacramenti hujus esse asseruerunt quædam concilia, nulla autem negarunt. Atqui benedictionem sacerdotalem ut potissimam christiani matrimonii partem tota commendavit antiquitas, etc. 2° Quia in materia sacramentali ea dubio procul amplectenda est opinio, quæ tutior est, nisi contraria non aliquo tantum gradu, sed magno et intenso sit probabilior. Atqui opinio, quæ sacerdotis verba ut essentialem formam requirit, indubie tutior est, cum nulli sacramentum exponat periculo. Aliunde contraria opinatio non est longe multo probabilior, imo nec æque probabilis, ut ex dictis videre est.

Atque hinc eam existimarem in praxi sequendam : 1° quoad heterodoxos, ad ecclesiam reduces, ut statuit Sanchesius; 2° quoad infideles ad Ecclesiam conversos; 3° quoad eos etiam, qui in locis, ubi non viget Tridentinum, sine opera sacerdotali contraxissent. Licet enim, quod jam adverti-

Digitized by Google

mus, negent viri graves matrimonium, quod semel valuit in ratione contractus civilis, ad sacramenti gradum assurgere unquam posse; non est adeo certum, ut peccet, qui contra senserit et egerit. Hæc tamen, ut nostra omnia, Sedis Apostolicæ et episcoporum, quin et doctorum censuræ subjecta sint.

Responsio auctoris.

Notat hic *Rom. Theologus*, quod non videtur temeritatis damnari posse, qui negat sacramentum esse initum per procuratores matrimonium. Imo videtur velle probabiliorem esse contrariam sententiam, pronuntiatque ipsam tutiorem. Ast, ultra ibi allegatos auctores, et a me adducta pro mea sententia, id tenent etiam plurimi alii et signanter card. Gotti *De sacram. matrimonii*, quæst. 2, dub. 1, § 3, per tot., ubi etiam solvit objecta; Pontas, verb. *Matrim.*, casu 19; Antoine, *Tract. de matrim.*, quæst. 7; Maschat, editionis Rom. doctiss. Ubald., Giraldi, 1757., l. IV, tom. I, n. 45, expresse dicens : « Fideles etiam post Tridentinum contrahere possunt per procuratorem matrimonium in ratione sacramenti; » quod efficaciter probat et solvit objectiones, uti faciunt Pontas, Antoine, et peren. mem. Benedictus XIV *De synodo diœcesana*, lib. XIII, cap. 23, num. 9, ubi plura tradit ad rem merito videnda et observanda. Unde contraria opinio non est probabilior, sed illa mea, dummodo attendantur et serventur omnia a me ipso tradita cit. num. 34, ad 40 inclusive. Unde hic recurrit nova admiratio, novusque stupor, quo dictus Ubaldus, ut Revisor, probaverit sententiam theologi Romani ut probabiliorem, atque tutiorem contra meum assertum, cum ipsemet cum suo Maschat *loc. cit.* in sua noviss. edit. Romana, juxta meam assertionem et contra conclusionem theologi, sic expresse supra concludat : « Fideles etiam post Trident. contrahere possunt per procuratorem matrimonium, in ratione sacramenti. »

(35. Conditiones igitur necessario servandæ in matrimonio contracto inter absentes per procuratorem, sunt sequentes. Prima est, quod procurator habeat a suo principali mandatum speciale ad contrahendum matrimonium; cap. *Procurator* 9, De procuratoribus, in 6, ibi : « Procurator, non aliter censetur idoneus ad matrimonium contrahendum, quam si ad hoc mandatum habuerit speciale. » Secunda, quod procurator mandatum illud exsequatur per se, et non per substitutum, nisi specialis ad substituendum alium fuerit ei concessa facultas a suo principali; cit. cap. *Procurator*, ibi : « Et quamvis is, qui constituitur ad negotia procurator, alium dare possit, in hoc tamen casu (propter magnum, quod ex facto tam arduo posset periculum imminere) non poterit deputare alium, nisi hoc eidem specialiter sit commissum. » Tertia, quod eo tempore, quo procurator contrahit, ejus potestas non sit revocata a suo principali, ne quidem tacite, seu interne, alias nullum erit matrimonium, licet procurator ipse, aut ea, cum qua contraxerit, talem revocationem penitus ignorarent, quia quacunque revocatione cessat consensus, et sine consensu nullum est matrimonium cit. cap. *Procurator*, ibi : « Sane si procurator, antequam contraxerit, a Domino fuerit revocatus, contractum postmodum matrimonium ab eodem (licet tam ipse, quam ea, cum qua contraxit, revocationem hujusmodi penitus ignorarent) nullius momenti existit, cum illius consensus defuerit, sine quo firmitatem habere nequivit. » Quarta, quod determinetur specifice in mandato et commissione, cum qua persona sit contrahendum, quia non sufficit clausula contrahendi cum quacunque, l. *Generali* 34, *De ritu nuptiarum* : Quinta, quod procurator, seu mandatarius non excedat substantialiter suum mandatum, seu limites mandantis, l. *Diligenter*, ff. *Mandati*. Sexta, quod post publicationem concilii Tridentini procuratores personarum principalium contractum ineant coram parocho et duobus testibus, ut colligitur ex eodem concilio Tridentino sess. XXIV, c. 1 *De reformat. matrimonii*, ubi ad ejus validitatem requirit præsentiam parochi et saltem duorum testium Unde ex istis patet responsio ad rationes adversariorum sub n. 34 adductas. Nam in ipsis procuratoribus interrogantur et respondent principales, quod etiam faciunt per nuntios et litteras, adeoque non requiritur personalis præsentia, cum id specialiter conveniat sacramento matrimonii, quod sequitur rationem contractus, qui potest æque bene celebrari inter absentes. * Porro quamvis matrimonia per procuratorem contracta valeant, ut communis est theologorum, etiam post Tridentinum scribentium sententia, tamen cautius est, ut quæ sic conciliata sunt, iterum præsentibus conjugibus coram parocho renoventur; quæ tamen dicta sunt ad cautelam, non autem ad necessitatem. Benedict. XIV, *De synod. diœces.*, lib. XIII, c. 23, § 9, nov. edit.

(36. Procurator potest esse diversi sexus ab illo, nomine cujus contrahit; unde potest femina contrahere pro viro, et vir pro femina; agit enim non suo, sed alterius nomine. Frassen, *loc. cit.*, vers. *Observandum autem est;* Aversa, quæst. 3, sect. 5; La Croix, lib. VI, part. III, n. 263, et alii passim.

(37. Nec requiritur, quod procurator sit certæ ætatis, sufficit enim, quod sit in ætate sufficiente ad manifestandum sui principalis consensum, quamvis necdum esset pubes. Sanchez, lib. III, disp. 41, n. 8; Krimer, n. 2185, et doctores citati et alii.

(38. Quando matrimonium contrahitur per nuntios, debent isti utriusque mittentis traditionem, et acceptationem significare coram parocho et testibus, arg. conc. Trident., *loc. cit.* Et si contrahatur per litteras, littera a sponso scripta sponsæ, quod eam acceptet in uxorem, et se ei tradat in maritum, debet legi coram parocho et testibus, coram quibus debet sponsa vicissim dicere,

Digitized by Google

quod eum acceptet in maritum et se ei tradat in uxorem. (39. Et si uterque per litteras agat, debet uterque alterius litteras legere coram parocho et testibus arg. eod. conc. Trid. *loc. cit.*, Castropal. disput., 2, part. IX, La Croix, lib. VI, part. III, num. 264, et alii passim.

(40. Recte autem monent Sanchez, dis. 120, num. 31; Aversa, quæst. 3, sect. 5. Sporer, *loc. cit.*, num. 325; La Croix, *loc. cit.* num. 268, et alii, contrahentes per procuratores, seu nuntios, vel litteras, optime facturos, si deinde per se ipsos privatim inter se repetant mutuum consensum, ut certius sit sacramentum, si forte illegitimum quid intervenerit.

(41. Principales contrahentes, cum sint ipsi, qui ministrant et recipiunt sacramentum, debent esse in statu gratiæ, non quidem necessario eo tempore, quo procuratores constituunt, seu nuntios, vel litteras mittunt, sed eo, quo probabiliter credunt, posse procuratores eorum nomine contrahere, vel nuntios suam voluntatem significare, seu litteras suas legi posse coram parocho et testibus; procuratores autem, seu nuntii non peccant, si eo tempore sint in peccato mortali, quia nec recipiunt in se sacramentum, nec nomine suo ministrant. *Communis.*

(42. Matrimonium contractum a procuratore post revocationem mandati procuræ, quamvis fuerit ignorata talis revocatio, est nullum et invalidum; textu expresso in cap. *Procurator* 9, De procuratoribus, in 6, et sacr. congregat. Concil. *in Eugubina* 5 Julii 1727, apud *Thesaurum resolutionum sacr. cong. Concil.*, tom IV, quæ resolutiones prostant Romæ apud Barbiellini *ad Minervam.*

* Circa parochum ministrum matrimonii juvat hic adnotare sequentia.

(43. Benedictus XIV abstinendum censet ab ea quæstione inter theologos agitata, num parochus sit hujus sacramenti minister, seu potius ipsi contrahentes simul materia, forma, et ministri hujus sacramenti habeantur. Utriusque sententiæ fundamenta late expendit in tract. *De syn. diœces.*, lib. VII, cap. 28. Quanquam non obscure inclinare visus est in sententiam, quæ contractus, et sacramenti totum quidquid est contrahentibus vindicat. Merito tamen reprehendendi sunt illi, qui a contracturis matrimonium non exigunt scientiam doctrinæ christianæ, saltem eorum, quæ ad salutem necessaria sunt. Mandavit enim Clemens XI, et ipse etiam Benedictus XIV, constitut. 42, tom. I, incip. *Etsi minime*, ut parochus ab inituris matrimonium exquirat interrogando quæ ad salutem necessaria sunt; et si deprehenderit ignorasse, matrimonio jungendi non sunt; monet insuper cum Giribaldo, illos, qui præcipua fidei mysteria sciunt, ea vero, quæ sunt de necessitate præcepti, rudi solummodo modo tenent, illos quidem posse aliquandiu retineri a matrimonio celebrando, atque interim parochus illos diligenter doceat, et si deprehenderit rudiores esse ingenio et exilis memoriæ, ut doctiores effici non valeant, teneatur tandem conjungere. *Ibid.*, cap. 29.

(44. « Matrimonium coram parocho, vel alio sacerdote de ipsius parochi, seu ordinarii licentia et duobus, vel tribus testibus » celebrari debet, quæ verba sunt Trident. *De refor. matrimonii*, sess. XXIV, c. 1. Reprehendendam vero censet pontifex episcoporum quorumdam oscitantiam, qui in synodis suis edixerunt celebrandum esse *coram legitimo ministro*, ex quo ansa data est theologis nonnullis opinandi, sententiamque suam ex eorum mente, ut ii quidem arbitrantur, firmandi, parochum esse legitim. sacram. matrimonii ministrum.

(45. Parochus per se assistere matrimonio tenetur, nisi legitima gravissimaque de causa sit impeditus. Bened. XIV., const. 90, tom. I *Bull.*, incip. *Nimiam licentiam. Vide* de hoc, et seqq. num. *Addit. Casin.* sub art. 6; ubi de paroch. agitur.

(46. Si episcopus generatim interdicat parocho, ne matrimoniis adsistat, adhuc tamen matrimonium valere definivit sac. congreg. concilii, et firmat pontifex in Tr. *De syn. diœc.*, lib. VII, c. 68. § 11.

(47. Si vero interdictum istud venerit a pontifice cum decreto irritante, tunc utique non valere conjugium, cum pontifex jure suo possit impedimenta constituere. Nisi tamen adsit huic interdicto decretum irritans, matrimonium valet; cum impedimentum istud impediens, non irritans censendum sit. *Ibid.*, § 3.

(48. Parochus coram quo celebrari potest matrimonium est parochus domicilii, non originis ut ex consensu auctorum et sensu S. congregationis constat. *Instit. Eccles.*, 33, §6. Quare si quis habeat duo domicilia in duplici parœcia, in alterutra matrimonio jungi potest: attamen ad habendum duplex domicilium requiritur, ut in utraque æqualem moraliter habitationem habeat. *Ibid.* Parochus ruralis, quo quis pergit ad rusticandum, non est aptus matrimonio illius, qui ibi moratur causa recreationis et ad rustica na negotia, ita enim perpetuo censuit S. congregatio. *Ibid.* § 7.

(49. Nullum est matrimonium ejus, qui e loco propriæ habitationis, non tamen deserto ibi domicilio, pergit ad alium locum, animo se conjungendi in matrimonium, non adepto novo domicilio, seu quasi domicilio. Ita ex sensu perpetuo S. congregationis. *Ibid.*, § 8.

(50. Vagorum parochus quoad matrimonium, est parochus loci ubi tunc versantur, ut ex sensu plurium theologorum. *Ibid.*, 10.

(51. Diligenter tamen distinguendi sunt vagi a peregrinis. Vagi sunt enim illi, qui relicto proprio domicilio, aliud quæsituri vagantur; peregrini vero, qui, non relicto domicilio, peregrinantur alicubi. *Ibid.* § 10.

(52. Scholares, judices, medici etc. qui alicubi conducti habitant, in loco ejusdem habitationis contrahunt quasi domicilium, si ibi permaneant aliquo idoneo tempore. Ita ex DD. et Decret. S. congregationis. *Ibid.*, § 11.

(53. Quoad matrimonia eorum, qui in

Digitized by Google

carcere adstricti detinentur, si detineantur in carcere ex sententia judicis, sive deputati in perpetuum, sive ad certum tempus, respectu illorum, parochus loci ubi carcer situs est, est parochus matrimonii. Si vero detineantur in carcere donec causa eorum expediatur, tunc parochus eorum est ille, ubi habent domicilium. Ita ex sensu S. congregationis, et DD. *Ibid.*, § 12.

(54. Parochus eorum, qui expositi sunt, et in hospitali aluntur, quoad matrimonium non est capellanus ejusdem hospitalis, sed parochus, ubi situm est hospitale. Sic ex decretis S. congregationis. *Ibid.* § 14.

(55. Educandæ in monasterio degentes habent pro parocho matrimonii illum, in cujus loco est domicilium paternum, maternum, seu fraternum, uti ex multis theologis, *Ibid.* § 16. Si eo careant, est parochus loci, ubi est monasterium. *Vide infra*, art. 2. n. 115 seqq.

(56. Famuli habentes domum et familiam in alia parœcia diversa ab ea, quam habet domus heri, parochum matrimonii habent illum, in quo est domus et familia. Ita ex statutis cleri Romani, *Ibid.*, § 20, disponitur. Si vero domicilium habeant familiæ extra Urbem et in Urbe famulentur, tunc coram parocho urbano contrahunt. *Instit. Eccles.* 88, § 56.

(57. Si episcopus mandet alicui parocho, ut assistat matrimonio, reputans hunc esse verum parochum alterutrius ex contrahentibus et postea reperiatur, vere non esse parochum illorum, adhuc tamen mandatum episcopi valet, ut consensus iste sustineatur, ut semel et iterum decisum a S. congregatione refertur; *Instit. Eccles.*, 88, § 4.

(58. Matrimonium etiam bona fide contractum coram parocho et unico teste, non valet, ut ex responso S. cong. concil. const. *De synod. diœc.*, lib. XII, c. 5, nov. edit. Vicissim valet contractum coram duobus testibus sine parocho in loco, ubi non est nisi hæreticus, vel si est, illum adeundi libera facultas deest. *Ibidem.*

– (59. Parocho præsente, ita tamen, ut neque videat contrahentes, neque auribus verba eorum percipiat, matrimonium est nullum, uti definitum est a S. congregatione concilii post diligens examen in causa Romana die 7 Mart. 1700. At si parochus *affectaverit non intelligere* verba contrahentium, matrimonium valere respondit alio decreto anni 1593 in causa Ulyssiponen. S. congregatio. *De synod. diœc.*, lib. XIII, cap. 23. nov. edit. Tunc vero *non audire affectat* parochus, si invitus adhibetur ad contractus celebrationem, et data opera neque videre vult, neque percipere, cum tamen facile posset, et testes audierunt et viderunt; quæ sane ratio fuit decreti S. congregationis *in Carthagin. matrim.*, anno 1753, lati pro similis matrimonii validitate. *Ibid.*, § 11. Hac de re plura *vide infra* verb. *Matrimonium quoad impedimenta*, art. 2. n. 135 et seqq., et *Addit. Casin.*, ibi.

(60. Parochus, cui interdictum est ab episcopo, ne interveniat matrimonio contrahendo, adhuc tamen non reddit matrimonium invalidum. Ita ex decis. S. cong., *De synod. diœc*, lib. XIII, cap. 23, § 1, nov. edit. Idem dicas, si ordinarius tantum vetet vicario parochi, ne assistat, ille contra mandatum assistat. Item pariter judicandum est, si vel parochus, vel ejus vicarius prohibiti ab episcopo, nolentes et inviti assistere cogantur. *Ibid.*, ex eodem decreto.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(61. De matrimonio quæri solet, an, seposita lege positiva, sit indissolubile. (62. Negat inter alios Lockius *De regimine civili*, c. 6, § 3 et plur. seqq., idque quia ne contractus hic natura sua perpetuitatem requirit, nec eam exposcunt fines ipsius. (63. Tradit tamen, tamdiu saltem debere illud durare, quamdiu proles educata sit. (64. Sed vide acutissimum Pontium *De matrimon.*, lib. I, cap. 13, per tot. tenentem, seposita lege positiva, esse matrimonium indissolubile.

(65. De disciplina Ecclesiæ circa infidelium et hæreticorum conjugia, quum alter eorum ad fidem convertitur, vide, si lubet, mox dictum Pontium, *citato opere*, l. IX, c. 4, per tot., qui rem pro dignitate tractat.

(66. In dubio, favore matrimonii esse judicandum, regula est. (67. At ne *auctoritate regulæ*, ut plerumque usuvenit, in errores incidamus, monendum est, procere regulam hanc in *juris*, non item in *facti* dubio. (68. Si itaque dubitetur, an ipsum matrimonium sit contractum necne, non est judicandum, fuisse matrimonium contractum; Rot., *cor. Tanario*, dec. 220, n. 5.

(69. Consensus ad matrimonium requisitus potest exprimi non solum verbis, sed et quibuscunque signis et nutibus, ut monuit Auctor., n. 25 et sequent., et respondit Rot. *in Majoricen. Matrimonii* 3 Jul. 1749, *cor. R. P. D. Canilliac.* (70. Sed nonnunquam dubitatur, an verba prolata a contrahentibus importent necessarium ad matrimonium consensum. (71. Idemque dubium oriri solet de signis ab ipsis adhibitis. (72. Vide vero, qui de iis ex professo tractat, Pontium *De matrimonio*, lib. II, cap. 7, et plur. sequent., ubique per tot.

(73. In matrimonio coram parocho et testibus contracto, sed invalide ob aliquod impedimentum, an oporteat renovare consensum pariter coram parocho et testibus, quæstionis est. Affirmant post concilium Tridentinum Fagnan., in c. 11, n. 13, *De despons. impub.*; Pont. *De matrim.*, l. V, c. 6, n. 7; Clericat., decis. 17, n. 39, *De sacrament. matrimon.*, aliique. (74. At Schmalzgrueb. *Jur. Eccles. univers.*, l. IV, p. 1, tit. 1. § 2, n. 420, affirmativam hanc opinionem amplectendam esse tenet, si impedimentum, propter quod matrimonium invalide sit contractum, sit notorium, vel in judicio probari queat, non item si ipsum impedimentum occultum sit, nec ullo modo in judicio probari possit, dummodo tamen ambo conjuges sciverint nullitatem matrimonii, et cohabi-

Digitized by Google

taverint diuturno temporis spatio et quidem spontanee.

(75. Non incongrue agi hic posset de sponsalibus et matrimoniis, quæ a filiis familias contrahuntur, parentibus, insciis, vel juste invitis. Sed longum esset et inutile, postquam de iis suam edidit dissertationem doctissimus Muscettola, eamque in Romano editione anni 1766, variis additamentis illustravit eruditissimus, et nunquam sine laudis præfatione nominandus *Mazochius*. Consule igitur ubi res ita postulat, dissertationem hanc dictæ editionis Romanæ anni 1766.

NOVISSIMUM ADDITAMENTUM.

(76. Nec instituti nostri, nec loci hujus est singula, quæ Romanus theologus pro opinione sua in adnotatione paulo ante descripta affert, expendere, aut nostrum de opinione ipsa judicium ferre. Itaque ex illis ea tantum attingemus, de quibus a nobis lectores pro nostro munere necessario monendos esse existimavimus.

(77. Argumentatio, qua Daniel Concina utitur, ut evincat matrimonium per procuratorem inter absentes rite contractum, non esse sacramentum, infirmo plane fundamento nititur. Quis enim ex adversæ opinionis defensoribus dederit, nullum inter absentes sacramentum celebrari, ac verba hæc : *Ego vos conjungo in matrimonium* sacramenti matrimonii formam esse, quemadmodum sacramenti pœnitentiæ forma sunt illa : *Ego te absolvo*. Nec ullius ponderis est ductum a renovatione consensus ejusmodi conjugum coram parocho verba ista proferente, argumentum. Etenim Benedictus XIV, *De synodo diœcesana* lib. XIII, cap. 23, n. 9, testatur. « Theologos quidem prudenter consulere, ut, qui matrimonio per procuratorem conjuncti sunt, vel iterum ipsimet coram parocho et testibus matrimonio jungantur, vel saltem, quod ipsis absentibus actum est, præsentes ipsi coram Ecclesia ratum habere declarent ; sicuti videre est apud Salmaticentes, in *Cursu morali*, tract. 9, *De matrimonio* cap. 3, dub. 4, n. 84. At hoc minime necessarium reputari, sed majoris duntaxat cautelæ gratia faciendum suaderi, sicuti post Sotum, Sanchez, Guttierez, Rebellum, Bonacinam, aliosque, fatetur Rosignolus, *De matrimonio*, part. I, tom. VI, contract. 15, disquisit. 1, § 21, n. 3. »

(78. Fatemur theologos et ingenii acumine et Ecclesiasticæ historiæ ac monumentorum, *e quibus divina nobis traditio patet*, peritia illustres, in matrimonio contractum a sacramento distinguere, et constitutum a Christo sacramenti matrimonii ministrum sacerdotem esse tueri. Verum hos præstantiores esse et in divinæ traditionis investigatione accuratiores SS. Thoma Aquinate et Bonaventura, cæterisque theologicarum scholarum principibus, qui in opposita sententia versantur, fateri non possumus ; et quamquam illos magni faciamus, tamen *tantæ* nobis *non sunt auctoritatis, ut vel unus* ex ipsis *sufficere videatur ad revocandam in dubium allatam a vulgo theologorum opinionem*, præsertim cum minori, quam par est, diligentia, genuinum sensum testimoniorum, quæ proferunt, exploraverint.

(79. Primum theologicum argumentum, quo Romanus theologus asserit, moveri plures ad existimandum, probabilius esse sacerdotem sacramenti matrimonii ministrum, petitur a novitate opinionis illorum, qui sacramenti ejusdem ministros esse contrahentes affirmant. Etenim *explorata* inquit, « apud omnes res est, ante sæculum undecimum, nec theologum, nec ecclesiasticum scriptorum occurrere ullum, qui affirmaverit sacramenti matrimonii ministrum esse contrahentes. » Hoc autem argumentum, ut alia omittam, quæ ad ipsum infirmandum afferri possent, qui tuentur sacramenti matrimonii ministros esse contrahentes, in adversarios retorquebunt. Quærent enim ab illis, ut theologos, vel ecclesiasticos scriptores proferant, qui ante Guillelmum Arvernum episcopum Parisiensem in matrimonio fidelium rationem contractus a dignitate sacramenti separari docuerit ac fideles quidem matrimonii, ut contractus est, ministros esse tradiderit, ut est sacramentum, non item : cumque nullum proferre queant, ipsorum opinionem potius, quam suam, a novitate in suspicionem erroris vocari posse contendent. Etenim Guillelmus Arvernus sæculo XIII claruit, cum ex *Gallia Christiana*, novæ editionis tom. VII, p. 99, anno 1248, obierit.

(80. Illud quoque addent, opinionem illam a Guillelmo minus perspicue propositam ; etenim in tractatu *De sacramento matrimonii*, c. 9, quæst. 1 *Opp.* ejusd. edit. Aurel. MDCLXXIV, tom. I, pag. 525, sic habet : « Utrum autem sacramentum veri nominis et sacramentalis virtutis sit, si præter nuptialem benedictionem et orationem quam habere potest, contrahatur. Verum certum est, quia et sacrum signum est, et sacrans, sive sanctificans virtute essentiali, seu contrarietatis, ut diximus, et forsitan merito, dummodo nuptialis benedictio non contemnatur, sed virtutem sacramentalem omnino non habet, nec veri nominis est sacramentum, nisi sicut diximus. Unde et matrimonium apud fideles et apud infideles æquivoce dicitur : apud infideles enim non est, nisi sicut diximus : apud fideles autem et illo modo et insuper sacrans benedictionis virtute, quod est proprium verorum plenæ virtutis sacramentorum. »

(81. Nec illud prætermittent, nullum ex theologis, quorum scripta exstent, ante sæculum XIV Guillelmo adhæsisse. Nam Paludanus, in 4 *Sentent.*, dist. 5, quæst. 11, qua in quæstione Melchior Canus *De locis theologicis*, lib. VIII, cap. 5, pag. mihi 237, ipsum imprudentem in Guillelmi sententiam descendisse scribit, et quem Serry *Vindicat. Melchioris Cani*, cap. 7, confidenter pro eadem sententia *absolute* citat, eamdem perspicue oppugnat. Etenim quæstione indicata, fol. mihi 23, col. 3 et 4, sic habet : « Non videtur, quod peccator contrahens matrimo-

Digitized by Google

ninm, peccet, cum tamen essentia matrimonii consistat in mutuo consensu per verba unius alteri expressa : hic enim consensus sacramentum ministrat, non autem sacerdos benedicens, qui solum sacramentale quoddam adhibet. » Et dist. 26, quæst. 4, fol. 140, col. 4 : « Benedictio... nubentium non est de necessitate matrimonii. »

(82. De S. Thoma Aquinate non est cur pluribus agam. Quid enim in hac controversia senserit, perspicue constat ex illis maxime, quæ in lib. IV *Sentent.*, dist. 26, quæst. 2, art. 1, ad 10, statuit. Scribit namque : « Verba, quibus consensus matrimonialis exprimitur, sunt forma hujus sacramenti, non autem benedictio sacerdotis, quæ est quoddam sacramentale. » Quæ quidem adeo clara sunt, ut non possim non mirari Serry frontem *loc. cit.* S. Thomam a theologis, qui contrahentes esse matrimonii sacramenti ministros propugnant, *suas in partes vel invitum* trahi affirmare non verentis. Nec vero tam perspicuo testimonio offundi tenebræ possunt respons. S. Thomæ ad 5, lib. eodem *Sent.*, dist. 1, quæst. 2, art. 3, quam ibidem Serry describit. Nam 1° quæ paulo ante recitavimus, posterius, quam hæc, S. Thomas scripsit. 2. Quæ de benedictionibus ab Ecclesia institutis tradit, non de forma essentiali sacramenti, sed de accidentali intelligi possunt ac debent, ut ostendit Billuart. in *Tract. de matrimonio*, dissert. 1., art. 6, ubi alia quoque S. Thomæ testimonia a Melchiore Cano et Sylvio producta explicat.

(83. Ut autem omnibus pateat, quam inane sit theologorum illorum effugium, qui ad vim testimoniorum S. Thomæ pro sententia de contrahentibus sacramenti matrimonii ministris elevandam, respondent, S. doctorem secus opinaturum fuisse, si theologicam summam absolvisset, placet hic adscribere alium ejusdem ex opusculo 5 in hanc rem illustrem locum. Est vero hujusmodi : « Septimum sacramentum est matrimonium, quod est signum conjunctionis Christi et Ecclesiæ. Causa autem efficiens matrimonii est mutuus consensus per verba de præsenti expressus. » Ubi de matrimonio, ut sacramentum est, loqui S. doctorem educitur ex opusculo 22 in quo cap. 1, scribit : « Similiter etiam in sacramento matrimonii requiruntur verba exprimentia consensum de præsenti. »

De cæteris argumentis, quæ adnotationum auctor profert, consulatur ven. card. Bellarminus, *De matrimonio*, lib. I, cap. 8, qui ea fere omnia sibi proponit, ac dissolvit, et Benedictus XIV, *De synodo diœcesana*, lib. VIII, cap. 12 et 13, edit. 1755. Ego primum referam, quæ habet Marteno eo ipso loco, ad quem Romanus theologus provocat; deinde subjiciam, quod Benedictus XIV, lib. cit., cap. 12, animadvertit. Igitur Martene *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, lib. I, part. II, cap. 9, art 3, num. 6, edit. Rothomagi, anno MDCC, pag. 608. « Constituto, inquit, ad celebrandas nuptias die adveniente, sponsus et sponsa benedicendi a parentibus, aut a paranympho, qui, ut ait S. Augustinus serm. 293, erat amicus interior conscius secreti cubicularis, sistebantur sacerdoti ad portas ecclesiæ, qui, secundum quosdam, eos interrogare debebat de fide quam profitebantur. Deinde datis sibi mutuo dextris, exigebat ab utrisque consensum, in quo totam sacramenti matrimonii essentiam reponebant antiqui. Inaudita quippe apud eos erant illa verba parochi : *Ego vos conjungo in nomine Patris*, etc, in quibus aliqui ex recentioribus scholasticis, formam hujus sacramenti constituunt, quæ tamen desiderantur in duobus antiquis Ritualibus miss. Beccensis monasterii, in Pontificali Senonensi annorum 800, in antiquo Rituali Bituricensi et in aliis pene omnibus, quæ a nobis postea exhibebuntur, quibus adjungere possemus constitutiones Ricardi episcopi Sarum, anno 1217 editas, cap. 56, in quibus hæc lego : « Item præcipimus quod sacerdotes doceant personas contrahentes hanc formam verborum in Gallico, vel in Anglico : *Ego N. accipio te N. in meam.* Similiter et mulier dicat : *Ego accipio te in meum.* In his enim verbis consistit vis magna et matrimonium contrahitur. » Hinc autem theologi, qui communem veterum de matrimonii sacramenti ministris sententiam defendunt, firmissimum ad labefactandam adversariorum opinionem argumentum educi arbitrantur. Nam si verba illa : *Ego vos conjungo* etc., essent sacramenti matrimonii forma, si quidem sacramenti illius minister necessitatis sacerdos foret, vel eadem, vel æquivalentia usurpata semper in matrimoniis benedicendis fuissent, atque adeo eorum mentio in veterum conciliorum canonibus, atque in ritualibus ecclesiarum libris fieret. Contra autem accidit. Nullum enim verborum illorum in veteribus sacramentariis, nullum in Romanorum Pontificum conciliorumque decretis vestigium exstat : quin imo ex certis monumentis liquet sæculo eodem, quo concilium Tridentinum habitum fuit, variam fuisse Ecclesiarum disciplinam, quam Tridentini Patres intactam reliquerunt. Etenim in Enchiridio concilio provinciali Coloniensi, quod adnotationum auctor laudat, subjecto de sacramento matrimonii § *Hunc canonem*, edit. Colon. MDXXXVIII, fol. CCXII, ver. legimus : « Conjunctio, quam sacerdos facit, significat matrimonium, nectente Deo (cujus legatione sacerdos fungitur), copulari : quamobrem etiam sacerdos Christi verbis inter copulandum utitur nempe iis : *Quos Deus conjunxit homo non separet.* » Et Dominicus Sotus, in lib. IV *Sentent.*, dist. 26, quæst. 2, art. 3, « Forma, ait, illa sacerdotis non est universalis in Ecclesia, sed alii dicunt, *Ego vos sponso et sacramentum confirmo*, et alii, *Quos Deus conjunxit, homo non separet*, atque alii aliter. » Confer concil. Tridentinum sess. XXIV in decreto *De reformatione matrimonii.*

(84. Benedictus autem *ibid.* loquens de synodis a quibus parochus *legitimus matrim. minister* vocatur, inquit : « Equidem nobis

Digitized by Google

persuasum est, hanc unam ob causam ab hisce synodis parochum appellari legitimum matrim. ministrum, quia scilicet ipse est publicus minister, cui soli Ecclesia auctoritat. tribuit, sua præsentia roborandi matrim. contractum, eiq. vires et firmit. adjiciendi.» Atque hæc quoque causa est, cur matrim. inter sacram., quæ parochus ministrat, recenseatur.

ADDITIONES CASINENSES.

De consensu ad valorem matrimonii, et de matrimonio per procuratorem.

Causa efficiens matrimonium, ex concilio Florentino, *regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus.*

(85. Mutuus porro consensus verus et internus esse debet; quippe « matrimonium in veritate contrahitur per legitimum viri et mulieris consensum: » cap. 25, ex. *De sponsalibus*. Consistit etenim in contractu legitimo, qui est essentialiter duorum consensus. Hinc si consensus sit fictus ex alterutra parte, nullum est matrimonium, ex cap. *Tua Nos*, 26, tit. cit., in hæc verba: « Super quo tibi taliter respondemus, quod cum præfatus vir prædictam desponsaverit mulierem, in propria persona et sub nomine alieno, quo tunc vocari se finxit; et inter eos carnalis sit copula subsecuta, videtur forte pro conjugio præsumendum, nisi tu Nobis expresse scripsisses, quod ille nec proposuit, nec consensit illam ducere in uxorem: *Quod qualiter tibi constiterit non videmus*. Nos autem quid juris sit rescribentes, hoc dicimus, quod si res ita se habet, videlicet, quod ille non proposuit eam ducere in uxorem, nec unquam consensit in prædictam personam, non debet ex illo facto conjugium judicari... quoniam ex altera parte dolus solummodo adfuit et defuit omnino consensus, sine quo cætera nequeunt fœdus perficere conjugale. »

(86. Præterea D. Thomas docuit, argumento desumpto ex ratione sacramenti, expressionem verborum sine interiori consensu matrimonium neutiquam facere. En ejus verba: « Intentio requiritur in omnibus sacramentis: sed ille, qui corde non consensit, non habet intentionem matrimonii contrahendi; ergo non fit matrimonium. Respondeo dicendum, prosequitur Thomas, quod sicut se habet ablutio exterior ad baptismum, ita se habet expressio verborum ad hoc sacramentum (matrimonii). Unde sicut si aliquis ablutionem exteriorem reciperet, non intendens accipere sacramentum, sed ludum et dolum facere, non esset baptizatus: ita expressio verborum sine interiori consensu matrimonium non facit.» *Supplem.*, in part. quæst. 45, art. 4.

(87. Adverte tamen, illud quod in allata Decretali speciatim additur, *qualiter tibi constiterit* (scilicet, quod ille nec proposuit, nec consensit illam ducere in uxorem), *non videmus*. Quippe, Barbosa docente « matrimonium revera non est, si quis verbis æquivocis, aut falsis decipit mulierem, et sine animo eam ducendi contrahit et carnaliter cognoscit quia deest consensus; *sed hoc* (nota) *in foro exteriori vix potest probari*.... (Hinc) collige ex textu (*Tua Nos*, dict. cap. 26) quod in foro interiori animæ, quam conscientiæ appellamus, si sponsus diceret, se ad sponsam accessisse affectione fornicaria, non conjugali, non judicantur illa sponsalia matrimoniam, secus tamen in foro exteriori.» *Collect. Doct.*, in lib. IV *Decret.* ad titul. *De sponsalibus*, cap. 26, n. 1 et 2

« Cum (defectus consensus) sic quoque Covarruvias, in animo consistat, nec credere debet sponsa ipsi sponso profitenti dissensum... Et quamvis posset hic defectus (consensus) apparere, illa tamen cognitio plena non est, defectus autem consensus in ipso confitente non satis constat: cum ei fides non detur propriam turpitudinem proferenti. Cum ergo cognitio illius rei, quæ probanda est, non sit satis sufficiens in confitente, nec digna tanta fide, ut Juris canonici urgentissimæ præsumptioni sit præferenda, admittenda non est. » *De sponsal.*, part. I, cap. 4, § 1, n. 9.

(88. Amplius « notatur ad hoc, quod protestatio, qua alter conjux protestatus est ante matrimonium, se nolle per quæcunque verba postea a se dicta matrimonium contrahere, non prodest, sed adhuc præsumitur ab ea discessum esse, matrimonio posted inito... intelligit Sanchez, si fiat altero ignorante, aut si scivit, dissensit protestationi, secus tamen si ea protestatio fiat altero sciente et consentiente. » Sic idem Barbosa, *loc. cit.*, n. 5. — Audiamus Sanchez sic docentem: « Cæterum... si ea protestatio fiat altero conjuge sciente et consentiente, valet, et per eam recessum videtur a consensu sequenti, nec præsumetur matrimonium. Si vero fiat altero ignorante aut si scivit, dissensit protestationi, nihil prodest, sed per sequentem consensum videtur ab ea recessum. » Lib. II *De matrim.*, disputat. 45, n. 19.

(89. Porro ex sententia P. Antoine, « qui ficte consensit, peccavit graviter, tum contra reverentiam sacramenti, falso et sine intentione adhibendo ejus signa; tum contra justitiam, quia in contractu oneroso, si unus bona fide ponat partem suam, habet jus, ut etiam alter adjiciat suam et sic ponatur æqualitas. Unde tenetur injuriam resarcire et damna compensare, imo, et tollere deceptionem, vere consentiendo et contrahendo; nisi aliqua causa gravis obstet, qualis est magna conditionis inæqualitas, vel si gravia mala, capitales inimicitiæ, dissidia, scandalum grave ex tali matrimonio merito timeantur; quo casu sufficiet pecuniaria compensatio. Excipiuntur etiam hi casus, nempe si tanta fuerit evidentia fictionis ut mulier censeatur voluntarie decepta fuisse, quia volenti non fit injuria, vel si mulier decepta ipsum etiam deceperit, simulando se esse virginem, cum non esset. » *Theol. moral.*, De matrim., cap. 2, quæst. 3, n. 1. — Sed audiamus D. de Ligorio. *Theol. moral.*, De matrim., qui hæc habet:

« Quæritur, an qui ficte contraxit matri-

Digitized by Google

monium, teneatur deinde ex justitia illud revalidare per verum consensum? Affirmant Palaus... Pont... Concina... Salmat. cum Soto, Trull. et Aversa. Ratio, quia alter jam tradidit corpus per suum consensum, unde, ut servetur æqualitas, tenetur ficte consentiens etiam per verum consensum corpus suum tradere. Negant vero probabilius Sanchez... cum Navarr. Angles, Henr. Man. et Arag. item Guttier. Hurt... Ratio, quia cum contractus matrimonii non possit claudicare, quando unus ficte consensit, nulla adest traditio alterius et ideo nulla remanet inæqualitas; ille enim, qui verum apposuit consensum, æque liber remanet ac si nullum consensum apposuerit. Omnes tamen conveniunt, teneri ficte consentientem revalidare matrimonium per verum consensum, si aliter reparare non possit damna ex illa deceptione alteri illata. » * *Secus si null. damnum sit puellæ obventurum* * n. 887, 1113.

(90. Quantum vero ad modum expressionis consensus attinet, « Certum est apud omnes (paucis exceptis) ad contrahendum valide matrimonium verba non esse necessaria, ut docent D. Thomas... Bellarminus... Sanchez, Nav., Covarr:.. et alii passim. Probatur ex cap. 23, *De sponsal.*, ubi muti et surdi valide quidem nubunt; et ex cap. unic., § final., *De desponsat. impuber.*, in 6, ubi dicitur, ad matrimonium filiæ sufficere consensum parentum, si ipsa taceat; item ex cap. *Is qui fidem*, *De sponsal.*, ubi olim sponsalia per copulam in matrimonium transibant. Ex quibus canonibus infertur, verba non esse necessaria, cum ibi sufficiat ad contrahendum consensus signis tantum expressus et præsumptus. Clarius id probatur ex cap. *Tuæ Fraternitati* 29, De sponsal., ubi ad quæsitum, *utrum ex solis verbis matrimonium contrahatur?* Innocentius III sic respondit: « Matrimonium in ve- « ritate contrahitur per legitimum viri et « mulieris consensum, sed necessaria sunt, « quantum ad Ecclesiam, verba consensum « exprimentia de præsenti; nam surdi et « muti possunt contrahere matrimonium « per consensum sine verbis. » Ita D. de Ligorio, eod. n. 887.

(91. Ad hunc vero textum decretal. *necessaria sunt, quantum, ad Ecclesiam verba consensum exprimentia* respondet Sanchez « verba esse necessaria quoad Ecclesiam, id est quoad clariorem probationem, vel utilia ad meliorem probationem. » Sic Barbosa *Collect. Doct.*, in 4 *Decretal.*, ad. tit. *De sponsal.*, cap. 25, n. 2.

(92. « An autem verba sint necessaria de præcepto? Alii affirmant, ut Aversa Corneio et Rodrig. apud Salmat... et probant ex verbis mox supra relatis, cit. cap. *Tuæ Fraternitati; Necessaria sunt quantum ad Ecclesiam verba.* Et ideo sentiunt, peccare graviter sponsos, qui signis tantum consensum exprimunt, cum possint verbis. Alii autem negant, verba esse de præcepto: ita Pontius.. Pal... Viva. et Diana. Quia, ut aiunt, nullibi patet, tale adesse præceptum. Respondent ad præfatum textum, Pontificem ibi minime intendisse excludere alia signa consensum exprimentia, ex dixisse, necessaria esse verba *quantum ad Ecclesiam*, non quoad substantiam actus, sed quoad faciliorem conjugii probationem. Et sic sentit etiam Glossa ib., v. *Verba*, dicens: « Non contrahitur sine verbis, vel per aliquod aliud, per quod intelliguntur consentire. » Ac ideo ait Pontius Tridentinum sess. XXIV, cap. 1, nihil aliud requirere, nisi quod *parochus, viro et muliere interrogatis, et eorum mutuo consensu intellecto dicat, Ego vos conjungo*, etc. Alii vero probabilius dicunt, verba requiri, sed tantum sub culpa veniali, ita Sanchez... Roncaglia.. et Bossius.. cum con. Fill. led. et Henr. quia alias ageretur contra consuetudinem Ecclesiæ; sed a tali culpa bene excusaret verecundia, aut alia rationabilis causa. » D. de Ligorio, *ibid.* n. 888.

(93. Liceat insuper sequentia addere quoad matrimonium per procuratorem.

Certæ quædam desiderantur conditiones, ut procurator absentis nomine, validum ineat matrimonium, quæ a Lucio nostro recensitæ sunt sub n. 39; *vide ibi.*

(94. Prima conditio est « ut habeat is speciale mandatum ad matrimonium, nec satis est generale ad omnia negotia expressis, aliquibus exigentibus speciale mandatum: sed debet esse nominatim ad matrimonium. Quia licet quando exprimuntur aliqui casus speciale mandatum petentes, clausula generalis subsequens extendatur ad alios casus non expressos, exigentes similiter speciale mandatum... at non extenditur ad matrimonium, quia intelligitur de casibus, qui expressis similes fiunt, non autem de longe majoribus, ut est matrimonium.... Similiter etiam ad contrahenda sponsalia requiritur mandatum speciale; quia sunt dispositio et via ad matrimonium. » Sanchez, lib. II, disput. 11 *De matrim.*, n. 3. — Porro pro hoc speciali mandato, de quo sermo est, non requiritur scriptura, sed sufficit, si detur orotenus. Sanchez. cit. disput., n. 14; de Ligorio, *Theol. moral., De matrimonio*, n. 885.

(95. Item requiritur, ut mandatum non sit revocatum (nec etiam mentaliter) a mandante, antequam matrimonium celebretur D. de Ligorio 1, et n. cit.

« Hæc autem procuratoris ad matrimonium revocatio effectum habebit, reddetque illud irritum (nota) quamvis juramentum de procuratore non revocando præmissum sit; revocans enim perjurii reus erit, tenebit tamen revocatio. » Sanchez, *l. cit.*, n. 8. Adverte tamen « quod valebit revocatio procuratoris mere interna *quoad forum conscientiæ*: licet *quoad externum incumbat revocanti eam testibus probare.* » Sanchez, *ibid.*, num. 9.

(96. Sufficit quoque revocatio tacita mandati, nempe si quis mandatum dederit contrahendi cum una, et postea celebret sponsalia cum altera. Sanchez, eod. n. 10; De Ligorio, *uti supra*, n. cit.

(97. Amplius « Si dum quis mandatum dedit, consensum finxit, tempore tamen,

Digitized by Google

quo procurator ejus nomine contrahit, habet verum consensum, valet matrimonium, quia cum eo tempore conficiatur, tunc desideratur consensus. Unde quocunque tempore intermedio dissensus sit, nihil refert, dummodo tempore, quo celebratur matrimonium, consensus adsit.» Sanchez, lib. et disputation. cit. n. 13. Sed audiamus quoque in hac re D. de Ligorio, ita disserentem. « Quæritur hic, an qui dederit mandatum sine animo contrahendi, sed ante celebrationem matrimonii mandatum ratificavit tunc valide matrimonium contrahatur? Negant Pal. et Coninck... quia mandatum illud, deficiente animo contrahendi, fuit nullum et ideo non potuit solo consensu reconvalidari, sed oportet, ut denuo consensu expresso constituatur. Sed affirmant Sanchez... Bonac. Roncaglia et Salmat... cum Trul. Ratio, quia procurator ideo valide contrahit, inquantum suis verbis significat voluntatem non jam præteritam, sed præsentem mandantis; sufficit igitur, quod tempore, quo contrahit, adsit voluntas mandantis, ut valeat actus. Hæc videtur probabilior, sed primam non censeo improbabilem. » *De matrimon.*, n. 886.

(98. Ulterius « Si procurator mandati fines excedat, nil prorsus valet matrimonium, ut si mandatum detur contrahendi certa dote constituta, et procurator contrahit ea conditione non servata, nihil agit, quia mandatum ad unguem servandum est... et ubi quis limites potestatis sibi traditæ excedit, privatus censendus est... et ratio est, quia cum potestas sit limitata, in eo, quod quis excedit, potestate caret, et est quidem privatus. » Sanchez, *ibi*, n. 17.

(99. « Rogabis, quid si in commissione dicatur, *do tibi facultatem contrahendi matrimonium, servata forma Tridentini*, ut semper dici solet, utrum si, omissis denuntiationibus, contrahat procurator, valeat matrimonium?... Breviter dico, si ex ordinarii dispensatione omittantur, non esse dubium (matrimonium valere) : quia forma Tridentini est, præmissis denuntiationibus, *nisi ordinarius* dispensaverit. » Sanchez, eod. n. 18. — « Idem dicendum est si omittantur denuntiationes matrimonii absque dispensatione, licet in mandato expresse diceretur, *do tibi facultatem contrahendi præmissis denuntiationibus*. Quia quoties exprimitur in commissione forma juris communis, non est intentio inducendi novam formam et conditionem, sed est admonitio ut servetur forma juris communis. » Sanchez, cit. lib. II *De matrimonio*, disputation. 11, num. 18.

(100. Item exigitur « ut procurator ostendat mandatum parocho et testibus et coram eis contrahat matrimonium juxta formam Tridentini.... In talibus autem nuptiis parochus interrogare debet procuratorem : *Vis in uxorem Luciam nomine. N. N.?* Et feminam : *Vis in maritum Franciscum mediante præsenti suo procuratore?* » D. de Ligorio, l. et n. c.

(101. Matrimonium contractum a procuratore post revocationem mandati, quamvis talis revocatio ignorata fuisset, nullum est et invalidum. Textu expresso, cap. 9, *De procurat*, in 6, nec non ex decreto S. congregat. concilii, *in Eugubina*, 5 Julii 1727, prout exstat in tom. IV *Thesaur. resolution. S. C. conc.*, pag. 15, 16, 50, 51, 80, tenoris sequentis.

« 25 *Januarii* 1727

« EUGUBINA, SEU PERUSINA MATRIMONII. Licet regula juris sit, actum valere, qui per procuratorem, legitimum adimpletur, licet hic tempore actus gestis fuisset a suo principali revocatus, dummodo revocato ad ejus notitiam non devenisset, justa textum in cap. ex parte 33, *De rescriptis*, et in Clementina unica *De renuntiatione* : fallit tamen hæc regula in procuratore constituto ad contrahendum matrimonium; cum etenim de ejus essentia sit consensus utriusque contrahentis; si alter ex his mandatum revocavit, matrimonium est nullum, licet revocatio non fuerit delata ad notitiam procuratoris, vel alterius contrahentis, juxta Decretalem Bonifacii VIII. in cap. finali *De procuratoribus* in 6, ibi : « *Sane si procurator, antequam contraxerit a domino fuerit revocatus, contractum postmodum matrimonium ab eodem, licet tam ipse, quam ea, cum qua contraxit, revocationem hujusmodi penitus ignorarent, nullius momenti existit, cum illius consensus defecerit, sine quo firmitatem habere nequivit.* »

« Ad tramites hujus limitationis contendit Elisabeth de Gherardis, matrimonium a se per procuratorem contractum cum Hieronymo de Raphelibus nullitate laborare, ex quo videlicet, antequam illud contractum fuisset, mandatum a se fuerat revocatum, licet id tunc non fuisset deductum ad notitiam procuratoris.

« ..... E contra Hieronymus se opponit et probare conatur, mandatum revocationis contigisse post matrimonium contractum et revocationem non fuisse spontaneam, sed coactam....

« Jura circumferuntur, onus erit EE. VV. decernere :

« *An constet de nullitate matrimonii in casu*, etc.

« DILATA, ET PUELLA CAUTE TRANSPORTETUR AD ALIQUOD MONASTERIUM CIVITATIS CASTELLI IN QUO EXPLORETUR EJUS VOLUNTAS EPISCOPO JUXTA INSTRUCTIONEM. »

« *Die* 26. *Aprilis* 1727.

« EUGUBINA, SEU PERUSINA MATRIMONII. Elisabeth de Gherardis matrimonium *contraxit per procuratorem* cum Hieronymo de Raph. promotaque per eam prætentione, quod illud nullitate laboraret, ex quo, antequam illud contractum fuisset, mandatum a se fuerat revocatum, propositum fuit in congregatione habita die 25 Januarii 1727, sequens dubium : *An constet de nullitate matrimonii in casu*, etc. Rescriptum fuit (uti supra, etc.)..

« Quia vero matrimonium per procura-

Digitized by Google

torem fuerat contractum die 29 Martii 1724, hora duodecima, et puella per actum publicum mandatum revocaverat eadem die, sed uti probabiliter credebatur, post contractum matrimonium, et prætendebatur, quod actus publicus revocationis mandati factus quidem appareret dicta die 29, sed quod consensus pro matrimonio contrahendo fuisset ab ipsa revocatus die 28 uti ex nonnullis testibus habebatur, et Elisabeth examinata die 2 Maii 1724 deposuerat coram vicario generali Perusino, scriptum idcirco fuit episcopo civitatis Castelli, ut delato juramento, puellam interrogaret, primo, an revera consensum revocasset die 28 Martii, secundo, an revocatio fuerit spontanea, vel per metum incussum a patruis de Donninis, vel ex subornationibus aliorum, qui cum eis Eugubium accesserunt, et tertio, in qua nunc voluntate persistat, contrahendi videlicet, vel non contrahendi matrimonium cum Hieronymo.

« Supervenerunt acta transmissa ab episcopo civitatis Castelli, ex quibus habetur, puellam interrogatam respondisse, primo, se suam voluntatem revocandi mandatum propalasse die 28 Martii summo mane Petro de Donninis patruo, patri Gasparo de Giglis et moniali Hieronymæ de Bonassoris, eos rogando, ut ad monasterium accedere facerent notarium, ut publicum suæ revocationis fieret instrumentum. Secundo, se die 27 ejusdem mensis consimilem revocationem consensus et mandati procuræ significasse patri Gaspari de Giglis et post ejus discessum a monasterio, moniali Felici Sarzi, cui injunxit, ut suam voluntatem Hieronymo significaret ad effectum, ut se a matrimonio abstineret. Tertio, se hæc omnia fecisse sponte et libere, non autem per metum incussum... nec ex persuasione, seu subornatione... ultimo, se nolle contrahere matrimonium et se in hac voluntate esse, atque fuisse a momento, quo consensum et mandatum procuræ revocavit.

« His stantibus, dignabuntur EE. VV. decernere.

« *An constet de nullitate matrimonii in casu*, etc.

« DILATA, ET PROPONATUR IN PRIMA IN ULTIMA JUNII, ET PARTES INFORMENT. »

« *Die* 5 *Julii* 1727.

EUGUBINA, SEU PERUSINA MATRIMONII. Proposita fuit hæc causa in congregatione habita *die* 25 *Januarii currentis anni*... nec ulla fuit capta resolutio, sed dictum, quod Elisabeth de Gherardis caute transportaretur ad aliquod monasterium civitatis Castelli, in quo exploraretur ejus voluntas a dictæ civitatis episcopo, juxta instructionem. »

« Transportatio fuit executioni mandata et facta est ab episcopo voluntatis exploratio, juxta instructionem, repropositaque causa in congregatione habita *die* 26 *Aprilis currentis anni*... nulla fuit capta resolutio, sed dictum, *Dilata* etc. *et partes informent*, cumque hodie causa pro tertia vice proponatur, ex juribus circumferendis dignabuntur EE. VV. decernere.

« *An constet de nullitate matrimonii in casu*, etc.

« AFFIRMATIVE. »

ARTICULUS II.

Matrimonium quoad debitum conjugale.

SUMMARIUM.

1. Conjux tenetur sub mortali reddere debitum conjugi petenti serio et instanter, quando nulla illud denegandi intervenit justa et rationabilis causa, *ad n.* 2. — 3. Peccat contra justitiam ex genere suo mortale conjux ille, qui cum teneatur ad reddendum debitum, reddit se notabiliter impotentem immoderatis jejuniis. — 4. Non peccat conjux conjugi debitum semel tantum et obiter, vel implicite petenti, modeste denegando, tergiversando, se excusando, prece, vel suasu avertendo petentem, si id non valde ægre laturus videatur, *ad n.* 5. — 6. Ad dignoscendum, quod conjux serio debitum conjugale petat, non est necessaria petitio expressa et formalis, sed sufficit tacita, virtualis et interpretativa, quæ habeatur a signis indicantibus seriam voluntatem petendi, *ad n.* 8. — 9. Dantur plures justæ et rationabiles causæ, quibus intervenientibus, potest licite debitum denegari, *ad n.* 26. — 27. Assignantur plures justæ causæ, propter quas non possunt conjuges debitum denegare, *ad n.* 34. — 35. Debitum conjugale licite petitur et redditur, etiamsi mulier sit lactans, vel prægnans, dummodo absit periculum abortus, *ad n.* 36. — 37. Debitum petere dum mulier est puerpera, per se loquendo non nisi veniale esse solet, et cum menstruata petere et reddere in lege veteri sub pœna capitali prohibebatur, et nunc si non mortale, est ad minus grave veniale, *ad n.* 39. — 40. Debitum conjugale licite petitur et redditur, etiam non servato debito concumbendi modo, aut situ, dummodo fiat propter aliquam justam et rationabilem causam, alias saltem venialiter peccatur, *ad n.* 42. — 43. Conjuges, qui mala fide, seu dubii de valore matrimonii contraxerunt, non possunt, stante illo dubio, nec petere, nec reddere debitum : et quid, si unus tantum dubius, aut jam bona fide contracto matrimonio, de valore dubium superveniat : *ad n.* 50. — 51. Si conjux pro certo cognoscat invaliditatem matrimonii, eo quod indubitanter sciat subesse impedimentum dirimens, quamvis hoc in facie Ecclesiæ probare nequeat, non solum non potest petere, sed nec reddere debitum, *ad n.* 52. — 53. Conjux, qui, durante matrimonio, contraxit affinitatem cum sua consorte, cognoscendo videlicet carnaliter ejus consanguineam in primo, vel secundo gradu, non potest petere debitum, tenetur tamen reddere, et si cognita esset consanguinea in 3. vel 4. gradu, non privatur jure petendi, *ad n.* 55. — 56. Conjux voto simplicis castitatis adstrictus non potest licite debitum petere, tenetur tamen reddere.

1. Conjux tenetur sub mortali reddere debitum conjugi petenti serio, et instanter, quando nulla illud denegandi intervenit causa justa ac rationabilis. ***Est communissima***; et habetur expresse ex Apostolo, *I ad Corinth.*, cap. VII, v. 3, ibi : *Uxori vir debitum reddat, similiter et uxor viro;* quia ut v. 4 rationem reddens, subdit Apostolus : *Mulier sui corporis potestatem non habeat, sed vir; similiter autem, et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Et volens Apostolus ostendere, quod hæc obligatio

Digitized by Google

reddendi debitum urgent conjuges sub gravi et de justitia, sub v. 5 ejusdem debiti negationem appellat fraudem : *Nolite fraudare invicem, nisi ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi; et iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram.* (2. Hinc recte inferunt doctores communiter quod conjux injuste negans debitum alteri conjugi serio et instanter petenti, peccat mortaliter toties quoties. (3. Unde peccat contra justitiam ex genere suo mortaliter conjux ille, qui ad reddendum debitum reddit se notabiliter impotentem immoderatis jejuniis, vigiliis, laboribus et hujusmodi, aut voluntariis pollutionibus, ut communiter tradunt doctores, et signanter Sanchez., lib. IX, disp. 3, n. 3 et 4; S. Antonin., part. III, tit. 1, cap. 29, § 10; Silvester, verb. *Debitum*, quæst. 1; Paludan., in 4, dist. 32; quæst. 1, art. 2, conclus. 3; Dicastill., disp. 9, dub. 19; Coninch., disp. 34; Laymann, lib. V, tract. 10, p. 3, cap. 1, n. 2; Sporer t. III, part. IV, cap. 2, n. 506.

(4. Notanter autem fuit dictum, petenti serio et instanter, id est tali modo, ut constet, conjugem velle exigere copulam tamquam debitum conjugale; nam non peccat conjux conjugi debitum semel tantum et obiter, vel implicite petenti, modeste denegando, tergiversando, se excusando, prece, vel suasu avertendo petentem, si id non valde ægre laturus videatur. Est communis cum Sanchez, et Layman locis citatis. (5. Si tamen cognoscat conjugem tergiversationem talem, seu excusationem aut avertentem precem, vel suasionem valde ægre laturum, et advertat ex privatione debiti conjugalis eum periculo incontinentiæ exponi, tunc pertinaciter negans, seu se excusans aut dissuadens, peccat mortaliter, licet percipiat conjugem non adeo serio et rigorose tanquam debitum conjugale copulam exigere. Ita etiam communis cum Sanchez et Laymann locis citatis. (6. Ad dignoscendum, quod conjux serio debitum conjugale petat, non est necessaria petitio expressa et formalis, sed sufficit tacita virtualis et interpretativa, quæ habeatur a signis indicantibus seriam voluntatem petendi. Divus Thomas in 4, dist. 32; quæst. unica, art. 2, quæstiuncula prima in corpore; D. Antonius tertia parte, tit. I, cap. 20, § 7; et alii communiter. (7. Et hoc maxime verificatur in femina, quæ potissimum subditur verecundiæ, et præ rubore non petit expresse, quod anxie petit, et ubi quoquomodo constat de voluntate, parum refert, quod verbis, vel signis indicetur, per textum in l. *De quibus*, ff. *De legibus*. (8. Et hoc etiam potest interdum verificari in viro, qui sit talis conditionis, ut vel ratione majoris dignitatis in femina, vel naturalis timoris et verecundiæ in ipso, non audeat expresse et verbaliter petere; tunc enim femina tenetur signis saltem sensibilibus et interpretativis exhibere actum conjugalem, cum tam in petendo, quam in reddendo conjuges sint pares, ex cit. *Epist. I ad Corinth.*, c. VII, arg. cap. *Præcepit* 19, et c. *Apud nos* 20; caus. 32, q. 5.

(9. Notanter etiam fuit dictum, quando nulla illud denegandi intervenit justa et rationabilis causa; dantur enim plures et rationabiles causæ, quibus intervenientibus potest licite debitum denegari; *Primo*, conjux innocens potest denegare debitum conjugi adultero, ut colligitur aperte ex c. V et XIX *Matthæi;* frangenti enim fidem, fides merito non servatur ex Regul. 75 Juris, in 6; ibi : « Frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem a se præstitam servare recusat. » (10. Si tamen etiam alter conjux esset adulter, negare debitum licite non posset, quia jam injuriæ adulterii sibi invicem compensatæ essent; cap. *Intelleximus* 6, cap. *Tua fraternitas* 7, De adulteriis. Ita communis. (11. *Secundo* conjux innocens liberatur ab obligatione reddendi debitum, si alter conjux jure petendi debitum privatus sit ob incestum commissum cum conjugis consanguinea in gradu primo, vel secundo; nam ubi cessat jus petendi, consequenter cessat obligatio reddendi; conjux autem incestuosus, in pœnam criminis, amisit jus petendi debitum; c. *Transmissæ* 4, cap. *Tuæ fraternitatis* 10, De eo qui cognovit consanguinem uxoris suæ, cap. *Si quis viduam* 20, cap. *Qui dormierit* 21; cap. *Concubuisti* 23, caus. 32, quæst. 7. (12. Postquam tamen incestuosus dispensationem super petendo debito impetravit, jus exigendi debitum plene recuperavit; Sanchez lib. IX, disputat. 6, n. 10; Layman. *loc. cit.*, n. 15, et alii passim. (13. *Tertio* conjux innocens potest denegare debitum conjugi, qui sodomiæ, vel bestialitatis crimine sese turpiter inquinavit. Si enim ratione adulterii et incestus potest a conjuge innocenti denegari debitum conjugi reo, a fortiori poterit denegari ratione sceleris sodomiæ et bestialitatis, cum sodomiticum scelus incestum cum ipsa matre commissum horrore et enormitate superet, ut expresse cavetur ex S. Augustino in c. *Adulterii malum* 11, caus. 32, quæst. 7, et qui cum carne bestiæ carnem suam divisit, indignus prorsus sit, ut in posterum nunquam cum conjuge fiat una caro; qui enim ob exsecranda illa scelera igni vivus secundum leges tradendus est, quo pacto fidelis conjugis consortio dignus videri posset? Et colligitur ex cap. *Idololatria* 5, caus. 28, quæst. 1; ubi, de mente sancti Augustini declaratur, posse denegari debitum, et fieri separationem a conjuge reo cujuscunque perniciosi et turpis concubitus, ibi : « Ex quo intelligitur, quod propter illicitas concupiscentias, non tantum quæ in stupris cum alienis viris aut feminis committuntur, sed omnino quaslibet, quæ animam corpore male utentem a lege Dei aberrare faciunt et perniciose turpiterque corrumpunt, possit sine crimine et vir uxorem dimittere et uxor virum, quia exceptam facit Dominus causam fornicationis, quam fornicationem... generalem et universalem intelligere cogimur.

(14. *Quarto*, potest conjux denegare debi-

Digitized by Google

tum, quoties ex tali redditione sibi timetur grave periculum salutis corporalis, v. g. mortis, vel morbi gravis et periculosi, ut si petens peste, lepra, morbo gallico, vel alio contagioso morbo et probabiliter certo infecturo laboret, aut petat debitum ab eo, qui febri hectica, vel alio morbo laborat, ratione cujus reddendo debitum gravis ei infirmitas, vel periculum timeatur. *Ita communis* cum S. Thoma et Scoto in 4, dist. 37; Abbate, in cap. *De conjug. leprosor.*, et aliis, quos citat et sequitur Sanchez, lib. IX, disput. 24, num. 16; Laymann, *loc. cit.*, num. 5. Et ratio est, quia, ex naturali interpretatione, conjuges in matrimonii contractu corporum potestatem inter se dant, salva suarum personarum incolumitate; adeoque cum timetur grave periculum salutis corporalis, non urget obligatio reddendi debitum. (15. Nec obstat id, quod respondit Alexander III, in c. *Quoniam* 2, De conjug. leprosor., ibi: « Si virum, sive uxorem leprosum fieri contigerit, et infirmus a sano debitum exigat, generali præcepto Apostoli, quod exigitur, est solvendum, cui præcepto nulla in hoc casu exceptio invenitur: » Non obstat, inquam, quia respondent communiter doctores apud Silvestrum, verb. *Debitum*, quæst. 1, § secunda; Sanchez lib. IX, disput 24, num. 17; Layman, *loc. c.*, num. 6. Pontificem ita respondisse ex præsumptione, quod conjugi reddenti debitum propinquum infectionis periculum plerumque non immineat a leproso, præsertim cum raro admodum fiat, situsque mutatione ac vestitu periculum caveri possit; at non pro casu, et morbo, quo conjux sanus debitum persolvere nequeat, quin ex judicio periti medici morbum contrahat, quia in tali casu et morbo nemo tenetur sui corporis vitam, et incolumitatem pro privati hominis peccato vitando exponere, cum is in necessitate simpliciter positus non sit, sed alia concupiscentia remedia adhibere possit. Quæ explicatio et exceptio est juxta principium, quod constituit D. Thomas in 4, dist. 32; art. 1, in corp. dicens, unum conjugem non teneri ad debitum alteri reddendum, nisi sub ista conditione *salva tamen prius personæ incolumitate*. (16. Si quis autem sponte contraxit cum persona, quam prius sciebat lepra, vel morbo gallico, aut alio simili morbo contagioso laborare, non potest ipsi denegare debitum, nec cohabitationem, quia censetur cessisse juri suo, sicuti is qui, sciens vitium mercis, nihilominus emit, ut cum communissima DD. docet Sanch., *loc. cit.*, n. 22, § *Porro*.

(17. *Quinto*, debitum conjugale denegare potest mulier illa quæ ex antecedentis periculosissimi partus experientia et ex medicorum et chirurgorum judicio scit, non posse sine manifesto vitæ periculo partum emittere. Est communis cum S. Thoma, in 4, dist. 32, q. unic., art. 1, in corp. ubi expresse dicit mulierem non teneri ad debitum, nisi sub ista conditione; *salva tamen prius personæ incolumitate*. (18. *Sexto*, debitum denegare potest uxor gravida quando ex redditione periculum probabile mortis (vel etiam abortus) timetur prolis jam conceptæ; imo tunc nec petere nec reddere licitum est; c. *Origo* 5, caus. 32, qu. 4, c. *Non solum* 15, caus. 32, qu. 7, c. *Si causa* 4, caus. 33, qu. 4, ut observat Laym., *l. c.*, n. 7. (19. Si tamen ex mutatione situs accommode possit evitari tale periculum, tenetur uxor gravida debitum reddere marito illud serio petenti; *Omnes vid. not.* ad n. 35.

(20. *Septimo*, potest conjux denegare debitum quando alter conjux illud petit in amentia, ebrietate aut alias constitutus extra usum rationis, quia talis non petit actu humano et libere rationabiliter ut homo, sed potius ut bestia. Est communis. (21. Si tamen conjux ebrius vel amens accessurus esset ad aliam, vel se polluturus, tunc uxor teneretur per accidens et ex charitate saltem reddere ob impedienda mala inde emergentia. Ita communis. (22. *Octavo*, potest conjux debitum denegare quando alter immoderate ac nimis frequenter petit, quia non videntur conjuges sese obligasse ad usum immoderatum, præsertim cum repugnet decentiæ, ipsique valetudini. Unde non peccat conjux, si v. g. petenti ter reddat et quarta vice neget ut notat *Glossa* in c. *Quoniam*, dist. 31; La Croix, lib. VI, part. III, n. 396; Sporer, tom. III, part. IV, cap. 2, n. 513, et alii. (23. *Nono*, potest conjux debitum denegare si publice seu coram aliis exigatur aut in ecclesia ubi sine sacrilegio conjugalis actus exerceri non potest, excepto necessitatis casu, si videlicet conjuges diuturno tempore inclusi in sacro loco, ob humanam fragilitatem in periculo incontinentiæ versentur. Ita communis doctorum. (24. *Decimo*, potest conjux ante elapsos duos menses a contractu matrimoniali denegare debitum si nondum sit consummatum matrimonium; potest enim conjux ante consummationem matrimonii religionem ingredi intra duos menses: unde ante elapsum tale tempus non tenetur illud consummare reddendo debitum; c. *Ex publico* 7, De conversione conjug., c. *Commissum* 16, De sponsalibus et matrim.

(25. *Undecimo*, conjux potest, imo et debet denegare debitum conjugale alteri conjugi illud etiam serio et instanter petenti quando ambo unanimi consensu ante vel post matrimonium consummatum continentiam voverunt; habetur clare de mente S. Augustini in c. *Quod Deo* 4, caus. 33, qu. 5, ibi: « Quod Deo pari consensu voveratis perseveranter usque in finem reddere ambo debuistis a quo proposito si lapsus est ille, tu saltem instantissime persevera. » Et sic docet D. Thomas in 4, dist. 38, quæst. 1, art. 3, qu. 2, ad 2 et 4; et S. Antonin., III par. *Summ. theolog.*, tit 1, cap. 21, § fin., præcisis his verbis. « Cum... uterque pari consensu voverint continentiam, nullus eorum potest vel debet exigere debitum, vel reddere nisi cum peccato mortali: » et alii communiter. (26. *Duodecimo*, conjux potest imo et debet denegare debitum alteri conjugi illud petenti quando sibi invicem promiserunt sub juramento abstinentiam ab usu matrimonii ad certum tempus, v. g. pro

Digitized by Google

toto tempore Quadragesimæ, ut colligitur ex c. *Administrationis* 1, c. *Debitores* 6, c. *Ad nostram* 7, et cap. *Quemadmodum* 25, De jurejurando, in quibus constat promissa sola conventione firmata posse quidem omitti, non vero jurejurando obsignata; et ratio est quia non sufficit ut conjuges mutuo sibi suam remittant juratam promissionem ad licitum matrimonii usum ante lapsum præfixi temporis; non enim solum ad se invicem mutuo consensu sunt obstricti, sed etiam apud Deum, invocato ejus nomine, ipsoque in testem sui pacti vocato: unde necesse est ut talis eis a Deo condonetur obligatio per Ecclesiæ dispensationem, aliqua justa interveniente causa, aliter tales conjuges neque exigere, neque reddere debitum conjugale possunt. Sunt etiam aliæ nonnullæ causæ, propter quas conjuges possunt licite denegare debitum conjugale, quæ brevitatis gratia relinquuntur videndæ apud Sanchez lib. IX, *De matrim.*, disp. 24 et sequent., et alios diffuse de istis agentes.

(27. Unde veniunt hic adducendæ causæ propter quas non possunt conjuges debitum denegare et possunt licite petere et reddere. *Primo* igitur conjux non potest debitum denegare eo quod alter sit nominatim denuntiatus excommunicatus; cap. *Quoniam multos* 103, caus. 11, q. 3, ubi Gregorius VII pro nostra assertione sic expresse concludit: « Quoniam multos, peccatis nostris exigentibus, pro causa excommunicationis perire quotidie cernimus partim ignorantia, partim nimia simplicitate, partim timore, partim etiam necessitate, devicti misericordia, anathematis sententiam ad tempus, prout possumus, opportune temperamus; apostolica itaque auctoritate ab anathematis vinculo hos subtrahimus, videlicet uxores, liberos, servos, ancillas seu mancipia nec non rusticos servientes, » etc. Quod confirmat Innocentius III in cap. *Quod in dubiis*, 30 De sentent. excommun., et in cap. *Inter alia*, 31, eod. tit., ubi declarat illos qui homini nondum excommunicato famulari solebant, ex lata ejus excommunicatione ab eodem ministerio non arceri, ibi: « Cum quædam personæ in præmisso capitulo (*Quoniam multos*) illis in quos lata fuerit excommunicationis sententia ante prolationem ipsius obsequio tenerentur familiariter adhærere, neque postmodum ad contrarium teneantur, cum adhuc debitum duret, beneficio canonis id agente, a priore non sunt obnoxietate solutæ, sed ad familiare tenentur obsequium, et ita per consequens ad communicationem tenentur, sine qua illud nequeunt exhibere. » Hinc *Glossa* in cit. cap. *Quoniam multos*, verb. *Uxores*, sic expresse ait: « Sed nunquid vir excommunicatus potest petere debitum ab uxore?... Si petat vir mulierem in judicio et ipsa objicit ei excommunicationem, judex tenetur ex suo officio restituere ei mulierem, cum in hoc casu possit ei communicare; unde credo quod tenetur debitum reddere. »

(28. *Secundo*, conjux non potest negare debitum ob solum metum ne multiplicetur proles et ob inopiam non possit ali. Ita Angelus verb. *Debitum*, § 15; Silvester, quæst. 8; Navarr., cap. 16, n. 25; Laymann, *loc. cit.*, num. 16; Sporer, *l. c.* n. 516, et alii communiter negantes absolute multiplicationem prolis excusare a redditione debiti. Et ratio est quia ex una parte multiplicatio prolis spectat ad præcipuum finem matrimonii, estque magnum bonum ac donum Dei, cujus gratia a conjugibus tolerandum est omne incommodum prima conjugii stipulatione conceptum; ex altera autem parte melius est proli, ut vivat inops quam ut omnino non vivat, nec ex apprehensa inopia et deficientia alimentorum pro prole potest deduci excusatio tam strictæ obligationis redditionis debiti, cum Deus in se vere confidentes non deserat, juxta illud Regis Prophetæ, *Psal.* XXXV, ℣ 25: *Junior fui, etenim senui, et non vidi justum derelictum nec semen ejus quærens panem.* Et Christus ipse, *Matthæi*, VI, v. 26 et seq., sic in Dei providentia confidere præcipiat et diffidentes severe objurget, ibi: *Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, et Pater vester cœlestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis?... Et de vestimento quid solliciti estis? Considerate lilia agri, quomodo crescant, non laborant neque nent... Si autem fenum agri, quod hodie est et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos modicæ fidei?*

(29. *Tertio*, non potest conjux debitum denegare, ex quo petatur diebus festis, vel diebus sacræ communionis aut similibus. *Est communis* cum D. Thoma in 4, dist. 32, quæst. unic., art. 5, in corpor., ubi expresse ait: « Tenetur unus alteri debitum reddere quocunque tempore et quacunque hora, salva debita honestate quæ in talibus exigitur; » et iterum in *Supplement.*, q. 64, art. 7, in conclus., dicit: « Ne propter lubricum carnis aliqua peccati detur occasio, tenentur conjuges etiam in diebus festis et quacunque hora sibi mutuo debitum reddere, salva tamen honestate. » Et Sylvius in III part. S. Thom., q. 80, art. 7, sic clare concludit: « Conjux quæ est communicatura non propterea excusatur a redditione debiti, si alter instet, sicuti neque excusatur ex eo quod illo die communicaverit. » Et habetur in cap. *Vir* 7, caus. 33, quæst. 4, ibi: « Si quis vero sua conjuge non cupidine voluptatis captus, sed solummodo creandorum liberorum gratia utitur, eodem ipso die si velit communicare, ipse profecto.., de sumendo corporis Dominici sanguinisque mysterio, suo est relinquendus judicio. »

(30. Nec valet objicere quod Apostolus *I ad Corinth.*, cap. VII, v. 5, præcipiat conjugibus, ut abstineant ab usu matrimonii ad tempus, ut vacent orationi: Non valet, inquam, quia ibi Apostolus præcipit conjugibus ut non fraudent ad invicem, et solum permittit abstinere ad tempus ab usu matrimonii ex communi consensu, ut vacetur orationi, et en præcisa ipsius verba: « Nolite fraudare invicem nisi forte, ex consensu

Digitized by Google

ad tempus, ut vacetis orationi;» et sic ipsum Apostolum intelligit S. Augustinus relatus in cap. *Apostolus* 12, caus. 33, quæst. 4, ibi: « Apostolus nec ad tempus, ut vacent orationi nisi ex consensu, voluit conjuges, carnali invicem fraudare debito. » (31. Nec etiam valet objicere canonem in cap. *Si causa* 4, caus. 33, quæst. 4, ubi de mente sancti Ambrosii sic habetur: « Si causa procreandorum filiorum ducitur uxor, non multum tempus concessum videtur ad ipsum usum, quia et dies festi et dies processionis, et ipsa ratio conceptus et partus, juxta legem cessari temporibus his debere demonstrant. » Nec etiam objicere canonem *Quotiescunque* 2, eadem caus. et quæst., ubi ex S. Augustino sic præcise habetur: « Quotiescunque aut dies Natalis Domini, aut reliquæ festivitates advenerint, sicut frequenter admonui, non solum ab infidelium concubinarum consortio, sed etiam a propriis uxoribus abstinete. » Nec canonem *Christiano* 5, ead. caus. et quæst., ubi ex eodem S. Augustino uxoris usus diebus processionis et jejunii interdicitur. Nec canonem *Omnis homo* 21; De consecrat., dist. 2, ubi ex concilio Eliberitano sic habetur: « Omnis homo ante sacram communionem a propria uxore abstinere debet tribus, aut quatuor, aut octo diebus. » Nec canonem in cap. *Si sciatis* 1, caus. 33, quæst. 4, ubi de mente S. Hieronymi sic habetur: « Si panes propositionis non poterant ab iis qui uxores suas tetigerant comedi, quanto magis panis ille qui de cœlo descendit non potest ab his qui conjugalibus paulo ante hæsere complexibus violari atque contingi. » (32. Non valet, inquam, quia tales et consimiles canones intelligendi sunt secundum congruitatem et non secundum necessitatem, ex consilio et non ex præcepto, ut optime exponit S. Thomas III part. *Summæ*, quæst. 8, art. 7, ibi: « Hoc secundum congruitatem et non secundum necessitatem, ex consilio et non ex præcepto est intelligendum (25). »

(33. *Quarto* non potest conjux debitum denegare sub prætextu, quod alter conjux affinitatem spiritualem contraxerit, baptizando proprium filium in casu extremæ necessitatis; cum enim talis conjugis actio non solum sit licita, sed etiam necessaria, et ex præcepto charitatis imperata, non debet ei imputari ad ullam pœnam, sicuti non ei imputatur ad ullam culpam, ex regula Innocentii III tradita in c. *Discretionem* 6, De eo qui cognovit consanguineam uxori suæ, ibi: « Cum suo jure non debeat sine sua culpa privari. » Et expresse habetur decisum a Joanne VIII in cap. *Ad limina* 7, caus. 30, quæst. 1, ibi: « Dicimus omittendum esse, et inculpabile judicandum, quod necessitas intulit. Nam hoc baptizandi opus laicis fidelibus juxta canonicam auctoritatem, si necesse fuit facere, libere conceditur: Unde si supradictus genitor filium suum corpore morientem aspiciens, ne animam perpetua morte pereuntem dimitteret, sacri unda baptismatis lavavit, ut eum de potestate auctoris mortis, et tenebrarum eriperet, et in regnum Christi jam regnaturum sine dubitatione transmitteret, bene fecisse laudatur, et idcirco suæ uxori, sibi legitime sociatæ, impune, quandiu vixerit, judicamus manere conjunctum, nec ob hoc.... separari debere. »

(34. *Quinto* nec potest conjux debitum denegare sub prætextu, quod alter conjux affinitatem contraxerit ratione incestus, vel adulterii non sponte, sed coactionis vi, vel ignorantia facti, commissi. Et ratio est, quia talis conjux ex hujusmodi incestu, seu adulterio sine ulla sua culpa commisso non debet suo jure petendi debitum ullo modo privari; cit. cap. *Discretionem* 6, De eo qui cognovit consanguineam uxoris suæ, ibi: « Cum suo jure non debeat sine sua culpa privari, » et Regul. 23 juris, in 6, ibi: « Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus. » Conjux autem, qui non sponte, sed coactionis vi, vel ignorantia facti, incestum vel adulterium commisit, nullam admisit culpam, cum pro se fuerit omnino materialis talis actus incestus vel adulterii, ex quo, ut supponitur, in eum nullatenus consenserit, neque adeo ipsi in peccatum imputari debeat ex mente S. Augustini relati in c. *De pudicitia* 6, caus. 32, q. 1, ibi: « Nemo impudice utitur corpore, nisi spiritu prius concepta nequitia; » et ut dicit Origenes l. II ad c. II *Epistolæ ad Romanos:* « Neque enim fieri potest ut, si ante quis non mœchetur in corde, mœchari possit in corpore. » Et quod affinitas contracta ratione incestus vel adulterii non sponte, sed coacte commissi, non privet jure petendi debitum conjugem innocentem, habetur expresse in cap. *Discretionem* 6, De eo, qui cognovit etc., ibi: « Sed nec affinitas, quæ post contractum legitime matrimonium inter virum, et uxorem inique contrahitur, ei debet officere, quæ hujusmodi iniquitatis particeps non existit, cum suo jure non debeat sine sua culpa privari. » Et quod etiam affinitas con-

(25) Operæ pretium est referre quæ scripsit Benedictus XIV, l. v *De synod.*, c. 1, num. 8: « Olim in solemnioribus festivitatibus, ac jejunii diebus, quibus peculiariter erat orationi vacandum, vetitum fuisse conjugibus matrimonii usum, ex pluribus colligitur Ecclesiæ sanctionibus, collectis a Gratiano can. 33, quæst. 4. Hæc fortasse, aliaque hujus generis multa ignota fuerunt nonnullis theologis moralibus, qui antiquam disciplinam ex hodierna metientes (quod sæpe ab iisdem fieri notavit card. Bona *Rer. liturg.*, l. I, c. 18, n. 1) non dubitarunt affirmare, nunquam ab Ecclesia fuisse usum conjugii certis diebus interdictum; cum potius asserere debuerint, nunc intra meri consilii limites contineri, quod olim severa lege erat prohibitum, sicuti scite ponderat Catalanus, in *Com. ad Pontif. Rom.*, t. III, tit. *De ordine ad synodum*, § 22. » Quod attinet ad auctoritatem S. Thomæ, verba, quæ auctor exscribit, loco ab eo citato non occurrunt. Illa tamen verba « hoc secundum congruitatem, et non secundum necessitatem est intelligendum » leguntur III part., qu. 80, art. 7, in quo quærit « utrum nocturna pollutio aliquem impediat a sumptione Eucharistiæ, » in resp. ad 2, ubi hac ratione accipiendum esse S. Hieronymi testimonium in cap. *Si sciatis* translatum declarat.

Digitized by Google

tracta ratione incestus vel adulterii ignorantia facti commissi, non privet jure suo petendi debitum conjugem sic ignoranter, et consequenter solum materialiter peccantem, habetur expresse in cap. *Si virgo* 5, caus. 34, quæst. 1 et 2, ibi : « Hinc etiam ignorantia excusat eum, qui nesciens dormivit cum sorore uxoris suæ, » et cap. *In lectum* 6, eadem caus. et quæst., ibi : « In lectum mariti, absente uxore, soror ivit uxoris, quam ille uxorem putans suam esse, dormivit cum ea; super hoc visum est, si ipse per securitatem veram hoc probaverit, quod inscius fecerit hoc scelus.... legitimam suam conjugem habere permittatur. »

(35. Debitum conjugale licite petitur, et redditur, etiamsi mulier sit prægnans, dummodo tamen absit periculum abortus. *Est communis* (26). Nec obstat textus cap. *Origo* 5, caus. 32, quæst. 4, cap. *Non solum* 15, eadem caus. 32, quæst. 7, cap. *Si causa* 4, caus. 33, quæst. 4, ubi videtur prohiberi accessus ad uxorem gravidam (27). Respondetur enim hoc esse de consilio, et non de præcepto, nisi in casu probabilis periculi abortus. ℣ (36. Licite etiam petitur eo tempore, quo mulier est lactans. *Est communis.* Nec obstat textus cap. *Ad ejus* 4, dist., ubi dicitur : « Ad ejus vero concubitum vir suus accedere non debet, quousque qui gignitur, ablactetur. » Respondetur enim etiam hoc esse de consilio, et non de præcepto, nisi in casu probabilis periculi mortis suæ prolis, quando scilicet mulier percipiat, quod ratione usus conjugii, lac suum notabiliter fiat noxium infanti, aut ad ejus nutritionem notabiliter deficiat. (37. Debitum petere, et reddere eo tempore, quo mulier est puerpera, id est post recentem partum, durante adhuc naturali purgatione mulieris, per se loquendo, non est quidem peccatum mortale, ut tenent plurimi doctores, at nihilominus communiter peccatum veniale deesse non solet, et hoc ob nimiam intemperantiam, quæ in copula ista fœditati juncta intervenire solet; Herincx, disp. 7, *De matrim.*, quæst. 6, n. 18; Sanchez, lib. IX *De matrim.* disp. 21; n. 7, et alii passim; et colligitur ex cap. *Ad ejus* 4, dist. 5, ubi, de mente S. Gregorii sic habetur : « Hæ itaque, quæ

(26) Sententia est sanctorum Patrum auctoritati innixa, in primisque sancti Augustini, usum matrimonii culpa non vacare, nisi propagandæ prolis, vel debiti reddendi causa exerceatur. Plura ex S. doctore producere monumenta, perfacile esset. Unum, vel alterum lectorum oculis sistimus. *Melior est quidem*, ait S. D. *L. De bono conjugali*, cap. 6 : « Ab omni concubitu continentia, quam vel ipse matrimonialis concubitus, qui sit causa gignendi : sed quia illa continentia meriti amplioris est; reddere vero debitum, nullius est criminis; exigere autem ultra generandi necessitatem CULPA VENIALIS, » etc. (Tom. VI *Operum*, col. 236.)

Et in *Enchiridio*, cap. 78. « Putari posset, *inquit*, non esse peccatum misceri conjugi, non filiorum procreandorum causa, quod bonum est nuptiale, sed carnalis etiam voluptatis; ut fornicationis..... mortiferum malum... incontinentium devitet infirmitas. Posset ergo, ut dixi, hoc putari non esse peccatum, nisi addidisset (Apostolus) : hoc autem dico *secundum veniam, non secundum imperium.* QUIS AUTEM ESSE PECCATUM NEGET? cum dari veniam facientibus, Apostolica auctoritate fateatur? » *Ibidem* colum. 166, Legesis, et S. Hieronymum *in caput* V *Epistolæ ad Ephesios*, l. II, t. VII *Operum*, editionis noviss. Veronen., colum. 637, et S. Gregorium Magnum, *in Regula pastorali.*, part. III, c. 27, tom. II *Operum*, edit. Benedict., colum. 80. Hinc S. Thom., in 4, distinct. 31, quæst. 2, art. 2, docet, « duobus solis modis conjuges absque omni peccato conveniunt; scilicet causa prolis procreandæ, et debiti reddendi, ALIAS AUTEM SEMPER EST IBI PECCATUM, AD MINUS VENIALE. » Qui igitur fieri potest, ut idem usus innoxius evadat, uxore prægnante, ut hic auctor absque ulla restrictione asserit? Sane, si sanctorum Patrum, sacrorumque canonum doctrinam consulamus, in contrariam sententiam declinemus, oportet.

S. Clemens Alexandr. l. II *Pædag.*, cap. 10 : *Ullum*, inquit, *induxit* (Moyses) veterum Hebræorum coeuntem cum sua uxore prægnante. Sola enim voluptas, si quis ea etiam utatur in conjugio, est præter leges, et injusta, et a ratione aliena. Rursus Moyses abduxit viros a prægnantibus, quousque pepererint... Nefas est ergo operantem jam Naturam adhuc molestia afficere, superflue ad petulantem prorumpendo libidinem » (II to. *Operum*, editionis Oxonii pag. 225.)

S. Ambrosius lib. I, *in Lucam*, num. 54 : « Ad cohibendam, *inquit*, petulantiam tuam manus quasdam tui Auctoris in utero hominem formantis advertis. Ille operatur, et tu sacri uteri secretum incestas libidine? Vel pecudem imitare, vel Deum verere. » (Tom. I *Operum*, edit. Benedict., colum. 1281.)

Videri etiam possunt SS. Augustinus et Hieron. locis laudatis. Quapropter sacris cautum est canonibus, ut qui cum uxoribus prægnantibus conveniebant, pœnitentiæ subjicerentur. Hoc constat ex Pœnitentiali Romano tit. 7, cap. 9 et 10, et ex Pœnitentiali Bedæ cap. 2 et 10. Unde S. Thomas in 4, distinct. 31, in Expositione textus : « Ideo Hieronymus vituperat accessum viri ad uxorem imprægnatam « Non tamen, quod semper sit peccatum mortale, nisi forte quando probabiliter timetur de periculo abortus. » Ex hucusque laudatis auctoritatibus perspicax lector judicium ferre potest, utrum canones ab auctore laudati consilium, an præceptum sonent, quos præceptum indigitare in promptu esset ostendere, si id necessitas expostularet. Unum addimus : scilicet ne incautus lector omnes doctrinas, quæ in hoc articulo leguntur, amplectatur, v. g. expositam sub n. 42 circa modum concumbendi; sub n. 45 de debiti petitione cum dubio circa matrimonii validitatem, quam e diametro esse oppositam sententiæ Innocentii III relatæ in cap. *Inquisitioni*, De sentent. excommunicationis, nemo sanæ mentis inficiabitur. *Vide* cl. Eusebium Amort. « in *Disquisitionibus dogmaticis de controversiis in theologia morali insignibus*, disquisit. 11, *De petitione debiti conjugalis*, quo tempore uxor est gravida; in qua *pluribus ostendit*, debitum conjugale nunquam sine peccato veniali exigi posse, post conceptionem moraliter certam. » (Confer Antoine, in *Tractatu de obligationibus*, cap. 3, quæst. 11, resp. 2, n. 2.)

(27) Sobrie et juste, et pie vivendum esse in hoc sæculo, omnibus præcipit Apostolus *ad Tit.*, cap. II. Conjuges vel qui conjugum peccata audire tenentur, ea verba perpendant, et quæ sequuntur S. Bonaventuræ, *Compend. Theol. Verit.*, l. VI, cap. 38 : « Potest quis accedere ad uxorem suam quatuor de causis : scilicet causa prolis, causa reddendi debitum, causa vitandæ incontinentiæ, quarto potest fieri causa explendæ libidinis : et hoc modo peccatum est veniale, vel mortale, secundum quod libido est venialis. vel mortalis. »

Digitized by Google

filios suos ex prava consuetudine aliis ad nutriendum tradunt, nisi purgationis tempus prius transierit, viris suis non debent admisceri : » et ex responsione *Nicolai I, ad consulta Bulgarorum*, cap. 68, ibi : « Quot diebus viro, postquam mulier filium genuerit, ab ea sit abstinendum non adinventionibus nostris, sed verbis beatæ memoriæ Gregorii Romani pontificis, ad Anglorum gentis Apostolum declaratur, qui Augustino episcopo, quem in Saxoniam ipse direxerat, scribens, inter cætera dixit : « Ad ejus vero (*id est mulieris*) concubitum vir suus accedere non debet, etc . »

(38. Debitum petere et reddere eo tempore quo mulier est menstruata, id est menstruo fluxui statutis temporibus subjacet, in Lege veteri cap. xx *Levitici* sub pœna capitali prohibebatur, ibi : « Qui coierit in fluxu menstruo, interficiantur ambo de medio populi sui : » Et licet quod hoc præceptum, tanquam cæremoniale, quoad pœnam cessaverit cum ipsa lege, tamen quia non solum erat indictum ad evitandam immunditiam legalem, sed etiam ne ex tali coitu proles nasceretur imperfecta, et quoad hunc respectum erat præceptum morale, etiam nunc est servandum, ut expresse docet S. Thom. in 4, dist. 32, q. unic., art. 2, q. 2, in corpor., ibi : « Accedere ad menstruatam in lege prohibitum erat duplici ratione, tum propter immunditiam, tum propter nocumentum, quod in prole ex hujusmodi commixtione frequenter sequebatur; et quoad primum, præceptum erat cæremoniale, sed quantum ad secundum erat morale, quia, cum matrimonium sit ad bonum prolis principaliter ordinatum, inordinatus est omnis matrimonii usus, quo bonum prolis impeditur. Et ideo hoc præceptum obligat etiam in nova lege propter secundam rationem, etsi non propter primam. » (39. Et hujus sententiæ fuerunt etiam S. Augustinus lib. III *De peccat. mort. et remiss.*, cap. 12, n. 22; S. Hieronymus, lib. VI *in Ezechiel.*, cap. 18, et S. Gregorius relatus in cit. cap. *Ad ejus* 4, dist. 5, et alii. Sed quia tales SS. Patres non explicant sub quali peccato obliget nunc tale præceptum, et S. Thomas *loc. cit.* subjungit quod talis « fluxus non durat nisi ad modicum tempus; unde prohibitum est ad talem accedere, similiter prohibitum est mulieri in tali fluxu debitum petere, » dicendum est quod debitum petere pro tali tempore sit ad minus peccatum grave veniale, ut vult communior doctorum; eo vel maxime, quod multi magni nominis Doctores sustinent esse peccatum mortale.

(40. Debitum conjugale licite petitur, et redditur etiam non servato debito concumbendi modo, aut situ, dummodo fiat propter aliquam justam et rationalem causam, v. gr. propter periculum suffocationis fetus, vel ægritudinem, vel aliam indispositionem corporis, puta nimiæ pinguedinis, et hujusmodi, et servetur vas naturale absque periculo extramissionis seminis, seu fraudationis generationis. Est communis. (41. Non est tamen licitum, saltem sub veniali, petere et reddere debitum non servato debito concumbendi modo, aut situ sine ulla rationabili causa, et solum majoris voluptatis gratia, ut colligitur ex cap. *Nervi* 2, dist. 13, cap. *Deinde* 3, dist. 26, cap. *Origo* 5, cap. *In eo* 12, et cap. *Liberorum* 14, caus. 32, quæst. 4, et cap. *Vir* 7, caus. 33, quæst. 4. Unde merito fuit ab Innocentio XI die 2 Martii 1679 damnata inter alias sequens propositio, nona in ordine, ibi : « Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa ac defectu veniali. » (42. Ita Rosignolus tract. 15 *De matrimonio*, prænot. 7, sect. 3, n. 4, cum communi aliorum, saltem quoad petere ; quamvis sit contra varios quoad reddere, volentes quod, quando conjux petens debitum peccat solum venialiter, vel ob circumstantiam se tenentem ex parte solius petentis, vel ob circumstantiam se tenentem ex parte ipsius actus, alter reddens nullo modo peccet, nec eximatur ab onere reddendi, ut docet Sanchez, *De matrimon.*, lib. IX, disput. 6, n. 6, cum variis aliis.

(43. Conjuges, qui mala fide, seu dubii de valore matrimonii contraxerunt, non possunt, stante illo dubio, nec petere nec reddere debitum, quia non est possessio pro matrimonio, sed pro sexto Decalogi præcepto copulam inter eos prohibente, nec alterutri favet possessio juris pro petendo debito, cum possessio juris inchoari non possit cum mala fide. Ita communis. (44. Si vero unus tantum conjux mala fide, seu dubius de valore matrimonii contraxit, non potest ille, stante tali dubio, petere debitum, tenetur tamen illud reddere alteri, qui bona fide contraxit, quia hic, qui bona fide contraxit, stante dubio, non est privandus suo jure, cum sit in possessione juris conjugii, ac, stante dubio, melior sit conditio possidentis ; habetur expresse cap. *Dominus* 2, De secundis nuptiis. (45. Si matrimonio bona fide contracto superveniat dubium de valore, poterit talis dubitans post debitam diligentiam et inquisitionem factam, ex qua veritas nondum comperta est, non solum reddere, sed etiam petere debitum; nam dubium superveniens bonæ fidei possessori obesse non debet. Ita ex communiori Sanchez, lib. II, disp. 41, quæst. 4, n. 45, et lib. I *Moral.*, cap. 10, n. 9; Barbosa in lib. V *Decretal.*, cap. *Inquisitioni*, n. 5, De sentent. excommunic.; Pirrhing, lib. V *Decretal.*, tit. 39, n. 108; Layman., *Theolog. moral.*, lib. I, tract. I, cap. 5, n. 24; Henricx, disp. 7, *De matrim.*, q. 6, n, 32; Reifenstuel, *Theolog. moral.*, tract. 14, disp. 13, n. 85; Diana, par. IV, tract. 13, resolut. 15; Terill., *De conscient.*, quæst. 23, n. 66; Dicastill., *De restit.*, d. 5, a. n. 221; Reginal., in *Praxi fori pœnitent.*, lib. XXXI, n. 100; Ægid., *De sacram. et censur.*, disput. 34, dub. 10, n. 105; Socin., in 4 *De just.*, quæst. 5, art. ult.; Valentia, to. IV, disp. 10, qu. 6, punct. 2; Lugo, *De justit.*, disp. 17, n. 88; Cardenas, in 2 crisi, d. 19, n. 107; La Croix, lib. VI, part. III, *De matrimon.*, n. 302, et apud ipsum ibidem dictus

Digitized by Google

Scotus, Vera Crux, Vict. Lopez, Suarez, Coninch. Bonacina, Lessius, Bress. Boss. Bardi, et alii contra multos alios ab ipso citatos.

(46. Et veritas nostræ assertionis colligitur ex S. Augustini verbis relatis in cap. *Si virgo* 5, caus. 34, quæst. 1 et 2, ubi sic expresse habetur: « Si virgo nupserit nesciens viro alieno, hoc si semper nesciat, nunquam ex hoc adultera erit; si autem sciat, jam ex hoc adultera esse incipit, ex quo cum alieno sciens cubaverit, sicut in jure prædiorum tandiu quisque bonæ fidei possessor rectissime dicitur, quandiu se possidere ignorat alienum; cum vero sciverit, nec ab aliena possessione recesserit, tunc malæ fidei possessor perhibetur. » Et ex cap. *Laudabilem* 2, Ut lite pendente ubi sic præcise a Clemente III fuit responsum: « Respondemus quod conjugum alteruter accusatus (*De matrimonii defectu*) ante probatam accusationem jure, quod habet in altero, privari non possit. » Et ex cap. *Dominus* 2, De secundis nuptiis, ubi Lucius tertius supponit, si secundo matrimonio bona fide contracto superveniat dubium de morte prioris conjugis, posse eum, qui bona fide contraxit, petere debitum, et alterum, etiamsi mala fide contraxerit, posse reddere, ibi: « Super matrimoniis, quæ quidam ex vobis, nondum habita obeuntis conjugis certitudine, contraxerunt, id vobis respondemus ut nullus amodo ad secundas nuptias migrare præsumat, donec ei constet quod ab hac vita migraverit conjux ejus; si vero aliquis, vel aliqua id hactenus non servavit, et de morte prioris conjugis adhuc sibi existimat dubitandum; ei, quæ sibi nupsit, debitum non deneget postulanti, quod a se tamen noverit nullatenus exigendum. Quod si post hoc de prioris conjugis vita constiterit, relictis adulterinis complexibus, ad priorem conjugem revertatur. » Et ratio nostræ assertionis est, quia talis sic dubitans, præmissa debita diligentia et inquisitione, habet ignorantiam invincibilem de invaliditate matrimonii, ergo manet possessio pro validitate matrimonii bona fide contracti, juxta cit. cap. *Si virgo* 5, caus. 34, quæst. 1 et 2, ibi: « Bonæ fidei possessor rectissime dicitur, quandiu se possidere ignorat alienum; » adeoque manet in jure petendi debitum, cum melior sit conditio possidentis, et dubium superveniens bonæ fidei possessori obesse non debeat. (47. Et hoc ipsum a fortiori est dicendum, si dubium superveniens, oriatur solum ex levi ac temeraria credulitate, nam potest tale dubium ad consilium proprii pastoris, seu parochi deponi, ac debitum conjugale non solum licite reddi, sed etiam peti, textu expresso in cap. *Inquisitioni* 44, De sentent. excommun., ibi: « Et quidem ad sui pastoris consilium (conscientia levis, et temerariæ credulitatis explosa) licite potest non solum reddere, sed exigere debitum conjugale. »

(48. Nec valet objicere contra nostram principalem assertionem, id quod Innocentius tertius prosequitur immediate dicere in d. cap. *Inquisitioni*, ibi: « Verum cum conscientia pulsat animum ex credulitate probabili, et discreta, quamvis non evidenti et manifesta, debitum quidem reddere potest, sed postulare non debet, ne in alterutro, vel contra legem conjugii, vel contra judicium committat offensam. » (49. Non valet, inquam, quia, ut optime respondet Cardin. De Lugo, tom. 1, disp. 17, n. 88, vel Pontifex in d. c. *Inquisitioni* loquitur solum de conjuge, qui nondum adhibuit debitam, et sufficientem diligentiam pro cognoscenda veritate, ut volunt multi, quos sequitur Sanchez lib. II *De matrim.*, disp. 41, quæst. 4, n. 53. Vel etiam dato quod universaliter loquatur, dicere possumus ex illo magis confirmari nostram conclusionem; nam alter conjux, qui erat possessor bonæ fidei, dicitur posse petere, et reddere; alter autem, dum habet dubium, non permittitur petere, quia nimirum in casu illius textus conjux non habebat dubium mere negativum, sed potius credulitatem, et opinionem positivam, de impedimento matrimonii, ut constat ex verbis illius capitis; stante autem illa opinione de impedimento, et non stante opinione etiam probabili de negatione impedimenti, non poterat conjux petere, quia nullum habebat indicium saltem probabile de valore illius matrimonii; unde apparet quod Innocentius III in d. cap. *Inquisitioni*, ideo sic respondit, quia ille, de quo erat casus, ab initio mala fide contraxerat matrimonium, quia videlicet positive dubitabat de ejus valore, ut proinde sit casus similis illi, qui refertur in cit. cap. *Dominus* 2, De secundis nuptiis; ubi Lucius tertius, ut apparet ex suis verbis adductis supra sub n. 45, respondet dubitantem de valore matrimonii, quod contraxerat, nondum habita certitudine conjugis prioris præmortuæ, debitum interim a conjuge sua exigere non posse. (50. Hinc non facit objectio talis textus pro nostro casu, qui est de dubio superveniente matrimonio jam bona fide contracto, adeoque licet sic dubitans petendo debitum post adhibitam debitam diligentiam se exponat periculo fornicationis materialis, non se exponit tamen periculo fornicationis formalis, cum ignorantia invincibilis in bonæ fidei possessore a peccato formali excuset. Nam Innocentii definitio locum habet quoties *conscientia pulsat animum ex credulitate probabili*. Hinc de valore matrimonii bona fide contracti dubitans, nisi *post debitam diligentiam, et inquisitionem factam* dubium deposuerit, a petendo abstineat.

(51. Si conjux pro certo cognoscat invaliditatem matrimonii, eo quod indubitanter sciat subesse impedimentum dirimens, quamvis hoc in facie Ecclesiæ probare nequeat, non solum non potest petere, sed nec reddere debitum, non obstante quod per sententiam judicialem Ecclesiæ (quæ de occultis non judicat), vel etiam per excommunicationem ad id compellatur, aut ab altero conjuge, absque gravi scandalo, aut etiam absque manifesto vitæ periculo discedere nequeat. Est communis: et ratio est, quia in nullo casu potest quis scienter for-

Digitized by Google

nicari, seu alteri carnaliter commisceri extra legitimum matrimonium; hoc enim est intrinsece malum; unde talis potius in foro externo debet humiliter sententiam excommunicationis sustinere, ut expresse statuitur in cap. *Litteras* 13, De restitut. spoliat., ibi : « Cum mulier, quæ consanguinitatis habet notitiam, præsertim in gradibus, quos lex divina (*Levitici* c. XVIII) prohibuit, non possit hujusmodi viro sine peccato mortali carnaliter commisceri; quoniam omne, quod non est ex fide, peccatum est, et quidquid fit contra conscientiam, ædificat ad gehennam : frustra in tali casu adjudicaretur restitutio spoliato, cum illa contra Deum non debeat in hoc judici obedire, sed potius excommunicationem humiliter sustinere. » Idem declarat ipsemet Innocentius III in cap. *Inquisitioni* 44, De sentent. excommun., ibi : « Credimus distinguendum utrum alter conjugum pro certo sciat impedimentum conjugii, propter quod sine peccato mortali non valet carnaliter commercium exercere, quamvis illud apud Ecclesiam probare non possit, an non sciat pro certo, sed credat. In primo casu debet potius excommunicationis sententiam humiliter sustinere, quam per carnale commercium peccatum operari mortale. » Talis enim conjux, ex simili excommunicatione contra se lata, non ligatur apud Deum, cum irrita et invalida sit excommunicatio, quæ peccato mortali non nititur, ut ait concilium Meldense in cap. *Nemo* 41, caus. 11, quæst. 3, nec proinde veræ censuræ effectum producere valeat, ut constat de mente Gelasii I relat. in cap. *Cui est* 46, dict. caus. 11, quæst. 3, et de mente S. Hieronymi relati in cap. *Quomodo* 44, ead. caus. et quæst., et de mente S. Augustini in cap. *Cæpisti* 48, in cap. *Quid obest*, 50, et in cap. *Etsi* 13, ead. caus. et quæst. Et expresse Glossa in cap. *Si quis* 70, caus. 1, qu. 1, ibi : « Quid ergo si episcopus excommunicet? patienter ferat, nec curet, cum non ligetur apud Deum. » (52. Quod autem nequeat conjux ab alio discedere absque gravi scandalo, aut etiam absque manifesto vitæ periculo, nihil refert, nam ut expresse dicitur in reg. 3 *Juris* : « Utilius scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur. » Et occisus ex hac causa meretur pro servanda virtute supernaturali castitatis, et sic evaderet martyr, nam non solum qui propter confessionem fidei, sed etiam qui pro defensione aliarum virtutum supernaturalium moriuntur, martyrii palmam consequuntur. Generaliter enim loquendo omnia virtutum opera, quatenus referuntur in Deum, sunt quædam fidei protestationes, quia, dum quis potius vult mori quam Deum peccato quopiam offendere, ipso facto protestatur Deum esse summum bonum, ac omnibus aliis bonis creatis præferendum; quod est articulus fidei Christianæ; unde sanctus Augustinus serm. 250 *De tempore*, etc., sic expresse dicit : « Christianis quotidiana martyria deesse non possunt; sicut enim castitas, et veritas, et justitia, Christus est, sic et ille, qui eis insidiatur, persecutor est; qui et in aliis defendere, et in se custodire voluerit, martyr erit. »

(53. Conjux, qui, durante matrimonio, contraxit affinitatem cum sua consorte, cognoscendo videlicet carnaliter ejus consanguineam in primo vel secundo gradu, non potest petere debitum; cap. *Qui dormierit* 30, caus. 27, qu. 2, cap. *Si quis* 1, *De eo, qui cognovit*, etc. (54. Licite tamen potest reddere, imo tenetur, textu expresso in c. *Discretionem* 5, De eo qui cognovit, etc., ibi : « Nec affinitas, quæ post contractum legitime matrimonium inter virum et uxorem inique contrahitur, ei debet officere, quæ hujusmodi iniquitatis particeps non existit, cum suo jure non debeat sine sua culpa privari, » et c. *Tuæ fraternitatis*, 10, eod. tit., ibi : « Vir ejus poterit, et debebit cum Dei timore debitum ei solvere conjugale, cum affinitas post matrimonium inique contracta illi nocere non debeat, quæ iniquitatis particeps non existit. » (55. Notanter autem fuit dictum *consanguineam in primo et secundo gradu*, quia, si esset consanguinea solum in tertio, aut quarto gradu, non incurreret pœnam non petendi debitum, prout, teste Farinaccio in declar. super sess. XXIV *Conc. Trid.*, c. 4, De reformat. matrim., declaravit Gregorius XIII his verbis : « Sanctissimus dominus noster Gregorius XIII ex sententia cong. dixit, per hoc decretum sublatum censeri impedimentum quoque supervenientis affinitatis post contractum matrimonium, quia, si impedimentum dirimens sublatum est, quod majus est, ergo et illud quod impedit, ne is, per quem contracta est affinitas, sine peccato possit exigere debitum, quod minus est. »

(56. Conjux voto simplicis castitatis adstrictus licite non potest petere debitum, tenetur tamen reddere; cap. *Quidam* 3, cap. *Charissimus* 12, De conversion. conjug., cap. *Sunt qui* 19, caus. 27, qu. 2, cap. *Si dicat* 1, c. *Notificasti* 2, cap. *Una sola* 6, et c. *Noluit* 16, caus. 33, qu. 5. Et ratio est quia votum castitatis includit obligationem præcepti negativi, cum vovens se obstringat ad se abstinendum ab omni actu venereo; adeoque votum castitatis ab uno conjuge factum obligat semper, et pro semper quoad ea, quæ cum matrimonio sunt compatibilia; compatibile autem est non petere debitum, licet non reddere non sit compatibile. Nec valet dicere quod hoc esset nimis difficile conjugi voventi, et nimis onerosum alteri conjugi non voventi, maxime si conjux non vovens sit mulier, quæ verecundabitur petere. Non valet, inquam, quia, si conjugi voventi sit difficile, sibi imputet, et petat dispensationem, et onerosum alterius conjugis non voventis tollitur, ex quo conjux vovens possit reddere, non solum quando alter petit expresse, sed etiam quando ex signis, quæ inter conjuges sunt nota, advertit alterum conjugem optare, ut patet ex dictis supra n. 6, 7 et 8.

Digitized by Google

ARTICULUS III.

Quoad ea quæ concernunt dispensationem super impedimento petendi debitum conjugale.

SUMMARIUM.

1. Dispensatio ad hoc ut sit valida, debet dari ex legitima et justa causa. — 2. Possunt episcopi ad petendum debitum dispensare cum conjuge, qui ante matrimonium emisit votum perpetuæ castitatis, eoque ligatus nupsit. — 3. Idem possunt cum conjuge, qui post matrimonium, sive consummatum, sive non, prædictum emisit votum vel cum, vel sine consensu alterius conjugis, dummodo non fuerit emissum ab utroque cum reciproca et expressa renuntiatione juris, ad n. 6. — 7. Excipiuntur casus urgentis necessitatis, in quibus episcopi dispensare possent etiam in votis Summo Pontifici reservatis, et consequenter, super ipsorum impedimento reddendi debitum : et qui sint urgentis necessitatis casus innuuntur, ad n. 8. — 9. Insuper possunt episcopi dispensare ad petendum debitum cum impeditis ratione contractæ affinitatis, et cognationis spiritualis cum sua conjuge. — 10. Eadem potestas dispensandi super impedimento petendi debitum conjugale competit etiam capitulis, eorumque vicariis capitularibus sede episcopali vacante, et vicario generali episcopi, maxime si specialem ab illo facultatem habeat, ad n. 11. — 12. Regulares mendicantes, aliique omnes cum ipsis communicantes possunt dispensare ad petendum debitum, tam super impedimento proveniente ex voto simplici castitatis perpetuæ, ante, vel post matrimonium contractum inito, quam super impedimento proveniente ex affinitate contracta ratione copulæ habitæ cum consanguinea, vel consanguineo, etiam in primo gradu alterius conjugis, ad n. 18. — 19. Confessarii regulares possunt valide et licite dispensare super impedimento petendi debitum in primo, ex nuper expressis casibus, licet non sint ad hoc specialiter deputati a suis superioribus majoribus, at in secundo probabilius est non posse, nisi ad id specialem præfatorum commissionem habeant; non desunt tamen magni nominis doctores pro affirmativa, ad n. 22.

(1. Præmisso quod dispensatio, ad hoc, ut sit valida, debet dari ex legitima et justa causa, alias per doctores communiter esset irrita et invalida, et facta ex abusu potestatis concessæ, ex Apostolo *I Ad Corinth.*, c. XIII, v. 10 : *In ædificationem, et non in destructionem.* (2. Possunt episcopi ad petendum debitum dispensare cum conjuge, qui ante matrimonium emisit votum perpetuæ castitatis, eoque ligatus nupsit. S. Antoninus, III par., tit. 1, c. 22, § 2; Joann. Andreas, in cap. *Rursus qui clerici, vel voventes*, n. 6, et ibi Ancharan., n. 2; Præpositus, n. 6; Angelus, verb. *Matrimonium* 3, impediment. 5, n. 3; Ugolinus, *De matrim.*, cap. 20, n. 10; Brunellus, *De sponsalibus concl.*, n. 4; Valentia, IV part. 10, qu. 5; Scotus, in 4, dist. 37, qu. unica, art. 1; Reiffenstuel, lib. IV *Decretal.* in *Appendice de dispensatione super impedimentis*, n. 564; Rossignolus, *De matrimon.*, disp. 12, quæst. 4, cum pluribus aliis contra Silvestrum verb. *Dispensatio*, qu. 9, n. 15; Guttierez, *Canon* qq. lib. I, c. 23, n. 17, et varios alios. Et ratio est quia, licet episcopi hoc non possint de jure ordinario, prout notat Azor. tom. I, lib. XI, c. 19, qu. 8; Toletus, lib. IV, c. 18, n. 1, dist. 2; Graffius, in dec., par. I, lib. 1, c. 13, n. 80; Diana, part. I, tract. 11, resolut. 66, et alii, possunt tamen vigore consuetudinis et communis praxis, secundum quam omnes episcopi, scientibus pontificibus et non reclamantibus, quoad hoc jus petendi dispensant, consuetudo autem præscripta dat jurisdictionem per textum clarum in cap. *Cum contingat* 13, De foro competenti, et quidem juxta rectam rationem inducta est quoad originem et continuationem hæc consuetudo et praxis, quandoquidem possunt conjuges periculo incontinentiæ subesse, etc.

(3. Possunt etiam episcopi ad petendum debitum dispensare cum conjuge qui post contractum matrimonium, sive illud fuerit consummatum, sive non, emisit votum perpetuæ castitatis, sive cum vel sine consensu alterius conjugis, sive ab illo solo, sive etiam ab altero conjuge seorsim, dummodo non fuerit emissum ab utroque conjuge cum reciproca conventione et expressa renuntiatione reciproci juris; Sanchez, lib. VIII *De matrim.*, disp. 11, a num. 4 ad octavum; Aragonius, 2-2, quæst. 88, art. 8; Joannes Angelus, Bossius, *De triplic. jub. privileg.*, sect. 2, cas. 20, num. 13; Basilius Pontius, lib. VIII *De matrim.*, cap. 9, num. 2; Bartholomæus a S. Fausto, lib. III *Thesaur. religios.*, quæst. 79; Rossignol., *loco citato*, n. 23; Reiffenstuel, *loco cit.*, num. 559; Sporer, tom. I, tract. 3, in 2 *præcept. Decalog.*, c. 3, num. 76, et alii plurimi. Et ratio est quia votum post contractum matrimonium emissum ab uno conjuge, sive cum vel sine consensu alterius conjugis, sive ab illo solo, sive etiam ab altero conjuge seorsim, quoties non est emissum cum reciproca conventione et expressa renuntiatione reciproci juris, licet videatur elici absolute et perfecte, non potest tamen vere dici votum perfecte absolutum, et integræ castitatis, quia unus conjugum, sine expressa renuntiatione sui juris facta ab altero conjuge, non potuit vovere absolutam et integram castitatem in præjudicium alterius conjugis, cui reddere debitum ex justitia obligatur; vovit ergo solum castitatem partialem, et secundum quid, scilicet non petere debitum, quale votum secundum omnes non est reservatum Sum. Pontifici, adeoque dispensabile ab episcopis; unde si episcopi dispensando tollere possunt, et actu tollunt votum, quod est unica causa et radix impedimenti, utique etiam tollere possunt, et dispensando tollunt ipsum impedimentum, eo quod, cessante causa, cesset effectus: c. *Cum cessante* 60, De appellat.

(4. Notanter autem fuit dictum, dummodo non fuerit emissum ab utroque conjuge cum reciproca conventione, et expressa renuntiatione reciproci juris, quia, vi hujus mutui contractus et reciprocæ conventionis, a petendo et reddendo abstinendi licite et valide, absolute et integre vovent; et sic cum in tali casu utraque pars, vi conventionis sit liberata etiam ab obligatione reddendi debitum, consequenter votum libere obser-

Digitized by Google

vari possit et debeat, ac votum sit absolutum et perfectum ex parte utriusque, et ideo reservatum Summo Pontifici, arg. Extrav. *Et si Domini* 5, *De pœnit. et remiss.*, dispensare in illo episcopi non possunt; Sanch., lib. IX *De matrim.*, disp. 37, n. 10; Sporer, *loc. cit.* n. 76; Ancharan; in c. *Dudum*, De convers. conjugator., n. 12; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 561, cum Abbate, Innocent., Joan., Andræa, ibi citatis, et communiori tam theologorum quam jurisperitorum; arg. cap. *Quod Deo*, caus. 33, quæst. 1, ubi de mente S. Augustini sic expresse habetur: « Quod Deo pari consensu voveratis, perseveranter usque in finem reddere ambo debuistis. A quo proposito si lapsus est ille, tu saltem instantissime persevera. » *Vide* artic. antecedent. sub num. 24. (5. Nec valet objicere quod sicuti ex dictis num. 2 possunt episcopi dispensare in petendo debito cum impeditis ratione voti perpetuæ et perfectæ castitatis ante matrimonium emissi, ita etiam possunt cum impeditis ratione voti perpetuæ, et perfectæ absolutæque castitatis post matrimonium emissi. Non valet, inquam, quia absolute negatur paritas; quia cum illis, qui obstricti voto perpetuæ et perfectæ castitatis ante matrimonium emisso, dispensant episcopi ratione præscriptæ consuetudinis juste et rationabiliter introductæ, ad evitandum evidens incontinentiæ periculum in conjuge, qui nunquam posset petere debitum, et tamen semper teneretur reddere, quod periculum minime intervenit in illis, qui post contractum matrimonium cum reciproca conventione et expressa renuntiatione reciproci juris vovent perpetuam et perfectam castitatem, in ipsis enim non adest tale periculum, cum nulla pars debitum petere et reddere licite possit. (6. Unde sicut pro istis nulla introducendi consuetudinem dispensandi habetur justa ratio, de nulla etiam dispensandi scitur consuetudine episcoporum, et consequenter nulla habetur potestas dispensandi; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 563; Sanchez, *De matrim.*, lib. VIII, disp. 11, n. 10, et alii.

(7. Excipiuntur tamen casus urgentis necessitatis, in quibus episcopi dispensare possunt etiam in votis Summo Pontifici reservatis, et consequenter super ipsorum impedimento petendi debitum. Sanchez lib. VIII *De matrimon.*, disp. 9, num. 22; Rodriguez, t. XI, *Qq. regul.* q. 63, art. 6; Navarrus, in *Manual.*, c. 12, num. 77; Silvester, verb. *Votum* 4, quæst. 4; Layman., lib. IV, tract. 4, cap. 8, num. 16; Sporer, *loc. cit.*, num. 71; Reiffenstuel, lib. III *Decretal.*, tit. 34, num. 37, et alii passim. Et ratio desumitur ex epikeia (Επιεικεια), et rationabiliter præsumpta mente Summi Pontificis, nolle eum sibi vota reservare in quocunque casu, sed potius contentum esse, ut urgente gravi necessitate cum impedimento ipsum adeundi, potestas dispensandi devolvatur ad episcopum proprium, ne alias animæ laqueis irretitæ in tam magno versentur periculo. (8. Tales autem casus urgentis et gravis necessitatis, in quibus dispensare possunt episcopi, sunt illi, qui ratione pestis, belli, seu alterius hujusmodi impedimenti, vel nullimode, vel nisi cum maxima difficultate possunt deferri ad Summum Pontificem, vel sine gravi periculo, scandalo aut tali malo possunt differri, seu suspendi usque ad obtentam dispensationem a Summo Pontifice, ut v. g. si ex dilatione matrimonii usque ad responsum pontificis ex parte voventis, seu inter contracturos urgeat evidens et proximum periculum incontinentiæ, si matrimonium differri nequeat sine gravi sponsi, vel sponsæ, vel eorum familiæ dedecore, si puella deflorata prolesque nascenda infamanda sit; maxime si sponsus, aut alias delinquens sit morti jam proximus, et nisi gravidam ducat, nascenda sit proles illegitima, vel sint oriturae graves discordiæ inter cognatos, et his similia, de quibus doctores citati, et præcipue Sanchez lib. II *De matrimon.*, disp. 40.

Nota Romani theologi.

Quæ circa episcoporum potestatem dispensandi in aliquibus matrimonii impedimentis docet auctor, cum distinctione excipienda sunt. Ac primo quidem, licet aliqua ipsis episcopis in prædictis impedimentis facultas dispensandi competat, ea tamen non ordinaria, sed extraordinaria prorsus censenda est. Ordinaria siquidem facultas dispensandi in lege a superiore sancita inferiori inesse minime potest; impedimenta autem matrimonii, vel a generalibus conciliis, vel a Summis Pontificibus ortum habent; atque ideo jure ordinario nequeunt in ipsis Episcopi utpote inferiores dispensare. Atque hanc eamdem potestatem dispensandi, præsertim in impedimentis dirimentibus publicis, minime episcopis inesse multis demonstrat Benedictus XIV in *Synodo diœcesana*, l. IX, cap. 2, editionis Romanæ, anni 1755. Per extraordinariam igitur facultatem possunt episcopi dispensare in impedimentis occultis, dummodo tres simul istæ circumstantiæ concurrant: Prima, si matrimonium sit publice contractum, seu in facie Ecclesiæ, præmissis denuntiationibus, et bona saltem unius fide ex juris aut facti ignorantia. Secunda, si sit consummatum, et sine scandalo nequeant conjuges separari. Tertia; si adiri nequeat facile prima Sedes, sive a Pontifice dispensatio obtineri ob conjugum paupertatem, locorum distantiam, similesque causas, et periculum peccandi ex tanta dilatione probabiliter timeatur. Si una ex his desit circumstantiis, debet per ordinarium peti a Sede Apostolica dispensatio in forma pauperum, ut docet Cabassutius in *Theoria et praxi juris canonici*, lib. III, cap. 27, n. 7. Deinde possunt episcopi dispensare in aliquo occulto impedimento, etiam ante contractum matrimonium, si nequeat Summus Pontifex consuli; nec possit matrimonii contractus differri sine scandalo, et illorum qui nuptias celebrare debent, infamia.

(9. Insuper possunt episcopi dispensare ad petendum debitum cum impedito ratione

Digitized by Google

affinitatis contractæ, et cognationis spiritualis cum sua conjuge. Ita quoad primam partem Sanchez, lib. VIII *De matrimon.*, disp. 12, n. 13; Paludanus, in 4, dist. 42, quæst. 1, art. 3, conclus. 2, n. 28, et conclus. 3, n. 29; Sotus, in 4, dist. 37, q. unic., art. 2, colon. 4, vers. *Dubium autem;* Corduba, in suo *Quæstionario*, lib. I, q. 12, art. 2, dist. 4 et 5; Petrus Ledesma, *De matrim.*, q. 58, art. 4, dub. 2, vers. *In hujus rei explicationem;* Silvester, verb. *Matrimon.* 8, q. 15, dist. 7; Vivald., *Candelab. sacrament.*, I p., n. 210; Sa, verb. *Debitum*, n. 13; Rosignolus, *loc. cit.*, n. 27; Reiffenstuel., *loc cit.*, n. 565; Sorbus, in *Compend. privileg.*, verb. *Absolutio qua ad sæculares* 2, vers. *Tertio advertendum*, ubi citat communem. Et quoad secundam partem, nempe de impedimento ratione cognationis spiritualis, tenet S. Antoninus III p., tit. 1, cap. 15, § 3; Paludanus, *loc. cit.*, q. 1, art. 1, conclus. 1, n. 6; Vera Crux, I part. *Specul.*, art. 57, vers. *Sed contra*; Graffius, I part. *Decision.*, l. II, cap. 83, n. 12; Navarrus, *Summa*, in c. 16, n. 34, vers. *Interrogatus autem;* Valentia, IV part., disp. 10, q. 5, punct. 5, in fine; Ludovicus Lopez, I p. *Instruct.*, cap. 85, col. 2, vers. *Præterea si conjux;* Rosign., *loc. cit.*, n. 27, et alii passim. Et ratio quoad utramque partem est, quæ fuit assignata supra n. 2.

(10. Eadem potestas dispensandi super impedimento petendi debitum conjugale competit etiam capitulis, eorumque vicariis capitularibus sede episcopali vacante. Capitulum enim, seu ejus vicarius capitularis succedit in omnes actus jurisdictionis episcopalis, demptis casibus in jure expressis; cap. *Cum olim* 14, De majorit. et obedient., et cap. unic. *De majorit. et obedient.*, in 6, ubi, sede vacante, Capitulo indistincte attribuitur episcopalis jurisdictio his verbis: « Episcopali sede vacante, potest capitulum, seu is ad quem episcopalis jurisdictio tunc temporis noscitur pertinere, etc., » c. *Cum nullus* 3, § *Episcopo, de temporibus ordinat.*, in 6, ibi: « Sede vacante, capitulum seu is, ad quem tunc temporis administratio spiritualium noscitur pertinere, etc. » Et sic expresse tenet Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 566, et alii passim. Item super impedimento petendi debitum dispensare potest vicarius generalis episcopi; maxime si habeat specialem facultatem ab ipso episcopo, ut communiter sustinent doctores. Si autem non habeat hanc specialem facultatem, communius docent doctores non posse dispensare, quia dispensatio est species quædam gratiæ ac remissionis, quæ in generali concessione non venit; Rebuffus in *Praxi benefic.*, p. I, tit. *Forma vicariatus*, n. 54 et sequent.; Guttierez, *Canonic. qq.*, lib. I, cap. 19, n. 15; Monet., *De commut. ult. volunt.*, c. n. 478; Sbroz., lib. II, q. 34, n. 2; Peregrin. in *Praxi vicarior.*, p. I, sect. 2, subsect. 2, n. 52, et alii. Unde non potest vicarius generalis absque speciali mandato dispensare in irregularitatibus et suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, sicuti potest episcopus in vim concilii Tridentini sess. XXIV, cap. 6, *De reformat.*, quia concilium hanc facultatem non tribuit vicario generali, nisi specialem commissionem ad hoc habenti, prout patet ex præcisis verbis ejusdem; ibi: « Per se ipsos, aut vicarium ad id specialiter deputandum. » Rebuffus, *l. c.*, n. 45; Barbosa, p. III, *De offic. et potest. episcop.*, allegat. 54, n. 121; Garcias, p. V, *De benefic.*, c. 8, n. 47 et 48; Engel, lib. I, tit. 28, n. 10, Reiffenstuel, lib. I *Decret.*, tit. 28, n. 87 et alii.

11. Regulares mendicantes, aliique omnes cum ipsis communicantes possunt dispensare ad petendum debitum, tam super impedimento proveniente ex voto simplici castitatis perpetuæ ante vel post contractum matrimonium inito, quam super impedimento proveniente ex contracta affinitate, ratione copulæ habitæ cum consanguinea, vel consanguineo etiam in primo et secundo gradu alterius conjugis; *Est fere communis.* Primam partem docent specialiter Sanchez lib. VIII *De matrim.*, disput. 16, n. 3; Vera Crux, I part. *Specul.*, art. 15; Rodriq., t. II, seqq. *Regul.*, qu. 63, art. 2; Quintanadvenas, *Singular.*, tract. 9, singul. 2, n. 5; Henriquez, l. XII, *De matrim.*, c. 2, n. 9; Reiff., *l. c.*, n. 568; Bonagratia Habsensis, verb. *Dispensatio*, n. 148, et verb. *Privilegium*, n. 420, § *Viri quoque gravissimi;* P. Bassæus, tom. II, verb. *Privilegium*, n. 8; Hurtado, Sorbus, et alii, qui communiter probant conclusionem ex privilegio a S. Pio V concesso nobis Franciscanis de Observantia, 26 Octobris 1569 uti refertur in compendio meritissimæ Societatis Jesu, tit. *Dispensatio*, § 4, et in compendio Minorum, tit. *Dispensat.*, post adnotationem Capuccin. Et hoc insuper probatur quia possunt supradicti regulares dispensare in omnibus votis, in quibus jure ordinario possunt dispensare episcopi, ut clare patet ex pluribus privilegiis Summorum Pontificum, et signanter Innocentii VIII, Eugenii IV, Martini V, Pauli III, Gregorii XIII, ut videri potest in compendiis privilegiorum Dominicanorum, Minorum, Augustinianorum, Carmelitarum, Societatis Jesu, etc. Atqui episcopi possunt dispensare ad petendum debitum super impedimento proveniente ex voto simplici castitatis perpetuæ ante vel post contractum matrimonium inito, ut patet supra n. 2 et seq.; ergo idem poterunt etiam regulares. (12. Quoad secundam partem docent specialiter Sanchez, lib. VIII *De matrimon.*, disp. 16, n. 8; Vera Crux, I p. *Specul.*, art. 23 in fine; Henriquez, lib. XI, *De matrim.*, cap. 15, n. 11; Quintanadvenas, *Singular.*, tractat. 6, singul. 3; Reiffenst., *loc. cit.*, n. 571; Sorbus, in *Compendior. privileg.*, verb. *Absolutio* 2, quoad sæculares, et alii, qui communiter iterum probant conclusionem ex privilegio, vivæ vocis oraculo nobis Franciscanis de Observantia a S. Pio V, concesso his verbis: « Possunt dicti confessarii, si sint viri docti, et in forma concilii Tridentini approbati, ex commissione provincialis dispensare in foro conscientiæ ad petendum debitum

Digitized by Google

cum his, qui consanguineum vel consanguineam sui conjugis post matrimonium cognoverunt. »

(13. Quia tamen adducta privilegia non satis videntur probare, ex quo fuerint concessa solum vivæ vocis oraculo, et privilegia vivæ vocis oraculo concessa revocata sint a Gregorio XV, 2 Junii 1622, constit. incipien. *Romanus*, et ab Urbano VIII, 20 Decembris 1631, constitut, incipient. *Alias felicis*, ideo probatur efficacius ex privilegio Eugenii IV quod non vivæ vocis oraculo, sed per bullam concessit Benedictinis congregationis Casinensis 1436 pridie Kalendas Julii ; et refertur in *Bullario Casinen.*, tom. I, constit. 36, quam etiam alii allegant doctores, præsertim Murga to. II *Disquisit. moral.*, disquisit. 1, dub. 13, n. 121. Et quamvis in præfata bulla expresse non contineatur facultas dispensandi cum incestuosis conjugibus ad petendum debitum, tamen Julius II expresse declaravit hanc potestatem vi dictæ bullæ Eugenianæ esse concessam, et suam ipsam declarationem notificari fecit a Ludovico S. Marcelli presbytero cardinali et maximo pœnitentiario, et officiali Papæ, et ab eo sigillo officii pœnitentiariæ subsignatam ; quæ (teste Murga) authentico Casinensi bullario est inserta tenoris sequentis : « Nos igitur auctoritate domini nostri Papæ, cujus pœnitentiariæ curam gerimus, et de ejus speciali et expresso mandato super hoc vivæ vocis oraculo nobis facto, ut tam vigore concessionis Apostolicæ prædictæ, quam verborum hujusmodi in illa appositorum, vos et pro tempore existente dictorum monasteriorum abbates, priores, præsidentes et monachi prædicti conjugatos hujusmodi, qui post contractum matrimonium consanguineas uxorum suarum cognoverunt, vel uxores quæ a consanguineis virorum se carnaliter cognosci permiserunt, a talibus excessibus absolvere et eis salutarem pœnitentiam injungere, nec non cum eis et eorum quolibet, ut, non obstante affinitate superveniente, debitum conjugale reddere et exigere valeant, dispensare libere et licite valeatis, ac possint ac valeant, perpetuo declaramus, in contrarium non obstantibus quibuscunque. »

(14. Nec valet dicere quod hæc declaratio sit facta seu concessa a Julio II solo vivæ vocis oraculo, et consequenter sit revocata per citatas constitutiones Gregorii XV et Urbani VIII. Non valet, inquam, quia, licet in citatis constitutionibus sint revocata privilegia solo vivæ vocis oraculo concessa, non sunt tamen revocatæ declarationes quæ vivæ vocis oraculo fiunt super privilegiis bullatis, quia tales declarationes nil novi concedunt, sed præcise quod jam concessum est declarant. (15. Tum quia Urbanus VIII ex post die, scilicet 11 Aprilis 1635, constitutione incipien. *Alias felicis*, declaravit oracula vivæ vocis facta officialibus Papæ adhuc vigere et suam sortiri vim, ac si prædictæ duæ constitut. citatæ sub n. 14, quod ad illos non emanassent, ibi : « Motu proprio certaque scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine ; officiales seu ministros prædictos, quibus alias ante emanatas prædictas constitutiones, ex officiorum suorum auctoritate et prærogativa, de oraculo per eos a Romanis Pontificibus pro tempore existentibus habito, fides haberi solebat quoad ea quæ, ut præfertur, ad cujuslibet eorum officium seu munus quo funguntur pertinent, in litteris etiam nostris prædictis, super revocationem oraculorum hujusmodi emanatis, minime comprehensos fuisse nec esse, nec comprehendi debere declaramus et decernimus, et ad abundantiorem cautelam eosdem officiales seu ministros adversus easdem constitutiones, quatenus opus sit, restituimus et plenarie reintegramus in omnibus et per omnia, perinde ac si quoad illos prædictæ constitutiones non emanassent. » Cardinalis autem Ludovicus S. Marcelli erat tunc officialis domini Papæ, utpote suus maximus pœnitentiarius, ut patet ex propriis suis verbis adductis supra sub n. 14 in fine, adeoque oraculum vivæ vocis ei a Julio II factum adhuc viget, et remanet in plenaria sua vi et virtute, et consequenter, etc. (16. Tum etiam quia gravissimi auctores, teste Bassæo, tom. I, verb. *Privilegium*, n. 8, vers. *Quartum est*, tenent Gregorium XV et Urbanum VIII ea sola vivæ vocis oracula revocasse quæ non sunt confirmata per bullam alicujus pontificis ex certa scientia, sed plures Summi Pontifices ex certa scientia confirmarunt privilegia minorum etiam vivæ votis oraculo concessa, uti S. Pius V, Gregorius XIII, Paulus V et signanter Clemens VIII, 20 Decembris 1595, constitut. incip. *Ratio pastoralis*, sub § 3, ubi omnia et singula privilegia fratribus minoribus per Romanos Pontifices concessa, « etiam per solam signaturam, etiam vivæ vocis oraculo... approbat, confirmat ac innovat, perpetuamque roboris firmitatem obtinere et firmiter observari decernit. » (17. Unde cum talia privilegia sic confirmata et innovata jam in bullas transierint, teste Hurtado, apud Bussæum, *loc. cit.*, vers. *Quintum est;* licet omnia vivæ vocis oracula essent revocata per Gregorium XV et Urbanum VIII, ista tamen adhuc valere communis jam refert sententia, ut expresse dicit Bonagratia Habsensis in compendiosa, *Summula in select. Qq. regular.*, verb. *Privilegium*, n. 420, § *Viri quoque gravissimi*.

(18. Confessarii regulares possunt valide et licite dispensare super impedimento petendi debitum ratione voti ante vel post matrimonium emissi, licet non sint ad hoc specialiter deputati a suis superioribus majoribus. Est communis. Et ratio est quia certum est quod confessarii regulares possunt vi suorum privilegiorum, absque ulla speciali deputatione vel licentia superioris, dispensari in votis : ergo etiam in impedimentis petendi debitum ex solis votis provenientibus ; nam si dispensando tollere possunt, et actu tollunt votum, quod est unica causa et radix impedimenti, utique etiam tollere possunt et dispensando tol-

Digitized by Google

lunt ipsum impedimentum, eo quod, ut jam dictum est n. 3, cessante causa, cesset effectus; cap. *Cum cessante* 60, De appellat.

(19. Super impedimento tamen petendi debitum ratione affinitatis contractæ ex copula post contractum matrimonium habita cum aliqua vel aliquo sui conjugis consanguinea vel consanguineo in primo vel secundo gradu, probabilius est non posse dispensare, nisi habeant ad hoc specialem commissionem et licentiam a suis superioribus majoribus, puta generalibus, provincialibus et hujusmodi; Rodriguez, to. I, *Qq. regul.*, qu. 63, art. 1; Portel., in *Dub. regul.* verb. *Confessar.*, n. 23; Henriox, disp. 4, *De voto*, qu. 6, n. 68; Peyrin., to. II, qu. 1, c. 4, § 4, n. 76; Felix Potestas, t. I, part. IV, c. 11 *De sacrament. matrimon.*, n. 4303; Murga et alii satis communiter sustinentes nequidem superiores locales dispensare posse ad petendum debitum, nisi habeant specialem commissionem seu licentiam a provinciali vel generali. Et ratio est quia in memoratis privilegiis expresse requiritur ut confessarii ad hoc specialiter deputentur seu specialem commissionem et licentiam a provinciali habeant, ut patet legenti verba privilegiorum : « Privilegia autem non plus operantur quam verbis exprimunt, » juxta commune axioma DD. arg. cap. *Porro* 7, De privilegiis, ibi : « Quod totum in inspectione privilegiorum suorum plenius advertere potest, et secundum quod inveneris ita observes. » Et cap. *Recepimus* 8, eod. tit. ibi : « Inspicienda sunt ergo privilegia, et ipsorum tenor est diligentius attendendus. »

(20. Non desunt tamen doctores magni nominis qui expresse tenent posse confessarios regulares, etiam sine speciali commissione et licentia provincialis vel generalis, dispensare super impedimento petendi debitum ratione affinitatis contractæ ex copula post contractum matrimonium habita cum aliqua, vel aliquo sui conjugis consanguinea, vel consanguineo in primo vel secundo gradu. Ita Diana, part. V, tract. 13, resol. 46, citans etiam Cœlestinum in *Compend. theolog. moral.*, tract. 8, c. 15; eadem docet Anton. a Spiritu sancto, in *Director. reg.*, part. I, tract. 2, disp. 1, sect. 2, § 3, n. 112, citans Leand. Martin. a S. Joseph, Bordon. et alios dicentes quod, licet Eugenius IV et S. Pius V concesserint privilegium cum clausula, ut confessarii regulares pro eo practicando specialem debeant habere commissionem et licentiam provincialis, tamen postea pontifices successores idem privilegium aliis regularibus communicaverint sine simili restrictiva. Et expresse sustinet Reiffenstuel, lib. IV, *Decr.* in *Append. de dispensat. super impedimentis*, n. 577 cum sequentibus, adducens privilegium bullatum concessum PP. Augustinianis a Leone X quod cum his qui in primo affinitatis gradu scienter aut ignoranter contraxerunt, modo notorium id non fuerit neque judicium productum dispensare valeant, ut de novo contrahant et in eodem contracto matrimonio remaneant, prole etiam legitima. Ita tenor privilegii prout refertur ex bulla d. Leonis X a Richardo Roffensi episcopo in suo libello de causa matrimonii regis Angliæ, a quo rege in odium fidei catholicæ fuit occisus, et a Cassaing., *De privilegiis regul.*, tract. 5, c. 5, propos. 3; a Vera Cruz, II p. *Speculi aurei*, art. 27, vers. *Et hoc confirmavi expresse*, et ab aliis. (21. Cum enim, ut dicit Reiffenstuel, *l. c.*, n. 579, vi dicti privilegii ab ipso allegati, *l. c.*, n. 543, possint confessarii regulares mendicantes legitime approbati et expositi absque ulla speciali deputatione vel licentia superioris, dispensare in foro conscientiæ cum conjugatis super impedimento affinitatis dirimente, ita ut matrimonium nulliter contractum revalidare in eoque permanere, debitum petere ac reddere valeant, multo magis poterunt super eodem affinitatis impedimento solam petitionem debiti impediente dispensare juxta regulam 53 *Juris*, in 6, ibi : « Cui licet quod est plus, licet utique quod est minus, » etiam in materia privilegiorum si majus et minus sunt ejusdem ordinis, et minus in majori includatur, uti in præsenti, quia potestas dispensandi super impedimento dirimente implicite etiam includit potestatem dispensandi super impedimento petendi debitum, utpote quod libere petere possunt conjuges incestuosi, statim ac sunt dispensati super impedimento affinitatis dirimente cum quo contraxerunt. Hinc dicto privilegio confessarii absque ulla speciali licentia in foro conscientiæ secure uti possunt, præsertim cum in dispensatione ad petendum debitum non agatur de valore sacramenti, sed tantum de honestate actus. Hactenus ad litteram Reiffenstuel.

ARTICULUS IV.

Matrimonium quoad denuntiationes.

SUMMARIUM.

1. Denuntiationes matrimonii quid sint.—2. Quid si matrimonium absque denuntiationibus contrahatur ; ubi de pœnis contra contrahentes, nec non contra parochos ; an et contra testes : ad n. 11. * Vid. *Additiones Casinenses* in fine, ubi nonnulla ad rem. * — 12. Denuntiationes debent fieri tribus diebus festivis continuis intra missarum solemnia, nec possunt fieri diebus ferialibus, etiam cum dispensatione episcopi : possunt tamen fieri in die profesto; et etiam extra Ecclesiam, et missarum solemnia, si magnus adsit populi concursus, et locus aptus sit, ut ad multorum notitiam perveniat : et possunt etiam fieri diebus festivis dum cantantur vesperæ ; alia ad rem ad n. 21. — 22. Denuntiationes matrimoniales possunt fieri, eo tempore quo nuptiæ prohibentur. — 23. Vicarius generalis non potest impedire, ne parochus faciat denuntiationes absque sua licentia. — 23. A quonam parocho sint faciendæ denuntiationes, et quid amplius in hac re notandum, vid. ad n. 28. — 29. Regulares non possunt publicare denuntiationes in missarum solemniis. — 30. Quando denuntiationes remitti possint, et quibus hæc competat facultas : insuper de justis causis ad hoc ad n. 64. — 65. De obligatione revelandi impedimenta quæ intercedere possunt in hoc, vel illo matrimonio contrahendo ad n. 68. — Alia ad rem ad n. 72. — Subnectuntur additiones ex aliena manu ad n. 90.

(1. Denuntiationes matrimoniales sunt pro-

Digitized by Google

clamationes, seu notificationes publicæ de matrimonio duorum inter se contrahendo, in ecclesia coram populo congregato faciendæ, ad hoc, ut, si quis aliquod dirimens aut impediens impedimentum inter contrahere volentes sciat, possit adhuc in tempore manifestare. Est in re communis : arg. cap. *Cum inhibitio* 3, De clandestina desponsat., et concil. Trident., sess. XXIV, *De reformat. matrim.*, cap. 1. (2. Si matrimonium contrahatur sine legitima dispensatione, absque prævіis denuntiationibus, parochus, et contrahentes, sicuti et testes dolose assistentes peccant mortaliter : arg. c. *Cum inhibitio* 3, De clandestin. despons., § 1, ibi : « Statuimus ut, cum matrimonia fuerint contrahenda, in ecclesiis per ecclesiæ presbyteros publice proponantur competenti termino præfinito, ut citra illum, qui voluerit, vel valuerit, legitimum impedimentum apponat. » Et concil. Trid., sess. XXIV *De reform. matrim.*, cap. 1, ibi : « Sacri Lateranensis concilii sub Innocentio III celebrati vestigiis inhærendo, præcipit ut in posterum, antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium parocho, tribus continuis diebus festivis inter missarum solemnia publice denuntietur, inter quos matrimonium sit contrahendum; quibus denuntiationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonii in facie Ecclesiæ procedatur. » Quæ leges, ut vides, graviter obligant, et consequenter a contemnentibus ipsas graviter peccatur, ut cum communi docent Sanchez, lib. III, disp. 5, n. 6; Navarrus, in *Manual.*, cap. 16, n. 36; Layman., lib. V, tract. 10, part. II, cap. 4, n. 9; Pignatell., tom. IV, consult. 147; Monacelli, tom. III, tit. 2, form. 5, n. 2 et sequent; Reiffenstuel., lib. IV *Decret.*, tit. 3, n. 4; et cum plurimis aliis a se citatis, Barbosa, *De offic. episc.*, part. II, allegat. 32, n. 2; card. de Luca, *De matrimon.*, disc. 3, n. 7.

(3. Hinc graves pœnæ infliguntur omittentibus culpabiliter tales denuntiationes, ut patet *in dict. c. Cum inhibitio*, § *Si quis*, et § *Sane;* et in concil. Trident., dict. sess. XXIV, *De reformat. matrim.*, cap. 1. Pœnæ autem tam graves non possunt infligi ob solum peccatum veniale, cum pœna debeat correspondere delicto; arg. cap. *Felicis* 5, De pœnis in 6, § *Illud*, ibi : « Judex *in talem*, pœnam metiatur ex culpa, ut secundum quod excessus exegerit, vindicta procedat. » Pœnæ igitur determinatæ contra contrahentes sine denuntiationibus, sunt istæ. (4. Prima, quod si sine denuntiationibus cum impedimento dirimente contrahunt, proles procreatæ sint illegitimæ, etiamsi dicant se impedimentum ignorasse, cit. cap. *Cum inhibitio*, § *Si quis*, ibi : « Si quis vero hujusmodi clandestina, vel interdicta conjugia inire præsumpserit in gradu prohibito, etiam ignoranter, soboles de tali conjunctione suscepta prorsus illegitima censeatur, de parentum ignorantia nullum habitura subsidium. » (5. Secunda pœna est, quod eis sit adempta spes impetrandæ dispensationis super tali impedimento. Concil. Trident., sess. XXIV, *De reform. matrimon.*, cap. 5, ibi : « Quod si ignoranter id fecerit, siquidem solemnitates requisitas in contrahendo matrimonio neglexerit, eisdem subjiciatur pœnis (scilicet separetur, et spe dispensationis consequendæ careat) non enim dignus est qui Ecclesiæ benignitatem facile experiatur, cujus salubria præcepta temere contempsit. » (6. Tertia pœna est, quod præsumentibus contrahere matrimonium, omissis etiam in gradu permisso denuntiationibus, condigna pœnitentia injungatur; cit. c. *Cum inhibitio* 5, § *Sane*, ibi : « Sed his, qui taliter præsumpserit etiam in gradu concesso copulari, condigna pœnitentia injungatur. » Quæ pœnitentia cum ibi non sit præscripta, debet arbitrio judicis irrogari; arg. cap. *De causis*, De officio delegat. Sacra congreg. Concil. teste Sellio, *in Select. canon.*, cap. 21, n. 10; Pignatell., tom. IV, consult. 147; n. 17, censuit debere his taliter contrahentibus imponi pœnam interdicti ab ingressu Ecclesiæ, et nullo modo ab illo, nisi publica pœnitentia peracta, esse absolvendos.

(7. Pœna determinata in jure contra parochos præsumentes interesse matrimoniis, omissis denuntiationibus, vel contemnentes prohibere similia clandestina matrimonia, est suspensio ab officio per triennium; et etiam gravior pœna arbitrio judicis inferenda, si culpæ qualitas exegerit; cit. cap. *Cum inhibitio*, § *Sane*, ibi : « Sane si parochialis sacerdos tales conjunctiones prohibere contempserit, aut quilibet etiam regularis, qui eis præsumpserit interesse, per triennium ab officio suspendatur, gravius puniendus, si culpæ qualitas exegerit : » concordat concil Trident., cit. sess. XXIV, *De reformat. matrim.*, c. 1. (8. Hæc autem pœna suspensionis non est latæ, sed ferendæ sententiæ : ut clare indicat verbum illud in textu : *Suspendatur*. Sic communis. (9. Contra testes dolose talibus clandestinis matrimoniis præsentiam præstantes, licet nulla determinata pœna sit a jure imposita, possunt tamen ab ordinariis pœna arbitraria puniri, ut cum multis a se citatis tenet Pignatell., tom. IV, consult. 147, num. 18; Monacell., tom. III, tit. 2, form. 5. n. 4, et sic censuit sacra congreg., die 10 Februarii 1629 in qua propositis sequentibus dubiis.

(10. 1. *An episcopus possit punire contrahentes matrimonium contra ejus prohibitionem contractum.*

2. *An eos, qui contrahunt coram parocho ex causa justa dissentiente?*

3. *An eos, qui contrahunt, omissis denuntiationibus?*

4. *An possit punire testes intervenientes in prædictis casibus?*

5. *An possit in eisdem casibus punire pœnis pecuniariis, locis tamen piis applicandis; sacr. congr.* etc.

Ad 1, 2 *et* 3, *respondit episcopum posse.*
Ad 4, *posse, quatenus testes sint in dolo.*
Ad 5, *pariter respondit posse.*

Digitized by Google

(11. Et eadem sacra congregat. Concilii *in Veron.*, 28 Januarii 1690, respondit quod episcopus contra eos, qui parochum dolose compulsum adesse curarent, et matrimonium sine denuntiationibus contrahere præsumerent, potuisset in synodo, in subsidium pœnæ pecuniariæ, (si ista esset inexigibilis), imponere etiam pœnam excommunicationis, juxta quintum decretum concilii provincialis Mediolan. quod admittit cardin. de Luca *De matrim.*, disc. 2, num. 7, vers. *Opponebatur*; Pignatell., tom. IV, cit. consul. 147, num. 17; Monacell., t. III, tit. 2, formul. 5, num. 4.

(12. Denuntiationes debent fieri tribus diebus festivis continuis inter missarum solemnia, textu expresso in concil. Trident., *loc. cit.*, ibi : « Antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium parocho tribus continuis diebus festivis, inter missarum solemnia publice denuntietur, inter quos matrimonium sit contrahendum. » (13. Præfati tres dies festivi pro denuntiationibus matrimonialibus non debent sibi immediate succedere, uti succedunt festa paschalia, pentecostalia et natalitia, sed inter unam et alteram denuntiationem unus saltem, vel duo dies interponi debent, ut populus sufficiens habeat apponendi, aut impedimenta detegendi tempus, qui est finis legis et sic fuit statutum in conc. Coloniensi III, tit. *Censur.*, c. 32, ibi : *Tribus diebus festis a se invicem distantibus*; et similiter in Moguntino IV, cap. 38, et ita tenent Vincentius de Justis, c. 19, *De matrimon. clandestino*, num. 197; Reginald., l. XXXI, num. 225; Coninch., disp. 28, num. 47; Aloys. Riccius, in *Praxi rerum fori Eccles.*, resolut. 222, num. 4, et cum aliis Barbosa, *De offic. et potest. episcop.*, allegat. 32, n. 12, et supra Trid., sess. XXIV, *De reform. matrimon.*, cap. 1, n. 19. (14. Parochus non peccat mortaliter, si uno vel altero die festo omittat denuntiationes, dummodo inter unam et alteram multos dies festos non interponat; nam si multos dies festos interponeret, peccaret mortaliter, quia faceret contra prohibitionem Ecclesiæ in re gravi et ob magnum temporis intervallum, seu moram fieri posset, ut parochiani tardiores evaderent ad deferenda impedimenta et interim obliviscerentur præcedentium denuntiationem; Reginald., lib. XXXI, num. 226; Sanchez, disput. 6, cap. 8; Coninch., disp. 27, dub. 5, num. 46, et cum variis Barbosa, *De offic. et potest. episcop.*, d. allegat. 32, num. 12. (15. Qui intra duos menses post denuntiationes factas matrimonium non contraxit, non potest illud inire, nisi aliæ denuntiationes, vel saltem una, aut duæ arbitrio episcopi repetantur, et sic decisum fuisse a sacra congregatione referunt Bellarm. et Farinac., ad c. 1 sess. XXIV concil. Trid., *De reform. matr.*, teste Panimol., part. III, dec. 173, annot. 1, num. 28, quamvis alii dicant decisum fuisse pro termino quatuor mensium. Et de facto in Rituali Romano præscribitur terminus duorum mensium, ita ut, nisi infra dictum tempus matrimonium celebratum fuerit, sint denuntiationes repetendæ, cui tutius est inhærere, ut recte dicit Corrad. in *Prax. dispens. apostol.*, lib. VII, cap. 7, num. 22. (16. Denuntiationes, quando omittuntur, debent infra octo dies fieri a die contracti matrimonii et interim non debet matrimonium consummari; sic decisum fuisse a sacra congregatione referunt Barb., *l. cit.*, num. 55, et de Justis *l. c.*, n. 199; Chamerata et alii.

(17. Denuntiationes non possunt fieri diebus ferialibus, etiam cum dispensatione episcopi; sic decisum fuisse a sacra congr. refert. *Praxis Neapolit.*, cap. 26, num. 10, quam refert Riccius in *Praxi fori Ecclesiastici*, resolut. 224, n. 3, in nova impress.; et Barbosa, *loc. cit.*, num. 14. Episcopus enim non potest dispensare super conciliari dispositione, cum inferior non possit se ingerere in lege superioris; c. *Cum inferior*, De majorit. et obedien. (18. Possunt tamen fieri in die profesto; et quando ingens populi multitudo ad Ecclesiam accedit, ut contingere solet in concionibus, processionibus, litaniis, cum concilii fini hoc modo satisfiat ratione magni populi concursus; qui autem satisfacit fini et intentioni legis, satisfacit legi ipsi; arg. c. *Humanæ aures* 11, caus. 24, q. 5, ibi : « Non debet aliquis verba considerare, sed voluntatem et intentionem, quia non debet intentio verbis deservire, sed verba intentioni, » et l. *Scire* 16, ff. *De legib.*, ibi : « Scire leges, non hoc est, verba earum tenere, sed vim et potestatem. » Sic Sanchez, lib. III, disp. 7, n. 9; Reginald., lib. XXXI, n. 227; Guttier., *De matrim.*, c. 56, n. 8; Layman., l. III, tr. 10, cap. 4, n. 9, et alii passim cum Barbosa, *loc. cit.*, n. 15. (19. Imo denuntiationes valide fieri possunt etiam extra Ecclesiam et missarum solemnia, si magnus adsit populi concursus et locus aptus sit, ut ad multorum notitiam perveniat; *sic doctores mox citat.* propter eamdem rationem.

(20. Denuntiationes matrimoniales ex justa causa possunt etiam fieri diebus festivis dum cantantur Vesperæ; sacr. congreg. Concil. *in Avenionen.*, 25 Octobr. 1586, lib. IV *Decreti*, fol. 188. (21. Denuntiationes matrimoniales an fieri debeant in missa parochiali, vel conventuali, in illa ecclesia, quæ est simul parochialis et collegiata relinquitur parochi arbitrio, quando pro utraque est populi concursus; sac. congr. Concil. *in Navarien.* 1 Julii 1724. (22. Denuntiationes matrimoniales possunt fieri eo tempore, quo nuptiæ prohibentur: sacra congreg. Episcop. 18 Decembr. 1589.

(23. Vicarius generalis non potest impedire, ne parochus faciat matrimonii denuntiationes absque sua licentia; sacra congr. Concil. 27 Maii 1627.

(24. Denuntiationes faciendæ sunt a proprio contrahentium parocho, vel ab alio substituto ab ipso parocho, textu expresso in concil. Trident., *loc. cit.*, ibi : *A proprio*

Digitized by Google

contrahentium parocho, et sic communis doctorum (28).

(25. Si sponsi sint ex diversis parochiis, debent fieri denuntiationes in utraque parochia. Sic decisum fuisse a sac. congr. Conc., refert Sanch., lib. III, disp. 6, n. 4, et Bosco, p. 5, disp. 21, sect. 10, ex Farinac. his verbis: « Quanto matrimonium contrahitur inter duos de diversis parochiis, debent in ambobus fieri denuntiationes. » Et sic etiam statuitur in Rituali Romano de sacramento matrimonii, ibi : » Si vero vir et mulier parochiæ sint diversæ, in utraque parochia fiant denuntiationes. » Si contrahentes plura habuerint domicilia, seu plures parochias debent fieri denuntiationes in Parochia, in qua actu habitant cum vero animo ibi permanendi, ut salvetur dispositio concil. Trid. quod denuntiationes fiant *a proprio contrahentium parocho*, qualis est parochus, in cujus parochia contrahentes habitant tempore, quo matrimonium intendunt contrahere, ut teste Bosco, p. 5, disp. 11, sect. 10, n. 400, declaravit sac. congr. his verbis : « Proprius parochus est in cujus parochiis contrahentes habitant tempore, quo matrimonium contrahitur. » (27. Ab aliis autem parochiis, in quibus habitarunt in ætate capaci contrahendi matrimonium, vel canonica impedimenta ad ipsum, debent referre suum proprium statum liberum legalitate illius parochiæ, et diœcesis ordinarii munitum, et exaratum ad normam instructionis a suprema et universali inquisitione editæ 21 Augusti 1670, et a Clemente XI confirmatæ in sua constitutione incip. *Cum alias*, seu etiam ad normam litteræ encyclicæ a sacra congregatione S. Officii directæ omnibus ordinariis sub die 1 Octobris 1699.

(28. Denuntiationes matrimonii contrahendi inter exteros non sunt faciendæ a parocho sine licentia ordinarii. S. congr. Episc. et Regul. 20 Decembris 1692, et S. congr. S. Officii, in dicta Instructione sub n. 7.

(29. Denuntiationes in missarum solemniis publicare non possunt regulares. Sic decisum fuisse a sacra congregatione Concilii referunt Lezana in *Summ. quæst. regul.*, cap. 12, n. 41, vers. ad 6., et Barbosa, in *Summ. Apostolicar. dec.*, verb. *Denuntiationes matrimoniales*, n. 5.

(30. Ex justa causa potest ordinarius remittere denuntiationes matrimoniales; concil. Trid. cit. sess. XXIV, *De reform. matrim.*, c. 1, ibi : « Nisi ordinarius ipse judicaverit ut prædictæ denuntiationes remittantur, quod illius prudentiæ et judicio S. Synodus reliquit. » (31. Tales denuntiationes potest remittere etiam vicarius generalis absque ulla speciali commissione, aut mandato; vicarius enim generalis est vere ordinarius habetque veram jurisdictionem ordinariam, et quidem eamdem cum episcopo; arg. c. *Romana* § 1, *De appell.* in 6, juncta *Gloss.*, *ibid.*, verb. *Generaliter*, et alia *Glossa*, in c. *Licet* 2, verb. *Officialem*, *De offic. vicarii in* 6, et ideo a vicario generali non datur appellatio ad episcopum, textu expresso in c. *Non putamus* 2, *De consuetudine*, in 6, ibi : « Non putamus illam consuetudinem, quantocunque tempore de facto servatam consonam rationi, quod ab officiali episcopi ad eumdem episcopum valeat appellari : ne ab eodem ad seipsum (cum sit idem auditorium utriusque) appellatio interposita videatur. » Et sic fere communiter tenent doctores cum Barbosa, *loc. cit.*, n. 29; De Justis *loc. cit.* n. 292; Sanchez; *l. c.*, n. 10, plurimos alios citantibus. (32. Sic etiam dispensare possunt in denuntiationibus matrimonialibus omnes alii prælati ecclesiastici, seu abbates qui jurisdictionem quasi episcopalem in aliquo territorio obtinent sine ulla subjectione ad aliquem diœcesanum : isti enim sunt vere ordinarii ; l. *More majorum*, ff. *de jurisd. omn. jud.* c. *Ordinarii* 3, De offic. ordinar. in 6, juncta *Glossa*, *ibid.*, verb. *Locorum*. Omnis autem ordinarius habet talem potestatem, quia cum Tridentinum d. sess. XXIV, *De reform. matr.* c. 1, indistincte loquatur de ordinario, de eo indistincte venit intelligendum; argum. cap. *Quia circa* 22, De privileg. Sic Sanchez, lib. III, disp. 7, n. 4; Navarrus, lib. IV, *Consil. de clandest. in dispen.*, consil. 2; Reiffenstuel, l. IV *Decret.* tit. 5, n. 34., De Justis, *loc. cit.*, n. 207, et sequent., cum plurimis aliis ; Barbosa, *loc. cit.*, n. 30 et sequent. (33. Et quamvis Rebellius, Armend., Garcias, Hurtado, et alii referant declaratum fuisse contrarium a sacra congregatione, tamen ab ipsa declaratione recessum fuisse patet ex alia resolutione sacræ congregat. Concilii a sanctissimo approbata et emanata ut sequitur. *In una nullius, seu Baren.*, die 23 Martii 1624. « Sacra congreg. censuit referendum S. D. N. qui Sanctissimus, ejusdem sacræ congregationis audita sententia, declaravit præfatos inferiores nullius diœcesis proprium territorium et jurisdictionem quasi episcopalem habentes, utique posse legitimis ex causis denuntiationes matrimoniales remittere. » Sic refert Panimoll. part. III, decis. 183, ad notat. 1, n. 3. Imo contrariam declarationem non fuisse usu receptam, utpote quia ubique prælati habentes jura episcopalia utantur facultate remittendi denuntiationes ex rationabili causa, subdit Bossius, *De matrim.*, cap. 7, § 16, n. 42, vers. *Sed illa declaratio*, et ipse Panimoll., *loc. cit.*, n. 5.

(34. Episcopus, et quilibet alius ordinarius, in cujus diœcesi celebrandum est matrimonium, potest cum utroque sponso dispensare, licet unus sit alterius diœcesis, dummodo saltem ordinarius alterius con-

(28) *Nota Romani theologi.* — Recte prorsus hic docet auctor, denuntiationes, quæ matrimonium præcedere debent, faciendas esse a proprio contrahentium parocho, juxta concilii Tridentini doctrinam, vel ab alio substituto ab eodem parocho; ubi advertendum est substitutum a parocho ad denuntiationes faciendas, sacerdotem esse debere, neque sufficere parochum quidem substitutum, sed diaconum ; id siquidem contrarium foret determinationi concilii Tridentini.

Digitized by Google

trahentis testetur in sua diœcesi nullum subesse impedimentum; remissio enim ordinarii, in cujus diœcesi matrimonium est contrahendum, nunquam sufficit, nisi ordinarius alterius contrahentis, vel ipse etiam remittat, vel saltem textetur, in sua diœcesi nullum subesse impedimentum, ut censuit sacra congregatio Concil. *in una Vicen.*, prout etiam statutum fuit in concilio Mechliniensi Romæ approbato de anno 1570, in tit. *De sponsal.*, cap. 3 et seq., de quo Boss., *De matrim.*, cap. 7, § 18 et 19. Sic refert et tenet Panimoll., *loc cit.*, n. 2. (35. Archiepiscopus non potest remittere denuntiationes matrimoniales in diœcesibus suorum suffraganeorum, nisi quando coram eo pendet lis in gradu appellationis super facto matrimonii, vel ex gravamine non remittendi ex causa denuntiationes, et in exsecutione suæ sententiæ : ipse enim archiepiscopus non est ordinarius in diœcesibus suorum suffraganeorum, nisi in causis sibi devolutis per appellationem, et in casibus expressis in cap. *Pastoralis*, De offic. ordinar., vel dum actu diœceses visitet suffraganeorum, ejusque subditorum; Segura in *Direct. Jud.*, 2 p. 2, cap. 15, n. 50; Boss., *De matrimon.*, cap. 4, § 19, n. 51, et cap. 7, § 19, per totum; Spin., *De testam.*, glos. 15, n. 38 et 39; Panimoll., *loc. cit.* n. 18 et 19; Barbosa, *loc. cit.* n. 125; Sanchez, Pontius et alii passim. (36. Episcopus, seu alius ordinarius potest alteri delegare facultatem dispensandi in denuntiationibus; potest enim hoc facere omnis habens ordinariam jurisdictionem; eo vel maxime, quod, quando fuit ordinariis concessa potestas dispensandi in denuntiationibus, non fuit electa industria personæ, quando delegatio fit personæ incognitæ et indeterminatæ, ut, quando fit prælatis præsentibus et futuris, sicuti accidit in facultate concessa ordinariis ad dispensandum in denuntiationibus; sic Sanchez lib. III, disp. 7, n. 10; Reginald., lib. XXXI, n. 235; Coninch., dis. 27, n. 35, conclus. 3, et cum plurimis aliis, Barbosa, *loc. cit.*, n. 36. (37. Vicarius generalis, quamvis non possit facultatem dispensandi in denuntiationibus delegare generaliter, ex quo non possit constituere alium vicarium generalem; cap. *Clericos*, De offic. vicarii, potest tamen unam vel alteram causam delegare; Barbosa, *loc. cit.*, n. 37; Bonacina, *De matrimon.*, q. 2, punct. 6, n. 7, cum Sanch., Guttier., Reginald. et aliis.

(38. Ad hoc, ut episcopus et quilibet alius ordinarius licite dispenset in denuntiationibus, requiritur justa et rationabilis causa; sine enim justa et rationabili causa dispensatio non est dispensatio, sed dissipatio, ut recte dicit S. Bernardus lib III *De consid.*, paulo ante finem, allegans verba divi Pauli *I Ad Corinth.*, cap. IV : « Quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur. Ubi necessitas urget, excusabilis dispensatio; ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est : Utilitas, dico, communis, non propria; nam cum nihil horum est, non plane fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est. » Unde ordinarius, remittendo dictas denuntiationes sine justa et rationabili causa, peccaret mortaliter, quia ageret contra legem in materia gravi; cum enim concilium cit. sess. XXIV, *De reform. matrimon.*, cap. 1, hoc negotium relinquat prudentiæ et judicio ordinarii, ita ut, si expedire judicaverit, dispenset, intelligi debet ut ejusmodi arbitrium sit prudentiale et regulatum; Sanchez, lib. III, disput. 8, n. 1; Trullenck., tom. III, lib. VII, cap. 6, dub. 9., n. 5; De Justis, lib. II, cap. 19, *De matrimon. clandest.*, n. 132; Reiffenstuel, lib. IV *Decret.*, tit. 3, n. 28, et cum aliis Barbosa *super Trid.*, sess. XXIV, cap. 1, *De reform. matrim.*, n. 60. (40. Non tamen necesse est ut ordinarius hujusmodi causas cognoscat judicialiter, sed sufficit ut ex informationibus extrajudicialiter habitis sibi videatur justam dispensandi causam adesse, ut bene advertunt Sperell., decis. 109, n. 50; Sanchez, *loc. cit.*, n. 4; Barbosa, *loc. cit.*, n. 61; De Justis, *loc. cit.*, n. 135; Reginald., l. XXXI, cap. 32, n. 234; Riccius, Bonacina et alii. (41. Episcopus seu ordinarius non solum potest tunc dispensationem concedere, dum est in sua diœcesi, sed etiam dum est extra illam, quia hujusmodi dispensatio non est actus jurisdictionis contentiosæ, sed voluntariæ; Sanchez, lib. III, disp. 8, n. 6, vers. *Secundo infertur;* De Justis, *loc. cit.*, n. 139; Pyrr. Corrad., *Praxis dispensat. Apostolicar.*, lib. VII., cap. 7, n. 27, et alii passim. Episcopus seu ordinarius non potest, ratione hujusmodi denuntiationum remissionis ac dispensationis, præcise imponere aliquam pecuniariam mulctam; Sanchez, lib. III, disput. 10, n. 9; Filliuc., tract. 10, part. I, cap. 5, n. 180; Aversa, quæst. 7, sect. 2, vers. *Dumque prælatus;* Boss., cap. 7, n. 105; De Justis, *loc. cit*, n. 200, et alii. (42. Et ratio est quia concilium Tridentinum concedit quidem dispensandi facultatem, non tamen concedit ut possit ordinarius obligationem legis in aliam materiam commutare. (43. Imo, sess. XXV, cap. 18, præcipit dispensationes gratis fieri debere. Excipe tamen nisi aliquod delictum præberet justam causam dispensandi, v. gr. ob concubinatum vel defloralionem virginis, quia tunc poterit, non ratione dispensationis, sed in pœnam delicti, aliquam mulctam injungere; Sanch. et De Justis, *locis citatis*, et alii.

(44. Justæ causæ principaliores dispensandi in hujusmodi denuntiationibus enumerantur. *Prima* est periculum animæ, ut si duconcubinarii velint matrimonium contrahere, ut in bono statu constituantur, et periculum sit, ne interim, dum fiunt denuntiationes, carnaliter commisceantur; Sanchez, *l. c.*, n. 17; Boss., *l. cit.*, n. 93; Filliuc., *l. c.*, n. 178; De Justis, *l. c.*, n. 173. (45. *Secunda* est, si quis in mortis periculo constitutus velit concubinam ducere, sive ut securior suus transitus reddatur, sive ut proles ex ea suscepta legitima evadat; Sanchez, *loc. cit.*, n. 10, cum communi. (46. *Tertia* est, dum repentinus casus offert ratio-

Digitized by Google

nem statim contrahendi matrimonium, ut si qui in concubinatu deprehensi, essent plectendi a judice, et ideo ad effectum, ut judici dicere possint se esse conjuges, et se eximere a pœnis, poterit super denuntiationibus dispensari; Sanchez, *l. c.*, n. 16; Boss., n. 92; Filliuc., n. 178. (47. *Quarta* est, si quis esset statim longe abiturus, et ad reparandum honorem feminæ, vel ad prolem legitimandam vellet ex improviso ante discessum contrahere; Boss., *l. c.*, n. 92; De Justis, *l. c.*, n. 172. (48. *Quinta* est, si aliqui in concubinatu permanentes, existimantur tanquam vir et uxor, quia verecundia, quam haberent in publicando hujusmodi matrimonio, sufficit pro causa dispensationis in ipsis denuntiationibus; Sanchez, *l. c.*, n. 5; Silvester, verb. *Matrimonium*, 6, qu. 7, dist. 2. (49. *Sexta* est, quando probabiliter timetur matrimonium injuste esse impediendum, aut per maleficia, aut per parentum vel aliorum fraudes; Francis., Molin., *De ritu nuptiar.*, lib. 1, difficult. 11, n. 51; Marcell., Vulpe, in *Praxi judic. fori Eccles.*, capit. 15, n. 20; Barbosa, *De offic. episcop.*, d. allegat. 32, n. 41. (50. *Septima* est, quando inter contrahere volentes adest disparitas conditionis, ætatis, divitiarum et qualitatis, quando scilicet nobilis cum ignobili, pauper cum divite, honestæ vitæ cum turpi et infami matrimonium contraheret; Sanchez, lib. III, disp. 9, n. 3; Navar., in *Manual.*, cap. 21, n. 70, vers. *Advertendum;* Zerola, in *Praxi episcopali*, part. 1, verb. *Matrimonium*, § 9, in line; Barbosa, *l. c.*, n. 46. (51. *Octava* est, quando magnates contracturi sunt matrimonium, quia, cum magna deliberatione solet tractari, eorumque impedimenta valde nota sunt, si quæ adsint; Sanchez, d. disp. 9, n. 6; De Justis, *l. c.*, n. 162; Jacob de Grassis; in *Decis. aureis*, par. 1, lib. II, cap. 86; Barbosa, *l. c.*, n. 45. (52. *Nona* est, quando tempus, quo nuptiæ prohibentur, instat, ita ut nequeant omnes denuntiationes præmitti. Zerola in *Praxi episcop.*, par. 1, verb. *Matrimonium*, § 9, in med.; Reginald., lib. XXXI, n. 235, vers. quarta; Genuens., in *Praxi archiepis.*, cap. 20, n. 3; Barbosa, *l. c.*, n. 48. (53 *Decima* est, si virgo sit sub tutela iniqui tutoris, qui eam viro ignobili et disparis conditionis tradere intendit; Sanchez, lib. III, disput. 9, n. 13; Genuens., *l. c.*, vers. quarta; Boss., *De matr.*, cap. 7, n. 81; De Justis, *l. c.*, n. 160; Barbosa, *l. c.*, n. 42. (54. *Undecima* est, si vir feminam defloravit, et damnum amissæ virginitatis reparare intendit, et si matrimonium causa præmittendi denuntiationes differatur, periculum esset in mora: Sanchez, *l. c.*, n. 15; Barbosa, *l. c.*, n. 91; De Justis, *l. c.*, n. 182. (55. *Duodecima* est, si periculum adsit, ut aliquis ex contrahere volentibus mutet voluntatem, et id tenderet in præjudicium animæ, ut quando meretrix in lupanar exposita velit matrimonium contrahere, ut sic a malo statu, in quo reperitur, desistat, et periculum adsit, ne ipsa, aut sponsus mutet voluntatem, si contractus matrimonii differatur, dum sint factæ denuntiationes; De Justis, *l. c.*, n. 172, cum Sanchez, Filliuc. et Aversa. (56. *Tertia decima* est, dum aliquis ex publicis denuntiationibus, aut ex dilatione tot dierum timeret sibi aliquod grave damnum, molestiam, aut amissionem alicujus notabilis commodi sibi, vel suis conjunctis; Avers. quæst. 7, sect. 2, vers. *Pluresque;* De Justis, *l. c.*, n. 174. (57. *Quarta decima* est, vitatio scandalorum ob aliquam factionem, quæ cessaret statim secuto matrimonio; Sanchez, *l. c.*, n. 18; Stephanus a S. Gregorio, lib. III, cap. 97; De Justis; *l. c.*, n. 176; Reiffenstuel, *l. c.*, n. 25. (58. *Quinta decima* est, quando moraliter certum est nullum adesse impedimentum, aut aliud obstaculum, quia causa, ob quam fuerunt ordinatæ denuntiationes, ea fuit, ut impedimenta detegantur; si ergo moraliter certum est nullum adesse impedimentum, poterit in denuntiationibus dispensari; Bosco, *l. c.*, n. 146; De Justis, *l. c.*, n. 161; Reiffenstuel, *l. c.*, n. 27, et cum pluribus aliis a se citatis Sanchez, lib. III, disp. 9, n. 7.

(59. Episcopus, seu alius ordinarius, licet propter omnes supradictas causas, vel alias consimiles, possit in denuntiationibus matrimonialibus dispensare, non tamen tenetur dispensare semper propter omnes; quia non omne, quod potestati Judicis committitur, id juris necessitati subjicitur; l. *Quidquid* 4, ff. *De Judiciis;* dispensatio enim etiam legitima, et ex causa facta, adhuc vocatur gratia et misericordia; cap. *Licet*, canon. 14; *De elect.*, in 6, ibi: *Possit ordinarius dispensationis gratiam facere;* c. *Didici* 15, caus. 1, quæst. 7, ibi: *Dispensationis enim gratia;* cap. *Pastoralis* 7, De cleric. excomm. ministrant., ibi: *Nisi misericorditer cum eis fuerit dispensatum:* adeoque, si subinde ex sola gratia, et misericordia fit, non semper necessario fit, sic Sanchez, lib. III, disp. 10, n. 3; Pontius, lib. V, cap. 31, n. 6; Guttierez, lib. 1; *Can. qq.*, cap. 20, n. 33; Palao, *De sponsalib.*, disp. 2, punct. 13, § 5, n. 1; Reiffenstuel, *l. c.*, n. 41, et fere communis aliorum contra plures a Sanchez relatos, volentes quod episcopus seu alius ordinarius semper teneatur dispensare, quoties intervenit aliqua justa causa dispensandi.

(60. Tenetur autem ordinarius sub mortali dispensare in denuntiationibus, quoties dispensatio servit pro bono communi, et quoties conducit ad acquirendum notabile bonum privati, vel ad avertendum periculum incurrendi notabile damnum in bonis animæ, famæ, et corporis, aut fortunæ; et ratio est quia prælatus ex officio tenetur providere, et bono communi, et particulari subditorum, illorumque periculis obviare; ergo quoties dispensatio facit pro notabili bono acquirendo, aut pro notabili malo avertendo, tenetur sub mortali ordinarius illam concedere; Sanchez, *De matr.*, lib. III, disp. 10, n. 6; Guttierez, *De matr.*, cap. 57, n. 4, 5; Barbosa, *De offic. episcop.*, d. allegat. 31, n. 51, et super Trident., sess.

Digitized by Google

XXIV, cap. ., *De reform. matrim.*; Boss., *De matr.*, cap. 7, § 25, n. 103, et sequent.; Bonacina, *De matr.*, qu. 1, punct. 6, n. 7; Zipæus, lib. IV, tit. *De matr. et sponsal.*, n. 11, vers. *Et existente causa;* Hurtad., *De matr.*, disput. 5, diffic. 20, n. 7, vers. *Nos ergo;* Filliuc. t. I, tract. 10, cap. 5, n. 179; Panimoll., part. III, decis. 173, annot. 1, n. 44; De Justis, *l. c.*, n. 143; Reiffenstuel, *l. c.*, n. 42, et alii plurimi. (61. In prædictis casibus, in quibus tenetur ordinarius dispensare, potest ab eo appellari de injusta denegatione dispensationis, et quoad effectum devolutivum, et quoad effectum suspensivum, quia ille, cum quo est dispensandum, habet actionem ex præcepto legis, ut secum dispenset: Sanch., lib. III, disp. 10, a. n. 12, et præsertim, n. 20; Filliuc., *l. c.*, n. 181; Guttierez, *l. c.*, c. 57, n. 5; Pellicion, q. 6, c. 1, pag. 1035, col. 2; De Justis, *l. c.*, n. 147, et alii. (62. In casibus vero, in quibus adest justa causa dispensandi, et non stricta, et rigorosa obligatio dispensandi, tunc si ordinarius nolit dispensare, poterit ab injusta denegatione appellari ad affectum solum devolutivum, non autem suspensivum. Sanchez, dic. disp. 10, n. 19 et n. 21; Avers, qu. 7, sect. 2, Filliuc., *l. c.*, Stephanus a S. Gregorio, *l. c.*, n. 12; De Justis, *l. c.*, n. 148, et eo casu superior tenebitur vel dispensare, vel cogere inferiorem, ut dispenset; Sanchez, et Filiiuc, *l. c.*; Barbosa, dist. allegat. 32, n. 52; Hostiens., in *Summa*, lib. V, tit. *De dispensat.*, n. 2; Sperell., decis. 111, n. 11; De Justis, *l. c.*, n. 149.

(63. In casibus, in quibus necessaria est dispensatio, vel pro legitimanda prole, ut si morti proximus velit cum concubina contrahere, vel ad evitandum periculum infamiæ, aliaque gravia imminentia scandala, et mala, et ordinarius adiri non posset pro dispensatione, seu injuste, et indebite dispensationem denegasset, et periculum esset in mora, tunc parochus posset sine denunciationibus matrimonio assistere, non quidem dispensando, sed declarando eas non obligare in similibus urgentibus casibus, quia necessitas nullam legem agnoscit: c. *Consilium* 2, De observatione jejuniorum, ibi: «Cum non subjaceat legi necessitas,» et l. unic. ff. *De offic. consul.*, l. *Aliquando* 5 ff. *De proconsul.* Sic Squillant., *De obligat. cleric.*, part. II, n. 124; Sanchez, disp. 10, n. 25 et 29; Layman, lib. V, tract. 10, part. II, cap. 4, n. 11; Filliuc., *l. c.*, n. 182; De Justis, *l. c.*, n. 144; Tanner, tom. IV, disp. 8, quæst. 3, n. 132; Gobat, tract. 10, n. 403 et sequent.; Pontius, lib. V, cap. 32, n. 7; Barbosa, d. allegat. 32, n. 53; Aversa, qu. 7, sect. 2, vers. *Si tamen*, Reiffenstuel, *l. c.*, n. 39, et sic contractum fuisse validum quoddam matrimonium censuit sacr. cong. Concil. *in una Mediolanensi die* 23 Febr. 1630, ut refert et tenet Pirr. Corrad. in *Praxi dispens. Apostol.*, lib. VII, cap. 7, n. 26. (64. Hinc patet denuntiationes non requiri ad validitatem matrimonii, cum per omissionem earum, etiam sine ordinarii dispensatione, non reddatur nullum matrimonium, ut censuit sacra congregatio Concil. *in una Mediolanensi* die 24 Septembris 1591, tenoris sequentis: « Sacra congregatio Concilii censuit matrimonium contractum non præmissis denuntiationibus, nisi aliud obstet, irritum non esse, » Et in alia *Jurisdiction.* de mense Nov. 1587: « censuit omissione denuntiationum, et contradictione parochi adhibiti, non effici nullum matrimonium. » Sic refert Panimoll., par. III, decis. 173, adnot. 1, n. 1, et tenent communis doctorum, et continua praxis

(65. Post factas denuntiationes, qui novit aliquod impedimentum inter volentes contrahere, etiamsi occultum sit, et illud probare non possit, tenetur sub peccato mortali, vi talium denuntiationum manifestare, dummodo tamen absque suo gravi incommodo aut præjudicio id facere possit. Et ratio est quia quivis tenetur avertere ruinam spiritualem, et grave peccatum alterius, atque irreverentiam sacramenti, si commode, et absque suo præjudicio potest; unde cum in casu nostro hoc possit, ex quo, revelando impedimentum, facit quod alii contrahendo graviter non peccent, et ne gravis irreverentia irrogetur sacramento, quod alias fieret, stat evidenter teneri sub gravi ad manifestandum; ita Guttier., *Can.*, lib. I, c. 11, n. 12 et 29, et *De matrim.*, c. 59, n. 9; Sanch., lib. III, disp. 13, n. 2; Coninch., disp. 27, dub. 7, n. 61; Reginald., lib. XXXI, num. 128; Reiffenstuel., *l. c.*, n. 49; Hurtad., *De matrim.*, disp. 5, diff. 21; Bonac., *De matrim.*, qu. 2, punct. 6, num. 20; Covarr. *De sponsal.*, par. II, c. 6, § 10, n. 21; Navarr., in *Manual.*, c. 21, n. 83; Barbosa, d. alleg. 33, n. 25, et super Trid. sess. XXIV *De reformat. matrim.*, c. n. 34, et alii passim. (66. Nec excusabitur ab obligatione denuntiandi, quamvis ex ipsa denuntiatione secuturum sit damnum tertio, et quamvis etiam ipse solus impedimentum sciverit, vel sub secreto acceperit, vel ab aliis dici audiverit, dummodo personæ, a quibus dici audivit, sint fide dignæ. (67. Non tamen si accepisset a persona nil certum sciente, vel levi, vel si non meminit a quibus dici audierit; Sanchez, lib. III, disput. 13, num 7; Pont. lib. V, cap. 34, num. 1; Bonacina, *loc. cit.*; Filliuc., tom. I, tract. 10, part. I, cap. 5, num. 185; Boss. *De matrim.* cap. 7, a n. 164; Avers., q. 7, sect. 4; Barbosa, *l. c.*; De Justis, *l. c.*, n. 211 et 212. (68. Cognoscens aliquod impedimentum, vel sub secreto, vel occultum, ita ut solus ipse noverit, et tale impedimentum oriatur ex infamia, aut peccato, et contrahentes sint in bona fide, non tenetur detegere, sicut non tenetur impedimenta denuntiare cum gravi suo incommodo, vel aliorum scandalo; Barbosa, d. allegat. 32, n. 26, et super Trident. *l. c.* n. 35; Chamerata, dub. 27, vers. 9; Bonacina, d. punct. 6, n. 20; Basil. Pont. *De impediment. matrim.* c. 26, § 4, vers. *Denique*; Hurtad., *Disc. de offic.*, 21, n. 75, F. Emmanuel, in *Summa*, par. I, cap. 217, n. 9; De Justis, *loc.*

Digitized by Google

cit. n. 222 et alii. Et quod non teneatur impedimenta denuntiare cum gravi suo incommodo, vel aliorum scandalo, est communis cum Pontio l. v, c. 34, n. 2, quia charitas non obligat magno cum damno proprio avertere alterius damnum, sive spirituale, sive aliud.

(69. Denuntiationes matrimonii sine gravi causa non sunt omittendæ; Benedict. XIV, tom. I, constit. 35, incip. *Satis vobis*, § 5.

(70. Nec super trina denuntiatione matrimonii est facile dispensandum; idem const. 85, *Nimium*. V. *Append.* in fin., art. 7 h. rubricæ. (71. Dispensandi facultas adimitur nuntio Apostolico in regno Poloniæ commoranti. Idem *ibid.*, § 16. (72. Denuntiationum lex pro contrahendis matrimoniis in Servia, et finitimis regionibus est servanda. Idem const. 89, *Inter omnigenas*.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(73. De origine denuntiationum matrimonii, vide, si lubet, Rousseaud de la Combe in sua *Jurisprudentia canon.*, verb. *Ban de mariage*, sect. 1. n. 1.

(74. Mire inter se dissentiunt doctores de tempore, quod a factis denuntiationibus ad matrimonium elabi debet, ut eæ repetantur. Alii tenent, tunc demum esse repetendas denuntiationes, quum annus elapsus est. (75. Alii sufficere arbitrantur, si elapsi sint menses quatuor, ut denuntiationes repetantur. (76. Alii, quos sequitur auctor, num 15, duos menses satis esse volunt pro repetitione denuntiationum. (77. Et hunc terminum statuit D. Carolus Borromæus in *concilio Mediolanen.* V, tit. 17.

(78. Nata inde est hæc varietas, quod in jure nihil de hoc tempore sancitum est. Ego cum Rousseaud de la Comb. in sua *Jurisprudentia canonica*, verb. *Ban de mariage*, sect. 3, num 2, censeo, terminum hunc dependere debere a circumstantiis, tum a prudentia episcopi. (79. Quod si aliqua suspicio sit de novo aliquo impedimento, repetendæ sunt denuntiationes, quamvis nec duo menses sint elapsi.

(80. Tametsi nonnulli cum auctore n. 18, et plur. sequent. sentiant, denuntiationes fieri posse diebus non festis, si magnus sit populi concursus, et quidem etiam extra ecclesiam, (81. tum fieri posse in ecclesia diebus festis, dum celebrantur vesperæ, concilium tamen Tridentin. ut observat. Rousseaud de la Combe in sua *Jurisprud. canonica*, verb. *Ban de mariage*, sect. 3, n. 4, (82. aperte contrarium est, eo ipso quod decrevit, ut fiant denuntiationes diebus festivis inter missarum solemnia.

(83. Opinio auctoris n. 31, quod vicarius generalis, vi solius generalis commissionis vicariatus, possit dispensare super denuntiationibus, plures habet contradictores, quos citat Leuren *De vicar.*, tract. 1, sect. 3., cap. 3, § 8, q. 161. (84. Sequitur autem mox laudatus doctor eamdem auctoris opinionem, sed una monet, posse episcopos ejusmodi facultatem dispensandi super denuntiationibus etc. sibi ipsis reservare etc. (85. « Unde, inquit, an vicarius hic et nunc in dictis denuntiationibus remittendis dispensare valeat, colligendum ex mente episcopi, et ex consuetudine hujus, vel illius Ecclesiæ; (86. ita tamen, ut si in generali commissione vicariatus, aut extra id expressum non sit ab episcopo, aut aliud habeat dicta consuetudo, id possit vicarius. »

(87. Dum contrahentes sunt duarum diœcesum, necessario requiri, ut dispensatio super denuntiationibus concedatur ab utroque episcopo, contra Barbos., Sanchez, Bonacin., aliosque quos sequitur auctor n. 34, tenet Rousseaud de la Combe, in sua *Jurisprudentia canonica*, verb. *Ban de mariage*, sect. 4, dist. 3, n. 6.

(88. De causis ex quibus concedi debet dicta dispensatio confert Rousseau de la Combe in sua *Jurisprudentia canonica*, sect. 4, dist. 2, ubi improbat causam illam, quam affert auctor, n. 52. imminentis temporis, quo nuptiæ celebrari nequeunt, et pro se allegat. D. Carolum Borromæum in *concilio Mediolanensi* V.

(89. Denuntiationes non esse necessarias, adeoque omitti posse. tenet Rousseaud de la Combe in sua *Jurisprudentia canonica*, verb. *Ban de mariage*, sect. 4, dist. 1, si celebratio matrimonii demandata sit decreto alicujus supremi tribunalis.

ADDITIONES CASINENSES.

(90. Quoad pœnas, quas matrimonia, denuntiationibus posthabitis, sequuntur, tam respectu parochi, quam ipsorum contrahentium, et testium, addimus cum Benedicto XIV quod « parochus matrimonio interesse præsumens, cui legitimæ non præcesserint denuntiationes, suspensione ab officio, triennio duratura, aut etiam graviori pœna plecti jubetur in cap. *Cum inhibitio*, § final. ex. *De clandest. desponsat*; a qua quidem suspensione, cujus tempus est a jure determinatum, non posse eumdem intra triennium ab episcopo absolvi, docent Sanchez... Gutierez... et Pontius..» *De synod. diœces.*, lib. XII, cap. 6, n. 2.

(91. Insuper ait Sanchez : « Admitterem, posse judicem suspendere eum parochum triennio suspensum ab officio, eo quod interfuit matrimonio clandestino ob solam denuntiationum omissionem, posse (inquam) *suspendere simul a beneficio*, quando culpæ gravitas hoc postularet. » *De matrim.*, l. III, disput. 51, n. 14.

(92. Amplius, eodem Sanchezio docente « incurret parochus eam pœnam, ut suspendendus sit triennio non tantum quando interfuerit matrimonio clandestino, vel impedire neglexerit, sed etiam idem dicendum est de aliis matrimoniis interdictis jure, vel a judice. Nam § final. (cit. cap.) *De clandest. desponsat.* sic dicitur : « Sane si parochialis sacerdos tales conjunctiones prohibere neglexerit, » ubi verbum illud *tales* refertur ad nuptias, de quibus § præcedenti egerat ille textus : egerat autem de clandesti-

Digitized by Google

nis, vel interdictus conjugiis. Sic Majolus... unde bene infert parochum conjungentem vagos, non servato quod præscribit Trident., sess. XXIV, *De matrim.*, c. 7, incurrere eam pœnam, ut triennio suspendendus sit..... Eadem ratione, si alter sit vagus, aut alienigena, licet non vagus, parochus assistens tali matrimonio, incurret eamdem suspensionem, si absque ordinarii licentia intersit. » L. cit., disputat. 48, num. 5.

(93. Quantum vero ad ipsos contrahentes, ac testes spectat « quia (illi) Ecclesiæ mandatum in re sane gravi contemnunt, condignam pœnitentiam injungendam in cit. cap. *Cum inhibitio*, § final. statuitur. Testibus tamen, qui ejusmodi matrimoniis assistunt, nulla pœna, neque a concilio Lateranensi, neque a Tridentino reperitur imposita : at nihilominus plerœque diœcesanæ synodi etiam in illos duxerunt animadvertendum pœna excommunicationis latæ sententiæ. Quamvis Torro Soto... absonum visum sit, a particulari synodo illam in prædictos testes irrogari pœnam, a qua infligenda concilia generalia abstinuerunt, ac proinde præfatas constitutiones irritas existimaverit; rectius tamen earumdem validitatem propugnat, atque a Soti argumentis vindicat Sanchez... Etenim cum testes præfati assistentiam præstent matrimonio ab Ecclesia interdicto, graviter profecto in Ecclesiæ leges delinquunt : quapropter synodales constitutiones eorum culpam debita coercentes pœna, nihil agunt contra canones, sed canones ipsos tuentur, ac fovent. » Sic idem Benedictus XIV, *De synod. diœces.*, cit. lib. XII, cap. 6, n. 2.

(94. Atque ad hanc doctrinam magis firmandam non supervacaneum addere putamus, quod licet nec archiepiscopi, etiam in provinciali concilio, nec episcopi pro suis diœcesibus, multoque minus alii inferiores prælati possint pro subditis quidpiam statuere contra jus commune canonicum, aut alias constitutiones Apostolicas, ut unanimiter docent DD., quippe *Lex superioris per inferiorem tolli non potest:* sicut nec per episcopos, etiam in synodo diœcesana, aliquid statui potest, quod canonicis adversetur institutis : c. 9. *De majorit.*, etc. « Hoc tamen non obstante, possunt leges superioris per inferiorem adjuvari per pœnæ adjectionem... Ratio est : quia nullo jure istud reperitur prohibitum, et longe aliud est, legem superioris tollere, aliud vero eam, ut melius servetur, per pœnæ adjectionem adjuvare. » Reiffenst., ad tit. 2, ex. *De const.*, § 4, n. 75, 76.

ARTICULUS V.

Quoad ea quæ concernunt impedimenta mere impedientia, et septem prima dirimentia.

SUMMARIUM.

1. Impedimenta matrimonii sunt duplicis generis, et quæ? — 2. Datur in Ecclesia Dei potestas constituendi impedimenta matrimonii. — 3. Impedimenta mere impedientia, spectato jure antiquo, fuerunt sex, et quæ? — 4. Ecclesiæ vetitum quid sit? — 5. Tempus feriatum quid, et quale sit? — 6. Catechismus quid? — 7. Crimen quid? — 8. Sponsalia quid sint, et quando impediant? — 9. Votum quid, et quale sit? — 10. Ex assignatis sex impedimentis, non vigent nunc nisi quatuor, et quæ? — 11. Impedimenta dirimentia, quæ de jure antiquo erant tantum duodecim, nunc jure Tridentini sunt quatuordecim, et assignantur.— 12. Error est quadruplex, scilicet personæ, fortunæ, conditionis, et qualitatis, et assignatur quilibet.—13. Error personæ dirimit matrimonium, non solum jure positivo, sed etiam jure naturæ. — 14. Error fortunæ, aut qualitatis non dirimit matrimonium, nisi certo limitaret consensum contrahentis.—15. Conditio, seu impedimentum conditionis quid sit? — 16. Error conditionis servilis dirimit matrimonium, quando liber credens contrahere cum libera, contrahit cum serva, et econtra. — 17. Intellige de servis, et ancillis proprie talibus, non autem de servis, et ancillis *ascriptitiis, et originariis.* — 18. Matrimonium contractum a persona libera cum servili prius cognita ut tali, est validum, et licitum.— 19. Item validum est matrimonium contractum inter duas personas similes, etiam invitis dominis.— 20. Item validum est matrimonium contractum a persona serva cum alia pariter serva, quam tamen putabat liberam, et cui non nupsisset, si conditionem ejus servilem cognovisset.— 21. Item validum est matrimonium contractum a persona libera cum alia libera, quam ex errore putabat servam. — 22. Item validum est matrimonium contractum a persona serva cum libera, quam ex errore putat servam. — 23. Votum quid, et quale sit? — 24. Omne, et solum votum solemne per susceptionem sacri ordinis, et per professionem religiosam emissum dirimit matrimonium contrahendum. — 25. Votum solemne ordinis sacri est solum impedimentum dirimens respectu matrimonii contrahendi, attamen non dirimit jam contractum, quamvis nondum consummatum. — 26. Votum autem solemne professionis religiosæ, non solum est impedimentum dirimens respectu matrimonii postea contrahendi, sed etiam dirimit jam contractum nondum consummatum. Subnectuntur hic additiones ex aliena manu, quæ in aliis Ferrariensibus editionibus collocatæ reperiuntur, sub v. *Conjuges*, in fine : ad numer. 46. — 47. Cognatio est triplex, naturalis, spiritualis, et legalis; et quæ sit naturalis, seu carnalis? — 48. Stipes quid sit? — 49. Linea consanguinitatis quid sit? — 50. Hæc linea est duplex, recta, et transversalis. — 51. Quæ sit linea recta? — 52. Quæ sit linea transversalis, tam æqualis, quam inæqualis? Et quid sit gradus, ac quare sic dictus? — 53. Ad facilius dignoscendum, quot gradibus distent inter se consanguinei, dantur tres regulæ, prima pro linea recta, secunda pro linea transversali æquali, et tertia pro linea transversali inæquali. — 54. Assignatur regula pro linea recta. — 55. Assignatur regula pro linea transversali æquali. — 56. Assignatur regula pro linea transversali inæquali. — 57. In linea transversali inæquali pro obtinenda in gradibus consanguinitatis dispensatione debent manifestari, nedum gradus remotior, sed etiam propinquior stipiti. — 58. Regulæ traditæ pro computatione graduum in linea transversali, tam æquali, quam inæquali valent solum in jure canonico, non autem in jure civili. — 59. Assignatur ratio disparitatis. — 60. Ordo computationis graduum statutus a jure civili servandus est etiam in foro ecclesiastico, et econtra ordo computationis graduum statutus a jure canonico servandus est etiam in foro sæculari.—61. Cognatio naturalis non dirimit matrimonium jure ecclesiastico, nisi infra quartum gradum, tam in linea recta, quam in transversali, sive æquali, sive inæquali. — 62. Impedimentum consanguinitatis dirimit matrimonium quoad primum gradum in linea recta, non solum jure humano, sed etiam divino, et naturali. — 65.

Digitized by Google

Imo probabilissimum est, dictum impedimentum consanguinitatis in linea recta dirimere matrimonia jure naturæ, non solum quoad primum gradum, sed etiam quoad reliquos usque in infinitum. — 64. Contraria tamen sententia docens dictum impedimentum in linea recta dirimere matrimonia de jure naturæ solum quoad primum gradum, et non quoad alios, est vere probabilis. — 65. Impedimentum cognationis naturalis in linea transversali dirimit matrimonium jure naturæ, ac divino quoad primum gradum. — 66. Affertur ratio. — 67. Impedimentum cognationis naturalis in linea transversali non dirimit matrimonium quoad secundum, et ulteriores gradus jure naturali, et divino, sed solum jure ecclesiastico. — 68. Cognatio spiritualis quid sit: et quomodo habeatur: ad n. 69. — 70. Impedimentum cognationis spiritualis introductum est solum jure ecclesiast. — 71. Cognatio spiritualis antiquo jure erat triplex, scilicet paternitas, compaternitas, et confraternitas: et quid sit paternitas spiritualis? — 72. Compaternitas spiritualis quid sit? — 73. Confraternitas spiritualis quid sit?—74. Jure vero Tridentini fuit omnino sublata dicta *confraternitas spiritualis*, et certo modo restricta *paternitas*, *et compaternitas*. — 75. Cognatio spiritualis a quibus hodie contrahatur? — 76. Cognatio spiritualis non oritur ex baptismo, et confirmatione nulliter collata.—77. Cognatio spiritualis contrahitur ab accipiente puerum ab obstetrice. — 78. Cognatio spiritualis contrahitur etiam in baptismo domi secuto.—79. Cognationis spiritualis in primo gradu dispensatio concedi non solet. — 80. Alia concernentia hanc cognationem spiritualem, *remissive*.—81. Cognatio legalis unde dicta?—82. Cognatio legalis quid sit? — 83. Cognatio legalis est triplex, scilicet paternitas, fraternitas, et affinitas legalis; et quid sit paternitas legalis?—84. Hæc cognatio semper durat, et dirimit, etiamsi adoptio per emancipationem fuerit soluta.— 85. Fraternitas legalis quid sit?—86. Hæc cognatio non durat semper, sed exspirat exspirante adoptione. —87. Affinitas legalis quid sit? Hæc cognatio semper durat, et dirimit etiam soluta adoptione.—88. Assignatur ratio differentiæ, cur cognatio legalis in linea recta descendentium, et affinitas duret semper, et non sic cognatio transversalis, seu fraternitas legalis. — 89. Cognatio legalis dirimens matrimonium oritur inter ipsos filios adoptivos, si plures ab eodem adoptantur. — 90. Cognatio legalis dirimens matrimonium non oritur inter adoptatum, et filiam illegitimam adoptantis: nec inter filiam illegitimam adoptantis, et adoptantem, vel legitimos ejus liberos. — 91. Cognatio legalis non oritur inter adoptantem, et parentes adoptati. — 92. Neque cognatio legalis dirimens matrimonium oritur inter filios duorum fratrum adoptivorum. — 93. Neque oritur inter filios legitimos, et naturales patris adoptantis, et filios adoptivorum. — 94. Adoptio quid sit, et quis adoptare, et adoptari possit, et quomodo? — 95. Adoptio est duplex, una propria et perfecta; et alia impropria, et imperfecta; et quæ sit utraque? — 96. Assignantur differentiæ vertentes inter adoptionem perfectam et imperfectam. — 97. Probabile est, quod cognatio legalis dirimens matrimonium, non solum oriatur ex adoptione perfecta, sed etiam ex imperfecta. — 98. Multi tamen sustinent contrarium. — 99. Crimen dirimens matrimonium est quadruplex: primum est solum homicidium; secundum est homicidium cum adulterio; tertium est adulterium solum cum promissione matrimonii de futuro; quartum est adulterium solum cum alio matrimonio contracto. — 100. Solum homicidium quando dirimat? — 101. Ad hoc, ut tale homicidium inducat impedimentum, requiruntur tres conditiones, et assignantur. — 102. Homicidium cum adulterio quando dirimat? — Ad hoc, ut tale homicidium inducat impedimentum, requiruntur etiam tres conditiones, et assignantur. — 103. Adulterium solum cum promissione matrimonii de futuro quando dirimat? — 104. Ut tale adulterium causet impedimentum, requiruntur quatuor conditiones; et assignantur. — 105. Adulterium solum cum alio matrimonio contracto, quando dirimat? — 106. Ut tale adulterium causet impedimentum, requiruntur duæ conditiones; et assignantur. — 107. Criminis impedimentum non est inductum jure naturæ, vel divino. — 108. Hinc, si duo infideles pro tempore infidelitatis commisissent tale crimen, et postea conversi ad fidem inter se contraherent, valide contraherent. — 109. Non sic autem, si tale crimen fuisset commissum a duobus, quorum unus esset fidelis, et alter infidelis. — 110. Cultus disparitas inter quos dirimat matrimonium? — 111. Hoc impedimentum non est inductum jure naturæ, aut divino, sed solum jure ecclesiastico. — 112. Si ex duobus conjugibus infidelibus unus convertatur ad fidem, et alter monitus et rogatus nolit converti, nec cohabitare sine injuria Creatoris, tunc matrimonium, etiamsi fuerit consummatum, dissolvitur quoad vinculum. — 113. Non potest autem fidelis conversus solvere matrimonium quoad vinculum, quando infidelis vult cohabitare sine injuria Creatoris, licet nolit converti. *Subnectuntur *Additiones Casinenses* ad majorem rei explanationem ad n. 114. — 115. Nec etiam solvitur matrimonium quoad vinculum, si unus conjugum transeat ad infidelitatem, seu labatur in hæresim. — 116. Imo nedum non dirimuntur matrimonia propter hæresim, sed et valide contrahuntur cum hæreticis, si ritu catholico contrahantur. — 117. Secundum multos matrimonia cum hæreticis, nedum sunt valida, sed etiam licita in locis, ubi hæretici et catholici permisti vivunt. Sed tamen multa quoad hoc sunt advertenda, *remissive*. — 118. Vis quantum ad præsens quid sit? — 119. Vis, seu metus est duplex; scilicet gravis, seu cadens in constantem virum, et levis, seu cadens in virum inconstantem; et qualis sit uterque? — 120. Ad metum gravem quatuor conditiones requiruntur, et assignantur. — 121. Metus alius est incussus a causa intrinseca, et alius a causa extrinseca libera; et qualis sit uterque? — 122. Insuper metus alius est juste incussus, et alius injuste; et qualis sit uterque? — 123. Matrimonium ex gravi metu injuste incusso contractum est ipso jure nullum, et invalidum. — 124. Metus gravis injuste incussus dirimit matrimonium jure naturæ. — 125. Metus levis, etiamsi sit injuste incussus, non dirimit matrimonium. — 126. Metus gravis ab intrinseco proveniens non dirimit matrimonium. — 127. Nec etiam dirimit matrimonium metus gravis ab extrinseco proveniens, si sit juste incussus. — 128. Alia ad rem, *remissive*. — 129. Subnectuntur additiones ex aliena manu, *ad n.* 140.

(1. Impedimenta matrimonii sunt duplicis generis, alia mere impedientia, et alia dirimentia. *Impedimenta mere impedientia* sunt illa quæ mere impediunt matrimonium contrahendum, sed non irritant jam contractum: unde quamvis matrimonium cum aliquo ex his impedimentis nequeat licite, et absque peccato contrahi, potest tamen valide. *Impedimenta dirimentia* sunt illa, quæ non solum impediunt, ne matrimonium contrahatur licite, sed etiam ne valide; unde matrimonium contractum cum aliquo ex his impedimentis est omnino nullum ac irritum. (2. Datur in Ecclesia Dei potestas constituendi impedimenta, sive impedientia, sive etiam dirimentia matrimonii; *communis* inter catholicos, atque definitum contra modernos hæreticos in concilio Tridentino sess. XXIV,

Digitized by Google

can. 4, ibi : « Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse, anathema sit » ; et canon. 3, ibi : « Si quis dixerit, eos tantum consanguinitatis, et affinitatis gradus, qui in *Levitico* exprimuntur, posse impedire matrimonium contrahendum, et dirimere contractum : nec posse Ecclesiam in nonnullis eorum dispensare, aut constituere, ut plures impediant, et dirimant, anathema sit : » et colligitur ex cap. *Tum* 3, De ordine cognationum, cap. *Ex litteris* 1, De consanguinit. et affin., c. *Multorum* 10, caus. 35, qu. 6.

(3. Impedimenta mere impedientia, spectato jure antiquo, sex fuerunt sequentibus versiculis communiter comprehensa.

Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriatum,
Atque catechismus, crimen, sponsalia, votum
Impediunt fieri, permittunt juncta teneri.

(4. *Ecclesiæ vetitum* est prohibitio Ecclesiæ, quæ fit a Papa, ab episcopo, vel parocho ex justa causa ad certum tempus, v. gr. ad evitandum scandalum, et tumultum, aut cognoscendum impedimentum aliquod, de quo dubitatur inter copulandos ; arg. c. 1, 2 et 3, *De matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ*, et cap. final. *De clandestin. despons.*

Tempus feriatum, quo prohibetur, non matrimonium, sed matrimonii solemnitas, scilicet benedictio nuptiarum solemnis, sponsæ in domum sponsi traductio, solemniora convivia, et tripudia, etc. Tale tempus olim varium, et longius erat, ut patet ex c. 8, 10 et 11, caus. 33, qu. 4, et cap. *Capellanus* 14, De feriis. Ast in præsentiarum est restrictum a concilio Tridentino sess. XXII, c. 10, *De reformat. matrimonii*, ab Adventu usque ad diem Epiphaniæ, et a feria quarta Cinerum usque ad octavam Paschæ inclusive, ibi : « Ab Adventu Domini nostri Jesu Christi usque ad diem Epiphaniæ ; et a feria quarta Cinerum usque ad octavam Paschæ inclusive, antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus observari sancta synodus præcipit, in aliis vero temporibus solemniter celebrari permittit. »

(6. *Catechismus*, per quem intelligitur cognatio quædam spiritualis imperfecta, quæ olim contrahebatur ab eo, qui respondebat pro infante, quando supplebantur cæremoniæ post baptismum collatum privatim in necessitate, quamvis talis respondens infantem jam antea privatim baptizatum de sacro fonte non levarit ; arg. cap. *contracto* 5, De cognatione spirituali, et cap. *Per catechismum* 2, eod. in 6. Ast hodie non amplius viget hoc impedimentum ; cum videatur sublatum a Tridentino sess. XXIV, *De reformat. matrim.*, cap. 2, per illa verba : « Omnibus inter alias personas hujus spiritualis cognationis impedimentis omnino sublatis ; » prout contra paucos alios advertunt Pontius lib. VI, c. 11, n. 3 ; Sanch., lib. VII *De matrim.*, disp. 10, n. 10 ; Reiffenstuel, lib. IV. *Decret.*, tit. 11, num. 5, ipsisque testibus, declaravit sacra congregatio, et motus proprius S. Pii V, confirmatque ipsa praxis, et universalis Ecclesiæ consuetudo, quæ, ex cap. *Cum dilectus filius* 8, De consuetudine, optima est legum interpres. Et sic tenent Ledesma, Reginald., Rebellus, Guttierez, Bonacina, Molfesius cum Barbosa super d. cap. Concilii Tridentini, num. 41. Quamvis ipse Barbosa sibi contradicat, et teneat contrarium in *Summa Apostolicar. decis.*, verb. *Cognatio spiritualis*, n. 7, afferens decretum sacræ congregationis Concilii de anno 1592, 22 Decembris.

(7. *Crimen.*, per quod intelligebantur varia enormia delicta, quorum aliquod si quis committebat, nubere alteri licite amplius non poterat ; arg. cap. *Qui presbyterum* 2, De pœnitentiis et remissionib., c. *Si quis* 1, et cap. *Veniens* 2, De eo qui cognovit consanguineam, etc., cap. *Statutum* 33, caus. 17, q. 2, cap. *Admonere* 6, caus. 33, qu. 2 ; cum similibus, et Glossa in cit. c. *Qui presbyterum*, verb. *Absque spe conjugii*, ubi ipsa crimina comprehendit his versiculis.

Incestus, raptus sponsatæ, mors mulieris,
Susceptio propriæ prolis, mors presbyteralis,
Vel si pœniteat solemniter, aut monialem
Accipiat : prohibent hæc conjugium sociandum.

(8. *Sponsalia*, quæ sunt mutua promissio futurarum nuptiarum, l. 1, ff. *De sponsalibus*, cap. *Nostrates* 3, caus. 30, qu. 5, quando sunt contracta cum una persona, impediunt matrimonium cum alia, nisi prius sint rite dissoluta ; arg. cap. *Ex litteris* 2, et cap. *Ad audientiam* 4. *De sponsalibus*, et cap. 1 *De pactis*, et similibus.

(9. *Votum*, per quod in proposito intelligitur votum simplex castitatis, seu votum simplex ingrediendæ religionis, assumendi ordinem sacrum, non ineundi conjugium, quæ vota impediunt matrimonium contrahendum, sed non dirimunt jam contractum, cap. *Consuluit* 4, et cap. *Rursus* 6. Qui clerici, vel voventes matrimonium contrahere possunt : c. unic. *De voto* in 6.

(10. Ex assignatis autem sex impedimentis mere impedientibus, cum duo jam non amplius vigeant, nempe impedimentum *catechismi*, jam per consuetudinem contrariam abrogatum, et impedimentum *criminis* jam per longævam desuetudinem abrogatum, hinc quatuor tantum hodie vigent impedimenta mere impedientia apte in hoc versiculo comprehensa.

Sacratum tempus, vetitum, sponsalia, votum.

(11. Impedimenta dirimentia, quamvis jure antiquo fuerint tantum duodecim, tamen hodierno jure sunt quatuordecim, cum ipsis duodecim impedimentis antiquis duo de novo sint adjecta a concilio Tridentino, scilicet *absentia* parochi, et duorum testium, ut habetur sess. XXIV, c. 1, *De reformat. matrim.* et *Raptus*, ut habetur ead. sess. XXIV, cap. 6, *De reformat. matrim.*, quæ omnia impedimenta comprehenduntur sequentibus versiculis, relatis tum a S. Thoma part. III, qu. 50, *Supplement.*, art. 1, tum a Scoto, in 4, dist. 42 ; et ab aliis passim.

Digitized by Google

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas;
Si sis affinis, si forte coire nequibis,
Si parochi, aut duplicis desit præsentia testis;
Raptaque sit mulier, nec parti reddita tutæ :
Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

(12. *Error* est quadruplex, scilicet personæ, fortunæ, conditionis, et qualitatis, textu expresso in cap. *Quod autem*, caus. 29, q. 1, ibi : « Error personæ est, quando hic putatur esse Virgilius, et ipse est Plato; error fortunæ, quando hic putatur esse dives, qui est pauper, vel e converso; error conditionis, quando putatur esse liber, qui servus est; error qualitatis, quando putatur bonus qui malus est. »

(13. Error personæ dirimit matrimonium, non solum jure positivo, ex cap. *Tua nos* 26, De sponsalibus, et cit. cap. *Quod autem*, caus. 29, a. 1, ibi : « Error personæ consensum conjugii non admittit; » sed etiam ex jure naturæ, adeoque nullum est, etiamsi ab infidelibus cum tali errore contrahatur; Et ratio est, quia errantis nullus est consensus; arg. l. VIII et 9; *Cod. de jur. et fact. ignorant.* Ubi autem non adest consensus, non adest matrimonium; cap. *Sufficiat* 2, caus. 27; qu. 2, cap. *Cum locum* 14, *De sponsalibus*, cum nuptias non concubitus, sed consensus faciat; l. *Nuptias* 20, ff. *De regul. juris.*

(14. Error fortunæ aut qualitatis non dirimit matrimonium, nisi certe limitaret consensum contrahentis. *Communis*, arg. cap. *Cum in apostolica* 18, De sponsalibus, et cit. cap. *Quod autem*, caus. 29, qu. 1, ibi : « Error fortunæ et qualitatis non excludit consensum.... quæ nubit pauperi putans illum esse divitem, non potest renuntiare priori conditioni, quamvis erraverit... Similiter qui ducit in uxorem meretricem, vel corruptam, quam putabat esse castam, vel virginem, non potest eam dimittere, et aliam ducere. » Dictum autem fuit notanter *nisi certe limitaret consensum contrahentis*, quia invalidum est matrimonium, si non intendat contrahere, nisi adsit talis qualitas, eo quod tunc non censeatur adesse consensus in personam, nisi sub conditione qualitatis subsistentis; et consequenter, ubi non subsistit hæc, non subsistit ille; omnis enim contractus sub conditione honesta de præsenti initus, conditione non subsistente, nullus est; l. *Cum ad præsens* 37, ff. *De rebus credit.*, et l. *Cum in secundo princip.* ff. *De injusto raptu*; S. Thomas in 4, dist. 30, qu. 1, art. 2, ad. 5; S. Bonaventura in 4, dist. 30, in *Expositione litteræ*, n. 4, et teste Sanchez lib. VII, disp. 18, n. 21, omnes alii. De matr. sub conditione vide *Addit. Cas.*, in fin. 4 artic.

(15. *Conditio* quantum ad præsens, seu error conditionis est judicium, quo liber judicat personam, cum qua contrahit, esse liberam, cum non sit : conditio enim servilis est status personæ, quæ non est sui juris, ut in re communiter sentiunt doctores. (16. Hinc error conditionis servilis dirimit, et irritat matrimonium, quando liber credens contrahere cum libera, contrahit cum serva, et econtra, textu expresso in c. *Ad nostram* 4, De conjugio servorum, ibi : « Mandamus quatenus si constiterit, quod miles ignoranter contraxerit cum ancilla, ita quod, postquam intellexit conditionem ipsius, nec facto, nec verbo consenserit in eamdem... contrahendi cum alia libera ipsi concedas auctoritate Apostolica facultatem : » et concordat cap. *Si quis ingenuus* 4, caus. 29, quæst. 2, ibi : « Si quis ingenuus homo uxorem ancillam alterius acceperit, et existimat, quod ingenua sit, si ipsa femina postea in servitute fuerit detecta, si voluerit, aliam accipiat; si autem ancillam eam scierat, legitimam eam habeat, similiter, et mulier ingenua de servo alterius facere debet. » (17. Intellige tamen conclusionem de servis, et ancillis proprie talibus, non autem de servis, et ancillis *ascitiis*, nec de *originariis;* matrimonia enim contracta cum istis a personis, liberis, etiamsi illarum conditionem ignoraverint, sunt valida; ut, nemine dissentiente, sentiunt omnes doctores, et docet praxis communis.

(18. Matrimonium contractum a persona libera cum servili prius cognita ut tali, est validum, et licitum. *Communis*, textu claro in cap. *Proposuit* 2, et c. *Ad nostram* 4, De conjugio servorum; et cap. *Si quis;* lib. II, cap. *Si quis ingenuus* 4, et cap. *Si femina* 5, caus. 29, q. 2; ibi : « Si femina ingenua deceperit servum, sciens quod servus esset, habeat eum. » (19. Item validum est matrimonium contractum inter duas personas serviles, etiam invitis dominis; *Communis*, textu expresso in cap. *Dignum est* 1, De conjugio servorum, ibi : « Ita nec inter servos matrimonia debent ullatenus prohiberi : et si contradicentibus dominis, et invitis contracta fuerint, nulla ratione sunt propter hoc dissolvenda; » concordat cap. *Omnibus* 1, caus. 29, q. 2. (20. Item validum est matrimonium contractum a persona serva cum alia pariter serva, quam tamen putabat liberam, et cui non nupsisset, si conditionem ejus servilem cognovisset; Sic S. Bonav., in 4, dist. 36, art. 2, qu. 2, conclus. S. Th. in 4, dist. 36, art. 1, ad 1, his verbis : « Quia in matrimonio est æqualis obligatio ex utraque parte ad debitum reddendum; non potest aliquis requirere majorem obligationem ex parte alterius, quam ipse possit facere, et propter hoc servus, etiam si contrahit cum ancilla, quam credit liberam, non propter hoc impeditur matrimonium; et sic patet, quod servitus non impedit matrimonium, nisi quando ignorata est ab alio conjuge, et si ille sit liberæ conditionis. » Sic etiam docet Scotus in 4, dist. 36, q. 1. § *Dic ergo*; Durand, *ib.* q. 1, Pontas, Petr. Palud., *ibid.*, q. 1, n. 8, verb. *Impedimentum conditionis*, cap. 2, et alii passim. (21. Item validum est matrimonium contractum a persona libera cum alia libera, quam ex errore putat servam, quia exinde non deterioratur ejus conditio. *Communis* cum Scoto in 4, dist. 36, qu. 1; et Sanch. lib. VII, disp. 19, n. 23; Hostiens., in c. *Ad nostram* 4, De conjugio

Digitized by Google

servorum, in 2. Reiffenstuel, in c. *Ad nostram* 4, De conjugio servorum in 2; Reiffenstuel. l. IV, *Decr.* tit. 9, n. 10. (22. Item validum est matrim. contractum a persona serva cum libera, quam ex errore putat servam, quia melioratur ejus conditio; Scotus in 2, dist. 36, qu. 1; Reiffenst., *l. c.*, n. 10, et alii comm.

(23. *Votum*, quod, ut sit impedimentum dirimens, debet esse solemne castitatis, est illud quod fit in professione religionis approbatæ, vel in susceptione ordinis sacri; arg. cap. unic. *De voto* in 6, ibi : « Præsentis declarandum duximus oraculo sanctionis, illud solum votum debere dici solemne, quantum ad post contractum matrimonium dirimendum, quod solemnizatum fuerit per susceptionem sacri ordinis, aut per professionem expressam, vel tacitam factam alicui de religionib. per Sedem Apostolicam approbatis. » (24. Omne, et solum votum solemne per susceptionem sac. ord. vel per professionem religiosam emissum dirimit matrimonium contrahendum; *communis*. Et quidem de voto solemni per susceptionem sac. ord. habetur cap. *De diacono* 1, et cap. *Ex litterarum tuarum tenore* 2, Qui clerici, vel voventes, cap. *Si qui clericorum* 1, De clericis conjugat., et concordant cap. *Presbyteri* 8, dist. 27, cap. *Presbyter* 16, dist. 28, cum similibus. De professione autem religiosa habetur cap. *Meminimus* 3, et cap. *Insinuante* 7, Qui clerici, vel voventes, et de utroque voto expresse definivit concilium Tridentinum sess. XIV. *De sacramento matrimonii*, canon. 9, ibi : « Si quis dixerit, clericos in sacr. ordinib. constitutos, vel regulares castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica, vel voto... anathema sit. »

(25. Adest tamen hæc differentia inter votum solemne ordinis sacri, et votum solemne professionis religiosæ, quod votum solemne ordinis sacri est solum impedimentum dirimens respectu matrimonii postea contrahendi; attamen non dirimit matrimonium prius jam contractum, quamvis nondum fuerit consummatum; *communis*; textu expresso, et definito a Joan. XXII in Extrav. *At quæ de voto*, ibi : « Quo licet votum solemnizatum per sacri susceptionem ordinis, quantum ad impediendum matrimonium contrahendum, ac ad dirimendum, si post contractum fuerit, secundum statuta canonum sit efficax reputandum; ad solvendum tamen prius contractum, etiamsi per carnis copulam non fuerit consummatum, cum nec jure divino, nec per sac. canones reperiatur hoc statutum, invalidum est censendum. » (26. Votum autem solemne professionis religiosæ, non solum est impedimentum dirimens respectu matrimonii postea contrahendi, sed etiam dirimit jam contractum ratum, dummodo nondum fuerit consummatum. *Communis*, textu expresso in cap. *Verum* 2, et cap. *Ex parte* 14, *De convers. conjug.*, et est expresse definitum a conc. Tridentino, sess. 24, *De matrim.*, can. 6, ibi : « Si quis dixerit, matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem religionis professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit. »

Subnectuntur hic additiones ex aliena manu, quæ in aliis Ferrariensibus editionibus collocatæ reperiuntur, sub v. Conjuges; *sunt porro hujusmodi.*

(27. Matrimonio contracto, et nondum consummato, potest alter conjugum, etiam alio invito, intra bimestre religionem ingredi, et remanens in sæculo ad secundas nuptias transire, ut recte ex text. in cap. 7 De convers. conjugat., firmat auctor n. 3, et plur. sequent. *Vide ibi.*

(28. Quæri hic non incongrue potest, a quo tempore parti volenti religionem ingredi currat bimestre? Sunt qui tenent, numerari debere bimestre a die contracti matrimonii. *Vide* Zoes., in *Decretal.*, lib. III, tit. 32, n. 20; Wiestner. in hunc ipsum titulum, n. 2. (29. Alii vero sentiunt numerandum a die præfixionis termini factæ a judice; (30. Fagnan. in c. 7, n. 27, *De conversione conjugat.*; Schmalzgrueb, *Jur. Eccles. univ.*, lib. III, part. IV, tit. 32, § 1, n. 3, ubi quod utilis est resolutio hæc ad cognoscendum, quando conjuges sibi debitum negantes peccent, et quando si sponsus sponsam cogat, religionem amplius ingredi eidem non liceat.

(31. Controversia vero est non levis, an intra hoc bimestre a judice præfixum teneatur ingredi volens profiteri? Ratio dubitandi inde oritur, quod concilium Tridentinum sess. XXV, cap. 16, *De regular.* statuit, ut professioni annus probationis præmittatur, et quidem sub pœna nullitatis. Navarrus, summus ille canonista, in utramque partem disputat consil. 1, per tot., *De convers. conjug.* sed in *Manual. confessar.*, c. 17, n. 27, affirmativam tenere videtur sententiam. Hanc ipsam affirmativam sententiam post Vega, Maja, Sol. aliosque acriter tuetur Zoes., *Decretal.*, lib. III, tit. 37, n. 21, ubi : « Probabile inquit esse quantum ad hanc rem nihil esse immutatum per Tridentinum, quum decretum concilii sit generale, et posterius, quod solet per propria specialia restringi, et explicari etc. Facit ratio juris antiqui, ne scilicet per moram ingressi detur manenti in sæculo ansa peccandi, quæ ratio etiam obtinet jure novo. Nec videtur quidquam facere negatio universalis posita in dict. cap. 16, cum respondeat generali prohibitioni juris antiqui, ut non improbabiliter jus novum ejus distinctioni adaptandum veniat, etc. Facit, quod priora jura non censeantur abrogari per posteriora, nisi sit in iis expressum. »

(32. Communior tamen est opinio negativa, secundum quam bimestre illud ad deliberandum tantum datum intelligitur, et propterea eis, qui intra hoc tempus ingresus est religionem, adhuc integrum habet annum, quo probare religionem possit, antequam teneatur professionem emittere. *Vide* Faguan. c. 7. n. 19, *De convers. conjug.*; Wiest

Digitized by Google

ner in *Decretal.*, lib. III, tit. 32, n. 8; Sanchez, *De matrimonio*, lib. II, decis. 24, n. 6 et sequent.; ubi tamen non diffitetur, satis probabilem esse sententiam affirmativam; Pontius eod. tractat., lib. IX, cap. 9, n. 2.

(33. Quod si constaret authenticas esse binas illas sacræ congregat. Concilii interpretis resolutiones, quas pro negativa opinione ex Farinacio affert Pontius, finis jam esset impositus controversiæ huic doctorum.

(34. Consummatum autem matrimonium hac in materia habetur per conjugalem copulam subsequentem, quod est extra dubium.

(35. At dubitari potest, an copula antecedens impediat alterum conjugum ingredi. Negat Zoes., in *Decretal.*, lib. III, tit. 32, n. 4: « quia (*sunt ipsius verba*) requiritur matrimonialis, quæ sequatur ipsum matrimonium contractum; præcedens enim est tantum fornicatio. Nihil facit, quod matrimonium sequens retrotrahatur ad copulam præcedentem: per cap. *Tanta*, *Infra*, *Qui fil. sint legit.* nam hoc tantum in favorem prolis, qui non est extendendus in favorem eorum qui deliquerunt. »

(36. De professione facta, consummato matrimonio ab uno conjuge, altero invito, vel inscio, disputatur, utrum sit ea irrita, an irritari debeat? Irritam esse tenent Zoes. in *Decretal*, lib. III, tit. 32, n. 5, Sanchez, *De matrim.*, lib. VII, disp. 35, n. 1 et 10, et quidem ex text. in c. 3, et in cap. 2, *De convers. conjug.*

(37. Num autem ingressus, non revocatus ab altero, possit propria auctoritate egredi, et ad dimissum redire? Affirmativam sententiam tuetur Zoes., in *Decretal.*, lib. III, tit. 32, n. 6.

(38. Quid si conjux alter moriatur, an confirmetur professio? Affirmant nonnulli ex tex. in c. 10, *De convers. conjugat.* (39. At Sanchez, *De matrim.*, lib. VII, disp. 34, n. 11 et seq., ait, non aliter amplecti posse affirmativam hanc opinionem, quam si ab initio consenserit expresse, vel tacite alter conjux, nam alias professio ab initio irrita non potest convalescere, non secuta ratihabitione post mortem conjugis.

(40. Gravior quæstio est, si uterque conjux ingrediatur sine mutuo consensu? Validam utriusque professionem pronuntiant Boich., in cap. 8, n. 13, *De convers. conjugat*; Sanchez, lib. VII, disput. 34, n. 24, dummodo uterque fuerit conscius alterius. (41. Cæterum si inscius, non valebit professio, nec tenebitur professus manere in religione, ut, præter allegatos, tradit Zoes., lib. IV, tit. 32, ex. n. 8.

(42. An, altero conjuge ingresso sine consensu alterius, possit et alter ingredi, et profiteri valide sine alterius consensu? Negant Zoes., lib. III, tit. 32, ex. num. 10; Sanchez, *De matrim.*, lib. VII, disput. 24; n. 23.

(43. Cæterum dicta de nullitate professionis conjugis, qui non reportavit consensum ab altero conjuge, intellige quoad votum solemne, quod eatenus non habet effectum. (44. At professio hæc operabitur obligationem quoad votum simplex castitatis, quod ponit impedimentum, quod dicunt impediens matrimonii ineundi post mortem alterius; c. 3 et c. 12, *De convers. conjugat.* (45. Ita sane statuit Ecclesia præsumendo, professentem se saltem obligare velle ad id, quod potest citra detrimentum alterius, scilicet ad castitatem independenter a professione, nisi alia fuerit ipsius professentis mens, scilicet non continuandi, nisi in statu religioso, « quæ, » ut ait Zoes., in *Decretal.*, lib. III, tit. 32, n. 11, « faciet votum illud ad nihil utile esse. »

(46. De casibus, quibus post matrimonium consummatum liceat ingredi religionem, vide late disserentem Schmalzgrueb., *Jur. Eccles. univers.*, lib. III, par. IV, tit. 32, § 2, per tot.

(47. *Cognatio* est triplex, naturalis, spiritualis, et legalis. Cognatio naturalis, seu carnalis, quæ consanguinitas dicitur, « est vinculum personarum ab eodem stipite, carnali propagatione descendentium, seu quarum una descendit ab altera »: quæ ultima verba adduntur, ne excludatur consanguinitas genitorum cum genitis. (48. Stipes « est illa persona, a qua aliæ personæ de quarum cognatione tractatur, carnali propagatione descendunt. (49. *Linea consanguinitatis* est ordinata series talium personarum ab eodem stipite descendentium, gradus continens, et numeros distinguens. » (50. Hæc linea est duplex, linea recta, et linea transversalis, seu collateralis. (51. Linea recta « est earum personarum, quarum una precedit ab altera; » quæ, si fiat descendendo v. gr. a patre ad filium, ac nepotes suos, dicitur *linea recta descendentium*: si autem fiat ascendendo, ut a filio ad patrem, a nepote ad avum, proavum, abavum, atavum, tritavum, et sic deinceps usque ad Adam, dicitur *linea recta ascendentium*. (52. « *Linea* transversalis, *seu* collateralis est earum personarum, quarum una non procedit ab altera, licet omnes procedant ab eodem stipite: » ut fratres, consobrini, et hujusmodi Linea *transversalis*, seu *collateralis* est duplex, æqualis, et inæqualis. Linea transversalis æqualis « est habitudo inter personas ab eodem communi stipite æqualiter distantes » ut inter fratres, et sorores, patrueles, et consobrinas. Linea transversalis inæqualis « est habitudo inter personas inæqualiter a communi stipite distantes, » ut fratres, et filii sororis. Gradus consanguinitatis « est ipsa distantia unius personæ ab altera in eadem linea consanguinitatis in ordine ad eumdem stipitem. » Et dicitur gradus ad similitudinem graduum scalarum, vel locorum proclivium, quia ita gradimur de proximo in proximum.

(53. Ut facilius cognoscatur quot gradibus distent inter se consanguinei, tres regulæ communiter assignari solent, prima, pro linea recta: secunda, pro linea transversali æquali: et tertia, pro linea transversali inæquali. (54. Regula pro linea recta est hæc: « Ascendentium, et descendentium tot

Digitized by Google

sunt gradus, quot sunt personæ de quibus quæritur, computatis intermediis, dempto stipite. » Hinc, si vis scire quantum distet *abavus*, ab *Antonio stipite*, computato utroque, ac intermediis, inveniuntur quinque personæ; deme unam, nempe *Antonium stipitem*, quatuor remanent gradus, ut clarissime demonstrat parvum sequens

SCHEMA LINEÆ RECTÆ.

4. Titius	Abavus.
3. Caius	Proavus.
2. Petrucius	Avus.
1. Franciscus	Pater.
Antonius	Stipes.
1. Franciscus	Filius.
2. Petrucius	Nepos.
3. Caius	Pronepos.
4. Titius	Abnepos.

Ubi, ut vides, *Franciscus* est in primo gradu conjunctus cum *Antonio*, quia, dempto ipso stipite, qui est *Antonius*, una sola remanet persona, nempe *Franciscus*. *Petrucius* autem est in secundo gradu conjunctus cum *Antonio*, quia, *Antonio* stipite dempto, remanent duæ personæ, scilicet *Petrucius* et *Franciscus*. *Caius* vero est in tertio gradu conjunctus cum *Antonio*, quia ipso *Antonio* stipite dempto, remanent tres personæ, nempe *Franciscus*, *Petrucius*, *et Caius*. *Titius* denique est conjunctus cum *Antonio* in quarto gradu, quia, ipso *Antonio* stipite dempto, remanent quator personæ, id est *Franciscus*, *Petrucius*, *Caius*, *et Titius*.

(55. Regula pro linea transversali æquali est hæc. « Quot gradibus quævis duarum personarum, de quibus quæritur, distat a proximo communi stipite, a quo ambæ descendunt, tot gradibus distant inter se : » et ad facilius hanc regulam percipiendam ponitur parvum sequens

SCHEMA LINEÆ TRANSVERSALIS.

Antonius stipes.

Francis.	*Frater et soror*	1 *gradu.*	Maria
Petruc.	*Consobrini primi*	2 *grad.*	Lucia
Caius	*Consobrini secundi*	3 *grad.*	Petronilla
Titius	*Consobrini tertii*	4 *grad.*	Agnes
Lucas	*in nullo gradu*		Clara.

Ubi, ut vides, *Franciscus* est conjunctus in primo gradu cum *Maria*, quia uno gradu distant ab *Antonio* stipite, seu Patre. *Petrucius* est conjunctus in secundo gradu cum *Lucia*, quia duobus gradibus distant ab *Antonio* stipite. *Caius* est conjunctus in tertio gradu cum *Petronilla*, quia tribus gradibus distant ab *Antonio* stipite. *Titius* est conjunctus in quarto gradu cum *Agnete*, quia quatuor gradibus distant ab *Antonio* stipite. *Lucas* denique in *nullo gradu* est conjunctus cum *Clara*, quia, licet antiquo jure consanguinitas in *linea transversali* extenderetur usque ad septimum gradum inclusive : c. *Nullum* 7, c. *De consanguinitate* 17, caus. 35, q. 3, ibi : « De consanguinitate sua uxorem nullus ducat usque post generationem septimam » : cum similibus, tamen moderno jure in dicta *linea transversali* non extenditur, nisi ad quartum gradum inclusive, ut expresse statuit concilium generale Lateranense cap. 30. relatum in cap. *Non debet* 8, De consanguinitate et affinitate, ibi : « Prohibitio quoque copulæ conjugalis quartum consanguinitatis, et affinitatis gradum de cætero non excedat, quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest absque gravi dispendio hujusmodi prohibitio generaliter observari. »

(56. Regula pro linea transversali inæquali est hæc : « Quot gradibus remotior ex personis, de quibus quæritur, distat a communi stipite, a quo ambæ proxime descendunt, tot gradibus distant inter se » : unde, ut vides, in allato schemate lineæ transversalis, *Franciscus* in secundo gradu distat a *Lucia*, quia *Lucia*, quæ est persona remotior ab *Antonio* stipite, duobus gradibus distat ab ipso *Antonio* stipite, quamvis *Franciscus* ab ipso *Antonio* distet unico tantum gradu. Sic descendendo, idem *Franciscus* in tertio gradu distat a *Petronilla*, quia *Petronilla*, quæ est persona remotior ab *Antonio* stipite, tribus gradibus distat ab ipso *Antonio* stipite. Item idem *Franciscus* in quarto gradu distat ab *Agnete*, quia *Agnes*, quæ est persona remotior ab Antonio stipite, quatuor gradibus distat ab ipso *Antonio* stipite.

(57. Notandum tamen hic est, quod licet in linea transversali inæquali ita numeratur in ordine ad matrimonii impedimentum cognoscendum, in ordine tamen ad obtinendam in gradibus consanguinitatis dispensationem, debet in memorialibus explicari, et manifestari, nedum gradus remotior, sed etiam gradus proximior, seu propinquior stipiti, ut declaravit S. Pius V constit. incip. *Sanctissimus;* et Urban. VIII et Innoc. X, ambo in brevi incipient. *Alias pro parte.* Hinc in eodem allato schemate lineæ transversalis, *Franciscus* dicitur primo gradu in secundo conjunctus cum *Lucia :* primo gradu in tertio cum *Petronilla:* primo gradu in quarto cum *Agnete :* denique primo in quinto cum *Clara*, et sic in nullo gradu, quia ultra quartum gradum, nulla datur amplius cognatio, ex cit. c. *Non debet* 8, De consanguinitate et affinitate, et per hoc, cum gradus remotior est ultra quartum, nec gradus proximior est exprimendus, nec dispensatio est necessaria, quia nulla amplius datur cognatio. Pariformiter *Petrucius* est secundo gradu in tertio conjunctus cum *Petronilla;* secundo in quarto cum *Agnete :* secundo in quinto cum *Clara;* et sic in nullo, cum, ex dictis, ultra quartum gradum nulla detur amplius cognatio. Similiter *Caius* est tertio in quarto conjunctus cum *Agnete :* tertio in quinto cum *Clara*, et sic in nullo, propter rationem supradictam. Item *Titius* est quarto gradu in quinto conjunctus cum *Clara*, et sic in nullo, propter semper eamdem rationem. *Lucas* denique in nullo gradu est conjunctus cum filia *Claræ*, cum hodie, ex dictis, ultra quartum jam non detur amplius ulterior gradus. Quæ autem explicata, et dicta sunt de viris in ordine ad feminas, intelligenda omnimode sunt de feminis in ordine ad viros. Unde *Maria* est conjuncta primo

Digitized by Google

gradu in secundo cum *Petrucio:* primo in tertio cum *Caio;* primo in quarto cum *Titio;* denique primo gradu in quinto cum *Luca*, et sic in nullo, cum ultra quartum gradum nulla amplius detur cognatio. Similiter *Lucia* est secundo gradu in tertio conjuncta cum *Caio:* secundo in quarto cum *Titio;* secundo in quinto cum *Luca*, et sic in nullo, et pariformiter est discurrendum de cæteris.

(58. Notandum est insuper, quod traditæ Regulæ pro computatione graduum in linea transversali, tam æquali, quam inæquali, valent solum in jure canonico, non autem in jure civili. Quamvis enim in linea recta ascendentium, et descendentium eodem modo computentur gradus consanguinitatis secundum jus civile et secundum jus canonicum, ita ut pro utroque jure valeat Regula tradita sub n. 34, ut clare habetur ex c. *Ad sedem* 2, caus. 35, qu. 5, et § 1 ac seqq. *Institut. de grad. cognat.* In linea tamen transversali, seu collaterali, tam æquali, quam inæquali, aliter computantur gradus secundum jus civile, in ordine ad capiendam ab intestato hereditatem, et aliter secundum jus canonicum, in ordine ad contrahenda matrimonia. *Communis*, textu claro in cit. cap. *Ad sedem* 2, caus. 35, qu. 5. Secundum enim jus canonicum observantur, pro computatione graduum, regulæ traditæ supra sub num. 35 et 36. Secundum autem jus civile, pro tali computatione, tam in linea æquali, quam inæquali, observatur alia, et quidem unica sequens regula: « Tot sunt gradus, quot sunt ex utraque parte, vel linea, personæ, una dempta, communi nempe stipite; » et consequenter: « Tot gradibus duæ personæ in linea transversali distant inter se, quot ex utraque parte numerantur personæ usque ad communem stipitem, in quo ambæ conveniunt, una dempta, ipso nempe stipite communi. » Unde, ut vides, secundum jus civile, in computatione duplicantur gradus, ita ut inter duos fratres sint duo gradus; inter duos patrueles quatuor gradus. Duo enim fratres distant duobus gradibus inter se, quia sunt tres personæ, duo fratres nempe, et pater, in quo, tanquam in communi stipite conveniunt, et consequenter, una persona dempta, scilicet *stipite*, sunt duo gradus, quia remanent duæ personæ; secundum enim jus civile, in linea transversali non datur gradus unicus, seu primus. Sic duo patrueles distant quatuor gradibus inter se, quia ex utraque parte, seu linea, usque ad communem stipitem, sunt quinque personæ, ipsi nempe duo patrueles, duo ipsorum patres et avus: una autem persona, avo nempe tanquam stipite, dempta, sunt quatuor gradus, quia remanent quatuor personæ, et sic de aliis: arg. tot. tit. *Instit. de gradib. cognat.*, et cit. cap. *Ad sedem* 2, caus. 35, q. 5, ubi habentur præcisa hæc verba: « Fratres itaque, qui, secundum leges sæculares, dicuntur in secundo gradu, juxta canones, numerantur in primo. Filii fratrum, qui illic numerantur in quarto, hic computantur in secundo: » et sic deinceps. (59. Et ratio disparitatis est, quia jus canonicum computat gradus ob matrimonium, pro quo requiruntur duæ personæ ad constituendum gradum; jus vero civile ob successionem, in qua sufficit una persona proxima in gradu, cit. cap. *Ad sedem* 2, caus. 35, q. 5.

(60. Advertendum tamen hic est, quod ordo computationis graduum statutus a jure civili pro successione hereditaria ab intestato capienda, servandus est etiam in foro ecclesiastico, et canonico, cum quoad hoc jus civile sit approbatum, et canonizatum a jure canonico, arg. cit. cap. *Ad sedem* 2, caus. 35, qu. 5. Et econtra ordo computationis graduum statutus a jure canonico pro contrahendis matrimoniis, servandus est etiam in foro sæculari, seu civili, prout fatentur ipsimet civiles juristæ, arg. cit. c. *Ad sedem* 2, caus. 35, quæst. 5.

(61. Cognatio naturalis, vel carnalis, quæ dicitur consanguinitas, id est *quasi sanguinis unitas*, non dirimit matrimonium jure ecclesiastico, nisi infra quartum gradum, tam in linea recta, quam in transversali, sive æquali, sive inæquali, ut colligitur ex c. *Non debet* 8, De consanguinitate et affinitate, ubi indistincte restringitur ad quartum gradum impedimentum consanguinitatis, quod juxta jus antiquum in c. *Nullum* 7, in c. *De consanguinitate* 17, caus. 35, q. 3, et aliis similibus extendebatur usque ad septimum gradum inclusive. Nec quidem diversum ex post statutum reperitur in sacris canonibus, neque pro linea recta, pro qua stat præcipua lis inter doctores. Sic tenet Sanchez lib. VII, disp. 52, num. 22; Fagnan. in c. *Vir qui* 9, De consanguinitate, n. 31, ubi dicit certum esse, matrimonium inter ascendentes, et descendentes non irritari in infinitum jure ecclesiastico, Henno tom. II *Disp. uli. de matrimonio*, quæst. 3, conclus. 1; Sporer, tom. III, p. 4, cap. 1, sect. 4., n. 67; Felix Potestas, t. I, p. 4, n. 4042; Leander, Tamburinus, Pontius, et alii plures contra Abbatem, Silvest, Engel. et Reiffenstuel, lib. IV *Decret*, tit. 14, n. 25, et alios volentes impedimentum consanguinitatis in linea recta dirimere matrimonium jure ecclesiastico in infinitum.

(62. Impedimentum consanguinitatis dirimit matrimonium quoad primum gradum in linea recta, non solum jure humano, sed etiam divino, et naturali. *Communis*. Et ratio est, quia ipse instinctus naturalis matrimonium inter parentes, et liberos abhorret propter pudorem. Unde merito in l. *Adoptivus* 14, § 2, ff. *De ritu nuptiar.*, sic dicitur: « In contrahendis matrimoniis naturale jus, et pudor inspiciendus est; contra pudorem est autem filiam in uxorem suam ducere. »

(63. Imo probabilissimum est, dictum impedimentum consanguinitatis in linea recta dirimere matrimonia jure naturæ, non solum quoad primum gradum, sed etiam quoad reliquos usque in infinitum, adeo ut, si Adam hodie viveret, nullam posset uxorem ducere ex universo mundo, cum omnes feminæ per lineam rectam ab ipso descendant, et ita Eva nullum posset ducere maritum,

Digitized by Google

cum omnes homines per lineam rectam ab ipsa descendant. Ita Scotus in 4, dist. 40, § *De secundo;* Fagnanus in cap. *Vir qui* 9, De consanguinit et affinit., n. 25; Rosignolus, contract. 15, *De matrimon.* 11, prænot. 10, sect. 2, num. 3, citans *Glossam*, et alios plures, Sporer, tom. II, part. IV, cap. 1, sect. 1, num. 68; Herincx, dis. 6 *De matrimonio*, q. 8. num. 50; Henno, *loc. cit.*, conclus. 2; Reiffenstuel, *l. c.*, num. 27; Pirhing, lib. IV *Decret.*, tit. 14, n. 9; Coninch, disp. 32, *De sacrament.*, n. 16; Layman, lib. V, tract. 10, part. IV, n. 2; Busemb., lib. VI, part. III, dub. 2, n. 4; S. Antonin., Paludan. Durand., Abbas, Bellarm. Vasquez, Hurtadus, Meratius, Mastrius et alii : arg. l. ult. ff. *De ritu nuptiar.*, ubi deciditur, jure gentium (per quod intelligitur a jurisconsultis jus naturæ) incestuosas esse nuptias in gradu ascendentium vel descendentium, ibi : « Jure gentium incestum committit, qui in gradu ascendentium, vel descendentium uxorem duxerit, et l. *Nuptiæ* 53, ff. eodem ibi : « Nuptiæ consistere non possunt inter eas personas, quæ in numero parentum, liberorumve sunt sive proximi, sive ulterioris gradus, usque in infinitum. » Et ratio est quia in omnibus lineæ rectæ ascendentibus, et descendentibus, quantumvis remotis, reperitur ratio principii, et principiati, et ascendentes veniunt omnes nomine parentum, et descendentes omnes nomine liberorum; arg. c. l. *Nuptiæ* 53, De ritu nuptiar. Inter parentes autem, et liberos matrimonium est irritum jure naturæ, adeoque, etc. Tum quia, ut observant Reiffenstuel, *l. c.*, n. 27; Henno, *l. c.*, conclus. 2, et alii, nullibi legitur Summos Pontifices in tali gradu dispensasse, quæcunque occurrerit ratio, aut necessitas.

(64. Contraria tamen sententia docens, dictum impedimentum in linea recta dirimere matrimonia de jure naturæ solum quo ad primum gradum, et non quo ad alios, est vere probabilis, eamque docent S. Thomas in 4, dist. 40, qu. 1; art. 3 et ibi S. Bonaventura, et Richardus, quæst. 3; Roffensis, in *Tract. de matrimonio regis Angliæ*, fol. 3, Alexander de Ales, in secunda par., qu. 169; Augustin. Triumph., in *Summa de potestate eccles.*, quæst. 53, art. 5 et 6; Fagnan., in c. *Vir qui* 9, De consanguinit. et affinit., n. 35; Sanchez, l. VII, disput 51, num. 19; Cajetan. Victoria, Ledesma, Pontius, Covarruv. Solus, Valentia, Fagundez, Perez, Bonacina, Aversa, Felix Potestas tom. I, p. IV, n. 4042; Pignatell., tom. VII; cons. 22, num. 45, et alii apud La Croix, l. VI, p. III, n. 608, ubi, ultra rationem adductam pro hac sententia, solvit etiam rationem opinionis contrariæ.

(65. Impedimentum cognationis naturalis, seu consanguinitatis in linea transversali dirimit, matrimonium jure naturæ, ac divino, quo ad primum gradum, nempe inter fratres, et sorores, excepto casu absolutæ necessitatis propagandi genus humanum, ut fuit ab initio mundi inter filios et filias Adæ et Evæ. Scotus in 4, dist. 40, qu. unic., ubi solvit rationes oppositæ sententiæ, Gutticrez, *De matrim.*, c. 98, n. 20; Rosignolus *loc. cit.*, sect. 3, num. 2 et 5; Sanchez, l. VII, disp. 32, n. 11; Reiffenstuel, *loc cit.*, n. 28; Layman lib. V, tract. 10, p. 4; Sporer, *loc. cit.*, n. 70; Sotus, Vasquez, Bellarm. Valentia, Ledesma, Bonacina, Henriquez, Perez, et alii plures contra D. Thomam 2-2, qu. 154, art. 9; Cajetanum, Pontium, et alios citatos a Sanchez, l. VII, disp. 52, n. 10, et a Felice Potest., tom. I, p. IV, n. 4042. Colligitur autem nostra sententia ex c. *Gaudemus* 8, De divortiis, ubi Pontifex decernit quod infideles conversi ad fidem separari non debeant, si in secundo, et ulteriori gradu consanguinitatis existentes antea matrimonio juncti fuere, quia legibus Ecclesiæ infideles non arctantur : ergo a sensu contrario, si in primo gradu uniti essent, deberent separari, eo quod talis gradus jure naturæ dirimat, aliter pontifex incongrue expressisset secundum, et tertium gradum, si etiam primus de jure naturæ non esset interdictus. Sic concilium Tridentinum, sess. XXIV, *De reformat. matrim.*, cap. 5, decrevit, in secundo consanguinitatis gradu nunquam esse dispensandum, et solum in tali gradu posse dispensari inter magnos principes, et ob publicam causam, ibi : « In secundo gradu nunquam dispensetur, nisi inter magnos principes, et ob publicam causam : » ergo a sensu contrario in primo gradu non; adeoque videtur primus gradus esse de jure naturæ, aliter incongrue concilium expressisset secundum gradum, si primus non esset de jure naturæ et divino.

(66. Et ratio conclusionis est quia, ipsa natura suadente, inter fratrem, et sororem est naturalis quidam pudor, et reverentia, cui valde adversatur actus conjugalis, utpote qui turpitudinem quamdam præ se fert; hinc, et ipsæmet nationes infideles solo lumine naturali ductæ abhorruerunt ab hujusmodi conjugio, ut colligitur ex Aristotele 2, *Politicorum*, cap. 2, qui turpissimam censet conjunctionem fratrum cum sororibus. Hinc, ut observant Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 29; Rosignol. *loc. cit.*, n. 5; Henno, *loc. cit.*, concl. 3, et alii plures, Summi Pontifices nunquam in tali gradu dispensarunt ob quamcunque necessitatem occurrentem, quamvis Silvester verb. *Papa*, qu. 17, referat ex archidiacono Martinum V semel dispensasse in tali gradu, ut evitaret gravia scandala alias eventura.

(67. Impedimentum cognationis naturalis, seu consanguinitatis in linea transversali, non dirimit matrimonium quoad secundum, et ulteriores gradus jure naturali, et divino, sed solum jure ecclesiastico. *Communis*, arg. c. *Gaudemus* 8, De divortiis, ubi matrimonium infidelium inter consanguineos in secundo gradu agnoscitur validum, adeoque non est contra jus naturæ; et concil. Trid. sess. XXIV, *De reform.*, cap. 5, ubi expresse decernitur, posse in secundo gradu dispensari, adeoque secundus gradus, et a fortiori ulteriores non dirimunt jure naturæ; aliter Papa in ipsis non posset dispensare.

Digitized by Google

Et quod dirimat jure ecclesiastico, habetur expresso in cap. *Non debet* 8, De consanguinitate et affinitate, ubi statuitur, dirimere hodie solum usque ad quartum gradum, et restringitur jus antiquum, quo tale impedimentum dirimebat usque ad septimum gradum inclusive, ut patet ex c. *Nullum* 7, et cap. *De consanguinitate* 17, caus. 35, quæst. 3; cap. *Ad Sedem* 2. caus. 35, quæst. 5, et similibus.

(68. Cognatio spiritualis est propinquitas inter aliquas personas proveniens ex dispensatione sacramentali solius baptismatis, et confirmationis. Scotus in 4, dist. 42, qu. 1, n. 2, et est in re communis, argum. tot. titul. *De cognatione spirituali*, et caus. 30, qu. 1 et 3, et concil. Tridentin., sess. XXIV *De reformat. matrimon.*, cap. 2. (69. Dicitur notanter *solius baptismatis*, *et confirmationis*, quia per dispensationem baptismi, et confirmationis fit spiritualis quædam generatio; baptismus enim dat primam vitam spiritualem, quæ dein per confirmationem perficitur, et roboratur, ut cum S. Thoma advertit S. Bonaventura in 4, dist. 42, art. 1, quæst. 3, et notatur in cap. *Ita diligere* 1, et cap. *Placitum* 2, caus. 3, quæst. 1. Unde merito per solam dispensationem baptismi, et confirmationis, et non per dispensationem aliorum sacramentorum contrahitur cognatio spiritualis, ut expresse habetur in c. *Quamvis* 3, De cognatione spirituali, in 6, ibi: « Ex datione vero aliorum sacramentorum cognatio spiritualis nequaquam oritur, quæ matrimonium impediat, vel dissolvat. » (70. Impedimentum cognationis spiritualis introductum est solum jure ecclesiastico. *Communis*, argum. tot. titul. *De cognatione spirituali*, et caus. 30, quæst. 1 et 3. Et juste, convenienterque Ecclesia hoc statuit impedimentum, quia sicut ex generatione naturali oritur *cognatio naturalis* matrimonium dirimens, ita voluit Ecclesia, ut etiam ex generatione spirituali *cognatio spiritualis* oriretur pariter matrimonium dirimens; idque ex decentia, ac reverentia, quam spiritualiter nati debent suis spiritualibus genitoribus, sicuti carnaliter, et naturaliter nati debent suis carnalibus, et naturalibus genitoribus, arg. c. *Ita diligere* 1, et c. *Placitum* 2, caus. 3, qu. 3.

(71. Cognatio spiritualis antiquo jure erat triplex; scilicet *paternitas*, *compaternitas*, et *confraternitas*. Paternitas spiritualis est propinquitas, seu cognatio spiritualis inter baptizantem, seu confirmantem, eorumque uxores, et baptizatum, vel confirmatum; item inter baptizati, aut confirmati patrinum, ejusque uxorem, et ipsum baptizatum, seu confirmatum; argum. cap. *Pervenit* 1, cap. *Si quis* 2, et cap. *De eo* 5, caus. 30, quæst. 1, cap. *Ita diligere* 1, caus. 30, quæst. 3, cap. *Nedum inter* 1, De cognatione spirituali, in 6, cum similibus. (72. *Compaternitas spiritualis* est cognatio inter baptizati, et confirmati naturales parentes ex una, et inter baptizantem, et confirmantem, atque patrinos, eorumque uxores ex altera parte; cap. *Si quis* 3, caus. 30, q. 4, et cap. *Nedum inter* 1, De cognatione spirituali, in 6, cum similibus. (73. *Confraternitas spiritualis* est cognatio inter baptizatum, seu confirmatum ex una, et filios naturales baptizantis, seu confirmantis, atque patrinorum ex altera; cap. *Placitum* 2, et cap. *Non oportet* 3, caus. 30, q. 3, c. *Utrum* 1, cap. *Super eo* 3, et c. *Tua nos* 7, De cognatione spirituali, cum similibus.

(74. Jure autem novo in concilio Tridentino, sess. XXIV, *De reformat. matrimon.*, cap. 2, ad tollenda multa inconvenientia, et scandala, et præcavenda multa peccata, fuit omnino sublata dicta *confraternitas spiritualis*, et certo modo restricta *paternitas*, et *compaternitas*; ita ut hodie non amplius cognatio spiritualis oriatur inter virum, et uxorem simul levantes infantem ex baptismo, ut olim ex cap. *Quod autem* 5, caus. 30, quæst. 4. Neque inter baptizatum, vel ipsius patrem ex una, et baptizantis, vel levantis uxorem ex alia parte, ut olim ex c. *Martinus* 4, De cognatione spirituali. Neque inter baptizatum, et confirmatum ex una, et filiam baptizantis, confirmantis, levantis, seu tenentis ex altera, ut olim ex cap. *Ex litteris* 8, De cognatione spirituali. Neque inter filium compatris, et filiam commatris, et econtra, ut olim ex cap. *Tua nos* 7, De cognatione spirituali. Neque inter filiam spiritualem baptizatam, et filium carnalem baptizantis, ut olim ex cap. *Placitum* 2, caus. 30, quæst. 3. Neque inter filiam spiritualem levatam de sacro fonte, et inter filium carnalem levantis, seu tenentis, ut olim ex cap. *Non oportet* 3. caus. 30, quæst. 3. Neque inter virum, et commatrem suæ uxoris defunctæ, et econtra, ut olim ex cap. *Sciscitatur* 1, caus. 30, qu. 4. Neque inter baptizantem, et levantem, levantisque uxorem, et filiam, et hujusmodi.

(75. Unde hodie cognatio spiritualis solum contrahitur: I. A baptizato, vel confirmato cum baptizante, vel confirmante. II. A baptizato, vel confirmato cum patrino, vel matrina, et hæ duæ cognationes dicuntur *paternitas*, *et filiatio spiritualis*, arg. cap. *Pervenit* 1, c. *Si quis* 2, et cap. *De eo* 5, caus. 30, quæst. 1, cap. *Ita diligere* 1, caus. 3, quæst. 3; cap. *Nedum* 1, De cognatione spirituali, in 6. III. Contrahitur a patrino, vel a matrina cum patre, et matre baptizati, vel confirmati. IV. A patre, et matre baptizati, vel confirmati cum ipso baptizante, vel confirmante, et hæ duæ posteriores dicuntur *compaternitas* et *commaternitas*, argum. cap. *Si quis* 3, caus. 30, quæst. 4, et cap. *Nedum* 1, De cognatione spirituali, in 6. Inter istos igitur solum contrahitur hodie cognatio spiritualis dirimens matrimonium, et non ultra inter alios, ut expresse decrevit concil. Tridentin., sess. XXIV, *De reform. matrimon.*, cap. 2, ibi: « Docet experientia propter multitudinem prohibitionum multoties in casibus prohibitis ignoranter contrahi matrimonia, in quibus, vel non sine magno peccato perseveratur, vel ea non sine magno scandalo dirimuntur. Volens itaque sancta synodus huic incommodo providere,

Digitized by Google

et a cognationis spiritualis impedimento incipiens, statuit, ut unus tantum vir, sive mulier, juxta sacrorum canonum statuta, vel ad summum unus, et una baptizatum de baptismo suscipiant, inter quos, et baptizatum ipsum, et istius patrem, et matrem, nec non inter baptizantem, et baptizatum, baptizatique patrem, et matrem tantum spiritualis cognatio contrahatur. Quod si alii ultra designatos baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahant, constitutionibus in contrarium facientibus non obstantibus.... Ea quoque cognatio quæ ex confirmatione contrahitur, confirmantem, et confirmatum, illiusque patrem, et matrem, ac tenentem non egrediatur, omnibus inter alias personas hujus spiritualis cognationis impedimentis omnino sublatis. »

(76. Cognatio spiritualis non oritur ex baptismo nulliter collato, sicuti neque ex confirmatione nulliter collata. *Communis.* Et ratio est, quia cum ex talibus sacramentis nulliter collatis nulla fiat generatio, et corroboratio vitæ spiritualis, nulla quoque consurgit *paternitas*, vel *compaternitas*, aut *filiatio spiritualis*, quia quod nullum est, nullum producit effectum c. *Illud* 8, De jure patronat. Et juxta regulam 52 *Juris*, in 6. « Non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum. » (77. Cognatio spiritualis contrahitur ab accipiente puerum ab obstetrice, neque est necesse, ut illum accipiat immediate a manu baptizantis. Sac. cong. Conc. in dub. cognationis spiritual., 18 Decembr. 1668, lib. XXXVIII *Decret.*, fol. 618. (78. Cognatio spiritualis contrahitur etiam in baptismo sine solemnitatibus ob necessitatem domi secuto; sac. congr. Conc. in dub. cognat. spirit. 5 Martii 1678, lib. XIX *Decret.*, fol. 33. (79. Cognationis spiritualis in primo gradu dispensatio concedi non solet. Sanchez, *De matrimon.*, lib. VIII, disp. 24, n. 7. Illam tamen concessam fuisse a Gregorio XIV testatur Pontius *De matrim.*, lib. VIII, cap. 17. n. 28, et de Justis *De dispensat. matrim.*, lib. II, c. 5, n. 74, asserentes infelicem habuisse exitum. Sic apud Ursayam in *Miscellaneo sacro et profano primo*, verb. *Cognatio*, n. 189.

(80. Alia concernentia hanc cognationem spiritualem, *vide* verb. BAPTISMUS, art. 7, per totum; verb. COGNATIO SPIRITUALIS; verb. CONFIRMATIO, art. 3.

(81. *Cognatio legalis* sic est dicta, quia a legibus inventa; leg. *Adoptivus* 14, ff. *De ritu nuptiar.*, et § 1 ac 2 *Instit. de nupt.*, ac postea per sacros canones recepta est; cap. unic. *Si qua de cognatione legali*; etc. *Ita diligere* 1, et cap. *Per adoptionem* 6, caus. 30. *quæst.* 3. (82. Cognatio legalis est propinquitas personarum, quæ ex adoptione provenit, et inter certas personas matrimonium dirimit. *Est in re communis*; arg. cit. leg. *Adoptivus*; et cit. § 1 et 2 *Instit. de nupt.*, et cit. cap. *Si qui*, etc. *Ita diligere* 1, et cap. *Per adoptivum* 6, caus. 30, quæst. 3.

(83. Cognatio legalis est triplex, scilicet paternitas, fraternitas, et affinitas legalis. *Paternitas legalis* est cognatio inducens impedimentum in linea recta inter adoptantem tanquam patrem legalem, et adoptatum tanquam filium, et adoptati descendentes usque ad quartum gradum. Est in re communis; arg. § 1. *Institut. de nupt.*, et leg. *Quin etiam* 55, ff. *De ritu nupt.* (84. Hæc cognatio semper durat, et dirimit, etiamsi adoptio per emancipationem fuerit soluta, c. *Ita diligere* 1, caus. 30, q. 3, § 1 *Instit. de nuptiis*, l. *Quin etiam* 55, *De ritu nuptiar.* Et ratio est, quia, cum hæc cognatio legalis pariat quamdam conjunctionem similem naturali, et inde oriatur reverentia inter cognatos sic constitutos, talis reverentia debita inter ipsos cognatos adhuc perseverat, nec dissolvitur per dissolutionem adoptionis.

(85. *Fraternitas legalis* est cognatio in linea transversali impedimentum inducens inter liberos naturales legitimos adoptantis, et adoptatum tanquam fratres, et sorores legales. Est in re communis, arg. cap. *Si qui*, 1. De cognat legal., et l. *Qui in adoptionem*, ff. *De adoption.* (86. Hæc cognatio non durat semper, sed exspirat, exspirante adoptione; l. *Per adoptionem* 17, ff. *De ritu nuptiar.* ibi : « Per adoptionem quæsita fraternitas eousque impedit nuptias, donec manet adoptio; ideoque eam, quam pater meus adoptavit, et emancipavit, potero uxorem habere, æque ac si, me emancipato, illam in potestate retinuerit, poterimus jungi matrimonio » : et concordat cit. c. *Si qua de cognatione legali*, ibi : « Si qua mihi soror per adoptionem esse cœperit, quandiu durat adoptio, inter me, et ipsam nuptiæ consistere non possunt ».

(87. *Affinitas legalis* est cognatio inter adoptantem, et inter uxorem adoptati, et vicissim inter adoptatum, et uxorem adoptantis. Est in re communis; arg. l. *Adoptivus* 14, ff. *De ritu nuptiar.* Hæc cognatio semper durat, et dirimit, etiam soluta adoptione. *Communis*, textu expresso in cit. l. *Adoptivus*, ibi : « Adoptivus filius, si emancipetur, eam, quæ patris adoptivi uxor est, ducere non potest, quia novercæ locum habet. » (88. Ratio autem differentiæ, cur cognatio legalis in linea recta descendentium, et affinitatis duret semper, et dirimat matrimonium, etiam soluta per emancipationem adoptione, non autem cognatio transversalis, seu fraternitas legalis, est, quia cognatio in linea recta descendentium, et affinitatis trahit secum majorem reverentiam inter cognatos debitam, quæ semper perseverat; cognatio autem in linea transversali non trahit secum tantam reverentiam; unde soluta per emancipationem adoptione, cessat ipsa cognatio, et prohibitio de contrahendo matrimonio in tali linea. Sanchez, lib. VII *De matrimonio*, disp. 63, n. 24, in fine; Rossignol., controv. 15, *De matrimonio*, 11, prænot. 10, sect. 5, n. 15, et alii passim.

(89. Cognatio legalis dirimens matrimonium non oritur inter ipsos filios adoptivos,

Digitized by Google

si plures ab eodem adoptantur; unde valide possunt inter se matrimonium contrahere. *Glossa* communiter recepta in cap. *Si qua de cognat. legali*, verb. *Quandiu*, De cognatione legali; Divus Antonius, III. part., tit. 1, cap. 13; Bonacina, *De matrimon.*, q. 3, punct. 5, n. 7, Rosignol., *loc. cit.*, n. 16, et alii passim. Nullo enim jure statutum invenitur tale impedimentum. Tum quia inter filium, et filiam spiritualem ejusdem patris spiritualis non versatur impedimentum; ergo multo minus inter duos adoptivos, cum isti minus sint conjuncti, quam illi: arg c. *Ita diligere* 1, caus. 30, quæst. 3.

(90. Cognatio legalis dirimens matrimonium non oritur inter adoptatum, et filiam illegitimam adoptantis, nec inter filiam illegitimam adoptati, et adoptantem, vel legitimos ejus liberos. *Communis*, cum Sanchez, lib. VII *De matrimon.*, disp. 63, n. 30; Sporer, to. III, part. IV, cap. 1, sect. 1, num. 85; Pirhing., lib. 4 *Decret.*, tit. 12, num. 9; Reiffenstuel, *ib.*, n. 7. Et ratio est, quia illegitimi non veniunt nomine naturalium liberorum, neque sunt sub patria potestate; § *Si adversus* 12, *Institut. de nuptiar.*, et tali potestate non existente, seu cessante, cessat adoptio, et consequenter etiam cognatio legalis, cap. *Per adoptionem* 6, caus. 30, quæst. 3.

(91. Cognatio legalis dirimens matrimonium non oritur inter adoptantem, et parentes adoptati, quia nullo jure prohibitum est inter istos matrimonium contrahi. *Communis* cum S. Thoma in 4, dist. 42, qu. 1. art. 3, ad primum. S. Antonin, III part., tiul. 1, cap. 13; Tolet., lib. VII *Summæ*, cap. 4, in fin.; Rosignol., *loc. cit.*, num. 18. (92. Neque cognatio legalis dirimens matrimonium oritur inter filios duorum fratrum adoptivorum; si enim ex dictis supra num. 69, duo adoptivi possunt libere contrahere inter se, a fortiori poterunt ad invicem contrahere eorum filii. *Communis.* (93. Neque cognatio legalis impediens matrimonium oritur inter filios legitimos, et naturales patris adoptantis, et filios adoptivorum. Sic Bonacina, quæst. 3 *De matrim.*, punct. 5, n. 6; Rosignol., *loc. cit.*, n. 19, et alii plures. Et ratio est, quia de hac cognatione nulla fit in jure mentio, et illa tantum debet cognatio agnosci, quæ in ipso jure exprimitur, unde non debemus extendere hanc cognationem legalem ultra terminos, ad ques eadem jura extendunt, ut docet Navarr. in *Manual.*, cap. 21, n. 45. Nec aliam extensionem per gradus debemus agnoscere, præterquam in linea recta; in linea enim transversali, seu collaterali non fit extensio ultra primum gradum. Rosignol., *loc. cit*; Felix Potestas, tom. I, part. IV, n. 4031, et alii.

(94. Ut facilius percipiantur, quæ de cognatione legali dicta sunt, et in dies currunt, cum ipsa ex adoptione proveniat, hic aliqua breviter de adoptione traduntur. « Adoptio *igitur* est extraneæ personæ in filium, vel filiam, nepotem, vel deinceps, legitima assumptio. » Est in re communis. Per ly *personæ extraneæ* intelligitur ea, quæ est extra potestatem adoptantis, et a jure, ad quod assumitur, aliena, sive alioquin sit ejus consanguinea, sive non. Per ly *in filium, vel filiam, nepotem, vel deinceps*, denotatur, quod non potest quis adoptari in fratrem, vel parentem, quia, cum adoptio ex genere suo sit superioris ad inferiorem, et per illam adoptatus constituatur sub potestate adoptantis, non potest esse in fratrem, vel parentem, quia isti de genere suo non sunt inferiores, sed vel æquales, vel superiores; et hoc habetur expresse in leg. *Nec apud*, cod. *De hæred instit.* Per ly *legitima assumptio*, denotatur, quod ad hoc, ut adoptio sit valida, debet fieri secundum formam a lege, seu jure præscriptam, scilicet, ut adoptio fiat inter præsentes, et non per procuratorem; l. *Neque;* et l. *Post mortem*, § *Neque*, ff. *De adoption.* Ut adoptans sit masculus; nam femina adoptare non potest, nisi ex speciali concessione principis; § *Femina* 10, *Institut. de adopt.* Ut 18 annis præcedat adoptatum; § 4 *Institut. de adoption.* Ut natura sit potens ad generandum; unde castrati adoptare non possunt; § 9 *Instit. de adoption. Vide* verb. PATRIA POTESTAS, n. 26 et 27, ubi notatur differentia inter spadones, et castratos; possunt tamen adoptare sacerdotes, quia isti non a natura, seu physice, sed per accidens, et moraliter tantum inhabiles sunt ad generandum. Abbas in cit. cap. *Si qui* 1, De cognatione legali, n. 4; Hostiens, *ibid.*, n. 4, et alii passim. Ut adoptans sit sui juris, et major 25 annis, quia alias nondum habet administrationem suorum bonorum; quæ omnia, et alia habentur tot. titul. ff. et cod. *De adopt. et instit. eod.*

(95. Adoptio est duplex, una propria, et perfecta, quæ *adrogatio* dicitur; et alia impropria, et imperfecta, quæ *adoptio simplex, et in specie* vocatur; l. I, ff. *De adoption.* Adoptio perfecta, seu *adrogatio* est illa, per quam adoptatus sui juris existens, principis rescripto transit in potestatem adoptantis, fitque hæres necessarius ex testamento in quarta bonorum parte, ut filius legitimus, et naturalis, arg. § 1 *instit. de adopt.*, et l. II, cod. eod. Adoptio imperfecta, seu *adoptio simplex, et in specie*, est illa, per quam adoptatus nondum sui juris existens, auctoritate cujuscunque judicis competentis, ita assumitur in filium, aut nepotem, ut non transeat in potestatem, et familiam adoptantis, sed adhuc maneat sub sui patris naturalis, ut avi potestate; nec fiat adoptantis hæres necessarius ex testamento, sed solum ei succedere possit ab intestato arg. § *Adoptio, Instit. de adoption.*, leg. *Generalis*, ff. *De adoption.* (96. Unde, ut vides, in multis differunt inter se adoptio perfecta, et imperfecta. *Primo*, adoptio perfecta, seu *adrogatio* non potest fieri, nisi auctoritate supremi principis, et adoptio imperfecta, seu *simplex, et in specie* potest fieri auctoritate cujuslibet judicis, seu magistratus competentis leg. *Generalis* 2, ff. *De adoptionibus*, § *Adoptio*,

Digitized by Google

Instit. eod. tit. *Secundo*, adoptio perfecta, seu *adrogatio* transfert jus, in adrogatum, ut non solum succedat ab intestato, sed etiam ex testamento in quarta parte bonorum adrogantis; unde adrogans non potest penitus privare abrogatum per testamentum omnibus suis bonis, sed tenetur eidem servare quartam partem bonorum pro legitima; § *Sed hodie, Instit. de adopt.* Adoptio autem imperfecta transfert solum jus in adoptatum, ut succedat ab intestato, non vero, ut si hæres necessarius ex testamento; unde adoptans potest per testamentum de bonis suis disponere in favorem alterius sine læsione, et injuria adoptati, cit. § *Sed hodie, Instit. de adoption. Tertio*, adoptio perfecta, seu *adrogatio* petit, ut adrogatus ante sui assumptionem, seu electionem sit sui juris, cum per adrogationem transeat in potestatem adrogantis; adoptio vero imperfecta non requirit, quod adoptatus sit sui juris, cum per adoptionem imperfectam adoptatus non transeat in potestatem adoptantis, adeoque nullum jus lædatur illius, sub cujus potestate est l. 2, § ultim. ff. *De adoption.* Sunt adhuc aliæ differentiæ, quæ, ut minus principales, relinquuntur videndæ apud legistas in *Instit.* § et cod. *De adoption.*

(97. Probabile est, quod cognatio legalis dirimens matrimonium, non solum oriatur ex adoptione perfecta, seu adrogatione, sed etiam ex adoptione imperfecta, seu simplici. *Glossa* in c. *Si quis* 1, De adoptione legali, et ibi Abbas, n. 5, Ancharanus, n. 8; Covarruv., par. II *De matrimom.*, c. 6, § 5, nu. 2; Guttierez, *De matrim.*, cap. 102, n. 5. Barbosa, *De offic. et potest. episc.*, alleg. 51, num. 189; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 10, ubi testatur de communi. Et ratio est, quia jura omnia inducentia hanc cognationem ad dirimendum matrimonium loquuntur indistincte de adoptione, nulla facta mentione de imperfecta, vel perfecta; adeoque intelligenda sunt in tota sua latitudine, et sine ulla restrictione; cap. *Quia circa* 22, De privileg. (98. Non desunt tamen etiam magni nominis auctores, qui nedum dicunt probabile esse, sed etiam probabilius, ex adoptione imperfecta non oriri cognationem legalem dirimentem matrimonium, sed tantum ex perfecta; ita Innocentius in cap. *Si qua de cognatione legali*, num. 1; Silvester, verb. *Matrimon.*, 8, q. 8, et varii alii cum Rosignolo, *l. c.*, n. 10.

(99. *Crimen* dirimens matrimonium est quadruplex. Primum est solum homicidium. Secundum est homicidium cum adulterio. Tertium est adulterium solum cum promissione matrimonii de futuro. Quartum est adulterium solum cum alio matrimonio contracto. (100. *Solum homicidium*, scilicet uxoricidium, vel mariticidium, est impedimentum dirimens, quando vir, aut mulier, etiam sine adulterio, ex mutuo tamen consensu, occidit suam, aut alterius consentientis compartem, cum animo matrimonii inter se post mortem alterius conjugis contrahendi. *Communis*, arg. cap. *Laudabilem* 1, De conversion. infidelium, et cap. *Si quis, vivente*, 5, caus. 31, quæst. 1.

(101. Ut autem tale homicidium sine adulterio causet impedimentum, requiruntur tres conditiones. *Prima*, ut tam vir, quam mulier contrahere volentes, moraliter, vel physice concurrant ad mortem conjugis innocentis; non enim sufficit, si unus tantum, vel una sine scitu, vel consensu alterius ad talem mortem concurrat arg. cit. cap. *Laudabilem* 1, De convers. infidelium. *Secunda*, ut mors ex mutua eorum machinatione revera, et in effectu sequatur; non enim sufficit sola mutua machinatio, si mors non sequatur. *Communis*, arg. cit. c. *Si quis, vivente*, 5, can. 31, q. 1 et cit. c. *Laudabilem* 1, De convers. infidelium. *Tertia*, ut conspiratio illa in mortem conjugis innocentis, ac mortis machinatio fiat, ex, vel cum intentione contrahendi invicem matrimonium, morte secuta; non enim sufficit, si fiat ex alio fine, seu motivo, v. g. ex odio, vindicta, et hujusmodi. *Communis*, arg. cit. cap. *Laudabilem*, et cit. cap. *Si quis*, caus. 31, q. 1, ibi : *Occidisse notetur, ut conjungeretur*, ut notat *ib.* Glossa.

(102. *Homicidium cum adulterio* est impedimentum dirimens, quando solus adulter, commisso adulterio, occidit suam uxorem, aut sola adultera suum maritum, etiam absque conspiratione cum complice adulterii, *Communis*, arg. cap. *Significavit nobis* 2, et cap. *Super hoc* 3, De eo qui duxit in matrimonium, et cap. *Si quis vivente*, 5, caus. 31, q. 1.

(103. Ut tale homicidium cum adulterio causet impedimentum, requiruntur etiam tres conditiones: I. Ut unus complicum adulterii sit vera causa physica, aut moralis cædis conjugis innocentis; sola enim ratihabitio cædis jam factæ, aut approbatio non sufficit. *Communis*, arg. cit. cap. *Si quis vivente*, 5, caus. 31, q. 1, c. *Significasti* 6, De eo qui duxit in matrimonium. Nec requiritur, quod uterque concurrat, sed sufficit, si unus solus eorum, etiam altero inscio, id faciat; arg. cit. cap. *Si quis vivente*, ibi : *Nisi forte vir, aut mulier*; et cit. cap. *Significasti*, ibi : « Nisi alter eorum in mortem fuerit machinatus. » II. Ut mors ex tali machinatione realiter et in effectu sequatur. Non enim sufficit sola machinatio, si revera mors non sequatur. *Communis*, arg cit. cap. *Si quis vivente*, 5, caus. 31, q. 1, et cap. *Laudabilem* 1, De convers. infidel. III. Ut machinatio in mortem conjugis innocentis fiat ab alterutro eo fine, et animo contrahendi matrimonium cum complice adulterii · non enim sufficit, si fiat ex alio fine, aut motivo, v. g. ex odio, vindicta, et hujusmodi; arg. cit. cap. *Laudabilem* 1, De convers. infidel., et cit. c. *Si quis vivente*, 5, caus, 31. q. 1, ibi : « Occidisse notetur, ut conjungeretur, » notat *ib.* Glossa.

(104. *Adulterium solum cum promissione matrimonii de futuro* est impedimentum dirimens, quando adulter, et adultera, sive ante, sive post adulterium commissum, promittunt, et fidem dant de

Digitized by Google

matrimonio post mortem conjugis contrahendo, etiamsi ipsi in talem mortem non conspiraverint. *Communis*, arg. cap. *Relatum est* 4, caus. 31, q. 1, cap. *Propositum* 1; cap. *Ex litterarum tuarum* 4; cap. *Significasti* 6; et c. *Veniens* 7, De eo qui duxit in matrimonium.

(105. Ut tale adulterium solum cum promissione matrimonii de futuro causet impedimentum, requiruntur quatuor conditiones. I. Ut intercedat seria, et acceptata ab altera parte promissio de futuro matrimonio : non enim sufficit adulterium sine tali acceptata promissione. *Communis*, arg. cap. *Significasti* 6, cap. *Veniens* 7, et cap. *Si quis* 8, De eo qui duxit in matrimonium. Nec refert, an adulterium præcedat, vel subsequatur talem promissionem, textu expresso in cit. cap. *Si quis* 8, De eo qui duxit in matrimonium, ibi : « Si prius, vel postea... illam adulterio polluisset. » II. Ut promissio, et adulterium facta sint, vivente eodem conjuge : non enim sufficit, si fiant post mortem ipsius. *Communis*, arg. cap. *Significasti* 6, cap. *Veniens* 7, et cap. *Si quis* 8, De eo qui duxit in matrimonium, ubi semper dicitur *Si vivente uxore*. III. Ut uterque adulterans sciat alterum esse conjugatum : non enim sufficit, si neutra, vel altera pars nesciat se committere adulterium. *Communis*, arg. cap. *Propositum* 1, De eo qui duxit in matrimonium, ibi : « Quia tamen mulier erat inscia, quod ille aliam haberet uxorem viventem; » et cap. 7, *Veniens* 7, eodem. IV. Ut adulterium sit perfectum, et consummatum : non enim sufficit copula solum attentata. *Communis* cum *Glossa* in cap. *Si quis* 9, De eo qui duxit in matrimonium, verb. *Cognovit*, Joan. Andr., *ib.*, n. 4, Abbate, *ib.*, n. 6; Barbosa, *ib.*, n. 4. Et ratio est, quia non obest conatus, ubi injuria non habuit effectum; arg. cap. *Adolescens* 32, De sponsatibus.

(106. *Adulterium solum cum alio matrimonio contracto* est impedimentum dirimens, quando adulter, vivente legitima sua uxore, cum altera adultera contrahit per verba de præsenti, vel adultera, vivente legitimo suo marito, cum alio adultero per verba de præsenti contrahit; tunc enim, etiam mortua uxore adulteri, vel marito adulteræ, contrahere nunquam possunt. *Communis*, arg. c. *Propositum* 1, c. *Cum haberet* 5; cap. *Veniens* 7, cap. *Si quis* 8, De eo qui duxit in matrimonium.

(107. Ut tale adulterium solum cum alio matrimonio contracto causet impedimentum dirimens, requiruntur duæ conditiones. I. Ut matrimonium cum primo conjuge sit validum : non enim sufficit matrimonium ex aliqua ratione invalidum. *Communis*, arg. cap. *Significavit* 2, De eo qui duxit in matrimonium. II. Ut matrimonium cum primo conjuge contractum sit notum secundo conjugi : non enim sufficit primum contractum matrimonium, si secundus conjux ipsum penitus ignoraverit. *Communis*, arg. cap. *Propositum* 1, et c, *Veniens* 7, De eo qui duxit in matrimonium.

(108. Criminis impedimentum non est inductum jure naturæ, vel divino, ut patet in Davide, qui post adulterium, et occisionem Uriæ, duxit ejus uxorem Bethsabæam, sed solum jure ecclesiastico. *Communis*, arg. c. *Si quis, vivente* 5, caus. 31, q. 1, c. *Propositum* 1; c. *Significavit* 2; cap. *Super hoc* 3; c. *Cum haberet* 5; c. *Significasti* 6; c. *Veniens* 7; et c. *Si quis* 8, De eo qui duxit ni matrimonium. (109. Hinc si duo infideles pro tempore infidelitatis commississent tale crimen, et postea conversi ad fidem inter se contraherent, valide contraherent; quod non possent, si tale impedimentum esset inductum jure naturæ, cui et ipsi infideles subduntur, licet non subdantur juri ecclesiastico. *Communis*. (110. Non sic autem, si tale crimen fuisset commissum a duobus quorum unus esset fidelis, et alter infidelis; tunc enim non posset hic alteri post baptismum jungi matrimonio. *Communis*, argum. capit. *Laudabilem* 1, De convers. infidelium. Et ratio est quia tunc impedimentum ab Ecclesia statutum directe in fidelem, redundat etiam in infidelem, siquidem impedimentum ex parte unius in contractibus correspectivis invalidat contractum etiam respectu alterius, ut patet in impedimento voti solemnis in professione religiosa, quod quamvis in uno tantum reperiatur, reddit tamen matrimonium invalidum etiam respectu alterius.

(111. *Cultus disparitas*, seu diversitas religionis dirimit matrimonium inter fidelem, et infidelem, seu baptizatum, et non baptizatum. *Communis*, arg. cap. *Cave* 15, caus. 28, qu. 1, et tota fere illa quæstione. Et ratio est, quia non patet aditus ad alia sacramenta sine baptismo, cum baptismus sit janua sacramentorum. (112. Hoc impedimentum non est inductum jure naturæ, aut divino, sed solum jure ecclesiastico, si non scripto, saltem consuetudinario, consuetudine, et perpetuo usu Ecclesiæ approbante. Scotus, in 4, dist. 39, quæst. unic., art. 2, et ibi S. Bonavent., art. 1, q. 1; Coninch., *De matrimon.*, disp. 21, n. 41; Sanchez, lib. VII, disp. 71, n. 7; Perez, disp. 36, sect. 1, n. 4; Sporer, to. III, par. IV, cap. 4, c. 1, sect. 1, n. 115; Reiffenstuel, lib. IV *Decr.*, tit. 1, num. 355 et sequent., et alii communiter; tempore enim legis naturæ Esau duxit uxores Cananæas (*Gen.* XIX). Joseph duxit uxorem Asenet Ægyptiacam (*Genes.* XLI). Tempore legis scriptæ Moyses accepit Sephoram Ethiopissam (*Exod.* II). Salomon plurimas uxores idololatras (III *Reg.* I et II). Esther duxit Assuerum Chaldæum (*Esther* II).

(113. Si ex duobus conjugibus infidelibus unus convertatur ad fidem, et alter monitus, et rogatus nolit converti, nec cohabitare sine injuria Creatoris, tunc matrimonium, etiamsi fuerit consummatum, dissolvitur quoad vinculum, ita ut conjux fidelis possit aliud matrimonium contrahere cum fideli ante omnem sententiam, ut colligitur ex *I ad Corinth.*, cap. VII, ibi : *Quod si infidelis discedit, discedat; non enim servituti* (id est

Digitized by Google

ligamini conjugali) *subjectus est frater, aut soror in hujusmodi:* et ex cap. *Si infidelis* 2, caus. 28, quæst. 2, ubi sic expresse habetur: « Contumelia quippe Creatoris solvit jus matrimonii circa eum qui relinquitur; infidelis autem discedens, et in Deum peccat, et in matrimonium, nec est ei fides servanda conjugii, etc.; » et cap. *Quanto* 7, De divortiis, ibi: « Si enim alter infidelium conjugum ad fidem catholicam convertatur, altero, vel nullo modo, vel non sine blasphemia divini nominis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente, qui relinquitur, ad secunda, si voluerit, vota transibit, et in hoc casu intelligimus, quod ait Apostolus: *Si infidelis discedit, discedat; frater enim, vel soror non est servituti subjectus in hujusmodi*, et canonem etiam, in quo dicitur: « Contumelia Creatoris « solvit jus matrimonii circa eum qui relin- « quitur: » et *Glossa ib.*, verb. *Contumelia*, ubi adducit sequentes versus:

Desere spernentem, vel blasphemare volentem.
Vel te credentem scelus ad mortale trahentem.
Nam sunt absque mora sic vincula rupta priora.

(114. Non potest autem fidelis conversus solvere matrimonium quoad vinculum, quando infidelis vult cohabitare sine injuria Creatoris, licet nolit converti, ut colligitur *ex prima ad Corinth.* cap. 7, ibi: *Si quis frater uxorem habet infidelem, et hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam, et si quæ mulier virum habet infidelem, et hic consensit habitare cum illa, non dimittat illum:* et ex cit. cap. *Si infidelis* 2, caus. 28, qu. 2, et cit. cap. *Quanto* 7, et cap. *Gaudemus* 8, De divortiis. Et tenent S. Thomas in 4, dist. 39, qu. unic. artic. 5, in corpore, et ibi S. Bonaventur. art. 2, quæst; S. Antonin. III part., tit. 2, cap. 6, not. 3, et alii passim.

ADDITIONES CASINENSES.

Lubet hic, duce, ac magistro Benedicto XIV sequentia tradere. « Certum est infidelium conjugium, ex privilegio in fidei favorem a Christo Domino concesso, et per apost. Paul. *I ad Cor.*, c. VII, promulgato, dissolvi, cum conjugum alter Christianam fidem amplectitur, renuente altero, in sua infidelitate obdurato, cohabitare cum converso, aut cohabitare quidem volente, sed non sine contumelia Creatoris, hoc est sine periculo subversionis conjugis fidelis, vel non sine exsecratione sanctissimi nominis Christi, et Christianæ religionis despicientia. Ex hoc vero fit, integrum non esse conjugi converso transire ad alia vota, priusquam infidelis interpellatus, aut absolute recusaverit cum eo cohabitare, aut animum sibi esse ostenderit, cum illo quidem cohabitandi, sed non sine Creatoris contumelia, uti colligitur ex celeberrima Decretali Innocenti III in cap. *Quanto*, De divortiis, notantque Sanchez... Salmatic... cardinalis de Laurea... Clericatus... »

« At quandoque evenit (prosequitur Benedictus XIV) conjugem infidelem in longinquas abiisse regiones, aut ita latitare, ut interpellari nequeat; et tunc dubitatur an, interpellatione omissa, fas sit converso alias inire nuptias. Affirmant plerique, quibus astipulantur Sanchez... Genuensis... Riccius... Alii ex adverso, inter quos Pontius... in eo rerum statu necessariam putant dispensationem Summi Pontificis, cujus est declarare in quibusnam circumstantiis desinat obligare præceptum divinum, quo prædicta interpellatio, ante rescissionem matrimonii videtur injuncta. Atque huic posteriori sententiæ, in quadam causa *Florentina*, discussa 17 Januarii 1722, adhæsit sacra congregatio Concilii, cujus judicio nos omnia subjicimus rationum momenta, quæ a dissidentibus inter se doctoribus in utramque partem afferuntur, uti legere est tom. II *Thesaur. resolut.*, pag. 117 et seq. (29).

(29) Ea rationum momenta, et resolutio S. congr. Conc. — « *Die Sabbati* 17 *Januarii* 1722.

« FLORENTINA, Anna Maria Theresia Medicea, divina inspirante gratia, Judaicam perfidiam abjuravit, et die 29 Octobr. anni elapsi 1721, una cum quatuor filiis S. baptismum recepit. Dum Anna erat in statu infidelitatis, matrimonium contraxerat cum Abrahamo Barda Hebræo, a quo tamen, juxta ritum Judæorum, usque de anno 1710, libellum habuerat repudii; cumque Anna prædicta promptam habeat occasionem nubendi cum Antonio Cecchio, milite Christiano, et periculum sit in mora, et Abraham in longinquis degat regionibus, absque eo quod sciri tuto possit, quo loco versetur, exorta est Florentiæ disputatio, an Abraham prædictus de jure sit interpellandus, quatenus affirmative, an concurrentibus circumstantiis, possit Anna matrimonium facere cum milite Christiano, omissa, ex superiorum indulgentia, memorata interpellatione, et a vicario capitulari Florentiæ, qui omnia prædicta in sua informatione refert, hujusce Sac. congregationis oraculum exposcitur. »

« Ducto initio ab interpellatione, apostolus Paulus, in *prima ad Corinthios*, cap. VII, inquit: *Nam cæteris ego dico, non Dominus, si quis frater uxorem habet infidelem, et hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam; et si qua mulier fidelis habet virum infidelem, et hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum*, etc. *Quod si infidelis discedit, discedat, non enim servituti subjectus est frater, aut soror in hujusmodi, in pace autem vocavit nos Deus.*

« A quibus Apostoli verbis, sicut deducitur, quod per conversionem ad fidem unius ex conjugibus, tunc tantum solvitur matrimonium quoad vinculum, quando alter remanens in infidelitate, non vult converti, vel non vult habitare sine contumelia Creatoris, uti perpendit Innocentius III in cap. *Quanto*, De divortiis, ibi: « Si enim alter infide- « lium conjugum ad fidem catholicam convertatur, « altero vel nullo modo, vel non sine blasphemia di- « vini nominis, vel, ut eum pertrahat ad mortale « peccatum, ei cohabitare volente, qui relinquitur, « ad secunda si voluerit, vota transibit, et in hoc « casu intelligimus, quod ait Apostolus, *si infidelis « discedit, discedat, frater enim vel soror non est « servituti subjectus in hujusmodi;* et canonem « etiam, in quo dicitur: Contumelia Creatoris solvit « jus matrimonii, circa eum, qui relinquitur. »

« Ita infertur conjugem fidelem debere de necessitate conjugem infidelem interpellare, an velit converti, et cohabitare sine contumelia Creatoris, ad

Digitized by Google

« Nec Sedes Apostolica difficilem se præbet eam petentibus dispensationem, quam urgens causa suadet concedendam; etenim sicut in præfata causa *Florentina* animadvertimus, Gregorius XIII locorum ordinariis, parochis, et presbyteris missionariis societatis Jesu, in Angola, Æthiopia, et Brasilia degentibus, potestatem fecit dispensandi cum qualibet conjuge, qui Christianæ religioni nomen dedit, ut novum possit matrimonium inire, omissa interpellatione alterius conjugis infidelis, quem constat legitime interpellari non posse; et Nos ipsi, ad Petri cathedram evecti, facultatem concessimus Apostolico nuntio Venetiis commoranti, ut in simili rerum eventu, possit ab ejusdem interpellationis onere relevare conjuges conversos... quod habetur in constit. 117 nostri *Bullar.* tom. I, incip. *In suprema.* » *De synodo diœces.*, lib. VI, cap. 4, n. 3.

En tenor constitutionis: *In suprema*, etc., ibi: « Fraternitati tuæ, et pro tempore existenti nuntio Venetiarum, ut cum quibuscunque utriusque sexus neophytis, vel infidelibus, vel Judæis, vel Turcis, aliisque personis cujuscunque sectæ... vere ad fidem conversis, qui ante baptismum matrimonia, ut præfertur, contraxerint, ut eorum quilibet, etiam superstite conjuge infideli, Judæo, et Turca, etiam ejus consensu, vel requisito, et non exspectato, vel minime requisito; dummodo etiam tibi constet summarie, et extrajudicialiter, conjugem absentem moneri legitime non posse, aut monitum, intra tempus in monitione præfixum, suam voluntatem significare neglexisse, matrimonium cum quovis fideli, et Catholico, præmissis prius proclamationibus seu denuntiationibus a concilio Tridentino præscriptis, in faciem Ecclesiæ rite contrahere, ac carnali copula consummare, et in matrimonio sic contracto, quoad vixerint, remanere libere et licite possint, auctoritate nostra dispenses, et indulgeas.

« Præterea matrimonia inter neophytos hujusmodi, et alios fideles, et Catholicos alias rite contracta, etiamsi postmodum innotuerit priores conjuges infideles, vel Turcas, aut Judæos, nonnullis legitimis impedimentis detentos, suam voluntatem significare minime potuisse, vel ad fidem etiam

effectum, ut ad alia vota sibi liber aditus esse debeat, uti late docent Sanchez. Salmaticences... clar. mem. card. de Laurea.. Clericat... ubi formam per extensum refert hujusce interpellationis.

« Haud urgente, quod usque de anno 1710 Abraham vir miserat ad mulierem, de qua agitur, libellum repudii; ita ut ipsa remanserit in libertate alium ducendi virum, uti habetur in *Deuteronom.*, cap. XXIV. Cum enim Christus Dominus, *Matth.* XIX, dixerit Moysem, ad duritiam cordis, permisisse Judæis ut uxores dimitterent, sed ab initio sic non fuisse, et hoc ipsum iterum dixerit *Marci* cap. X, concludendo: *quod ergo Deus conjunxit, homo non separet*, docent communiter theologi, hodie Judæis non esse permissum uxores suas repudiare, et per repudium non solvi vinculum matrimonii: Christus enim Dominus illud reduxit ad suum primævum statum, hoc est ad indissolubilitatem, non statuendo novam legem, sed auferendo dispensationem, quæ circa dictam indissolubilitatem fuerat concessa; Medina... cardin. Bellarm... Cornelius a Lapide, in *Deuteronom.* Sanchez.. Lessius... Clericat.. Pignatell...

« Et licet, hisce minime obstantibus, etiam hodie inter Hebræos, scientibus, et tolerantibus superioribus ecclesiasticis, vigeat praxis repudii, adhibitis nonnullis solemnitatibus.... hæc tamen, et similia poterunt ad summum sibi locum vindicare in repudio inter infideles misso, et iisdem in infidelitate permanentibus, secus autem, quoties, prout hic, alter ex eis ad fidem conversus est, uti probat textus Innocentii III in cap. *Gaudemus*, De divortiis, ibi: « Qui autem secundum ritum suum legitimam « repudiavit uxorem, cum tale repudium Veritas in « Evangelio reprobaverit, nunquam, ea vivente, « licite poterit aliam, etiam ad fidem Christi con« versus habere, nisi post conversionem ipsius illa « renuat cohabitare cum ipso, aut etiam si consentiat, « non tamen absque contumelia Creatoris, vel ut « eum pertrahat ad peccatum. »

« Hæc quoad necessitatem interpellationis, de jure loquendo, post quæ transitum faciendo ad punctum, an, stantibus circumstantiis, ex superioris indulgentia omitti possit in casu interpellatio, refert vicarius capitularis, primo, periculum esse in mora, si interpellatio facienda sit, et ante matrimonium exspectandus sit lapsus temporis in interpellatione præfigendus; secundo, elapsum esse tempus undecim annorum a die repudii ab Abraham missi, absque eo quod ille unquam de uxore, et filiis requisiverit; tertio, libellum repudii esse conceptum verbis adeo injuriosis, ut nullum spei vestigium supersit reditus viri ad uxorem repudiatam; ultimo denique ignorari an Abraham sit vivus, an mortuus, nec ullam a die discessus habitam fuisse notitiam loci, quem ipse petiit.

« Concurrentibus autem consimilibus circumstantiis, nonnulli putant posse jure suo conjugem fidelem, omissa interpellatione viri infidelis, transire ad alia vota: Sanchez... Sicque fuisse in curia archiepiscopali Neapolitana decisum referunt Genuensis... Riccius... et hæc opinio, tanquam probabilis, admittitur a Diana... et in terminis mulieris Hebrææ ad fidem conversæ, et hic in Italia degentis, quod stante latitatione viri in infidelitate permanentis, posset, omissa interpellatione, aliud matrimonium contrahere, docuerunt Comitol.... Clericat...

« Econtra alii censent quod, etiam concurrentibus circumstantiis, de jure sit locus interpellationi, sed quod, si graves sint, haberi debeat recursus ad Summum Pontificem, cujus est in eo rerum statu indulgere, ut, omissa interpellatione, conjux fidelis ad alia vota transire possit, Pontius... Nicol... ubi dicit sic resolutum fuisse ab hac sac. congregat. et faciunt Apostolicæ Litteræ Gregorii XIII apud Pugnatell... in quibus, singulis locorum ordinariis, parochis, et presbyteris missionariis societatis Jesu in Angola, Ethiopia, et Brasilia degentibus concessit, ut, si aliquis ex conjugibus ad fidem convertatur, et alius in infidelitate remaneat, quoties sibi summarie, extrajudicialiter constiterit, conjugem infidelem abesse, et legitime moneri non posse, dispensare valeant, ut conjux fidelis, omissa interpellatione, aliud contrahat matrimonium.

« His stantibus, dignabuntur EE. VV. decernere:

1. « An de jure necessaria sit interpellatio, in « casu, etc., et quatenus affirmative;

2. « An, stantibus circumstantiis, indulgenda sit « dispensatio ab interpellatione in casu, etc. »

Ad utrumque affirmative.

Digitized by Google

tempore secundi matrimonii conversos fuisse, ullo unquam tempore rescindi minime debere, sed illa semper firma, valida, et inviolabilia existere, et fore, dicta auctoritate decernas, et declares, plenam, et amplam facultatem, et potestatem, eadem auctoritate, tenore præsentium tribuimus, et impertimur, etc. »

« Sed alia (sic idem Benedictus XIV) hinc oritur controversia, de temporis momento, quo rescindatur fœdus connubii, de quo sermo est (* nempe inter conjugem conversum ad fidem, et alterum in infidelitate permanentem, ut supra *).

Plerique doctores sentiunt, interpellato conjuge infideli, eoque, aut expresse abnuente legitime cohabitare cum fideli, aut intra terminum, sibi in interpellatione præfixum, nihil respondente, dissolutum statim censeri vinculum conjugii, quo erant ambo constricti. Alii arbitrantur tunc primum dirimi, cum conjux conversus alteras nuptias contrahit.

« Ab istius autem controversiæ decisione, alterius pendet enodatio difficultatis, de qua non semel contingit in ecclesiasticis foris disputari. Fingite Titium Hebræum Christianam fidem amplecti : postquam baptismate ablutus, uxorem suam Næviam, quam in Judaismo pertinacem reliquit, interpellet, an velit secum cohabitare sine Creatoris contumelia : Nævia, aut expresse renuat, aut intra præfinitum sibi temporis intervallum nihil respondeat; aliud deinde matrimonium cum Hebræo viro contrahat Nævia, Titius autem Christianus cælibem statum eligat, fingite, rursus, post aliquot annos, Næviam, cum suo secundo viro, ad Christianam fidem converti, colente adhuc Titio cælibatum : gravis statim excitatur quæstio, an Nævia redire debeat ad Titium suum primum virum, an potius permanere cum secundo. Hujus autem quæstionis decisio ab alia pendet, quam antea proponebamus. Etenim si matrimonium Titii cum Nævia rescissum fuit, statim ac Nævia interpellata renuit cum Titio legitime cohabitare, uti opinantur doctores primæ sententiæ, valide profecto potuit eadem Nævia alteri se copulare viro, cum quo propterea perseverare debet, etiam cum ambo Christianorum sacris sunt initiati.

« At si matrimonium in infidelitate contractum, tunc solum dissolvitur, quando conjux conversus aliud conjugium init, uti existimant doctores secundæ sententiæ, cum Titius, in casu, aliam non duxerit uxorem, illegitimum certe fuit novum matrimonium a Nævia, nondum a priori vinculo soluta, contractum; atque idcirco, cum Christianam fidem amplectitur, tenetur ad primum virum redire.

« Verum cum res contigerit Florentiæ, anno 726, et de ea disceptaretur in S. congregat. Concilii, Nos, pro nostro, quod tunc gerebamus, secretarii munere, dissertationem elucubravimus, qua luculenter ostendimus, ex enuntiatis sententiis, posteriorem esse, tam inter antiquos, quam inter recentiores theologos et canonistas fere communiter receptam : ex quo concludimus virum Hebræum, de quo res erat, quique cum secunda uxore, quam, juxta præmonstratum casum duxerat, baptismum petebat, post illum susceptum, teneri redire ad primam, jampridem Christianam factam, et perseverantem innuptam : et sacra congregatio, ne latum quidem unguem a nostra sententia recessit, eoque libentius eam est amplexata, quod Nobis pariter suggerentibus, compererit, ita, consentientibus theologis in consilium adhibitis, fuisse ab eadem definitum anno 1679 et 1680 in simili casu, qui Florentiæ quoque evenerat; quæ omnia legenda sunt in *Thesaur. resol.*, tom. III, pag. 346, 352 et seq. (30). » *De synodo diœces., l. cit.*, num. 4.

« Alter ejusdem causæ articulus (sic

(30) Sunt porro tenoris sequentis — « *Die* 27 *Julii* 1726.

« *Florentina* — Ricca Esther, dum erat Judæa, matrimonium contraxit cum Abraham Hebræo, et illud consummavit.

« Post aliquod temporis spatium Ricca Florentiæ Judaicam perfidiam abjuravit, et ad catholicam religionem conversa est, relicto Abraham post canonicam consuetam monitionem in sua Judaica perfidia.

« Ricca ad alia vota non transivit, et adhuc remanet innupta, sed Abrahm anno 1721, aliam Hebræam nomine Blancam duxit in uxorem, et matrimonium consummavit.

« De præsenti Abraham et Blancha unanimi consensu cupiunt catholicam religionem amplecti : sed vellent post baptismum receptum perseverare, quatenus liceret in matrimonio inter ipsos, uti supra, contracto, et Ricca suum præstat assensum, cum nullo modo velit redire ad Abraham, etiam post abjuratam ab ipso Judaicam perfidiam, et conversionem ad nostram sanctam religionem.

« Super hac facti specie controversiæ exortæ sunt in civitate Florentina, eædemque remissæ ad hanc sacram congregationem.

« Secretarius facilior studii gratia nonnulla adnotavit ad calcem folii, quibus solita maturitate perpensis, dignabuntur EE. VV. decernere.

« 1. An adhuc subsistat matrimonium in Judaismo contractum inter Riccam, et Abraham, et quatenus affirmative.

« 2. An Abraham post suam et Blanchæ conversionem teneatur ad redeundum cum Ricca, et Blancham relinquendam, et quatenus affirmative.

« 3. An Ricca cogi possit ad cohabitandum cum Abraham ad fidem converso, et quatenus affirmative.

« 4. An Summus Pontif. dispensare possit, ut Abraham conversus permaneat in matrimonio in infidelitate, uti supra, contracto cum Blancha, et quatenus affirmative.

« 5. An consilium præstandum sit sanctissimo domino nostro pro concessione dictæ dispensationis in casu, etc. »

Ad primum, et secundum affirmative, in reliquis dilata, et scribant theologi et canonistæ, et perquirantur exempla, et ad mentem.

« *Discursus secretarii in causa Florentina* — 1. Certum est quod matrimonium in infidelitate contractum solvitur quoad vinculum, si alter ex conjugibus in infidelitate permaneat, et nolit cohabi-

Digitized by Google

idem Bened. XIV) sacræ congregat. discussioni tunc quoque propositus indecisus remansit. Quærebatur itidem, an saltem jus esset Summo Pontifici primum matrimonium, infidelitate contractum et consummatum, suprema sua auctoritate relaxandi, veniamque concedendi conjugi, tardius ad fidem converso, ut in prædictis rerum circumstantiis, posset cum secunda uxore permanere... (31) Sed sacra congregatio satius

tare cum conjuge ad fidem converso, vel si cohabitare velit, nolit cohabitationem sine contumelia Creatoris. Incertum autem quo tempore matrimonium prædictum quoad vinculum solvatur, et a resolutione hujusce controversiæ pendet resolutio primi ex propositis dubiis « An videlicet adhuc « subsistat matrimonium in Judaismo contractum in- « ter Riccam, et Abraham ; » nec non secundi : « An « Abraham, post suam et Blanchæ conversionem, « teneatur ad redeundum cum Ricca, et Blancham « reliquendam. »

« 2. Quod autem certum sit matrimonium in infidelitate contractum solvi quoad vinculum, si alter ex conjugibus in infidelitate permaneat, et nolit cohabitare cum conjuge ad fidem converso, vel si velit cohabitare, nolit id facere sine contumelia Creatoris, colligitur ex Apostolo, in *prima ad Corinthios*, cap. VII, ubi sic inquit : *Nam cæteris ego dico, non Dominus*, etc., vers. 12, 13 et 15.

« Cum etenim Christus Dominus, *Matth.* XIX., de conjugio inter fideles contracto dixisset : *Quos Deus conjunxit, homo non separet*, Apostolus in citatis verbis *de cæteris*, hoc est de illis qui matrimonium ante fidem contraxerant, locutus est, et facultatem concessit conjugi ad fidem converso transeundi ad alia vota, si conjux permanens in infidelitate cohabitare nolit sine contumelia Creatoris, uti prædictos textus conciliando, docet S. Augustinus, lib. II *De adult. conjugiis*, et bene prosequitur card. Bellarm... et facit apertus textus, in can. *Si infidelis*, 28, q. 2, et concordat alius textus in cap. *Quanto*, De divortiis.. .. Et cohærenter ad hæc, quando alter ex conjugibus ad fidem convertatur, alium in infidelitate manentem interpellat an velit converti, et cohabitare sine contumelia Creatoris, ad effectum, ut ad alia vota sibi liber aditus esse possit.... quæ interpellatio non fuit omissa a Ricca, quando ad catholicam fidem conversa est, permanente Abraham in sua judaica perfidia.

« 3. Quod vero incertum sit quo tempore matrimonium prædictum quoad vinculum solvatur, dignoscitur ex variis doctorum sententiis ; nonnulli etenim docent matrimonium quoad vinculum dissolvi, statim ac infidelis monitus renuit legitime habitare ; alii docent, illud non statim dissolvi, sed tunc solum, quando lapsus est terminus auctoritate Ecclesiæ infideli præfixus, ut se declaret, an velit cohabitare sine contumelia Creatoris ; et cæteri demum in ea sunt sententia, ut matrimonium tunc solum dissolvatur quoad vinculum, quando conjux fidelis aliud contrahit matrimonium....,

« 4. Descendendo itaque ad supradictæ controversiæ examen, prima, et secunda sententia... innititur can. (*cit.*) *Si infidelis*, ibi : « Contumelia quippe « Creatoris solvit ius matrimonii, circa eum qui « relinquitur. »

« At tertia sententia, quæ vult matrimonium quoad vinculum dissolvi, tunc cum conjux fidelis aliud contrahit matrimonium, suum desumit fundamentum a Decretali Innocentii III in cap. *Gaudemus*, De divort., ibi : « Quod si conversum ad « fidem, et illa conversa sequatur, antequam pro- « ter causas prædictas, legitimam ille ducat uxo- « rem, eam recipere compelletur. » — Si etenim conversus ad fidem, qui aliam non duxit uxorem, compellitur ad recipiendam uxorem, quæ in infidelitate permansit, et deinde catholicam fidem amplexa est, signum evidentissimum hoc est quod matrimonium non erat solutum, et quod intantum solutum non erat, inquantum conversus ante suæ uxoris conversionem, aliam non duxerat uxorem.

« 5. Pro prima et secunda sententia stant antiquiores canonistæ, Abbas, videlicet... Host... Præpos. Innocentius... Joannes Andreas..... Butt... Anchar... — Sed pro tertia opinione strenue pugnant antiqui et recentiores theologi, et etiam recentiores canonistæ, et huic eidem postremæ opinioni, re mature discussa, adhæsit sac. congregatio.

« 6. Antiquorum theologorum agmen ducit S. Thomas, qu. 4 *Sentent.*, dist. 39, q. 1, art. 3, in resp. ad 2, sic ait : « Crimen uxoris nolentis cohabitare sine contumelia Creatoris absolvit virum a « servitute qua tenebatur uxori, ut non possit, ea « vivente, aliam ducere ; sed nondum solvit matri- « monium, quia si blasphema illa converteretur, « antequam ille aliud matrimonium contraheret, « redderetur ei vir suus, solvitur per matrimonium « sequens, ad quod pervenire non posset vir fidelis « non solutus a servitute uxoris per culpam « ejus. »

« Sequitur S. Raymundus... ubi ait : « Solvitur « statim matrimonium quoad servitutem, sed non « quoad substantiam, nisi tunc demum, cum con- « trahit cum alia matrimonium. » — Adhæret cardinalis Turrecremata..... Sylvester..... ubi dicit « quod per solum matrimonium solvitur primum, « unde, si antequam contrahatur secundum matri- « monium, infidelis convertatur, reliquus tenetur « illum recipere, et hoc est, quia stat vinculum. »

« 7. Ex recentioribus theologis hanc ipsam tertiam sequuntur opinionem Sanchez... Pontius.... Perez... Salmatic... Leander... card. de Laurea... Clericat... Rosign...

« 8. Ex recentioribus canonistis Navar... ait hanc opinionem esse veriorem, et religioni Christianæ convenientiorem ; de Justis... Anaclet. Engel... Pirhing.... Schmalzgrueber...

« 9. Et demum huic ultimæ opinioni suffragatur resolutio hujus sacræ congregationis, in alia causa Florentina, *prima Jul.* 1679... »

(31) Super hac materia adest duplex sententia. Navarrus. cons. 3, lib III ; a numer. 12, tit. *De convers. infidelium* ; Sanch., *De matrim.*, lib. II, disput. 17 ; Verricell., *De apost. mission.*, tit. 12, q. 177, n. 18 ; Laymann, tom. II, lib. V ; tract. 10, part. II, cap. 3, et plures alii asserunt Summum Pontificem posse, in specie de qua agitur, dispensare, hac sane ratione, nimirum : « Firmius est « (sunt verba Sanchez) matrimonium ratum fide- « lium, quam consummatum infidelium, majorem « enim firmitatem sortitur matrimonium ex ratione « sacramenti, quam habet (matrimonium) ratum « fidelium, quam ex ratione contractus naturalis, « quam solum habet matrimonium consummatum « infidelium... Cum ergo possit Pontifex dispen- « sare in matrimonio rato fidelium, poterit a for- « tiori in (matrimonio) consummato infidelium. » (*Ibidem.*)

Alii econtra, qui dubitant de Pontificia potestate, et multo magis de usu, sic ratiocinantur : Matrimonium suam obtinuit indissolubilitatem in ipso mundi principio ex jure naturali, divino, et deinde ex evangelico : *Matth.*, cap. XIX, ibi : *Itaque jam non sunt duo, sed una caro : Quod ergo Deus conjunxit homo non separet.* Posito igitur quod vinculum matrimonii, saltem consummati, sit indissolubile jure naturali, divino, et evangelico, non operatur hæc indissolubilitas, quin in aliquo casu dissolvi possit, sed oportet ut hic casus sit expressus ab eo qui primam statuit indissolubilitatem, quique potest dicto juri derogare : cumque hujus vinculi dissolutioni solus faveat textus Apostoli *I ad Corinth.*,

Digitized by Google

duxit a sententia ferenda se abstinere...

Addendum insuper satius putamus quod prædict. Bened. XIV. de maritis Judæis Christianam fidem suscipientibus notavit, hoc sane pacto : « Severe prohibebit episcopus, ne maritus Hebræus, ad fidem conversus, mittat ad uxorem in sua persistentem infidelitate libellum repudii, juxta ritum Judaicum, ut hac ratione det illi libertatem transeundi ad alia vota. Hunc enim detestabilem abusum, Judaica utique superstitione infectum, Nos proscripsimus nostra constitutione, quæ incipit, *Apostolici ministerii*, (32)... » *De synod. diœces.*, lib. cit., n. 6.

Hæc amplius super impedimento disparitatis cultus, adnotare operæ pretium sit : nimirum :

« Matrimonium inter fidelem et infidelem non est irritum jure divino, naturali, vel positivo, vel certa aliqua lege Ecclesiæ..... Probatur primo, quia non tollit omnino finem matrimonii, licet aliquo modo impediat. Nam ex tali conjugio proles nasci potest, et institui etiam in religione, licet difficilius, etc., et aliquando accidere potest ut non etiam impediatur ullo modo educatio, neque pax, ut si alter conjugum de religione nihil curet, aut bene sit affectus erga fidem ..

« Secundo probatur exemplis sanctorum, qui sine dubio infidelibus conjuncti non fuissent, si id matrimonium jure naturæ irritum esset. Exstant autem exempla in lege naturæ, in lege scripta, et in lege gratiæ. In lege naturæ, Jacob uxores duxit filias Laban idololatræ; Joseph filiam Putipharis Ægyptiam; Moses filiam Jetro Æthyopissam. In lege scripta Esther nupsit Assuero regi Persarum, ethnico; et Salomon uxorem duxit filiam Pharaonis; et David accepit filiam regis Gessur.. In lege gratiæ testantur Hieronymus.. et Augustinus.. suo tempore fuisse frequentissima in Ecclesia ejusmodi conjugia; et quamvis a Patribus reprehendebantur, tamen non dirimebantur, nec est probabile fuisse tolerata, si vera matrimonia non fuissent.

« Præterea sancta Monica virum habuit paganum, teste Augustino... et Clotildis Christiana nupsit Clodoveo regi Francorum, ethnico, teste Gregorio Turonico... utraque autem pia erat, et virum ad fidem convertit : non potest autem fieri, ut piæ feminæ essent, et in perpetua fornicatione viverent.

« Quod non sit etiam impedimentum dirimens jure divino positivo probatur : nam in Testamento Novo non exstat tale præceptum. Verba enim Pauli : *Tantum in Domino*, et, *Nolite jugum ducere cum infidelibus*, non probant, nisi non esse contrahendum cum infidelibus, non autem probant matrimonium esse irritum.

« In Testamento autem Veteri non invenitur præceptum ita prohibens conjugia cum infidelibus, ut ea redderentur irrita, nisi apud *Esdram*, lib. I, cap. 9 et 10. Ibi enim legimus, Esdra interpretante legem Domini in *Deuter.* a Moyse latam, separatos fuisse filios Israel a conjugibus infidelibus, quas duxerant. Sed illud præceptum, quatenus irritans matrimonia, judiciale fuit, non naturale, et ideo cessavit cum cæteris, neque ad Christianos pertinet.... »

« Jam vero, quod non sit cultus disparitas impedimentum dirimens, ob certam aliquam legem Ecclesiæ probatur, quia nulla exstat talis lex. Quæ enim (exstant prohibitiones ad hoc) ex conciliis (33), non probant matrimonium esse irritum, si fiat inter fidelem et infidelem, sed tantum non esse faciendum. Nam concilium Chalcedonense, et Agathense inter infideles nominatim ponunt etiam hæreticos, et tamen communi consensu Catholicorum, matrimonium cum

c. VII : *Quod si infidelis discedat*, etc., quod idem est ac dicere : cum unicus sit dissolutionis casus a Deo per apost. Paulum expressus, quando videlicet conjux infidelis non vult cohabitare cum conjuge ad fidem converso, vel si vult id facere, non vult id exsequi sine contumelia Creatoris, consequenter, extra hunc casum, solvi non potest vinculum matrimonii consummati, ita ut per consequens, interdictum dici debeat Sum. Pontif. solvere matrimonium in infidelitate consummatum, vel quando ambo conjuges permanent in infidelitate, vel quando ambo sunt conversi, vel quando alter est conversus, et alter vult converti; nec enim in hoc casu infidelis discedit, sed potius venire dicendus est. Hocce in substantia est argumentum, quo utuntur dubitantes de Pontificia auctoritate in casu de quo agitur. Ita Pontius, Castropal. Aversa, cardinalis de Laurea. Et quamvis ab auctoribus primæ sententiæ producantur exempla dispensationis hujusmodi per Sum. Pontifices S. Pium V et Gregor. XIII, revera illæ dispensationes alio spectant, quam ad præsentem casum concludere possint. Quocirca quoad casum in quæstione, nec exempla inveniri videntur, nec causa tam gravis, vel necessaria concipi potest, ut ait Pontius, pro hujusmodi dispensatione. Atque hæc sunt rationum momenta pro utraque sententia.

(32) Est quippe tenoris hujusmodi : *Apostolici ministerii*, ibi : « Motu proprio, et certa scientia, et « plenitudine potestatis, tenore præsentium volu- « mus, et intendimus, et jubemus, ut cum aliquis « Hebræorum Christianam veritatem amplexus fue- « rit, non prætermittatur interpellatio mulieri « more recepto facienda, an velit, nec ne, se ad « Christum convertere, dummodo tamen ex aliqua « gravi causa, vel a Nobis, vel a Romanis Pontifici- « bus successoribus nostris, non censeatur hujus- « modi interpellatio omittenda... Imo expresse ve- « tamus, prohibemus, ac interdicimus, ne conversi « quovis tempore, et quovis modo, sive in Judæo- « rum domicilio, nempe *Ghetto*, rabbinico ritu, sive « extra, coram notario, et testibus Christianis, li- « bellum repudii uxoribus, quæ interpellatæ recu- « sant se convertere, aut omissa vigore dispensa- « tionis ejusmodi interpellatione, quia ex probabili « conjectura creditum est, minime se ad Christi « fidem conversuras, dare, scribere, aut mittere « audeant, et possint. »

(33) Exstat canon 13 concilii generalis Chalcedonensis, ubi prohibentur conjugia cum hæreticis, Judæis, et paganis. *Item* can. 69 conc. Agathensis, nempe : « Non oportet cum hominibus hæreticis miscere connubia, et filios, vel filias dare... ; » nec non canon. 14 concil. Tolet. III, et 61. concil. Tolet. IV, ne scilicet Judæi uxorem Christianam habeant.

Digitized by Google

hæretico non est irritum. Concilium autem Toletanum IV jubet quidem separari conjuges, sed non loquitur nisi de Judæis, et in Hispania : neque enim concilium illud universale, sed nationale fuit, quare legem toti Ecclesiæ dare non potuit. »

Est ergo propositio : « Matrimonium inter fidelem et infidelem non baptizatum, irritum esse ex more populi Christiani, vim legis obtinente, probatur; nam ab annis ut minimum 400, sine ulla controversia creditum est, in Ecclesia Christiana, ista matrimonia esse nulla. Nam et Magister sententiarum.. et Gratianus.. et deinceps omnes theologi, et canonistæ, tanquam rem exploratam, et a majoribus acceptam hoc tradiderunt. Cum igitur tota Ecclesia a multis sæculis id crediderit et servaverit, et tamen certa aliqua lex non inveniatur, necesse est ut id paulatim sit introductum, et consuetudo vim legis obtinuerit. Hæc Bellarminus, *De matrim. sacramento*, lib. I, cap. 23.

Ex his illud sane inferas licet, nempe quod « potest Summus Pontifex, si causa id postulet, cum fideli dispensare, ut cum infideli matrimonium contrahat. » Idem, *ibi*.

(115. Nec etiam solvitur matrimonium quoad vinculum, si unus conjugum transeat ad infidelitatem, seu labatur in hæresim, textu expresso in cit. c. *Quanto* 7, De divortiis, ibi : « Si vero alter fidelium conjugum, vel labatur in hæresim, vel transeat ad gentilitatis errorem, non credimus quod in hoc casu, is qui relinquitur, vivente altero, possit ad secundas nuptias convolare; » et tenet communis DD. cum S. Thom. in 4, dist. 39, art. 1, in corpore, ubi sic dicit : « Si vero infidelitas conjugis matrimonium sequatur, non propter hoc vinculum matrimoniale dirimitur, sed potest fieri separatio a toro et cohabitatione, sicut et propter fornicationem carnalem; » et quod non solvatur tale vinculum propter hæresim, definivit conc. Trid., sess. XIV, *De matrim.*, can. 6, ibi : « Si quis dixerit propter hæresim, aut molestam cohabitationem... posse dissolvi matrimonii vinculum, anathema sit. »

(116. Imo nedum non dirimuntur matrimonia propter hæresim, sed et valide contrahuntur cum hæreticis, si ritu catholico contrahantur. Sic S. Thom. in 4, dist. 39, quæst. unica, art. 1, ad 5; S. Bonavent., in 4, dist. 39, qu. 1, art, 1; Abbas, in cap. *Si conditiones* 7, De conditionibus appositis, num. 5, et ibi Cardinalis, num. 3; Joann. Andr., num. 8; Sanchez, lib. VII, disp. 72, num. 2, et communis aliorum arg. cap. *Decrevit* 74, De hæreticis, in 6. (117. Quinimo secundum Sanch., *loc. cit.*, n. 5, Azorium, lib. VIII, cap. 11, q. 5, et varios alios, matrimonia cum hæreticis nedum sunt valida, sed insuper sunt licita in locis ubi hæretici et Catholici permisti vivunt. *Vid.* tamen verb. HÆRETICUS a n. 20 ad 26, ubi affertur in contrarium novissimum Decret. Clementis XI, sub die 16. Junii 1710, relat. a card. Petra tom. IV *Commentar. in constit.* 12 *Joannis XXII*, num 14. Vide ibi, ubi multa sapientissime adducit ad rem.

ADDITIONES CASINENSES.

Apud Græcos synodus Trullana, can. 72, orthodoxorum cum hæreticis connubia irrita decrevit. « Non licere (en verba can.) virum orthodoxum cum muliere hæretica conjungi, neque vero orthodoxam cum viro hæretico copulari. Sed, et si quid ejusmodi ab ullo ex omnibus factum apparuerit, irritas nuptias existimari, et nefarium conjugium dissolvi. Neque enim quæ non sunt miscenda misceri, nec ovem cum lupo, nec peccatorum sortem cum Christi parte conjungi oportet... »

Ad quem canonem hæc notat Espenius, nempe : « Si hic per hæreticum intelligatur omnis qui pertinaciter quodcunque dogma hæreticum sustinet, et fidei catholicæ in aliquo articulo adversatur, tametsi sit baptizatus, et in Christum credat, habebitur hic impedimentum dirimens, hactenus apud nos non receptum : licet enim Ecclesia etiam Latina summopere, idque pluribus, et arduis ex causis, improbet matrimonia orthodoxorum cum hæreticis; non tamen impedimentum dirimens hactenus constituit, nec matrimonia hujusmodi irrita existimavit. » Acholia in *can. Trull.*, sub can. 72.

(118. *Vis*, seu violentia, quantum ad præsens, est metus gravis et injuste incussus, inducens virum seu feminam ad contrahendum matrimonium, quod alioquin nullo modo contraxisset, nisi ad id metu illo, seu violentia fuisset compulsus, seu compulsa. Est in re communis; arg. cap. *Abbas* 2, cap. *Ad audientiam* 4, et cap. *Cum dilectus* 6, De his quæ vi metusve causa fiunt, et l. *Metum autem*, ff. eodem. (119. Vis, et metus est duplex, scilicet gravis, seu cadens in constantem virum, et levis, seu cadens in virum inconstantem; metus gravis, seu cadens in virum constantem, est ille quem vir constans et fortis prudenter et rationabiliter concipit de gravi malo sibi, aut consanguineis, vel affinibus inferendo. Est in re communis, arg. cit. l *Metum autem*, et cit cap. *Ad audientiam*. Metus levis, seu cadens in virum inconstantem, est ille quem vir pusillanimis concepit de levi tantum malo, aut gravi quidem, sed immerito, ac irrationabiliter, et imprudenter, cum non certa, prudenti, et rationabili, sed solum levi, et irrationabili sua æstimatione, tale grave malum ei immineant, et sit eventurum. Est in re communis, arg. cit. l. *Metum*, et cit. cap. Ad *audientiam* 4, et cit. cap. *Cum dilectus* 6, De his quæ vi, etc.

(120. Ad metum gravem quatuor conditiones requiruntur. *Primo*, quod malum quod timetur sit grave in se, et non solum in vana æstimatione metuentis. *Secundo*, quod cum rationabili fundamento, et non leviter et imprudenter timeatur. *Tertio*, ut metum incutiens potens sit minas exsequi. *Quarto*, quod is qui timet non possit ullo

Digitized by Google

modo minanti resistere, aut vitare malum quod timet. Quod si alterutra harum conditionum deficiat, metus erit levis, seu cadens in virum inconstantem; argum. cap. *Cum dilectus* 6; De his quæ vi metusve causa fiunt.

(121. Metus alius est incussus a causa intrinseca, et alius a causa extrinseca libera. Primus est metus intrinsecus ab ipsomet metuente susceptus, vel ex propria passione, vel ex causa naturali, ut est metus mortis imminentis ob morbum, naufragium, bestias; item metus inferni, et hujusmodi. Secundus est metus extrinsece ipsi metuenti ab alio homine incussus, ut cum quis minatur alteri mortem, mutilationem, carcerationem, spoliationem bonorum, et hujusmodi, nisi suæ voluntati adhæreat. (122. Insuper metus alius est juste incussus, et alius injuste. Metus juste incussus est, cum quis minatur alteri gravem pœnam, nisi faciat aliquid, ad quod de justitia tenetur, v. gr. nisi ducat, vel dotet puellam, quam violavit. Metus injuste incussus econtra est, cum quis minatur alteri gravem pœnam, nisi faciat aliquid ad quod de justitia non tenetur, v. gr. nisi ducat puellam, cui nec ratione promissionis, nec ratione violationis tenetur.

(123. Matrimonium ex gravi metu injuste incusso contractum est ipso jure nullum et invalidum. *Communis;* arg. cap. *Cum locum* 14, De sponsalibus, ubi dicitur quod contracturus matrimonium « plena debet securitate gaudere, ne per timorem dicat sibi placere quod odit, et sequatur exitus, qui de invitis solet nuptiis provenire, » et cap. *Veniens* 15, et cap. *Consultationi* 28, eod. Metus gravis injuste incussus dirimit matrimonium jure naturæ, S. Th., in 4, dist. 29, qu. 1, art. 3; S. Bonaventura, ead. dist., num. 5; Scotus ead. dist., 29, quæst. unica, § *De secundo;* Covarruvias, par. III *De matrimonio*, cap. 3, § 5, n. 6; Reiffenstuel, lib. I *Decretal.*, tit. 41, num. 48 et sequent., et alii plures, arg. cap. *Cum locum* 14, De sponsalibus; ubi dicitur: « Cum locum non habeat consensus, ubi metus vel coactio intercedit. » (125. Sine consensu autem matrimonium est nullum jure naturæ, adeoque, etc. Metus levis, etiamsi sit injuste incussus, non invalidat, nec dirimit matrimonium. *Communis*, textu claro in cap. *Cum dilectus* 6, De his quæ vi metusve causa fiunt, et l. *Metum autem*, ff. eod., et arg. cap. *Veniens* 15. et cap. *Consultationi* 28, De sponsalibus, ubi requiritur quod metus sit talis, qui *cadere possit in virum constantem*, scilicet gravis.

(126. Metus gravis ab intrinseco proveniens non invalidat, nec dirimit matrimonium; argum. cap. *Sicut nobis* 17, De regularibus, ubi votum religionis emissum a constituto in lethali infirmitate, censetur validum, et servari jubetur : ergo a pari idem dicendum est de matrimonio contracto ex metu gravi ab intrinseco proveniente, v. gr. de eo qui, metu imminentis mortis, et timore inferni contrahit matrimonium cum concubina; ita Covarruvias *De matrimonio*, part. II, cap. 3, § 4, num. 26 et seq.; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 26; Sanchez. lib. IV *De matrim.*, disp. 12, n. 4 et seq., et alii passim. (127. Nec etiam invalidat et dirimit matrimonium metus gravis ab extrinseco proveniens, si sit juste incussus. *Communis;* arg. cap. *Ex litteris* 10, De sponsalibus, ubi matrimonium ante promissum, si contrahatur metu excommunicationis per judicem infligendæ, validum censetur, ex cap. *Pervenit.* 2, De adulter. et stupr., ubi ille qui, ob stuprum ad ducendam stupratam obligatus, renuit nubere, jubetur excommunicari, et sic indirecte cogi ad nubendum, et l. *Continet* 3, § 1 ff. *Quod metus causa.*

(128. Adulterium præcedens, seclusa machinatione, et fide futuri matrimonii, non est impedimentum dirimens matrimonium; Bened. XIV, tom. I, constit. 113, incip. *Redditæ*, § 12.

Alia ad rem *vide* verb. METUS.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(129. De ratione probandi impedimenta matrimonii non inutile est disserere. (130. Distinctio autem in subjecta materia recepta est, quod aut sumus in matrimonio nondum contracto impediendo, et levis sufficit probatio. (131. Aut vero in matrimonio versamur, jam contracto dirimendo, et probatio requiritur plenissima. Idque adeo verum est, ut hoc in casu, nec utriusque sponsi confessio de impedimento attendi queat, ut communiter firmat Schmalzgrueb., *Jur. Eccles. univ.* lib. IV, part. III, tit. 13, n. 30 et seq.; Pichler., *Jur. canon.*, lib. III, tit. 13, num. 7; Sanchez, *De matrim.*, lib. II, disp. 45, num. 3; Molin., *De rit. nuptiar.*, lib. I, comparat. 15, n. 32, et plur. seq; Panimol., dec. 19, adnot. 3, n. 52, 55 et seq.

(132. Quæstionis vero est, an idipsum obtineat si confessio hæc emissa sit a sponsis ante matrimonium contractum? Affirmare videtur Rota *coram Penia*, dec. 211, ea de ratione, quod emissa sit eo tempore quo suspicio collusionis cadere haud potest.

(133. At confessio conjugum de impedimento, sive emissa sit matrimonio constante, sive ante contractum matrimonium, rejicienda indistincte est, (134. idque quia sacri canones dum disponunt, ne stetur confessioni conjugum de impedimento, sese fundant, non in periculo solum collusionis, sed et in præjudicio inde obveniente proli, (135. aliisque bonis matrimonii, ut notant Barbos., in *Collectan. DD. in decr.*, lib. IV, tit. 13, cap. *Super eo*, n. 3; Wagnerek., in *Comment. exeget. sacr. canon.*, lib. IV, tit. 13, dist., cap. *Super eo*, not. 1; Pirhing in *Jus canon.*, lib. IV, tit. 13, § 3, num. 17; Schmalzgrueb., *Jur. Eccles. univers.*, lib. IV, part. III, tit. 13, n. 33; Pichler, *Jur. canon.*, lib. IV, tit. 13, n. 17; Molin., *De rit. nupt.*, lib. I, comparat. 15, n. 41, in fin. (136. Hoc autem præjudicium, cum æque urgeat, si confessio conjugum de impedimento emissa sit vel matrimonio constante, vel ante matrimonium contractum, utroque propterea casu

Digitized by Google

rejici debet, ut sensit Rota in *Campostellana* 10 Januarii 1757, § 12, *Coram R. P. D. Ganilliat*, et 27 Novembr. 1758, § 13 et 15, *coram reverendissimo P. D. Bussio decano.*

(137. Quod vero attinet ad decis. 211, *Peniæ*, satis est animadvertere quod Rota in *decisione*, citra ullam causæ necessitatem, dixit standum esse confessioni conjugum de impedimento, emissæ ante contractum matrimonium, eo quia revera non concurrebat confessio hæc, ut patet ex n. 16. (138. Vulgatissimum autem est, nequaquam esse attendenda, quæ supremum hoc tribunal præter necessitatem causæ tangit.

DE MATRIMONIO SUB CONDITIONE, MODO, ETC.

Novus Casinensium articulus, in suppl. ad art. 5 *auct., n.* 13.

(1. Quia porro omnes contractus non tantum pure et absolute, sed etiam conditionate iniri possunt, ita quoque sponsalia, et matrimonium. Engel, ad tit. 5 *Ex. de condit. appos.* Quippe « si post Trident. celebraretur aliquod matrim. coram parocho et testibus, sub aliqua conditione, judicandum esset de eo sicut ante Tridentinum, cum præter solemnitatem parochi, et testium, nihil aliud immutarit Tridentinum. » Sanchez, *De matrim.*, lib. v, disput. 1, n. 1.

(2. Jam vero sponsalibus, et matrimonio potest aliquid adjici, vel ut *conditio*, vel ut *modus*, vel ut *monstratio*, vel ut *causa*, vel tanquam *dies*, qua contrahi debet; de his singillatim agendum.

(3. Conditio est adjectio dispositioni, id est actui vel contractui apposita, suspendens aut resolvens ipsam dispositionem, quæ sub ea sit, DD. communiter. Quæ conditio ordinarie exprimitur per particulam *Si*: *Si pater consentiat, Si navis ex Asia venerit*, etc.

(4. Potissima conditionum distinctio est, ut aliæ sint de præsenti, aliæ de præterito, aliæ de futuro. Conditio *de præsenti* est, quæ circumstantiam pro præsenti tempore, quo fit contractus, denotat: nempe *contraho tecum, si es virgo*, etc. Conditio *de præterito*, circumstantiam jam secutam respicit, nimirum, *Contraho tecum, si navis ex India jam advenerit*, etc. *Conditio de futuro*, circumstantiam primum eventuram denotat, et donec eveniat obligationem suspendit, eaque non eveniente, dissolvit: v. g. *Contraho tecum si pater meus consenserit.*

(5. Jam vero conditio proprie *de futuro* intelligenda est, non *de præsenti*, vel *præterito*; quippe de natura veræ conditionis est suspendere valorem actus, et obligationis ejus, atque efficere ut actus possit subsistere, vel deficere, juxta existentiam nempe, vel defectum conditionis. Cum ex adverso nulla sit conditio quæ in præteritum conferatur, vel in præsens, sed statim contractus valeat, vel irritus sit, ex existentia nimirum, vel non existentia hujusmodi conditionis.

(6. Conditio de futuro rursus dividitur in necessariam, quæ non potest non evenire: ex. gr. *si cras orietur sol*; et contingentem, quæ potest evenire, vel non, quæque in *potestativam, casualem*, et *mistam* dispescitur, ut a nobis in addit. sub v. LEGATARIUS, LEGATUM, expositum fuit. *Vide ibi.*

(7. Amplius conditio alia possibilis, alia impossibilis, alia honesta, alia turpis esse potest. *Videsis ibi.*

(8. Quibus præmissis, ad applicationem doctrinalem, juxta conditionum variam indolem, gradum faciamus.

(9. Ac primum si de conditione honesta, et possibili de præsenti, vel de præterito agatur, hæc « adjecta in actu ipsius matrimonii, illud non suspendit; sed si conditio tunc vera sit, matrimonium illico est validum, si falsa illico irritum..... Ideoque videmus hanc conditionem: *Contraho tecum, si es virgo*, non rejici; et matrimonium sic contractum esse nullum, *si mulier sit corrupta*... Et idem est de conditione, *Si non es cæca, muta, leprosa*, et similibus. » Fagnanus, ad tit. 4, ex. *De condit. apposit.*, cap. *Si conditiones*, n. 16, 17 et 18 (34).

(10. Item si adjecta sit hæc conditio de præsenti, *Contraho tecum si es legitima*, « non videtur posse dubitari, quominus præsens conditio... ex sui natura possibilis et honesta sit..... Unde sequitur ut matrimonium, ut proponitur, contractum, ab initio nullum fuerit, cum nunquam exstiterit conditio honesta et possibilis illi adjecta. » Fagnanus, *ibid.*, n. 19 et 20.

(11. « Superest nunc examinandum (sic idem Fagnanus) an convaluerit matrimonium hocce per copulam subsecutam... Cum hoc casu mulier ante copulam illegitima esset, atque ita jam defecisset conditio illa, *si mulier est legitima*, copula subsequens nihil profuit ad matrimonii validitatem; et hæc est communis omnium sententia... Quibus accedit quod, etsi per copulam conjuges viderentur recessisse a conditione, tamen cum matrimonium esset nullum ab initio, necessarium fuisset iterum contrahere coram parocho et testibus, ad præscriptum conc. Trident. » *L. c.*, n. 21 et 24.

(12. Et quoties de conditione honesta et possibili de præsenti, vel de præterito agitur, matrimonium nequaquam validari per copulam subsecutam, tenent Reiffenst., tit. cit., § 1, n. 14; Abbas, in cap. *Per tua, h. tit.*; Ancharanus, *ibi*, etc. Secus vero se res

(34) Idem in terminis docet Sanchez, hoc pacto: « Prima conclusio sit conditio honesta et possibilis de præsenti, vel præterito, adjecta matrimonio, illud non vitiat, nec suspendit, sed si conditio tunc est vera, ut *si pater tuus vult*, vel *voluit*, est statim validum matrimonium, si vero est falsa, est statim irritum. Hæc conclusio est D. Thomæ... quem omnes sequuntur. Et quamvis D. Thomas solum loquatur de conditione de præsenti, at omnes idem dicunt de conditione de præterito. » *De matrim.*, lib. v, disput. 6, n. 1. Id quod pari modo obtinet, etiamsi contrahentes ignorent, conditionem jam existere, vel exstitisse; Layman, Pirhing, apud Reiffenst., ad tit. 5, ex *De condit appos.*, § 1, n. 12.

Digitized by Google

habet in conditione de futuro, ut infra dicendum.

(13. Quæritur quid efficiant conditiones necessariæ? Conditiones hujusmodi quæcunque, etiam *de futuro* conceptæ, matrimonio vel aliis contractibus adjectæ non vitiant actum, nec suspendunt, sed faciunt quod actus illico valeat, ac si nulla conditio apposita fuisset. Limitatur conclusio in casu, quo ex circumstantiis colligitur conditionem necessariam esse appositam, non tanquam conditionem, sed præfinitionem ac determinationem temporis, quo quis, juxta promissum, nubere velit; v. g. *contraho tecum, si pater meus morietur*. Quamvis enim hæc conditio sit necessaria, tamen bene fieri potest quod non per modum conditionis, sed temporis apponatur, ut sensus sit: quam primum *pater meus mortuus fuerit, contraham tecum*; nam tunc usque ad mortem patris suspenditur obligatio contrahendi. Sanchez apud Reiffeinst., *l. cit.*, n. 10 et 11.

(14. Quod « si matrimonio apponatur inhonesta aut turpis conditio de præsenti, vel de præterito, puta, *contraho tecum si odio habes inimicum meum : si fornicasti*, non habetur pro non adjecta, sed omnino attenditur, ita ut matrimonium statim valeat, si conditio subsistat; irritum autem, et nullum sit, si non subsistat : Covarruvias..... Alexander de Nævo..... Quippe turpis conditio de præsenti, aut præterito non invitat ad peccandum, sicuti (conditio) de futuro. » Reiffenstuel, *ib.*, § 2, n. 45.

(15. « Nec obstat cap. fin. (tit. cit. *De condit. appos.*) turpes conditiones pro non adjectis reputans... Nam contra est, quod cit. cap. loquatur de conditionibus proprie dictis, hoc ipso, quod verba legum et canonum in propria significatione accipere et intelligere oporteat..... Conditio autem de præsenti, aut præterito, proprie conditio non est. » Sic idem Reiffenst., *l. et n. cit.*

(16. « Num autem, prosequitur Reiffenstuel, conditio ex natura, aut facto impossibilis *de præsenti, vel de præterito*, habeatur pro adjecta, variant doctores. Pontius siquidem... cum Sylvestro... affirmat, per fundamenta præcedentis conclusionis (nempe, quod hujusmodi conditio proprie conditio non sit). Covarruvias vero.:. Sanchez.. et alii melius negant, et volunt, talem conditionem semper haberi pro non adjecta, consequenter matrimonium initum semper esse validum... Ibid. n. 46.—At negandum non est sententiam Pontii juris conclusionibus (per ea quæ dicta sunt de conditione turpi de præsenti, vel de futuro) magis inniti.

(17. Quid juris de matrimonio sub conditione de futuro, impossibili, aut turpi, sive inhonesta, contracto? « Si adjiciatur matrimonio turpis aut impossibilis conditio de futuro, quæ repugnat substantiæ matrimonii, vitiatur, et ipso jure nullum est matrimonium (35) : si vero aliæ adjiciantur conditiones turpes, aut impossibiles, substantiæ tamen matrimonii non repugnantes, validum est matrimonium, et conditiones pro non adjectis habentur. Communis et certa, textu claro, cap. fin., tit. cit. *De condition. apposit.*, ibi : « Si conditiones contra substantiam conjugii inserantur; puta, alter dicat alteri : Contraho tecum, si generationem prolis evites : vel donec inveniam alteram honore vel facultatibus ditiorem : aut si pro quæstu adulterandam te tradas, etc.; matrimonialis contractus, quantumcunque sit favorabilis, caret effectu (36), licet aliæ conditiones appositæ, si turpes aut impossibiles fuerint, debeant propter ejus favorem pro non adjectis haberi (37). »

(18. « Objicies (sic Reiffenstuel) : Consensus contrahentium est de substantia matrimonii : sed in tali casu matrimonio deest consensus, saltem contrahentis sub conditione impossibili ex natura, utpote qui non voluit se obligare, nisi sub conditione impossibili apposita, quam, quia evenire non posse bene scivit, censendum est quod nullatenus se obligare aut contrahere intenderit; arg. § *Si impossibilis* 11, *Inst. de inutil. stip.*, ibi : « Si impossibilis conditio, obligationibus adjiciatur, nihil valet stipulatio ; et l. *Non solum*, 31, ff. *De oblig. et act.*, ibi : « Non solum stipulationes impossibili conditioni applicatæ nullius momenti sunt, sed etiam cæteri quoque contractus, veluti emptiones, locationes, impossibili conditione interposita, æque sunt nullius

(35) « Amplia, etiamsi post matrimonium sub conditione illa contractum, sequeretur carnalis copula, nam non efficeret ut matrimonium hoc omnino nullum propter prolem supervenientem reviviscceret. » Barbosa *Collectan.* in l. IV *Decret.*, tit. 5, cap. *Si conditiones*, 7, n. 7.

(36) « Limita, ut procedat in propriis, et veris conditionibus, id est in iis, quæ a futuro pendent eventu, secus in conditionibus de præterito, vel præsenti tempore, quæ vere conditiones non sunt. » Barbosa, *Collect. DD.*, in IV *Decret.*, tit. 5, cap. *Si conditiones*, n. 8.

(37) « Adverte tamen quia ita demum conditio contra substantiam matrimonii apposita, illud vitiat si uterque conjux appositioni conditionis consentiat; tunc enim nullus est consensus, nec matrimonium tenet. Secus vero si alter contradicat, quia tunc matrimonium est validum, perinde ac si conditio non fuisset apposita... Et idem si taceat, quia censetur contradicere favore matrimonii... Ratio est, quia protestatio hujusmodi, vel conditio, idcirco vitiat actum, quia partes, quæ intendunt detrahere substantiæ actus, non videntur consentire in actum, qui sine substantia esse non potest... At hæc consideratio cessat quando unus tantum intendit detrahere, et alius non exprimit, quia tunc descendendo postea ad actum, qui mutuo consensu perficitur, et matrimonium consummando, ex quo utraque pars non consentit turpitudini contra substantiam actus, censetur recessum a conditione, seu protestatione... Et propterea Vincen. et Hostien. hic, et communiter scribentes consulunt ut cautæ sint mulieres, et crebro etiam moneantur ut quando viri, ad eas alliciendas, ostendunt se velle cum eis matrimonium contrahere, et apponunt hujusmodi conditiones contra substantiam matrimonii, taceant, et nihil respondeant; nam secuta copula erit matrimonium. » Fagnan., ad tit. cit. ex. *De condit. appos.* ad c. *Si conditiones*, n. 3.

Digitized by Google

momenti; quia in ea re, quæ ex duorum, plurimumque consensu agitur, omnium voluntas spectatur, quorum dubia in hujusmodi actu talis cogitatio est, ut nihil agi existimetur, apposita ea conditione, quam sciant esse impossibilem. »

« In solvenda, prosequitur Reiffenstuel, hac gravissima instantia, et in explicatione relati cap. finalis. *tit. cit.*, multum laborant, et variant DD. Optima videtur interpretatio et responsio eorum qui dicunt dispositionem dicti cap. fin. (tit. ut supra, *De condit. appos.*) tantum habere locum in casu, quo dubium est de intentione, et animo contrahentis sub conditione impossibili, aut turpi, an nempe serio talem conditionem adjecerit, nolens alias contrahere; an vero jocose tantum : stante enim tali dubio, præsumit Ecclesia ita contrahentem, vere et absolute voluisse contrahere, et conditionem jocose tantum adjecisse : hoc ipso, quod sciverit talem conditionem, vel ex natura, vel de jure, impossibilem impletu esse.

« Ratio hujus interpretationis, ac constitutionis cit. cap. fin. est : Tum quia in dubio semper pro valore matrimonii judicandum est, ad evitanda gravissima scandala, et animarum pericula, quæ sequerentur ex dissolutione matrimonii, forsan valide contracti, præsertim si dein aliis nuberent separati; arg. c. *Licet* 47, in fin. *De test. et attest.*, ubi propterea dicitur : « Tolerabilius est aliquos contra statuta « hominum dimittere copulatos, quam con« junctos legitime contra statuta Domini se« parare. » Tum quia matrimonium est causa favorabilis, sicut testamentum... ergo sicut ob hanc causam (jure Romano) in testamento conditiones impossibiles habentur pro non adjectis (38), arg. 1, *Obtinuit*, et l. *Multæ*, ff. *De condit. et demonstr.*, ita habendæ erunt in matrimonio.

(19. « Quod si vero ex circumstantiis (nota) constaret, aut appareret, conditionem impossibilem vel turpem serio adjectam esse, consequenter sine animo contrahendi, nisi sub illa conditione, quæ impleri, vel de facto, vel de jure non potest, matrimonium utique nullum foret... quia tunc Ecclesiæ præsumptio cederet veritati. » Ita antedictus Reiffenst., *loc. cit.*, § 2, n. 41 et seqq.

Hæc eadem habet Sanchez : « Hinc infertur, sunt ejus verba, si ex conjecturis constet (conditionem impossibilem) joco appositam esse, ac absque animo contrahendi, tunc etiam in foro externo non habendam pro non apposita, sed vitiare matrimonium. Quia jam intentio contrahentium non est dubia. » *De matrim.*, lib. v, disput. 3, n. 16.

(20. Quoad conditiones possibiles, et honestas de futuro, v. g. *Si pater tuus consenserit*, etc., certum est illas matrimonium hujusmodi suspendere, ita ut non perficiatur, donec conditio adimpleatur, aut eveniat : « Conditio possibilis, ait Sanchez, et honesta de futuro suspendit contractum matrim. ut nullo modo valeat, dum conditio non impletur. » *Loc. cit.*, disput. 6, num. 2. Textus est expressus, cit. tit. *De condit. app.*, cap. 5, in hæc verba : « Super eo vero quod postulasti utrum ille qui in quamdam mulierem consensit, si pater ejus suum præstaret assensum, sit ad consummandum matrimonium compellendus : respondemus, quod cum consensus liber dici non possit, qui in alieno arbitrio reservatur, ac conditionem ipsam canonica non improbent instituta : nisi voluntas patris postmodum intercedat, nequaquam cogendus est ad matrimonium contrahendum... cum hujusmodi consensus non sit de præsenti habendus, licet per verba de præsenti evidentius exprimatur, qui in alieno arbitrio, non habito, sed habendo, consistit. »

(21. Ex ejusmodi textu rite deducunt interpretes, quod « si interim sub conditione pendente... qui sic contraxit, cum alia contrahat, valet matrimonium secundo contractum, quamvis postea conditio sequatur, dum matrimonium hoc fuerit pure contractum; censetur enim a priori nondum perfecto recessum... (Amplius) Franc. Molin... resolvit, matrimonium cum alia contractum sub conditione, valere, non obstante conditione in priori contractu apposita, dum hæc posterior prius purificetur... et tenet... quod matrimonium secundo loco contractum, et sub conditione, sicut primum, stante dubio, quæ conditio prius fuerit purificata, neutrum valet matrimonium. Barbosa *Collectan. DD.* in l. IV *Decretal.*, tit. 5, *De condit. app.*, cap. 5, n. 5.

(22. Illud porro est exploratum per copulam carnalem subsecutam validari matrimonium sub conditione de futuro initum, ex c. 5 et 6, cit. tit. 5, *De condit. appositis*, etc., quia, per hujusmodi copulam contrahentes a tali conditione recessisse, clarum est. « Et hæc, ait Fagnanus, est præsumptio juris, et de jure, quæ non admittit probationem in contrarium... ut omnes notant. » Ad cap. *Si conditiones*, ex *De condit. app.*, n. 21.

(23. Insuper « contrahentes matrimonium per verba de præsenti sub conditione a jure non improbata, statim, purificata conditione, cogi posse ad matrimonium consummandum; et sic, adveniente conditione, statim est matrimonium perfectum et purum, etiamsi novus consensus non intercedat. » Fagnan. ad cap. *Super*, eod. n. 2.

(24. Superest hinc disquirendum an purificata prædicta conditione de futuro, matrimonium statim sit perfectum, absque novo consensu : affirmant communiter canonistæ. « Et est ratio, quia dispositio

(38) Jure hodierno apud nos, ac etiam alibi, ut in Gallia, non solum in testamentis, sed etiam in actibus inter vivos, pro non scriptis habentur conditiones impossibiles, nec non quæ legibus, aut bonis moribus adversantur, id quod favere videtur interpretationi DD. de qua supra.

Digitized by Google

conditionalis, adveniente conditione purificatur, et ex eo tempore perficitur, perinde ac si ab initio pure fuisset facta, ut l. II, *Potior* ff. *Qui potior. in pignor.*, ibi : « Cum « conditio semel exstitit, perinde habetur ac « si illo tempore, quo stipulatio interposita « est, sine conditione facta esset. » Et matrimonium, quamvis post legem evangelicam sit elevatum in sacramentum, habet tamen rationem contractus; unde per adventum conditionis perficitur, sicut cæteri contractus conditionales. l. *Hæc venditio*, *ibid.* Conditionales venditiones tunc perficiuntur, cum impleta fuerit conditio » Fagn., cit. n. 2 et 3.

Additque is idem cl. interpres quod ita « servat curia, etiam post concilium Tridentinum, et ideo ab illa (curia) in consulendo et judicando non est ullatenus recedendum : nam in sacra congregatione Concilii alias fuit propositum infra scriptum dubium.

« Cum quidam contraxissent coram parocho et testibus, per verba de præsenti sub conditione licita, quæ postea fuit purificata; si reputantes se pro legitimis conjugibus, sine alia solemnitate matrimonium consummaverint, an validum sit ipsum matrimonium, vel conjuges cogendi sint, ut denuo, quia purificata est conditio, coram parocho legitime contrahant.

« In congregatione generali, cui interfuerunt S. R. E. cardinales Morosus, Perusinus, Alciatus, Senon, Montaltus, S. Sixti, et Carafa, solus Alciatus tenuit cum communi canonistarum, quod, conditione purificata, non sit opus alia iteratione contractus matrimonii, coram parocho... Reliqui omnes tenuerunt opus esse iterum contrahere coram parocho... quia concilium videtur intellexisse de matrimonio perfecto pure per verba de præsenti, ibi *vos conjungo :* sed quando contrahitur per verba conditionata, non videtur matrimonium, sed sponsalia de futuro; item tutius videtur, ut fiat coram parocho pro securitate conscientiæ : tamen dictum fuit agendum cum Sanctissimo... Sanctissimus, nempe Pius V, probavit sententiam canonistarum, quod, purificata conditione... matrimonium sit perfectum, nec opus esse alia iteratione contractus coram parocho : sicque prævalere, et in decidendo attendendam esse opinionem canonistarum (uti supra) : concil. autem Tridentinum nihil facit ad rem.

« Hæc eadem quæstio proposita fuit in alia congregat. cui interfuerunt cardinales Paleotus, Lancellotus, Castrucius, Montelpus, Cusanus, de Monte, Paravicinus, Matthetus, Aquaviva et Plattus; et omnes, præter unum Plattum, tenuerunt, matrimonium valere, nec requiri ut de novo coram parocho et testibus contrahatur. Qua decisione Sanctissimo relata, scilicet Clem. VIII, Sanctissimus visus est dubitare, quia licet de jure veteri matrimonium valeret, per textum in cap. *Super eo*, De condit. appos., tamen hodie post concil. quo solemnitas parochi et testium introducta est, secus esse videtur, quia cum contrahitur sub conditione, solemnitatem adhibendo, non satisfit concilio; quando autem a conditione recedditur, solemnitates non adhibentur. Ideoque mandavit hoc dubium, seu difficultatem in congregatione considerari. Qua difficultate proposita, congregatio respondit concilium non requirere solemnitates parochi et testium, quando receditur a conditione; sed quando, mutuo consensu habito, vir et mulier contrahunt; hoc autem in casu, quando contractum fuit, adhibitæ sunt solemnitates. Iterum hac difficultatis solutione Sanctissimo relata, Sanctitas sua probavit decisionem congregationis, et ita in hac causa responderi mandavit. Verum noluit hanc decisionem omnibus casibus inservire, sed omnes qui acciderint in futurum cum suis circumstantiis esse specialiter considerandos. » Ad cit. tit. 5, *De condit. appos.*, cap. *Super*, n. 4 et seqq (39).

(25. Cæterum, ut rite advertit Reiffenstuel : « Quamvis nullibi prohibitum sit, ac consequenter concessum censeatur matrimonium sub honesta conditione de præsenti, præterito, vel futuro, contrahere; tamen ob plura incommoda consultum non videtur, ut matrimonium sub conditione de futuro contrahatur, nisi specialis urgeat ratio, aut necessitas, ut cum aliis notat Gobat... suadens parochiis ne tali matrimonio assistant. Illud etiam omnino advertant parochi necesse est, ut si ob causam gravem matrimonium sub conditione contrahatur, illud consummare non permittant, donec certo constet, conditionem esse impletam, ne contingat, uti in casu quem refert Fagnanus, in cap. *Si conditiones*, cit. tit. De conditionib., etc., quo aliquis cum quadam contraxit sub conditione, *si es legitima*, et post multiplicem usum et copulam conjugalem, rescivit eam non esse legitimam. Et hoc matrimonium fuit nullum declaratum, non obstante copula carnali; quia licet per hanc matrimonium sub conditione de futuro statim evadat validum, tamen secus est de matrimonio sub conditione de præsenti, aut de præterito. » *L. cit.*, § 1, n. 22.

(39) Audiamus quoque hac in re D. de Ligorio, ita disserentem : « Quæritur an impleta conditione in matrimonio, requiratur novus consensus? Prima sententiat affirmat... Quia cum matrimonium, non solum sit contractus, sed etiam sacramentum, non potest pendere a futura conditione. Nam omnia sacramenta statim aut valida, aut nulla esse debent... Secunda vero sententia negat. Ratio, quia matrimonium, etsi sit etiam sacramentum, habet tamen rationem contractus; omnes autem contractus impleta conditione, sine novo consensu perficiuntur... Utraque sententia est probabilis, at hæc secunda La videtur probabilior. Cæterum recte dicunt Viva et La Croix, consultius esse eo casu iterum contrahi matrimonium (" *nempe renovando consensum coram parocho et testibus* "). » *Theol. moral.*, *De matrim.* n. 895.

Digitized by Google

(26 Quæritur, quid juris de matrimonio inter habentes impedimentum inito sub conditione *si Papa dispensaverit?* Quidquid in contrarium dictum sit, utique tenendum cum Sanchez, Pontio, et communi aliorum, penes Reiffenst., *l. cit.*, n. 25 et seqq., tam sponsalia de futuro, quam matrimonium per verba de præsenti sub dicta conditione contracta, licite fieri, et obtenta dispensatione, valida esse, quippe conditio, *si Papa dispensaverit*, honesta est; sub conditione honesta autem licitum est sponsalia, et matrimonium contrahere.

« Quod obtenta dispensatione (sic Reiffenstuel) valeant probatur. (Enimvero) tam sponsalia, quam matrimonium, sub honesta et possibili conditione de futuro, purificata conditione, valent; atqui conditio, *si Papa dispensaverit* est honesta atque possibilis : ergo, etc. » *Ibid.*, n. 26.

(27. Demum ut de matrimonio *sub causa, demonstratione, modo*, etc., aliqua dicamus, nempe contraho tecum, *quia es virgo*, en causa : *Quæ es honesta;* et habetur demonstratio : *ut mihi ad serviendum præsto sis;* et habetur modus : pro comperto habe « matrimonium celebratum *sub causa, vel cum demonstratione*, sive possibili, sive impossibili, sive turpi, sive honesta, sive substantiæ matrimonii contraria, sive non, ipsum nec suspendere, nec vitiare contractum, etsi contingat error, nisi hic versetur circa personam : v. g. *contraho tecum, quia es dives, vel quia es nobilis, vel quia es virgo; vel quia es virtuosa, vel quia es hæretica, vel quia generationem prolis vitabis* (quæ sunt meræ causæ), vel quia es (illa), talis, *virgo, dives*, etc., quæ est demonstratio, valet matrimonium, etsi (illa) talis dives, aut virgo, aut nobilis, etc., non esset; Sanchez.. Palao... Pirhing... Engel cum communi aliorum. Ratio est quia causæ et demonstrationes, etiam falsæ, non obsunt contractui, nec vitiant illum, sed habentur pro non adjectis (40). » Reiffenstuel, *loc. cit.*, § 2, n. 61.

(28. Quod ad *modum* attinet, hic sive possibilis, sive impossibilis, sive turpis, sive honestus, matrimonium, aliosque contractus nec suspendit, nec vitiat, sed si *modus* turpis aut impossibilis est, habetur pro non adjecto : si vero possibilis et honestus est, parit obligationem exsequendi id quod per modum oneris fuit adjectum : v. g. si quis dicat : *Contraho tecum, ut digito cœlum tangas;* vel *ut me adjuves ad illud occidendum, aut illud furandum*, etc., valet matrimonium, et modus habetur pro non adjecto, nec parit ullam obligationem illum implendi. Si quis vero dicat : *Contraho tecum, ut illos pupillos educes, ut mecum ad illum locum pergas*, etc., valet quidem statim actus, ita tamen, ut alter obligatus maneat ad modum, seu onus exsequendum; Sanchez... Pirhing... Silvester cum communi aliorum, quod hi modi non suspendunt contractum. Ratio est quia in actu sub modo, consensus non præstatur a modo, sicut fit in conditione, sed illum præcedit, in quo differt conditione. Nam natura modi est, ut non suspendat actum : 1, cum ab eo 41, ff. *De contrah. empt.;* Reiffenstuel., *Ibid.*, n. 63.

(29. Amplius « non vitiatur matrimonium, etiam sub modo substantiæ matrimonii contrario contractum.. Ratio est quia, universaliter loquendo, nullus modus suspendit actum, nec consensus dependenter a *modo* præstatur, sed jam perfectum supponit, eique advenit.. at si valide jam est contractum, per talem non amplius vitiari potest. » Reiffenstuel, eodem num. 64 (41).

(30. « Utrum autem dies appositus suspendat contractum, puta si dicatur : *Duco*

(40) « Certum est quod error circa qualitatem personæ concomitans, seu non dans causam contractui, non irritat matrimonium; unde si quis contraheret cum corrupta, aut paupere, aut ignobili, quam putabat virginem, aut divitem, aut nobilem, non principaliter motus ex his qualitatibus, sed aliunde, valet procul dubio matrimonium, quia tunc jam adest voluntarium ad illud requisitum. » Sanchez. Pontius, etc., et alii communiter.

« Sed magna quæstio fit, an irritet matrimonium error circa qualitatem dans causam contractui, nempe, si cognito errore, matrimonium non fuisset contractum? Prima sententia affirmat, et hanc tenet Pontius... Ratio, quia dum sponsus contrahit, credens sponsam habere aliquam qualitatem nobilitatis, aut pulchritudinis, etc., tunc præstat consensum virtualiter conditionatum, nempe si sponsa habeat illam qualitatem; qualitate igitur deficiente, deficit consensus. Secunda vero sententia, communis et verior, negat, et hanc tuentur Sanchez... Abb. Mal. Lop. Laym... Concina... Nav. Ronc... Habert... Valent. Escob. Gutt. Fill. Salmat. cum Gonet, Less. Bonac. Trull. Candido. Aversa, Dic., etc., ex doctrina D. Thomæ, *Suppl.*, q. 51, art. 2, in corp., ad 3. Ratio, tum quia tunc jam adest simpliciter voluntarium circa substantiam matrimonii, nempe circa personam, quamvis deficiat voluntarium secundum quid circa accidentia, quæ sunt personæ qualitates; tum quia alias innumera conjugia evaderent dubia, et litibus exposita.

« Communiter tamen, et recte docent DD. quod error circa qualitatem personæ bene irritaret matrimonium, si qualitas redundaret in substantiam. Sed magna difficultas est ad dignoscendum quandonam error qualitatis redundet in substantiam, seu in personam? Tres attende regulas.

« Prima : tunc qualitas redundat in substantiam, cum quis actualiter intendit contrahere sub conditione talis qualitatis; tunc enim verificatur quod, deficiente conditione, omnino deficit consensus; hoc certum est cum Sanchez.

« Secunda regula est quando qualitas non est communis aliis, sed propria, et individualis alicui determinatæ personæ, puta si quis crederet contrahere cum primogenita regis Hispaniæ, tunc qualitas redundat in personam; unde errando in qualitate, erratur in persona, et proinde nullum est matrimonium.

« Tertia regula, quam tradit D. Thomas... est, quod si consensus fertur directe et principaliter in qualitatem, et minus principaliter in personam, tunc error in qualitate redundat in substantiam : v. g... si dixerit : *Volo ducere nobilem, qualem puto esse Titium*, tunc enim error redundat in substantiam, quia directe, et principaliter intenditur qualitas et minus principaliter persona. » D. deLigorio, *De matrim.*, n. 1011, *et seqq.*

(41) Barbosa cum Novarr., Covarr. tenet, quod

Digitized by Google

te post tres dies? Negat Sanchez... Sed probabilius affirmant Viva, Con. Hurt. Perez, et Salmat. quia contrahens tunc non intendit ponere perfectum consensum, nisi post tertium diem. » D. de Ligorio, *Theol. moral., De matrim.*, num. 896.

Atque hæc hactenus.

ARTICULUS VI.

Quoad ea quæ concernunt alia septem impedimenta dirimentia.

SUMMARIUM.

1. Ordo quando sit impedimentum dirimens. — 2. Etiam Græci in majoribus constituti non possunt matrimonium nec valide, nec licite contrahere. — 3. Ordo sacer est quidem impedimentum dirimens respectu matrimonii contrahendi, sed non dirimit matrimonium jam prius contractum, uti dirimit votum solemne professionis religiosæ. — 4. Ordo sacer dirimit matrimonium solum jure ecclesiastico. — 5. Voti solemnitas, ejusque vis dirimendi provenit solum a jure ecclesiastico. — 6. Clericus in sacris constitutus matrimonium contrahens, præter nullitatem matrimonii, incurrit ipso facto excommunicationem, et irregularitatem. — 7. Potest tamen talis clericus, dimissa uxore invalida, post longam pœnitentiam, et laudabilem vitam absolvi, dispensari, et suis officiis restitui ab episcopo. — 8. Ligamen quid sit. — 9. Hoc impedimentum dirimit matrimonium, nedum jure ecclesiastico, sed etiam divino. — 10. Sancti Patres Veteris Testamenti habuerunt plures uxores ex divina dispensatione. — 11. Neutri conjugum licet, vel permitti potest quavis auctoritate transire ad secundas nuptias, nisi habita notitia moraliter certa de morte alterius. — 12. Si tamen quis sine tali morali certitudine de morte alterius conjugis transit ad secundas nuptias, illicite quidem, sed valide contraxit, si revera, quando contraxit, prior conjux erat mortuus. — 13. Certitudo moralis quando habeatur. — 14. Qui, stante dubio de morte conjugis, matrimonium cum alio habente bonam fidem contraxit, tenetur huic reddere debitum, petere tamen non potest. — 15. Si tamen deponat prudenter dubium, etiam petere potest. — 16. Si vero ambo conjuges, in dubio de morte conjugis contrahunt, ambo privati existunt jure, tam petendi quam reddendi. — 17. Si post matrimonium etiam bona fide ab utroque conjuge contractum, constiterit conjugem putatum mortuum adhuc vivere, statim sunt separandi, et qui contraxerat alterum matrimonium, debet ad priorem conjugem omnino redire. — 18. Si autem deprehendatur vixisse quidem priorem conjugem tempore contracti secundi matrimonii, sed modo certe constet e vivis excessisse, adhuc separandi sunt a toro; et si velint cohabitare ut conjuges, teneantur de novo contrahere legitime. Si autem nolint de novo legitime contrahere, non possunt ad hoc cogi. — 19. Si tamen tale matrimonium secundum fuit contractum ex judicio et assensu Ecclesiæ, filii ex ipso nati reputantur legitimi. — 20. Honestas publica quid sit. — 21. Impedimentum publicæ honestatis introductum est jure ecclesiast. — 22. Jure antiquo hoc impedimentum multum extendebatur. — 25. Jure autem novo est valde restrictum, *ad n.* 24. — 25. Impedimentum hoc ortum ex matrimonio rato, et nondum consummato, sive valido, sive invalido, dummodo non fuerit invalidum ex defectu consensus, dirimit etiam nunc, sicut olim, usque ad quartum gradum inclusive, et id totum exemplificatur variis casibus. — 26. Sponsalia valida, quamvis mutuo libero consensu dissolvantur, inducunt adhuc publicæ honestatis impedimentum *ad n.* 27. — 28. Affinitas: « Subnectuntur *Additiones Casinenses* » — 29. Impotentia quid sit. — 30. Hæc impotentia dividitur primo in naturalem, seu intrinsecam, et in accidentalem, seu extrinsecam, et quæ sit utraque. — 31. Dividitur secundo in perpetuam, et temporalem, et quæ sit utraque. — 32. Dividitur tertio in absolutam, et respectivam, et quæ sit utraque. — 33. Impotentia perpetua, sive fuerit naturalis, sive accidentalis, sive absoluta, sive respectiva, dirimit matrimonium contrahendum, tum jure ecclesiastico, tum jure naturæ. — Si talis impotentia superveniat post matrimonium jam contractum, ipsum non dirimit. — 35. Impotentia perpetua antecedens dirimit matrimonium sive fuerit antecedenter cognita, sive ignorata. — 36. Affertur et solvitur instantia. — 37. Affertur ad hoc constitutio Sixti V. — 38. Post talem constitutionem, eunuchi et quicunque impotentes nequeunt contrahere matrimonium cum impedimenti seu impotentiæ conscii, neque ad societatem vitæ, et caste vivendum per modum fratris et sororis. — 39. Eunuchi autem et spadones, unico tantum testiculo carentes, valide et licite matrimonium contrahere possunt. — 40. An autem, et quomodo hermaphroditi possint valide, et licite matrimonia contrahere, *remittitur.* — 41 Impotentia temporalis non dirimit matrimonium. — 42. In dubio? an impotentia sit temporalis vel perpetua conceditur a jure integrum triennium ad faciendum experimentum, si possit nec ne haberi perfecta copula. — 43. Si, tali facto experimento, ambo conjuges in foro externo fateantur adesse impotentiam perpetuam ex parte unius, non potest illorum matrimonium nec propria, nec judicis auctoritate annullari, nisi prius sit facta legitima probatio ad præscriptum sacrorum canonum. — 44. Sacri canones requirunt juramentum conjugum, et quatuordecim propinquorum. — 45. Si vero unus conjugum neget, et alter affirmet impotentiam perpetuam, tunc non requiruntur quatuordecim propinqui, sed sufficiunt, et adhibendi sunt solum septem ex parte affirmantis. — 46. Si elapso triennio, vir dubie impotens neget copulam perfectam habitam esse, mulier vero id affirmet, et non appareant certa signa impotentiæ, sed solum ambigua et dubia, debet credi uxori affirmanti et pronuntianti pro valore matrimonii. — 47. Item, si elapso triennio, mulier neget copulam perfectam habitam esse, et vir dubie impotens affirmet, si non appareant certa signa impotentiæ, sed solum dubia, debet credi viro affirmanti, et pronuntiari pro valore matrimonii. — 48. Si impotentia antecedens sit perpetua certo sic cognita per inspectionem corporum, vel aliunde talis impotentia sit simpliciter evidens, matrimonium debet statim declarari nullum absque concessione triennii ad faciendum experimentum, et absque interpositione juramenti propinquorum et conjugum. — 49. Si per inspectionem, vel aliam probationem non habeantur signa physice certa, et simpliciter evidentia de impotentia, sed solum verisimilia, et quasi moraliter certa; tunc potest quidem, et debet declarari nullum matrimonium, non exspectato triennali experimento.

---

nolum conditio expressa adversus substantiam matrimonii, sed jet modus illud omnino irritet et annullet. » *Collectan. DD.* in tit. 5, *De condit. appos.*, cap. *Si conditiones*, 7, n. 5. Ita etiam docet Sanchez, lib. v, *De matrim.*, disput. 19, n. 5, quibus astipulari videtur D. de Ligorio, cum ait:

« Probabilibus contradicunt huic (opinioni, quæ stat pro validitate matrimonii contracti sub modo contra ejus substantiam), quia non videtur habere animum contrahendi, qui intentionem habet contractui (id est substantiæ contractus) oppositam. » *Theol. mor., De matrim.*, n. 896.

Digitized by Google

rimento : at requiritur juramentum conjugum et propinquorum. — 50. Si post inspectionem, aut aliam probationem non habentur nisi signa dubia de impotentia perpetua, præter dictum juramentum conjugum et propinquorum, requiritur etiam triennale experimentum. — 51. Quando certo et evidenter constat de impotentia perpetua, dubitatur autem an præcesserit matrimonium, vel illo jam contracto supervenerit; si sit impotentia naturalis, seu intrinseca, præsumitur præcessisse; si vero sit impotentia accidentalis seu extrinseca, et conjux potens solum multo, et longo tempore elapso post contractum matrimonium conqueri et reclamare incipit de impotentia alterius, in foro externo præsumitur eam fuisse subsecutam; si autem conjux potens brevi tempore, uno, vel altero mense post contractum matrimonium statim conqueri et reclamare incipit de impotentia alterius, præsumitur eam præcessisse. — 52. Dato casu, quo ob præsumptam, et allegatam perpetuam impotentiam dissolvatur matrimonium, et conjux præsumptus, et allegatus impotens contraxerit cum alia, et cum ipsa perfectam copulam habuerit, comperto errore est dissolvendum secundum matrimonium, et reintegrandum primum. — 53. Excipitur primo, quando impotens factus est postea potens per solum miraculum. — 54. Excipitur secundo, quando impotentia tollitur ope dæmonis, aut per media illicita. — 55. Excipitur tertio, quando impotentia perpetua est respectiva. — 56. Excipitur quarto, quando impotentia provenit ex maleficio, et cum priori conjuge factum est triennale experimentum; et adhibitæ sunt omnes aliæ probationes a jure præscriptæ. — 57. Steriles, et senes possunt valide matrimonium contrahere, dummodo natura, vel arte capaces sint ad habendam copulam perfectam. — 58. Moribundi possunt, imo quandoque tenentur contrahere. — 59. Clandestinitatis impedimentum quid sit. — 60. Ad valorem matrimonii requiritur præsentia parochi proprii. — 61. Nomine parochi proprii qui veniat. — 62. Sufficit parochus proprius alterutrius sponsi. — 63. Est validum matrimonium, etiamsi unus parochus assistat in parochia alterius, quamvis diversæ diœcesis. — 64. Imo potest proprius parochus assistere matrimonio suorum parochianorum in alterius parochia, sine licentia parochi illius loci, in quo assistit. — 65. Quinimo non solum valide, sed etiam licite de jure potest proprius parochus alterutrius sponsi assistere matrimonio privatim, et absque solemnitate, et benedictione publica celebrato in aliena parochia. — 66. Parochus proprius est parochus habitationis seu domicilii, aut quasi talis, nec sufficit parochus originis, nisi etiam sit habitationis. — 67. Proprius parochus valide et licite assistit matrimonio, etiamsi nondum sit sacerdos. — 68. Licentia tamen assistendi matrimonio non potest concedi alicui qui non sit sacerdos. — 69. An affectante parochio non audire verba, vel non videre nutus attentantium clandestine contrahere matrimonium, et revera illa non audiente, vel istos non vidente, validum sit matrimonium coram ipso attentatum, *ad n.* 80. — 81. Parochus valide assistit, etiamsi ex alia causa vocatus, adhibitus tamen ad illum actum. — 82. Imo, etiamsi episcopus illi facultatem assistendi matrimoniis interdixerit. — 83. Parochus valide assistit matrimonio, quamvis sit putativus. — 84. Item, quamvis, habeat suam collationem nullam ob nullitatem concursus propter defectum examinatorum synodalium. — 85. Item valide assistit, quamvis sit irregularis, suspensus, interdictus, et excommunicatus vitandus. — 86. Parochus proprius vagorum in ordine ad matrimonium est parochus illius loci, ubi vagi actu versantur. — 87. Talis parochus valide assistit vagorum matrimonio, etiamsi ipsi ea intentione et animo, ut liberius, et facilius in ea parochia copulentur, a proprio domicilio discedant, sicque aliquam quasi fraudem, et dolum committant, dummodo vere, et non ficto animo illud deserant, et ad illud brevi redire revera non intendant; et afferuntur ad rem plures exemplares declarationes sacræ congregationis Concilii. — 88. Parochi, quamvis vagorum matrimoniis valide assistant sine præcedenti inquisitione de eorum statu libero, et habilitate ad contrahendum, tamen non possunt licite assistere, nisi præmissa diligenti inquisitione, et obtenta ordinarii licentia. — 89. Parochi quoad hoc transgressores graviter peccant, et possunt graviter ab ordinariis puniri. — 90. Matrimonium contractum ab eo qui erat carceratus ad custodiam vel ad correctionem, coram parocho carcerum nullum est. Si vero contraheretur ab eo qui esset damnatus ad carcerem in pœnam perpetuo, vel ad tempus, tunc esset validum. — 91. Matrimonium contractum coram capellano hospitalis nullum est. — 92. Matrimonia puellarum expositarum degentium in conservatoriis et hospitalibus non possunt contrahi coram rectoribus seu cappellanis eorumdem locorum, sed coram proprio parocho ih cujus parochia sita sunt prædicta loca. — 93. Matrimonium contractum a puella educanda ad crates monasterii coram testibus, et parocho ecclesiæ parochialis, intra cujus limites situm est monasterium, validum est, etiamsi parochus fuerit alio prætextu vocatus. — 94. Matrimonia contracta coram capellanis exercitus a militibus degentibus in castris, et stationibus hibernis, vel æstivis, aut in expeditione, etiam cum militaribus feminis, sine licentia ordinarii loci, vel sine speciali facultate Sedis Apostolicæ, sunt nulla. Alia circa ista, *remissive*. — 95. Principes et nobiles non possunt valide contrahere matrimonium in omnibus sibi subditis locis, sed solum in loco ubi habent veram habitationem, et coram parocho palatii in quo ordinarie resident. — 96. Si autem tales principes, seu nobiles, marchiones, comites, etc., duo loca seu duas parochias æqualiter, aut fere æqualiter inhabitent, possunt indifferenter coram alterutro parocho contrahere matrimonium. — 97. Secus vero si non æqualiter habitent utrobique, etc. * Subnect. *Addit. Casin.* ubi plura de domicilio. * — 98. Ad valorem matrimonii, ultra præsentiam parochi, aut delegati ab eo, vel ab ordinario, requiruntur, et sufficiunt duo testes. — 99. Ad valorem matrimonii sufficiunt quicunque testes rationis capaces. — 100. Ad valorem matrimonii non sufficit præcise præsentia physica, vel corporea parochi, et testium, sed requiritur eorum præsentia moralis, rationalis et humana. — 101. Præsentia parochi, et testium ad valorem matrimonii debet esse simultanea, et non sufficit successiva. — 102. Præsentia parochi, et testium sufficit ad valorem matrimonii, quamvis ob aliam causam sint vocati dolose, et fraudulenter illic adducti, inviti et coacti, etiam cum protestatione, et contradictione ibidem existant, dummodo ad illum actum adhibeantur, et intelligant contrahentium consensum. — 103. Præsentia parochi, et testium an sufficiat ad valorem matrimonii, etiamsi ipsi nihil eorum, quæ agebantur, viderint, et intellexerint, si affectarunt non intelligere, obturando aures, ne audirent? — 104. Præsentia parochi, et testium sufficit ad valorem matrimonii, etiamsi fuerit accidentalis, seu casualis, et non requisita. — 105. Alii tamen tenent contrarium. Istæ tamen opiniones, sicuti et sacræ congr. declarationes conciliantur. — 106. Præsentia parochi, et testium non requiritur in locis, ubi concilium tridentinuum non est promulgatum. — 107. Matrimonium contractum sine præsentia parochi et testium ab incolis loci, seu provinciæ, ubi fuit promulgatum sed non receptum Tridentinum quoad disposita de matrimonio clandestino, est validum. — 108. Item validum est matrimonium contractum sine præsentia parochi,

Digitized by Google

et testium ab eo, qui e loco promulgati et recepti concilii pergit ad locum ubi promulgatum aut receptum non est, et ibi cum incola illius loci contrahit, secus vero e contra. — 109. Si ambo sponsi e loco publicati et recepti concilii transferant realiter suam habitationem ad locum ubi non est publicatum; quamvis eo solo animo, ut absque parocho et testibus contrahant, validum est eorum matrimonium. Secus vero si illuc se transferant cum tali fine, et habitationem realiter non mutent, seu retento suo domicilio in loco publicati concilii, transeant per locum ubi non est publicatum, et ibi contrahant. — 110. Valida sunt matrimonia, quæ catholici v. g. mercatores, aut peregrini contrahunt sine præsentia parochi et testium in locis infidelibus, aut in locis hæreticis, ubi nunquam fuit publicatum Tridentinum. — 111. In locis autem hæreticis promulgati concilii Tridentini, si parochus, aut episcopus, vel aliud sacerdos ab ipsis deputatus haberi non potest, ad valorem matrimonii requiruntur nihilominus duo testes. — 112. Hæretici quoque in locis ubi publicatum est Tridentinum, tenentur observare formam indictam ab ipso pro contrahendis matrimoniis. — 113. Sunt tamen valida matrimonia hæreticorum contracta sine præsentia parochi, et testium in locis ubi non fuit publicatum Tridentinum, et sine præsentia parochi in illis locis in quibus, quamvis sit publicatum, paroch. tamen, aut episcop. catholicus, etc., non invenitur, nec potest tutus ad eum haberi accessus, dummodo in locis publicati concilii adhibeantur duo testes : " alia de paroch. ibi ". — 114. Raptus impedimentum est statum a Tridentino. — 115. Raptus dirimens quid sit. — 116. Violentia inducens raptum est non solum physica, sed etiam moralis. — 117. Ad hoc, ut inducat impedimentum dirimens, debet talis violentia probabilius esse illata ipsi feminæ raptæ, nec sufficit si sit illata solis parentibus, aut tutoribus. — 118. Alii tamen sentiunt contrarium. — 119. Si puella consentiens et volens abducatur insciis parentibus et tutoribus, ita ut neque puellæ ipsi, neque parentibus, aut tutoribus vis inferatur, licet iis adhuc injuria fiat, non est raptus dirimens. — 120. Nec etiam est raptus dirimens, quando post tractatum de matrimonio legitime contrahendo, vel post sponsalia jam contracta, abducitur puella consentiens de domo patris, seu tutoris, quamvis inviti, et reclamantis. — 121. Quando puella quæ rapitur erat prius raptori desponsata, licet ipsa, proposito mutato, sit invita, si nullam habet justam causam reficiendi, non est raptus dirimens, bene vero, si habet justam causam resiliendi. — 122. Raptus factus, non causa matrimonii, sed libidinis explendæ, non dirimit matrimonium. — 123. Raptus dirimit matrimonium, etiamsi femina rapta non sit virgo, sed corrupta, vidua, conjugata, inhonesta, vel etiam meretrix. — 124. Raptus, quo femina rapit virum, non dirimit matrimon. — 125. Raptus non dirimit matrimonium si solum importunis precibus femina abducatur, dummodo preces tales non sint, ut violentiæ æquiparentur. — 126. Raptus, ut sit impedimentum, requiritur traductio feminæ de loco ad locum. — 127. Impedimentum raptus inter raptorem et raptam perseverat, etiamsi rapta post raptum libere consentiat, si adhuc ipsa in potestate raptoris manserit; secus vero si rapta a raptore separata, et in loco tuto, et libero constituta, illum in virum habere consenserit. — 128. Raptores et fautores raptus dirimentis matrimonium, sunt ipso jure excommunicati, et sunt perpetuo infames, et incapaces omnium dignitatum; et si clerici sint, amittunt gradum clericalem, et raptor sive matrimonium contrahat cum rapta, sive non, tenetur eam decenter dotare arbitrio judicis. — 129. Raptores eorumque auxiliatores, si fuerint laici, morte plectuntur, et si fuerint clerici, suspenduntur ab eorum officiis, *ad n.* 132. — 133. Alia ad rem. *ad n.* 136. — 137. Subnectuntur Addit. ex aliena manu, *ad n.* 152.

(1. Ordo, quantum ad præsens, est impedimentum, quo clerici in sacris ordinibus constituti, fuerunt ab Ecclesia inhabiles redditi ad valide contrahendum matrimonium, ut patet ex cap. *De diacono* 1, cap. *Ex litterarum* 2, *Qui clerici, vel voventes*, cap. *Si qui clericorum* 1, De clericis conjugatis, et concordant, cap. *Presbyter* 8, distinct. 27, cap. *Presbyter* 16, dist. 28, cum similibus, et expresse definivit concil. Trident., sess. XXIV, *De matrimon.*, canon. 9, ibi : « Si quis dixerit clericos in sacris ordinibus constitutos, vel regulares castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica, vel voto... anathema sit. »

(2. Etiam Græci in majoribus constituti, non possunt matrimonium, nec valide, nec licite contrahere, quamvis post contractum matrimonium possint suscipere sacros ordines, et in his constituti cum uxore, quam prius duxerant, conjugaliter vivere : Azorius, part. I, lib. XIII, cap. 12, quæst. 5; Sanchez, lib. VII, disput. 28, num. 3; Reiffenstuel, lib. IV *Decret.*, tit. 6, num. 4, et alii passim, id ostendentes ex eo ipso Græcorum usu ac moribus; argum. cap. *Cum olim*, De clericis conjugatis, cap. *Si quis eorum*, dist. 32, et similibus.

(3. Ordo sacer est quidem impedimentum dirimens respectu matrimonii contrahendi, sed non dirimit matrimonium jam prius contractum, ut dirimit votum solemne professionis religiosæ per jura adducta artic. anteced., sub n. 25 et 26. (4. Ordo sacer dirimit matrimonium solum jure ecclesiastico, S. Thomas 2-2, quæst. 88, art. 11; Scotus in 4, dist. 37, quæst. unic.; Piringh, lib. IV, tit. 7, n. 6; Reiffenstuel, *ibid.*, n. 15 et 17; et communis aliorum, et colligitur ex conc. Trid., sess. XXIV *De sacramento matrim.*, canon. 9 (textum *vide supra* n. 1) ubi impedimentum hoc dirimens expresse ascribitur *Legi ecclesiasticæ et voto*, non quidem simplici cum istud non dirimat; argum. cap. *Consuluit* 4, et cap. *Rursus* 6, *Qui clerici, vel voventes*, sed solemni. (5. Voti autem solemnitas, ejusque vis dirimendi provenit solum a jure ecclesiastico; Cap. unico, *De voto* in 6, ibi : « Voti solemnitas ex sola constitutione Ecclesiæ est inventa, » et idem declaravit Greg. XIII const. inc. *Ascendente*. Sic etiam votum simplex societatis Jesu solum cœpit esse dirimens per dictam constitutionem Greg. XIII, *Ascendente*, ante quam non dirimebat.

(6. Clericus in sacris ordinibus constitutus matrimonium contrahens, præter nullitatem matrimonii, incurrit ipso facto excommunicationem et irregularitatem; cap. *Si qui clericorum* 1, De clericis conjugatis, et Clementin. unic. *De consanguinit. affinitat.*, ibi : « Clericos in sacris ordinibus constitutos matrimonium contrahentes.... excommunicationis sententiæ ipso facto sub-

Digitized by Google

jacere decernimus. » Insuper concilium Neocæsariense in cap. *Presbyter*, 9, dist. 28, eb ordine illum deponi jubet, ibi : « Presbyter si uxorem duxerit, ab ordine illum deponi debere, etc. » Quod *Glossa* explicat de dispositione officii, ut observat etiam Pignatell., t. VIII, consult. 63, num. 30, sicuti ipse, nedum officio, sed et quolibet beneficio ecclesiastico privari debet; cap. *Decernimus* 2, dist. 28, ibi : « Decernimus ut hi qui in ordine subdiaconatus, et supra, uxores duxerint... officio atque beneficio ecclesiastico careant; et concordant cap. *Si qui clericorum* 1, cap. *Quod a te*, De clericis conjugatis, cum similibus. (7. Potest tamen talis clericus, dimissa uxore invalida, post longam pœnitentiam, et laudabilem vitam absolvi, dispensari, et suis officiis restitui ab episcopo; cit. Clementin. unic., *De consanguinit. et affinitat.* et cap. *Si qui cleric.* 1, et cap. *Sane sacerdos* 4, De clericis conjugatis, ibi : « Post longam pœnitentiam et vitam laudabilem, continentes officio suo restitui poterunt, et ex indulgentia sui episcopi ejus exsecutionem habere. »

(8. *Ligamen* est vinculum conjugum ortum ex matrimonio rato, vel consummato, utroque conjuge vivente. Est in re communis, arg. cap. *Gaudemus* 8, De divortiis, cum similibus. (9. Hoc impedimentum dirimit matrimonium, nedum jure ecclesiastico, sed etiam jure divino. *Communis*, ex cap. *Gaudemus* 8, De divortiis, et conc. Trident., sess. XXIV, *De sacramento matrimonii*, canon. 2, ubi expresse sic definivit : « Si quis dixerit licere Christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla lege divina esse prohibitum, anathema sit. Et merito concilium sic definivit : habetur enim hoc ex *Matthæi* XIX, *Marci* X, et *Luc.* XVI. (10. Unde SS. Patres, qui in Veteri Testamento plures uxores habuerunt, ex divina revelatione, atque dispensatione eas duxerunt, et retinuerunt propter necessitatem multiplicandi fideles, ut respondent communiter doctores; arg. cit. cap. *Gaudemus* 8, De divortiis.

(11. Neutri conjugum licet, vel permitti potest quavis auctoritate transire ad secundas nuptias, nisi habita notitia moraliter certa de morte alterius, textu expresso in c. *In præsentia* 19, De sponsalib., et cap. *Dominus* 2, De secundis nuptiis. (12. Si tamen quis sine tali morali certitudine de morte alterius conjugis transiit ad secundas nuptias, illicite quidem, sed valide contraxit, si revera quando contraxit, prior conjux erat mortuus, quia protunc non erat ligamen; argum. cap. *Dominus* 2, De secundis nuptiis. 13. Certitudo autem moralis habetur, quando adest attestatio legitima parochi, vel alia publica, et authentica facta a magistratu ecclesiastico, politico, aut militari, vel a notario publico, aut alia persona in publica auctoritate constituta, aut duorum testium de visu; sed quoad hoc est omnino servanda instructio emanata a sacra congregatione supremæ universalis Inquisitionis, quæ asservatur in cancellariis episcopalibus, et adducitur a Monacelli, t. III, in *Append. ad formular.*, instruct. 6, ubi adducit etiam dubia aliquot circa exterorum matrimonia cum respons. sac. congreg. *Vide* ante v. INSTRUCTIO, etc.

(14. Qui stante dubio de morte conjugis, matrimonium cum alio habente bonam fidem contrahit, tenetur huic reddere debitum, petere tamen non potest. *Communis*, textu expresso in cit. cap. *Dominus* 2, De secundis nuptiis. 15. Si autem deponat prudenter dubium, etiam petere potest. *Communis*, arg. cit. cap. *Dominus*, et cap. *Inquisitionis* 34, De sententia excommunicat. 16. Si vero ambo conjuges in dubio de morte conjugis contrahunt, ambo privati existunt jure tam petendi quam reddendi, donec prudenter tale dubium deponant; *Communis*, et cit. cap. *Dominus*, et cit. cap. *Inquisitioni*.

(17. Si post matrimonium etiam bona fide ab utroque conjuge contractum, constiterit conjugem putatum mortuum adhuc vivere, statim sunt separandi, et qui contraxerat alterum matrimonium, debet ad priorem conjugem omnino redire. *Communis*, textu expresso in cit. cap. *Dominus* 2, De secundis nuptiis, et cit. cap. *Inquisitioni* 44, De sentent. excommunic. (18. Si autem deprehendatur vixisse quidem priorem conjugem tempore contracti secundi matrimonii, sed modo certo constet e vivis excessisse, adhuc separandi sunt a toro, quia tale secundum matrimonium fuit invalidum; arg. cit. cap. *Dominus*, et regul. 18 *Juris*, in 6, ubi sic expresse statuit : « Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit. » Et si velint cohabitare ut conjuges, tenentur de novo legitime contrahere. Si autem nolint de novo contrahere, non possunt ad hoc cogi, cum nullo jure ad hoc astringantur, quamvis maxime expediat ad multas tricas evitandas. (19. Si tamen tale matrimonium secundum fuit contractum ex judicio et assensu Ecclesiæ, filii ex ipso nati reputantur legitimi, et admittendi sunt ad hæreditatem. *Communis*, textu expresso in cap. *Perlatum est* 8, Qui filii sint legitimi.

(20. *Honestas* publica est propinquitas jure ecclesiastico oriens ex sponsalibus, aut ex matrimonio rato. Est in re communis, arg. cap. *Juvenis* 3, capit. *Ad audientiam* 5, cap. *Sponsam* 8, De sponsalibus et matrimon., cap. unic., De sponsalibus in 6, cap. *Si quis desponsaverit* 11, et cap. *Si quis uxorem* 34, caus. 27, q. 2, cum similibus. (21. Impedimentum publicæ honestatis introductum est jure ecclesiastico. *Communis* ex mox citatis juribus. (22. Jure antiquo hoc impedimentum dirimebat inter sponsum, et consanguineos sponsæ, et e converso, usque ad quartum gradum; arg. cap. *Sponsam* 8, De sponsalibus. Et oriebatur ex quibusvis sponsalibus de futuro, et præsenti, etiamsi fuissent invalida, dummodo non essent invalida ex defectu consensus, textu expresso in cap. unico *De sponsalibus* 6. (23. Hodie tamen rigor dicti juris antiqui non amplius viget, cum correctus et temperatus sit a concil. Trid., sess. XXIV, *De reformat. ma-*

Digitized by Google

trim., c. 3, his verbis : « Justitiæ publicæ honestatis impedimentum, ubi sponsalia quacunque ratione invalida erunt, sancta synodus prorsus tollit; ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedant; quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest hujusmodi prohibitio absque dispendio observari. » Ubi, ut vides, declaratur quod impedimentum publicæ honestatis non amplius oriatur ex sponsalibus invalidis. (24. Et quod ortum ex sponsalibus validis, dirimat inter sponsum et consanguineos sponsæ, et e converso, solum usque ad primum.

(25. Impedimentum autem hoc ortum ex matrimonio rato et nondum consummato, sive valido, sive invalido, dummodo non fuerit invalidum ex defectu consensus, dirimit etiam nunc, sicut olim usque ad quartum gradum inclusive: quia Tridentinum circa hoc nihil immutavit, ut expresse declaravit S. Pius V, constitut. incip. *Ad Romanum*, ibi : « Motu proprio, auctoritate apostolica, tenore præsentium, declaramus et definimus, decretum concilii hujusmodi omnino intelligendum esse, et procedere de sponsalibus de futuro duntaxat, non autem in matrimonio sicut præfertur contracto, sed in eo durare adhuc impedimentum in omnibus illis gradibus et casibus; in quibus, de jure veteri ante prædictum decretum concilii introductum erat, et ita ab omnibus judicari debere mandamus, atque statuimus. » Unde, ut vides, si matrimonium tuum fuit invalidum, ex quocunque alio impedimento quam ex defectu consensus, v. g. ex impedimento voti, sacri ordinis, ligaminis, consanguinitatis, affinitatis, criminis et hujusmodi, contraxisti hoc impedimentum cum consanguineis uxoris tuæ putatitiæ, et illa vicissim cum consanguineis tuis usque ad quartum gradum inclusive, quia ex cap. unico, *De sponsalibus*, in 6, non correcto per Tridentinum, hoc impedimentum oriebatur etiam ex sponsalibus de præsenti invalidis, seu ex matrimonio rato etiam invalido; dummodo non fuerit invalidum ex defectu consensus, quia invaliditate interveniente, puta defectu consensus, ut si contraxisti cum errore personæ, cum ignorantia qualitatis servilis, et ex metu gravi injuste incusso, et hujusmodi, non contraxisti hoc impedimentum cum matrimonium invalidum defectu consensus non pariat publicam honestatem, ut expresse habetur in d. cap. unico, *De sponsalibus*, in 6, non correcto a Tridentino, et consequenter remanente in suo robore per allatam declarationem S. Pii V. Totum exemplificatur variis casibus.

I. Si Paulus v. g. contraxerit cum Francisca sponsalia de præsenti, seu matrimonium ratum invalidum, non ex defectu consensus, sed ex alio defectu, seu quocunque alio impedimento, puta voti, sacri ordinis, consanguinitatis, affinitatis, criminis et hujusmodi, non poterit ipse Paulus contrahere cum ulla Franciscæ consanguinea, usque ad quartum gradum inclusive; arg. c. *Sponsum* 8, De sponsalib., ubi universaliter ita disponitur : « Sponsam alterius nullus consanguineorum aliquo modo sibi potest matrimonio copulare; » intellige, juxta praxim et communem intelligentiam, de consanguineis usque ad quartum gradum instar affinitatis; arg. cap. *Non debet* 8, § *Prohibitio*, De consanguinit. et affinit., quæ et alia antiqua jura circa id non fuerunt correcta per Tridentinum, sed relicta adhuc in suo robore, juxta cit. S. Pii V declarationem; concilium enim Tridentinum novum jus induxit solum quoad sponsalia de futuro, decernendo, quod si ipsa fuerint invalida, nullum pariant impedimentum publicæ honestatis; et si fuerint valida, pariant dictum impedimentum solum usque ad primum gradum, ut patet ex ipsiusmet verbis supra allatis. Si vero tale ratum matrimonium fuisset invalidum ex defectu consensus, puta ob errorem in personam, aut per vim et gravem metum et hujusmodi, poterit adhuc libere contrahere cum Franciscæ matre, vel filia, aut sorore, quia ex matrimonio rato invalido defectu consensus non oritur impedimentum publicæ honestatis, ut expresse cavetur in cap. *Ex sponsalibus*, unic. De sponsalibus, in 6, non correcto per Tridentinum, sed adhuc remanente in pleno suo robore per cit. constitutionem S. Pii V. Excipitur tamen matrimonium ratum impuberum, quia licet defectu perfecti consensus sit invalidum in ratione matrimonii, est tamen validum in ratione sponsalium, seu, ex speciali juris dispositione, adhuc retinet vim sponsalium, textu expresso in cap. *Tuæ* 14, De desponsatione impuberum, et cap. unic., § *Idem quoque*, eod. in 6. Unde tales impuberes adhuc contrahunt impedimentum publicæ honestatis ex sponsalibus usque ad primum gradum tantum; et tandem matrimonio post pubertatem adeptam ratificato, etiam impedimentum usque ad quartum gradum ex matrimonio rato.

II. Si Paulus contraxit sponsalia pura et absoluta cum Francisca, et postea, contra fidem priorum sponsalium, contrahat matrimonium ratum cum ejus consanguinea in primo gradu, puta cum ipsius Franciscæ matre, vel filia, aut sorore, tale matrimonium erit nullum ob impedimentum dirimens publicæ honestatis; at nihilominus poterit adhuc, et debebit ducere priorem sponsam de futuro, non obstantibus secundis sponsalibus de præsenti, seu matrimonio rato cum ejus consanguina, si nulla, ut supponit casus, intercesserit copula; id enim habetur non solum ex jure novo concil. Trident. *loco superius citato*, quia matrimonium ratum, seu secunda sponsalia de præsenti sunt invalida; sed ex jure antiquo cap. *Ex sponsalibus*, unic. De sponsalibus, in 6, quia non debet admitti inter ipsa veluti quædam reciproca actio, qua priora sponsalia vicissim a posterioribus irritentur, contra expressam prohibitionem d. cap. *Ex sponsalibus*; sic Layman, lib. v, tract. 10., p. iv, c. 9, num. 3 et 5; Sporer, tom. III, p. iv, c. 1, num. 58; Gobat., to. I, tract. 9, num. 385;

Digitized by Google

La Croix, lib. VI, part. III, n. 682, et alii passim.

III. Si Paulus priora sponsalia contraxit cum Francisca solum conditionate sub conditione pendente in futurum, v. gr. si parentes consenserint, si papa dispensaverit, et hujusmodi; et postea, illa conditione non adimpleta, absolute contrahat cum ejus consanguinea in primo gradu, puta cum ejus Franciscæ matre, vel filia, aut sorore, tunc ex neutris sponsalibus impedimentum dirimens contrahet. Non ex primis, quominus saltem valide cum secunda contrahere possit, quia ex sponsalibus conditionatis ante eventum conditionis non oritur impedimentum; actus enim sub conditione celebratus, conditione non impleta, nullum operatur effectum; arg. § *Sub conditione 4, Inst., De verb. oblig*, l. unic., § *Sin autem; Cod., De caducitatib. tollendis*, cum suspendatur ejus valor usque ad eventum conditionis; l. *Is cui 42*, ff, *De actionib. et obligat.*, et l. *Legata sub conditione 41*, ff. *De conditionib. et demonstrationib.* Neque ex secundis, quia cum sint contra fidem priorum sponsalium, sunt illicita et invalida; et ex sponsalibus invalidis non oritur impedimentum publicæ honestatis, ex Trid. cit. sess. XXIV, *De reform. matrim.*, cap. 3. Sic citati doctores et alii.

IV. Si Paulus absolute sibi desponsavit Franciscam, et postea copulam habeat cum sorore ejus Lucia, neutram in uxorem accipere potest; non Franciscam, ob impedimentum affinitatis; non Luciam, ob impedimentum publicæ honestatis. Si autem talis copula cum Lucia fuisset habita ante sponsalia celebrata cum Francisca, posset Paulus ducere ipsam Luciam; nam sponsalia cum Francisca essent de jure invalida ob impedimentum contractæ affinitatis; sicque non inducerent impedimentum publicæ honestatis ex novo jure Trident., cit. sess. XXIV, *De reform. matrim.*, c. 3. Ita supracitati doctores et alii passim.

V. Si Paulus desponsavit sibi Franciscam, et hanc in uxorem postea duxit Petrus frater Pauli, matrimonio nondum consummato, Paulus, etsi non teneatur, ob sibi fractam fidem, adhuc tamen si vult, potest ducere ipsam Franciscam, quia priora sponsalia ob publicam honestatem annullantia sequens matrimonium, non possunt violari vicissim a sequenti matrimonio, ne detur mutua quasi reactio inter duas desponsationes se reciproce irritandi contra expressam prohibitionem cit. cap. *Ex sponsalibus*, unic. De sponsalib., in 6; sic supracitati doctores et alii.

(26. Sponsalia valida, quamvis mutuo libero consensu dissolvantur, inducunt adhuc publicæ honestatis impedimentum. Quamvis enim olim gravissimi doctores negativam sententiam tenuerint, ut videre est apud Barbosam, *De offic. et potestat. episcop.*, allegat. 51, n. 188; Palao, *De sponsalib.*, disp. 4, punct. 10, n. 9; Guttierez, *De matrimon.*, cap. 103, num. 11; Sanchez, *De matrim.*, lib. VII, disp. 58, num. 21, hodie tamen certa est nostra affirmativa sententia propter authenticam declarationem sacræ congregat. conc. ab Alexandro VII approbatam, quam refert Fagnanus, lib. IV *Decret.*, in cap. *Ad audientiam 4*, De sponsalib, n. 29, his verbis:

(27. « Alphonsus Ruiza et Isabella Rodriquez Pacen diœcesis, sponsalia per verba de futuro inter se contraxerunt; sed cum antequam se vidissent, aut simul colloquerentur, Isabella gravi morbo correpta fuisset, se invicem a promissione et juramento absolverunt. Nunc autem Alphonsus volens matrimonium contrahere cum Maria sorore germana dictæ Isabellæ, dubitat an sponsalibus cum Isabella contractis et mutuo consensu dissolutis, ortum sit publicæ honestatis impedimentum? Sacra congr. censuit sponsalia hæc, cum a principio valida fuerint, induxisse impedimentum publicæ honestatis, licet mutuo consensu dissoluta; quia concilium hoc solum considerat, quod a principio valida sint; et quia si a principio valida, deinde dirempta per mortem, id impedimentum inducunt, ita et dissoluta consensu. Et novissime, jubente sanctissimo domino nostro, propositum fuit in sacra congregatione concilii: An sponsalibus valide ab initio contractis, deinde mutuo consensu dissolutis, sit sublatum impedimentum justitiæ publicæ honestatis? Et pluries proposito dubio ac mature examinato, tandem sub die 6 Julii 1658, eminentissimi Patres in antiqua ejusdem congregationis sententia consistentes censuerunt non esse sublatum: cujus sententiæ una cum rationibus hinc inde deductis, et recentioribus ejusdem congregationis in hac materia responsis, facta relatione ad Sanctissimum, Sanctitas Sua, die 10 ejusdem mensis, prædictam congregationis resolutionem probavit, eamdemque jussit in dubium deinceps non revocari. »

(28. Affinitas. *Vide* verb. AFFINITAS per totum.

ADDITIONES CASINENSES.

An valide contrahi possit matrimonium inter vitricum et uxorem privigni.

Præstat in hac re per extens. referre, quæ Bened. XIV docet, in sæpius memorato aureo opere, *De synod. diœc.*, l. IX, c. 13; tenoris, ut sequitur.

« Cum sacræ congregationis concilii secretarii munere fungebamur, acriter in ea disputatum fuit, an textus juris civilis in l. *Uxorem*, ff. *De ritu nuptiarum*, esset correctus et abrogatus a jure canonico in cap. *Non debet*, De consanguinit. et affinit. Disputationi autem causam dedit quædam synodalis constitutio, cujus firmitas a prædictæ legis civilis pendebat firmitate. Quidam episcopus in suis constitutionibus synodalibus explicans impedimenta matrimonium dirimentia, et speciatim impedimentum affinitatis provenientis ex copula licita, dixit matrimonium valide contrahi non posse inter vitricum et uxorem privigni, juxta citatum textum juris civilis in *l. Uxorem*, 15, ff. *De rit. nuptiar.*, ubi Papinianus ait: « Uxo-

Digitized by Google

« rem quondam privigni conjungi matrimo « nio vitrici non oportet, nec in matrimo- « nium convenire novercam ejus, qui privi- « gnæ maritus fuit : » cui quidem textui mini- me derogatum addebat ab Innocentio. III, in cit. cap. *Non debet*, De consanguinit. et affinit., quoniam, ut ipse aiebat, Innocen- tius duntaxat revocavit et abolevit impedi- mentum secundi, et tertii generis affinitatis in linea collateralium; non autem in linea as- cendentium et descendentium : sicuti utrum- que textum, canonicum scilicet et civilem perpendentes, docuerunt Oinotomus ad lib. I *Instit.*, tit. *De nupt.*, n. 14, Arnoldus Vin- nius, ad eumd., tit., n. 2; Joannes Schnei- deunitus, in *Comment. ad Instit. civil.*, lib. I, *De nupt.*, tit 10, pag. 50; Bruneman, in *Comment. ad Pandectas*, ad cit. leg. *Uxorem*, 15, ff. *De tit. nuptiar.*, quorum auctorum ju- dicium non ideo parvi faciendum est, quod ii sint hetherodoxi, quoniam et ipsi, quoad matrimonii impedimenta, jus canonicum sectantur : quare citatus Schneideunitus affirmat, hanc unicam ob causam matrimo- nium inter vitricum et uxorem privigni, ab eorum consistoriis irritum pronuntiari : « Quia, ait, in hoc casu jus civile expresse non reperitur correctum a jure canonico. » Idemque in tribunalibus Galliæ sæpius judi- catum, refert Antonius Mornacciusin *Observ. ad 24 primos libros Digestorum*, lib. XXIII, ad leg. 42, *De rit. nuptiar.*, pag 762. Et dato etiam, pergebat episcopus, quod in casu, matrimonio non obest impedimentum affini- tatis, obstabit saltem impedimentum publicæ honestatis; quod consideravit Modestinus jurisconsultus, cum in leg. *Non facile*, 4, ff. *De gradibus et affinibus*, ait : « Hos itaque « inter se, quod, affinitatis causa, parentum « loco, liberorumque habentur, matrimonio « copulari nefas est. » Et profecto matrimo- nium, de quo est sermo, ob maximam, quam redolet, inhonestatem, a jure civili improbatum censuit Faber in sua *Jurispru- dentia Papiniana*, tit. 10, *De nuptiis princ.* 6, illat. 12, inquiens : « Inhonestum autem « palam est, eam, quæ aliquando uxor fuerit « illius, qui mihi aut filii, aut parentis loco « fuerit, uxorem a me duci. » Cui astipulatur Carpzovius lib. II *Jurisprud. consist.*, tit. 7, *De dispensat. matrim. in gradu prohibito*, definit. 119, ubi ait : « Privignus a vitrici, « et hic rursus a privigni vidua abstinere de- « bet, non solum ob rationem honestatis, quæ « in matrimonio multum attenditur,sed etiam « propter expressam juris civilis dispositio- « nem. »

« II. Nihilominus tamen, hujus quæstionis articulo in sacra congregatione concilii ma- ture discusso, expensisque rationum mo- mentis, a nobis, qui (ut diximus) ejusdem a secretis eramus, in utramque partem addu- ctis,..... eadem sacra congregatio, die 8 Mar- tii 1721. validum pronuntiavit matrimonium inter vitricum et uxorem privigni contra- ctum. Neque enim ulla habenda fuit ratio prædictarum constitutionum synodalium, utpote quæ unice innitebantur *Juris civilis* sanctionibus, jamdiu correctis atque abro- gatis ab Innocentio III in cit. cap. *Non debet*, De consangninit. et affinit. Ad cujus textus expositionem præmittendum est, triplex olim fuisse affinitatis genus, juxta can. 3, can. final. 35, quæst. 3, et cap. 1, *De sobole ex secundis nuptiis suscepta*, in prima col- lectione *Decretalium* : primum una duntaxat media persona; alterum duabus; tertium tribus personis mediis contrahebatur : quæ omnia exemplis melius, quam ulla alia ra- tione, explicantur. Si Titius, frater Caii, ma- trimonium iniisset et consummasset cum Berta, hæc Caii affinis erat, sicuti nunc est, in primo genere affinitatis; si, mortuo Titio, Berta matrimonio jungebatur cum Sempro- nio, Sempronius alter Bertæ maritus, et Ca- ium, et omnes defuncti Titii consanguineos, secundo affinitatis genere contingebat; si demum, mortua Berta, Sempronius aliud conjugium celebrasset cum Nævia, etiam cum hac et Caius, et omnes consanguinei Titii, tertio affinitatis genere conjungebantur. Ex his porro affinitatis speciebus quæli- bet matrimonio valide contrahendo obstabat; quod et cit. can. 3, et final., liquet, et ex- plicant Petrus Blesensis, epist. 113, ac fuse Sanchez lib. VII *De matrim.*, disput. 67, ac Basilius Pontius lib. VII, cap. 34, sed Inno- centius III, in laudato cap. *Non debet*, se- cundam et tertiam affinitatis speciem abo- levit et abrogavit; statuitque, ut deinceps sola affinitas primi generis, usque ad quar- tum gradum, matrimonium impediret et dirimeret. Adeo autem indefinite Innocentius loquitur, ut gratis omnino atque arbitrario quis sibi fingere valeat, per præfatam decre- talem abrogatas et deletas non esse secun- dam et tertiam speciem affinitatis in linea recta ascendentium et descendentium; quem- admodum ad tit. *De consanguinit. et affinit.* optime ponderarunt Zoesius, n. 9; Engel., n. 6; Konig., n. 22; Schmalzgrueber, n. 77, et auctor *Theolog. dogmat. et moral. ad usum seminarii Catalaunensis*, tom. VII, pag. 853, unde ab omnibus canonistis, instar re- gulæ nullam habentis limitationem, usurpa- tur commune illud effatum : *Affinitas non parit affinitatem.*

« III. Jam vero, cum vitricus et uxor privi- gni, secundo duntaxat, et non primo affinita- tis genere, inter se conjungantur, necessario inde consequitur, nullo nunc detineri cano- nico impedimento quo minus possint vali- dum matrimonium inter se contrahere : si- cuti egregie ratiocinatur Cujacius ad tit. 14, *De consanguinit. et affinit.*, *Oper. posthumor.* tom. III, edit. Paris., anni 1658, pag. 366, inquiens : « At hodie ex cap. penultimo, « sive concilio Lateranensi, habito sub Inno- « centio III in secundo genere affinitatis nu- « ptiæ vetitæ non sunt, et abrogata est lex « 15, ff. *De rit. nuptiar.*, » et in *Comment. ad eamdem legem, Uxorem*, 15, tom. I *Oper.*, pag. 153, ubi ait : « At hæc Papiniani senten- « tia hodie abrogata est decreto Innocentii, in « cap. *Non debet*, extr. *De consanguinit. et af- « finit.*, quo in primo tantum genere affinitatis « nuptiæ prohibentur, non in secundo, vel « tertio, et personæ, de quibus in hac lege

Digitized by Google

« agitur, sunt in secundo genere affinitatis, « non in primo. »

« IV. Remoto impedimento affinitatis illico corruit aliud, quod ex publica honestate oriri fingitur : etenim impedimentum publicæ honestatis unice emergit aut ex sponsalibus validis, juxta textum in cap. 1, *De sponsal. et matrim.*, in 6, et cap. 3, sess. XXIV concilii Tridentini, *De reform. matrim.*, aut ex matrimonio duntaxat rato, ad normam constitutionis S. Pii V incipientis *Ad Romanum:* matrimonium autem consummatum aut veram producit affinitatem, aut certe aliud impedimentum non parit. Præterea publicæ honestatis impedimentum, ex matrimonio rato ortum, solum contrahitur inter maritum et consanguineos uxoris, ac vicissim inter uxorem et consanguineos mariti; non autem inter maritum et affines uxoris neque inter uxorem et affines mariti : vitricus vero non est consanguineus, sed affinis sui privigni, ac proinde neque affinitate, neque publica honestate impeditur, ne matrimonium contrahere valeat cum ejusdem sui privigni uxore. Itaque concludendum est, male fuisse in præfatis constitutionibus synodalibus allegatas leges civiles, quæ ex jure canonico jamdiu fuerant expresse abrogatæ.

« In synodo Limana, prosequitur idem Bened. XIV decretum est, ut Indi Peruani, qui matrimon. contraxerunt cum noverca, vel nuru, non admittantur ad baptismum, nisi prius conjugium præfatum veluti jure naturæ irritum, solvant, uti refert Acost. *De procuranda Indorum salute*, tit. 16, cap. 21. Synodus hæc certum ponit, affinitatem, quæ ex matrimonio causatur, jure naturæ dirimere matrimonium in primo gradu lineæ rectæ : id autem certum non est, cum probatissimi auctores doceant, nullam affinitatem, ne eam quidem, quæ est in primo gradu lineæ rectæ, dirimere matrimonium jure naturæ, sed jure tantum ecclesiastico, et consequenter super eo impedimento, gravissimis urgentibus causis, posse a summo Pontifice dispensari : Sylvius, *Oper.* tom. V, in verb. *Dispensatio*, tertio. At, quidquid sit de potestate, a simili dispensatione Romani Pontifices, etsi pluries rogati, abstinuerunt. Legi potest Rigantius cit. tom. IV, ad regul. 49 *Cancellariæ* a n. 18 et seq., ubi etiam mentionem facit nostri consilii reverenter exhibiti, dum in minoribus essemus, Benedicto XIII nostro benefactori, ut a simili dispensatione, pro qua rogabatur, abstineret, prout abstinuit (43). »

(29. Impotentia prout est impedimentum dirimens, non est impotentia generandi, sed impotentia coeundi, seu perficiendi copulam conjugalem. *Communis*, arg. tot. tit. *De frigid. et malefic.* (30. Hæc impotentia dividitur primo in naturalem, seu intrinsecam et accidentalem, seu extrinsecam. *Prima* est illa quæ oritur ex ipsius naturæ defectu, v. gr. ex nimia frigiditate, debilitate, deficien-

(42-43) Hæc habet Rigantius, ibi : « Quæsitum an in primo gradu affinitatis lineæ rectæ, inter vitricum nempe et privignam, privignum et novercam, socerum et nurum, generum et socrum Pontifices dispensare possint, pro nuptiis contrahendis? Et quamplures insignes theologi et canonistæ dispensare non posse responderunt, quippe nuptiæ præfatæ prohibitæ videntur de jure naturæ, et habentur ex civilibus sanctionibus, præsertim in l. ult., § *Naverca*, ff. *De condit. sine caus.*, ubi nuptiæ inter vitricum; et privignam dicuntur prohibitæ de jure gentium, jus autem gentium peculiariter primarium, apud gentes erat jus naturale....

« Et sententiam hanc sequuntur præ cæteris Turrecremata.. P. Victor.. Koninck, Bellarm., Natal. Alex., etc.

« Contrariæ vero sententiæ, quod Pontifices potestate gaudeant dispensandi super primo gradu affinitatis lineæ rectæ, adhærent Sanchez, Pontius, aliique plures... Et posterior hæc sententia verior est; non enim inter prædictas personas conjugia prohibita sunt jure naturali, sed lege tantummodo ecclesiastica, super qua Pontifices plenaria fruuntur dispensandi facultate...

« Eamdemque sententiam, quod possit Pontifex dispensare in primo gradu affinitatis in linea recta, secuta est S. congregatio SS. Inquisitionis, dum actum fuit super dispensatione petita a duce Mantuæ pro ducenda nuru in uxorem... nec non congregatio particularis habita coram s. mem. Benedicto XIII, die 14 Februarii, 1727...

« At vero perpendentes Pontifices quod privigna respectu vitrici, privignus respectu novercæ, nurus respectu soceri, gener respectu socrus, filiorum loco habiti sunt, qua ratione ex illorum conjunctione maxima oriretur turpitudo et indecentia, quam et jus civile agnovit, dum conjugia inter easdem personas celebrare prohibuit... hinc ab hujusmodi dispensatione concedenda se abstinuerunt. Enixe rogatus san. mem. Urbanus VII a Carolo Gonzaga Mantuæ duce, ut veniam sibi faceret ducendi in uxorem nurum suam, quam ejus prædefunctus filius sine prole reliquerat, Pontifex post exquisitum votum S. congregationis sanctissimæ Inquisitionis, nec non cl. mem. cardinalis de Lugo, qui sensuit, posse quidem, sed non expedire ob maximam illius conjunctionis turpitudinem dispensationem denegavit, die 5 Jul. 1637...

« Eamdemque dispensationem, prævio voto dictæ congregat. die 22 Novem. 1636, laudatus Urbanus denegavit Joanni Arbogasti, comiti de Thun.. petenti, ut cum secunda uxore avi materni, quam prægnantem reddiderat, matrimonium contraheret; et repetitis per comitem præfatum supplicationibus, stetit in decretis. Prævio itidem voto ejusdem S. congr. idem Pontifex, anno 1642, indulgere noluit Ægidio Ermans, diœc. Ipren. ut in uxorem duceret ejus privignam; et anno 1658, cum Ant. Bernard et Joa. de Rubeis supplicassent, cum ipsis dispensari, ut matrim. contrahere possint, non obstante, quod essent conjuncti in primo gradu affinitatis, (quippe agebatur de vitrico et privigna) et eam dictus Antonius carnaliter cognoverat; S. M. Alexander VII post auditum dictæ congr. votum, die 28 Mart. dispensationem denegavit. Nostrisque temporibus san. mem. Benedictus XIII inhærendo voto congregat. particularis, de qua meminimus, indulgere noluit vitrico cuidam, ut matrimonium cum privigna contraheret... Quemadmodum, nunquam super hujusmodi impedimentis primi gradus affinitatis in linea recta usque ad eorum tempore Pontifices dispensasse testatur Diana... etc.... Et licet Bassæus... testetur, Pontifices aliquando similes dispensationes concessisse, nihilominus id affirmat, sed non probat. Cornelius a Lapide in III, *Reg.*, cap. 2, (ait), quod talis dispensatio semper fuit denegata.... » Sic Rigantius ad regul. 49 *Cancell.* (*ut supra*), num. 18 et seqq.

Digitized by Google

tia, aut ineptitudine necessariorum, et in femina talis vasis arctitudo, ut a viro penetrari nullatenus possit. *Secunda* est illa, quæ provenit non ex naturæ defectu, sed ex maleficio, vel hominis opera, qualis reperitur in maleficiatis, castratis et hujusmodi. Secundo dividitur in perpetuam et temporalem. (31. *Perpetua* est illa, quæ non potest tolli, aut superari, nisi cum mortis periculo, aut miraculo, aut gravi peccato per media illicita. *Temporalis* est illa, quæ per media artis medicæ, aut Ecclesiæ, v. g. per exorcismos, aut alia media spiritualia potest aliquando tolli, aut superari; argum. capit. *Fraternitatis* 6, De frigidis et maleficiatis. (32. Tertio dividitur in absolutam et respectivam. *Absoluta* est illa, quæ reperitur in viro per ordinem ad quascunque mulieres, aut in muliere per ordinem ad quoscunque viros. *Respectiva* est illa, quæ solum constituit impotentem per respectum ad determinatam personam, et non ad alias.

(33. Impotentia perpetua, sive fuerit naturalis, sive accidentalis, sive absoluta, sive respectiva, dirimit matrimonium contrahendum, tum jure ecclesiastico, tum jure naturæ. *Communis*. De jure enim ecclesiastico constat ex cap. *Accepisti* 1, cap. *Quod sedem* 2, c. *Ex litteris* 3, cap. *Laudabilem* 5, cap. *Fraternitatis* 6, et cap. *Litteræ* 7, De frigidis et maleficiatis. De jure naturæ inde patet, quod de essentia et intrinseca ratione matrimonii sit obligatio ad reddendum debitum, et traditio corporis apti ad congressum materialem, seu copulam conjugalem; sed perpetuo impotens ad copulam non potest se obligare ad eam: *Impossibilium enim nulla est obligatio;* leg. *Impossibilium* 185, De regulis juris; et c. *Nemo potest* 7, De regulis juris, in 6, etc. (34. Dicitur autem notanter *matrimonium contrahendum*, quia si talis impotentia superveniat post matrimonium jam contractum, ipsum non dirimit, ut tenet Communis doctorum, textu expresso in cap. *Hi qui* 25, caus. 32. quæst. 7.

(35. Impotentia perpetua antecedens dirimit matrimonium, sive fuerit antecedenter cognita, sive ignorata; Navarr. in *Manual.*, c. 22, disp. 60. Coninch., n. 31, dub. 7, n. 79; Bonacina, *De matrimon.*, quæst. 7, punct. 3, proposit. 3, n. 12; Rosignol., controv. 15, *De matrim.*, 11, prænot. 17, n. 5; Panormilanus, Hostiensis, et Innocentius in cap. *Consultationi* 4, De frigidis et maleficiatis; Pirhing., lib. IV *Decret.*, tit. 15, n. 9. Reiffenstuel, *ibid.*, n. 61; Henno, tom. II, tract. *De matrimon.*, ultim. artic. 6, et alii passim contra paucos. Et ratio est, quia talis impotentia, sive cognita, sive ignorata, est semper contra naturam, et essentiam matrimonii, quia excludit traditionem corporis apti ad copulam conjugalem; quæ traditio corporis apti est de essentia matrimonii: licet enim usus matrimonii non sit de ejus essentia, potentia tamen ad usum est ipsi essentialis, ut recte docet S. Thomas in 4, dist. 34, qu. unic., art. 2. ad 1, ibi: « Quamvis actus carnalis copulæ non sit de essentia matrimonii, tamen potentia ad hoc est de essentia ejus »: et idem *ibidem* docent Scotus, Richardus et Durandus.

(36. Neque obstat, quod, qui novit impotentiam alterius, videatur juri suo renuntiare, si cum eo contrahat ac proinde subsistere matrimonium. Non obstat, inquam, quia, cum cessio illa sit juris ad subtantiam matrimonii contractus spectantis, admitti non potest, sicuti nec cessio, qua quis matrimonium contrahens, indissolubilitatis juri cedere præsumeret. (37. Unde merito Sixtus V, constitut. incip. *Cum frequenter*, decrevit hujusmodi matrimonia, sive contracta cum scientia, sive cum ignorantia, nulla, irrita et invalida penitus esse, ibi: « Fraternitati tuæ per præsentes committimus et mandamus, ne conjugia per dictos et alios quoscunque eunuchos et spadones utroque teste carentes cum quibusvis mulieribus defectum prædictum, sive ignorantibus, sive etiam scientibus, contrahi prohibeas, eosque ad matrimonia quomodocunque contrahenda inhabiles auctoritate nostra declares, et tam locorum ordinariis, ne hujusmodi conjunctiones de cætero fieri quoquomodo permittant, interdicas, quam eos etiam, qui sic de facto etiam matrimonium contraxerint, separari cures, et matrimonia ipsa sic de facto contracta, nulla, irrita et invalida esse decernas. » Hinc, si hæc verificantur, non obstante scientia inter eunuchos, cur verificari non debent, non obstante eadem scientia inter perpetuo impotentes? De utrisque enim militat eadem ratio. Eo vel maxime, quod Sixtus V in ead. cit. const. expresse declarat, impotentes minime esse aptos ad contrahendum, ibi: « Secundum canonum sanctiones, et naturæ rationem, qui frigidæ naturæ sunt et impotentes, iidem minime apti ad contrahendum reperiuntur. »

(38. Unde post dictam Sixti V constitutionem eunuchi, et quicunque perpetuo impotentes nequeunt contrahere matrimonium cum impedimenti seu impotentiæ consciis, neque ad societatem vitæ, et caste vivendum per modum fratris et sororis; Sanchez, lib. IX, disp. 97, ubi hanc vocat certissimam; Dicastill., disput. 7, dub. 43, ubi vocat omnino veram, Tannerus disp. 9, quæst. 4, n. 136, ubi vocat certam, Perez, disp. 37, sect. 1, ubi hanc dicit esse communem sensum totius scholæ. La Croix, l. VI, p. III, n. 785; ubi vocat communissimam, Sporer t. III, p. IV, c. 1, sect. 1, n. 123, ubi dicit sic sentire doctores communissime contra Pontium apud Dianam, part. IV, tract. 4, resolut. 75. Et ratio nostra, ultra fundamenta adducta a citatis doctoribus, est, quia citata constitutio Sixti V absolute definit, impotentiam esse impedimentum dirimens matrimonium, et nihil distinxit quoad hunc, vel illum usum, ubi autem lex non distinguit, neque nos distinguere debemus; cap. *Quia circa* 22, De privilegiis, et leg. *De pretio*, ff. *De Publiciana in rem actione.*

(39. Eunuchi autem, et spadones unico tantum testiculo carentes valide, et licite matrimonium contrahere possunt. *Communis*

Digitized by Google

arg. cit. constitut. Sixti V. Cum enim dicantur esse invalida matrimonia inita per eunuchos et spadones utroque teste carentes videtur sequi, quod, si unico tantum teste careant, possint valide et licite contrahere. Et stat ratio, quia, licet ipsi sint minus potentes, sunt tamen vere potentes, ad actum conjugalem, et ad generationem, ut praxis, et experientia docet. (40. An autem, et quomodo hermaphroditi possint valide et licite matrimonia contrahere? *Vide* verb. HERMAPHRODITUS.

(41. Impotentia temporalis non dirimit matrimonium; *Communis*, textu expresso in cap. *Fraternitatis* 6, De frigid. et maleficiat. (42. In dubio autem, an impotentia sit temporalis, vel perpetua, conceditur a jure integrum triennium ad faciendum experimentum, si possit nec ne haberi perfecta copula, textu expresso in c. *Laudabilem* 5, et cap. *Litteræ* 7, De frigid. et maleficiat. Et hoc triennium debet computari a die attentatæ copulæ, non vero a die contracti matrimonii; *Glossa* in cit. cap. *Laudabilem*, verb. *Celebrati*; Sanchez, l. VII, disp. 110, n. 1, ubi testatur de communi; cum enim in dicto c. *Laudabilem*, dicitur *a tempore celebrati conjugii*, supponitur ex tunc attentatam fuisse copulam, quia dictum triennium conceditur ad experiendum an impotentia perpetua adsit nec ne? hoc autem experimentum inchoatur sola copulæ attentatione, adeoque, etc.

(43. Si, facto tali experimento, ambo conjuges in foro externo fateantur adesse impotentiam perpetuam ex parte unius, non potest illorum matrimonium, nec propria, nec judicis auctoritate annullari, nisi prius sit facta legitima probatio ad præscriptum sacrorum canonum. *Communis*, arg. cap. *Accepisti* 1, De frigid. et maleficiat. (44. Sacri autem canones præscribunt, in tali casu requiri juramentum viri, quod serio per tale tempus tentarit copulam, et mulieris, quod etiam conata sit, nec impedierit. Item jurare debent ex parte cujuslibet conjugis septem propinqui, vel, his deficientibus, septem vicini, et sic inter omnes quatuordecim bonæ famæ, quod credant conjuges verum affirmare, textu expresso in c. *Litteræ* 7, De frigid. et maleficiat., et concordat cap. *Laudabilem* 5, eod. (45. Si vero unus conjugum neget, et alter affirmet impotentiam perpetuam, tunc non requiruntur quatuordecim propinqui, seu ex qualibet parte septem, sed sufficiunt, et adhibendi sunt solum septem ex parte affirmantis; Hostiens., Joan. Andreas, Ancharanus in cit. c. *Laudabilem* 5, De frigid. et maleficiat; Rosignol., *loc. cit.*, n. 49; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 51. Sanchez, l. VII, disp. 109, n. 13, et alii passim, arg. cap. *Proposuisti* 4, De probation.

(46. Si, elapso triennio, vir dubie impotens neget copulam perfectam habitam esse, mulier vero id affirmet et non appareant certa signa impotentiæ, sed solum ambigua et dubia, debet credi uxori affirmanti, et pronuntiari pro valore matrimonii; Sic Joan. Andreas, et Ancharan. in cit. cap. *Laudabilem*, n. 4; Sanchez, lib. VII, disp. 109, n. 9, et communis aliorum; et ratio est, quia id exigit favor matrimonii; arg. cap. final. *De sentent. et rejudicat.*, et juxta regul. 65 juris, in 6, *In pari... causa potior est conditio possidentis.* (47. Item, si, elapso triennio, mulier neget copulam perfectam habitam esse, et vir dubie impotens affirmet, si non appareant certa signa impotentiæ, sed solum dubia, debet credi viro affirmanti, et pronuntiari pro valore matrimonii; arg. cap. *Si quis* 3, caus. 33, q. 1, et cap. *Accepisti* 1, De frigid. et maleficiat., et tenent Pirhing., lib. IV, tit. 15, n. 14; Engel *ibidem*, n. 6; Reiffenstuel, n. 49; Sanchez, lib. VII, disput. 109, n. 2, et alii passim.

(48. Si impotentia antecedens sit perpetua certo sic cognita per inspectionem corporum, ut posse et debere fieri innuere videntur cap. *Fraternitatis* 6, et cap. *Litteræ* 7, De frigid. et maleficiat., cap. *Proposuisti* 4. et cap. *Causam matrimonii* 14, De probationibus, vel aliunde talis impotentia sit simpliciter evidens, matrimonium debet statim declarari nullum, absque concessione triennii ad faciendum experimentum, et absque interpositione juramenti propinquorum et conjugum, quod copulam perfectam nunquam habuerint; quando enim evidenter constet de impotentia, evidens est etiam, matrimonium esse nullum et consequenter conjuges putativos separandos esse ab omni commercio carnali et posse conjugem potentem, cui voluerit, nubere; *Communis* cum Abbate in cap. *Fraternitatis* 6, De frigidis et maleficiat., n. 11, et Sanchez lib. VII, disp. 103, n. 7. (49. Si per inspectionem, vel aliam probationem non habeantur signa physice certa, et simpliciter evidentia de impotentia, sed solum verisimilia et quasi moraliter certa, tunc potest quidem et debet declarari nullum matrimonium, non exspectato triennali experimento: Ast debet uterque conjux jurare nunquam potuisse habere perfectam copulam, et de eorum digna credulitate debent jurate affirmare quatuordecim propinqui, aut vicini bonæ famæ, scilicet septem ex parte utriusque conjugis; Sanchez lib. VII. disp. 107, n. 4; Engel, lib. IV *Decret.*, tit. 15, n. 6; Reiffenstuel, *ibid.*, n. 43; La Croix, l. VI, par. III, n. 787, et alii passim; arg. cap. *Laudabilem* 5, De frigid. et maleficiat. (50. Si post inspectionem, aut aliam probationem non habentur nisi signa dubia de impotentia perpetua, præter dictum juramentum conjugum et propinquorum, requiritur etiam triennale experimentum; *Communis*, textu expresso in c. *Litteræ* 7, De frigid. et maleficiat., et concordat cap. *Laudabilem* 5, eodem.

(51. Si quando certo et evidenter constat de impotentia perpetua, dubitatur autem, an præcesserit matrimonium, vel illo jam contracto supervenerit? si sit impotentia naturalis, seu intrinseca, præsumitur præcessisse; Sanchez, l. VII, disp. 103, n. 5. Gutierez, *De matrim.*, c. 116, n. 2., et communis aliorum; arg. cap. *Litteræ* 7, De frigidis

Digitized by Google

et maleficiat.; et ratio est, quia, quod a natura inest, semper inesse videtur, et consequenter etiam antecedenter inesse præsumitur, ut late probat Menochius, *De præsumptionibus*, l. I; præsumpt. 14, n. 3. Si vero sit impotentia accidentalis, seu extrinseca, ut proveniens ex maleficio, aut mutilatione membri et hujusmodi, et conjux potens, solum multo et longo tempore elapso post contractum matrimonium, conqueri et reclamare incipit de impotentia alterius, in foro externo præsumitur eam fuisse subsecutam; Sanchez lib. VII, disput. 103, n. 6 et seq; Guttierez, *De matrim.*, cap. 116, n. 2; Rosignol, *loc. cit.*, n. 63. Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 30, et alii passim; arg. cap. *Accepisti* 1, De frigid. et maleficiat., ibi: « Quia si proclamare voluit, cur tandiu tacuit, cito enim, et in prævio tempore scire potuit, si secum coire potuisset. » Si autem conjux potens brevi tempore, uno vel altero mense post contractum matrimonium, statim conqueri et reclamare incipit de impotentia alterius, præsumitur eam præcessisse. Ita doctores citati, arg. cit. cap. *Accepisti*, ibi: « Si autem statim in ipsa novitate post mensem, aut duos, ad episcopum, aut ejus missum (*id est vicarium*) proclamaverit, etc. »

(52. Dato casu quo ob præsumptam et allegatam perpetuam impotentiam dissolvatur matrimonium, et conjux præsumptus et allegatus impotens contraxerit cum alia et cum ipsa perfectam copulam habuerit, comperto errore, est dissolvendum secundum matrimonium et reintegrandum primum; *Communis* textu expresso in cit. cap. *Laudabilem* 5, et cap. *Fraternitatis* 6, De frigid. et maleficiat. (53. Excipitur autem *primo* quando impotens factus est postea potens per solum miraculum qui ex eo, quod impotens reddatur potens per miraculum, non sequitur impotentiam fuisse temporalem. *Communis* arg. cap. *Fraternitatis* 6, De frigid. et malefic. (54. Excipitur *secundo* quando impotentia tollitur ope dæmonis aut per media illicita, v. gr. incantationem et hujusmodi, quia impotentia, quæ naturali et licito modo tolli nequit, censetur perpetua, quamvis tollatur modo illicito. *Communis* arg. cit. cap. *Fraternitatis*. (55. Excipitur *tertio* quando impotentia perpetua est respectiva, v. gr. ob arctitudinem vasis determinatæ mulieris, quia respectu hujus est et manet matrimonium nullum, quamvis cum alia postea latius vas habente, copulam perfectam habere possit et consequenter matrimonium valide contrahat; respectu enim illius mulieris vas nimis arctum habentis habet impotentiam perpetuam, unde ab ipsa remanet perpetuo solutus; Sanchez, lib. VII, cap. 99, n. 18; Henricus, in cap *Fraternitatis* 6, De frigid. et malefic., n. 12; Rosignol., *loc. c.* n. 57; Reiffenst. *loc. c.*, n. 59, et alii passim. (56. Excipitur *quarto* quando impotentia provenit ex maleficio et cum priori conjuge factum est triennale experimentum et habitæ sunt omnes aliæ probationes a jure præscriptæ, quia frequentissime accidit maleficia perpetua fieri ad causandam impotentiam respectu certæ tantum personæ et non omnium, *Glossa* communiter recepta in cap. *Accepisti*, verb. *Reparare*, et cap. *Laudabilem*, verb. *Separentur* et verb. *Redire*, et cap. *Litteræ*, verb. *Cognoscendis*, De frigid. et maleficiatis; Abbas, in cit. cap. *Accepisti*, n. 7; S. Thomas, in 4, dist. 35, quæst. unica, art. 3, in cap. *Si per sortiarios atque maleficos* 4, caus. 33, q. 1.

(57. Steriles et senes possunt valide matrimonium contrahere, dummodo natura, vel arte capaces sint ad habendam perfectam copulam; Sanchez lib. III, disp. 92, n. 26, Engel, lib. IV *Decretal.*, tit. 15, n. 3; Reiffenstuel, ibid. n. 17 et 18; Pirhing, ibid., n. 3, et communis aliorum. Tunc enim matrimonium est in remedium concupiscentiæ, qui est finis secundarius et minus principalis ob quem etiam fuit institutum, juxta illud Apostoli *I ad Corinth.* VII: *Melius est nubere quam uri.* Unde senex annorum 73 qui votum castitatis emiserat, petiit et obtinuit dispensationem ducendi uxorem ob periculum incontinentiæ, a sacra congr. Concil. in *Senonensi* 28 Septembr. 1686, l. XXXVI *Decret.*, fol. 472, apud Ursayam in *Miscellaneo*, 1, *Sacr. et profan.*, verb. *Senex*, n. 133. (58. Moribundi possunt, imo quandoque tenentur contrahere si id exigat honor concubinæ, aut proles legitimanda, aut etiam propriæ animæ salus, quæ ob nimium affectum erga concubinam periclitatur ex eo quod non possit habere serium propositum eam dimittendi, quia licet non sint actualiter copulæ capaces, supponitur tamen ordinariam, nisi aliud probetur, potentiam generandi tantum esse impeditam et non ablatam; Sanchez, *De matrim.* lib. VII, disp. 105, n. 3; Joan. Andreas in cap. *Tanta*, n. 2, *Qui filii sint legitimi*, et ibi Antonius, n. 14; Ancharanus, n. 4, notabil. 2; Cardinal., n. 6; Præpositus, n. 8; Barbosa, n. 8; Pirhing, *loc. c.* n. 6; Reiffenstuel, *loc. c.*, n. 20, et communis aliorum, ut testatur Barbosa *loc. citato*.

(59. *Clandestinitatis* impedimentum est, *si parochi, aut duplicis desit præsentia testis*; concil. Trident. sess. XXIV, *De reform. matr.*, cap. 1, ibi: « Qui aliter quam præsente parocho vel alio sacerdote de ipsius parochi, seu ordinarii licentia et duobus, vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et hujusmodi contractus irritos et nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit et annullat. » (60. Ad valorem igitur matrimonii requiritur præsentia parochi proprii; concil. Trid. *loc. c.*, *Qui aliter quam præsente parocho*, et quidem proprio, ut expresse habetur ab eodem concilio in cit. cap. 1, ibi: « A proprio contrahentium parocho. » (61. Nomine parochi non solum veniunt ipsi parochi, sed etiam papa in toto orbe, legati a latere, et nuntii in suis provinciis, cardines in suis titulis, episcopi et vicarii generales in suis diœcesibus, archiepiscopi, dum actu visitant diœceses suffraganeorum et dum ad eos fit appellatio contra episcopum suffraganeum nolentem aliquos matrimo-

Digitized by Google

nialiter conjungi, vicarius capitularis sede vacante, abbates Ecclesiarum nulli episcopo subjectarum, et omnes sacerdotes sive sæculares, sive regulares a supradictis respective delegati; *communis* cum Barbosa *super Trident.*, sess. XXIV, *De reform. matrim.*, cap. 1, et lib. II *De offic. et potest. episcop.*, allegat. 33.

(62. Sufficit parochus proprius alterutrius sponsi. *Communis.* Sic enim declarasse sacram congregationem concilii referunt Sanchez, lib. III, disp. 19, n. 4; Bosco, *De matrim.*, disp. 11, sect. 9, concl. 13; Fagnan., lib. I, *Decret.*, cap. *Quoniam*, De constit., n. 5; Reiff., lib. IV *Decret.*, tit. 3, n. 56 et alii. (63. Et est validum matrimonium etiamsi unus parochus assistat in parochia alterius, quamvis diversæ diœcesis, v. gr. parochus viri, seu sacerdos ab ipso delegatus in parochia mulieris, et econtra; sic declarasse sacram congregat. conc. refert Pignatell., tom. V, consult. 79, a n. 16, ubi adducit ipsasmet declarationes, et La Croix, lib. VI, part. 3, n. 731, ubi adducit sacr. congreg. declarationem, et tenent passim doctores. (64. Imo potest proprius parochus assistere matrimonio suorum parochianorum in alterius parochia sine licentia parochi illius loci in quo assistit; Hurtado *De matrim.*, disp. 5, difficult. 6, n. 22, ubi extendit etiam extra episcopatum, Sanch., Salzed., Spinol., Passerin., Coninchius, Reginaldus, Bonacina, Guttierez, cum Barbosa *De offic. et potest. episcop.*, lib. II, alleg. 34, n. 95, et *De offic. et potest. parochi*, part. II, cap. 21, n. 58, et super concilium sess. XXIV, *De reformat.*, cap. 11, n. 71, et ita etiam tenent Bosco, *De matrim.*, disp. 21, sect. 9, conclus., 11, n. 406; Castropal., *De sponsalibus*, disp. 2, punct. 13, § 9, n. 3; Perez, *De matrim.*, disp. 49, sect. 2, n. 7; Pirhing, lib. IV *Decret.*, tit. 3, n. 15; Reiffenstuel, *ibid.*, n. 63, ubi testatur de communi contra Pontium, qui l. I, *De matrim.*, c. 16, n. 4, affert pro sententia contraria declarationem sacræ congreg. quæ tamen, ut recte respondet Sanchez, *loc. c.*, n. 19; Bosco, *loc. c.*, n. 408; Reiffenstuel, *loc. c.*, n. 64, et alii, intelligenda sunt de sola illicita solemni, præsertim cum benedictione sacerdotali, quia talis solemnis assistentia fit cum quodam quasi strepitu judiciario illicito in territorio alterius. Et dato quod tales declarationes militarent etiam contra valorem matrimonii, respondetur eas esse correctas ab alia subsequenti declaratione recentiori, prout testatur Fagnanus in cap. *Quod nobis* 2, De clandestina desponsat., n. 53, addens, Sanctissimum, audita relatione opinionum congregationis statuisse, quod ita in futurum respondeatur, nulla habita ratione alterius decisionis editæ 15 Dec. 1574.

(65. Quinimo non solum valide, sed etiam licite de jure potest proprius parochus alterutrius sponsi assistere matrimonio privatim, et absque solemnitate et benedictione publica celebrato in aliena parochia; Perez, *De matrim.*, disp. 40, sect. 2, n. 7; Sanch., lib. III, disp. 19, n. 18; Guttierez, *De matrim.*, cap. 63, n. 6; Castropalao, *loc. c.*, disp. 2, punct. 13, § 9, n. 5; Bosco, *loc. c.*, conclus. 13, n. 11; Reiffenstuel, *loc. c.*, n. 65 et alii plures contra Pontium et alios. Et ratio est quia nullo jure talis assistentia est prohibita si fiat privatim et sine solemnitate publica; concilium enim Tridentinum ad valorem matrimonii solum requirit quod fiat in præsentia proprii parochi, non vero ut fiat in propria parochia eo quod per solam assistentiam, ubicunque matrimonium celebretur, jam vitatur clandestinum matrimonium adeoque finis concilii servatur. Et sacr. congreg. Concil. declaravit posse proprium parochum assistere matrimonio etiam in aliena parochia, ut patet ex dictis supra n. 63 ut refert etiam Fagnan. in lib. I. *Decret.*, cap. *Quoniam*, De constit., n. 25. Nec potest dici quod illicite assistat cum nemo possit extra proprium territorium jurisdictionem exercere; argum. cap. final. *De constitutionibus* in 6. Non valet, inquam, quia talis assistentia non est actus pertinens ad jurisdictionem contentiosam, imo neque ad voluntariam ut recte notant doctores cum Barbosa *loc. c.* (66. Proprius autem parochus est parochus habitationis, seu domicilii, seu quasi talis, nec sufficit parochus originis, nisi etiam sit habitationis. *Communis* cum Bosco *loc. c.*, concl. 11, n. 400, ubi asserit sic declarasse sacr. congreg. conc.

* Hinc paucis ab hinc annis magna orta est controversia inter parochum sponsæ ex una et sponsi parochum ex alia parte. Nam cum pridie quam nuptiæ celebrarentur sponsa ad sponsi domum se contulisset eum invisendi gratia nimbis pluviisque impedita ne ad paternam domum rediret simul cum matre in domo sponsi pernoctavit. Die sequenti accito parocho sponsæ in sacello domestico ipsius sponsi coram illo celebratæ sunt nuptiæ. Sponsi parochus matrimonium illud nullum esse statim affirmavit; quia celebratum coram parocho neque proprio sponsi ut patet neque proprio ipsius sponsæ, quippe quæ pridie jam mutaverat domicilium; ergo coram parocho omnino alieno. Contra vero parochus sponsæ decertabat pro validitate matrimonii quia sponsa licet corpore nondum tamen animo ea nocte domicilium mutaverat, eademque ratione in domo sponsi pernoctaverat, qua pernoctaverat ejus mater, utraque nempe tanquam mere hospes. Quod alio argumento confirmabat. Nam si de facto sponsa in domo sponsi ea nocte occubuisset, jus funeris non ad sponsi parochum, sed ad ipsum parochum sponsæ spectasset. Ergo parochus sponsæ nondum amiserat suum jus respectu matris*.

(67. Proprius parochus valide et licite assistit matrimonio, etiamsi nondum sit sacerdos; sic declaravit sacr. congreg. Conc. in *Abulensi* 12 Mart. 1593, lib. VII *Decret.*, fol. 193, apud Monacell. tom. II, tit. 16, formul. 2, n. 34, et apud Piton., *Constit. ad parochos*, num. 160, et jam propter talem declarationem tenent Reiffenstuel, *loc. c.*, num. 70; Sanchez, lib. III, disp. 20, a num. 3; Pontius, lib. V, cap. 17, num. 1; Barbosa in *Conc. Tr.*,

Digitized by Google

sess. XXIV, *De reform.*, cap. 1, num. 81 et 88, et *De offic. et potest. episcop.*, alleg. 32, n. 101, et *De offic. parochi*, cap. 21, num. 51, cum plurimis ibi citatis et alii communiter contra nonnullos a Sanchez citatos. (68. Licentia tamen assistendi matrimonio non potest concedi alicui, qui non sit sacerdos; Sanchez, lib. III, disp. 20, num. 10; Layman, lib. V, tract. 10, part. II, c. 4, n. 6; Palao, *De sponsalib.*, disp. 2, punct. 10, c. 5; Reiffenstuel, *loc. c.*, n. 81, et alii passim; arg. conc. Trident., *loc. c.*, ubi expresse requirit ut deligendus sit sacerdos, ibi: *Vel alio sacerdote.*

(69. An affectante parocho non audire verba, vel non videre nutus attentantium clandestine contrahere matrimonium, et revera illa non audiente, vel istos non vidente, validum sit matrimonium coram ipso attentatum? Variant doctores. Affirmativam sententiam inter alios tenent Fagnanus in cap. *Quoniam* 13, De constitutionibus, n. 25, et in cap. *Quæsitum est* 7, De pœnitentiis et remissionib., n. 7, testans sacram congregationem declarasse « validum esse matrimonium contractum coram parocho etiam invito, et per vim adhibito, quamvis nihil eorum, quæ agebantur, vidit et intellexit, si affectavit non intelligere, ut in parocho, qui obturaverit aures suas, ne audiret. » Riccius, in *Prax. for. eccles.*, resol. 213, n. 3, Pontius, *De matrim.*, lib. 1, cap. 25, sub n. 12; Bossius, eodem tract., cap. 3, n. 22; Leander, *Oper. moral.* tom. II, tract. 9, disp. 7, qu. 50; Barbosa, *De potest. episcop.*, part. II., alleg. 32, n. 83, et 85, *De officio parochi* par. II, c, 21, num. 47 et 49, et *ad concil.*, sess. XXIV, *De reform. matrim.*, c. 1, n. 73 et 75. card. de Luca in *annot. ad conc.*, disc. 26, num. 4 et sequent., Natal. Alexand. in *Theolog. dogmat.*, t. II. regul 10, in fin., fol. 26, quos omnes citat, et sequitur Rota *in Romana matrim.* 4 Febr. 1697, *coram Ursino*, asserens in simili matrimonio resultare ejus non intelligentiam, ab ipsius parochi positivo facto processisse, proindeque dum ipse causam dedit, quo minus intelligeret, de jure habendus est pro intelligente, dum nesciens ex quo noluit scire, vel affectavit nescire habendus est pro sciente cap. *Cum inhibitio* 3, § *Si quis vero*, De clandestina desponsat.

(70. Et in dicta *Romana* circa finem eadem Rota expresse subjungit, quod eoque magis inclinarunt DD. in hanc sententiam, ex quo ipsamet sacra congreg. conc. Trident. interpres tam antiquis quam modernis temporibus eidem sententiæ adhæsisse visa est, et signanter *in una Giennen.* 26 Jul. 1582, in qua super dubio his verbis concepto: « Quid si sacerdos nihil eorum, quæ agebantur vidit, neque audivit? S. Congregatio declaravit, non valere matrimonium, si non intellexit, nisi affectasset non intelligere: » in cujus sequelam paucis post annis *in una Ulyssiponen.* etiam consimile decretum prodiit, ibi: « Congregatio censuit, si vera sunt, quæ narrantur, et parochus affectaverit non intelligere, matrimonium valere: » et in terminis themati, de quo disputatur, proximioribus *in una Sarzanen.*, 16 Febr. 1648, ubi omissæ fuerunt denuntiationes, parochus contradicebat, et audivit tantummodo verba consensus præstiti per sponsum, dum sponsam habebat præ manibus: « Congregatio censuit matrimonium sustineri, etiamsi parochus non intellexerit verba sponsæ, dum tamen de illius consensu ex aliis signis, juxta juris communis dispositionem legitime constet? » Prout etiam *in Patavina* 16 Maii 1669; *in Tolentina* 18 Novemb. 1671, et *in Venetiar.* 11 Mart. 1673, in quibus omnibus, juxta tenorem decretorum, quæ olim in foliis authenticis circumferebantur, resolutum legebatur matrimonium valere, etiamsi parochus verba alterius ex contrahentibus non audierit, vel quia affectaverit non intelligere, vel quia ex quo terga vertit, non auscultaverit, vel quia propter iram, aut rumorem, vel quid simile audire non potuit. Et allegata præmissa resolutione *in Giennen.* firmat Fagnan. tum in cap. *Quæsitum*, De pœnit. et remissionib., n. 7 et 8, tum in cap. *Quoniam*, num. 25, De constitutionibus, una cum aliis supra allegatis; Hactenus Rota apud Ursayam to. I, par II, discept. 2, num. 11 12 et 13. (71. Negativam tamen sententiam verius sustinent innumeri classici doctores, tum theologi, tum canonistæ et signanter Pirhing, in *Jus canonicum*, tom. IV, tit. 3, § 3, num. 2; Reiffenstuel, *ibid.* num. 106; Engel, *ibid.*, sub. num. 14; Pignatell., tom. IX, consult. 133, num. 35; Panimoll., dec. 19, adnot. 1; num. 31, vers. *Vel ab altari fugam arripiat;* Monacell., tom. III, tit. 2, formul. 5, a nu. 6 ad 11; Cabassut., in *Not. Eccles.*, *Notit. ad conc. Trident.*, num. 55, et in *Prax. jur. canonic.*, lib. 3, cap. 26, sub. num. 12; Sanchez, *De matrim.*, lib. III, disp. 39, sub num. 6; Dicastill., *De matrim.*, tract. 10, disp. 19, num. 167; Tancred., *De matrim.*, lib. III, disp. 39., n. 2; Marchant., in *Tribunal. sacram. de matrim.*, tract. 1, tit. 7, quæst. 5, conclus. 2, vers. *Dices;* Rosignolus, in *Prax. theolog. legal.*, tit, *De matrim.* 1, prænot. 32, sub n. 5, et plurimi alii citati, et secuti ab Ursaya tom. I, par. II, discept. 1, num. 129, et discept. 2, num. 106 et seq., et tom. III, part. I, discept. 1, § 4, a num. 2 ad 15.

(72. Et ratio viva est, quia eo ipso quod parochus affectando non audire verba, nec videre nutus contrahentium, ipsos revera non videt, et illa non audit, non potest esse testis contracti matrimonii, ad quem effectum sub nullitatis pœna illius præsentia præscripta fuit a concilio cap. 1, sect. 24, *De reform. matrim.*, adeoque tale matrimonium tanquam deficiens in forma substantiali, hoc est in uno ex tribus testibus a concilio pro forma requisitis, nullum est in radice; et hoc verum est, sive voluntarie,

(44) Consule Ubaldi Giraldi librum, cui titulus: *Animadversiones ad Barbosam* DE OFFIC. ET POTEST. PAROCH. impress. Romæ apud Barbiellini *ad Minervam*, rem egregie pertractantem.

Digitized by Google

sive ex quocunque alio motivo nequeat parochus testificari de contracto matrimonio, eo modo quo in testamentis, in quibus deficiente, sive ex propria culpa et voluntate sive ex alio accidenti, uno ex septem necessariis testibus, illud est nullum, textu expresso in *l. Si unus* 12, *Cod. De testamentis*, et observant *Glossa* in l. 1, § *Si quis neget*, ff. *Quemadmodum testamenta aperiantur*, Fagnanus in cap. *Cum esses*, num. 37, *De testamentis*, Ursaya tom. I, par. I, discept. 2, num. 115, cum Rota et aliis ibi allegatis.

(73. Nec contra istam nostram sententiam militant resolutiones sacræ congregationis concilii allegatæ supra num. 70, pro alia sententia, quia in tantum in dictis resolutionibus sacra congregatio censuit esse valida matrimonia contracta coram parochis affectantibus, dissentientibus, contradicentibus, fugientibus, et data opera oculos, vel aures claudentibus, ne mutui consensus contrahentium nutus viderent, aut verba audirent, in quantum, istis non obstantibus, perfectissime contrahentium consensum perceperunt; et quamvis consulto, et data opera affectassent, seu finxissent non intelligere ac percipere, revera tamen intellexerunt et perceperunt mutuum actualem contrahentium consensum, ut solide et clare probat Ursaya tom. I, par. II, discept. 2, num. 169 et seq., adducens præcisa verba allatæ resolut. *in Giennen.* 26 Jul. 1582, et infra n. 186 et seq. adducens verba allatæ resolut. *in Ulyssiponen.* et sub. numer. 189 et seq. adducens verba *in* allata *Sarzanen.* 16 Februar. 1648, et infra num. 239, adducens verba *in* allata *Patavina* 16 Maii 1669, et infra sub num. 240 et seq. adducens verba *in* allata *Tolentina* 18 Novembr. 1671, et deinde n. 243, adducens verba *in* allata *Venetiarum, seu Vicentina* 11 Mart. 1673, et in hunc sensum varias sac. congr. conc. resolutiones citant, et sequuntur Bonac, tom. I, *De natura, et propriet. matrim.*, qu. 2, punct. 8, n. 20; Ledesma, in II part. D. Thomæ, quæst. 45, art. 5, fol. 201, vers. *Quo posito;* Gonzales, *ad reg.* 8 *Cancellar.*, gloss. 48, n. 7; Pignatell., tom. V, consult. 79, n. 19; Jorius, *De matrim.*, part. IV, qu. 7, *De paroch.*, n. 8; Rodriq., in *Summa*, c. 218, n. 18; De Justis, *De dispensat. matrim.*, lib. II, cap. 19, num. 98, et pluris resolvit dict. sac. congreg. Conc. signanter *in Mediolanen.* 15 Dec. 1692, *in Brugnaten.* 16 Martii 1630, in *Comen.* 2 Jun. 1674, et *in Ruremunden.* 23 Aug. 1681, apud Ursayam, tom. I, par. II, discept. 2, n. 109. Et talem esse verum, et germanum sensum resolutionum sacræ congregationis Concilii circa parochi affectationem, late ostendit d. Ursaya, tom. III, part. I, discept. 1, § 14, per tot., plurimos ad id allegans doctores, et valida fundamenta adducens.

(74. Nec valet dicere, uti prætendunt patroni contrariæ sententiæ, quod in dictis casibus parochi affectantis non audire verba, vel non videre nutus contrahentium, sufficiat sola ipsius parochi præsentia physica, seu materialis; non valet, inquam, quia talis opinio fuit expresse reprobata a sac. congreg. conc. die 6 Mart. 1700. Cum enim, mandante Innocentio XII, die 10 Januarii 1699, fuerint in dicta sacra congregatione proposita resolvenda infra scripta quatuor dubia:

I. « An parochus teneatur prohibere, et quantum in se est, positive resistere clandestinis matrimoniis? et quatenus affirmative.

II. « An ob inopinatum casum, deficientibus aliis mediis prohibendi et resistendi, peccet, vel male faciat parochus tentando fugam, claudendo oculos et aures obturando?

III. « An parochi præsentia, de qua loquitur sacrum concilium in II p. cap. 1, sess. XXIV, *De reform. matrimonii cum illis verbis;* « Qui aliter quam præsente parocho, « etc., » debeat esse moralis humano modo, vel cum advertentia, ita ut possit esse testis matrimonii actualiter, et de facto contracti, non vero voluntatis contrahendi; vel sufficiat potius sola præsentia physica et materialis?

IV. « An affectante parocho non audire verba, vel non videre nutus attentantium clandestine contrahere matrimonium, et revera illa non audiente, vel istos non vidente, validum sit matrimonium coram ipso attentatum?

« Die 6 Mart. 1700, eadem sacra congregatio Concilii, reprobata opinione quod sufficiat præsentia parochi pure physica, seu materialis, censuit providendum esse in casibus particularibus.

« J. cardinalis SACRIPANTES, præfectus.

Jo. Dominicus THOMATUS, sac C. secr.

(75. Sic refert Ursaya tom. I, part. II, n. 20 et seq. et n. 258 et seq., et 279. et seq. Qui in eadem discept. a n. 25. ad 29, ad primum ex quatuor allatis dubiis respondet cum plurimis doctoribus, *affirmative* per expressum textum generalis concilii Lateranensis, relat. in cap. *Cum inhibitio* 3, § *Sane, De clandestina desponsatione*, ibi: « Sane si parochialis sacerdos tales conjunctiones prohibere contempserit, aut quilibet etiam regularis, qui eisdem præsumpserit interesse, per triennium ab officio suspendatur, gravius puniendus, si culpæ qualitas postulaverit: » quæ conciliaris sanctio fuit expresse renovata per concil. Trid., sess. XXIV, *De reform. matrim.*, c. 1., post princip

(76. Et ibid. a n. 38 ad 32, ad secundum dubium respondet *negative*, quia ad evitandam suspensionis pœnam, et ad non committendum peccatum mortale, tenetur parochus omnibus sibi possibilibus modis clandestinis matrimoniis resistere, sicque aliis deficientibus modis, bene facit tentando fugam, claudendo aures et oculos, ut, ipse teste, advertunt fere omnes classici doctores, et Rota part. VII, recent. dec. 124, num. 17, part. VIII recent. dec. 122, per tot., et coram Rojas, dec. 431, num. 5, et resolvit sac. cong. conc. *in Comen. matrimon.* 2 Jul. 1675, ut in lib. XXVIII *Decretor.*, fol. 312.

Digitized by Google

77. Et infra a num. 33 ad 101, cum innumeris doctoribus, variisque decisionibus ac juribus resolvit tertium dubium, solide ostendendo, quod ad validitatem matrim. requiratur parochi præsentia moralis humano modo, et talis naturæ et advertentiæ, ut possit testificari de matrimonio de facto coram ipso contracto; et nullimode sufficiat ejus præsentia pure physica, seu materialis, ut pluries censuit sacr. congregat. concil. et signanter *in Lauden. matrimon.* 28 Jul. 1678, in qua nullatenus pro valido canonizare voluit matrimonium coram episcopo materialiter et physice præsente contractum, et novissime *in Romana matrimonii*, die 6 Martii 1700, absolute reprobavit « opinionem, quod sufficit præsentia parochi pure physica et materialis. »

78. Et ultimo *ibidem* a num. 103, usque in finem, plurimis adductis rationibus, decisionibus et auctoribus, ad quartum dubium respondet *negative*.

79. Nec supradictis obsistunt duæ, quæ solent allegari, resolutiones sacræ congregationis Concilii. Una *in Romana matrimonii*, 6 Aug. 1706; et alia *in Amerina matrimonii*, 15 Decemb. 1714 et 12 Januar. 1715; ac si dicta sacra congregatio Concilii, recedendo a prioribus aliis resolutionibus, et præcipue a dicta *Romana* 6 Mart. 1700, in ea fuerit opinione in dd. *Romana* et *Amerina* ut sola physica parochi præsentia pro matrimonii validitate sufficiat, utque affectante parocho non audire, et revera ex ipsius facto, seu affectatione, non audiente consensum contrahentium, adhuc matrimonium sit validum. Tales enim sacræ congregationis resolutiones nihil officiunt, quia in tantum ibi sacra congregatio censuit validum esse matrimonium, non obstante affectatione parochi, in quantum, non obstante, quod parochus data opera, et consulto affectasset seu finxisset non intelligere ac percipere, revera tamen intellexit et percepit mutuum actualem contrahentium consensum, ut clare ostendit D. Ursaya, tom. I, p. II, discept. 2, a n. 245 ad 253.

80. Hinc manifeste apparet nullatenus recessisse dictam sacram congregationem ab allegata supra num. 74 resolutione, *in Romana* 6 Mart. 1700, in qua raro exemplo interfuerunt 21 eminentissimi PP., nempe eminentissimi DD. cardin. Bullionus, Acciajolus, de Carpineo, Petruccius, Colloredus, Cantelmus, De Judice, Morigia, Tanara, Cincius, S. Clementis, Sacripantes præfectus, Noris, Paulucius, Radolovicus, Sperellius, Gabriellius, Bichius, Franciscus Barberinus, de Alteriis et Sancti Cæsarei. Unde stat clarum, quod sacra congregatio concilii declaravit quidem valida matrimonia contracta coram parochis affectantibus, seu fingentibus non audire verba, vel non videre nutus contrahentium, sed in rei veritate illa audientibus, istos videntibus; nunquam vero pro validis habuit illa matrimonia contracta coram parochis, ex virtuosa et commendabili diligentia in exsequendo sanctionem generalis concilii Lateranensis cap. 51, relat in capit. *Cum inhibitio* 3° § *Sane*, De clandestina desponsatione, et confirmat. a concil. Trident., sess. XXIV, *De reformat. matrimon.*, c. 1, post. princip., affectantibus non audire verba, vel non videre nutus attentantium clandestine contrahere, et revera illa non audientibus, vel istos non videntibus, et sic nullatenus mutuum eorum consensum percipientibus. Ut enim recte dicit doctissimus Rosignolus in *Prax. theol. legal.*, *De matrimon.* 1, prænot. 32, sub n. 5, secutus ab Ursaya, cit. discept. 2, n. 265. « Omnino improbabile est quod sacra congregatio voluerit testimonium illius esse validum, qui nihil percepit eorum quæ facta sunt. Quomodo enim testificari potest de matrimonio quod non cognovit? » Et clare evincitur de mente ipsiusmet sacræ congregationis concilii, quæ in cit. *Romana*, die 6 Martii 1700, « absolute reprobavit opinionem, quod sufficiat præsentia parochi, pure physica, seu materialis, » hac viva ratione, quod non censeatur præsens, ad hoc ut de matrimonio testificari possit, nisi vere intelligat ac percipiat mutuum contrahentium consensum; arg. l. *Coram Titio* 209, ff. *De verbor. signific.* ibi : « Coram Titio aliquid facere jussus, non videtur præsente eo fecisse, nisi is intelligat; scire autem, non etiam velle is debet, nam, et invito eo, recte sit quod jussum est; » l. *Non multum* 14, ff. *De auctorit. tutor.*, ibi : « Non multum interest an adfuerit tutor, cum negotium contraheretur, an præsens ignoraverit, quale esset, quod contrahebatur; » l. *Apud Labeonem* 246, ff. *De verbor. significat.* l. *Testium* 18, *Cod.*, *De testibus* cum similibus. Hinc sic recte concludit Guttierez, *De matrimon.*, in cap. 69, n. 1, secutus ab Ursaya, cit. discept. 2, n. 65. « Cum igitur conc. Trident. ad valorem matrimonii requirat præsentiam præcise parochi, etc., intelligi debet juxta juris communis dispositionem, scilicet de præsentia more humano hoc, est cum intelligentia et advertentia actus, qui celebratur. » Vide ipsum Ursayam tom. I, part. II, disceptat. 2. per tot. et tom. III, part. I, discep. 1, per tot., ubi late et solide ad rem. *Vide infra*, n. 135.

Addenda, et notanda ex Benedicto XIV.

(In hac edit. Casin.)

« Trident. concilii decretum (sic Bened. XIV) c. 1, sess. XXIV, *De reform. matrim.*, quo statutum fuit ut matrimonium coram proprio parocho, aut alio sacerdote de ejusdem parochi, aut episcopi licentia, et duobus testibus celebretur, ita ut matrimonium aliter celebratum, irritum sit, occasionem aliquando dedit episc. postulandi (varia de hac re). Quare... quædam tantummodo responsa hoc loco adjiciemus, quæ data fuerunt episcopo Giennensi an. 1581, et relata habentur lib. III *Decretorum*, pag 59 et seq. Episcopus siquidem, Ecclesiæ suæ statum referens, nonnulla dubia discutienda proposuit; quorum hoc *primum* fuit : « Utrum prohibitione « facta ab ordinario ne parochus aliquos de« sponsaret, ita tollatur jurisdictio ipsius pa-

Digitized by Google

« rochi, ut ad contrahendum matrimonium « contra talem prohibitionem, non sit legiti- « mus parochus. Huic autem talis fuit data « responsio : Valere matrimonium contra- « ctum coram parocho, cui interdictum est ab « episcopo, ne interveniat. *Secundum :* Utrum « matrimonium, in quo intervenerit vicarius « parochi, non invitus, sed volens, contra « prohibitionem tantum ordinarii, sit vali- « dum, vel potius invalidum, quia non inter- « venit sacerdos habens jurisdictionem, cum « sit sublata ab ordinario. *Secundo :* Esse va- « lidum. *Tertium :* Si invitus, et compulsus « per viam adsit sacerdos, dum contrahitur « matrimonium, præcedente, vel non præce- « dente dicta prohibitione, utrum tale matri- « monium subsistat. *Tertio :* Subsistere. « *Quartum :* Si sacerdos, adfuerit, nihil tamen « eorum, quæ agebantur, vidit, neque audi- « vit, utrum tale matrimonium valide contra- « hatur, vel potius, tanquam sine sacerdote, « nullius sit ponderis et momenti. *Quarto :* « Non valere, si sacerdos non intellexit : nisi « tamen affectasset non intelligere. *Quintum :* « Si adsit sacerdos, dum contrahitur matri- « monium, casu, non cogitans se esse ad id « vocatum, sed aliud agens, audit duos inter « se contrahentes matrimonium, utrum sit « validum tale matrimonium, in quo fuit præ- « sens, non tamen certioratus, nec ad id ex- « presse vocatus, neque interponens suam « auctoritatem dicto, vel facto ; vel potius sit « nullum, quasi assistentia auctoritativa per « concilium requiratur, et non nuda, vel cau- « salis præsentia. *Quinto :* Valere, etiamsi « parochus aliam ob causam adhibitus sit ad « illum actum. » Hujus responsionis summa a Fagnano refertur in cap. *Quoniam*, n. 29 et seq. De constitutionibus, et in cap. *Litteræ*, n. 5 et seq. De matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ. Quæ vero ad quartum dubium fuit data responsio, cum alio convenit ejusdem congregationis judi- cio, edito die 29 Aprilis 1593, ut ex lib. VII, *Pceret.*, pag. 106, a tergo in quadam causa Ulyssiponensi, sacra congregatio censuit : si vera sint, quæ narrantur, et parochus affectaverit non intelligere, matrimonium valere.

« ... In supra relato decreto matrimonium illud effectu carere statuitur, cui parochus ita sit præsens, ut neque videat contrahentes, neque auribus eorum verba percipiat : eo enim casu præsentia parochi tanquam mere physica considerari debet, quæ ad matrimonii validitatem non sufficit, juxta id, quod in eadem congregatione definitum fuit in causa *Romana super dubiis matrimonium;* die 7 Martii 1700, in qua, cum ea res Innocentii XII Pontificis jussu diligenti exa- mine discussa fuisset, eorum improbata fuit opinio, qui contendebant ad validitatem matrimonii præsentiam parochi mere phy- sicam satis esse. Parochus enim interest matrimonio tanquam testis auctorizabilis pro Ecclesia ; quæ, cum in aliis duobus, aut tribus testibus, ad matrimonium rite contrahendum necessariis, non eas qualita- tes requirat quæ illos omni exceptione ma- jores constituant, uti fuse demonstrat Syl- vius *Operum* tom. V, edit. Antverp., in *Var. resolut.*, verb. *Matrimonium* 10, § *Ad secundum*, idcirco parochi præsentiam voluit, ut in illius probitate maximum veritatis fundamentum statueret ; uti colligitur ex historia dicti concilii scripta a cardinali Pallavicino, lib. XXII, cap. 4, n. 3 et n. 12. Parochus autem non potest testem agere tantæ in Ecclesia auctoritatis, nisi et videat contrahentes, et vel eorum audiat verba, vel ea non percipiens, signa saltem videat et intelligat, quæ mutuum significent utriusque partis consensum, juxta textum in citata l. *Coram*, ff. *De verbor. significat.*, cujus verba sunt hæc : « Coram Titio ali- « quid facere jussus, non videtur præsente eo « fecisse, nisi is intelligat. Itaque, si furiosus, « aut infans sit, aut dormiat ; non videtur co- « ram fecisse. » Cui conformis est can. *Testes*, 3, quæst. 9, ubi *Glossa* in verb. *Præsentia*, inquit : « Dum tamen intelligant ; nam ali- « ter non dicuntur præsentes : » et can. *In primis* 2, quæst. 1, ubi eadem *Glossa*, verb. *Præsente*, subdit : « Et intelligente ; alias « non diceretur præsens : » præter multo plura, quæ videri possunt apud Fermosi- num in tract. 2, tom. II *De offic. et sac. Eccl.*, in cap. 2 et 3, *De officio archipresbyteri*, quæst. 1, n. 63, et seq. et apud cardina- lem de Lauræa, *loc. cit.* art. 10, n. 240 et seq.

« ... Hoc igitur posito, videndos esse omnino a parocho contrahentes, eorumque percipiendum esse consensum ; aliqua tan- tummodo difficultas oriri potest ex iis ver- bis, quæ in laudato decreto leguntur *nisi tamen affectasset non intelligere* : cum enim, antea veluti pro regula statuatur, irritum esse matrimonium, si parochus conjuges non intellexerit, ea deinde subditur limitatio : « nisi tamen affectasset non intelligere. » Cujus limitationis ut verus sensus intelli- gatur, opus non est, intimam propriam- que hujus verbi *affectasset*, significationem studiosius inquirere et penetrare, quemad- modum juris civilis interpretes faciunt in l. *Quod ait lex*, § 2, ff. *Ad legem Juliam de adulteriis;* sed quoniam totum decretum iis verbis expressum est, quibus passim utitur curia, opportunius esse videtur prædicti verbi sensum, juxta communem, et usitatum in curia loquendi modum, interpretari. Af- firmarunt nonnulli, decretum illud de eo parocho intelligendum esse, qui et videt et audit, sed se nec videre, nec audire simulat. Ita sentit Neesen in suis *Tractatibus de ju- stitia et jure*, tract. 8, quæst. 6, *De sacram. matrim.*, dub. 4. « Petes, quid, si pastor « occludat aures et oculos et nolit intelli- « gere quid agatur, an matrimonium sic con- « tractum erit validum ? Respondeo, si non « intellexerit, nec adverterit quid actum sit, « tunc matrimonium non valere, quia tunc « revera non est moraliter præsens, ita ut « possit testificari de matrimonio contra- « hendo : secus dic, si advertat quid agatur, « sed affectat non intelligere, aut data opera « fingit, se non intelligere. »

Digitized by Google

« Hæc tamen verbi intelligentia minime probatur Pontio... et quidem merito; neque enim necesse fuerat decretum condere ad id stabiliendum, de quo nullum est dubium, verum scilicet et validum matrimonium iniri, ubi parochus et videt et intelligit, etiamsi se nec vidisse nec audisse mentiatur. Alii vero matrimonium irritum esse dicunt, quoties parochus revera non videt, neque intelligit contrahentes; etiamsi ideo non videat, neque intelligat, quia ipsemet consulto videre et intelligere noluit, ipseque sibi videndi et intelligendi modum ademit: ex ea nimirum ratione, quod minime poterit earum rerum, quas revera non vidit, nec intellexit, auctorizabile testimonium Ecclesiæ ferre, quantumvis ipse sibi impedimentum creaverit, ut non videret, nec intelligeret. Ita ratiocinantur inter nostros cardinalis de Lauræa... Monacellus... Giribaldus tract. 10, *De sacramento matrimonii*, cap. 7, dub. 12, n. 120.

« Hæc igitur est horum auctorum opinio, irritum semper et nullum esse matrimonium, si conjuges nec videantur, nec audiantur a parocho; idque non solum si ab extrinseca aliqua causa, externoque impedimento ademta fuerit parocho videndi, audiendique potestas, verum etiam si ipse sibi impedimentum ultro creaverit, ne videret, neque intelligeret. Itaque, re bene considerata, istorum opinio cum ea, quam superius exposuimus, sententia convenit; ut scilicet exceptio illa: *nisi affectasset non intelligere*, de eo duntaxat casu accipienda sit, quo parochus re ipsa viderit et audiverit, sed simulet falsoque asserat, se nec vidisse, nec audivisse. Alii denique affirmant matrimonium validum fore, quod celebratum fuerit coram parocho, qui si nec vidit, nec intellexit, ipse sibi in causa fuit ut non videret, nec intelligeret; propterea quod vel aures sibi obstruxerit, vel faciem velaverit, ne audire et aspicere cogeretur. Et hic verus videtur esse illius decreti sensus, sicuti colligitur ex Fagnano in cap. *Quoniam*, n. 25, De constitutionibus, et in cap. *Quæsitum*, n. 7 et 8, De pœnit. et remissionib. Neque enim ulla haberi debet ratio affectatæ ignorantiæ illius, qui cum videre et audire commode posset, ipse sibi voluntarium posuit impedimentum, ne videret, audiretque, juxta regulam textus in cap. *Cum inhibitio*, § *Si quis vero*, De clandestina desponsatione, et § final, et can. 16, dist. 37. Neque porro æquum est, ut ab arbitrio, factoque parochi pendeat, libertatem matrimonii impedire.

« Illud autem objicere minime prodest adhibendam esse a parocho industriam omnem, et diligentiam ad impedienda hujusmodi matrimonia, eumque canonicas pœnas incurrere, et signanter in suspensionem ab officio ad triennium incidere, si præsentiam præstet alicui matrimonio, quod fieri præsumatur vel sine præscriptis denuntiationibus, vel sine prævia dispensatione illius, qui super observantia earumdem denuntiationum dispensare potest: juxta decretalem in cap. *Cum inhibitio*, De clandestina desponsatione. Quamvis enim verum sit adnitendum esse parocho pro viribus, ut hujusmodi matrimonia fieri prohibeat; multoque magis eidem cavendum esse, ne eorum celebrationi voluntariam præsentiam exhibeat, ex his tamen hoc tantummodo sequitur, ut ipse data opera non debeat iis interesse, ut occasionem præstandæ iisdem assistentiæ, quantum fas est, evitare teneatur; ut, etiamsi forte circumventus aliove obtentu accersitus fuerit, contrahentes serio monere debeat, matrimonia hujusmodi sine gravi culpa celebrari non posse; sibi autem dictam esse legem, ut eosdem contrahentes, si id quod deliberarunt re ipsa perfecerint, ad superiorem deferat, a quo gravi pœna plectendi erunt; præterea se et animo, et voluntate a præstanda eorum nuptiis præsentia longe abhorrere, cum hujusmodi contrahendi ratio a sacris canonibus improbetur: at nihil necesse est aures obturare, velare faciem, aliaque hujus generis facere, quæ ad id solum valent, ut animos contrahentium aliquando scrupulis torqueant: qui scilicet, quamvis ut plurimum nesciant illicita ab invalidis distinguere, adhuc tamen non solum matrimonium, uti destinaverant, contrahere, sed etiam consummare non prætermittunt; utrumque enim perficere in animo habent, quoties, circumvento aut deprehenso parocho, coram eo proferunt verba ad mutuum consensum significandum idonea.

« Neque timendum profecto est, ne occultum remaneat matrimonium ea ratione perfectum, indeque aditus aperiatur ad celebrandum alterum matrimonium, primo illo adhuc constante atque vigente. Quamvis enim hujusmodi matrimonium sit clandestinum *de jure*, utpote astute, atque dolose sine prævis denuntiationibus celebratum, sicuti docet Sanchez... probaturque ex sequentibus verbis textus in cap. final. *De clandestin. desponsat.* : « Si quis vero hu« jusmodi clandestina conjugia inire præsum« pserit; » attamen fieri nequit, ut re ipsa, et, ut aiunt, *de facto* occultum remaneat : cum et parochus illud ad episcopum deferre, et episcopus adversus contrahentes judiciaiiter procedere debeat. Et sane quicunque humanarum rerum ignarus non est, poterit ex propria experientia testari, pleraque matrimonia, quæ in parochiali Ecclesia prævis denuntiationibus publice et rite celebrantur, nisi conjuges fuerint alicujus spectatæ familiæ, vel dignitatis, ut plurimum ignorari; at nullum fuisse clandestinum hujusmodi matrimonium coram parocho dolose accito, aut malitiose deprehenso, sine prævis denuntiationibus initum, cujus rumor et fama per universam parœciam et civitatem pervagata non fuerint, tum propter conatus a parocho ad illud impediendum adhibitos, tum propter ipsius matrimonii delationem episcopali curiæ ab eodem parocho factam, tum denique propter judiciales processus ab episcopo adversus contrahentes institutos.

« Ex hactenus dictis recte colligitur, prædicta verba : *nisi affectasset non intelligere*, de eo casu accipienda esse, quo parochus

Digitized by Google

invitus ad matrimonii contractum adhibitus, ideo nec videt, nec percipit, quia data opera neque videre voluit, neque percipere, cum tamen et videre et percipere naturaliter potuisset eadem ratione, qua testes ad eum ipsum actum adhibiti, et vidisse se et percepisse fatentur. Celebris fuit anno præterito 1753, causa *Carthaginien. matrimonii*, in concilii congregatione agitata et judicata, in qua agebatur de quodam matrimonio contracto coram parocho domi suæ inopinate deprehenso, qui virum quidem aspexerat, ejusdem verba perceperat, feminam vero nec viderat, nec audiverat. Porro, cum ex iis, qui controversiæ judices sedebant, totidem ex una parte pro matrimonii validitate, totidem vero ex alia pro illius nullitate opinati fuerint, opportunum vobis visum est congregationem ipsam coram nobis indicere, jussis prius theologis aliquot, aliisque juris canonici professoribus sententias suas hac de re scriptis exponere : qui sane, maxima diligentia ac labore, collatis inter se tum theologorum et canonistarum placitis, tum decretis ejusdem congregationis et actis similium causarum, quæ alias coram ipsa agitatæ fuerant et ab ea definitæ, in hoc facile convenerunt, ut ad matrimonii validitatem necessarium omnino esset, contrahentes a parocho videri, eorumque verba mutuum consensum exprimentia ab eodem audiri : eo scilicet principio præ oculis habito, quod, si parochus matrimonio interest tanquam testis Ecclesiæ auctorizabilis, nullo modo poterit de matrimonio contracto fidem facere, ubi nec utrumque viderit conjugem, nec utriusque consensum audierit. Sed, cum factum ipsum, de quo agebatur, accurrate perpensum fuerit, ejusque circumstantiæ omnes diligenter excussæ, manifesto compertum est quod, si parochus mulierem non vidit, ejusque verba non intellexit, hoc ideo evenit, quia ipse obfirmato animo eamdem videre et audire noluit; cum eam facile videre et audire potuisset; quemadmodum bene viderant, recteque audierant testes ad eum actum adhibiti. Itaque pronuntiatum fuit, nobisque annuentibus, sententia prodiit pro matrimonii validitate. » *De synod. diœces.*, lib. XIII, cap. 23, n. 1 et seqq. — Hæc præ oculis habeat lector, ut inde quid sit in hac controversia rite tenendum ediscat.

(81. Parochus valide assistit, etiam ex alia causa vocatus, adhibitus tamen ad illum actum. Sacra congregat. conc. apud Fagnan., in cap. *Quoniam* 13, De constitutionib., num. 25. (82. Imo etiam si episcopus illi facultatem assistendi matrimoniis interdixerit, quia parochus ex concilio Tridentino *loc. cit.* jure proprio, et non ex aliena facultate hanc assistentiam exercet, arg. l. *More majorum*, ff. *De jurisd. omnium judic.*, ibi : « Qui etiam jure suo, non alieno beneficio habent. » Et sic declaravit ead. sac. congreg. Conc. apud Fagnan. *loc. cit.*, et tenet comm. DD. teste Reiffenst., *loc. cit.* n. 72.

(83. Parochus valide assistit matrimonio, quamvis sit putativus. Sacr. congregat. Conc. 12 Mart. 1593, teste Barbosa, *De offic. et potest. parochi*, part. II, cap. 11, num. 51. (84. Item quamvis habeat suam collationem nullam ob nullitatem concursus propter defectum examinatorum synodalium. Ead. sac. Cong. *in Ceneten.* 31 Jul. 1627, apud Barbos. *loc. cit.* (85. Item valide assistit, quamvis sit irregularis, suspensus, interdictus et excommunicatus, etiam vitandus, dummodo possessionem beneficii adhuc retineat, et non sit actualiter depositus, quia talis adhuc est, et manet vere parochus, adeoque, etc. *Communis* cum Barbosa *loc. cit.* n. 52; Sanchez, *loc. cit.*, n. 4; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num 73; Fagnan., in cap. *Litteræ*, num. 20, De matrim. contracto contra interdictum Eccl., ubi refert sic declarasse sac. congr. Conc.

(86. Parochus proprius vagorum in ordine ad matrimonium est parochus illius loci, ubi vagi actu versantur, Sanchez, *loc. cit.*, num. 5, 8 et 11; Pirhing, *loc. cit.*, num. 19; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 88, et alii communiter. (87. Talis parochus valide assistit vagorum matrimonio, etiamsi ipsi ea intentione et animo, ut citius et liberius in ejus parochia copulentur, e proprio domicilio discedant, sicque aliquam quasi fraudem et dolum committant, dummodo vero et non ficto animo illud deserant et ad illud brevi redire revera non intendant. In tali enim casu non patrocinatur illis fraus, sed conditio parochiani, quam licite acquirunt. Card. de Luca, *De matrim.*, disc. 1, n. 9 et seq., dicens sæpe esse declaratum a sac. cong. Conc. talem fraudulentiam non obstare mutationi domicilii, nec invalidare matrimonium; idem docet Fagn. lib. III *Decretal.*, cap. *Significavit* 5, De parochis, n. 36 et seq., ubi affert ad rem plures sac. congreg. Conc. casus, et signanter de quodam juvene nobili et meretrice Senensi, qui timentes posse impediri in civitate Senarum, ut facilius et securius inter se matrimonium contraherent, Romam accesserunt, ibique aliquantisper commorati, coram parocho et testibus Sanctæ Anastasiæ, in cujus parochia tunc habitabant, contraxerunt, et fuit judicatum pro validitate matrimonii. Item de quodam scholari, qui Patavii quinque, vel sex menses commoratus, duxit mulierem plebeiam coram parocho loci et testibus. Item de quodam alio, qui ob eamdem causam se in Angliam transtulit, et ibi aliquantisper moratus coram parocho habitationis cum meretrice contraxit matrimonium. Item de quodam viro et muliere Trajectensi, qui timentes impedimentum a parentibus, ad vicinam urbem Aquisgranensem se contulerunt et ibi aliquandiu morati, matrimonium contraxerunt, et « Sacra congreg. Conc. respondit, quod si Aquisgranæ manserunt saltem per tempus unius mensis, danda est decisio pro validitate, alias de novo referendum in congregatione. » Ex quibus dicit Fagnanus, non videtur dubitandum quominus validum sit matrimonium contractum coram parocho habitationis post quartum habitationis mensem et in hanc

Digitized by Google

sententiam sac. congregatio respondit. Hæc ex Fagnano, *loc. cit.*, a num. 36 ad 39, inclusive. Et pro validitate matrimonii contracti in civitate, ad quam data opera se contulerunt conjuges, respondit sacra congregatio *in Cesanaten. seu Forolivien. matrimonii*, 20 febr. 1723, et *in Firmana* 24 Apr. ejusdem an. 1723. *Vide* verb. VAGUS, VAGABUNDUS, num. 4.

(88. Parochi autem quamvis vagorum matrimoniis valide assistant sine præcedenti inquisitione de eorum statu libero et habilitate ad contrahendum, tamen non possunt licite assistere, nisi prævia diligenti inquisitione et obtenta ordinarii licentia, ne forte sint alibi conjugati, aut habeant occultum impedimentum. Sic expresse statuit concilium Tridentinum sess. XIV, *De reform. matrim.*, cap. 7, ibi : « Multi sunt qui vagantur et incertas habent sedes, et ut improbi sunt ingenii, prima uxore relicta, aliam et plerumque plures, illa vivente, diversis in locis ducunt ; cui morbo cupiens sancta synodus ocurrere, omnes ad quos spectat paterne monet, ne hoc genus hominum vagantium ad matrimonium facile recipiant ; magistratus etiam sæculares hortatur, ut eos severe coerceant, parochis autem præcipit, ne illorum matrimoniis intersint, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint, et re ad ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint. » (89. Unde parochi, qui sine diligenti inquisitione præmissa et licentia ab ordinario obtenta assistunt matrimoniis vagorum, etiamsi unus tantum esset vagus, peccant mortaliter, et possunt graviter ab ordinariis puniri, quia in re gravissima agunt contra tam urgens et expressum præceptum ecclesiasticum Tridentini concilii. *Communis. V.* ante *Addit. Cas.*, ad art. 4.

(90. Matrimonium contractum ab eo, qui erat carceratus ad custodiam, vel ad correctionem, coram parocho carcerum, nullum est. Si vero contraheretur ab eo, qui esset damnatus ad carcerem in pœnam perpetuo, vel ad tempus, tunc esset validum, quia in hoc secundo casu carceratus acquirit domicilium, ut declaravit sacr. congregat. Conc. *in Farfen. matrimonii* 26 Martii 1707, quod decretum legitur impressum in statuto cleri Romani cap. 2, *De jure eligendi sepultur.*, § 4, in addit. (91. Matrimonium contractum coram capellano hospitalis nullum est. Sac. congr. Conc. *in Eugubina* 12 Aprilis 1631, lib. X *Decret.*, fol. 124, a tergo. (92. Matrimonium puellarum expositarum degentium in conservatoriis, seu hospitalibus non debent, neque possunt contrahi coram rectoribus, seu capellanis eorumdem locorum, sed coram proprio parocho, in cujus parochia sita sunt prædicta loca. Sic pluries declaravit sac. congregat. Conc. apud. Pignatell., cons. 396, tom. I, et nuper *in Suessana* 7 Septembris 1696. (93. Matrimonium contrahendum a puella educanda ad crates monasterii coram testibus et parocho Ecclesiæ parochialis, intra cujus limites situm est monasterium, validum est, etiamsi parochus fuerit alio prætextu vocatus, nisi aliud obstet. Sacra congregatio Concilii *in Turritana* 19 Decembris 1648, lib. XVIII *Decret.*, pag. 563. (94. Matrimonia contracta coram capellanis exercitus a militibus degentibus in castris et stationibus hibernis, vel æstivis, aut in expeditione etiam cum militaribus feminis sine licentia ordinarii loci, vel sine speciali facultate sedis apostolicæ, nulla sunt. Sacra congregatio concilii 6 Martii 1694. *Vide* verb. CAPELLANUS MILITUM, ubi abunde per tot.

(95. Principes, vel nobiles, quamvis per fictionem juris censeantur cives omnium urbium, et omnium paganorum sui principatus, vel dominii, non tamen possunt valide contrahere matrimonium in omnibus sibi subditis locis, sed solum in loco, ubi veram et realem habitationem habent, et coram parocho palatii, in quo ordinarie resident, quia concilium Tridentinum sess. XXIV, *De reformat. matrimon.*, cap. 1, exigens præsentiam proprii parochi, aperte intelligit de parocho proprio, apud quem vere, et non per fictionem juris contrahentes habitant in proprio domicilio. Card. de Lugo, in *Respons. moral.*, lib. I, dub. 37 ; Gobat, tract. 9, n. 947 ; La Croix, lib. VI, part. 3, n. 724 et alii ; arg. cap. *Cum quis* 3, De sepult. in 6. (96. Si autem tales principes, vel nobiles, marchiones, comites et hujusmodi duo loca, seu duas parochias æqualiter, aut fere æqualiter, inhabitant, v. gr. unam hieme, alteram æstate, possunt indifferenter coram alterutro parocho contrahere matrimonium, ita ut, si hieme contrahant, possunt contrahere etiam coram parocho æstivali, et e contra, quia uterque utroque tempore est proprius eorum parochus ; arg. c. *Cum quis* 1, *De sepult.* in 6, et l. *Assumptio*, § *Viris prudentibus*, ff. *Ad municip.* ; Guttier, *De matrim.*, c. 26, n. 4, et c. 64, n. 2, Sanch., *De matrim.*, lib. III, disp. 24, n. 3 ; Barbosa, *De potest. episcop.*, allegat. 32, et *De officio par.*, p. II, cap. 21, n. 41 ; Bonacina, in tit. *De matrimonio*, quæst. 2, punct. 8, n. 5, tom. I ; Panimoll., decis. 120, n. 29 ; Ferentill., in *Annotat. ad dec.* 713 ; Buratti, n. 14, et alii passim cum La Croix, *loc. cit.*, n. 723 ; Lugo, *loc. cit.* ; Gobat, *loco cit.*, n. 508, et Rota *in Toletana matrimonii* 10 Decembris 1615, et in *Neapolitana matrimonii* 30 Martii 1629, *coram Merlino*.

(97. Si vero non æqualiter habitent utrobique sed v. g. per septem menses in urbe, et per quinque ruri recreationis gratia, aut recolligendorum fructuum causa, invalide contrahunt ruri, quia, ut possint contrahere in utroque loco, jura requirunt æqualitatem habitationis in utroque, non quidem arithmeticam, sed saltem moralem, quæ in nostro casu non reperitur, cum dies 154 non sint numero moraliter æquales cum diebus 210. Lugo, *loco cit.*, dub. 37 ; Gobat., *loc. cit.*, n. 508 ; La Croix, *loc. cit.*, n. 723 ; Genedo, quæst. 30, n. 60, et ita firmasse sacr. congreg. Concil. testatur Garcias, *De benefic.*, par. IV, cap. 7, n. 11, ad 4 ; Panimoll., dec. 129, n. 31 ; Guttier., *De ma-*

Digitized by Google

trimon., cap. 63, n. 7; Navarr., consil. 7, n. 2, sub tit. *De clandestin. despons., in noviss.*; Menoch., consil. 378, n. 5, 16, 21, 37, et vol. IV; Sanchez, *De matrimon.*, libr. III, disp. 23, n. 12; Riccius, in *Praxi*, tom. I, resolut. 214, n. 2; Barbosa, *De potest. episcop.*, allegat. 32, n. 66, et *De offic. parochi*, part. II, cap. 21, n. 37; Bonacina, *loco citato*, n. 3; Diana, *Resol. moral.*, part. III, tract. 4, *De sacrament. resolut.* 231, et alii passim cum Rota, decis. 656, pars 1 *Divers.*, et coram Seraphin., decis. 615.

ADDITIONES CASINENSES.

Rem sane gratam facturos lectoribus putamus, si in hac de domicilio, et de parocho domicilii (hujusmodi) materia, referamus, quæ Benedictus XIV tradidit in *Inst. ecclesiastica*, 33, cujus nonnullos num. exhibebimus, ut sequitur.

« ... Primum omnium sacra congregatio ab anno 1573 hoc decretum edidit ut, quis sit proprius parochus explanaret: Cum concilium Tridentinum inter cætera præcipiat, matrimonia esse contrahenda, præsente parocho, vel alio sacerdote de ipsius parochi, sive ordinarii licentia, quæritur, quid, si contrahentes sint diversarum parochiarum, utriusque parochi præsentia requiratur, sponsine, an sponsæ, an vero utriusque, an etiam alterius parochi consensus accedere debeat. Sacra, etc., censuit, ad validitatem matrimonii sufficere præsentiam solius parochi proprii sponsæ, quando matrimonium in parochia sponsæ contrahitur, similiter sufficere præsentiam solius parochi sponsi, si modo matrimonium contrahatur in parochiæ ipsius sponsi.

« Deinde, cum de matrimonio agitur, proprium eum parochum nuncupandum censuit, in cujus parochia domicilium positum habetur, non vero illum in cujus parochia vitæ primordia suscepimus. Cum ordines rite conferri possint per episcopum non domicilii modo, sed etiam originis, ideo ad inquirendum locus oblatus fuit utrum idem ratione parochi in celebrandis matrimoniis statuendum videretur. Attamen ex ipsis concilii verbis parochus domicilii satis aperte deprehenditur, et sacri canones, cum iisdem verbis parochum quoque originis complecti voluerunt, id expresse declararunt, quemadmodum contigit, cum de sacra ordinatione sermo haberetur. His veluti fundamentis innititur unanimis scriptorum opinio, ob quam is proprius parochus pro celebrandis matrimoniis judicatur, in cujus ditione domicilium constituitur. Sanchez... Perez... Sacra Concilii congregatio hanc opinionem pariter secuta est, cum die 18 Novembris anno 1702. *Mutinensis* causa matrimonii proposita fuisset, *Salmantic...*, in qua cardinalis Bandinus Panciaticus ejusdem congregationis præfectus, suo præsertim suffragio, opinionem, quam modo exposuimus, magno studio, sapienterque tutatus est, eamque unice probandam affirmavit. His quoque rationibus adducti plurimi scriptores, eum, qui duo habet in diversis parochiis domicilia, matrimonium rite coram illo parocho inire posse fatentur, in cujus potestate tunc degit, cum matrimonium contrahitur. Illud tamen advertunt, tunc solum duobus domiciliis instructum aliquem jure appellari, cum in utroque æqualiter collocatus prudentium virorum judicio existimetur; quod etiam jur. Pontific. auctoritate probatur, c. 2, *De sepult*, in 6 : « Cum ab eo, qui duo habet domi- « cilia; se collocans æqualiter in utroque « etc.; » et ex L. *Assumptio*, § *Viris prudentibus*, ff. *Ad municipalem.* « Viris prudenti- « bus placuit, in duobus locis posse aliquem « habere domicilium, si utrobique ita se in- « struxit, ut non ideo minus apud alteros se « locasse videatur. »

« Tertio, si quis rei familiaris, aut rusticationis causa in agrum concedat, nunquam proprius parochus is nuncupari poterit, in cujus ditione rurale domicilium situm est. Qui enim ob eas causas ruri vitam degere constituit, nullam domicilii, seu quasi domicilii rationem consequitur. Pontius rurali parocho, si matrimonium agendum sit, proprii parochi nomen apte convenire arbitratur, eamque sententiam sacræ concilii congregationi attribuit, quæ Romanæ Rotæ judiciis contrarium statuentibus anteferenda est. Eamdem opinionem Leander inconsulto amplectitur; contra illos tamen reliqui fere omnes conveniunt. Et quoniam de sacræ congregationis concilii decretis mentionem faciunt, nos in medium illa proferemus, quæ ab Actis ejusdem congregationis desumpsimus, cum secretarii munere fungeremur; non ea profecto a quibusdam scriptoribus edita, qui sacræ congregationis Acta nunquam inspexerunt.

« Sacra, etc., inhærendo declarationibus alias factis, respondit, parochum ruralem non esse proprium et verum parochum, quando rus itur causa recreationis, vel pro rusticanis negotiis, ideoque matrimonium valide coram hujusmodi parocho celebrari non posse. Partibus tamen dentur declarationes antiquæ scilicet.

« *In una Florentina* sacra, etc., censuit, « quod parochus ruralis non est verus pa- « rochus, quando rus itur causa recreatio- « nis, vel pro rusticanis negotiis.

« *In Florentina* similiter respondit, paro- « chum ruralem, non esse proprium paro- « chum, ideoque matrimonium coram eo ce- « lebratum fuisse nullum.

« *In una Abulen.* sacra, etc., censuit, non « valere matrimonium contractum coram pa- « rocho loci, ubi contrahentes reperiuntur « non animo ibi domicilium contrahendi, » Die 1 Decembris 1640, lib. XVI *Decretorum*, pag. 470, a tergo a pag. 471.

« Quarto, si quis domicilium suum minime relinquens ex civitate, vel oppido, in quo degit, in alium locum proficiscatur, ibique matrimonium ineat, quin antea domicilium sibi, vel quasi domicilium comparaverit, illud omnino irritum, quia cum fraude in proprium parochum conjungitur, scriptores unanimes in hac re consentiunt,

Digitized by Google

quos clericatus recenset. Idem statuit sacra Concilii congregatio die 22 Februarii 1631: « Sacra, etc., censuit dandam esse declarationem in abstracto in forma sequenti: vir et mulier a loco suæ habitationis, absque animo illam relinquendi discedentes et ad locum alterius parochiæ solo animo illic matrimonium celebrandi, non autem domicilium contrahendi, se transferentes, ibi coram parocho illius loci matrimonium inter se contraxerunt. Supplicatur per sacram congregationem declarari, an hujusmodi matrimonium sit nullum, vel validum. Die 22 Februarii 1631. Sacra, etc. secundum ea quæ proponuntur, censuit esse nullum. » Nobis autem secretarium agentibus, cum die 13 Julii an. 1725, hæc in sacra congregatione proposita essent: « Controversia constituenda videtur in hoc, quod Antonius, qui est civis Lauretanus, quique captus amore Annæ Margaritæ, modo ad urbem Maceratensem, modo ad Montem Sanctum perrexerat et paucis diebus in illis versatus fuerat, spatio tandem duorum mensium una cum dicta Anna Margarita habitavit in loco Montis Casarii, a quo post parochi admonitiones de contrahendo cum Margarita matrimonio et prævisas difficultates de probando statu libero ejusdem, cum ex improviso discesserit et una cum duobus testibus accesserit ad terram Montis Luponi, et coram parocho hujus loci doctrinam Christianam pueros edocente matrimonium ex improviso contraxerit, et statim reversus fuerit ad terram Montis Casarii, etc., ex his inferri posse videtur ad nullitatem matrimonii. » Deinde, cum peteretur: *An matrimonium sit nullum in casu*, sacra congregatio respondit *affirmative*.

Non inficiamur eamdem congregationem, juxta consilium 254 Friderici de Senis, qui proprium parochum eum censuit, in cujus parochia quis degit, non ubi certum ac stabile habet domicilium, non semel decrevisse valida illorum matrimonia, qui ad evitandas cum parentibus altercationes, ex parochia domicilii, in alium locum demigrantes, ibi matrimonium contraxerunt; ita Fagnanus commemorat. cap. *Significavit*, n. 36, et seqq. De parochis. Advertendum tamen est, matrimonium hoc pacto ineuntes, antequam rem perficerent, domicilium in eo loco, vel quasi domicilium assecutos fuisse. Nam diu morati ibidem ante matrimonium fuerant, neque inde postea decesserunt, ut primam sedem, ac domicilium repeterent, quemadmodum Clericatus recte perpendit. Ob hanc causam sacra congregatio, cum nos ipsi secretarii titulum haberemus, quoddam matrimonium validum probavit, licet per dues Cæsenæ incolas contractum, qui, ut parentum se molestiis eriperent, illud Forolivii celebrarunt, cum puella ante discessum palam fecisset, se domicilium in illa civitate deligere, ubi materna avia vitam ducebat, quam tutricem, suique curatricem prædicabat. Insuper Urbanus VIII suis Apost. litteris, quæ monumentis card. de Lugo, et patris La Croix insertæ sunt, has sacræ Conc. congreg. sententias (* *quas auctor supra memorat* *) die 14 Augusti. an. 1627 confirmavit: « Primo, an incolæ tam masculi, quam feminæ loci in quo concilium Tridentinum in puncto matrimonii est promulgatum, transeuntes per locum in quo dictum concilium non est promulgatum, retinentes idem domicilium, valide possint in isto loco matrimonium sine parocho et testibus contrahere? Secundo, quid, si eo prædicti incolæ tam masculi quam feminæ solo animo sine parocho et testibus contrahendi se transferant, habitationem non mutantes? Tertio, quid, si iidem incolæ tam masculi quam feminæ eo transferant habitationem illo solo animo, ut absque parocho et testibus contrahant? Iidem cardinales ad primum et secundum, non esse legitimum matrimonium inter sic se transferentes, ac transeuntes cum fraude; ad tertium vero dubiorum hujusmodi, si domicilium vere transferatur, matrimonium esse validum responderunt et resolverunt. Igitur matrimonium primo, et secundo loco expositum irritum decernitur, cum fraus intercesserit; matrimonium tertio loco allatum etiam cum fraude validum declaratur, quia novum quoque domicilium accesserat. » Hæc Ben. XIV, *l. c.*, n. 5 et seqq.

(98. Ad valorem matrimonii ultra præsentiam parochi aut delegati ab eo, vel ordinario, requiruntur et sufficiunt duo testes. *Communis*, textu expresso in concil. Trident., sess. XXIV, *De reform. matrimon.*, cap. 1. (99. Ad valorem matrimonii sufficiunt quicunque testes rationis capaces; et ea quæ de jure naturæ requiruntur habentes; sic sufficiunt etiam impuberes, consanguinei, domestici, religiosi, feminæ, excommunicati, infames, infideles, hæretici et alii etiam de jure positivo ad testimonium ferendum inhabiles. Concilium enim Tridentinum *loc. cit.* duos, vel tres testes simpliciter et sine illius peculiaris qualitatis mentione ad valorem matrimonii requirit, adeoque, etc. *Communis* cum Barbosa *De offic. et potest. episcop.*, allegat. 32, n. 138; Sanchez, lib. III, disp. 41, n. 5; Layman, lib. V, tract. 10, punct. 2, cap. 4, n. 6; Reiffenstuel, *l. c.*, n. 103. (100. Ad valorem matrimonii non sufficit præcise præsentia physica et corporea parochi et testium, sed requiritur eorum præsentia moralis, rationalis et humana, ita ut intelligant sponsos de præsenti contrahere matrimonium. *Communis*, arg. *concil. Trident.* cit sess. XXIV, cap. 1, ibi: « eorum mutuo consensu intellecto; » et sic expresse declarasse sacram congregat. Concilii refert Rebellius p. 2, lib. II, quæst. 8, n. 4 et 7, et post lib. IV, per hæc verba formalia: « Quartum dubium, si sacerdos adfuit, nihil tamen eorum quæ agebantur vidit neque audivit: utrum tale matrimonium validum sit sic contractum, vel potius tanquam sine sacerdote nullius sit ponderis? Respondit sacra

Digitized by Google

congregatio non valere, si sacerdos non intellexit. »

(101. Præsentia parochi et testium ad validitatem matrimonii debet esse simultanea, nec sufficit successiva. Debent enim ita esse præsentes, ut de uno eodemque contractu matrimonii testari valeant, quod facere nequeunt, nisi simul præsentes existant. *Communis*, arg. *concil. Trident. l. c.*, ubi expresse videtur requirere simultaneam eorum præsentiam per illam copulativam dictionem, « et præsente parocho et testibus. »

(102. Præsentia parochi et testium sufficit ad valorem matrimonii, quamvis ob aliam causam sint vocati, dolose et fraudulenter illuc adducti, inviti et coacti, etiamsi cum protestatione et contradictione ibidem existant, dummodo tamen ad illum actum adhibeantur et intelligant, seu percipiant contrahentium consensum. Sic pluries declarasse sacram congregationem Concilii refert Sanch. lib. III, disp. 39, n. 9, et signanter die 29 Augusti 1591, teste Gonet, cap. 4, quæst. 10, apud La Croix, lib. VI, part. III, n. 760, his verbis : « Sac. congregat. Concil. censuit matrimonium coram parocho et testibus contractum, nisi aliud obstet, validum esse, quamvis parochus invitus interfuerit, et alia de causa, quam, ut matrimonio interesset, a contrahentibus accersitus fuerit : » et consimiliter 19 Decembris 1648, lib. XVIII *Decretor.*, pag. 563, et alios apud Pontium, lib. V, c. 21, n. 5, et apud Farinacium, volum. IV, p. 268, et apud Reiffenstuel, *l. c.*, n. 108, his verbis : « Dummodo parochus sit præsens et intelligat id quod agitur, licet dissentiat et contradicat : adhibitus vero parochus intelligitur, etiamsi ex alia causa vocatus sit, dummodo sit adhibitus ad illum effectum. » Et sic tenet communis doctorum, quia Tridentinum *l. c.* plus non requirit, quam ut matrimonium contrahatur : « Præsente parocho et duobus, aut tribus testibus; » quod revera fit, etiamsi ipsi dolo inducti, aut coacti et inviti, seu dissentientes et contradicentes sint præsentes ; arg. l. *Coram* 209, ff. *De V. S.*, ubi clare habetur, quod coram aliquo quid fieri dicatur, etiamsi eo invito fiat, ibi : « Scire autem, non etiam velle, is debet. » *Vide supra*, n. 80.

(103. Præsentia parochi et testium an sufficiat ad valorem matrimonii, etiamsi ipsi nihil eorum quæ agebantur viderint et intellexerint, si affectarunt non intelligere, obturando aures suas, ne audirent? et pro valore declarasse sacram congregationem Concilii refert Fagnan, lib. I *Decretal*, cap. *Quoniam*, De constitutionibus, n. 25, et lib. V, cap. *Quæsitum est*, De pœniten. et remissionibus, n. 7, præcisis his verbis : « Sacra. congreg. Conc. alias respondit validum esse matrimonium contractum coram parocho, etiam invito et per vim adhibito, quanquam nihil eorum quæ agebantur vidit et intellexit, si affectavit non intelligere; ut in parocho, qui obturavit aures suas, ne audiret. » *Vide supra* n. 69 ad 80, et *infra* n. 135.

(104. Præsentia parochi et testium sufficit ad valorem matrimonii, etiamsi fuerit accidentalis, seu casualis, et non requisita, seu contrahentes se sisterint coram ipsis transeuntibus per viam, confabulantibus in congressu, convivantibus in mensa, rem divinam parocho ad altare faciente, ad ipsum accedente, et ab ipso recedente, et testibus inservientibus, seu assistentibus, et hujusmodi, dummodo tam parochus quam testes contrahentium consensum intelligant. Sic declarasse sacram congregationem Concilii refert Salzedo ad *Practic.* Diaz, cap. 37, dub. 5, et Rosignol. contract. 15, *De matrimon.* 1, prænot. 32, n. 10, his verbis : « An si adsit parochus, dum contrahitur matrimonium, casu, non cogitans se ad id vocatum, sed aliud agens audivit duos inter se contrahentes matrimonium, sit validum tale matrimonium, in quo fuit præsens, non autem certioratus, neque ad id expresse vocatus, neque interponens suam auctoritatem dicto vel facto; vel potius sit nullum, quasi assistentia auctoritativa per concilium requiratur, non nuda vel carnalis præsentia? Sacra congregatio Concilii censuit valere, etiamsi parochus aliam ob causam adhibitus sit ad illum actum : » et consimiliter fuisse sæpius resolutum ab eadem sacra congregatione refert Ledesma, *De matrimon.*, quæst. 45, art. 5, in 2 dub. ; Guttierez, *De matrimon.*, cap. 69, n. 3, et tenuit Rota, de mente ejusdem sacræ congreg. coram card. Seraphin., dec. 1099, n. 5, et *in Ulyssiponen. matrimon.*, 16 Novembris 1622, coram Manzanedo ; et part. VII, recent. decis. 124, n. 17 et 18, et p. XI, decis. 301, n. 7, et par. IV, tom. II, dec. 431, n. 2 et 3, et *Annot.* ad dictam dec. 431, a n. 13 ad 24 ; et sic tenent Barbosa, *De offic. et potest. episcop.*, allegat. 30, n. 88, et *De offic. et potest. parochi*, par. II, cap. 21, n. 50, et *supra concil.*, sess. XXIV, *De reformat.*, cap. 8, n. 77, ibique plurimos alios citans, Rosignol., *l. c.*, n. 10; Navarr., lib. IV *Concil.*, in prima edit., *De sponsalib.*, cons. 29, et in secunda, tit. *De clandestin. desponsat.*, cons. 11; Segura, secund. par. *Director. judic.*, cap. 51, n. 54; Sanchez, *l. c.*, disput. 41, n. 7; Bosco, disp. 11, sect. 9, conclus. 14, n. 558; Gobat, tractat. 9, cas. 18, n. 292; Joann. Angelus Bossius, *De matrim. contractu*, cap. 3, n. 6, et alii innumeri apud eumdem et apud La Croix, lib. VI, par. III, n. 760. Et ratio est, quia, quomodocunque parochus et testes sint præsentes, sive expresse rogati, sive non rogati, per talem præsentiam satisfit fini concilii Tridentini, cum taliter præsentes, etiam non rogati, possint, ac si data opera interessent, testificari de contracto matrimonio et consequenter impedire ne sic contrahentes, stante hoc, aliud contrahere possint; arg. l. *Ad fidem* 11, ff. *De testibus*, ibi : « Ad fidem rei gestæ faciendam etiam non rogatus testis intelligitur. »

Digitized by Google

(105. Alii tamen, ut Gonzal., ad regul. 8 *Cancellar.*, glossa 48, n. 35; Fagnanus, lib. IV *Decretal.*, cap. *Quod nobis* 2, De clandestina desponsat., n. 54, §. *Cave*; Pontius, lib. V, cap. 21, n. 4; Bonacina, Leander, et Amicus, tenent ad valorem matrimonii requiri, ut parochus et testes formaliter sint adhibiti, id est requisiti, et rogati; et adducunt pro sua sententia duas declarationes sacræ congregationis Concilii, quas allegant Pontius, *l. c.*; Rebellius, part. II, lib. II, q. 8, sect. 3, n. 51 et 73, et alii, quorum prima sic sonat: « Parochus præsens matrimonio debet esse, ut appareat a contrahentibus adhibitum fuisse, secus, si præsens casu fuisset. » Secunda sic habet: « An sit matrimonium, si duo contrahunt per verba de præsenti proprio parocho præsente, et aliis requisitis non omissis, cui contractui parochus formaliter adhibitus non fuit, sed dum forsan convivii, vel confabulationis, vel aliud tractandi causa adesset, accidit hujusmodi contractum fieri, et postea alter contrahentium velit ab hujusmodi contractu, ratione hujus defectus resilire? » Congregatio respondit posse, nisi alia intervenerint, quæ parochum a contrahentibus adhibitum fuisse arguant, qui diceretur adhibitus, ut supra, quamvis ex alia causa vocatus, dummodo sit adhibitus ad illum actum. At istæ, et consimiles sacræ congregationis declarationes possunt, et debent conciliari cum primis adductis numero antecedenti, dicendo esse intelligendas pro quando parochus et testes, accidentaliter et causaliter præsentes, non adverterunt quæ dicerent et facerent contrahentes, nec potuerunt percipere et intelligere serium esse in tali circumstantia reciprocum eorum consensum, prout explicant Joan. Angelus Bossius, *l. c.*, n. 7, in fin.; Rosin., *loc. cit.*, n. 10, et alii. Hinc parochus et testes, licet solum accidentaliter et casualiter præsentes, adhuc dici possunt sufficienter ad eum actum adhibiti, ex eo quod contrahentes coram illis consensum manifestaverint, ad finem servandi ea quæ a Trident., *loc. cit.*, præscribuntur, dummodo contrahentium consensum intellexerint et perceperint. *Vide sup.*, a n. 71 ad 80.

(106. Præsentia parochi et testium non requiritur in locis ubi conc. Trident. non est promulgatum. Colligitur ex ipsomet concilio, *loc. cit.*, ubi expresse disponit decretum suum in aliquo loco, seu parochia non tenere, nisi ibidem fuerit promulgatum, ibi: « Decernit insuper ut hujusmodi decretum in unaquaque parochia suum robur post triginta dies habere incipiat a die primæ publicationis in eadem parochia factæ enumerandos: » et explicite declaravit sacra congregatio Conc. apud Bosco, part. V, disput. 11, sect. 9, concius. 4, ibi: « Sacra congregatio censuit, ubi decretum conc. Trid., sess. XXI, cap. 1, *De reform. matrimonii*, non est publicatum, valere matrimonia contracta absque observatione formæ a concilio præscriptæ. » (107. Matrimonium contractum sine præsentia parochi et testium ab incolis loci, seu provinciæ, ubi fuit promulgatum, sed non receptum Tridentinum quoad disposita *De matrimonio clandestino*, est validum. Communis et certa. (108. Item validum est matrimonium contractum sine præsentia parochi et testium ab eo qui e loco promulgati et recepti concilii pergit ad locum ubi promulgatum aut receptum non est, et ibi cum incola illius loci contrahit; secus vero econtra, si e loco non promulgati concilii pergat ad locum in quo est promulgatum, et ibi contrahat sine præsentia parochi et testium: semper enim habenda est ratio loci, ubi matrimonium per verba de præsenti contrahitur. Communissima, et sic declarasse sacram congregationem Concilii referunt Uvamesius in *Consil.* tom. II, consil. 530; Pignatell., tom. V, consult. 79, n. 33; La Croix, lib. VI, p. 3, n. 714.

(109. Si ambo sponsi e loco publicati et recepti concilii transferant realiter suam habitationem ad locum ubi non est publicatum, quamvis eo solo animo, ut absque parocho et testibus contrahant, validum est eorum matrimonium; secus vero, si illuc se transferant cum tali fine, et habitationem realiter non mutent; seu, retento suo domicilio in loco publicati concilii, transeant per locum ubi non est publicatum, et ibi contrahant. Sic quoad omnes tres partes respondit sac. cong. Conc., 5 Sept. 1626, quæ responsio fuit confirmata ab Urbano VIII in Brevi ut sequitur.

URBANUS VIII, ETC.

Exponi Nobis fecit venerabilis frater archiepiscopus Coloniensis, quod habito nuper per eum ad venerabiles fratres nostros S. R. E. cardinales, sacri concilii Tridentini interpretes, recursu supra infrascriptis dubiis, videlicet, *Primo*, an incolæ tam masculi quam feminæ loci in quo conc. Trident. in puncto matrimonii est promulgatum transeuntes locum, in quo d. concilium non est promulgatum, retinentes idem domicilium, valide possint in isto loco matrimonium sine parocho et testibus contrahere? *Secundo*, quid, si eo prædicti incolæ, tam masculi quam feminæ, solo animo sine parocho et testibus contrahendi se transferant, habitationem non mutantes? *Tertio*, quid, si iidem incolæ, tam masculi quam feminæ, eo transferant habitationem, illo solo animo, ut absque parocho et testibus contrahant? Iidem cardinales, ad primum et secundum non esse legitimum matrimonium inter sic se transferentes, ac transeuntes cum fraude. Ad tertium vero dubiorum hujusmodi, si domicilium vere transferatur, matrimonium esse validum responderunt, et resolverunt, prout in decreto desuper emanato plenius continetur. Cum autem, sicuti eadem expositio subjungebat, dictus archiepiscopus responsum, seu dubiorum prædictorum resolutionem hujusmodi pro illius subsistentia firmiori Apostolicæ nostræ confirmationis robore communiri summopere desideret; Nos eumdem archiepiscopum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, supplicationibus illius nomine Nobis

Digitized by Google

per hoc humiliter porrectis inclinati, responsum, seu dubiorum prædictorum resolutionem hujusmodi auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, et confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, decernentes illud, seu illam, nec non præsentes litteras valida, firma, et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, sicque, et juxta illa per quoscunque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 14 Augusti, anno 1627, pontificatus nostri anno quinto. »

(110. Valida sunt matrimonia, quæ catholici v. g. mercatores, aut peregrini contrahunt sine præsentia parochi aut testium in locis infidelibus, ut in regno Turcarum, Persarum, et hujusmodi, aut in locis hæreticis, ubi nunquam fuit publicatum conc. Trident., ut in Saxonia, Prussia, Suecia, Anglia, Scotia, Dania, Pomerania, et aliis partibus septentrionalibus, quæ jam ante concil. Trident. a vera fide defecerant. *Communis :* et sic declarasse sac. congregat. Concil. refert Bosco part. v, disp. 11, sect. 9, conclus. 5, et sic respondit episcopo Tricaricensi ad 1 dub., 19 Jan. 1605, v. gr. in Hollandia, Zelandia, Frisia, et hujusmodi. (111. In locis autem hæreticis promulgati conc. Trident. si parochus, aut episcopus, vel alius sacerdos ab ipsis deputatus haberi non potest, ad valorem matrimonii requiruntur, nihilominus duo testes, quia isti facile haberi possunt. Sic declaravit sacr. congregat. Concil. et respondit episcopo Tricaricensi 19 Januarii 1605, ad quartum, et quintum dubium, ibi : « *Quarto.* Ubi etiam constat decretum concilii esse observatum, sed parochialis ecclesia, utpote vacans proprio parocho careat, et cathedralis itidem episcopo atque capitulo, habentibus a concilio facultatem alium sacerdotem ad id delegandi, nullusque alius ibi sit, qui vices parochi vel episcopi suppleat, matrimonium valere absque præsentia parochi ; servata tamen in eo in quo potest forma concilii, nempe adhibitis saltem duobus testibus. *Quinto.* Si exstent quidem parochus et episcopus, sed nullo constituto vicario, uterque metu hæreticorum lateat, ita ut vere ignoretur ubinam sit, vel eodem metu a diœcesi absit, nec ad alterutrum sit tutus accessus, validum est matrimonium contractum absque forma concilii, adhibitis tamen, ut dictum est, duobus testibus. »

(112. Hæretici quoque, in locis ubi publicatum est concilium Tridentinum, tenentur observare formam indictam ab ipso pro contrahendis matrimoniis, unde, si sine præsentia parochi et testium ibi contrahant, eorum matrimonia sunt nulla. Sic respondit sacra congregatio Concilii episcopo Tricaricensi 19 Januarii 1605, ad tertium dubium, ibi : *Tertio* : « Hæreticos quoque, ubi decretum dicti c. 1, est publicatum, teneri talem formam observare, et præterea ipsorum etiam matrimonia absque forma concilii, quamvis coram ministro hæretico, vel magistratu loci contracta, nulla atque irrita esse ; » et similiter declaravit *in Ruremondensi matrimonii*, die 2 Martii 1676, ubi declaravit nullum matrimonium contractum coram magistratu sæculari in loco ubi concilium Tridentinum est receptum, et parochus commode haberi et adiri poterat. (113. Sunt autem valida matrimonia hæreticorum contracta sine præsentia parochi et testium in locis ubi non fuit publicatum Tridentinum, et sine præsentia parochi in illis locis in quibus, quamvis sit publicatum, parochus tamen, aut episcopus catholicus, seu alius sacerdos ab ipsis deputatus non invenitur, nec potest tutus ad eum haberi accessus, dummodo in illis locis promulgati concilii adhibeantur duo testes. *Communis*, et patet ex allatis declarationibus sac. congr. sub n. 99 et 100.

ADDITIONES CASINENSES.

Præstat demum de parocho sequentia notare : « Parochus cognito impedimento (quod inter contrahentes matrimonium intercedat) tenetur prohibere matrimonium (hujusmodi), et remittere ad episcopum, vel ejus officialem, neque potest assistere Sanchez, lib. III, *De matrim.*, disp. 25 ; Mart. Perez, d. 43, sect. 7, num. 9, etc., contra Pontium. Nisi tamen ex sola confessione nosset, tunc enim nullo modo posset negare matrimonium, sive publice, sive privatim petenti, neque illum admonere officii extra confessionem ; licet in confessione posset ac deberet. Et tunc, si quidem sine magno scandalo a matrimonio non possent desistere, nec vellent, suadere ut contrahant communi consensu, sub conditione, si Papa dispenset, animo tantisper cohabitandi ut fratres (non autem quoad torum) donec accedat dispensatio, et iterum contrahant. Ita ex Beja, Pontio... et Perez.. qui addit, si id omnino nolint, persistantque petere, debere parochum assistere. » Bussembaum apud D. de Ligorio, *Theol. moral. de matrim.*, n. 1031.

« Dubitatur 1. an parochus, si ipse solus noverit impedimentum, teneatur impedire matrimonium publice petitum ? Si impedimentum denuntiatur ab aliis, certum est ex cap. fin. *De clandestina dispensat.*, teneri parochum interdicere nuptias, et rem ad ordinarium deferre, ut ille cognoscat. Dubium fit, si solus parochus impedimentum sciat extra confessionem, an possit, et teneatur nuptias impedire ? Negat Pontius.... quia nemo tenetur denuntiare quod probare non potest. Affirmant tamen verius Sanchez.. Boss. Roncaglia, etc. Ratio, quia, si quilibet tenetur impedimentum revelare, etiamsi ipse solus illud sciat, a fortiori tenetur parochus, cui ex officio incumbit consulere saluti suarum ovium. Nec obstat quod pecca-

Digitized by Google

tori occulto, publice petenti sacramentum, illud non est denegandum ; nam respondetur cum auct. cit. quod hoc procedit, quando impedimentum duntaxat reddit illicitam sacramenti susceptionem, secus vero, si impedimentum (præter susceptionem) præbet occasionem aliorum damnorum, et culparum. » D. de Ligorio, *l. cit.*, n. 1002.

« Dubitatur 2. an ordinarius, qui solus conscius sit impedimenti, teneatur matrimonium impedire? Sanchez. . Pontius, etc., sentiunt eum nec teneri, nec posse, quia nemo potest esse judex et testis. Sed probabilius affirmant Bonac... Escob. cum Leand... et Salmat. cum Aversa, Trull., Dic., etc. Ratio, tum quia bene potest esse aliquis judex et testis, quando agitur de peccato impediendo ; tum quia eo casu saltem potest ipse ordinarius deferre impedimentum ad judicem superiorem (et etiam ad suum vicarium, ut aiunt Salmatic. cum auct. cit.), ut ille judicium proferat, et ad hoc ipse episcopus tenetur, ut impediat peccata quæ ex matrimonio invalido orirentur. » D. de Ligorio, *ibidem*, n. cit.

Parochus a contracturis matrimonium exigat oportet scientiam doctrinæ Christianæ, saltem eorum quæ ad salutem sunt necessaria.

Audiamus Benedictum XIV, qui hæc tradit. « (Quidam theologi) cum ignorantiam doctrinæ Christianæ non invenerint in vulgatis versiculis, in quibus enumerantur impedimenta matrimonium impedientia, asserere proinde non dubitarunt, neminem posse, ob illam solam, a matrimonio celebrando cohiberi. Ita docuit Thomas Sanchez lib. III *De matrim.*, disp. 15, n. 9, inquiens : « Nescio tamen qua ratione possit (episcopus) ob hanc ignorantiam arcere aliquos a « matrimonio contrahendo, cum ipsius non « sit impedimenta matrimonii statuere, nec « hoc impedimentum ab Ecclesia statutum « sit : » et sequitur Diana...

« Verum huic doctrinæ et Rituale Romanum, et S. Carolus Borromæus, et quamplurimæ episcopales synodi, ac Summorum Pontificum edicta adversantur. Etenim Rituale Romanum tit. *De matrim.*, de iis loquens qui matrimonio sunt jungendi, ait: « Uterque sciat rudimenta fidei, cum « ea deinde filios suos docere debeant. » S. Carolus in concilio provinciali Mediolanensi V, part. III, *Act. Eccl. Mediol.* part. I, pag. 287, hæc statuit: « Parochus, quos « sponsos experiundo viderit doctrinæ Chri- « stianæ rudimenta plane ignorare, ne matri- « monio illos ante jungat, quam ea item ratione cognorit didicisse, quæ eo de genere illos « plane scire oportet : » quæ verba advertens Franciscus Amatus Pouget, *Instit. catholic.*, tom. II, part III, sect. 1, cap 8, § 5, n. 6, inquit : « Non accedendum prius ad connubii « legem quam teneantur præcipua religionis « mysteria, Christianæque vitæ ratio, et con- « jugatorum officia probe noscantur. » In archiepiscopali Bononiensi cardinalis Gabrielis Palæoti, part. III, pag. 157, cavetur ne parochus ad tertiam deveniat matrimonii denuntiationem, nisi certo noverit sponsos principalia fidei nostræ mysteria didicisse, et saltem « Orationem Dominicam, Salutatio- « nem Angelicam, Symbolum Apostolicum, « et præcepta Decalogi memoriæ mandasse. » Idem edixere innumeræ synodi collectæ a Genetto, *Theolog. Moral.* tom. V, tract. 9, cap. 2, quæst. 17, quibus addimus synodum Farfensem, habitam anno 1685 a cardinali Barberino ; Cæsenatensem habitam anno 1693, a cardinali Denhoff, Neapolitanam habitam anno 1694, a cardinali Cantelmo, Ariminensem habitam anno 1724, a cardinali de Via, Neapolitanam habitam anno 1726, a cardinali Pignatello, Sabinensem habitam anno 1736, a cardinali Albano, omnes ad titulum *De matrimonio*. Ac demum congregatione habita coram san. mem. Innocentio XII, anno 1697, decretum est non esse a parochis matrimonium in ecclesia proclamandum, nisi antea sponsos repererint in Christianæ religionis rudimentis sufficienter instructos ; quod quidem decretum confirmatum fuit a fel. rec. Clemente XI in suo *Bullario*, pag. 326. Idem edixit cardinalis de Rohan in suo *Rituali Argentinensi*, ad tit. *De matrimonio*, pag. 254, ubi parochos diligenter investigare jussit « an matrimonio jun- « gendi teneant rudimenta fidei. » Ac denique Nos ipsi in nostra encyclica Epistola ad universos episcopos, quæ est 42 in nostro *Bullario*, § 11, tom. I, hæc scripsimus : « Verum, cum matrimonio jungendi non sint, si « parochus, ut debet, prius interrogando, de- « prehenderit marem seu feminam quæ ad « salutem necessaria sunt ignorare ; vix tan- « tæ ac tam luctuosæ ignorantiæ locum relin- « quet episcopus, qui pastores animarum ad- « moneat officii sui, et, huic si desint, negli- « gentiæ repetat pœnas. »

« ... Neque in contrarium facit quod aiebat Sanchez, nimirum, non posse episcopum nova impedimenta, matrimonium impedientia, statuere : huic enim difficultati in primis reponimus, ab episcopo repellente a matrimonio contrahendo ignorantes Christianæ religionis necessaria rudimenta, nullum de novo poni impedimentum, sed illud explicari et inculcari quo iidem jam detinentur : enimvero cum matrimonium inter fideles unum sit ex septem novæ legis sacramentis, a Christo Domino institutis, atque e numero eorum quæ dicuntur *vivorum*, nemo, sine gravi sacrilegio, illud celebrare potest in statu peccati mortalis, quod optime perpendit Didacus Covarruvias super 4 *Decret.* part. II, *De matrim.*, cap. 6, in princ., inquiens : « Existens in mortali « crimine, non potest, absque novo peccato, « matrimonium contrahere, tractat enim in- « decenter sacramentum hoc maximum : » nec parochus licite eidem matrimonio assistit ; quamvis enim, juxta communiorem magisque receptam sententiam, non sit sacramenti matrimonii minister... nihilominus in multis comparatur ministro ; nec licite sua præsentia, et auctoritate firmare potest contractum, quem scit a contrahentibus sacrilege iniri, quemadmodum prosequitur

Digitized by Google

cardinalis de Laurea, in 4 sent., tom III, disp. 22, art. 22, n. 549, et pluribus Franciscus Maria Muscettola, archiepiscopus Rossanensis, in sua dissert. *De sponsalibus et matrimoniis*, quæ exstat post secundam impressionem *Observat.* bon. mem. Zauli *ad Statuta Faventina*, iterumque edita est Neapoli anno 1742. Qui autem fidei rudimenta ignorat, quæ ex gravi præcepto scire tenetur, quandiu illa non addiscit, cum potest, versatur in statu peccati mortalis, ac propterea jure ac merito a matrimonio contrahendo arcetur.

« Deinde idem Sanchez cit. disp. 15. n. 5, et lib. VII, disp. 6, n. 6; Basilius Pontius, *De matrim.*, lib. VI, cap. 7; Gaspar Hurtado, disp. 25, difficult. 1, n. 1, et Perez *De matrim.*, disp. 23, sect. 1, n. 1, non solum in episcopo, sed etiam in parocho facultatem agnoscunt impediendi ad tempus matrimonium ex aliqua rationabili causa, puta ad sedandum scandalum, vel ad detegendam alicujus objecti impedimenti veritatem; nec tamen inde confici autumant verum et proprium impedimentum, eorum auctoritate, matrimonio apponi : siquidem illa prohibitio temporaria est, atque, ablato scandalo, et detecta falsitate objecti obstaculi, sine ulla dispensatione cessat et exstinguitur. Idem autem contingit in re nostra : episcopus enim ignorantibus Christianæ religionis instituta et præcepta matrimonium interdicit, solum ad tempus; donec scilicet illa addiscant : quod si hæc prohibitio diuturna sit et perseveret, id per accidens est, atque unice oritur ex culpa eorum, qui illis eruditi aut recusant aut negligunt. »

Unum tamen advertendum addimus, quod recte consideravit Giribaldus, *De sacram. matrim.*, tract. 10, cap. 3, dub. 13, n. 111, nimirum quandoque evenire ut quis præcipua fidei nostræ mysteria et sciat, et credat, cætera pariter, quæ necessitate præcepti sunt addiscenda, aliquo saltem rudi modo perceperit; sed, quia hebetis est ingenii et exilis memoriæ, post omnem adhibitam diligentiam, illa memoria retinere, et recitare non valeat : in hoc autem rerum statu, non debet perpetuo arceri a matrimonio, quod est institutum in officium naturæ, et propterea nemini, sine propria culpa, est denegandum; sed curabit parochus ut qui eo memoriæ defectu laborat, frequenter audiat quæ semel crasse didicit, ne ab ejus mente penitus elabantur. Inter celeberrimas constitutiones Gibertinas, editas a Joanne Matthæo Giberto, episcopo Veronensi, quas alibi commendavimus, tit. 5, cap. 23, legitur : « Cum autem quilibet Christianus Orationem Dominicam, Symbolum apostolorum, et præcepta Dei atque Ecclesiæ scire debeat, retinendo saltem sensum, et sacerdotibus ac prædicatoribus munere sibi imposito, prout tenentur, fungentibus, nullus se in veritate excusare poterit, quod, a quo necessaria ad salutem addiscere possit, non habeat. Ideo præmissa nescientes, ut magis confundantur, etc.. in faciem Ecclesiæ ad matrimonium contrahendum non admittantur : ubi cardinalis Augustinus Valerius in notis ad rem subdit : « Adverte non esse arcendos, etc., qui, ut necessaria ad salutem perdiscant, faciunt quod in se est, sicuti qui scholas doctrinæ Christianæ frequentat, quia, non ob incuriam aut negligentiam, sed ob ingenii memoriæve imbecillitatem, ea non addiscunt. » *De synod., diœc.*, lib. VIII, c. 14, n. 2 et seqq.

(114. *Raptus* impedimentum est statutum a Tridentino sess. XXIV, *De reformat. matrimon.*, cap. 6, his verbis : « Decernit sancta synodus, inter raptorem et raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse subsistere matrimonium; quod si rapta, a raptore separata, et in loco tuto ac libero constituta, illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat et nihilominus raptor ipse, ac omnes illi consilium, auxilium et favorem præbentes sint ipso jure excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces; et si clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur præterea raptor mulierem raptam, sive eam uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio judicis dotare. »

(115. Raptus dirimens matrimonium est violenta abductio feminæ in ordine ad contrahendum matrimonium. Est in re communis. (116. Violentia inducens raptum est non solum physica, v. g. per violentam manuum injectionem, sed etiam moralis, v. g. per minas aut gravem metum. *Communis.* (117. Ad hoc, ut inducat impedimentum dirimens, debet talis violentia probabilius esse illata ipsi feminæ raptæ; nec sufficit si sit illata solis parentibus aut tutoribus. Unde, si puella volens et consentiens abducatur, quamvis sint inviti, et reclament parentes, seu tutores, non oritur impedimentum raptus; Sanch., l. VII, disp. 13, n. 13; Coninch, disp. 41, n. 48; Perez, disp. 38, sect. 4; Spor., tom. III, par. IV, cap. 13, sect. 1, num. 28; Reiffenst., lib. IV *Decret.*, tit. 1, n. 374; Pignatell., t. V, consult. 80; Gobat, n. 546; Mastrius, n. 108; Krimer, n. 514; Kugler, n. 1633; Uvex, num. 42; Aloysius Riccius, resolut. 342, n. 5., par. 4; Hurtad., disp. 23, diffic. 3, vers. secundo; La Croix, lib. VI, par. III, n. 628, cum Aversa, Lessio, Reginald., Tanner. ab ipso citatis. Et ratio est, quia Tridentinum præcise intendit cavere ne lædatur libertas matrimonii, quæ utique non læditur, si puella libere consentiens abducatur, quamvis violentiam seu vim patiantur parentes, vel inviti reclament, cum libertas puellæ nubere volentis non dependeat a voluntate parentum et validissimum sit matrimonium contra eorum voluntatem ab ipsa contractum, ut decrevit ipsum concilium Tridentinum cit. sess. XXIV, *De reformat. matrimonii*, cap. 1, anathematizando contrarium sentientes, ibi : « Eos sancta synodus anathemate damnat. . . qui falso affirmant matrimonia a filiis familias sine consensu parentum contracta irrita esse, et parentes ea rata vel irrita facere posse. » Tum quia Tridentinum statuit impedimentum raptus cessare,

Digitized by Google

si femina rapta sit « separata a raptore, et in loco tuto ac libero constituta : » sive restituatur parentibus, sive non; et ideo etiam cap. *Cum causam* 6, *De raptoribus* Lucius III statuit, ut sequitur : « Iste raptor dici non debet, cum habuerit mulieris assensum, et prius eam desponsaverit, quam cognoverit, licet parentes reclament, a quibus eam dicitur rapuisse. »

(118. Non desunt tamen magni nominis doctores, qui contrarium sustinent, nempe, quod raptus feminæ consentientis, si sint inviti parentes, dirimat matrimonium. Sic Barbosa, *Super concil.*, sess. XXIV, *De reform.*, cap. 6, n. 3, cum Salzedo, Henriq., Vega, Cardin. Tusch., Zerola, Petro Ledesma, Rebellio, Guttier., Bonacina, ibi citatis; Navarr. lib. v, cons. 2, n. 1 *De raptor.*; Molina, Henno, et alii, et consensit card. de Luca, *De matrimon.*, disc. 5, *et ad Trid.*, discurs. 28, pro casu quo non præcesserunt sponsalia, vel tractatio matrimonii ineundi, et secundum S. Thomam 2-2, qu. 154, art. 7 : « Quandoque violentia infertur patri, sed non virgini, puta cum ipsa consensit, ut ipsa per violentiam de domo patris abstrahatur. . . qualitercunque enim violentia adsit, salvatur ratio raptus. » Ast ex dictis patet, ut recte advertit La Croix *loc. cit.*, et alii, quod S. Thomas ibi vult tantum tunc quomodocunque puellam rapi parentibus, sed non ideo est raptus dirimens matrimonium, cum non præjudicet puellæ libertati, quam tantum Tridentinum vult ibi salvari, nihil reflectens ad consensum parentum, quibus etiam invitis, et contradicentibus, potest validissime matrimonium contrahere ex ipsomet concilio cit. sess. XXIV, cap. 1, per textum numero antecedenti adductum.

(119. Conveniunt tamen omnes, quod, si puella consentiens et volens abducatur insciis parentibus vel tutoribus, ita ut neque puellæ ipsi, neque parentibus vis inferatur, licet his adhuc injuria fiat, non fit raptus dirimens, quia raptus, sicut et rapina aliquam violentiam continent, ut ex communi notat Navar. lib. v, consil. 3, n. 1., *De raptor.*; Sanchez, lib. 7, disp. 12, n. 36; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 373; Layman, lib. v, tract. 10, part. IV., cap. 13, arg. cap. *Cum causam* 6, *De raptorib.* (120. Sic etiam omnes conveniunt quod non sit raptus dirimens matrimonium, quando post tractatum de matrimonio legitime contrahendo, vel post sponsalia jam contracta abducitur puella consentiens de domo patris, seu tutoris, quamvis inviti et reclamantis, ut expresse respondit Lucius III in cap. *Cum causam* 6, De raptoribus, per verba præcisa adducta sub n. 119, in fine. (121. Quando puella quæ rapitur erat prius raptori desponsata, licet ipsa, proposito mutato, sit invita, adhuc negant oriri impedimentum; Barbosa, in cap. *Cum causam* 6, De raptoribus, et *supra concil. Tridentin.* sess. XXIV, *De reformat.* cap. 5, n. 6; Farinac. Henriq., Fr. Emmanuel, Joseph Sessa, Rebell., Lessius, Genuensis, Molfesius ab ipso Barbosa citati et alii cum Tamburin., lib. VII, *in Decalog.*, cap. 6, § 2, n. 15, arg. cit., cap. *Cum causam* 6, De raptorib., ibi : « Iste raptor dici non debet, cum habuerit mulieris assensum, et prius eam desponsaverit quam cognoverit. » Et ratio est, quia talis puella prius desponsata cogitur ad id quod facere tenebatur. Quæ sententia tenenda est, præsertim si sponsa nullam habeat justam causam resiliendi; secus vero non; Gobat, cas. 19, n. 554; Sporer, *loc. cit.*, n. 27; La Croix, *loc. cit.*, 637, et alii cum Krimer, n. 514, quia, cum sponsa justam causam habet resiliendi, si invita rapiatur, fit ei vera violentia raptus impedimentum inducens, eo vel maxime, quod Sanchez, Aversa, Escobar, Hurtado, et alii velint simpliciter et absolute oriri impedimentum ex raptu, quo sponsus rapit propriam sponsam invitam.

(122. Raptus factus non causa contrahendi matrimonium cum rapta, sed solum causa libidinis explendæ, non dirimit matrimonium; Sanchez, lib. VII, disp. 13, n. 4; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 377; Barbosa, *super Tridentin.*, sess. XXIV; *De reformat.*, cap. 6, n. 2; Salzed., Fr. Emmanuel, Vega, Lessius, Molfesius, Reginald., Guttier, Hurtad., citati a Barbosa, *ibid.*; Sporer, *loc. cit.*, n. 29, et alii plures cum Tambur., *loc. cit.*, n. 11; Gobat, *loc. cit.*, n. 542, et alii, cum La Croix, *loc cit.*, n. 631, ubi ex Gallemart in declaratione ad eum locum refert a sacra congregatione Concilii decisum fuisse 23 Jan. 1586 raptores ob aliam causam, quam, ut in uxores ducant, non comprehendi a Tridentino illi infligente pœnam excommunicationis. Et ratio est, quia concilium eo decreto nihil intendit, nisi libertati matrimonii providere, adeoque agit de solo raptu et violenta abductione puellæ ad contrahendum matrimonium; Sa tamen, Bonacina, et alii cum Platell., n. 1179, tenent contrarium.

(123. Raptus dirimit matrimonium, etiamsi femina rapta non sit virgo, sed corrupta, vidua, conjugata, inhonesta, vel etiam meretrix; Barbosa, *l. cit.*, num. 4, cum Bonacina; Reginald., Sanchez, ibi citatis; Bosco, *De impedim. matrim.*, disp. 12, sect. 9, concl. 4; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 375; La Croix, *loc. cit.*, num. 637, et alii passim. Et ratio est, quia concilium *loc. cit.* non attendit ad qualitatem virginis, seu honestæ, sed solum ad libertatem cujuscunque feminæ respectu matrimonii; universaliter enim et indistincte de rapta loquitur, et ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus; l. *De pretio*, ff. *De publiciana in rem actione*, et verba generalia generaliter sunt intelligenda; c. *Quia circa* 22, De privileg., præsertim ubi, ut in præsenti, est eadem ratio; arg. l. *Ideo*, ff. *De legib.*

(124. Raptus, quo femina rapit virum, non dirimit matrimonium; Sporer, *loc. cit.*, num. 30; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 376; Barbosa, *loc cit.*, num. 5, cum Farinac., Sanchez, Pontio, Molfes., Reginald., Petro Lesma, Bonacina, Riccio, Hurtado ibi ab ipso citatis : La Croix, *loc. cit.*, num. 635,

Digitized by Google

cum Dicastill., Escobar, Gobat et aliis ibi a se citatis, Bosco, *loc. cit.*, concl. 3, a num. 81; Herincx, *De impedim. raptus*, disp. 6, num. 80, et communior aliorum contra Henriquez, Guttier, Vegam, et alios. Et ratio est, quia concilium *loc. cit.* loquitur solum de raptore, et non de raptrice, unde tale decretum, utpote odiosum et pœnale, non est extendendum ad raptricem; arg. c. *Odia* 15, c. *Quæ a jure* 28, et cap. *In pœnis* 49, De reg. juris in 6.

(125. Raptus non dirimit matrimonium, si solis importunis precibus femina abducatur, dummodo preces tales non sint, ut violentiæ æquiparentur; Barbosa, *loc. cit.*, n. 7; Sanchez, lib. VII; disp. 13, num. 11; Guttierez, *De matrimonio*, cap. 86, num. 15; Bonacina, *De matrim.*, quæst. 4, punct. 8, num. 5 et 6, et alii passim. (126. Raptus, ut sit impedimentum dirimens, requiritur traductio feminæ de loco ad locum; si enim quis virginem repertam in domo patris, aut in alia domo non educit de ea domo, sed illam ibi opprimit, aut trahit de uno cubiculo ad aliud, ut ibi illam commodius violet, non incurrit impedimentum raptus; Sanchez, lib. VII, disp. 13, num. 7; Navarrus, consil. 1, n. unic., titul. *De raptoribus*; Barbosa, *loc. cit.*, num. 8; Fr. Emmanuel, in *Summa*, tom. I, cap. 232, num. 2; Coninch, *De sacrament. et censur*, tom. II, disp. 31, num. 48. Bonacina, *loc. cit.*, punct. 8. num. 6 et 8, ubi citat Molinam, Guttier., card. Tusch., et alios.

(127. Impedimentum raptus inter raptorem et raptam perseverat, etiamsi rapta post raptum libere consentiat, « si adhuc ipsa in potestate raptoris manserit. » Secus vero « si rapta a raptore separata, et in loco tuto, et libero constituta illum in virum habere consenserit; » *Communis*, textu expresso in Tridentino, cit. sess. XXIV, *De reformat. matrim.*, cap. 6. (128. Ubi insuper declaratur quod raptores et fautores raptus dirimentis matrimonium sint ipso jure excommunicati, et sint perpetuo infames, et incapaces omnium dignitatum; et si clerici sint, amittant gradum clericalem; et raptor, sive matrimonium contrahat cum rapta, sive non, tenetur eam decenter dotare arbitrio judicis. *Vide* verba præcisa concilii, supra n. 114.

(129. Raptores, et eorum auxiliatores, si fuerint laici, morte plectuntur; § *Sin autem per vim*, *Instit. de public. judic.*, et l. 1 cod. *De raptu virg.* Et insuper incurrunt excommunicationem ipso facto; cap. *Raptor*, cap. *Statutum* 27, qu. 2, cap. *Eos*, cap. *Raptores*, cap. *De puellis*, cap. *Nullus* 36, quæs. 2, et expresse concil. Trid., sess. XXIV, *De reformat.*, cap. 6. (130. Talis autem excommunicatio nemini est reservata: Barbosa, *in Trid.*, *loc. cit.*, n. 12; Panimoll., decis. 62, num. 8, et multi alii apud ipsos. (131. Si autem sint clerici, deponuntur, seu suspenduntur ab eorum officiis; conc. Trid., *l. c.*

(132. Dictam tamen suspensionem non incurrunt ante sententiam judicis: Barbosa, *loc. cit.*, n. 13, Panimoll. *loc. cit.*, num. 9, et alii plures citati ab ipsis; Ursaya *Instit. crimin.* lib. II, tit. 7, n. 146. *Vide* ipsos ibi, ubi multa habent ad rem.

(133. Impedimentum justitiæ publicæ honestatis ex matrimonio rato non consummato fortius est eo, quod ex sponsalibus oritur; Bened. XIV, constit. 89, tom. 1, incip. *Inter omnigenas*, § 15. (134. Ubi pontifex mandat episcopis et missionariis Serviæ, quod idcirco ab hujusmodi dispensatione concedenda abstinere debeant, non obstantibus amplis facultatibus sibi concessis.

(135. Quoad jam tradita in hoc art. a num. 69 ad 80, et num. 103, de parocho affectante non audire verba, vel non videre nutus attentantium clandestine contrahere matrimon. advertendum est quod illa exceptio, *Nisi affectasset non intelligere*, apposita in decretis ibi allatis, intelligenda est de eo casu, ubi parochus qui, si nec vidit, nec intellexit, ipse sibi in causa fuit, ut non videret, nec intelligeret, propterea quod, vel aures sibi obstruxerit, vel faciem velaverit, ne audire et aspicere cogeretur, sicuti colligitur ex Fagnano in cap. *Quoniam*, num. 25, De constit., et in cap. *Quæsitum*, num. 7 et 8, De pœnit. et remiss. Neque porro æquum est, ut ab arbitrio factoque parochi pendeat libertatem matrimonii impedire, ut recte docet Bened. XIV, *De synodo diœcesana*, lib. XIII, cap. 23. Vide *Addit. Casinenses* sub n. 80, h. art.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

De impedimento *impotentiæ*, tum de impedimento *clandestinitatis* aliqua addere abs re haud est.

(136. Quod attinet ad impedimentum impotentiæ, aliud est, si uterque ipsum fateatur, aliud si una pars impotentiam alleget, altera eamdem neget.

(137. Priori casu non est continuo matrimonium irritum declarandum. Quando defectus est occultus, tunc partes cohabitent per triennium; cap. 5 et 7, *De frigid. et malefic.* Triennium autem incipit currere non a tempore monitionis per judicem, sed potius a tempore, quo primus impotentiæ defectus fuit observatus, quamvis aliquod tempus arbitrarium ad preces peragendas a judice statui posse non negaverim per cap. 7 *De frigid. et malefic.* Requiritur præterea jure canonum, ut cum septima manu propinquorum, vel vicinorum bonæ famæ, si propinqui defuerint, tactis sacrosanctis Evangeliis, uterque jurejurando dicat, quod nunquam per carnis copulam una caro effecti fuerint; Zoes. ad tit *Decretal. de frigid. et malefic.*, n. 9; Simon., *De impotent. conjugal.*, cap. 7, thes. 3, n. 4. (138. Quod si defectus patens sit, triennium haud est observandum, nec juramentum septimæ manus desideratur, ita nec ipsorum conjugum juramentum necessarium est; sed sufficit juramentum medicorum, vel matronarum ea signa per inspectionem attestantium; Simon., *De impotent.*, cap. 7, thes. 3, n. 5 et sequent.

Digitized by Google

(139. Posteriori casu, si mulier in ipsa statim novitate post mensem, aut duos proclamaverit ad episcopum, vel ejus missum, irritum declarari potest matrimonium, dummodo præterea accusatio per *justum judicium* probetur; c. *Si quis* 53, quæst. 1; Simon., *De impotent.*, cap. 7, thes. 3, n. 2 et 3. (140. Sin autem post mox dictum tempus ad episcopum clamaverit, aiendo quod non sit cognita, maritus interim contrarium affirmet, merito tamquam mulieris capiti credendum; cap. 1, *De frigid. et maleſic.*; Simon., *De impotent.*, cap. 7, thes. 4, n. 4 et sequent. Sed an inspectio decerni debeat, consule Bohemer. in *Decretal.*, lib. IV, tit. 15, § 24, et plur. sequent., qui de inspectione fuse disserit.

(141. De eo hic disquirit auctor, an parte impotente contrahente novum matrimonium, irritum ipsum declarandum sit. Placet simplicius distinguere. Primum matrimonium, aut fuit irritum declaratum ex nimia membri magnitudine, et feminæ arctitudine, aut ex frigidigitate, aut ex maleficio (142. Si prius, cum impotentia non sit absoluta, sed respectiva, potest uterque conjux matrimonium cum alia persona contrahere. (143. Quod si ex frigiditate, secundum matrimonium irritum declarari debet; sin ex maleficio, firmum illud permanet; Simon., *De impotent.*, dict. cap. 7, thes. 4, n. 1 et plur. sequent.

(144. Quod concernit impedimentum *clandestinitatis*, nimium esset de eo pro dignitate disserere. Satis sit adnotare aliqua, quæ auctor, vel erronee, vel parum probabiliter firmavit.

(145. Male auctor n. 61 ait cardinalem in suo titulo venire nomine parochi, quoad assistentiam matrimonii. Ex his quæ dicta sunt supra in not. et addit. ad verb. CARDINALIS, articulo III, patet non habere amplius cardinalem jurisdictionem in populos, et parochianos. Quocirca non est cur matrimoniis assistere amplius valeat.

(146. Nec erat cur auctor n. 71 et plur. seq., sequendo Ursayam, sustineret quod, affectante parocho non audire verba, vel non videre signa attentantium contrahere matrimonium, et revera illa non audiente, vel hæc non vidente, invalidum sit matrimonium coram ipso contractum. (147. Licet enim admittamus non satis esse, ad implendam formam quam voluit Tridentinum concilium, materialem illam et physicam præsentiam parochi, sed requiri præsentiam moralem cum advertentia actus, qui geritur; (148. distinguendum tamen est inter parochum præsentem, et ex vi naturalis, vel accidentalis impotentiæ non audientem verba, aut signa mutui consensus non videntem, et parochum præsentem quidem, sed nolentem, et studiose, et voluntarie affectantem non audire eadem verba, aut videre signa mutui consensus. (149. *Primo* enim casu materialis et physica parochi præsentia non sufficit ad validitatem matrimonii; *secundo* vero casu materialis præsentia satis superque est: sufficitque audivisse, vel vidisse testes, si parochus audire aut videre noluit, cum posset.

(150. Et ratio vehementissima est, quia concilium Tridentinum non requisivit consensum parochi in contrahendo matrimonio, neque matrimoniorum libertatem ita angustare voluit, ut esset in cujusque parochi potestate illorum celebrationem impedire per suam ultimam voluntatem, et affectatam non intelligentiam, sed præsentiam parochi, uti publicæ personæ, requisivit ad tollendam clandestinitatem actus; ideoque si parochus præsens est, repugnet licet, simulet non audire, fugiat, increpet, faciat quod lubet, satis est esse præsentem, ut respondit Rota *in Majoricen. matrimonii*, 3 Jul. 1748, cor. R. P. D. Canilliac. Et fuit sensus sacræ congregationis Concilii interpretis *in Nicien. matrimon.*, 27 Mart. 1751.

(151. De matrimoniis contractis, non servata forma concilii Trident., inter hæreticos, vel hæreticos inter et Catholicos, in locis hæreticorum, in quibus fuit promulgatum concilium Tridentinum, de quibus agit auctor, n. 112 et 113, tum alibi, vide quid decreverit Benedictus XIV, die quarta Novembr. 1741; « super dubiis respicientibus matrimonia in Hollandia et Belgio contracta, et contrahenda. »

Responsio auctoris.

« Male auctor n. 61 (verba sunt D. additoris hic supra n. 146, relata), ait cardinalem in suo titulo venire nomine parochi, quoad assistentiam matrimonii. » Sed quoad hæc jam satis dictum est in verb. CARDINALIS, art. 3, n. 20, et art. 4, post. n. 4. Ad id autem, quod subjungit n. 147, dicens: « Nec erat cur auctor, n. 71 et plur. seq. sequendo Ursayam sustineret quod affectante parocho non audire verba, etc., » observet prudens lector quod omnia ibi tradita collegit, et sustinuit clarissimus Ursaya, celeberrimus advocatus Romanus. Et similiter in re sensit Benedictus XIV, *De synodo diœcesana*, lib. XIII, cap. 23, n. 10 et 11 (45). Decretum autem sac. congr. Conc. *in Nicien. matrimonii* ad ejus sensum a D. additore adductum, ut editum 21 Mart. 1751, fuit jam a me productum in *Supplement.* secundæ editionis Venetæ, qua ipse D. additor est usus, sed non editum dicta die 27 Mart. At vero, ut ex *Thesauro Resolut. S. C. Concilii*, editionis Roman. dicti anni 1751, diebus, ut sequitur. *Nicien. matrimonii, an constet de validitate matrim.*, etc. S. C. Concilii die 13 Februar. 1751, respondit *affirmative, et amplius.* Deinde ad instantiam D. Baronis, proposito dubio: « an sit standum, vel recedendum a decisis in casu, etc. » eadem S. cong. die 24 April. 1751, respon-

(45) Ex doctrina Benedict. XIV superius relata sub. n. 80, hujus artic. videtur sane non eam fuisse Laudati Pontificis mentem, quemadmodum auctor supponit, si ita sentit, ut sub n. 71 et seqq. art. cit. *Edit. Casin.*

Digitized by Google

dit : *dilata ad primam omnino*. Iterum, instante D. Barone, et proposito dubio : « an sit standum, vel recedendum a decisis in casu, etc., » sub die 8 Maii 1751, non fuit talis causa dicta die proposita. Noviter adhuc reproposito eodem dubio : « an sit standum vel recedendum a decisis in casu, etc. » Eadem sac. congreg. sub die 22 Maii 1751, respondit : *dilata ad primam*. Reproposito tandem eodem dubio : « an sit standum, vel recedendum a decisis in casu, etc. » Eadem sacr. congreg. sub die 19 Jun. 1751 respondit : *in decisis, et amplius*. Et super hac causa egomet fui consultus. Et circa id, quod D. additor ib., sub n. 152, subjungit de matrimoniis contractis, non servata forma concilii inter hæreticos, vel inter hæreticos et Catholicos in locis hæreticorum, in quibus fuit promulgatum concil. Trid. de quibus agit auctor n. 112 et 113 tum alibi ; vide quod decrevit Benedict. XIV, die 4 Novembr. 1741 super dubiis respicientibus matrimonia in Hollandia et Belgio contracta et contrahenda ; jamque a me de his et similibus traditum est in *Supplem.*, verb. *Matrimonium*, quidquid sancivit dictus Summus Pontifex, tum in cit. const., 4 Novembr. 1741, quæ incipit *Matrimonia*, tum in aliis consimilibus. Vide *ibi*, ubi abunde de omnibus.

ARTICULUS VII.

Quoad ea quæ concernunt facultatem dispensandi in impedimentis matrimonii.

SUMMARIUM.

1. Papa dispensare potest super quovis impedimento impediente, et super impedimentis de jure ecclesiastico dirimentibus. — 2. Papa ex præsumpta Dei voluntate, urgente aliqua gravi necessitate, dispensare potest super impedimentis de jure divino dirimentibus, quando originem trahunt a voluntate humana, et ad Deum referuntur. — 3. Hinc papa dispensare potest, gravi urgente necessitate, ut presbyter, seu religiosus, vel religiosa contrahat matrimonium. — 4. Afferuntur gravia exempla similium dispensationum. — 5. Papa dispensare potest in matrimonio rato nondum consummato. — 6. Nequit autem Papa dispensare in matrimonio fidelium jam consummato. — 7. Affertur, et solvitur instantia. — 8. Papa, proprie et rigorose loquendo, nequit dispensare in illis impedimentis, quæ sunt juris divini naturalis independentis quoad originem ab humana voluntate. — 9. Potest tamen papa jus divinum interpretari et declarare, quod in aliquo casu valde particulari propter aliquas gravissimas circumstantias, non obliget. — 10. Legati a latere, et nuntii apostolici possunt dispensare in sua provincia super omnibus illis impedimentis, super quibus possunt dispensare episcopi in sua diœcesi. — 11. Insuper solent legatis et nuntiis concedi a summo pontifice aliquæ aliæ speciales facultates, et quantum ad præsens dispensandi super impedimentis matrimonii enumerantur. — 12. Omnes tamen debent attendere præcisum tenorem specialium sibi concessarum. — 13. Consimiles dispensandi facultates solent obtinere episcopi Germaniæ, Indiarum, aliique in aliis remotioribus partibus. — 14. Episcopi independenter a similibus specialibus facultatibus possunt pro utroque foro ex aliqua justa causa dispensare in duobus impedimentis jure ecclesiastico solummodo impedientibus, scilicet *sacrato tempore, et vetito*. — 15. Episcopi possunt etiam ex justa causa dispensare super impediente impedimento voti cujuscunque, Papæ non reservati. — 16. Episcopi, ordinarie et regulariter loquendo, nequeunt de jure communi dispensare in ullo impedimento dirimente. — 17. Extraordinarie tamen, seu in casu magnæ et urgentis necessitatis possunt episcopi dispensare pro foro conscientiæ in impedimentis de jure ecclesiastico dirimentibus. — 18. Imo, etiam ante contractum matrimonium possunt episcopi dispensare in impedimentis de jure ecclesiastico dirimentibus ex urgent. etc. * Subnectuntur ad rem addit. Cas.* — 19. Vicarius generalis episcopi, vi officii sui, sine speciali mandato nequit dispensare super impedimentis matrimonii occultis in foro interno, super quibus potest episcopus jure ordinario. — 20. Multo minus potest vicarius generalis, vi officii sui, sine speciali mandato dispensare pro foro externo super illis impedimentis super quibus episcopus dispensare potest ex speciali facultate a Papa concessa. — 21. Episcopus potest vicario generali, et aliis sacerdotibus idoneis communicare dispensandi facultatem, quam habet ex privilegio, seu speciali facultate pro utroque foro. — 22. Et communicare etiam eam facultatem, quam habet jure ordinario pro foro interno. — 23. Non sufficit tamen generalis dispensatio, sed requiritur speciale mandatum, seu specialis delegatio, seu concessio. — 24. Capitulum, sede vacante, ejusque vicarius capitularis valide et licite potest dispensare pro foro conscientiæ super eisdem impedimentis occultis, super quibus potest episcopus jure ordinario. — 25. Non potest tamen dispensare super iis impedimentis, super quibus dispensat episcopus ex speciali facultate, seu privilegio. — 26. Commissarius bullæ cruciatæ potest dispensare pro foro conscientiæ in contracto ante matrimonium impedimento affinitatis ortæ ex copula fornicaria in primo, vel secundo gradu, tam lineæ transversalis, quam rectæ, dummodo concurrant aliquæ conditiones, quæ assignantur. — 27. Commissarius cruciatæ potest legitimare prolem susceptam ex matrimonio hujusmodi post notitiam utriusque conjugis de impedimento quoad ordines et beneficia tantum. — 28. Non potest tamen commissarius cruciatæ legitimare prolem, quæ ex impedimento est illegitima ; quando uterque conjux est in mala fide, nisi dispenset etiam in matrimonio, et matrimonium cum effectu contrahatur. — 29. Commissarius cruciatæ dispensare potest super impedimento orto ex affinitate superveniente ad petendum debitum. — 30. Omnes confessarii regulares Mendicantes, vi privilegiorum, possunt dispensare super quovis impedimento voti non reservati. — 31. Non habent dicti confessarii regulares privilegium dispensandi super omnibus impedimentis, tam dirimentibus quam impedientibus, super quibus jure ordinario dispensare possunt episcopi. — 32. Juxta varios magni nominis doctores possunt confessarii regulares post matrimonium, sive bona, sive mala fide jam contractum, dispensare in foro interno super occulto impedimento affinitatis, etiam in primo gradu, et prolem inde susceptam legitimam declarare. — 33. Ast vero contraria sententia tenenda est cum communiori aliorum. — 34. An, et quando, et cum quibus possint regulares, et alii dispensare ad petendum debitum, *remissive*. — 35. An dispensatio sine justa causa sit valida et licita, *remissive*. — 36. Regulares, in iis in quibus habent privilegium dispensandi, non possunt hoc facere extra sacramentum pœnitentiæ. — 37. Alii tamen tenent oppositum ; alia ad rem ad n. 42. — Subnectuntur *Addit. ex aliena manu* ad n. 45. — Item *Addit. Casin.*

Digitized by Google

(1. Papa potest dispensare super quovis impedimento impediente, et super impedimentis de jure ecclesiastico dirimentibus. *Communis*, arg. cap. *Proposuit* 4, De concessione præbendæ, ubi Pontifex de sua potestate loquens sic expresse dicit : «Qui secundum plenitudinem potestatis de jure possumus supra jus dispensare. » (2. Papa ex præsumpta Dei voluntate, urgente aliqua gravi necessitate, dispensare potest super impedimentis de jure divino dirimentibus, quando originem trahunt a voluntate humana, et ad Deum referuntur, ut in impedimento voti solemnis, et hujusmodi. Hostiensis in c. *Non est* 5, *De voto*, num. 1, et ibi Abbas, num. 5; D. Thomas, in 4, dist. 38, qu. 1, art. 4, quæstiuncula prima in corpore, et ibi Richardus, art. 9, qu. 1, in corpore, et ad primum; Henriquez, lib. VIII, *De Eucharistia*, cap. 13, n. 2, *In comment.*, litt. *R*; Rosignolus, contract. 15, *De matrim.*, 3, prænot. 10, n. 1; Sanchez, lib. VIII, disp. 6, n. 2, ubi testatur de communi. (3. Hinc Papa dispensare potest, gravi urgente necessitate, ut presbyter, et religiosus, seu religiosa, contrahat matrimonium. S. Thomas in 4, dist. 38., qu. 1, art. 3, ad 4, ubi sic præcise dicit : « Si communis utilitas totius Ecclesiæ, aut unius regni, vel provinciæ exposceret, posset convenienter, et in voto continentiæ, et in voto religionis dispensari, quantumcunque esset solemnizatum : non enim per votum posset se homo deobligare ab eo, in quo tenetur alteri. Unde talis posset imminere necessitas, ut posset alicui juste prohiberi ne continentiam aut religionem voveret, et eadem necessitate manente, potest etiam in voto dispensari jam facto ». S. Antonin., in II par., tit. 11, cap. 2, § 9, et in III par., tit. 1, cap. 15, § 3. Medina, *De sacror. homin. continentia*, cap. 21, cum plurib. seq.; Tolet, in *Summa*, lib. IV, cap. 19, n. 6, et pluribus aliis citatis; Fagnanus lib. III *Decretal.*, in cap. *Cum ad monasterium* 6, De statu monachor., num. 65 et 66, ubi dicit hanc esse sententiam communem theologorum, ac fere omnium canonistarum, quam etiam tacite approbarunt varii Summi Pontifices, qui dispensarunt cum episcopis, cardinalibus religiosis, et monialibus, ut videre est apud Corrad., in *Praxi dispensat.*, lib. VIII, cap. 10, nu. 28, et apud ipsum Fagnan., *loc. cit.*, et alios.

(4. Cœlestinus enim III dispensavit cum Constantia filia Rogerii Siciliæ regis, quæ, cum esset monialis professa Panormi, nupsit Henrico VI et ex tali conjugio jam quinquagenaria genuit Fredericum secundum, ut referunt Cajetanus in 2-2, quæst. 88, art. 11, in princip.; Fagn., *loc. cit.*, n. 69; et alii. Alexander III dispensavit ad nubendum cum Nicolao Justiniano sacerdote monacho in monasterio S. Nicolai ordinis S. Benedicti ad instantiam Venetorum ducis, ut referunt Bartholomæus a S. Fausto *De thesaur. religios.*, lib. II, qu. 36, num. 5, et Pineda, in *Monarchia ecclesiastica*, par. 4, lib. XXV, cap. 7, § 1, pag. 84. Fagnan., *loc. cit.*, n. 66. Gregorius XIII dispensavit cum fratre cardinalis Jojosæ Gallo sacerdote professo, et provinciali ordinis Capuccinorum, ut referunt Bartholomæus a S. Fausto, *loc. cit.*, qu. 46, a num. 8; Fagnan., *loc. cit.*, num. 66, et alii. Alexander VIII, 14 Jan. 1690, cum Francisco Leopoldo comite Slabata canonico Passaviensi subdiacono, ut refert Reiffenst., lib. IV *Decret.*, tit. 6, n. 16; ubi testatur fuisse alias sic dispensatum cum Cæsare Borgia, qui prius erat cardinalis diaconus; cum Ramiro Aragonum rege, qui prius erat episcopus, et cum pluribus aliis; et Justus Redu tom. II *Operis canonico-politici*, tit. 8, fol. 208, refert quod Juditha fuit monialis Ratisponensis, et dein trium regum conjux, scilicet Bretislai Bohemiæ, Mecislai Poloniæ, et Petri Hungariæ. Et multa alia exempla similium dispensationum refert Ursaya tom. IV, par. II, disc. 5, per tot.

ADDITIONES CASINENSES.

Minus accurate auctor tradit sub num. 4, h. art. Cajetanum, etc., secutus, Cœlestinum III dispensasse cum Constantia moniali professa, ut nubere posset Henrico Federici I filio, postea imperatori. Siquidem multa sunt quæ hujus facti falsitatem, nempe quod monialis esset, evincunt.

« Ac primum, cum constet eamdem Constantiam post obitum (* Rogerii Patris *) natam posthumam (* scilicet anno 1154 *), plane eluditur fabula illa, quam idem Fazellus narrat de eadem ipsa Constantia, quod percussus pater rex vaticinio Joachim abbatis, quo asserebat, si nupsisset, funestam futuram Siciliæ facem, fecerit eam retrudi in monasterium, atque religionem profiteri monasticam; nam si vivo patre rege, ipsa non nata : quomodo potuit per eum monacha effici, atque professa? sic igitur vides, lector, pudendum detectum errorem de falsa origine Constantiæ monachatus : » verba sunt Baronii, ad ann. 1186, n. XXX.

Deinde incongruum sane est Cœlestinum III dispensasse cum antedicta Constantia ad matrim. contrahendum, quippe, Godefrido Viterb. teste, in *Chron.* inter ipsam, et præfat. Henricum nuptiæ secutæ sunt Mediolani 27 Januarii 1186. De hujusmodi nuptiis hoc eodem anno secutis Sicardus in *Chron.*, Otto de S. Blasio, in *Chron.*, et Galvanus Flamma, in *Manip. florum* testantur : quibus et Gofridus monach. S. Pant., in *Annalibus* astipulatur, licet matrimonium, de quo sermo est, in octava Epiphan. apud Ticinum, præfato anno 1186 contigisse affirmet. Porro cit. anno (1186) Urbanus III Petri cathedram tenebat, non autem Cœlestinus III, qui non nisi anno 1191 Pontifex fuit electus, quando nimirum matrimonium ejusmodi ab hinc quinque annis amplius, uti vides, jam fuerat effectum. Præterea nullus ex scriptoribus coævis, nempe cit. Godefridi Viterb., Hugonis Falcandi, Arnoldi Lubecensis, Romualdi Salernit. archiep., Guillelmi Neubrigensis, Rogerii de Hoveden, at abbatis Uspergensis, ultra alios supradictos,

Digitized by Google

ipsam monialem professam ante nuptias exstitisse dicit, quorum certe historicorum silentium in re de qua agitur utique venit attendendum.

Ludovicus Art. Muratorius, *Annali d'Italia*, sub anno, ut supra, 1186, Baronii sententiam libentissime amplexus, monachatum Constantiæ intra fabellas amandavit.

(5. Papa dispensare potest in matrimonio rato nondum consummato. *Communis*, teste Rota Romana, dec. 101, n. 7, par. II, divers., et in *una Burgensi, dissolut. matrim.*, 27 Jun. 1594, relat. inter impressas post secund. volum. *Consil.* Farinac., quæ est 86, n. 1, in fin., ubi sic præcise habet : « Et domini quoad potestatem dissolvendi matrimonii rati non consummati, dixerunt non esse dubitandum, quia hæc est communis opinio canonistarum, præsertim de consensu conjugum, et ex justa causa, » cap. *Ex publico*, et ibi *Glossa*, verb. *Consummatum*, *De convers. conjug.* Et de facto in matrimonio rato dispensarunt Gregorius VII, Martinus V, Eugenius IV, et S. Pius V, ut referunt Arsdekin tom. II, pag. 129 ; Delbene, part. II *De inquisit.*, dub. 336, sect. 66, n. 20 ; Gregorius XIII et Urbanus VIII, ut refert Justus Redn tom. I *Operis canonico-politici*, tit. 3, sect. 2, n. 26 et 27, fol. 46, et teste Sanch., lib. II, disp. 4 ; dictus Gregorius XIII uno die quatuordecim matrimonia rata dispensando dissolvit quoad vinculum. Et plurima exempla similia dispensationum refert Ursaya, tom. II, par. I, disc. 3. per tot., et tom. III, par. II, disc. 21, per tot., adducens n. 153 votum sacr. congr. Conc. sub die 20 Maii 1719 etiam dissentiente uno ex conjugibus.

(6. Nequit autem papa dispensare in matrimonio fidelium jam consummato. *Communis* inter Catholicos contra hæreticos, volentes etiam matrimonium consummatum quoad vinculum solvi posse propter unius adulterium, aut discessum a vera religione. Et ratio est, quia, cum matrimonium fidelium elevatum sit a Christo in sacramentum, et significet unionem indissolubilem ipsius Christi cum Ecclesia per carnem assumptam, expresse ipsemet Christus præcepit *Matth.* XIX, quod a nulla humana potestate posset dissolvi, ibi : *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Nec valet dicere, quod matrimonium ratum et consummatum non differant nisi accidentaliter. Unde si Papa dispensare potest in rato, possit etiam in consummato. (7. Non valet, inquam, quia dato etiam, et non concesso, quod differant solummodo accidentaliter, physice loquendo, differunt tamen substantialiter moraliter ob supervenientiam illius significationis, quæ fundatur in unitate carnis, quæ ante consummationem non aderat ; duo enim conjuges fiunt una caro per copulam conjugalem, *arg.* cap. *Debitum* 5, De bigamis, ubi dicitur quod matrimonium ratum significat solummodo unionem Christi cum anima per gratiam, quæ, quia sæpe in anima solvitur, etiam matrimonium ratum solvi potest. At matrimonium consummatum, cum ex dicto cap. *Debitum*, significet indissolubilem unionem Christi cum Ecclesia, etiam ipsum est indissolubile per quamcunque humanam potestatem ; aliter aptum non esset ad illam indissolubilem unionem Christi cum Ecclesia repræsentandam.

(8. Papa, proprie et rigorose loquendo, nequit dispensare in illis inpedimentis, quæ sunt juris divini naturalis imdependentis quoad originem ab humana voluntate. Est fere communis. Et ratio est, quia jus naturale divinum est supra quamcunque potestatem creatam, etiam Pontificiam ; adeoque Pontifex non potest, absolute, proprie et rigorose loquendo, super eodem dispensare, quia directe dispensatio tenderet in jus divinum naturale, ad quod non extenditur ejus facultas. Sic enim se habet papa ad legem Dei, sicuti inferior ad legem superioris. Imo minor est proportio Papæ ad legem divinam, quam inferioris prælati ad legem humanam ; cap. *Damnamus* 2, De summa Trinitate, vers. *Quia inter Creatorem et creaturam ;* sed in lege humana inferior nequit dispensare in lege superioris ; cap. *Inferior* 4, dist. 21 ; cap. *Cum inferior* 16, De majorit. et obedient., Clementina, *Ne Romani* 2, De election., § 1, ubi expresse habetur, « quod lex superioris per inferiorem tolli non potest ; » ergo nec Papa dispensare potest in illis impedimentis, quæ sunt juris divini naturalis independentis quoad originem ab humana voluntate, cum hoc videatur contrarium sacris canonibus ; c. *Sunt quidam* 6 ; c. *Contra statuta* 7 ; c. *Omne* 8, caus. 25, quæst 1 ; cap. *Super eo* 4, De usuris, cap. *Litteras* 13, De restitut. spoliat., cap. *Cum ad monasterium* 6, De statu monachor.

(9. Potest tamen Papa jus divinum interpretari, et declarare quod in aliquo casu valde particulari, propter aliquas gravissimas circumstantias non obliget, cum scilicet ex divinæ legis observantia, aut aliquod majus bonum impeditur, aut aliquod grave damnum inde sequitur, cujus exempla sunt in cap. *Licet* 23, De testibus, in cap. *Quanto* 18, De jurejurando ; *Glossa* in cap. *Non est* 5, De voto. Interpretatio enim authentica fieri potest ab habente eamdem auctoritatem ; cap. final. *De constitutionibus*, videlicet a legislatore ipso, vel ejus successore, qualis est Pontifex, non tamen successor Petri, quam vicarius Christi cum plenitudine potestatis. Et ratio est, quia si Pontifex in aliquo simili gravi et urgente casu non posset legem divinam interpretari, et declarare, cum pro interpretatione ad Deum recursus non pateat, non fuisset ipse bonus paterfamilias (quod nullimode est dicendum), si gregem suum dimisisset sine pastore, qui in casibus dubiis et arduis, posset jus divinum interpretari, et declarare, et sic omibus suis ovibus pro necessitate consulere. Abbas in capit. *Proposuit* 12, De concession. præbend. ; Almain., *De potest. eccles.*, c. 13 ; Turrecremat., in *Summa de Eccles.*, lib. II, cap. 7, et lib. III, cap. 53, et in cap. *Conjunctiones* 2, caus. 53, quæst. 3, n. 3 ; Covarruv., 4 *Decret.*, II part. cap.

Digitized by Google

.6, § 9, n. 4; Sylvester, verb. *Papa*, quæst. 16 et 17; Navarr., lib. IV *Consil.*, in 2 edition., tit. *De sponsalibus*, consil. 39, n. 16, et tit. *De desponsat. impub.*, consil. 4, n. 16; Solus, *De justit. et jure*, lib. X, quæst. 3, art. 1; Vasquez, in *Opuscul. moral.*, in tractat. *De benefic.*, c. 4, § 2, dub. 1, n. 122; Suarez, *De Eucharistia*, quæst. 74, art. 2, disp. 43, sect. 4, vers. *Tertia sententia*; Cardinalis in cap. *Cum ad monasterium* 6, De s'atu monachor., § ultim., n. 7; Catharinus, lib. VI, *in Cajetanum* in quæstione illa: « An pontifex possit dispensare in voto solemni religiosorum? » S. Thomas in 2-2, quæst. 54, art. 6, et in *Quodlibet* 4, art. 3, in corp., et ad primum; Durandus in 4, dist. 23, quæst. 1, num. 15; Rosignolus, tract. 15, *De matrimon.*, III, prænot. 10, n. 15; Reiffenstuel, lib. I *Decretal.*, tit. 2, n. 457; Fagnanus, lib. I *Decretal.*, in cap. *Cum pridem* 4, De pactis, n. 80, et alii passim.

(10. Legati a latere et nuntii Apostolici possunt dispensare in sua provincia super omnibus illis impedimentis, super quibus possunt dispensare episcopi in sua diœcesi, ipsi enim reputantur ordinarii judices suæ provinciæ, textu expresso in c. *Legatos* 2, De officio legati, in 6. (11. Insuper solent legatis et nuntiis concedi a Summo Pontifice aliquæ aliæ speciales facultates, et quantum ad præsens dispensandi super impedimentis matrimonii; *primo*, dispensandi in tertio, et quarto, tam *consanguinitatis* quam *affinitatis* gradu simplici, et mixto tantum cum pauperibus in contrahendis matrimoniis; *secundo*, in contractis vero cum hæreticis conversis etiam in secundo simplici et mixto, dummodo nullo modo attingat primum gradum, et in his casibus prolem super impedimento *publicæ honestatis* ex sponsalibus proveniente; *tertio*, dispensandi super impedimento *criminis*, neutro tamen conjugum machinante, et restituendi jus petendi debitum amissum; *quarto*, dispensandi in impedimento *cognationis spiritualis* præter levantem, et levatum in baptismo; *quinto*, nuntii Hispaniæ, ex privilegiis S. Pii V sub die quarta Aug. 1571, et Greg. XIII sub die 25 Junii 1576, possunt dispensare cum Judæis in omnibus gradibus jure divino non prohibitis, vel conjunctis, vel attinentibus, et aliquando etiam dispensant in impedimentis dirimentibus post matrimonium contractum, si occulta fuerint, et alii alias ampliores solent a Summo Pontifice pro exigentia temporum, locorum, et personarum obtinere facultates dispensandi, unde quisque stare debet suis obtentis concessionibus, et privilegiis. (12. Omnes tamen ad hoc, ut vi talium privilegiorum seu facultatum possint valide dispensare in impedimentis matrimonii, debent omnino observare clausulam, quam Papa similibus dispensandi privilegiis adjicere solet his verbis: « Hæ vero matrimoniales dispensationes non concedantur, nisi cum clausula: dummodo mulier rapta non fuerit, vel si rapta fuerit, in potestate raptoris non existat, in dispensationibus hujusmodi declaretur expresse illas concedi tanquam a sedis apostolicæ delegato. « Ad quem effectum etiam tenor ejusdem facultatis inseratur cum expressione temporis, ad quod fuerint concessæ, alias nullæ sint. »

(13. Consimiles dispensandi facultates solent obtinere episcopi Germaniæ, Indiarum, aliique in aliis remotioribus partibus, quas sibi concessas debet quisque attendere, nec excedere, semper servato adamussim sibi factæ concessionis tenore, et plene observata supradicta clausula. (14. Episcopi, independenter a similibus specialibus concessionibus, possunt pro utroque foro justa ex causa dispensare in duobus impedimentis jure ecclesiastico solummodo impedientibus, scilicet *sacrato tempore*, et *vetito*, nisi Papa aliquod matrimonium specialiter vetet. Communis et certa. (15. Episcopi possunt etiam ex justa causa dispensare super impediente impedimento voti cujuscunque Papæ non reservati, v. g. *castitatis* ad tempus, vel in perpetuum, si est conditionale, vel pœnale, item voti non nubendi, vel ordines suscipiendi. Communis et certa; argum. Extrav. *Etsi Dominici*, *De pœnit et remission.*, ubi inter vota reservata Summo Pontifici non comprehenduntur supradicta; votum enim castitatis perpetuæ ibi reservatum intelligitur de voto perfecto, et absoluto, et quidem præcise quoad substantiam, non idem quoad qualitates, vel circumstantias eorum; quia, cum talis reservatio sit præjudiciosa juri ordinario episcoporum, tanquam odiosa est stricte interpretanda juxta communissimam doctorum sententiam; argum. cap. *Odia* 15, De reg. juris, in 6, ibi: « Odia restringi, et favores convenit ampliari. »

(16. Episcopi, ordinarie et regulariter loquendo, nequeunt de jure communi dispensare in nullo impedimento dirimente. *Communis.* Et ratio est clara, quia omnia impedimenta jure ecclesiastico dirimentia sunt introducta decreto Summi Pontificis, aut alterius concilii generalis; episcopi autem, uti inferiores Papæ, et generali concilio, nequeunt in eorum lege dispensare; argum. cap. *Inferior* 4, dist. 21, cap. *Cum inferior* 16, De majorit. et obedient., et Clementina *Ne Romani* 2, *De election.*, expresse dicitur: « Lex superioris per inferiorem tolli non potest. » (17. Extraordinarie tamen, seu in casu magnæ et urgentis necessitatis possunt episcopi dispensare pro foro conscientiæ in impedimentis de jure ecclesiastico dirimentibus, si concurrant sequentes conditiones. 1° Si impedimentum sit occultum. 2° Si matrimonium sit publicum. 3° Si sit contractum bona fide, sive cum ignorantia impedimenti. 4° Si adest gravis causa, seu necessitas, v. g. impediendi scandalum, quod certo oriretur in separatione. Si necessitas sit urgens, ita ut non patiatur dilationem, quia conjuges nequeunt abstinere ab usu putati matrimonii, donec dispensatio a Pontifice vel nuntio veniat. Sic tenent communiter doctores cum Reiffen-

Digitized by Google

stuel, lib. IV *Decretal.*, in *Appendice de dispensatione super impedimentis*, n. 15; Barbosa, *De offic. et potest. episcop.*, allegat. 35; Sanch., lib. II, *De matrimonio*, disput. 40, per tot.; La Croix, lib. VI, par. III, n. 835, argum. cap. *Quoniam* 13, caus. 1, quæst. 7; cap. *Sicut* 11, De consecrat., dist. 1; cap. *Omnes* 1, De feriis; capit. *Consilium* 2, De observ. jejunior.; cap. *Consuluisti* 3, De celebrat. missar., et cap. *Quod non est* 1, De regulis juris, ibi: «Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum.» In qualibet enim dispositione intelligitur excepta necessitas; cap. *Licet* 6, De pœnit. et remissionib.; Fagnanus, lib. I *Decret.*, in c. *Nihil* 44, De election.

(18. Imo etiam ante contractum matrimonium possunt episcopi dispensare in impedimentis de jure ecclesiastico dirimentibus (46), quando adest urgentissima necessitas salutis animæ, et non est aditus ad Papam, vel ratione moræ in exspectatione dispensationis Pontificiæ est periculum incontinentiæ, aut alterius gravis mali spiritualis; argum. *Omnibus cit. juribus*, quia, ut expresse dicitur in cit. cap. *Sicut* 11, De consecrat., dist. 1, «Necessitas non habet legem,» et in c. *Consilium* 2, De observat jejunior., ibi: «Cum non subjaceat legi necessitas,» et tenent Reiffenst., *loc. cit.*, n. 15; Barbosa, *loc. cit.*; Bosco... Guttierez... Cardenas... Vasquez, Salas, Præposit., Castropalao, Hurtad., Reginald., Pont., Bonacina, Villalob., Bassæus, Silvius, Victorellus, Molfesius, Diana, Leander, Homobon., Cornejo, Machado, Candidus, et alii, quos citat et sequitur La Croix, *loc. cit.*, num. 838. Et ita declarasse Sixtum V testatur Pyrrus Corradus in *Praxi dispensat.*, lib VIII, cap. 4, n. 40. Et ratio est, quia non est præsumendum, nec ullo modo credendum, quod Papa in tali casu necessitatis velit privative quoad ordinarios sibi reservare cum dispendio boni communis animarum potestatem a Christo Domino in bonum commune ipsarum animarum concessam. Hoc enim non esset consonum fini ejusdem reservationis, qui est ad evitanda scandala, pericula, et peccata; non autem ut eisdem irretiantur, et esset contra suavem et providam gubernationem Ecclesiæ, quæ potestatem suam gerere debet, non in destructionem, sed in ædificationem animarum, juxta illud Apostoli *II ad Corinth.* X, ibi: *Nam etsi amplius aliquid gloriatus fuero de potestate nostra, quam dedit nobis Dominus in ædificationem, et non destructionem vestram*, etc.

Addenda et notanda ex Benedicto XIV.

(In hoc edit. Casin.)

« ... De impedimento dirimente occulto (ita Bened. XIV) quod obstat matrimonio nondum contracto, sed proxime contrahendo, scimus... non deesse doctores qui episcopo facultatem asserant illud auferendi, cum tales urgent rerum circumstantiæ, ut nec Summus Pontifex consuli, nec matrimonii contractus, ad quem omnia sunt disposita, differri possit sine scandalo, et paratorum ad nuptias infamia: ad præcavenda enim prædicta gravia mala, si alius non suppetat modus illis occurrendi, præsumendum est, Summum Pontificem delegare episcopo potestatem dispensandi, quam certe, requisitus, non esset ei denegaturus. Hanc facultatem, nullius præcedentis doctoris patrocinio fretum, se omnium primum episcopis vindicasse, gloriatur Sanchez... sed eum postea secuti sunt Pontius... Hurtadus... Perez... Bonacina... Barbosa... Cabassutius... Wiestner Anacletus. Sed quamvis hæc opinio, teste citato Bonacina, hodie sit fere communis, eam tamen acriter reprehendit, et exagitat Fagnanus in cit. cap. *Nimis*, num. 33 et 35, *De filiis presbyter.*, fortasse quia, ut adnotavit Perez, cit. sect. 6, n. 13, est moraliter impossibile eas omnes concurrere rerum circumstantias, quas sibi fingit Sanchez, in quibus nequeat matrimonium retardari absque scandalo, cum alii plurimi semper præsto sint modi, ab eodem Perez indicati, protrahendi tempus nuptiis, absque ulla suspicione criminis, et infamia eorum qui jam erant ad eas celebrandi accincti.

« Sed, quidquid sit de ea extraordinaria potestate, quæ ex præsumpta Summi Pontificis voluntate in aliquo eventu, urgentissimæ videlicet necessitatis, et impedimenti occulti, competat episcopis, nullum in præsens de ea ferimus judicium: sed tantum disserimus de ordinaria potestate dispensandi in quibusdam impedimentis dirimentibus publicis. Hanc potestatem, communi fere calculo doctores denegant episcopo: quinimo sacræ Urbis congregationes, Concilii videlicet, ac supremæ Inquisitionis non semel proscripserunt, tanquam falsam et temerariam propositionem asserentem episcopo jus dispensandi super impedimento dirimente publico, quod obstat matrimonio contrahendo, etiamsi gravis urgeat illud contrahendi necessitas: uti videre est apud Joannem Baptistam Rigantium, virum apprime doctum tom. IV *Commentarior. in regul. cancellar.*, in notis ad regul. 49, n. 1 et 2 (47) ubi sacrarum congregationum responsa, summa diligentia congesta, per extensum, ut dicitur, referuntur, et doctorum in hanc rem placita copiose allegantur. Et nihilominus aliquot episcopi eamdem potestatem etiam nunc sibimet ipsis ascribunt, et

(46) Intellige de impedim. occultis. (*Edit. Cas.*)

(47) Hæc porro apud Rigantium: « Ad Sedem Apostolicam privative quod episcopos jus pertinere dispensandi super gradibus matrimonium dirimentibus, vix in dubium revocari potest. Cum enim ab Ecclesia universali, sive illius capite Romano Pontifice sint impedimenta præfata instituta dispensatio super eis ad caput ipsum universalis Ecclesiæ, non ad episcopos spectat... Hinc cum alias episcopus Syracusanus, litteris datis ad clar. mem. cardinalem Corradum san. mem. Alexandri VII prodatarium narrasset, in diœcesibus suæ conterminis nonnullos episcopos eam sequi sententiam, quod possent in casu urgentissimæ necessitatis ante contractum ma-

Digitized by Google

contra juris communis principia, ac communem doctorum sensum, etiam in suis synodalibus constitutionibus sibi asserere quandoque non dubitant; et quod magis dolendum est, non desunt aliqui, licet pauci, DD., hac in re episcopis blandientes; quorum nonnulli innituntur (*prætenso*) axiomate... (**quidquid potest Pontifex in universo orbe, si ea excipias quæ totius Ecclesiæ statum respiciunt, uti fidei artic. definire, potest episcopus in sua diœcesi, nisi specialiter Papa sibi illud reservavit** [48]); alii vero innituntur diuturna consuetudine, per quam acquisitam decantant quibusdam episcopis potestatem relaxandi aliqua impedimenta dirimentia, qua, spectato jure communi, carerent. Hinc Gibertus suarum *Consultationum* tom. XII, consul. 59, *De matrim.*, absolute docet episcopos in hoc negotio unice spectare debere suorum prædecessorum praxim, libereque posse, legitima exigente causa, eas dispensationes indulgere, quas a suis prædecessoribus concessas deprehenderint. Hinc pariter Natalis Alexander *Theolog. dogmat. et moral.*, cit. lib. II, *De matrim.*, c. 4, art. 13, postquam reg. 11 auctoritatem dispensandi super impedimentis matrimonium dirimentibus, publicis et notoriis, uni vindicavit Romano Pontifici, inquiens : « Hodierna Ecclesiæ disciplina, « secundum quam dispensationes in gradibus « prohibitis consanguinitatis vel affinitatis,

trimonium super impedimento publico dirimente dispensare, doctos, ut aiebat, auctoritate, et rationibus per P. Vincent. Tancredi allegatis, *in Quæst. moral.*, tom. I, q. 78, consiliumque peteret an eadem sibi liceret uti facultate, re per laudatum cardinalem exposita Pontifici, discussum fuit ejus mandato in S. congreg. Concil. dubium : « An epi- « scopus in casu urgentissimæ necessitatis, possit ante « contractum matrimonium in impedimento publico « dispensare : » Et die 13 Martii 1660 prodiit responsum, *negative*. Successive vero cum ab eminentissimis ejusdem s. congregationis Concilii PP. injunctum fuisset DD. qualificatoribus sanctissimæ Inquisitionis, ut propositionem quoad prætensam a nonnullis episcopis facultatem dispensandi certis in casibus super gradibus matrimonii dirimentibus, qualificarent, prodiit qualificatio his verbis concepta: « Propositio asserens episcopum posse dispensare « in publico impedimento matrimonii pro matrimonio « dirimente consanguinitatis contrahendo sive in arti- « culo mortis, sive in alia urgentissima necessitate, in « qua contrahentes non possint exspectare dispensa- « tionem sedis apostolicæ, est *falsa, temeraria, scan- « dalosa, perniciosa, et seditiosa.* » Deindeque eadem s. congreg. Concil. die 19 Januarii 1661 censuit. « Nox exscriptam propositionem esse falsam, et te- « merariam. »

... « Nulla igitur, et irrita sunt matrimonia inter consanguineos vel affines, contracta cum dispensatione ab episcopis impertita, nec Sedes Apostolica matrimonia prælata revalidat, permittendo quod in iis contrahentes remanere possint, sed mandat de novo contrahi, servata forma concil. Tridentini. Solumque, ubi multitudo fuit in causa, quia nempe bona fide fuerunt nulliter matrimonia contracta inter consanguineos et affines præviis dispensationibus episcoporum, aut missionariorum dispensandi facultate carentium, viti illa in radice revalidata sine novo consensu ad evitandam stragem tot matrimoniorum, et ne conscientiæ inquietentur; ut in casu *Aecnionen.*, de anno 1693. Et modernis hisce temporibus Sedes Apostolica nec expresse dicta matrimonia revalidat, sed rescribere jubet : « Non esse in- « quietandos existentes in bona fide. » *Comment. in regul.* 49 *Cancellariæ*, n. 2 et 4.

(48) Hujus propositionis falsitas pro extollenda episcoporum jurisdictione, sicque eis tribuenda facultate dispensandi in matrim. de quo hic, ratione et auctoritate clare evincitur. — « Ratione quidem: etenim... etiam seclusa superioris prohibitione, nequit inferior legem, ab eodem superiore latam, aut abrogare, aut relaxare : superior quippe, statim ac aliquid per suam legem præscribit aut prohibet, illud subtrahit ab ordinaria potestate inferioris; cui propterea non licet in illam falcem immittere, nisi velit suam voluntatem anteponere voluntati superioris, per legem manifestatæ : quod profecto esset suæ subjectionis jugum excutere, et qui majoris potesta- « tis est, judiciis suis addiscere, aut propriis definitio- « nibus subjugare : » quam intolerabilem insolentiam reprehendit Nicolaus I in epistola ad Michaelem imperatorem, relata in Can. *Inferior.*, dist. 21. Præterea, si integrum esset episcopo legem relaxare a concilio generali aut a Summo Pontifice rogatam, tota everteretur Ecclesiæ disciplina, caput subjiceretur membris, et proinde actum jam esset de ecclesiastica hierarchia divinitus instituta : quod bene ponderavit... Fagnanus in cap. *Nimis*, num. 44, De filiis presbyterorum, inquiens : « Unde etiam appa- « ret, longe minus admittendum esse, jure ordinario « episcopum dispensare contra legem concilii gene- « ralis, vel Summi Pontificis, quoties dispensandi fa- « cultas illi non adimitur : hæc enim doctrina, nisi « temperetur, secundum ea quæ dicta sunt, falsa et « periculosa est, et nullatenus ad praxim deducenda : « nam inferiorem posse contra legem superioris abso- « lute dispensare, nihil est aliud quam caput mem- « bris et superiora inferioribus subjicere, et ordinem « naturalem invertere, et ecclesiasticam hierarchiam « confundere, Dei ordinatione institutam : præsertim « vero quia mos sacrorum canonum, et conciliorum « est fere ubique simpliciter præcipere, aut prohibere, « quid faciendum sit, vel non faciendum : raro autem « descendunt ad prohibitionem dispensationis. Unde, « si liceret episcopis dispensare, quotiescunque dispen- « satio in specie non prohibetur, consequenter esset « in eorum facultate, totum jus commune, et concilia « universalia subvertere, in singulis casibus dispen- « sando, quod est erroneum asserere. »

« Ad auctoritatem quod attinet... clariores, nullique cavillationi obnoxii sunt textus, qui ad contrarium axioma confodiendum, producuntur. Primus est in Clem. *Ne Romani, De elect.*, in qua Clemens V ait : « Nos, inter cætera, præcipue attendentes, quod « lex superioris per inferiorem tolli non potest : » idque ita intelligendum declarat, ut nequeat ab inferiori : « corrigi, vel immutari, aut quidquam ei « detrahi, sive addi, vel dispensari quomodolibet circa « ipsam, seu aliquam ejus partem. » Alter textus est in cap. *Sancta Romana*, De religiosis domibus, inter Extravag. Joannis XXII, ubi legitur : « Quidam au- « tem eorum dictum habitum, et vivendi ritum a qui- « busdam episcopis, seu eorum superioribus, vel Ec- « clesiarum prælatis habuisse profitentur, quos nec « eis concedere licuit contra formam concilii genera- « lis. » Ad quem locum opportune notat *Glossa*, litt. *N* : « Non licet igitur episcopis contra inhibitionem ge- « neralis concilii facere, cum sint astricti ad obser- « vantiam canonum; » idemque late ostendunt Innocentius in cit. cap. *Dilectus*, De tempor. ordinat., n. 2 et 3, in cap. 2, *De eo, qui furtive ordinem suscepit*; Panorm... Covarr... Gutierez... Suarez... Vasquez... Sanchez... Pontius... Cabassutius... Diana... aliique innumeri, ab his allegati. » Bened. XIV, *De syn. diœc.*, lib. IX, c. 1, num. 5 et seqq.

Digitized by Google

« aliisve impedimentis dirimentibus, Romano « Pontifici reservatæ sunt, cum publicum im- « pedimentum est, et de matrimonio contra- « hendo agitur, non permittit ut episcopi his « in circumstantiis dispensent. Cum enim ab « Ecclesia universali, sive illius capite Roma- « no Pontifice, sint instituta impedimenta « matrimonium dirimentia, dispensatio super « eis, communi jure, ad caput universalis « Ecclesiæ, Romanum Pontificem, non ad « episcopum, pertinet; ut colligitur ex cap. « *Cum inferior extra*, De majorit. et obed. « Conciliaque provincialia plurima, Ritualia « Ecclesiarum, auctores omnes id confirmant, « et auctoritatem dispensandi competere ne- « gant episcopis, cum publicum impedimen- « tum est, vel de contrahendo matrimonio « agitur; » postquam (inquam) hanc commu- nem doctrinam diserte tradidit et insinuavit, in sequenti regul. 12 eamdem in hunc modum limitat : « Si tamen antiqua sit, et « legitime præscripta diœcesis consuetudo, ut « episcopus in quarto gradu, etiam de contra- « hendo, certis in casibus dispenset, quia « ejus decessores hac usi sunt ab antiquo ad « hanc usque diem facultate, quæ a Sede Apo- « stolica concessa creditur (quod in quibusdam « Galliarum diœcesibus fieri novimus), de his « dispensationibus haud movenda lis est : « siquidem consuetudo legitime præscripta « juri positivo præjudicat, ususque longævi « non levis est auctoritas, ut dicitur cap. *Cum* « *consuetudinis*, et cap. *Cum tanto*, *extra*, De « consuet. » Hinc denique nonnulli Gallicani episcopi, uti narrant Pontas in verb. ***Dispensatio matrimonii***, cas. 35; Herminier, *De sacramentis*, tom. III, c. 17; auctor *Collationum ecclesiasticarum Parisiensium* sub cardinali de Noailles, tom. III, lib. v, collat. 2, c. 2; Gerbesius in *Tractatu*, quem edidit, *de potestate Ecclesiæ, et principum super impedimentis matrimonii*, et Sainte-Beuve, tom. *Resol. casuum conscientiæ*, cas. 66 et 67, usum prætexentes suorum decessorum, dispensant in impedimento quarti, et alicubi etiam tertii gradus consanguinitatis, seu affinitatis; et alii jus vindicant relaxandi insuper impedimenta cognationis spiritualis, criminis, et publicæ honestatis; licet alii ejusdem regni antistites, observante eodem Sainte-Beuve, sibi integrum non esse arbitrentur, ab ullo cujuscunque generis canonico impedimento, matrimonium dirimente, quemquam solvere : prout scilicet, sicuti idem auctor prosequitur, fert diversa, quæ in qualibet diœcesi inolevit, consuetudo.

« Ab eadem quoque consuetudine, quæ ex privilegio, et indulto Apostolico initium sumpsisse censenda sit, contendunt similiter episcopi Leodienses, se potestatem adeptos dispensandi in quarto et in tertio, hinc inde, consanguinitatis gradu : « Si imminens ap- « pareat periculum defectionis partium ad « vicinos fidei hostes, mutuæ internecionis « parentum et amicorum inter se, ob corru- « ptam puellam, et partes non habeant media « recurrendi ad Urbem : » quemadmodum referunt Lessius in *Auctor.*, verb. *Matrimonium*, cas. 9; Gobat, *Theolog. experim.*, tract. 9, n. 596, et Van-Espen, *Jur. Eccl. univ.* tom. I, part. II, tit. 14, cap 1, n. 11, quod tamen jus sibi non arrogare alios Belgii episcopos, ne eos quidem, quorum diœceses auctoritate Pauli IV a Leodiensi divulsæ sunt, opportune animadvertit Zypæus ad tit. *De eo qui cognovit consanguineam uxoris*, n. 13.

« Verum, sicuti graviter errant qui potestatem de qua agitur episcopis adjudicant, unice freti illo axiomate (de quo supra), cujus falsitatem plur. concil. provincial., Ritualia Ecclesiarum, auctoresque omnes agnoscere, fatetur etiam citatus Natalis Alexander in alleg. regul. 11, ita periculum est, ne se, aliosque decipiant, qui eam a consuetudine mutuantur. In primis enim prudenter dubitari potest, an ejusmodi consuetudo, in florentissimo Galliarum regno, Apostolicæ Sedi obsequentissimo, et sacrorum canonum religiosissimo custode, ullo unquam tempore viguerit, cum non solum contingere potuerit, hunc illumve episcopum in hoc aut illo impedimento dispensasse, ex privilegio sibi a prima Sede specialiter concesso; sed etiam, ita rem se habuisse constet ex regestis sacræ congregationis de Propaganda Fide, et sancti Officii, in quibus frequentes adnotatæ reperiuntur hujusmodi speciales concessiones episc. Gallicanis indultæ, dispensandi super impedimentis tertii et quarti gradus : unde Ducasse, auctor Gallicanus, in sua *Practica jurisdictionis ecclesiasticæ*, cap. 10, sect 7, scribit, timoratæ conscientiæ et excellentis doctrinæ Gallicanos episcopos dispensasse post indultum sibi a Sede Apostolica concessum, et a dispensatione abstinuisse, postquam cessaverat nec fuerat renovatum indultum, quod ad certum tempus obtinuerant. In hac autem dubietate, non licere successori similes dispensationes elargiri, recte adnotavit idem Natalis Alexander in fine cit. regul. 12, scribens : « At, si dubitet, vel merito dubitare « debeat episcopus, an dispensationes a suis « decessoribus concessæ, sint ex privilegio « reali et perpetuo, an ex privilegio personali, « dispensare non potest, nisi et ipse dis- « pensandi privilegium a Summo Pontifice « obtineat. In re enim sacramenta spectante, « non licet minus probabilem, ac minus « tutam opinionem sequi, relicta probabi- « liore, atque tutiore. »

« Quod autem aliquot Galliarum episcopi ex privilegio mere personali, non vero ex consuetudine, nacti sint facultatem super aliquo impedimento dispensandi, inde etiam conjicimus, quod ex una parte incredibile videatur, talem consuetudinem intra unius vel alterius diœcesis limites constitisse, nec conterminas permeasse; id quippe evenire vix potuit in re episcopis favorabili, atque in regno servandæ inter pastores disciplinæ, morumque concordiæ, et unitatis studiosissimo : ex alia vero scimus quamplurimos Galliarum antistites diserte declarasse, sibi fas non esse ullum auferre seu relaxare impedimentum, matrimonium dirimens:

Digitized by Google

siquidem concilium Turonense anni 1583, tit. *De matrim.*, tom. X *Collectionis* Harduini col. 1405, definivit : « In quarto consangui-« nitatis et affinitatis, necnon cognationis spi-« ritualis prohibitis gradibus, episcopis dis-« pensare non licere declaramus : » in concilio Tolosano anni 1590, cap. 8, ibidem, col. 1804, legimus : « Quos cognationis gradus impe-« dit, licet jam legimus solutos et dispensatos, « nisi visa prius Summi Pontificis dispensa-« tione, in matrimonii conjunctionem parochi « non recipiant : » synodus Lingonensis apud Natalem Alexandrum cit. regul. 12, post enumeratas personas, in aliquo usque ad quartum consanguinitatis gradum, inter se conjunctas, ait : « Inter istos non est legi-« timum matrimonium, nisi cum eis sit per « Sedem Apostolicam dispensatum : » idem-que sancitum declaratumque reperiri in synodo Trecensi, idem Natalis Alexander testatur. Additque Diot in opere, cui titulus *Sacramentarium pastorum*, tract. 13, *De dispensationibus matrimonialibus*, cap. 8, edit. Parisien., an. 1709, in generali congregatione Episcoporum, et universi cleri Gallicani declaratum esse, dispensationes omnes matrimoniales ad solum Papam pertinere, et parlamentis esse obsistendum, si aliquando episcoporum dispensationes admittant. Quis autem credat tot Gallicanos episcopos suæ jurisdictionis tenacissimos sibi sponte adjudicasse eam auctoritatem, quam passim viderent ab aliis finitimarum diœcesium præsulibus jure ordinario, et non mere delegato, exerceri ?

« At, etiam dato, in aliquam diœcesim irrepsisse consuetudinem, de qua contenditur ut per eam collatum dicamus episcopo legitimum jus auferendi impedimenta, a conciliis œcumenicis, aut a Summis Pontificibus inducta ; diligenter prius examinandum est an ea consuetudo omnes habuerit conditiones necessarias, ut potuerit prævalere legi episcopo inhibenti, ne superioris statutum infringere, aut quoquo modo relaxare præsumat. Quin imo, cum talis consuetudo non solum tendat ad abrogandam legem, verum etiam ad tollenda et minuenda jura uni competentia Romano Pontifici ; præter cæteras conditiones, necesse est ut centum ad minus annorum spatio, sine ulla interruptione, perseveraverit. Quocirca citatus Van-Espen, *Jur. eccl. univers.*, part. II, tit. 14, c. 1, n. 11, ut episcopo Leodiensi auctoritatem astruat dispensandi in tertio, et quarto, et in tertio hinc inde, consanguinitatis seu affinitatis gradu, eamque ex legitima consuetudine ab eo acquisitam evincat, ejusmodi consuetudinem contendit esse immemorabilem. Ad consuetudinem quoque, cujus initii memoria non exstet, confugit citatus auctor *Collationum Parisiensium* tom. III, collat. 2, § 2. Verum postremo, et potissimum considerandum est an per eam consuetudinem, si qua inoleverit, *disrumpatur nervus ecclesiasticæ disciplinæ ;* in quo eventu, nunquam per eam adversus legem præscribi declaravit Innocentius III in cap. *Cum inter*, De consuet.

Num porro prædicta consuetudo ejusmodi inficiatur vitio, potius, quam a nobis, præstat audire a Gallicano auctore Cabassutio, qui cit. lib. III, cap. 47, loquens de auctoritate dispensandi, quam sibi vindicant nonnulli suæ nationis præsules, hæc habet : « Si, in oppositum reclamantibus conciliis « œcumenicis, quæ hanc potestatem uni Sum-« mo Pontifici, legatoque reservant, sibi au-« sint vindicare Gallicani ducenti circiter, et « quadraginta nimirum episcopi, cum suis vi-« cariis, seorsim in suis diœcesibus, singuli « pro suo arbitrio, hujusmodi licentiam, in-« gruet profecto tota Gallicana ditione admo-« dum exuberantior, et inordinatior inter tot « tamque diversa sibi, aliisque indulgentium « prælatorum capita, in dispensandis matri-« moniis licentia. Quin etiam, si per univer-« sum regnum ista invalesceret consuetudo « (quod malum Deus avertat), contingeret de-« mum, ut quilibet laici, etiam subalterno-« rum tribunalium judices, per captionem et « distractionem bonorum episcopalium, ip-« sosmet episcopos cogerent, pro suo pecu-« liari, aut amicorum, aut partium postulan-« tium affectu, ad sic dispensandum, sicut « jamdudum compellunt invitos ad monitoria « et excommunicationes decernendas ; sic-« que simile quid illis obveniret Divinæ huic « apud Isaiam comminationi : *Pro eo quod « abjecit populus iste aquas Siloe, quæ vadunt « cum silentio ; propter hoc ecce adducet Do-« minus super eos aquas fluminis fortes et « multas.* Sic enim renuentes hac in parte « summo universalis Ecclesiæ Pontifici sub-« jici, compelluntur indignissime laicorum « judicum infimorum decretis obtemperare, « aut propriorum fructuum, ni pareant, in-« terceptionem, ac privationem pati. » Et post adducta modo a nobis relata loca conciliorum Turonensis et Tolosani, inanem decernentia hac in re dispensationem, quæ a Summo Pontifice non dimanarit, concludit Cabassutius : « Sane istæ ab episcopis con-« cessæ dispensationes pro contrahendis con-« jugiis, aut nullitatem, aut incertitudinem « causant sacramenti. At vero in re sacramen-« taria unanimes docent theologi non esse « licitum, quidquam incerti adhibere, eo cer-« to medio prætermisso, quod adhiberi possit. « Atque ita licentia ista vel nefariam inducit « sacramenti nullitatem, aut ad summum, tu-« tiore simul et probabiliore opinione rejecta, « minus probabilem, nec tutam, instanti mo-« menti sacramento, consectatur opinionem. »

« Huic Cabassutii monito (concludit Benedict. XIV) morem gerant episcopi, et nullius consuetudinis prætextu eam exerceant facultatem, quam dubiam saltem atque incertam esse, dissimulare non possunt. » *De synod. diœces.*, lib. IX., cap. 2, n. 2 et seqq.

(19. Vicarius generalis episcopi, vi officii sui, sine speciali mandato, nequit dispensare super impedimentis matrimonii occultis in foro interno, super quibus potest episcopus jure ordinario ; arg. c. *Quid agendum* 4, De procurat. in 6, et in cap. *In generali concessione* 81, De regulis juris, in 6.

Digitized by Google

et l. *Illud*, ff. *De min.*, et tenent Sanchez, lib. II, disp. 40, n. 12; Vincentius de Justis, lib. IV, cap. 2, n. 158, 159, *De dispensationibus;* Puteus, decis. 53, n. 2, lib. III; Lotterius, *De re benefic.*, lib. I, quæst. 28, n. 123; Bosco, *De matrim.*, disp. 12, sect. 13 conclus. 3, n. 189; Guttierez, lib. III, *Canon. qq.*, cap. 19, n. 15; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 34; Barbosa, *De offic. et potest. episcop.*, allegat. 54, n. 121; post *Glossam* communiter receptam in cap. *Quæ de causa* 9, caus. 2, quæst. 4, vers. *Quidquid*, ubi ita argumentatur: « Cum enim dispensatio se habeat instar restitutionis in integrum, et restitutio in integrum non delegetur per mandatum generale; » argum. l. *Illud*, ff. *De min.*, ergo nec dispensatio. Et ratio est quia cum dispensatio sit ex arduis et extraordinariis, non venit in generali mandato, in quo ardua et extraordinaria non comprehenduntur, et patet a simili in dispensatione pro foro interno, in suspensionibus et irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, quæ dispensatio, vi officii sui, non competit vicario generali sine speciali mandato ac commissione, ex concilio Tridentino sess. XXIV, *De reformat.*, cap. 6, ibi: « Per seipsos, aut vicarium ad id specialiter deputandum. » (20. Multo minus potest vicarius generalis, vi officii sui, sine speciali mandato, dispensare pro foro externo super illis impedimentis, super quibus episcopus dispensare potest ex speciali facultate a Papa sibi concessa. Communis ac certa.

(21. Episcopus potest vicario generali, aut aliis sacerdotibus idoneis communicare dispensandi facultatem, quam habet ex privilegio, seu speciali facultate pro utroque foro. *Communis*: constat enim clare ex clausula, quæ expresse solet apponi in simili privilegio seu facultate, ibi: « Communicandi has facultates in totum, vel in partem. » (22. Et communicare etiam eam facultatem, quam habet jure ordinario pro foro interno; *communis;* arg. cap. *Cum episcopus* 7, De offic. et potestate delegati, in 6. (23. Non sufficit tamen generalis deputatio, seu commissio ad hoc, ut vicarius generalis possit dispensare in dictis impedimentis; sed requiritur speciale mandatum, seu specialis delegatio vel concessio, dicendo v. gr. « Concedo tibi etiam omnem facultatem, quam ego habeo, sive jure ordinario, sive ex privilegio, aut speciali Papæ concessione dispensandi pro utroque foro in impedimentis matrimonii. » Sic contra paucos Barbosa, *De offic. et potest. episcopi*, allegat. 54, n. 59; Reiffenst., *loc. cit.*, n. 40; Engel, *De officio vicarii*, n. 10, eoque teste alii communiter; arg. cap. *Quid agendum* 4, De procurat., in 6, et cap. *In generali concessione* 81, De reg. juris, in 6.

Capitulum, sede vacante, ejusque vicarius capitularis valide et licite potest dispensare pro foro conscientiæ super eisdem impedimentis occultis, super quibus potest episcopus jure ordinario. *Communis.* Et ratio est quia capitulum, sede vacante, succedit episcopo in omnibus, quæ sunt jurisdictionis ordinariæ (demptis solis casibus in jure specialiter exceptis), arg. cap. *His quæ* 11 et cap. *Olim*, 14, De majorit. et obedient., cap. *Ad abolendam* 9, De hæretic., cap. *Ecclesiæ cathedrali* 4, De supplend. negligent. prælator., in 6, cap. *Cum nullus* 3, De temporib. ordinat., in 6, cum similibus. (25. Non potest tamen dispensare super iis impedimentis, super quibus episcopus dispensat ex speciali facultate sibi concessa, aut particulari privilegio. *Communis;* arg. c. *Pastoralis* 11, § *Præterea*, De officio judic. ordinarii, et cap. *Privilegium* 7, De reg. juris, in 6, ibi: « Privilegium personale personam sequitur, et exstinguitur cum persona, » et l. *In omnibus* ff. *De regul. juris*, ibi: « In omnibus causis id observatur, ut ubi personæ conditio locum facit beneficio, ibi deficiente ea, beneficium quoque deficit. »

(26. Commissarius bullæ Cruciatæ potest pro foro conscientiæ dispensare in contractu ante matrimonium impedimento affinitatis ortæ ex copula fornicaria in primo vel secundo gradu, tam lineæ transversalis, quam rectæ, dummodo concurrant sequentes conditiones, scilicet quod matrimonium fuerit jam cum dicto impedimento contractum, servata forma concilii; impedimentum sit occultum; alter conjugum bona fide, et ignarus impedimenti contraxerit; et quod conjux ignorans de nullitate matrimonii moneatur (tacita causa nullitatis, si videatur expedire ad evitanda scandala), ut sic matrimonium etiam secreto de novo tales conjuges inter se contrahere possint. *Communis;* patet enim hoc totum ex ipsamet bulla Cruciatæ, et cum aliis docet Vincentius de Justis, lib. II, cap. 2, n. 167, *De dispensationibus.* (27. Commissarius Cruciatæ potest legitimare prolem susceptam ex matrimonio hujusmodi post notitiam utriusque conjugis de impedimento quoad ordines, et beneficia tantum; Pontius, lib. VIII, cap. 13, n. 8; De Justis, *loc. cit.*, n. 168, et alii. (28. Non potest tamen commissarius legitimare prolem, quæ ex impedimento est illegitima, quando uterque conjux est in mala fide, nisi dispenset etiam in matrimonio, et matrimonium cum effectu contrahatur; Sanchez, lib. VIII, disput. 6, n. 26; De Justis, *loc. cit.*, n. 171, et alii passim. Pontifex enim facultatem commissario concedendo, id facit in gratiam matrimonii. (29. Commissarius Cruciatæ dispensare potest ab impedimento orto ex affinitate superveniente ad petendum debitum; Sanchez, *l. c.*, num. 13; Pontius, *l. cit.*, n. 10; De Justis, *l. c.*, n. 169, et alii communiter.

(30. Omnes confessarii regulares mendicantes, vi privilegiorum, possunt dispensare super quovis impedimento voti non reservati, id est super impedimento voti: 1° Suscipiendi ordinem. 2° Castitatis non perpetuæ. 3° Etiam perpetuæ, sed pœnalis. 4° Conditionati. 5° Vel ex metu emissi. 6° Vel urgente necessitate. 7° Non nubendi; Sporer *in 2 præceptum Decal.*, cap. 3, sect. 3, n. 54; Sanchez, lib. IV *Moral.*, cap. 43, n. 2; Henricx, disp. 4, *De voto*, q. 6, n. 65, et com-

Digitized by Google

munis aliorum, tam theologorum, quam canonistarum, ut testatur, et tenet Reiffenstuel, lib. III *Decretor.*, tit. 34, n. 39, et lib. IV, in *Appendice de disputatione super impedimentis*, § 11, n. 538 et 539, et patet clare ex pluribus privilegiis Summorum Pontificum, ut Innocentii VIII, Eugenii IV, Martini V, Pauli III, Gregorii XIII, ut videre est in compendiis privilegiorum Dominicanorum, Minorum, Augustinianorum, Carmelitarum, Societatis Jesu, ac aliorum regularium. (31. Non habent tamen dicti confessarii regulares privilegium dispensandi super omnibus impedimentis, tam dirimentibus, quam impedientibus, super quibus jure ordinario dispensare possunt episcopi, ut prætendunt aliqui. Et ratio nostra est quia talis facultas non competit regularibus, nec ex jure, ut omnes concedunt, nec ex privilegio; cum nullum allegari possit, prout etiam ipsi adversarii nullum allegant. Nec valet dicere quod sicuti confessarii regulares mendicantes possunt dispensare super quovis impedimento voti non reservati, super quo jure ordinario possunt episcopi, ita etiam possunt dispensare super omnibus impedimentis, tam dirimentibus quam impedientibus, super quibus dispensare possunt jure ordinario episcopi. Non valet, inquam, quia in tantum possunt dispensare super votis, super quibus possunt jure ordinario episcopi, in quantum ad hoc habent specialia et expressa privilegia sibi concessa a variis Summis Pontificibus, ut patet supra n. 30. Nullum autem privilegium habent dispensandi super omnibus impedimentis, super quibus possunt episcopi. Unde adversariorum opinio non est sequenda, ut pote omnino periculosa, et penitus improbabilis ut recte advertunt Gobat. in *Theologia experimentali*, tract. 9, n. 721; Reiffenstuel, lib. IV *Decretor.*, in cit. *Appendice*, n. 140 et 141; Cardenas, in 2 crisi, diss. 2, n. 379; La Croix, lib. VI, part. III, n. 892, et alii passim.

(32. Juxta varios magni nominis doctores possunt confessarii regulares post matrimonium, sive bona, sive mala fide jam contractum, dispensare pro foro interno super occulto impedimento affinitatis, etiam in primo gradu, et prolem inde susceptam legitimam declarare. Sic expresse docent Richardus, Roffensis episcopus, ab omnibus etiam adversariis summe laudatus tanquam vir celeberrimæ doctrinæ et sanctitatis, ab Henrico VIII, Angliæ rege, in odium fidei catholicæ occisus, et consequenter martyr, in suo libello *De causa matrimonii regis Angliæ*; Chassaing., *De privileg. regular.*, tract. 5, cap, 5, proposit. 3; Veracrux, II part. *Specul. aurei*, art. 27, vers. *Et hoc confirmatur expresse;* Reiffenstuel, lib. IV *Decret.*, in cit. *Appendice*, n. 542 et sequent., et alii: et probant ex privilegio, quod dicunt per bullam fuisse a Leone X concessum Augustinianis, scilicet: « Quod cum his, qui in primo affinitatis gradu scienter aut ignoranter contraxerunt, modo notorium id non fuerit, neque in judicium productum, dispensare valeant; ut de novo contrahant, et in eodem contracto matrimonio remaneant, prole etiam legitimata. » Ita tenor privilegii, ut patet ex bulla Leonis.

Hoc privilegium in terminis etiam adducit doctissimus Rodriquez noster tom. III, qq. *Reg.* qu. 2, art. 2, dicens verum esse: « Quod Leo X, fratribus Augustiniani ordinis concessit dictum privilegium per totum Orbem Christianum, quemadmodum in ejus bulla palam continetur; » sunt formalia verba Rodriquez, quæ non protulisset, si bullam non vidisset et legisset: Et addit: « Roffensis episcopi testimonio certe credendum est propter ejus maximam sanctitatem, siquidem pro fide catholica gladiis impiorum occubuit; » licet postea idem privilegium impugnet, dicens cum aliis non esse in usu. Idipsum privilegium ex Veracrux adducit etiam Quintanadvenas *Singularium* tract. 9, singular. 1, n. 1, addens ad finem: « Veracrucio, utpote Augustiniano, in privilegiis sui ordinis scribenti, fides adhibenda videtur. » Idem privilegium allegat etiam Sanchez, lib. VIII, disp. 6, n. 28; Pellizarius, in *Manuali regularium* lib. VIII, capit. 3, n. 343; Gobat, in *Theologia experimentali*, tract. 9, n. 719; Bassæus, Bonagratia, et alii communiter.

Nec (dicunt defensores hujus privilegii), nec valet asserere hoc privilegium non esse in usu, quia dato, et non concesso, quod non sit in usu, id provenit ex ignorantia ejusdem privilegii, quali non usu privilegia minime amittuntur, juxta Innocentium in cap. *Accedentibus princ.*, De privil., Donat., tom. I, tract. 12, q. 6, n. 6; arg. l. *His usumfructum*, ff. *Quibus modis usufructus amittitur*. Nec etiam obstat, addunt ipsi, allegatum privilegium non competere episcopis, quia constat regulares pluribus aliis etiam privilegiis gaudere, quibus carent episcopi, uti bene *loc. citato* observat Chassaing., Hactenus Reiffenstuel, *loc. cit.*, a n. 542, qui dein, adductis et solutis aliis Adversariorum objectionibus sub n. 549, sic expresse concludit: « Ex quibus omnibus, cum aperte constet viros doctrina et virtute celeberrimos, fideque dignissimos pro certo asserere, et testari sæpe dictum privilegium per bullam Leonis X revera fuisse concessum, rationes vero, et fundamenta doctorum idem privilegium impugnantium solum apparentia non autem efficacia videantur, sufficienter probata videtur... vera existentia quæstionati privilegii. »

(33. Ast vero, cum sententia defendens tale privilegium sit contra communiorem aliorum, ut fatetur ipsemet Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 342, et deinde sub n. 550 dicit consultum non esse, ut regulares mendicantes ordinarie, vel passim illo etiam pro solo conscientiæ foro utantur, sed ad pœnitentiariam recurrant, dicendum est cum communiori et veriori sententia, non licere in praxi uti tali privilegio, adeoque non posse regulares post contractum matrimonium dispensare pro foro interno super occulto impedimento affinitatis in primo gradu. Sic

Digitized by Google

pluribus adductis probat, et tenet Cardenas in 2 crisi, dissertat. 2, a n. 348; Sanchez, lib. VIII, *De matrim.*, disp. 6, n. 28; Gobat, *l. c.*, tract. 9, n. 725; La Croix, lib. VI, part. III, n. 892; Quintanadvenas, Vega, Henriquez, et alii communiter observantes tale privilegium Leonis X non reperiri apud illos, qui diligenter collegerunt mendicantium privilegia, nec ullibi reperiri assertam bullam similis concessionis.

(34. An autem, quando, et cum quibus possint regulares, et alii dispensare ad petendum debitum? *Vide* verb. DEBITUM CONJUGALE, artic. 2, per tot.

(35. An vero dispensatio sine justa causa sit valida et licita? *Vide* verb. DISPENSATIO.

(36. Hic pro complemento est advertendum quod regulares in iis, in quibus habent privilegium dispensandi, non possunt uti tali privilegio extra sacramentum pœnitentiæ, ut probabilius tenent Rosignolus, tract. 15, *De matrimonio*, III, prænot. 12, num. 31; Corduba, in *Summa*, q. 152; Manuel in *Bulla Cruciatæ*, § 9, n. 113, reg. 9; Ludovicus Lopez, II part. *Instruct.*, *ubi de clavibus*, cap. 9, col. 9; Vega, tom. II *Summæ*, c. 129, caus. 34; Hieronymus Sorbus Capucinus in suis *adnotationibus* ad *Compendium privilegiorum minorum;* » verb. *Votum*, nota 9; Ludovicus Beja, p. II, *Moral. resp.*, cas. 9; Sayrus, lib. VI, *Clavis*, c. 11, n. 105, et lib. V, c. 60, n. 10; Sanctarellus, *De Jubilæo*, c. 8, dub. 8; Suarez, tom. II *De religione*, lib. VI, c. 16, n. 4, et alii magis communiter. Et ratio deducitur ex eo quod habetur in privilegio Pauli III concesso religiosis Societatis Jesu, ubi dicitur: « Et confessionibus diligenter auditis, conceditur facultas absolvendi, nec non et vota commutandi: » ubi per ly *confessionibus diligenter auditis* importatur ablativus absolute positus; ablativus autem absolute positus importat conditionem requisitam; l. *A testatore*, ff. *De condition. et demonstrat.* Tum quia hujusmodi facultas non conceditur regularibus quomodocunque, sed regularibus confessariis deputatis, ut constat ex privilegio in *compendio Societatis Jesu*, verb. *Dispensatio*, § 10, ibi: « Per facultatem benedictionis concessam a Martin. V possunt nostri confessores deputati dispensare in votis, etc.; » ergo præcise in actu confessionis: aliter superflue exigeret statum et qualitatem confessarii, si etiam extra confessionem posset dispensare. Quamvis enim commutatio et dispensatio in votis non exigat secundum se confessionem sacramentalem, prout tamen fit a confessario regulari ex concessione Pontificum, exigit talem confessionem, cum regulares non exerceant judicium, nisi in ipsa confessione.

(37. Contrarium tamen tenent Sanchez, *De matrimonio*, lib. VIII, disp. 16, n. 11; Henriquez, lib. VII, *De indulgentiis*, c. 30, n. 6; Quintanadvenas, tract. 9, singular. 11; Diana, part. III, tract. 2, resolut. 14; Gobat, tract. 10, n. 604; Portel., Aversa, et alii volentes quod regulares possint dispensare etiam extra confessionem. Imo Quintanadvenas, *l. c.*, et Gobat, *loc. cit.*, n. 204, dicunt posse regulares dispensare etiam cum absentibus, et proinde, si Parochus scribat alicui religioso facultatem habenti, *Peto a R. V. ut dispenset cum N. N.* (tacito proprio nomine) *in debiti petitione*, erit res salva, cum confessarius rescripserit, *Dispenso;* dummodo subsit causa rationabilis, quæ vix potest deesse. Sic Gobat, *loc. cit.*, n. 604*. Absit tamen, ut quis hanc sententiam ad praxim deducat!

(38. Dispensatio matrimonialis super tertio et quarto gradu simplici, non se extendit, nec tollit impedimentum duplicis, tertii, et quarti gradus; Benedict. XIV, constitut. incip. *Etsi matrimonialis*, § 1 et 6. Dispensatio matrimonialis obtenta super gradu remotiori, reticito proximiori, est valida, modo hic primum gradum nullatenus attingat; idem *ib.*, § 6. Hinc validum est matrimonium contractum ope dispensationis obtentæ super quarto gradu, nulla tertii gradus facta mentione, et antequam litteræ declaratoriæ præscriptæ a S. Pio V, constit. incip. *Sanctissimus*, fuerint obtentæ: idem, *ibid.*, § 6. Et jam declaraverat S. congr. Concil. *in Lucerien. nullitatis matrimonii* 28 Mart. 1722, quamvis sine dictis litteris declaratoriis matrimonium esset illicitum. Idem *ibid.*, § 6. Dictæ enim litteræ declaratoriæ super propinquiori gradu requiruntur, ut caveatur scandalum, ne forte aliqui videntes oratores fuisse dispensatos in gradu remotiori, existiment matrimonium esse nullum, si per dictas Apostolicas litteras non sit declaratum non obstare distantiam propinquioris gradus: unde ordinarius in foro externo, exsequendo litteras dispensationis, non debet dispensare, nisi exhibitis litteris declaratoriis super gradu propinquiori: quod si post contractum matrimonium, sciat oratores (aliquo tamen denuntiante) non expressisse gradum propinquiorem, deberet illos separare, donec dictas litteras declaratorias exhibuerint. At vero si ob omissionem expressionis hujusmodi nullum scandalum immineat, nec res deducta sit ad forum externum, valebit matrimonium sine hujusmodi litteris declaratoriis, quæ deserviunt tantum pro foro externo, et pro scandalo vitando; ut recte docent Pyrr. Corrad., in *Praxi dispensat.*, lib. VII, c. 7, n. 19, et alii passim.

(39. Dispensatio in radice matrimonii a solo Romano Pontifice, et quidem nonnisi ex causis admodum urgentibus, conceditur. Idem Pontifex, *ibid.*, § 7. Dispensatio autem in radice matrimonii intelligitur solum de impedimento ortum habente a jure ecclesiastico, non autem a jure divino, aut naturali, et per eam non fit, ut matrimonium nulliter contractum, non ita fuerit contractum, sed effectus de medio tolluntur, qui ob hujusmodi matrimonii nullitatem, ante indultam dispensationem, atque etiam in ipso matrimonii contrahendi actu, producti fuerunt. Idem, *ib.*, § 7, se referens ad tradita ab ipso in discursu confecto, dum in

Digitized by Google

minoribus secretarii congregationis Concilii munere fungeretur in causa *Pragen. matrimonii*, proposita die 13 Junii 1720, 16 Januarii 1723, 28 Aug. ejusdem anni, et tandem resoluta die 18 sequentis Sept., uti videri potest tom. I et II *Thesauri resolutionum* dictæ congregationis, ubi dicit quod quemadmodum Summus Pontifex potest legem ecclesiasticam irritare et revocare, non tantum quoad in posterum secuturos effectus, ne incurrantur, sed etiam quoad effectus antea productos, juxta textum in Clementina, *Quoniam, De immunit. eccles.*, sic dispensando in radice matrimonii, id est in origine, seu initio ipsius, et revocando impedimentum dirimens matrimonium, et simul et semel abrogando legem ecclesiasticam, quæ dictum statuit impedimentum, facit ut dispensatio retrotrahatur ad originem, sive initium matrimonii, et sic quod proles quoad omnes effectus legitima sit, et habeatur, et quidem quoad effectus etiam civiles directe, in territoriis suæ temporali jurisdictioni subjectis, juxta ea, quæ ex celebri responso Innocentii Papæ tertii in cap. *Per venerabilem*, Qui filii sint legitimi, plane colliguntur, et quoad Territoria alienæ temporalis jurisdictionis, saltem indirecte quoad dictos effectus civiles.

(40. Dispensatio in radice matrimonii ab altero obtenta, sub narrativa, quod alter conjux impedimentum ignoret, nulla est, si alter demonstret se impedimenti conscium fuisse ante petitam obtentamque dispensationem; idem, *ibid.*, § 7; scientia tamen, aut dissensus post dispensationem superveniens, non attenditur; idem, *ibid.*

(41. Impedimentum dirimens matrimonium non oritur ex præcedenti adulterio, si machinatio absit, et fides futuri matrimonii; Benedict. XIV, tom. I, const. 113, incip. *Redditæ*, § 15 et 30. *Vide supra* verb. ADULTERIUM.

« Illud (vero) constat in more positum non esse, ut Sedes Apostolica in matrimoniis jam contractis, seu contrahendis dispensationem impertiat *super impedimento criminis*, si illud publicum fuerit, vel conjugi mors illata sit *altero, aut utroque machinante;* et profecto Clemens VIII viris potentissimis id expetentibus constanter denegavit. Attamen, ut saluti animarum aliquo modo prospiceretur, summo pœnitentiario facultatem Pontifex concessit, ut *in foro conscientiæ tantum impedimentum criminis* dissolveret, si ipsum crimen occultum sit; monet vero Pontifex, id raro peragendum, si conjugis mors patrata fuerit *utroque, vel altero machinante :* necessitas intercedere debet, aut gravissimum periculum; nec ullo modo tribui dispensatio hæc potest, nisi prius in congregat. vel signatura sac. Pœnitentiariæ res diligenter examinetur (ut in hac formula): « super impedimento « criminis adulterii, si fuerit cum fide data « duntaxat, neutro machinante commissum, « possit tam in contrahendis, quam in con« tractis matrimoniis dispensare: Si vero « crimen hujusmodi fuisset, utroque, vel « altero machinante, patratum, possit dis« pensationem concedere, raro tamen, et « quando necessitas postulaverit ratione ali« cujus gravis imminentis periculi, quod « prudentia Majoris Pœnitentiarii re præser« tim discussa in Congregatione, vel signa« tura, arbitrandum erit. » Ita Benedictus XIV, *Instit. ecclesiast.* 87, p. 21.

(42. Impedimentum justitiæ publicæ honestatis ex matrimonio rato non consummato est fortius eo, quod ex sponsalibus oritur; idem constitut. 89, incip. *Alias*, § 15, ubi Pontifex mandat episcopis, et missionariis Serviæ, quod idcirco ab hujusmodi dispensatione concedendo abstinere debeant, non obstantibus amplis facultatibus sibi concessis.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(43. Ut episcopus dispensare valeat super impedimentis dirimentibus matrimonio jam contracto, tunc quum facile recurri ad Sedem Apostolicam nequit, plura concurrant oportet, quam ea, quæ affert Auctor n. 17. 1° Scilicet ut matrimonium contractum sit servata forma a concilio Tridentino præscripta. 2° Ut bona fide sit contractum. 3° Ut sit consummatum, quam conditionem, eamque omnino necessariam omittit Auctor. IV. 4° Ut impedimentum sit occultum. 5° Ut nequeat sine gravi scandalo fieri separatio; San. mem. Benedictus XIV, *De synod. diœcesan.*, lib. IX, cap. 12, n. 1, 2 et 3; P. Girald., in not. ad Maschat., *Instit. canonic.*, ib. IV, tit. 21, tractat. ib. inserto *De dispensat.*, § 6.

(44. Cæterum si occultum illud impedimentum postea detegatur, et deducatur ad forum contentiosum, nova, eaque Pontificia dispensatione opus est. Iidem auctores locis mox citatis.

(45. Matrimonio vero nondum contracto, etiamsi gravis urgeat necessitas, episcopum haud dispensare posse super impedimentis dirimentibus publicis, quidquid nonnulli sentiant, et cum his fortassis Auctor n. 18, qui non limitat suam propositionem ad impedimenta occulta, ex mente sacræ congregationis universalis Inquisitionis, tum congregationis Concilii interpretis, probat San. mem. Benedict. XIV, *ubi supra*, qui ita concludit: « Sacræ urbis congregationes, Concilii videlicet, et supremæ Inquisitionis, non semel proscripserunt tanquam falsam et temerariam propositionem asserentem episcopo jus dispensandi super impedimento dirimente publico, quod obstat matrimonio contrahendo, etiamsi gravis urgeat illud contrahendi necessitas. » Vide addita supra ex Bened. XIV, sub n. 18, h. art.

ADDITIONES CASINENSES.

In nostris additionibus sub v. LOTH, lectorem remisimus ad alias item nostras animadversiones subnectendas sub v. MATRIMONIUM, artic. 3, juxta editionem Venetam, qui articulo respondet 7, in edit. Barbell. ut in hac, quæ curis nostris editur, nempe in quo agitur de dispensat. in impedimentis matrim., etc.

Digitized by Google

Ibi ex sententia, quam attulimus Cornelii a Lapide, dictum, quod « concubitus filiæ cum patre est contra omnem naturæ pudorem, unde nullo casu aut necessitate licitus est, nisi Deus dispenset, eumque concedat : » sunt cit. interpretis verba, *in Genes.*, cap. XIX.

Præstat ad majorem rei claritatem Bellarminum audire, qui, postquam de conjugiis naturali pudori adversantibus atque indispensabilibus (49) disserit, in hunc sane modum concludit : « Putamus (sic ille) a Deo dispensabilia esse conjugia omnia in quovis gradu : nullus enim est gradus, in quo conjugium sit intrinsece malum, ut repugnet illud fieri bene. Quod ex eo patet quia nullus gradus tollit finem matrimonii primarium, vel secundarium, licet aliquo modo impediat : nam ex conjugio etiam filii cum matre nasci possunt liberi et educari, etc., neque legi ullum, qui expresse hoc negaverit. Nam ipse etiam Cajetanus, in 2-2, q. 154, art. 9, gradum istum primum in linea recta, dicit habere per se et naturaliter annexum impedimentum conjugii; tamen ibidem scribit conjugium in hoc gradu dispensabile esse ab Auctore naturæ.

« Et aliquod argumentum ad hoc probandum afferri potest ex facto filiarum Lot, quæ cum existimarent nullum omnino virum in mundo superesse, crediderunt sibi licitum esse ex proprio patre liberos quærere, *Gen.* XIX. Et quanquam a peccato non excusentur, quia debuissent curam istam generis propagandi patri relinquere, aut certe cum eo communicare consilium, et ipsius exspectare judicium, et non prævenire, ac patrem decipere; tamen factum ipsum indicat, in tam extremo casu non esse omnino contra humanam rationem ejusmodi conjugium, præsertim si accederet auctoritas dispensantis Dei. Imo Chrysostomus, homil. 44 *in Genes.*; Ambros., lib. I, *De Abraham*, c. 6, eas omni crimine liberat. August., lib. XXII, *contra Faustum* cap. 44 (50) peccasse dicit, non tam ardore libidinis, quam nimio amore posteritatis. » *De matrim.*, lib. I, cap. 28.

ARTICULUS VIII.

De revalidatione, seu ratificatione matrimonii invalide contracti.

Artic. novus edit. Casinensium.

SUMMARIUM.

1. Revalidatio matrimonii quid importet, et quando locum habeat. — 2. In probabilitate valoris matrimonii jam contracti potest illud haberi ut validum, modo dubium vertat circa impedimentum ab Ecclesia appositum. — 3. An ad revalidandum matrimonium nullum ob occultum impedimentum, sed in facie Ecclesiæ jam celebratum, necesse sit illud iterum renovari coram parocho, et testibus ad n. 6. — 7. Quando impedimentum intelligatur esse occultum : ad n. 11. — 12. Utrum matrimonium sit revalidandum coram parocho, et testibus, si ipsi tempore matrimonii contracti fuerunt conscii impedimenti. — 13. An quando matrimonium fuit nullum ob aliquod impedimentum sit necessarium ad illud revalidandum, ut, ablato impedimento, uterque conjux fiat conscius de nullitate matrimonii ad n. 17. — 18. Quotuplici modo possit renovari, seu exigi consensus a parte inscia impedimenti post obtentam dispensationem. — 19. Quid in casu defectus consensus, nempe quia fuit fictus, vel motu extortus, quando matrimonium contractum fuit, ad n. 26. — 27. Quid in casu erroris personæ, etc.

(1. Quoniam experientia patet, persæpe matrimonia invalide contrahi vel ob impedimentum aliquod dirimens publicum, aut occultum, idque uni soli, vel utrique conjugi notum; vel ex defectu consensus ex parte unius, vel utriusque est tantum simulatus, aut fictus consensus, vel ob metum injuste incussum : aut adest error circa substantiam, seu individuum personæ, aut circa conditionem : de modo revalidationis talium matrim. juvat singillatim disserere.

(2. Ac primum prænotandum communem esse DD. sententiam, quod cum agitur de matrimonio revalidando, propter bonum animarum præsumitur Ecclesia in impedimento (si forte adsit) dispensare, semper ac adest de illius (matrimonii) valore vera probabilitas. Unde, ubi dubitatur inter DD. de valore alicujus matrimonii, bene potest haberi illud ut validum, si vere probabile sit de jure validum esse; modo dubium vertat circa impedimentum ab Ecclesia appositum, nam in impedimentis de jure naturali non potest Ecclesia dispensare. Ita D. de Ligorio, *Theol. mor. de matrim.*, n. 1109.

(3. Porro ut ab impedimento occulto in matrimonio nulliter contracto exordiamur : « Quæritur : An ad revalidandum (hujusmodi) matrimonium nullum ob occultum impedimentum, sed in facie Ecclesiæ jam celebratum, sit iterum revalidandum coram parocho et testibus. Prima sententia affirmat, et hanc tenent Comit.,.. Conc. et Pont. cum Palac. Gutt. et aliis paucis. Ratio, quia assistentia parochi et testium assignatur a Tridentino ut forma, sive ut substantiale requisitum matrimonii, forma autem contractus tum adhibenda est, cum contractus celebratur; si igitur primum matrimonium fuit nullum, ergo quando denuo, et revera contrahitur, debet forma adhiberi.

(4. « Secunda vero sententia probabilior et communis negat. Ratio, quia concilium præscribendo parochi præsentiam et testium ad valorem matrimonii, merito præsumitur noluisse hunc casum comprehendere; concilium enim per illam præsentiam tantum voluit occurrere peccatis, quæ consurgebant ex nuptiis clam celebratis, sed in nostro

(49) Ex sententia Bellarmini : « Jure naturæ interdicta sunt conjugia in primo gradu consanguinitatis, tam in recta linea, quam in transversa : et in primo gradu affinitatis in linea recta tantum. » *De matrim.* lib. I, cap. 28. Cæterum vide dicta a Lucio nostro in art. 5 hujus rubricæ, sub. n. 65 et seq., ac insuper additiones nostras sub art. 6, ad n. 28, sub v. AFFINITAS, ubi, de primo gradu affinitatis in linea recta latius cum Benedicto XIV disseruimus.

(50) Vide *Addit. Casinenses*, sub cit. art. LOT.

Digitized by Google

casu matrimonium jam publice est contractum; et ideo sufficit novum tantum ponere consensum; ita Nav., Natal. Alex., Fagnan... Habert... Tournel., etc.

« Item N. SS. P. Benedictus XIV, notif. 87, n. 62, cum Pontas, Van-Espen et communi testatur (51). Et ideo quando agitur de matrimonio contrahendo cum impedimento occulto, S. Pœnitentiaria in dispensando hac utitur formula : « Cum eodem latore, quod « matrimonium cum dicta muliere, et uterque « inter se publice, servata forma concilii « Tridentini, contrahere possit, misericordi- « ter dispenses. » Quando vero agitur de matrimonio jam publice contracto in facie Ecclesiæ, utitur his verbis : « Cum eodem « latore, ut dicta muliere de nullitate prioris « consensus certiorata (sed id caute, ut latoris « delictum nusquam detegatur), matrimonium « cum eadem, et uterque inter se de novo se- « crete ad evitanda scandala, contrahere « valeat, dispenses. » Unde observa quod in primo casu, quia necessaria est præsentia parochi, dicitur, *servata forma concilii*. In secundo vero dicitur, *secrete ad evitanda scandala*, id est, ut patet, sine parocho et testibus. Et sic etiam pluries declaravit S. C. Concil., ut refert idem Benedictus XIV, etc. (*vide in nota*)... » D. de Ligorio, *De matrimonio*, n. 1100.

(5. « Objicit Pontius... (prosequitur D. de Ligorio) oraculum Clementis VIII, quod in extensum refert... ubi narrat quod, cum quædam mulier ex metu cuidam nupsisset, per Stephanum Tucium ad petitionem Paul. Comitoli, consultus fuit Clemens VIII qui respondit necessarium esse consensum utriusque coram parocho et testibus, admonito prius marito de matrimonii nullitate; sed, ad evitandum scandalum, se dispensare, ut secreto inter se contrahant, renovato consensu. Sed auctores nostræ sententiæ, et præsertim Salmat., Ronc., Spor., Holz., Boss., et Elb. multipliciter respondent, et 1. Quod illud impedimentum, licet occultum, cum tamen ortum habuerit ex metu incusso, erat obnoxium periculo publicationis, aut deductionis ad forum... 3. Quod de præfato oraculo non satis constat, prout constat de oraculo S. Pii V quod apparet comprobatum tot declarationibus S. C. decisionibus Rot. Rom. et praxi constanti S. Pœnitentiariæ. Ad rationem autem oppositæ sententiæ respondetur, quod concilium vult assistentiam parochi et testium, ad probandam validitatem matrimonii secundum externam apparentiam; cum autem matrimonium prius contractum jam externe reputatur validum, cessat ratio cur prædicta assistentia denuo requiratur. » D. de Ligorio, *loc. cit.* (52).

(6. Cæterum si matrimonio invalide contracto impedimentum evadit publicum, ita ut probari valeat, certum est apud omnes ad revalidationem adhiberi debere novam præsentiam Parochi et testium, hoc ipso enim, quod palam et in foro externo sciatur prius matrimonium publice contractum fuisse nullum, de novo publice contrahi debet, ad evitanda tam conjugum, quam populi scandala. Reiffenst. ad 4, lib. ex. in *Append. de dispens. super impedim.*, etc., § 13 final., n. 610.

(7. Sed hic « Quæritur quomodo, et quando impedimentum intelligatur esse occultum, cum in litteris S. Pœnitentiariæ dicitur : *Dummodo impedimentum occultum sit?* Nav... cum *Glossa*... dicit esse occultum, quando factum fuit in præsentia quinque personarum... Unde concludit quod, ut aliquod crimen dicatur occultum, suffieit non esse publicum majori parti oppidi, viciniæ, vel collegii, ubi saltem immorentur decem personæ; et idem sentiunt Suarez...

(51) Præstat hic per extensum referre doctrinam Benedicti XIV qui, distinctione facta inter publicum et occultum impedimentum, sic habet, *Notif.* seu *Inst. ecclesiast.* 87, n. 62 et seqq.

« Magno studio disceptatum olim fuit, utrum novus hic consensus, qui matrimonium reipsa constituit, coram parocho, et duobus testibus peragendus videretur. Nam Tridentina synodus parochum ac duos testes præsentes necessario requirit, dum matrimonium celebratur. Attamen nulla difficultas amplius superest, si discrimen inter occulta et publica impedimenta habeatur. Si matrimonium publice initum est coram parocho, et duobus testibus, et impedimentum quoque publice innotuerit, idem matrimonium rite confirmari nequit, nisi consensus iterum coram parocho, et duobus testibus præbeatur. Contra vero est, si matrimonium celebratum fuit coram parocho, et duobus testibus, et impedimentum dirimens occultum servatur. Tunc novus consensus certe præstandus est, sed clam inter contrahentes; nec amplius parochus, duoque testes requiruntur. Nam semel mandato Tridentini concilii jam paruerunt conjuges, cum primo matrimonium, licet interposito occulto impedimento, confecerunt. »

« Hæc ita (prosequitur Bened. XIV) decrevit pœnitentiaria S. Pii V Pontificis auctoritate, ut Navarrus fatetur, qui per tot annos eidem sacro tribunali operam præstitit suam. Id etiam probat sacra congregatio Concilii, uti tradit Fagnanus, qui per plures annos a secretis præclare munus gessit, idemque vulgo scriptores docent. Insuper, cum sacræ rotæ auditores hujus sententiæ veritatem in dubium revocassent, cardinalis Carafa congregationis Concil. præfectus duos ex iisdem auditoribus accivit, Seraphinum nempe, et Comitolum, quibus ostendit decreta a sacra congregatione super hac re confecta, Pœnitentiariæ institutis, et S. Pii V, declarationi esse consentanea. Qua de re tribunal sacræ rotæ in posterum expositam paulo ante sententiam secutum constanter fuit. Etenim Tridentina synodus, cum jussit matrimonium contrahi coram parocho, et testibus, nihil aliud statuendum voluit, nisi clandestina matrimonia impedire... Quamobrem cum parochus ac testes primo matrimonio jam interfuerunt, quod rite celebratum putabatur, quia impedimentum nequaquam innotuerat, ideo satis est ut clam inter conjuges novus consensus præbeatur, eum ipsum matrimonium Sacræ Pœnitentiariæ facultate rite confirmandum est. »

(52) Benedictus XIV in cit. *Inst. ecclesiast.*, 87, n. 69, dict. Oraculum Clementis VIII, tanquam authent. agnoscere videtur. Hoc posito, non male fortasse Salmanticenses in eam iverunt opinionem, nempe tale responsum editum a prædicto Pontifice, ex eo quod illud impedimentum metus esset obnoxium periculo publicationis aut deductionis ad forum externum.

Digitized by Google

Azor. etc. Bene tamen advertit Fagnanus in cap. *Vestra*, De cohab. cleric., n. 117, hanc doctrinam, scilicet, quod factum non sit notum majori parti parochiæ, intelligendum cum grano salis; nam si in parochia essent mille personæ, perperam diceretur occultum factum illud, quod faciunt quadringenti vel quingenti. In nostro autem casu dicit Sanchez, lib. II, d. 37, n. 11, cum Henr. et Man., quod si impedimentum possit per duos testes probari, illud amplius non potest dici occultum, etiamsi non sit periculum, quod ad forum deferatur; quia tunc sequerentur eadem inconvenientia, quæ olim sequebantur ex matrimonio clandestino; nam probato impedimento, post contractum matrim., posset alter conjux alias nuptias inire.

(8. « Sed melius et communissime dicunt alii... cum communi... id tantum procedere, quando prudens adest periculum, quod res sit deferenda ad forum externum; et idem Sanchez videtur se retractasse lib. VIII, d. 34, n. 55, dum explicando ibi præfatam clausulam S. Pœnitentiariæ, *Dummodo impedimentum sit occultum*, dicit... illud dici occultum, quod non est publicum majori parti parochiæ, viciniæ vel collegii. Unde recte concludit N SS. P. Benedictus XIV, notif. 87, n. 45, cum Navarro et Thesauro, tunc confessario abstinendum esse ab exsequenda dispensatione, quando ex circumstantiis prudenter conjicere potest, impedimentum ex occulto posse fieri publicum. Cæterum ait cum iisdem auctoribus, et Syro impedimentum per se dici occultum, si notum sit in oppido sex solis personis, in civitate septem, vel octo, modo ab eis non fuerit divulgatum (53). » Sic D. de Ligorio, *De matrim.*, n. 1111.

(9. « Testatur autem Fagn., *l. c.*, n. 118 (sic idem de Ligorio) S. Pœnitent. servare hanc praxim; quando crimen est notum tantum quatuor vel quinque personis, dispensat in eo tanquam occulto; sed ego scio S. Pœnitent. dispensasse in impedimento quodam consanguinit. noto decem circiter personis. Advertit vero idem Fagnanus, n. 120, hoc intelligi, quando a S. Pœnitentiaria dicitur in clausula simpliciter *occultum*, secus si dicatur *omnino occultum*, ut solet poni in impedimento criminis; quia tunc merito ait non dici occultum crimen, quod potest per duos testes probari. E contra notat præfatus Benedictus XIV, *l. cit.*, n. 42, cum de Leone, Bon., Tiburt., Girib., et pluribus aliis, quod aliquando posset esse crimen publicum materialiter, nempe si publicum sit Viciniæ, sed formaliter occultum, nimirum si ignoretur ab illa copula nasci impedimentum affinitatis, et tunc etiam potest impetrari dispensatio a S. Pœnitent. » *De matrim.*, l. et n. cit.

(10. Quæritur adhuc : « Utrum occultum impedimentum censeatur, quod quidem publice cognoscitur in eo loco, ubi contractum fuit, sive alibi : occultum tamen est, ubi degunt, qui dispensationem expostulant, et ubi dispensatio ipsa conceditur. » Navarrus sapienter admonet confessarium, ut minime exsequatur dispensationem, si forte quis majori pœnitentiario declaraverit crimen esse occultum in civitate v. g. Bononiæ, ubi vitam agit, et dispensatio tradenda est exsecutioni, deinde silentio prætermiserit, idem crimen publicum esse Neapoli, ubi patratum fuit. Tunc confessarius reum hortetur ut ad Pœnitentiariam rursum confugiat, ipsique patefaciat, quod prius omisit, suum nempe crimen per urbem Neapolis esse divulgatum. Sin autem id totum expositum fuisse in supplici libello confessarius deprehendat ex litt. S. Pœnitentiariæ, tunc absque ulla difficultate pareat, et litteras exsequatur. » Ita Bened. XIV, cit. *Inst. eccles.*, 87. n. 46.

(11. Amplius inquiritur : « Utrum impedimentum, quod fuit aliquando publicum, diuturnitate temporis occultum fieri possit, ita ut dispensatio tribuenda videatur. » Equidem M. Paul. Leo, pag. 133, sic respondet : « Notandum... non implicare, quod « aliquid a sui origine et principio fuerit « publicum, et tractu temporis fiat occultum. « Tempus enim omnia devorat... et quæ non « delet ab hominum memoria diuturnitas temporis? Hoc autem genus occultorum etiam « pluries meo tempore Signatura Officii S. « Pœnitentiariæ admisit; sed non eodem modo in omnibus casibus : Dispensationibus « matrimonialibus per Decennium : in irregularitatibus per viginti et triginta annorum « spatium. » Bened. XIV, *ib.*, n. 47.

(12. Iterum quæritur : « An matrimonium sit revalidandum coram parocho et testibus, si ipsi tempore matrimonii contracti conscii fuerunt impedimenti? Affirmat Sanchez... cum Henr. Led. et aliis, quia, ut ait, tunc fuerunt testes non valoris, sed potius nullitatis talis matrimonii; et idem sentit Croix... cum Aversa et Kugler, etiamsi tantum unus ex testibus impedimentum noverit. Negant vero Conink... Tambur. et alii..., quia assistentia parochi et testium fuit

(53) Hæc porro apud Bened. XIV, cit. *Notif.* seu *Inst. ecclesiast.* 87, n. 45 : « Marcus Paulus Leo... hæc tradit : « Dicendum... notitiam duorum vel « trium nec minus nocere, quominus aliquod delictum sit occultum. » Thesaurus etiam ita scribit : « Etiamsi res sit nota duobus vel tribus, res occulta « dicitur. Item si quinque vel sex personis in aliquo « oppido, vel septem aut octo in civitate res nota « sit, non dicitur publica, sed occulta. » *De pœn. Eccles.*, p. 1, c. 21. Idem affirmat irritam dici nequaquam posse dispensationem a Pœnitentiaria concessam illis etiam verbis superadditis, *dummodo occultum*, licet impedimentum notum sit tot hominibus, quot superius indicavit. Tib. Navar. idem plane fatetur, *Manuduct.*, etc., pag. 19. « Res adhuc « est occulta, si in oppido est nota quinque aut sex « personis, in civitate vero septem aut octo, adhuc « occulta censeri debet, modo scilicet ab illis non « fuerit divulgata. » Syrus, pag. 260, hæc habet : Si « delictum sit notum duobus vel tribus alicujus loci, « aut communitatis, aut capituli, occultum censetur. « Si in oppido sit notum quinque, aut sex personis, « in civitate vero septem aut octo, adhuc censetur « occultum. »

Digitized by Google

præscripta a Tridentino, non tam ad testandum validitatem matrimonii, quæ multipliciter eis potest esse ignota, quam ad probandam externam matrimonii celebrationem, ut periculo obvietur, ne iidem conjuges alias nuptias ineant. Utraque sententia est probabilis, sed secunda videtur probabilior; concilium enim sess. XXIV, cap. 1, requirendo assistentiam parochi et testium, jam causam exprimit, ne quis fraudulenter plura contrahat conjugia, et minime indicat velle amplius, ut testes certiorentur de matrimonii valore : et cur? Quia, » ut aiunt Salmat., « Ecclesia non adducit testes ad pro« bandum valorem matrimonii, sed celebra« tionem illius externam » D. de Ligorio, n. 1112, *l. c.* — Intellige dummodo de impedimento publico non agatur.

(13. Quæritur insuper : « An quando matrimonium fuit nullum ob aliquod impedimentum, sit necessarium ad illud revalidandum, ut, ablato impedimento, uterque conjux fiat conscius de nullitate matrimonii? Prima sententia affirmat.... Ratio, quia hoc matrimonium non potest fieri validum, neque per primum, neque per secundum consensum præstitum post dispensationem : non per primum, quia quod fuit nullum ab initio, tractu temporis validari non potest; non per secundum, quia hic novus consensus non est validus, nisi fiat animo contrahendi illo tunc matrimonium, et hunc animum non habet, qui ignorat matrimonium prius contractum esse nullum, vir enim, qui tunc consentit ignorans nullitatem, consentit quidem cum errore, putans consentire in uxorem jam suam, ergo cum erret in substantia, consensus minime valet.

(14. « Secunda vero sententia..... dicit non esse opus ut pars ignara impedimenti moneatur de nullitate matrimonii, sed sufficere quod, ablato impedimento, pars, quæ conscia est de illo, consensum ab altera accipiat. Probatur..... quia prior consensus, licet suo effectu caruerit ob impedimentum a jure positivo oppositum, tamen de jure naturæ fuit validus, cum fuerit præstitus erga personam de jure naturæ habilem ad contrahendum, ut sapienter considerat Bened. XIV, notif. 87, n. 80. Unde fit quod, cum removetur impedimentum per dispensationem, perseverante ex una parte primo consensu conjugis ignorantis impedimentum virtualiter per usum matrimonii, nempe per conjugalem copulam, cohabitationem voluntariam, et alia signa externa, quæ ex primo consensu procedunt; et accedente ex altera parte consensu interno conjugis conscii impedimenti, expresso saltem per similia externa signa, tunc consensus utriusque moraliter uniuntur, et matrimonium convalidant. Ac propterea dicunt Abbas, Gonzal., Felin., etc., apud Boss... posse Papam dispensare in matrimonio nullo a novo consensu præstando : et de facto per Clementem XI, ex brevi edito die 2 Jul. 1701 (ut refert Bossius) quædam matrimonia nulliter contracta a quibusdam populis Indiarum vocatis *pocueles*, et *quartarones*, fuerunt sine novo consensu convalidata. » D. de Ligorio, *De matrim.*, n. 1116.

(15. « In hac autem re (prosequitur D. de Ligorio) maxime notandum id, quod declaravit Benedictus XIV in constitutione incip. *Etsi matrimonialis*, edita die 27 Sept. 1755 : nempe cum accidisset casus, quod quidam vir, qui bona fide, sed invalide matrimonium contraxerat ob impedimentum occultum consanguinitatis, petebat illud convalidare, non tamen certiorata uxore propter scandalum separationis, quod timebatur, Pontifex petitioni indulsit, eodemque tempore declaravit quod casu, quo impedimentum oritur, non a lege naturali, aut divina..... sed provenit a lege ecclesiastica, tunc bene potest Papa dispensare, ut matrimonium contrahatur sine novo consensu partis ignorantis impedimentum, habendo pro valido consensum præstitum ab illa in principio, ubi ex lege naturali erat consensus quidem validus; nam eo casu Papa aufert impedimentum in radice matrimonii, retrotrahendo contractum ac si ab initio impedimentum abfuisset. Hæc verba Pontificis :

« Porro gratia concessa importat dispen« sationem in radice matrimonii, quæ a Ro« manis Pontificibus concedi consuevit, ur« gente magna causa, et quando agitur de « impedimento matrimonii ortum habente, « non a jure divino, aut naturali, sed a jure « ecclesiastico; et per eam non sit, ut matri« monium nulliter contractum, non ita fuerit « contractum, sed effectus de medio tollun« tur, qui ob hujusmodi matrimonii nullitu« temante indultam dispensationem, atque « etiam in ipso matrimonio contrahendi actu « producti fuerunt. »

(16. « Cæterum, ubi non suppetit hujusmodi specialis dispensatio Pontificis, non discedendum a prima sententia; maxime quia in litteris S. Pœnitentiariæ in dispensationibus ad hujusmodi matrimonia reconvalidanda, apponitur sequens clausula : « Ut dicta muliere de nullitate prioris con« sensus certiorata, uterque inter se de « novo secrete contrahere valeat. » Licet enim dicant Sanc.. Bonac.. Tib. Nav.. præfatam clausulam non apponi ut conditionem, sed ut simplicem instructionem... attamen probabilius docet Benedictus XIV (54),

(54) Hæc habet Bened. XIV, in cit. *Notif.* seu *Institut. eccles.* 87, n. 68, ibi : « Nos.. pro ingenii nostri tenuitate judicamus, haud probari posse illorum opinionem, qui instructionem solum, non vero conditionem indici per illam S. Pœnitentiariæ clausulam arbitrantur; nam certissimum est apud jurisperitos, quod vera conditio ex ablativo absoluto consequitur . qua de re prætermitti nullo modo potest, licet gravissima incommoda.. interponatur. Siquidem illud Pœnitentiariæ mandatum innititur juri communi, quod pro matrimonio rite confirmando expostulat novum a conjugibus consensum, et declarari impedimentum ignaro... ne permaneat primus consensus cum errore conjunctus, qui traditus fuit, cum matrimonium primo celebraretur.»

Digitized by Google

notif. 87, n. 68, illam esse veram conditionem, eo quod ablativum absolutum juxta juris peritos veram importat conditionem, l. *A testatore* 109, ff. *De condit. et demonstrat.* » Ita D. de Ligorio *loc. cit.*

(17. Quod « si ex notitia nullitatis matrimonii prudenter timeri possit periculum mortis, gravis infamiæ, aut scandali ex separatione secuturi; et ex alia conjux impedimenti conscius non posset evitare redditionem debiti, tunc bene potest uti secunda sententia tanquam probabili, quia eo casu, ratione necessitatis, etiam cum periculo frustrationis Sacramenti, licitum est sequi opinionem tantum probabilem, ut communiter docent Sanchez... Tournely... Carden... in *Propos. Innoc. XI*... Less. Holzmann... Bonac. Boss. cum Con. Croix, et communi... Imo, ut dicunt Sanchez, Viva, Card. et alii... in casu extremæ vel urgentis necessitatis licitum est uti opinione etiam tenuiter probabili, quia id quod esset indecens erga sacramentum, non est indecens, quando necessitas et bonum animæ urget. Bene tamen advertit Sanchez... quod tale scandalum, cum impedimentum est ex parte viri, ordinarie non potest timeri. » D. de Ligorio, *De matrimonio*, cit. num. 1116.

(18. Quotuplici modo possit renovari, sive exigi consensus a parte inscia impedimenti post obtentam dispensationem? Plures (sic id. de Ligor.) ab auct. assignantur modi. Primus modus, si dicat sponsus : *Quando nupsi, non habui verum consensum, nunc præstare volo, vis et tu præstare?* Hunc modum communiter admittunt DD. et recte quidem, ac sine mendacio, cum consensus nullus non sit verus consensus.... Secundus modus, si dicat: *Dic, quæso, si nullum fuisset nostrum matrimonium, nonne iterum me accipere intendis?* Huic tamen modo contradicunt Pontius... Bossius... cum Henr. Guttier. et Filliuc. quia, ut aiunt, tunc sponsa consentiendo, intendit consentire in suum, ignorantia enim concomitans non efficit voluntarium positive, et ideo tunc non apponitur consensus, ut requiritur, independenter a primo. Hæc sententia est mihi verior, nisi (exciperem) ex illa petitione, ut supra, sponsa inscia impedimenti jam veniret in dubium, vel suspicionem de nullitate matrimonii, tunc enim jam poneret consensum a primo independentem. Tertius modus, si sponsus dicat : *Angor scrupulis de nostri matrimonii valore, ideoque renovemus consensum*... (hic) enim (modus) satis est, prout mihi certum videtur, ut sponsa ponat consensum independentem a primo; nec obstat quod illa hoc modo non haberet notitiam certam nullitatis matrimonii; nam ut novus consensus valeat, non indiget, ut apponatur ex notitia certa nullitatis, sed tantum ut præstetur independenter a primo consensu. Quartus modus : *Si mihi non nupsisses, nonne nuberes nunc?* Sed hic modus minime est admittendus, quia in hoc modo revera non adest positivus consensus. Quintus modus : *Pro mea consolatione, volo de novo contrahere, eia contrahamus.* Sed hunc jure merito neque admittit continuator Tournely.. quia per hunc modum nulla ingeritur in alterum notitia, nec dubium de nullitate primi matrimonii. Sextus modus, si accedat copula maritalis affectu habita ex parte conjugis conscii impedimenti per dispensationem jam sublati, intendendo sic exprimere novum consensum ad matrimonium de novo contrahendum, nam ex altera parte inscia impedimenti jam exercetur copula eo affectu ex primo consensu præstito usque tunc in effectu perseverante. Hic tamen modus tunc tantum sufficeret, quando non esset locus modis supra enuntiatis, et insuper immineret periculum gravis damni..... Neque tunc obstat clausula certiorationis, quæ apponitur a S. Pœnitentiaria, quia... in hoc casu necessitatis censetur S. Sedes relaxare præfatam conditionem, providendo meliori modo, quo potest, bono animarum, cum talis conditio tunc sit moraliter impossibilis exsecutioni. In hoc igitur casu licite potest hic modus in praxim deduci, cum valde probabile sit... sufficere consensum partis consciæ impedimenti expressum per copulam conjugalem cum consensu alterius virtualiter perdurante. » *Loc cit.*, num. 1117.

(19. Quod vero attinet ad defectum consensus in matrimonio, nempe quia fuit fictus, aut metu extortus, etc. sequentia exscribere lubet ex Busembaum apud D. de Ligorio, *de matrim.*, n. 1109.

(20. « Si fuit invalidum (matrimonium) propter consensum fictum, vel metu extortum, sive ex una, sive ex utraque parte, potest revalidari per quodcunque signum veri et novi consensus; quia, si altera tantum pars ficte contraxit, consensus unius partis habitualiter permansit; ergo, accedente alterius consensu, revalidatur.

(21. « Si metus, vel defectus consensus fuerit alterius tantum partis, curandum est ut ea saltem novum et liberum consensum eliciat, et externis signis prodat; alteri autem parti non opus est declarari, præstari novum consensum ad valorem matrimonii.

(22. « Si uterque ficte vel coacte consenserit, necesse est ut uterque consensum renovet, et verbis exprimat. Quia cum utriusque consensus plane nullus fuerit, æque necesse est revocare et declarare, ac si factum nunquam fuisset. » Atque ut solidius rem expendamus :

(23. « Quæritur an, si unus ficte vel ex metu contraxit matrimonium, debeat certiorem facere alterum conjugem de matrimonii nullitate, si postea velit illud revalidare? Prima sententia affirmat.... Ratio, quia cum nullus eo casu fuerit contractus, deficiente consensu metum passi, vel ficte consentientis, nullus etiam fuit consensus alterius; consensus autem, qui ab initio fuit nullus, tractu temporis convalescere non potest. Secunda tamen communis, et verior sententia docet sufficere quod tantum ficte consentiens, vel metum passus suum ponat consensum.... Ratio autem (hujus) nostræ sententiæ est, quia certum

Digitized by Google

est quod in contractu matrimonii non requiritur simultas physica consensuum sponsorum, sed sufficit moralis, nempe si consensus unius moraliter perseverat, dum ponitur consensus alterius. In nostro autem casu ideo matrimonium fuit nullum, quia defuit consensus metum passi, vel ficte consentientis; ergo cum jam præcesserit verus consensus alterius, et virtualiter perseveret per cohabitationem, etc... satis est quod accedat consensus illius metum passi, vel ficte consentientis expressus, aut per verba, aut per signa, nempe per copulam maritalem, aut voluntariam cohabitationem... Nec valet dicere quod consensus alterius, qui liber fuit a metu, vel fictione, fuit nullus, cum nullus fuerit contractus; nam respondetur quod, licet contractus fuerit nullus, et consensus illius non habuerit effectum, tamen fuit verus consensus, et ideo, cum ipse moraliter perseveret, satis est ad revalidandum matrimonium, quando accedit consensus alterius, qui ficte consensit, pariter ac si distulisset suum dare consensum, et postea jam præstasset. » D. de Ligorio, *ibid.*, n. 1114.

(24. Hæc D. de Ligorio sententia menti Decretalium consona quidem videtur. Quippe in cap. *Ad id*, ex. *De spons.*, pronuntiavit Clemens III puellam quamdam, quæ nuptias sine consensu interno contraxerat, nihilominus ab iis recedere non posse, quia per annum et dimidium cum primo marito habitaverat, ex quo præsumptio erat, per illam cohabitationem suum præstitisse consensum. En verba Decretalis : « Ad id quod per tuas litteras intimasti de quadam parochiana tua, quam suus vitricus cuidam Teutonico matrimonialiter copulavit, taliter r. quod quamvis undecim annos (adhuc) habens, ab initio invita fuisset ei tradita, et renitens, tamen quia postmodum per annum et dimidium sibi cohabitans, consensisse videtur, ad ipsum est cogenda redire. Nec de cætero recipiendi sunt testes, si quos memorata mulier ad probandum, quod non consenserit in eumdem, nominaverit producendos : cum mora tanti temporis hujusmodi probationem excludat. Mandamus igitur ut propter hoc non omittas, quominus (appellat. rem per censuram eccl.) utrumque compellas ad alterum maritali affectione tractandum (55). »

(25. Id ipsum quoque ex l. II, cod. *De his quæ vi metusve causa*, etc., deduci posse videtur : Non secus ac in cæteris conventionibus, in quibus vis, aut metus intercesserit, aut alio aliquo vitio, ex quo nullitati ac rescissioni locus sit, laboraverint; siquidem in his casibus, confirmatio, ratihabitio, aut executio ejus, quod sub stipulatione cadit, voluntarie ac scienter facta a vim passo, etc., efficit, ut hic vel ille contractus habeatur pro valido, absque eo quod alterius contrahentis consensus de novo requiratur. Quod ex jure Romano (cit. l. II, codic. *ut supra*) et hodiern. in Europa codic. ut in Gallia, et apud nos manifeste liquet.

(26. Audiamus pro rei complemento, et ad majorem claritatem Sanchez, in hæc verba : « Sententia probabilior ait satis esse, qui minus legitime consensit, denuo consentiat, dum alter consensum non revocaverit. Probatur: nam cum consensus alterius validus de se fuerit, et sufficiens ad matrimonium, nec revocatus fuerit, jam ex parte hujus consensus nihil desideratur, solus autem deest consensus illius, qui ficte aut metu consensit, ergo hoc accedente, convalescit matrimonium. Confirmatur quia, si ficte vel metu consentiens, nullum omnino tunc præstitisset consensum, sed spatio temporis interjecto, manente in virtute priori consensu, valeret matrimonium... ergo satis est ut, manente in virtute priori consensu, ipse solus consentiat..... Hinc infertur 1° in hoc casu non oportere aliquid intimari alteri conjugi, nempe matrimonium non valuisse, quia id necessarium est, ubi novus ipsius consensus exigitur... sed in hoc casu non exigitur novus ipsius consensus, ergo non oportet aliquid ipsi intimare....

« Infertur 2° satis esse in hoc casu, si ille interne in corde suo post consentiat, quia externum consensum jam præbuerat, et solus internus desiderabatur, ergo satis est hunc supplere....

« Infertur 3° satis esse, si ficte vel metu consentiens post vere assensum præbeat, quocunque temporis spatio interjecto; quia quando unius tantum adfuit consensus, oportet alterum absque longa mora consentire, ut prior consensus virtute maneat... in hoc autem casu non tantum virtute, sed actu, et formaliter semper manet, cum semper, qui vere consensit, existimet valere matrimonium, et alterum habeat ut

(55) Benedictus XIV, cit. *Instit. eccl.* 87, num. 69, priorem sententiam secutus fuisse videtur. En ejus verba : « Nonnulli ex theologis asserunt pro matrimonio ejusmodi confirmando satis esse liberum illius consensum, qui ad illud ineundum coactus fuit, non autem requiri, ut qui jam prius libere assenserat, et vim alteri conjugi illatam ignoraverat, rursum ad exprimendum consensum adigatur. Clemens tamen VIII a quo super hac re consilium petitum fuit, expendens primum illum consensum pertinuisse ad materiam neque legitimam, neque idoneam, respondit pro matrimonii confirmatione novum consensum ab utroque conjuge esse tribuendum; ab eo nempe, qui matrimonium per vim contraxit, et simul ab altero, qui vim ejusmodi ignorans, ultro ac libenter eodem se matrimonio illigavit. Insuper adjecta fuit ea conditio, ut maritus, qui jam libere consenserat, prius moneretur, irritum fuisse matrimonium, eo quod uxor ad assentiendum coacta fuerit, cum primo celebratæ sunt nuptiæ : *Admonito prius de matrimonii nullitate*... Porro id satis est (concludit Benedictus XIV) ut hæc opinio præ cæteris teneatur, cum de Sacramento agitur (in quo tutior sententia servanda est). »

Sed cum sententia D. de Ligorio haud debilibus rationibus videatur esse suffulta, oraculum præd. Clem. VIII ita liceat interpretari, quemadmodum ab eodem de Ligorio cum Salmant. et aliis sub num. 5 supra, præstitum fuit.

Digitized by Google

conjugem petens et reddens debitum. Et ita Nav... dixit sufficere hunc ficte consentientem, vere consentire, licet plures intercesserint menses.

« Infertur 4° non esse opus ut iterum coram parocho et testibus celebretur hoc matrimonium, quia id est necessarium, quando omnino celebratur matrimonium, hic autem tantum suppletur defectus interni consensus, vel alius defectus occultus, et jam externo contractui astiterunt parochus et testes (56). » *De matrim.*, lib. II, disput. 32. n. 9 et seqq.

Errorem denique quod spectat, si versetur circa substantiam personæ, jure etiam naturali matrimonium irritare cum sit exploratum : quippe impedit consensum in substantiam contractus, nempe in personam, cum qua contrahitur, persona enim est substantiale ac primarium objectum matrimonii, eo quod est res ipsa, circa quam contractus hujusmodi sese exserit; idque etiam si error sit solum concomitans, quia adhuc deest consensus actualis, et positivus essentialiter requisitus ad hujusmodi contractum, patet non aliter tale matrimonium utique ex errore ejusmodi nullum, revalidari, quam ubi eo (errore) detecto pars ignara suum apponat consensum.

Unde Lia pro Rachele intrusa Jacobo, *Genes.* XXIX, non fuit vera ejus uxor nisi postquam ipse, detecta fraude, eamdem acceptavit in uxorem. « Matrimonium (sic Reiffenstuel) Jacob cum Lia a principio fuit nullum; quamvis postea, accedente novo ipsius consensu, fuerit convalidatum. » *Theol. moral.*, tract. 14, quæst. 4, § 1, n. 51. Quod idem applica in casu erroris conditionis. *Vide* dicta ab auct. in art. 5, h. rubricæ, sub. n. 12 et seqq.

ARTICULUS IX.

Matrimonium quoad varia miscellanea ipsum concernentia.

SUMMARIUM.

1. Matrimonium contrahentes, omissis dolose denuntiationibus, seu fraude deceptis parocho et testibus, possunt puniri ab episcopo etiam pœna pecuniaria. Imo potest episcopus punire et ipsos paro-

(56) In primo tom. *Thesaur. resolut. sac. congr. Concilii*, pag. 240 et 241, *Panormitana nullitatis matrimonii*, afferuntur a Bened. XIV tunc a secretis præf. S. congregationis, resolutiones (d. congr.) anno 1609, etc., quibus definitum fuit matrimonium per vim, et metum contractum non convalidari, nisi iterum contrahatur *adhibita forma concilii*, licet intercesserit cohabitatio cum copula.

Casus fuit (eodem Bened. XIV a secretis) de quadam Catharina Bonfilio, quæ per vim et metum a Patre incussum, de quo testes deposuerunt, matrimonium contraxit in facie Ecclesiæ cum Francisco Alvarez, qui confessus est dictam Catharinam nunquam non invitam in nuptiis hujusmodi exstitisse, ita ut opus esset illi ad minas, vel percussiones descendere, quoties de copula conjugali agebatur.

Secretarius prædictus has eminentissimis PP. considerationes subjecit, nempe « quod post concilium Tridentinum, a quo nova forma inducta in contrahendo matrimonio, præsentia videlicet parochi et duorum testium, non solum matrimonium est nullum, si fuerit contractum per vim et metum, sed ulterius non convalidatur, nisi iterum contrahatur, adhibita forma concilii, licet intercesserit cohabitatio, una cum copula, juxta resolutiones (sunt verba antedicti Secretarii, tom. et pag. cit.) hujus sacræ congregationis, et signanter, *in Hispalen.* 20 Jun. 1609, lib. XI *Decret.*, fol. 58, a tergo (nempe): « Sacra congregatio cardinalium concilii « Tridentini interpretum sæpius respondit hodie post « Tridentinum concilium matrimonium metu con- « tractum, et purgato metu per cohabitationem cum « carnali copula, aliosque actus non convalidari, nisi « iterum contrahatur, adhibita rursus ejusdem con- « cilii forma. » Et concordat (prosequitur Lambertinus, ibi) alia resolutio *in Constantinopolitana* 16 Decembris 1634, lib. XV *Decretorum*, fol. 46, a tergo. Unde S. Congregat. die 8 Jun. 1730 pro nullitate matrim. de quo agitur, respondit.

Consimilis resolutio præf. S. Congr. prodiit *in causa Vigilien. matrimonii*, die 23 Junii 1725, et 13 Julii dicti anni, tom. III *Thesaur.*, etc., pag. 173, 185. Ibi casus fuit de quodam Marco Bruno, qui rem habebat cum quadam Joanna Soldano, cujus fratres sororis injuriam vindicaturi, dictum Bruno, postquam vulneribus lethaliter affecerunt, per vim et metum coegerunt eamdem sororem uxorem ducere, accito fraudulenter parocho, cui bini sacerdotes pro nuptiis hujusmodi uti testes adjuncti fuerunt. Quod factum publicum ac notorium evasit, quippe cum interfuissent medicus, chirurgus, alii- que testantes vim et metum in constantem virum in matrim. de quo hic, intercessisse. Et in hac causa prælaudatus Lambertinus in considerat. EE. PP. submissis, eadem, uti supra, tradidit. « Supposito quippe metu (sic ille), et quod matrimonium contractum fuerit dependenter a metu cadente in constantem virum, subsequens cohabitatio illud validum efficere non potest, nisi novus accedat consensus, adhibita forma a concilio Tridentino præscripta : » et iterum affert resolutiones S. Congr. *in Hispalen.* etc., quas transcripsimus.

Sed cum ex ipsius Benedicti XIV sententia, ut sub n. 5, hujus art. nec non ex Pii V oraculo, atque ex stylo S. Pœnitentiariæ, in revalidatione matrimonii ob impedimentum occultum nullatenus requiratur, quod ejus revalidatio fiat iterum coram parocho et testibus, non immerito concludi posse videtur, S. congregationem Concil. respondisse, matrimonium ex causa metus injuste incusso non convalidari, nisi adhibita forma concilii, respiciendo scilicet ad metus hujusmodi publicitatem et deductionem ad forum externum, adeoque considerando impedimentum hocce non ut occultum, sed publicum, quo exstante (impedimento scilicet publico), matrimonium inde nullum iterum coram parocho, et testibus convalidari debere ex supradictis nulli dubium.

Quinimo allatarum resolutionum mentem in hoc sensu interpretatus est in sua relatione coram EE. PP. prædictæ congreg. idem Bened. XIV tunc a secretis, *in Florentina*, seu *Lucana*, die 28 Sept. 1725, tom. III *Thesaur. resolut.*, pag. 367 et seqq., ibi : « Quando publicum adfuit impedimentum, non potest matrimonium revalidari, nisi per novum contrahentium consensum coram parocho et testibus, ad tramites concilii Tridentini, licet forma hæc a concilio præscripta, in primo matrimonio nulliter contracto adhibita fuerit, juxta *Resolutiones* (*nota*) *hujus S. Congregationis*, *in Hispalen.* 20 Junii 1709, lib. II *Decretor.*, fol. 58, a tergo. Et *in Constantinopolitana*, 2 Decembris 1634 et 16 Decembris ejusdem anni, uti habetur lib. XV *Decret.*, fol. 130, a tergo, 140, pariter a tergo. »

Digitized by Google

chos et testes, si fuerint culpabiles. — 2. Matrimonium nullum ex aliquo defectu essentiali non resolvitur in sponsalia de futuro, etiamsi secuta sit copula in figura matrimonii. — 3. Unde nullo modo audiendi sunt doctores contrarium sentientes. — 4. Matrimonium contractum a filia propter metum mortis a matre illatum, est invalidum, etiamsi post obitum matris per septennium cum viro permanserit, et filios susceperit. — 5. Matrimonium contractum ex metu resultante a præceptis pœnalibus, et carceratione de mandato judicis secuta, est nullum.— 6. Matrimonium contractum a viro reperto in lecto a consanguineis mulieris, uti per metum contractum, non tenet.— 7. Matrimonium contrahens cum Petronilla, si ante consummationem declaretur nullum ob metum cadentem in constantem virum, poterit ducere in uxorem sororem ejusdem Petronillæ. — 8. Secus autem si matrimonium esset nullum ob non servatam formam concilii. — 9. Matrimonium contrahi non debet cum matre illius filiæ, quam vir cognovit, ad quem effectum deneganda est dispensatio. — 10. Matrimonium contractum sub conditione opposita uni ex illius finibus principalibus, nullum est. — 11. Matrimonium non debet prohiberi illis, qui doctrinam Christianam nesciunt, sed ad id comminatoriis monitionibus sunt cogendi. — 12. Matrimonium contractum coram Sacerdote extraneo, qui habet licentiam a proprio Parocho unius ex contrahentibus, et ignorat se illam habere, prout ignorat unus ex contrahentibus, est invalidum. — 13. Matrimonium mentito nomine, vel cognomine, adhuc prima uxore vivente, cum alia contrahens, quas pœnas incurrat? — 14. Matrimonium coram parocho non promoto infra annum valide celebrari potest. — 15. Matrimonium contractum coram parocho illius loci, ubi contrahens moratur tamquam prætor, judex, seu medicus temporalis, validum est. — 16. Matrimonium contractum coram parocho alieno de licentia episcopi validum est, quamvis episcopus intentionem haberet tale matrimonium non alii, quam proprio parocho committendi. — 17. Matrimonium contractum coram parocho excommunicato valet. — 18. Matrimonium contractum in parochia habitationis uxoris coram parocho viri, et e converso, validum est. — 19. Matrimonium nullum ex publica causa, nova indiget præsentia parochi ad illud convalidandum. — 20. Matrimonium contractum a viro annorum undecim, mensium sex, et dierum sex, nullum declaratum fuit. — 21. Matrimonium contractum, et consummatum cum muliere annorum decem cum dimidio, nullum declaratum fuit. — 22. Matrimonium autem contractum ab impubere, seu ante legitimam ætatem, valet, si malitia suppleat ætatem. — 23. Talis malitia supplens ætatem in duobus copulative necessario consistit, scilicet in discretione ad conjugalem consensum, et in potentia ad copulam. — 24. An autem sit in impubere hujusmodi malitia, spectat ad judicem ecclesiasticum declarare. — 25. Si impubes declaratur habere hujusmodi malitiam, potest contrahere matrimonium de episcopi licentia, sine ulla Sedis Apostolicæ dispensatione. — 26. Matrimonium per verba de præsenti inter puberem et impuberem, vel inter duos impuberes non proximos pubertati, et in quibus malitia non suppleat ætatem, nulliter seu clandestine contractum, valet in vim sponsaliorum, seu resolvitur in sponsalia de futuro. — 27. Sponsi tamen impuberes facti puberes non possunt per censuras cogi ad contrahendum per verba de præsenti, sed ad annos pubertatis perventi possunt recedere. — 28. Matrimonium inter puberes, non servata forma concilii, contractum per verba de præsenti, non resolvitur in sponsalia de futuro. — 29. Puberes vocati sunt a pube. — 30. Pubes quid? — 31. Pubertas quid sit? — 32. Pubertatis anni in feminis ordinarie sunt 12 completi, et in masculis 14.— 33. Puberes sunt illæ personæ, quæ dictam ætatem compleverunt, impuberes, quæ non compleverunt. — 34. Pro regula certa illæ personæ sunt puberes, quæ ex habitu corporis pubertatem ostendunt, et generare jam possunt. — 35. Quinam dicantur pubertati proximi? — 36. Ad valorem matrimonii tam de jure civili, quam canonico requiruntur, et sufficiunt anni pubertatis, scilicet 12 completi in feminis, et 14 in masculis, nisi tamen in eis malitia suppleat ætatem. — 37. Validum est autem matrimonium contractum ante ætatem ab illis, in quibus malitia prævenit, seu supplet ætatem. — 38. Matrimonium quando contrahitur inter duos alienigenas, et a parvo tempore in parochia habitantes, qui tamen sunt cogniti, proprius eorum parochus esse intelligitur, in cujus parochia contrahentes habitant tempore, quo matrimonium contrahitur. — 39. Matrimonium coram parocho et testibus contractum hac conditione *si mulier est legitima*, subsecuta copula, non est validum, si postea constiterit mulierem esse illegitimam. — 40. Matrimonium contractum sub conditione apposita per virum, *si id salvo honore meo fieri potest, et si fratribus meis placuerit*, et non expectato conditionis eventu, subsecuta fuerit copula cum effectu maritali, est validum. — 41. Matrimonium contractum et consummatum, mediante Apostolica dispensatione, ex causa indotationis mulieris, si delegatur falsa eadem causa, et appareat de congrua dote, adhuc sustinetur. — 42. Qui obtinuit dispensationem super impedimento consanguinitatis in forma pauperum, falso narrata paupertate, dicitur valide dispensatus, et proles legitima. — 43. Si dispensatio matrimonialis reperiatur concessa inter consanguineos *ob angustiam loci*, erit exsequenda, etiamsi testes deponant homines loci esse omnino pares.— 44. Qui obtinuit litteras dispensationis super gradu prohibito consanguinitatis, et illis non præsentatis, contraxit, vel carnaliter sponsam cognovit, indiget nova dispensatione. — 45. Qui delictum polygamiæ commisit, et pœnitentiam jam explevit, non potest absque dispensatione Apostolica cum secunda de novo matrimonium contrahere, quamvis prima legitima uxor decesserit. — 46. Non confirmatus non contrahit impedimentum ad effectum contrahendi cum suscepto in sacramento confirmationis. — 47. Qui sponsalia contraxit cum muliere inhonesta, non potest a consanguineis impediri, ne matrimonium contrahat. — 48. Matrimonium inæquale non potest impediri a matre sponsæ. — 49. Matrimonium simulate contractum ad effugiendum aliquod periculum, nullum est. — 50. Matrimonium absque triennali cohabitatione dissolvendum est, quando clare constat de impotentia unius. — 51. Matrimonium contractum cum impedimento dirimente a muliere animam agente, ne moreretur infamata, nullum declaratum fuit. — 52. Matrimonium ratum ex justa causa dissolvi potest a Summo Pontifice, dissentiente etiam uno ex conjugibus. — 53. Matrimonium contractum cum conditione, quod mulier haberet tantam dotem, detecta istius insufficientia, adhuc validum reputatum fuit. — 54. Matrimonia contrahi possunt a subditis etiam sine consensu dominorum, non obstante contraria consuetudine. — 55. Matrimonia ne contrahantur post occasum solis, neque per procuratorem, statuere nequeunt episcopi. — 56. Matrimonium valide et licite contrahi potest cum pacto continentiæ; non sic tamen sub conditione professionis. — 57. Ordinarius non potest prohibere, quin matrimonia domi celebrentur. — 58. Matrimonium enim licite celebrari potest extra ecclesiam. — 59. Benedictiones conjugales non possunt fieri, nisi intra missarum solemnia. — 60. Parochus proprius debet accipere eleemosynam ratione benedictionis, et non alius. — 61. Alia de matrimonio, *remissive*. — 62. Quoad validitatem, et invaliditatem matrimoniorum : et pro

Digitized by Google

matrimoniis occultis, seu conscientiæ, attendendæ sunt duæ novissimæ constitutiones Benedicti XIV. in quibus varia statuuntur, quæ assignantur ad n. 63. — 64. Alia, ad rem, *remissive*. — 65. Additur hic notabilis resolutio sacr. congr. Concil. — 66. Subnectuntur *Supplementa auctoris*, ad n. 141. — 142. Item *Addit. ex aliena manu* ad n. 194.

(1. Matrimonium contrahentes, omissis dolose denuntiationibus, seu fraude deceptis parocho et testibus, possunt puniri ab episcopo etiam pœna pecuniaria; imo potest episcopus punire et ipsos parochos et testes, si fuerint in his culpabiles. Sacra congreg. Conc. sub die 10 Februar. 1629. In qua perrectis quæsitis :

I. « An episcopus possit punire contrahentes matrimonium contra ejus prohibitionem contractum ?

II. « An eos, qui contrahunt coram parocho ex causa justa dissentiente

III. « An eos, qui contrahunt omissis denuntiationibus ?

IV. « An possit punire testes intervenientes in supradictis casibus ?

V. « An possit in eisdem casibus punire pœnis pecuniariis, locis tamen piis applicandis ? Sacra congregat. etc.

Ad 1, 2 et 3 *respondit episcopum posse.*

Ad 4, *posse quatenus testes sint in dolo.*

Ad 5, *pariter respondit posse.*

Et in Savonen. 2 Mart. 1595 *respondit matrimonium contractum, servata forma conc., esse validum; etiamsi antea episcopus inhibuisset parocho, licet hic puniri valeat ob inobedientiam;* lib. VIII *Decret.* fol. 106.

(2. Matrimonium nullum ex aliquo essentiali defectu, celebratum sine proprio parocho, non resolvitur in sponsalia de futuro, etiamsi secuta sit copula in figura matrimonii. Sic pluries censuit sacra congregat. Concilii, ut refert Ursaya *Disceptat. ecclesiast.*, tom. III, part. I, discept. 19, a numer. 170, ad 242, et signanter in *Nullius* die 8 Jun. 1595, ubi censuit « matrimonium sine præsentia parochi per verba de præsenti contractum, etiam copula subsecuta, et irritum, et nullum esse, et in sponsalia de futuro minime resolvi, » lib. VIII *Decret.*, fol. 130, et *in Granaten.*, in qua propositis sequentibus dubiis :

I. « An contrahens, non servata concilii solemnitate, obligatus sit saltem obligatione naturali, cujus vigore aliquo Ecclesiastico remedio compelli possit ad observanda promissa ?

II. « Quid, si in hujusmodi contractu interpositum sit juramentum ?

III. « An talis contractus valeat saltem ut sponsalia de futuro ?

IV. « An sic contrahens peccet mortaliter non adimplendo suam promissionem ?

Ad 1. *Sacr. congreg. censuit non esse obligatum, etiam obligatione naturali.*

Ad 2. *Sacr. congreg. respondit idem, etiamsi contrahens jurasset.*

Ad 3. *Sacra cong. respondit non valere.*

Ad 4. *Sacra congregatio non peccare censuit.*

Tom. LXXII *Positionum S. C. C. signat. foris*, sess. XXIV, *De reformat.*, cap. 1, fol. 168 et 169.

(3. Unde recte infert citatus D. Ursaya, ib. sub n. 243, nullo modo audiendos esse doctores illos, qui contrarium asserunt; nempe matrimonium clandestinum habere vim sponsalium, et proinde obligare nulliter contrahentes ad iterum valide contrahendum; tum quia majoris etiam numeri sunt doctores tenentes tale matrimonium non resolvi in sponsalia, quam illi, qui tenent resolvi, ut videre est apud Barbosam in *Conc. Trident.*, sess. XXIV, cap. 1, n. 130, et alios.

Matrimonium contractum a filia propter metum mortis a matre illatum, est invalidum, etiamsi post obitum matris per septennium cum viro permanserit, et filios susceperit. Sacr. congreg. Conc. *in Romana* 15 Septembr. 1629; Aldan. in *Compendio canonic. tres.*, lib. I, tit. 8, n. 24; Barbosa, in *Summa Apostolic. dec.*, verb. *Matrimonium*, n. 32, et *in Concil. Trid. loc. cit.*, n. 133; Seraphin., decis. 900; Gregor. XV, decis. 395. * Cæterum hoc decretum intellige juxta a nobis tradita sub n. 36 per tot. artic. antecedentis *.

(5. Matrimonium contractum ex metu resultante a præceptis pœnalibus, et carceratione de mandato judicis secuta, est nullum. Sacra congr. conc. *in Vintimilien. matrimon.*, 24 April. anni 1700 et *in S. Agathæ Gothorum matrimon.*, eisdem die et anno.

(6. Matrimonium contractum a viro reperto in lecto a consanguineis mulieris, uti per metum contractum, non tenet. Sacra congr. Conc. *in Aquilana matrimon.* 2 Jun. 1715.

(7. Matrimonium contrahens cum Petronilla, si ante consummationem declaretur nullum ob metum cadentem in constantem virum, poterit ducere in uxorem sororem ejusdem Petronillæ, quia tali casu nullum ei obstat impedimentum, ut declaravit sacra congreg. Conc. 22 Mart. 1664. (8. Secus autem, si matrimonium esset nullum ob non servatam formam Concilii, aut ex alia causa, quia tunc oriretur impedimentum justitiæ et publicæ honestatis. Eadem sacra congregat. Concil. 8 Novembr. 1584, et *in Cæsenat.* 18 Junii 1611, lib. XI *Decret.*, fol. 99. Et ratio disparitatis est, quia in primo casu nullus adest consensus (qui est causa efficiens, et formalis contractus), et sic inde ortum habere non potuit impedimentum, non sic autem in secundo casu, in quo cum consensus non deficiat, sed solemnitas, oritur inde impedimentum, quod contractum dirimit jure ecclesiastico positivo.

(9. Matrimonium contrahi non debet cum matre illius filiæ, quam vir cognovit, ad quem effectum deneganda est dispensatio. Sac. congregat. Conc. *in Neapolitana dispensationis* 28 Mart. 1716, apud Ursayam tom. IV, part. I, discept. 12.

(10. Matrimonium contractum sub conditione opposita uni ex illius finibus principalibus, nullum est. Sac. cong. Conc. *in Ulyssiponen. occidentalis* 3 Jul. 1724, apud Ur-

Digitized by Google

sayam in *Miscellaneo sacro et profano* 1, verb. *Matrim.* 101.

(11. Matrimonium non debet prohiberi illis qui doctrinam Christianam nesciunt, sed ad id comminatoriis monitionibus sunt cogendi. Sac. cong. Episcopor. et Regular. in *Gallipolen.* 9 Mart. 1588.

Nota Romani theologi.

Circa doctrinam necessariam in iis, qui contrahere matrimonium velint, videatur Bened. XIV, in tract. *De synodo diœces.*, lib. VIII, cap. 14, ubi rem fuse pertractat. Inter alia vero hæc habet. In congregatione habita coram san. mem. Innocentio XII ann. 1697 decretum est, non esse a parochis matrimonium in Ecclesia proclamandum, nisi antea sponsos repererit in Christianæ religionis rudimentis sufficienter instructos; quod quidem decretum confirmatum fuit a fel. record. Clemente XI in suo Bullario, pag. 326. Ac denique nos ipsi in nostra Encyclica Epistola ad universos episcopos, quæ est 42 in nostro *Bullario* § 11, tom. I, hæc scripsimus: « Verum, cum matrimonio jungendi non sint, si parochus, ut debet, prius interrogando deprehenderit, marem, seu feminam, quæ ad salutem necessaria sunt, ignorare, vix tantæ ac tam luctuosæ ignorantiæ locum relinquet episcopus, qui pastores animarum admoneat officii sui, et huic, si desint, negligentiæ repetat pœnas. » Contrahentes itaque matrimonium sciro ea debent, quæ necessaria sunt necessitate medii, et quæ ex præcepto Ecclesiæ memoria tenere debent fideles. Episcopi itaque et parochi repellere a contrahendo matrimonio debent eos, qui tum hæc ignorent, tum etiam ea, quæ spectant ad conjugatorum officia: hos vero arcendo a celebrando matrimonio, non novum impedimentum constituunt, sed indignos repellunt a sacramenti susceptione, quod sine sacrilegio recipere non possent: cum enim matrimonium sacramentum sit vivorum, hoc est, ab iis, qui in gratia sint, suscipiendum, animarum pastores munere funguntur suo, dum eos ab hoc recipiendo sacramento arceant, quos in peccato mortali versari noverint; qui vero negligunt ea scire, quæ antea diximus, in peccato mortali sunt. Quamobrem pastores eo studio, quo curare debent, ut digne sacramenta suscipiantur, tandiu a sacramenti susceptione repellere contrahentes debent, quoad usque graviter culpabilem ignorantiam in iisdem deprehenderit: « Quod si hæc prohibitio diuturna sit, et perseveret, id per accidens est, atque unice oritur ex culpa eorum, qui in illis erudiri, aut recusant, aut negligunt, » inquit idem sapientissimus Pontifex. Si vero culpabilis non sit ignorantia, sed ex eo oriatur, quod homo hebetis sit ingenii, et exilis memoriæ, qua de causa adhibita diligentia memoriæ mandare nequeat scitu necessaria, « in hoc rerum statu, non debet perpetuo arceri a matrimonio, quod est institutum in officium naturæ, et propterea nemini, sine propria culpa, denegandum; sed curabit parochus, ut qui eo memoriæ defectu laborat, frequenter audiat, quæ semel crasse didicit, ne ab ejus mente penitus elabantur. »

Responsio auctoris.

Notat hic Rom. theologus circa doctrinam necessariam in iis, qui contrahere matrimonium velint, videndum esse Bened. XIV, *De synodo diœcesana*, lib. VIII, cap. 14, sed et videnda est etiam circa doctrinam christianam tota integra ejusdem Pontificis constitutio 42, incip. *Est minima*, ab ipso *loc. cit.* indicata, ejusque summarium in indice tom. I ejus *Bullarii* verb. *Doctrina Christiana*, et verb. *Matrimonium*, juxta a me allata in *Supplementis* dict. verb. DOCTRINA CHRISTIANA, *et* MATRIMONIUM, quæ omnia sunt exacte observanda. * Vide *Addit. Casin.*, sub n. 113, art. 6.

(11. Matrimonium contractum coram sacerdote extraneo, qui habet licentiam a proprio parocho unius ex contrahentibus, et ignorat se illam habere, prout ignorat unus ex contrahentibus, est invalidum. Sacr. congreg. Conc. sub 5 Decemb. 1626, et sub die 15 Apr. 1628, apud Sellium in *Selectis canonicis* cap. 22, n. 15, et apud Barbosam in *Collectan. ad Trid.* sess. 24, *De reformat. matrim.*, cap. 1, num. 118.

(12. Matrimonium mentito nomine, vel cognomine, adhuc prima uxore vivente, cum alia contrahens, ultra pœnas, quibus ipse ordinarie puniri solet, damnari debet ad triremes in perpetuum; quod si inhabilis repertus fuerit, publice fustigetur, et damnetur ad carceres in perpetuum; si vero pro qualitate et enormitate delicti graviores pœnas meruerit, etiam curiæ sæculari, arbitrio sacræ congregationis S. R. E. Cardinalium in universa Republica Christiana contra hæreticam pravitatem generalium inquisitorum, puniendus tradatur. Urbanus VIII, 20 Jun. 1637, constit. incip. *Magnum in Christo.*

(13. Matrimonium coram parocho non promoto infra annum valide celebrari potest. Sacr. congreg. Conc. sub die 12 Mart. 1593, apud Barbosam in *Summa Apostolicar. dec.*, verb. *Matrimonium*, n. 7, et *De offic. et potest. parochi*, cap. 11, n. 55.

(14. Matrimonium contractum coram parocho illius loci, ubi contrahens moratur tanquam prætor, judex, seu medicus temporalis, validum est. Sacr. congr. Conc. apud Barbosam in *Summa Apostolicar. dec.*, verb. *Matrimonium*, num. 18, et *De offic. et potest. parochi*, c. 21, num. 28, et apud Garciam, *De benefic.*, part. V, cap. 7, n. 11, ad 5.

(15. Matrimonium contractum coram parocho alieno de licentia episcopi validum est, quamvis episcopus intentionem haberet tale matrimonium non alii, quam proprio parocho committendi. Sacr. congreg. Conc. apud Sellium in *Selectis canonic.*, cap. 8, n. 73, et Barbosam in cit. *Summa*, n. 6.

(16. Matrimonium contractum coram parocho excommunicato valet, quia ille in ho-

Digitized by Google

jusmodi casu præstat solam præsentiam ad effectum tollendi clandestinit. S. congr. C. sub die 3 Mart. 1594.

(17. Matrimonium contractum in parochia habitationis uxoris coram parocho viri, et e converso, validum est. Sacr. congr. Conc. apud Barbosam in cit., *Summa* n. 17, recedens a priori contraria decisione apud eumdem Barbosam, *De offic. et potest. paroch.*, cap. 21, n. 45.

(18. Matrimonium nullum ex publica causa, nova indiget præsentia parochi ad illud convalidandum, et non valet dicere fuisse ratificatum per copulam subsecutam : et dicitur notorium, ac reputatur publica causa, si constet ex libro baptizatorum aliquem ex contrahentibus tempore matrimonii non esse legitimæ ætatis. Sacra congreg. Con. *in Balneoregien.* 8 Jun. 1619, apud Barbos. in cit. *Summa*, n. 20.

(19. Matrimonium contractum a viro annorum undecim, mensium sex, et dierum sex, nullum declaratum fuit a sacra congreg. Conc. *in Romana Matr.*, 11 Septembr. 1666, lib. XXV. *Decr.*, fol. 226, apud Ursayam in *Miscellaneo sacro et profano* 1, verb. *Matr.*, n. 80.

(20. Matrimonium contractum et consummatum cum muliere annorum decem cum dimidio, nullum declaratum fuisse ab eminentissimo Urbis vicario die 13 Sept. 1709, refert Ursaya, tom. I, part. II, discept. 29, n. 22, in fine.

(21. Matrimonium autem contractum ab impubere, seu ante legitimam ætatem valet, si malitia suppleat ætatem, c. *Puberes* 3, De desponsat. impuberum, ubi in ordine ad contrahendum matrimonium pro certo sufficienter pubes habetur, « qui ex habitu corporis pubertatem ostendit, et generare jam potest; » etsi determinatos a jure annos necdum habeat, uti adhuc clarius deciditur in c. *De illis* 9, tit. eod., ibi : « Respondemus quod, si ita fuerint ætati proximi, quod potuerint copula carnali conjungi, minoris ætatis intuitu separari non debent, si unus in alterum visus fuerit consensisse, cum in eis ætatem supplevisse malitia videatur, » et concordat cap. *Tuæ* 14, eod. tit., et expresse tenet Fagnanus in cap. *De illis*, n. 2, 19, 20 et 42, testans de communi, subdens ib., n. 47, idipsum sæpius probasse sacram congreg. Conc.; nam quoad hoc concilium non correxit canones, et expresse etiam tenet S. Thomas in 4, dist. 36, quæst. unica, art. 5, dicens : « idcirco matrimonium valide contrahi, si aliquis ad perfectionem debitam ante tempus prædictum perveniat, ita ut vigor naturæ et rationis, defectum ætatis suppleat. » Et de facto multa exempla habemus, quod masculi in decimo ac undecimo, et femellæ in decimo anno proles procrearint; de quo vide Barbosam in cit. cap. *Puberes* 3, De desponsat. impuber., n. 5, et Sanchez, lib. VII, disp. 204, n. 29.

(22. Talis vero malitia ad validitatem matrimonii ante legitimam ætatem sufficiens in duobus copulative necessario consistit, scilicet et in discretione ad conjugalem consensum, et in potentia ad copulam, ut excommuni tenet Fagnan., *l. c.*, n. 3, subdens *ib.*, n. 47, id declarasse etiam sacram congregationem Concilii in causa Januensi. (23. An autem sit in impubere hujusmodi malitia, spectat ad judicem ecclesiasticum declarare, ut censuit eadem sac. congreg. Conc. *in d. Januensi*, teste Fagnano, *l. c.*, n. 47.

(24. Hinc impubes, qui ab ordinario, receptis debitis probationibus, declaratus fuerit habere hujusmodi malitiam supplentem ætatem, poterit matrimonium contrahere de episcopi licentia sine ulla Sedis Apostolicæ dispensatione ; et ratio est quia impedimentum ætatis a canonibus præfinitæ non est simplex, et absolutum, sed est conditionale, nisi malitia suppleat ætatem, ut patet in cit. cap. *Puberes* 3, cap. *De illis*, et cap. *Tuæ* 14, De desponsat. impuberum, et cap. unic. eod. in 6, adeoque statim ac ordinarius declaravit malitiam supplere ætatem, talis impubes in contrahendo utitur jure suo, et episcopus concedendo licentiam nihil attentat contra jus, cum possit illam concedere sine recursu ad Sedem Apostolicam, ut ex pluribus solide probat Fagnan., *l. c.*, a n. 38 ad 46, ubi dicit hoc expresse declarasse Gregorium XIII qui, ut refert Navarr., consil. 5, in fine, *De deponsat. impuber.*, cuidam petenti dispensationem ad matrimonium impuberis, dicitur respondisse Sedem Apostolicam ob hoc non esse interpellandam, cum si desit discretio vel potentia consummandi matrimonium, Sedes Apostolica nihil possit. Quod si neutrum deesse cognoverit, ordinarius poterit, si causæ, quæ narrantur, sunt veræ, suo jure dictam licentiam concedere. Hæc ibi Fagnanus, qui n. 7 subdit quod idipsum sæpius probavit sacra congreg. Conc.

(25. Matrimonium per verba de præsenti inter puberem, et impuberem, vel inter duos impuberes non proximos pubertati, et in quibus malitia non suppleat ætatem, nulliter, seu clandestine contractum valet in vim sponsaliorum, seu transit, et resolvitur in sponsalia de futuro, textu expresso in cit. cap. unic., § *Idem quoque eod.*, in 6, et sic declarasse sacram congregat. Conc. refert Fagnan., *l. c.*, n. 49, et tenet Communissima doctarum, texte Reiffenst., lib. IV *Decretal.*, tit. II, n. 18. (26. Sponsi tamen impuberes, facti puberes non possunt per censuras cogi ad contrahendum per verba de præsenti, sed ad annos pubertatis perventi possunt recedere, c. *De illis* 7, et c. *Anobis* 8, De desponsation. impuber., et sic plenis votis declaravit sac. congregat. Conc. teste Fagnano, *l. c.*, n. 50, nisi sponsalia fuerint jurata, et impuberes tempore sponsaliorum fuerint doli capaces, quia tunc etiam impuberes facti puberes cogi possunt per censuram ecclesiasticam ad observantiam juramenti, textu expresso in cap. *Ex litteris*, 10, De sponsalib., et Gloss., *ib.*, vers. *Sub juramento*, Hostiens., *ib.*, verb.

Digitized by Google

Jurare; Joann. Andreas, *ib.*, n. 3; Butrius, n. 10; Ancharan, n. 3; Abbas, n. 6; Alexander de Nævo, n. 15; Præpositus, n. 4, in fine; Fagnanus, n. 4, et in cap. *De illis*, 9; De desponsat. impub., n. 51; Covarruv., in 4, decr., part. 1, cap. 5, § 1, n. 3; Sanchez, l. 1, disp. 51, n. 22, et alii passim; nec quoad tales impuberes doli capaces, seu in quibus malitia tempore sponsaliorum supplebat ætatem, dissensit Reiffenstuel, l. IV *Decret.*, tit. 2, n. 17, quamvis n. 16, cum aliis ibi citatis dissentiat quoad impuberes simpliciter.

(28. Matrimonium inter puberes, non servata forma concilii, contractum per verba de præsenti non resolvitur in sponsalia de futuro, ut sæpius declaravit sac. congr. Conc. et patet ex adductis ejus decretis sub n. 2, et testatur etiam Fagnan. in cit. cap. *De illis* 9, De desponsat. impub. in fine, ubi refert quod « d. sac. congregatio consulta, an matrimonium clam sine parocho et testibus contractum resolvatur saltem in vim sponsaliorum? respondit non resolvi; quia est defectus in forma. » Unde non officit, quod in sponsalia resolvatur simile matrimonium impuberum ex dictis supra n. 26, per textum in cit. cap. *Tuæ* 14, De desponsat. impub., et cit. c. unic., § *Idem quoque eod.*, in 6, quia ibi agitur de nullitate defectu causæ efficientis, non autem formalis, ut hic, sicuti dicit d. sac. congregatio, *quia est defectus in forma*, et cum Geminian. et pluribus aliis notat etiam recte Ursaya, tom. III, p. 1, discept. 19, n. 189.

(29. Hic occasione puberum, et impuberum juvat notare varia circa ipsos. Unde puberes a pube sunt vocati, id est a pudentia corporis nuncupati, quia hæc loca primo lanuginem ducunt, textu expresso in c. *Puberes* 3, De desponsat. impub., ibi: « Puberes a pube sunt vocati, id est a pudentia corporis nuncupati, quia hæc loca primo lanuginem ducunt. » (30. Pubes enim est lanugo illa primo nascens circa pudenda, ita ut et pars illa corporis a Latinis pubes dicatur, ut ex communi notat Calvinus in suo magno *Lexico juridico*, tom. II, verb. *Pubes*, arg. cap. *Puberes*. (31. Pubertas autem est emissio ipsa pubis, a qua anni pubertatis dicti sunt, Calvinus, *l. c.*, verb. *Pubertas*.

(32. Pubertatis anni in feminis ordinarie sunt duodecim completi, in masculis autem 14 item completi, textu expresso in l. ult. cod.: *Quando tutores esse desinant*, ibi: « Jubemus, quemadmodum feminæ post impletos 12 annos omnimode pubescere judicantur, ita et mares post excessum 14 annor. puberes existimentur, » et concordat cit. c. *Puberes*. (33. Unde puberes sunt illæ personæ, quæ dictam ætatem compleverunt, et impuberes sunt illæ personæ, quæ d. ætatem nondum complete attigerunt. Dictum autem fuit notanter *ordinarie*, quia in quibusdam pubertas interdum anticipat talem ætatem, et in aliis quandoque posticipat. (34. Hinc regula certa est illas personas esse puberes, quæ ex habitu corporis pubertatem ostendunt, et generare jam possunt, textu expresso in cit. cap. *Puberes* 3, De desponsat. impuber., ibi: « Cæterum autem est, eum puberem esse, qui ex habitu corporis pubertatem ostendit, et generare jam potest. »

(35. Quinam autem dicantur pubertati proximi, variæ fuerunt opiniones: at duæ præ aliis receptæ videntur. Prima, quod masculi dicantur pubertati proximi, cum dimidiatum annum supra decimum excesserunt, et feminæ, cum novem annos, et dimidium egressæ sunt, arg., § final., *Quibus ex causis manumit. non lic.* Nam post infantiam usque ad pubertatem sunt in masculis septem anni, et in feminis quinque; quare, ex quo excessit quis dimidiam hujus temporis partem, magis pubertati, quam infantiæ proximus dici debet. Panormitanus in cap. *Continebatur* 6, De desponsat. impuber., quod in ea præsertim ætate soleat plerumque malitia tempus supplere; cap. 1, *De delict. puer.*; *Glossa* in summa 20, quæst. 1. Et hanc sententiam docuit Accursius, in l. 1, ff. *De novat.*, § *In summa*, *Instit. de obligat. quæ ex del.*, § *Pupillus*, *Instit. de inutil. stip.* Secunda sententia docet, non posse quoad hoc tradi unam regulam generalem pro omnibus, sed illas personas censeri debere pubertati proximas, quæ rerum intellectum jam capere possunt, et doli capaces existunt, seu in quibus malitia supplet ætatem arg. l. XXIII et XXIV; *De furtis*, cap. *Puberes* 3, cap. *Continebatur* 6, cap. *De illis* 9, *Attestationes* 10, et cap. *Tuæ* 14, De desponsat. impuber., et alii communius, et quantum ad contrahendum matrimonium hæc sententia est habenda pro certa, textu expresso in cit. cap. *Puberes* 3, De desponsat. impuber., ibi: « Certum est autem, eum puberem esse qui ex habitu corporis pubertatem ostendit, et generare jam potest; » et cit. cap. *De illis* 9, titul. eod., ibi: « Respondemus, quod si ita fuerint ætati proximi, quod potuerint copula carnali conjungi, minoris ætatis intuitu separari non debent, si unus in alterum visus fuerit consensisse, cum in eis ætatem supplevisse malitia videtur. » *Vide supra* a num. 22 ad 25.

(36 Hinc ad valorem matrimonii, tam de jure civili, quam canonico requiruntur, et sufficiunt anni pubertatis, scilicet duodecim completi in feminis, et quatuordecim item completi in masculis; nisi tamen in ipsis malitia suppleat ætatem, *Princip. instit. de nuptiis*, et l. IV, ff. *De actu nup.*, cap. *Puberes* 3, cap. *Attestationes* 10, et c. *Tuæ* 14, De desponsat. impub. Dicitur autem notanter 37: *Nisi tamen in ipsis malitia suppleat ætatem*, quia ex jam dictis a num. 22 ad 25 validum est matrimonium contractum ante dictam ætatem ab illis, in quibus malitia prævenit, seu supplet ætatem.

(38. Matrimonium, quando contrahitur inter duos alienigenas, et a parvo tempore in parochia habitantes, qui tamen sunt cogniti, quod non sunt de comprehensis inter vagabundos, proprius eorum parochus esse

Digitized by Google

intelligitur, in cujus parochia contrahentes habitant tempore, quo matrimonium contrahitur. Sacr. congregat. Conc. sub die 21 Martii 1602. (39. Matrimonium coram parocho et testibus contractum hac conditione, *si mulier est legitima*, subsecuta copula, non est validum, si postea constiterit mulierem esse illegitimam. Sacr. congr. Conc. de anno 1620, apud Sellium in *Selectis canonicis*, cap. 22, n. 17, et Barbosam in *Summa Apostolicar. decis.*, verb. *Matrimonium*, num. 21.

(40. Matrimonium contractum sub conditione apposita per virum : « Si id salvo honore meo fieri potest, et si fratribus meis placuerit » : si non expectato conditionis eventu, subsecuta fuerit copula cum maritali affectu, est validum; quia revera gratia non confertur sub conditione, sed completa voluntate actus. Sac. congr. Conc. sub die 23 Aug. 1622

(41. Matrimonium contractum, et consummatum mediante Apostolica dispensatione ex causa indotationis mulieris, si detegatur falsa eadem causa, et appareat de congrua dote, adhuc sustinetur. Sac congr. Conc. *in Praten. matrimonii* 4 Jul. 1712, et *in Neapolitana matrimonii* eodem die, et anno.

(42. Qui obtinuit dispensationem super impedimento consanguinitatis in forma pauperum, falsa narrata paupertate, dicitur valide dispensatus, et proles legitima, ut respondit Sac. congr. Conc. 9 Septemb. 1679, l. 3, *Decret.*, fol. 406.

(43. Si dispensatio matrimonialis reperiatur concessa inter consanguineos *ob angustiam loci*, erit exsequenda, etiamsi testes deponant, homines loci esse omnes pares. Sac. congregat. Episcop. *in Alben.* 13 Februar. 1596, et sacr. congreg. Conc. *in Bisacciarum* 19 Junii 1706, apud Monacell., p. 1, tit. 16, formul. 2, num. 33.

(44. Qui obtinuit litteras dispensationes super gradu prohibito consanguinitatis, et illis non præsentatis, contraxit, vel carnaliter sponsam cognovit, hic absque nova dispensatione in matrimonio permanere non potest. Sacr. congreg. Conc. die... Maii 1635, apud Monacell., *loc. cit.*, n. 30.

(45. Qui delictum polygamiæ commisit, et pœnitentiam, seu pœnam triremium jam explevit, hic non potest absque dispensatione Apostolica cum secunda denuo matrimonium contrahere, quamvis prima legitima uxor decesserit, quia obstat ei impedimentum criminis. Sac. congreg. Conc. *in Sancti Sever.* 18 Jul. 1704.

(46. Non confirmatus non contrahit impedimentum ad effectum contrahendi cum suscepto in sacramento confirmationis. Sac. congr. Conc. *in Lycien.* 13 Jun. 1654, apud Monacell., *l. c.*, n. 30.

(47. Qui sponsalia contraxit cum muliere inhonesta, non potest a consanguineis impediri ne matrimonium contrahat. S. congr. Episc. et Reg. *in Recanaten.* 25 Jun. 1619.

(48. Matrimonium inæquale non potest impediri a matre sponsæ. Sacr. congr. Conc. *in Neapolitana* 25 Januarii, et 8 Martii 1722.

(49. Matrimonium simulate contractum ad effugiendum aliquod periculum, nullum est. Sac. congr. Conc. *in Mutinen. matrimonii* 9 Jun. 1725, ubi de matrimonio contracto a muliere musicæ artis peritissima cum persona conscia de simulatione ad hoc, ut posset dimitti a carceribus ubi detinebatur, ne matrimonium contraheret cum nobili juvene ejus amore capto.

(50. Matrimonium absque triennali cohabitatione dissolvendum est, quando clare constat de impotentia unius. Sac. congr. Conc. *in Seguntina* 12 Septemb. 1609, apud Pignat. tom. I, consult. 147, n. 21 et 23.

(51. Matrimonium contractum cum impedimento dirimente a muliere animam agente, ne moreretur infamata, nullum declaratum fuit a sac. congr. Conc., *in Cosentina matrimonii* 18 Novemb. 1683, l. XXXIV *Decr.*, fol. 393.

(52. Matrimonium ratum ex justa causa dissolvi potest a Summo Pontifice, dissentiente etiam uno ex conjugibus Sac. congr. Conc., die 20 Maii 1719, et 28 Januar 1720, et *in Tirasonen. matrimonii* 2 Octob. 1723.

(53. Matrimonium contractum cum conditione, quod mulier haberet tantam dotem, detecta istius insufficientia, adhuc validum reputatum fuit a sac. cong. Conc. *in Romana matrimonii* 23 Januar. 1666.

(54. Matrimonia contrahi possunt a subditis etiam sine consensu dominorum, non obstante contraria consuetudine, sac. congr. Conc. *in Pragen. matrimonii* 19 Mart. et 24 Aug. 1669, lib. XXVI *Decr.*, fol. 183 et 283.

(55. Matrimonia, ne contrahantur post occasum solis, neque per procuratorem, statuere nequeunt episcopi. Sac. congr. Conc. *in Neapolitana* 18 Aug. 1663, lib. XXIII, *Decr.*, fol. 276, apud Ursayam in *Miscellaneo sacro et profano*, verb. *Matrimonium*, n. 124.

(56. Matrimonium valide, et licite contrahi potest cum pacto continentiæ sine intentione prolis, et remedii concupiscentiæ, quia id non pugnat cum essentia matrimonii, cum sic conjuges tradant sibi adhuc mutuam potestatem radicalem, et quoad actum primum, et excludant generationem prolis solum negative, ut patet exemplo B. M. V. et S. Joseph. Busembaum., lib. III, tract. 6, c. 2, dub. 1; La Croix, *ibid.*; Perez, *De matrim.*, disp. 13, sect. 8; Dicastill., dist. 5, nu. 12; Paludan, Vasquez, Coninch, Pontius, Hurtado, et alii apud ipsum contra Sanchez, Sotum, Henriquez, et alios; matrimonium tamen initum sub ea conditione, quod mulier deberet professionem emittere, et renuntiare cuicunque juri sibi competenti in vim matrimonii, declaratum fuit invalidum a sac. cong. C. *in Ulixbonen. Occidental.* 8 Jul. 1724, apud *Thesaurum resolutionum sac. congreg. Concilii* tom. III, quæ *Resolutiones* prostant Romæ, apud Barbiellini *ad Minervam*.

Digitized by Google

(56. Ordinarius non potest prohibere quin matrimonia domi celebrentur, servata concilii forma, sed, cum maxime deceat ut in ecclesia celebrentur, id hortari debet, non præcipere. Sic decisum fuisse a sacra congregatione Concilii referunt Barbosa *De offic. et potest. episcop.*, allegat. 22, nu. 18; Gavant., *Manual. episcop.*, verb. *Matrimonii celebratio*, n. 20; Ursaya, *Miscellan. sacr. et profan.* 1, verb. *Matrimonium*, n. 125; Franciscus Leo *in Thesauro fori ecclesiastici*, part. II, c. 8, n. 48; Basilius Pontius, *De impedim. matrimonii*, cap. 26, § 3, vers. 3; Rebell., *De obligatione justitiæ*, part. II, lib. II, quæst. 7, num. 11; Marcell. Vulpe in *Praxi judicii fori ecclesiastici*, cap. 15, num. 15; Sanchez, lib. III, disp. 15, n. 20; Diana, *Moral. resolut.*, part. III, tract. 4, resolut. 279; Reginald, in *Praxi fori pœnitent.*, lib. XXXI, num. 242.

(58. Matrimonium enim licite celebrari potest extra ecclesiam, quia ad hoc, ut dicatur celebrari in facie Ecclesiæ, non est opus, ut in ipsa materiali ecclesia, vel in ejusdem limine celebretur, sed sufficit, ut servatis ritibus Ecclesiæ, fiat coram aliqua fidelium multitudine, quæ, tanquam quædam catholicorum congregatio, censeri potest Ecclesia, juxta textum in c. *Ecclesia* 6, dist. 1, *De consecr.*, ibi : « Ecclesia, id est Catholicorum collectio, » et cap. *Relatum* 12, De testamentis, ibi : « Nomine autem Ecclesiæ... » Communis congregatio intelligitur Glossa, verb. *Præfatam Ecclesiam* in cap. final. *Ne prælati vices suas ;* Barbosa, *l. c.* n. 17, et alii passim.

(59. Benedictiones conjugales non possunt nisi inter missarum solemnia fieri. Sac. congregat. Concil. *in Pisaurensi* 13 Julii 1630. (60. Et parochus proprius debet accipere eleemosynam ratione benedictionis, et non alius. Sac. Congr. Rituum *in Acheruntina* 25 Januarii 1602.

(61. Alia vide verb. ADULTERIUM, BENEDICTIO, art. 4; DENUNTIATIONES MATRIMONII, DIVORTIUM, IMPEDIMENTA MATRIMONII, PAROCHUS, SPONSALIA.

(62. Quoad validitatem, et invaliditatem matrimoniorum attendenda est omnino novissima constitutio Summi Pontificis Benedicti XIV, incip. *Dei miseratione*, in qua præscribit ordinem, et formam observandam in judiciis causarum matrimonialium super validitate matrimoniorum, et mandat, in omni diœcesi ab ordinario loci eligendum esse idoneum virum, si fieri possit, ecclesiasticum *matrimoniorum defensorem* vocandum, qui ad omnem actum judicialem citari debebit, et intervenire, et voce, et scriptis validitatem matrimonii defendere, et appellare a prima sententia, si ista declaraverit invalidum matrimonium. Imo potest appellare etiam a secunda conformi priori, si ipsi defensori videatur manifeste injusta, et etiam a tertia, si esset revocatoria alicujus alterius præcedentis in favorem validitatis matrimonii prolatæ.

(63. Quoad matrimonia attendenda est etiam aliam alia novissima dispositio Benedicti XIV, in constitutione incip. *Satis vobis*, in qua refert plurima mala, quæ in dies oriuntur a matrimoniis occultis, aut conscientiæ. Inde mandat episcopis, ut non de facili dispensent super denuntiationibus, et dispensando super istis, et non permittant matrimonium ita celebrari coram parocho, aut altero delegato sacerdote, et testibus confidentibus ipsis contrahentibus, ita ut celebratio matrimonii possit remanere secreta, et occulta. Interveniente tamen justa, et urgente causa permittit etiam ipsa matrimonia secreta, quibus debebit assistere parochus alicujus ex contrahentibus, aut, attentis circumstantiis, alter sacerdos ab episcopo delegatus. Qui ex eis assistet, consignare debebit episcopo scriptum documentum celebrationis dicti matrimonii, loci, temporis, et testium, quod ab episcopo fiet transcribi in libro particulari, et distincte continente sola matrimonia secreta, qui liber clausus, et sigillatus erit custodiendus in cancellaria episcopali. Si nascatur proles ex talibus matrimoniis, baptizabitur in respectiva ecclesia, notabiturque in libro baptizatorum sine nomine genitorum, et tenebuntur isti immediate, vel mediate intra terminum triginta dierum dictam prolem notificare episcopo, exprimendo locum, tempus, aliasque circumstantias collati baptismi. Quod totum cum nomine genitorum debebit transcribi in alio libro eisdem cautelis in cancellaria episcopali custodiendo. Quod si intra dictum terminum non fuerit, ut supra, notificatum, tenebitur episcopus reddere notum dictum matrimonium secretum, a quo certo sciat ortam esse dictam prolem. Et hujus sic contrahentium obligationis, aliarumque præscriptarum rerum erunt serio monendi a sacerdote, antequam tali eorum matrimonio assistat.

ADDITIONES CASINENSES

Non abs re putamus citat. hic constitutionem Benedicti XIV per extensum referre, estque tenoris, sequentis.

« *Venerabilibus fratribus patriarchis, primatibus, archiepiscopis, et episcopis,*

BENEDICTUS PAPA XIV.

« *Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.*

« Satis vobis compertum esse non dubitamus, venerabiles fratres, eam semper fuisse piæ matris Ecclesiæ vigilem curam, ut sacramentum matrimonii, magnum ab Apostolo nuncupatum, publice, et palam a fidelibus celebretur. Quod quidem ut diligentius, quam antea factum fuerat in posterum observaretur, sancta Tridentina synodus, Lateranensis concilii sub Innocentio III celebrati vestigiis inhærendo, præcepit, ut in posterum, antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium parocho, tribus continuis diebus festivis in Ecclesia, inter missarum solemnia, publice denuntietur, deindeque, nullo legitimo

Digitized by Google

concurrente impedimento, ad illius celebrationem in faciem Ecclesiæ coram parocho, vel alio sacerdote de ipsius parochi, seu ordinarii licentia, et duobus, vel tribus testibus præsentibus, rite procedatur. Voluit etiam eadem sancta synodus apud parochum diligenter librum custodiri, in quo conjugum, et testium nomina, diesque, et locus matrimonii describantur.

« § 1. Providæ tamen hujusmodi leges tanta auctoritate saluberrime institutæ, prava horum temporum conditione prolabi visæ sunt, et enerves propemodum reddi, ob matrimonia usu nimis recepta, quæ occulte adeo celebrantur, ut illorum notitia, quantum fieri potest, obliteretur et in tenebris ignorantiæ perpetuo jaceat consepulta. In more etenim positum est, illa celebrari nullis præviis factis denuntiationibus, coram solo parocho, vel alio sacerdote de ejus licentia, adhibita præsentia tantum duorum testium apposite a contrahentibus advocatorum, quorum fides nemini illorum est suspecta; remque peragi sæpe extra Ecclesiam, quandoque etiam intra illam, januis tamen occlusis, vel eo temporis momento, quo semota alterius cujusvis præsentia, scientia initi matrimonii, præter parochi, contrahentium, testiumque personas, alios penitus effugiat.

« § 2. Quantum a sacramenti dignitate, et ab ecclesiasticarum legum præscripto, occulta hæc matrimonia, *conscientiæ* vulgo nuncupata, ut plurimum abhorreant, satis superque conjicere quis poterit, qui mentis aciem ad exitiosos illorum effectus convertat. Hinc gravia ortum habent peccata, præsertim vero eorum, qui divini judicii interminatione posthabita, priore uxore, cum qua clam contraxerunt, relicta, cum alia spe futuri matrimonii decepta et in turpem secum vivendi licentiam abducta, palam contrahere promittunt. Quorumdam vero mentem ita pravæ cupiditates excæcant, ut novum contrahere secretum matrimonium audeant, post alterum secreto itidem contractum et nondum prioris conjugis morte solutum, seseque magno scelere polygamos reddant. Alii etiam eo impudentiæ devenere, ut in hujus magni sacramenti contemptum, post primas secreto initas, alteras aut publice, aut privatim nuptias contrahendo, sese audacius polygamia pariter innodare non perhorrescant. Age vero quam gravia, quam nullo pacto ferenda in his matrimoniis mala oriantur. Si enim ad quamcumque matrimonii suspicionem submovendam, virum scorsim a muliere vivere contingat, sublata est illico individua vitæ consuetudo, et contemptum est verbum Domini : *Adhærebit homo uxori suæ, et erunt duo in carne una;* sin hæc vitæ consuetudo servetur, nemo est, qui illam criminis non arguat et utpote detestabilem, in scandali materiam non traducat. Neque illata per scandalum dispendia rependit subsecuta celebratio occulti matrimonii, quod in tenebris delitescit et ab omnibus ignoratur.

« § 3. Leviora quoque damna non sunt, quæ susceptæ proli irrogantur. Sæpe enim contingit illam a parentibus et a matre præsertim amotam, nec pie nec liberaliter institui, sed incertis fortunæ casibus objectam relinqui: nisi etiam parentes ipsi, contra naturæ leges ausu nefario illius vitæ insidientur. Ubi vero tam immane facinus parentes deterreat, illosque ad sobolem alendam, instituendamque humanitas ipsa compellat; alia imminet liberis susceptis ex occulto matrimonio lugenda avitarum facultatum et bonorum jactura : pro quorum possessione assequenda, quamvis clament jura sanguinis, illis tamen careant necesse est, propter occulta parentum matrimonia et ademptam legitimitatis et filiationis probationem.

« § 4. Huic etiam malorum origini sunt referenda ipsa quoque secreta matrimonia contracta a filiisfamilias contra patris juste dissentientis voluntatem, ex quibus quam gravia incommoda exoriri soleant, neminem latet. Quid plura? Adeo invaluit malitia, ut quandoque in minoribus ordinibus constituti pensiones et beneficia, ad divinum cultum et ecclesiastica munia instituta, etiam post initum clam matrimonium retinuerint, sibique de mammona iniquitatis loculos miserrime comparaverint.

« § 5. Deflenda hæc igitur potius uberibus lacrymis, quam latiore calamo explicanda malorum congeries, quum ex hac Apostolicæ Sedis specula omnes sibi vindicet nostræ vigilantiæ curas; temperare non possumus, quin vos ipsos, venerabiles fratres, in partem nostræ sollicitudinis evocantes, vestram pietatem, et zelum excitemus ad custodiendas vigilias noctis super grege vobis credito, quem luctuosa horum temporum conditio in discrimen adducit. Primum itaque periculi non infrequens occasio vos reddat difficiliores ad remittendum publicationes a quibus contracturi matrimonium sæpe per malitiosam suggestionem petunt dispensari. Quam caute solerterque oporteat ea in re episcopos versari, non obscura vobis a concilio Tridentino exhibentur argumenta. Si enim (ait eadem sancta synodus) probabilis fuerit suspicio, matrimonium malitiose impediri posse, si præcesserint denuntiationes; tunc vel una tantum denuntiatio fiat; vel saltem parocho et duobus testibus præsentibus, matrimonium celebretur et deinde ante illius consummationem denuntiationes in Ecclesia fiant, ut si aliqua subsint impedimenta, facilius detegantur. Præterea licet episcopo relictum sit omnimode super denuntiationibus dispensare, hæc tamen facilitas non a sola dispensantis voluntate pendet, sed a Tridentino coercetur arctis prudentiæ, discretique arbitrii legibus, quod idem est ac legitimam causam dispensationis requirere.

« § 6. Parem quoque, imo fortasse majorem vigilantiam necesse est a vobis adhiberi, ne post remissas denuntiationes, celebretur matrimonium coram parocho, vel alio sacerdote ab ipso parocho, vel a vobis deputato, præsentibus duobus, vel tribus testibus con-

Digitized by Google

fidentibus, ne ulla celebrationis notitia, vel rumor oriantur. Id enim, ut ad præscriptum sacrorum canonum licite fieri possit, non satis est obvia quævis et vulgaris causa, sed gravis, urgens et urgentissima requiritur. A sacro nostræ Pœnitentiariæ tribunali, eo potissimum casu fit potestas ita celebrandi matrimonium, quo vir, et femina in figura matrimonii publice degentes et de quibus nulla viget criminis suspicio, in occulto tamen concubinatu perseverent; facile enim quisque conjiciet, quam absonum esset eos, a statu damnationis per gratiam sacramenti revocandos, ad publice contrahendum matrimonium præviis denuntiationibus compelli. Hanc vero praxim vobis duximus proponendam, non quia dispensatio præmisso casui solum congruat, quum alii similes, et fortasse urgentiores esse possint, in quibus dispensari expediat : sed quia, vestri pastoralis officii partes versari debent in sedulo investiganda legitima et urgenti causa dispensationis, ne matrimonia occulte celebrata luctuosos habeant exitus, quos intimo cordis mœrore recensuimus.

« § 7. Hunc porro in scopum vos hortamur et impense admonemus, ut personarum matrimonium secreto contrahere petentium diligens fiat a vobis inquisitio : an scilicet ejus qualitatis, gradus, et conditionis sint, quæ id probe exposcant; an sint sui, vel alieni juris; an filiifamilias, quorum nuptiæ patri juste dissentienti sint invisæ: ab episcopali etenim, quod geritis, munere nimium esset alienum, facilem præberi filio inobedientiæ occasionem; an res sit de personis ecclesiasticis, licet in minoribus ordinibus constitutis, pensiones et beneficia ecclesiastica obtinentibus, ut detestabilis illorum retentio in statu uxorato congruis remediis postea compescatur. Potissimum vero curet vestra sollicitudo, antequam secreti matrimonii licentia concedatur, quod contrahentes clara et indubia et a quamvis fraude immunia exhibeant documenta status liberi, ad avertendum ab iis, qui improbi sunt ingenii, polygamiæ periculum.

« § 8. Quod attinet ad ministrum secreti matrimonii, volumus ad id munus deputari parochum alterius ex contrahentibus, quem notitia personarum, experientia et diuturnus rerum usus quovis sacerdote extraneo peritiorem effecisse præsumuntur. Si quæ tamen vobis occurrant circumstantiæ, quæ alium sacerdotem loco parochi exposcere videantur, gravi impellente causa, is sacerdos a vobis eligatur, qui probitate et doctrina et obeundi muneris peritia commendetur.

« § 9. Uni tamen, aut alteri sacramenti ministro a vobis deputando, distincte præcipiatur, ne matrimonio intersit, nisi prius paterna charitate conjuges in Domino monuerit, soboiem procreandam regenerari quamprimum oportere sacro baptismatis lavacro; ac Christo judici districtam reddituros esse rationem, nisi filios ut legitimos agnoverint, eosque pietate, bonisque moribus imbuerint, et frui patientur bonis temporalibus, a majoribus in supremis tabulis relictis, vel provida legum auctoritate delatis.

« § 10. Celebrato autem matrimonio, indilate a parocho, vel alio sacerdote coram quo initum est, exhibeatur episcopo illius scriptum documentum, cum nota loci et temporis, testiumque, qui celebrationi interfuerunt. Vestrum erit postea diligenter incumbere quod, ad perennem gestæ rei memoriam, præfatum documentum fideliter transcribatur in libro prorsus distincto ab altero, in quo matrimonia publice contracta de more adnotantur. Hujusmodi liber pro matrimoniis secretis apposite compactus, clausus, et sigillis obsignatus, in vestra episcopali cancellaria caute erit custodiendus; et eo tantum casu resignari et aperiri vestra accedente licentia patiemini, quo alia id genus matrimonia describi oporteat, vel id sibi vindicet justitiæ administrandæ necessitas, vel demum aliquod documentum ab eo exposcant verum interesse habentes, quibus probationum aliunde petendarum non suppetit copia : sedulo tamen animadvertentes quod, re absoluta, denuo claudatur et sigillis, ut antea, obsignetur. Fides, seu attestationes clam celebrati matrimonii, a parocho, vel sacerdote, qui vices parochi gessit, exarandæ, vobisque exhibendæ, transcribantur in dicto libro, prout jacent de verbo ab verbum, a persona a vobis deputanda, quæ apud omnes integritatis, probatique nominis luculentum habeat testimonium. Fides vero, et attestationes ipsæ in secretiori loco sartæ tectæque a vobis serventur.

« § 11. Quod, si ex occulto hujusmodi matrimonio prolem nasci contingat, eadem mundetur salutari aqua baptismi in ecclesia, in qua aliis infantibus hoc sacramentum indistincte confertur. Et quia, ad operiendum clam initum matrimonium, facile est in libro baptizatorum nullam fieri mentionem parentum, et eorum nomina consulto reticeri; volumus, ac expresse mandamus, quod a patre baptizati, eoque defuncto, ab illius matre, suscepta proles vobis denuntietur; dictaque denuntiatio fiat vel immediate per parentes ipsos, vel per litteras eorum charactere exaratas, vel per fide dignam personam ab ipsis parentibus designatam, ut certe, et clare vobis constet, quod proles tali loco, et tempore, vel reticitis, vel falso expressis nominibus parentum, baptizata, est legitima, licet occulti matrimonii fœdere procreata. Quæ sane omnia quum vobis innotuerint, ne illorum excidat memoria, in libro fideliter describentur ab eo, cui facta a vobis est potestas adnotandi matrimonia occulte celebrata. Liber, in quem baptizatorum, ac utriusque parentis nomina referentur, quamvis distingui debeat ab altero matrimoniorum, eadem tamen diligentia, iisdem cautelis, in cancellaria episcopali clausus, et sigillis obsignatus, erit custodiendus prout, librum matrimoniorum caute custodiri supra mandavimus.

« § 12. Quia vero nonnulli deesse non possunt, qui propriæ conscientiæ vocibus obsurdescant, et nostris hisce mandatis parere

Digitized by Google

negligent, debita pœnarum districtione pro modo culpæ a vobis puniantur. Quinimo cum satis Nobis experientia compertum sit, in hujusmodi negotiis homines in terram oculos declinantes, ob humanos respectus tardiores effici, et a recte agendi semita revocari; mandamus idcirco, matrimonia occulta a vobis evulgari, et nota fieri, si certo vobis constiterit, ex aliquo matrimonio occulto procreatam fuisse sobolem, et baptizatam suppressis parentum nominibus, nulla præstita vobis notitia, ut par erat, ab illius parentibus, intra triginta dies a nativitate numerandos.

§ 13. Ne autem contumaces, et inobedientes violatæ fidei, proditique secreti pastores suos insimulent; sedulo a vobis curandum est, ut a parocho, vel alio sacerdote, pro secreta celebratione matrimonii a vobis deputando, conjuges clare, et aperte moneantur, ea lege, et pacto illis permitti secreti matrimonii celebrationem, ut soboles inde procreanda non solum regeneretur sacro baptismate, sed post baptisma denuntietur episcopo, cum nota loci, et temporis administrati sacramenti, ac sincera indicatione parentum, a quibus ortum habuit, quemadmodum supra præmissum est; alioquin matrimonium, licet contractum, data per episcopum secreti fide, in lucem proferetur in gratiam filiorum, et ad propulsandam ab illis gravem, nulloque pacto ferendam jacturam.

« § 14. Volumus denique, ac mandamus, fides, seu attestationes matrimonii clam initi, et soboles ex eo procreatæ, excerptas ex dictis libris, modo quo dictum est, apud vos caute custodiendis, tantam promereri fidem, quantam sibi alii libri parochiales baptismatis, et matrimonii vindicare consueverunt.

« § 15. Hæc a vobis, venerabiles fratres, in hac temporum calamitate observari enixe præcipimus, ad communem animarum salutem, et ad præsidium ecclesiasticæ disciplinæ, propter invalescentem hominum malitiam, nova semper detrimenta vel patientis, vel reformidantis. Cæterum, nostris hisce litteris sublata nolumus ea validiora remedia, quæ huic malo in diem ingruenti consona dignoscet prudentia vestra, ad pastorale officium cumulate obeundum. Vobis interea paternæ charitatis, et benevolentiæ testem, Apostolicam benedictionem impertimur.

« Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, die 17 Novembris 1741, pontificatus nostri anno II. »

(64. Alia quamplura huc revocabilia, vel ad hujusce magni sacramenti pleniorem captum exoptabilia, suis in respectivis alphabetice locis reperiuntur, et præsertim in verbo IMPEDIMENTA MATRIMONII, ubi etiam fusius quædam hic breviter attacta.

(65. Additur hic attendenda resolutio sequentis dubii.

DUBIUM MATRIMONII.

« *Sequens casus sac. Pœnitentiariæ propositus, fuit ab ea ad hanc sacram congregationem pro decisione remissus.*

« Fulanus, et Berta matrimonium inter se contracturi, statum suum liberum probaverunt apud acta curiæ episcopalis, instantes subinde, juberi parocho, ut ad trinam denuntiationem procederet. Interrogati autem a notario, quisnam esset eorum parochus? responderunt (per errorem tamen, et citra contemptum clavium) esse parochum S. Demetrii, in cujus parochia jampridem habitaverant, sed tunc temporis non habitabant. Peractis itaque a parocho S. Demetrii, juxta sibi traditam facultatem, denuntiationibus, nulloque impedimento detecto, ordinarius impertitus est solitam licentiam per dictum notarium extensam sub hac verborum formula:

« Concediamo licenza al parroco di S. « Demetrio di poter assistere al matrimonio « tra Folano e Berta, ambedue della sua « parrochia. »

« Celebratum proinde fuit coram dicto parocho et testibus matrimonium: sed post aliquod tempus Fulanus librum moralem casu legens, invenit communem esse sententiam, quod ad matrimonii validitatem requiritur præsentia parochi, saltem unius ex contrahentibus, unde consultis pluribus confessariis, quid sibi agendum esset, suasus fuit, ut una simul cum Berta consensum renovaret coram proprio parocho et testibus. At Fulanus, explorata Bertæ voluntate, an casu, quo non esset ipsius conjux, vellet sibi matrimonialiter copulari, responsum habuit absolute negativum. Nihilominus, habita nuper notitia, quod inter declarationes desumptas ex *Bibliotheca* rec. me. card. Bellarmini, et typis impressas, ad caput primum sess. XXIV, *De reformat. matrimonii*, exstat infra scripta: « Item licet non pro« prius parochus, sed alius de consensu epi« scopi intersit, matrimonium tenet, etiam si « episcopus credat, fuisse vocatum proprium « parochum: » spem aliquam validitatis matrimonii concepit, sed ad omnem dubietatem removendam suppliciter instat declarari:

« An præfatum matrimonium inter ipsum, et Bertam contractum, fuerit validum?

« Sacr. congr. Concilii rescripsit, *Affirmative* ».

Sic refert laudatus sapientissimus cardinal. Lambertinus, tom. II, notific. 88

NOVÆ ADDITIONES EX AUCTORE.

(66. Matrimonia a Græcis contracta post susceptos ordines sacros, nulla et irrita declarantur, Bened. XIV, tom. I, constitut. incip. *Etsi pastoralis*, § 7. (67. Matrimonium contrahi nequit a diacono Orientalis Ecclesiæ, qui ordinatus fuerit in statu cœlibi; idem const. 129. incip. *Ea quamvis tempore*, § 36. (68. Matrimonium inter contigentes se quarto gradu consanguinitatis, vel affinitatis, Græcis prohibetur: Idem cit. constitut. *Etsi pastoralis*, § 45. (69. Matrimonia infantium prohibentur, Idem const. 107, in-

Digitized by Google

cip. *Omnium sollicitudinem* § 3 et 14. (70. Matrimonia a Catholicis cum hæreticis contracta detestantur. Idem constitut. 34. incip. *Matrimonia*, § 3. (71. Matrimonia contrahi a fidelibus cum neophytis ad fidem conversis in loco pio catechumenorum Venetiis, absque interpellatione prioris conjugis in infidelitate relicti, permittitur arbitrio Nuntii Apostolici Venetiis commorantis; idem const. 117, incip. *In suprema*. (72. Idque matrimonium per adventum prioris conjugis non rescindendum esse decernitur. Idem *ibid.*

(73. Matrimonio jungendi non sunt, qui in doctrina Christiana satis instructi non reperiuntur; idem constitut. 42, incip. *Etsi minime*, § 11. Secundæ, tertiæ, et ulteriores nuptiæ damnari nequeunt. (74. Idem constitut. 57, incip. *Etsi pastoralis*, § 11, et constitut. 129, incip. *Eo quamvis tempore*, § 29.

(75. Matrimonii celebrandi forma a concilio Tridentino statuta observari jubetur. Idem constitut. 75, incip. *Nimia*, § 8. (76. Decretum concilii Tridentini, *De reformatione matrimonii* Italo Græcis rite publicari præcipitur. Idem constitut. 57, incip. *Etsi pastoralis*, § 8.

(77. Matrimonia inter subditos principum catholicorum in provinciis fœderati Belgii, et vice versa, celebranda sunt juxta probatas in similibus casibus alias editas a sacra congregatione Concilii resolutiones, ex quibus ubi disputatio contingat, decidatur. Idem constitut. 34, incip. *Matrimonia*, § 5. (78. Matrimonia in Hollandia, et fœderato Belgio inter incolas contracta, non servata forma concilii Tridentini, valida declarantur. Idem, *ibid.* § 2 et 3. (79. Item inter personas addictas præsidiis locorum *di Barriera*. Idem, *ibid.*, § 4. (80. Et inter incolas civitatis Mosæ Trajectensis. Idem, *ibidem*.

(81. Matrimonia in Servia, et finitimis regionibus ad præscriptum concilii Tridentini sunt celebranda, abrogatis clandestinis, aut coram solo judice contractis. (82. Idem constitut. 89, incip. *Inter omnigenas*, § 9. Nec renovari possunt coram *Caddi*, nequidem per procuratorem, nisi ritus hujusmodi renovationis sint mere civiles. Idem, *ib.*, § 10.

(83. Matrimonia inter fideles Malabares contrahenda sunt in congrua ætate, et juxta formam a concilio Tridentino præscriptam. Idem constitut. 107 incip. *Omnium sollicitudinum*, § 3. (84. Intellige in locis in quibus decretum conciliare publicatum fuerit, et quod hujusmodi publicatio fieri debeat. *Ib.*, § 14.

(85. Matrimonium inter maritum Latinum, et Græcam mulierem, Latine coram parocho Latino contrahi debet; inter maritum vero Græcum, et mulierem Latinam, potest contrahi, vel Græce coram parocho Græco duobus, vel tribus testibus præsentibus, vel Latine coram Latino ubicunque maritus Græcus voluerit. (86. Ejus autem loci, ac ritus parochus debet assistere, ubi, et quo ritu matrimonium contrahitur. Idem, constitut. 17, incipien. *Etsi pastoralis*, § 8.

(87. Matrimonia occulta, non nisi gravissima de causa, permitti debent, qua concurrente, celebrari nequeunt absque probatione status liberi. Idem constitut. 35, incipiente *Satis vobis*, in qua multa statuuntur ad rem *vide supra*, n. 63, ubi summarie affertur ejus dispositio.

(88. Matrimonium subsequens legitimat prolem ante genitam : non tamen, ex adulterio. (89. Idem, constitut. 113, incip. *Redditæ*, § 2. Idque non virtute sacramenti, sed ex dispositione legis ecclesiasticæ. Idem, *ib.*, § 39.

(90. Matrimonium jure naturali; divino, et canonico indissolubile, non est temere dirimendum. Idem, const. 15, incip. *Matrimonii*, et const. 33, incip. *Dei miseratione*, § 2. (91. Divortia quo ad vinculum inter fideles non admittuntur. Idem constit. 57 incip. *Etsi pastoralis* § 8. (92. Matrimonium non dissolvitur per uxoris fugam, et nuptias ab ea cum infideli contractas. Idem, constitut. 89, incip. *Inter omnigenas*, § 12.

(93. Matrimonialium causarum judicia coram quibus et quo ordine ac forma peragenda sint statuit idem Pontifex const. 33, incip. *Dei miseratione*, cujus dispositio allata fuit summarie, n. 62, et ad verb. Defensor. (94. Unica sententia prolata, nemini licet ad alia vota transire. Idem cit. constit. *Dei miseratione*, § 14. (95. Appellatio a sententia lata super nullitate Matrimonii in quacunque distantia, semper suspendit executionem. Idem, *ib.*, § 11.

(96. Appellatio in causis matrimonialibus impediri nequit per pacta pœnalia. Idem const. 85, incip. *Nimiam*, § 4 et 7. *Vide* tom. I, ad verb. Appellatio. (97. Sententia super nullitate matrimonii nunquam transit in rem judicatam; sed ex noviter detectis quandocunque revideri potest. Idem constit. 33, incip. *Dei miseratione*, § 11.

(98. Ad validitatem contractus matrimonii rationi usus requiritur de jure naturali et divino. Item, tom. II, constitut. incip. *Magnæ nobis*. (99. Potentia actualis ad copulam requiritur de jure positivo canonico, super quo solus Pontifex dispensare potest. Idem, *ib.* (100. Quando autem malitia supplet ætatem, idque ecclesiastico judici, etiam ordinario comprobatum est, canones permittunt matrimonium contrahi. Idem, *ib.*

(101. Dispensatio super ætate cum iis, qui copulæ nondum idonei sunt, sed tamen rationis usum habent a Sede Apostolica privative concedi potest. (102. Quando autem malitia supplet ætatem, ex legum et canonum dispositione licitum est matrimonium contrahere, super hoc vero, an malitia suppleat ætatem, tam a judice ordinario, quam ab Apostolica Sede pronuntiari potest et consequenter facultas ad contrahendum concedi; tamen pro majori actus solemnitate « et ne de validitate contractus matrimonii propter minorem ætatem hæsitari contingat » Apostolicæ dispensationis litte-

Digitized by Google

re impetrari solent. Et traditur formula hujusmodi litterarum. Sic quoad omnia supra laud. Benedictus XIV, tom. II, constit. 51, incip. *Magnæ. Vide* ad id verb. ÆTAS, et verb. DISPENSATIO.

(103. Matrimonia Catholicorum cum hæreticis semper a S. Sede fuere reprobata. Et recentioribus Pontificiis Decretis denuo reprobata fuisse demonstratur. Idem *ib.* (104. Matrimonium si quis cum hæretica contraxerit, pœnitentiam agere debet, et curare, ut conjugem a vera fide aberrantem ad gremium Christi reducat. Idem *ib.* (105. Pro matrimoniis inter hæreticos, aut cum hæreticis contrahendis, dispensationes a S. Sede non conceduntur, nisi addita conditione de abjuranda prius hæresi. Et si de hujus conditionis implemento episcopis executoribus non constiterit, dispensationes non sunt exsequendæ. Idem *ib.* (106. Matrimonium cum hæreticis contrahi quibus casibus, quibusque de causis permittatur ab Apostolica Sede; quæ leges, et cautelæ in licentiis, seu dispensationibus, apponantur? *Vide* sub verb. DISPENSATIO et sub verb. HÆRETICUS.

(107. Matrimonium, nulliter contractum definitur in gradibus a jure prohibitis, super quibus dispensatio concessa fuit ab episcopo, non servatis conditionibus in hujusmodi facultatis concessione sibi præscriptis. Idem, const. 19, incip. *Ad tuas manus.*

(108. Matrimonium, quod inter duos Judæos erat, dissolvitur, si alter ex conjugibus baptismum suscipiat, alter vero converti recuset, et cohabitare sine contumelia Creatoris. Idem constitut. 28, *Postremo mense*, § 18. (109. Super quo tamen legitimam interpellationem præcedere necesse est. Idem *ib.* (110. Sed non permittitur libellum repudii judaicis ritibus ei dare. Idem constit. 38, incip. *Apostolici ministerii. Vide* ad verb. HEBRÆUS. (111. Hujusmodi matrimonii solutio tunc effectum habere censetur, quando neophytus novas contrahit nuptias. Idem constit. 28, incip. *Postremo mense*, § 58. (112. Et quod hæc opinio communior nunc sit, et in tribunalibus Urbis recepta. Idem *ib.* (113. An vero, dissoluto sic matrimonio, conjux alter in infidelitate remanens, novas nuptias contrahere possit, in utramque partem probabiliter disputatur. Idem *ib.* (114. Matrimonii nullitas satis canonizata non censetur ad hoc, ut partes transire valeant ad alia vota, nisi duæ saltem sententiæ conformes super ea emanaverint. Id. Const. incip. *Si datam*, et tot. 1 const. 33, incip. *Dei miseratione*, § 9 et 14.

(115. Pro matrimonio, et sepultura educandarum, attendenda sunt sequentia. Sub die 8 Octobris 1723 a sac. cong. Episcop. et Regul. fuit rescriptum eminentissimo cardinali Boncompagno archiepiscopo Bononiensi, ut sequitur. « E stato rappresentato in S. congreg. a nome delle monache de' monisteri di cotesta città, esser nati in essi gravissimi abusi contro la disciplina regolare, e quiete de' medesimi a causa dell' educande fattevi ritenere da' propri consanguinei dopo promesse, e destinate in ispose. Questi eminentissimi miei signori, inerendo a decreti generali, ed altri ciò proibenti, emanati più volte da detta S. Congregazione, e specialmente dei 13 Gennajo 1634 e cosi anche dei 9 Novembre 1635 ed in altri tempi, m' hanno imposto di scrivere all' Eminenza vostra, che tutte quelle zittelle, quali avranno contratti i sponsali, o fatta promessa di matrimonio, si compiaccia d'ordinare, anche colle facolta di essa sacra congregazione, che vengano subito, e con effetto fatto uscire da qualunque monistero, ancorchè esente, e rimandate alle loro case. » Quo exacte, ut par est, observato, multa perpediuntur pericula, et inconvenientia; ac tunc clare patet, proprium parochum pro contrahendis matrimoniis, esse parochum earum domicilii.

(116. At, si in aliquo urgenti casu non posset tale præscriptum exsecutioni demandari, matrimonium educandæ contrahendum est coram parocho illius parœciæ, in qua situm est monasterium, si educanda non habeat in alia parœcia domicilium. (117. Si vero in alia parœcia habeat domicilium paternum, maternum, aut fraternum, contrahi debet matrimonium coram parocho prædicti domicilii, factis tamen proclamationibus tam in parochia domicilii, quam in alia monasterii; prout recte tradit. card. Lambert. deinde Summus Pontifex, II volum., notificat. 13, n. 16, adducens ad id doctores, et statutum cleri Romani cap. 3, *De jure eligendi sepulturam, atque funerandi*, § 9, in quo, loquendo de seminaristis, et convictoribus alicujus collegii, præscribitur, quod aliquo eorum decedente in seminario, vel collegio, funeralia spectant ad parochum domicilii, si illud habeat; si autem illud non habeat, ex quo sit exterus, pertineant ad parochum illius parochiæ, in qua situm est seminarium, aut collegium. (118. Et in factis dicto statuto additionibus examinatis in particulari congregatione a Clemente XI deputata die 11 Januarii 1702 ab eodem Pontifice vivæ vocis oraculo approbatis, decretum fuit, quod statutum pro seminaristis, et convictoribus, servaretur pro educandis, tam pro earum sepulturis, quam pro earum matrimoniis, ibi. « Non solum in funeralibus, sed etiam in contrahendo matrimonio, etc. Publicationes autem matrimoniales fiant tam in parochia domicilii, quam collegii, monasterii, aut conservatorii, in quo commorantur. » (119. Quod idem servandum esse de famulabus continue degentibus in domibus dominorum, seu dominarum asserit dict. cardinal. Lambertin. *ib.*, n. 17, cum statutum cleri Romani loquens de funeribus, extensum sit etiam ad matrimonia; de eorum enim funeralibus cap. 3, § 21, sic habet : « Familiares, et famuli cardinalium, seu aliorum principum ac prælatorum, nec non aliorum quorumcunque, qui habent domum, et familiam in alia parochia, ad illam pertinere statuimus, licet apud dominos infirmentur, et occumbant. »

(120. Et sic ubique observari convenit, cum praxis Urbis præbeat regulam in toto

Digitized by Google

orbe juxta firmata per Rotam part. XIX, *Recent. decis.*, 469, n. 62, *decis.* 160, n. 2 et 3, et in *Majoricen. Parochialis, de monachor.*, 2. Jul. 1708, § *Hæc quoque, coram Omanna*, ibi : « Sola autem Urbis consuetudo, veluti in conspectu ipsius Sedis Apostolicæ inducta, haberi solet pro lege in universo orbe, et normam episcopis, aliisque inferioribus prælatis tribuere debet. » Confirmata 16 Novemb. ejusdem anni § *Attenta, coram Molines*, relata et secuta ab Ursaya tom. I, discept. 6, n. 165, et part. II, discept. 14, n. 33, et tom. VIII, part. I, discept. 10, n. 77, adducens ad id aliam decisionem in *Constantien. Præcedentiæ* 27 Januar. 1713, § *Idipsum, coram Ansaldo*, et tom. IX, part. I, decis. 11, n. 11, 12, et discept. 14, n. 172, ubi cum Barbosa, *De potest. episcop.*, part. III, alleg. 76, n. 33, et card. de Luca, *De judic. discur.*, 37, n. 20, et *Rota*, decis. 469, n. 92; decis. 56, n. 2 et 3, part. XIX *Recent.*, dicit Urbis solitum magni faciendum esse in his materiis. (121. Stylus enim Curiæ Romanæ attendi debet; *Glossa* in cap. *Adsumus*, De rescript., et cum ipso procedendum esse in aliis curiis inferioribus, non autem cum praxi propriæ regionis, tradit card. de Luca, *De judic.*, discurs. 4, n. 12, et discurs. 37, n. 20, cum stylus curiæ Romanæ faciat jus, et pro lege habeatur, cap. *Ex litteris* 11, De constitut., cap. *Quam gravi* 6, De crimine falsi, ex quo Ecclesia Romana sit ordo, norma, et caput omnium Ecclesiarum, cap. *Omnes* 1, et cap. *Sacrosancta* 2, dist. 23, cum similibus.

(122. Matrimonia filiorumfamilias, et servorum sine consensu parentum, ac dominorum irrita erant per leges civiles, quas quondam ratas habuit Ecclesia. Benedictus XIV, *De synodo diœcesana*, lib. VII, cap. 37, n. 2 et 3. (123. Eadem postea absolute valida voluit esse Ecclesia statuendo, ut deinceps nuptiarum validitas a solo penderet contrahentium consensu, nequaquam autem a nutu eorum, sub quorum dominio, vel potestate contrahentes existunt, ut generatim sancitum habemus in cap. *Cum locum* 14, De sponsalib. et matrimon., in cap. *Licet* 3, et in cap. *Tua* 4, De sponsa duorum. Specialim vero de servis in cap. *Dignum* 1, De conjugio servorum. (124. Et tandem de filiis familias post alias sanctiones indicatas ab Juenin. *De matrimonio*, dissert. 10, quæst. 5, cap. 3, art. 1, definivit concil. Trident., sess. XXIV, cap. 1, *De reformat. matrimon.*, ubi anathemate percutit, qui falso affirmant, matrimonia a filiisfamilias sine consensu parentum contracta irrita esse, et parentes ea rata, ac irrita facere posse. » *Vide supra*, et verb. EXHÆREDATIO. (125. Hinc eorum validitati non obstant quædam aliæ leges civiles, postea in Gallia, aut alibi latæ; adeoque dicta validitas est ab episcopis in suis synodis declaranda. Idem, *ib.*, num. 5.

(126. Matrimonium validum est inter vitricum et uxorem privigni, nec ad illud pertinent impedimenta affinitatis, aut publicæ honestatis. Idem *ib.*, cap. 39, per tot. *Vide* verb. VITRICUS, ubi ad id dantur decreta sacræ congregationis Concilii.

(127. Matrimonium contractum inter conjunctos tertio, et quarto gradu duplicibus, obtenta dispensatione super tertio, et quarto simpliciter, est nullum. Benedict. XIV, constitut. incip. *Etsi matrimonialis*, § 9. Matrimonium contractum non expeditis litteris super gradu proximiore in dispensatione non expresso, est illicitum, sed tamen validum. Idem *ib.*, § 6.

(128. Matrimonium contractum a conjunctis in tertio, et quarto consanguinitatis, vel affinitatis gradibus, prævia dispensatione super gradu remotiori tantum, omisso proximiori, dummodo hic primum non attingat quocunque modo, est validum, licet illicitum. Quamvis enim Pius IV pro regula decreverit, quod in dispensationibus matrimonialibus non solum gradus remotioris, sed etiam propinquioris, expressa mentio fieri deberet, ita ut non facta mentione propinquioris, dispensatio nullius esset roboris et momenti; tamen S. Pius V, constitut. incip. *Sanctissimus*, revocavit, quantum ad hoc, dictam regulam, seu constitutionem Pii IV, et innovavit regulam, seu constitutionem Gregorii XI et Clementis VI statuendo, quod in dispensationibus gradus remotior attenderetur, et traheret secum propinquiorem, et sic quod sufficeret exprimere gradum remotiorem, obtentis tamen postea super gradu propinquiori litteris Apostolicis, in quibus declaretur non obstare reticentiam gradus propinquioris. Quamvis vero matrimonium in tali casu sit validum, conjuges tamen separandi sunt, donec dictæ litteræ declaratoriæ obtineantur, cum dictæ novæ litteræ declaratoriæ requirantur ad avertendum scandalum, ne videlicet aliqui rudes, et juris iguari sumerent occasionem scandali, videntes non fuisse dispensatum in gradu propinquiori, licet aliunde regula juris sit, quod gradus remotior imbibit, et trahit ad se propinquiorem, uti ad rem argumentantur doctores; et ita resolvit sacr. congreg. Concilii anno 1722, *in causa Luceorien. matrimonii*; cum enim post obtentam a Joanne Sapica, et Constantia Radziwila Apostolicam dispensationem super *quarto*, quo erant conjuncti, consanguinitatis gradu, compertum fuisset, ipsos non *quarto* tantum, sed *tertio*, et *quarto* gradibus fuisse conjunctos, et nihilominus placuisset exsecutori dispensationem præfatam exsecutioni demandare, orta subinde fuit controversia super matrimonii validitate, eaque ad sacr. congregationem delata, proposito dubio : *An constet de nullitate matrimonii;* die 7 Septembris 1720 prodiit responsum *dilata, et ad mentem*, quæ fuit, ut perquirerentur regesta Datariæ circa stylum tam antiquum quam modernum concedendi declaratorias, et *perinde valere*. Pervolutis igitur Datariæ regestis, illius officiales discursum exararunt, quo pluribus innixi rationibus, sed præcipue Datariæ et Cancellariæ stylo, ostendere satagerunt, nulla semper, et invalida habita fuisse matrimonia contracta inter conjunctos *tertio* et *quarto*

Digitized by Google

gradibus, prævia dispensatione super *quarto* gradu tantum, et non obtenta declaratione super non obstantia *tertii* reticiti. Sed Prosper Lambertinus tunc sacræ congregationis secretarius, deinde cardinalis, ac tandem Summus Pontifex sub nomine Benedicti XIV, alterum efformavit doctissimum et eruditissimum discursum impressum post folium distributum die 28 Mart. 1722, quo respondendo stylo Datariæ, exemplis, et rationibus per illius officiales expositis, matrimonii validitatem strenue propugnavit, unde proposita iterum eadem causa sub infra scriptis dubiis; « 1° An constet de nullitate matrimonii, et quatenus affirmative; 2° An princeps Joannes Sapica factus sit inhabilis ad contrahendum matrimonium cum aliis mulieribus in casu? » Et dicta sacra congregatio die 28 Mart. 1722, respondit : « Ad primum *Negative*, et episcopus mandet, quod conjuges continuent in separatione, donec obtinuerit litteras declaratorias. Ad secundum, *provisum in primo, et amplius.* » Sic in *Thesauro resolutionum sac. congr. Concil.*, dicti anni 1722. *Vide ibi* in dicta *Luceorien. nullitatis matrimonii* sub die 28 Februar., et sub die 28 mart., ubi multa ad rem. Et insuper vide doctissimum, et eruditissimum Riganti, tom. II, *in regula* 14 *Cancellariæ*, ubi cum classicis doctoribus abunde quoad omnia ad rem. *Vide* verb. DISPENSATIO MATRIMONIALIS.

(129. Salutare quidem est decretum, quo fere omnes episcopi prohibent, ne ante contractum matrimonium sponsus, in una, eademque domo cum sponsa habitet propter periculum evidens, ne inter eosdem sponsos copula habeatur ante matrimonii celebrationem; non tamen id prohiberi potest sub pœna stupri, sed tantummodo sub pœna arbitrio ordinarii infligenda, ut respondisse sacram congregationem concilii episcopis provinciæ Mediolanensis, refert Benedictus XIV, *De synodo diœcesana*, lib. XII, c. 6, n. 3, ibi : « Non posse, sed ambo graviter arbitrio ordinarii duntaxat esse puniendos.

Dubia aliquot circa exterorum matrimonia cum responsionibus sacræ congregationis.

(130. Ordines ultimo loco ab Urbe emanati circa matrimonia cum exteris contrahenda, inter alia disponunt, quod ordinarii præcipiant omnibus, et singulis parochis in eorum diœcesibus existentibus, ut pro matrimoniis cum exteris contrahendis, non faciant publicationes in eorum ecclesiis nisi certiorato ordinario, a quo, vel ejus generali vicario, prius teneantur fidem authenticam reportare, quod pro tali matrimonio fuerint examinati testes in eorum tribunali, qui probant statum liberum contrahere volentium.

(131. Quæritur an illi ex diœcesibus circumvicinis, et ipsi teneantur tales probationes facere. An vero sufficiat fides denuntiationum in eorum diœcesibus factarum cum legalitate ordinarii, et probatio eorum status post discessum ab ipsa diœcesi.

R. Hujusmodi habentur pro exteris, et consequenter teneatur probationes facere.

(132. Item an contrahere volentes in confinibus eorum diœcesis habitantes, et ob vicinitatem ab eorum rectoribus cogniti, teneantur easdem facere probationes, an vero sufficiant publicationes ab ipsis rectoribus faciendæ?

R. Etiam isti tenentur facere probationes.

(133. An easdem teneantur facere probationes ii qui, ante ætatem nubilem a propria diœcesi discedentes, ad aliam se contulerunt, et in ea postmodum habitaverunt?

R. Non tenentur, quia non fuerunt extra diœcesim tempore habili ad contrahendum.

(134. An in civitate, in qua milites, Hispani, Teutonici, Alemanni, Galli, et aliarum longinquarum regionum residere solent, idem cum ipsis sit servandum; vel sufficiant in probationes ipsa civitate recipere de eorum statu a testibus ipsarum regionum de negotio edoctis?

R. Tenentur facere probationes juxta formam instructionis, quia isti facilius committunt polygamiam.

(135. An facta per parochum monitione ordinario contrahere volentis, fides status ejusdem sit ab eodem parocho, vel a contrahere volente reportanda.

R. Tenetur fidem reportare, et parocho consignare, is qui vult matrimonium contrahere, sed est in libertate parochi hujusmodi onus in se assumere.

(136. An eædem probationes sint servandæ in casu necessitatis, et ab existentibus in articulo mortis, sic contrahere volentibus, intra quem scilicet probabiliter non adsit tempus sufficiens faciendi diligentias : cum hoc etiam, quod si infirmus forte convaluerit, debeant fieri diligentiæ, juxta instructionem, antequam simul conveniant.

R. Non sunt servandæ in articulo mortis.

(137. An requiratur attestatio proprii ordinarii pro exteris, qui per decem annos, et ultra domicilium acquisierant in loco, ubi sunt matrimonium contracturi, si eorum status liber probetur per testes fide dignos, tam originis, quam domicilii?

R. Requiritur.

(138. An requiratur dicta attestatio pro illis exteris, qui unicam, vel plures duxerunt, et econtra, si mortuæ fuerint in loco, ubi iterum matrimonium contrahere desiderant, ac amplius post mortem a dicto loco non discesserunt?

R. Requiritur pariter.

Has easdem responsiones habet synodus Bononien. 1699, typis edita in *Appendice*, pag. 230.

(139. Et cum responsione super quarto dubio consonant responsiones sacr. congregat. Conc. datæ dubiis propositis, et ab eadem sac. congreg. Inquisitionis remissis 6 Mart. 1694, quia cappellani exercitus sine indulto Apostolico hujusmodi matrimoniis assistere non possunt; et quanquam hoc

Digitized by Google

indultum, aliquando principibus, et regibus catholicis concedatur, illud tamen experiri solet cum clausula, quod capellani exercitus matrimonia faciant, et sacramenta ministrent, et conferant duntaxat eo tempore, quo exercitus in actuali expeditione reperitur; secus vero quando milites in stationibus et præsidiis degunt, et ita expediri debere, resolutum fuit a congregat. deputata Concilii, 29 Sept. 1690.

Ita apud Monacell., tom. III, in *Appendice ad Formularium*, instructione 6, pag. 220, 221 et 222, impressionis Romanæ 1709.

(140. Pro examine illorum testium, qui inducuntur pro contrahendis matrimoniis, tam in curia eminentiss. D. cardinalis Urbis vicarii, quam in aliis curiis cæterorum, ordinariorum, instructionem luculentissimam habes, t. IV, verb. INSTRUCTIO PRO EXAMINE, etc.

(141. * Juvat adhuc ad rem adnotare sequentia.

Si infidelis conjux veniat ad fidem, et alter consentiat habitare cum illo absque injuria Creatoris, quamvis in infidelitate perseverare velit (quod judicandum pertinet ad episcopum), tunc decrevit S. cong. non posse conversum ad fidem aliam sibi conjugem adsciscere. At eo ipso, quod alter velit in infidelitate perseverare, censent theologi plures, satis esse periculi in neophyto. Verum hujus dubii solutionem recte monet Cabassutius, ex moribus regionum, et casuum circumstantiis pendere : *De synod. diœc.*, l. XIII, c. 21, § 1, nov. edit.

(142. Accidit, ut infidelis plures uxores in infidelitate accipiat, cum veniat ad fidem, et fidem pariter una ex his uxoribus recipere sit parata, non tamen illa, quæ prior ducta est, quæ propter distantiam locorum, vel ignorando ubinam sit, requiri judicialiter non possit. Demum, post renovatum cum illa, quæ venit ad fidem, matrimonium (quod fieri non potest absque renovatione consensus coram parocho, et testibus, eo quod prior consensus in infidelitate datus, fuerat nullus, propter matrimonium cum altera celebratum), comparet uxor prior, et probat, se non fuisse præmonitam, vel fuisse impeditam, ut suam voluntatem manifestaret; nunc vero paratam se dicit ad fidem amplectendam, vel jam fuisse amplexam antequam conjugium neophyti cum neophita celebraretur. In hoc rerum eventu S. Pius V concessit missionariis, ut cum Judæis baptizatis dispensare possent, ad effectum remanendi tanquam cum uxore legitima, cum ea uxore, quæ fuerit pariter baptizata. Eamdem dispensandi facultatem concessit Gregorius XIII episcopis, parochis, et e Societate Jesu presbyteris ad sacramentales confessiones in iis regionibus approbatis, quoad eos, qui ab Anglia, Ethiopia, ac Brasilia, id captivitatem adducti, et in remotas regiones delati fuerant, ut non exspectato, nec requisito consensu conjugis in infidelitate ducti, matrimonium inire possint cum quocunque fideli, etiamsi conjuges infideles declarare possent, se juste fuisse impeditos ad manifestandam suam voluntatem, vel etiamsi probarent, se fuisse conversos ad fidem tempore secundi matrimonii. Has constitutiones certe emanare potuisse ab iis Pontificibus fuse demonstratur, sed ea extendi non posse ad alias regiones, quantumvis similes, rationes suppetant, clare constat. Quare si forte casus accidat, petenda est facultas dispensandi a SS. Pontificibus. *De synod. diœc.*, nov. edit., lib. XIII, cap. 21, n. 3 et seqq.

(143. Si infidelis unam conjugem infidelem duxerit, ita matrimonium valet, ut si ea vivente alteram superinducat, secundum matrimonium nullum est, cum matrimonium institutum sit ut unicam habeat. *Ibidem*, § 8.

(144. Si matrimonium ineatur inter duos, qui pravum habent errorem substantiæ matrimonii repugnantem, ut inter Græcos, qui censent conjugii vinculum dissolvi per alterutrius conjugis adulterium, prava hæc opinio non officit validitati matrimonii. Ita resolvit S. congr. Conc. die 15 Januar. 1724. *De synod. diœc.*, lib. XIII, cap. 22, § 4, nov. edit.

(145. Verum, si hæc opinio deducatur in pactum, tanquam conditio in actu ineundi matrimonii, tunc matrimonium nullum est, uti semper accidit, quum matrimonio est opposita conditio substantiæ matrimonii repugnans, ex Decretali Gregorii IX, in c. *De appositis*, *ib.*, § 5. Hinc, quem subdo, casus, resolutus est a S. congregatione die 20 Maii ann. 1754.

In formula quam calvinistæ in conjugiis adhibent, minister sponsum interrogat, *Accipisne illam in uxorem?* Respondet ille : *Accipio*. Eadem verba interroganti ministro repetit sponsa. Tum minister ad sponsum : « Personam quam manu tenes, amas, et accipis eam in perpetuam uxorem, nec in ulla illius ærumna deseres, quoadusque in sua honestate, et puritate permanserit? » Tantumdem dicit sponsæ, porro illud « quoadusque in sua honestate, et puritate permanserit » in sensu calvinistarum denotat, virum accipere sponsam in uxorem, quoadusque adulterium non contraxerit, eoque commisso, vinculum conjugii solvi. Celebrant igitur hæc conjugia cum conditione opposita perpetuitati matrimonii, quæ sane perpetuitas essentiæ conjugii annexa est, ut ex concilio Florentino in decreto de unione Armenorum, et instructione Clementis VIII pro Italo Græcis, confirmata a Benedicto XIV, constit. 57, *Bull.* t. I, incip. *Etsi pastoralis*, constat. Quare optime definitum in congregatione Sancti Officii die 20 Maii 1754. conjugium illud nullum exstitisse, adeoque integrum fuisse alterutri sponso ad alia vota transire. *De synodo diœces.*, lib. XIII, cap. 22, § 9. Neque obstare, judicatum est, prius dixisse utrumque sponsum « accipio hunc in conjugem; » deinde, ad novam interrogationem utrumque conditionem subdidisse, quia et prior, et secunda interrogatio unus, idemque actus judicatus est.

(146. Ex his etiam resolutus est a sacra

Digitized by Google

congregatione casus alter die 8 Julii 1724. Vir et femina convenerunt celebrare matrimonium coram Ecclesia, at illud nequaquam consummare deberent, sed post quindecim dies mulier monasterium ingrederetur et post probationis annum profiteretur interim vero omni juri renuntiabat, quod in mariti personam ex matrimonio sibi acquirere potuisset, consenseratque, ut si ab his pactis defecisset matrimonium nullum irritumque declararetur. Ita conventum inter illos pactaque hæc scriptis consignata sunt ac significata testibus, ac parocho coram quibus ineundæ erant nuptiæ. Hoc matrimonium nullum esse declaravit sac. congregatio ex cap. *Si conditiones*, De cond. apposit., nam abdicatio facta ab utroque de potestate in corpus alterius, aperte contraria est substantiæ matrimonii. Quamvis enim in ipsa matrimonii celebratione actu expressæ non essent pactiones istæ constabat tamen ex antecedentibus et sequentibus simul junctis conjuges ab ipsis non recessisse. *Ib.*, § 10.

(147. Num in casu quo alteruter ex conjugibus ad fidem venerit, relicto altero qui negat cohabitare sine injuria Creatoris; dein vero et ipse ad fidem conversus sit atque interim postquam secundus scilicet ad fidem conversus est, prior conjux secundas nuptias iniverit, in eo casu suadendum sit Pontifici ut matrimonium in infidelitate consummatum dissolvat in favorem secundi conjugii, ambigit Pontifex et merito, censetque id fieri non debere, nisi adsint causæ gravissimæ. *De syn. diœces.*, lib. VI, c. 4. *V.* art. 5, sub n. 114.

(148. Catholici, qui cum hæretico matrimonium celebrant etiam in locis hæreticorum gravissime peccant, quia hoc agendo cum illis in divinis communicant quod nisi forte cum gravissima causa illicitum est. Si vero, postquam sic contraxerint coram parocho catholico, possint iterum coram ministro protestante conjungi, ad evitanda gravia damna, questio est; ad quam sac. congreg. respondit: « Quatenus minister hæreticus assistat hisce matrimoniis, ut minister politicus, tunc a Catholicis peccatum non committi, secus vero, si assistat ut minister sacris addictus; » ita censet Pontifex, *l. c.*, cap. 5, § 1 et 2.

(149. Conjugia hæretici protestantis cum femina hæretica coram parocho non catholico in Belgio confœderato celebrata valida habenda sunt. Decretum a Pontifice approbatum die 4 novembr. 1741. Item valet ita et in iis regionibus celebratum, si hæreticus catholicam ducat, quanquam hoc postremum illicitum haberi debeat; *ibid.* Idipsum repetitur in epistola ad card. ducem Eboracen. data die 9 Februar. 1749, § 17.

(150. Nuptiæ inter Catholicum et hæreticum conjugem multo rectius non sunt benedicendæ, neque missa in præsentia hæretici celebranda, nec tandem connubii ritus inter Ecclesiæ ambitum peragendus, quod et vetitum fuisse a Clem. VIII, circa benedictiones quidam referunt. *De synod. diœces.*, lib. VI, c. 5, § 5.

(151. Impedimentum ex adoptione proveniens ita explicatur a Pontifice in tractatus *De synod. diœc.*, lib. VII, cap. 36. Connubium iniri non potest inter adoptantem et adoptatum atque ab isto descendentes; quod impedimenti genus semper durat quoad adoptantem tantum et adoptatum. Secundo inter adoptatum et filios naturales adoptantis. Sed impedimentum istud tandiu durat, quandiu perseverat adoptio, seu filii remanent sub patria potestate; nam ea soluta sive per mortem adoptantis, sive per emancipationem filii, sive adoptivi, sive naturalis cessat impedimentum. Tertio inter adoptantem et uxorem adoptati, seu vicissim inter adoptatum et uxorem adoptantis, idque semper durat. An vero hæc impedimenta obtineant, tam in adoptione perfecta quam imperfecta, lis est inter doctores. Porro adoptio perfecta tum fit cum persona extranea sui juris ex principis rescripto, ita transit in potestatem et familiam adoptantis ut perinde ac filius legitimus fiat ejus hæres necessarius tam ab intestato quam extra. Adoptio imperfecta dicitur cum persona extranea constituta sub patris seu avi potestate, solius magistratus, alteriusve judicis competentis auctoritate in filium, aut nepotem asciscitur; non tamen in familiam et potestatem adoptantis transit et succedit solum ab intestato. *De synod. diœc.*, lib. VII, c. 36.

(152. Impedimenta matrimonium impedientia ab episcopo relaxari possunt, si excipias impedimentum ortum ex sponsalibus cum altero prius initis et illud quod ex voto perpetuæ castitatis et ingrediendæ religionem nisi fuerint conditionata, ortum duxit. Cætera vero matrimonium irritantia tollere, nisi Romanus Pontifex, nemo potest; excipitur tamen casus quem statim subdo.

(153. Si forte accidat ut matrimonium jam fuerit contractum in facie Ecclesiæ cum omnibus solemnitatibus, initumque fuerit bona fide ex ignorantia impedimenti juris et facti, et sit consummatum, occultum sit tamen impedimentum et adiri non possit Pontifex, seu ab eo dispensatio obtineri ob conjugum paupertatem, rusticitatem, locorum distantiam, etc., nec possit separatio fieri sine scandalo; dum simul omnes istæ circumstantiæ adfuerint, tunc ab episcopo ea dispensatio tuto conceditur, quem potest major pœnitentiarius Papæ, in foro tamen conscientiæ tantum. Quare, si impedimentum istud postea detegatur et deducatur ad forum contentiosum, impetranda est a Summo Pontifice dispensatio. *De synod. diœces.*, lib. VII, cap. 31, § 1.

(154. Forte etiam episcopus dispensare poterit in impedimento dirimente occulto cum matrimonium proxime contrahendum est, in casu quo tales urgeant rerum circumstantiæ ut nec S. Pontifex consuli possit nec matrimonium differri sine scandalo aut infamia contrahentium. Tunc censendus est

Digitized by Google

S. Pontifex tacite delegare episcopo potestatem dispensandi. *Ibid.*, n. 2.

(155. His præcisis rerum circumstantiis nemini fas est episcopo dispensare in impedimentis publicis matrimon. dirimentibus. Neque enim verum est et sanum axioma illud a nonnullis adoptatum : « Quidquid potest Pontifex in universo orbe si excipias quæ totius Ecclesiæ statum respiciunt veluti fidei articulum definire, potest episcopus in sua diœcesi, nisi Papa illud sibi reservaverit. » Non enim potest inferior legem a superiore datam relaxare. Sunt qui consuetudinem prætendant : at considerent attente cum res sit de minuendis juribus Romano Pontifici uniee competentibus, num centum ad minus annorum spatium sine ulla interruptione perseraverit. Considerandum insuper et potissimum, num per eam consuetudinem *disrumpatur nervus ecclesiasticæ disciplinæ* : tunc enim nunquam contra legem præscribitur; c. *Cum inter*, De consued. *De synod. diœces.*, lib. VII, c. 31. *V. Addita* sub n. 18, art. 6.

(156. In contractis matrimoniis pro eorum revaliditione non dispensat sacra pœnitentiaria in gradibus *primo* et *secundo* consanguinitatis, vel affinitatis ex copula licita, nisi forte in secundo gradu per decennium duraverit occultum impedimentum et conjuges ut legitimi reputati fuerint. In reliquis vero dispensat; sicuti in gradibus tertio et quarto publicis revalidat matrimonia ex causa occulta subreptionis et obreptionis litterarum apostolicarum nulliter contracta, nisi falsitas consistat in narratione falsa præcedentis copulæ. Bulla 95, tom. I, incip. *Pastor bonus*, § 40. Vide *Instit. Eccles.*, 87, Bened. XIV, venal. apud Barbiellini *ad Minervam*.

(157. Si in dispensatione a Dataria obtenta quoad gradus prohibitos, reticeatur copula ex causa infamiæ, tunc sacra Pœnitentiaria dispensat in matrimonio contrahendo et etiam contracto; at cum agitur de primo in secundo gradu exigit compositionem 50 ducatorum auri de camera, nisi gratia prior fuerit expedita in forma pauperum. *Ibid.*

(158. Si in dispensatione a Dataria petita in impedimentis graduum expresse fuerit copula tacita; tamen mala intentione facilius obtinendi dispensationem, tunc, si mala intentio sit occulta, dispensat sac. Pœnitentiaria cum miserabilibus personis absolute, cum reliquis taxa definita. Si vero copula habita fuerit, affinitate seu consanguinitate non agnita, tunc pro dispensationibus non est necessario exprimenda. *Inst. Eccles.*, 87, § 23.

(159. In impedimentis occultis affinitatis ex copula illicita, absente etiam periculo scandalorum in contracto et contrahendo matrimonio in foro conscientiæ dispensat.

(160. Dispensat etiam in impedimento criminis, tam pro contracto, quam pro contrahendo, ubi nulla adest machinatio. Potest etiam dispensare quando agitur de machinatione ex parte tantum alterutrius; id tamen rarius præstat. *Ib.*, § 44.

(161. In impedimentis dispensat etiam si fuerint multiplicia sicut et dispensat in foro conscientiæ pro legitimatione prolis nisi illa concepta sit in adulterio. *Ib.*, § 45.

(162. In dispensationibus pro impedimentis matrimonii super gradibus vetitis impetrandis si taceatur copula antecedens sicut (si fadfuerit) intentio facilius obtinendæ dispensationis rescriptum vitiatur ut tradunt DD. *Instit. Eccles.*, 87, § 13. In contractis tamen matrimoniis, si hoc vitium occultum perseveret, dispensat Pœnitentiaria. *Ib.*, § 14.

(163. Clausula illa in dispensationibus matrimonialibus « absolutio et dispensatio in foro judiciario nullatenus suffragetur, » eam vim habet ut si impedimentum ex occulto fiat publicum, potest ordinarius conjuges separare a toro. Si tamen illi occulte sine scandalo debitum invicem reddant non peccant, ita sentiente Navarro. *Ib.*, § 50.

(164. Si ordinarius subodorans impedimentum velit procedere in cognitionem delicti, id potest, imo debet facere, etiamsi reus protestetur de obtenta dispensatione. Si vero certioretur ea de re ab aliquo fide digno, ut a confessario, seu parocho, qui possunt id clam testificari episcopo, tunc debet episcopus acquiescere, nec debet ad delictum puniendum procedere ut ex Clericato. *Ib.*, § 50.

(165. Postrema clausula sic enuntiatur : « dicta muliere de nullitate prioris consensus certiorata, sed ita caute, » etc., rejicitur sententia opinantium hanc non esse conditionem, sed ut confessarius instruatur et quo certior sit contractus ac veram esse conditionem ex ablativo absoluto, quo enuntiatur ut est, juristarum sensus demonstratur *Instit. Eccles.*, 87, § 68. *Vide* sub n. 14, art. 8.

(166. Nec admittitur sententia asserens, quando fieri non possit revelatio impedimenti, sufficere ut pars illud sciens habeat copulam cum parte ignorante affectu maritali cum prior consensus partis insciæ fuerit nullus, adeoque ex parte illius nullus sit, unde debet innovari. Aliorum sententia pariter rejecta est, eorum nempe qui suadent ut scius impedimentum proponat alteri, se adeo illam amare, ut denuo cum illa velit ligari, si alter respondeat affirmative, consensus censetur innovatus. Hæc tamen opinio rejicitur eo quod consensus præstitus a parte inscia est consensus injunctus cum errore, quare non adimpletur conditio *dicta muliere certiorata*.

(167. Præfertur cæteris quarta ratio certiorem reddendi partem ignaram et tunc fit cum parti ignaræ dicitur, in priori matrimonio defuisse consensum validum, adeoque suasu confessoiis se pròponere ut iterum innovetur ex parte utriusque. *Ib.*, § 78. *Vide* art. 8, sub num. 12 et seq.

(168. Sed quid, si timor occurrat, ne parte ignara certiorata de nullitate consensus, futurum sit, ut illa renuat novam celebrationem, adeoque sic soluto matrimonio, nata antecedenter proles timeatur, ne declaretur

Digitized by Google

illegitima? Tunc utiquè de prole non est cur dubitetur, nam semper habetur ut legitima, cum impedimentum est occultum, et unus saltem ex conjugibus in bona fide versatur. Verum, si adhuc perseveret metus scandalorum ex resolutione hujus matrimonii, suadet Pontifex ut per novas litteras exponatur S. Pœnitent casus, vel recurratur ad episc. qui id suadebit quod erit opportunum *Ibid.*, § 80, *V.* cit. art. 8, *ibid.*

(169. Matrimonio celebrato, non præmissis denuntiationibus, nec obtenta ea de re ab episcopo facultate, si asisstat parochus, suspensione ad triennium plectendus est ex c. *Cum inhibitio*, § final., a qua suspensione toto eo triennio absolvi ab episcopo nequit, ut ex Sanchez firmatur in tract. *De synod. diœces.*, lib. VII, cap. 69, § 2.

(170. Diebus, quibus interdicuntur matrimonia, non quidem absolute illa vetantur, præcisa consuetudine, sed solemnitas tantummodo, et pompa nuptiarum, ut ex cap. *Capellanus*, De fer., monent theologi, et notatur *Instit. eccles.*, 70, § 5.

(171. Nomine vero solemnitatis nuptiarum censentur, et quidem potissimum, benedictiones in Missali Romano expressæ. Vetantur vero illæ sub peccato gravi, ut ex Sanchez, aliisque notatur *Instit. Eccles.*, 80, § 7. Quare, cum temporibus feriatis permittit episcopus nuptias celebrari, nunquam licet benedictiones illas conferre. *Ib.*, § 2.

(172. Imo et tota missa pro sponso, et sponsa omittenda est, cum benedictiones illæ pars ejusdem habeantur. Tunc igitur celebranda est missa de tempore. *Ib.*, § 11.

(173. Ideo vero requiritur facultas episcopi ad celebrandum matrimonia diebus feriatis (quanquam illa sint de se licita) quia in synodis, ex consuetudine introducta, vetita illa habentur, quare requiritur, ut episcopi facultas intercedat. *Ib.*, § 4.

(174. Semel tamen inita matrimonia diebus feriatis consummari possunt, ut ex sensu DD. theologorum statuitur, *ibid.*, § 17 et 18. Quare licita est traductio sponsæ ad domum viri, ut ex sac. congregat. firmatur, *ibid.*, § 21.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(175. Duo hic præcipue explananda sunt. Prius agendum de illis, qui concedere possunt licentiam assistendi loco parochorum matrimoniis : disserendum posterius de conditionibus quæ matrimoniis apponi solent.

(176. Possunt licentiam assistendi matrimoniis loco parochorum concedere non solum ipsi parochi, sed et quicunque veniunt nomine *ordinarii*, puta *episcopi*, *abbates nullius*, etc. (177. Quinimo id ipsum permissum *vicariis generalibus*, *tum capitularibus*, etc. (178. Perez, *De matrim.*, disp. 41, sect. 1, n. 1, et plur. seq., modo tamen is cui conceditur hæc licentia sit sacerdos.

(179. De vice curatis quæritur, an et ii possint hanc licentiam assistendi matrimoniis concedere? Et posse, non solum absentibus, sed etiam præsentibus parochis, propterea quod sunt ipsi ad universitatem causarum destinati, tradit inter alios mox laudatus auctor, *D. tract.*, disp. 40, sect. 6, n. 5. (180. Confer etiam Hurtad., *De matrim.*, disp. 5, diffic. 10, n. 34 et seq., ubi hanc etiam affert rationem, quod dare licentiam assistendi matrimoniis non sit subdelegare jurisdictionem.

(181. Necesse vero haud est ut hæc licentia sit specialis, sed concessa intelligitur, si alicui sacerdoti facta sit potestas exercendi in parochia, quæcunque ad animarum curam spectant; Perez, *De matrim.*, disp. 4, sect. 1, n. 8. (182. Ubi quid, si data alicui sit facultas administrandi omnia sacramenta in parochia; Hurtad., *De matrim.*, disp. 5, difficult. 11, n. 36 et seq. (183. Utrum hæc licentia debeat esse expressa, an sufficiat tacita, vel præsumpta, et quando, vide apud eosdem *ubi supra*.

(184. Recte autem auctor n. 11 tradit matrimonium contractum coram sacerdote, qui habet licentiam assistendi ipsi matrimonio, sed eam ignorabat, invalidum esse. Quinimo id procedit, etiamsi licentia non ab alio, sed ab ipso sacerdote petita sit. Antequam enim ipse sciat concessam eam sibi esse, invalide matrimonio assistit, ut præter allegatos tradunt Pontius, *De matrim.*, lib. V, cap. 29, n. 8; Coninch, disp. 17, dub. 3, n. 32.

(185. An matrimonium valide contrahatur coram sacerdote, cui licentia assistendi ipsi matrimonio aut vi, metuque, aut dolo malo concessa est, ut si ementito nomine magnatis petita sit? Valide matrimonium contrahi, si licentia, vi, metuque sit concessa, communiter tenent Sanchez, *De matrimon.*, lib. VI, disp. 39, n. 13, aliique relati a Perez eodem tract., disputat. 41, sect. 6, num. 2. (186. Cæterum distinguendum videtur licentiam vi concessam inter, et licentiam metu concessam. Si licentia vi sit concessa, nulla concurrit concedentis voluntas : « Vis namque absoluta uti in plane invitum exercetur, ita quoque omnem illius, qui eam patitur, excludit consensum » ut totidem verbis ex text. in c. *Sacris*, De iis quæ vi metusve causa ait Voet, in *Comment. ad Pandect.*, lib. IV, tit. 2, n. 1. (187. Quocirca non est, quod valide contrahi dici queat matrimonium coram sacerdote hoc, cui licentia vi est concessa. (188. Sin autem licentia sit metu concessa, non deest voluntas concedentis, et propterea sustineri potest, valide contrahi matrimonium coram sacerdote, cui licentia metu concessa est. De matrimonio vero contracto coram sacerdote, cui dolo malo licentia ipsi matrimonio assistendi sit concessa, *vide* Perez, *De matrim.*, disp. 41, sect. 9, per tot.

(189. Sacerdos, cui concessa est licentia assistendi matrimonio, non secus ac parochus, valide potest assistere non solum in parochia, sed et extra diœcesim; Pontius, *De matrim.*, lib. V, cap. 29, n. 9 et 10; Perez, eod. tract., disp. 4, sect. 3, per tot.

(190. Quod attinet ad conditiones quæ matrimoniis apponi solent, eæ non aliter

Digitized by Google

appositæ censentur, quam si coram parocho, et testibus exprimantur. Quocirca, etiamsi constet, quod antea contrahentes manifestaverint velle contrahere sub hac, vel illa conditione, ipsam vero non expressissent coram parocho, et testibus, matrimonium pro puro haberi debet: Rot. inter impressas apud Ursaiam tom. II *De miscellan.*, decis. 37; n. 10, et *in Posnanien. seu Varsavien. matrimonii* 26, Jun. 1747, § 6, *cor. eminentissimo Bussio*.

(191. Apponi vero matrimonio haud potest conditio contra substantiam ipsius, et apposita vitiat ipsum matrimonium; d. Avezan., *De matrim.*, c. 8, per tot.

(192. Quid juris erit, si conditio impossibilis, vel turpis fuerit adjecta? Eam vitiari, et non vitiare matrimonium, modo contra substantiam matrimonii non sit, definivit Gregorius IX in c. final. *De condit. apposit.*; D. Avezan. loco mox citato; Perez, *De matrim.*, disp. 16, sect. 3, per tot. Vide et eum sequente sectione hoc ipsum argumentum exornantem.

(193. De conditione: *Si te virginem repererо*, quid dicendum? Ita Rota de ea sensit in d. *Posnanien. seu Varsavien. matrimonii* 26 Jun. 1647, § 8 et sequent., *cor. eminentissimo Bussio*: « Plane, inquit, in subjecta materia communis æque, ac recepta apud doctores invaluit distinctio, quod conditio isthæc in ipso actu celebrati matrimonii adjecta: *Si te virginem invenero*, tum demum sustineatur, ubi, et quatenus de illius implemento cautum fuerit modo prorsus licito, ut nempe honesta fiat virginitatis exploratio per inspectionem matronarum, vel accurata præmittatur inquisitio vitæ, ac morum puellæ; eoque casu adeo tenet ejusdem conditionis adjectio, ut si hæc deficere comperiatur, matrimonium utcunque in faciem Ecclesiæ celebratum, ob cessantem mutuum utriusque contrahentis consensum, dissolvi possit, etc. Secus tamen est, vel quoties eodem conditio adjiciatur circa explorationem virginitatis faciendam per copulam, et inspectionem ab ipso conjuge peragendam, aliosque modos illicitos et inhonestos, vel quoties, nullo designato modo adjectæ conditionis purificationem assequendi, nec non una cum licita puellæ inspectione, severa morum inquisitione prætermissa, vir pluries cum uxore concubuit, et matrimonium consummavit: in his enim terminis nemo dubitat quin hujus generis conditio veluti turpis, et illicita pro non adjecta reputetur, vetitumque sit viro assertum proponere defectum virginitatis, adeo ut posthabito dictæ conditionis impedimento, conjugisque conquestionibus, partes judicis esse debeant in matrimonii dissolutione firmiter deneganda. »

ADDITIO.

(194. « In Bulgariæ provincia mos est, ut patresfamilias aliquando sibi in filios adoptent, absque tamen ulla juris solemnitate, aliquos pueros, vel puellas. Hujusmodi adoptati communiter inter catholicos ibi commorantes, veluti filii legitimi reputantur, adeo ut in hæreditate etiam succedant. Reverendissimus D. Joseph Roveranus, missionarius Congregationis S. Joannis Baptistæ, tunc vicarius Apostolicus Sophiensis, nunc archiepiscopus Marcianopolitanus, et vicarius patriarchalis Constantinopolitanus sacram congregationem de Propaganda Fide humiliter supplicavit, ut declarare dignaretur, an talis adoptio impedimentum pareret cognationis legalis. Eadem sacr. congregatio instantiam remisit ad sacr. congregationem Sancti Officii. Deinde in congregat. generali habita coram S. D. N. feria v, die 16 Aprilis 1761 Sanctissimus auditis votis, etc. reque mature perpensa, declaravit præfato in casu nullum exstare impedimentum, mandavitque instructionem efformari transmittendam laudato vicario Apostolico. »

MANDATUM

Noviss. additum.

SUMMARIUM.

1. Mandatum quid sit, et quomodo dividatur, ad n. 11. — 12. Qui possit mandare. — 13. An mandatarius possit mandare. — 14. Quidnam objectum mandati esse possit. — 15. An mandatum in forma specifica per æquipollens possit impleri. — 16. Quid importat mandatum a lege. — 17. Quisnam possit mandatum suscipere, et quænam sit obligatio mandatarii: ad n. 19. — 20. Duplex actio oritur ex hoc contractu, quæ assignatur, ad n. 22. — 23. Quam culpam præstare debeat mandatarius: ad n. 24. — 25. Quot modis mandatum resolvitur: ad num. 34. — 35. Si quid obscuritatis mandatum contineat pro utro facienda interpretatio: ibi.

(1. Mandatum est « contractus bonæ fidei consensu constans, quo negotium honestum alteri id suscipienti gratis gerendum committitur » Zoes, *in Pand., h. t.*, n. 1; Huber, *eod. tit.*, n. 1; Voet, *l. cod.* n. 2, etc.

(2. Contractus iste mercedem respuit, ut is, qui ab amicitia originem trahit l. 1, § *ult.*, ff. *h. t.*, cujus officia gratis sunt præstanda l. *Obligatio* 1, in fin. *h. t.* Et quanquam merces interveniens faciat in aliam speciem contractum hunc transire § *in Summo*, fin., Inst. eod., hoc tamen non efficit *honorarium*, seu *salarium*, quod a mercede diversum est, etiamsi aliquando in jure nostro illud improprie *merces*, *et quasi merces*, *et merces officii* nuncupetur l. *Hoc jure* 19, § 1; l. *Aquilius Regulus* 27, ff. *De donat.*; l. 1, § *Divus* 13, ff. *De extraord. cognit.*, magis autem proprie nuncupatur remuneratio l. 6, pr.; l. 7; l. *Idemque et* 10, § ult.; l. *Si vero non* 12, pr., ff., *h. t.*, at de hoc plura vide apud Voet, *in Pandect.*, *h. t.*, n. 2.

Digitized by Google

(3. Mandatum multiplex dividitur, aliud *est expressum*, aliud *tacitum* : illud verbis, litteris, nuntio exprimitur; hoc ex actibus colligitur, et quidem claris, et perspicuis, sic qui præsens patitur, alium pro se fidejubere, mandare intelligitur l. *Semper* 60, inf. *De reg. jur.*, l. *Si remunerandi* 6, § *Si passus* 2; l. *Qui patitur* 18; l. *Qui fide* 53, *h. t.*, hoc autem ex ea vulgatissima regula receptum habetur, quia tacens consentire videtur c. *Qui tacet* 43, De r. jur., in 6. Secus autem, ubi claræ, et perspicuæ non sint circumstantiæ, pro consentiente haberi non potest l. 8, § 1, *De procurat.*; Huber., *Prælect. jur. Rom.*, tit. 27, n. 2, et in dubio mandatum intercessisse non præsumitur, sed tanquam quid facti ab eo probandum, qui se mandato ait instructum arg. l. 1, cod. *De mandat. principum*, cap. *Cum in jure* 31, *Extra de officii et potest. jud. deleg.*; Mantic., *De tacit. et ambig.*, lib. VII, tit. 4 et seqq.; Maschard, *De probat.*, conclus. 1008 et seqq., ad conclus. 1017.

(4. Uti interponitur, sic recte suscipitur mandatum *vel expresse, vel tacite*. Monendum tamen, quod non ex solo silentio arguitur mandati acceptatio : *l. Filiusfamilias* 8, § *Invitus* 1, ff. *De procurat.*, arg. l. *Qui tacet* 142, ff. *De reg. jur.* Sed res ipsa, et factum concurrat necesse. est, veluti adimplendo ea, quæ mandata fuerunt, ut animus mandatarii quoad illius acceptationem recte declaretur : Voet *ad.Pand.*, lib. XVII, tit. 1, § 3. Mandatum præterea tacite acceptasse videtur et is, cui per litteras aliquid fuerit commissum, nec is, quantocius rescribendo, mandato renuntiet, præcipue vero si alias talia mandata sic acceptaverit, et exsecutioni demandaverit : arg. *Si filius familias* 16, ff. *ad SC.*, et l. 27, ff. *h. t.* Hugo Grotius inter *Respons. jurisc.Holl.* part. III, vol. II, cons. 180, num. 1; Ant. Matthæus, *De obligat.*, disput. 24, th. 2; Wissembach, *ad Pand.*, *h. t.* num. 2.

(5. Mandatum rursus dividitur in *judiciale*, sive *ad lites*, et in *extrajudiciale*, sive *ad negotia*, de quo hic. Zoes., *h. t.*, num. 2. Utrumque vel est *in rem suam*, vel *in rem alienam*, distinguente Huber, *Prælect. jur. Rom.*, tit. 27, lib. III, num. 2, quem *vide*.

(6. Altera mandati divisio est quod sit *universale*, vel *generale*, quo universitas negotiorum mandatur, l. 58, et seqq. *De procur.*, alterum speciale quod de certis rebus est datum. *Vide* Zoes., *h. t.*, n. 2, et Huber, *Prælect. jur. Rom.*, lib. III, tit.27, sub. n. 1. Mandatum generale a nonnullis dividitur in mandatum generale *simplex*, et cum *libera*, perinde ac si minus habeat facultatis, qui habet mandatum generale simplex, quam qui illud habet *cum libera*. Hæc sane divisio a cultioribus in jure peritis merito reprobatur, eo potissimum, quod tantum tribuunt mandatario generali *simplici*, quantum mandatario generali, *cum libera* Vinn., *Inst. Cumm. de rerum divis.*, lib. II, tit. 1, § 42, *Nihil autem*; Cujac., tom. V, pag. 1151; Samuel Cocceius, lib. III, tit. 3, tom. I *De procurat.*, quæst. 1. Dum enim generaliter, et obsque ulla restrictione universorum bonorum tradita est administratio, *cum libera* semper tradita intelligitur, secus non esset universorum bonorum; l. 17, in fin.; l. 1, § 1, ff. *De offic. proc. Cæs.*; Donell., *Comment. jur. civil.*, tom.V, pag. 235, n. 32, et in not.; Hillig, 31, tom. I, pag. 735, § 11 et seq. Accedit etiam, certam, et indubitatam rei gerendæ potestatem eum accipere, cui specialiter quid mandatum, est, et mandatum non egreditur; ei tamen ubique comparantur procurator, cui specialiter quid mandatum est, et procurator universorum bonorum, seu rerum omnium l. *Jusjurandum quod*, § ult., ff. *De jurejur.*; l. *Solutum*, § ult.; l. *Vel universorum* et seq., ff. *De pignorat, act.*, l. *Nam et nocere*, ff. *De pact.*; Mozz. *De contract., tract. de mandat. et de divis.*, n. 3. *Vide* Vinn., *Jur. quæst.*, lib. I, cap. 9, per tot.

(7. Ulterius ipsa nec fert ratio, ut perpetuam in procuratoribus potestatis differentiam ex clausula *cum libera* colligamus. Revera procurator simplex omnium bonorum habet jus novandi l. 20, § 1, *De novat.* transigendi, l. 12, *De pact.*, jusjurandum deferendi l. 17, § ult., ff. *De jurejur.*, adeoque et alienandi. Quod si de procuratore *cum libera* agamus, hic exigendi jus habet l. 58, *De procurat.* Posita itaque inter utrumque procuratorem differentia, quod concessum est procuratori *cum libera*, denegatum censebitur procuratori omnium bonorum simplici. Quid ! Estne majus exigere debitum, quam transigere? Cum autem procurator simplex generalis transigendi jus habeat, poterit multo magis exigere, et sic non differet ab eo, qui mandatum habet *cum libera*. Dein plus est solvere, quam exigere, solvere autem potest simplex procurator l. 87, ff. *De solut.* Ergo quod minus est poterit et exigere, uti directe imo probatur ex l. 34, § 3, *De solut.* Ulterius etiam, si solvere potest procurator generalis simplex, si solvere est alienare, quid ni et alienare?

(8. Cæterum hoc ipsum comprobatur ex l. *procurator tutorum*, et ex altera l. *Qua ratione*, § *Nihil autem*. Intellectus enim primæ legis apertus est, nimirum, quod procurator generalis simplex facultatem habet alienandi, dummodo domini sui rem utilem ex Mozz. *De contract., tract. de mand.* n. 57. A qua legis dispositione altera non differt, in qua de procuratore generali *cum libera* habetur mentio. Ubi enim in dicta lege dicitur : « Si quid procurator universorum negotiorum vendiderit, et tradiderit, *ex his negotiis* dominium transferri, » intelligendum est, dummodo talis traditio, vel venditio *sit ex negotiis, id est ex ratione negotiorum*, seu melius bonorum administrationi maxime expediat, vel quia res esset peritura, vel ob deteriorationem. Utramque legem explicat sic Donell., *Comment. jur. civ.*, tom. I, lib. IV, cap. 15, n. 11 et 12.

(9. Obstare videntur hactenus dictis l. *Filiusfamilias* 7, *De donat.*; l. 60, ff. *De procurat.*, et altera l. 60, ff. *Mandati*; conciliantur tamen egregie apud Samuel Cocce.,

Digitized by Google

lib. III, tit. 3, quæst. 1, obj. 2 et seqq. *De procur.*, et apud Mozz., *De contract.*, sub *tract. de mandat.*, n. 54.

(10. Est et altera mandati divisio a fine desumpta, pro quo mandatur. Mandatum enim contrahitur aut *solius mandantis* gratia, § 1 *Inst.*, *h. t.*, l. *Quintus Mutius* 48, § 1, ff. *h. t.*, vel *mandantis et mandatarii*, vel *mandantis et aliena*, vel *aliena tantum*. Quæ partitio exstat et apud Cajum l. II, pr. ff. *h. t.*, et *infr.*, *h. t.*, pr., et § 2, 3, 4, 5, vel denique *mandantis*, *mandatarii*, *et aliena*, cujus exemplum vide in l. *Si procuratorem* 8, § *Si tutores* 5, ff. *h. t.* At si mandatarii tantum gratia mandatum interponatur, forma tantum externa mandatum intelligetur, sed erit consilium potius, neque vim obligandi habebit. Sibi enim quis imputet, nisi prius exploraverit an expediat consilium sequi nec ne? L. *Mandatum* 2, § ult., ff. *h. t.*, § *Tua tantum* 6, *Inst.*, *h. t.* Casus tamen excipiendus, quo consilium fraudulentum datum fuerit, tunc enim actio de dolo est: l. *Consilii* 47, ff. *De reg. jur.*, l. *Idemque* 10, § *Si quis ea* 7, in fine, ff. *h. t.*, et Zoes., in *Pand. h. t.*, n. 4. Fraus vero consilium dantis non æstimanda est ex eventu, sed ex intentione consilium dantis; *vide* Zoes., *loc. cit.*

(11. Tenebitur etiam ex consilio, quanquam non fraudulento, mandans, qui consuluit, ut certæ personæ alias non creditura, pecuniam crederet. § *Qua tantum* 6, *Inst.*, *h. t.* Quod etiam placuit Ulpiano in l. *Si remunerandi* 6, § *Plane* 5, ff. *h. t.*, et hoc ex ea ratione, quia commendatio certæ personæ facit consilium transire in mandatum: d. l. 6, § *Si tibi* 4, *h. t.* Quarum mandati specierum exempla vide apud Huber., *Prælect. jur. Rom.* lib. III, tit. 27, sub n. 4, per tot., et fuse apud Voet, in *Pand.*, ff. *h. t.*, sub n. 4, per tot.

(12. Verum cum mandatum sit contractus, hinc est quod mandare possit qui potest contrahere. Zoes. in *Pand.*, *h. t.*, n. 5, Voet., *l. c.*, n. 5. Mandare itaque nequit pupillus, furiosus, prodigus, nec mulier in causa aliena, quia propter hoc intercedere videtur l. *Si mulier fin.*, § *Mulier* 4, *Lup. ad S. C. Vellei.* His adde minores quoad actus judiciales, cum personam legitimam standi in judicio non habeant, et servos: l. *Servum* 33, sup. *h. t.*

(13. Illud etiam fortasse quæri potest, an recte mandet mandatarius? Affirmative respondet jurisconsultus in l. 8, § *Si quis* 3, *h. t.*, quæ regula indistincte obtinet quoad negotia, nisi sit electa industria personæ. C. *Is cui* 12, De offic. potest. jud. deleg., in 6; Zoes., in *Pand.*, *h. t.*, n. 6. Vide etiam Voet., ad *Pand.*, *l. cit.*, n. 5. Quod si quis datus fuerit procurator ad lites, tunc recte non substituet, nisi quis vel datus fuerit procurator in rem suam, vel litem fuerit contestatus, cum fiat ex tunc dominus litis. Zoes., *l. cit.*, n. 6, et Voet. *d. l.* sub. n. 5.

(14. Mandati objectum sunt res licitæ et honestæ. Cum enim contra bonos mores nulla subsistat obligatio, ita neque mandatum potest subsistere: l. 6, § 3, *h. t.*, l. *Nec permittendum* 57, *Pro soc.*; l. *Generaliter* 26, cum seq.; l. *Si flagitii* 123, *De verb obl.*; Huber., *Prælect. jur. Rom.*, *l. cit.*, n. 5; Vinn. *Inst.*, *h. t.*, § 7, n. 1. Quinimo tum mandator rei turpis, tum executor tenetur ad pœnam tam damnum passo, quam reipublicæ § 7, *h. t.*, et uterque severe puniendus l.: 15, § 1, ad l. *Cornel.*, *De sicar.*, l. 7, § ult., *De jurisd.*, et l. 1, § 1, *De eo per quem fact.*, et Huber., *loc. cit.*, n. 5, et l. 5, cod. *De accus.*; Heinecc., ad *Pand.*, *h. t.*, § 235. Nulla igitur actio nascitur inter mandatorem rei turpis, et mandatarium, quapropter nec mandans de implemento mandati semel suscepti, vel ad id quod interest, nec mandatarius ad suipsius indemnitatem recte contendit: § *Illud quoque* 7, *Inst.*, *h. t.*, l. *Si remunerandi* 6, § *Rei turpis* 3; l. *Si mandavero* 22, § *Qui eadem* 6, ff. *h. t.* Sive etiam in exsequendo mandato impensas fecerit: Voet., ad *Pand.*, *l. cit.*, n. 6.

(15. Celebrem olim fuisse quæstionem testatur Cellius lib. I, cap. 13, an mandatum in forma specifica per æquipollens perfici possit. Hujus quæstionis resolutio ex una pendet interpretatione consilii, et voluntate mandantis. Si igitur ex substantia mandati aperte colligatur aliquid specifice commissum fuisse, quia mandans alias utilius rem geri non posse arbitrabatur, mandatum per æquipollens impleri posse arbitror, si æque mandantis desiderio satisfactum appareat: l. 5, § ult., l. 46, l. ult., ff. *Mandat.*; Lampred., *Jus publ.*, cap. 11, § 10, in fin.; Vinn., *Inst.*, *h. t.*, § 8, n. 1, in fin.; Grotii *Manuduc. ad jurisp. Hol.*, lib. III, c. 12, num. 12.

(16. Hactenus de mandato ab homine. Sunt etiam qui habent mandatum a lege; Mozz., *De contract.*, *tract. de mand.*, n. 63. Tales sunt tutores, qui pupillorum rei administrandæ præsunt. Hi tamen ex lege mandati rem pupillarem nequeunt alienare, nisi causam judex cognoscat, et secum interponat decretum: text. in l. 1, ff. *De reb. eor. qui sub tut. vel cur. sunt*; l. *Lex quæ*, cod. *De administrat. tut.*; Cujacc., tit. *De præd. et al. reb. min.*; l. *Et si sine* 4, cod. *Quando decret. opus non est*; et late Pugas, *De reb. eor. qui sub tut.*, n. 22 et seqq., n. 38 et 40; l. *Sed si pecunia* 3, § *Si jus*, ff. *De reb. eor.*; l. *Etiam* 13, cod. *De præd. et al. reb. min. Vide* etiam Mantic., *De tacit. et ambig.*, lib. VII, tit. 2, n. 13.

(17. Mandatum suscipere potest quilibet qui se obligat contrahendo. Sic recte mandatum suscipit filius familias: l. *Quod pen.*, ff. *h. t.*, cum obligare se possint. Nec minus recte mandatur mulieri, modo virile negotium sub mandato non comprehendatur l. *Ait prætor.* 1, in pr., ff. *De negot. gest.* Quod si de stando pro alio in judicio res sit, neque minor a mandati susceptione excluditur, uti colligitur ex § *Eadem lege* 4, *Inst. Quib. ex caus. manumitt. non lic.* Ut enim animadvertit Cujac. 22 obs., cap. 16, sibi mandans imputet, si a minore minus recte demandata causa fuerit defensa. Casus tamen excipiendi, in quibus minor restitui possit, vel quando sponte defensio-

Digitized by Google

nem alicujus idem suscipit, de quibus loquitur l. *Minor* 51, ff. *De procurat.*, Zoes., in *Pand.*, *h. t.*, § 8. De jure autem canonico, de stando in judicio mandatum suscipere nequit minor. C. *Qui generaliter* 5, De procurat., in 6.

(18. Susceptum autem cum semel fuerit mandatum, executioni demandari debet ex l. 22, § ult.. ff. *h. t.*, Heinecc, ad *Pand.*, *h. t.*, § 233. Mandatarii officium in eo exsequendo tale esse debet, ut mandati fines religiose custodiat, quos si prætergrediatur, neque obligabit mandantem, eumque indemnem præstabit juxta excessus mensuram: ex § 8, *Inst.*, *h. t.*; l. 4 et 33, ff. eod., l. 1, § 4, ff. *De verb. oblig.*; Huber., *Prælect. jur. Rom.*, lib. III, tit. 27, n. 6, *h. t.*; Heinecc., ad *Pand.*, *h. t.*, § 233. Idque est, quod generaliter definit Paulus, diligenter mandati fines esse custodiendos, eum enim qui excessit, aliud quid fecisse videri: l. *Si mandavero* 22, in pr., ff. *h. t. Vide* Vinn., *Inst.*, *h. t.*, § 8, n. 1.

(19. Quæstionis autem est, an de eo, quod mandati limites excedit, saltem utilis negotiorum gestorum actio detur. Visum id olim fuit Martino, et Joan. Fabr. ex recentioribus Baron., Meys. et Bronch., l *Miscell.*, 66, arg. l. 2; l. *Quæ utiliter* 45, *De negot. gest.* Rectius vero negant Accursius, Vinn., *Inst.*, *h. t.*, § 8, n. 5; Voet., ad *Pand.*, *h. t.*, n. 11, quoniam actio negotiorum gestorum ei non competat, qui gessit invito domino. § *Is qui exsequitur* 8. *Inst.*, *h. t.*; l. *Præterea* 3, § ult.; l. 4.; l. 5; l. *Royatus* 33, ff. *h. t.*, et Voet., *l. c.*, et Vinn., *l. cit.*

(20. Duplex ex hoc contractu oritur actio: *directa* et *contraria*. Prima datur mandanti ejusque hæredibus, cujus et quatenus interest mandatum impleri; l. *Si procuratorem* 8, § *Mandati* 6, ff. *h. t.*, contra mandatarium ejusque hæredes. Petitur hac actione, ut mandatarius administrati negotii rationem reddat, uti fuse ac respective declarat Voet. in *Pand.*, *h. t.*, num. 9, speciale autem hoc habet actio, quod eo etiam tendit, ut mandatarius usuras præstet quoties vel moram fecit in restituendis nummis residuis, vel in usum proprium converterit, vel otiosos retinuerit, vel fœnori collocaverit nomine ipsius domini l.: *Idemque* 10, § *Si procurator* 3; l. *Si vero* 12, § *Dedi tibi* 10; junct. l. *Ex mandato* 20, ff. *h. t.*, l. *Qui semisses* 13, § 1, ff. *De usuris*. Hac præterea actione utitur mandans contra mandatarium, si hic dolo vel culpa mandanti nocuit, l. 8, § ult., *h. t.*

(21. Contraria vero actio datur mandatario, ut, durante administratione, necessaria suppeditet: l. 12, § ult., *h. t.*, finitoque negotio, restituat impendia in mandato facta: l. 10, § 9, et l. 27, § 4, *h. t.*, ac demum procuratorem quoad totum negotium indemnem mandans præstabit.: l. 12, § 9, l. 20, 26, § 6 et 7; l. 27, § 4, et arg. l. 10, § 10, ff. *Mandati*; l. 61, § 5, ff. *De furtis*; qui enim aliquid singulare mandat, et mandasse intelligitur actus omnes, sine quibus primum illud obtineri nequit, nec mandatarium quidquam aliud promisisse gratis censetur, quam operam suam. Ex his colligere facile est, quod et casum et infortunium præstabit mandans, si casui vel infortunio causam dederit mandati exsecutio. Et de eo casu intelligenda est l. 26, § 6, ff. eod. tit., arg. l. 61, § 5, ff. *De furtis;* Ant. Faber., *Cod.* lib. IV, tit. 26, defin. 29, et in *Rational.*, ad d. l. 26, § 6; Groeneavegen, ad d. l.; Paulus Voet., *ad* 8, *Inst.*, *h. t.*, n. 6; *Responsa jurisc. Holland.*, part. IV, cons. 385, in med.

(22. Si quid autem mandatarius, contrario judicio, a mandante repetendi jus habeat, compensare sibi poterit, dummodo aliquid de mandantis pecunia retineat: arg. l. *In rebus* 18, § ult., ff. *Commodati*; l. 1, § *Præterea* 4, ff. *De contrar. tut. et util. act.*; Papon., lib. VI, tit. 12, in *Append.*, art. 3.

(23. Cæterum mandatarius tenetur de levissima culpa in exsequendo mandato l. 13, l. 21, c. *h. t.*; et l. 1, § ult., ff. eod., etiamsi hic solius mandantis versetur utilitas, contra regulam l. 5, § 2, ff. *Commodati*. Hujus autem sanctionis rationem commodat locus Ciceronis pro Roscio; inquit enim: «Mandati judicium constitutum est non minus turpe, quam furti, credo propterea quod quibus in rebus ipsi interesse non possumus, in his operæ nostræ vicaria fides amicorum suppo natur, quam qui lædit, oppugnat omnium commune præsidium, et quantum in ipso est, disturbat vitæ societatem. Non enim possumus omnia per nos agere, alius in alia est re magis utilis; idcirco amicitiæ comparantur, ut commune commodum mutuis officiis gubernatur.» Et mox: « Ergo idcirco turpis hæc culpa est quoad duas res sanctissimas violat, amicitiam et fidem: nam neque mandat quisquam fere, nisi amico, neque credit, nisi ei quem fidelem credit.»

(24. His tamen non obstantibus, sunt qui, præter dolum et culpam, nil a mandatario præstandum esse aiunt, exemplo depositarii; uterque enim est beneficii debitor; unde quod deponenti imputatur, quod negligenti amico rem custodiendam tradidit, l. 1, § *Is quoque* 5, ff. *De obl. et act.*, idem mandanti sit imputandum quod negligenti amico rem gerendam commiserit; adeoque uti depositarius, sic mandatarius de sola lata culpa tenebitur. His tamen obstant quædam leges, quibus traditum est mandatarium, non tantum de dolo, sed culpæ etiam nomine teneri: l. 8, § ult., ff. *Mand.*, l. 2, cod. eod.; l. 23, ff. *De r. jur.*, et apud Licin. Rufinium, in *Coll. leg. Mosaic. et Roman.*, tit. *De deposit.*, hæc verba Modestini refert: « In mandati judicio dolus, et culpa præstatur.» Culpæ autem nomine absolute positæ significatur culpa levis, Zoes., in *Pand.*, *h. t.*, n. 16. Verum quod omnem tollit difficultatem ac controversiam, habetur diserte scriptum in l. *A procuratore* 13, *Cod. mand.* quæ habet, « dolum, et omnem culpam præstandam esse, solum casum fortuitum non præstandum.» *Vide* quæ ad hæc habet Zoes. *loc. cit.* Quod vero diximus mandatarium et depositarium inter se non differre, bene etiam se habet, si agatur de eo depositario

Digitized by Google

qui deposito ultro se obtulit, quem placet culpam omnem præstare, et summam rei custodiendæ adhibere diligentiam : l. 1, § *Culpæ* 35, ff. *Depositi*. Vinn., *Jur. quæst.*, lib. I, cap. 52, pag. 85.

25. Hactenus de mandato, quatenus consistat. Mandatum quatuor modis resolvitur, quorum duo ex persona mandantis, nempe *mors* et *revocatio;* altera duo ex persona mandatarii, nempe *mors* et *renuntiatio* proficiscuntur. Morte mandantis mandatum deficit : l. *Inter* 26, ff. *Mandat;* l. 15, cod. eod., ad § 10, *Inst.*, tit. eod., et in Clement. ult. *De procurat.* Mandati siquidem ea est natura, ut neque mandantis neque mandatarii personas egrediatur. Non mandantis, quippe quem sibi soli officiosam hanc operam ab amico præstari et cui soli mandatarium gratificari voluisse censendum est; non mandatarii, quia in mandato industria, ac fides certæ unius personæ ex millenis eligitur in cap. ult. Cod. *De offic. deleg.*, l. *Mandatum* 57, *h. t.* ; Vinn., *h. t.*, § 10; Donell., *Comment. Cod.*, tit. 35, lib. IV, c. *Mandat.*, tom. VIII, n. 9; Voet., *h. t.*, n. 16. At præcitata regula fallit, quoties tale sit mandatum, ut nonnisi post mortem mandantis impleri possit, veluti monumentum sibi fieri : l. *Si vero* 12, § ult., ff. *h. t.*, *Hæredi dari; hæredi fundum emi*, in quantum nulla viventis hæreditas, hæres nullus est : l. *Idem est* 13, ff. *h. t.*, junct. l. 1, ff. *De hæred. vel act. vend. Confer* Bachov., *ad Treutler. vol.*, disput. 27, th. 6, litt. *C.* Idem dicas, si mandatum institori datum sit, quod durat, donec per hæredes præpositi revocetur : l. *Si quis mancip.* 17, § 9, ff. *De inst. act.*, et tit. *De inst. act.*, n. 3. De cætero autem vide Voet., *h. t.*, sub n. 15. Consule etiam Donell., *Comm. jur. civ.*, lib. XVI, cap. 23, tom. IV, n. 6.

26. Quibus exceptis casibus, mandatum semper morte mandantis exstinguitur. Nec ex eo quod procurator mandatoris obitum ignoraverit, idcirco et post mortem mandatum consistet. Ubi enim ex regula, de qua supra, mandatum morte mandantis exstinguitur, mandatarius perinde habetur ac si nullo unquam fuisset instructus mandato, hinc est quod, post obitum mandatoris, mandatum semper revocatum censetur, vel procurator mandatoris obitum sciverit, vel ignoraverit : Gabriel., *Commun. conclus.*, lib. II, tit. *De procurat.*, conclus. 2, n. 1 et seq. ; Trentacinq., *Var. resolut.*, lib. II, tit. *De procurat.*, resol. 10, n. 18; Pax Jordan., *Elucubr. divers.*, vol. III, lib. XIV, tit. 2, n. 235; Mozz., *De contract.*, tit. *De mandat.*, cap. *Quib. mod. annull. solv. finiat mandat.*, n. 20; Masch. *De mandat.*, tit. 8. n. 3; Alderis, *De symbol. contract.*, tit. 8, cap. 5, n. 65, et Rot. *in Camerinen. canonicatus* 1 Martii 1779, § 5, *cor. Riminaldo.* Cum hac tamen propositione conciliandæ nunc superest dispositio text. in l. 26, in princ., ff. *Mandati*, et § 10, *Inst.*, tit. eod., quibus habetur ut si mandatarius mandantis mortem ignoraverit, ac bona fide negotium ad finem perduxerit, ratum manet, nec subjacet rescissioni : vide Voet., *h. t.*, n. 15, in med. Rectius fortasse eadem Rota *in Camerinen. canonicatus* 1 Martii 1779, § 6, *cor. Riminaldo*, distinguit *mandati solutionem, et mandati actionem.* Hanc mandatario competere, qui mortem mandantis ignorans, mandatum ad exitum perduxit, admittit, de quibus casibus loquuntur objectæ juris leges, non tamen admittit ut, mortuo mandante, mandatum non dissolvatur. Aperta est juris censura in l. 58, ff. *Mandati*, et certatim docent Perez, in *Comment. ad Cod.*, lib. IV., tit. 36, n. 27; Botcholten., in *Comment. ad Instit.*, lib. III, tit. 27, § 10; Masoret, *eod. loc.*, pag. 321, edit Tholosan., ann. 1699, pluribusque omissis, late Faber., in *Ration. ad Pandect.*, d. l. 26, verb. *Si tamen*, ff. *h. t.*

27. Neque præmissis adversatur illud, quod rite gestum se habeat, quidquid post expressam mandati revocationem a mandatario fuit commissum. Maxime enim distinguenda est a tacita mandati revocatione, quæ fit morte, expressa mandati revocatio. Cum enim expresse mandatum per mandantem revocatur, indeque sententiam mutet mandans, apud eum tamen jus et dominium semper manet, ex quo procurator, quanquam revocationis ignarus, potest mandatum implere. Secus autem, ubi morte mandantis tacite mandatum revocatur, siquidem jus et dominium ad cæteros pertransiit, sine quorum repetito mandato quidquid a mandatario geritur, pro infecto habetur, ut distinguunt Golin., *De procurat.*, part. III, cap. 4, n. 8; Alderis, *De symbol. contract.*, tit. 3, cap. 5, n. 66. Attamen fieri aliquando etiam potest, ut et post obitum mandantis mandatum recte consistat, cum nempe de alicujus contractus agitur exsecutione. Exemplum præbet text. in l. *Fundi* 33, § primo, ff. *De acquir. possess.*, ibi enim agitur de procuratore ad tradendam fundi possessionem constituto, cujus vi nulla ulterius inducitur obligatio, sed suscepta impletur. De his egregie disserit Cujac., *ad African.*, tract. 8, l. penult., ff. *De reb. credit.*; Wisembach., disput. 27, *ad Inst.*, thes. 1, n. 21; Bronchorst., Erant., cent. 3, assert. 92; Covarruv., *Pract. quæst.*, cap. 2.

28. Idipsum statuendum, si de re agatur beneficiaria. In hac si ad resignandum mandatum dederit beneficiarius, postea vero re etiam integra expresse mandatum revocet, utilis erit resignatio facta a procuratore, dummodo mandati revocationem prorsus ignoraverit. Si vero ad resignandum constituto procuratore, moriatur beneficiarius, tunc nulla erit resignatio, etiamsi mortem procurator ignoraverit. Hoc autem obtinet ex possessionis jure, quod in revocatione mandati expressa adhuc retinet beneficiarius, non vero in tacita (quod fit morte mandantis), quia tunc jus possessionis ad successorem pertransiit : Zoes., in *Comment. ad Decretal.*, lib. prim., tit. 9, n. 11; Schmalzgrueber *Jur. Eccles. univ.*, lib. pr., tit. 9, n. 47; Paris, *De resignat.*, lib. IX, quæst. 24, n. primo; Vallens, *De benefic.*, lib. III, tit. 26, n. primo et seqq.; Laurea., *for. benef.*, par. 3, sect. prima, cap. 4, § 9, quæst.

Digitized by Google

693, n. primo, et quæst. 698, per tot.; Gagliard., *De benef.*, tit. 20, n. 21; Begnudel., *Bibl. can.*, verb. *Resignatio*, § 9, n. 85 et seqq., et apprime Rot. *in Camerinen. canonicatus* 1 Martii 1771, § 8, *cor. Sentmanat.*

(29. In universali autem mandato illud singulare habetur, ut per mandantis mortem nequaquam finiatur : Bartol. in l. *Quicunque*, § *Si ab alio*, ff. *De institut.*, et tradunt Gabriel., *Commun. conclus.* lib. II, tit. *De procurat.*, concl. 2, n. 20; Mantic., *De tacit.*, lib. VII, tit. 23, num. 39; Golin., *De procurat.*, part. III, cap. 4, num. 26, pluribusque adductis Alderis, *De contract. symbol.*, tit. 3, cap. 5, num. 100.

(30. Sunt etiam qui a regula generali mandatorum excipere velint mandatum jurejurando mandatoris de non revocando munitum, vel quod tale sit, quod in alienam vergat utilitatem. Ac primo morte mandantis mandatum etiam juratum semper resolvitur, quia jusjurandum jurantis hæredem non afficit : Suarez *De jurament.*, cap. 31, num. 2; Merend., *Controv. jur.* lib. I, cap. 1, n. 8; Torr., *De pact.*, lib. I, cap. 5, num. 67, et præcit. Rot., § 15.

(31. Cæterum vero sunt qui tenent morte mandantis non resolvi mandatum, quod in alienam vergat utilitatem, non jam mandantis, ad text. in l. 2, ff. *Mandat.*, et § 1 *Inst.*, tit. eod.; Harpret., in *Comment. ad Instit.*, tit. eod., n. 36; Widmann, *De contract.*, tit. 16, n. 36. Huic tamen opinioni plures adversantur, ac tenent mandatum etiam ad donandum, mandantis morte penitus resolvi ac finiri, ex quibus Alderis., *De symbol. contract.*, tit. 3, cap. 5, n. 84; Gratian., *Discept. forens.*, cap. 783, n. 3; Mantic., *De tacit.* lib. VII, tit. 23, n. 12; Pax Jordan., *Elucubrat. divers.* tom. III, lib. XIV, tit. 2, n. 236; Gabriel., *Commun. conclus.*, tit. *De procurat.*, conclus. 2, n. 7, et Rot. *in Camerinen. canonicatus* 1 Martii 1771, § 14, *cor. Sentmanat.*

(32. Morte quoque mandatarii exstinguitur mandatum, quia certæ personæ industria electa est; l. *Si quis alicui* 27, § *Morte* 3, ff. *h. t.*, et § 10, *Inst.*, *h. t.*, id tamen re integra; proindeque si hæredes negotia adhuc integra ad finem scientes perduxerint, nullam mandati actionem contra mandantem habebunt, ex l. 27, § 3, ff. *h. t.*; Voet., ad *Pand.*, *h. t.*, n. 16. Sin autem probabili errore facti mandatum veluti rem suam exsecutioni demandaverint, quomodo iis succurrendum habes fuse apud Voet., in *Pandect.*, *loc. cit.*

(33. Revocatione quoque mandantis mandatum finitur, dummodo tempestive, et re integra fiat: l. 12, § *Per*; l. 15, ff. *h. t.*; Heinec., ad *Pand. h. t.*, § 238, etc. Imo et re non integra, mandati revocatio permittitur, eo tamen dato, quod interest mandatarii mandatum non revocari, quod mandati actio persequitur; leg. 8, § *Mandati* 6, *h. t.*; Zoes., in *Pandect.*, *h. t.*, n. 26. Cum enim hic contractus per procuratorem peragendus dependeat a mandantis voluntate, si tempore contractus per revocationem mandati sublatus fuerit consensus, irritus remanere debet contractus, nec a procuratoris obligatione devinctus esse potest mandans, sed procuratori contraria mandati tantum actio dabitur; Duaren., *Oper.* tom. II, pag. 243, coll. 1, in fin. Exemplum habes in hæreditatis petitione, in cujus acquisitione duo requiruntur, factum petitionis, et voluntas hæredis. Factum petitionis explet procurator, non voluntatem, licet mandatum ab hærede habuerit. Si post mandatum hæres in furorem incidat, nulla est petitio hæreditatis, deficiente per furorem voluntate hæredis; l. *Si quis alieni* 48, ff. *De acquir. hæredit.*; Averan., *Interpret. jur.*, lib. I, cap. 12, n. 20. Ex his patet quam temere arbitrentur illi qui putant hoc speciale esse in mandato pro contrahendo matrimonio. Hoc quippe mandato quandocunque revocato, licet inscio procuratore, matrimonium inutiliter contrahitur : cap. *Procurator.*, fin. *De procurat.*, in 6. Hujus ratio in summa matrimonii libertate sita est, quæ nullimode coarctanda propter ipsorum exitus difficiles. Vide Zoes., in *Pand.*, *h. t.*, n. 27. Quinimo tenet nedum expressam revocationem ad hoc requiri, sed tacitam etiam sufficere, ut is optime prosequitur n. 28. Alia vero, et quidem validior ratio est, quia matrimonium a voluntate unice dependet. Hoc tamen speciale est in hujusmodi mandata, ut mandatarius non possit contra mandantem contrariam exercere actionem mandati ex causa simpliciter matrimonii.

(34. Quarto demum renuntiatione mandatarii mandatum finitur, re tamen integra, secus ad id, quod mandantis interest, tenebitur mandatarius, ni intempestive renuntiandi legitimam ac justam alleget causam; l. *Sane*, 23, 24, 25, et l. *Si quis* 27, § *Qui mandatum* 2, *h. t.*

(35. Hujus autem pro coronide tituli quæri posset, si quid obscuritatis mandatum contineat, pro utro facienda sit interpretatio? Alii ad commodum mandantis interpetrandum esse aiunt mandatum; rectius vero alii pro mandatario. Sibi enim imputet mandans, si clarius, dum potuit, locutus non est ex regula l. *Veteribus* 39, ff. *De pact. Vid.* Wesemb. ad tit. *De procurat.* n. 9, in fin., etc.

MATUTINUM.

SUMMARIUM.

1. Matutinum in cathedrali debet recitari de mane, non autem vesperi pro sequenti die. — 2. In aurora, vel circiter. — 3. Nisi dispensetur, ut dicatur, vesperi pro aliqua necessitate. — 4. Vel tempore hiemis. — 5. Vel propter aeris intemperiem. — 6. Episcopus enim potest concedere ut canonici ob aeris intemperiem valeant horam matutini protrahere. — 7. Tolerandum est quod canonici tribus mensibus anni frigidioribus recitent dieb. ferialib. matutinum in sacristia. — 8. Canonici absentes a Ma-

Digitized by Google

tutino non lucrantur correspondentes distributiones per interessentiam concioni in habitu canonicali, quamvis quoad hoc inoleverit consuetudo. — 9. Matutinum recitandum est nocturno tempore, si adsit consuetudo; secus vero et alii legitime impediti, si interesse non possunt, lucrantur distributiones quotidianas.— 10. Matutinum, quod secundum regulam Ordinis recitari debet media nocte, conceditur ut possit ex causa recitari hora octava noctis. — 11. Matutinum, quod recitabatur media nocte, conceditur monialibus S. Catharinæ Senensis, ut possit recitari hora prima noctis ob aeris intemperiem, et adversam valetudinem monialium.— 12. Matutinum, quod media nocte a clero cathedralis ecclesiæ recitari consueverat, ut in futurum albescente die cantari possit ex causis narratis fuit concessum. 13. Matutinum, quod recitari solebat a canonicis una hora post ortum solis, non est ante ortum solis inchoandum. — 14. Matutinum defunctorum, non vesperi pridie sed ipsamet die commemorationis omnium fidelium defunctorum post laudes recitari debet, vide tamen novissimum decretum. — 15. Matutinum potest etiam sine causa dividi tota nocte a Laudibus. — 16. Imo multi dicunt id esse etiam laudabile. — 17. Quando Matutinum dividitur a laudibus, debet in fine addi *Pater noster*, et probabilius etiam addi debet oratio diei sine tamen aliis commemorationibus. — 18. Probabilius est etiam quod initio laudum divisarum non debeat dici *Pater et Ave*. — 19. Matutinum et laudes non recitare ante celebrationem missæ multi tenent esse peccatum mortale. — 20. Plurimi autem communius et verius id negant. — 21. Imo multi volunt nedum non esse peccatum mortale, sed ne quidem esse veniale, quando adest causa rationabilis. — 22. Quinimo aliqui dicunt, per se loquendo, nullum esse peccatum. — 23. Probabilius tamen est, per se loquendo, et sine rationabili causa, esse peccatum veniale. — 24. Matutinum sequentis diei, si absque causa dicatur ante absolutum officium diei præsentis, peccatur venialiter. — 25. Si autem fiat ex causa, nullo modo peccatur. — 26. Per unicam recitationem Matutini et Laudum non potest satisfieri obligationi pro die præsenti et sequenti. — 27. Qua hora pridie inchoari possit Matutinum? *remissive*. — 28. Qui recitat Matutinum pro feria secunda sequenti ante solis occasum diei Dominicæ, non debet genuflectere ad antiphonam finalem B. M. V., debet tamen genuflectere, si illud recitet post solis occasum. — 29. Alia ad rem scitu digna exhibentur, *ad num*. 33. — 34. Affertur prodigiosus eventus in matutino a nostro B. Joann. Parmensi una cum dæmonibus persoluto. — 35. Alia ad rem, *ad num*. 38.

(1. Matutinum in cathedrali debet recitari de mane, non autem Vesperi pro sequenti die. Sac. congregat. Episcop. et Regul. *in Vercellensi* 23 Novembr. 1578, et *in Aretina* 18 Octobris 1595, apud Nicol., in *Floscul.*, verb. *Matutinum*, num. 1. (2. In aurora, vel circiter. Eadem sac. congr. *in Cæsenaten.* 3 Decemb. 1602.

(3. Nisi dispensetur, ut dicatur Vesperi pro aliqua necessitate. Eadem sacra congreg. *in Dertonen.* 16 Ocobris 1605. Vel tempore hiemis. (4. Eadem sac. congreg. *in Salernitana* 30 Septemb. 1616. (5. Vel propter aeris intemperiem. Eadem sac. cong. *in Ferrarien.* 4 April. 1628. Episcopus enim potest concedere ut canonici ob aeris intemperiem valeant horam Matutini protrahere, prout pro tolerantia respondit sacra congreg. Concilii *in Trojana* 14 Febr. et 14 Novembr. 1699; favore capiuli civitatis Foggiæ.

(7. Tolerandum est quod canonici tribus mensibus anni frigidioribus recitent diebus ferialibus Matutinum in sacristia. Sacr. congr. Episc. et Regul. *in una S. Severini* 13 Sept. 1641, apud Nicol. in *Flosculis*, verb. *Officium*, n. 19.

(8. Si in ecclesia cathedrali inoleverit ab immemorabili tempore, ut canonici, quibus diebus habetur concio in ipsa ecclesia, audiendo concionem in habitu canonicali, lucrentur distributiones quæ dantur Matutino interessentibus, licet recitationi dictæ Horæ matutinæ non interfuerint, hujusmodi consuetudo non excusat canonicos in conscientia ab onere restituendi. Sacr. congregat. Concil. *in Vicentina ad cap.* 12, sess. XXIV, *De reformat.*, die 7 Februarii 1643.

(9. Matutinum, seu matutinæ Horæ recitandæ sunt nocturno tempore, si adsit consuetudo; secus vero, et alii legitime impediti, si interesse non possunt, lucrantur distributiones quotidianas. S. congr. Rit. *in Mazarien.* 20 Decemb. 1601.

(10. Matutinum, quod, secundum regulam ordinis, recitari debet media nocte, ut ex causa recitari possit hora octava noctis, conceditur. Sac. congregatio Rituum, *in causa civitatis Angelorum, sive in Thaxcalan., in Indiis occidentalibus* 12 Novembris 1605.

(11. Matutinum, quod recitabatur media nocte, ut possit recitari hora prima noctis ob aeris intemperiem, et adversam valetudinem monialium, conceditur monialibus S. Catharinæ Senensis. Sac. congr. Rit. *in Thaxcalan. in Indiis Occidentalibus* 20 Junii 1609.

(12. Matutinum, quod media nocte a clero cathedralis ecclesiæ recitari consueverat, ut in futurum albescente die cantari possit ex causis narratis fuit concessum. Sacra Congregat. Rituum *in Oscen.* 21 Julii 1609.

(13. Matutinum, quod recitari solebat a canonicis una hora post ortum solis, non est ante ortum solis inchoandum. Sac. Congregat. Rituum *in Asculana* 16 Septembris 1606.

(14. Matutinum defunctorum in festo Omnium Sanctorum ad Vesperam recitandum non est, sed ipsamet die commemorationis omnium fidelium defunctorum post Laudes diei recitari debet. Sac. congregat. Rit. sub die 1 Septembr. 1607 et 22 Januarii 1701. *Vide* in tom. IX, Decreta S. C. R., n. 21, 698, 740. Ex post tamen ab eadem S. R. congreg. die 14 Septembr. 1745 in Ratisponen. editum fuit sequens decretum: « Privata officii defunctorum recitatio pro generali illorum commemoratione absolvi licite potest post vespertinas horas festi Omnium Sanctorum: in choro autem juxta rubricas adimplenda est mane die 2 Novembris, nisi, ut populi commodius et frequentius illis interesse possint, contraria jam fuerit consuetudo. » Vide citata Decreta sub n. 1201.

(15. Matutinum potest etiam sine causa

Digitized by Google

dividi tota nocte a Laudibus. Bonarot., lib. I, cap. 17; Stoz, lib. I, part. III, n. 410; La Croix, lib. IV, n. 1305; Sporer, tom. III *Append.*, cap. 2, n. 138, et alii passim.

(16. Imo id etiam laudabile esse dicunt Navarr., Suarez, Sanch., Filliuc., Tamburin., Pellizar., aliique multi apud La Croix *loc. cit.* (17. Quando Matutinum dividitur a Laudibus, debet in fide addi *Pater noster*, et probabilius etiam addi debet oratio diei, sine tamen aliis commemorationibus; Navarr., Lezan., Bonacina, Gavant., Diana, part. V, tract. 14, resolut. 48, et alii contra Sanchez, Bonart., Pellizar., Stoz, Gobat, tract. 5, n. 672; Lohner, *De horis canonicis*, part. II, tract. 1, § 11, cum La Croix, *loc cit.*, n. 1305, qui vere probabiliter dicunt non esse opus addere orationem diei, cum id specialiter tantum in Nativitate Domini præcipiatur. (18. Probabilius est etiam quod initio Laudum divisarum non debeat dici *Pater* et *Ave*, quia nullibi præscribitur, et nec dicitur initio Completorii, quamvis sit distincta : Bonacina, Azorius, Tamburin, et alii cum La Croix, *loc. c.* Est tamen consultum et laudabile illa dicere.

(19. Matutinum et Laudes non recitare ante celebrationem missæ, esse peccatum mortale tenent S. Antoninus, S. Raymundus, Armilla, Tabien., Angel., Navarr., Majol., Antonin., Bernard, Petr., Boll., Melchior de Huelan., Ludovicus Beja, Michael Timoth., Lælius Zech, Stephanus Durant., Bartholomæus ab Angel., Jacobus de Grassis, Henriquez, Petigian., Azorius, card. Bellarmin., Francolin., Homobonus, Gavant., apud Barbosam, *De offic. et potest. episcop.*, p. II, allegat. 24, n. 15, vers. *Licet affirmativam opinionem.* Et novissime hanc sententiam, nempe esse peccatum mortale, mordicus tenet, et pluribus adductis defendit Monacell. tom. II, tit. 16; formul. 1, n. 5 et 6, ubi cum verbis Gavant., *Comment. in rubr. miss.*, part. II, tit. 1, litt. *B.*, referens S. Antoninum et S. Raymundum pro hac sententia, inquit : « Quid facies, pie lector, in re tam dubia, in qua totidem sunt hinc inde auctores pro affirmativa sanctiores : præterea vero duo Summi Pontifices Innocent. IV et Pius V qui collocavit hunc inter defectus graviores? Ego certo tutiorem, quæ in Rubrica est, sequor sententiam. » Et rursus tom. IV, *Supplement.* ad II tom., a n. 278 ad n. 282, inclusive, pluribus additis ipsam propugnat, et infra n. 519, subdit : « Tu autem tene cum veriori sententia, quod sit mortale, et quod contraria opinio auctoris, et sequacium videtur periculosa ex rationibus quas perpendimus in hoc supplemento ad titul. 16, form. 1, n. 6, pag. 61. »

(20. Non esse autem peccatum mortale tenent Sotus, Liamas, Medina, Vega, Joan. Baptista, Conrad., Coch., Ludovicus, Lopez, Emmanuel Sa, Petrus Aragonius, Scort., Valent. Vasquez, Comitolus, Fr. Emmanuel, Macign., Bartholomæus a S. Fausto, Layman., Possevin., Bonacina, Squillant., Fernandez, Villalob., Raphael della Torre, Diana, Lezana, Galet, Nugnius, Suarez, Fagundez, Petrus de Ledesma, Naldus, Miranda, Chamerota, Lessius, Coninch, Molfesius citati, et secuti a Barbosa, *loc. cit.* n. 15; Reiffenstuel., *Theolog. mor.*, tr. 6, q. 6, n. 7; Sanchez, Bass., Baldel., Victor., Castropal., Illsung., aliique plurimi citati et secuti a La Croix, lib. VI, part. II, n. 23. Et hæc opinio est jam communior inter doctores, et ut verior tenetur passim a recentioribus cum pluribus etiam ex antiquis : et ratio est quia non videtur tanta connexio inter Matutinum et missam, ut non servans dictum ordinem prius recitandi Matutinum et Laudes ante celebrationem missæ, peccet mortaliter ; tum quia nulla lege reperitur sancitum talem graviter peccare. (21. Imo nedum non esse peccatum mortale, sed ne quidem esse veniale, quando adest causa rationabilis licet non omnino, v. g. major commoditas studii, vel itineris, tenent supracitati doctores apud La Croix, *loc. cit*, n. 230. (22. Quinimo Sotus, Suarez., Tambur., et alii apud Gobat, tr. 3, n. 667, et La Croix, *loc. cit.*, dicunt, per se loquendo, nullum esse peccatum, quia nullibi invenitur præceptum, nec videtur esse specialis connexio aut dependentia missæ ab illis precibus. Unde Marchant. et Quartus, part. II, tract. 1, dicunt esse consilium, et quamdam congruentiam, ut ante celebrationem missæ recitetur Matutinum cum Laudibus.

(23. Probabilius tamen est, per se loquendo, et sine rationabili causa, esse peccatum veniale, quia in rubricis *Missalis*, tit. *De præp. sacerdotis celebraturi*, § 10, id numeratur inter defectus peccaminosos, et merito, quia recitatio Matutini et Laudum est recta et optima præparatio ad missam celebrandam, cum ex tali recitatione advertat celebraturus quas orationes et commemorationes facere debeat, et an *Gloria*, vel *Credo* dicere : sic Aversa qu. 11, sect. 12; La Croix, *loc. c.* n. 230, ubi dicit se id tenere cum d. Aversa, et aliis communiter.

* Hanc controversiam Benedictus XIV, *De sacrosancto missæ sacrificio*, lib. III, cap. 13, n. 3 et 4, versat, ac suam de ipsa sententiam fert his verbis : « In rubrica sub titulo *De ritu servando in celebratiane missæ*, capit. 1, *præscribitur, ne sacerdos missam prius celebret, quam saltem Matutino cum Laudibus absoluto ;* et in rubrica *De defectibus in celebratione missar. occurrentibus*, inter defectus, qui occurunt, recensetur ille : « Si celebrans saltem post Matutinum cum « Laudibus non dixerit ; » et in Sacerdotali Romano, cap. 80 : « Missa privata saltem « post Matutinum quacunque hora ab aurora « usque ad meridiem dici potest. » Super his rubricis oritur controversia, utrum qui, quod in iis præscribitur, non servaverit, peccet mortaliter, an vero venialiter? Alii in alias abiere sententias, sive quia nonnulli falsum illud sequuntur principium, rubricas meras instructiones esse, et consilia, sive quia alii, etsi eam sequuntur sententiam, rubricas habere vim legum, ut transgressio *ex genere suo* sit peccatum mor-

Digitized by Google

tale, tamen partim materiam gravem celebrare missam non dicto Matutino, et Laudibus, partim levem esse arbitrantur. Prima igitur opinio est eorum qui putant sacerdotem, celebrando missam, antequam Matutinum et Laudes recitet, peccare mortaliter; hanc tuetur opinionem S. Antoninus III part. tit. 13, cap. 6. « Missa non debet « dici ab eo qui non dixit Matutinum, licet « possit audiri, alias dicendo esset peccatum « mortale, quia contra consuetudinem gene- « ralem Ecclesiæ. » Favet huic sententiæ Innocentii IV responsio, in causa quam ad eum retulit Otho cardinalis episcopus Tiburtinus, inter archiepiscopum Nicosiæ cum suis suffraganeis Latinis episcopis ex una parte, et episcopos Græcos regni Cypri ex altera : « Sacerdotes autem dicant Horas cano- « nicas more suo; sed missam celebrare, prius « quam officium matutinale compleverint, « non præsumant. » Altera est eorum opinio, qui nullum hic neque mortale, neque veniale peccatum deprehendunt. Tertia est eorum qui nonnisi veniale peccatum committi putant. Clericatus decis. 50, *De sacrificio missæ*, primam sequitur opinionem, et quinque ac quinquaginta auctores affert, qui graviter peccare eum existimant qui perpetuo, et quasi ex habituali consuetudine semper missam celebret, quin unquam Matutinum et Laudes recitaverit. Si sermo sit de missa conventuali, videtur peccatum esse mortale, eam ante Matutinum et Laudes celebrare; id enim est contra generalem Ecclesiæ consuetudinem. In missis vero privatis, si qua sit legitima causa, puta si princeps aut prælatus missam expeteret, videri posset a peccato etiam veniali immunis, qui eam celebraret non recitato Matutino et Laudibus. Si vero absit causa, perdifficile videtur ne veniali quidem peccato non esse locum, ut observat Meratus ad Gavantum tom. I, part. II, pag. 799. Quod si quis, nulla causa urgente, perpetuo id faceret, ut videretur quasi statuisse animo nunquam celebrare, dicto Matutino, et Laudibus, tum cum illis quinque et quinquaginta auctoribus, quos sententiæ suæ suffragatores affert Clericatus, et ex rationibus ab ipso adductis, concludi posset hujusmodi sacerdotem peccare mortaliter. Natalis Alexander, *Theolog. dogmat. et moral.* lib. II, *De sacram. Euchar.*, c. 8, art. 4, S. Antonini sequitur sententiam, sed declarat se non reprobare contrariam : profitetur etiam se nullius peccati reum credere qui, gravibus et necessariis charitatis officiis impeditus, puta administratione sacramentorum, antequam Matutinum et Laudes, missam celebraret. Grancolas in veter. *Sacramentar. Ecclesiæ*, part. I, pag. 739, concilia profert aliquot provincialia, quæ, excommunicationis pœna sancita, vetant ne quis sacerdos, non recitatis Matutino et Laudibus, missam celebret. Ea vero sanctione non nisi ille tenetur, qui synodis illis est subjectus : neque ea potest illud everti, quod superius generatim statuimus, et ad singulares circumstantias accommodavimus. »

(24. Matutinum sequentis diei, si absque causa dicatur ante absolutum officium diei præsentis, peccatur venialiter : debet enim ordinate procedendo prius compleri et perfici obligatio hujus præsentis diei, quam inchoetur obligatio alterius sequentis : unde, si sine causa pervertatur hic ordo, peccatur saltem venialiter. Suarez, *De orat.*, lib. IV, cap. 24, n. 3; Diana, part. I, tract. 12, resolut. 15; Sanchez, in *Concil.*, lib. VII, cap. 2, dub. 37, n. 6; Castropal., tract. 7, disp. 2, punct. 4, n. 4; Stoz., lib. I, part. III, n. 385; La Croix, lib. IV, n. 1315. (25. Si autem fiat ex causa, v. g. si quis rogetur ab alio ut secum recitet Matutinum diei sequentis, quamvis necdum recitaverit Vesperas seu Completorium diei præsentis, nullo modo peccat : Pellizar, tom. I, tract. 5, cap. 8, n. 108, cum aliis ibi citatis, La Croix, *loc. c.*, cum Bonacina, Gobat, et aliis.

(26. Per unicam recitationem Matutini et Laudum non potest satisfieri obligationi pro hac die præsenti, et pro die sequenti; Alexander enim VII die 18 Martii 1666 inter alias merito expresse damnavit sequentem propositionem 35 in ordine : « Unico officio potest quis satisfacere duplici præcepto pro die præsenti, et crastino. »

(27. Quanam hora pridie Vesperi inchoari possit Matutinum, habetur in tabella quæ singulis annis in Kalendario dari solet, et ubi non detur, potest observari tabella quæ anno 1706 prodiit Romæ typis cameræ Apostolicæ, et traditur a La Croix lib. IV, post n. 1314.

(28. Qui recitat Matutinum pro feria secunda sequenti ante solis occasum diei Dominicæ, non debet genuflectere ad Antiphonam finalem Beatæ Mariæ Virginis, Gavant. *De fin. officii*, c. 22, n. 18. Debet tamen genuflectere, si illud recitet post solis occasum, quia ritus standi incipit a primis Vesperis Dominicæ, et non a media nocte, adeoque desinit in occasu solis ejusdem Dominicæ, more indulgentiarum. Idem *ibidem*.

(29. Matutinum in solemnitate Epiphaniæ incipitur ex abrupto ab antiphona, et psalmo sine « Domine, labia mea aperies, » invitatorio, et hymno, quia magi, visa stella, statim venerunt, muto nuntio, non loquente. Et omittitur invitatorium, ad detestandam fraudulentam Herodis invitationem ad Christum adorandum : *Ut et ego veniens adorem eum. Matth.* II, v. 8. Nec dicitur hymnus, quia perfectorum est canere hymnos, conversio vero gentium in solis magis perfecta non erat. Gavant. et Merati, tom. II, sect. 6, c. 7, n. 3. Durand., lib. VI, cap. 19; Beleth., in *Explicat. divinorum officiorum*, cap. 73; Alcuin, *in Epiphan.*, et alii. Dicitur tamen in tertio Nocturno psalmus invitatorius nonagesimus quartus, *Venite, exsultemus Domino* cum intercalari antiphonæ repetitione, ad indicandum quod in tertio tempore, nempe tempore gratiæ per tertium Nocturnum significato, sufficienter invitata est Ecclesia de gentibus per magos, et stellam, et successive per apostolos, ita ut nullus

Digitized by Google

excusari possit ab obligatione adorandi Christum, quia *in omnem terram exivit sonus eorum. Psalm.* XVIII, v. 5. Repetitur ideo sæpius antiphona *Venite, adoremus*, ut confluant undique omnes. Gavant. et Merati, *loc. cit.*, num. 5; Durand., *l. c.*, num. 9, ubi etiam advertit quod dictus psalmus invitatorius dicitur ad septimam antiphonam, ad indicandum quod per baptisma datur Spiritus septiformis. Infra octavam vero dicitur *Domine, labia*, etc., invitatorium, et hymnus, quia jam supponitur Ecclesia de gentibus sufficienter instructa, et perfecta ad hymnos canendos, sicque invitatur ad ipsum in hymnis et laudibus adorandum. Durand., *loc. cit.*; Gavant. et Merat., *loc. cit.*, n. 4, et alii.

(30. Matutinum ultimi tridui majoris hebdomadæ incipitur absolute sine *Domine, labia*, etc., invitatorio, et hymno, ad obstruendum os Judæorum, potius quam laudes, et hymnos loquentium iniqua, et detestandum eorum invitationem ad conciliabula contra Christum. Sicque sine initio inchoamus Matutinum, et alias canonicas Horas et sine solito fine absolvimus, quia in Horis canonicis hujus tridui celebramus exsequias triduas mortis Christi, et quia Christus moritur, alpha et omega, principium et finis : Rupertus lib. I, cap. 14, 24 et 25; Alcuinus, cap. *In cœna Domini;* Gavant. et Merati, *loc. cit.*, cap. 13, n. 4 et 5, ac alii.

(31. Ad Matutinum Paschatis, sicuti et ad alias Horas, non dicitur hymnus, usque ad Dominicam in Albis exclusive, quia tempus paschale significat statum beatorum, quorum hymnus est *Alleluia:* Durand., lib. VI, cap. 87, n. 2; Gavant., et Merati, *loc. cit.*, cap. 14, n. 2. Neque dicuntur capitula, quia in statu beatorum significato per tempus paschale, non est locus exhortationi, quæ continetur in capitulis: Gavant. et Merati, *loc. cit.*, n. 3, et alii. Dicuntur tantum tres antiphonæ cum tribus psalmis, ac tres lectiones cum tribus responsoriis, ad indicandum quod in nomine sanctissimæ Trinitatis institutum est baptisma, cujus formam post Resurrectionem suam Jesus Christus tradidit suis apostolis, dicens : *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti. Matth.* XXVIII, 19. Unde ternarius dictus numerus denotat mysterium, siquidem Christus ante traditam baptismi formam, præmisit, ut supra, *Docete omnes gentes*, etc., scilicet mysterium Trinitatis, quod in ternario illo numero significatur; et quia *Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, et Spiritus sanctus, et hi tres unum sunt, I Joan.* V, v. 7, et quia *Isaiæ* VI, v. 3, ter dicitur *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, et semel *Dominus Deus exercituum*, seu *Dominus Deus Sabaoth*, hæc personarum divinarum Trinitas bene notatur in trino numero antiphonarum, psalmorum, lectionum et responsoriorum. Unitas vero Deitatis bene significatur in uno solo Nocturno hac die et per octavam recitando, juxta illud S. Ambrosii lib. II *De fide, ad Gratian.*, c. 4 : « Quid sibi vult sub uno nomine Sanctitatis trina repetitio? Si trina repetitio, cur una laudatio? Si una laudatio, cur trina repetitio? Trina repetitio cur, nisi quia Pater, Filius, et Spiritus sanctus sanctitate unum sunt? Non dixit semel, ne Filium sequestraret. Non bis, ne Spiritum sanctum præteriret. Non quater, ne creaturam sibi conjungeret. Et ut ostenderet Trinitatis unam esse deitatem, cum tertio dixisset Sanctus, addidit singulariter Dominus Deus Sabaoth. » Sic colligitur ex Ruperto lib. VIII, cap. 2; Gavant. et Merat., *loc. cit.*, cap. 14, n. 1. Vel ad triduanam sepulturam recolendam, ex qua ortum habuit Resurrectio Christi die tertia : Durand., lib. VI, cap. 86; Gavant. et Merati *loc. cit.* Vel ad significanda opera trium dierum, quæ Christus se promisit facturum in præsenti sæculo, *Luc.* XII, hoc est dæmonia ejicere, sanitates perficere, et consummari tertia die. Aut ad significandas virtutes fidei, spei, et charitatis, quæ in hoc mysterio maxime vigent : Amalar., lib. I, c. 23; Gavant. et Merati, *loc. cit.*, *Hæc dies*, etc., loco prædictorum dicitur, et ritus hic desumptus est e psalmo, cui titulus est *Alleluia;* Rubertus, lib. VII, cap. 11 ; Gavant. et Merati, *loc. cit.*, n. 5. Et antiquum esse hunc ritum testatur ac firmat Gregorius VII in cap. 6, in die 15, dist. 5, *De consecrat.*, * de quo cap. vide. Berardum, in *Can. Gratiani*, part. II, cap. 82.

(32. Ad Matutinum Dominicæ in Albis resumuntur hymni, et plures psalmi sub unica tamen solum antiphona pro quolibet nocturno, ratione temporis paschalis, quod totum festivum est, et lætitiæ: ex *Ordin. Romano* hic, ubi additur ratio, dicendo quod deinde in sequenti tempore, quasi crescentium arborum frondes multiplicantur psalmi, et recoluntur mores boni diversorum operum per plures psalmos: et idem dicit de novem lectionibus in hac Dominica Gem. in lib. IV, c. 177. Sic Gavant. et Merat., *l. c.*, cap. 15, n. 1.

(33. Ad Matutinum Dominicæ Pentecostes, et per Octavam dicitur unum tantum Nocturnum cum tribus antiphonis, tribus psalmis, tribus lectionibus, et tribus responsoriis, ex *Ordine Romano*, et Gregorio VII, c. in die 15, dist. 5, *De consecrat.*, ut in Paschate resurrectionis. Et ratio est quia ex hoc ternario numero, ultra dicta pro die Paschatis, et per ejus Octavam, ostenditur Spiritum sanctum tria circa apostolos operatum fuisse, nam veteres innovavit, innovatos confirmavit, et confirmatos ad alios convertendos misit, ut exponit Durandus, l. VI, c. 107, sub n. 4, et sequuntur Gavant. et Merat., *loc. cit.*, c. 16, et alii.

(34. Hic juvat afferre prodigiosum eventum in Matutino, a B. Joanne Parmensi ministro generali totius nostri seraphici ordinis persoluto una cum dæmonibus, Deo sic præcipiente, ipsum hospitio recipientibus. Cum sanctus generalis visitaret ultramontanas provincias, contigit brumali tempore eum errore itineris tota die deviasse, atque in deserto medisque silvis ingruentem no-

Digitized by Google

ctem sustinuisse. Unde ipse, et socii variis orationibus Deo, B. M. Virg. ac B. Patri Francisco se commendantes, audierunt pulsari campanam, qua excitati magis in divinas laudes ad sonitum perrexerunt: et perventi ad monasticum sibi visum conventum, pulsato ostio, præsto obviam fiunt quasi ex condicto exspectantes plures monachi, qui prompte receperunt hospites, ducunt ad ignem, lavant pedes, exsiccant vestimenta, apponunt cœnam, et sternunt lectos, omnia ministrant necessaria magna alacritate. Post primam vigiliam surrexit generalis ad orationem, et audita campana monachos ad Matutinum convocante; ad chorum cum ipsis convenit, relictis sociis, qui sommo et fatigatione detinebantur. Officium incœpturus hebdomadarius, nec consueta usus est cæremonia, nec ordine, nec versiculo *Domine, labia*, sed abruptim, et cum turbatione incœpit ab illo versu *Psalm.* XXXV, v. 12 : *Ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatem.* Respondit chorus : *Expulsi sunt, nec potuerunt stare.* Tertio id ipsum repetitum, quod suspicionem ingessit fratri Joanni generali. Præcepit igitur in virtute Passionis Christi, et sanctissimi ejus nominis, ut ocius dicerent, quinam essent. Respondit qui abbatis loco videbatur præesse omnes esse angelos tenebrarum, qui ex divino præcepto inviti missi sunt ad ministrandum ea nocte ipsi, et sociis, precibus, inquit, Matris Dei, et illius vexilliferi Patris vestri; quibus dictis, totum evanuit quod ibidem exstructum cernebatur; se autem cum sociis nemoroso antro, atque in nuda humo invenit generalis, et excitatis sociis in laudibus divinis, reliquam noctem usque ad auroram, quæ jam instabat, vigiles duxerunt, et surgentes, iter progressi, ad conventum ordinis pervenerunt. Simile quid contigit in meritum obedientiæ duobus fratribus apud Perusium missis. Sic expresse refert Wadingus novissime Romæ impressus, typis Rochi Bernabo, tom. III, fol. 172, n. 5, ad annum Christi 1247.

(35. Attendendæ sunt sequentes resolutiones. In una enim *Mutinensi* sub die 12 Novembr. 1644, sacra. cong. Concil. censuit petitam facultatem recitandi Matutinum, esse oratoribus concedendam post Completorium præcedentis diei, pro arbitrio tamen episcopi, et dummodo lapsa sit hora tertia post meridiem. (36. Et semper requiri arbitrium, seu licentiam episcopi, habetur novissime decisum a Benedicto XIII in suo Brevi, sub die 8 Julii 1726, contra capitulum Papiense. (37. *In Interamnen.* sub die 25 Maii 1674, fuerunt ab episcopo proposita, et a sacr. congr. Conc. resoluta sequentia dubia.

In visitatione suæ cathedralis ecclesiæ reperit dominus episcopus Interamnensis nonnullos abusus circa servitium chori, quos cum eliminare cupiat, supplex quærit ex hac sacr. congregat. An tolerandum sit:

Primo, quod diebus festis Matutino præsentes habeantur; ac proinde punctis non multentur, qui, non nisi absoluto primo Nocturno, videlicet post psalmos tres, totidemque lectiones recitatas, choro intersint?

Secundo, diebus vero ferialibus, qui, non nisi absolutis sex psalmis?

Tertio, quod sacris processionibus distributiones assignatæ non sint, sed contra contumaces pœna duntaxat trium librarum ceræ constituta, quæ nunquam exigi consuevit.

Quarto, et an prænarratus modus interveniendi possit etiam ratione consuetudinis immemorabilis tolerari?

Sacra, etc., ad primum respondit non esse tolerandum; idem ad secundum respondit; ad tertium respondit exigendam esse pœnam præscriptam; ad quartum, non suffragari contrariam consuetudinem.

(38. * Matutinum non est segregandum a Laudibus sine causa, quæ optima suppetit Ecclesiæ sejungenti Matutinum a Laudibus nocte Natalis Domini. *Instit. Eccles.* 24, § 9.

(39. Peccat etiam venialiter, qui sine legitima causa horam non servat, ut ex D. Thoma, *ibid.*, § 9.

(40. Hora recitandi Matutinum die præcedenti incipit post exactas tres quartas partes diei, ut in Kalendario Romano adnotatum est. *Ibid.*, § 10.

Alia ad rem, *vide* verb. OFFICIUM DIVINUM *.

MEDICUS.

SUMMARIUM.

1. Medicus tenetur ante omnia suadere infirmis confessionem peccatorum. — 2. Medicus nullus potest doctoratum accipere, nisi juret se observaturum, quod ultra tertium diem non visitabit infirmum, nisi hic vocet ad se confessarium, nisi rationabilis causa excuset. — 3. Et si ultra tertium diem continuet visitationem, et curam infirmi nondum confessi, subjaceat excommunicationi majori latæ sententiæ Summo Pontifici, et episcopis locorum privative, et respective conservatæ, aliisque gravissimis pœnis. — 4. Medici et chirurgi a communitate conducti tenentur gratis curare ecclesiasticos utriusque cleri, prout alios cives. — 5. Non solum personæ ecclesiasticæ, sed nec etiam alii viventes earum expensis, et in earum domibus tenentur ad contributionem pro salario medici. — 6. Medici tenentur curare gratis pauperes infirmos. — 7. Medici sive physici, sive chirurgi non possunt inire societatem cum aromatariis. — 8. Medici Judæi non possunt a Christianis vocari in suis infirmitatibus, nisi nullus adsit, vel excellens sit aliquis in eis. — 9. Medicus confugitus exiens ad curandum ordinarium sub cautione sibi ab ipso facta, debet omnino restitui. — 10. Medicus inquisitus compositionis venenatæ, ac multis propinatæ, mandante Sanctissimo, extrahitur ab Ecclesia, et retinetur in carceribus nomine Papæ. — 11. In causa mortis ex veneno secutæ Sanctissimus dat facultatem examinandi sacerdotem medicum, et consignandi examen curiæ sæculari absque incursu irregularitatis. — 12. Medicus monialium non debet esse minor quinquaginta annis, ubi medicorum penuria non adest. — 13. Medici et chirurgi ordinarii debent habere licentiam generalem ingrediendi clausuram

Digitized by Google

de nocte in casibus urgentis necessitatis, in aliis non ordinariis requiritur specialis. — 14. Debent tamen associari, eisque assisti cum infirma tractantibus. — 15. Medicus extraordinarius permitti non debet monialibus, nisi in gravi infirmitate. — 16. Et quando ordinarius non invenit remedium, vel est impeditus, ad num. 17. — 18. In casu, quo episcopus, ex aliqua rationabili et honesta causa, extraordinarium concederet, medicamenta necessaria ab eodem ordinata solvenda erunt a monasterio, non autem a monialibus quæ opera medici extraordinarii usæ fuerunt. — 19. An, et quando clerici, et religiosi possint exercere artem medicinæ, et chirurgiæ? *remissive.* — 20. Medicus peritus promoveri potest ad sacros ordines, si conscientiam habet, quod ex sua causa aliquis non sit mortuus; secus autem, si de morte alicujus ex sua causa eum sua conscientia remordeat. — 21. Medicus tenetur sub gravi obligatione habere sufficientem scientiam, sive peritiam. — 22. Medicus in medicamentis applicandis tenetur sub gravi sequi sententias certas et securas, relictis incertis et dubiis. — 23. Si autem medicamenta certa, et secura non occurrant, debet applicare probabiliora et tutiora. — 24. Potest tamen medicus per accidens applicare medicamenta minus tuta, si nempe infirmus non possit, aut nolit medicamenta pretiosa solvere. — 25. Medicus gravissime peccat, si solum experiendi gratia incerta et inexplorata medicamenta applicet infirmo. — 26. Si autem infirmus extreme laboret, et nulla sit spes de ejus salute, nec adsit nisi remedium dubium, tunc, accedente consensu ipsius infirmi, vel ejus consanguineorum, potest medicus illud applicare. — 27. Medicus potest, vel non, applicare prægnantibus ea remedia quæ possunt, vel non, licite sumere ipsæ prægnantes, *remissive.* — 28. Medicus graviter peccat, si suadeat infirmo aliquod remedium Dei honori, vel præcepto contrarium. — 29. Medicus de se nullam habet facultatem dispensandi in jejunio, vel in esu carnium; et si facile, et sine necessitate declaret aliquem non obligari ad jejunium, seu ad abstinentiam carnium, peccat graviter. — 30. Medicus quando peccet, vel non, abstrahendo eos qui alios frequentant? *remissive.* — 31. Medici sunt honorandi, et expenditur quo sensu pœna sit incidere in manus medici. — 32. De medici attestationibus quoad relaxationem jejunii Quadragesimæ, etc., ad num. 35. — 36. Laici artem medicam vel chirurgicam exercentes ex præscripto suæ artis, etiamsi aliquis ægrotus obierit, non incurrunt irregularitatem: attamen in promotione ad sac. ordines petunt, et obtinent dispensationem ad cautelam. — 37. Sacros vero ordines jam obtinentes, vel etiam minores cum beneficio ecclesiastico, ex præscripto sacrorum canonum necessario debent petere indultum, si medendi artem velint exercere, etc. — 38. Quid de regular. missionariis, vel curam hospitalium habentibus: ad n. 40. — 41. Alia notanda ad rem quoad clericos et regul. ad n. 45. — 46. Subnectunctur *Addit. ex aliena manu*, ubi de medicor. salario, ad num. 53. — 54. — * Item *Addit. Cas.* ubi nonnulla notatu digna, ad n. 59.

(1. Medicus tenetur ante omnia suadere infirmis confessionem peccatorum, alias ipse medicus ab Ecclesia arceatur; c. *Cum infirmitas* 13, De pœnit. et remissionib., et novissime id innovavit, et statuit Benedictus XIII in Concilio Romano celebrato an. 1725, tit. 32, De pœnitent. et remissionib., cap. 1.

(2. Medicus nullus potest doctoratum accipere, nisi juret se observaturum, quod ultra tertium diem non visitabit infirmum, nisi hic vocet ad se confessarium, nisi rationabilis causa excuset: S. Pius V, const. 3, incip. *Super gregem*, innovata a Benedicto XIII, *loco citato.* (3. Et si ultra tertium diem continuet visitationem et curam infirmi nondum confessi, subjacet excommunicationi majori latæ sententiæ, Summo Pontifici, et episcopis locorum privativo, et respective reservatæ; possuntque puniri etiam aliis gravissimis pœnis: S. Pius V, in citat. constit. incip. *Super gregem*, et Benedict. XIII, in cit. concil. Romano tit. 32, *De pœnit. et remissionibus*, in *Appendice* ad ipsum concilium Romanum, § 28, *Ordini, ed Avvertimenti in torno alli obbligazione de' medici nella cura spirituale degl' infermi*, ubi plura ad rem.

Itaque mandata ipsa, ac monita ad litteram lectorum commodo hic referre placet: « La ineffabile bontà del Signore, il quale ad tit. *De pœnit. et remission., non vult mortem impii, sed ut convertatur a via sua, et vivat* (*Ezech.* XXVIII, 11) se chiama in ogni tempo gli huomini a penitenza, con sovrabondanza però di amore, li ricerca oppressi dalle malatie, quando *super emanatione suæ bonitatis* (allo scrivere del grande Areopagita) *ad se revocat, et convertit;* lib. VI *De div. nominib.*, per render loro non men del corpo, che dell' anima la perduta salute. Ma perchè sommo mancamento de' pastori della Chiesa sarebbe non cooperare con Dio a prò della salute delle anime, per ognuna delle quali lo stesso eterno Pastore, nel darne loro la cura, volle mallevatrice la lor propria, dicendo per bocca di Ezecchiello: *Impius, si in iniquitate sua morietur, sanguinem ejus de manu vestra requiram; loc. cit.*, v. 6, ricorda percio la Santità di Nostro Signore a tutti i vescovi, il conoscersi talor più obbligati, e con ispeziale vigilanza dover'essi attendere alla santificazione di quelle, quando più prossimo si tema il pericolo di perderle eternamente. Ed accadendo ciò spesse volte, allorchè, non facendosi sul principio conto de'malori, per gli quali l'huomo infermato si pone a letto, vien impensatamente ad aggravarsi il morbo, e l'infermo o non può affatto confessarsi, e piangere i suoi peccati, o sbalordito dalla febbre accresciuta, confuso, e quasi mezzo morto, si confessa sì, ma Dio sà, se colle dovute disposizioni; muore in fine l'ammalato, senza haver di proposito provveduto allo stato eterno dell' anima sua, contro l' avviso dello Spirito santo, proposto ad ognuno dall' *Ecclesiastico: Confiteberis vivus, et sanus confiteberis, et laudabis Deum, et gloriaberis in miserationibus illius;* cap. XVII, v. 27, e quell' altro: *Ante languorem humilia te, et in tempore infirmitatis ostende conversationem tuam*, cap. XVIII, v. 21.

« Inerendo quindi Sua Santità alla costituzione del concilio generale Lateranense, celebrato sotto Innocenzo III, nel 1215 alla bolla di S. Pio V emanata agli 8 di Marzo del 1566, ed à quanto si è presentemente inculcato in questo concilio Romano, sotto il

Digitized by Google

titolo *De pœnitentiis et remissionibus*, espressamente ordina, ed altrettanto vuole, che uniformemente eseguano, e facciano eseguire i vescovi, e gli altri ordinari de'luoghi nelle proprie diocesi.

« I. Che tutti medici, così fisici, come cerusici di Roma, e di qualunque città, e diocesi, nel primo giorno, che visiteranno l'infermo, giacente in letto per qualsivoglia infermità (eccetto quando fosse podagra, o altra indisposizione, che da se stessa non ricercasse il letto), debbano primieramente ammonire l'infermo medesimo, perchè chiami il medico spirituale, e si confessi sagramentalmente, affinchè, curata l'anima, si proceda con più salutevole profitto alla curagione del corpo, giusta il cap. *Cum infirmitas*, del sovracitato titolo.

« II. A tal'effetto non lascia anche la Santità Sua di ammonire, ed esortare i congiunti, i domestici, famigliari, e gli amici dell'infermo, acciocchè avvisino subito il proprio parrocho; e questi unitamente con loro persuada, ed induca con parole efficaci, e caritative l'infermo decumbente a confessarsi de'suoi peccati in istato più comodo, e profittevole non men all'anima, che al corpo.

« III. Che i medici, scorgendo nel secondo giorno non essersi l'infermo già confessato, debbano ammonirlo di nuovo, et minacciargli, che non ritorneranno più a medicarlo, se nel giorno seguente non sarà loro presentata la fede della di lui confessione, sottoscritta dal confessore.

« IV. Che ritornando nel terzo giorno, e non presentandosi loro la sudetta fede, debbano gli stessi medici, sotto pena della scomunica maggiore di lata sentenza, al Sommo Pontefice, ed a'vescovi de'luoghi privativamente, e respettivamente riservata, e di essere inoltre dichiarati perpetuamente infami, privi affatto del grado della medicina, discacciati, ed esclusi dal collegio de'medici, e puniti anche con pena pecuniaria ad arbitrio, onninamente lasciar di fatto la cura dell'infermo, sino, che non costi ad essi, col mezzo della sudetta fede del confessore, o di esser quello già confessato, o che il parocho o altro padre spirituale non testifichi, anche in iscritto, havergli per qualche motivo ragionevole (su'l quale si grava la lor coscienza) conceduto altro determinato tempo a far la di lui confessione; dopo il quale, non havuta la detta fede, sian tenuti, sotto le prescritte pene, lasciar nuovamente la cura.

« V. Ed acciocchè, intorno al dar fuori la precettata fede, non si manchi da' confessori, con pregiudizio degli ammalati, e con iscusa de medici, ordina Sua Santità a tutti i confessori, anche regolari, di qualunque ordine, o instituto essi siano, eziandio della Compagnia di Gesù, sotto pena, riservata pur rispettivamente alla Santità Sua, ed a'vescovi de luoghi, della sospensione *ipso facto* dall'udir le confessioni, che subito senza far passare lo stesso giorno, lascino in mano dell'infermo, o di chi in casa gli assiste, la fede, o il testimoniale d'aver' eglino udito la confessione di tale infermo, o della proroga da essi concedutagli, di farla in altro tale giorno determinato.

« Finalmente in esecuzione di quanto qui si prescrive, desidera la Santità Sua, che da ciascun vescovo se ne formi editto particolare, da pubblicarsi nella propria diocesi: dopo la di cui publicazione, sotto le pene, ed arbitrio de medesimi vescovi, vuole ancora Sua Santità, che da essi si astringano, col mezzo del giuramento tutti i medici alla precettata osservanza, la quale in somma non contiene, che un sommario della riferita bolla di S. Pio Quinto *.

F. A., *arcivesc. vesc. di Avellino, e di Frigento segretario del concilio.*

(4. Medici, et chirurgi a communitate conducti tenentur gratis curare ecclesiasticos utriusque cleri, prout alios cives, sive salarium recipiant ex redditibus publicis, sive ex contributione taxæ per communitatem impositæ. In hoc tamen secundo casu potest ordinarius permittere ut per ecclesiasticos detur annua contributio, seu recognitio voluntaria et proportionata. Sac. congreg. Immunitatis *in Amalphitana* 9 Decembr. 1631, lib. II *Decr.* Paulucc., pag. 105; *in Spoletana* 23 Augusti 1633, lib. II *Decret.* Paulucc. pag. 169; *in Pampilonen.*, 9 Octobris 1635, lib. II *Decr.* Paul., p. 236; *in Nazarena* 5 Apr. 1661, lib. *Decr.* Rocci, p. 329, et plura alia decreta refert ad rem Pignatell. tom. III, cons. 25, n. 5.

(5. Non solum personæ ecclesiasticæ, sed nec etiam alii viventes earum expensis, et in earum domibus, tenentur ad contributionem pro salario medici. Eadem sacra congr. Immunit. *in una civitatis Castellanæ* 12 Decemb. 1645, lib. III *Decr.* Paulucc., p. 266; *in Ariminen.* 4 Maii 1700, l. II *Decr.* Altovili, p. 286; Pignatell., cit. consult. 25, n. 5.

(6. Medici tenentur ex præcepto charitatis gratis curare pauperes infirmos. *Glossa* communiter recepta, in cap. *Si quis* 1, dist. 83, verb. *Inferas*, ibi : « Medicus gratis tenetur curare pauperem infirmum, quia plus debet valere vita illius, quam propria pecunia. » S. Antoninus III part., tit. 7, c. 1, § 1; ibi : « Pauperibus non valentibus solvere, gratis mederi debet, et non se ab eorum cura abstrahere, quia hoc esset indirecte occidere; mortem enim probatur languentibus inferre, qui hanc, cum potest, non excludit : » quod Sanctus collegit ex distinct. 83, § *Providendum*.

(7. Medici sive physici, sive chirurgi non possunt inire societatem cum aromatariis. Gregor. XIII, constit. incip. *Cum officio*.

(8. Medici Judæi non possunt a christianis vocari in suis infirmitatibus, nisi nullus alius adsit, vel excellens sit aliquis in eis; et hoc præceptum a parochis curandum est observari, et quolibet anno decretum hoc est publicandum. Concil. Sabinen., cap.

Digitized by Google

22; Gregorius XIII, constit. 64, incip. *Alias*.

(9. Medicus confugitus exiens ad curandum ordinarium infirmum sub cautione sibi facta ab ordinario, nihil agendum fore contra ipsum, debet omnino restitui. Sac. cong. Immun. *in nullius, Atinæ* 3 Augusti 1694, l. 1 *Decret.* Vallem., p. 137.

(10. Medicus inquisitus compositionis venenatæ, ac multis propinatæ, mandante Sanctissimo, extrahitur ab Ecclesia, et retinetur in carceribus nomine Sanctitatis Suæ. Sac. congr. Immun. *in Ariminen.* 7 Octobris 1676, lib. 1 *Decr.* Altoviti, pag. 1289.

(11. In casu mortis ex veneno secutæ, Sanctissimus dat facultatem examinandi sacerdotem medicum, et consignandi examen curiæ sæculari absque incursu irregularitatis. Sac. congreg. Immun. *in Tropien.* 30 Martii 1694, l. 1 *Decret.* Vall., p. 114.

(12. Medicus monialium non debet esse minor quinquaginta annis, ubi medicorum penuria non adest. Sac. congreg. Episc. et Regular. *in Ferrarien.* 7 Martii 1616, et *in Januensi* 14 Junii 1625.

(13. Medici et chirurgi ordinarii debent habere licentiam generalem ingrediendi clausuram, etiam de nocte, in casibus urgentis necessitatis, in aliis non ordinariis requiritur specialis. Sac. congr. Episc. et Regul. *in Ferrarien.* 2 Julii 1599 et 13 Julii 1605. (14. Debent tamen associari, eisque assisti cum infirma tractantibus. Ead. sac. cong. Episc. *in Parm.* 26 Mart. 1601.

(15. Medicus extraordinarius permitti non debet monialibus, nisi in gravi infirmitate. Ead. sacr. congr. Episcop. *in Bonon.* 8 Julii 1588; *in Ferrarien.* 6 Augusti 1601; *in Januensi* 14 Decembr. 1605, et *in Mediolan.* 25 Maii 1621. (16. Et quando ordinarius non invenit remedium; ead. sacr. congr. Episcop. *in Januen.* 13 Mart. 1721, (17. vel est impeditus; ead. sacr. congr. Episcop. *in Portugall.* 15 Martii 1647.

(18. In casu quo episcopus, ex aliqua rationabili et honesta causa, extraordinarium concederet, medicamenta necessaria ab eodem ordinata solvenda erunt a monasterio, non autem a monialibus quæ opera medici extraordinarii usæ fuerunt, ut respondit sac. congreg. Episc. *in Comen. pro monasterio Sanctæ Margaritæ Terræ Lucani* 11 Decembr. 1699, *proponente eminentissimo Colloredo*, in qua a nonnullis monialibus prætendebatur, quod medicamenta præscripta a medico extraordinario deberent solvi sumptibus monialium, quæ utebantur illius opera.

(19. An, et quando clerici et religiosi possint exercere artem medicinæ aut chirurgiæ? *Vid.* verb. Clericus, art. 3, a n. 77 ad 82.

(20. Medicus peritus promoveri potest ad sacros ordines, si conscientiam habet, quod ex sua causa aliquis non sit mortuus; secus autem, si de morte alicujus ex sua causa eum sua conscientia remordeat, c. *Ad aures* 7, De ætate et qualit., etc.

(21. Medicus tenetur sub gravi obligatione habere sufficientem scientiam sive peritiam; alias, si absque sufficienti ac requisita peritia gravem morbum curare tentet, graviter peccat. *Communis.* (22. Medicus in medicamentis applicandis tenetur sub gravis sequi sententias certas et securas, relicti incertis et dubiis. *Communis.* (23. Si autem medicamenta certa et secura non occurrant, debet applicare probabiliora et tutiora. Navarrus, c. 25, n. 61; Sanchez, lib. 1 *Mor.*, cap. 9, n. 40, et alii communiter, quia, ultra obligationem generalem charitatis, qua omnes tenentur meliori seu efficaciori modo, quo possunt, auxilium ferre proximo graviter indigenti, habet medicus specialem obligationem justitiæ ex pacto saltem implicito inter ipsum et infirmum de eo curando mediis, et remediis probabilioribus et certioribus. (24. Potest tamen medicus per accidens applicare medicamenta minus tuta, si nempe infirmus non possit, aut nolit pretiosa medicamenta solvere, quia in tali casu operatur secundum voluntatem et conditionem infirmi. *Communis.*

(25. Medicus gravissime peccat, si solum experiendi gratia, incerta et inexplorata medicamenta applicat infirmo. *Communis.*

(26. Si autem infirmus extreme laborat et nulla sit spes de ejus salute, et adsit remedium dubium de quo scilicet dubitatur an sit profuturum, vel nociturum, tunc accedente consensu ipsius infirmi, vel ejus consanguineorum, potest medicus illud remedium, seu medicamentum applicare, quia, cum ex una parte vita infirmi jam desperata sit et ex altera parte sit aliqua spes, et adsit consensus aliquis in periculum illud accelerandæ mortis, tunc infirmi negotium utiliter geritur, adeoque medicus potest in tali casu illud medicamentum dubium et periculosum adhibere. Laym., lib. 1, tr. 1, cap. 5; Bonac., *De peccatis*, disp. 2, qu. 3, punct. 9; Filliuc., tract. 21, n. 152; Sporer, tom. 1, tr. 1 *Proœmial.*, cap. 1, sect. 3, n. 59, et alii communiter.

(27. Medicus potest, vel non, applicare prægnantibus ea remedia quæ possunt vel non licite sumere ipsæ prægnantes; unde *vide* verb. Mater a n. 1 ad 12.

(28. Medicus graviter peccat, si suadeat infirmo aliquod remedium Dei honori vel præcepto contrarium, v. g. incantationem, superstitionem, pollutionem et hujusmodi; c. *Nec mirum* 14, caus. 26; qu. 5, art. *Ad hæc*; c. *Cum infirmitas* 13, De pœnit. et remiss.

(29. Medicus de se nullam habet potestatem dispensandi in jejunio vel in esu carnium, sed solum potest declarare uti alius vir prudens, an hic et nunc aliquis obligetur ad præceptum propter grave damnum, vel incommodum suæ sanitatis? Et si facile et sine necessitate declaret aliquem non obligari ad jejunium, seu ad abstinentiam carnium, graviter peccat. *Communis.*

(30. Medicus quando peccet, vel non, abs-

Digitized by Google

trahendo eos qui alios frequentant? *Vide* verb. MAGISTER a n. 14 ad 16.

(31. Medici honorari debent : *Ecclesiasticus* enim, qui c. XXXVIII, v. 4, nos instruit, quod *Altissimus creavit de terra medicamenta, et vir prudens non abhorrebit ab illa, ibid.*, v. 1, inquit : *Honora medicum propter necessitatem, etenim illum creavit Altissimus;* ac vers. 11 et 12 : *Da locum medico : etenim illum Dominus creavit, et non discedat a te, quia opera ejus sunt necessaria.* Quod idem *Ecclesiasticus* vers. 15 testatur : *Qui delinquit in conspectu ejus, qui fecit eum, incidet in manus medici :* per id innuitur, quod qui perperam in conspectu agit Creatoris, incidet in morbos, circa quos occupatur medicus ; spiritu namque infecto peccatorum lue, necesse est ut corpus, cui regendo spiritus est accommodatus, languescat, vel etiam tabescat ; unde ps. LIII nos alloquitur Propheta : *Longe a peccatoribus salus, quia justificationes tuas non exquisierunt.* Hinc peccata magis magisque discamus in horrorem habere, ut Dominus, cujus est salus, elargiatur perpetua mentis et corporis sanitate gaudere, aut ut si infirmitas corpus afficiat, ea sit, quæ virtutem perficiat.

(32. Medicos esse nimis faciles in suadenda peculiaribus personis observantiæ Quadragesimalis relaxatione, et ideo gravissime super hoc monendos esse ab episcopis, ne suas animas, sic indulgendo, nimis aggravent, statuit Benedictus XIV, tom. I, constit. 130, incip. *Libentissime*, § 25. (33. Quamvis ipsi severius consulere soleant, ubi agatur de universali dispensatione. Idem *ibid.* (34. Medicorum sententiæ exquirendæ, eorumque attestationes exhibendæ sunt pro obtinenda dispensatione Quadragesimæ pro integra civitate, seu populo. Idem *ibid.*, § 24 et 25. (35. Et ab ipsis varia observari oportet pro similibus faciendis attestationibus, nempe discrimen inter morbos constitui, pro quorum aliquibus curandis nequaquam requiritur ut jusculum et carnes loco piscium, olei et herbarum, substituantur ; in aliis vero juvare plurimum, si, sublatis carnibus cum inducitur jejunium, oleo vel lacte ægrotantes utantur. Idem *ibid.*, § 25.

(36. * Laici artem medicam vel chirurgicam exercentes ex præscripto suæ artis, etiamsi aliquis ægrotus obierit, non tamen incurrunt irregularitatem ; attamen *ad cautelam* petunt, et obtinent dispensationem, si promoveri ad ordines sacros postulant. Verum ejusmodi brevia non conceduntur, nisi prius audito episcopo, cui injungitur ut distincte referat casus omnes animadversione dignos, eorumque peculiares circumstantias, simulque exponat cujus rei gratia orator ad Ordines sacros promoveri poscat *De synod. diœc.*, lib. XIII, cap. 10, § 4, nov. edit.

(37. Sacros vero ordines jam obtinentes, vel etiam minores cum ecclesiastico beneficio, ex præscripto sacrorum canonum necessario debent petere indultum, si medendi artem velint exercere. Hoc vero indultum non obtinetur, nisi exposita causa, nempe quod locus in quo orator degit, et profiteri cupit, vel sit pœne destitutus, vel non satis illi provisum sit ex medico laico, vel denique ejus familia tantæ sit egestatis, ut providendum illi sit ex honesto lucro ab arte clerici percipiendo. *Ibid.*, § 6.

(38. Regulares vero in missionibus agentes privilegio donantur, ex bulla potissimum Clementis XII, incip. *Cum sicut*, ut possint exercere artem medicam. Hoc tamen privilegio frui non possunt, nisi in ea arte sint periti, et gratis remedia præscribant, ac tandem abstineant ab incisione et adustione. Denique requiritur ut non adsint medici laici, vel sint quidem, at hæretici, vel Hebræi, ut ex decreto cong. de Propaganda Fide. *Ibid.*, § 7.

(39. Regulares, ex instituti sui ratione, hospitalium curam et administrationem obtinentes, medicam artem exercere non possunt extra illa hospitalia. *Ibid.*

(40. In prædictis indultis Apostolicis monachis vel clericis concessis semper apponitur hæc limitatio : « Absque incisione et adustione. » *Ibid.*, § 8.

(41. Clericis sæcularibus sacris ordinibus insignitis si concessum fuerit indultum, ut provideant familiæ indigenti, illud durat quoadusque orator certos ecclesiasticos reditus, vel residentiale beneficium obtinuerit.

(42. Insuper affertur limitatio, ne quid exposcat ab ægrotis, neque enim ecclesiastico sæculari medico prohibetur ut sponte oblata recipiat, præterquam a veris egenis, a quibus nihil penitus potest accipere. *Ibid.* Regularibus vero indultariis semper datur cum modificativa, ut nihil ab ægrotis recipiant. *Ibid.*

(43. Porro indulta illa ecclesiasticis vel regularibus concedi non solent, nisi prius audito episcopo testante de viri peritia in ea arte, et de indigentia medici in ea civitate, vel oppido. Præterea exquiritur etiam pro regularibus testimonium superioris regularis circa mores illius qui indultum petit. Si vero non præmittatur testimonium episcopi, adhuc tamen Pontificii brevis exsecutio episcopo committetur, qui commissum munus impleturus de his omnibus certiorem se reddere tenetur. *Ibid.*, § 9.

(44. Chirurgiam vero exercere ecclesiasticis sæcularibus, et regularibus longe difficilius conceditur, et tunc solum cum omnis omnino chirurgus laicus deest ; quin et tunc sine adustione et sectione. *Ibid.*, § 11.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(45. Disserendum paululum de salario medicorum. Ne liceat medicum debito salario defraudare, legibus constitutum est, ut magistratus aditus hujus rei causa a medico, extra ordinem ex officio nobili sine figura judicii, levato, quod aiunt, velo, de salario medicis debito jus dicat. l. 1, ff. *De extraord. cognit.* Idque sive ægrotus convaluerit, sive mortuus sit. Confer Perez ad tit. *Cod.*

Digitized by Google

de professor. et medic., n. 18. Num autem medicus privilegio aliquo gaudeat in concursu creditorum ? Vide Berlic., part. 1, concl. 64, n. 95 et seq.; Finkelthens, in *Observat. pract.*, observ. 98, n. 3 et seq.

(46. Quod si medicus jam accepisset salarium a curando, is autem non vi morbi, sed alio modo, puta ab alio interfectus, periisset, haud tenetur ad accepti restitutionem, c. 1, § 13, ff. *De var. et extraord. cognit.* l. penult. et ultim. c. *De condict. ob caus.* Ripa, *De rest.*, c. 7, n. 137.

(47. Pariter si medico certum salarium quotannis a republica vel privatis est constitutum, isque vita functus sit intra annum, salarium totius anni debetur, propterea quod non mercedem intuitu laborum, sed potius salarium accipit, et per eum non stetit quominus cura defunctus fuerit, l. 1, § *Divus*, ff. *De extraord. cogn.*; Carpzov., *Jurisprud. forens.*, part. II, c. 51, def. 12, n. 5; Gail., 1, observat. 44, n. 12.

(48. Medicus, cui constitutum est certum salarium in singulos dies, v. gr. x, debetur pro eo tempore quo fuit in itinere; argum. textus in l. 20, ff. *De oper. libert.* Quid, si medicus discedat tarda jam hora, an pro integro die salarium exigere queat? Distinguendum utrum medicus causam protracti itineris dederit nec ne? Priori casu peti haud potest salarium totius diei a curando, potest vero posteriori casu.

(49. Medicus, cui certum salarium annuum, verb. gr. ad tres annos, a communitate constitutum est, si, finito locationis tempore, pergat mederi, non videtur tacite reconductus; ita ut non contra communitatem, sed contra eos quos curavit agere debeat; Ripa, *De peste*, c. 7, n. 124.

(50. De eo magna inter doctores quæstio est : an conventa medicum inter et ægrotum certa mercede pro curando aliquo morbo, teneatur medicus eadem mercede curare, si ægrotus recidivam patiatur ? Argumenta utrinque militantia affert Spekhan., centur. 1, quæst. 13. Contra medicum pronuntiat Perez, ad tit. *C. de profess. et medic.*, n. 15.

(51. Distinguendum vero est utrum morbus procedat ex nova causa, an recurrat ex iisdem humoribus, et causa. Priori sane casu non tenetur, posteriori vero casu tenetur, modo non appareat reversum esse morbum ex culpa ægroti, ut si contra præceptum medici vixerit, nec ex intervallo, sed incontinenti sit morbus reversus; Spekhan. *ubi supra.* (52. Incontinenti autem, quando reversus dici queat morbus, non est usquequaque expeditum, utpote certa regula haud definitum : arbitrio judicis id relinquendum; Ripa, *De peste*, cap. 7, n. 145.

(53. De contractibus ægrotum inter et medicum non inutiliter quoque hic agi posset. Sed longiores essemus, quam additionum angusti limites patiuntur.

ADDITIONES CASINENSES.

(54. De juramento medicorum (quod ultra tertium diem non visitabit infirmum, si hic non vocet ad se confessarium, nisi rationabilis causa excuset) de quo agit auctor sub. n. 2 et seqq., præstat adnotare cum Salm., Sanchez, Cajet., Prad.. Trull., Leand., etc. « Tale juramentum (verba sunt D. de Ligorio) non obligare, si non sit usu receptum, prout non esse receptum in Hispania (iidem) testantur (sicut nec etiam receptum est Neapoli). Hinc dicunt tunc medicum tantum teneri, quando prævidet in infirmo probabile periculum mortis, et simul probabiliter credit eum esse in mortali, vel necessarium esse ut disponat de rebus suis ad solvenda debita, tollendas lites, etc... In diœcesi autem Neapolitana per ultimam synodum factus est casus reservatus, cum excommunicatione, nam antea erat sine excommunicatione; ibi enim, n. 4, sic dicitur : « Medici qui visitantes in lecto infirmos, post tres dies a visitatione non curaverint ut prædicti infirmi peccata sua idoneo confessario confiteantur, aut alias non deseruerint, secundum terminos constit. S. Pii V et Innocentii XI. » *Theol. moral.*, De juramento, n. 182.

(55. « Sed ut dixi, prosequitur D. de Ligorio, hujusmodi constitutio non est Neapoli usu recepta, ut plures sapientes mihi asseruerunt, quando infirmitas levis est; dum vero periculosa, viget constitutio et reservatio. Hinc Mazzott... loquens de prædicto casu reservato, ait, constit. S. Pii V a consuetudine ita temperatam esse, ut intelligatur tantum de morbis periculosis. Excusatur tamen medicus (sic idem de Ligorio) si per alium moneret infirmum, vel si certe censeret monitionem non profuturam. Dicitur *certe*, nam in dubio tenetur monere. Ita Elbel., Sanchez., Bon., Tambur., etc. Idem ait Mazz... qui addit sufficere testimonium domesticorum vel ipsius infirmi de confessione recenter peracta, si sint fide digni. Sed in hoc regulariter dico (addit de Ligorio) domesticos facile ut suspectos habendos. » *L. et n. cit.*

(56. Sed audiamus eumd. de Ligor. qui alibi, post relatas ad hoc sanctiones concil. Lateran. sub Innocent. III et S. Pii V (de quibus Lucius noster supra), ita prosequitur : « Quæritur de qua infirmitate hæc decreta intelligantur? Prima sententia, quam tenent Laym., Rosel., Graff., Vega et Rodriguez apud Salm... dicit intelligi de solo morbo periculoso, vel saltem de quo dubitatur an sit periculosum, et idem sentit Nav., *Man.*, c. 25, n. 61, dicens : « Monitioni non est locus, quando manifestum est morbum non esse periculosum. » Et in hoc sensu aiunt auct. cit. prædicta decr. usu recepta fuisse. Secunda autem sententia... dicit intelligi de quocunque morbo, etiam non mortali... Tertia vero sententia communior... et huic consentit Bened. XIV. Notif. 22, num. 4, dicit 1° hoc præceptum non quidem intelligi de solis morbis periculosis, nam revera const. Innocent. III edita fuit, ob motivum, ne infirmi, cum monerentur in morbo mortali, facilius mortis periculum incurrant; unde præceptum seu juramentum intelligendum est de facienda monitione etiam in

Digitized by Google

morbo non periculoso, ut infirmi, cum monentur, non incurrant mortis periculum. Dicit 2° nec etiam intelligi de quocunque morbo levi (quod ridiculum esset ait Suarez), sed morbo gravi, etsi non periculoso. Ratio, quia tam Innocent. quam S. Pius V loquuntur de infirmis *lecto jacentibus*, et ideo intelligunt loqui de illa infirmitate quæ non ex majori commoditate, veluti si æger podagra aut consimili affectu laboret, sed ex necessitate lectum petit, ita ut sit per se gravis, vel prudenter judicatur periculosa, ut gravis fiat. » *De sacram. pœnit.*, n. 664.

(57. « Notant autem DD. 1° sufficere ut medicus moneat infirmum per alios... 2° sufficere testimonium aliorum (absque confessarii scripto) quod infirmus sit confessus, modo sint fide digni; 3° quod medicus non tenetur ad hujusmodi monitionem, si moraliter sit certus infirmum esse in bono statu... 4° quod si infirmus nolit obstinate confiteri, et esset in periculo mortis, si a medico desereretur, tunc non tenetur medicus eum deserere, quia præfata decreta non adversantur charitati, quæ favet etiam obstinatis, quantum fieri potest; ita Nav., Bon., Suarez, Diana, Concina et Sanchez. Hancque opinionem dicit Bened. XIV, *cit. notif.*, n. 17, esse communem theologorum et canonistarum. » Ita D. de Ligorio *l. et n. c.*

(58. « Circa prædictam autem obligationem (sic laud. de Ligor.) monendi infirmum de confessione, stando quidem rigori præf. const. Inn. et S. Pii, omnino videtur esse vera tertia sententia docens monitionem esse faciendam, non solum quando morbus est mortalis, sed etiam cum adest periculum, ne mortalis evadat; Pontifices enim sane illud novum præceptum medicis imponunt præter illud ad quod ipsi de jure divino tenentur (57). »

(59. « ... Sed cum decreta Pontificum (ita id. de Ligorio), non obligent, nisi secundum sunt usu recepta, ut docent Cajet... Sanchez, Pal. Diana, Salm., etc. Hinc dicunt Salm. cum Cajet., Sanchez et aliis cit., præfata decreta et juramentum in Hispania non obligare, quia ibi non sunt usu recepta, vel sunt abrogata. Idemque testatur Mazzot. loquens de nostro regno, dum ait juramentum S. Pii V ex usu recepto (ut etiam mihi constat) tantum in morbis periculosis observari. » *L. et n. cit.*

MELCHISEDECH REX ET SACERDOS.

SUMMARIUM.

1. Melchisedech quisnam fuerit. — 2. Fuit revera Sacerdos. — 3. Quo sensu Melchisedech traditur ab Apostolo, sine patre, sine matre, sine generatione, etc., ibi.

(1. Melchisedech Chananæus fuit, et rex Hierusalem, ut expresse tradit eruditiss. card. Lambertin. exposit Benedictus XIV, *De sacrificio missæ*, sect. 2, n. 287, ibi: « Vera sententia est, Melchisedechum gente Chananæum fuisse, regem Salem, quod idem est ac Hierosolymæ, ut ostendit Calmetus in erudita dissertatione de Melchisedecho. » Quod et tradit sapientissimus Tirinus in cap. XIV, v. 17 *Genesis*, ibi: « Sed fuit princeps aliquis et regulus gentilis e gente Chananæa, rex Salem, seu Hierosolymæ, ut est in Chaldæo, quam et illum condidisse Josephus affirmat, et fidelium (qui tum ipsius, tum aliorum opera istic reperiebantur) doctor, sacerdos, pastor; ita S. Dionysius, Hippolytus, Irenæus, uterque Eusebius, Apollinarius, et alii cum plerisque recentioribus. Addunt S. Ignatius, et Suida Melchisedech semper virginem permansisse. Unde et in hoc typum gessit Christi, uti et in nomine et in nominis etymo, in officio, in sacerdotio, in sacrificio, de quibus fuse ad Hebræos VII, et *Ps.* CIX. »

(2. Hic Melchisedech fuit revera sacerdos: et quia sacerdos erat, panem et vinum obtulit; *Gen.* XIV, v. 18: *Proferens panem et vinum; erat enim sacerdos Dei Altissimi.* Et Apost. ad *Hebr.* VII, asserit Melchisedechum non solum Christi figuram fuisse, ut Aaron, sed insuper dicit Christum sacerdotem fuisse, non secundum ordinem Aaron, qui offerebat sacrificia cruenta, sed secundum ordinem Melchisedech, qui obtulit sacrificium incruentum, proferens panem et vinum; unde et Christus, ut palam faceret se sacerdotem esse secundum ordinem Melchisedech, uti Deus per Davidem de illo prædixerat ps. CIX, vers. 3, sub iisdem speciebus panis et vini suum quoque sacrificium in ultima cœna incruentum instituit. Ita omnes tam S. Patres, quam doctores scholastici.

(3. Melchisedech sine patre, sine matre, sine genealogia traditur ab Apostolo ad *Hebr.* c. VI, v. 3, non quod his caruerit, sed quod nobis ignoti sint, cum nulla sive avorum, sive parentum ejus memoria fiat in Scripturis, quæ non gentilium (qualis erat Melchisedech, unus ex regulis Chananæorum, teste Josepho, S. Dionysio, Epiphanio, Theodoreto), sed solum Hebræorum genus et historiam pertexunt, ut recte observat laudatus Tirinus *in Epist. ad Hebr.*, cap. VII, v. 3; Calmetus tamen in *Dictionario*, verb. *Melchisedech*, refert quod ætate sancti Epiphanii fuerunt qui parentes Melchisedech designarent, Heraclam nempe, sive Heraclen patrem illius, matrem vero Astaroth, sive Astariam appellantes. Catena Arabica in *Gen.* IX ejus genealogiam paternam ex Sem, maternam ex Japhet derivans, Heraclam, sive Heraclim patrem Melchisedech, filium, seu nepotem Phaleg, filium vero Heber facit; matrem vero, quam Salthiel appellat, filiam tradit Gomer filio Japhet. Josephus Gorionides, Hebræus scriptor circa undecimum sæculum, Melchisedecho alterum nomen, Joram nempe, inducit, l. VI, c. 31, sidusque ejus ortui præsidens, Sedech (planeta est Jovis) appellat; urbem tandem

(57) Quippe agitur de salute æterna animarum.

Digitized by Google

cui præerat, primum *Jebus*, deinde *Sedech*, postea *Salem* tandem *Hierusalem*, denominatam testatur. Hæc ille, qui plura adhuc ad rem ibi tradit.

MELIORAMENTA.

SUMMARIUM.

1. Melioramenta rei aliqua dicuntur intrinseca, et alia extrinseca, et quæ utraque sint? — 2. Melioramenta rei alia dicuntur necessaria, alia utilia, et alia voluptuaria. — 3. Melioramenta necessaria quæ sint? — 4. Melioramenta necessaria refici debent cuicunque melioranti, etiam possessori malæ fidei, et injusto. — 5. Et persolvi debent in ea quantitate, quæ fuit impensa, nulla servata ratione meliorati et impensi. — 6. Melioramenta utilia quæ sint? — 7. Melioramenta utilia facta a possessore bonæ fidei sunt illi restituenda. — 8. Si vero sint facta a possessore malæ fidei repeti non possunt. — 9. Melioramenta voluptuaria quæ sint? — 10. Melioramenta voluptuaria refici non debent. — 11. Quæ sint melioramenta voluptuaria ex relationibus peritorum deducitur. — 12. Melioramenta, ut repeti possint, debet de eis liquide constare tum in genere, tum in specie. — 13. Unde, ut melioramenta et sumptus repeti possint, duo copulative sunt distincte probanda, id est tantum fuisse insumptum, et tantum fuisse melioratum. — 14. In melioramentis, et expensis repetendis, semper attenditur quod minus est, sive illud minus sit insumptum sive melioratum. — 15. Melioramenta bona fide facta possunt recuperari, vel excipiendo ante sententiam, vel officium judicis post sententiam implorando. — 16. Interim, qui bona fide fecit melioramenta, habet retentionem rei melioratæ, donec de melioramentis fuerit integre satisfactus. — 17. Ad effectum tamen obtinendi retentionem rei melioratæ pro melioramentis, debet necessario de illis constare. — 18. Melioramenta, si sint probata in genere tantum, non dant retentionem rei melioratæ, nec retardant immissionem, sed succurritur bonæ fidei possessori per cautionem de illis reficiendis liquidatione facta. — 19. Melioramenta mala fide facta, si sint necessaria, possunt repeti. — 20. Secus autem, si sint tantum utilia. — 21. Hinc, si quis scienter in solo alieno inædificavit, sumptus non repetit, et inædificatum cedit domino soli. — 22. Item melioramenta facta in re fideicommisso subjecta ab eo qui rem illam scienter emit, non possunt repeti. — 23. Item, qui scienter emit rem subjectam retractui, eamque melioravit, non potest melioramenta repetere. — 24. Idem usufructuarius non acquirit dominium meliorationum quas scienter facit, nec potest sumptus repetere. — 25. Potest tamen usufructuarius repetere expensas necessarias, et quæ ad perpetuam proprietatis utilitatem pertinent. — 26. Idem procedit in patre usufructuario meliorante bona adventitia filiorum, quo casu melioramenta spectant ad filios, et pater solum repetit expensas. — 27. Melioramenta facta a gravato in bonis fideicommisso subjectis non veniunt in restitutione fideicommissi, sed per viam detractionis remanent libera ipsi hæredi gravato. — 28. Melioramenta, quæ sunt ab emphyteuta, vel feudatario facta, non dicuntur feudalia, aut emphyteutica, etiamsi principale subjectum sit feudale, vel emphyteuticum, sed transeunt ad hæredes et successores emphyteutæ, vel feudatarii meliorantis. — 29. Melioramenta quæ sine læsione prioris status rei locatæ possunt amoveri, semper conductori sunt restituenda. — 30. Alia, *remissive*. — 31. Melioramenta facta ab emphyteuta, quando possint repeti, vel non? *remissive*. — 32. Melioramenta facta per beneficiatum ex bonis patrimonialibus detrahuntur per hæredem: secus si ex fructibus beneficii. — 33. In dubio autem facta censentur ex fructibus beneficii. — 34. Equites Hierosolymitani promoveri non possunt ad digniores commendas, nisi antecedenter legitimis documentis ostenderint se priores meliorasse. — 35. Unde, si de tempore vacationis non obtinuerint sua melioramenta probari, sed nec illa exhibuerint, sunt incapaces novas obtinendi commendas. — 36. Nec eis suffragari potest subsequens exhibitio, præcipue si fuerit interea alteri jus quæsitum. — 37. Melioramentorum exhibitio facienda est ab equite ad novas commendas coram lingua, vel prioratu, non autem coram eorum commissariis. — 38. Melioramenta in beneficialibus invalide alienatis emptori debent refici. — 39. Subnectuntur *Addit. ex aliena manu*, ad n. 40.

(1. Melioramenta rei alia dicuntur intrinseca et alia extrinseca. Melioramenta intrinseca sunt illa quæ quasi transeunt in rem, quam meliorem efficient, ut stercoratio agri, implantatio arborum, si radices fixerint, et hujusmodi. Extrinseca sunt illa, quæ tantum extrinsece adhærent, et salva re separari possunt, ut picturæ, januæ, fenestræ, domuncula mobilis, quæ solo alieno imponitur, et similia.

(2. Rursus melioramenta alia dicuntur necessaria, alia utilia, et alia voluptuaria. *Communis*. (3. Melioramenta necessaria dicuntur illa sine quibus res peritura esset, vel deterioratura, vel nullos aut non ordinarios fructus afferret, et quorum omissio imputanda esset omittenti. *Communis* cum Rota p. I, recent. decis. 6, n. 1 et seq.; p. XV, decis. 191, num. 26; p. XVIII, t. II, dec. 564, num. 6.

(4. Melioramenta necessaria refici debent cuicunque melioranti, etiam possessori malæ fidei et injusto; Rota p. VII, recent. dec. 223, n. 15; p. IX, t. I, dec. 318, n. 14; p. XVIII, t. II, dec. 584, n. 5, et dec. 611, n. 3. (5. Et persolvi debent in ea quantitate quæ fuit impensa, nulla servata ratione meliorati et impensi: Rota part. XVIII, tom. II, decis. 397, n. 20, et dec. 398, n. 20, et dec. 537, n. 10 et sequent.

(6. Melioramenta utilia dicuntur illa quæ faciunt ut res sit utilior, sive ut plures fructus afferat, verb. gr., si ager cum necessariis expensis de more afferat 10 modia tritici, et cum aliis afferat 12 modia, hæ expensæ sunt utiles, et dicuntur melioramenta utilia, cum sic augeant valorem rei, ejusque fructus. *Communis* cum Rota part. XII, recent. decis. 203, n. 21 et seq.; part. XIV, decis. 22, n. 8; part. XV, decis. 191, n. 25. (7. Melioramenta utilia facta a possessore bonæ fidei sunt illi restituenda. Rota part. II, recent. decis. 356, n. 1, part. IV, tom. I, decis. 64, n. 1. (8. Si vero sint facta a possessore malæ fidei, repetit non possunt, sicuti non sunt reficienda melioramenta excessiva et consulto facta. Rota part. XI, rec. dec. 2, n. 32; p. XII, dec. 307, n. 21 et 22.

(9. Melioramenta voluptuaria dicuntur illa quæ fructus rei non augent, sed tantum conferunt ad ornamentum, vel ad delicias;

Digitized by Google

uti ia, quod impenditur ad picturas, statuas, artificiosos fontes, deliciosa viridaria, et hujusmodi. *Communis* cum Rota p. II, rec. dec. 650, n. 4; p. 11, dec. 317, n. 18, p. XII, decis. 233, n. 16. (10. Melioramenta voluptuaria refici non debent. Rota part. IX, tom. I, decis. 7, n. 11; part. X, decis. 219, n. 25; part. XI, decis. 317, n. 15; part. XII, decis. 203, n. 21; part. XIV, decis. 22, n. 8; part. XVI, decis. 237, n. 2. (11. Quæ vero sint voluptuaria ex relationibus peritorum deducitur. Rota, part. XI, rec. dec. 317, n. 17.

(12. Melioramenta ut repeti possint, debet de eis liquido constare, tum in genere, tum in specie. *Communis* cum Rota, part. II, dec. 161, n. 2; part. V, tom. II, dec. 470, n. 7; part. XIV, dec. 19, n. 14. (13. Unde, ut melioramenta, et sumptus repeti possint, duo copulative sunt distincte probanda, id est tantum fuisse insumptum, et tantum fuisse melioratum, cum dominus rei melioratæ electionem habeat reficiendi, quod minus est inter impensum et melioratum. Hinc, si sint impensa centum, et res facta sit pretiosior in centum quinquaginta, non reficiuntur nisi centum impensa; quia in illis centum duntaxat concurrunt duo dicta requisita, scilicet tantum impensum, et tantumdem melioratum, in quinquaginta vero, in quibus melioramenta excedunt impensam, non concurrit illud requisitum, quod tantumdem fuerit impensum, quia in illis nihil impensum fuit. Et e converso si sint impensa centum quinquaginta, et res facta sit pretiosior in centum, reficiuntur solum illa centum meliorata, quia in quinquaginta, in quibus impensa excedunt melioramenta, non verificatur illud requisitum quod tantumdem fuerit melioratum, cum pro illa summa nihil melioratum fuerit, et Dominus rei melioratæ electionem habeat reficiendi, quod minus est inter impensum et melioratum. *Communis* cum Rota p. III, decis. 650, n. 2; part. IX, tom. I, decis. 318, n. 17; part. XI, decis. 363, n. 12; part. XII, decis. 27, n. 21; part. XIII, dec. 109, n. 19, dec. 288, n. 20; p. XIV, dec. 405, n. 17; p. XV, dec. 119, n. 1, decis. 191, n. 1; part. XVII, decis. 224, n. 20, et decis. 250, n. 8, et sæpe alibi per textum in cap. *Requisivit* 1, De in integrum restitutione, c. *Ad nostram* 11, De rebus Ecclesiæ non alienand. Paulus, § *Domos*, ff. *De pignoribus*, et l. *Domos*, ff. *De legat.* 1.

(14. Unde regula communis et generalis est, quod in melioramentis et expensis repetendis semper attenditur quod minus est, sive illud minus sit insumptum, sive melioratum; l. *in fundo*, vers. *Et si plus*, ff. *De rei vindicat.*, et ibi *Glossa* communiter recepta in vers. *Plus pretio*, dicens: si sunt impensa decem, et melioratio quindecim, repetuntur sola decem; item si decem impensa, et melioratio quinque, sola quinque repetuntur; Fagn. in c. *Requisivit* 1, De integrum restitutione, n. 21, ubi, pluribus citatis, testatur de communi.

(15. Melioramenta bona fide facta possunt recuperari, vel excipiendo ante sententiam, vel officium judicis post sententiam implorando: Baldus consil. 257, *Titius emit fundum*, in princip. lib. I; Fagnanus, *loc. cit.*, n. 27, et alii passim. (16. Et interim qui bona fide fecit melioramenta habet retentionem rei melioratæ, donec de melioramentis fuerit integre satisfactus: l. *Si in area*, in fin. d. *Condit. indebit.*, et leg. *Paulus*, ff. *De dol. mal. except.*, et expresse Rota, part. IV, *Recent.* tom. I, decis. 206, n. 1, decis. 513, n. 4; part. X, decis. 113, n. 5; part. XVIII, tom. I, decis. 237, n. 1; p. XIX, tom. I, dec. 380, n. 38, et decis. 220, n. 1, et par. XIX, tom. II, dec. 614, n. 1.

(17. Ad effectum tamen obtinendi retentionem rei melioratæ pro melioramentis, debet necessario de illis constare. Rota, part. XIV, recent. dec. 405, n. 2; p. XVIII, tom. II, decis. 329, n. 2. Adeoque retentio non datur pro melioramentis, de quibus nec in genere, nec in specie constat. Rota, par. III, dec. 378, n. 1; p. XII, dec. 97, n. 20; p. XIX, tom. I, dec. 352, n. 18; Fagn., *loc. cit.*, n. 28, et alii passim.

(18. Melioramenta, si sint probata in genere tantum, non dant retentionem rei melioratæ, nec retardant immissionem, sed succurritur bonæ fidei possessori per cautionem de illis reficiendis liquidatione facta. Rota par. IV, tom. II, dec. 127, n. 7 et 8; part. III, decis. 521, n. 17, et sæpe alibi; Puteus, dec. 471, lib. II; Fagn., *l. c.*, n. 33, cum aliis ibi citatis.

(19. Melioramenta mala fide facta, si sint necessaria, possunt repeti; Rota par. VII, recent. decis. 223, n. 15; par. IX, tom. I, decis. 218, num. 14; part. XVIII, tom. II, decis. 564, n. 4, et patet ex dictis supra n. 4 et 5. (20. Secus autem si sint tantum utilia; l. *Domum*, *in fine* 6, ff. *De rei vind.*, et cap. *Requisivit* 1, De in integrum restit., a sensu contrario ibi: « Quos bona fide fecerit, » Fagnanus, *ibid.*, n. 34 et 42, cum aliis ibi citatis, et expresse Rota part. II, recent. decis. 2, n. 34, part. XII, decis. 307, n. 21 et 22.

(21. Hinc, si quis scienter in sola alieno inædificavit, sumptus non repetit, et inædificatum cedit Domino soli, ut l. *Si quis sciens*, cod. *De rei vindic.*, et § *Ex diverso*, instit. *De rerum divis.* Rota, par. VI Rec. decis., n. 5 et 45. Qui enim, non obstante, quod sciverit solum esse alienum, adhuc inibi ædificium construxit, sua voluntate amisisse proprietatem materiæ intelligitur; dict. § *Ex diverso*, et leg. *Adeo*, ff. *De acquir. rer. domin.*, et sic ædificanti objici potest, quod temere ædificavit in eo solo, quod certo sciebat esse alienum, ut dicitur *in* § *Certe*, instit. *De rer. divis.*

(22. Item melioramenta facta in re fideicommisso subjecta ab eo, qui rem illam sciens esse fideicommisso subjectam, emit, propter ejus malam fidem non possunt repeti, ut l. final., § fin., cod. *Comm. deleg.*, et ibi doctores communiter teste Fagnano, *loc. cit.*, n. 36. (23. Item qui scienter emit rem subjectam retractui, eamque melioravit,

Digitized by Google

propter ejus malam fidem non potest talia meliorumenta repetere. Igneus in l. *Dudum*, n. 40, cod. *De contrah. empt.*; Fagnanus, *loc. cit.*, n. 37, et alii passim. (24. Item usufructuarius non acquirit dominium meliorationum, quas scienter facit, nec potest sumptus repetere; Rota, part. VI, recent. dec. 116, n. 6; Fagnanus, *loc. cit.*, n. 38, per text. in l. *Usufructuarius* 61, ff. *De usufruct.*, et l. *Usufructuarius* 68, ff. eod. (25. Potest tamen usufructuarius repetere expensas necessarias, et quæ ad perpetuam proprietatis utilitatem pertinent; Rota, cit. part. VI, decis. 116, n. 36 et seq., ubi, pluribus adductis, dicit esse communem. (26. Idem procedit in patre usufructuario meliorante bona adventitia filiorum, quo casu melioramenta spectant ad filios, et pater solum repetit expensas; Rota cit. part. VI, decis. 116, n. 11, ubi pluribus adductis, dicit, quod expensarum repetitio ex privilegio patri videtur concessa ratione legitimæ administrationis, quam habet in bonis filiorum.

(27. Melioramenta facta a gravato in bonis fideicommisso subjectis non veniunt in restitutione fideicommissi, sed per viam detractionis remanent libera ipsi hæredi gravato; Rota dec. 344, num. 2, vers. *Et non comprehenduntur*, part. II *Diversar.*, et eadem Rota part. III, recent. decis. 116, num. 23.

(28. Melioramenta, quæ sunt ab emphyteuta, vel feudatario facta, non dicuntur feudalia, aut emphyteutica, etiamsi principale subjectum sit feudale, vel emphyteuticum, sed transeunt ad hæredes et successores emphyteutæ, vel feudatarii meliorantis. Rota part. II, recent. decis. 349, n. 1, et part. VI, dec. 116, n. 25 et 26; card. de Luca, *De legat.*, disc. 35, n. 34.

(29. Melioramenta, quæ sine læsione prioris status rei locatæ possunt amoveri, semper conductori sunt restituenda; Rota, part. XVIII, *Recent. decis.*, tom. II, decis. 608, n. 4. (30. Alia quoad melioramenta facta a conductore in re sibi locata. *Vide* verb. LOCATIO a numer. 23 ad 25 inclusive.

(31. Melioramenta facta ab emphyteuta, quando possint repeti, vel non? *Vide* verb. EMPHYTEUSIS art. 1 a num. 7 ad 15 inclusive.

(32. Melioramenta facta per beneficiatum ex bonis patrimonialibus detrahuntur per hæredem; secus, si ex fructibus beneficii, quia pertinent ad Ecclesiam, cum Ecclesia succedat tanquam beneficiati hæres in bonis, quæ Ecclesiæ occasione quæsita sunt. card. de Luca, *De benef.* disc. 82, n. 5, et disc. 86, n. 2 et seq., cum aliis ibi citatis. (33. In dubio autem facta censentur ex fructibus beneficii, cum beneficiatus ex debito officii ea fecisse censeatur magis ex fructibus beneficii, quam de proprio. Garcias, *De expens. et meliorām.*, cap. 11, num. 71; card. de Luca, *locis citatis*; Rota, decis. 671, part. I *Diversar.*, et part. XII, recent. decis. 168, num. 27, ubi dicit, quod bona beneficiati præsumuntur acquisita ex fructibus beneficiorum; tum quia in dubio, non constito de contrario, intrat præsumptio donationis, seu incorporationis ad beneficium Ecclesiæ. Card. de Luca, cit. dis. 86, num. 5.

(34. Equites Hierosolymitani ex statutis religionis tit. 14, cap. 16 et 17, promoveri non possunt ad digniores commendas, nisi antecedenter legitimis documentis ostenderint, se priores meliorasse. Rot., p. XVII, rec. dec. 3, n. 3. (35. Unde si de tempore vacationis non obtinuerint sua melioramenta probari, sed nec illa exhibuerint, sunt incapaces novas obtinendi commendas. Rota, p. XVII, decis. 137, n. 1. (36. Nec eis suffragari potest subsequens exhibitio, præcipue si fuerit interea alteri jus quæsitum. Rota, cit. dec. 173, n. 2, 3 et 4.

(37. Melioramentorum autem exhibitio facienda est ab equite aspirante ad novas commendas coram lingua, vel prioratu, non autem coram eorum commissariis : Rota, part. XVII, rec. decis. 137, n. 6 et 7. Commissarii enim habent nudam facultatem visitandi, et revidendi processum super melioramentis factis : Rota *ibid.*

(38. Melioramenta facta in bonis ad beneficium spectantibus, et invalide alienatis, debent emptori reflci. Sac. congregat. concil. *in Ruben. Nullitatis alienationis* 28 Augusti 1823, ad 4 dub. apud *Thesaur. resolut. sacræ congregat. Concil.*, tom. II, fol. 355, ultimæ impressionis, quæ prostat Romæ apud Barbiellini *ad Minervam*.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(39. Notabilis intercedit differentia prædia urbana inter et prædia rustica, quoad meliorationum æstimationem; « profecto in illis (ita recte ait Rota *in Ravenn. Immissionis super melioramentis* 20 Martii 1747, § *Profecto, coram clar. mem. Millino*) spectandus est status temporis præsentis, juxta textum in leg. *Domos hæreditarias*, ff. *De legat.* 1, in aliis vero, cujus generis est de quo agitur; inspiciendum est tempus factarum meliorationum, ut inter impensum, et melioratum reliciatur quod minus est possessori bonæ fidei, secundum alterum textum in leg. *Fundo*, ff. *De rei vindicat.*, etc., dummodo tamen res sit de meliorationibus utilibus, nam quæ necessariæ probantur, sunt in totum reliciendæ meliorauti ad modum sumptuum factorum. »

MENDACIUM.

SUMMARIUM.

1. Mendacium quid sit. — 2. Potest quis mentiri, non tantum verbis, sed etiam nutibus, gestibus, et scriptis. — 3. Ut quis dicatur vere mentiri, requiritur, quod falsum putet id, quod dicit ut verum, et e contra. — 4. Ad verum mendacium requiritur animus fallendi, si non expressus et formalis, saltem tacitus. — 5. Mendaciorum genera octo distinguit S. Augustinus. — 6. At hæc omnia commode reducuntur pro faciliori captu ad tria, scilicet jocosum, officiosum et perniciosum. — 7. Menda-

Digitized by Google

cium jocosum quid sit? — 8. Mendacium officiosum quid sit? — 9. Mendacium perniciosum quid sit? — 10. Mendacium jocosum et officiosum ex genere suo sunt tantum peccata venialia. Mendacium autem perniciosum est ex genere suo peccatum mortale. — 11. Nullum ex dictis mendaciis unquam est licitum. — 12. Mendacium proprie dictum nullo casu aut fine potest esse licitum, ne quidem ad salvandam hominis vitam. — 13. Imo neque unquam licitum est mendacium proprie dictum etiam pro salute spirituali hominis. — 14. Adducitur instantia ex variis locis sacræ Scripturæ. — 15. Respondetur ad omnia dicta loca sacræ Scripturæ, usque ad n. 19. — 20. Ex omnibus supra adductis clare constat, nihil posse inferri, quod probet mendacium proprie dictum posse esse licitum in aliquo casu, sed remanet in suo vero robore nostra conclusio, quod mendacium proprie dictum sit per se et intrinsece malum, et nullo casu, seu ob nullam necessitatem cohonestari, et licitum fieri possit. — 21. Bene vero non est per se malum, sed ob justam causam licitum est celare veritatem, seu per verbi æquivocationem, aut facti dissimulationem. — 22. Adducitur et solvitur instantia. — 23. Mendacium in confessione deliberate commissum est sacrilegium. — 24. Mentiens deliberate circa materiam necessariam confessionis peccat mortaliter. — 25. Mentiens deliberate circa materiam non necessariam confessionis peccat solum venialiter. — 26. Dummodo tamen talis pœnitens absolutioni subjiciat aliam materiam sufficientem : de qua habet verum dolorem et propositum.

(1. Mendacium est falsa significatio contra mentem cum animo fallendi, S. Augustinus *Lib. contra mendacium*, c. 12, relatus in cap (2. *Beatus Paulus* 5, caus. 22, q. 2. (2. Dicitur primo *falsa significatio*, quia potest quis mentiri, non tantum verbis, sed etiam nutibus, gestibus, scriptis et hujusmodi, unde S. Augustinus *Lib. contra mendacium*, cap. 3, dicit « ille mentitur, qui aliud habet in animo, et aliud verbis, vel quibuslibet significationibus enuntiat. »

(3. Dicitur secundo, *contra mentem*, quia mentiri est contra mentem ire; unde : ut quis dicatur mentiri, requiritur, quod falsum putet id, quod dicit ut verum. Potest enim fieri, quod aliquis non mentiatur, licet falsum dicat, si nempe credat illud esse verum, et contra mentiatur licet verum dicat, si nempe dictum suum putet esse falsum. Hoc totum exprimit S. Augustinus *Enchirid*, cap. 18, relatus in cap. *Is autem* 4, caus. 22, quæst. 2, ibi : « Nemo mentiens judicandus est, qui dicit falsum, quod putat verum; quoniam, quantum in ipso est, non fallit ipse, sed fallitur..... potiusque e contrario quantum in ipso est, ille mentitur, qui dicit tanquam verum, quod putat falsum. »

(4. Dicitur tertio, *cum animo fallendi*, quia quamvis hujus particulæ necessitatem negent plures volentes sufficere ad mendacium, quod quis loquatur contra mentem, sive interius intendat fallere, sive non; hanc tamen requirit Gelasius Papa in cap. *Beatus Paulus* 5, caus. 22, quæst. 2, in cujus Summario expresse dicitur : « Non mentitur, qui animum fallendi non habet : » et S. Augustinus relatus in cap. *Is autem*, 4, caus. 22, quæst. 2, ibi : « Is autem, qui mentitur contra id, quod animo sentit, loquitur voluntate fallendi. » Et ideo non proprie mentiretur, ille, qui jocandi causa, diceret : « Ego uno solo die peragravi quatuor mundi partes : Ego hodie ivi Romam, et inde huc redivi : » et similia; per hæc enim nullatenus intendit fallere, sed nugari, ut utique id clare ex modo pronuntiandi, aliisque circumstantiis personæ, loci temporis, et hujusmodi percipiunt ipsimet auditores. Et sic expresse docet S. Augustin. *Lib. quæst. in Genesim.*, quæst. 145, relatus in cap. *Quod autem* 18, caus. 22, quæst. 2, ubi dum explicat hæc patriarchæ Josephi verba, « *An ignoratis, quod non sit similis mei in augurandi scientia?* » dicit ejusmodi phrases non esse mendacia, quia iis non utuntur modo serio, sed tantum quodam joco : « Mendacia enim a mendacibus serio aguntur, non joco. Cum autem, quæ non sunt, tanquam joco dicuntur, non reputantur mendacia. » Et id confirmat idem S. doctor *Lib. de mendacio*, cap. 2, ibi. « Nunquam (*joci*) sunt putata mendacia, habent enim evidentissimam ex pronuntiatione, atque ipso jocantis affectu significationem animi nequaquam fallentis, etsi non veram enuntiantis : » et *ibid.*, c. 3, subjungit : « ex animi enim sui sententia, non ex rerum ipsarum veritate, vel falsitate mentiens, aut non mentiens judicandus est. » Et sic tenent Pontas, verb. *Mendacium*, cas. 4; Henno. t. I, *tract. in decalog.*, disp. 8, q. 1, concl. 1; Laym., lib. IV, tract. 3, cap. 13, n. 4, et alii passim volentes, quod ad mendacium requiratur animus fallendi, si non expressus et formalis, saltem tacitus, contentus in verbis, quæ talibus, aut talibus circumstantiis nota sunt fallere.

(5. Mendaciorum genera octo distinguit S. Augustinus *Lib. de mendacio*, cap. 4, relatus in cap. *Primum* 8, caus. 22, qu. 2. (6. At hæc omnia commode reducuntur ad illa tria, scilicet mendacium *jocosum*, *officiosum*, et *perniciosum*, quæ ordinarie pro faciliori captu a doctoribus traduntur cum S. Bonaventura in 3 sentent., dist. 38, art. 1, quæst. 5, in corpore, ubi dicit, quod mentiens, « aut intendit prodesse, aut delectare, aut lædere; secundum quod intendit prodesse est mendacium *officiosum;* secundum quod intendit delectare, est mendacium *jocosum*; tertium quod intendit lædere, est mandacium *perniciosum.* »

(7. Mendacium *jocosum* est, quod profertur, vel fit sine alicujus nocumento, causa voluptatis propriæ, vel alienæ. *Est in re communis.* (8. Mendacium *officiosum* est, quod profertur, vel fit sine alicujus nocumento, causa utilitatis propriæ, vel alienæ. Est in re communis. (9. Mendacium *perniciosum* est, quod profertur, vel fit causa alienæ injustæ damnificationis. Est in re communis. (10. Mendacium jocosum et officiosum ex genere suo sunt tantum peccata venialia. Mendacium autem perniciosum est ex genere suo peccatum mortale. *Communis.*

Digitized by Google

(11. Nullum ex dictis mendaciis unquam est licitum. Communis et certa, cum S. Augustino relato in cap. *Primum* 8, caus. 22, quæst. 2, ibi : « Quisquis autem esse aliquod genus mendacii, quod peccatum non sit, putaverit, decipiet se ipsum turpiter, cum honestum se deceptorem arbitretur aliorum. » Et patet ex sacra Scriptura, quæ indiscriminatim prohibet omne mendacium, ut *Exodi* XXIII, ibi : *Mendacium fugies; Levitici* XIX, ibi : *Non mentiemini; Proverb.* XIX, ibi : *Qui mendacia loquitur, non effugiet; Psal.* I, ibi : *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium*; *Sapient.* I, ibi : *Os quod mentitur occidit animam; Ad Colos.* III, ibi : *Nolite mentiri invicem.* Et patet etiam ratione, quia omne mendacium proprie sumptum est semper intrinsece malum, cum semper importet animum decipiendi; quod humanæ societati repugnat, quia, ut recte dicit S. Augustinus in *Enchiridio*, cap. 22, relatus in capit. *Is autem* 4, caus. 22, quæst. 2. « Verba propterea instituta sunt, non per quæ se se invicem homines fallant, sed per quæ quisque in alterius notitiam cogitationes suas proferat; verbis ergo uti ad fallaciam, non ad quod sunt instituta, peccatum est. »

(12. Unde mendacium proprie dictum nullo casu, aut fine potest esse licitum, ne quidem ad salvandam hominis vitam, ut expresse docet ipsemet S. Augustinus relatus in cap. *Ne quis arbitretur* 14, cap. *Faciat homo* 15, et cap. *Si quis* 17, caus. 22, quæst. 2. et S. Isidorus relatus in cap. *Omne genus mendacii* 16, eod. caus. et qu., et Alexander III in cap. *Super eo* 4, De usuris, ibi : « Cum Scriptura sacra prohibeat pro alterius vita mentiri. » (13. Imo neque unquam licitum est proprie dictum mendacium, etiam pro salute spirituali hominis : *Communis* cum S. Augustino *Lib. contra mendacium*, cap. 26. ubi dicit, eum, qui non posset baptizari, nisi deceptis mendacio custodibus, esse sine baptismo relinquendum, cum non sint facienda mala, ut veniant bona; et tandem concludit : « Si ergo non docet veritas facere propter hominem baptizandum, quod est contrarium castitati, non docebis propter hominem baptizandum facere, quod est contrarium veritati : » et *L. de mendacio*, cap. 20, sic expresse dicit : « ad sempiternam vero salutem nullus ducendus est opitulante mendacio. »

(14. Nec valet dicere licitum esse mentiri in casu necessitatis, seu ob magnum aliquod bonum, ut patet de Abraham, qui *Genesis* XX ut se eriperet a mortis discrimine, dixit uxorem suam Saram esse suam sororem; de Jacob, qui *Genesis* XXVII ut patris benedictionem obtineret, fratrem suum primogenitum se mentitus est; de obstetricibus Ægyptiis, quæ *Exod.* I, pro salvandis ab interfectione infantibus Hebræorum mentitæ sunt; de Joseph, qui *Genes.* XLIV se ariolum et augurem coram suis fratribus asseveravit; de David, qui 1 *Regum* cap XXI præ timore dementiam, seu insaniam simulavit; de Judith, quæ, *Judith* cap. X, XI, XII et XIII compositis mendaciis Holofernem decepit; de ipsomet Christo, qui *Marci* XIII, loquens de judicii adventu, dixit : *De die illo vel hora nemo scit, neque angeli in cœlo, neque Filius hominis*, et *Lucæ* XXIV ubi post resurrectionem suam in peregrini forma *finxit se longius ire*; et *Joannis* VII, ubi dixit fratribus : *Vos ascendite ad diem festum istum, ego autem non ascendo ..... Ut autem ascenderunt fratres ejus, tunc et ipse ascendit ad diem festum*; et sic de similibus, tum Veteris, tum Novi Testamenti.

Non valet, inquam, quia in omnibus supradictis nullum interfuit mendacium, sed mysterium, nec ipsi aliquid falsum dixerunt; sed solum licita æquivocatione, seu amphibologia, aut restrictione verum tacuerunt. Sic pluribus in locis expresse docet S. Aug. et signanter in libro *De mendacio*, c. 12 et c. 17, ubi sic dicit : « Ad hanc veritatis regulam mihi videntur non solum ista (de Abrahamo de Sara), verum etiam, si quæ sunt talia, redigenda, ut aut, quod esse creditur, ostendatur non esse mendacium, sive ubi tacetur verum, nec dicitur falsum, sive ubi significatio verax aliud ex alio vult intelligi. Et idem S. doctor in *Quæst. in Genes.*, q. 26, relatus in cap. *Quæritur* 22, caus. 22, q. 2, sic habet : « Quæritur cur patriarcha mentiri voluit, ut diceret : Saram sororem suam, et non potius Deo commisit, qui, si vellet, ejus pudicitiam apud Pharaonem servare posset? Sed veritatem voluit celari, non mendacium dici; soror enim dicitur, quia filia fratris erat. Et in hoc ostenditur quod nemo debet tentare Deum, dum habet quod rationabili consilio faciat. Fecit, quod potuit, quod non potuit, Deo commisit, in quem speravit. Nec eum fides, aut spes fefellit. Si autem interrogatus uxorem suam indicaret, duas res tuendas committeret Deo, et vitam suam, et uxoris pudicitiam. »

Et *ibidem* ad id, quod opponitur de Jacob *Genes.* XXVII, respondet : « Jacob dicendo, se esse Esau primogenitum, non est mentitus, non enim dixit se esse primogenitum nascendo, sed jus primogenituræ, illo vendente, rite adeundo. Sic et Christus Joannem dixit esse Eliam, non persona sed imitatione virtutis; erat ergo Jacob Esau, non nascendo (ut diximus), sed emptione primogenituræ, de non primogenito in primogenitum transeundo, sicut et ipse Esau primogenituram vendendo, de primogenito non primogenitus fieri meruit. » Et de eodem Jacob lib. contra mendacium cap. 10, sic dicit Jacob, quod, matre fecit auctore, ut patrem fallere videretur, si diligenter et fideliter attendatur, non est mendacium, sed mysterium, etc. » *Vide* in *Breviario* lectiones secundi nocturni Dominicæ secundæ Quadragesimæ. Et cit. *Lib. contra mendacium*, cap. 11, subjungit : « Neque illum, quod Joseph, velut illudendis locutus est fratribus *Genes.* XLIV; neque quod David simulavit insaniam *I Regum* XXI; nec cætera hujusmodi mendacia judicanda sunt, sed locutiones, actionesque propheticæ ad ea, quæ vera sunt, intelligenda referendæ. » Unde,

Digitized by Google

ut vides, ex doctrina S. Augustini, idem sentiendum est de obstetricibus Ægyptiis, de Judith et aliis similibus personis, quarum locutiones, seu actiones fuerunt, vel propheticæ, seu mysticæ, aut æquivocæ, subintelligendo aliquod verum, quod ex circumstantiis poterat ab audientibus percipi, adeoque fuisse mendacii prorsus immunes, ut signanter de Judith solide probat ex multis, et ipsomet sacro textu doctissimus P. Tirinus, *ibid.*, cap. 10 per tot.

(17. Et dato, quod diceretur Abraham, Jacob, David, Judith, et alios mentitos fuisse, cum non omnia ex Dei instinctu locuti sint, sed quædam propria etiam simplicitate addiderint, permittente Deo ipsorum imperfectiones, non tamen sequitur eos peccasse, quia invincibili laborantes ignorantia, credebant, in similibus casibus fas esse mentiendo decipere : nam veritas ista, quod mendacium nullo casu sit licitum, nondum eo tempore cognita erat; imo, teste S. Augustino, apud Tirinum *in Judith.* cap. x, vers. 12, multi veterum, etiam post Christum passum, secuti Platonem, putarunt id sine peccato licuisse; sic Layman., lib. iv, tract. 3, c. 13, n. 9, et alii plures.

(18. Insuper dato, quod ipsi excusari non possent a peccato saltem veniali, sicuti eos ab ipso non excusant S. Joannes Chrysostomus, Lipomanus, Scotus, Hadrianus, Lyranus, Cajetanus, Delrius, a Lapide, Bonfrerius citati, sed non secuti a Tirino in facto patriarchæ Jacob *Genes.* xxvii, vers. 19, dicendum esset, sicuti de obstetricibus Hebræorum ait S. Augustinus, *Lib. de mendacio*, cap. 5, et *Lib. contra mendacium*, cap. 15, fuisse laudatas non propter mendacium, sed ob misericordiam, quam servandis a nece infantibus præstiterunt. « Hoc etiam modo Judith, inquit S. Thomas 2-2, q. 110, art. 3 ad 3, laudatur, non quia mentita est Holoferni, sed propter affectum, quem habuit ad salutem populi : quamvis etiam dici possit, quod verba ejus veritatem habeant secundum aliquem sensum mysticum. » Et concordat cap. *Si quælibet culpa* 10, caus. 22, q. 2. Unde quomodocunque dicatur, stat clarum nullo casu licitum mendacium.

(19. Ad ea autem, quæ ex Novo Testamento objiciuntur de Christo, qui *Marci* xiii dixit : *De die illo, vel hora nemo scit*, etc., respondetur verba illa accipienda esse de scientia communicabili, adeoque vere et absolute dixit se diem illum nescire; ut jam fusius fuit dictum sub verb. Juramentum, art. 1, num. 15, vide *ibi;* ad illud *Lucæ* xxiv, ubi *Christus finxit se longius ire*, respondetur id ad mysterium, seu figuram pertinere, quod Christus se peregrinum et divertentibus duobus discipulis, longius iturum finxit, id est figuravit; aliquid enim tunc quidem absconditum, postea autem intelligendum, significare intendebat : videlicet, se inter eos peregrinantem, mox longius abiturum ad Patrem cœlestem. Sic S. Augustin. *Lib. contra mendacium*, cap. 13, ibi : « Si nihil aliud significasset Jesus in eo quod (externo agendi modo) longius ire se finxit, merito judicaretur esse mentitus *simulando*. Porro, autem, si bene intelligatur et ad id quod voluit significare referatur, invenitur esse mysterium; alioquin erunt cuncta mendacia, quæ propter quamdam rerum significandarum similitudinem, cum gesta non sint, tanquam gesta narrantur et infra; ille igitur concludat Christum mentitum esse fingendo, qui negat eum quod significavit implevisse faciendo; » puta ad cœlos ascendendo. Ad illud *Joan.* vii, ubi Christus dixit : *Ego autem non ascendo ad diem festum hunc*, respondetur, ut communiter tradunt doctores ibi, quod Christus verissimum dixit, quamvis ascenderit, quia ex circumstantiis verba illa denotabant, se non ascensurum publice ad ostendendam miraculis suam divinitatem, ut rogabatur; et favet ipsemet textus, qui dicit « et ipse ascendit ad diem festum, non manifeste, sed quasi in occulto. »

(20. Unde ex omnibus supra adductis clare constat nihil posse inferri, quod probet mendacium proprie dictum posse esse licitum in aliquo casu, sed stat in suo vero robore nostra conclusio, quod mendacium proprie dictum sit per se et intrinsece malum, et nullo casu, seu ob nullam necessitatem honestari et licitum fieri possit, ut tenent Aristotel., lib. iv *Ethicorum*, c. 8; S. Augustin., toto libro *De mendacio*, et toto altero libro *contra mendacium;* S. Basilius, reg. 76, ex *Breviioribus;* S. Gregorius, l. xix *Moral.*, c. 2 et 3; S. Thomas, 2-2, q. 110, art. 3; S. Bonaventura, in 3 sent. dist. 38, q. 2; Scotus, in 3 sentent., dist. 5, et alii communiter.

(21. Bene vero non est per se malum, sed, ob justam causam, licitum est celare veritatem per restrictionem non pure mentalem, seu per verbi æquivocationem, aut facti dissimulationem : S. Augustinus, *in Psal.* v super illa verba : *Perdes omnes qui loquuntur mendacium;* et lib. *Contra mendacium*, cap. 10, ubi dicit aliud esse occultare veritatem et aliud proferre mendacium : « Quamvis enim omnis qui mentitur velit celare quod verum est, non tamen omnis qui vult quod verum est celare mentitur. » Et *super Genes.*, q. 26, relatus in cap. *Quæritur* 22, causa 22, q. 2, ibi : « Quæritur cur patriarcha mentiri voluit, ut dicere Saram sororem suam... Sed veritatem voluit celari, non mendacium dici; soror enim dicitur, quia filia fratris erat : » S. Thomas 2-2, q. 110, art. 3, ad 4, ubi ait, tametsi mentiri, aut simulare nullo casu licitum sit : « licet tamen veritatem occultare prudenter sub aliqua dissimulatione : » S. Chrysostom. lib. i *De sacerdot.*, ad finem; S. Hieronymus relatus in cap. *Utilem* 21, caus. 22, q. 2, ubi hortatur ad simulationem utilem et in tempore assumendam, exemplo Jehu, regis Israel et Davidis; S. Gregorius Papa lib. xxvi *Moral.*, cap. 7, relatus in cap. *Humanæ aures* 11, caus. 22,

Digitized by Google

quæst. 5, ibi : » Humanæ aures talia verba nostra judicant, qualia foris sonant. Divina vero judicia talia foris audiunt, qualia ex intimis proferuntur ; Apud homines cor ex verbis, apud Deum vero verba pensantur ex corde. »

(22. Nec obstat id, quod dicit S. Isidorus lib. II *De summo bono*, cap. 11, relatus in cap. *Quacunque* art. 9, caus. 22, quæst. 5, ibi : « Quacunque arte verborum quis juret, Deus tamen, qui conscientiæ testis est, ita hoc accipit, sicut ille, cui juratur, intelligit. » Non obstat, inquam, quia hic textus percellit eos, qui mala fide, soloque decipiendi et injuste nocendi animo ; pravam mentem suam obtegunt ; non vero illos, quos justa et rationabilis causa cogit bonum, quod mente gerunt, propositum verbis ambiguis et in aliquo sensu veris dissimulare : istis enim non quadrat S. Isidori sententia in cit. c. *Quacunque arte ;* sed illa S. Gregorii Magni in cit. cap. *Humanæ aures*, sic istas sententias apparenter contrarias conciliat S. Thomas 2-2, q. 89, art. 7, ad 4, citatus et secutus a Cabassutio in *Theoria et praxi juris canonici*, lib. IV, cap. 4, n. 12, ubi sub n. 13. pluribus citatis dicit nostram conclusionem esse communem, uti et communem esse testatur Layman. lib. IV, tract. 3, c. 13, n. 10, *Vide* verb. JURAMENTUM, art. 1, a n. 13.

(23. Mendacium in confessione deliberate commissum est sacrilegium, quia non solum est contra veracitatem, sed etiam contra religionem, cum sit irreverentia contra sacramentum et ejus auctorem. *Communis.* (24. Mentiens deliberate circa materiam necessariam confessionis, vel negando scienter mortale, quod fecit, vel affirmando mortale, quod non fecit, peccat mortaliter, quia sic mentiens, vel non confitetur integre, vel saltem decipit judicem in re gravi spectante ad substantiam judicii, adeoque graviter peccat. Suarez, disp. 22, sect. 10, n. 11 ; Gormaz, *Curs. theol.*, part. I, n. 150 ; La Croix, lib. VI, part. II, n. 1176 ; Layman, l. V, tract. 6, cap. 8, n. 15 ; Reiffenstuel, *Theol. moral.*, tractat. 14, dist. 7, quæst. 1, n. 5, et alii passim.

(25. Mentiens scienter, et deliberate circa materiam non necessariam confessionis, vel negando veniale, quod fecit, vel affirmando veniale, quod non fecit, vel mentiens circa peccata mortalia alias rite confessa, aut quæ hic et nunc non tenetur confiteri, peccat solum venialiter, quia cum pœnitens non teneatur talia peccata confiteri, non graviter decepit confessarium mentiendo, neque irritum reddit sacramentum, cum nihilominus absolutionem validam consequatur Coninck., disp. 6, dub. 3 ; Navarr., cap. 21, n. 37 ; Sylvester, verb. *Confessio*, 1, qu. 8 ; Layman, *loc. cit.*, n. 15 ; Sa, verb. *Confessio*, n. 12 ; Petrus Sotus, lect. 10, *De confess.* in fine ; Suarez, disp. 22, sect. 10 ; Lugo, disp. 16, n. 99 ; Castropal., tract. 23, part. X, n. 4 ; Stoz., l. I, part. III, n. 34 ; Dicastill., disput. 8, n. 51 ; Tamburin., *De confess.*, lib. II, cap. 16, n 43 ; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 17 ; Bonacina, disp. 5, *De pœnit.*, quæst. 5, punct. 2, § 2, n. 9 ; Vasquez, Arriaga, Illsung cum La Croix, lib. VI, part. II, n. 1177, contra S. Bonaventuram, Paludan., Cajetan, Ledesma, Armill, et alios tenentes, fingere veniale in confessione semper esse mortale. At Tamburin., *loc. cit.*, dicit nostram conclusionem esse certam, et Reiffenstuel, *l. c.*, dicit esse communem, et de facto eam tenent DD. passim.

(26. Dummodo tamen talis pœnitens absolutioni subjiciat aliam materiam sufficientem, de qua habeat verum dolorem et propositum, quia si nihil confiteretur præter veniale fictum, peccaret mortaliter, non ratione mendacii, sed quia faceret absolutionem esse nullam propter carentiam debitæ materiæ. Sic omnes doctores citati, et alii communiter cum Gobat tract. 6, n. 541 ; Diana, part. III, tractat. 4, resolut. 96.

MENDICANTES RELIGIOSI.

Vide verb. ABSOLUTIO APPROBATIO, CONFESSARIUS, DEBITUM CONJUGALE, ELEEMOSYNA, REGULARES.

MERCATOR.

SUMMARIUM.

1. Ad quid tenetur mercator, vi, fraude, vel mendacio, vel criminationibus impediens, ne ad civitatem afferantur aliæ merces, ut ipse carius vendat suas. — 2. Mercator quomodo et quando peccet et teneatur ad restitutionem, si ad se trahat eos, qui alios frequentant : *remissive.* — 3. Mercator an excusetur, quando dicit, vel etiam jurat se non posse pro tali pretio talem mercem vendere, vel sibi pluris constare, licet in rigore hoc verum non sit : *remissive.* — 4. Quotuplici modo peccare potest mercator in vendendo. — 5. Subnectuntur *Additiones ex aliena manu*, ubi late de libris mercatorum, quoad probationem mercium ab ipsis creditarum.

(1. Mercator, qui vi, fraude, mendacio, vel criminationibus impedit, ne ad civitatem afferantur aliæ merces, ut ipse carius vendat suas, tenetur non tantum mentibus, aut reipublicæ excessum pretii, sed etiam aliis mercatoribus lucrum cessans, judicio prudentis viri, restituere ; est enim injusta causa utriusque damni. Sanchez in *Consil.*, lib. II, disp. 49, n. 35, cum aliis ibi citatis, La Croix, l. III, part. II, n. 80, et alii passim.

(2. Mercator an, quomodo, et quando

Digitized by Google

peccet, et teneatur ad restitutionem, si ad se trahat eos qui alios frequentant? *Vide* verb. MAGISTER a n. 14 ad 16, inclusive, quæ enim circa hæc dicta sunt ibi de magistris, dicenda proportionaliter veniunt hic de mercatoribus.

(3. Mercator quomodo excusetur, quando dicit, vel etiam jurat, se non posse pro tali pretio talem mercem vendere, vel sibi pluris constare, licet in rigore hoc verum non sit? *Vide* verb. JURAMENTUM, art. 1, n. 21.

(4. « Mercator peccat. 1° Si venenum, vel alia prohibita vendat cum suspicione pravi usus. 2° Si paratus sit quodcunque pretium, etiam injustum, ab emptore accipere. 3° Si rem carius, quam supremo pretio, vendat ob dilatam solutionem. 4° Si mercium defectum gravem occultum non aperiat; pondus et mensuram imminuat. 5° Si in emptorum injuriam monopolium injustum instituat, et merces omnes unius generis sibi comparet immoderato quæstu pro libito vendendas. 6° Si merces ab eo, qui non novit, emat, pretio minore, vel chariore vendat ignoranti. 7° Si merces veteres et inutiles novis admisceat et vendat eodem pretio utrasque. 8° Si justa tributa defraudet. 9° Si tempore debito, cum possit, non solvat creditoribus cum gravi eorum damno. 10° Si mercibus solvat, quod pecunia debet, contra creditoris voluntatem. 11° Si diebus festis publice emat, vel vendat contra consuetudinem permissam. 12° Si juret falso, se tanto pretio merces comparasse. 13° Si contractum ineat quemcunque, dubitans de ejus justitia. 14° Si emat res furtivas, etc. » Hæc doctissimus Busembaum, l. IV, cap. 3, dub. 10, n. 1.

Alia ad rem, *vid.* verb. CONTRACTUS EMPTION., VENDITIONIS.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(5. De libris mercatorum, an et quomodo ii probent non inutilis hic est investigatio. Probare vero ipsos, sed *semiplene* communiter doctores tenent, nisi vel statuto, vel consuetudine plenam faciant probationem; Carpzov., *De process.*, tit. 14, art. 5, n. 52 et sequ; Ruland., *De commission.*, part. II, lib. V, capit. 13, n. 9; Hering., *De fidejuss.*, capit. 20, § 1, n. 71; Ayer, *Process. inst. jur.*, cap. 9, observat. 8.

(6. At sequentes conditiones concurrant oportet, ut libri mercatorum vel *semiplene*, vel *plene*, ubi est statutum, aut consuetudo, probent. *Primo* mercatores libros producentes debent esse fide digni. *Secundo* habere debent debitam et legalem formam, tum continere data et accepta. *Tertio* diem, mensem et annum comprehendere debent. *Quarto* exprimere debent causam. *Quinto* complecti debent verisimilia, tum carere omni falsitate et mala suspicione. Addunt *sexto* alii, ut sint libri mercatorum propria eorum manu scripti. (7. At sufficere videtur si sint ab eorum institutoribus viris fidei haud suspectæ exarati. Carpzov., *De process.*, tit. 14, art. 5, n. 52, et plur. seq.; Pacian., *De Probat.*, lib. 1, cap. 63, n. 21; Escobar., *De ratiocin.*, c. 12, n. 14; Scacc., *De commerc.*, c. 11, n. 268.

(8. Nota vero, non aliter libros mercatorum vel *semiplene*, vel *plene*, existente statuto, aut consuetudine, probare quam si contineant, quæ ad *commerciorum materiam* spectant; Carpzov., *loc mox. cit.*; Gail., lib. II, observat. 20, n. 8.

(9. Quæstionis est, num libri rationum mercatorum pro tertio contra tertium *semiplene* probent? Affirmat Berlich., parte *Conclus.* 36, n. 97, sed rectius negat Gail., *De credit.*, cap. 2, tit. 3, n. 737.

(10. Nec incongrue ea hic expendenda est quæstio, an implorare queat beneficium restitutionis in integrum minor mercator, qui ob merces creditas ab alio mercatore debitum contraxit, conventusque dicat, circa merces esse deceptum? Negatur, propterea quod peritia cujuscunque artis, quam minor profitetur, impedit restitutionem in integrum circa negotia ejusdem artis. Confer Odd., *De restitut. in integr.*, part. I, quæst. 23, art. 7. Urget et illud, quod hac ratione contrahentes publica auctoritate deciperentur; Adi Zoes., in *Comment. ad Tit., ff. De minor.*, n. 22.

MERCATUS.

SUMMARIUM.

1. Mercatus a nundinis quomodo, et suo quibus respectibus distinguatur: *ad n.* 5, per tot.

(1. Mercatus a nundinis distinguuntur, tam a doctoribus, quam in *Ecclesiasticis Constit.* Benedict. XIV, tom. I, constit. 144, incip. *Ab eo tempore*, § 11. (2. Mercatus sunt de rebus minoribus ad quotidianas necessitates pertinentibus, et singulis septimanis a vicinis fiunt. Idem, *ibid.*, § 16. (3. Hi prohibentur omnino fieri diebus festis; et in dies præcedentes, aut subsequentes transferri jubentur. Idem, *ibid.*, § 22. (4. Eaque de re approbatur decretum congregationis Concilii *in Ripana mercatus*. (5. Quacunque etiam immemorabili consuetudine minime obstante, ut resolvit S. cong. Conc. *in Barchinon. observationis festorum*. Idem., *ibid.*, § 23 et 24. *Vide* tom. IV, verb. FESTA.

MERCES.

Mercedis causæ, sicut etiam quæ non excedunt summam scutorum 25 judicari possunt a cardinali vicario, et a gubernatore Urbis contra quoscunque, non obstante obligatione Camerali. Benedict. XIV, tom. I, constit. 115, incip. *Romanæ Curiæ*, § 24. Alia ad rem, *vide*, tom. III, ad verb. EXTRACTUS.

Digitized by Google

MERCIMONIA.

Mercimonia exercentes super eleemosynis missarum, laici excommunicationis, clerici vero et sacerdotes suspensionis pœnam incurrunt. Benedict. XIV, t. I, constit. 22, incip. *Quanta cura*, § 5. *Vide* tom. III, verb. ELEEMOSYNAM, 64, et infra verb. MISSA, art. 2, n. 16, ubi affertur dicta constitutio.

MERETRIX.

SUMMARIUM.

1. Meretrix quæ sit. — 2. Meretrix non est, quæ uni, vel duobus sui corporis copiam facit, etiam quæstus causa. — 3. Neque pœnæ inflictæ a jure, vel a constitutionibus municipalibus contra meretrices, habent locum in tali muliere. — 4. Principes et magistratus possunt sine peccato tolerare meretrices in suis ditionibus et civitatibus ad evitanda majora mala. — 5. Hinc quibusdam hic assignatis conditionibus, excusantur a peccato, qui elocant domos meretricibus. — 6. Non excusantur tamen a peccato in aliquibus casibus, qui assignantur. — 7. Unde publicæ meretrices possunt ab honestis locis expelli. — 8. Et si sint scandalosæ et procaces debent in exsilium ejici sub pœna carceris, verberationis et aliis arbitrio judicis. — 9. Meretrix potest recipere ac retinere recepta ratione meretricii, imo nedum conventum et receptum pretium pro concesso turpi usu sui corporis recipit et retinet, sed etiam omni jure in foro externo illud exigere potest, si non ei a fornicario solvatur. — 10. Meretrix potest de lucro ex meretricio accepto facere eleemosynam et donationem sibi benevisam. — 11. Id tamen est intelligendum solum in casibus, in quibus tale lucrum accepit a personis potentibus dare, seu alienare. — 12. Meretrix non potest absolvi, nisi vere suspectum consortium et meretricium deserat. — 13. Meretrix quibus præmissis possit a confessario absolvi. — 14. Meretrix quomodo sufficienter explicet peccata sua in confessione. — 15. Subnectuntur. *Addit ex aliena manu ad n.* 21.

(1. Meretrix est mulier quæ multorum libidini est exposita; cap. *Vidua* 16, dist. 34, ibi: « Meretrix est quæ multorum libidini patet, » seu meretrix est mulier cujus turpitudo publice venalis est; cap. *Meretrices* 11, caus. 32, quæst. 4, ibi: « Meretrices esse, et ad meretrices accedere prohibet Dominus, quarum publice venalis turpitudo est, » et *Glossa* in cit. cap. *Vidua*, verb. *Meretrix*. Unde mulier, quæ unius amore capta, illi sui corporis copiam facit, non potest dici meretrix. Faber in § *Scortis*, Instit. *De inoffic. testam.*; Menochius, *De arbitr.*, cap. 328, n. 3; Maschard, *De probat.*, concl. 1063, n. 7. (2. Neque illa quæ duobus viris se prostituit, etiam quæstus causa, potest meretrix appellari. Abbas in c. *Inter opera*, in fine *De sponsal.*; Bertaz., consil. 134, litt. *C.*; Vicent. de Franch., decis. 63, n. 2; Menoch. consil. 18; Pignatell., tom. IX, consult. 27, n. 20, cum aliis ibi citatis. Neque pœnæ inflictæ a jure, vel a constitutionibus municipalibus contra meretrices locum habent in muliere, quæ uni, vel duobus tantum, etiam quæstus causæ, sui corporis copiam facit. Vicent de Franchis, *l. c.*; Pignatell., *loc. cit.*, et alii.

(4. Principes et magistratus possunt sine peccato tolerare meretrices in suis ditionibus et civitatibus ad evitanda majora mala. Sic S. Thomas 2-2, qu. 10, art. 11, in corpor., his verbis: « Humanum regimen derivatur a divino regimine, et ipsum debet imitari. Deus autem, quamvis sit omnipotens et summe bonus, permittit tamen aliqua mala fieri in universo, quæ proscribere posset; ne, iis sublatis, majora bona tollerentur, vel etiam pejora mala sequerentur. « Sic ergo et in regimine humano illi, qui præsunt, recte aliqua mala tolerant, ne aliqua bona impediantur, vel etiam ne aliqua mala pejora incurrantur, sicut Augustinus dicit in libris *De ordine*, cap. 4: « Aufer meretrices de rebus humanis, turbaveris omnia libidinibus. » Et eadem doctrina traditur ab antiquo theologo apud S. Thomam opusc. 20, *De regimine principum*, lib. IV, cap. 14, citante alium textum S. Augustini, ibi: « Hoc facit meretrix in mundo, quod sentina in mari, vel cloaca in palatio: tolle cloacam, et replebis fœtore palatium, et similiter de sentina; tolle meretrices de mundo, et replebis ipsum sodomia. » Et sic communis doctorum, et praxis.

(5. Hinc, quibusdam conditionibus concurrentibus, excusantur a peccato qui elocant domos meretricibus. Sic Sylvius in 2-2, qu. 77, art. 4, qu. 1, concl. 5, ubi ad quæsitum: « An etiam excusandi sint, qui domos elocant meretricibus? Sic respondet: « Respondeo posse excusari si hæc omnia concurrant; quod et mulieres illæ sint ad meretricandum prorsus resolutæ, et a republica tolerentur in ea civitatis parte, in qua ipsis elocatur domus et peccatum discipliceat elocatoribus; his enim positis justa subest causa negligendi peccatum talium mulierum, neque tenentur elocatores illud impedire. » Ita etiam Quilic., p. VII, art. 4, n. 29; Joan. de la Crux, 6 præcept. art. 1, dub. 3, n. 7; Matthæuc, *Cautela confess.*, lib. I, cap. 30, proposit. 41, ab Alexandro VII damnat., n. 18; La Croix, lib. II, n. 290, et lib. III, part. II, n. 1042, et alii. Et ratio est quia locatio non est proxime, ordinata ad fornicationem, sed indifferens cum supponantur locatores eis domos locare, non cum intentione ut in eis peccent, sed ut ibi habitent. (6. Si autem domus essent in aliqua civitatis parte, in qua ob justam causam non tolerentur a superioribus meretrices; seu tales essent, ut ex se majorem præberent commoditatem peccandi, seu meretricandi, quia videlicet plures haberent portas, seu essent in loco magis tuto et hujusmodi, tunc esset illicitum eas meretricibus elocare, ad quod facit Novella 14, *De lenonibus*; l. *Non aliter* 7, ff. *De usu et habit.*

Digitized by Google

(7. Unde publicæ meretrices possunt ab honestis locis expelli per text. in citatis juribus et tradunt communiter doctores apud Pignatell., tom. IV, consult. 87, n. 3, et Paul. de Castro, in l. *Casus Cod., De testamentis* expresse dicit quod, si aliqua inhonesta mulier veniat ad habitandum in vicinia, ubi similes mulieres non consueverunt habitare, a vicinis et aliis civibus expelli possit. (8. Quod et censuit sac. cong. Episc. et Regul. in *Civitatis Castelli* 1 Januarii 1590, et *in Ravennaten.* 8 Novemb. 1593. Quod si præterea sint scandalosæ ac procaces, debent in exsilium ejici ad quinquaginta milliaria sub pœna carceris, verberationis et aliis arbitrio judicis, ut in *Spoletana* 16 Januarii 1601, et *S. Severini* 11 Julii 1602. Non obstante quod in civitate non sit certus locus pro meretricibus deputatus, ut colligitur ex cit. l. *Si pendentes*, ubi *Glossa*, ff. *De usufruct.*, et cit. l. *Non aliter* 10, ff. *De usu et habitat.* Hactenus Pignatell., *l. c.*, n. 3. Et utinam revera sic ejicerentur et punirentur, ut harum pœna territæ etiam aliæ, sordidam illam artem relinquerent; cum pœna unius metus soleat esse multorum, textu expresso in l. *Ut unius* 1, *Cod. ad leg. jul. repetundar.*

(9. An meretrix possit recipere et retinere accepta ratione meretricii absque onere restitutionis? *Vide* verb. Restitutio, art. 3, a n. 14 ad 16, et a n. 21 ad 23, ubi concluditur quod meretrix nedum conventum et receptum pretium pro concesso turpi usu sui corporis licite recipit et retinet (58); sed etiam omni jure etiam civili in foro externo illud exigere potest, si non ei a fornicario solvatur. *Vide* infra *Addit. ex aliena manu.*

(10. Meretrix potest de lucro ex meretricio accepto, tanquam vere proprio, facere eleemosynam, donationem et quamcunque alienationem sibi benevisam : quia tale lucrum, licet turpiter et illicite acquiratur, patrato tamen scelere, licite acceptatur et retinetur ac possidetur ut vere proprium. Sic communiter doctores cum S. Thoma 2-2, q. 32, art. 7 ad 2, ubi expresse dicit : « Quod mulier meretricium exercens turpiter agit et contra legem Dei; sed in eo quod accipit non injuste agit, nec contra legem; unde quod sic illicite acquisitum est retineri potest et de eo eleemosyna fieri. » (11. Id tamen debet intelligi solum in casibus, in quibus meretrix tale lucrum seu datum acceperit a personis potentibus alienare, quia, si illud acceperit a personis non potentibus alienare, ut a filiis familias, pupillis, minorennibus, religiosis et hujusmodi, teneretur restituere; cum dictæ personæ non possint dominium talis lucri in ipsam meretricem transferre *Vide* verb. Restitutio, art. 3, a n. 14 ad 16.

(12. Meretrix absolvi non potest, nisi vere suspectum consortium et meretricium deserat. *Communis Vide* verb. Absolutio, art. 2, a n. 11 ad 16. Unde confessarius, antequam meretricem absolvat, debet ipsam diligenter interrogare, an sit adhuc in actuali meretricio, an domum suspectam mutaverit omnemque occasionem meretricandi vere dimiserit; an post conceptum de meretricio dolorem et emissum de cætero non peccandi propositum, adhuc relapsa fuerit? a quo tempore non amplius peccaverit? et hujusmodi; et si vere in omnibus dispositam invenerit, et se rite ac vere accusantem de omnibus commissis peccatis, quoad numerum, speciem et circumstantias, quantum sibi possibile erit, cum firmo proposito de cætero non peccandi, nec se occasionibus peccaminosis exponendi, imo eas, quantum in se erit, evitandi ac suppositis cæteris ad validam absolutionem necessariis, poterit et debebit ipsam absolvere.

(14. Et si præ longo tempore sui meretricii sit ei moraliter impossibile, seu valde difficile explicare integrum numerum et omnes circumstantias peccatorum, sufficiet quod explicet per quantum tempus meretricium exercuerit, se plus, vel minus, toties per diem, vel hebdomadam solitam fuisse peccare, tam cum personis solutis, quam cum conjugatis : tam cum clericis et voto castitatis adstrictis, quam cum simplicibus laicis : tam cum consanguineis et affinibus, quam cum omnibus aliis, quibus ad libitum diu noctuque vivebat exposita et parata, se omnes, quos potuit, tum verbis, tum factis ad peccandum stimulasse, continuis impuris cogitationibus, lascivis locutionibus, ac obscenis cantionibus deditam fuisse et hujusmodi; dummodo tamen in illis peccatis, quæ sunt enormiora et rarius committuntur, majorem explicet numerum; unde de istis est etiam a confessario interroganda; quoties nempe peccaverit cum religiosis, cum consanguineis et affinibus? quoties modo præpostero, in vase non naturali ad generationem non ordinato? quoties veneficia, præsertim amatoria et similes superstitiones ad peccandum adhibuerit? quoties procuraverit abortum, seu prolem occiderit? quoties annuam confessionem et communionem omiserit, aut sacrilege fecerit? et hujusmodi. Et si adinvenerit eam innodatam aliqua excommunicatione episcopo reservata, seu cum causa ad sanctum tribunal spectante, debebit eam dimittere ad episcopum, vel ad inquisitorem respective.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(15. An datum meretrici condici possit, ipsi Romani jurisconsulti disputabant. Omnes autem conveniebant haud posse condici, sed non eadem de ratione. (16. Labeo et Marcellus ideo datum meretrici repeti haud posse existimabant, quia utriusque

(58) « Alio modo, (sic D. Thomas.) aliquis illicite dat, quia propter rem illicitam dat, licet ipsa datio non sit illicita; sicut cum quis dat meretrici propter fornicationem; unde et mulier potest sibi retinere, quod ei datum est; sed si superflue aliquid per fraudem, vel dolum extorsisset, teneretur eidem restituere » (2.-2, quæst. 62, art. 5.)

Digitized by Google

turpitudo versatur, ubi possessoris causa potior est. (17. Ulpianus vero : « Sed et quod meretrici datur (ait in l. 4, § 3, ff. *De condict. ob turp. vel injust. caus.*) repeti non potest ut Labeo et Marcellus scribunt, sed nova ratione, non ea quod utriusque turpitudo versatur, sed solius dantis : illum tamen turpiter facere quod sit meretrix, non turpiter accipere, cum sit meretrix. »

(18. Improbat vero et non immerito Stryk, *Juridic. disp.*, vol. XI, disp. 17, cap. 1, n. 22, novam hanc Ulpiani rationem : « En conceptum (*ait*) egregium Ulpiani de turpitudine. Concedit involvere turpitudinem meretriciam vitam agere, sed in acceptione mercedis, cum semel meretrix sit nullam agnoscit. Idem est ac si dicere velles : turpe est esse furem et sacrilegum; sed ubi quis semel fur est et sacrilegus, non turpiter furatur et sacrilegium committit. Nunquam prægnantiorem contradictionem inveni. Concedit Ulpianus esse turpe meretriciam vitam agere; quidquid ergo accipitur ex illa turpi causa, omnino turpe erit; non potest enim effectus melior esse sua causa. Sed quid hæc ad allegationem propriæ turpitudinis? Jocaris ni fallor. Pono, Titius pecuniam datam condicit : opponit meretrix exceptionem : accepi mercedem ex justa causa, vel titulo, scilicet propter stuprum. An putas meretricem non allegare propriam turpitudinem? Et tamen patronus meretricum Ulpianus hoc negat. Contradicit enim, ut videtur, aliis jurisconsultis, Labeoni et Marcello qui ratione saniori ducti existimabant, ideo mercedem repeti non posse quod utriusque turpitudo versetur, ubi possessoris causa potior est, leg. 8, ff. *De condict. ob turp. caus.* Expresse etenim asserit solius dantis adesse turpitudinem, non accipientis et hanc novam rationem ab ipso esse inventam. » Confer et Brunemann., in d. l. 4, § 3, ff. *De cond. ob turp. causam*, n. 1 et plur. seq., improbantem hanc Ulpiani novam rationem.

(19. Hinc vero patet meretricem, etiam secuta copula, petere haud posse promissum. Si enim datum ideo repeti minime potest, quia in pari causa turpitudinis melior est conditio meretricis possidentis, ex eadem ratione locus esse nequit petitioni promissi, quia et in pari turpitudinis causa, melior esse debet conditio promissoris. Accedit quod frustra quæretur an datum repetatur, si non datum peti posset. Adi sis et Bruneman. *loco mox citato*, n. 10 et plur. sequen., qui Covarruviam in c. *Peccatum*, part. 1, § 12, contrarium tenentem nominatim confutat.

(20. Utrum autem promissio facta meretrici sit ipso jure nulla, an exceptione doli sit elidenda? Distinguit Bruneman. *ubi supra*, n. 8 et seq., et, « aut turpis causa non est expressa, » inquit « et valet conventio, sed est inefficax ob exceptionem doli, qua probata, reus absolvitur; aut est expressa et est ipso jure nulla. »

(21. Quid si pignus datum præterea sit meretrici? Pignus retinere haud posse probat Zoesius, in d. l. 4, § 2, n. 9 *De condict. ob turp. caus.*, propterea quod adjici pignus nequit obligationi nullæ, vel ineficaci.

METOPOSCOPIA.

Vid. verb. Superstitio, n. 22.

METROPOLITANUS.

SUMMARIUM.

1. Metropolitani jurisdictionem ordinariam in suffraganeorum diœcesibus exercere prohibentur. — 2. Metropolitanus non potest visitare ecclesias cathedrales, aut diœceses episcoporum suffraganeorum, nisi de mandato concilii provincialis — 3. Metropolitani jurisdictionem non habent proprio jure in monasteria sita in diœcesibus suffraganeorum — Affertur *Novissimum Additamentum*, ibi.

(1. Metropolitani jurisdictionem ordinariam in suffraganeorum diœcesibus exercere prohibentur. Benedict. XIV, tom. II, constitut. 98, incip. *Inter plures*, § 19. (2. Metropolitanus non potest visitare ecclesias cathedrales, aut diœceses episcoporum suffraganeorum, nisi de mandato concilii provincialis. (3. Idem *ibid.* Metropolitani jurisdictionem non habent proprio jure in monasteria sita in diœcesibus suffraganeorum. Idem *ibid.*, § 19.

Novissimum additamentum.

Apud omnes sive Græcos, sive Latinos *metropolitani*, voces cujus *metropolitanus*, et *metropolita* eadem et notio semper fuit, et potestas : is enim et alias fuit, et nunc est *metropolitanus*, qui episcopis superior, inferior primatibus, nec civitatem tantum unicam, ut episcopus, nec diœcesim tamen, ut primas, sed provinciam regit integram. Metropolitarum porro origo non male ab ipsis repetitur apostolis, quia in Timotheo, Tito, et fortasse etiam in aliis quibusdam a se constitutis episcopis specimen quoddam metropoliticæ dedere potestatis, sequentibus deinde temporibus auctæ, et completæ. Erat autem metropolitani episcopos ad synodum vel bis, vel semel singulis annis evocare; illorum electionibus præsidere; eos consecrare; contentiones, lites, dissidia, si quæ inter illos orirentur, sopire; eos si quid peccarent, corripere; eorumque judicia, si provocatum esset, aut rescindere, aut confirmare, aliaque, id genus obire munera, de quibus Selvaggius in *antiquitatum Christianarum Institutionibus*, lib. 1, p. 1, c. 19, § 5; salva tamen in ipsos metropolitas patriarchæ auctoritate, multoque magis salvo Romani pontificis primatu, ut recte monuerunt Ballerini tom. XI *Oper.* S. Leonis col. 979, num. 4. Idem Ballerini, *ibidem*, col.

Digitized by Google

1029 seqq. ferius metropolitas cum in Gallis et Hispaniis, tum etiam in Italia, nec nisi quarto sæculo institutos fuisse docent, nullum autem in regno Neapolitano, et Siculo metropolitanum præter Romanum Pontificem a primis Ecclesiæ sæculis ad Leonem Isaurum exstitisse, pluribus ostendendum Carminius Fimianus sibi sumpsit in ea dissertatione, quam Neapoli edidit 1776, *De ortu et progressu metropolitanarum ecclesiarum in regno Neapolitano et Siculo.**

METUS.

SUMMARIUM.

1. Metus quid sit. — 2. Metus est duplex, scilicet gravis, seu cadens in constantem virum, et levis, seu cadens in virum inconstantem, et qualis sit uterque, *remissive*. — 3. Ad metum gravem quatuor conditiones requiruntur, et assignantur, *remissive*. — 4. Metus alius est incussus a causa intrinseca, et alius a causa extrinseca libera, et qualis sit uterque, *remissive*. — 5. Insuper metus alius est juste incussus et alius injuste et qualis sit uterque? *remissive*.—6. Qualis metus invalidet, seu dirimat matrimonium, necne, *remissive*. — 7. Metus et violentia in quacunque ætate incutiantur, reddunt matrimonium ipso jure nullum. — 8. Dummodo tamen talis sit metus, et violentia, ut potuerit cadere in constantem virum.—9. Mulieri dicenti se contraxisse per metum, incumbit onus probandi, non solum ipsum metum, sed etiam illius qualitatem. — 10. Metus cadens in constantem virum dicitur mortis periculum, aut corporis cruciatus et aliud hujusmodi grave malum — 11. Metus vanus et levis non excusat. — 12. Metus quando dicatur vanus, et levis, seu non cadens in constantem virum et quando gravis, seu cadens in constantem virum, relinquitur arbitrio judicis. — 13. Metus minus excusat feminam quam masculum. — 14. Metus mortis violentæ incussus a causa libera extrinseca cadens in constantem virum invalidat professionem regularem. — 15. Non invalidat autem dictam professionem, nec votum irritat metus mortis naturalis, seu ab intrinseco. — 16. Nec dictam professionem invalidat, nec votum irritat metus mortis accidentalis casualis. — 17. Cur professionem inficiat timor mortis violentæ incussus a causa libera extrinseca, et non timor mortis naturalis, vel accidentalis casualis? — 18. Metus mortis violentæ ad hoc, ut invalidet professionem, debet esse ab homine incussus et ordinatus ad ipsam professionem extorquendam. — 19. Secus autem non invalidat. — 20. Metus reverentialis, si præcesserint minæ, vel verbera, aut pater sit terribilis, annullat professionem. — 21. Professio dicitur metu facta ex præcedentibus minis, aut verberibus a patre illatis, etiam sine expresso præcepto.— 22. Insuper volunt multi, sufficere solum metum reverentialem, etiam absque minis. — 25. In praxi tamen tenendum est, non sufficere solum metum reverentialem ad annullandam, seu invalidandam professionem regularem. — 24. Quæ dicta sunt de metu circa professionem, veniunt proportionaliter cæteris paribus dicenda de metu circa matrimonium, et circa susceptionem sacrorum ordinum. — 25. Alia de metu, *remissive*. — 26. Metus electionem inficit ipso jure. — 27. Metus gravis cadens in constantem virum excusat a præcepto positivo tam divino quam humano.—28. Nullus tamen metus etiam mortis excusat ab observantia divini præcepti, cujus transgressio est intrinsece mala. — 29. Neque ullus metus etiam mortis excusat ab observantia præcepti, seu legis, cujus transgressio est contra bonum commune.—30. Subnectuntur *Addit. ex aliena manu ad num.* 44.

(1. Metus est, instantis, vel futuri periculi causa mentis trepidatio, l. 1, ff. *Quod met. caus.* S. Thomas in 4 sentent., dist. 29, quæst. prima in corpor.; Fagnan. in capit. *Sacris* 5, De his quæ vi metusve, n. 18.

(2. Metus est duplex, scilicet gravis, seu cadens in constantem virum, et levis, seu cadens in virum inconstantem, et qualis sit uterque? *Vide* verb. MATRIMONIUM QUOAD IMPEDIMENTA, art. 5, n. 119.

(3. Ad metum gravem quatuor conditiones requiruntur, et assignantur. *Vide*. d. verb. MATRIMONIUM QUOAD IMPEDIMENTA, art. 1, n. 120.

(4. Metus, alius est incussus a causa intrinseca, et alius a causa extrinseca libera, et qualis sit uterque? *V.* d. verb. MATRIMON. QUOAD IMPEDIMENTA, n. 121.

(5. Insuper metus alius est juste incussus, et alius injuste, et qualis sit uterque? *Vide* dict. verb. MATRIMONIUM QUOAD IMPEDIMENTA, n. 122.

(6. Qualis metus invalidet, seu dirimat matrimonium nec ne? *Vide* d. verb. MATRIMONIUM QUOAD IMPEDIMENTA, a n. 123 ad 127, et verb. MATRIMONIUM, art. 9, n. 4, 5, 6, 7 et 49.

(7. Metus, et violentia in quacunque ætate incutiantur, reddunt matrimonium ipso jure nullum, cum tollant libertatem consensus, textu expresso in cap. *De illis* 9 De desponsat. impub., ibi: « Sed cujuscunque sint ætatis, se possunt per illatam violentiam excusare, nisi post violentiam consensus accedat; » et concordat cap. *Veniens* 13, De sponsalibus et matrim. (8. Dummodo tamen talis sit metus, et violentia, ut potuerint cadere in constantem virum; cap. *Veniens* 15, et cap. *Consultationi* 28, tit. eodem; Fagnan., in cap. *De illis* 9 et 10, et, ipso teste, communis aliorum.

(9. Mulieri dicenti se contraxisse per metum, incumbit onus probandi non solum ipsum metum, sed etiam illius qualitatem, videlicet metum fuisse talem, qui cadere possit in constantem virum; cit. cap. *Veniens* 15, et cap. *Consultationi* 28, De sponsalibus, ibi: « Sed de illato metu est cum diligentia inquirendum, et si talis metus inveniatur illatus, qui cadere potuit in constantem virum, erunt non immerito audiendæ. » Fagnanus in cit. cap. *Consultationi*, n. 9, et alii passim. (10. Metus cadens in constantem virum dicitur mortis periculum, aut corporis cruciatus; et aliud hujusmodi grave malum; l. *Interpositas*, cod. *De transactionibus*, c. *Perlatum est* 1, et cap. *Cum dilectus* 6, De his quæ vi metusve causa fiunt, cap. *Si verum* 1, et cap. *Lotharius* 4, caus. 31, qu. 2; Fagnanus in cit. cap. *Consultationi*, n. 16; Cardinal. *ibid.* n. 1, et ibi Glossa ultimo communiter recepta.

Digitized by Google

(11. Metus autem vanus non excusat; l. *Metus autem* 2, ff. *Quod met. caus.*; l. *Vani timoris*, ff. *De regul. juris*, et l. *Si quis ab alio*, ff. *De re judicata;* Fagn. *l. c.*, n. 11, et alii passim.

(12. Metus autem quando dicatur vanus, et levis, seu non cadens in constantem virum, et quando gravis, seu cadens in constantem virum, relinquitur arbitrio judicis. Leg. *Metus autem* n. *Ex quibus caus. major.*; Glossa in dicta l. *Interpositas*, in verb. *Cruciatus*, cod. *De transactionib.*; Glossa additionalis in citat. cap. *Consultationi*, verb. *In constantem;* Fagnanus *ibid.*, n. 11; Abbas, in cap. *Cum virum*, n. 8, De regularibus, et alii apud Menoch., *De arbitr. judic.*, cas. 335, n. 3. (13. Metus tamen minor magis excusat feminam quam masculum, ut notat *Glossa* communiter recepta in cap. *Cum locum* 14, De sponsalibus et matrim., verb. *Metus*, per textum in cit. cap. *Indignantur* 4, caus. 32, quæst 6; Fagnanus in cit. cap. *Consultationi* n. 14; Butrius, *ibidem*, n. 14; Card., n. 1; Abbas, in 3 notab.; Præposit., n. 2. Alexander de Nevo, in 5 notabil.; Rota p. 7, recen. dec. 115, n. 12, p. 13, decis. 211, n. 8, et sæpe alibi.

« Dubitatur an in matrimonio contracto ex metu gravi possit resilire ille, qui metum incussit? Prima sententia affirmat, et hanc tenent Busemb... Sanchez... cum Soto, Henr. Man. Arag. Pal. etc. et probabilem putat Bonac... Ratio, tum quia in contractu matrimonii nequit alter esse obligatus, altero libero remanente; tum quia incutiens metum non tenetur stare matrimonio, neque ratione contractus, neque ratione injuriæ illatæ; non ratione contractus, quia ex contracto nullo nulla consurgit obligatio; non ratione injuriæ illatæ, quia hæc injuria non censetur tanta, ut non possit, nisi per matrimonium resarciri.

« Secunda vero sententia negat, eamque tenent Nav. Bon. Pont. cum Coninck, et Salm. cum Avers. Henr. Trull. Leand, etc. Ratio, quia nemo debet ex suo crimine commodum reportare. Hæc autem sententia, una cum præfata ratione maxime probatur ex cap. *Propositum* 1, De eo, qui duxit, etc., ubi: cum quidam conjugatus aliam uxorem duxerit, insciam prioris matrimonii, mortua deinde prima uxore, Pontifex decrevit virum teneri stare secundo matrimonio, si mulier voluerit, hanc rationem adducens: « Nec dignum est ut prædictus vir lucrum de suo dolo reportet. » ¡Nec valet dicere, quod ibi sermo sit de dolo, non metu, nam in c. *Cum contingat*, De jurejur., dolus et metus æquiparantur. Imo ait Lugo... quod jura majorem censent injuriam irrogari per metum, quam per dolum, unde quod in textu disponitur de dolo, æque, et forte potius intelligendum de metu. Hinc fit quod, licet metum incutiens non remaneat obligatus vi contractus, remanet tamen obligatus ratione injuriæ. Utraque sententia est probabilis, sed hæc secunda videtur probabilior; maxime si metus non possit probari, quia tunc, cum Ecclesia cogat metum passum ad cohabitandum, tale gravissimum incommodum non est reparabile, nisi per verum matrimonium et tanto magis si pars metum passa fuerit femina, quæ alias, soluto matrimonio, semper aliqua infamia remaneret notata. Et huic consentit etiam Pal.... ubi dicit primam sententiam tantum locum habere, quando injuria posset alia via reparari. » Ita D. de Ligorio, *De matrim.*, n. 1057.*

(14. Metus mortis violentæ incussus a causa libera extrinsece cadens in constantem virum invalidat professionem regularem; cap. *Perlatum est* 1, et cap. *Delectus* 6, De his quæ vi metusve causa fiunt; Fagnanus, in cap. *Sicut nobis* 17, De regularibus, n. 24 et 27, et communis aliorum. 15. Non invalidat autem dictam professionem, nec votum irritat metus naturalis, seu ab intrinseco, ut metus mortis in graviter ægroto, ratione cujus non impeditur votum emissum, cap. *Porrectum* 13, cap. *Sicut nobis* 17, De regularibus, etc. Ex part. IX *De conversion. conjugator.*; Fagnan., *loc. cit.*, n. 25, et alii passim. (16. Nec dictam professionem invalidat, nec votum irritat metus mortis accidentalis casualis, ut quando votum religionis assumendæ fuit emissum ab eo, qui metuebat mortem ex periclitatione navis, ex incendio, ruina, peste, aut clade, quæ forsan Deus immittit, ut homines convertantur, ut cap. *Convertimini* 16, q. 1, c. *Sanctum est*, De consecrat., dist. 4, et in Authentic. *Ut non luxurientur contra naturam* 1, respons., et § 1, collat. 6; Fagnanus *l. c.*, n. 26, et alii.

(17. Ratio autem, cur professionem inficiat timor mortis violentæ incussus a causa libere extrinseca cadens in constantem virum, et non timor mortis naturalis, vel accidentalis casualis, est, quia cum timetur mors illa violenta, metus incutitur ab homine, non a Deo, et contra violentiam hominis jura assistunt, ut l. 1, et toto titulo ff. *Quod metus causa*, et cit. cap. *Perlatum est* 1, et cap. *Cum dilectus* 6, De his quæ vi metusve caus. fiunt, cum similibus; cum vero timetur mors naturalis, aut accidentalis casualis, timor immittitur a Deo ad animæ conversionem, contra quod non competit restitutio, ut notat Joan. Andreas. in cap. *Cum virum*, De regularibus, et Fagnanus, *loc. cit.*, n. 28, nec esset superior, qui illam dare posset, cap. *Inferior* 21, distinct. et cap. *Cum inferior*, De majoritat. et obedient. Deus enim non semel per flagella corripit peccatores; cap. *Nabuchodonosor* 23, q. 4. Et sic distinguit *Glossa* in cap. *Sicut nobis* 17, De regularibus, verb. *De morte securus*, ubi expresse habet: « Quæritur quare alias timor mortis impedit monachari, ut cap. *Perlatum* 1, De his, quæ vi, metusve causa fiunt, et non hic? Respondeo: monachatur ibi, ut evadat mortem corporis: hic non monachatur, ut evadat mortem corporis, sed potius mortem animæ. » Et ita Hostiens., Joan., Andreas, Henric., Boich. cum Fagnan., *loc. cit.*, n. 28, et ipso teste cæteri alii.

(18. Metus autem, seu timor mortis vio-

Digitized by Google

lantæ ad hoc, ut invalidet professionem, debet esse ab homine incussus, et ordinatus ad ipsam professionem extorquendam, juxta textum in cap. *Perlatum* 1, De his quæ vi metusve causa fiunt. (19. Unde, si quis, ut evadat ultimum supplicium ob conscientiam scelerum commissorum, aut mortem sibi timens ab inimicis, religionem profiteatur, nisi aliud obstiterit, est valide professus, licet alias professurus non fuisset, ut articulo diligenter discusso, declaravit sacra congreg. Conc. teste Fagnano, in cap. *Si quis* 2, De regularibus, n. 82.

(20. Metus reverentialis, si præcesserint minæ, vel verbera, aut pater sit terribilis, annullat professionem. Sic, articulo mature discusso, firmavit Rota decis. 590, n. 2 et 3, et dec. 720, n. 3, *coram Merlino cum aliis*, in *Melevitana nullitatis professionis* 3 Januarii 1653, § *Nec dicatur*, et part. III, recent. decis. 109, n. 2, part. XIII, dec. 211, n. 6, et sæpe alibi, et sic tenet Pignatell., t. VII, consult. 77, cum communi aliorum. (21. Professio dicitur metu facta ex præcedentibus minis, aut verberibus a patre illatis, etiam sine expresso præcepto. Rota, cit. part. III, dec. 105, n. 2, et part. XIII, dec. 211, n. 6, cum plurimis ibi adductis. (22. Insuper Rota *in Tarraconensi, coram Merlino*, quæ est decisio 491 inter illius impressas, teste Pignatell., *loc. cit.*, n. 2, speciatim firmavit sufficere solum metum reverentialem, etiam absque minis, propter summam libertatem, quam hujusmodi actus requirit, ut ex mente sacræ congregationis Concilii tuetur Diana, part. III, tractat. 2, De regularibus, resolut. 92; Sperell., dec. 79, n. 28, cum aliis per Rotam *in Burgensi, nullitatis professionis* 16 Aprilis 1649, § *Quæ omnia, coram Arguelles*, et alii apud Reiffenstuel, lib. I *Decr.*, tit. 31, n. 164, et favet regul. 4, ff. *De regul. juris*, ibi : « Velle non creditur, qui obsequitur imperio patris, vel domini; » quia talis metus reverentialis communiter censetur æquivalere metui gravi. Pontius lib. IV, cap. 5; Tanner. Lessius, Barbosa apud Gobat, tract. 9, n. 249. (23. In praxi tamen tenendum est non sufficere solum metum reverentialem ad annullandam, seu invalidandam regularem professionem. Sic Reiffenstuel, lib. III *Decretal.*, titul. 31, n. 165, ubi, plurimis citatis, dicit esse probabiliorem, communiorem, et communissimam aliorum. Pirrhing *ibidem*, n. 120; Sanchez, lib. IV, *De matrim.*, disp. 6, n. 7 et 17, cum plurimis ibi adductis.

(24. Quæ dicta sunt de metu circa professionem, veniunt proportionaliter, cæteris paribus, dicenda de metu circa matrimonium, et circa susceptionem sacrorum ordinum. *Vide* Pignatell., t. VII, consult. 77, ubi de quolibet respective metu adducit Rotæ decisiones, et plurimos doctores.

(25. Alia de metu, *vide* verb. CONTRACTUS, ORDO, PROFESSIO, VOTUM, MATRIMONIUM QUOAD IMPEDIMENTA.

(26. Metus electionem inficit ipso jure, cap. *In nomine Domini* 1, Quod pravorum, § *Quod si quis contra*, dist. 23, cum similibus : Fagnan., in cap. *Orbis* 3, De Simonia, n. 64, et alii communiter. *Vide* verb. ELECTIO, art. 4, a n. 51 ad 57.

(27. Metus gravis, v. g. mortis, mutilationis, infamiæ, aut jacturæ bonorum cadens in constantem virum excusat a præcepto positivo tam divino, quam humano. Sic non tenetur quis in tali periculo, aut metu ad integritatem materialem confessionis, ad impletionem voti, ad observantiam jejunii, ad auditionem missæ in die festo, et hujusmodi; quia legislator non censetur obligare cum tanto incommodo; leges enim positivæ sunt accommodatæ humanæ conditioni, juxta illud *Matthæi* 11 : *Jugum meum suave est et onus meum leve.* Sanchez, I *Moral.*, cap. 18; Azor., part. I, lib. I, cap. 11; Layman. lib. I, tr. 2, cap. 14; Felix Potestas, t. II, part. I, n. 221 et 224, et alii passim.

(28. Nullus tamen metus etiam mortis excusat ab observantia divini præcepti, cujus transgressio est intrinsece mala; unde neque ob metum mortis licet fornicari, adulterare, mentiri, et hujusmodi. *Communis.* (29. Neque ullus metus etiam mortis excusat ab observantia præcepti, seu legis, cujus transgressio est contra bonum commune, quia bonum commune prævalet particulari. *Communis.*

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(30. Obligationes metu contractas jure naturæ esse nullas, non est quod dubitetur. Ut enim aliqua oriatur obligatio, satis haud est, ut is, qui se obligat, voluntatem habeat se obligandi, sed insuper necesse est ut is cui acquiritur obligatio capax sit ejus acquirendæ. (31. In obligationibus autem metu contractis, ut ut is, quis metu se obligat, voluntatem habeat se obligandi, is tamen, cui obligatio acquiritur, ejus acquirendæ haud est capax, cum nemo ex facto suo illicito meliorem suam conditionem facere possit; confer Puffendorf.

(32. Legibus vero Romanis placuit distinguere negotia bonæ fidei inter et negotia stricti juris. In illis se conformarunt juri naturæ; in his autem obligationem nasci voluerunt, sed metum passo remedio restitutionis in integrum subvenerunt. (33. Nec jus canonicum in totum recessit a jure Romano; Bohemer. in *Introduct. in jus Digest.*, lib. IV, tit. 2, n. 1; Schaumburg. in *Compendio juris digestor.*, lib. IV, tit. 2, § 1. An autem hodiernis moribus, sublata distinctione hac inter negotia bonæ fidei, et negotia stricti juris, nulla indistincte sit obligatio metu contracta? vide apud Strik., in *Usu moderno Pandect.*, lib. IV, tit. 2, § 2.

(34. Ut autem de restitutione in integrum, quam concedunt leges Romanæ, paucis disseramus, sciendum est quod non omnis metus ei locum facit, sed metus justus, qui dicitur « trepidatio mentis orta repræsentatione mali inevitabilis a tertio non jure facta; » l. 1, l. 7, in fin, et l. 8, ff. *Quod metus causa gestum erit.*

(35. Requiritur ergo : 1° ut malum repræ-

Digitized by Google

sentatum inevitabile sit. Quocirca in incontinenti imminere non debet, sed sufficit quoque futurum, modo probabiliter certum sit; l. 2, princip. ff. *Locati*. (36. Ita tamen comparatum esse debet, ut per metum agens, non velit solum, sed etiam possit illud inferre. Metus itaque infamiæ justus non est; l. 7, princip., ff. *Quod metus causa;* justus vero est metus mortis, verberum, carceris; l. 7, § 1, ff. d. tit., et l. 7, c. eodem; l. 13, c. *De transact.*, item stupri; l. 8, § 7, ff. d. tit. (37. De cætero in dijudicanda metus injustitia, judicis arbitrium non plene excluditur, qui non ad malum solum repræsentatum, sed ad « affectum quoque, et conditionem metuentis » respicere debet. Adi omnino Voet., *in Commentar. ad Pandect.*, lib. IV, titul. 2.

(38. 2° Requiritur ut a tertio malum sit repræsentatum. Sequitur autem hinc metum reverentialem non esse justum : suspicionem mali inferendi non sufficere l. 9, princ.; l. 21, princ., ff. dict. tit.; l. 9, princ., c. eodem; metum, quem nullæ minæ concomitantur, vanum esse : reales quidem minas, licet verba non accedant, non vero simpliciter verbales, metum inferre posse, si facti atrocitas non sit timenda; d. l. c., eod. titul.

(39. 3° Requiritur ut malum non jure repræsentetur. Aliud igitur, si jure licito repræsentetur, veluti in bello, vel a magistratu, nisi hic modum excesserit, l. 3, l. 7, § 1, ff. d. titul.

(40. Hisce autem positis, non solum actio ad repetendum id quod metu extortum est, sed et exceptio ad declinandam obligationem conceditur, nisi accesserit ratihabitatio obligationis cessante metu facta, l. 2 et l. 4, c. d. tit

(41. Actio datur non solum contra inferentem, sed etiam contra quemvis tertium rei metu extortæ possessorem, primario quidem *ad rem cum omni causa restituendam*, per accidens vero, si intra annum, vel jure codicis, intra quatriennium continuum sit instituta, restitutio vero ad arbitrium judicis non sequatur, *ad quadruplum* rei fructus, et omnis causæ; l. 14, § 7, ff. de tit. (42. Sed an hodiernis moribus hoc in casu ad quadruplum agi queat, non conveniunt doctores. Affirmat Strik., in *us. moderno Pandect.*, lib. IV, tit. 2; negant vero Gronowegen., ad l. 9, § 6, ff. h. tit.; Mornac., ad l. 14., ff. eodem; Gudelin., *De jure noviss.*, lib. III, cap. 12; adde Schaumburg., *in Compend. digest.*, lib. IV, tit. 2, § 7, ubi quod hæc actio, utpote non amplius hodiernis moribus pœnalis, sit perpetua.

(43. Interest autem utrum hæc actio instituatur contra tertium, an contra metum inferentem. Ille tantum tenetur de re exstante, et non exstincta l. 14, ff. d. tit., nec de fructibus perceptis, nisi ex iis factus sit locupletior; l. 18, ff. d. tit. Hic vero de re etiam casu exstincta, et de omnibus fructibus percipiendis quoque tenetur, l. 12, princ., ff. d. tit., idque quia ab ipso momento, quo rem sibi ex facto illicito habet, in mora restituendi esse intelligitur.

(44. Contra hæredem *qua talem* hæc actio non competit, quia ex facto illicito et famoso oritur. Tenetur tamen hæres qua possessor rei *actione quod metus causa :* si ad eum aliquod ex facto antecessoris lucrum venit, *actione in factum;* l. 16, § 3, l. 19, ff. d. tit. Num de jure canonico detur hæc actio contra hæredem, *qua talem;* consule Bohemer. in *Decretal.*, libr. V, tit. 17, § 5.

MILES (59).

SUMMARIUM.

1. Milites quid possint, et debeant facere, vel non ratione belli : *remissive*. — 2. Milites a quibus recipere possint, et debeant sacramenta, etc. ad n. 3. — 4. Milites an, et quando immunitate ecclesiastica gaudeant; ad n. 16. — 17. Alia ad rem ad num. 28. — 29. Subnectuntur *addit. ex aliena manu*, ibi.

1. Milites quid possint, et debeant facere, vel non ratione belli? *Vide* verb. BELLUM, artic. 8.

(2. Milites a quibus possint, et debeant recipere sacramenta pœnitentiæ, eucharistiæ, et extremæ unctionis, et coram quibus valide et licite contrahere matrimonium? *Vide* verb. CAPELLANUS MILITUM, per tot., ubi referuntur ad rem plurima decreto.

(3. Sacra congregatio Concilii *in Ferrarien. jurisdictionis* 12 Januarii 1704 resolvit non posse capellanum arcis Ferrariensis audire in eadem arce confessiones cum licentia eminentisimi legati, a quo deputatur, absque licentia eminentissimi episcopi, ut in lib. LIV *Decretor.*, fol. 1.

(59) Oppido falluntur qui primævæ Ecclesiæ sæculis nefas fuisse Christianis militare censent. Eos egregie confutavit Cl. Mamachius *Origin. antiq. Christian.*, tom. III, d. 303, sep. Tamen S. Basilius in sua ad Amphilochium epistola consilium dabat, ut qui puras (a cædibus in bello factis) manus non habent, triennio communione abstinerentur.' » Minime namque, ut ex Petavio monet idem Mamachius pag. 508, decere visum est, ut ei, qui justa etiam, et licita cæde manus imbuisset, sine piaculo ad tam sancta eucharistiæ mysteria permitteretur aditus. Quemadmodum Davidi legimus, quod hostilis sanguinis plurimum fudisset, non concessisse Dominum, ut templum exstrueret. Hinc etiam factum ut canones, eorum quoque, qui post baptisma milites aliquando fuissent, licet militare cingulum abjecissent, ordinationem prohibuerint; ea fortassis de causa, quod manus suas cruore infecisse præsumerentur; « Si quis, inquit Innocentius I, epist. 2, *ad Victricium*, post missionem peccatorum cingulum militiæ sæcularis habuerit, ad clericatum omnio admitti non debet : » quod epistola XXIII, cap. 4 et 6 inculcat. Paulo mitius concilium Toletanum I, can. 8, statuit, quod « si quis *post* baptismum militaverit, clamydem sumpserit, aut cingulum, etiamsi graviora non admiserit, si ad clerum admissus fuerit, diaconi non accipiat dignitatem. » '

Digitized by Google

(4. Milites confugientes ad ecclesiam, solam libertatem meditantes, et nullius alterius criminis rei, gaudent immunitate. Sacra congregatio Immunitat. *in Audomaren. et Ipren.* 4 Sept. 1624, lib. I *Decr.* Altovini, pag. 982.

(5. Milites transeuntes ad hostes gaudent immunitate ecclesiastica; quoad transeuntes autem ad hæreticos consulatur sacr. congr. S. Officii; eadem sac. congr. Immunitatis *in Ipren.* 19 Maii 1607, lib. I *Decr.* Altov. pag. 1259.

(6. Miles extractus ab ecclesia a suis officialibus militiæ gaudet immunitate ecclesiastica, et est restituendus; eadem sac. congregat. Immun. *in Cornetana* 28 Septembr. 1663, lib. *Decr.* Rocci, pag. 510.

(7. Milites confugiti ad ecclesiam, sed a proprio locum tenente assecurati posse redire ad suum proprium, ut dicitur, *quartiere*, relinquentes locum *immunem*, gaudent immunitate, dolose enim inducti sunt ad discedendum; eadem sacra congreg. Immunit. *in Spoletana* 2 Aprilis 1675, lib. I *Decret.* Altoviti, pag. 1081.

(8. Coloni mensæ episcopalis non possunt in milites describi, nisi aliter sanctissimus jusserit; eadem sac. congr. Immunit. *in Perusina* 11 Dec. 1646, lib. III *Decr.* Paul., pag. 297.

(9. Miles, qui asportaverat, ut dicitur, *il nome della sentinella*, a gubernatore arcis extractus, restituatur ecclesiæ, et postea nuntius extrahat, ac ex gratia speciali Sanctissimi consignet ministris reipublicæ, ut illum puniant prout juris; eadem sac. cong. Immunit. *in Veneta* 7 Junii 1635, lib. II *Decret.* Paul., pag. 160.

(10. Datur facultas extrahendi, et retinendi in castro regio nomine Ecclesiæ ad correctionem milites confugientes ad loca immunia, qui sunt incorrigibles in eorum delictis; eadem sac. cong. Immunit. *in Neapolitana* 20 Septembris 1660, l. I *Decret.* Altoviti, pag. 480.

(11. Annuente Sanctissimo, datur facultas archiepispo extrahendi milites confugientes in fraudem servitii militaris ad ecclesias, ad formam cap. *Inter alia*, De immunitate eccl.; eadem sac. cong. Immun. *in Sipontina* 18 Julii 1671, lib I *Decr.* Altoviti, pag. 576.

(12. Datur archiepiscopo facultas extrahendi milites confugitos in ecclesiam in fraudem servitii regii, eosque consignandi suo centurioni, reportato juramento non puniendi pro delicto; eadem sac. cong. Immunit. *in Mediolanen.* 25 Augusti 1696, lib. II *Decr.* Vallem., pag. 43.

(13. Jussu sanctiss. ex gratia speciali datur, seu prorogatur ad aliud biennium episcopo Mantuæ facultas extrahendi milites desertores vel reos alterius criminis militaris a quocunque loco immuni dictæ civitatis, et diœcesis, eosque consignandi suis superioribus, reportata ab iis obligatione jurata de eos non puniendo ob fugam, vel ob aliud delictum, sed de illos tantum retinendo tanquam milites, ut antea; eadem. sac. cong. Immunit. *in Mantuana* 9 Junii 1703, lib. III *Decr.* Vall., pag. 493.

(14. Mandante Sanctissimo, similis facultas conceditur archiepiscopo Taurinen. sub iisdem cautelis pro viginti casibus; eadem sac. cong. Immunit. in Taurinen. 10 Maii 1700, lib. II *Decr.* Vall., pag. 289.

(15. Cum pro parte regis catholici eminentissimus Trivultius supplicasset Santissimo pro expediendo brevi ad hoc, ut milites delinquentes non fruantur immunitate ecclesiastica in ecclesiis, seu capellis positis in castris, et arcibus majestati catholicæ pertinentibus, responsum fuit: Recurrat in casibus particularibus; eadem sacra cong. Immun. *in una regnorum regis catholici* 12 Novembr. 1652, lib. V *Decr.* Paul., pag. 2.

(16. Milites refugæ a triremibus, et ad ecclesiam confugientes, gaudent immunitate, sed, si petantur, restituuntur, præstito prius juramento a triremium præfecto, illos non puniendi; ead. sac. cong. Immunit. *in Anconitana* 6 Sept. 1672.

(17. Ab onere hospitandi milites ecclesiastici sunt omnino exempti; ead. sacr. congr. Immun. *in Papiensi* 10 Sept. 1629, l. II *Decr.* Paul,, pag. 6.

(18. Etiam in bonis patrimonialibus pro sua portione, et virili; ead. sac. cong. *in Dertonen.* 4 Novembris 1629, lib. II *Decr.* Paul, pag. 18.

(19. Ecclesiastici non possunt ejici a propriis domibus occasione habitationis militum; eadem sac. cong. Immun. *in Aquilana* 16 Aprilis 1630, *et Nullius Altomuræ* 27 Aprilis 1632, apud Pignatell., tom. II, consult. 32, n. 6.

(20. Officiales et milites, prævia reintegratione ecclesiæ, et consensu partis, absolvuntur ob violentam hospitationem in domo canonicali; ead. sac. cong. Immunit. *in Augustana Pedemont.* 9. Apr. 1695, lib. I *Decr.* Vallem., pag. 1881.

(21. Item eadem sacra congr. Immunit. sub die 30 Junii 1532, dedit litteras episcopis status Mediolanensis pro tuenda libertate ecclesiastica ab hospitatione militum. Idem decrevit *in Derdonen.* 27 Martii 1635; scripsitque episcopo Bobiensi, ut viriliter tueatur clerum ab hospitatione militum, ut sub 23 Augusti 1633. Idem episc. Placentino sub 29 Maii 1634 apud Bignatell., *loc. cit.*, num. 7.

(22. Item eadem sacra. congreg. Immunit. censuit pariter domos regularium, et monasteriorum monialium exemptas esse ab hospitatione militum, ut *in Cotronen.* 23 Augusti 1633, apud Pignatell., *loc. cit.*, num. 8.

(23. Episcopus non permittat hospitationem equorum militarium in atriis, et curtilibus monasteriorum monialium; ead. sacr. congr. Immunit. *in Asten.* 5 Decembris 1696, lib. II *Decr.* Vallem., pag. 61.

(24. Ministri publici civitatis, qui violenter fecerunt reponi fenum in claustro regularium, incidunt in excommunicationem; seu attenta remotione feni, et prævia aliqua eleemosyna eroganda ecclesiæ violatæ, cou-

Digitized by Google

sensu partis, et obligatione de non incurrendo amplius in similia, datur facultas absolvendi in forma; eadem sac. congr. Immun. *in Papien.* 27 Aug. 1697, lib. II *Decret.* Vallem., pag. 110, apud Riccium, verb. HOSPITATIO, n. 5.

(25. Neque bona episcopi gravari possunt hospitatione militum; ead. sac. cong. Immun. *in Regien.* 12 Januarii 1642. Imo censuit domos ecclesiasticorum, quanquam laicis locatas, esse exemptas ab hospitatione militum; ead. S. congr. Immun. *in Navarien.* 9 Junii 1627, apud Pignatell., *loc. cit.*, n. 10.

(26. Onus hospitationis militum non est personale, sed mixtum, ideoque clericus conjugatus ab eo non est exemptus, nisi concurrat consuetudo; eadem sacra. congreg. Immunit. 13 Julii 1649, lib. III *Decret. Paul.*, pag. 120.

(27. Miles præsidiarius sepeliri debet in parochia arcis, ubi actualiter moratur, non autem in alia parochia ubi retinet domum apertam cum uxore, et filiis; sac. congr. Conc. *in Romana Juris sepeliendi* 17 Augusti 1596, apud Ursayam in *Miscellaneo* 1 *sacro, et profano*, litt. *M*, n. 203.

(28. Militum stationes non præbent justam causam dispensandi populum ab observantia Quadragesimali; Benedict. XIV, tom. I, const. 130, incip. *Libentissime*, § 19. Milites Mauritii imperatoris lege probibiti sunt monasticam vitam amplecti, sed contra hanc legem scripsit S. Gregorius M. Idem to. II, constit. 25, incip. *Ex quo dilectus.*

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(29. De re militari consule Voet. *Lib. de singul, De jure militar.*, octo hisce capitibus, absoluto. Primum est de bello in genere, et nonnullis ejus speciebus, ac divisionibus. Secundum de militia: qui, et quales, et quomodo in militiam sint ascribendi. Tertium de variis militum gradibus, ac speciebus, præsertim de exercitus imperatore, ejusque requisitis. Quartum de delictis, ac criminibus militum, eorumque pœnis. Quintum de præmiis militum, et præda bellica. Sextum de privilegiis militum, et aliis quibusdam, præter jus commune quoad milites constitutis. Septimum de judiciis militaribus. Et octavum de missione militum, et pace. Confer etiam Burges *Singular. observat. juridic. politic. militar.*, centur. quatuor. * Præter Voetium præstabit consulere Gerardi Sichtermanni, *De pœnis militaribus*, eruditum tractatum, Amstelodami 1708, multæ leges, variæque antiquitates optime illustrantur; præsertim vero Joann. Christiani Lunigii, *Corpus juris militaris.* Lipsiæ 1723, fol. Exsant, et alii duo libri non contemnendi, qui huic argumento inserviunt, Balthasaris Ayalæ, *De jure et officiis, nec non disciplina militari*, Antuerpiæ 1597, et Lovanii 1648, et Joachimi Burgeri, *Observationes militares*, Coloniæ 1651, in-4°.

MILITIA (60).

SUMMARIUM.

1. De Militia S. Georgii martyris, sancti Januarii, S. Joannis Hierosolymitani, et SS. Mauritii et Lazari varia proferuntur, ad n. 14.

(1. Militia S. Georgii M. a duce Bavariæ erigitur, et in ea constituuntur sex officia ecclesiastica cum Approbatione apostolica conferenda viris nobilibus equitibus ecclesiasticis, quorum primus episcopali dignitate, et charactere sit insignitus, ut pontificalia munera in ordinis præfati ecclesia sub invocatione sancti Georgii martyris Deo dicata, et ab omni ordinarii episcopi loci jurisdictione immunis, et exempta exercere valeat. (2. Secundus, cum præpositi nomine, et pontificalium usu, ut vices antistitis, hoc absente, vel legitime impedito, expleat. (3 Tertius, ac quartus cum decanorum nominibus, qui divinis officiis, sive Horis canonicis cum aliorum militum equitum interventu in dicta ecclesia persolvendis in choro intersint. (4. Quintus ac sextus denique eleemosynarii ab honore appellati, a quibus decanorum munera ipsis absentibus pariter, aut legitime impeditis, præstentur, Benedictus XIV, tom. I, constitut. 32, incipien. *Militares*, § 2 et 3, et per tot.

(5. Militia S. Januarii a Carolo utriusque Siciliæ rege erecta confirmatur, ejusque officialibus, et militibus indulta, et privilegia varia conceduntur. Id., constit. 24, incip. *Romanæ Ecclesiæ*, per tot.

(6. Militia hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani laudatur, et ipsius militibus, et subditis conceduntur indulta cruciatæ. Idem, constitut. 86, incipien. *Quoniam*, per tot. (7. Super ejus triremibus permittitur celebratio missæ cum solitis opportunis cautelis. Idem, constit. 41, incip. *Exponi. Vide* ad verb. HIEROSOLYMITANI MILITES.

(8. Militia Sancti Lazari Hierosolymitani a S. Pio V reformata, a Gregorio XIII unita fuit militiæ Sancti Mauritii; et Clemens VIII privilegiorum communicationem inter eos indulsit. (9. Inter quæ aderat facultas a S. Pio V concessa erigendi commendas ex beneficiis ecclesiasticis simplicibus de jurepatronatus laicorum. Idem, constitut. 10, incip. *Fructuosa*, § 1, 3 et 4.

(10. Militia S. Mauritii martyris a Gregorio XIII erigitur sub regula Cisterciensi. Ejus sedes principalis in Sabaudia, et magnus

(60) Historiam ordinum militarium et equestrium, præter Hermantium, et Bonannium, dabunt Bernardus Giustiniani, in italico opere Venetiis excusso 1692, fol, *Istorie cronologiche dell'origine degli ordini militari, e di tutte le religioni cavalleresche*, et Honoratos a S. Maria in Gallicis dissertationibus historicis, et criticis *sur la chevalerie ancienne et moderne, séculière et régulière*, avec des notes; Parisiis, 1718, in-4°.

Digitized by Google

magister Sabaudiæ dux constituitur. (11. Eidem unitur militia Sancti Lazari Hierosolymitani, et Clemens VIII confirmat unionem cum communicatione privilegiorum. Idem, *ibid.*, § 2, 3 et 4.

(12. Dictæ militiæ SS. Mauritii et Lazari magno magistro conceditur, ut ex beneficiis ecclesiasticis simplicibus de jurepatronatus laicorum erigere possit commendas sui ordinis, de consensu patronorum. Idem, *ibid.*, § 6. (13. Et probationes super natura hujusmodi beneficiorum fieri possint coram nuntio apostolico apud Sardiniæ regem, et Sabaudiæ ducem residente, sive coram archiepiscopo Taurinensi, aut episcopo viciniori. Idem, *ibid.* (14. Et erectiones commendarum confirmari per litteras in forma brevis, vel etiam per simplex decretum congreg. Episcopor. et Regular. vel concilii Tridentini. Idem, *ibid.*, § 7.

(15. Officiales patentati SS. Mauritii et Lazari subjiciuntur jurisdictioni ordinarii; cum enim nonnulli sacerdotes diœcesis Uritanæ litteras, quas *patentales* vocant, obtinuissent a vicario commendæ SS. Mauritii et Lazari, et ob id se immunes censerent a jurisdictione ordinarii; proposito dubio, an officiales patentati SS. Mauritii et Lazari sint exempti a jurisdictione ordinarii? Sacr. congregatio Conc. *in dicta Uritana* die 7 Septembris 1726 respondit *negative*, apud *Thesaurum Resolut.* dicti anni (61).

MINISTER SACRAMENTORUM.

SUMMARIUM.

1. Minister sacramentorum novæ legis est qui, nomine Christi operans, sacramentum conficit. — 2. Minister sacramentorum de lege ordinaria, et ex vi præsentis institutionis, est solus homo viator. — 3. Minister sacramentorum extraordinarius potest esse creatura rationalis, sive anima separata, sive angelus, sive etiam dæmon, si a Deo assumeretur. — 4. Dicunt tamen aliqui quod si quis a S. Petro, vel alio beato extraordinarie absolveretur a peccatis, esset quidem vere absolutus, attamen maneret obligatus ad confitenda mortalia homini victori et ad subjicienda directe clavibus Ecclesiæ militantis. — 5. Non quivis homo est cujusvis sacramenti minister. — 6. Minister baptismi, confirmationis, eucharistiæ, pœnitentiæ, extremæ unctionis, ordinis et matrimonii qui esse possit? *remissive.* — 7. Qualis intentio requiratur in ministro sacramentorum? *remissive.* — 8. Minister sacramentorum debet habere intentionem internam, ut valide sacramentum conficiat. — 9. Ad hoc sufficit attentio virtualis. — 10. Quænam sit attentio virtualis, actualis et habitualis, interna et externa? *remissive.* — 11. Minister voluntarie distractus in conficiendis sacramentis, quamvis ordinarie non peccet nisi venialiter, potest tamen interdum peccare mortaliter. — 12. Minister sacramenti specialiter ad id consecratus, solemniter ex officio conficiens sacramentum in mortali, peccat mortaliter, nisi adest casus extremæ necessitatis vel impossibilitatis. — 13. Laici, et non sacerdotes baptizantes in mortali, non committunt novum peccatum mortale. — 14. Etiam sacerdos non peccat mortaliter, cum in casu extremæ necessitatis puerum agonizantem, non prius contritus de mortali illico privatim baptizat, seu moribundum adultum absolvit. — 15. Imo multi volunt, tam laicum, quam sacerdotem privatim in casu extremæ necessitatis puerum agonizantem baptizantes, et sacerdotem adultum absolventem, nullum peccatum, ne quidem veniale committere, si interim, urgente necessitate, nequeant se tam cito disponere ad contritionem. Quinimo volunt potius eos peccare, si in tali casu non baptizent et non absolvant. — 16. Minister sacramenti baptismi et pœnitentiæ existens in mortali peccat mortaliter, quoties illud extra casum necessitatis ministrat, interruptis moraliter ministeriis. — 17. An minister ordinarius seu alius sacerdos una vice, et velut uno moraliter ministerio duos gemellos, aut etiam plures continuate baptizans, vel absolvens, peccet toties quoties successive baptizat seu absolvit? *remissive.* — 18. Sacerdos mortaliter peccat quoties in mortali celebrat, et in die Natalis Domini tria peccata mortalia committit. — 19. Item mortaliter peccat sacerdos conferens in mortali extremam unctionem. — 20. Item mortaliter peccat episcopus conferens in mortali confirmationem et ordines. — 21. Item mortaliter peccat contrahens matrimonium in mortali, non solum prout est suscipiens, sed etiam prout est ministrans. — 22. Parochus assistendo matrimonio, non peccat mortaliter. — 23. Quamvis ministrans sacramenta extra casum necessitatis in mortali peccet mortaliter, valide tamen illa ministrat. — 24. Sic etiam ad valorem baptismi non requiritur fides ministri. — 25. Ministri sacri, qui ministrando sacramentum *non conficiunt*, sed sacramentum jam confectum solum aliis *applicant, aut distribuunt* in mortali, probabilius non peccant mortaliter: sicuti nec peccant mortaliter, in mortali conficientes sacramentalia, aut res sacras tractantes. — 26. Minister dignior non causat plus gratiæ ex vi sacramenti, seu ex opere operato; potest tamen minister dignior ex opere operantis mereri, aut impetrare majores gratias suscipienti independentes a sacramento. — 27. Minister per se loquendo peccat mortaliter, si sacramentum ministret scienter indigno. — 28. Minister ordinarie peccat mortaliter conferendo sacramentum peccatori publico et notorio, sive illud ei conferat privatim, sive publice. — 29. Si vero talis peccator esset in articulo mortis constitutus, tunc posset, imo deberet minister ei petenti sacramentum conferre. — 30. Minister peccat graviter, si sacramentum ministret occulte peccatori occulto, nisi indignitas peccatoris occulti esset cognita ex sola sacramentali confessione. — 31. Minister non peccat ministrando sacramentum peccatori occulto publicé illud petenti. — 32. Minister nullo unquam casu, neque ob metum mortis sibi incussum, potest licite ministrare sacramentum incapaci. — 33. Potest tamen ob metum mortis licite ministrare sacramentum scienter indigno. — 34. Dummodo tamen non petatur in odium fidei, vel contemptum religionis. — 35. Per se loquendo non est licitum petere et recipere sacramentum a ministro notorie indigno, qui prævidetur et creditur ipsum collaturus in peccato mortali. — 36. Si peccatum ministri non sit publicum et notorium, potest quis licite petere et recipere ab eo sacramentum. — 37. Ob causam necessitatis vel utilitatis notabilis licitum

(61) Quæ ad ordinum militarium jura aliaque a theologo et juris ecclesiastici perito disquirenda pertinent, habes paucis apud Ascanium Tamburinum, *De jure abbatum*, tom. II, p. 462, seqq., Colon. edit. 1694, cum primis vero adi Andreæ Mendo, *De ordinibus militaribus disquisitiones canonicas, theologicas, morales et historicas*; Lugduni (quæ auctior prima editio est), 1668, in-fol.

Digitized by Google

est petere et recipere sacramentum a ministro indigno, qui possit digne ministrare, quamvis prævideatur et credatur indigne administraturus. — 38. A ministro cui incumbit ex officio sacramenta ministrare, licitum est ea petere et recipere, etiam extra casum necessitatis solo intuitu proprii profectus specialis, quamvis ille sit notorie indignus, et etiam excommunicatus toleratus. — 39. Non licet tamen petere et recipere sacramenta a ministro excommunicato non tolerato, et vitando. — 40. Excipe tamen casum extremæ necessitatis. — 41. Minister simulans, non solum formaliter, sed etiam materialiter administrationem sacramenti ob metum gravem quemcunque etiam mortis, peccat mortaliter. — 42. Simulatio tamen materialis circa rem plane indifferenter se habentem ad sacramentum per se loquendo, si non adsit alia vitiosa circumstantia, non est illicita. — 43. Gravius peccat qui simulat administrationem sacramenti, quam qui sacrilege illud conficit seu administrat. — 44. Minister in administratione sacramentorum sequens sententiam tantum probabilem de valore, relicta tutiore, peccat mortaliter. — 45. Si non agatur de valore sacramenti, sed tantum de modo administrandi, potest minister sequi opinionem practice probabilem, relicta tutiore. — 46. Minister utens materia vel forma falsa peccat mortaliter. — 47. Item peccat mortaliter per se loquendo, si utatur materia, vel forma dubia; in casu autem quando non potest habere certam, potest et debet adhibere dubiam. — 48. Item peccat mortaliter omittendo intentionem requisitam. — 49. Minister repetens absolute formam sacramentalem, vel aliquid in ea, cum dubio tantum levi, et inani timore, per se loquendo peccat mortaliter. — 50. Quando tamen est prudens dubium de valore sacramenti collati, potest licite, imo debet minister illud iterare, saltem sub conditione. — 51. Minister, qui ex officio est pastor, tenetur ex justitia suis subditis, etiam extra necessitatem gravem, rationabiliter petentibus sacramenta ministrare. — 52. Talis minister tenetur sub mortali cum quantocunque magno suo detrimento temporali, et etiam cum propriæ vitæ periculo, non solum in extrema, sed etiam in gravi necessitate spirituali alicujus sibi subjectæ ovis, ei ministrare sacramenta. — 53. Si autem esset unicus minister, quo sublato, deesset communitati minister sacramentorum, hic non debet singulis ministrare sacramenta cum probabili periculo infectionis, seu mortis, sine quo periculo aliis sacramenta ministrare posset. — 54. Minister, qui ex officio non est pastor, non tenetur ex justitia ministrare sacramenta; tenetur tamen ex charitate, etiam cum vitæ suæ periculo sacramenta necessaria ministrare in extrema necessitate spirituali alicujus. — 55. An minister baptismi valide et licite puerum alias sine baptismo moriturum, in flumen, vel puteum projicere queat, ad n. 56. — 57. Subnectuntur *Add. Romani theologi*, ad n. 67.

(1. Minister sacramentorum novæ legis est qui, nomine Christi operans, sacramentum conficit. *Communis*. Unde in rigore, qui eucharistiam tantum distribuit, non est proprie minister, quamvis sæpe dicatur ministrare, latius sumendo. (2. Minister sacramentorum de lege ordinaria, et ex vi præsentis institutionis, est solus homo viator; Christus enim Dominus solos homines viatores allocutus est in institutione eorumdem sacramentorum; et ad ministerium extremæ unctionis, ex divo Jacobo apostolo requiritur fides, quæ est solum propria viatorum. Sic tenent communius doctores, imo La Croix, lib. I, part. I, n. 5, dicit sic tenere communiter auctores cum S. Thoma, III part., quæst. 64, artic. 7; Lugo, disp. 8, sect. 1.

(3. Minister sacramentorum extraordinarius potest esse quælibet creatura rationalis, sive anima separata, sive angelus, sive etiam dæmon, si a Deo assumeretur. *Communis* cum S. Thoma, III part., quæst. 64, art. 7, et Scoto, in 4, dist. 6, quæst. 1 (62). Unde,

(62) *Nota editorum Casinensium.* — Martinus Lutherus impie asseruit omnes esse omnino ministros sacramentorum, non solum homines, sed etiam dæmones: « Ego non dicam (sic ille in libro *De missa privata*), quod papistæ dicunt, nullum angelorum, nec Mariam quidem ipsam consecrare posse. Sed e contra dico, si diabolus ipse veniret, et ego postea resciscerem diabolum sic irrepsisse in officium pastoris Ecclesiæ, in specie hominis, vocatum ad prædicandum, et publice in ecclesia docuisse, baptizasse, celebrasse missam, et absolvisse a peccatis, et tali munere functum esse juxta institutionem Christi, tunc cogeremur fateri sacramenta ideo non esse inefficacia, sed verum baptismum, verum Evangelium, veram absolutionem, verum sacramentum corporis et sanguinis Christi nos accepisse. »

Hujusmodi assertum ex eo probare studet « quia fides nostra, dignitas et efficacia sacramentorum, non nititur qualitate personæ, sed Christi verbis, et ordinatione. Sive igitur persona bona sit, sive mala, sive uncta, sive non uncta, sive Satan, sive angelus, idem efficit, modo servet Christi ordinationem. Tum etiam quia Judas, qui erat membrum diaboli, non minus prædicabat et baptizabat quam cæteri apostoli (*Matth.* x; *Joan.* iv, 1 et 2, ubi dicitur Christi discipulos baptizasse, ibi: *Quanquam Jesus non baptizaret, sed discipuli ejus*). » Cur igitur non possit diabolus quod possunt membra ejus? Apud Bellarm., *De sacram. in gen.*, l. I, cap. 24.

Sit igitur propositio adversus hunc novatorem: « Minister sacramentorum homo (*viator*) esse debet, non autem angelus, sive bonus, sive malus: est communis apud theologos. » Ita Bellarminus, *De sacram. in gen.*, l. I, cap. 24. Et ut loquitur Vasquez: « Vera, et catholica sententia est: Ministrum sacramentorum debere esse hominem, angelum autem esse non posse. Hæc est certa apud scholasticos, et quamvis non sit expresse definita in conciliis, pro veritate tamen catholica habenda est, ita ut oppositum asserere sit error. » In III part. D. Thom., disput. 138, cap. 1, n. 5.

Et revera Deum hanc auctoritatem solis hominibus viatoribus dedisse, non autem angelis bonis, vel malis, ex S. Scripturis clarissime evincitur. Quippe *Matth.* xxviii solis hominibus dixit: *Euntes docete omnes gentes*, etc.; item *Lucæ* xxii, solis hominibus dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*; sic pariter solis hominibus dixit. *Joannis*, xx, 23: *Quorum remiseritis peccata*, etc. Hinc apostolus Paulus *Eph.* iv, 8 et seqq. Christum inquit, ascendentem in cœlum dedisse *dona hominibus*: postea hæc dona enumerat dicens: *Et ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios pastores et doctores... in opus ministerii.* Ac denique ad *Hebr.* v, 1: *Omnis namque pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis.*

Probatur 2. Nam sacramentum est signum sensibile; ergo non nisi per visibiles homines administrari potest.

Quare Chrysostomus lib. III, *De sacerdotio*, cap. 5,

Digitized by Google

si constaret sacramentum esse a beato seu ab angelo collatum, de ejus valore non esset dubitandum, quia certum est beatum seu angelum non nisi ex speciali Dei deputatione id fuisse facturum. Seclusa tamen certa revelatione, ut ait Scotus *loco citato*, dubitandum esset de collato a dæmone, cum sit spiritus mendacii, et aliunde non quærat hominem salvare, sed perdere. S. Thomas quoque *loc. cit.* inquit : « Si... dæmones, qui aperte testatur angelis non esse concessum quod est concessum hominibus ut sacramenta ministrent: « Qui terram incolunt, sic ille, in eaque commorantur, ad ea, quæ in cœlis sunt, dispensanda commissi sunt, potestatemque acceperunt, quam neque angelis, neque archangelis dedit Deus. »

Ad argumenta vero ejusdem Lutheri, quæ attulimus : quoad primum, scilicet quod efficacia sacramentorum non pendeat a qualitate ministri, respondet Bellarminus: « Concedimus sacramentorum efficaciam non pendere a qualitate ministri quacunque. Non enim pendet a qualitate accidentali, ut est bonitas : tamen pendet a qualitate essentiali, sine qua non esset verus minister : talis autem in primis est, ut sit homo. » *De sacram. in genere*, lib. I, cap. 24.

Ad aliud argumentum, quod Judas et membrum diaboli fuerit, et tamen vera sacramenta ministraverit, respondet idem Bellarminus : « Fatemur Judam, et membrum diaboli fuisse, et vera sacramenta ministrasse : negamus autem idem convenire diabolo. Nam Judas, non ut membrum diaboli, sed ut minister Christi sacramentum administravit: fuit autem Judas Christi minister, quia verus homo erat, et a Christo acceperat potestatem baptizandi, quorum neutrum diabolo convenit. » L. et cap. cit. « Mali homines, audiamus D. Thomam, non habent, quod possint ministrare in sacramentis, ex hoc quod per malitiam sunt membra diaboli; et ideo non sequitur quod diabolus, qui est eorum caput, magis hoc possit. » Part. III, q. 64, art. 7, ad 3.

Igitur « de facto, ac de lege Dei ordinaria, solus homo viator est legitimus sacramentorum minister. »

Quamvis vero « ad homines pertineat dispensare sacramenta, et in eis ministrare, non autem angelos : » extra ordinem tamen idipsum potest Deus demandare angelis, seu animabus beatis. Ita communiter theologi cum D. Thoma, qui sic habet :

« Sciendum.. quod sicut Deus virtutem suam non alligavit sacramentis, quin possit sine sacramentis effectum sacramentorum conferre : ita etiam virtutem suam non alligavit Ecclesiæ ministris, quin etiam angelis possit virtutem tribuere ministrandi in sacramentis. Et quia boni angeli sunt nuntii veritatis, si aliquod sacramentale ministerium a bonis angelis perficeretur, esset ratum habendum : quia deberet constare, hoc fieri voluntate divina : sicut quædam templa dicuntur angelico ministerio consecrata. » Part. III, q. 64, art. 7.

Contra vero idem D. Thomas docuit haud esse ratum habendum sacramentum quod ab angelo malo esset ministratum. Lubet ejus verba exscribere tenoris sequentis.

« Si vero dæmones, qui sunt spiritus mendacii, aliquod sacramentale ministerium exhiberent, non esset ratum habendum. » *Loc. cit.* Et eidem S. doctor alibi : « Dicendum, ait, quod diabolus in figura sacerdotis apparens, potest immergere, sed non sacramentum conferre, propter duas rationes; primo quia dispensatio sacramentorum non est concessa nisi hominibus... secundo si baptizare se fingeret, semper esset timendum, quod non faceret intentione baptizandi, quæ ad sacramentum exigitur, sed intentione decipiendi; quia non esset probabile quod tantum bonum homini procuraret, sicut est spiritualis regeneratio. » In 4 sent., dist. 5, quæstiuncula 2, art. 3.

Scotus sane in 4, dist. 6, q. 1, in eam ivit sententiam, dæmonem de præcepto, et jussu Dei sacramentum ratum perficere; ibi. :

« Si etiam malus angelus in corpore assumpto baptizet, et constet quod esset de præcepto Dei, talis habendus esset pro baptizato, quia oportet malum angelum, etiam invitum, obedire Deo. »

CL. Vasquez in III part. D. Th., disput. 158, cap. 1, n. 8, hanc sententiam Scoti referens, concludit pro negativa cum cit. D. Thom. et Thoma de Argentina, nempe nequaquam esse firmum et ratum hujusmodi sacramentum, quippe cum existimandum non sit, Deum, cui angeli boni non desunt, tale ministerium dæmoni committere velle. « Cæterum, sic ille, notandum est id quod ait S. Thomas, si quando accideret ut angelus bonus in humana forma assumpta ministraret sacramentum aliquod, fore ut ratum et firmum existimandum esset, non quia ordinariam habeat ad hoc potestatem, sed quia eo ipso, quod bonus angelus illud ministrasset, credendum esset ad jussa Dei fecisse, ac proinde Deum, qui est auctor sacramentorum voluisse sacramentum per angelum ministratum firmum et ratum esse. Hoc ipsum notavit Scotus... idemque dixit fore de angelo malo, si manifeste constaret, præcepto et jussu Dei sacramentum ministrasse, alioquin, nisi aperte constaret de præcepto Dei, pro nullo habendum esse; in quo etiam cum S. Thoma convenit, quamvis S. doctor, et Thomas de Argentina in 4, dist. 6, q. 1, part. I, in fine, absolute dicant, et merito, ministratum a dæmone (sacramentum) *nunquam habendum esse pro firmo et rato;* neque enim existimandum est Deum illi hoc ministerium committere voluisse, cum boni angeli ipsi non desint. »

Suarez, in *Comment. in D. Th.*, cit. III p., q. 64, art. 7; Natal. Alex., *Theol. dogmat. et moral.*, l. II, cap. 7, art. 1; Petrus Gazzanica, dissert. 2, *De sacram.*, c. 1; S. Thomæ supra allatam doctrinam pariter amplexi sunt, ipsissimis exscriptis ejus verbis.

Ita quoque sentit Bellarminus, qui postquam cum eodem D. Thoma docuit angelum bonum posse esse extraordinarium sacramentorum ministrum (proferens ad hoc exemplum S. Amphilochii, quem angelos episcopum ordinasse narrat Nicephorus), id de dæmone negat. « Est autem observandum (sic ille) quod si forte angelus bonus sacramentum aliquod ministraret, illud habendum esset ratum, quia certum esset, id factum esse divina dispensatione extraordinaria. » — « Quocirca, prosequitur Bellarminus, refert Nicephorus lib. XI, cap. 20. S. Amphilochium ab angelis ordinatum episcopum; idque ratum habitum ab episcopis ejus provinciæ. » (* Verum, quæ de angelorum ministerio in sacramentis, vel conferendis, vel etiam conficiendis narrantur non facile credi debent, nisi gravibus innitantur testimoniis, ut optime monet Gazzanica, dissert. 2, *De sacram.*, cap. 1. *) « At si diabolus (concludit Bellarm.) idem faceret, *iterandum esset sacramentum;* quia diabolus nec habet ex se potestatem, nec *peculiari Dei dispensatione acciperet*, sed sibi usurparet, ut falleret. » *De sacram. in gen.*, lib. 1, cap. 24. Ita pariter tenet Lessius, hoc sane pacto : « Per divinam dispensationem angelus potest esse sacramenti minister... Diabolo tamen in tali ministerio non est credendum, quia Deus hoc nunquam ei committet. » *In D. Thom.* q. 64, *De minist. sacram.*, art. 7, d. 3.

Bonacina vero cum Pitig. et aliis in hac re ita distinguit, nimirum : « Si aliquod sacramentum de potentia ordinaria administraretur a diabolo, non habendum esset validum, sed invalidum, quia non

Digitized by Google

sunt spiritus mendacii, aliquod sacramentale ministerium exhiberent, non esset ratum habendum. » (4. Dicit tamen, et ad longum probat Lugo in *Respons. moral.*, lib. I, dub. 16, quem sequitur La Croix, lib. VI, part. I, n. 50, quod, si quis a S. Petro vel alio beato extraordinarie absolveretur a peccatis, esset quidem vere absolutus et justificatus ; attamen maneret obligatus ad confitenda mortalia homini viatori et ad subjicienda directe clavibus Ecclesiæ militantis; sicuti qui nunc sua peccata Christo confitetur, et ab eo per contritionem impetrat eorum remissionem, non ideo liberatur ab obligatione confitendi eadem peccata ministris Ecclesiæ, ut præcepto divino et ecclesiastico sacramentalis confessionis satisfaciat.

(5. Non quivis homo est cujusvis sacramenti minister, uti fides catholica docet contra Lutherum *Lib. de instituendis Ecclesiæ ministris*, edito anno 1523, ubi docet omnibus baptizatis eamdem inesse potestatem in sacramentis administrandis : « Sacerdos, inquit, in Novo præsertim Testamento non fit, sed nascitur, non ordinatur, sed creatur; nascitur autem in baptismo, suntque prorsus omnes Christiani sacerdotes. » At nostra conclusio, ultra quam quod habetur ex plurimis sacræ Scripturæ locis, est expresse definita a concilio Trident. sess. VII, *De sacrament. in genere*, canon. 10, *De confirmat.*, canon. 2; *De eucharistia*, sess. XXII, canon. 2; *De pœnitent.*, sess. XIV, canon. 10 ; *De extrema unctione*, canon. 4; *De confirmat. et ordine*, sess. XXIII; canon. 7.

(6. Minister baptismi quis esse possit ? *Vide* BAPTISMUS. Confirmationis ? *Vide* CONFIRMATIO. Eucharistiæ? *Vide* EUCHARISTIA. Pœnitentiæ? *Vide* PŒNITENTIÆ SACRAMENTUM. Extremæ unctionis? *Vide* EXTREMA UNCTIO. Ordinis ? *Vide* ORDO. Matrimonii ? *Vide* MATRIMONIUM.

(7. Qualis intentio requiratur in ministro sacramentorum ? *Vide* verb. INTENTIO, a. n. 14 ad 43.

(8. Minister sacramentorum debet habere attentionem internam, ut valide sacramentum conficiat ; debet enim habere advertentiam et applicationem aliquam animi ad id quod facit ; alioquin confectio sacramenti non esset actio humana, nec posset dici facta in nomine, aut persona Christi, ut requiritur. *Communis.* (9. Ad hoc autem sufficit attentio virtualis, ut dictum est de intentione virtuali, *loc. cit.* (10. Quænam autem sit attentio virtualis, actualis et habitualis interna et externa? *Vide* verb. ATTENTIO. (11. Minister voluntarie distractus in conficiendis sacramentis, quamvis ordinarie non peccet, nisi venialiter, uti cum communi docet Gobat, in *Exper.*, tract. 2, n. 102, potest tamen peccare mortaliter, si sit periculum errandi in formis præsertim longioribus, aut in applicatione debitæ materiæ, ut notat idem Gobat, tract. 1, n. 97, et La Croix, l. VI, part. I, n. 85, citans Tamburin., *De sacramentis*, l. I, c. 2, § 1, n. 4, et *De sacrific.*, lib. II, cap. 3, n. 9, ubi dicit eum peccaturum mortaliter, qui voluntarie distraheretur in consecratione eucharistiæ, cum sic irreverenter se gerere in sacrificio sit gravis irreverentia.

(12. Minister sacramenti ad tale sacramentum specialiter consecratus, solemniter ex officio conficiens sacramentum in statu peccati mortalis, peccat mortaliter, nisi adsit casus extremæ necessitatis, vel impossibilitatis. *Communis.* Est enim ex se gravis irreverentiæ sacramentum a Christo institutum ad nostram sanctificationem confici a ministro ad id consecrato, in statu peccati mortalis ; cum sancta sint sancte tractanda ; unde *Levitici* cap. XXI dicitur : (Sacerdotes) *incensum Domini, et panes Dei sui offerunt, et ideo sancti erunt. Exodi* XIX : *Sacerdotes, qui accedunt ad Dominum*, sanctificentur ; et *Isai.* LII : *Mundamini, qui fertis vasa Domini ;* et cap. *Omnia* 78, caus. 1, quæst. 1, ex verbis S. Augustini habetur: « Omnia sacramenta, cum obsint indigne tractantibus, prosunt tamen per eos digne sumentibus. » (13. Dicitur autem notanter *specialiter consecratus*, quia laici, et non sacerdotes baptizantes urgente necessitate in statu peccati mortalis, non committunt novum peccatum mortale. Cum enim ipsi non sint ad id specialiter consecrati, nec ex officio ministrent, sed mere per accidens, non est in eis tanta deformitas, et irreverentia sacramentum baptismi ministrare in statu peccati mortalis. *Communis.* (14. Dicitur etiam notanter « nisi adsit casus extremæ necessitatis, vel impossibilitatis ; » quia etiam sacerdos non peccat mortaliter, cum in casu extremæ necessitatis pueri agonizantis, et ob casum inopinatum perplexus et perturbatus, seu sine advertentia, non prius contritus de peccato mortali, in quo existit, ipsum puerum illico baptizat, seu moribundum adultum absolvit. *Communis*, testibus Dicastil., dist. 3, n. 214 ; Esparza, qu. 18, art. 4 ; La Croix, lib. VI, part. I, n. 92. (15. Quinimo, teste Gormaz, n. 141 et 151, cum La Croix, *loc. cit.*, n. 91 et 92, varii volunt, tam laicum quam sacerdotem privatim in casu extremæ necessitatis puerum agonizantem baptizantes, et sacerdotem in pari necessitate adultum absolventem, nullum peccatum, ne quidem veniale, committere, si interim, urgente necessitate, nequeant se tam cito disponere ad contritionem, imo potius eos peccare, si in tali extrema necessitate non baptizent, seu non absolvant, quia jus divinum et cha-

est credibile Deum unquam daturum diabolo facultatem conferendi vera sacramenta, cum dæmon intendat hominis perditionem, et non salutem...

« Non nego tamen, prosequitur is idem scriptor, quin dæmon de potentia Dei absoluta possit in assumpto corpore valide baptizare de mandato Dei, quia dæmon est creatura Deo subjecta, illique debet obedire. » *De sacramentis in gen.*, disput. 1, quæst. 3, punct. 1, 3 proposit., n. 12.

Atque hæc ad auctoris illustrationem, præsertim quantum ad ea quæ sub num. 3 h. art. tradit, dicta sunto.

Digitized by Google

ritas magis obligat ad procurandam salutem proximi, quam ad attendendam reverentiam sacramenti, contra quam non agitur in tali necessitate : sicut inquit Dicastill, et ex ipso La Croix, *loc. cit.*, irreverentia est, per se loquendo, si famulus tecto capite transeat dominum, attamen si videat filium domini submergendum, nisi tecto capite accurrat ad eripiendum a naufragio filium domini, nullam in hunc committit irreverentiam, sed potius rem gratissimam agit, et culpandus esset si non ita faceret. Et sic cum aliis tenent Lugo, *De sacramentis in genere*, disp. 8, sect. 9, n. 151; Gobat, in *Exper.*, tract. 1, n. 53 ; Sporer, tom. III, part. I, cap. 3, n. 176, et alii.

(16. Minister sacramenti baptismi et pœnitentiæ existens in peccato mortali peccat mortaliter, quoties illud extra casum necessitatis ministrat, interruptis moraliter ministeriis. *Communis.* (17. An autem, si minister ordinarius, seu alius sacerdos una vice, et velut uno moraliter ministerio duos gemellos, aut etiam plures continuate baptizet vel absolvat, peccet toties quoties successive baptizat seu absolvit? *Vide* verb. Confessarius, art. 1, n. 46 et 47.

(18. Sacerdos mortaliter peccat quoties in mortali celebrat, et in die Natalis Domini tria sacra consequenter in eodem altari celebrans, tria peccata mortalia committit, quia quodlibet missæ sacrificium est unum per se distinctum ministerium ad aliud subsequens minime ordinatum. Sporer, *loc. cit.*, n. 175, et alii communiter.

(19. Item mortaliter peccat sacerdos conferens in statu peccati mortalis extremam unctionem. (20. Item mortaliter peccat episcopus conferens in statu peccati mortalis confirmationem, et ordines. *Communis.* (21. Item mortaliter peccat contrahens matrimonium in mortali, non solum prout est suscipiens, ut tenent communiter doctores, sed etiam prout est ministrans, ut absolute tenent La Croix, *loc. cit.*, n. 93; Henno, tom. II, tract. *De sacram.*, disp. 4, quæst. 3, art. 3, resolut. 2, et alii communius volentes, sic contrahentem esse reum duplicis culpæ: utrumque tamen peccatum sufficienter explicat dicendo in confessione, se in mortali contraxisse, quia suscipiendo ministrat, et ministrando suscipit. (22. Parochus autem non peccat mortaliter, quia in nostra sententia non est minister matrimonii, sed solum testis publicus, et auctorisativus ; qui tamen tenent ipsum esse ministrum, et non contrahentes, consequenter dicere debent, eum peccare mortaliter, si ministret in statu peccati mortalis.

(23. Quamvis autem ministrans sacramenta extra casum necessitatis in statu peccati mortalis peccet mortaliter, valide tamen illa ministrat. Est de fide ex Trid., sess. VI, canon. 13, ibi : « Si quis dixerit ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia quæ ad sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere aut conferre sacramentum, anathema sit. » (24. Sicuti etiam ad valorem baptismi non requiritur fides ministri, dummodo, applicata debita materia et forma, intendat facere quod facit Ecclesia, seu faciunt Christiani. Est de fide ex variis conciliis, et signanter ex Trident., sess. VII, canon. 4, ibi : « Si quis dixerit baptismum, qui etiam datur ab hæreticis, non esse verum baptismum, anathema sit. »

(25. Ministri sacri, qui ministrando sacramentum *non conficiunt*, sed sacramentum jam confectum solum *aliis applicant aut distribuunt*, ut qui Eucharistiam jam confectam distribuunt in statu peccati mortalis, probabilius non peccant mortaliter; sicuti nec peccant mortaliter qui in statu peccati mortalis conficiunt sacramentalia, aut res sacras tractant, ut episcopus in mortali primam tonsuram conferens, abbas benedicens sacras virgines, consecrans ecclesias, altaria, campanas, vasa, chrisma consecrans, oleumve infirmorum benedicens ; vestes sacras, et hujusmodi. Item parochus in mortali matrimonio assistens, nuptias benedicens, seu solemnitates baptismi ab alio privatim in necessitate collati supplens ; item sacerdos in mortali eucharistiam intra vel extra missam tangens, de loco ad locum transferens, aquam, sal, panem, domum et alia hujusmodi benedicens ; item diaconus et subdiaconus in mortali ministrans, Evangelium vel Epistolam solemniter cantans ; concionator publice verbum Dei prædicans, et sic de aliis similibus. Sic quoad omnia supradicta Vasquez, d. 136, n. 39; Amicus, d. 9, n. 6; Bernal., d. 17, § 3; Sporer, *loc. cit.*, num. 174, et alii multi cum Diana, part. II, tract. 4, resolut. 23, et Aversa, *De euchar.*, quæst. 10, sect. 5, § *Quinto*, et alii communius, teste Sporer, *loc. cit.* ; La Croix, lib. VI, part. I, n. 86 et sequent., et ratio est quia omnes istæ actiones non tendunt immediate ad sanctificandum hominem, sicut actiones propriæ sacramentales; adeoque, quamvis aliqua irreverentia non careant, tamen non est irreverentia tam gravis, ut culpam mortalem constituat, quamvis communiter et ordinarie culpam venialem inducat. *Vide* in calce hujus artic. *Notas Rom. theol.*

(26. Minister dignior seu sanctior non causat plus gratiæ seu majorem gratiam ex vi sacramenti seu ex opere operato. *Communis*, per textum in cap. *Si justi* 30, c. *Sic autem* 32, c. *Nec foris* 33, c. *Neque in homine* 36, c. *Dominus* 87, c. *Christus* 88, c. *Non nocet* 89, caus. 2, quæst. 1, cum similibus; potest tamen minister dignior seu sanctior ex opere operantis, id est opere vel oratione sua mereri, aut impetrare suscipienti majores gratias ; at hoc per accidens se habet ad sacramentum ; La Croix, *loc. cit.*, n. 90, et alii passim.

(27. Minister per se loquendo peccat mortaliter, si sacramentum scienter ministret indigno. *Communis* ex illo *Matthæi* VII, 7, ibi : *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos.* Dicitur autem notanter *per se loquendo*, quia interdum excusant damnum ministrantis,

Digitized by Google

infamia suscipientis, aliorum scandalum, sigillum confessionis, et hujusmodi.

(28. Minister ordinarie peccat mortaliter conferendo sacramentum peccatori publico et notorio, sive illud ei conferat privatim, sive publice; cum tali peccatori sive publice, sive privatim petenti debeat sacramentum denegari ratione gravis scandali populi, si non negaretur. *Communis.* (29. Si vero talis peccator esset in articulo mortis constitutus, tunc posset, imo deberet minister ei petenti sacramentum conferre. *Communis;* quia quisque præsumitur se tunc velle disponere, et necessitas tollit scandalum, vel illud tollet minister publicando pœnitentiam occultam moribundi, quod fieri deberet, si ad ipsum publice deferenda esset eucharistia, ut dicit Tamburin., *De communion.*, cap. 6, n. 24, et alii.

(30. Minister peccat graviter, si sacramentum ministret occulte peccatori occulto; nisi indignitas peccatoris occulti cognita esset ex sola sacramentali confessione, quia tunc ratione sigilli teneretur ipsi ministrare. *Communis.* (31. Minister non peccat ministrando sacramentum peccatori occulto publice illud petenti; tunc enim, ne notabiliter diffametur, non est ei sacramentum denegandum; cap. *Placuit* 3, caus. 6, quæst. 2, et cap. *Si sacerdos* 2, De offic. judic. ordinar., ubi Eugenius papa id confirmat exemplo Christi non removentis a communione Judam, quem occulte noverat indignum; et sic tenent doctores communiter.

(32. Minister nullo unquam casu, neque ob metum, seu periculum mortis sibi incussum, potest licite ministrare sacramentum incapaci, ut rite baptizatum rebaptizare, confirmatum vel ordinatum iterato confirmare vel ordinare, quia tunc falsificaretur forma, et mentiretur minister dicendo: « Ego te baptizo, confirmo te, accipe potestatem, etc. » Mendacium enim proprie dictum, cum sit intrinsece malum, nullo unquam casu est licitum, neque ob metum mortis. *Communis*, et patet ex dictis verb. MENDACIUM, a n. 12.

(33. Potest autem minister ob metum mortis licite ministrare sacramentum scienter indigno, seu peccatori notorio, quia si talem administrationem excusat notabilis infamia occulti peccatoris publice petentis, uti dictum est supra n. 31, debet etiam excusare metus, seu periculum mortis, vel similis infamiæ ministrantis; Suarez, Nugnus, Bonacina citati, et secuti a Gobat, in *Exper.*, tract. 1, n. 273; Sporer, *loc. cit.*, n. 188; Dicastill., d. 3, n. 292; La Croix, *loc. cit.*, n. 138, aliique cum Escobar., lib. VIII, num. 357. (34. Dummodo tamen non petatur in odium fidei vel in contemptum religionis, quia si Eucharistia, v. g., peteretur ab hæretico ad conculcandum, a mago ad magias vel maleficia et hujusmodi, tunc ne tantum vilesceret et contemneretur fides et religio, esset eis denegandum sacramentum, etiam cum periculo mortis. *Communis.*

(35. Per se loquendo non est licitum petere et recipere sacramentum a ministro notorie indigno, qui prævidetur vel creditur ipsum collaturus in peccato mortali, quia sic esset cooperari ad peccatum mortale proximi, quod non licet. *Communis.*

(36. Dicitur autem notanter *notorie indigno*, quia, si peccatum ministri non sit publicum et notorium, potest quis licite petere et recipere ab eo sacramentum, cum possit et debeat præsumere ipsum non esse indignum, quia quilibet debet censeri bonus, quandiu non probatur malus. *Communis.* Et quamvis sciret ipsum ministrum paulo ante peccasse, potest ab eo sacramentum recipere, præsumendo quod sit illud confessus, vel saltem se dispositus per contritionem; dummodo tamen non constet ipsum esse consuetudinarium aut semper esse in occasione proxima peccandi, quia tunc prudenter præsumi posset status malus, adeoque, si posset facile haberi alius, ab eo esset sacramentum petendum et accipiendum. Herincx, d. 3, n. 98; Bosco, d. 1, sect. 8, n. 60; Gobat, tract. 1, n. 265; Escobar., lib. VIII, n. 313; Coninch., d. 64, n. 49, et alii.

(37. Ob causam necessitatis vel utilitatis notabilis licitum est petere et recipere sacramentum a ministro indigno, qui possit digne ministrare, quamvis prævideatur et credatur indigne ministraturus, quia tunc petens et recipiens utitur jure suo providendi suæ necessitati vel utilitati spirituali, nec ullo modo cooperatur ad peccatum alterius, sed ob justam causam excusantem ab impediendo peccatum proximi solum permissive se habet, et aliunde minister posset et deberet se disponere per contritionem faciendo quod in se est. *Communis*, per textum in cap. *Sciscitantibus* 5, caus. 15, q. 8.

(38. A ministro, cui ex officio incumbit sacramenta ministrare, licitum est ea petere et recipere, etiam extra casum necessitatis solo intuitu proprii profectus spiritualis, quamvis ille sit notorie indignus, et etiam excommunicatus toleratus. Mastrius disp. 16 *Theolog. mor.*, n. 51; Sporer, *loc. cit.*, n. 181; Reiffenstuel, *Theolog. moral.*, tract. 14, dist. 1, quæst. 4, n. 56, cum communi aliorum, et desumitur ex citat. cap. *Sciscitantibus* 5, caus. 15, quæst. 8, ubi dicitur quod de manu sacerdotis, quandiu ab Ecclesia toleratur, licite sacramenta sumantur: et ex decreto concilii Constantiensis in bulla Martini V incip. *Ad evitanda scandala*, ubi permittitur fidelibus communicatio etiam in sacris cum omnibus excommunicatis, « præter nominatim denuntiatos, et notorios percussores clericorum, » adeoque, etc. Accedit ratio quia parochianus habet jus petendi et recipiendi sacramenta a suo parocho, neque censetur amittere tale jus ob sui parochi indignitatem, maxime cum ipse, si velit, ut debet, possit se prius disponere per confessionem, vel saltem per contritionem (63).

Digitized by Google

(39. Non licet tamen petere et recipere sacramenta a ministro excommunicato non tolerato et vitando, nempe « nominatim denuntiato aut notorio percussore clerici; » quia, cum ipse sit simpliciter præcisus ab Ecclesia, privatus est omni communicatione cum fidelibus, et consequenter omni jurisdictione, adeoque non licet ab ipso sacramenta petere et recipere, cum ipsa ministrare nequeat sine peccato mortali. *Communis.* (40. Excipe tamen casum extremæ necessitatis, si nempe aliquis esset moriturus sine baptismo aut pœnitentia, quia tunc licite possent talia sacramenta peti a ministro etiam excommunicato, degradato, etc., et licite ab ipso ministrari. *Communissima;* quia quod non est licitum in lege necessitas facit licitum; cap. *Quod non est* 4, De regul. juris, c. *Quoniam* 13, caus. 1, quæst. 7, cap. *Sicut* 11, De consec., dist. 1, cap. *Omnes* 1, De feriis, cap. *Consilium* 2, De observat. jejunior., cap. *Consuluisti* 3, De celebration. missarum.

(41. Minister simulans, non solum formaliter, sed etiam materialiter administrationem sacramenti ob metum gravem quemcunque, etiam mortis, peccat mortaliter. Innocentius enim XI, die 2 Martii 1679, inter alias merito damnavit sequentem propositionem 29 in ordine : « Urgens metus gravis est causa justa sacramentorum administrationem simulandi; » unde si mors intentetur alicui sacerdoti, nisi extra missam consecraret totum panem, qui est in foro, aut nisi absolvat aliquem indispositum, peccat mortaliter, si formam proferat cum intentione non consecrandi, quamvis materialiter tantum simulet. Viva, ad dictam propositionem damnatam Innocentii XI a n. 14 ad 16; Cardenas, in 2 crisi, d. 20, a n. 37; La Croix, lib. VI, p. I, a n. 149, et alii passim dicentes dictam propositionem damnatam comprehendere simulationem, non solum formalem, sed etiam materialem, et quemcunque metum gravissimum, etiam mortis, et sic non amplius sunt audiendi doctores, qui antehac oppositum tenuerunt, tanquam probabile.

(42. Simulatio tamen materialis circa rem plane indifferenter se habentem ad sacramentum, per se loquendo, si non adsit alia vitiosa circumstantia, non est illicita; quia non est simulatio administrationis sacramenti; unde confessarius, ad occultandum defectum absolutionis pœnitentis indispositi potest licite post confessionem aliquam orationem recitare super ipsum, et facere signum crucis, quamvis a videntibus putetur absolvere. *Communis* cum supracitatis.

(43. Gravius peccat, qui simulat administrationem sacramenti, quam qui sacrilege illud conficit seu administrat, textu expresso in c. *De homine* 7, De celebratione missarum, ubi refertur casus de quodam incauto sacerdote, qui in mortali constitutus, nec potens confiteri, nec forsan conteri, et ob urgentem necessitatem coactus celebrare, peractis cæteris cæremoniis, et omissis verbis consecrationis, missam celebrare simulavit, de quo Innocent. III sic habet ibi : « Licet is qui pro sui criminis conscientia reputat se indignum, peccet graviter, si se ingerat irreverenter ad illud, gravius tamen videtur offendere qui sic fraudulenter illum præsumpserit simulare, cum ille in solius misericordis Dei manum incidat, iste vero (*ficte celebrans*) non solum Deo, cui non veretur, illudere, sed populo, quem decipit, se astringat. »

(44. Minister in administratione sacramentorum sequens sententiam tantum probabilem de valore, relicta tutiore, peccat mortaliter : Innocentius enim XI, die 2 Martii 1679, justissime damnavit inter alias sequentem propositionem 1, in ordine : « Non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiore nisi id vetet lex, conventio aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione baptismi, ordinis sacerdotalis aut episcopalis. »

(45. Si non agatur de valore sacramenti, sed tantum de modo administrandi, potest minister sequi opinionem practice probabiliorem, relicta tutiore. Sic cum communi card., in 2 crisi, diss. 2, n. 4; Gormaz, d. 5, n. 801; La Croix, *loc. cit.*, n. 121.

(46. Minister utens materia, vel forma falsa peccat mortaliter. *Communissima.* (47. Item peccat mortaliter per se loquendo, si utatur materia vel forma dubia, quando potest haberi certa; in casu autem necessitatis, quando non potest haberi certa, potest et debet adhibere dubiam. *Communis.* (48. Item peccat mortaliter omittendo intentionem requisitam. *Communissima.*

(49. Minister repetens absolute formam sacramentalem, vel aliquid in ea, cum dubio tantum levi et inani timore, per se loquendo, peccat mortaliter, quia est gravis irreverentia repetere absolute formam sacramentalem cum solo dubio levi et inani timore, qui nec sufficit pro licite repetenda tali forma sub conditione; cum enim nulla est prudens causa dubitandi de valore sacramenti, sed oriuntur tantum leves scrupuli, ne quidem conditionate est iterandum sacramentum, uti tenet *Communis* ex Catechismo Romano cum Dicastillo, *De baptism.*, l. I, n. 174.

(50. Quando tamen est prudens dubium

(63) *Romani theologi nota.* — Non videtur excusari a peccato posse homo qui a proprio parocho iniquo sacramenta exposcat, quoties ea ab alio sacerdote probo exquirere possit cum eodem fructu. Charitas enim postulat ne proximo nostro gratis præbeamus occasionem ruinæ spiritualis : at occasionem hanc gratis præberet, qui cum posset sacramenta bene et a bono ministro recipere, eadem a parocho malo petit et recipit. Is ergo graviter contra charitatem peccaret, non secus ac ille qui peccare volenti peccandi materiam præbeat et occasionem.

Digitized by Google

de valore sacramenti collati, potest licite, imo debet iterari saltem sub conditione, quia tunc consulitur, et saluti proximi, et reverentiæ sacramenti per conditionem appositam. *Communis*, per textum in c. *Si nulla* 113, De consecr., dist. 4, ubi Leo papa ad rem sic expresse dicit : « Non intervenit temeritas præsumptionis, ubi est diligentia pietatis; » et c. ult. *De presbyter. non baptizat.*, ubi Innocentius III dicit : « Non intelligitur iteratum quod ambigitur esse factum. »

(51. Minister, qui ex officio est pastor, ut parochus respectu sæcularium, et superior respectu religiosorum, tenetur ex justitia suis subditis, etiam extra necessitatem gravem, rationabiliter petentibus sacramenta ministrare. Ad hoc enim se obligavit assumendo officium pastoris, et talem videtur intercessisse contractum inter pastorem et oves. (52. Unde talis minister tenetur sub mortali cum quantocunque magno suo detrimento temporali, et etiam cum propriæ vitæ periculo, non solum in extrema, sed etiam in gravi necessitate spirituali alicujus sibi subjectæ ovis, ei ministrare sacramenta. S. Thom., 2-2, quæst. 26, art. 5, ad 3, et q. 185, art. 5; Suarez, q. 1, p. 2, § *Quarto dico*, Castrop., d. 1, punct. 9; Granad., d. 4, n. 4; Coninch., d. 25, d. 7, conclus. 1 et 3; Bann., Aragon., Navarr., Tapia, quos citat et sequitur Carden., in 1 crisi, dissert. 76, c. 2; La Croix, lib. II, n. 174, et alii passim. *Vide* verb. EXTREMA UNCTIO, a n. 42. (53. Si autem esset unicus minister, quo sublato, deesset communitati minister sacramentorum, hic non debet singulis ministrare sacramenta cum probabili periculo infectionis seu mortis, sine quo periculo aliis sacramenta ministrare posset; salus enim omnium præferri debet saluti unius particularis, et minister obligatus ex officio communitati, tenetur se illi conservare; Barbosa, *De offic. paroch.*, c. 17, n. 15; P. Marchant., in *Tribun.*, tom. III, part. I, tit. 9, tom. II, quæst. 6, § 2, resol. 1, testans esse communem.

(54. Minister, qui ex officio non est pastor, non tenetur ex justitia ministrare sacramenta, tenetur tamen ex charitate, etiam cum vitæ suæ periculo, sacramenta necessaria ministrare in extrema necessitate spirituali alicujus. Unusquisque enim secundum ordinem charitatis tenetur, etiam cum periculo vitæ corporalis, succurrere proximo in extrema necessitate spirituali constituto. *Communis*. Et per hoc stat differentia inter ministrum, qui ex officio est pastor, et ministrum, qui ex officio non est pastor, quia iste tenetur sacramenta necessaria ministrare solum ex charitate, et in extrema necessitate spirituali proximi; ille vero tenetur ea ministrare suis ovibus ex justitia, et etiam in necessitate gravi, ex dictis supra n. 50.

(55. Si minister baptismi carens aqua, puerum, alioquin sine baptismo moriturum, in flumen, vel puteum projiciat, licet una simul proferat justam verborum formam cum intentione conferendi sacramentum, seu vere baptizandi, nihilominus probabilius talis baptismus est invalidus. Sic cum communiori Scotistarum et antiquiorum Richardi, Paludani, Marsil., sancti Antonini, Toleti, Silvestri, Armillæ et plurium aliorum. Scotus in 4, dist. 4, qu. 3, n. 3, ubi expresse dicit quod « projectus de ponte non baptizatur, quia hoc non est ad vitam ordinatum, vel lotionem, sed ad mortem. » Et dist. 5, qu. 3, n. 1, referens sententiam Richardi asserentis puerum sic projectum non esse baptizatum, ait : « dicitur etiam quod talis sic projectus non esset baptizatus, quia baptismus est ablutio ordinata ad vitam abluti, non sic autem ordinatur illa immersio. » Et in reportatis eadem q., n. 9, eamdem difficultatem expendens dicit : « Sed si adultus projiciatur in flumen, dicendo : « Baptizo te, » credo quod non baptizatur, quia projiciens non habet intentionem Ecclesiæ, quia intentio Ecclesiæ est sic madefacere eum, quod, ipso vivente, possit iterum dissecari; vel esto, quod baptizetur, non dubito quin projiciens peccet mortaliter. » Quibus omnibus constat Scotum magis propendere in sententiam negantem, talem baptismum esse validum, ut recte advertit Frassen, in 4, tr. 1, disp. 1, art. 1, qu. 5, concl. 2. (56. Et ratio est quia, ut dicit subtilissimus noster doctor, baptismus est ablutio ordinata ad vitam abluti, illa autem projectio est magis submersio ad mortem, quam ablutio ad vitam, cum per se loquendo tendat ad occisionem pueri seu adulti sic projecti; et quamvis minister projiciens dicat se eam non intendere, tamen projectio ipsa non est moraliter, nec per intentionem disjungibilis ab occisione. Quis enim diceret se non velle occidere, sed solum abluere et lavare hominem quem, ligatis manibus et pedibus, et ingenti saxo ad collum alligato, in puteum, flumen aut mare projiceret? Adeoque stat clarum quod, non obstante tali prætensa intentione de non sic occidendo, adhuc dicta projectio manet vera, et directa realis occisio innocentis, quæ nec pro tali casu est permittenda, cum non sit dicendum Christum pro materia proxima baptismi ordinasse ablutionem occisivam hominis, sicque actionem intrinsece malam, quæ nunquam sine peccato adhiberi potest, et ex natura sua est ordinata ad mortem corporalem.

(57. Dato autem quod talis baptismus esset validus, ut jam tenet fere communis recentiorum opinio cum Suarez, Vasquez, Coninch., Hurtaldo, Valentia, Diana, Bonacina, Caspensi, Aversa et aliis passim apud Mastrium, *Theolog. moral.*, disp. 17, q. 2, art. 1, n. 19; Layman., lib. V, art. 2, cap. 3, n. 5, De sacramento baptismi; La Croix, lib. VI, part. II, n. 264, et tenent etiam Boyvin, tom. III, disp. 3, *De sacramentis*, q. 2, concl. 4; Felix Potestas, tom. I, part. IV, n. 2977, et alii volentes quod talis projectio sit vere et proprie ablutio ad validum baptismum sufficiens, si ante mortem pueri proferatur integra forma, quia, licet in tali casu sequatur submersio, et mors infantis, nihilomi-

Digitized by Google

nus puer potest dici vere ablutus et baptizatus, quia esset vera immersio conjuncta cum forma, et baptismus non ordinatur ad vitam corporis, sed animæ, ac vita corporis cedere debet vitæ animæ; adhuc tamen nunquam esset sic conferendus, quia talis projectio esset illicita, iniqua ac mortifera, ut passim concedunt etiam adversarii ipsi, et expresse docent Scotistæ omnes post Scotum, in 4, cit., disp. 5, q. 3, ubi sic ait : « Dico quod, quando præsumitur mors, nullo modo debet aliquis eum propellere et projicere, quia peccabit mortaliter occidendo, et quilibet tenetur magis vitare peccatum mortale in seipso, quam quærere salutem proximi; quia ordinata charitas magis est ad seipsum. » Et in reportatis loco supracitato expresse concludit. Vel esto quod baptizetur, non dubito quin projiciens non peccet mortaliter. (58. Nec valet, quod dicunt aliqui pauci ex adversariis, quod talis baptismus nedum esset validus, sed etiam licitus, quia vita animæ est præferenda vitæ corporis. Non valet, inquam, quia vita animæ est quidem præferenda vitæ corporis, sed solum quantum fieri potest per media licita, non autem per media illicita, ut esset in nostro casu. Non sunt enim facienda mala, ut veniant bona. *Ad Romanos*, III, 8; cap. *Super eo* 4, De usuris; cap. *Ex tuarum* 2, De sortilegiis, cap. *Non est putanda* 27, caus. 1, q. 1, cum similibus. Tum quia, ut rectissime dicit Scotus supra allatus : « Quilibet tenetur magis vitare peccatum mortale in seipso, quam quærere salutem proximi, quia ordinata charitas magis est ad seipsum. »

ADDITIONES ROMANI THEOLOGI AD N. 25.

(59. Censoribus non placet illorum assertio, qui aiunt probabilius non peccare lethaliter administrantes eucharistiam, ac diaconum et subdiaconum exercentes proprium officium in peccato mortali. Ut iis morem gererem, transcribenda duxi quæ fusim hac de re disputat continuator Tournely. Is itaque ait : « Peccat mortaliter per se loquendo, saltem qui ex officio sacramenta in statu peccati mortalis conficit vel administrat. »

Probatur 1° ex Scriptura, *Levit.* XXI : *Sancti erunt* (sacerdotes) *Deo suo, et non polluent nomen ejus; incensum enim et panes Dei sui offerunt; et ideo sancti erunt.* Unde sic : Graviter peccant, qui polluunt nomen Domini : sed qui destituti sanctitate, altari inserviunt, polluunt nomen Domini; ergo.

Et cap. XXII : *Omnis qui accesserit de stirpe vestra ad ea quæ consecrata sunt... Ego Dominus;* atqui pœna tam gravis grave peccatum supponit : « Quanto magis *ergo* putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti pollutum duxerit, et spiritui gratiæ contumeliam fecerit, » ut ii faciunt sancta non tractantes sancte?

Isaiæ *ult.* Facinorosus qui sanctificat m hi vitulum, quasi canem *animal immundum* occidat, et qui offert thus in memoriam, quasi blasphemus ; ergo cum mysteria nostra legalibus longe sanctiora sint, longe gravius peccare oportet qui eadem impia manu coinquinat. Hinc Apostolus per Titum et Timotheum sollicite monet episcopos, et presbyteros, et diaconos, ut ministrent in conscientia pura : *Oportet episcopum irreprehensibilem esse. I Timoth.* III : *Oportet episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem;* diaconi *probentur primum, et sic ministrent, nullum crimen habentes. Ibidem.*

Probatur 2° ex traditione. Augustinus, tract. 5 *in Joan.* : « Ego dico, et omnes dicimus, quia justos oportet esse tanti judicis ministros; » errat ergo hæc unanimis *omnium* sententia : et citato jam contra Parmenianum loco : « Omnia sacramenta cum obsint indigne tractantibus, etc.; » quibus consonat id Nicolai I ad Bulgaros : « Unde aliis commodum exhibet *malus minister*, inde sibi dispendium præbet. »

S. Gregorius lib. II, epist. 23 : « Necesse est ut munda sit manus quæ diluere sordes curat : scriptum namque est : *Mundamini, qui fertis vasa Domini.* »

Gregorius IX, cap. *Quæsitum* 17, De temporib. ordin., interrogatus de sacerdotibus aliisque clericis quorum occulta erant crimina, respondet eos, « si non pœnituerint, monendos esse, et sub interminatione divini judicii obtestandos, ut in testimonium suæ damnationis in susceptis ordinibus non ministrent : » quæ verba grave scelus indicant. Hinc idem pontifex c. 10 *De cohabit. Clericor.*, etc., declarat clericum « quemlibet pro mortali peccato quoad se ipsum esse suspensum. » Hinc etiam Rituale Romanum jussu Pauli V editum sic præscribit : « Sacerdos, si fuerit sibi mortalis conscius, quod absit ! ad sacramentorum administrationem non audeat accedere. » Idem docet Catechismus Romanus part. II, cap. 1, n. 17, et S. Carolus Borrom. in *Institutionibus* suis : unde liquet quam caute et sancte vivere debeant parochi cæterique sacerdotes qui omni fere temporis momento ad conferenda sacramenta vocari possunt.

Prob. 3° ratione. Qui sacramentum conficit aut administrat, gerit personam Christi; fit cum eo unum, et totale agens, cum actio ejus sit indivisibiliter actio Christi; ac demum merita ejus et sanguinem dispensat : atqui graviter peccat homo qui, cum reus sit et diaboli mancipium, hæc et tanta præstare audet. Annon enim gravis est indecentia, et in ipsum Christum quadantenus redundans, quod infensus Christi hostis eumdem in actione omnium dignissima repræsentare ausit? an non violatur sancta Dei majestas, cum ei quasi operationis socius et adjutor conjungitur filius Belial? annon sanguinem testamenti pollutum aut quasi rem momenti nullius ducit, qui qua manu poculum Babylonis hac eumdem sanguinem dispensat?

(60. Dices : Non peccat canonicus, licet mortalis culpæ conscius, qui cum aliis divinas laudes, attento modo et devote persolvit : ergo nec peccat minister qui, cum intimo religionis sensu, ad justificandum

Digitized by Google

quidem impari, sed tamen ulterius peccandi voluntatem excludente, sacramenta conficit aut administrat. Si enim prior sancta sancte tractare censetur, quidni posterior?

Resp. neg. conseq. Ratio disparitatis duplex : prima, quod nec Scriptura nec Patres ullibi exigunt ut actu sanctus sit qui officium, seu privatim, seu publice recitat ; id vero exigunt de eo cui tractanda incumbunt mysteria salutis nostræ : secunda, quod longe sublimior sit actio ministri sacramenta tractantis, quam canonici psallentis. An is enim dispensat sanguinem Christi? an personam ejus in actione omnium maxima repræsentat, etc. Interim docet Habertus eum graviter peccare qui graviter reus divinis officiis præest; unde qui *præsidentiam* hanc ex alterius absentia sibi imminere sentit, debet confestim ad Deum recurrere per actum doloris de peccato.

Dixi 1° *per se loquendo;* quia minister ex officio sacramenta conferens, a novo peccato excusari potest, 1° propter invincibilem sui status ignorantiam; 2° propter repentinam administrandi necessitatem, quæ ita ingruit, ut desit spatium procurandæ contritionis; tunc enim de duobus malis eligendum est minus; minus autem malum est ministrare sacramentum in statu peccati, quam illud non conferre illi, v. g., cujus æterna salus proxime periclitatur.

(61. Circa hunc necessitatis casum duo veniunt notanda : 1° immunem non fore a peccato eum qui necessitatem hanc prævidere potuisset; ut prævidere possunt et debent qui in amplis nosocomiis, aut in exercitibus ministrant : ii enim, si sapiunt, norunt satis singulis quasi passibus occurrere posse, qui illico absolvendi sint : unde quam hic objicere possent, peccandi necessitas, consequens est, et volita, adeoque imputabilis; 2° extra casus, seu pueruli animam agentis, seu operarii decidentis a tecto, qui transeuntem sacerdotem mire perturbant, rarum esse ut quis ad omnem contritionis actum impotens sit; cum ad id brevissima quæque præsentis animi et temporis mora sufficiat.

Dixi 2° *saltem ex officio.* An enim presbyter aut laicus qui in casu necessitatis baptizat, sit novi peccati reus, res est inter theologos controversa. Negare videtur S. Thomas quæst. 64, art. 6, ad 3, ubi sic habet : « In articulo tamen necessitatis non peccaret *sacerdos aut diaconus* baptizando in casu, in quo etiam laicus posset baptizare; sic enim patet quod non exhiberet se ministrum Ecclesiæ, sed subveniret necessitatem patienti. » Et ita sentiunt Gonet, Juenin et Habert, etc.

(62. Hæc tamen opinio pluribus displicet, et merito : 1° quia esto laicus in casu necessitatis baptizans non agat ut Ecclesiæ minister, agit certe ut minister Christi ejusque personam sustinet, nec minus est minister sacramenti quam sacerdos solemniter baptizans : atqui hæc omnia videntur graviter exigere statum gratiæ, ne sacramenta, et Christi dignitas et sanctitas graviter lædantur; 2° quia sicut necessitas non efficit ut sancta sancta non sint, sic nec efficit ut sancte tractari non debeant; 3° quia, ut notat Gibert., *Consult. 4, De sacram.*, si sacerdos missam ab altero inchoatam continuet, ne imperfectum remaneat sacrificium, haud dubie peccabit lethaliter, nisi eliciat actum contritionis cum proposito quamprimum confitendi : atqui is sacerdos esset tamen solum minister necessitatis, « ergo, ait idem canonista, obstetrix quæ centies baptizavit in necessitate, sine ullo contritionis actu, centies peccavit, et, ut mihi quidem videtur, gravius quam sacerdos ad baptizandum ex officio minime obligatus; quia hæc necessitatis casum prævidere debuit, non ille. »

Hinc colliges primo, et laicum qui in casu necessitatis baptizat, et sacerdotem qui in eodem casu absolvit, aut unctionem extremam confert, teneri, si licuerit per tempus, ut plerumque licet, excitare se ad contritionem, priusquam hæc sacramenta conferant, alias multiplicant peccata pro numero sacramentorum : quia, ut singuli baptismi, et absolutiones singulæ totidem sunt actiones integræ et completæ. « Et vero, ait Gonet, si homo cui proximum imminet mortis periculum tenetur sub pœna lethalis peccati actum contritionis elicere, licet brevissimum ad id habeat tempus : cur a gravi culpa immunis sit qui ab eliciendo contritionis actu abstineat ob brevem quam ad id habet temporis morulam? » Certe brevius temporis spatium, etsi impedit ne quis facile conteratur haud tamen impedit ne conteri possit. Cavendum tamen ministro in hoc perplexitatis casu ne, dum contritionis spiritum in se ascendere molitur, infanti vel moribundo desit.

(63. Colliges 2° mortaliter etiam peccare sacerdotem qui reus excipit confessiones, etsi animum habeat vel excitandæ in se contritionis, vel etiam sua deponendi peccata priusquam pœnitenti absolutionem impendat : quia confessionis auditio, licet non sit confectio sacramenti, est tamen actio sacramentalis, utpote ad conficiendum sacramentum proxime ordinata : porro, ait idem theologus : « ut minister consecratus peccet mortaliter in exercitio ministerii, sufficit quod actio, quam elicit, sit factiva sacramenti, vel sacramentalis, id est ad conficiendum sacramentum proxime ordinata, vel distributiva aut applicativa sacramenti jam facti; » prout evincunt probationes superius allatæ. Nec nocet quod pœnitens sic conficiendo non peccet, quia major esse debet reconciliantis sanctitas, quam reconciliandi.

(64. Colliges 3° eum qui mortalis noxæ sibi conscius eucharistiam ab alio consecratam ministrat, novæ mortalis culpæ reum fieri. An autem tot admittat peccata quot sine morali interruptione distribuit hostias, parum utile est in praxi, ut alibi advertimus; quia qui id negant, cum Henno fatentur indignam quamlibet distributionem, ultra primam, esse circumstantiam notabiliter ag-

Digitized by Google

gravantem, utpote quæ solitarie sumpta ad grave peccatum sufficiat : unde cum oporteat confiteri circumstantias notabiliter aggravantes, necessum est etiam juxta ipsos, ut in confessione exprimatur vel numerus eorum quibus facta est distributio, vel tempus circiter distributionis. Si tamen sacerdos plures uni hostias simul daret, unius solum peccati reus fieret, quia una tantum esset distributio. Cæterum quia minister sic affectus esse solet, ut omnibus quotquot accedent sacram synaxim præbeat, hujus dispositionis, quæ sufficit ad peccatum, mentio facienda esset in pœnitentiæ tribunali, nisi hæc a confessario supponeretur.

(65. Colliges 4° graviter etiam reum videri qui ex officio eucharistiam extra administrationem tangit, seu immediate, puta ut ab uno vase in aliud immittat, seu mediate, ut si eam in processione circumgestet : « quia, ut dicit Dyonysius, 1 cap. *Cœlestis hierarchiæ*, immundis nec symbola, id est sacra signa, tangere fas est : unde qui tangunt res sacras, quasi suo officio utentes, peccant mortaliter. Secus autem esset, si in aliqua necessitate aliquid sacrum contingeret, vel exsequerentur in illo casu in quo etiam laicis liceret, sicut... si corpus Christi in terram projectum colligeret. Ita S. Thomas in 4, dist. 24, quæst. 1, art. 3, qu. 5, ad 4, cujus doctrinæ postrema pars ex iis quæ de ministro necessitatis dicta sunt, limitanda est.

(66. Colliges 5° et certius graviter peccare qui in peccato mortali hostiam elevat, et cum ea populum benedicit : 1° quia hæc est propria sacri officii functio, a qua *quoad se suspensus est* minister gravis peccati reus : et quæ idem *sub interminatione divini judicii* prohibita est ab Ecclesia, ut patet ex citatis Gregorii IX textibus : 2° quia is populum cum hostia benedicendi actus sine gravi indecentia exerceri nequit ab eo qui inimicus Christi est, ejusque oculis ipso dæmone pejor. Quia tamen in eo casu non dispensat proprie sacerdos merita et sanguinem Christi, minus peccat quam si sacramentum conficeret aut administraret.

(67. Colliges 6° novi etiam gravisque peccati conscios esse diaconos et subdiaconos qui ordinum suorum functiones in eodem statu exercent : 1° quia hic locum habent probationes initio adductæ, quarum nonnullæ diaconos specialiter tangunt ; 2° quia ex S. Thoma ibi statim : « Quicunque cum peccato mortali aliquod sacrum officium pertractat, non est dubium quin indigne illud faciat ; unde patet quod mortaliter peccent ; » atqui ipsi etiam subdiaconi, de quibus magis ambigitur, sacrum officium pertractant ; ergo. Et certe ideo subdiaconos in præsenti casu excusant plures a peccato gravi, quia eorum actio non est sacramentalis : atqui hæc ratio non est solida, aut saltem non eo usque solida est ut dubium tollat. Quia ut quis in functione ecclesiastica mortaliter peccet sufficit ut ea functio Ecclesiæ nomine exerceatur, ut sacra ; quidquid enim taliter exercetur, et grave est, et plurimum exigit reverentiæ : atqui subdiaconorum functio Ecclesiæ nomine exercetur ut sacra ; et revera talis est, cum ad Eucharistiæ confectionem proxime inserviat ; ergo. Atque ita docet Nat. Alexander, lib. II, art. 2, reg. 10 ; Paulus a Lugduno, Navarrus et Habert, qui ex eodem principio deducit lethaliter peccare eos qui sacramentalia exercent, quales sunt benedictiones aquæ, chrismatis, olei, tonsura clericalis. Censent tamen non pauci, nec laxiores, in benedictione aquæ lustralis, cinerum, abbatis, vestium sacerdotalium, imo et consecratione templorum, censurarum inflictione ac similibus quæ nec gratiam ex opere operato conferunt, nec sunt sacramenti materia, nihil esse quod peccati venialis lineam excedat : ita P. Antoine. Aliud est, inquiunt, de chrismatis et olei infirmorum benedictione ; quia episcopus per ordinationem suam specialiter consecratur ad utramque illam actionem : unde in utraque exhibet se ut ministrum Christi, ejusque personam immediate sustinet : ac proinde gravem ei facit injuriam, cum actiones illas in statu peccati exercet.

(68. Quod spectat ad clericos minores, nihil est unde functiones suas male obeundo lethalis culpæ arguantur ; tum quia in id conspirant theologi pene omnes ; tum quia eorum munia hodie a laicis perinde ac clericis exercentur ; tum denique quia functiones eorum nimis distant ab actione sacrificii.

(69. Excipiendi viderentur exorcistæ, nisi, juxta præsentem Ecclesiæ disciplinam, munus eorum quadantenus foret sacerdotale. Ratio est quia graviter dedecet ut qui sponte diaboli mancipium est, eidem in nomine Christi, cui actu exosus est, imperare præsumat ; nec dubium est quin excipi mereatur, sicut excepti sunt a dæmone pessimo Scevæ filii de quibus *Act.* XIX, hinc ordinator episcopus his exorcistas verbis alloquitur : *Tunc recte in aliis dæmonibus imperabitis, cum prius in vobis eorum multimodam nequitiam superaveritis.*

* De sacris concionatoribus S. Thomas in 4 Senten., dist. 19, quæst. 2, art. 2, quæstiunc. 2, in respons. ad 4 : « Dicendum quod docere sacram Scripturam dupliciter contingit. Uno modo, ex officio prælationis, sicut qui prædicat docet : non enim licet alicui prædicare, nisi officium prælationis habeat, vel ex auctoritate alicujus prælationem habentis ; *Rom.* XI : *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur ?* Alio modo, ex officio magisterii, sicut magistri theologiæ docent. Dicunt ergo quidam quod ille qui primo modo docet peccat mortaliter, si sit in peccato mortali notorio, non autem ille qui secundo modo docet. Sed hoc est falsum, quia eorum qui docent sacram Scripturam est idem finis et eorum qui sacram Scripturam ediderunt : unde cum ad hoc ordinetur Scripturæ edoctio, ut ad vitam æternam homo perveniat, ut patet *Joan.* X, quicunque impedit finem doctrinæ docendo, peccat : impedit autem qui sacram Scripturam in peccato docet, quia ore se profitetur nosse Deum, factis autem negat. Et dicendum quod ille,

Digitized by Google

qui est in peccato notorio, peccat sive sic, sive sic doceat : sed ille qui est in peccato occulto, peccat si primo modo doceat, non autem si secundo. » Et in *Comment. in psal.* XLIX, *Operum* ejusd. edit. Rom., 1570, t. XIII, fol. 66, col. 2 et seq. « Nunquid qui in statu peccati mortalis est, peccat mortaliter. quando prædicat vel docet? Dicendum quod ejus peccatum aut est publicum vel occultum: et si occultum, vel est ex contemptu et sine pœnitentia aut cum pœnitentia. Dicendum est ergo quod, si aliquis est in peccato publico, non debet publice prædicare vel docere. Et dico *publico*, quia si peccatum non est publicum, posset cum charitate occulte fratrem suum de peccato etiam minori, quam sit suum peccatum occultum, reprehendere, reprehendendo tamen seipsum. Si vero est in peccato occulto, et sine pœnitentia, tunc provocat Deum, qui simulat. » *Proverb.* XI : *Simulator ore decipit amicum suum.* Et de his loquitur hic sicut dicit glor. Augustini : « Lingua laudare non præsumat cui contradicit conscientia. » Si vero peccatum est occultum, et dolet, non peccat prædicando vel docendo, etiam si publice loquatur contra peccatum; quia sic detestando aliorum peccata, detestatur etiam suum. » Neque vero in *Comment. in Epistolam secundam ad Corinthios*, lect. 1, in cap. IV, mortaliter peccare solos peccatores publicos, et famosos statuisse, non autem etiam alios, ut antea docuerat, censendus est, propterea quod scribat : « Unus publicus et famosus peccator cavere debet sibi, ne prædicet, alias peccat. » Non enim ibi de utroque peccatorum genere publicorum et occultorum quæstionem instituit, sed de publicis tantum loquitur, ut Apostoli verba quæ explicat postulabant*.

MINOR, MINORENNIS.

Vid. verb. ÆTAS, BENEFICIA, CONTRACTUS, EMPTIO, VENDITIO, FILIUS, RESTITUTIO IN INTEGRUM.

MINORITÆ.

SUMMARIUM.

1. Minoritæ fratres custodiæ Terræ Sanctæ soli exercere possunt munia parochialia in Græco-Melchitas patriarchatus Antiocheni, absente parocho Græco. — Guardianus d. Minoritarum S. Sepulcri, seu Terræ Sanctæ potest conferre sacramentum confirmationis, absentibus episcopis Latini ritus, cum oleo et chrismate a catholico antistite benedictis. Alia Minoritas spectantia ad n. 16.

(1. Minoritæ fratres custodiæ Terræ Sanctæ soli exercere possunt munia parochialia in Græco-Melchitas patriarchatus Antiocheni, absente parocho Græco. Bened. XIV, tom. I, constit. 87, incip. *Demandatam*, § 13. (2. Eorum guardianus S. Sepulcri seu Terræ Sanctæ potest conferre sacramentum confirmationis, absentibus episcopis Latini ritus, cum oleo et chrismate a catholico antistite benedictis, etiam antiquis, si nova haberi non possunt. Idem const. 10, incip. *Cum ad infrascriptam*. (3. Ab eodem potest sub conditione conferri Græcis Melchitis a simplici sacerdote confirmatio, absente episcopo Græco catholico. (4. Idem constitut. 87 incip. *Demandatam*, § 14. (5. Ubi vero sit episcopus catholicus residens, hujusmodi sacramentum non conferat, nisi de ejusdem episcopi consensu; eo autem dissentiente, abstineat. Idem, *ibid.*

(6. Franciscani Observantes missionarii quibusdam Ecclesiis et missionibus Cochinæ discedere jubentur decreto visitatoris Apostolici. Idem constit. 3, incip. *Quantopere*, § 7. Inde appellant ad S. Sedem. Idem, *ibid.*, § 9. (7. Et decreta prius confirmata revocantur, ipsaque in pristinum restituuntur. Idem, *ibid.*, § 11. (8. Adjecta lege conservandi missiones sibi adjudicatas, eaque non deferendi. Idem *ibid.* § 15. (9. Iisque permittitur prædicare in regnis Ciampæ, et Cambodiæ, non tamen aliis exclusis. Idem *ibid.* § 10.

(10. Franciscani missionarii in Ægypto laborantes laudantur a laudato Pontifice tom. I, constit. 129, incip. *Eo quamvis tempore*, § 2. (11. Franciscani instituti spiritus, quod ad jurisdictionem parochorum, e documentis S. P. Francisci et S. Bonaventuræ demonstratur. (12. Idem, *ibid.*, § 15, ubi, adductis verbis Testamenti dicti S. P. Francisci et S. Bonaventuræ in tractatu : *Quare fratres Minores prædicent*, subjungit: « Licere tantum fratribus ordinis Minorum S. Francisci custodiæ Terræ Sanctæ parochialia munia obire circa Græcos Melchitas, eisque sacramenta administrare in iis locorum et temporum circumstantiis, quibus omnino deficiat modus habendi parochum, aut alium antistitem Græci ritus. »

(13. Advertendum quod nos fratres Minores (quidquid scripserit aliquis in contrarium) possumus ac debemus addere in *Confiteor* nomen nostri sancti patriarchæ Francisci, dicendo ; « Sanctis apostolis Petro, Paulo, beato Patri nostro Francisco, etc. » et ita dicendo « Sanctos apostolos Petrum, et Paulum, beatum Patrem nostrum Franciscum, etc. » Cui non obstat decretum Sacræ Congregationis, diei 20 Mart. 1706, loquente ipso de iis qui illud non recitant ex speciali privilegio, *Regulares absque speciali privilegio*, etc., quo nos gaudemus ex ritu tradito a S. Bonaventura, anno 1260, relato in *Orbe Seraphico*, tom. III, n. 30, a quo recedere non possumus ex sancitis a Julio II et Clemente X citat. in rubricis nostri novissimi Franciscani Breviarii n. 129, ibi : « Quoad cæremonias vero et alia ad recte et sancte reddendum Domino sacrificium

Digitized by Google

laudis, quoquomodo necessaria et opportuna observanda sunt documenta a sancto Bonaventura edita, necnon ordinationes capitulorum generalium, Apostolica auctoritate confirmatæ : ac proinde Rituale, constitutiones et doctrinæ in firmamento trium ordinum contentæ ibidem a san. memor. Julii II et tandem a fel. record. Clemente X in Brevi *Ex commissi Nobis*, 28 Augusti 1671, cum aliis recentioribus, approbatæ, et sub nonnullis pœnis pro tunc et nunc observari mandatæ : » Ac ideo in Missalibus, et Breviariis Franciscanis *in Confitevor* rite appositum est post nomina SS. apostolorum Petri et Pauli, nomen S. Patris nostri Francisci. Et insuper ad id habemus personalem confirmationem Innocenti XIII, qui assistendo nostro capitulo generali Romæ celebrato 15 Maii 1723, non solum id approbavit in publica confessione omnium vocalium, sed et sibimetipsi complacuit repetere, dicendo : « Precibus et meritis beatæ Mariæ, etc., beatorum apostolorum Petri et Pauli, et beati Patris vestri Francisci, etc.; » uti apparet ex supra laudato capitulo generali edito Romæ anno 1730. Et ad id accedit totius religionis universalis, ac inveterata consuetudo, quæ, quasi altera lex, parem obligandi obtinet potestatem, c. *Consuetudo* 5, dist. 1, l. *De quibus* 31, ff. *De legib.*, l. *Diuturna consuetudo* 35, et l. *Sed ea* 35, ff. eod. Consuetudo namque est optima legum interpres; L. *Si de interpretatione* 37, ff. *De legibus*, cap. *Cum dilectus* 8, *De consuetudine*, cum similibus. Et hæc sententia expresse traditur sub n. 168, in cæremoniali Medionali impresso anno 1744 ab eruditissimis Patribus reformatis illius provinciæ collecto ex cæremonialibus Romanis et Franciscanis.

DECRETA.

(14. *Decretum quo disposita atque sancita a P. vicecommissario generali ordinis Min. Observ. Reformator. S. Francisci pro conventibus recessus, seu recollectionis nuncupatis confirmantur.*

« Sacra congregatio super disciplina regulari, expenso tenore epistolæ circularis vicecommissarii generalis Min. Observantium Reformatorum S. Francisci, datæ die 9 Januarii 1707, in qua sub n. 7 ubi de conventibus recessus, seu recollectionis agitur, hæc habentur : « E in detto convento, o conventi, ne'quali dovra attendersi al solo spirito di divozione, ed orazione, non vi potra essere studio, ne'lettori, o altro religioso esente da qualunque atto comune. » Et mature perpensis omnibus, et singulis deductis tam a d. vice commissario generali, et procuratore generali et strictioris Observantiæ sancti Francisci ex una, quam Patribus habitantibus in conventibus recessus provinciarum reformatarum Marchiæ et Bononiæ partibus ex altera, pro stabilitate conventuum recessus, sive recollectionis cum peculiaribus legibus rescripsit : « Exsecutioni mandetur in omnibus provinciis prædicta Epistola circularis vicecommissarii generalis, sub die nona Januarii 1707. Et tam superiores generales, quam provinciales omnino provideant conventui recollectionis, alias sacra congregatio providebit.

« Dat. Romæ, hac die 24 Martii 1708.

« J. R., card. imperialis præfectus. »

(15. *Decretum de instituendis in unaquaque provincia strictioris Observantiæ S. Francisci conventibus spiritualis recessus pro religiosis serventibus, ad præscriptum epistolæ circularis P. a Monte-Bufo vicecommissarii, alias a sacr. congr. confirmatæ.*

« Cum ad aures sacræ congregationis super disciplina regulari pervenerit, et multiplici fide dignorum testimonio fuerit comprobatum, in multis provinciis strictioris Observantiæ S. Francisci per Italiam et insulas adjacentes, epistolam circularem vice-commissarii generalis a Monte-Bufo datam 9 Januarii 1707 et ab hac sacra congregatione confirmatam 24 Martii 1708, plenum non sortiri effectum quoad demandatos spiritualis recessus conventus; volens propterea sacra congregatio, ne talis inobservantia in regularis disciplinæ detrimentum diutius protrahatur, opportune et efficaciter providere, re mature discussa, auditisque pluries, tum voce, tum scripto, superioribus ordinis, referente eminentissimo Fabrono, rescripsit; pro omnimoda observantia præfatæ epistolæ circularis vicecommissarii generalis a Monte-Bufo confirmatæ, ut supra, a sacra congregatione, destituendis in unaquaque provincia supradictis conventibus spiritualis recessus pro religiosis ferventioribus; et non concedatur licentia admittendi ad habitum et professionem, nisi in provinciis in quibus sacræ congregationi constiterit præfatos conventus re ipsa institutos esse, ac sedulo et cum effectu a superioribus generalibus detur notula, ubi sint respective instituti dicti conventus.

« Romæ, 10 Decembris 1714.

« J. R., card. imperialis præfectus. »

(16. *Decretum consimile præcedenti pro Minoribus Observantibus S. Francisci.*

« Cum ad aures sacræ congregationis super disciplina regulari pervenerit, et multiplice fide dignorum testimonio fuerit comprobatum in multis provinciis Minorum de Observantia Sancti Francisci per Italiam, et insulas adjacentes, Breve san. mem. Innocentii XI, quod incip. *Militantis Ecclesiæ*, etc., editum die 22 Novembris 1679, plenum non sortiri effectum quoad demandatos recollectionum conventus; volens propterea eadem sacra congregatio ne talis inobservantia in regularis disciplinæ detrimentum diutius protrahatur, opportune et efficaciter providere, re mature discussa auditisque pluries, tum voce, tum scriptis superioribus ordinis, referente eminentissimo Fabrono, censuit supersederi pronunc in expeditione novi brevis, sed omnino servandam esse dispositionem brevis san. mem. Innocentii XI 22 Novembris 1679, de non concedenda

Digitized by Google

licentia admittendi ad habitum et professionem in illis provinciis in quibus plene non constiterit sacræ congregationi supradictos recollectionum conventus institutos fuisse juxta formam in eodem brevi præscriptam. Et interim detur a superioribus generalibus nota ubi respective sunt recollectionum conventus.

« Romæ, 10 Decembris 1714.

« J. R. card. imperialis præfectus. »

MIRACULUM.

SUMMARIUM.

1. Miraculum unde dictum? — 2. Miraculum quid sit? — 3. Ad verum et proprie dictum miraculum quatuor principaliter requiruntur. — 4. Assignatur primum requisitum. — 5. Assignatur secundum. — 6. Assignatur tertium. — 7. Assignatur quartum. — 8. His quatuor enumeratis requisitis addi solet quintum, et assignatur.— 9. Miraculorum triplex est genus, seu ordo, vel gradus. Quodnam sit primum genus, et quæ miracula ad ipsum spectent? — 10. Quodnam sit secundum genus, et quæ miracula ad ipsum spectent? — 11. Quodnam sit tertium genus, et quæ miracula ad ipsum spectent? — 12. Miracula primi generis non est necesse, quod fiant in instanti. — 13. Miracula secundi generis nec ipsa petunt fieri in instanti. — 14. Miracula tamen tertii generis necesse est, quod fiant in instanti. — 15. Miraculum per quid differat a gratia? — 16. Gratia quid sit? — 17. Quando est dubium an sanitas recuperata sit per miraculum, vel per gratiam, concludendum est esse recuperatam per gratiam. — 18. Miracula in sacra Scriptura appellantur interdum *signa*. — 19. Interdum vocantur *prodigia*. — 20. Interdum appellantur *portenta*. — 21. Hæc vox *miraculum*, quamvis pluries habeatur in Veteri Testamento, nunquam tamen reperitur in Novo. — 22. Miracula, prodigia et portenta conveniunt omnia in ratione signorum. — 23. Attamen licet omnia sint miracula, quædam tamen magis proprie appellantur signa, quatenus non actu rem signatam ponunt, sed consummantur in præsignatione rei futuræ vel rei præsentis. — 24. Miracula autem semper effectum suum ponunt actu a parte rei. — 25. Prodigia et portenta volunt nonnulli quod differant a miraculis ex parte effectus et modi significandi, quatenus illa terrorem, vel nocumentum aliis inferant et prænuntient; miracula vero commodum et gaudium. — 26. Alii autem tenent quod miracula illa quæ propter eorum excellentiam majori admiratione et stupore sunt plena, prodigia et portenta appellentur; quæ vero admirationem inferunt, sed non tantam, minora et pura miracula dicantur. — 27. Pignatell. tamen et alii dicunt quod, inspecto eo quod sit excedens facultatem naturæ creatæ, miracula dicuntur *virtutes*; et inspecto eo propter quod ipsa fiunt miracula, nuncupantur *signa*; et quatenus miracula aliquid præostendunt, vocantur *ostenta* sive *portenta*; quatenus vero futura prædicunt, appellantur *prodigia*. — 28. Solus Deus proprie ac physice potest facere vere et proprie dicta miracula. — 29. Possunt tamen sancti ac servi Dei facere miracula moraliter. — 30. Miracula in confirmationem fidei possunt moraliter fieri etiam a peccatoribus veram fidem habentibus. — 31. Nequeunt tamen a peccatoribus fieri, neque moraliter in testimonium sanctitatis, aut insignium meritorum apud Deum. — 32. Hæretici nequeunt facere miracula, neque in confirmationem fidei, neque in testimonium sanctitatis, aut insignium meritorum apud Deum. — 33. Angeli possunt moraliter facere miracula. — 34. Angeli mali seu dæmones nequeunt ullo modo facere vera miracula. — 35. Adducitur et solvitur instantia. — 36. Virtutes, signa et prodigia Antichristi erunt spuria, apparentia et mendacia. — 37. Potestas examinandi et recognoscendi miracula competit non solum Summo Pontifici, sed etiam episcopis.— 38. Debet tamen episcopus, si examinet miracula nondum canonizatorum aut beatificatorum, antequam divulget aut divulgari permittat, totum negotium ad Sanctam Sedem transmittere, indeque responsum exspectare. — 39. Examen miraculorum debet esse exactissimum et rigidissimum, præsertim quoad testes. — 40. Episcopus ad examen miraculorum debet adhibere in consilium etiam theologos et alios viros probos. — 41. Miracula, gratiæ, et beneficia, etc., quæ præsumuntur accepta a Deo ad intercessionem alicujus mortui cum opinione sanctitatis, non possunt imprimi sine licentia Sedis Apost. nisi fuerit canonizatus vel beatificatus. — 42. Miracula gratiæ, etc., talis mortui non canonizati nec beatificati publicari non possunt sine præfata licentia sub pœnis, clericis sæcularibus privationis officiorum, suspensionis a divinis, et administrationis sacramentorum; regularibus vero omnium officiorum, nec non vocis activæ et passivæ. — 43. Quando miracula fieri dicuntur in aliqua ecclesia sæculari, sive regulari virtute sacrarum imaginum, statim episcopi mandant operiri imagines, et impediunt concursum populi, ne miracula publicentur antequam per testes legitimos fuerint sufficienter probata, et transmissa ad Papam, et transgressores possunt ab episcopis puniri. — 44. Affertur celeberrimum miraculum. — 45. De variis miraculis a Christo Domino patratis, *remissive*.

(1. Miraculum dicitur mirum factum, vel quasi admiratione plenum. Barbosa, *De offic. et potest. episcop.*, part. III, alleg. 99, n. 7, et alii passim. (2. Miraculum, prout usurpatur in causis beatificationum et canonizationum, describitur a S. Augustino, *Lib. de util. cred.*, cap. 16, ibi : « Miraculum voco quidquid arduum et insolitum supra spem aut facultatem mirantis apparet, » et a S. Thoma, par. I, quæst. 110, art. 4, et quæst. 114, art. 4. Miraculum proprie et stricte sumptum definitur, quod sit *id quod fit præter ordinem totius naturæ creatæ*, et sic doctores passim.

(3. Ad verum, et proprie dictum miraculum quatuor principaliter requiruntur. Glossa communiter recepta in cap. *Gloriosus Deus*, unic. De reliquis et veneratione sanctorum, verb. *Sedis Apostolicæ*.

(4. 1° Igitur requiritur quod miraculum fiat supra naturam, id est præter ordinem totius naturæ; sicut de virga Moysis mutata in colubrum, et de asina loquente ad Balaam, ex capit. *Cum ex injuncto* 12, De hæreticis. Illud enim quod per causas naturales fieri potest, non est miraculum. (5. 2° Quod appareat illud ex Deo, non ex arte contingere, neque ex diabolo, quia mirabilia, quæ arte applicando activa passivis contingunt, seu ope dæmonis virtute sua naturali angelica agentis efficiuntur, quamvis facultatem et captum humanum excedant, indeque admirationem in intellectu humano causent, non sunt tamen vere et propria

Digitized by Google

miracula, licet in sensu largo talia dicantur, in cap. *Teneamus* 56, caus. 1, *Exodi* VII, Actor. IX, et alibi : Solus enim Deus proprie ac physice potest facere miraculum; hinc *Psal.* LXXI dicitur : *Qui facit mirabilia solus*, et *Psal.* LXXXIII : *Tu faciens mirabilia, tu es Deus solus.* (6. 3° Quod fiat non vi verborum, sed hominis merito id contingat. Unde transubstantiatio panis in corpus Christi per sacerdotem vi consecrationis causata, non est miraculum, prout requiritur ad beatificationem vel canonizationem.

(7. 4° Quod fiat vel in confirmationem fidei, vel in testimonium sanctitatis alicujus, in quo Deus se vult mirabilem ostendere, ejus virtutes in aliorum exemplum miraculis illustrando, unde de primo dicto fine ob quem Deus patrare solet miracula, constat ex *Marc.* ultimo ibi : *Illi autem profecti prædicaverunt ubique Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis.* Et *Hebræor.* II, ibi : *Contestante Deo signis et portentis.* Et de secundo dicto fine constat ex *Psal.* LXI, 36, ibi : *Mirabilis Deus in sanctis suis.* Et de S. Thoma de Villanova in 3 lection. *Officii*, ibi : « Deus sanctitatem servi sui testatam voluit præsertim cum horreum frumento pauperibus distributo penitus vacuum, repente plenum inventum est. »

(8. His quatuor enumeratis ad verum et proprium miraculum requisitis, quintum solet addi, nempe quod fiat præter consuetum et ordinarium modum causandi. Unde quia creatio animæ, conservatio universi, et hujusmodi non fiunt præter consuetum et ordinarium modum causandi, quamvis a solo Deo fieri possint, non sunt ad propositum vere et proprie miracula. Barb., *De offic. et potest. episcop.*, alleg. 97, n. 8; Reifenstuel, lib. III, *Decr.*, tit. 45, n. 39, et alii.

(9. Miraculorum triplex est genus, seu ordo vel gradus, sicuti tripliciter potest opus aliquod facultatem naturæ excedere. Primo scilicet quoad substantiam facti, seu quoad id quod fit, quando nempe substantia rei factæ est supra vires naturæ; quod constituit speciem miraculorum primi generis, seu ordinis vel gradus; uti est illud quod duæ naturæ uniantur et subsistant in una persona, sicut factum est in Incarnatione, de quo dixit sanctus Augustinus tract. 17 *in Joannem* : « Majus miraculorum est quod Deus factus est homo, quam miracula omnia quæ Deus fecit inter homines. » Ad hoc primum genus, seu ordinem, vel gradum spectat fecunditas et partus virgineus B. M. V.; si idem corpus sit simul cum alio in eodem loco, ut de Christo Domino, qui intravit ad discipulos januis clausis; si corpus humanum glorificetur; si unum corpus simul sit in duobus, vel pluribus locis; si sol stet, aut retrocedat, prout contigit ad preces Josue et Ezechiæ regis, et hujusmodi.

(10. Secundo, *quoad subjectum*, seu quoad *id, in quo fit*, quando nempe aliquid est supra vires naturæ, quoad subjectum ejus in quo fit, id est quando aliquid fit, quod natura ipsa quoque facere potest, sed non in illo subjecto in quo tunc fit; quod constituit speciem miraculorum secundi generis, seu ordinis, vel gradus, uti est resuscitatio mortuorum, illuminatio cæcorum, et hujusmodi : potest enim natura causare vitam, sed non in mortuo; potest præstare visum, sed non cæco. Ad hoc secundum genus, seu ordinem, vel gradum spectant sanationes paralyticorum quos Christus sanavit, et sanationes aridorum, claudorum, mutorum, vel alio simili morbo laborantium, quorum sanationes omnem medicorum artem et medicinæ virtutem superent, et soli divinæ virtuti reserventur.

(11. Tertio, *quoad modum faciendi*, quando nempe aliquid est supra vires naturæ quoad modum, faciendi, id est quando tale quid fit, quod etiam natura ipsa facere potest, sed non illo modo. Quod constituit speciem miraculorum tertii generis, seu ordinis, vel gradus; uti est, cum quis subito ac instantanee divina virtute sanatur a febri, nullis adhibitis medicamentis, nulla eveniente crisi; aut cum aer statim divinitus condensatur in pluvias absque causis naturalibus, ut legitur factum ad preces Samuelis, et Eliæ prophetæ, et sanctæ Scholasticæ sororis D. Benedicti, et aliorum, et hujusmodi; potest enim natura causare salutem in infirmo, condensationem aeris in pluvias, sed non tali modo, scilicet in instanti, et sine medicamentis, et sine concursu aliarum causarum naturalium. Ad hoc tertium genus, seu ordinem, vel gradum spectant sanatio instantanea a febri socrus Simonis facta a Christo Domino, *Lucæ* IV, sanationes instantaneæ ab hydrope, ab hernia, et ab aliis hujusmodi morbis illico factæ simul cum integra recuperatione virium ad invocationem alicujus servi Dei, seu sancti, quia, cum per naturam nequeant illico, et simul cum recessu morbi vires totaliter recuperari, ideo quoties morbus hoc modo recedit, et vires simul totaliter recuperantur, non per naturam, vel artem, sed per miraculum accidisse censetur.

(12. Miracula primi generis, seu ordinis, vel gradus non est necesse ut habeantur pro veris miraculis, quod fiant in instanti, quia talia miracula, sive fiant in instanti, sive progressu temporis, semper verificatur quod a solo Deo procedant, cum totaliter superent vires, et facultatem naturæ, a qua nec in instanti, nec successive provenire possunt. Pignatell. tom. IV, consult. 44, n. 6; Lauræa in tom. III, disput. 20, art. 20, num. 865, et alii passim.

(13. Miracula secundi generis, seu ordinis, vel gradus non est necesse quod fiant in instanti, et patet exemplis relatis in sacra Scriptura; de filio enim viduæ a morte excitato ab Elia *III Reg.* XVII, habetur : *Qui expandit se atque mensus est super puerum tribus vicibus... reversa est anima pueri intra eum, et revixit.* Et de filio Sunamitis suscitato a mortuis ab Elisæo *IV Reg.* III, non statim, sed paulatim ibi : Nam Elisæus ingressus domum *ascendit, et incubuit super puerum, posuitque os suum super os ejus et*

Digitized by Google

oculos suos super oculos ejus, et manus super manus ejus, et incurvavit se super eum, et calefacta est caro pueri. At ille reversus deambulavit in domo semel huc atque illuc, et ascendit, et incubuit super eum, et oscitavit puer septies, aperuitque oculos. Et de cæco nato illuminato a Christo Domino, *Joan.* IX, ibi : *Fecit lutum ex sputo, et livinit super oculos ejus, et dixit ei : Vade, lava in natatoria Siloe.... abiit ergo, et lavit, et venit videns.* Quæ miracula ex dictis supra num. 10, sunt secundi generis, et tamen, ut patet ex textu, non sunt facta in instanti.

(14. Miracula tertii generis, seu ordinis, vel gradus necesse est quod fiant in instanti, ita ut infirmus sanetur, et vires recuperet statim ac sanctus est invocatus, alias si ita non evenirent, sed progressu temporis, dubitari ac suspicari cum fundamento posset, quod non a Deo supernaturali concursu supra vires naturæ morbus fuerit expulsus, sed ex generali concursu cum natura operante id acciderit; quoties autem dubium est, seu suspicio, quod sanatio potuerit procedere a natura, Ecclesia in causis beatificationis et canonizationis non approbat pro miraculo, sed solum pro gratia, arg. cap. *In obscuris* 30, De regul. juris, in 6, ibi : « In obscuris minimum est sequendum. »

(15. Unde miraculum, ut notat Diana, *Coordinat.* tom. VIII, tract. et resolut. 1, et alii, per hoc differt a gratia : quod miraculum fit in instanti, et gratia successive : quamvis tamen miraculum differat a gratia per hoc etiam quod miraculum a solo Deo procedat, quin physice ad eum concurrat causa secunda; gratia vero procedat quidem a Deo per intercessionem alicujus invocati servi Dei, vel sancti, sed etiam concurrente alia secunda causa; uti patet, cum pro obtinenda sanitate infirmus invocat aliquem sanctum, et interim medicamenta adhibet, et citius, seu in minori tempore, quam si sanctus fuisset invocatus, sanitatem et vires successive recuperat; tunc enim dicitur non miraculum, sed gratia.

(16. Hinc gratia describi potest, quod sit « beneficium procedens ex speciali Dei benevolentia, etiam in linea naturali, a Deo, concurrente simul physice causa secunda, successive factum petenti, sed citius quam si, vel ipse Deus, vel Dei servus non fuisset vocatus. » Matthæucci, in *Pratica theologico-canonica*, tit. 3, c. 1, n. 67. (17. Quando autem est dubium an sanitas recuperata sit per miraculum, vel per gratiam? concludendum est esse recuperatam per gratiam, per citatam *Regulam* 30 *Juris* in 6, uti recte Matthæucci, *loc. cit.*, n. 68, et alii.

(18. Miracula in sacra Scriptura appellantur interdum *signa*, ut *Deuteronomii* VI, ibi : *Deus fecit signa; Marc.* XVI, ibi : *Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis; Joann.* II, ibi : *Hoc fecit initium signorum in Cana Galilææ, convertens aquam in vinum;* et *ibidem*, cap. IV : *Hoc iterum secundum signum fecit Jesus, cum venisset a Galilæa in Judæam sanans filium reguli. Actorum* VIII signa vocantur sanationes paralyticorum, claudorum et energumenorum liberationes. (19. Interdum vocantur *prodigia*, ut *Deuteron.* VI, ibi : *Deus fecit signa atque prodigia magna; Psal.* XXXV, ibi : *Quæ posuit prodigia super terram; Joel.*, II, ibi : *Dabo prodigia in cælo et in terra; II Machabæor.* XV, ibi : *Prodigia facientem Dominum invocavit; Joann.* IV, ibi : *Nisi signa et prodigia videritis; Actor.* V, ibi : *Fiebant signa et prodigia multa*, et sæpe alibi. (20. Interdum appellantur *portenta*, ut *Deuter.* IV, ibi : *Signa atque portenta;* et *ibidem*, cap. VII : *Signa atque portenta; Josue* XXIV, ibi : *Multis signis, atque portentis; II Paralipom.* cap. XXXII, ibi : *Ut interrogarent de portento, quod occiderat; Isaiæ* VIII, ibi : *In signum et in portentum; Ezechiel* XXII, ibi : *Quia portentum dedi te domui Israel; Marc.* XIII, ibi : *Dabunt signa, et portenta; ad Hebræos* II, ibi : *contestante Deo signis et portentis*, et sæpe alibi. (21. Hæc autem vox *miraculum*, quamvis pluries habeatur in Veteri Testamento, nunquam tamen reperitur in Testamento Novo.

(22. Miracula, prodigia et portenta conveniunt omnia in ratione signorum, quia omnia præter speciem sui, quam ingerunt sensibus viventium, quid aliud significant. (23. Attamen licet omnia sint miracula utpote ardua et insolita, et supra vires naturæ creatæ, quædam tamen magis proprie appellantur *signa*, quatenus non actu rem signatam ponunt, sed consummantur in præsignatione *rei futuræ*, ut erunt signa in sole, et luna, et stellis, *Lucæ* XXI, quæ præsignabunt judicium universale proxime futurum. Vel *rei præsentis*, ut signa prodigiosa censentur illa quæ, dum sancti martyrio afficiuntur, non semel solet evenire, quod nempe feræ mansuescant, terræmotus accidat, statuæ inanium deorum corruant, magna tempestas oriatur, radii et splendores supra caput et circa corpus martyris appareant, concentus angelorum audiantur, faces accensæ videantur, et hujusmodi quæ omnia tanquam signa a Deo dantur ad indicandum quod mors patientis sit ipsi accepta, et injuste, et inique judex, et tyranni operentur, quin effectus alius ponatur a parte rei.

(24. Miracula autem semper effectum suum ponunt in actu; si enim loquamur de miraculis primi generis, ut est Incarnatio divini Verbi, ponit actu a parte rei Verbum incarnatum; si loquamur de miraculis secundi generis, ut est resuscitatio mortui, ponit actu a parte rei mortuum resuscitatum; si loquamur de miraculis tertii generis, ut est sanatio instantanea a febri, ponit actu a parte rei sanitatem. Sic recte Matthæucci, *loc. cit.*, cap. 1, n. 30 et 31, et alii.

(25. Prodigia et portenta volunt nonnulli, quod differant a miraculis ex parte effectus, et modi significandi, quatenus illa terrorem, vel nocumentum aliis inferant, et prænuntient; miracula vero commodum et gaudium; sicuti resuscitatio a morte, sanatio miraculosa a morbo est miraculum afferens commodum et lætitiam. (26. Alii tamen tenent quod miracula illa, quæ propter

Digitized by Google

eorum excellentiam majore admiratione, et stupore sunt plena, prodigia, et portenta appellentur; quæ vero admirationem inferant, sed non tantam, minora, et pura miracula dicantur. Sic Matthæucci, *loc. cit.*, n. 21, et alii. (27. Pignatellus autem, tom. IV, consult. 58, n. 1, observans, quod ex D. Thoma 2-2, quæst. 178, art. 1, ad 3, duo possunt attendi in miraculis, quatenus excedunt vires totius naturæ creatæ, scilicet id, quod fit excedens facultatem dictæ naturæ, quo inspecto, inquit, miracula dicuntur *virtutes*, et id, propter quod ea fiunt, scilicet ad manifestandum aliquid supernaturale, cujus gratia, dicit, miracula nuncupantur *signa*. Unde infert cum Angel. Rocc., *De canonizatione sanctor.*, c. 22, Miracula, quatenus aliquid præostendunt *ostenta*, seu *portenta* vocari; quatenus vero futura prædicunt, appellari *prodigia*.

(28. Solus Deus proprie, ac physice potest facere vera, et propria d. miracula. *Communis;* et ratio est, quia, si aliqua creatura, v. gr. angeli, sancti, ac dæmones possent proprie, et physice facere vera, et proprie dicta miracula, jam miracula non essent supra naturam, nec præter ordinem totius naturæ creatæ, prout requiritur ad rationem proprie, et stricte dicti miraculi, ut patet ex ejus definitione tradita ex D. Thoma supra n. 2. Unde dicitur *Psal.* LXXI: *Qui facit mirabilia solus.*

(29. Possunt tamen sancti ac servi Dei facere, et revera ab eis plura sunt facta, et in dies fiunt miracula *moraliter*, quatenus nempe Deus ad preces ipsorum, vel intuitu fidei, atque meriti eorum, aut in confirmationem sanctitatis eorumdem miracula patravit, seu patrat, quæ alias non esset patraturus. Unde *Psal.* LXVII dicit: *Mirabilis Deus in sanctis suis. Communis.*

(30. Miracula in confirmationem fidei possunt moraliter fieri, etiam a peccatoribus veram fidem habentibus, eamque prædicantibus, ac nomen Dei invocantibus, ut colligitur aperte ex *I ad Corinth.* XIII, ibi: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum;* ubi, ut vides, aperte supponit posse homines fide vera instructos, licet charitate destitutos, montes ipsos alio transvehere; et de facto patet in Juda proditore, qui in testimonium fidei, æque ac alii apostoli, patravit miracula, *Marc.* III, ut recte observat Reiffenstuel, lib. III *Decret.*, tit. 45, n. 37, et tenent passim doctores.

(31. Nequeunt tamen a peccatoribus fieri neque moraliter miracula in testimonium sanctitatis, aut insignium meritorum apud Deum, qui est alter finis, ob quem miracula fiunt; miracula enim ob talem finem non possunt fieri, nisi ab illis qui apud Deum specialibus meritis sanctitatis refulgent. *Communis.*

(32. Hæretici autem nequeunt facere miracula, neque in confirmationem fidei, neque in testimonium sanctitatis, aut insignium meritorum apud Deum; ipsi enim carent hac supernaturali, quæ necessaria est ad facienda miracula; juxta illud *Matth.* XVII, ibi: *Si habueritis fidem*, etc., *et dicetis monti huic: Transi hinc illuc, et transibit, et nihil impossibile erit vobis;* nec habent sanctitatem, cum sint membra præcisa ab Ecclesiæ sanctitate, adeoque nullimode possunt facere vera miracula. Pignatell., tom. IV, consult. 67, n. 43, Matthæucc., *loc, cit.*, tit. 6, cap. 3, num. 15 et sequent.; Laureæa, *loc. cit.*, n. 804, et alii passim, et expresse habetur ex concilio Constantinopolit. III, art. 15.

(33. Angeli boni possunt moraliter facere miracula, sive quia ex voto et desiderio eorum Deus mira præstet, sive quia ministerium ei exhibeant, ut ea mira præstet. S. Thomas part. I, q. 110, art. 4; Pignat., *loc. cit.*, n. 35, et alii passim.

(34. Angeli mali, seu dæmones, nequeunt ullo modo facere vera miracula. *Communis.*

(35. Nec obstat, quod cap. *Teneamus* 56, caus. 1, quæst. 1, sicuti et *Exodi* c. VII, habeatur magos Pharaonis fecisse miracula, et eod. cap. *Teneamus;* et *Actor.* IX dicatur Simonem magum patrasse miracula. Non obstat, inquam, quia, ut dicunt S. Augustinus lib. XX *De civitate Dei*, et lib. III *De Trinit.;* S. Thomas, part. I, quæst. 110, art. 4, ad 2, et quæst. 114, art. 4, et alii passim. Mira illa per magos Pharaonis, et per Simonem magum, sicut, et alia per alios magos, et malos homines ope dæmonis facta, seu exhibita, non fuerunt vera miracula, sed tantum apparentia, et præstigia quædam sensus, et imaginationem illudentia. *Vide* etiam dicta ad rem sup. n. 5.

(36. Sic etiam virtutes, signa et prodigia Antichristi erunt spuria et mendacia, quia ipse, ut interpretatur S. August. lib. XX *De civitate Dei*, et alii passim, decipiet sensus per illusiones et phantasmata et efficere videbitur, quod re ipsa non efficiet.

(37. Potestas examinandi et recognoscendi miracula competit non solum Summo Pontifici, sed etiam episcopis; habetur clare ex concilio Tridentino sess. XXV, *De invocatione sanctorum*, ubi dicitur: « Nulla etiam admittenda esse miracula, nec novas reliquias recipiendas, nisi eodem recognoscente et approbante episcopo; » qui textus non tantum procedit de miraculis jam *canonizatorum*, sed etiam *non canonizatorum*, ita ut episcopus etiam istorum miracula recognoscere possit, prout sacra congregatio ejusdem concilii interpres declaravit, teste Fagnan. in cap. *Cum ex eo* 2, De reliquiis et venerat. sanctorum, n. 7, et Barbosa, *De offic. et potest. episcop.*, par. III, allegat. 97, n. 3 ubi dicit sic fuisse sibi responsum a dicta sac. congregatione et originalem responsionem apud se asservare. (38. Debet tamen episcopus, si examinet miracula nondum canonizatorum, aut beatificatorum, antequam ea divulgari permittat, totum negotium ad Sanctam Sedem transmittere, indeque responsum expectare, juxta constitutionem 37 Urbani

Digitized by Google

VIII incipien. *Sanctissimus;* Fagnan., *loc. cit.*, n. 10; Reiffenstuel, lib. III *Decr.*, tit. 45, n. 45, in fine.

(39. Examen miraculorum debet esse exactissimum et rigidissimum, præsertim quoad testes, ita ut regulariter non nisi per testes idoneos juratos, qui non sint singulares et qui deponant ex scientia per sensus proprios et singillatim examinentur, miraculum probari valeat, prout pluribus demonstrant auctores, arg. cap. *Venerabilis de testibus*, et c. *Testes*, caus. 3, quæst. 9. (40. Unde episcopus ad examen miraculorum debet adhibere in consilium etiam theologos et alios viros probos, ut expresse præscribitur in concilio Tridentino *l. c.*, ibi : « Adhibitis in consilium theologis et aliis piis viris. » De hoc argumento fuse admodum, ac docte agit episcopus Novariensis Joseph M. Maraviglia, in suis Legibus prudentiæ episcopalis, lege 303, 304, 305 et 306, quem vide.

(41. Miracula, gratiæ, beneficia, etc., quæ præsumuntur accepta a Deo ad intercessionem alicujus mortui cum opinione sanctitatis, non possunt imprimi sine licentia Sedis Apostolicæ, nisi fuerit canonizatus, vel beatificatus. Urban. VIII, constitut. 37 incip. *Sanctissimus.*

(42. Miracula gratiæ, etc., talis mortui non canonizati, nec beatificati, publicari non possunt sine præfata licentia sub pœnis, clericis sæcularibus privationis officiorum, suspensionis a divinis et administrationis sacramentorum ; regularibus vero omnium officiorum, nec non vocis activæ et passivæ. Urban. VIII, constit. incip. *Sanctissimus.*

(43. Unde Laur. de Franchis in *Controvers. inter episcop. et regulares*, p. 252, vers. *Ad.* 10, relatus a Barbosa, *De offic. et potest. episcop.*, alleg. 97, n. 6, circa finem, refert, quod quando miracula fieri dicuntur in aliqua ecclesia sæculari, sive regulari, virtute sacrarum imaginum, statim episcopi mandant operiri imagines, januas ecclesiæ claudi et impediant concursum hominum, nec miracula publicantur nisi prius per testes legitimos fuerint sufficienter probata et processus, sive aliquid hujusmodi mittatur ad papam. Et *ibidem*, vers. *Ad* 12, tenet quod tam sæculares, quam regulares admittentes nova miracula puniri possunt ab episcopo.

(44. Hic juvat afferre magnum et maximum miraculum sic appellatum a decano, aliisque sacr. Romanæ Rotæ auditoribus et relatum a nunquam satis laud. Summo Pontifice Benedicto XIV in appendice in fine tertii tomi sui undequaque aurei operis *De servorum Dei beatificatione et beatorum canonizatione.* Et est quod B. Petrus Baptista sacerdos et concionator mei Seraphici Ordinis, ac commissarius delegatus ad tyrannum Japoniæ, cum legationem sibi commissam felicissime ad optatum finem perduxisset, ac sibi illius tyranni seu imperatoris animum devinxisset obtinuissetque facultatem ædificandi monasterium et ecclesiam in civitate de Meaco regia illius imperatoris et exinde plurimos illius nationis, qua verbis, qua exemplis et charitativis officiis una cum sociis ad catholicam fidem convertisset, valde ob id iratus tyrannus indixit ei et sociis mortem crucis; et ut sic crucifixis eorum corpora in cruce ad aliorum terrorem per bimestre remanerent; quo tempore dictus meus beatus Petrus Baptista pluries, ac pluries visus fuit, derelicta cruce celebrare missam in ecclesia sui monasterii, sibi ministrante Antonio Doxico ætatis 13 annor., qui ministraverat ei vivus in missa, et postea simul cum ipso crucifixus fuerat. Unde, uti constat ex processu pro eorum canonizatione, jussu Urbani VIII a supradictis constructo, et *loc. cit.* integre allato, sæpissime eveniebat, quod corpus beati Petri Baptistæ et dicti Antonii non videbantur in cruce; et postea transacto tempore celebrationis missæ, audientibus interim astantibus canticum quasi cœlestem, iterum videbantur in cruce eodem modo quo martyrium in illa passi fuerant, quod, uti revera est, merito appellatur magnum, imo maximum *miraculum.*

(45. De variis miraculis a Christo Domino in terris degente patratis disseritur in hac *Bibliotheca* verb. HEMORRHOISSA, verb. MAGI, verb. FILIUS VIDUÆ NAIM et verb. SAMARITANA.

Alia ad rem, *vide* verb. CULTUS SANCTORUM.

MISSA, PROUT EST SACRIFICIUM.

ARTICULUS I.

Quoad ejus esse, effectus et fructus.

SUMMARIUM.

1. Missa est vere, et proprie sacrificium, verequæ repræsentativum mortis Christi. — 2. Istud sacrificium in missa incruentum idem est cum sacrificio in cruce cruento. — 3. Hæc mystica immolatio carnis Christi, quæ fit manibus sacerdotis, Christi passio, crucifixio, mors vocatur, non rei veritate, sed significante mysterio. — 4. Effectus sacrificii missæ est triplex, scilicet *propitiatorius*, seu *meritorius*, *satisfactorius*, et *impetratorius*. — 5. Missæ sacrificium quomodo sit *propitiatorium*, seu *meritorium*? — 6. Quomodo sit *satisfactorium*? — 7. Quomodo sit *impetratorium*? — 8. Fructus, seu valor sacrificii missæ est etiam triplex, scilicet *generalis*, *medius*, seu specialis, et *personalis*, seu specialissimus. — 9. Fructus *generalis* competit ex instituto Ecclesiæ generaliter omnibus. — 10. Medius, seu specialis competit illi, qui pro aliis celebrans offert, et applicat missam, sive ex charitate, sive ex justitia, recepto stipendio. — 11. Personalis, seu specialissimus competit tantummodo ipsi sacerdoti celebranti, nec est alteri applicabilis. — 12. Fructus sacrificii alius potest esse ex opere operantis, et alius ex opere operato; fructus ex opere operantis unde proveniat? — 13. Fructus ex opere operato unde proveniat? — 14. Fructus, seu valor sacrificii missæ non est infinitus, sed finitus. — 15. Affertur ratio ad n. 16. — 17. Quædam observatione digna ad articuli complementum in tyronum gratiam indo-

Digitized by Google

cantur, ad n. 19. — 20. Agitur de materia sacrif. missæ, de forma, et defectibus consecrationis ad n. 23. — 24. Alia ad rem, *remissive*.

(1. Missa est vere et proprie sacrificium, cap. *Firmiter*, De sanctissima Trinitate, concil. Trident., sess. XXII, canon. 1, et vere quidem repræsentativum mortis Christi; concil. Coloniens. II, part, VII, cap. 27. (2. Et istud sacrificium in missa incruentum idem est cum sacrificio in cruce cruento, quia licet Christus resurgens a mortuis, jam non moriturus, mors illi ultra non possit dominari, attamen in semetipso immortaliter et incorruptibiliter vivens pro nobis iterum in hoc mysterio moritur, cap. *Utrum*. 72, dist. 2, *De consecr*. (3. Hæc enim mystica immolatio carnis Christi, quæ fit manibus sacerdotis, Christi passio, mors, crucifixio vocatur non rei veritate, sed significante mysterio, cap. *Hoc est*, 48, dist. 2, *De consecr*.

(4. Effectus sacrificii missæ est triplex; scilicet propitiatorius, seu meritorius, satisfactorius et impetratorius. Sic colligitur ex Trid. sess. XXII, can. 3, ubi hæc habet expresse: « Si quis dixerit missæ sacrificium tantum esse laudis et gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium, neque pro vivis et defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus et aliis necessitatibus offerri debere, anathema sit. » (5. Est enim missæ sacrificium *propitiatorium*, seu meritorium, quia ejus virtute et intuitu Deus fit offerenti et iis pro quibus offertur propitius, conferendo ipsis auxilia gratiæ, quibus excitentur ad veram pœnitentiam, sicque ad consequendam peccatorum remissionem virtute perfectæ contritionis vel attritionis cum sacramento, ex Trident. sess. XXII, cap. 2, his verbis: « Hujus quippe oblatione placatus Dominus, gratiam et donum pœnitentiæ concedens, crimina et peccata etiam ingentia dimittit. » (6. Est *satisfactorium*, quia Deus illud acceptat tanquam satisfactionem pro pœna temporali in hac, aut alia vita pro peccatis quoad culpam jam deletis debita, ex Trident., sess. XXII, c. 2, his verbis: « Quare non solum pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus et aliis necessitatibus, sed et pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis rite juxta apostolorum traditiones offertur. » (7. Est *impetratorium*, quia per illud impetramus a Deo diversa bona, et spiritualia, et temporalia, ut innuit Trident., cit. sess. XXII, cap. 2, dum dicit rite offerri « non solum pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, et satisfactionibus, sed etiam pro aliis necessitatibus. »

(8. Fructus seu valor sacrificii missæ est etiam triplex, scilicet *generalis*, *medius*, seu specialis et *personalis*, seu specialissimus; colligitur ex Trident. sess. XXII, c. 6, ubi habet: « Siquidem illæ quoque missæ vere communes censeri debent, partim quod in eis populus spiritualiter communicet, partim vero, quod a publico Ecclesiæ ministro non pro se tantum, sed pro omnibus fidelibus qui ad corpus Christi pertinent celebrentur. » (9. Fructus *generalis* competit ex instituto Ecclesiæ generaliter omnibus fidelibus. (10. *Medius* seu specialis competit illi pro quo celebrans offert et applicat missam, sive ex charitate, sive ex justitia recepto stipendio. (11. *Personalis* seu specialissimus competit tantummodo ipsi sacerdoti celebranti, nec est alteri applicabilis. (12. Et fructus sacrificii alius potest esse ex *opere operantis* et alius *ex opere operato*. Fructus *ex opere operantis* provenit ex merito, bonitate, devotione sacerdotis celebrantis, ut colligitur ex cap. *Ipsi* 1, qu. 1, ubi habetur expresse: « Quanto enim digniores fuerint sacerdotes, tanto facilius pro necessitatibus pro quibus clamant exaudiuntur. » (13. Fructus *ex opere operato* provenit ex vi, virtute et meritis Christi qui est principalis in hoc sacrificio; et hic fructus nec crescit ex bonitate, nec minuitur ex pravitate sacerdotis, sed æqualiter prodest omnibus, sive missa celebretur per bonum, sive per malum sacerdotem ut docent communiter doctores, et habet expresse cap. *Intra catholicam* 1, quæst. 1, et cap. *Utrum*, De consecrat., dist. 2, ubi habentur præcisa verba: « Intra catholicam Ecclesiam in mysterio corporis et sanguinis Christi nihil a bono majus, nihil a malo minus perficitur sacerdote, quia non in merito consecrantis, sed in verbo perficitur Creatoris et in virtute Spiritus sancti. » Et conc. Trident., sess. XXII, cap. 1, dicit aperte: « Et hæc quidem illa munda oblatio est, quæ nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari potest. »

(14. Fructus autem, seu valor sacrificii missæ non est infinitus, sed finitus. Ita S. Thomas, 3, q. 79, art. 5; Divus Bonaventura, in dist. 45, art. 3, et Scotus, quodlibet 20, cum suis et aliis magis communiter. (15. Ratio a priori est, quia oblatio hujus sacrificii non est meritoria et satisfactoria, ut fit a Christo, cum Christus nunc non mereatur, nec satisfaciat, sed quatenus ex institutione Christi habet annexas satisfactiones præteritas ipsius Christi; congruum autem fuit, ut hæc annexio fieret modo finito, ut sæpius a sacerdotibus frequentaretur et iteraretur, ut videtur præcepisse ipse Christus, dum dixit: *Hæc quotiescunque feceritis, in mei commemorationem facietis*, ly etenim *Quotiescunque* extenditur ad iteratas vices, ad iteratas sacrificationes; hæc autem iteratio arguit limitatum et finitum valorem ejusdem sacrificii, nam si esset illimitatus et infinitus, non exigeret illam reiterationem, cum unum sacrificium tantæ virtutis esset, quantæ essent plura sacrificia, et unica missa, utpote infiniti valoris, sufficeret ad exhauriendum totum purgatorium; (16. simulque posset quis per unius missæ celebrationem satisfacere pro centum et mille stipendiis, quod est damnatum ab Urbano VIII, die 21 Junii 1625, et ab Alexandro VII in decreto sanctæ Inquisitionis die 24 Septembr. 1655, ab

Digitized by Google

Innocentio XII die 23 Decembr. 1697, ut infra in adducendis eorum decretis potest aperte videri.

Nota Romani theologi.

Valor sacrificii missæ, seu vis et dignitas illius ratione rei oblatæ infinita est. Nam eadem victima est, quæ oblata pro nobis in cruce fuit, idem sacerdos, unum et idem proinde sacrificium, sola offerendi ratione diversum, ut ait Tridentinum. Ita ergo valoris est infiniti.

Responsio auctoris.

Dicit Rom. theol. quod valor sacrificii missæ seu vis et dignitas illius, ratione rei oblatæ, infinitus est, nam eadem victima est, quæ oblata pro nobis in cruce fuit, idem sacerdos, unum et idem proinde sacrificium, sola offerendi ratione diversum, ut ait Tridentinum. Ast quamvis sacrificium missæ in se et in actu primo, quatenus exprimit virtutem et sufficientiam sacrificii crucis, habeat valorem infinitum, sacrificium tamen missæ quantum ad applicationem et in actu secundo de quo loquitur mea conclusio, habet revera fructum, seu valorem tantummodo finitum; quia licet sacrificium missæ sit idem cum sacrificio crucis, et tota efficacia sacrificii missæ consistat in applicatione valoris Christi, ut ait concil. Trid., sess. XXII, cap. 1 et 2, hæc tamen applicatio fit finito modo et per partem, sic Christo volente, ob hanc differentiam inter sacrificium incruentum et illud cruentum, quod scilicet cruentum non sit reiterabile, incruentum vero potest et debet jugiter reiterari, ut in dies ubique servatur, adeoque quamvis sacrificium crucis fuerit et sit valoris infiniti, quum Christus, qui voluit tantum semel mori etiam unico crucis sacrificio voluerit omnia impetrari; econtra vero, quia voluit sacrificium missæ multiplicari, etiam voluit per illud merita suæ passionis per partes applicari, sicque finite et limitate; alias sequerentur illa inconvenientia a me allegata. *l. c.*, num. 15 et 16, et ab aliis passim. Unde firmiter sic tenenda est mea sententia, uti eam tenent S. Thom., S. Bonav., Scotus, *locis a me cit.*; Eminentiss. cardin. Gottus, quæst. 2, dub. 1, § 2, *De valore et subjecto sacrificii missæ*; P. Daniel Concina, lib. *de Eucharist.*, III, dissertat. 2, De sacrificio missæ, c. 3; Mastrius in. q., disput. 4, q. 6, num. 117; Clericatus, *De sacrificio missæ*, decis. 33, num. 35 et sequent., cum pluribus aliis ibi cit. Pasqualig., *De sacrificio missæ*, q. 119, num. 3 et 4, ubi plures doctores cumulat; card. Bellarm., lib. II *De missa*, c. 4, proposit. 4; card. Toletus, lib. II, cap. 6 et 8; Gavant., part. II, tit. 8, num. 3, et alii, quos citat et sequitur Laym. l. V, tract. 5, c. 1, num 9; Reiffenstuel, *Theol. moral.*, tract. 4, *De sacramentis*, dist. 5, quæst. 5, conclus. 1, instans de communi, paucis exceptis; Felix Potestas, *De sacrificio missæ*, num. 234; Henno. tom. II, *De eucharist. sacram.*, disput. 2, concl. 2, ubi multa tradit ad rem allegans etiam D. Thom. in. 4, dist. 45, art. 4, quæst. 3, ad. 2, ubi docet quod quamvis sacrificium missæ infinitam contineat virtutem, illa tamen limitatur ad determinatum effectum, quod confirmat praxis Ecclesiæ plura sacrificia non solum pro diversis, sed etiam pro eodem sive vivo, sive defuncto, offerentis et sic alii passim.

(17. Ad hujus articuli complementum in tyronum gratiam animadvertendum est, vi verborum consecrationis panis, sub speciebus ejusdem poni solum Christi corpus, et in consecratione vini sub speciebus vini, vi verborum poni duntaxat sanguinem Christi; nam id vi verborum ponitur sub speciebus respective, quod verba consecrationis directe et immediate ex institutione Christi signant. Sed verba consecrationis panis, solum Christi corpus, et verba consecrationis vini, duntaxat sanguinem directe et immediate loquendo signant, ergo, etc. At sub speciebus panis, post Christi Domini resurrectionem, venit etiam per concomitantiam sanguis Christi in consecratione panis et sub speciebus vini venit etiam corpus Christi in consecratione vini, nec non in utraque consecratione per concomitantiam venit Christi divinitas et anima: per concomitantiam enim venire, est fieri præsens sub speciebus vi naturalis et physicæ connexionis, quam ad invicem habent ea, quæ sunt Christi Domini; sed corpus Christi nunc est cum sanguine, anima et divinitate, nec non sanguis cum, etc.; ergo, etc., ad propositum optime facit pro pleniori perceptu, ac sensu sequens exemplum; si aliquis apostolus in triduo mortis consecrasset, tunc vi verborum consecrationis panis, sub ejusdem speciebus posuisset corpus Christi; efficiunt enim consecrationis verba id quod significant, at non venisset per concomitantiam sub hostia sanguis et anima Christi, eo quia pro tunc haud hæc unita et connexa erat cum corpore Christi, bene vero per concomitantiam advenisset sub hostia divinitas, quod enim verbum divinum semel assumpsit, nunquam dimisit, fuitque idcirco Christi corpus semper Divinitati unitum, et similiter est suo modo dicendum respectu consecrationis vini in eodem hypothetico casu, atque hinc, ut patet, clarius liquent quæ supra, nec non perpendenti fit obvium qualiter per mysticam vi verborum separationem corporis et sanguinis Christi præfatam innuatur in missa ratio sacrificii. Et equidem prædicta, luculenter constant ex Trid., sess. XIII, cap. 3, ubi sic habet: « Et semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem verum Domini nostri corpus, verumque ejus sanguinem sub panis et vini specie una cum ipsius anima et divinitate existere; sed corpus quidem sub specie panis et sanguinem sub vini specie ex vi verborum: ipsum autem corpus sub specie vini et sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque vi naturalis illius connexionis, qua

Digitized by Google

partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur; divinitatem porro propter admirabilem illam ejus cum corpore et anima hypostaticam unionem. »

(18. Est etiam præ oculis habendum, tritum esse Catholicis ex cit. Trident. sess. 13, can. 2, quod « si quis dixerit, in sacrosancto Eucharistiæ sacramento remanere substantiam panis et vini una cum corpore, et sanguine Domini nostri Jesu Christi; negaveritque mirabilem illam, et singularem conversionem totius substantiæ panis in corpus, et totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus duntaxat speciebus panis, et vini, quam quidem conversionem catholica Ecclesia aptissime transubstantiationem appellat, anathema sit. » Ac proinde dum Apostol. *I ad Cor.* cap. XI, vers. 26, inquit : *quotiescunque manducabitis panem hunc*, etc., id intelligi debere transitive, seu distractive, scilicet id quod antea erat panis, vel dicitur panis extrinsece, eo quia remanet accidentia panis, vel anologice, quia nempe sicuti panis nutrit corpus, sic Eucharistia nutrit animam et ita de similibus ratiocinare.

(19. Item tritum est Catholicis, transubstantiatione peracta, corpus Christi sub speciebus panis et sanguinem sub speciebus vini tamdiu manere, quandiu conservaretur naturaliter substantia panis et vini, Christus enim in loco panis et vini, ut supra relatum est, succedit ex institutione sacramenti; et sicut panis et vinum, si adessent, nutrirent, sic et species sacramentales, Deo supplente id, quod præstaretur a pane et vino, nec non si species alterarentur ad corruptionem, vermiumque generationem, sinente Deo causas secundas motus suos agere, ab ipso supernaturaliter, eodem instanti, quo species ita sunt alteratæ, ut non posset sub eis naturaliter conservari panis et vinum, ibi creare materiam, ac in ipsam eam introducere substantialem formam, quæ in panis corruptione fuisset genita.

(20. * Materia sacrificii missæ est panis triticeus, et vinum ex uvis. Si vero magna esset permistio farinæ ex aliis frugibus, et permistio aquæ vinum superaret, hæc materia inepta esset consecrationi. Nec post consecrationem novus liquor, et præsertim aqua, in calicem infundendus est. Alioqui censet S. Thomas, corruptionem sacramenti sequi potuisse pro aliqua parte, nisi forte quantitas novi liquoris tantilla esset, ut non posset in omnes partes diffundi. Hæc tamen sententia non æque a scholasticis omnibus probatur.

(21. Ad essentiam sacrificii necessaria est utriusque speciei consecratio, quod etiam in prima sua institutione a Christo Domino servatum est, ex quo fit, ut nemini permitti unquam possit consecratio sub unica tantum specie, quamquam si hoc fieret a sacerdote, consecratio quidem valeret, sed ille gravi se crimine obstringeret, et sacramentum quidem, non vero sacrificium conficeret; deesset enim tunc mystica victimæ mactatio.

(22. In forma consecrationis defectus accidere possunt, qui invalidam, et defectus, qui illicitam tantum illam reddant. Illicitam dicas, si omittatur vox *enim*, et verbum *est*. Item si loco vocis *hoc*, dicatur *istud*. Invalidam, si pro *hoc* substituatur *illud*, vel *hic* pro adverbio sumptum. Dubium est, an invalida sit consecratio calicis, illis tantummodo verbis prolatis : *Hic est calix sanguinis mei*, cæteris omissis, ideoque si id forte contigerit, repetenda sub conditione verba consecrationis vini.

(23. Sacerdos verba consecrationis proferens super panem et vinum, sed extra missam, valide quidem, sed illicite consecrat, nam tota vis consecrationis in verbis Christi consistit. Hæc ex tract. Bened. XIV *De sacrif. missæ*, lib. III, cap. 13, n. 2, etc.

(24. Alia ad rem; *vide* verb. SACRIFICIUM.

ARTICULUS II.

Missa quoad applicationem, reductionem, satisfactionem, et eleemosynam.

SUMMARIUM.

1. Ut, quæ sunt observanda circa celebrationem missarum, ab omnibus perfecte sciantur, dantur hic ad litteram omnia disposita a sacra congregatione Concilii, confirmata ab Urbano VIII et Innocentio XII. —2. Affertur integre emanatum decretum.—3. Non potest recipi stipendium pro applicatione fructus personalis, seu specialissimi correspondentis ipsi sacerdoti celebranti. — 4. Affertur ad id decretum sacræ congregationis Concilii. — 5. Affertur ad id etiam propositio damnata ab Alexandro VII.—6. Non potest recipi stipendium pro pluribus sacrificiis, et unum solum sacrificium offerre. — 7. Non potest unica missa satisfieri duplici obligationi, applicando uni fructum satisfactorium, et alteri impetratorium. — 8. Ex quibus manifeste patet non posse sacerdotem alicujus congregationis, et regularem cujuscunque ordinis unica missa satisfacere duplici obligationi, quam habet applicandi missam, et pro presbytero suæ congregationis, vel religioso sui ordinis, seu provinciæ defuncto.—9. Non potest missa anticipate celebrari, et applicari pro eo, qui primo stipendium, seu eleemosynam dederit. — 10 Applicatio missæ facta a religioso subdito prævalet applicationi factæ a superiore, et sic valet illa subditi, et non illa superioris. — 11. Vivens probabilius invalide applicat animabus purgatorii omnes missas pro se defuncto applicandas. — 12. Episcopi et generales non possunt amplius reducere, et moderari missas post concilium Tridentinum receptas; nec impositas in limine fundationis, quamvis ante concilium. — 13. Poterit tamen episcopus onera et missas reducere, ac moderari, si id ei sit concessum in fundatione beneficii. — 14. Nec etiam possunt episcopi et generales, et a fortiori ipsi beneficiati ex se missas reducere, etiamsi fructus fundi assignati, deteriorati fuerint, et evaserint tenuiores sine propria culpa.— 15. Generales religionum nequeunt amplius uti antiquis privilegiis dispensandi cum suis subditis, ut celebratione unius missæ cum novem collectis possint satisfacere pro novem missis. Nec parvas eleemosynas acceptas pro missis conjungere ad summam unius Julii, et per unicam missam omnibus satisfacere.—16. Facientes celebrari ab aliis missas minori eleemosyna, quam ipsi receperint, quas pœnas incurrant? — 17. Indulta, quæ ab Apostolica

Digitized by Google

Sede fuerunt concessa pro moderandis missarum oneribus non suffragantur ad reducenda onera per contractum suscepta. — 18. Quomodo intelligi debeant verba illa : *dummodo infra modicum tempus possint omnibus satisfacere* a sacr. congreg. posita ad 11 decr. *De celebr. missarum?* — 19. Missarum reductioni locus non est, si universa hæreditas fuit gravata, nec hæredi prodest fundi assignatio, si progressu temporis impares oneri redduntur ejus proventus. — 20. Missarum reductio non conceditur, si pro celebratione non fuit assignatus fundus, sed gravati hæredes certam summam solvere. — 21. An missarum reductioni sit locus, si per contractum fuit earum onus susceptum? ad n. 22. — 23. An, et quando admittatur, vel non, compensatio missarum, quæ ultra debitum sunt celebratæ, cum missis deinceps celebrandis? — 24. Quamvis census in aliis veniant appellatione immobilium; non sic tamen quando pecunia investienda est in stabilibus pro celebratione missarum. — 25. Affertur ad rem particularis concessio Benedicti XII. — 26. Alia notabilia ad rem ad n. 50. — 51. Subnectuntur *Addit. ex alien. manu*, ad n. 73.

(1. Ut quæ sunt observanda circa celebrationem missarum ab omnibus perfecte sciantur, dantur hic ad litteram omnia disposita a sacra congregat. Concilii, confirmata ab Urbano VIII et Innocentio XII in decreto ut sequitur :

(2. « Nuper a congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium concilii Tridentini interpretum prodierunt decreta tenoris infra scripti, videlicet :

« Alias super celebratione missarum, ac prohibitione illas moderandi, seu reducendi absque Sedis Apostolicæ licentia, nec non supra earumdem, oneribus perpetuis suscipiendis, et religiosorum numero ultra reditus, et consuetas eleemosynas locorum regularium, non habendo, emanarunt ab hac sacra congregatione S. R. E. Cardinalium concil. Trident. interpretum auctoritate per fel. rec. Urbanum Papam VIII illi specialiter attributa, quamplura decreta tenoris sequentis :

« § 1. Cum sæpe contingat in quibusdam « Ecclesiis tam magnum missarum celebrandarum numerum, ex variis defunctorum relictis, aut piorum eleemosynis impositum esse, ut illis pro singulis diebus præscriptis nequeat satisfieri, et tamen « nova onera missarum in dies suscipiantur, indeque fiat, ut depereant piæ testantium voluntates, obstricta benefactoribus fides violetur, defunctorum animæ « suffragiis priventur, Ecclesiis debitus « subtrahatur cultus, ac Christi fideles gravi « scandalo affecti, plerumque a similibus « charitatis operibus retrahantur ; cumque « his malis maximum inter cætera fomentum « præbeat, aut quod ii, qui missas supra « vires celebrandas suscipiunt, sperent illas « brevi ad pauciorem numerum a superioribus reductum iri ; aut quod ecclesiis, « sorte pecuniarum absumpta, plerumque « nuda remaneant onera missarum absque « ullo emolumento, aut quod eleemosyna « pro illis celebrandis sit adeo tenuis, ut « non facile inveniantur, qui velint huic se « muneri subjicere, et reditus ecclesiæ, aut « monasterii adeo exigui, ut sacerdos pro « necessaria sui substentatione novis se « oneribus obstringere compellatur, sac. « congreg. Cardin. concilii Tridentini interpretum animadvertens, facturam se « rem Deo gratissimam, charitatique, ac justitiæ maxime consentaneam, si pro viribus « satagat hunc teterrimum abusum e Christiana republica convellere, atque eradicare : Sanctissimi D. N. Urbani divina « providentia Papæ VIII auctoritate sibi « specialiter attributa, infra scripta decreta « edidit.

« § 2. Ac primo districte prohibet, atque « interdicit, ne episcopi in diœcesana synodo, aut generales in capitulis generalibus, vel alias quoquomodo, reducant « onera ulla missarum celebrandarum, aut « post idem concilium imposita, aut in limine fundationis sed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis « ad Apostolicam Sedem recurratur, quæ, « re diligenter perspecta, id statuet, quod « magis in Domino expedire arbitrabitur : « alioquin reductiones, moderationes, et « commutationes hujusmodi, si quas contra hujus prohibitionis formam fieri contingerit, omnino nullas atque inanes decernit.

« § 3. Deinde, ubi pro pluribus missis, « etiam ejusdem qualitatis, celebrandis, « stipendia, quantumcunque incongrua, et « exigua, sive a pluribus personis collata « fuerunt, aut conferentur in futurum sacerdotibus, ecclesiis, capitulis, collegiis, « hospitalibus, societatibus, monasteriis, « conventibus, congregationibus, domibus, « ac locis piis quibuscunque tam sæcularibus, quam regularibus; sacra congregatio, « sub obtestatione divini judicii mandat, ac « præcipit, ut absolute tot missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint, ita ut alioquin ii, « ad quos pertinet, suæ obligationi non satisfaciant : quinimo graviter peccent, et « ad restitutionem, teneantur.

« § 4. Id vero ut deinceps observetur « exactius, sacr. congregatio eadem auctoritate revocat privilegia et indulta omnia « quibusvis personis, ecclesiis, ac locis « piis, tam sæcularibus quam regularibus, « cujuscunque ordinis, congregationis, et « instituti, quamcunque ob causam concessa, quibus indulgetur, ut certarum « missarum, vel anniversariorum celebratione, aut aliquibus collectis, seu oratio- « nibus, plurium missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat.

« § 5. Ac similiter omne damnabile lucrum ab Ecclesia removere volens, prohibet sacerdoti, qui missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eamdem missam alteri, parte ejusdem eleemosynæ sibi retenta, celebrandam committat.

« § 6. Præterea, ne in ecclesiis, in quibus onera missarum in perpetuum imposita « sunt, sacerdotes in eis, ut par est, adimplendis eo tepidiores, ac segniores red-

Digitized by Google

« dantur, quod onera hujusmodi cum nulla, « aut parva sint utilitate conjuncta ; sta- « tuit, atque decernit, ut pecuniæ, ac bona « mobilia ecclesiis, capitulis, collegiis, ho- « spitalibus, societatibus, congregationibus, « monasteriis, conventibus, ac locis omni- « bus, tam sæcularibus, quam regularibus, « atque illorum personis in futurum sim- « pliciter acquirenda cum onere perpetuo « missarum celebrandarum ab iis, ad quos « pertinet, sub pœna interdicti ab ingressu « ecclesiæ ipso facto incurrenda, a die rea- « lis acquisitionis, statim deponi debeant « penes ædem sacram, vel personam fide « et facultatibus idoneam, ad effectum illa, « seu illorum pretium quamprimam inve- « stiendi in bonis immobilibus fructiferis, « cum expressa, et individua mentione « oneris, quod illis annexum reperitur.

« § 7. Ac si eadem bona immobilia au- « ctoritate Apostolica deinceps alienari con- « tingerit, eorumdem pretium sub eadem « pœna, ut supra, deponi, atque in aliis bo- « nis stabilibus itidem fructiferis cum ejus- « dem oneris repetitione, atque annexione « converti debeat.

« § 8. Ad hæc sacr. congreg. quibusvis « capitulis, collegiis, societatibus et con- « gregationibus, nec non omnibus et singu- « lis ecclesiarum, ac piorum locorum, tam « sæcularium, quam regularium superioribus « vel aliis, ad quos pertinet, districte pro- « hibet, ne in posterum onera perpetua « suscipiant missarum celebrandarum, sæ- « culares quidem sine episcopi, vel ejus « generalis vicarii, regulares vero sine ge- « neralis, vel provincialis consensu et li- « centia in scriptis et gratis concedenda, « alioquin sæcularis, qui hujus prohibitio- « nis transgressor exstiterit, ab ingressu « ecclesiæ interdictus sit eo ipso : regularis « vero pœnam privationis omnium officio- « rum, quæ tunc obtinebit, ac perpetuæ « inhabilitatis ad alia de cætero obtinenda, « vocisque activæ, ac passivæ, absque alia « declaratione incurrat.

« § 9. Eleemosynas vero manuales et « quotidianas pro missis celebrandis, ita « demum iidem accipere possint, si oneribus « antea impositis ita satisfecerint, ut nova « quoque onera suscipere valeant : alioquin « omnino abstineant ab hujusmodi eleemo- « synis, etiam sponte oblatis, in futurum « recipiendis et capsulas auferant ab ec- « clesia cum inscriptione illa : *Eleemosyna « pro missis*, vel alia simili, sub iisdem pœ- « nis ipso facto incurrendis, ne fideles hac « ratione frustrentur.

« § 10. Episcopus vero, seu ejus vicarius, « aut generalis, vel provincialis, ubi de li- « centia pro perpetuis oneribus fuerint « requisiti, in singulis casibus diligenter « inquirant, de singulis missarum celebran- « darum obligationibus cuique ecclesiæ, « monasterio, aut loco pio incumbentibus : « nec antea assensum hujusmodi, aut licen- « tiam præbeant, quam eis legitime consti- « terit, illius sacerdotes, tam novo oneri « suscipiendo, quam antiquis jam susce- « ptis satisfacere posse, præcipuamque ra- « tionem habeant, ut redditus, qui eccle- « siis et locis piis relinquuntur, omnino « respondeant oneribus adjunctis secun- « dum morem cujusvis civitatis, vel pro- « vinciæ, intelligantque, si in re tanti mo- « menti, desides, aut negligentes fuerint, « in novissimo die, se hujus prætermissi « muneris rationem esse reddituros.

« § 11. Postremo illustrissimi Patres non « sine gravi animo dolore intelligentes, ma- « la fere omnia quæ regularem disciplinam « evertunt, ac præcipue nimiam hanc facili- « tatem fovent in oneribus missarum supra « vires suscipiendis, veluti ex infesta radice « pullulare ex majori regularium numero « quam ferant redditus et eleemosynæ eu- « jusque monasterii inhærentes : Summo- « rum Pontificum ac sacri conc. Tridentini « decretis, hac de re editis, sanctissimi do- « mini nostri auctoritate præcipiunt, ac « mandant omnibus et singulis, generali- « bus, provincialibus, commissariis, mini- « stris, præsidentibus, abbatibus, prioribus, « præpositis, guardianis, vicariis et quibus- « cunque aliis superioribus monasteriorum, « conventuum ac domorum regularium, « bona immobilia possidentium vel non « possidentium cujuscunque ordinis, congr. « et instituti existentium intra fines Italiæ et « insularum adjacentium, ut singuli ad quos « pertinet, in qualibet provincia adhibitis « duobus aut tribus regularibus sui ordinis « vel congreg. probatioribus et rerum usu « peritioribus, bona immobilia, census, red- « ditus et proventus omnes, consuetas item « eleemosynas et obventiones tam commu- « nes monasteriorum, conventuum et domo- « rum ejusdem provinciæ, quam etiam sin- « gularibus personis religiosis assignatas « seu permissas in communem usum dein- « ceps conferendas, decem annorum imme- « diate præcedentium habita ratione dili- « genter et mature recognoscant, iis omni- « bus detractis, quæ reparationes, præ- « stationes, grandines, sterilitates, aliave « cujuslibet generis onera consueverunt ab- « sorbere.

« § 12. Eaque omnia scripto fideliter ex- « arata, idem superior cujus interest in proxi- « mo capitulo seu congregat. generali vel « provinciali coram tribus judicibus ab ip- « somet capitulo seu congregatione deligen- « dis proponat qui computatis hujusmodi « redditibus, eleemosynis et oneribus ut « supra, detractis, sedulo examinent quot « religiosi homines, connumeratis etiam « laicis, aliisque necessariis servientibus in « unoquoque monasterio, conventu et domo « regulari, juxta regionis et proprii insti- « tuti morem, victum, et vestitum, et me- « dicinalia in communi habentes, compe- « tenter valeant sustentari. Tum eorumdem « bonorum reddituum, eleemosynarum et « onerum præcisam notam ipsimet capitulo « seu congregat. exhibeant, ut in illo diligen- « ter omnibus discussis, cujusque familiæ « monasterii, conventus, ac domus regula- « ris, in singula quaque provincia certus

Digitized by Google

« earum tantum personarum numerus Pa-
« trum capitularium voto, præfigatur quæ
« redditibus, eleemosynis et obventionibus,
« ut superius sufficienter ali possint.

« § 13. Ne vero superiores, qui id præs-
« tare debent, serius aut remissius quam
« par est, suo muneri satisfaciant : mandat
« sac. congreg. ut infra annum, post proxi-
« mum capitulum generale vel provinciale
« computandum, omnia hoc de genere capi-
« tulariter gesta in authenticam formam re-
« ducta ad sacram ipsam congregationem
« concilii singuli mittant.

« § 14. Numerumque familiæ singulorum-
« que conventuum, monasteriorum et domo-
« rum hujusmodi regularium, capituli seu
« congregat. generalis vel provincialis sen-
« tentia et auctoritate præfinitum iidem su-
« periores tam generales et provinciales
« omnes quam locales, perpetuo servare
« omnino teneantur, nec possint illum quo-
« quomodo augere, etiam prætextu augmen-
« ti redditum absque sacræ ipsius congre-
« gationis licentia; superiores autem hu-
« jusmodi, qui prædicta omnia in præfixo
« termino non præstiterint, vel numerum,
« ut supra præscriptum, quovis modo au-
« gere præsumpserint, privationis omnium
« officiorum, quæ tunc temporis obtinebunt
« vocisque activæ ac passivæ, et ad omnia
« suæ religionis officia et gradus inhabili-
« tatis perpetuam pœnam eo ipso incurrere,
« atque aliis, etiam gravioribus a Sede Apo-
« stolica infligendis pœnis sac. congregat.
« subjacere voluit et declaravit.

« § 15. Deinceps vero monasterium, con-
« ventus, domus, congregat. vel societas
« religiosorum, seu regularium nullibi reci-
« piatur, nisi præter alia ad id requisita in
« singulis hujusmodi locis duodecim saltem
« fratres, aut monachi seu religiosi degere,
« et ex redditibus, et consuetis eleemosy-
« nis, detractis omnibus, ut supra, detra-
« hendis, competenter sustentari valeant,
« ad præscriptum decreti fel. recor. Gre-
« gorii XV hac de re editi : alioquin mona-
« steria et loca hujusmodi posthac recipien-
« da in quibus duodecim religiosi ut supra
« sustentari, atque inhabitare non poterunt
« et actu non inhabitaverint ordinarii
« loci visitationi, correctioni, atque omni-
« modæ jurisdictioni subjecta esse intelli-
« gantur.

« § 16. Porro ne ullo unquam tempore
« hæc in oblivionem, seu desuetudinem
« abeant, superiores locales cujusque mo-
« nasterii, conventus ac domus regularis
« curare, atque efficere teneantur, sub pœna
« privationis officii, vocisque activæ et pas-
« sivæ ipso facto incurrenda, ut in perpe-
« tuum sexto quoque mense, id est feria se-
« cunda post primam Dominicam Adventus
« et feria sexta post octavam Corporis Chris-
« ti, præsentes ordinationes in publica men-
« sa perlegantur.

« § 17. Omnibus tam ecclesiasticis perso-
« nis cujuscunque sint ordinis, conditionis
« et gradus quam laicis, quocunque honore
« et potestate præditis, præsentia decreta
« declarandi, vel interpretandi facultate pe-
« nitus interdicta.

« § 18. Non obstantibus quoad suprascripta
« omnia et singula in præsentibus decretis
« contenta, constitutionibus et ordinationi-
« bus apostolicis in favorem quarumcunque
« personarum atque ordinum, tam mendi-
« cantium quam non mendicantium, mili-
« tiarum etiam sancti Joannis Hierosolymi-
« tani, congregationum, societatum, ac cu-
« juslibet alterius instituti, etiam necessa-
« rio et in individuo exprimendi ecclesia-
« rum, monasteriorum, conventuum, colle-
« giorum, capitulorum, hospitalium, con-
« fraternitatum et aliorum quorumcunque,
« tam sæcularium, quam regularium loco-
« rum, superiorum, nec non illorum, etiam
« juramento, confirmatione apostolica, vel
« quamvis firmitate alia roboratis statutis et
« consuetudinibus etiam immemorabilibus,
« privilegiis quoque, indultis et litteris
« Apostolicis etiam mari magno seu bulla
« aurea aut alias nuncupatis sub quibus-
« cunque tenoribus et formis ac cum qui-
« busvis etiam derogatoriarum derogatoriis,
« aliisque efficacioribus et insolitis clausu-
« lis, nec non irritantibus decretis, etiam
« motu proprio et ex certa scientia, ac de
« apostolicæ potestatis plenitudine, aut
« alias quomodolibet, etiam per viam com-
« municationis, seu extinctionis concessis
« et iteratis vicibus approbatis et innovatis,
« etiamsi pro illorum sufficienti derogatione
« de illis eorumque totis tenoribus et for-
« mis, specialis et individua, ac de verbo ad
« verbum, non autem per clausulas gene-
« rales, mentio seu quævis alia expressio
« habenda, aut aliqua alia exquisita forma
« servanda esset, tenores hujusmodi ac si
« de verbo ad verbum nihil penitus omisso
« et forma in illis tradita et observata in-
« serti forent, præsentibus pro expressis
« habens, quibus quoad ea quæ præsen-
« tibus adversantur, illis alias in suo ro-
« bore permansuris, sacr. congregat. San-
« ctitatis Suæ auctoritate specialiter et ex-
« presse derogat, cæterisque contrariis qui-
« buscunque.

« § 19. Et ne præmissorum ignorantia a
« quoquam prætendi possit, voluit eadem
« sacra congregatio ut præsentes ordina-
« tiones in valvis basilicarum sancti Joan-
« nis Lateranensis et principis apostolorum
« de urbe, ac in acie Campi Floræ, ut moris
« est, affixæ omnes ad quos pertinent ita
« arctent et afficiant, ac si unicuique perso-
« naliter intimatæ fuissent.

« § 20. Utque earumdem præsentium
« transumptis etiam impressis manu alicu-
« jus notarii publici subscriptis et sigillo
« personæ in dignitate ecclesiastica consti-
« tutæ munitis, eadem prorsus fides adhi-
« beatur quæ præsentibus adhiberetur si
« forent exhibitæ vel ostensæ.

« Datum Romæ die 21 Junii 1625.

« Cosmus, card. de Torres.

« Prosper Fagnanus, *sacr. cong. secr.*

« § 21. Excitatis autem super præmisso-

Digitized by Google

« rum decretorum intelligentia seu interpretatione infra scriptis dubiis, prodierunt « a memorata congregatione simili auctoritate illi a præfato Urbano Papa VIII specialiter attributa, responsiones seu declarationes inferius apponendæ.

« Super primo sacræ congregationis decreto de celebratione missarum, quo prohibetur ne episcopi in diœcesana synodo aut generales in capitulis generalibus, vel alias quoquo modo reducant onera ulla missarum celebrandarum aut post idem concilium imposita, aut in limine fundationis.

« Quæritur quid : si legatum sit ita tenue ut non sit qui velit onus illi injunctum subire, et si recurrendum sit ad Sedem Apostolicam pro moderatione oneris, totum aut fere totum insumendum sit pro expensis ad id necessariis?

« Et quid si permittatur episcopo in fundatione ut possit hujusmodi onera moderari?

« Secundo, super secundo ejusdem congregationis decreto quo cavetur ut celebrentur tot missæ, quot ad rationem tributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint?

« Quæritur an verba illa *præscriptæ fuerint* intelligenda sint de præscriptione facta ab offerente vel ab ordinario?

« Tertio, an cum ordinarius præscripserit eleemosynam congruam juxta qualitatem loci, personarum, ac temporum, sacerdotes accipientes stipendium minus congruo teneantur missas illis ab offerente præscriptas celebrare?

« Quarto, an sacerdotes, qui tenentur missas celebrare ratione beneficii seu capellæ, legati aut salarii, possint etiam manualem eleemosynam pro missis votivis aut defunctorum recipere et unico missæ sacrificio utrique oneri satisfacere?

« Quinto, posito quod testator relinquat ut celebrentur pro ejus anima centum missæ absque ulla præscriptione eleemosynæ?

« Quæritur an liberum sit hæredibus eleemosynam sibi bene visam præscribere, an vero eadem eleemosyna præscribenda sit ab ordinario?

« Sexto, super tertio congregationis decreto in quo eadem congregatio revocat privilegia, quibus indulgetur ut certarum missarum vel anniversariorum celebratione, aut aliquibus collectis seu orationibus, plurium missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat;

« Quæritur an verba *in futurum suscipiendis* intelligenda sint de oneribus suscipiendis post privilegium?

« Septimo, super quarto ejusdem congregationis decreto, quo prohibetur sacerdoti, qui suscepit missam celebrandam cum certa eleemosyna, ne eamdem missam alteri, parte ejusdem eleemosynæ sibi retenta, celebrandam committat.

« Quæritur an permittendum sit administratoribus ecclesiarum ut retineant aliquam eleemosynarum portionem pro expensis manutentionis ecclesiæ, altarium inservientium, paramentorum, luminum, vini, hostiæ et similium?

« Octavo, an hoc decretum habeat locum in beneficiis quæ conferuntur in titulum, idest an rector beneficii, qui potest per alium celebrare, teneatur sacerdoti celebranti dare stipendium ad rationem reddituum beneficii?

« Decimo, an sacerdotes, quibus aliquando offertur eleemosyna major solita pro celebratione missæ, debeant dare eamdem integram eleemosynam iis, quibus missas celebrandas committunt; an vero satis sit, ut dent celebrantibus eleemosynam consuetam?

« Undecimo, super quinto ejusdem congregationis decreto, quo inter cætera statuitur in hæc verba : eleemosynas vero manuales et quotidianas pro missis celebrandis, ita demum iidem accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera suscipere valeant : alioquin omnino abstineant ab hujusmodi eleemosynis, etiam sponte oblatis, in futurum recipiendis, et capsulas auferant, etc.

« Quæritur an hoc decretum prohibeat absolute, quominus accipiant novas eleemosynas ii, qui acceptis non satisfecerunt, et quid, si congruo tempore possint omnibus satisfacere?

« Duodecimo, quid, si offerens eleemosynas, audito impedimento, consentiat, ut sacerdos missam celebret cum primum poterit?

« Decimo tertio, an pœna interdicti, et aliæ appositæ in eodem decreto afficiant tam eos, qui accipiunt eleemosynas contra formam ibi præscriptam, quam eos, qui non auferunt capsulas ab Ecclesiis, ut ibidem præcipitur?

« Decimo quarto, an in hoc decreto comprehendantur illæ capsulæ, quæ apponi solent in ecclesiis in die commemorationis omnium defunctorum et vulgo dicuntur *casse d'e morti*.

« Decimo quinto, an administratores ecclesiæ, magnæ devotionis et concursus, possint eleemosynas pro missis celebrandis accipere, si iisdem missis, nonnisi post longum tempus, satisfacere valeant, ne alias cultus ecclesiæ et devotio, ac concursus fidelium, ut aiunt, minuantur.

« Decimo sexto, quia prohibitio dicti decreti videtur aliquibus directa solis capitulis, collegiis, societatibus, congregationibus, nec non omnibus et singulis ecclesiarum, piorum locorum tam sæcularium, quam regularium superioribus, de quibus fit expressa mentio, non autem privatis sacerdotibus, qui tamen comprehendi videntur sub clausula generali *et aliis ad quos pertinet*, supplicatur pro opportuna declaratione.

« Decimo septimo, super septimo ejusdem sacræ congregationis decreto, quo cavetur ut in singulis monasteriis religiosorum præfigatur numerus, qui ex consuetis

Digitized by Google

« redditibus, aut eleemosynis commode « possint sustentari.

« Quæritur an ubi hæc præfixio facta jam « fuit in vim similis decreti sanctæ memoriæ « Pauli V absque tamen computatione reddi- « tuum, cujusque religiosi, sit denuo facien- « da nec ne?

« Decimo octavo, an novitii ad habitum « regularem admissi, possint admitti ad pro- « fessionem in monasteriis, in quibus ha- « bita, ut supra, præfixione numeri, com- « mode ali non possunt?

« Decimo nono, super ultimo, quo cavetur, « ut nullibi recipiantur conventus regula- « rium, nisi præter alia ad id requisita, duo- « decim saltem fratres in eis degere, et com- « petenter sustentari valeant, ita ut alioquin « subsint jurisdictioni ordinariæ.

« Quæritur, an hoc decretum, quod vide- « tur editum in ordine ad celebrationem « missarum, comprehendat eas religiones, « quæ non consueverunt onera missarum « recipere, ut sunt religiones Capuccino- « rum, ac Societatis Jesu?

« Ultimo, an idem decretum, ubi disponit, « uti nullibi recipiantur monasteria, ni- « si, etc. habeat locum in Italia duntaxat, « ad quam est restrictum decretum proxime « antecedens, an vero etiam extra Italiam?

Declarationes, seu responsiones ad supra dicta dubia.

« § 22. Sacra congregatio Cardinalium con- « cilii Tridentini interpretum, auctoritate « sibi a sanctissimo domino nostro attri- « buta, ad singula dubia superius proposita « ad hunc modum respondit, videlicet:

« Ad primum, etsi legatum sit adeo tenue, « nihilominus pro reductione oneris, ut su- « pra, impositi, ab iis ad quos pertinet « Sedem Apostolicam esse adeundam, quæ « absque ulla impensa id statuet, quod ma- « gis in Domino e re esse judicaverit; ve- « rumtamen, si in ipsa beneficii erectione « expresse cautum fuerit, ut liceat episcopo « injunctum onus reducere, ac moderari, « legem hanc fundationis, quam decreta hac « de re edita non sustulerunt, esse validam « et observandam.

« Ad secundum, esse intelligenda de præ- « scriptione facta ab eo, qui eleemosynam « tribuit, non autem ab ordinario: Quod si « tribuens eleemosynam numerum missa- « rum celebrandarum non præscripserit, tunc « tot missas celebrari debere, quot præ- « scripserit ordinarius secundum morem « civitatis, vel provinciæ.

« Ad tertium, teneri.

« Ad quartum, sacerdotes, quibus diebus « tenentur missas celebrare ratione beneficii, « seu capellæ, legati, aut salarii, si eleemo- « synas pro aliis etiam missis celebrandis « susceperint, non posse eadem missa utri- « que obligationi satisfacere.

« Ad quintum, censuit, ubi nullam cer- « tam eleemosynam testator reliquit, esse « ab episcopo præscribendam eleemosynam « congruam, quæ respondeat oneribus mis- « sarum celebrandarum secundum morem « civitatis, vel provinciæ.

« Ad sextum, ita esse intelligenda.

« Ad septimum, respondit permittendum « non esse, ut ecclesiæ ac loca pia, seu illo- « rum administratores ex eleemosynis missa- « rum celebrandarum ullam, utcunque mi- « nimam, portionem retineant ratione ex- « pensarum, quas subeunt in missarum « celebratione, nisi cum ecclesiæ, et lo- « ca pia alios non habent redditus, quos « in usum earumdem expensarum ero- « gare licite possint et tunc quam por- « tionem retinebunt, nullanetus debere « excedere valorem expensarum, quæ pro « ipsomet tantum missæ sacrificio necessa- « rio sunt subeundæ et nihilominus eo « etiam casu, curandum esse, ut ex pecu- « niis, quæ supersunt, expensis ut supra « deductis, absolute tot missæ celebrentur, « quot præscriptæ fuerint ab offerentibus « eleemosynas.

« Ad octavum, non habere locum, sed « satis esse ut rector beneficii, qui potest « missam per alium celebrare, tribuat sacer- « doti celebranti eleemosynam congruam « secundum morem civitatis, vel provinciæ, « nisi in fundatione ipsius beneficii aliud « cautum fuerit.

« Ad decimum, debere absolute integram « eleemosynam tribuere sacerdoti cele- « branti, nec ullam illius partem sibi reti- « nere posse.

« Ad undecimum, respondit non prohi- « bere absolute; ac propterea, etsi oneribus « jam susceptis non satisfecerint, posse ta- « men nova etiam onera suscipere missarum « celebrandarum, dummodo infra modicum « tempus possint omnibus satisfacere.

« Ad duodecimum, quamvis onera sus- « cepta infra modicum tempus adimpleri « nequeant, si tamen tribuens eleemo- « synam pro aliarum missarum celebratione « id sciat, et consentiat, illæ ut tunc de- « mum celebrentur cum susceptis oneri- « bus satisfactum fuerit, decretum non pro- « hibere, quo minus eo casu eleemosyna « accipiatur pro iisdem missis juxta benefa- « ctoris consensum celebrandis.

« Ad decimum tertium, has pœnas non « habere locum, nisi in suscepturis onera « perpetua missarum celebrandarum sine « licentia episcopi, vel ejus generalis vica- « rii, aut generalis, vel provincialis.

« Ad decimum quartum, comprehendi.

« Ad decimum quintum, non posse, nisi « de consensu eorum, qui eleemosynas « tribuunt, ut supra in responsione ad duo- « decimum.

« Ad decimum sextum, comprehendi « etiam privatos sacerdotes.

« Ad decimum septimum, numeri præ- « fixionem esse iterum faciendam, servata « forma ultimi decreti hac de re editi.

« Ad decimum octavum, esse admitten- « dos ad professionem, si alias habiles exi- « stant, ac deinde in aliquo alio monasterio « ejusdem religionis esse collocandos, ubi « commode ali possint.

Digitized by Google

« Ad decimum nonum, censuit comprehendere.

« Ad ultimum, habere locum extra Italiam.

« Cosmus, card. de Torres.

« Prosper Fagnanus, *S. congr. secr.*

« § 23. Cum autem super præmissis diversi irrepserint abusus, illorumque occasione, quamplures querelæ, et recursus ad Apostolicam Sedem pervenerint, cupiens eadem congregatio Cardinalium concilii Tridentini interpretum hujusmodi detestabiles abusus e Christiana Republica pro viribus evellere, ac opportune providere, ut sublatis fraudibus, ac emendata negligentia, piæ disponentium, seu benefactorum voluntati fides illibata servetur, defunctorum animabus integra, et prompta præstentur suffragia, itidemque Deo major gloria, et Ecclesiis præstantior cultus reddatur, prævia auctoritate per SS. D. N. Innocentium divina Providentia PP. XII ei specialiter attributa, infra scripta decreta, prius in particulari nonnullorum ex præfatis cardinalibus per Sanctitatem suam deputata, et postea in generali hujusmodi Cardinalium congregatione mature, et accurate discussa, recognita, et examinata edidit.

« § 24. In primis, præinserta decreta cum præmissis illorum declarationibus plenissime, et amplissime approbat, confirmat, et innovat, omniaque, et singula ibidem contenta, et expressa, iterum omni meliori modo decernit, statuit, ac ab omnibus et singulis, etiam speciali et individuali nota, seu expressione dignis, penitus observari, et omnimodæ exsecutioni demandari decernit, sancit, et præcipit.

« § 25. Insuper, uti in re tanti momenti consultius, ac majori, ut par est, circumspectione procedatur; si qui forsan fuerint, vel sint, qui suis pravis et erroneis intentionibus, seu opinionibus blandiri volentes, missarum celebrationem omittant sub malitiosa vel irrationabili spe, earumdem condonationem a Sede Apostolica, vel compositionem a reverenda fabrica Sancti Petri de Urbe obtinendi; congregatio præfata, tum eosdem, tum quoscunque alios, qui posthac in adeo detestabiles abusus ausi fuerint offendere, certiores fieri, et monitos esse voluit, præfatas condonationes et reductiones ab eadem Sede, nonnisi ex rationabili causa, seu æqua commiseratione, compositiones vero a dicta fabrica, utente suis facultatibus, et privilegiis, nonnisi ex causa pariter rationabili, et cum clausulis opportunis, et præsertim cum illa : *Dummodo malitiose non omiserint, animo habendi compositionem, alias gratia nullo modo suffragetur*, admitti consuevisse, et solere; quapropter, ut locus omnis in posterum hisce prætextibus præcludatur, memorata congregatio tales intentiones, opiniones, seu spes, ac eleemosynarum, sive in toto, sive in parte versiones in alium, quam præfatarum missarum usum, seu satisfactionem, et quascunque alias directas, vel indirectas, immediatas, vel mediatas contraventiones, seu circumventiones, declarat prorsus irrationabiles, injustas, et illicitas, illasque omnino reprobat, damnat, et interdicit.

« § 26. Cumque hujusmodi absurda ex eo plerumque proveniant, quod onera missarum supra vires suscipiantur, caveant omnes, et singuli rectores, superiores, et ministri quarumcunque, tum sæcularium, tum regularium ecclesiarum, seu illarum capitula, ne onera, seu missas, tum perpetuas, tum temporales, tum etiam manuales, quarum satisfactioni impares fuerint, quoquomodo suscipiant; utque idipsum, quoad fieri poterit, pateat, teneantur iidem conficere semperque in loco magis patenti, et obvio retinere tabellam onerum perpetuorum, et temporalium litteris perspicuis, et intelligibilibus descriptorum, quorum implemento, si moraliter, et intra præscriptum, sed breve tempus, satisfacere non posse, seu illa duntaxat, et non ulteriora adimplere posse crediderint, seu credere debuerint, alias missas, sive perpetuas, sive temporales, sive manuales, per se, vel interpositas personas quoquomodo recipere, seu acceptare omnino desistant, seu abstineant, et ulterius tali casu in eadem tabella similiter exprimant, sese propterea aliis missis acceptandis et celebrandis impares esse.

« § 27. Iidemque teneantur pariter in sacrario duos libros retinere, ac in eorum altero singula onera perpetua, et temporalia : in altero autem missas manuales, et tam illorum, quam istarum adimplementum, et eleemosynas distincte, ac diligenter adnotare, et adnotandas, seu adnotanda curare, singulisque annis de supradictis adimplementis, eleemosynis, et oneribus pariter exactam rationem suis superioribus reddere, ac omnes, et singulas rationes hujusmodi in præfatis respective libris simili distinctione, et diligentia, tam præfati, a quibus rationes debent reddi, quam superiores, quibus reddendæ erunt, describere, seu adnotare, sive describendas, vel adnotandas respective curare.

« § 28. Quibus semper salvis, deneant ulterius regulares prædicti, omnes, et quascunque eleemosynas, tum manualium, tum perpetuarum et temporalium missarum reponere in capsa particulari sub duabus clavibus : quarum una penes superiorem localem, altera vero penes alium a capitulo conventuali deputandum retineatur, ac de iisdem eleemosynis, et celebratione missarum coram patribus discretis, seu consiliariis, vel alio simili modo nuncupatis, singulis mensibus districtam rationem exigere, et respective reddere.

« § 29. Quod si prædicti, ad quos cura tabellæ, capsæ, et librorum præfatorum respective pertinet, seu pertinere debet, suam operam præmissis, ut præfertur,

Digitized by Google

« minime navaverint, et superiores tum « sæcularium, tum regularium ecclesiarum « rationem prædictam non exegerint, seu « non invigilaverint, quod præfati, qui in « curam tabellarum, et librorum incum- « bunt, suo muneri, ut præfertur, satisfa- « ciant, in singulis respective casibus, sæ- « culares pœnam suspensionis incurrant, « regulares vero voce activa, passiva, ac « gradibus, et officiis, quæ obtinent, ipso « facto, et absque alia declaratione privati « sint, et intelligantur, necnon ad hujus- « modi gradus, et officia obtinenda similiter « inhabilitentur, et inhabilitati sint, et intel- « ligantur.

« § 30. Porro ne ullo unquam tempore « omnia, et singula decreta prædicta in obli- « vionem, seu desuetudinem abeant, recto- « res, superiores, seu capitula ecclesiarum « sæcularium illa retineant publice exposita « in eorum sacrario; superiores vero lo- « cales cujuscunque monasterii, conventus, « ac domus regularis curare, et efficere te- « neantur sub pœna privationis officiorum, « quæ obtinent, vocisque activæ et passivæ « ipso facto incurrenda, ut in perpetuum « sexto quoque mense, id est feria secunda « post primam Dominicam Adventus, et « feria sexta post octavam corporis Christi, « omnes, et singulæ præmissæ, tum insertæ, « seu confirmatæ, tum in præsens factæ or- « dinationes, una cum dictis declarationibus « in publica mensa perlegantur.

« § 31. Meminerint igitur, et satagant or- « dinarii, ut a personis, et in ecclesiis quo- « quo modo, etiam in vim decretorum conci- « lii Trid. sibi subjectis, missæ ea, qua par « est, fide et diligentia celebrentur, et cun- « cta et singula decreta hujusmodi omnimo- « dæ exsecutioni demandentur nedum justi- « tiam requirentibus, seu instantibus red- « dentes, sed ex officio, tum in visitationi- « bus, tum in aliis actibus, et modis, quos « expedire, et convenire toties quoties judi- « caverint, inquirentes, ne aliquid commit- « tatur, pervertatur, disseratur, vel omitta- « tur, quod his omnibus, et singulis de- « cretis adversetur.

« § 32. Caveant etiam respective omnes « regulares tum subditi, cum superiores « quicunque, nedum locales, sed etiam « provinciales, et generales, ne missarum « celebratio, et omnium decretorum præ- « missorum exsecutio, cum pernicie propria- « rum animarum, cum præjudicio illarum, « quibus missæ sunt applicandæ, et cum « magno Christi fidelium scandalo quoquo- « modo omittantur, differantur, negligantur, « seu pervertantur; alioquin ultra propriæ « conscientiæ onerationem, pœnam priva- « tionis vocis activæ, et passivæ, ac gra- « duum, et officiorum, quæ obtinent, nec « non inhabilitationis ad hujusmodi gradus, « et officia obtinenda, prorsus incurrant.

« § 33. Curent propterea præfati superio- « res regulares in omnes, et singulos con- « travenientes debitis pœnis diligenter, et « prompte etiam per inquisitionem anim- « advertere; et insuper teneantur omnes,

« et singuli superiores locales in provin- « cialibus capitulis, seu congregationibus « exhibere attestationem, seu fidem ab omni- « bus sacerdotibus conventus, monasterii, « seu cujuscunque domus regularis sub- « scriptam, et juratam, quod omnibus, et « singulis, tum perpetuis, tum manualibus « missarum oneribus, seu obligationibus, « ad limites, et tenorem horum præ- « sentium decretorum tempore regimi- « nis fuerit omnino, et integraliter sa- « tisfactum, vel deficiente aliqua modica « satisfactione, possit etiam hujusmodi re- « siduali implemento missarum, distincte « referendarum, intra breve tempus mora- « liter satisfieri, ea adjecta, et omnino « adimplenda conditione, quod ante præ- « fatæ attestationis exhibitionem quicun- « que superiores locales prædicti vocem « activam, seu passivam in memoratis capi- « tulis, seu congregationibus omnino ha- « bere non valeant.

« § 34. Præterea provinciales, vicarii, « visitatores provinciarum, seu congrega- « tionum debebunt in fine eorum regi- « minis superioribus generalibus in forma « probante ostendere, quod exsecutioni « præsentium decretorum sedulo invigila- « verint, et ad eorum tenorem in omnibus, « et singulis conventibus, seu monasteriis, « vel domibus regularibus provinciæ, seu « congregationis, de omnibus, et singulis « oneribus, et obligationibus, ac insimul « satisfactionibus missarum exactam, et di- « ligentem rationem exegerint, ac contra « delinquentes ad declarationem et exse- « cutionem respective pœnarum in decretis « contentarum processerint, et de adimple- « mento circa ea, quæ in præmissis ad ip- « sos spectant, legitime docuerint, alias ad « vocem activam et passivam in capitulis « generalibus nullatenus admittantur.

« § 35. Cæterum, quia etiam ad quam- « plures archiconfraternitates, confraterni- « tates, societates, congregationes, hospi- « talia, altaria, capellas, oratoria, et eccle- « sias, ac alia loca, et opera pia, quomodoli- « bet nuncupata, quæ cuicunque curæ, seu « regimini, aut administrationi, vel dire- « ctioni laicorum cujuslibet gradus, status, « conditionis, et præeminentiæ, etiam spe- « ciali et individuali nota dignorum dun- « taxat, vel quorumcunque ecclesiastico- « rum, et laicorum hujusmodi mistim com- « mendata, annexa, seu quomodocunque « commissa, vel attributa sunt, onus, seu « cura celebrationis missarum, sive manua- « linm, sive ad tempus, vel in perpetuum « pertinent. Hinc salvis semper iis, quæ in « præinsertis decretis continentur, omnes, « et quicunque hujusmodi archiconfrater- « nitatum, societatum, congregationum, « hospitalium, altarium, capellarum, orato- « riorum, et ecclesiarum, ac aliorum locorum, « et operum piorum rectores, seu admini- « stratores, vel directores, et alii hujusmo- « di officiales, necnon ii ad quos cura ta- « bellæ, et librorum in præmissis spectat, « tabellam, libros, et hæc decreta respective,

Digitized by Google

« juxta modos superius expressos similiter « retinere, necnon de oneribus, ac celebra- « tionibus, et eleemosynis dictarum mis- « sarum singulis annis rationem exigere, et « respective iis, ad quos pertinet, reddere « sub pœnis arbitrio, et in subsidium ex- « communicationis teneantur.

« § 36. Postremo omnibus, et quibuscun- « que tam ecclesiasticis personis cujuscun- « que ordinis, status, gradus, regulæ, con- « gregationis, societatis, conditionis, et di- « gnitatis existant, quam laicis quocun- « que honore, ac potestate prædictis, omnia, « et singula præmissa decreta interpretan- « di, necnon ecclesiasticis prædictis pœ- « nas in hujusmodi decretis relaxandi, « seu quoquomodo circa præmissa dispen- « sandi, omnis et quæcunque facultas sit pe- « nitus interdicta.

« § 37. Non obstantibus quoad supra- « scripta omnia, et singula in hujusmodi « decretis contenta, constitutionibus, et « ordinationibus apostolicis in favorem « quarumcunque personarum, atque or- « dinum, tam mendicantium, quam non « mendicantium, militiarum etiam S. « Joannis Hierosolymitani, congregatio- « num, societatum, ac cujuslibet alte- « rius instituti, etiam necessario, et indi- « vidue exprimendi, ecclesiarum, monaste- « riorum, conventuum, collegiorum, capi- « tulorum, hospitalium, confraternitatum, « et aliorum quorumcunque tam sæcula- « rium, quam regularium locorum, nec non « illorum, etiam juramento, confirmatione « Apostolica, vel quavis firmitate alia ro- « boratis statutis, consuetudinibus etiam « immemorabilibus, privilegiis quoque, in- « dultis, et litteris Apostolicis, etiam mari « magno, seu bulla aurea, aut alias nuncu- « patis sub quibuscunque tenoribus, et « formis, ac cum quibusvis etiam dероga- « toriarum derogatoriis, aliisque efficacio- « ribus, et insolitis, nec non irritantibus « decretis, etiam motu proprio, et ex certa « scientia, ac de Apostolicæ potestatis ple- « nitudine, aut alias quomodolibet etiam « per viam communicationis, seu extensio- « nis, concessis, et iteratis vicibus ap- « probatis, et innovatis, etiam si pro illorum « sufficienti derogatione de illis, eorumque « totis tenoribus, et formis specialis, et in- « dividua, ac de verbo ad verbum, non au- « tem per clausulas generales, mentio, « seu quævis alia expressio habenda, aut « aliqua alia exquisita forma servanda es- « set, tenores hujusmodi, ac si de verbo « ad verbum, nihil penitus omisso, et forma « in illis tradita observata, inserti forent, « præsentibus pro expressis habens, quibus « quoad ea, quæ præsentibus adversantur, « illis alias in suo robore permansuris sac. « congregatio Sanctitatis Suæ auctoritate « specialiter, et expresse derogat, cæterisque « contrariis quibuscunque.

« *Datum Romæ, die 23 Novembris* 1697.

« Joseph, card. Sacripantes, *præfectus*.

« Ferdinandus Nuptius, *sac. cong. secret.*»

« § 38. Quocirca, cum dilectus filius no- « ster Joseph tituli Sanctæ Mariæ Trans- « pontinæ, S. R. E. presbyter cardinalis « Sacripantes, memoratæ congregationis « præfectus præfata decreta Nobis retu- « lerit, Nos considerantes eadem om- « nia, et singula decreta, ea qua decet, « maturitate digesta, et examinata, ac in vim « Apostolicæ auctoritatis, eidem congrega- « tioni specialiter, ut præfertur, attribu- « tæ, peracta, perutilia fore censentes, illi- « que propterea perpetuo, et inviolabiliter « observari, nec non constitutionis nostræ « munimine roborare volentes: motu pro- « prio, non ad cujuspiam Nobis super hoc « oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa « scientia, matura deliberatione, deque « Apostolicæ potestatis plenitudine, præin- « serta decreta, omniaque, et singula in eis « contenta tenore præsentium auctoritate « Apostolica confirmamus et approbamus, « illisque inviolabilis et irrefragabilis Apo- « stolicæ firmitatis robur, et efficaciam « adjicimus; quinimo motu, scientia, deli- « beratione, ac potestatis plenitudine, simi- « libus omnia, et singula in supradictis « decretis contenta, de novo statuimus, de- « cernimus, et ordinamus, ac ab omnibus, et « quibuscunque, etiam speciali et indivi- « dua nota dignis, omnimo exacte et per- « petuo servari volumus, sancimus, et man- « damus.

« Decernentes præsentes litteras, cum « omnibus, et singulis inibi contentis, sem- « per firmas, validas, et efficaces existere, et « fore, suosque plenarios et integros effectus « sortiri, et obtinere debere, et ab omnibus, « ad quos spectat, et pro tempore quando- « cunque spectabit, in omnibus, et per omnia, « plenissime, et inviolabiliter observari; « sicque, et non aliter per quoscunque judices « ordinarios, et delegatos, quavis auctoritate, « præeminentia, aut potestate fungentes, et « functuros, etiam causarum Palatii Apo- « stolici auditores, ac ejusdem S. R. E. car- « dinales, etiam de latere legatos, et Sedis « Apostolicæ nuntios, sublata eis, et eorum « cuilibet, quavis aliter judicandi, et inter- « pretandi facultate, judicari, et definiri de- « bere, ac irritum, et inane, si secus super « his a quoquam, quavis auctoritate scienter, « vel ignoranter contigerit attentari.

« Non obstantibus omnibus, et singulis, « quæ præfata congregatio, auctoritate per « ejusdem recordationis Urbanum Papam « VIII, et respective per Nos illi specialiter « attributa, decrevit non obstare, quæ pariter « et iterum Nos tenore præsentium non ob- « stare decernimus, et mandamus: quibus « omnibus quo ad ea, quæ præsentibus ad- « versantur, illis alias in suo robore perman- « suris, etiam harum serie plenissime, spe- « cialiter, et expresse derogamus, cæterisque « contrariis quibuscunque.

« Volumus autem ut præsentes litteræ « in valvis ecclesiæ Lateranensis, ac basilicæ « principis apostolorum, nec non cancella- « riæ Apostolicæ, curiæque generalis in « monte Citatorio, ac in acie Campi Floræ de « Urbe, ut moris est, publicentur et affigan-

Digitized by Google

« tur, sicque publicatæ, et affixæ, omnes, et « singulos, quos illæ concernunt, perinde « arctent et afficiant, ac si unicuique eorum « personaliter intimatæ fuissent.

« Periterque, ut earumdem præsentium « transumptis impressis, manu alicujus no- « tarii publici subscriptis, et sigillo personæ « in dignitate ecclesiastica constitutæ muni- « tis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ « præsentibus adhiberetur, si forent exhibi- « tæ, vel ostensæ.

« Nulli ergo omnino hominum liceat pa- « ginam hanc nostrarum confirmationis, « approbationis, statuti, decretorum, ordi- « nationis, voluntatis, sanctionis, mandato- « rum, et derogationis infringere, vel ei ausu « temerario contraire. Si quis autem hoc at- « tentare præsumpserit, indignationem omni- « potentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli « apostolorum ejus se noverit incursurum.

« Datum Romæ apud Sanctam Mariam « Majorem, anno Incarnationis Dominicæ « millesimo sexcentesimo nonagesimo se- « ptimo, decimo Kalendas Januarii; pontifi- « catus nostri anno septimo. »

« (3. Non potest recipi stipendium pro applicatione fructus personalis, seu specialissimi correspondentis ipsi sacerdoti celebranti, ex declaratione sacræ congregationis Concilii de mente Alexandri VII edita in contingentia, quod auctores nonnullis scriptis suis, etiam typis datis, asseruerint sacerdoti pro alio missam, recepta eleemosyna, celebranti, licitum esse aliam eleemosynam quoque accipere ab altero, cui partem illam fructus, seu valoris ejusdem sacrificii ipsimet celebranti debitam (specialem nuncupatam) applicet; ac proinde hunc casum sub decreto sac. congreg. Conc. prohibente duplex pro unica missa stipendium, seu eleemosynam recipi non esse comprehensum.

(4. « Propterea sacra congregatio EE. ac RR. DD. S. R. E. Card. concil. Trid. interpretum, quæ auctoritate sibi per Apostolicam Sedem specialiter attributa sedulo curat, ne a sacerdotibus circa celebrationem sacrosancti missæ sacrificii, unde in nos uberrima divinæ liberalitatis munera derivantur, avaritiæ labes ulla, aut suspicio contrahatur, antedictam assertionem mature examinavit, eademque prorsus reprobata sub die 25 Januarii 1659 censuit nulli sacerdoti licitum esse, præfata ratione, sive prætextu aliam eleemosynam accipere præter illam quam accepit ab eo, pro quo missam offerre tenetur; ac proinde casum hunc esse comprehensum in decretis alias per eamdem sacram congreg. editis, quibus prohibetur ne duplex stipendium pro unico recipiatur.

« Quam sac. congreg. sententiam ad SS. Alexandrum Papam VII relatam, Sanctitas sua sub die 19 ejusdem mensis approbavit, et decretum publicari, atque ad episcopos, et generales regularium ordinum transmitti jussit, ut ipsi doctrinam hujusmodi per suos pœnitentiarios, et confessarios ac lectores respective insinuari, doceri, atque in tractatibus moralibus per eosdem imprimendos evulgari, pastorali vigilantia curent; publicatum die 27 Octob. 1659.

« (5. Et hoc etiam fuit expresse damnatum ab eodem Alexandro VII in decreto S. Inquis. die 24 Septemb. 1665. in proposit. in ordine 8 ut sequitur : « Duplicatum stipendium potest sacerdos pro eadem missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem : idque post decretum Urbani VIII.

« (6. Non potest recipi stipendium pro pluribus sacrificiis, et unum solum sacrificium offerri, ex eodem Alex. VII damnante hanc propositionem in ordine decimam : « Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, et sacrificium unum offerre : neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam, promissione etiam juramento firmata, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.

« (7. Nec potest unica missa satisfieri duplici obligationi, applicando uni fructum satisfactorium, et alteri impetratorium, prout respondit sacra congreg. Concilii ad sequens dubium; an sacerdos, qui unum stipendium accepit pro celebratione missæ v. g. pro defuncto, et sic cum obligatione applicandi fructum satisfactorium, et aliud stipendium pro celebratione missæ, ver. gr. pro infirmo, et sic cum obligatione applicandi fructum impetratorium, possit unica missa, utrique obligationi satisfacere, applicando defuncto satisfactorium, et infirmo impetratorium? Anve hoc casu locum habeat decretum secundum sacr. congr. Concil. *De celebratione missarum?* Die 13 Decembris 1659, sacra congregatio EE. ac RR. DD. S. R. E. Cardinalium concilii Tridentini interpretum respondit, quoad primam partem non posse satisfacere; quo vero ad secundam, habere locum. »

(8. Ex quibus manifeste patet non posse sacerdotem alicujus congreg. unica missa satisfacere duplici obligationi, quam habet applicandi missam, et pro eo, a quo stipendium recepit, et pro presbytero suæ congregationis defuncto, quia ex sua conventione, et lege congregationis æque stricte obligatur applicare pro isto, ac pro illo, a quo stipendium recepit cum virtualiter etiam ab ipso censeatur recepisse stipendium, et ratione juris acquisiti a defuncto in consimilibus applicationibus factis pro suis confratribus, dum adhuc in vivis ageret, et ratione juris, quod habet ipse ad paria suffragia, dum e vivis discesserit. Et sic pariformiter loquendum, et concludendum venit de regularibus, qui nullatenus a quovis alio stipendium recipere possunt pro illis missis, quas ex suis constitutionibus, et præcepto sui superioris tenentur applicare pro suis religiosis defunctis. Sic enim ab omnibus est absolute tenendum, cum Alexander VII die 29 Januarii 1659, consimilem sententiam sac. cong. supra allatam approbaverit, et jusserit publicari, et transmitti ad episcopos, et generales regularium ordi-

Digitized by Google

num, ut ipsi doctrinam hujusmodi per suos pœnitentiarios, et confessarios, ac lectores respective insinuari, doceri, atque in tractatibus moralibus per eosdem imprimendos evulgari pastorali vigilantia curarent, et sic fuit publicatum die 27 Octobris 1659.

(9. Non potest missa anticipate celebrari, et applicari pro eo, qui primo stipendium, seu eleemosynam dederit, ex decisione de mandato Clementis VIII facta a sacra congreg. Concilii die 15 Novembris 1605, et habetur expresse in d. decreto de celebratione missarum.

(10. Applicatio missæ facta a religioso subdito prævalet applicationi factæ a superiore, et sic valet illa subditi, et non illa superioris, licet subditus peccet graviter contra obedientiam, applicando contra intentionem prælati, ut tradunt communius doctores cum Pasqualig. qu. 183; Raynaudo, sect. 2, p. 2, n. 8; Peyr., tom. I, *De subdito*, cap. § *Unico;* Suarez, etc. Et ratio est, quia potestas applicandi sacrificium recipitur in collatione ordinis, et a Christo sacerdoti confertur, adeoque non potest ab ullo Christo inferiore limitari, ut non valeat applicatio a sacerdote facta, cum talis actio cum omni suo fructu subsit immediate soli dominio operantis, cujus intentionem non potest supplere, aut mutare superior.

(11. Vivens probabilius invalide applicat animabus purgatorii omnes missas pro se defuncto applicandas. La Croix, l. VI, part. II, n. 1334; Raynaud, *ibi cit.*, et alii : quia applicatio operis non est in potestate illius, pro quo offertur, sed pendet ab intentione operantis : Offerens autem, qui suo tempore offerret v. g. pro me, non offert secundum hanc meam intentionem sibi incognitam, seu offerret, ut prosit mihi, ideoque, si tunc mihi prodesse poterit, proderit; si autem mihi prodesse non poterit, et offerens non substituat aliam intentionem, a Deo distribuentur secundum interpretativam voluntatem offerentis, ut cum S. Thoma tenent Pasqualig., quæst. 76; Raynaudus, part. I, n. 32, et alii multi. *Vide* verb. SUFFRAGIA, n. 12, et discurre sicut ibi.

(12. Episcopi et generales non possunt amplius reducere, et moderari missas post concilium Tridentinum receptas; nec impositas in limine fundationis, quamvis ante concilium; ex supra adducto decreto sacræ congregationis Concilii *De celebratione missarum*, edito de mandato Urbani VIII 21 Junii 1625, et confirm. ab Innocent. XII 23 Decembr. 1697. (13. Poterit tamen episcopus onera et missas reducere ac moderari, si id sit ei concessum in fundatione beneficii, ex responsione ejusdem sacræ congregationis ad primum.

(14. Nec etiam possunt episcopi et generales, et a fortiori ipsi beneficiati ex se missas reducere, etiamsi fructus fundi assignati deteriorati fuerint, et evaserint tenuiores sine propria culpa, quia ex eadem sacra congreg. pro talibus reductionibus est absolute omnino Sedes Apostolica adeunda, ut patet ex præcisis suis verbis in responsione ad hoc primum dubium : « Quæritur, quid si legatum sit ita tenue, ut non sit qui velit onus illi injunctum subire, et si recurrendum sit ad Sedem Apostolicam pro moderatione oneris, totum, aut fere totum insumendum sit pro expensis ad id necessariis? » Ad primum respondit : «Et si legatum sit adeo tenue, nihilominus pro reductione oneris, ut supra, impositi ab iis, ad quos pertinet, Sedem Apostolicam esse adeundam, quæ absque ulla impensa id statuet, quod magis in Domino e re esse judicaverit. »

(15. Regulares nullimode possunt uti privilegio Julii II, constit. 7, et Leonis X, constitut. 8, apud Confectium in *Collect. privil. et titul.*, 19, *De divinis officiis*, cap. 3, quo generalibus ordinum mendicantium concedebatur facultas dispensandi cum suis religiosis, ut celebratione unius missæ cum novem collectis possent satisfacere pro novem missis, etiamsi particulariter de *requiem*, vel de sanctis essent celebrandæ. Nec parvas eleemosynas acceptas pro missis conjungere ad summam unius *julii*, et per unicam missam omnibus satisfacere, cum in supra laudato decreto jussu Urbani VIII, et Innocentii XII edito, sint expresse revocata omnia hujusmodi privilegia, ut illud legenti patet.

(16. Facientes celebrari ab aliis missas minori eleemosyna, quam ipsi receperint, et pro se ejusdem parte retenta, si sint laici, incurrunt excommunicationem Papæ reservatam, et si sint sacerdotes, incurrunt suspensionem item Papæ reservatam, quamvis sacerdos, qui eas tali minori eleemosyna celebrandas suscipit, expresse ad id consentiat. Sic novissime declaravit Benedictus XIV, constit. incip. *Quanta cura*, quæ hic subnectitur.

« *Venerabilibus fratribus patriarchis, primatibus, metropolitanis, archiepiscopis, et episcopis universis gratiam et communionem Sedis Apostolicæ habentibus.*

« BENEDICTUS PAPA XIV.

« Venerabiles fratres, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Quanta cura adhibenda sit, ut sacrosanctum missæ sacrificium non solum omni religionis cultu, ac veneratione celebretur; verum etiam ut a tanti sacrificii dignitate cujusvis generis mercedum conditiones, pacta importuna, atque illiberales eleemosynarum exactiones potius, quam postulationes, aliaque hujusmodi, quæ a simoniaca labe, vel certe a turpi quæstu non longe absunt, e medio tollantur, nemo est ex catholicæ fidei cultoribus, qui ignoret.

« § 1. Verum eousque tandem progressa est, sicut non sine ingenti cordis nostri mœrore undique accepimus, nonnullorum sive ecclesiasticorum, sive laicorum virorum avaritia, quæ est idolorum servitus, ut eleemosynas, quidem, seu stipendia propter missarum celebrationem juxta locorum consuetudines, vel diœcesanarum synodorum

Digitized by Google

sanctiones in subsidium alimentorum uniuscujusque sacerdotis duntaxat pro regionum opportunitatibus præscripta colligant, missas vero celebrari curent alibi, ubi eleemosynæ, seu stipendia vel consuetudine, vel synodali lege pro singulis missis attributa sunt minoris pretii, quam illic, ubi darentur.

« § 2. Id quam absonum sit, atque alienum ab ipsa sive expressa, sive tacita pie offerentium voluntate, omnes plane intelligunt. Nec aliter existimandum est; in illa enim potius missas esse celebrandas quisque vult, ad quam religionis et pietatis stimulis ductus, eleemosynas confert, aut in qua quispiam, fortasse tumulatus est, quam in alia ecclesia sibi prorsus ignota. Quod sane, veluti mercaturis faciendis a turpis lucri cupiditate inductum, non solum ab avaritiæ suspicione, et vitio, verum etiam a furti crimine, unde restitutioni subjacet, haud immune, in causa est, ut bonorum quamplurimi, ad quorum notitiam mercatura hujusmodi venit, graviter offensi, ab eleemosynis ad celebrandas missas amplius offerendis sese abstineant.

« § 3. Exsecrabilem hujusmodi abusum alicubi sensim irrepentem detestantes Romani Pontifices prædecessores nostri, de consilio tum congregationis S. R. E. Cardinalium universalis Inquisitionis contra hæreticam pravitatem, tum congregationis Cardinalium concilii Tridentini interpretum, decretum voluerunt, nimirum a quolibet Sacerdote stipendio, seu eleemosyna majoris pretii pro celebratione missæ a quocunque accepta, non posse alteri sacerdoti missam hujusmodi celebraturo stipendium, seu eleemosynam minoris pretii erogari, etsi eidem sacerdoti missam celebranti, et consentienti se majoris pretii stipendium, seu eleemosynam accepisse indicasset.

« § 4. Eapropter vos, venerabiles fratres in apostolici ministerii, et sollicitudinis nostræ partem adscitos rogamus, et maximopere in Domino hortamur, ut custodientes vigilias super gregibus vestris, enitamini, ne ea pestis amplius pervagetur, sed ut penitus exstinguatur. Ab avaritia enim tanquam a radice mala omnia germinant; quam quidam appetentes erraverunt a fide, et inseruerunt se doloribus multis. Avaritia quidem nulla potior contagio, quæ conceptam apud omnes sacerdotalis dignitatis, perfectionisque opinionem magis inficiat, evellatque. Avaritia opibus Deum posthabere, ac servire mammonæ docens, efficit, ut avari hæreditatem non habeant in regno Christi, et Dei. Quod si hæc in laicis hominibus minime toleranda, atque adeo legibus coercenda, quid in ecclesiasticis viris, qui terrenis rebus nuntium miserunt, qui in sortem Domini vocati, qui Deo mancipati sunt? Quid, quod mancipati sunt? Quid, quod non per mundana lucra, sed per altaris ministerium tam sordide, et cum sanctissimarum legum contemptu, et cum sacerdotalis characteris dedecore in avaritiam præcipiti animo rapiuntur? Contendite igitur, vener.

fratres, quibus Christi ovium cura demandata est, non solum ut verbo et exemplo præeuntes, Christi sitis bonus odor in omni loco, unde populi vestigia vestra sequantur; verum etiam, ut ecclesiasticos primum, deinde laicos viros ab infectis vitiorum pascuis avertentes, per viam mandatorum Dei ad cœleste ovile currere doceatis.

» § 5. Quoniam autem ita comparatum est, ut præsentis pœnæ metu salutaribus monitis facilius obtemperetur; per edictum in vestris diœcesibus proponendum affigendumque universis notum facite, quemcunque qui, eleemosynas seu stipendia majoris pretii pro missis celebrandis, quemadmodum locorum consuetudines, vel synodalia statuta exigunt, colligens, missas, retenta sibi parte earumdem eleemosynarum, seu stipendiorum acceptorum, sive ibidem, sive alibi, ubi pro missis celebrandis minora stipendia, seu eleemosynæ tribuuntur, celebrari fecerit, laicum quidem, seu sæcularem, præter alias arbitrio vestro irrogandas pœnas, excommunicationis pœnam; clericum vero, sive quemcunque sacerdotem, pœnam suspensionis ipso facto incurrere, a quibus nullus per alium, quam per nos ipsos, seu Romanum Pontificem pro tempore existentem, nisi in mortis articulo constitutus, absolvi possit. Fore autem in Domino confidimus, ut unusquisque memor conditionis suæ posthac bene consultum velit animæ suæ, nec tam salutares leges, censurasque ecclesiasticas parvipendat. Interea fraternitatibus vestris Apostolicam benedictionem, in populos etiam curæ vestræ commissos redundaturam, peramanter impertimur.

« § 6. Volumus autem, ut præsentium litterarum transumptis, sive exemplis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, et extra adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

« Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die 30 mensis Junii 1741, pontificatus nostri anno primo.

« D. cardinalis Passionеus. »

(17. Indulta, quæ ab Apostolica Sede fuerunt concessa pro moderandis missarum oneribus non suffragari ad reducenda onera per contractum suscepta, resolvit Sac. Congreg. Conc. *in Maceraten. Oneris missarum*, 15 Nov. 1687, lib. LXXIII *Decretor.*, pag. 636.; *in Montis Politiani*, 4 Sept. 1717, lib LXXVII *Decret.*, pag. 429; *in Romana reductionis oneris missarum*, 22 Martii 1732, et *in alia Romana*, 28 Febr. 1733, et *in alia Romana*, 18 Aprilis 1733; *in Faventina oneris missarum*, 27 Febr. 1735; *in Florentina applicationis missæ quotidianæ*, 24 Julii 1734, *in Nolana reductionis missar.*, 13 Martii 1739, ubi ad dubium, an sustineatur reductio missarum in casu, etc., respondit *negative, et amplius* : quia talis missarum reductio fieri solet, et concedi solum, quando agitur de

Digitized by Google

missarum onere per legatum, non autem per contractum suscepto.

(18. Advertendum est pro intelligentia verborum sacræ congregationis supra allati undecimi decreti de celebratione missarum, nempe: « Dummodo infra modicum tempus possint omnibus satisfacere, » quod modicum tempus prætendebatur posse extendi ad duos aut tres menses. Sed sacra congr. Conc. 17 Julii 1655 sic expresse respondit: « Cum in declaratione undecimi impressa super decretis de celebratione missarum celebrandarum, permittatur receptio aliorum onerum missarum celebrandarum, dummodo infra modicum tempus possit omnibus satisfieri, hodie nonnulli superiores regulares pro conscientiarum, ut inquit, quiete, denno quærant; an dictum modicum tempus celebrandi missas reputetur tempus duorum, vel trium mensium »? Sacra, etc., respondit, « modicum tempus intelligi infra mensem; » lib. XIX *Decret.*, pag. 497. Sic refert et tenet card. Lambertin., deinde Summus Pontifex Benedict. XIV, vol. I, in *Notificat.* et instructione 56, *super eleemosyna missæ, et retentione alicujus partis pro utensilibus*, § 14.

(19. Missarum reductioni locus non est, si universa hæreditas fuit gravata, nec hæredi prodest fundi assignatio, quam ille ultro fecerit, si progressu temporis, impares oneri reddantur ejus proventus. Sacra Rom. Rota *in Romana annuæ præstationis*, 16 Januarii 1702, § 13, *coram card. Caprara*, et *in Romana supplementi et applicationis*, 11 Junii 1723, *cor. patriarcha Aldrovando*; et sac. congr. Conc. *in Romana reductionis oneris missarum*, 18 Aprilis 1722, apud *Thesaurum resolutionum sac. congr. Conc.*, tom. II, ubi adducuntur alia consimilia decreta, et prostant Venetiis apud Joannem Baptistam Recurti.

(20. Missarum reductio non conceditur, quoties pro earum celebratione non fuit assignatus certus fundus, sed gravati fuerunt hæredes certam pecuniariam summam solvere. Sacra congregat. Concil. *in Romana reductionis oneris missarum*, 22 Martii 1732, et *in alia Romana reductionis oneris missarum*, 28 Febr. 1733, apud d. *Thesaur. resolution. sacr. congreg. Concilii*, t. V et VI.

(21. Missarum reductioni non esse locum, si per contractum fuit eorum onus susceptum, sed agendum esse coram judice ordinario, ut cognoscat num contractus ob læsionem et injustitiam sit rescindendus, vel ad æquitatem reducendus, pluries respondit sacra congregat Concil. et signanter *in Bononien.* 1 Martii 1687, confirmat. 27 April. ejusdem anni, *in Maceraten.* 15 Novembr. 1587; *in Assisien.* 23 Apr. 1701; *in Recanat.* 9 Junii 1701; *in Neapolitana* 27 Jan. 1703; *in Rom.* 19 Apr. 1704; *in Æsina* 10 Junii 1606, apud Monacell., t. IV *Supplement. ad II tom.*, n. 466. Et speciatim agendo de indultis, quæ a Sede Apostolica fuerunt concessa variis locorum ordinariis, variisque superioribus regularibus pro moderandis missarum oneribus, nequaquam eis suffragari ad reducenda onera per contractum suscepta, pluries resolvit eadem sacra congregat. Concilii, et signanter *in Maceraten. oneris missarum*, 16 Novembris 1687; *in Montis Politiani* 3 Septembris 1716; *in Romana reductionis oneris missarum*, 22 Martii 1732, et *in alia Romana* 18 Aprilis 1733; *in Faventina oneris missarum*, 27 Febr. 1734; *in Florentina applicationis missæ quotidianæ*, 24 Julii 1734, *in Nolana reductionis missarum*, 14 Martii 1639, ubi ad dubium: « An sustineatur reductio missarum in casu, » etc., respondit, *Negative et amplius.* Talis enim missarum reductio fieri solet et concedi solum quando agitur de missarum onere per legatum, non autem per contractum suscepto.

(22. Contrariam tamen sententiam amplexa fuit eadem sacr. Concil. cong. die 8 Julii 1724 *in una Ordinis B. Mariæ de Mercede*, ubi præcise respondit: « in reductione ab indulto permissa comprehendi etiam onera per contractum acceptata; » eamdemque declarationem edidit die 19 Augusti ejusdem anni 1713 quo ad Patres cong. reformatæ S. Bernardi, ut refertur in *Thesauro resolution. sacr. congregat. Concil.* tom. VI, *in Romana reductionis oneris missarum*, 18 Apr. 1733, quamvis ibidem aliæ afferantur contrariæ resolutiones. « Itaque, ut ibi dicitur, non satis certum est quid sac. congregat. senserit circa interpretationem indulti per se considerati, » adeoque in dubiis pro hujusmodi interpretatione ad ipsam est recurrendum; quæ, juxta diversas casuum circumstantias, diversas solet edere resolutiones, ut videri potest in d. *Thesauro resolutionum sacræ congregationis Concilii*, et signanter in *Resolutionibus* anni 1733 et 1739.

(23. An et quando admittatur vel denegetur compensatio missarum, quæ ultra debitum numerum celebratæ sunt, cum missis deinceps celebrandis? Advertendum est quod *in Romana suspensionis oneris, et reintegrationis eleemosynæ missarum*, ad seq. dubia:

I. « An celebratio missæ quotidianæ pro anima quondam Ægidii Ursini de Vivariis intermittenda sit, quousque fructus locorum Montium pro hujusmodi celebratione assignatorum, per eorum, continuum investimentum ascendant ad annua scuta sexaginta, in casu, etc.

II. « An pro missis hucusque celebratis, annua semper eleemosyna scutorum sexaginta fuerit debita in casu, etc. Et quatenus affirmative.

III. « An ex iisdem fructibus locorum Montium ante omnia sit detrahenda, et persolvenda tota illa pecuniarum summa, quæ pro reintegratione eleemosynæ missarum celebratarum ad istiusmodi annuam rationem sexaginta scutorum hactenus desideratur, in casu, etc. »

Sacra congregat. Concil. 21 Maii 1718 respondit, ad 1 *Affirmative;* ad. 2 et 3 : *Dilata.*

Iterum proposita eadem causa pro resolutione duorum postremorum dubiorum, ea-

Digitized by Google

dem sacra congr. 3 Decembris 1718 respondit : « Dilata. » Denuo reproposita die 9 Maii 1719, respondit : « Iterum proponatur, » prout etiam respondit die 26 Augusti 1719. Ac iterum proposita die 11 Januarii 1721, non fuit resoluta; nec etiam resoluta die 6 et 20 Decembr. 1721. Et tandem reproposita die 17 Jan. 1722, eadem sacr. congregat. respondit « Ad mentem, quod committatur negotium eminentiss. præfecto.» Unde *vide* t. I *Thes. resol. S. congr. Concil.*, p. 133 et 194; t. II p. 110, 112, 119, prout prostant Venetiis apud Joannem Baptistam Recurti, ubi Summus Pontifex Benedictus XIX, tunc ejusdem sacræ congregat. secretarius, erudite suo more adducit pro similibus causis decreta hinc inde merito ibi observanda; et tom. II, pag. 7 et seq., ubi adducit factum hujus causæ, et desuperscripta a D. fiscale visitationis Apostolicæ, et a D. advocato Corazza.

(24. Quamvis census creati ad formam bullæ S. Pii V connumerentur inter bona stabilia, seu veniant appellatione bonorum immobilium, Clement. *Exivi*, § *Cumque annui redditus*, *De verbor. signif.*; Rota, *Recent. decis.*, part. IV, tom. I, dec. 163, n. 4, part. XIII, decis. 413, n. 62, et *coram Emerix* jun. decis. 1147, n. 3, *in Romana Castri Turris* 22 Martii 1706, § fin. *coram Molines*, et *in Bononien. census coram Foscaro*, 29 Januarii 1723, relata, et secuta a Pitonio, part. III, discept. 102, n. 50; card. de Luca, *De censibus*, discurs. 17, n. 2 et seq., cum aliis ibi citatis; Merlin., *De pignorib.*, lib. II, t. I, quæst. 44, n. 36; Cyriac., cont. 219, n. 10; Panimol., decis 13, adnotat. 2, n. 10; Monacell., tom. II, tit. 14, formul. 5, n. 4, et plurimi alii a Rota, et a supradictis, *l. c.*, allegati. ¡Et in specie quod sub legato stabilium veniant census, Gabriel, consil. 141, n. 28, cum seq., lib. II, Surdus, dec. 207, n. 34; Buratt., dec. 574, n. 2, de Marin. res. 11, lib. I, n. 4; Censius, quæst. 30, n. 8; card. de Luca *loc. cit.*, n. 4, et alii plures, unde propterea receptum est, super censibus tanquam bonis stabilibus fructiferis ad formam bullæ S. Pii V, imponi posse census, ex deductis per Cencium quæst. 31, n. 1 et seq.; Leotardum, *De usuris*, quæst. 36, n. 13; Burat., dec. 912, n. 1 et 2, et Rotam, part. VII, *Recent. decis.*, dec. 235, ubi respondetur contrariis. Sic expresse card. de Luca, *l. c.*, n. 3.

Attamen quando agitur de pecunia retrahenda ex re alienanda, cum mandato ut investiatur in stabilibus, sacra congregat. non opprobat investimentum in censibus pro celebratione missarum. Unde *in Fundana* 28 Februarii 1654, tom. XIX, pag. 319, censuit : « Census non reputari bona stabilia ad effectum investiendi pro celebratione missarum, nisi in aliquo casu speciali; » ut si stabilia post adhibitas debitas diligentias non reperiantur, ut fuit permissum post pestem in civitate Neapolis; *in Neapolitana* 13 Augusti 1658. Et ad dubium generale : « An sit permittendum investimentum in censibus? » Sacra Congreg. censuit. « Recurrendum esse ad sacr. congreg. in casibus particularibus, ut *in cit. Fundana*, et *in Signina* 2 Decemb. 1645. » Et tunc conceditur cum cautelis, quod sint census tuti, et aliquoties cum fidejussore, et aliis cautelis, sacr. congregat. Concil. *in Tarentina* 8 Augusti 1671. Et in permutatione domus cum censu, cum pacto regressus, ac promissione perpetua exigibilitatis, *in Tarentina* 8 Augusti 1693 et 12 Maii 1707. Sic expresse emin. card. Petra tom. V *Comment. ad constit.* 5 *Pauli II*, sect. 5, n. 18. Et ead. sac. congreg. Concil. *in Burgi S. Domini* 30 April. 1729 ad dub. : « An pro dote beneficiorum, vel capellaniarum cum perpetuo onere missarum erigendarum, sint assignandi fructus terrarum fructiferarum, vel potius annui census? » et ad alia dubia, inter quæ : « An, et cujus expensis, si hæredis scilicet, vel legatarii facienda sit erectio beneficiorum? » Respondit : « Assignanda esse tot bona stabilia hæreditaria, quæ æstimata juxta morem regionis, quotannis redderent in fructu annua scuta 70 monetæ Romanæ, tam pro eleemosyna missarum, quam pro expensis necessariis pro illarum celebratione, et erectionem esse faciendam expensis hæredidatis. » Sic apud tom. IV, fol. 282 et 286 *Thesauri resolutionum sacr. congregat. Concil.*

(25. Scienda venit constitut. Benedict. XIII incip. *Exponi Nobis*, edita particulariter 14 Januar. 1727 in qua conceditur fratribus Carmelitis antiquæ observantiæ provinciæ Portugalliæ facultas, ut certis oneribus missarum, quas celebrare non poterant, satisfacere valeant una missa solemni singulis mensibus in quibuslibet eorum cœnobiis, dummodo hoc non transeant in exemplum.

(26. Advertendum est quod eleemosyna pro missis perpetuis taxanda est ad rationem sexaginta scutorum Romanorum pro qualibet perpetua quotidiana, prout ad eam rationem reducendas esse jam concesserat superioribus regularibus pro suis respective religionibus Innocentius XIII cum expresso mandato, ut in futurum onera missarum perpetua, nisi ad supradictam rationem, non permitterent acceptari; et denuo concessit monachis Casinatibus Benedictus XIII, die 15 Julii 1724, ac etiam omnibus episcopis, qui adstiterunt suo concilio Romano celebrato ann. 1725, ut patet in ipso tit. 15, c. 8, et refert etiam cardin. Lambertin., postea Bened. XIV, vol. I, notif. 56, n. 20, ubi insuper refert quod proposito in sacr. congregat. Concilii dubio : « An, et in qua quantitate eleemosyna manualis augenda esset in urbe? » Eadem sacra congregatio die 13 April. 1726 respondit : « Nihil esse innovandum; et ad mentem : ac mens est, ut agatur cum eminentiss. vicario super observantia decretorum pertinentium ad utensilia, et ad non transmiss. missarum extra Urbem. » *Ib.*, n. 23. (27. Et eleemosynam pro unaquaque missa manuali, non posse tradi minorem uno *julio*, jam fuit

Digitized by Google

expresse statutum de mandato Clementis XI, et id posse statui ab episcopis sæpius resolvit sac. cong. Conc., ut videre est verb. ELEEMOSYNA, n. 65.

(28. Quo vero ad reductionem onerum missarum, præter jam dicta, attendenda sunt etiam sequentia, ac primo notandum venit decretum sac. congregat. Concilii *in Senogallien.*

Sacra congregat. Concil. die 13 Julii 1626, *in Senogallien.*, censuit : « Secundum ea quæ proponuntur, confratres societatis Confalonis sanctæ Virginis Mariæ nuncupatæ *dell'Incancellata*, terræ Corinaldi Senogallien. diœcesis, onus missarum præteritarum supplere debere per alios capellanos. De cætero vero non suscipienda esse onera nova missarum, nisi sacrista, vel alius minister, missarum numero describendo, atque eleemosynis accipiendis pro tempore præficiendus, admonuerit singulos qui eleemosynas offerunt, tam magno missarum numero celebrandarum, illorumque intentioni satisfieri non posse ipsa missarum celebratione, ac sacrificii applicatione, sed tamen eos participes fore missarum quæ singulis diebus in dicta ecclesia pro benefectoribus celebrantur. Id vero, ut commodius præstare valeant, loco quo ponuntur eleemosynæ palam affigatur tabella, in qua eademmet declaratio distincte et clare descripta sit, adeo ut sacrista, vel minister, ut supra, accipiens oblationes, præmittat declarationem, vel tabellam indicet offerentibus; quibus cautionibus adhibitis, accipi tuto posse quascumque eleemosynas. » Sic in libro XIII *Decr.*, pag, 22 et 23, cui consonat aliud decretum *in Lancianen.* 14 Novembris ejusd. anni 1626, lib. XIII *Decretor.* pag. 142 a terg. et seq. Ita refert Benedictus XIV, *De synodo diœcesana*, lib. XIII, cap. ultim., n. 12, impressionis Romæ, anni 1755. (29 Ubi subdit, quoad id quod frequentius in praxi accidit, monendi nimirum pios offerentes per tabellam publice expositam, missas, quæ celebrari nequivissent in ecclesia, vel ad altare, ubi eas offerri oportuisset, ut eorum menti ac peculiari devotioni satisfieret, vel tractu temporis celebratum iri, cum primum id fieri licebit, vel ad aliam ecclesiam delegatum iri, inibi celebrandas, exstat hac de re ejusdem congregat. decretum, ut sequitur. « Sacra, etc., censuit missas, pro quibus usque ad hanc diem receptæ fuerunt eleemosynæ, esse quantocius in eadem ecclesia, juxta oblatorum intentionem, celebrandas; in posterum vero novas eleemosynas nullatenus recipi debere, nisi prævia expressa, et clara monitione, per sacristam, seu per alium ipsis eleemosynis recipiendis præpositum, facienda offerentibus, non posse tam magnum numerum missarum in eadem ecclesia, seu altari confestim celebrari, sed quod vel tractu temporis ibidem, cum commode fieri poterit, vel in alia ecclesia celebrabuntur. Id vero, ut facilius innotescat, loco ubi eleemosynæ pro missis offeruntur, affigendam esse tabellam, in qua prænarrata admonitio dilucide descripta sit, adeo ut sacrista, vel præfatus præpositus eleemosynis colligendis, aut offerentes ut supra expresse admoneat, vel tabellam indicet. Quod si nihilominus Christifideles eleemosynas elargiri voluerint, posse eas recipi, et missarum celebrationi ad formam antedictæ monitionis, et diligenter, et quamprimum fieri possit, satisfaciendum. » Die 8 Mart. 1569, lib. XXI *Decretor.*, pag. 530', a terg. et sequent.

(30. Et *ibidem*, n. 13, subjungit: « Innituntur hujusmodi resolutiones, seu decreta, Urbani VIII decretis, in quibus hæc leguntur : « Quamvis onera suscepta infra modi- « cum tempus adimpleri nequeant, si tamen « tribuens eleemosynam pro aliarum mis- « sarum celebratione, id sciat, et consen- « tiat, ut illæ tunc demum celebrentur, cum « susceptis oneribus satisfactum fuerit, de- « cretum non prohibere, quominus eo casu « eleemosyna accipiatur pro iisdem missis, « juxta benefactoris consensum celebrandis. » Ac insuper, *ibid.*, n. 14, superaddit ut sequitur: « Neque silentio prætereundum est quod cum singuli sacerdotes Societatis Jesu singulis hebdomadis unam missam celebrare teneantur juxta intentionem præpositi generalis, cui peculiaris reservata est facultas applicandi hujusmodi missas, in ejusdem Societatis congregatione generali XII habita anno 1682, editum fuit sequens decretum, numero octavum : « Postulatum ab ipso (scili- « cet præposito generali) item fuit, ut congre- « gatio definiret, sitne Societatis menti con- « sentaneum, missas, quas singulis hebdo- « madis jubentur ad intentionem generalis « celebrare, posse ita ab eo applicari, ut per « illas satisfiat obligationi quam alii qui- « cunque susceperint, aut suscepturi sint, « recipiendo eleemosynas pro missis cele- « brandis? Unanimi consensu responsum est « id non censendum deinceps Societati nostræ « consentaneum, nec debere ulla ratione « præpositum generalem sacra, quæ a nobis « celebrantur, ita applicare, ut quicunque « tandem illi sint, quidquam inde sibi, aut « aliis, lucrentur, seque, aut alios, ab onere, « quod accepto stipendio, aut eleemosyna, « nunc, aut alias, vel ipsi, vel alii contra- « xerint, liberos præstent. ». (31. Deinde sic ipse prosequitur: « Congruit hoc decretum communi regulæ, quæ jubet ut qui eleemosynam recepit celebret, applicetque missam pro offerente; ac semper, quoad fieri potest, interclusum sit iter iis qui omnia meditantur, ut et justissimæ huic legi, et piorum offerentium voluntati fraudem faciant. Cum autem collegium quoddam memoratæ societatis, quod scriptum fuerat hæres, adjecto onere habendi aliquos capellanos amovibiles, qui pro testatoris anima singulis hebdomadis certum missarum numerum offerrent per anni spatium, ex pura oblivione, ab impositi oneris implemento cessasset, quæsitum fuit an id, quod intermissum fuerat, suppleri posset per applicationem a præposito generali faciendam earum missarum, quas supra diximus, ab eo applicari posse; sed cardinalis de Lugo dub. 30,

Digitized by Google

lib. IV suorum *Respons. moral.* respondit, ac firmissimis rationibus defendit id minime licere. »

(32. Missarum onera a fundatore beneficii præscripta non licet episcopo diminuere, quoties fructus relicti decrementum subierint; non enim posse ab episcopo reduci missas semper tenuit sac. congreg. Conc. Facultas vero ad hoc data in concilio Tridentino sess. XXV, *De reform.*, cap. 4, ut episcopi possent missas in testamento, vel dispositione inter vivos adsignatas reducere in synodo diœcesana, et generales ordinum in suis capitulis generalibus, intelligitur tantummodo de oneribus missarum impositis ante concilium Tridentinum, et de reductione facienda in diœcesana synodo, vel capitulo proxime post expletum concilium Tridentinum habendis, ut exposuit S. congregatio. Idem Pontifex in cit. tract. *De synod. diœc.*, *loc. cit.*, n. 18.

(33. Modo insuper non licet episcopis, etc., præstare in suis synodis, etc.; quia id vetuit Urbanus VIII et Innocentius XII in sua constitutione, de qua *ibidem*, ex vi quorum neque licet episcopo reducere eadem onera antequam acceptentur ab iis ad quos pertinet; uti definitum est a S. congregat. *Ibid.*, n. 19.

(34. Cum datur episcopis facultas reducendi *pia legata*, *et missarum onera*, adhuc tamen ex contextu totius dispensationis constat nihil illis concessum esse quoad reliqua legata, sed tantum quoad onera missarum. *Ibid.*, n. 22.

(35. Si aliqua dispositio missarum onera, et alia pia opera comprehendat, et ob tenuitatem reddituum reductio aliqua facienda sit; reducenda esse prius reliqua opera quam numerum missarum censuit sacr. congregatio. *Ibid.*, n. 23. (36. Quanquam hæc vera sunt, nisi ex toto contextu dispositionis alia fuisse mens fundatoris deprehenderetur. *Ibid.* (37. At si episcoporum auctoritas quoad hanc reductionem profluxit ex ampliatione indulti concilii Romani sub Benedicto XIII vel ex instructione quadam tradita a sacra congregatione, et res fuerit, ut vel numerus missarum, vel alia opera pia sint imminuenda, tunc præstat recurrere ad sacram congregationem Concilii. *Ibid.*, n. 24.

(38. Insuper ex vi concessionis prædictæ non possunt redigi missæ, quarum celebrationi Ecclesia, etc., per contractum sese obstrinxit, hoc enim cavetur expressis verbis in præmemorata constitutione. *Ibid.*, n. 25.

(39. Porro pro regula reducendi missas laudatus Pontifex, *loc. cit.*, n. 32, tradit sequentia; juxta theoricam Felini in cap. *Super litteris*, De rsecriptis, quam optime illustratam videre est ab olim congregationis secretario de Vecchis in suo voto impresso apud Crispin., in *Visitatione pastorali*, part. II, § 18, n. 6; et a qua nihil deflectere debet episcopus, quoniam in ipsa etiam instructione, per congregationem transmitti solita, cum alicui facultas conceditur reducendi missarum onera, eadem pro regula præscribitur : ut ex sequentibus verbis apparet :

« Quomodo autem se gerere debeat in executione quoad legata taxative, vel demonstrative concepta, Sanctitas Sua amplitudini tuæ notificandum jussit, quod, mature pensatis, ac perlectis dispositionibus, et fundationibus quibuscunque, quibus præfata missarum onera annexa reperiuntur (exceptis instrumentis, seu contractibus, super quibus manus apponere non debeat, nisi in casu judicialis instantiæ pro illorum remissione, titulo læsionis) illa legata, seu fundationes, erunt taxative conceptæ, si fundatores legando, aut aliquo modo disponendo, orationem, seu dispositionem prius inchoaverint ab assignatione fundi, et subinde missarum onus adjecerint, et hoc casu hujusmodi onera, ad rationem eleemosynæ manualis, ut supra, moderari possit; secus vero si fundatores orationem, seu dispositionem incœperint ab impositione oneris, et subinde fundum assignaverint; tunc enim onus dicitur demonstrative conceptum, ac fundatorum hæredes per Amplitudinem tuam cogendi sunt ad perpetuam dicti oneris manutentionem, et ad supplendam summam deficientem tam pro præterito quam pro futuro tempore. »

(40. Prosequitur ultra laudatus Pontifex, *ibid*, sub n. 33, sic: « Si autem pius testator jubeat suum hæredem dare legatario, non fundi redditus, sed fundum ipsum, ut ex fructibus inde obvenientibus missarum celebrandarum stipendia desumat, ad nihil ultra cogitur hæres, quam ad ipsum fundum seu bona legata extrahenda; nec potest ulla ratione urgeri, ut suppleat, quod succedentibus temporibus ad integrum, absolutumque missarum oneris implementum deesse contingat, veluti fusius demonstrat Pasqualig. *De sacrificio novæ legis*, quæst. 1026, n. 3, confirmatque Rota decis. 433, per totam, *coram Cerro.* » Hæres quippe id tantummodo præstare debet, quod ei demandatum est a testatore. Quod si progrediente tempore traditi fundi redditus imminuantur, ad legatarium pertinet, omisso hærede, ad legitimum superiorem instare pro oneris reductione; ad eamque obtinendam, docere tum de obveniente sibi damno, tum de reddituum imminutione, cui ipse propria culpa causam non dederit, tum denique ostendere, integrum sibi non esse urgere hæredem, ut præstet id quod deesse compertum est, ad hoc ut piæ testatoris voluntati cumulate satisfiat. Legimus, et sedulo quidem, vota præsulis Altoviti, qui per plures annos magna cum sui nominis laude munus secretarii congregationis Concilii sustinuit, et cujus sententiæ ac judicio ipsa quoque congregatio in variis causis discutiendis ac definiendis plurimum detulit; ibique agnovimus superius allatam distinctionem pro norma propositam, et solide assertam. Ita in quodam illius voto elucubrato in causa *Firmana reductionis missarum* proposita die 26 Augusti 1686

Digitized by Google

hæc habentur: « Ubi legetur species, per hæredem consignanda legatario, si ista pereat, vel diminuatur, postquam fuit consignata peremptio, et diminutio hujusmodi cedit damno legatarii, neque hæres ad aliud quidpiam tenetur; si vero pereat, vel diminuatur penes hæredem, antequam legatario tradatur, peremptio et diminutio cedit damno hæredis, qui proinde tenetur supplere. » Atque alio in voto exarato in causa *Brixien.*, proposita 1 Decembr. 1685, postquam pro regula posuerat in dubio existimandum esse, fundum demonstrative, non autem taxative designatum fuisse, ita pergit: « Attamen hæc regula procedit, vel quando fuit legata quantitas, vel quando fuit legata res in genere, vel quando fuit legata res in specie, quæ remanet penes hæredem habentem onus curandi celebrationem: vel quando res legata fuit ab hærede consignata legatario, non quidem ex præcepto testatoris, sed ex propria voluntate, et ad effectum tantummodo se eximendi a præfato onere curandi celebrationem. At secus est, quando testator gravavit hæredem ad tradendam legatario rem legatam, et eidem legatario injunxit onus curandi celebrationem: hoc enim casu hæres, consignata legatario re legata, liberatur; et eveniente casu, quo illius annuus redditus evadat impar oneri missarum, non tenetur supplere. » Consulto autem superius diximus immunem hæredem fieri ab onere præstandi supplementi, si morem gesserit testatori, qui jusserit designatum fundum tradi legatario: nam si testator mandasset ut legatario tot præstarentur fructus, quot satis essent ad injunctam missarum celebrationem, quantumvis hæres bona stabilia redditus satis idonei semel tradidisset, attamen supplementi onus declinare non posset, si forte subinde contingeret, ut ob subsecutam fructuum imminutionem, vel ob augumentum taxæ, traditi fundi redditus imposito oneri sustinendo impares evaderent: ut subdit idem præsul Altovius in voto quod ipse conscripsit: et congregatio probavit in quadam causa *Lucana reductionis missarum* proposita 15 Decembris 1685. « Quando enim testator mandat ab hærede suo consignari tot bona, quorum redditus sufficiant pro celebrando certo numero missarum, tunc dicitur legata species, quæ stat in obligatione taxative, cui satisfit per consignationem. Quando vero mandat consignari tot fructus, qui sufficiant pro dicta celebratione, tunc dicitur legatum genus, et fructus sufficientes sunt in obligatione demonstrative. Unde licet hæres assignet tot bona, quorum redditus de tempore assignationis sufficiant, attamen illis pereuntibus, vel ad minorem quantitatem redactis, tenetur hæres supplere ex redditu aliorum bonorum. »

(41. Deinde, *ib.*, sub n. 34, idem Pontifex disserens de taxatione missarum eleemosynæ in qualibet recte ordinata diœcesi constituta, vel constituenda tum pro missis perpetuis, tum pro missis manualibus, ita subjungit: « Si autem pro eleemosyna missæ cantatæ nulla exstat synodalis taxatio, aderit tamen, vel certe adesse debebit in unaquaque diœcesi recepta quædam consuetudo, ad cujus normam eleemosynæ quantitas determinetur. Qui perpetuas missas reducunt vigore facultatum sibi indultarum per viam ampliationis concilii Romani, missarum reductionem ita componunt, ut pro quotidiana missa perpetua annuam statuant eleemosynam sexaginta scutorum monetæ Romanæ. « Unamquamque missam perpetuam moderari valeat, et reducere ad rationem scutorum sexaginta monetæ Romanæ, pro qualibet. » Cum autem inter missas reducendas repertæ sunt missæ cum cantu celebrandæ, congregatio Concilii *in causa Romana* 3 Februarii 1725, ita provide rescripsit, uti videre est lib. LXXV *Decretorum*, pag. 75, a tergo et sequent.

« Sacra congregatio, etc., censuit quoad missas cantatas, quæ habent redditus sufficientes ad rationem eleemosynæ currentis pro missa cantata, juxta morem regionis, et cujuscunque diœcesis, in qua siti sunt conventus, esse omnino celebrandas, juxta præscripta in legatis, seu fundationibus: quo vero ad alias missas cantatas, quæ non habent redditus sufficientes, ut supra, juxta morem cujuscunque diœcesis, faciendam esse illarum reductionem in unoquoque conventu ad eum numerum, qui celebrari poterit, habita ratione redditiuum cuilibet legato, seu fundationi assignatorum, et supradictæ eleemosynæ de præsenti vigentis in unaquaque diœcesi pro missis cantatis: factaque modo præmisso reductione, quidquid ex redditibus cuicunque legato, seu fundationi assignatis supererit, erogandum esse in celebrationem tot missarum lectarum, et tam missas cantatas reductas, quam lectas, esse collective applicandas pro animabus, et juxta intentionem eorum qui missas cantatas reliquerunt. » Verum quia nonnulla reperiuntur onera missarum cum cantu celebrandarum, quibus aliud adnexum est onus, ut aliquot præterea celebrentur missæ privatæ, seu lectæ; ideo, proposita quæstione, quænam adhibenda esset methodus in reductione peragenda, ubi eleemosyna pro missis cantatis addicta magnam relictorum fructuum partem absorberet, eadem congregatio die 4 Augusti memorati anni rescripsit: « Sacra congregatio censuit, quando aliquod legatum est complexivum missæ cantatæ, et missarum lectarum, tunc omnes legati redditus, si non sufficiant pro utroque onere adimplendo, erogandos esse in celebrationem tot missarum lectarum, deleto onere missæ cantatæ, » uti videre est lib. LXXV *Decretor.*, pag. 431, a terg. Insuper cum reductio fit in vim præmemoratæ concilii Romani ampliationis, magna quoque animadversione dignum occurrit aliud, quod in concessis facultatibus continetur: nimirum ut remitti seu condonari possint missæ retroacto tempore nec celebratæ, nec applicatæ, hac tamen adjecta lege, ut infra octavam Commemorationis

Digitized by Google

omnium fidelium defunctorum singulis annis anniversarium celebretur in expiationem animæ illorum pro quibus, ex lege perpetuarum fundationum offerri et applicari debuissent memorata sacrificia præcedenti tempore omissa : « Ab hactenus omissa missarum perpetuarum celebratione misericorditer absolvit, etc. Uno die infra octavam Commemorationis omnium fidelium defunctorum unum anniversarium, in tabella onerum monasteriorum describendum, celebretur, et applicetur pro animabus illorum pro quibus præfatæ missæ perpetuæ erant celebrandæ et applicandæ, et hactenus non fuerunt celebratæ et applicatæ. »

(42. Denique *ib.*, n. 35, concludit ut sequitur : « Cum vero missarum perpetuarum reductio, ob insufficientiam reddituum, ab episcopo fit vigore facultatum in sæpe dicta instructione contentarum, tunc reductio componi debet *ad manualem*, ut inquiunt ; nimirum statuendum est, ut tot in posterum celebrentur missæ, quot celebrari possunt, non quidem constituta pro iis eleemosyna ad eam mensuram qua missarum perpetuarum eleemosyna in concilii Romani indulto taxatur, sed juxta eam quantitatem quæ vel ex synodali taxatione, vel ex recepta regionis consuetudine præstatur pro singulis missis, quas fideles dietim, ad manus tradita, sacerdotibus eleemosyna, celebrari curant : « Juxta proportionem cujuscunque legati reddituum quantitatem, ad rationem eleemosynæ manualis, inspectis regionis more, pro suo arbitrio et conscientia, reducere ac moderari possit et valeat : » idque etiam faciendum decernitur, quamvis ea esset piæ dispositionis forma, ut vel expresse, vel tacite impositum præseferret onus supplendi redditus casu aliquo imminutos ; si, opportunis adhibitis diligentiis, vel hæredes ad id obstricti, vel bona ab ipso fundatore provenientia reperiri non possint : « In casu vero quo, factis judicialibus et possibilibus diligentiis, etiam per edictum sub pœna censurarum, vel hæredes cogendi, vel fundatorum bona non reperiantur, aut fundationes ipsæ haberi nequeant, tunc onera ipsa ad eamdem rationem eleemosynæ manualis reducere possit. » Hujusmodi autem reductioni peractæ et absolutæ, nulla alia adjungitur clausula, præter hanc unam : « Quod si redditus augeantur, augeri quoque debeat missarum numerus. » Denique has omnes reductiones aggredi et perficere potest episcopus, non solum, dum sacra instituta visitatione diœcesim perlustrat, sed etiam cum ab ea cessaverit ; *tam in actu visitationis, quam extra*, ut habent ipsa instructionis verba. Quærit tandem Pasqualigus, *De sacrificio novæ legis*, quæst. 1182, an episcopus, qui ab Apostolica Sede obtinuit facultatem reducendi missas suæ diœcesis, possit etiam reducere perpetua missarum onera regularibus in eadem diœcesi commorantibus imposita, idque eidem licere non dubitat, quotiescunque regulares ipsi hac in re illius delegatam auctoritatem implorant, neque id putat, aut ipsorum regularium exemptionem, aut Sanctæ Sedis jura ullo modo lædere. « Post-sunt in hoc se subjicere, neque præjudicant Romanæ Sedi : quia possunt se subjicere cum consensu ejusdem Romanæ Sedis. Dum autem Pontifex concedit episcopo ut possit reducere onera missarum suæ diœcesis, concedit etiam implicite quod regulares diœcesis possint se subjicere episcopo in ordine ad obtinendam reductionem. » Hucusque ad litteram laudatus Pontifex *loco citato*.

(43. * Sacerdotes missas cum episcopo celebrantes, eleemosynam pro sacrificio illo accipere minime valent, quia dans eleemosynam petit missam modo consueto. Ben. XIV, *De sacrif. missæ*, lib. III, c. 16, § 10.

(44. Si superior sacerdoti præceperit ut missam certo alicui applicet, at ille pro alio offerat, reus est quidem sacerdos inobedientiæ, sed applicatio a sacerdotis voluntate pendet, cum ille sit minister et dispensator sui sacrificii. *Ibid.*, § 4.

(45. Cum is qui eleemosynam contulit pro missa celebranda præscripserit etiam tempus ob causam quæ differri non possit, sacerdos non servans illud tempus, deest obligationi suæ, ac tenetur eleemosynam restituere. *Ibid.*, cap. 9, § 6.

(46. Sacerdos onus habens missæ quotidianæ, unicam tantum missam applicare cogitur in festo Natalis Domini. An vero parochus itidem teneatur tres ejus diei missas pro populo applicare, nunquam decisum a sacra congregatione reperitur ; tenetur tamen, ut obviet scandalo, tres ea die missas celebrare. *Ibidem*, § 9.

(47. Eleemosyna pro missis a regularibus celebrandis in eorum ecclesiis, taxanda est ab ordinario loci, ut ex decreto S. cong., *Instit. eccles.* 56, § 10.

(48. Missarum eleemosynam ultra quantitatem ab episcopo taxatam exigere non possunt sacerdotes, tam sæculares quam regulares, nam debet dari quædam proportio inter id quod datur et id quod accipitur ; hanc autem proportionem definire ad episcopum spectat, quare justitiam commutativam lædit ille sacerdos, qui plus exigeret. Potest tamen dans ultro plus dare, et petens minus accipere, quanquam fieri possit ut aliquando prohibeatur sacerdos minus accipere, ne introducatur hinc consuetudo minus dandi in præjudicium aliorum. Hæc omnia late in *Synodo diœcesana*, lib. V, cap. 2, et id quod postremo dixi, confirmat ex decreto congregationis Concilii lato in *una S. Severini* die 16 Julii 1689.

(49. Vetitum est accipere novas missarum eleemosynas iis qui veteres habent satisfaciendas, « dummodo, » ut legitur in decreto Urbani VIII, « infra modicum tempus non possit omnibus satisfieri. » Modicum tempus definivit S. congregatio Concilii esse unum

Digitized by Google

mensem. *De sacrif. miss.*, lib. III, cap. 24, § 14.

(50. Alia ad rem, vide in tom. IX *Resolut. sacr. congr. Concilii Montis Regal. reduct. miss.*, etc, pag. 41.

ADDITIONES EX ALIENA MANU

(51. De cessatione, diminutione, reductione, tum augumento oneris missarum paucis est hic disserendum. (52. Ad cessationem quod attinet, quæri solet an deficientibus fructibus jam assignatis pro missis, cesset obligatio celebrandi? (53. Videndum autem an defecerint culpa legatarii, nec ne. Si defecerint culpa legatarii, non est quod cessare possit obligatio celebrandi; sin autem citra legatarii culpam defecerint, cessat utique celebrandi obligatio; Perez, *De annivers. et capellan.*, lib. I, cap. 15, n. 8 et seq., aliosque cumulans Pasqualig., *De sacrific. miss.*, tom. II, quæst. 105, n. 1 et 2.

(54. At nota primo, quod si defecerint fructus, non culpa communitatis, cui legatum missarum relictum est, sed ejus qui ipsi præest, cessat adhuc obligatio celebrandi, secundum Pasqualig., *loc. cit*, n. 8. At opinio hæc non omnis expers est difficultatis.

(55. Nota secundo, quod si fructus existant, sed exigi nequeant, idem est ac si defecerint, dummodo tamen legatarius omnem adhibeat diligentiam pro exactione : Idem auctor, *ubi supra*, n. 7.

(56. Nota demum, quod si ad tempus deficiant fructus, ad tempus cessat quoque obligatio celebrandi. Mox laudatus auctor, *eod. loc.*, n. 6.

(57. Quod vero concernit diminutionem, quæstio etiam est an, diminutis fructibus, diminuendum quoque sit onus missarum? Ea semper mihi arrisit distinctio, ut diminuendum haud sit onus missarum, si, non obstante diminutione, consuetum remaneat stipendium pro missis perpetuis; diminuendum vero sit, si hoc stipendium minime remaneat. Tamburin., *De sacrific. miss.*, c. 1, § 3, n. 90 et sequent. (58. Ubi tamen, quod non statim minuendus est numerus missarum, sed unus cum alio anno compensandus, Alvarad., *De conjectur. ment. defunct.*, lib. II, cap. 2, § 1, n. 37.

(59. Num autem id ipsum locum habeat quoad exsecutores? « Respondeo (inquit Pasqualig., quæst. 1076, n. 8) quod si sint puri exsecutores, et nudi, ita ut nil commodi percipere inde possint, debent curare, ut celebretur præcisus numerus missarum præscriptus, quousque reperiatur qui celebrare velit, contentus fructibus legati, qui supersunt. Quod si non reperiant, celebrari curabunt illum numerum missarum pro quo sufficit proventus. Si autem sint exsecutores misti, seu veri legatarii, ita ut cedat in commodum ipsorum, quod superest ab exsecutione operis injuncti, nec teneantur exhibere pro celebratione aliquid ultra consuetum stipendium missarum manualium, crederem, juxta diminutionem proventuum legati, minui posse etiam missarum numenum. »

(60. Disputari et hic solet, an in diminutione missarum requiratur auctoritas Sedis Apostolicæ? Resolutio autem hujus quæstionis inde pendere videtur, an diminutio sit reductio? Nam, ut recte monet auctor ex decreto de celebratione missarum § 1, reductio est S. Sedi reservata. (61. Tenet autem Pasqualig., q. 1077, per tot., differe diminutionem a reductione, adeoque in ea non requiri auctoritatem S. Sedis. (62. At non semper diminutio differt a reductione. Si enim petatur reductio, quia stipendium evasit incongruum oneri missarum, ut peti potest juxta ipsum Pasqualigo, qu. 1178, in nihilo videtur differre diminutio a reductione. Et propterea, si et in hac reductione requiritur auctoritas Sedis Apostolicæ, requiritur etiam in diminutione.

(63. De reductione ut aliquid dicamus, duplici ex causa deveniri ad eam potest. (64. Prima est, ut mox innuimus, incongruitas stipendii cum onere. Quando autem hæc causa dicatur adesse, tradit Pasqualig., dict. quæst. 1178, n. 3. (65. Altera est impossibilitas adimplendi omnia missarum onera, puta quia existunt etiamnum redditus pro missis assignati, sed monasterium nequit amplius alere tot sacerdotes, quot prius alebat. Et hoc in casu differentia intercedit diminutionem inter et reductionem. De hac altera causa etiam disserit Pasqualigo, *loo. cit.*, n. 4, et plures seq. Sed an altera hæc causa semper sit admittenda dubitari potest.

(66. In reductione vero missarum semper stabilienda est commemoratio illorum defunctorum, in quorum favorem onera erant adimplenda; concilium Tridentin., sess. XXV, c. 4, *De refor.* Hæc autem commemoratio potest consistere, vel in celebratione unius aut plurium missarum, vel in recitatione collectarum, aliarumve precum, vel in solo *Memento* post. consecrationem : Fraxinell., *De obligat. sacerdot.*, sect. 7, § 5, num. 17; Tamburin., *De sacrific. miss.*, lib. III, cap. 1, § 2, num. 5 in fine.

(67. De reductione qui plura scire cupiat, adeat Pasqualig., a quæstion. 1163 ad quæstion. 1191.

(68. Quando demum, auctis fructibus legatis pro missis, augeri quoque debeat numerus missarum, non conveniunt doctores. At vide, si lubet, qui diversas affert opiniones, suamque simul proponit, Pasqualigo, q. 1078, per tot.

(69. Num obligatio celebrandi sit distincta ab obligatione applicandi, controverti solet. Affirmare videtur Rot. *in Hispalen. applicationis missæ pro populo* 14 Junii 1751, *coram eminentissimo Migazzi*, et 13 Febr. 1753, *coram eminentissimo Elephantucio;* at negant Fagnan., in cap. 11, n. 44 *De præbend.*; Carbasut, in *Theor. et prax. jur. canon.*, lib. II,

Digitized by Google

cap. 28, n. 8; Collet. *De SS. myster.*, cap. 17, sub n. 6, et qui vel solus sufficit, san. memor. Benedictus XIV, *De sacrific. miss.*, lib. III, cap. 9, n. 1 et seq.

(70. Secundum igitur doctores hosce, posita obligatione celebrandi, poni simul debet obligatio applicandi. (71. Maxime vero standum est huic opinioni, si id quod præstatur pro unaquaque missa, adæquet stipendium missæ celebrandæ simul et applicandæ; Alphons. de Leon. *De offic. capellani*, quæst. 8, sect. 8, n. 51 et seq; Amostaz., *De caus. piis* tom. I, l. II, cap. 3, n. 48, et plur. seq.

(72. Quod si testator plura imposuit onera missarum, et quoad aliqua tantum demandavit applicationem, argumento *a discretiva* ducto, potest sustineri, quod noluit applicationem respectu illarum missarum, in quibus eam non demandavit, ut tradit san. memor. Benedictus XIV, *De sacrificio missæ*, lib. III, c. 9, n. 3.

(73. Sunt qui tenent, nec locum habere applicationem, si testator injunxit celebrationem missarum in certis ecclesiis horis designatis, ex præsumptione illa, quod in hisce circumstantiis in animo solum habuerit cultum ecclesiæ, commoditatemve populi. At, nisi testator id expresserit, contrarium tenet Mayr., in *Decretal.*, lib. III, tit. 41, n. 32; Rota *coram Tanar.*, decis. 133, n. 17, et videtur rescripsisse sacr. congreg. Conc. interpros *in Compostellana* 2 Julii 1760, et 8 Maii 1762.

Addenda, et notanda ex Benedicto XIV.

(In editione Casinensi.)

Ex supra allato decreto sac. congreg. Concil. ab Urbano VIII et Innocentio XII confirmato, « Missarum reductione Apostolicæ Sedis auctoritati reservata, vix dici potest quanta rerum farragine ex hoc uno capite obrueretur congregatio Concilii, cui hujusmodi reductionum cognitio committebatur; quæque proinde, ut aliqua hujus oneris parte sese levaret, id demum consilii cepit, ut episcopis sæpe delegaret facultatem reducendi missas in eorum diœcesibus, tradita tamen simul instructione, cui se in peragenda reductione conformare deberent. Interea vero adnotabimus id hodie frequenter usuvenire, ut episcopis, communicata hujusmodi instructione, committatur missarum reductio, reservato tamen congregationi jure admittendi recursus, ac de iis cognoscendi, quotiescunque aliquis contendat, vel nullatenus imminuendum fuisse onus, vel saltem reduci non debuisse ea ratione, ac forma, quæ in illius reductione adhibita fuit.

« At, si magnum negotium facessebant reductiones missarum, quas per diœceses et in ecclesiis ordinariæ episcoporum jurisdictioni subjectis peragi oportebat; maximum profecto illud erat, quod oriebatur ex reductione missarum, quam regulares in suis ecclesiis ac monasteriis fieri postulabant: ex quo videlicet Urbanus Pontifex in suis decretis facultatem reducendi missas non solum episcopis, sed etiam regularium

ordinum generalibus ademerat; itaque illius successores Alexander VII, Clemens X et Clemens XI, nonnullis regularibus ordinibus indulserunt, ut a suis generalibus, in ecclesiis et monasteriis ordinis, missarum reductiones peragi possent. Cum vero Nos ipsi, dum in minoribus constituti munere secretarii congregationis Concilii fungeremur, Innocentio XIII prædecessori nostro exposuerimus valde opportunum fore, si quæ aliquibus tantummodo generalibus ordinum data fuerat facultas, ad omnes protenderetur, simulque statueretur quosnam in consilium adhibere deberent generales in ipsa reductione conficienda; utque etiam definiretur non modo temporis spatium intra quod reductio absolvenda esset, sed etiam quantitas ad quam exigenda ac constituenda foret missæ perpetuæ eleemosyna; ac denique prohiberetur regulares nova missarum onera acceptare, nisi præhabita facultate a superioribus majoribus proprii cujusque ordinis: Pontifex omnia probavit, atque decreto super his edito cautum fuit, ut generales ordinum in qualibet sibi subjecta provincia duos pluresve idoneos religiosos disignarent, qui singula ad accuratum examen revocarent, suamque de tota re sententiam transmitterent ad ipsum generalem, qui adhibitis in consilium suis assistentibus, seu aliis sibi bene visis, reductionem perficeret, statuta pro singulis missis perpetuis eleemosyna annuorum scutorum sexaginta monetæ Romanæ; hoc autem indultum ad triennium tantummodo perduraret. Innocentii XIII decretum insertum legitur in alio decreto Benedicti Papæ XIII impresso in Concilio Romano, quod anno 1725 celebratum fuit, tit. 15, cap. 8, ubi Benedictus Pontifex Innocentianum decretum, pro regularium ordinum generalibus confectum, ampliavit ad omnes episcopos qui eidem concilio Romano interfuerunt, ac etiam ad eos qui, justo impedimento detenti, certum procuratorem suum ad illud ablegaverant. Neque hic aliud addendum superest, nisi quod deinde frequentes fuerunt, ac etiam adhuc esse non desinunt tam prorogationes statuti temporis, concessæ regularibus, qui intra triennium missarum reductiones facere, aut omni ex parte absolvere non potuerunt, quam extensiones præfati indulti, quo donati fuerunt episcopi qui concilio Romano interfuerunt, favore aliorum episcoporum, qui eam facultatem sibi communicari petierunt, quamvis concilio Romano non interfuerint, quique illam identidem postulare pergunt; quemadmodum agnoscere licet ex præcitato hujusmet operis, lib. V, cap. 10, n. 3.

« Cum itaque facultates episcoporum, quoad missarum reductiones, non aliunde nunc deriventur quam vel ex ampliatione indulti quo donati fuerunt episcopi qui concilio Romano interfuerunt, vel ex instructione quam congregatio Concilii dat ad eos episcopos, quibus, Summo Pontifice annuente, hujusmodi reductionis peragendæ delegat facultatem; hoc primum statuendum

Digitized by Google

est, quocunque ex his duobus capitibus profluat memorata facultas, circumscriptam eam esse ad missas tantummodo, neque protendi ad reliqua pia legata, piasve dispositiones inter vivos, quibus, exempli causa, eleemosyna pauperibus distribui, aut inopes virgines dotari præcipiatur. Et quamvis in ipsa instructione legantur hæc verba : *pia legata, et missarum onera*, si tamen integra instructio percurratur, satis aperte deprehendetur cohiberi eamdem ad onera missarum, de quibus subinde semper, deque earum eleemosyna ibidem agitur atque disponitur. Cum autem concilium Romanum, æque ac instructio, missarum oneribus duntaxat provideant, non debet episcopus se extendere vel ad dotalia subsidia, vel ad eleemosynas, vel ad quamlibet aliam dispositionem, ex ea juris regula quæ docet facultatem ad certas res datam, ad alias diversi generis produci non oportere : uti recte animadvertit Navarrus in *Manual.*, cap. 12, n. 79, et in rem nostram pergit Fagnanus, in cap. *Ex parte*, n. 32, De constitutionibus.

« Quod si aliqua proponeretur dispositio, quæ simul, et missarum onera, et eleemosynarum distributionem, aliave pia opera comprehenderet, et quidem ob reddituum tenuitatem necessarium dignosceretur ad aliquam impositorum onerum reductionem devenire; reducenda potius sunt reliqua opera, non autem missarum numerus : juxta praxim apud congregationem Concilii receptam, de qua Fagnanus, in cit. cap. *Ex parte*, n. 34, De constitutionibus, pluribusque resolutionibus comprobatam, et præsertim in quadam resolutione, sive rescripto, quod redditum fuit litteris episcopi Cremonensis mense Junio anni 1586, et legitur lib. XV *Decretor.*, pag. 161, a terg. et 162. « Quatenus ab habente potestatem re- « ductio facienda sit, reducendas potius « eleemosynas, quam missas. » Tunc autem tantummodo locus fieri posset reductioni missarum, integris manentibus reliquis piis operibus, cum eorum communis fundator in sua dispositione certum fundum pro celebratione missarum, ac certum itidem fundum ad reliquorum piorum operum implementum designasset; fundus autem missarum celebrationi addictus imminutionem aut detrimentum aliquod subiisset, uti recte adnotat Pasqualigus, *De sacrificio novæ legis*, quæst. 1191, vel cum ex ipsis dispositionis verbis, totoque contextu colligi posset eam fuisse testatoris mentem, ac desiderium ut si quando, ob imminutos bonorum redditus, onera quoque deberent imminui, reduceretur potius missarum numerus quam eleemosynæ, et reliqua pia opera; veluti pergit Passerinus *De statu hominum*, tom. II, quæst. 187, n. 1191. Nam, cum superius memorata regula, ut scilicet, quoties reductionis peragendæ urgeat necessitas, integro relicto missarum numero, reducantur potius reliqua pia onera, innitatur præsumptæ menti, ac voluntati fundatoris, qui proclivior fuisse censendus est in illud pium opus, ex quo majora animæ suæ suffragia obventura prospiceret, quale est incruentum altaris sacrificium; idcirco, si conjiciatur, et ex ipsis illius verbis, totaque perlustrata dispositione eruatur, ipsum propensiori affectu ac voluntate exoptasse reliquorum piorum operum implementum, quam celebrationem missarum, quandoquidem et reliqua pia opera sunt Deo accepta, et animæ valde proficua; mirum videri non debet, si in hac facti specie, cum factus fuerit locus reductioni, seu piorum onerum imminutioni, huic potius missæ, quam reliqua pia opera subjiciantur, eo vel magis, quod, juxta graves receptasque sententias sancta et salubris consuetudo multiplicandi suffragia et sacrificia pro defunctis, minime efficere debet ut obsolescat æque sanctus et salutaris usus eleemosynas pro pauperibus erogandi; sed exoptandum summopere est, ut et illa servetur, et alter non negligatur : quemadmodum licet quoque addiscere ex auctoritatibus Patrum, quas collegit Muratorius ad fin. cap. 12 sui operis *De Christiana charitate*.

« Et hæc quidem dicta sint, ut propositi argumenti tractatio plenior evadat. Cæterum, si pro reductionibus faciendis omnis episcoporum auctoritas vel ex ampliatione indulti in concilio Romano concessi, vel ex memorata instructione profluens, ad missarum onera cohibetur; perfacile captu est, quoties ita res ferant, ut vel missarum numerus vel reliqua onera sint imminuenda, ab horum onerum reductione debere episcopos abstinere, et congregationem Concilii adire, ipsi rem universam deferentes, ejusdemque definitionem expsectantes.

« Eadem vero facultas, episcopis alterutro ex indicatis modis collata, quamvis ad missarum tantummodo reductionem contracta, complectitur tamen et anniversaria, juxta congregationis judicium hac ipsa de re pansum in pluribus resolutionibus, quas collegit Fagnanus in sæpius cit. cap. *Ex parte*, n. 30, De constitutionibus; ac etiam protenditur ad missas solemnes, et cum cantu celebrandas, quemadmodum mox infra adnotabimus : non autem ad eas porrigitur missas, quarum celebrationi ecclesia, vel sodalitium, sive collegium, ex inito contractu, sese, obstrinxerunt. Et quamvis de hac exceptione nullum fiat verbum in concilio Romano, perspicua tamen sunt instructionis verba : « Exceptis instrumentis, seu contractibus, « super quibus manus apponere non debeat, « nisi in casu judicialis instantiæ pro illo- « rum rescissione, titulo læsionis. » Et hæc plane affirmari potest non modo antiquioribus, sed etiam proximis temporibus post idem concilium Romanum, fuisse congregationis Concilii sententia, semper retenta, et manifestata, quotiescunque casus tulit ut hujusmodi quæstio discutienda ac definienda proponeretur.

« Adnotatum fuit etiam superius, si res exigenda foret ad normam sanctionis concilii Tridentini, a quo tributa fuit episcopis facultas reducendi missas in proxima synodo diœcesana post ipsum concilium habenda, non licuisse episcopo imminuere, seu re-

Digitized by Google

ducere missarum numerum in beneficiorum fundatione constitutum : cujus rei hæc afferri potest ratio, quod scilicet non immerito dici posset acceptatum fuisse missarum onus per quemdam quasi contractum utrinque obstringentem :

« Fundatio, et dotatio illa habet se per « modum quasi contractus ultro citroque « obligatorii, seu donationis sub modo : « quam cum episcopus admiserit, et pro- « visus, dum institueretur, non recusaverit, « non potest modo onus detrectare ; » sunt hæc ipsa Fagnani verba, quibus in rem nostram utitur in sæpe cit. *Commentar.* ad cap. *Ex parte*, n. 24, De constitutionibus. Consonum his est congregationis rescriptum redditum relationi, quam olim, occasione visitationis sacrorum liminum, exhibuit episcopus Burgi S. Domnini. Rescriptum die 11 Maii 1630 signatum apparet, et legitur lib. XIV *Decretor.*, pag. 288, a terg. « Sacra, « etc., libellum remisit ad ordinarium Burgi « S. Domnini, qui, regionis more perspecto, « supradicta missarum celebrandarum onera « non tamen vigore contractus, vel conven- « tionis suscepta, aut in fundatione apposita, « ad proportionatam reddituum quantitatem « pro suo arbitrio, et conscientia modere- « tur. » Nec difformes sunt reliquæ in similibus quæstionibus editæ resolutiones; uti videre est in *Maceraten. oneris missarum* 15 Novembris 1687, lib. LXXIII *Decretor.*, pag. 636, et in *Montis Politiani* 3 Septembris 1716, lib. LXVI *Decretor.*, pag. 429. Cumque Nos ipsi, aliqua etiam adhibita diligentia, perlustraverimus decreta post concilium Romanum a congregatione emanata, ut agnosceremus an ipsa, exceptas non videns missas per contractum acceptatas a reducendi facultate per sæpe dictum concilium tributa, novum sibi systema, novamque judicandi regulam statuisset, certo deprehendimus, quoties suborta fuit controversia super missarum reductionibus per generales ordinum factis in vim prædictæ facultatis a concilio Romano ipsis tributæ, ex eo quod ad minorem numerum reduxerint missas per contractum acceptatas, congregationem nullas irritasque hujusmodi reductiones declarasse : quemadmodum videre est in *Romana reductionis onerum missarum* 18 Aprilis 1733, lib. LXXXIII *Decretor.* pag. 165, a terg. ; in *Faventina oneris missarum* 27 Februarii 1734, lib. LXXXIV *Decretor.*, pag. 94, a tergo ; in *Nolana reductionis missarum* 14 Martii 1739, lib. LXXXIX *Decretor.*, pag. 53 et 73, a terg. Quapropter tuto concludi posse censemus episcopos, quibus facultas est reducendi missarum onera vel ex concilii Romani ampliatione, vel ex sæpius memorata instructione, non posse missarum numerum in contractu præscriptum, ac vicissim acceptatum minuere, seu reducere, quamvis imminuti fuissent redditus ob eum finem assignati ; sed hac forte proposita facti specie, oportere ut judicis partes assumant, investigantes an talis sit quæ obvenit reddituum imminutio, ut juxta recepti juris regulas, sufficiat ad rescindendum contractum, vel saltem ad eumdem ad justi et æqui normam redigendum : quod etiam satis recte tuetur Monacell. tom. IV *Formul. legal.*, pag. 83, edit. Rom. pag. 111, ed. Ven. n. 466.

« Postquam demonstratum est quænam missarum onera reduci possint, disserendum superest de causis ob quas reductionem peragere liceat ; nec non de circumstantiis, in quibus locum sibi vindicare potest reductio, ac de quodam quasi limite, ultra quem protendi nequit ipsa reductio : uno verbo, de reliquis omnibus, quæ necessaria sunt ad hujusmodi opus rite recteque absolvendum, et ne peractæ ab episcopis reductiones censuris molestisque investigationibus obnoxiæ fiant.

« Causas itaque, ob quas fas est reductionem aggredi, plerumque, imo fortasse semper suppeditat decrementum reddituum, qui fuerant pro onerum implemento assignati ; aliquando vero adaucta per episcopos in suis synodis missarum eleemosyna : quo nimirum fit ut, quamvis initio id quod constituit fundator in præscripti oneris supportationem ad illius implementum satis haberetur, nihilominus, auctis subinde missarum eleemosynis, impar deprehendatur, nec ullus reperiri valeat sacerdos qui, oblata juxta veterem taxam eleemosyna, missam celebrare velit ; proindeque is cui onus est curandi hujuscemodi missarum celebrationem, si velit imposito sibi oneri satisfacere, cogatur sacerdotibus celebraturis pinguiorem eleemosynam largiri ; et has quidem causas indigitavit quoque Tridentinum concilium, præcitat. cap. 4, sess. XXV, *De reformatione.*

« Sed quamvis præmonstratæ causæ non modo re ipsa adsint, sed etiam fuerint plene comprobatæ, non tamen illico fas est missarum perpetuarum reductioni manus admovere. Diximus autem missarum perpetuarum : cum enim res est de missis manualibus, pro quibus nimirum celebrandis receptæ sunt eleemosynæ, si earum celebratio neglecta sit, locum obtinere non potest reductio ; sed condonatione, aut compositione opus est, quæ, uti supra monuimus, supremo Sanctæ Sedis judicio et auctoritati reservatæ sunt. Disserendo itaque de missis perpetuis, ut hæ jure reducantur, aliquid amplius inspicere opus est ; nimirum, an adsit quispiam qui contingentem reddituum imminutionem supplere teneatur ; si enim inveniatur aliquis hac obligatione obstrictus, non debet episcopus de missarum reductione peragenda cogitare, sed potius hunc cogere ut quod contigit decrementum suppleat et emendet ; quo injuncta a pio fundatore missarum onera cumulate impleantur. » Sic Bened. XIV, *De synod. diœces.*, lib. XIII, cap. ult., n. 20 et seqq.

ARTICULUS III.

Missa quoad obligationem quam habent eam applicandi parochi et beneficiati.

SUMMARIUM.

1. Omnes parochi jure divino tenentur applicare sacrificium missæ pro suis parochianis, cum hac

Digitized by Google

tamen distinctione, quod illi qui habent pingues reditus, tenentur applicare quotidie, et illi qui habent reditus tenues, saltem diebus festivis, et tunc nequeunt illam applicare pro se, nec pro aliis gratis, et multo minus pro stipendio. — 2. Licet concilium Tridentinum non exprimat quoties parochi teneantur applicare missam pro suis ovibus, habetur tamen ex pluribus declarationibus S. congr. ejusdem Concilii, et ex confirmatione Innocentii XII. — 3. Affertur ad id declaratio dictæ sacræ congreg. Concilii *in Lucana*. — 4. Afferuntur plures aliæ ejusdem sac. congr. declarationes, et signanter *in una Hydruntina*, *in una Romana*, *in una Meliten.*, *in una Cremonensi*. — 5. Affertur adhuc alia ejusdem sac. congr. Concilii declaratio pro illis parochis, qui ita tenues habent reditus, ut inde nec congruum habeant. — 6. Affertur ad id expressa confirmatio, et declaratio Innocentii XII. — 7. Ex hac Innocentii XII constitutione sequitur manifeste, parochos esse ad id strictissime obligatos, ut etiam ex post pluries a dicta sacra congregatione Concilii fuit resolutum, præsertim in Pampilonensi, et in Camerinensi, ac sæpe alibi. — 8. Unde omnino est sic semper tenendum, nulla habita ratione ad tenuitatem congruæ parochorum, quia excusatio ista fuit semper rejecta, et signanter *in una Narniensi*, quæ affertur. — 9. Imo, ut refert, et tenet Ursaya, ubi est consuetudo, quod parochi celebrent ad benedictiones nuptiales impertiendas, et pro sepeliendis mortuis, non possunt ipsis diebus pro eadem missa eleemosynam accipere; sic pluries declaravit sacra congregatio. — 10. Assignatur pro scrupulosis, quinam sint reditus pingues, ratione quorum teneantur applicare quotidie, et quinam sint reditus tenues, ratione quorum tenentur applicare solum diebus festivis. — 11. Nunc autem circa prædicta attendenda est novissima dispositio Benedicti XIV. — 12. Varia quoad hoc notanda ad n. 14. — 15. Beneficiatus, seu capellanus tenetur applicare sacrificium pro beneficii fundatore, licet non reperiatur explicite expressum, quoties fundator non declaravit relinquere sacrificii applicationem in libertate celebrantis. — 16. Maxime, si beneficium sit ex recentibus, et reditus assignati excedant, et adæquent id quod ex jure vel consuetudine solet erogari pro onere applicationis in determinatis locis præscripto. — 17. Si vero reditus assignati non adæquent consuetum stipendium, quod erogari solet pro onere missarum cum applicatione, sed sint longe inferiores, vel beneficium sit ex antiquis, in quibus pro penuria sacerdotum intendebatur principalius commoditas populi, honor loci, vel templi, vel sancti, multi tenent capellanum, seu beneficiatum non obligari ad applicationem sacrificii. — 18. Capellanus obligatus ad missam quotidianam, si obligatio referatur ad locum, ut si dicatur, *celebretur quotidie missa in tali ecclesia, vel tali altari*, tunc sine ulla vacantia tenetur celebrare quotidie, vel per se, vel per alium; si obligatio referatur ad personam sacerdotis, tunc etiam sine ulla vacantia tenetur quotidie celebrare, sive per se, sive per alium. — 19. Si vero obligatio quotidie celebrandi sit mere personalis, ita ut teneatur per se celebrare, tunc titulo honestatis, vel reverentiæ sacramenti, aut alia justa causa, potest aliquoties abstinere, et etiam semel in hebdomada. — 20 Diebus tamen quibus, ut supra, licite potest capellanus a celebratione abstinere, non potest missam pro se ipso, vel pro aliis, præterquam pro fundatoribus celebrare, et tanto minus pro hujusmodi celebratione stipendium accipere. — 21. Dantur ad id decreta sac. cong. Concil. — 22. Beneficiatus, cui impositum est onus ut debeat continue singulis diebus missam celebrare, et si cessaverit eam celebrare, teneatur v. g. solvere duos Julios pro qualibet missa non celebrata, non potest unquam vacare, nisi suppleat per alium, — 23. Non tenetur tamen neque per alium celebrare

tempore infirmitatis non excedentis quindecim dies. — 24. Ex concilio autem provinciali Mediolanensi capellanus, seu beneficiatus deobligatur a celebrando, et supplendo per alium ratione infirmitatis, etiamsi per mensem ægrotet. — 25. Capellanus, qui habet onus celebrandi singulis annis unum anniversarium triginta vel quinquaginta missarum pro anima fundatoris, non tenetur facere celebrare missam cantatam. — 26. Capellanus non tenetur missas celebrare tempore quo capitale dotis assignatæ est otiosum et infructiferum sine sua culpa. — 27. An obligatus faciendi celebrare missas, si ad id data eleemosyna, postea dubitet, vel sciat non celebratas, teneatur iterum, etc. — 28. Additur synopsis supra allatæ const. Ben. XIV ad n. 43. — Subnectuntur *Addit. ex aliena manu*, ubi nonnulla ad rem, ad num. 52.

(1. Omnes parochi jure divino tenentur applicare sacrificium missæ pro suis parochianis; cum hac tamen distinctione, quod illi qui habent pingues redditus, tenentur applicare quotidie, et illi qui habent reditus tenues, saltem diebus festivis, et tunc nequeunt illam applicare pro se, nec pro aliis gratis, et multo minus pro stipendio, ut deducitur in primis ex concilio Tridentino sess. 23, *De reform.*, cap. 1, sic expresse dicente : « Cum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, etc., » ubi nota quod non dicit concil. « coram illis offerre, » scilicet ut audiant, sed dicit « pro illis offerre, » id est applicare; adeoque ex concilio clare constat, parochos omnes teneri jure divino applicare missam pro ovibus suis. (2. Et licet concilium non exprimat quoties parochi teneantur applicare missam pro suis ovibus, habetur tamen ex pluribus declarationibus sacræ congreg. ejusdem Concilii, et ex confirmatione Innocentii XII, quæ ut omnibus constent, hic ad litteram subnectuntur.

In Lucana.

(3. « Cum præcepto divino iis quibus animarum cura commissa est mandatum sit pro ovibus suis sacrificium offerre, sæpe alias sac. congreg. Concil. censuit, parochos teneri pro parochianis sacrificium applicare, atque ea cum distinctione, ut si redditus pingues sint, singulis diebus, si vero tenues, saltem diebus festivis. Idem nunc censet quoad parochos istius civitatis, et diœcesis, hoc insuper addens, ut detrectantes E. V. pro suo pastorali zelo compellere non gravetur. Hanc sacr. congr. sententiam E. V. significo, eique manus humillime deosculor.

« Romæ, 10 Maii 1681.

« Humillimus, et addictissimus servus,

« Fr. cardinalis Columna.

« Stephanus archiepiscopus Brancatius, sacræ congr. secret. »

(4. Sic pariter jam fuit declaratum *in una Civitatis Castellanæ* 26 Augusti 1628; *in una Hydruntina* 13 Febr. 1639; *in una Romana* 17 Julii 1649; *in una Clusin.* 5 Julii 1670, et iterum *in una Meliten.* 10 Maii 1692, et

Digitized by Google

7 Junii ejusdem anni in respons. ad quartum; *et in una Cremonen.* 20 Decemb. 1692. In quarum causarum tertia propositione, in qua recursum habuit archipresbyter Rosarni a decreto episcopi, quo astringebatur ad applicandum sacrificium pro populo in omnibus Dominicis et festis diebus, et partibus informantibus, propositum fuit dubium : « An decretum episcopi super applicatione sacrificii pro populo omnibus Dominicis et festis diebus sit observandum? » responsum fuit *Affirmative.*

(5. Quia vero adhuc aliqui parochi dubitant an vi concil. Trident. et præfatorum decretorum tenerentur missam applicare pro suis ovibus, etiam illi qui ita tenues habent redditus ut inde nec congruam habeant? Eadem sacra congregatio 10 Martii 1692 respondit etiam hos teneri, ita ut dictis diebus aliud stipendium, vel eleemosynam pro missa accipere non possint, sive habeant congruam, sive non, ut patet ex præcisis verbis decreti pro majori robore, et inviolabili observantia ab Innoc. XII specialiter confirmati 24 Aprilis 1699 per sequentem suam constitutionem :

« INNOCENTIUS PAPA XII.

« *Ad futuram rei memoriam.*

(6. « Nuper a congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium concilii Tridentini interpretum emanavit super quodam dubio pro parte venerabilis fratris moderni episcopi Pistoriensis et Pratensis, congregationi hujusmodi proposito, decretum tenoris, qui sequitur, videlicet : « Cum parochi Ecclesiarum Pistorien. et « Praten. inter varias opiniones doctorum « involuti, negligant in dies celebrationem, « et respective applicationem sacrificii pro « populo juxta dispositionem sacrorum ca- « nonum, et conc. Trident. episcopus ad « consulendum, nedum propriæ, verum « etiam dictorum parochorum conscientiæ, « supplicat declarari an dicti parochi te- « neantur omnibus diebus festis applicare « sacrificium pro populo, sive habeant con- « gruam, sive non? » Die 14 Febr. 1699, S. cong. emin. S. R. E. card. concil. Trid. interpretum censuit dandas esse resolutiones alias hac de re editas, et signanter *in nullius Nonantulanæ emin. abbati* 30 Augusti 1689, tenoris, ut infra : « Cum præ- « cepto divino iis quibus animarum cura « commissa est mandatum sit pro ovibus « suis sacrificium offerre, sæpe alias sacra « congregat. Concilii censuit, parochos te- « neri pro parochianis sacrificium applicare : « et præcipue in dubio applicationis sacri- « ficii proposita, et respective resoluto sub « die 10 Maii 1692, his præcisis verbis con- « cepto : An parochus missam celebrare te- « neatur, et sacrificium applicare pro paro- « chianis in diebus Dominicis et festivis, sive « habeat congruam, sive non? Sac. congreg. « juxta alias declarationes, censuit teneri, « nec posse eisdem diebus aliam eleemosy- « nam recipere, ac proinde idem nunc re-

« spondendum esse censuerunt eminentis- « simi Patres quoad parochos Nonantulanæ « diœcesis, addentes insuper, quod E. V. « pro suo pastorali zelo, detrectantes paro- « chos compellere non gravetur, etc.

« J. cardinalis Sacripantes, præfectus. »

Loco ✠ sigilli.

« Cum autem, sicut dictus episcopus Nobis subinde exponi fecit, ipse decretum hujusmodi, quo firmius consistat et servetur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desideret; Nos specialem ipsi episcopo gratiam facere volentes, eumque a quibuscunque excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes : supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum præinsertum auctoritate Apostolica, tenore præsentium approbamus et confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ congregat. Cardinalium. Decernentes easdem præsentes litteras, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere : illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocunque spectabit, in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscunque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, judicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque.

« Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die 24 Aprilis 1699, pontificatus nostri anno octavo.

J. F. card. Albanus. »

(7. Cum autem in hac constitutione jubeat Pontifex, sic in præmissis per quoscunque judices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, judicari et definiri debere, et declaret irritum et inane, si secus super his a quoquam quamvis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, sequitur manifeste, parochos sic strictissime esse obligatos, uti etiam expost pluries a sacra congregat. Concilii fuit resolutum, præsertim *in Pampilonen.* 17 Novemb. 1702 et 31 Maii 1703, et *in Camerin.* 28 Jun. 1704, ut refert Merati, t. I, fol. 331, sub n. 3, ubi plura habet ad rem. (8. Unde omnino est sic semper tenendum nulla habita ratione ad tenuitatem congruæ parochorum, quia excusatio ista fuit semper rejecta et signanter *in Narniensi*, ubi cum nonnulli parochi illius

Digitized by Google

diœcesis, qui, nisi tenuissimam congruam pene scutorum viginti, aut triginta non habent, recursum habuissent ad sacram congregat. pro aliqua dictorum decretorum moderatione, et exposuissent a parochianis tanquam miserabilioribus congruam augeri non posse et quod congruæ alimentariæ nunquam derogatum censetur, quia qui altari servit de altari vivere debet, et bovi trituranti os claudendum non est et ideo aliqua mitiori provisione cum ipsis indulgendum esse postulassent, ne parochiales illæ et cultus divinus desererentur, aut cogerentur facere quod non decet, adhuc prodiit rescriptum, quod servare deberent decretum emanatum *in D. Nonantulana*. Sic sibi significatum fuisse de mense Julii 1711 ab episcopo illius civitatis refert Monacell., tom. IV, in *Supplem. ad III tom.*, n. 121. Ratio autem horum decretorum est, quia parochus, non ratione sustentationis, sed ratione officii, tenetur sacrificium pro populo applicare. Nam sicuti qui ducit uxorem pauperem sine ulla vel parva dote, se excusare non potest, nec se subtrahere ab oneribus matrimonii, ut docent communiter doctores, ita qui acceptat parochiam exilis redditus, tenetur onera paroche injuncta adimplere; argumentum etenim a matrimonio carnali ad spirituale optime concludit, cum pari passu ambulent et parochus sibi imputare debet, si sponsam pauperem acceptavit, ut perdocte tenet Pirhing. in *Jus canonic.*, lib. III, tit. 23, num. 19. (9. Imo ut refert et tenet Ursaya, *Instit. crim.*, lib. I, tit. 20, § 3, n. 137, ubi est consuetudo, quod parochi celebrent ad benedictiones nuptiales impertiendas et pro sepeliendis mortuis, non possunt ipsis diebus pro eadem missa eleemosynam accipere sacr. congregat. *in Civitate Castelli* 8 Augusti 1648, lib. XVIII *Decret.*, fol 476; *in Aretin.* 18 Aprilis 1629, lib. XIV *Decret.*, fol. 78, et *in Fanen.* 1 Septembris 1620, lib. XIV *Decret.*, fol. 153.

(10. Ne vero a scrupulosis dubitetur an sui redditus sint pingues vel tenues, et sic an obligentur applicare quotidie, vel solum diebus festivis, notandum et sciendum est quod illi parochi dicuntur habere redditus pingues, et sic obligati ad quotidie celebrandum pro ovibus suis, qui habent tales ac tantos redditus, ut ex iis possint honeste juxta suam qualitatem, consideratis considerandis, sufficientissime se sustentare, licet ultra honestam suam sustentationem parum, aut nihil superflui remaneat. Illi autem censentur habere redditus tenues, et consequenter obligati applicare pro suis ovibus solum diebus festivis, qui ex iis non possunt se sufficienter, et honeste sustentare juxta suam qualitatem. Sic communiter doctores.

(11. Nunc autem circa prædicta attendenda est sequens novissima dispositio Benedicti XIV:

« *Venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis, cunctisque locorum ordinariis per Italiam constitutis.*

« BENEDICTUS PAPA XIV.

« Venerabiles fratres, salutem et Apostolicam Benedictionem.

« Cum semper oblatas Nobis occasiones Apostolica scripta dirigendi ad fraternitates vestras libenter amplectimur, ut sinceræ nostræ erga vos dilectionis argumenta frequenter eluceant, tum vero majori animi alacritate idipsum præstamus, cum ad excitandum fraternitatum vestrarum zelum pro conservatione rectæ disciplinæ in clero regimini vestro commisso, præsentibus rerum, aut temporum conditionibus commovemur. Nec enim impositum imbecillitati Nostræ omnium ecclesiarum sollicitudinis onus aliter sustinere Nos posse confidimus, quam si divini cultus augmentum, atque exactam ecclesiasticarum sanctionum in singulis diœcesibus custodiam religiosæ vigilantium pastorum curæ, identidem inculcando, commendemus.

« 1. Hujus porro epistolæ ad vos scribendæ occasionem Nobis atque argumentum in primis præbet onus illud quod omnibus animarum curam gerentibus incumbit, applicandi missam parochialem pro populo ipsorum curæ commisso : tum etiam applicatio missæ conventualis, quæ pro benefactoribus in genere facienda est ab iis qui missas canunt in ecclesiis patriarchalibus, metropolitanis, cathedralibus et collegiatis; tum denique debitum psallendi, quo tenentur canonici prædictarum ecclesiarum choro assistentes. Cujus quidem argumenti minime nova, sed a scriptoribus frequenter habita tractatio est; cumque ea res in hujus almæ Urbis nostræ congreg. et potissimum in congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. Rom. Eccl. Cardinalium concilii Tridentini interpretum, cujus secretarii munere olim in minoribus constitutis multos annos perfuncti sumus, multoties discussa ac definita fuerit, quamvis earumdem congregationum decreta plerumque circa eam uniformia, et sibi consona prodierint, eorumque decretorum nonnulla etiam Pontificiam prædecessorum nostrorum approbationem, et confirmationem meruerint; minime tamen mirandum esset eorum notitiam ad singulos quosque vestrum non adhuc pervenisse. Quapropter non modo opportunum, verum etiam necessarium duximus encyclicam hanc epistolam ad vos scribere, per quam sublata demum diversarum, in quas scriptores abierunt, opinionum varietate, constans hujus Apostolicæ Sedis sententia prædictis de rebus cuilibet innotescat, et fraternitatibus vestris quædam veluti norma ac regula suppetat, juxta quam synodales, aliasque vestras circa præmissa constitutiones, ordinationes seu edicta, quorum publicationem vobis injungimus, dirigere valeatis. Eorum vero exsecutionem, dum, juxta ea quæ in præsentibus tenenda atque servanda præscribimus, omni qua decet sollicitudine ac vigilantia urgere studebitis, minime dubitandum vobis erit, ne statutorum vestrorum implemento obi-

Digitized by Google

cem, aut moram afferre valeant recursus ad hujus Nostræ Curiæ tribunalia forsitan habendi, utpote quos omnino rejiciendos esse præcipimus ac jubemus : quamobrem has ipsas litteras nostras in singulorum tribunalium regestis asservari volumus, atque ad earum præscriptum, tam ipsorum tribunalium resolutiones, quam de vestris decretis, quæ ipsis præsentibus inhærentes edituri estis, judicia exigi et conferri mandamus.

« II. Et quidem, quod nuper enuntiavimus, sacrosanctum missæ sacrificium a pastoribus animarum applicari debere pro populo ipsorum curæ commisso, id veluti ex divino præcepto descendens, a sacra Tridentina synodo diserte exprimitur sess. XXIV, cap. 1, *De reform.*, per hæc notabilia verba : « Cum præcepto divino mandatum « sit omnibus quibus animarum cura com- « missa est, oves suas agnoscere, pro his « sacrificium offerre. » Et quamvis minime defuerint, qui per inanes et frivolas interpretationes hujusmodi obligationem a sancta synodo memoratam de medio tollere, vel saltem extenuare contenderint; cum tamen relata concilii verba satis clara et perspicua sint, cumque prædicta congregatio ejusdem Concilii interpretationi privative præposita, constanter edixerit eos quibus animarum cura demandata est, non modo sacrificium missæ celebrare, sed illius etiam fructum medium pro populo sibi commisso applicare debere, nec illud pro aliis applicare, aut pro hujusmodi applicatione eleemosynam percipere posse; quodque magis interest, cum hæc intelligentia a prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus approbata fuerit et confirmata, nihil jam amplius ulli vestrum desideraudum superest, ut eam amplecti, eidemque obsequi, nec non illius promptam exsecutionem in vestris respective diœcesibus omni studio procurare debeatis.

« III. Neque Nos tamen, qui, ut superius innuimus, in minoribus adhuc degentes, munus secretarii prædictæ congregationis Conc. Tridentini interpretis plures annos obivimus, aliosque non paucos partim in Anconitanæ cathedralis, partim in metropolitanæ Bononiensis patriæ nostræ dilectissimæ, quam adhuc retinemus, gubernatione assidue transegimus, non, inquam, Nos latent multiplicis generis effugia, per quæ nonnulli prædictæ obligationis implementum declinare satagunt, quibusque proinde opportune a Nobis est occurrendum.

« IV. Cum enim sacrum Tridentinum concilium, ne animarum cura negligatur, non uno in loco episcopis mandet, ut quotiescunque opus fuerit, idoneos vicarios cum certorum fructuum assignatione ad eamdem curam exercendam eligant ac deputent, uti videre est in sess. VI, cap. 2, sess. VII, cap 5 et 7; sess. XXI, cap. 6; sess. XXV, c. 16, non raro autem eveniat ut, aliqua ecclesia parochiali vacante, vicarius pariter ad implenda hujusmodi ecclesiæ onera usque ad novi rectoris electionem, ab episcopo deputari debeat, eodem concilio Tridentino id jubente sess. XXIV, cap. 18, *De reform.*, nonnulli ex hujusmodi vicariis nituntur seipsos a prædicta obligatione subtrahere, vel ex eo quod habituali cura penes alium, seu alios residente, ipsi actualem duntaxat exerceant : vel quod ipsi sint ad nutum amovibiles : vel ad breve tempus hujusmodi curæ sint addicti : ut nihil hic loquamur de parochis regularibus, qui a prædicta applicatione missæ pro populo nonnunquam alienos se ostendunt. Itaque mens nostra, et sententia est, sicuti etiam pluries a prælaudatis congregationibus judicatum fuit ac definitum, quod omnes et singuli qui actu animarum curam exercent, et non solum parochi aut vicarii sæculares, verum etiam parochi aut vicarii regulares, uno verbo, omnes, et singuli, de quibus supra dictum est, atque alii quicunque etiam specifica et individua mentione digni, æque teneantur missam parochialem applicare pro populo; ut præfertur, ipsorum curæ commisso.

« V. Nonnulli vero ad evitandum hujusmodi obligationis implementum allegare solent congruos sibi parochiæ suæ redditus non suppetere; alii denique ad inveteratam consuetudinem confugiunt, sustinentes id neque sibi, neque prædecessoribus suis per longum tempus, quod immemorabile affirmant, unquam in usu fuisse. Nos autem ad præcedentes prædictæ congregationis Concilii resolutiones nostram approbationem, et confirmationem extendimus, et quatenus opus sit, auctoritate Apostolica, iterum tenore præsentium decernimus, et declaramus, quod licet parochi, seu alii, ut supra, animarum curam habentes, congruis præfinitis redditibus destituantur, et quamvis antiqua, seu etiam immemorabili consuetudine in ipsorum diœcesibus, seu parochiis obtinuerit ut missa pro populo non applicaretur, eadem nihilominus omnino in posterum ab ipsis debeat applicari.

« VI. Dum tamen diximus omnes animarum curam habentes missæ sacrificium pro populo sibi commisso applicare debere, non ideo statuere voluimus eosdem, aut quotidie, aut quotiescunque celebraverint, ad prædictam applicationem pro populo teneri; equidem sacrosancta Tridentina synodus sess. XXIII, cap. 14, præcipit episcopis curare ut sacerdotes saltem diebus Dominicis et festis solemnibus missarum sacra faciant : « Si autem curam habuerint anima- « rum tam frequenter, ut suo muneri satis- « faciant, missas celebrent; » in pluribus autem synodalibus episcoporum constitutionibus novimus provide constitutos ac designatos esse dies, quibus animarum pastores missas celebrare debeant. At vero Nos id unum in præsenti suscepimus decernendum, quando nimirum iidem pro populo celebrare teneantur; et quamvis compertum habeamus id, quod alias a congregatione Concilii responsum fuit, parochum nempe pinguibus redditibus dotatum quotidie pro populo celebrare, et applicare debere, eum vero qui uberioribus hujusmodi redditibus

Digitized by Google

non gaudeat, festivis tantum diebus idipsum præstare teneri; cum tamen pariter Nobis perspectæ sint tum controversiæ super hoc ipso exortæ, nimirum ad quam summam pertingere debeant ecclesiæ parochialis proventus, ut pingues et uberes appellari possint; quoniam pingues minime habendi sunt redditus, etiam copiosi, quibus tamen multiplicia et gravia sint onera adnexa; tum etiam multorum querelæ adversus hujusmodi decretum tanquam plus æquo rigidum, excitatæ, Nobis innotescant: idcirco opportunum censemus fraternitatibus vestris declarare, Nobis abunde satisfactum fore, vobisque proinde satis esse posse, dum ii qui animarum curam exercent, sacrificium missæ pro populo celebrent, atque applicent in Dominicis, aliisque per annum diebus festis de præcepto, cum prædicti Dominici, aliique festi dies ii sint in quibus juxta præceptum concilii Tridentini sess. v, cap. 2, et sess. XXIV, cap. 4, quilibet animarum curæ præpositus populum sibi commissum salutaribus verbis pascere debet, docendo ea quæ scire omnibus necessarium est ad salutem; iidemque sint dies, de quibus eadem sancta synodus statuit, ut « moneat « episcopus populum diligenter, teneri « unumquemque parochiæ suæ interesse, « ubi commode id fieri potest, ad audiendum « verbum Dei; » et quibus parochi subditos suos in doctrina Christiana erudire debent, juxta id quod a prædicto concilio in cit. cap. 4 episcopis præcipitur, ut nempe saltem « Dominicis et aliis festivis diebus « pueros, in singulis parochiis fidei rudi- « menta, et obedientiam erga Deum et pa- « rentes diligenter ab iis ad quos spectabit « doceri » curent.

« VII. Et quia in nonnullis diœcesibus numerus dierum festorum de præcepto de Apostolica nostra auctoritate, et consensu eatenus est imminutus, ut nempe in aliquibus festis Christifideles et missam audire, et ab operibus servilibus abstinere debeant, in aliis vero populo permissum sit opera servilia exercere, firma remanente obligatione audiendi missæ sacrificium; Nos, ut obortæ jam dubitationes circa onus applicationis missæ parochialis in hujusmodi diebus festis penitus eliminentur, statuimus et declaramus, quod etiam iisdem festis diebus, quibus populus missæ interesse debet, et servilibus operibus vacare potest, omnes animarum curam gerentes missam pro populo celebrare et applicare teneantur.

« VIII. Quia vero propria nonnunquam experientia satis agnovimus aliquos esse parochos adeo pauperes, ut ferme ex eleemosynis, quas a fidelibus pro missarum celebratione accipiunt, vivere cogantur; eos vero qui, ecclesia parochiali vacante, ad animarum curam exercendam sub vicarii seu œconomi nomine deputantur, aliquibus in locis adeo illiberaliter tractari, ut exigui redditus ipsis constituti, et pauca incerta emolumenta eisdem obvenientia ægre ad eorum vitæ necessaria sufficiant; quod iis quoque non raro evenire solet, qui in aliquibus ecclesiis, habituali cura apud alios manente, actuali tantum exercitio sunt addicti; proindeque cum istis severe nimis agi videretur, si diebus festis, quibus potissimum hujusmodi occasio se offert, eisdem vetitum esset eleemosynam pro applicatione missæ recipere. Idcirco Nos, tam istorum quam illorum inopiam summopere miserantes, eisdemque quantum Nobis integrum est consulere volentes; quamvis, ut supra dictum est, omnes et singuli prædicti teneantur diebus festis missam pro populo celebrare et applicare; attamen, quod pertinet ad prædictos parochos egentes, unicuique vestrum facultatem concedimus, cum iis, quos revera tales esse noveritis, opportune dispensandi, ad hoc ut, etiam diebus festis hujusmodi eleemosynam ab aliquo pio offerente recipere, et pro ipso sacrificium applicare, quatenus id ab eo requiratur, libere et licite possint et valeant; dummodo ad necessariam populi commoditatem in ipsa ecclesia parochiali celebrent, ea tamen adjecta conditione, ut tot missas infra hebdomadam pro populo applicent, quot in diebus festis infra eamdem hebdomadam occurrentibus, juxta peculiarem intentionem alterius pii benefactoris obtulerint.

« IX. Quod autem spectat ad vicarios sive œconomos ecclesiarum vacantium, cum a sacro Tridentino concilio, cit. sess. XXIV, cap. 18, cuilibet episcopo tribuatur facultas eos deputandi, et constituendi *cum congrua, ejus arbitrio, fructuum portionis assignatione*, vestrum erit, ven. fratres, cum iis agere, qui vacantis ecclesiæ fructus exigunt, ut egenti vicario, qui exigua hujusmodi certorum fructuum assignatione, paucisque incertis proventibus gaudet, congruum aliquod augmentum præbeatur pro onere celebrandi, et applicandi missam pro populo diebus festis. Quapropter pro iis locis, in quibus Ecclesiarum vacantium fructus ad commodum cameræ nostræ Apostolicæ exiguntur, opportuna thesaurario nostro generali mandata dirigimus, quæ is denuntiare non prætermittet peculiaribus dictorum locorum collectoribus, cum quibus episcopi ecclesiasticæ nostræ ditionis, cæterorumque locorum, in quibus, ut præfertur, Ecclesiarum vacantium fructus ad cameram prædictam pertinent, officii sui partes in eum finem, de quo supra diximus, interponere debebunt.

« X. Ac demum quoad illos qui tanquam vicarii, sive perpetui, sive ad tempus constituti, animarum curam administrant, quæ apud alios habitu residet, ratione alicujus ecclesiæ parochialis, ipsorum ecclesiis, seu monasteriis, collegiis, aut locis piis olim unitæ, quamvis a recol. mem. prædecessore nostro S. Pio Papa V præfinita fuerit certa pars fructuum hujusmodi vicariis assignanda, prout in ipsius constitutione, quæ incipit *Ad exsequendum*, data Kalendis Novembris MDLXVII distincte statuitur; nihilominus ubi præscripta fructuum portio, vel nullo modo, vel non integre vicariis præ-

Digitized by Google

dictis assignata reperiatur vel etiam ubi ea, quæ ad normam prædictæ constitutionis eisdem fuerit attributa, minime sufficiens a vobis reputetur, propter temporum circumstantias, et signanter pro implendo onere celebrandi, et applicandi missam pro populo diebus festis de præcepto; utendum vobis erit potestate, quam fecit episcopis synodus Tridentina, sess. VII, cap. 7, dum illorum arbitrio permisit juxta temporum atque injunctorum onerum rationem, congruam prædictis vicariis fructuum portionem assignare; quam ob causam Nos etiam fraternitatibus vestris, quatenus opus sit, necessarias omnes et opportunas facultates impertimur, quibuscunque appellationibus, privilegiis, aut exemptionibus, ut in eodem concilio sancitur, adversus ea quæ salubriter a vobis constituta fuerint minime suffragantibus.

« XI. Hæc igitur circa missam parochialem statuenda, et fraternitatibus vestris denuntianda judicavimus. Indeque gradum facientes ad ea quæ pertinent ad missam conventualem, neminem vestrum latere putamus sacrorum canonum sanctiones, quibus præcipitur ut singulis diebus in ecclesiis patriarchalibus, metropolitanis, cathedralibus, et collegiatis tum Horæ canonicæ debitis modo et forma recitentur, tum etiam missa conventualis celebretur, quæ adeo claræ sunt, ut nulla super iis oriri possit dubitatio. Eaque de re perspicuæ pariter, et per omnia uniformes existunt resolutiones ab hac congregatione venerab. fratrum nostrorum concilii Tridentini interpretum repetitis vicibus emanatæ, quas omnes Apostolica auctoritate nostra confirmamus, et approbamus, earum exsecutionem vobis enixe inculcantes. Ut scilicet missa conventualis, quæ singulis diebus canitur a clero prædictarum ecclesiarum, pro eorumdem benefactoribus in genere quotidie applicetur, eodem prorsus modo, quo missam parochialem, ab iis qui curam animarum gerunt, pro populo sibi commisso singulis saltem diebus festis de præcepto, applicari debere superius declaravimus.

« XII. Itaque date operam ut falsam quorumdam opinionem eliminetis, quam in aliquibus ecclesiis ejusmodi, sive dolo malo, sive per errorem invectam esse novimus: quod nempe, dum missa conventualis pro certo aliquo ecclesiæ benefactore, vel grati animi ergo, vel ex vi oneris impositi celebratur et applicatur, satis impletum censeatur debitum applicationis missæ conventualis. Etenim hujusmodi debitum non quidem respicit singulares aliquos benefactores, sed benefactores in genere cujuslibet Ecclesiæ, cujus servitio addicti sunt quicunque in eadem sive dignitates, sive canonicatus, sive mansionariatus, sive beneficia choralia obtinent, et missam conventualem suis respective vicibus celebrant.

« XIII. Neque minus improbandam noveritis aliorum sententiam, qui satis putant supradictam obligationem impletam esse, dum in eorum Ecclesiis pro benefactoribus in genere aliquæ interdum preces fiunt, vel anniversaria statutis diebus sacrificia pro illis peraguntur. Nemo enim id sibi adrogare debet, ut impositæ obligationi alia ratione satisfacere possit, quam ea quæ a lege ecclesiastica multoties præscripta fuit; nimirum missam conventualem singulis diebus pro benefactoribus celebrando, eamdemque pro illis in genere applicando.

« XIV. Profecto non solum prioribus Ecclesiæ sæculis, verum etiam haud longe a nostra ætate remotis (quod vos ex historia Ecclesiæ didicisse non dubitamus) servabatur olim in singulis ecclesiis series accurata omnium et singulorum quorum liberalitate unaquæque aucta fuerat, eorumque nomina sacris diptycis (sic enim vocabantur) ideo consignata erant, ut eorumdem recordatio nunquam interiret, utque pro iis tum preces funderentur, tum etiam missæ sacrificium offerretur, quam ob causam etiam prædictus catalogus in plerisque ecclesiis ob oculos presbyteri celebrantis apponi consuevit, licet pii iidem benefactores in suis donationibus nihil penitus pro se pacti essent, sed tantummodo pro peccatorum suorum remissione se bona sua Deo offerre declarassent. Ecclesiarum siquidem præsules preces pro iis imperandas esse duxerunt, quamvis illi propria bona offerentes, ne verbum quidem ea de re fecissent. Sacrorum hujusmodi diptychorum usus sensim defecit; ob idque in oblivione jacent alicubi complurium benefactorum nomina; at non idcirco deserere fas est usum et disciplinam orandi pro iis, et sacrificium missæ pro illis offerendi. Atque inde præceptum applicandi missam conventualem pro benefactoribus in genere originem atque rationem desumit.

« XV. Quemadmodum vero, loquendo de missa conventuali, superius dictum est, varias excusationes afferri solere ad declinandam illius applicationem pro populo diebus festivis de præcepto; ita pariter usuvenit quoad applicationem quotidianam missæ conventualis pro benefactoribus in genere. Ut autem superiores illæ, sic etiam hæ posteriores provide e medio sublatæ fuerunt per opportunas congregationis Concil. Trident. resolutiones, quas proinde in his etiam auctoritate nostra approbamus et confirmamus.

« XVI. Nonnulli siquidem obtentu contrariæ consuetudinis, etiam immemorabilis, in propria Ecclesia vigentis, se ab hujusmodi onere eximi posse sibi persuaserunt. Verum jam pluries responsum fuit, hujusmodi consuetudinem, licet immemorabilem, quæ potius abusus et corruptela dicenda est, nemini suffragari.

« XVII. Alii a missa pro benefactoribus in genere applicanda se excusatos voluissent, ex eo, quod alio quopiam missarum onere obstricti inveniantur, vel ratione proprii canonicatus, aut alterius beneficii ecclesiastici, quod insimul cum canonicali

Digitized by Google

præbenda obtinent, vel quia præter munus canonici, seu beneficiati, aut mansionarii in ecclesia cathedrali seu collegiata, cum etiam in eadem vel in alia ecclesia parochialem curam exerceant, dum missam conventualem canunt diebus festis de præcepto, debent pro populo sibi commisso eam applicare, ac proinde nequeunt eamdem pro ecclesiæ benefactoribus specialiter offerre. Sed iis quoque obviam itum est, jubendo singulis prædictis ut missam conventualem, quam canunt, pro ecclesiæ benefactoribus in genere applicent, pro aliis vero, pro quibus ipsi peculiariter missam applicare tenentur, alterum substituant qui ipsorum loco missam hujusmodi celebret applicetque.

« XVIII. Aliorum pariter exceptio fuit, quod missa conventualis non semper a canonicis aut dignitatibus celebretur, sed aliquando etiam a beneficiatis et mansionariis, quos minus æquum videtur pro missæ celebratione omni eleemosyna carere, quæ unde desumi valeat ignoratur. Cui tamen rei pariter consultum est, demandando ut ea desumatur ex massa distributionum.

« XIX. Alii denique obtenderunt exiguitatem hujusmodi distributionum, quæ, ob detractam eleemosynam quotidianam pro missa conventuali, ad nihilum fere redactæ, vix foret ut ab aliquo curarentur cum magno detrimento servitii ecclesiæ præstandi. Tridentina quidem synodus sess. XXIV, c. 15, opportunas rationes ostendit quibus canonicalium præbendarum inopiæ valeat provideri. Si vero designatam a concilio viam, ut fere evenire solet, nequaquam iniri posse contingat, reliquum erit ad congregationem concilii recursum habere : cujus erit, perspecto ex vestris relationibus rerum statu, auctoritate apostolica a prædecessoribus nostris eidem impartita, et a Nobis etiam præsentium tenore confirmata, quotidianam applicationem missæ conventualis pro benefactoribus in genere, et alias ad festos tantummodo dies reducere.

« XX. Non modo ecclesiis patriarchalibus, metropolitanis, cathedralibus et collegiatis injunctum reperitur ut quotidie missa conventualis in eisdem canatur, sed etiam in rubricis generalibus, quarum exactissimam fraternitatibus vestris custodiam commendamus, præscribitur ut, certis diebus, non una, sed binæ, atque etiam aliquando tres missæ conventuales uno die celebrentur. Itaque cum nuper a Nobis dictum fuerit primam missam conventualem quotidie pro benefactoribus in genere celebrandam et applicandam esse, nunc expendendum superest an earumdem Ecclesiarum capitula jurisdictioni vestræ respective subjecta adigere debeatis, ut alias quoque missas, si plures, ut præfertur, celebrari contigerit, pro benefactoribus in genere similiter applicent.

« XXI. Hujusmodi quæstio ab aliquibus ex vobis ecclesiastico zelo flagrantibus supradictæ congregationi venerabilium fratrum nostrorum concil. Trid. interpretum proposita est. Jamque ante illius propositionem compertum fuerat alias ab eadem congregatione responsum fuisse concedendam esse exemptionem ab onere applicandi secundam et tertiam missam conventualem pro benefactoribus in genere, attenta canonicatuum et beneficiorum tenuitate, ex quo inferri poterat hujusmodi applicationis debitum manere, ubi de ecclesiis pauperibus non ageretur.

« XXII. Verum cum hanc definiendæ quæstionis regulam apud prædictam congregationem non admodum veteri observantia firmatam probe noverimus, cumque hujusce dubii solutionem eadem congreg. nuper judicio nostro remittendam esse censuerit, Nos ita judicamus, idque vobis tenendum indicimus, laudandos nempe et confirmandos esse quotquot sponte sua secundam aut tertiam conventualem missam pro benefactoribus in genere applicant; qui vero idem agunt ex vi consuetudinis in ipsorum Ecclesia vigentis, iis imperandum ut in ea consuetudine perseverent. Ubi vero id usu receptum non invenitur, liberam omnino secundæ tertiæque missæ conventualis applicationem celebrantibus relinquendum esse, dummodo in commemoratione pro defunctis, ecclesiæ benefactorum in genere non obliviscatur.

« XXIII. Huic demum epistolæ nostræ finem imponentes fraternitates vestras enixe hortamur ut maximam curam et vigilantiam in id conferatis, ut in ecclesiarum vestrarum choris præter devotam celebrationem debitamque applicationem missæ conventualis, Horæ canonicæ, non præpropere, sed exacte, pausa nempe interposita, et maxima qua decet reverentia ac religione canantur.

« XXIV. Equidem scimus in aliquibus metropolitanis et cathedralibus ecclesiis inter canonicos eam opinionem invaluisse, ut se munus suum satis implere contendant, dum choro præsentes assistunt, licet ipsi sibi silentium imperent, neque psallentibus beneficiatis aut mansionariis in cantu se adjungant. In hujusce vero opinionis confirmationem adduci ab iisdem solent inveteratæ consuetudines, statuta peculiaria, aut etiam prætensa ecclesiarum suarum privilegia. At cum synodus Tridentina sess. XXIV, c. 12, loquens de dignitatibus et canonicis qui choro interesse debent, unum ex eorum officiis esse dicat : « In choro ad « psallendum instituto, hymnis et canticis « Dei nomen reverenter, distincte devote- « que laudare; » cumque pauca omnino sint capitula in quibus eo modo a canonicis in choro assistitur, ideoque receptæ in universa ecclesia disciplinæ paucos illos adversari dignoscatur, quum insuper opinio illa nunquam in congregatione Conc. Tridentini interpretationi præposita examinata sit, quin statim explosa fuerit et improbata, quamvis præsumptis consuetudinibus, aliisque fundamentis et rationibus

Digitized by Google

innixa perhiberetur, canonicis etiam ecclesiarum patriarchalium hujus nostræ Urbis super hoc instantibus; quum denique idem judicium prolatum reperiatur a pluribus conciliis provincialibus, ab hac etiam Apostolica Sede approbatis et confirmatis; nihil jam reliquum esse videtur, quominus pauciores universorum legi se accommodent. Equidem minime Nobis compertum est, quo peculiari titulo suffulti, persuasum habeant unius vel alterius ecclesiæ canonici se muneri suo satisfacere per simplicem in choro assistentiam absque divinæ psalmodiæ cantu. Verum nisi illis præsto sit apostolicum non præsumptum, vel abrogatum, sed legitimum ac vigens privilegium, sive indultum, jure ac merito verendum est ne isti, dum ita se gerunt, præbendarum ac distributionum fructus minime suos faciant, et consequenter ne ad eorum restitutionem teneantur : quapropter vestrum erit, venerabiles fratres, hæc omnia illis aperire, ut neque Nobis, neque vobis apud divinum Judicem fraudi sit, si in hujusmodi re, quæ tanti est momenti, utpote quæ ad ipsius Dei cultum proxime spectat, abusus et corruptelas, quas arguendo et increpando evellere debebamus, dissimulatione ac silentio nostro fovisse et confirmasse inveniamur. Interea fraternitatibus vestris, quas intimo cordis affectu complectimur, Apostolicam benedictionem amantissime impertimur.

« Datum Romæ, apud S. M. Majorem, die 19 Augusti MDCCXLIV, pontific. nostri anno quarto. »

Synopsim hujus constitut. *V. infra* a n. 28 ad. 43.

(12. Quo vero ad missas non applicatas, sacr. congreg. Concil. *in Balneoregien.* 9 Augusti 1713, ad 2 dub., respondit quod canonici singuli tenentur a die adepti canonicatus satisfacere missas conventuales non applicatas. Et *in Comen.* 11 Maii 1726, ad 2 dub., eadem sacr. cong. Conc. respondit quod parochus applicare debet missas parochiales, quas omisit.

(13. Hic juvat addere quæ addit eruditissimus P. D. Cajetanus Merati. in *Thesauro sacrorum rituum*, tom. I, part. III, tit. 12, sub n. 3, circa finem, ibi : « Addo his omnibus auctoritatem nostri P. Antonii Naldi, qui in *Summa*, verb. PAROCHUS n. 19, extendit hanc obligationem parochorum, etiam ad prælatos regulares, episcopos et etiam ad ipsum Summum Pontificem. » Ait enim præfatus auctor : « Revera non magis debet de jure divino obligari parochus in hoc pro suis ovibus, quam prælatus regularis pro suis subditis, episcopus pro sua diœcesi, atque etiam Summus Pontifex pro universali Ecclesia, in quibus proportionaliter esset dicendum, quod de parocho. » Hanc eamdem sententiam tenet Suarez in III partem D. Thomæ, tom. III, disput. 86, sect. 1, et tom. IV, *De religione*, tract. 8, lib. II, cap. 3, n, 7, ubi ait : « Hæc autem jura generaliter loquuntur de omnibus dignitatibus ecclesiasticis habentibus curam animarum annexam, sub quibus sine dubio comprehenduntur etiam prælationes regulares, habent enim sine dubio curam animarum ordinariam, et ex officio vere prælationes et dignitates ecclesiasticæ sunt. » Ita etiam tenent Pasqualigus, *De sacrific. novæ legis*, quæst. 847, n. 8, et quæst. 851, n. 9; Tambur., *De jure abbatum*, tom. II, disp. 5, q. 5, n. 5; Thomas Hurtadus, resol. 4, n. 46, et recentissime Bernardus Van-Espen, *Jur. Eccles. univers.*, tom. I, p. I, tit. 31, c. 10, n. 11, et Rotarius, in sua *Theol. Regularium*.

* Circa prælatos regulares, inquit Pater Giraldi, *Exposit. jur. Pontif.*, part. II, sect. 85, pag. 925 : « Animadvertendum est responsum congreg. Conc. ad dubium, quod iisdem verbis, quibus repetitum legitur in folio ejusdem congregat. sub die 15 Martii 1710, transcribo : *Dubium missæ pastoralis, seu parochialis et conventualis.* Instante pridem de anno prope defluxo fiscali sac. congregat. Visitat. Apostol. Coram congreg. a SS. D. N. (Clemente XI) deputata super revisione onerum missarum Urbis, quatenus compellerentur omnes et singulæ ecclesiæ regularium quotidie celebrare et applicare missam conventualem pro benefactoribus, nec non adigerentur omnes et singuli prælati regulares, tanquam suorum subditorum pastores, nimirum generales, provinciales, guardiani, priores omnesque alii superiores cujuscunque ordinis, regulæ et instituti offerre, et applicare sacrificium missæ pro eorum ovibus, scilicet pro eorum religiosis subditis, eodem prorsus modo quo pro suo populo tenentur parochi : eadem congregat. deputata decrevit, priusquam in præmissis resolutionem caperet, exquirendum esse oraculum hujus sac. congregat. Conc., quo quidem decreto approbato a SS. D. N. sub die 17 Februarii prælibati anni, recurrit idem fiscalis ad hanc sac. congregat. in qua, citatis procuratoribus generalibus religionum in congregat. diei 1 Julii ejusdem anni 1709 rescriptum prodiit : « Respondetur in casibus particularibus. » Subinde dicta die 15 Martii, citato speciatim per eumdem fiscalem procuratore generali ordinis Sancti Augustini, concordata et proposita fuerunt decidenda hæc tria dubia. I. An P. generalis totius ordinis eremitarum Sancti Augustini, vicarius generalis, ac omnes et singuli provinciales ac priores, seu superiores locales et conventuales ejusdem ordinis teneantur sacrificium missæ parochialis seu pastoralis pro eorum ovibus, scilicet pro eorum regularibus subditis offerre et applicare : et quatenus affirmative? II. An, et quomodo, et quibus diebus hoc idem sacrificium applicare teneantur? III. An, et quomodo, et quibus diebus omnes et singulæ ecclesiæ regularium prælaudati ord. Eremitar. S. Augustini teneantur celebrare et applicare missam conventualem pro benefactoribus in casu, etc.? Sed S. congregat. distulit resolutionem, ad quam nunquam amplius devenit : factis enim perquisitionibus tum a me in regestis

Digitized by Google

dictæ congregat. Concilii, tum a moderno P. procuratore generali Sancti Augustini in suo archivio, nullum repertum est monumentum datæ resolutionis. In bibliotheca tamen angelica penes conventum S. Augustini de Urbe asservantur responsiones ad dictum dubium, contra promotorem fiscalem.»*

(14. Ad episcopos quod attinet, extendunt suam obligationem applicandi missam pro ovibus suis, non solum diebus festis, quinimo singulis diebus, dum quotidie celebrant, ut refert Aloysius Gherardi episcopus Carnotensis in sua dissertatione, quæ habetur in calce *Compendii defectuum, qui accidunt sacerdoti in missæ celebratione*, ubi tamen subdit, quod collegium Salmenticensium in suo *Cursu theologico morali*, tom. VII, tract. 5, c. 5, De sacram., aliique theologi, quos ipse congerit, mitius loquuntur circa obligationem quotidianam relate ad episcopos, licet habeant redditus pingues, et licet sint parochi parochorum. Ad quod hodie facit adducta Encyclica Summi Pontificis Bened. XIV.

(15. Beneficiatus seu capellanus tenetur applicare sacrificium pro beneficii fundatore, licet non reperiatur explicite expressum, quoties fundator non declaraverit relinquere sacrificii applicationem in libertate celebrantis. Sic declaravit sac. cong. Concilii *in una Mediolanen.* 18 Aprilis 1654; 2 Julii 1669, 19 Augusti 1688, et expresse in Lucana 18 Februarii 1702, apud Monacell., tom. IV, *Supplem.* ad II tom., n. 54, ubi et alia satis ad rem, et *in Ferrarien.* 26 Martii 1718; *in Alexandrina* 18 Martii 1719; *in Cornetana* 23 Junii 1725; *in Novarien.* 22 Novembr. 1727; *in Florentina* 24 Julii 1733. Et sæpius alibi. Sic etiam tenent Barbosa *De offic. et potest. episcopor.*, tom. II, allegat. 24, n. 35; Pignatellus, tom. I, cons. 139, n. 13 et 14; Fraxinellus, Bonacina, Homobonus, Azorius et alii. (16. Maxime si beneficium sit ex recentibus, et redditus assignati excedant vel adæquent id quod vel ex jure vel ex consuetudine solet erogari pro onere applicationis in determinatis locis præscripto; credibile enim est omnino fundatorem principalius voluisse missarum fructum sibi et suis applicari, quam locis particularis venerationem. (17. Si vero redditus assignati non adæquent consuetum stipendium, quod erogari solet pro onere missarum cum applicatione, sed sint longe inferiores; vel beneficium sit ex antiquis, in quibus pro penuria sacerdotum intendebatur principalius commoditas populi, honor loci, vel templi, vel sancti, Marchinus, Navarrus, Rosignolus, Gobat, Fraxinellus, Riccius, Genuensis et alii sustinent Capellanum non obligari ad applicationem sacrificii. Attento autem advertendum est, quod super puncto applicationis missarum, opinio sacræ congregationis Concilii est, quod in capellaniis perpetuis cum onere missarum, regulariter sacrificium est applicandum pro fundatore, nisi aliud præseferat ejus voluntas, vel expressa, vel ex urgentibus conjecturis elicita, ut sæpius fuit resolutum, et signanter *in Tinen. applicationis sacrificii* 18 Augusti 1668; *in Lucana applicationis sacrificii* 7 Augusti 1683; *in Collen. applicationis sacrificii* 28 Augusti ejusdem anni 1683, non obstante quacumque observantia in contrarium, *in Lucana* 18 Februarii 1702, ad 2 dub.; *in Pisauren.* 17 Januarii 1722. Inter conjecturas autem præseferentes contrariam mentem fundatoris, duæ ad præsentem controversiam opportunæ approbatæ fuerunt ab eadem sacra congregatione: prima videlicet, quando celebratio missæ demandata fuerit pro commodo populi, aut monialium missam audientium, ut *in Collen. applicationis sacrificii* 17 Decembr. 1679; *in Tricastinen. applicationis sacrificii* 8 Aprilis 1711; *in Mantuana applicationis sacrificii* 19 Decembr. 1718, et *in Novarien.* 22 Decemb. 1727; ad 1, ad 2 dub. Secunda est, quando fundator, præscribendo certum numerum missarum, aliquas applicari pro anima sua expresse mandaverit, et quoad alias, vel nihil de applicatione dixerit, vel illas remiserit ad arbitrium capellani: quia tunc has posteriores non sibi applicari voluisse præsumitur ex vi discretivæ locutionis, ut *in Collen. applicationis sacrificii* 28 Augusti 1683; *in Romana applicationis sacrificii* 8 Febr. 1710; *in Tricastinen. applicationis sacrificii* 8 Augusti 1711, et *in Ferrarien. applicationis sacrificii* 11 Junii 1729.

Capellanus obligatus ad missam quotidianam, si obligatio referatur ad locum, ut si dicatur: Celebretur quotidie missa in tali ecclesia, vel in tali altari, tunc sine ulla vacantia tenetur celebrare quotidie, vel per se, vel per alium. Si obligatio referatur ad personam sacerdotis cum libertate, ut, vel per se, vel per alium quotidie celebret, tunc, etiam sine ulla vacantia, tenetur quotidie celebrare, sive per se, sive per alium. (19. Si vero obligatio quotidie celebrandi sit mere personalis, ita ut teneatur per se celebrare, tunc titulo honestatis, vel reverentia sacramenti, aut alia justa causa potest aliquoties abstinere, et etiam semel in hebdomada; non enim censetur iste obligatus strictissime ad quotidie celebrandum, per ea quæ habet divus Augustinus, sive auctor operis *De ecclesiastic. dogmat.*, cap. 53, relatus in cap. *Quotidie* 13, De consecrat., dist. 2, et text. in cap. *Significatum*, De præbend. Et tenet Barbosa, *De offic. et potest. episcop.* part. II, allegat. 24, n. 28, cum multis aliis, et Fagnan. in cap. *Significatum*, De præbend., n. 9.

NOTA ROMANI THEOLOGI.

Nimis laxa censoribus visa est Ferraris assertio. Ecquis enim credat posse capellanum, qui celebrare quotidie teneatur, ut injuncto sibi oneri satisfaciat, semel quoque in hebdomada, honestatis causa, vel alio titulo, a celebrando abstinere? Hac enim via liberum capellano foret absolvere se a septima injuncti oneris parte, contra voluntatem institutoris: cum instituens capellaniam quotidianam, præsumi nullo modo possit consentire, ut plusquam quinquagesima quolibet anno missæ præterumittantur ab

Digitized by Google

homine cui eleemosynam pro quotidiana missa assignavit. Consule Instit. Canon. P. Maschat cum additionibus Giraldi, tom. II, pag. 108, col. 1, ubi hæc habentur: « Beneficiatus, seu capellanus, cui incumbit onus missas quotidie celebrandi per seipsum, si ex diuturna infirmitate excedente quindecim dies impediatur eas celebrare, tenetur satisfacere per alium, ex decreto congr. Concil. *in Romana celebr. miss.* 4 Junii 1689, et 17 Novembr. 1695.

« An vero, præcisa infirmitate, aliquando abstinere possit a celebratione, devotionis aut honestatis causa? Cabassut., *Jur. can. Theoria*, lib. II, cap. 28, n. 9, ex cap. *Significatum*, De præb., admittit intermissionem a celebratione duodecim dierum in quolibet anno: dummodo tamen diebus, quibus pro fundatore non celebrat, abstineat pro alio celebrare, puta pro se, vel suis parentibus: neque ei licita est talis intermissio, quando non habet onus per seipsum celebrandi pro fundatore; ex decr. ejusdem congreg. 18 Septembris 1683. »

RESPONSIO AUCTORIS.

Dicit hic Rom. theologus, quod nimis laxa censoribus visa est Ferraris assertio. Ecquis enim credat posse capellanum, qui celebrare quotidie teneatur..... semel in hebdomada a celebrando abstinere? Ast Ferrariana assertio fundata est nedum in *ibi* adductis, sed insuper in præciso decreto ad id emanato a sac. cong. Visitationis Apostolicæ sub die 18 Julii 1697, relato a Monacell. edition. Roman., 1709, tom. III, in *Appendice* ad *Formular.*, instruct. 5, pro adimplemento onerum missarum, n. 11, jam a me allato ad litteram in verb. CAPELLANUS in communi, n. 8.

(20. Diebus tamen, quibus, ut supra, licite potest capellanus a celebratione abstinere, non potest missam pro se ipso, vel pro aliis, præterquam pro fundatoribus celebrare, et tanto minus pro hujusmodi celebratione stipendium accipere, ut constat ex responsione sacræ congregationis ad sequentia dubia ei porrecta ab episcopo Collensi (64).

(21. I. An sacerdotes obligati ratione beneficii, capellaniæ, legati, aut stipendii celebrare quotidie missam per seipsos, possint aliquando a celebratione vacare? et quatenus affirmative?

II. Quando, et quoties a dicta celebratione vacare possint?

III. An diebus licitæ vacationis possint missam pro se ipsis, vel aliis præterquam pro fundatoribus celebrare? et quatenus affirmative?

IV. An pro aliis celebrando, possint stipendium pro hujusmodi celebratione percipere?

V. An illis diebus, quibus licite vacant a celebratione, teneantur missam ab aliis celebrari facere juxta intentionem fundatorum?

VI. An sacerdotes, ut supra, obligati celebrare missam quotidie absque tamen onere celebrandi per se ipsos, possint aliquando a celebratione vacare?

Sacra congregat. Conc. die 18 Sept. 1683 ad primum et secundum respondit *affirmative*, concurrente aliqua rationabili causa. Ad tertium, quartum et sextum negative, ad quintum distulit resolutionem; lib. XXXIII, fol. 311.

(22. Beneficiatus, cui impositum est onus, ut debeat continue singulis diebus missam celebrare, et si cessaverit eam celebrare, teneatur, v. g. solvere duos julios pro qualibet missa non celebrata, non potest unquam vacare, nisi suppleat per alium. Sic decrevit sacra congregat. Conc. 17 Sept. 1664. (23. Non tenetur tamen neque per alium celebrare tempore infirmitatis non excedentis quindecim dies, ut declaravit sac. congregat. Concil. 17. Novembris 1695.

(24. Ex concilio autem provinciali Mediolanensi septimo tit. *De missis*, capellanus, seu beneficiatus deobligatur a celebrando, et supplendo per alium ratione infirmitatis, etiamsi per mensem integrum ægrotet; habentur enim ibi præcisa verba. « Si capellanus saltem per annum functus sit suo munere celebrandi in aliquo loco, si etiam per mensem ægrotet, adhuc integram eleemosynam judicio episcopi accipere potest; » et in hoc consentiunt etiam doctores magis communiter.

(25. Capellanus qui habet onus celebrandi singulis annis unum anniversarium triginta, vel quinquaginta missarum pro anima fundatoris, non tenetur facere celebrare missam cantatam, quia, nisi aliud exprimatur in fundatione, tale anniversarium intelligitur de triginta, vel quinquaginta missis privatis eadem die anniversaria celebrandis, juxta mentem fundatoris. Sic decrevit sacra congregat. Conc. 13 Januarii 1691.

(26. Capellanus non tenetur missas celebrare tempore quo capitale dotis assignatæ est otiosum et infructiferum sine sua culpa; ut si capitale dotis, vel legatum relictum cum onere missarum consisteret in pecunia in capsa retenta per hæredem legantis solvenda, vel si data ad censum, fuerit restituta, donec non sequatur investimentum in bonis frugiferis, vel constituatur alius census frugiferus, capellanus, sive ecclesia, vel alius locus pius, cui fuit injunc-

(64) *Additio novissima ad auctoris responsionem num.* 20 *appositam.* — Illud tamen decretum, ex peculiaribus propositi casus adjunctis editum, ad omnes capellanos protendi non potest. Itaque Benedictus XIV *De sacrificio missæ* lib. III, cap. 5, num. 6, recensitis auctorum de hac quæstione opinionibus, inquit: « Nos... rebus judicatis innixi dicimus, eos sacerdotes, qui habent onus celebrandi per se ipsos, posse interdum omittere celebrationem missæ, si legitima intervenerit causa, neque tamen eo die quo omittunt sacrificium facere pro institutore, missam pro alio celebrare posse, multoque minus eleemosynam accipere: quæstionem autem illam, an omittens celebrare, debeat supplere per alium, sub judice relinquimus. » De hac autem fuse Giraldi, *Exposit. jur. Pontif.*, part. I, sect. 566.

Digitized by Google

tum tale onus missarum, non tenetur ex propriis aliis redditibus ad celebrationem ipsarum missarum. Sic decrevit sac. congregat. Concil. 15 Sept. 1677, et *in una Forosempronien.* 7 Junii 1687, ad. 5, et *in una Monopolitana* 8 Augusti 1705.

(27. An habens obligationem, sive ex hæreditate, sive ex legato, sive alio titulo faciendi celebrare missas, si pro ipsis celebrandis tradiderit congruam eleemosynam sacerdoti quem putabat probum et fidelem; et postea dubitet, vel sciat eas non celebrasse, teneatur iterum congruam eleemosynam solvere alteri sacerdoti qui eas fideliter celebret? La Croix lib. VI, par. II, n.149, cum Bardi et Schilder ibi allegatis, censet quod ipse satisfecerit suæ obligationi, et non teneatur amplius aliam eleemosynam solvere pro ipsis celebrandis, quia defunctus censendus est tantum voluisse obligare ad dandum stipendium, et curandum prudenter quantum in se est, ut missæ celebrentur. At nos cum distinctione respondendum censemus: vel enim habens talem obligationem, illam habet ex debito speciei, id est ratione rei particularis ac determinatæ sibi individualiter relictæ, seu traditæ pro faciendo celebrare tot missas ut ratione determinati vasis argentei, equi, vestimenti, libri, et hujusmodi ad id sibi traditi seu relicti; et tunc si talem individualem rem tradidit, et consignavit sacerdoti probo et fideli, existimato pro ipsis missis celebrandis; quamvis postea resciat ipsas non celebrasse, non tenebitur ad aliam solutionem pro ipsis celebrandis; arg. l. *Argumentum* 20, ff. *Commodati*, et cap. unico *De commodato*; et ratio est quia quoties, omni debitoris culpa seclusa, res in individuo debita perit, domino suo perit, l. *Lectos* 12, et l. *Quod si neque* 14, ff. *De periculo et commodo rei venditæ*, l. *Si dominum* 9, cod. *De pignoribus*, cum similibus: vel autem illam obligationem habet ex debito generis, id est ratione hæreditatis, pecuniæ, tritici, vini, olei aliarumque rerum sibi relictarum aut legatarum, non secundum individuam ac determinatam, seu singularem substantiam, sed secundum pondus, numerum et mensuram, et tunc licet congruam pro ipsis missis legendis tradiderit eleemosynam sacerdoti fidelissimo existimato; si resciat ipsas non celebrasse, tenebitur ad aliam solutionem pro ipsis celebrandis. Et ratio est quia cum talis sic obligatus sit debitor generis, non vero hujus aut illius individuæ seu specialis materiæ per infidelem sacerdotem defraudatæ et consumptæ, hac ipsa pereunte, durat adhuc ejus obligatio; genus enim perire non potest; l. *Incendium*. 11, cod. *Si certum petatur*. Et ad id videtur facere resolutio S. C. C. in *Alban.* 10 Mar. 1742, apud *Thesaurum resolutionum S. C. C.*, in resolutionibus dicti anni allata a nobis sub ver. *Hæres*, n. 3. In hoc enim casu videtur discurrendum esse eodem modo ac de casu debitoris ex contractu, seu re accepta, qui, si rem debitam inconsulto creditore transmittat per personam fidelem, et ex malitia illius personæ fidelis habitæ, vel quocunque casu ad dominum non perveniat aut pereat, tunc si debitum sit determinatum in individuo, ut hoc vas argenteum, hic equus, hæc vestis et hujusmodi, perit ipsi domino seu creditori et non debitori, et debitor liberatur ab onere ulterioris et reiteratæ restitutionis; secus autem, si debitum non sit determinatum in individuo, sed solum in genere aut specie seu æquivalenti (65).

(28. Missa parochialis applicari debet pro populo ipsorum curæ commisso omnibus diebus festis, non solum a parochis, sed etiam a vicariis deputatis ad tempus, aut alias amovibilibus, Benedictus XIV, in constit. incip. *Cum semper*, § 2 et 4. (29. Idque non obstante defectu congruæ, aut qualibet contraria consuetudine. Idem, *ibid.*, § 5.

(30. Quod intellige de diebus festis, quibus populus missam audire tenetur. Idem, *ibid.*, § 6 et 7. (31. Dispensari tamen potest ab ordinario cum parochis pauperibus, ut aliis diebus infra hebdomadam applicent missam pro populo. Idem. *ibid.*, § 8.

(32. Patriarchales, metropolitanæ, cathedrales et collegiatæ ecclesiæ tenentur quotidie celebrare, et applicare missam conventualem pro benefactoribus suis in genere, non obstante quavis, licet immemorabili, consuetudine in contrarium. Idem, *ibid.*, § 11.

(33. Per missam cantatam in suffragium alicujus benefactoris, vel benefactorum in genere, quæ foret imposita, non satisfit oneri missæ conventualis. Idem, *ibid.*, § 12 et 13.

(34. Ubi a beneficiatis vel mansionariis celebretur missa conventualis, iisdem suppeditetur eleemosyna ex distributionum massa quæ, si attenta earum tenuitate, adeo minuantur, ut negligantur, recursus haberi poterit ad congregationem Concilii, quæ ad solos dies festivos prædictæ missæ applicationem restringere poterit. Idem, *ibid.*, § 18 et 19.

(35. Rubricarum mandatis super duabus et quandoque tribus missis conventualibus cathedrales et collegiatæ ecclesiæ districte parere tenentur, easque omnes, ubi id consuetudo obtinuit, applicare pro benefactoribus; et consuetudine minime obstante, applicatio primæ erit benefactorum suffragio reservata, reliquarum libera, dummodo eorumdem benefactorum non obliviscantur in commemoratione defunctorum omnium. Idem, *ibid.*, § 20, 21, 22.

Si canonicus parochus, aut onere missarum alias gravatus, missam conventualem celebret, hanc applicare tenetur pro benefactoribus in genere, et per alium supplere

(65) *Nota Romani theologi.* — Si inconsulto creditore res transmissa fuit, non videtur creditori perire, qui in transmissionem illam nullo modo consenserit, sed potius debitori, cui tota debetur transmissio, modusque transmissionis, et quidquid defectu hujus transmissionis, vel ejus occasione subsecutum est.

Digitized by Google

missas quibus particulariter manet adstrictus. Idem, *ibid.*, § 15.

* Beneficiatus cui injungitur a testatore celebratio missæ certis diebus, non explicata applicatione pro se, vel pro aliis, debet illis diebus missam applicare pro fundatore ejusdem beneficii, ut S. congregatio Concilii sæpius respondit. *De sacrific. miss.*, lib. III, cap. 9, § 2.

Idem dicas, si fundator mandaverit orare pro se in missa, nam præsumitur nomine orationis applicationem designasse; nisi tamen ex aliis conjecturis deducatur etiam fuisse ejusdem fundatoris mentem, ut si, pluribus capellaniis fundatis, in aliis mandaverit applicationem, in aliis orationem, ut ex resolutionibus S. congregationis, *ib.*, § 3.

(39. Sacerdos qui beneficium possidet, in cujus fundatione expresse cautum est non teneri celebrantem ad applicationem sacrificii, num possit pro applicatione novum stipendium exigere, non vetatur, sed neque reprobatur contraria sententia id negans, et decreta sacræ congregationis Concilii non apparent; *ibid.*, cap. 22, § 7.

(40. Si tamen nihil expressum sit in fundatione ejusdem beneficii, quod demonstret testatorem remittere applicationem sacrificii arbitrio sacerdotis, tunc semper standum est pro obligatione applicationis pro testatore, ut ex decretis S. congregationis. *Ibid.*

(41. Sacerdos ratione beneficii obstrictus bis vel ter singulis hebdomadibus celebrare, potest anticipare tempus, nisi appareat testatorem voluisse in qualibet hebdomada bis vel ter celebrari, ne pagus, vel altaria quædam singulis hebdomadis missa carerent. *Ibid.*, lib. III, cap. 6, § 8.

(42. Canonicis in cathedralibus et collegiatis qui, juxta præscriptum rubricæ, certis quibusdam diebus plures missas canere tenentur, an omnes debeant applicare pro benefactoribus, nunquam a sacr. congregatione decisum est. *Ibid.*, § 9.

(43. Alia ad rem, quoad tradita supra n. 24, *vide* et verb. RESTITUTIO, art. 4, n. 24, 25, 26.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(44. Obligatio celebrandi missam conventualem de jure inest ecclesiis cathedralibus et collegiatis, cap. *Cum creatura*, De celebrat. missar. (45. At sunt plures ecclesiæ communitativæ quæ ex speciali titulo hac itidem obligatione tenentur. 46. Dubitatum autem fuit an sicuti in ecclesiis cathedralibus et collegiatis, ita et in ecclesiis hisce communitativis applicanda sit missa conventualis pro benefactoribus. (47. Et *affirmative* respondit sac. congreg. Concil. interpres duabus ecclesiis communitativis diœcesis Prænestinæ, quæ novissime eam hac de re consuluerunt, ex mandato facto ab eminentissimo episcopo in visitatione. (48. Et jure meritoque, nam regulariter obligatio haud debet esse sejuncta ab applicatione. (49. Accedit quod si est hæc obligatio applicandi in

cathedralibus et collegiatis, in quibus celebratio missæ conventualis inducta dici potest pro majori cultu ipsarum, potiori jure esse debet in mox dictis ecclesiis communitativis, in quibus minus urget mox dicta ratio.

(50. Differunt itaque ecclesiæ cathedrales et collegiatæ a communitativis quoad celebrationem tantum, scilicet quod illæ de jure tenentur ad celebrationem missæ conventualis, hæ vero nonnisi ex speciali titulo.

(51. Cæterum, si ecclesiis communitativis sit hæc obligatio celebrandi ex titulo speciali, esse tunc debet et obligatio applicandi, non secus ac in cathedralibus et collegiatis, nisi contrarium clare constet.

(52. * Cum in pluribus extra Italiam diœcesibus Christianus populus iis diebus festis, quibus ipsi exercere servilia opera fas erat, manente tamen præcepto de missa audienda, solutus etiam hoc onere Apostolica indulgentia fuerit, orta quæstio fuit: « tenerentur ne parochi illis diebus missam, ut antea, pro ovibus sibi creditis applicare; » et quæstione a S. congregatione de Propaganda Fide mature expensa, responsum fuit missionariis qui hanc quæstionem proposuerunt, « teneri. » Nec S. congregationis Concilii discrepans sententia est. Nam Pontifices, qui Christianam plebem onere audiendi sacrum illis diebus liberarunt, non propterea parochos onere rem divinam pro populo iisdem diebus faciendi liberarunt, neque enim onus parochi sacrificium pro plebe sibi credita offerendi ex hoc oritur, quod plebi onus missæ audiendæ incumbat, adeo ut, hoc sublato, illud quoque tollatur *.

ARTICULUS IV.

Missa quoad locum in quo possit vel non possit celebrari.

SUMMARIUM.

1. Missa de jure communi et ordinarie non potest licite celebrari, nisi in ecclesiis, vel locis consecratis, vel saltem legitima auctoritate benedictis. — 2. In casu tamen quo magna urgeret necessitas posset a quolibet sacerdote celebrari missa in locis non consecratis nec benedictis. — 3. Necessitas autem celebrandi extra loca consecrata seu benedicta, ut sub dio, vel in privatis domibus, aut in altari portatili, et loco cæteroquin honesto, esset tempore pestis, belli, persecutionum et hujusmodi, ubi sine periculo mortis, aut alterius gravis mali in sacratis et benedictis locis celebrari nequit. — 4. Ita etiam, si ecclesiæ essent dirutæ, vel ab infidelibus, sive hæreticis impeditæ. Similiter in maximo concursu populi, quem sacer locus capere non potest, in bello pro exercitu, in longa peregrinatione per loca infidelium, et hujusmodi. — 5. Nec potest censeri, quod concilium Tridentinum voluerit prohibere celebrationem extra loca sacra et benedicta in his casibus magnæ necessitatis. — 6. An missa possit celebrari super navibus in mari, vel flumine? ad n. 9. — 10. Episcopi et majores prælati, etiamsi essent cardinales, non possunt concedere facultatem celebrandi in locis non sacris et non benedictis. — 11. Imo nec ipsi possunt celebrare extra domum propriæ habitationis in domibus laicis, sive propriæ, sive alienæ diœcesis: vide tamen declarationem allatam sub verb. ORATORIUM, n. 70. — 12. Regulares, quantumvis privilegiati, non possunt hodie celebrare ubivis in altari portatili, aut in aliqua

Digitized by Google

domo privata, aut alio loco non sacrato vel benedicto, nisi adsit specialis concessio, aut novum privilegium Papæ.—13. Regulares an possint in propriis conventibus et extra conventus in grangiis et domibus ruralibus habere oratoria privata et ibi celebrare, et an alii ibi celebrantes, et missam audientes satisfaciant præcepto audiendi missam? *remissive*. 14. Non celebrans missas in loco designato, v. g. in ecclesia, vel in altari convento, vel ex pacto, vel ex testamento, si hoc faciat absque justa et rationabili causa, peccat mortaliter. — 15. Si vero hoc faceret ex rationabili et justa causa, ut si altare esset dirutum, vel ecclesia in alium locum translata, tunc non peccaret. — 16. Sive tamen non celebret in loco convento et designato cum justa, sive absque justa et rationabili causa, non tenetur iterum in eodem altari, vel ecclesia celebrare, aut ad aliquam restitutionem, ut compenset sacrificia alibi celebrata. — 17. Missarum onera relicta in determinata ecclesia, seu capella, non possunt alio transferri absque Sedis Apostolicæ licentia. — 18. Imo neque nuntius Apostolicus potest concedere indultum, quod missæ celebrandæ in loco a testatore designato, alibi celebrentur.— 19. Alias translatio esset nulla, quamvis fieret auctoritate executorum testamentariorum, qui talem facultatem expressam non haberent. — 20. Missæ ad satisfaciendum eleemosynis alicui ecclesiæ traditis non sunt celebrandæ per exteros, ubi commode possunt satisfieri per sacerdotes ejusdem ecclesiæ : et generales ordinum non possunt de se celebrare facere in monasteriis aliarum civitatum, etc., missas pro quibus uni tantum ecclesiæ fuerunt elargitæ eleemosynæ. — 21. Missæ relictæ a testatore, ut celebrentur in determinata ecclesia regularium, ex una decisione sacræ congreg. sunt celebrandæ ab ipsis regularibus, nec possunt hæredes pro suo libito pro tali celebratione deputare sacerdotes sæculares, vel alios regulares, etiamsi testator non expresserit, per quos essent celebrandæ. — 22. Ex post tamen factum edita contraria decreta, in quibus fuit decisum electionem capellani pro celebratione missarum in ecclesia eorumdem regularium per testatorem non factam, spectare ad hæredes. — 23. Et si regulares nollent consentire, nec commodum et patientiam præstare sacerdoti sæculari deputato pro tali celebratione missarum, tunc conceditur oneris translatio ad aliam ecclesiam de licentia ordinarii; novissime autem fuit resolutum contrarium, *ubi supra* n. 21. — 24. In suis ecclesiis non licet regularibus admittere sacerdotes sæculares ad missam celebrandam contra prohibitionem episcopi.—25. Sacristæ seu præfecti ecclesiarum regularium adstringi possunt ad non permittendam celebrationem sacerdotum sæcularium, nisi exhibita ordinarii licentia. — 26. Presbyteri, qui capellani non sunt, possunt prohiberi ne accedant ad celebrandum in ecclesiis monialium etiam regularibus subjectarum, vel alias exemptarum.—27. Capellanus autem sufficit, quod approbetur a superiore monasterii. — 28. In ecclesiis monialium non debent regulares celebrare missas absque licentia episcopi; et si in illis ex dispositione testatoris onus habent celebrandi, onus transferatur ad eorum ecclesiam. — 29. Missa non est celebranda in ecclesia polluta. — 30. Celebrans vero in ecclesia polluta, licet peccet graviter, nullam tamen censuram vel irregularitatem incurrit. — 31. Missa non est celebranda in loco interdicto et ibi celebrans fit irregularis. — 32. Nec potest celebrari in loco in quo sepultus est paganus seu infidelis. — 33. Nec ubi sepultus est excommunicatus vitandus. — 34. Poterit tamen ibi celebrari, si inde extrahantur cadavera, et ecclesia consecretur vel benedicatur. — 35. Capitulum nequit celebrare missas in ecclesiis regularium, ipsis renuentibus. — 36. Missæ celebrandæ ex eleemosynis a confratern. collectis, in ejusdem ecclesia celebrari debent. — 37. Missæ celebrandæ sunt in ecclesiis per testat. designatis; et hoc non expresso, in sepulcrali ecclesia, ad n. 38. — 39. Missarum celebratio scribenda est in libro in sacristia servato. — 40. Alia notabilia ad rem, ad n. 51. — 52. Subnectuntur *Addit. ex aliena manu*, ad n. 64.

(1. Missa de jure communi, et ordinarie non potest licite celebrari, nisi in ecclesiis, vel locis consecratis, aut saltem legitima auctoritate benedictis, ex Clement. 1, epist. 3, et ex cap. primo, De consecrat., dist. 1, ubi habetur : « Missarum celebrationes non alibi quam in sacratis Domino locis absque magna necessitate fieri debere, liquet omnibus, can. *Sicut* 11 De consecr., dist. 1, ubi habetur : « Nec in aliis quam Domino sacratis locis, id est in tabernaculis divinis precibus a pontificibus delibutis, missas cantare, aut sacrificia offerre licet, nisi summa coegerit necessitas; » et ex Tridentino sess. XXII, in decreto De *observandis celebratione missarum*, ubi prohibetur episcopis ne patiantur privatis in domibus, atque omnino extra ecclesiam, et ad divinum tantum cultum dedicata oratoria ab eisdem ordinariis designanda et visitanda, sanctum hoc sacrificium a sæcularibus aut regularibus quibuscunque peragi. » (2. Dicitur notanter *de jure communi et ordinarie*, quia in casu quo magna urget necessitas, posset a quolibet sacerdote celebrari missa in locis non consecratis, nec benedictis, ut tenent communiter doctores, et clare ostendunt mox citati canones cap. 2, De consecrat., dist. 1, per illa verba, « absque magna necessitate fieri debere : » et cap. 11, De consecrat., dist. 1, per illa verba « nisi summa coegerit necessitas. »

(3. Necessitas autem celebrandi extra loca consecrata seu benedicta, ut sub dio, vel in privatis domibus, aut in altari portatili, et loco cæteroquin honesto, esset tempore pestis, belli, persecutionum, et ubi sine periculo mortis, aut alterius gravis mali in sacratis, et benedictis locis celebrari nequit. Ita etiam si ecclesiæ essent dirutæ, vel ab infidelibus, sive hæreticis impeditæ, cap. *Concedimus* 30, De consecrat., dist., 1. (4. Similiter in maximo concursu populi, quem sacer locus capere non potest, in bello pro exercitu, in longa peregrinatione per loca Infidelium. In his enim et similibus necessariis casibus, de communi doctorum etiam absque licentia episcopi, si absens sit, et difficulter adiri possit, ipso jure potest quilibet sacerdos licite celebrare (66). (5. Nec

(66) *Nota Rom. theologi.* — Concursus populi causa sufficiens non est, ut extra sacrum locum sacerdos celebrare possit sine dispensatione superioris ecclesiastici, qui a lege ecclesiastica, quæ sacrum in loco sacro fieri jubet, sacerdotem absolvat. Hoc enim in casu pars illa populi, quæ ingredi locum sacrum non posset, vel extra ecclesiam consistere animo satisfaciendi præcepto de missa audienda deberet, vel si id facere non posset, non teneretur audire missam.

Digitized by Google

potest censeri quod concilium Trident. voluerit prohibere celebrationem extra loca sacra et benedicta in his casibus magnæ necessitatis, « quoniam, ut subjungitur in cap. *Sicut* 11, De consecrat., dist. 1, quoniam necessitas legem non habet. Et quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum; » cap. *Quod non*, De regul. juris. 4.

(6. An autem missa possit celebrari super navibus in mari vel flumine, variant doctores. Negativam sententiam tenent Paludanus, Sotus, Turrecremata, Joannes de Fribur., Tabiena, Sylvester, Armilla, S. Antoninus, Navarrus, Henriquez, Majolus, Toletus, Azorius, Vasquez, Suarez, Reginaldus, Bonacina, Coninch, Bartholomæus ab Angelo, Faustus, Ledesma, Zanardus, Camerot, Astensis, Joannes a Cruce, Pitigianus, Homobonus, Filiucius, Molfesius, Villalobos, Chelisonius, Præpositus, Grassius, Pax Jordanus, Tannerus, et alii apud Pignatell., tom. VIII, consult. 124, n. 4, ubi refert hanc negativam sententiam secutam fuisse etiam sacram congregationem Sancti Officii, quæ sæpe censuit quod missa non permittatur celebrari super navigiis, in navigationibus Indiarum, ut 31 Julii 1607 et 2 Augusti ejusdem anni. Et negata fuit licentia principi Philiberto, ut celebrari posset super triremibus 2 Septembr. 1621. Eamd. negativam sententiam tuentur Gavantus in *Thesauro sacror. rit.*, pag. 1, tit. 20, littera *F*, § *Nunquam in mari*; Rotarius et alii apud eruditissimum P. Merati in addition. ad Gavantum *loc. cit.*, litt. *X*; Antonell., *De loco legali*, lib. I, cap. 5, n. 4, et alii apud cardinal. Petra, tom. IV *Commentar. ad constit.* 2 *Urbani V*, n. 26; Diana cum aliis, part. IX, tract. 1, resol. 45, ubi refert declarationem sacræ Rituum congregationis de anno 1633, qua committitur episcopis, ut prohibeant sacerdotibus tam sæcularibus quam regularibus, ne id ad praxim deducant. Et ratio ipsorum est quia licet in necessitate celebrari possit extra locum consuetum, non licet tamen cum aliquo periculo; in mari autem vel flumine semper adest periculum effusionis sanguinis, quia licet tranquillum potest de repente ventis commoveri.

(7. Affirmativam autem sententiam defendunt, præsertim existente mari tranquillo, et nullo exstante periculo effusionis sanguinis, aut amotionis hostiæ ex vento, Durandus, Sa, Major, Granadus, Scortia, Layman, Gaspar, Hurtadus, Marchinus, Palaus, Caspensis, Aversa, Machad., cardinalis de Lugo, Franciscus de Lugo, lib. V, *De sacrament.*, cap. 6, quæst. 1, n. 9 et 14, ubi testatur se in navigatione ad Indias in navi celebrasse, Fagundez, præcept. 1 *Eccles.*, lib. III, cap. 10, n. 15, testans de praxi quoad eos qui navigant ad Indos; Leander et alii apud Pignatell., *loc. cit.* n. 1, ubi ex Fagundez *loc. cit.* refert quod re diu et mature discussa, fuit hujusmodi privilegium celebrandi super altari portatili in navibus concessum a Clemente VIII et Paulo V omnibus navigantibus ad Indias. Eamdem affirmativam sententiam sequuntur Schiara, Giribaldus, et alii apud P. Merati, *loc. cit.*, apud Felicem Potestat., tom. III, part. I, n. 319; La Croix, lib. VI, part. II, n. 255 et 261; Dianam, part. V, tract. 3, resolut. 40, et part. IX, tract. 1, resolut. 45, et apud Dandin., *De suspectis de hæresi*, cap. 3, sect. 1, subsecut. 4, n. 15 et seq. Item Verricel. Coton. et alii apud card. Petra, *loc. cit.* n. 27, ubi ipse dicit quod nullo jure prohibetur missæ celebratio super aquas, nec navis locus est tanto sacrificio indignus, et plura refert exstare antiquitatis documenta quibus constat, non tantum pluries in mari missas celebratas fuisse, sed continuo super naves Eucharistiam deferri olim solitum fuisse, ut habetur ex Baronio ad ann. 57, 404 et 800, ex Surio de S. Ludovico ad diem 25 Augusti, et ex S. Gregorio, S. Ambrosio et Metaphraste; Verric., *De apostol. mission.*, tit. 7, quæst. 133, n. 9; Pasqualigo, *De sacrificio novæ legis*, quæst. 471, n. 3 et seq., et ex S. Antonino, part. II, cap. 2, tit. 14, § 2, de S. Vulfranno archiepiscopo Senonensi.

Hinc concludendum videtur quod si constet de supradicta concessione facta a Clem. VIII et Paulo V omnibus navigantibus ad Indias, et de sic observata antiqua praxi, sit id permittendum etiam in quacunque alia longa navigatione super magnis navibus, in quibus tranquillo mari et sereno cœlo, testibus peritis, nullum adest periculum effusionis sanguinis, aut amotionis hostiæ ex vento; et in ipsis nedum reperitur locus decens pro sancto sacrificio, sed solet etiam adesse capella magnifice ornata; et periculo effusionis sanguinis, ex improvisa et repentina maris commotione facile occurri potest a nautarum peritia, aut assistentia alterius sacerdotis vel diaconi, qui post consecrationem firmiter teneat calicem; unde quamvis prædicta concessio Clementis VIII et Pauli V afferatur facta solum pro navigantibus ad Indias, potest tamen habere locum pro omnibus navigantibus ad quæcunque loca in dictis magnis navibus, quia cum talis facultas seu licentia supponatur petita ratione difficultatis, seu dubii, quod non liceret celebrare in navibus stante periculo effusionis sanguinis, dum fuit concessa, fuit potius quædam declaratio quod liceat in dictis navibus celebrare, atque adeo non adsit periculum effusionis sanguinis; sicque si non adsit periculum, sit licitum omnibus navigantibus ad quemcunque locum, quia alias adesset æqualis necessitas sufficiens pro omnibus, puta pro audiendo sacro, præsertim diebus festivis, pro ministrando viatico, et pro solatio spirituali nautarum et rectorum. Ubi enim eadem est ratio, eadem est juris dispositio; leg. *Ideo* 27; ff. *De legibus*, leg. *Illud.* 32, ff. *Ad leg. Aquiliam*, et capit. *Inter corporalia* 2, De translatione episcop., maxime stante supradicta praxi, et consuetudine quæ est optima legum interpres, textu expresso in leg. *Si de interpretatione* 37, ff. *De legibus*, cap. *Cum dilectus* 8, De consuetudin., et consuetudo legitima semper est observanda leg. *De quibus* 32, ff. *De legib.*,

Digitized by Google

c. *Cum tanto* 11, De consuetud., cum similibus.

9. Si autem non constet, prout valde dubitat cardin. Albitius, *De inconstantia in fide*, cap. 34, n. 171, apud cardinal. Petra, *loc. cit.*, n. 30, de supradicta Pontificia concessione, et praxi, ac consuetudine, recurrendum est ad Summum Pontificem pro obtinendo ad id speciale indultum, prout novissime obtinuit in simili recursu sacra Hierosolymitana religio, quæ, non obstante, quod habuisset privilegium altaris portatilis, nihilominus petiit speciale indultum celebrandi in suis magnis navibus, occasione longæ navigationis in alto mari contra infideles, et prævio voto sacræ congregat. Concil. sub die 13 Martii 1706, cum clausulis, ut breve possit expediri per Sanctitatem suam cum concessione petitæ facultatis celebrare faciendi missam, dummodo naves sint enuntiatæ qualitatis, et celebratio fiat duntaxat tempore quo mare est tranquillum, et cœlum serenum, et cum assistentia alicujus sacerdotis, seu diaconi, ita ut adesse non possit periculum effusionis sanguinis in dicta celebratione, Clemens XI dictum petitum privilegium benigne concessit 22 Martii ejusdem anni 1706, constit. incipient. *Exponi Nobis*, quæ est 26 in prima parte ejus particularis Bullarii. Consimile litterale indultum fuit concessum anno 1706 pro navibus Hispaniarum, et anno 1716 pro trirem. classis Pontificiæ, ut refertur in t. I *Thesaur. resolut. sacræ congregat. Concil. in civitatis Castellanæ*, in fine pag. 64. Simile indultum pariter fuit concessum anno 1702, eminentissimo et reverendissimo D. Tournon, legato apostolico ad regnum Sinarum, teste eminentissimo cardinali Petra, *loc. cit.*, n. 31. Qui tamen *ibidem*, n. 39, allegat. cardin. Albitium *De inconstantia in fide*, 34, n. 131, asserentem, fuisse olim passim denegatum tale privilegium et adducentem plures casus denegationis, quamvis nostris hisce diebus videatur eum debitis cautelis facilius concedi.

* « Per Sedis Apostolicæ, quæ nunc invaluit, praxim (inquit Benedictus XIV, *De sacrificio missæ*, lib. III, cap. 6, n. 11) sublata est omnis disputatio. Scribunt enim viri sacrarum congregationum Romæ peritissimi, ut videre est apud eminentissimum cardinalem Petram, *loc. cit.*, et Meratum, *loc. cit.* apostolico opus esse privilegio, ut in mari missa celebrari possit; neque satis esse privilegium altaris mobilis, quo continetur clausula, *in loco honesto ac tuto*, quæ mari non convenit, ideoque peculiare privilegium oportere a Pontifice impetrare, quod, non nisi sub illis conceditur conditionibus, ut tutum navigium sit, ac longe absit a littore, tranquillumque sit mare, et celebranti adsit etiam alter vel sacerdos, vel diaconus, qui, si quis cooriretur motus, quo periculum esset, ne calix everteretur, possit manu calicem ab ejusmodi periculo eripere. Videatur indultum, quod militari ordini Hierosolymitano concessit Clemens XI in ejus *Bullario* ordine undecimum, pag. 51, cui post accuratam S. congregationis ea de re disceptationem, eæ appositæ sunt conditiones (67). »

(67) *Nota editorum Casinensium.* — Præstat hic quoad locum celebrationis missæ, oratoria, atque privilegium ad hoc episcoporum etc., sequentia exscribere ex aureo opere supremi magistri Bened. XIV. *De sacrificio missæ*, in hæc sane verba : « 1. Canonica regula est missam in templis consecratis esse celebrandam, ut videre est in can. *Sicut*, de consecrat., dist. 1, vel in locis ubi episcopus potestatem fecerit celebrandi. « Missarum solemnia non ubique, sed in locis « ab episcopo « consecratis, vel ubi ipse permiserit, celebranda « esse censemus ; » sunt verba can. *Missarum*, *De consecrat.*, dist. 1. Atque juxta eam, quæ nunc viget, disciplinam celebrari potest missa in templis ab episcopo consecratis, aut ejus permissu aliquo sacerdote benedictis, aut ex privilegio in oratoriis privatis, domesticisque sacellis, ut videre est apud Tournely *De euchar.*, tom. II, pag. 361 ; S. Tridentina synodus, sess. XXII, in decreto *De observandis et evitandis in celebratione missæ*, jubet : « ne episcopi patiantur privatis in domibus, atque « omnino extra ecclesiam, et ad divinum tantum « cultum dedicata oratoria ab eisdem ordinariis de- « signanda et visitanda, sanctum hoc sacrificium a « sæcularibus aut regularibus quibuscunque pe- « ragi. » Gilbertus *Consultationum canonicar.*, consultat. 5, *De sacrificio missæ*, negat, per ea S. concilii verba auctoritatem ademptam episcopis concedendi facultatem celebrandi in privatarum domorum oratoriis, et auctoritatem confundit episcopi, qua jubet domi suæ missam celebrari, cum auctoritate concedendi potestatem, ut in aliorum domibus missa celebretur; atque ulterius progressus ait, episcopum, etiamsi a S. synodo ea sibi auctoritas esset adempta, ea tamen uti posse per viam dispensationis in casibus particularibus. Sed hæc prorsus absona sunt, et a veritate non modo, quam ab universali omnium diœcesium usu aliena.

« 2. Sancta Tridentina synodus illis quæ attulimus verbis, episcopis facultatem adimit, qua olim erant præditi, concedendi suis diœcesanis oratorium in domo privatum, ubi missa celebrari posset, juxta ea quæ per encyclicas litteras episcopis significavit sac. congregatio sacros. illius concilii interpres anno 1615, jussu Pauli V, ut videre est apud Passerinum, *De statibus hominum*, tom III, quæst. 189, n. 979. « Tametsi sacra Cardinalium congregatio « concilii Tridentini interpretum, optimis innixa « rationibus, sæpissime responderit, celebrandi li- « centias in privatis oratoriis non nisi a Sede Apo- « stolica esse concedendas, etc. Illustrissimi Pa- « tres, etc., sanctissimi domini nostri jussu signan- « dum duxerunt, facultatem hujusmodi licentias « dandi ipsius concilii decreto unicuique ademptam « esse, solique beatissimo Romano Pontifici esse « reservatam. » Nihil tamen de privilegio episcoporum detractum est, quo possunt in suis domibus privatum oratorium habere, et in eo missas celebrare, et aliis sacerdotibus permittere ut celebrent, quemadmodum eadem sac. congregatio explicans ea quæ Pauli V, jussu in ea epistola episcopis edixerat, disertissime declaravit anno 1625, atque illud etiam addidit, ne privilegium quidem episcopis a Tridentina synodo ademptum intelligi, ut suo loco dicemus, habendi altare mobile : « Proindeque ca- « pellas et oratoria ad illorum usum ubique loco- « rum exstructa minime comprehendi in prohibi- « tione Constitutionis jussu sanctæ memoriæ Pauli V, « jampridem edita de non celebrando in privatis « oratoriis. »

Digitized by Google

(10. Episcopi et majores prælati, etiamsi essent cardinales, non possunt concedere facultatem celebrandi in locis non sacris et non benedictis. (11. Imo nec ipsi possunt celebrare extra domum propriæ habitationis in domibus laicis, sive propriæ, sive alienæ diœcesis, non obstantibus antiquis eorum privilegiis, quæ, quantum ad hoc, sunt totaliter abrogata, ex novissimo decreto Clementis XI, edito 15 Decembr. 1703, juxta tamen posteriorem declarationem allatam sub verb. ORATORIUM, n. 70. *Vide* ibi. (12. Vi cujus decreti non possunt hodie regulares, etiam quantumvis olim privilegiati, celebrare ubivis, in altari portatili, nec in aliqua domo privata, aut alio loco non sacrato, vel benedicto, nisi adsit specialis concessio aut novum privilegium Papæ, quia Pontifex omnia privilegia alias eis concessa totaliter abrogat in hoc suo novissimo decreto, quod ad litteram habes per extensum sub verb. ORATORIUM. *Vide* ibi, ubi multa ad rem.

(13. Regulares an possint in propriis conventibus, et extra conventus in grangiis et domibus ruralibus habere oratoria privata, et ibi celebrare? et an alii ibi celebrantes, et missam audientes satisfaciant præcepto audiendi sacrum? *Vide* verb. ORATOR., a n. 72 ad 78.

« 3. In jus canonicum insertum est privilegium, quo Fratres Prædicatores, et Minores altari uti mobili, et missam ubique celebrare possint, ideoque extra templa, et oratoria vel privata vel publica, ab ordinariis destinanda, et approbanda, ut in iis missa celebrari possit, quod videre est in cap. *In his*, De privilegiis. In jure canonico item exstat privilegium episcoporum, ut, cum maxime deceat eos quotidie missam celebrare, aut saltem audire, ubique in hunc usum altare mobile, seu, quod idem est, petram consecratam secum habeant : ut est in cap. *Quoniam*, De privilegiis, in 6.

« 4. Hujusmodi privilegium regularibus ademit sancta Tridentina synodus, quod sæpe S. ejus interpres congregatio declaravit, ut videre est apud Pasqualigum, decis. 54, n. 1, et Pacem Jordan., *Elucubrationum* tom. I, lib. IV, tit. 1, n. 40, idemque etiam evincitur ex S. congregationis judicio *in causa Toletana* die 4 Junii 1672, in responsione ad 8 dubium. Propterea Gregorius XII, cum Patribus Societatis Jesu missionariis privilegium concessit altaris mobilis, Tridentinæ synodi decreto derogavit, ut videre est apud Verricellium *De apostolicis missionibus*, quæst. 131, n. 1. In decreto autem Clementis XI, die 15 Decembris ann. 1703, de quo nobis paulo post erit sermo, hæc habentur : « Quo « vero ad altare portatile, iterum inhærendo declarationibus supradictis, censuit licentias, seu privilegia concessa nonnullis regularibus in cap. *In his*, De privilegiis, et per alios Summos Pontifices aliis regularibus communicata, utendi dicto altari, portatili, in eoque celebrandi absque ordinariorum licentia in locis, in quibus degunt, omnino revocata esse per idem concilium Tridentinum, atque idcirco eosdem regulares prohibendos ne iis utantur. »

« 5. S. Tridentina synodus privilegium episcoporum non sustulit, ut sæpe declaravit S. congregatio apud Barbosam *De episcopo*, allegat. 13, n. 1, et constat ex libro *Decretorum* XII, pag. 120, ubi sic ea respondit : « Sacra congregatio etc., censuit, « cardinales, non secus ac episcopos, sine ulla epi« scopi diœcesani licentia uti posse privilegio alta« ris portatilis, ad præscriptum constitutionis felicis « recordationis Bonifacii VIII, quæ incipit : *Quoniam « episcopi*; nec hujusmodi privilegium sublatum « fuisse concilii decreto, cap. unic., sess. XXII. » Verum Clemens XI, in allato decreto, die 15 Decemb. 1703 edito in ejus *Bullario*, et in *Appendice Romanæ synodi* sub Bened. XIII, cum videret eo privilegio quosdam abuti, statuit ne quis extra suam domum, nec propterea in laicorum domibus, sive in diœcesi, sive extra diœcesim ejusmodi privilegio uteretur : « Ad abusus ejusmodi eliminandos, et ad « instaurandam venerationem tremendo mysterio de« bitam, sanctissimus dominus noster ex unanimi « voto S. R. E. cardinalium concilii Tridentini inter« pretum, inhærendo declarationibus alias hac de re « editis, expresse declarat epi copis, et his majoribus « prælatis, etiam cardinalatus dignitate fulgentibus, « neque sub prætextu privilegii clausi in corpore ju« ris, neque alio quoque titulo, nullo modo licere « extra domum propriæ habitationis in domibus lai« cis, etiam in propria diœcesi, quod fortius intelli« gitur in aliena, etiamsi diœcesani consensus adhi« beretur, erigere altare ; ibique sacrosanctum missæ « sacrificium celebrare, sive celebrari facere. »

« 6. Ratio quæ Pontificem ad illud condendum decretum impulit, ea fuit quod resciverat nonnominem episcoporum tam in sua quam in aliena diœcesi domo sua egredi consuevisse, et ut primario cuipiam viro laico gratum faceret, qui non haberet privati oratorii privilegium ad illius domum sese conferre, ibique vel ab aliquo missam celebrare facere, aut etiam plures, si vir ille habuisset oratorium privatum, ubi non nisi unicam missam eodem die liceret celebrari : « Episcopi etiam in aliena « diœcesi extra domum propriæ habitationis, in « privatis laicorum domibus erigere faciunt altare, « ibique per unum aut plures e suis capellanis vi« vificam Christi hostiam immolare. » Idcirco opus fuit decretum Clementis XI declarari sub Innocentio XIII, qui in bulla *Apostolici ministerii*, de regulari disciplina pro Hispaniarum regnis, quam Benedictus XIII confirmavit, decreto Clementino declaravit locum non esse, si episcopus tanquam hospes in alicujus laici domo moretur, aut diœcesim visitando, aut iter faciendo, aut ex licentia Sedis Apostolicæ habitando in domo aliena extra diœcesim : « Declaramus tamen, quod cum in prædicto « decreto statueretur non licere episcopis extra « domum propriæ habitationis in domibus laicis « erigere altare, ibique sacrosanctum missæ sacri« ficium celebrare, sive celebrari facere, hujusmodi « prohibitio intelligenda non sit de domibus etiam « laicis, in quibus ipsi episcopi forte occasione visi« tationis, vel itineris hospitio excipiantur, et nec « etiam quando episcopi in casibus a jure permis« sis, vel de speciali Sedis Apostolicæ licentia, ab« sentes a domo propria ordinariæ habitationis, « moram idcirco faciant in aliena domo per modum « similis habitationis ; his enim casibus licita eis « erit erectio altaris ad affectum prædictæ celebra« tionis, non secus ac in domo propriæ ordinariæ « habitationis. » Privilegio altaris mobilis, quod habent episcopi, gaudent eminentissimi cardinales, etiam qui episcopi non sint. Quod vero attinet ad oratoria seu capellas privatas, quibus certus fixusque assignatus est locus in domibus tam episcoporum quam cardinalium, possunt plures quotidie missæ celebrari etiam a sacerdotibus qui non sint ex familia, licet episcopus vel cardinalis absit : quique, etiamsi ex familia non sit, diebus festis ibi missam audit, Ecclesiastico præcepto satisfacit. » Hæc in terminis apud prælaudatum Benedictum XIV, in opere cit., lib. III, cap. 6, n. 1 et seqq.

Digitized by Google

(14. Non celebrans missas in loco designato, v. g. in ecclesia, vel altari convento, vel ex pacto, vel ex testamento, si hoc faciat absque justa et rationabili causa, peccat mortaliter, quia in re gravi non adimplet voluntatem et intentionem paciscentis vel testatoris, nec præstat id ad quod fuit electus et assumptus, ut tenent communiter doctores. (15. Si vero hoc faceret ex rationabili et justa causa, ut si altare esset dirutum, vel ecclesia in alium locum translata, tunc non peccaret, quia non esset amplius in potestate sacerdotis ibi celebrare; teneretur tamen celebrare in ecclesia, capella, seu altari translatis, quia locus translatus succedit in omnibus juribus ad locum a quo facta fuit translatio, per textum in c. *Et hoc diximus* 16, q. 7.

(16. Sive tamen non celebret in loco convento et designato cum justa, sive absque justa et rationabili causa, non tenetur iterum in eodem altari vel ecclesia celebrare, aut ad aliquam restitutionem, ut compenset sacrificia alibi celebrata, quia non privavit paciscentem seu fundatorem fructu sacrificii, id enim quod paciscens seu fundator intendit principaliter, est fructus sacrificii pro se et suis, et minus principaliter et quodammodo accessorie, cultus Dei vel sanctorum in tali ecclesia, vel altari; fructum autem sacrificii consequitur, sive sacerdos celebret in illo, sive in alio loco; et solum si alibi celebret, cessat cultus in tali loco. Omissio autem hujusmodi cultus, cum sit solummodo contra virtutem religionis et non contra justitiam, non potest obligare ad restitutionem, ut tenet Barbosa, *De offic. et potest. episcopor.*, allegat. 24, n. 36, cum Passerin., Fraxinell., Bonacina, Gavant., March., Rosign., et aliis magis communiter (68).

(17. Missarum onera relicta in determinata ecclesia seu capella non possunt alio transferri absque Sedis Apostolicæ licentia, ex sacr. congr. Concilii *in Hispalens.* 30 Sept. 1580, et *in Brixiens.* 1 Decembris 1685.

(18. Imo neque nuntius Apostolicus potest concedere indultum, quod missæ celebrandæ in loco a testatore designato, alibi celebrentur. sacr. congr. Concilii *in Giennen.* 18 Augusti 1603. (19. Alias translatio esset nulla, quamvis fieret auctoritate exsecutorum testamentariorum, qui talem facultatem expressam non haberent; ead. sac. congr. Concil. *in Derthonen.* 4 Junii 1701, quia cum sit actus commutationis voluntatis, non potest fieri ab inferiori, nisi ageretur de translatione provisionali facta auctoritate episcopi ob aliquam rationabilem causam, v. g. si locus determinatus esset impeditus, vel ecclesia diruta; nam tunc non commutatur voluntas, sed ex legitima et justa causa alteratur in re accidentali, quod ab ordinario fieri potest vigore facultatis sibi traditæ a conc. Trident., sess. XXII, *De reformat.*

(20. Missæ ad satisfaciendum eleemosynis alicui Ecclesiæ traditis non sunt celebrandæ per exteros, ubi commode possunt satisfieri per sacerdotes ejusdem Ecclesiæ; sac. congr. Episcop. 28 Januarii 1606, et sac. congregat. Visitationis Apostolicæ 24 Maii 1712, teste Ursaya, tom. III, discept. 23, n. 5 et 6. Et generales ordinum non possunt sua propria auctoritate celebrari facere in monasteriis aliarum civitatum, provinciarum et regnorum etiam extra Italiam, quantitatem missarum, pro quibus uni tantum ecclesiæ fuerunt elargitæ eleemosynæ. Hoc enim tanquam abusum esse tollendum censuit sacr. congregat. Conc. *in una Regularium* 17 Augusti 1647, apud Pascucciuni, part. II, titul. *De missæ sacrificio*, pag. 45, vel 27, juxta impressionem Romanam, vel Venetam.

(21. Missæ relictæ a testatore, ut celebrentur in determinata ecclesia regularium, ex decisione sacr. congr. 16 Novembr. 1657, sunt celebrandæ ab ipsis regularibus, nec possunt hæredes pro suo libito pro tali celebratione deputare sacerdotes sæculares, vel alios regulares, etiamsi testator non expresserit per quos essent celebrandæ: « Sacr. Congr. (sunt verba congreg. relata a Nicolio, *Lucubrat. canon.* lib. III, tit. 31, De regularibus, n. 15) attentis narratis: censuit præfatos hæredes non posse pro suo libito, oratoribus invitis, deputare pro prædicta celebratione missarum in eorum ecclesia sacerdotes sæculares, seu alios cujuscumque ordinis regulares, sed omnibus præferendos esse eosdem oratores, quatenus ipsi missis satisfacere non recusent; quibuscumque non obstantibus. »

(22. Expost vero, contra assertionem Nicolii, fuit nuper editum, ut refert Monac., part. I, tit. 10, formul. 19, n. 18, aliud decretum a sacr. congreg. Concil. *in Maceraten.* 15 Martii 1692, contra Patres Minores conventuales terræ Montis Miloni, et fuit decisum, electionem capellani pro celebratione missarum in ecclesia eorum regularium per testatorem non factam, spectare ad hæredes, non obstante opinione Nicolii, et sic iterum declaravit ead. congr. Concil. *in Romana* 1 Decembr. 1708, apud Manacell. tom. IV, *Supplement.* ad tom. I, n. 192.

(23. Et si Regulares nollent consentire, nec commodum et patientiam præstare sacerdoti sæculari deputato pro tali celebratione missarum, tunc conceditur oneris translatio ad aliam ecclesiam, prout sacr. cong. Episcop. indulsit *in Nullius Castri Durantis* 11 Apr. 1615; *in Burgo S. Sepulcri* 7 Octob. 1617, et *in una Venetiarum* 24 Sept. 1639. « Sacr. congr. Concilii censuit, dum regulares non consentiunt missas a testatore relictas per sæculares in regularium ecclesia celebrandas, ibidem celebrari, posse alibi celebrari, de licentia ordinarii. » Novissime tamen S. C. Conc. *in Romana oneris missarum* 7 Nov. 1731 ad 1 dub. « An

(68) *Nota Romani theologi.* — Difficultas tamen esse potest, si non celebretur in altari privilegiato juxta mentem largientis eleemosynam, tunc enim contra justitiam peccasse videtur sacerdos, qui in non privilegiato celebraverit, ac teneri videtur ad iterum celebrandum in privilegiato.

Digitized by Google

religiosi ecclesiæ S. Francisci ad Ripam præferri debeant in celebratione missarum, vel potius sit in libero arbitrio hæredis deputare quoscunque alios sacerdotes? » Censuit juxta votum eminentiss. vicarii « missas esse celebrandas a religiosis S. Francisci. » Quod iterum confirmavit die 12 Januarii 1732. Et instante adhuc hærede, ac proposito dubio: « an sit standum, vel recedendum a decisis in casu., » etc., die 22 Martii 1732, ead. sac. congr. Concil. respondit: « In decisis et amplius; » non obstantibus decretis contrariis allatis ab hærede, *in Romana* 15 Januar. 1639, et *in Maceraten.* 15 Martii 1692. Et idem censuit ead. S. congreg. Concil. *in Mediolanen. celebrationis missarum* 12 Maii 1736, ubi proposito dubio: « An pro celebratione missarum in ecclesia S. Mariæ Paradisi debeant eligi religiosi ejusdem ecclesiæ, vel potius sit in arbitrio hæredis deputare alios sacerdotes; » respondit: « *Affirmative* quoad primam partem, et *Negative* quoad secundam. » Et hoc non obstante, quod vicarius generalis in civilibus confirmans interpellationem ab administratoribus conservatorii vulgo nuncupati *del Rosario*, declaraverit in sententia auditis partibus edita, eosdem fratres S. Mariæ Paradisi tertii ordinis S. Francisci « desistere debere a celebranda missa quotidiana disposita in ejus testamento a q. Magdalena Galimberta, ab ea die in antea, non obstantibus deductis per dictos Patres. » Et pluries jam sic censuerat ead. sacr. congreg. Concil. et signanter *in Romana eleemosynæ missarum* 5 Sept. 1716, *in Regien.* 5 Augusti 1719, *in Bituntina missarum* 19 Nov. 1729. Et quidem sic cum omni rationabili, ac justo fundamento, quia in similibus casibus, non dicitur electa ecclesia solum ratione sui, sed potissimum ratione pertinentiæ ad personas, seu regulares, ita ut potius videantur contemplatæ personæ, quam locus, et potius favore personarum electus sit locus, quam favore ipsius loci, juxta id quod habetur *II Machab.*, cap. v, v. 19, ibi: *Verum non propter locum, gentem, sed propter gentem, locum Deus elegit.* Imo ex hac reflexione alia insurgit potissima conjectura, quod pii testatores, relinquendo missas celebrandas in ecclesiis regularium, ultra sacrificii fructus, voluerint etiam consulere indigentiæ eorumdem regularium, ut plurimum mendicantium, et sic uberius suffragium assequi, obtinendo scilicet non solum fructus sacrificii, sed etiam remunerationem charitatis in pauperes religiosos exercitæ, ut in specie observant Pasqualig., *De sacrific. nov. leg.*, tom. II, q. 1145, n. 5, adduct. in expositione causæ in *d. Romana onerismissarum*, vers. *At pro religiosis*, apud *Thesaurum resol. sac. con. Conc.*, tom. V, pag. 192, aliique plures allegati ad id per Passerin. *De statu homin.*, tom. II, q. 178, n. 1189, in fine, et Capon., discept. 196, n. 11. Unde, ut asserit eruditissimus Pitonius, episcopus Imeriæ, et Benedicti XIII, *Auditor.*, part. I, discept. 2, n. 12: « Iniquum videtur quod hæres velit mittere alios sacerdotes ad celebrandum in aliena ecclesia, illisque dare eleemosynam manualem, quando hujus eleemosynæ capaces sunt ipsi fratres (id est Minores de Observantia de quibus ibi loquitur) et veniunt præferendi omnibus extraneis, tum ratione præcepti testatoris, tum ratione loci in quo existunt, juxta text. in can. *Quia sacerd.* 13, caus. 10, q. 1, Rot. Rom. *in Placent. prætensæ collegialit.* 20 Jun. 1695, § *Præcipue, cor. R. P. D. Scotto.* »

(24. In suis ecclesiis non licet regularibus admittere sacerdotes sæculares ad missam celebrandam contra prohibitionem episcopi. Sac. congreg. Concilii *in Bononien.* 2 Junii 1620, et *in Limana* 29 Januar. 1633.

(25. Et sacristæ, seu præfecti ecclesiarum regularium adstringi possunt ad non permittendam celebrationem sacerdotum sæcularium, nisi exhibita ordinarii licentia. Sacra congr. Concilii *in Neapolitan.* 17 Augusti 1630.

(26. Presbyteri, qui capellani non sunt, possunt prohiberi ne accedant ad celebrandum in ecclesiis monialium etiam regularibus subjectarum, vel alias exemptarum, quia talis accessus pertinet ad custodiam clausuræ, super qua episcopus invigilat et jurisdictionem indiscriminatim exercet, ut respondit sacra congreg. Conc. *in Hieracens. Visitationis* 26 Januar. 1692, in responsione ad septimum. (27. Capellanus autem sufficit, quod approbetur a superiore monasterii, ut *in dicta Hieracensi* in responsione ad nonum.

(28. In ecclesiis monialium non debent regulares celebrare missas absque licentia episcopi, et si in illis ex dispositione testatoris onus habent celebrandi, onus transferatur ad eorum ecclesiam, prout, laudando provisionem, sacra congregat. Episcop. et Regul. rescripsit patriarchæ Veneto 15 Junii et 8 Augusti 1592.

(29. Missa non est celebranda in ecclesia polluta; cap. *Proposuit*, ac seq., De consecratione ecclesiæ. Hinc Rubricæ missalis, titulo *De defectibus in ministerio ipso occurrentibus*, sic habent: « Si, sacerdote celebrante, violetur ecclesia ante canonem, dimittatur missa; si post canonem, non dimittatur. » Incipit autem canon post dictum *Sanctus* ab illis verbis: *Te igitur, clementissime Pater*, etc. (30. Celebrans vero in ecclesia polluta, licet peccet graviter, nullam tamen censuram vel irregularitatem incurrit, cum hæc in jure statuta non reperiatur.

(31. Missa non est celebranda in loco interdicto; et ibi celebrans fit irregularis: c. *De clerico excommunicato*, cap. *Postulastis*, § *Quæsivistis*, De sentent. excomm., in 6, c. *Is qui*, § *Is vero*. (32. Nec potest celebrari in loco in quo sepultus est paganus seu infidelis, cap. *Ecclesia*, De consecr., dist. 2.

(33. Nec ubi sepultus est excommunicatus vitandus, juxta illam regulam: « Quibus non communicamus vivis, nec communicamus defunctis, » cap. *Sacris*, De sepulturis. (34. Poterit tamen ibi celebrari, si inde extrahantur cadavera, et ecclesia consecretur vel

Digitized by Google

benedicatur. *De consecratione*, c. *Ecclesiam*, in qua 27, dist. 1.

(35. Missæ in ecclesiis regularium, istis renuentibus, celebrari non possunt a capitulo. Sacr. congregatio Conc. *in Nullius Castellanæ* 29 Augusti 1722 e t30 Januar. 1723, apud Ursayam in *Miscellan. sacro et profano*, lit. *M*, num. 231.

(36. Missæ celebrandæ ex eleemosynis a confraternitate collectis, debent in ecclesia ejusdem confraternitatis non autem in parochiali celebrari. Sac. congr. Concil. *in Bononien.* 15 Maii 1728, ad 12 dub.

(37. Missæ celebrandæ sunt in ecclesiis per testatorem designatis, sub pœnis arbitrio ordinarii. Sac. cong. Concil. *in Bergomen.* 10 Julii 1728, ad 2 dub.

(38. Si autem a testatore relictæ fuerint missæ absque specificatione ecclesiæ, in sepulcrali ecclesia celebrari debent. Abbas, consil. 99, per tot., lib. II; Pasqualig., *De sacrific. novæ leg.*, quæst. 100, sub. num. 7, et seq.; Rodriquez, *Quæst. mor.* tom. IV, cap. 151, verb. Missa, sub. num. 3. Idque obtinuit, tum quia illa ecclesia supra cæteras, utpote magis correlativa ad animam defuncti, prædilecta censetur. Ventrigl., in *Prax.*, tom. II, annotat. 28, § 1, sub num. 34; Tiraquell., *De privileg. piæ caus.* q. 17, sub n. 16; Mantica, *De conject. ult. volunt.*, lib. VIII, tit. 9, sub n. 6. Tum etiam summæ æquitatis suadet ratio, ut illa ecclesia, quæ sustinet servitutem sepulturæ, exinde celebrationis missarum sentiat commodum, ut pluribus relatis dixit Rota *in Romana celebrationis missarum coram Calcagnino* 15 Junii 1732, apud Scarfantonum in *Ceccoperium*, part. III, in fine decis. 22, sub n. 4 et 5, et a num. 30 ad 32. Et ad hoc facit aperte constitutio novissime edita a Benedicto XIV incip. *Quanta causa* per extensum allata supra art. 2, num. 16.

(39. Missarum celebrationem debent sacerdotes in libro in sacristia asservato scribere. Sacr. congr. Concil. *in Maceraten.* 14 Maii 1729, ad 2 dub.

(40. Missæ in ea ecclesia et loco celebrari debent, in quibus voluerunt ii qui eleemosynas erogarunt; Benedict. XIV, cit. constitut. 22, § 2, ubi dicit quod in illa potius ecclesia missas esse celebrandas quisque vult, ad quam religionis et pietatis stimulis ductus eleemosynas confert; aut in qua quispiam fortasse tumulatus est, quam in alia ecclesia sibi prorsus ignota.

(41. Missa extra ecclesias celebrari nequit extra casum necessitatis. Idem constitut. 89, incip. *Inter omnigenas*, § 22.

(42. Missa celebrari permittitur cum opportunis cautelis super triremibus militiæ S. Joannis Hierosolymitani. Idem constitut. 41, incip. *Exponi. Vide* verb. Hierosolymitani milites.

(43. Item super triremibus Pontificiis. Idem, constit. 25, incip. *Exponi.*

(44. Quamvis a sacra congregatione sæpius decisum fuit, in oratoriis publicis sitis intra fines parochiæ, juris non esse parocho prohibere ne missæ celebrentur ante missam parochialem; si tamen episcopus in synodo id prohibeat, ne populus retrahatur a missa parochiali et concione, constitutio illa valet, et episcopo parendum est. *De synodo diœc.*, lib. XI, cap. 14, § 7.

(45. In oratoriis privatis in quibus pro infirmo conceditur unica missæ celebratio, die Natalis Domini fas est tres missas ab eodem sacerdote celebrari, ut ex decretis S. congregationis. Idem Bened. XIV, *De sacrif. missæ*, lib. III, cap. 4, § 8.

(46. Episcopi, quanquam non habeant amplius facultatem concedendi licentiam ut in oratoriis privatis celebretur, adhuc tamen possunt in suis domibus privatum oratorium habere, et permittere aliis sacerdotibus ut in eo celebrent; ut ex decretis sacr. congreg. *ibid.*, cap. 6, § 2.

(47. Hæc etiam celebratio præstari rite ibidem potest etiam absente episcopo; atque ibi audientes missam quicunque fideles præcepto ecclesiastico satisfaciunt. Denique, quod hic dicitur de episcopis, valet etiam pro cardinalibus non episcopis. Animadvertendum est tamen valere hæc pro oratoriis episcopi in suis domibus, in quibus certus fixusque locus est assignatus. *Ibid.*, § 6.

(48. Si missa omnino celebranda sit, nec possit in templis, vel etiam in oratoriis privatis, licet illam celebrare in loco non indecenti, quicunque tandem ille sit, ut planum fit exemplo capellanorum in castris; eorum etiam, qui per infidelium regiones iter faciunt, et etiam in littore maris respectu navigantium. *Ibid.*, § 7.

(49. Ut celebretur missa in mari peculiare privilegium requiritur, nec sufficit clausula generalis, qua facultas sit celebrandi *in loco honesto et tuto*. Non conceditur autem, nisi cum conditione ut tutum sit navigium, longe absit a littore, tranquillum sit mare, ac tandem assistat celebranti alter, vel sacerdos, vel diaconus. *Ibid.*, § 8.

(50. In templo polluto celebrans sacerdos, quamvis peccet graviter, ut ex cap. *Is qui*, De sent. excom., in 6, nullam tamen pœnam incurrit, cum nulla sit in jure expressa, quin nec desunt qui credant eum minime peccare, si adsit episcopi consensus. Vicissim autem irregularitatem Summo Pontifici reservatam incurrit, qui in loco interdicto celebrat, ut ex eod. cap. *Is qui*, *ibid.*, c. 7, § 4*.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(51. Plures hic quæstiones expendendæ sunt de capellano, qui celebrare haud valet in loco a testatore designato; quæritur primo an celebrare alibi teneatur? Teneri sentiunt Hurtad., part. I, *Resol. moral.*, tract. 2, cap. 4, resol. 11, n. 105, et seq.; Monet, *De commut. ult. volunt.*, cap. 10, quæst. 5, n. 242. (52. At alii ita distinguunt, quod videlicet, si testator voluit applicationem, teneatur alibi celebrare, si autem cultum ejus altaris, aut commodum populi voluit, nequaquam celebrare alibi teneatur; Barbos., *De offic. et potest. episc.*, part. I, alleg. 24, n. 35; cardinalis Lugo, disput. 21, *De eu-*

Digitized by Google

charitatia, sect. 18, versicul. *Si tandem.*

(53. Standum et ego censeo huic distinctioni, dummodo tamen clare constet, quod cum testator voluit cultum altaris, commodumve populi, noluit applicationem; idque potest testator velle simul, nempe cultum altaris, vel commodum populi, et applicationem; Pasqualig., *De sacrif. miss.*, tom. II, quæst. 1147, n. 4, qui una docet quando clare constare dici possit voluisse testatorem applicationem.

(54. Secundo quæritur an obligatio celebrandi missam quotidianam in ecclesia regularium, sequatur ipsos, si se transferant ad aliam ecclesiam? (55. Sequi tenent, et quidem etiamsi fuisset expressa ecclesia, cum nomine proprio, et absque expressione pertinentiæ ad regulares, imo etiam cum verbis personalitatem denotantibus: Marchin., *De sacram. ordin.*, tract. 3, part. II, cap. 24, n. 3; Pasqualig., *De sacrific. miss.*, tom. II, quæst. 1144, n. 1, et plur. sequent., ubi quod id quod dictum est de ecclesia regularium, locum habet in quovis alio collegio, seu communitate, cui idem onus sit injunctum.

(56. Tertio de capellaniis erectis in ecclesia regularium, quæritur an transferantur ad aliam ecclesiam, quando regulares mutant ecclesiam? (57. Videndum an capellania sit sæcularis, necne? Si sit sæcularis, rursus videndum utrum ecclesia, in qua est erecta capellania, sit erecta absque ullo respectu ad regulares, an cum respectu ad ipsos. Priori autem casu non transfertur; posteriori vero casu tranfertur. Si autem capellania non sit sæcularis, indistincte transfertur; Pasqualig., *De sacrific. miss.*, tom. II, quæst. 1146, per tot.

(58. Quarto quæritur an disponente testatore, quod missa celebretur in altari devotæ alicujus imaginis, possit in alia ecclesia celebrari, si ii quibus est commissa celebratio, ad aliam ecclesiam se transferant? (59. Sunt qui autumant quod si transferatur imago ad novam ecclesiam, transferatur et celebratio missarum; si autem non transferatur imago, nec transferatur missarum celebratio; Hurtad., tom. I *Resolut. moral.*, tract. 2, c. 2, resol. 9, n. 100.

(60. Hanc vero opinionem amplectendam sustinet Pasqualig., *De sacrif. miss.*, tom. II, quæst. 1145, si testator primo disposuit, quod missa celebretur in altari, in quo speciali cultu imago aliqua colitur, et deinde onus celebrandi imposuit regularibus, aliisve, ad quod pertinet ecclesia, non item si contemplavit inservientes ecclesiæ, ita ut in eorum personam sit directum legatum missarum, et destinatio loci sit adjecta in consequentiam, ad celebrationem etiam ex devotione disponentis erga aliquam imaginem.

(61. De quæstione demum quam tractat auctor a n. 21 ad plur. sequent., videlicet an missæ celebrandæ in ecclesia regularium debeant ab ipsis celebrari, exclusis sacerdotibus ab hærede deputandis, aliquid etiam dicendum. (62. Male autem auctor absolute sentit celebrari eas debere a regularibus. (63. Distinctio enim in hac materia recepta est, quod aut legatum celebrationis missarum directum est in ecclesiam, ut si ecclesiæ ipsi relicta sit aliqua summa pro missarum celebratione, et nullo in hoc casu hæres poliet arbitrio deputandi sacerdotes pro celebratione missarum. (64. Aut vero legatum celebrationis missarum directum est in hæredem, ut puta si hæredi injunctum sit ut missas in ecclesia illa celebrari faciat, et in hoc disparato casu in ipsius hæredis libertate est deputare sacerdotes, pro missarum celebratione, ut distinguit cardinal. de Luca, *De legat.*, discurs. 25, fere per tot., et hanc distinctionem secuta fuit sac. congregatio Concilii *in Taurinen. celebrationis missæ quotidianæ* 20 Mai 1752, ad primum dubium.

RESPONSIO AUCTORIS.

Additor hic sub n. 62 dicit: « Male autem auctor absolute sentit celebrari eas debere a regularibus, » et asserit, recepta messe distinctionem, quod, aut legatum celebrationis directum est in ecclesiam, ut, si ecclesiæ relicta sit aliqua summa pro missarum celebratione, et tunc hæres non potest deputare sacerdotes: aut vero legatum celebrationis directum est in hæredem, ut puta si hæredi injunctum sit ut missas in ecclesia illa celebrari faciat, et in hoc casu est liberum hæredi deputare sacerdotes sibi benevisos. Ast cum bona venia D. additoris, non videtur sic recepta asserta distinctio, ut clare patet ex contrariis decretis sac. congreg. Concilii allatis a me, *loc. cit.*, n. 23, et signanter *in allata Romana oneris missarum* 17 Novembr. 1731, ubi quamvis legatum celebrationis missarum directum esset in hæredem, hoc non obstante, sac. congreg. juxta votum eminentiss. vicarii censuit, « missas esse celebrandas a Religiosis S. Francisci. » Quod iterum confirmavit die 12 Januarii 1732. Et instante adhuc hærede, ac proposito dubio: « An sit standum, vel recedendum a decisis in casu, etc., » die 22 Martii 1732. eadem sac. congreg. Concil. respondit, « in decisis, et amplius, » non obstantibus decretis contrariis allatis ab hærede *in Romana* 11 Januarii 1639 et *in Maceraten.* 15 Martii 1692. Quæ particula « et amplius » denotat quod omnes emin. cardinales fuerunt in decisione concordes, et quod quum materia, seu causa de se clare pateat, non sit amplius proponenda, ut explicat et declarat cardinalis Lambertinus, postea Benedictus XIV, vol. III, notific. 14, p. 163, editionis Bononicensis. Ac pariter legatum erat directum in hæredem *in allata Mediol. celebrat. missar.* 12 Maii 1736, et tamen eadem sac. cong. Concil. respondit, « pro celebratione missarum non esse in arbitrio hæredis deputare alios sacerdotes, sed esse eligendos religiosos ejusdem ecclesiæ. » Et hoc non obstante, quod vicarius generalis in civilibus confirmans interpellationem administrorum conservatorum vulgo

Digitized by Google

nuncupati *del Rosario* declaraverit in sententia, auditis partibus, edita, Fratres S. Mariæ Paradisi tertii ordinis S. Francisci desistere debere a celebratione missæ. Et sic pluries jam censuerat eadem sac. congreg. Concil. et signanter *in Romana eleemosynæ missarum* 5 Septembris 1718; *in Regien.* 1 Augusti 1719; *in Bituntina missarum* 19 Novembris 1729, et sæpe alibi. Nec tam evidens est, quod sacra congreg. Concil. secuta fuerit absolute assertam distinctionem a D. additore *in Taurinen. celebrationis missæ quotidian.* 20 Maii 1752, jam allata a me, ubi sac. cong. Concil. respondit quidem ad primum, « *negative* quoad primam partem, *affirmative* quoad secundum, » sed cum addito; « et ad mentem, et mens est, quod præferantur oratores Dominicani in casu de quo agitur: » quamvis ipsi Patres Dominicani sua jura non produxissent, ut refert eminentiss. Furiettus tunc secretarius dictæ congregationis in expositione dictæ causæ. Ibi: « a Patribus Dominicanæ familiæ nihil habuimus. » Unde in hoc rerum statu judicent æqui rerum æstimatores, quis male senserit, an D. additor, vel ego Lucius auctor sub dict. n. 23, tot solida fundamenta pro mea conclusione adducens. Ecquis non videat, si esset recepta a sac. congreg. illa asserta a D. additore distinctio, quod nullæ amplius similes causæ proponerentur? Regulares enim illi, in quos esset directum legatum, relicta eis aliqua summa pro celebratione missarum, ipsas possent sine ulla contradictione libere in sua ecclesia celebrare. Alii vero, in quos non esset directum legatum, sed potius directum esset in hæredem, nulla eis relicta summa pro missarum celebratione, jam nulla ratione possent prætendere earum celebrationem: sicque undequaque ex utroque capite cessaret motivum proponendi in sac. congreg. similes causas; et tamen in dies passim proponuntur, ut videre est in *Thesauro resolution.* dictæ sacræ congreg. Concilii (69).

(69) *Nota editorum Casinensium.* — Benedictus XIV, quem sacræ congregationis Concilii mentem minime latuisse compertum est, id sane docere videtur, prolato etiam decreto præfat. S. C. Concil. *in causa S. Miniati*, 16 Novem. 1683, nempe quoties testator legatum reliquerit pro missis celebrandis in aliqua regularium ecclesia, per sacerdotem ab hærede, vel legatario designandum, hunc etiam sacerdote seculari pro hujusmodi celebratione bene uti posse, absque eo quod regulares talis ecclesiæ prætendere valeant, id juris celebrationis dictarum missarum sibi competere, sacerdote sæculari posthabito. En verba prælaudati Bened. XIV.: « Cum pius fundator jussisset, ut aliquot missæ quotannis pro expiatione animæ suæ celebrarentur in quadam regularium ecclesia, ab eo sacerdote, quem suus hæres, sive legatarius designasset; cumque hic vellet præsbyterum secularem eligere, exhibens tamen regularium sacrario quidquid opus est, et conferri solet pro consumptione sacrorum utensilium, aliisque expensis ad missarum celebrationem necessariis: orta hinc fuit occasio, ut in causa *S. Miniati*, proposita die 13 Novembris 1683, sequentia dubia efformarentur, et dirimenda proponerentur: « Primo, an legatarii possint deputare « sacerdotes sæculares, qui missas a testatore præ« scriptas celebrent in ecclesia regulari, præstita « conventui congrua contributione pro usu sacro« rum indumentorum, et aliis ad celebrationem « missæ necessariis. Secundo, an dicti regulares, « præstita eis contributione præfata, teneantur præ« stare patientiam, ut prædictæ missæ in eorum « ecclesia celebrentur. Tertio, an casu, quo regu« lares ex rationabili causa id negent, liceat lega« tariis onus missarum in alia ecclesia arbitrio « ordinarii impleri facere. » Et ad omnia (prosequitur Bened. XIV) affirmativum redditum fuit responsum; quod quidem consentaneum est iis quæ adnotavit cardinalis de Luca, *De legatis*, discus. 25. » *De synod. diœces.*, lib. XIII, cap. ult., n. 7.

Præterea quoad id quod auctor tenet, sub n. 23, *h.*, art. nempe. *Novissime* S. congr. censuisse in missarum celebratione præferendos sacerdotibus extraneis esse regulares, cæterosque sacerdotes, in quorum ecclesiis ea peragi debet, afferens ad id nonnullas ejusdem S. congr. resolutiones, notasse liceat, prælaudatam S. congregat. circa ea tempora, quando antedictus auctor dicit *novissime*, in contrariam abiisse sententiam, ut signanter *in Papien. oneris missar.* 28 Novem. et 16 Decemb. 1733; *in Melevetano celebrationis missarum*, 8 Maii 1734, prout legere est in *Thes. resol. S. C. Conc.*, tom. VI, p. 171, 185, 260. Cujus poster. resolutionis mentio fit in *Tyburtina celebrationis missarum*, 10 Sept. 1735, cit. thes., tom. 7, p. 107, in considerationibus EE. PP. d. congr. utrinque submissis, ubi etiam Rotæ dec. 294, p. 9, rec., contra mentem auct. affertur, et consimile prodiit responsum. Adeo ut concludi posse videatur, etiam ex iis quæ Benedictus XIV docet loco modo relato S. congregationem Concil. quoties censuit, rectores et regulares, in quorum ecclesiis missarum celebratio peragenda esset, præferendos extraneis sacerdotibus, respexisse fortasse ad particulares circumstantias et rationes; vel quia prælati nimirum jam inde ejusmodi missas in suis ecclesiis solebant celebrare quarum celebrationem postea hæredes testatoris, aliique ad quos spectabat hoc onus implere nulla rationabili interveniente causa, extraneis sacerdotibus committere voluissent; quod quidem argui posse videtur ex resolutionibus *in Bituntina missarum* 19 Novembris 1729, et *in Mediolanen. celebrationis missarum* 12 Maii 1736 (quarum resolut. auctor meminit), prout videre est in prædicto *Thes. resol.*, etc., tom. IV, 351, 359; tom. VII, p. 206, 208, vel ad alias legit. causas et considerationes.

Imo notatu dignum est in citat. causa *Papien. oneris missarum*, nullam habitam fuisse rationem *centum et septuaginta annorum*, quibus Fratres Reformati, etc., missas, prout in specie, celebraverant, quippe in actibus facultativis nulla oritur ex longævo tempore obligatio.

Auctoritatem denique Pitonii quod attinet, perpendat lector oportet, hunc cl. scriptorem attigisse casum, quod nempe ex conceptis, et expressis verbis testatoris, missæ aliquot celebrandæ essent per designatos regulares in capella juris patronatus ipsius testatoris sita in ecclesia talium regularium: proindeque rite Pitonium conclusisse secundum verba et rationes a Lucio nostro relatas.

Nisi forte (salva Bened. XIV allata auct.) illud potius inferre velimus, S. congr. ex peculiaribus circumstantiis in hujusmodi causis rescripta edere satius putasse, absque eo quod ad modum regulæ hoc, illudve ejusdem S. congr. responsum sit invocandum, prout ex decreto prælaud. S. congr. *in Ariminen. celebrationis miss.* 13 Febr. et 12 Mart. 1757, tom. XXVI cit. *Thes. resol.*, etc., colligere fas est.

Digitized by Google

ARTICULUS V.

Missa quoad tempus quo potest vel non potest celebrari.

SUMMARIUM.

1. Tempus ordinarium celebrandi missam incipit ab aurora, et terminatur in meridie. — 2. Nec potest amplius celebrari tempore vespertino. — 3. Nec post horam nonam. — 4. In terris vero infidelium celebrari potest una ante auroram, et una hora post meridiem, seu nonam. — 5. Ubi non est aurora physice pro licita missarum celebratione, attendatur ea moraliter, et politice, quando scilicet terminari solet quies, et incipit labor. — 6. Regulares circa hujusmodi anticipationem, et postpositionem multa obtinuerunt apostolica indulta, et privilegia, quæ assignantur.—7. Additur hic attentenda ad rem notabilis Pontificia dispositio. — 8. Licitum est cuilibet sacerdoti rite dispositio quotidie celebrare. — 9. Excipiuntur tamen ultimi tres dies hebdomadæ Sanctæ. — 10. Excepto die Nativitatis Domini, et casu necessitatis, non licet eidem sacerdoti plures missas eadem die celebrare. — 11. Et si is celebret in eadem die, fit irregularis. — 12. Excipitur dies Nativitatis Domini in quo tres missæ celebrari possunt. — 13. Antiquis temporibus tres missæ celebrabantur etiam in festivitatibus Resurrectionis Domini, S. Joannis Baptistæ, et apostolorum Petri et Pauli. — 14. In ipso die Nativitatis potest sacerdos tribus obligationibus satisfacere. — 15. In ipso die Nativitatis est privilegium et non præceptum celebrandi tres missas, adeoque est in libertate cujusque sacerdotis juxta morem in suo loco receptum, tres, vel unam celebrare. — 16. Cum hac advertentia, quod, qui unam tantum vult celebrare, illam celebret accommodatam tempori, quo celebrat, nempe, si de nocte, legat primam, si in aurora, secundam, si in pleno die, tertiam: quamcunque tamen legat, si unam solam legat, debet in ea facere commemorationem S. Anastasiæ. — 17. De jure omnes sacerdotes in nocte Nativitatis possunt celebrare unam missam. — 18. Non possunt tamen in ipsa nocte Nativitatis successive ad primam missam, statim celebrari aliæ duæ missæ, nec communio præberi fidelibus, nisi post auroram, non obstante quocumque privilegio. — 19. Excipitur etiam casus necessitatis, in quo celebrari possunt ab eodem sacerdote plures missæ. — 20. Assignatur primus casus sufficientis necessitatis sic celebrandi plures missas eodem die. — 21. Assignatur secundus casus. — 22. Assignatur tertius casus. — 23. Assignatur quartus casus. — 24. In his casibus, si sacerdos præscius sit, postea sibi iterum sacrificandum fore, debet abstinere in prima missa a sumptione ablutionis, ut in missis Nativitatis Domini. — 25. Non est tamen casus sufficientis necessitatis, quod idem sacerdos eodem die celebret plures missas, ne moriturus sine viatico decedat. — 26. Nec etiam est casus sufficientis necessitatis adventus alicujus magnatis, principis, episcopi, cardinalis legati, et hujusmodi. — 27. Nec etiam est casus sufficientis necessitatis pro iteratione sacrificii eadem die præstanda ab eodem sacerdote, adventus inexpectatus processionis, magnæ copiæ peregrinorum, vel magna devotio Catholicorum in partibus infidelium audiendi sacrum. — 28. Nec etiam est casus sufficientis necessitatis defectus decentis apparatus vestium multorum nobilium erubescentium die festo intervenire sacro, cui alii concurrunt. — 29. Feria quinta in Cœna Domini celebrari nequit missa in ecclesia in qua non asservatur sanctissimum sacramentum. — 30. Regulares possunt in suis ecclesiis missas celebrare eodem tempore quo parochi celebrant in suis. — 31. Regulares possunt pulsare campanas ad missam, antequam pulsetur campana majoris ecclesiæ, præterquam in die sabbati sancti. — 32. Imo possunt regulares etiam celebrare missas, priusquam parochi celebrent. — 33. Nec episcopi possunt illis prohibere ne campanas pulsent et missas celebrent in suis ecclesiis, ante pulsationem campanæ et celebrationem missæ in ecclesiæ parochiali. — 34. Potest tamen episcopus decreto synodali statuere ut diebus festis de præcepto missæ celebrari non debeant in oratoriis et ecclesiis ruralibus, nisi celebrata missa in ecclesia parochiali. — 35. Assumpto onere celebrandi missam ad finem aliquem obtinendum, si missa differatur ultra tempus quo finis possit obtineri, dilatio est graviter peccaminosa. — 36. Hinc sacerdos accipiens stipem, ut celebret missam pro alicujus salute corporali recuperanda, si differat celebrationem post ipsius mortem, graviter peccat. — 37. Graviter etiam delinquit quilibet sacerdos etiam privatus, assumens tot onera missarum quibus non possit satisfacere, nisi post longissimum tempus. — 38. Obligatus ad celebrandas missas in diebus festivis ex institutione fundatoris, non potest illas differre in dies feriales sequentes ad festa, et sic differens graviter peccat. — 39. Dies festi in similibus casibus debent intelligi dies festi solum de præcepto. — 40. Non licet anticipata applicatione missam celebrare et applicare pro eo qui primus eleemosynam erogabit. — 41. Capellanus, qui onus habet certis diebus celebrandi pro fundatore potest anticipate præveniendo illas celebrare, nisi fundator ipse aliud sive implicite, sive explicite statuerit. — 42. Si autem fundator in fundatione expresserit quod tot missæ in qualibet hebdomada celebrentur, nec ulla ex eis in singula omittatur; vel dies præfixerit ex peculiari sua devotione ad eas, vel ut in ipsis determinatis diebus daretur commodum populo audiendi sacrum, tunc non posset anticipate celebrare, sed teneretur omnibus illis propriis diebus ad illam determinatam celebrationem saltem localem. — 43. Utilius est curare ut missæ pro se celebrentur in vita, quam instituere ut celebrentur post mortem. — 44. Missæ pro aliquo celebratæ post mortem sunt solum satisfactoriæ pro pœnis quas animæ luunt in purgatorio. — 45. At missæ celebratæ pro aliquo adhuc in vita, non solum sunt satisfactoriæ, sed etiam propitiatoriæ, meritoriæ et impetratoriæ. — 46. Ad complementum hujus articuli plura edicuntur circa primam missam Nativ. Domini, ad n. 62. — 63. Alia ad rem ad n. 70. — Subnect. *Addit. ex aliena manu*, ad n. 79.

(1. Tempus ordinarium celebrandi missam incipit ab aurora, et terminatur in meridie, ut patet ex rubricis Missalis tit. *De defectibus in ministerio ipso occurrentibus*, ubi dicitur quod « tempus debitum celebrandi sit ab aurora usque ad meridiem communiter; » et ex c. *Necesse est*, et c. *Nocte sancta*, De consecrat., dist. 1. (2. Nec potest amplius celebrari tempore vespertino : revocantur enim omnia privilegia a S. Pio V, constit. 4, incip. *Sanctissimus*.

(3. Nec post horam nonam, ex Innocentio IV constit. 14 incip. *Sub Catholicæ**. Toleratur tamen anticipatio tertiæ horæ partis, sicut et prorogatio tertiæ horæ partis post meridiem, ut ex edicto Bened. XIII, ut ex Ben. XIV, *Instit. eccles.*, 12, § 4*. (4. In terris vero infidel. celebrari potest una hora post merid. seu nonam, ex Paulo V constit. 40 incip. *Ex omnibus*, § 6. (5. Ubi non est aurora physice pro licita missarum celebratione, attendatur ea moraliter, et politice, quando scilicet terminari solet quies, et

Digitized by Google

incipit labor, juxta probatam regionum consuetudinem, ex decreto sacræ congr. Rit. 18 Septembr. 1634. (6. Regulares circa hujusmodi anticipationem, et postpositionem multa obtinuerunt Apostolica indulta et privilegia. Alexander VI concessit Patribus congregationi Vallisolet. ut possint celebrare duabus horis post mediam noctem, per Breve, quod incipit *Sane merita ;* S. Pius V concessit Societati Jesu, ut refertur in *Compendio suorum privilegiorum*, verb. *Missa*, § 3, quod possint celebrare per horam ante auroram, et infra horam post meridiem, causa itineris, vel alterius legitimi impedimenti. Martinus V concessit congregationi Vallisolet. Innocentius VIII Augustinianis, Leo X Minoribus, et Gregorius XIII Casinensibus, ut statim post mediam noctem possint celebrare et etiam post meridiem, quando fratres debent ambulare, seu quando de via veniunt, et non possunt ante meridiem applicare ad locum, ubi commode possint missam celebrare. Sic referunt Casarub. verb. *Missa*, 2, Suarez, tom. III, in tertiam part., disp. 8, sect. 4 ; Baun., in *Theol. moral.*, tract. 10, *De sacrament.*, q. 13; Rosignol., *De eucharistia*, q. 8, art. 16, n. 12, et alii*. Attamen jus habet episcopus vetandi etiam sub pœnis canonicis, ne regulares ultra consuetas horas celebrent, ut ex decretis S. congregationis firmatur, *Instit. eccles.* 68, § 12.

(7. Attendenda est hic sequens epistola de mandato Sanctissimi transmissa eminentissimo et reverendiss. cardinali Prospero de Lambertinis, tunc archiepiscopo Bononiensi, et postea Summo Pontifici, et ab ipso relata in suis semper commendabilibus notificationibus, *Notif. seu Inst. eccl.* 68, nuper citata, § 12, ut supra, tenor, seq.

« Eminentissime et reverendissime domine observandissime.

« Cum ad aures sanctissimi domini nostri devenerit, nonnullos forte per annos, antequam Eminentia vestra istius Bononiensis Ecclesiæ regimini præficeretur, paulatim ea in civitate irrepsisse abusum, ut occasione, qua sacra quædam imago Deiparæ Virginis a S. Luca, uti præfertur, depicta, ab ecclesia Sancti Matthiæ religiosarum ordinis S. Dominici ad alias plures monialium ecclesias die Dominica ante Ascensionem, servato processionis ritu, transfertur, multas per horas ante auroram, priusquam nempe eadem sacra imago inde amoveatur, missa lecta coram ipsa celebretur, deindeque eadem die, pluribus jam a meridie transactis horis, nimirum postquam dicta sacra imago ad ipsam Sancti Matthiæ ecclesiam relata est, alia ibidem missa solemniter canatur; sanctissimus Pater, qui non sine gravi animi sui offensione, Ecclesiæ præceptum ejusque rubricas de tempore celebrandi missas salubriter constitutas, tanta horarum perturbatione violari accepit, has ad Eminentiam vestram jussit litteras dari, quibus significetur Sanctitatis Suæ mentem esse, ut enuntiatus abusus penitus eliminetur, utque in hunc finem Eminentia vestra nedum ea, qua pollet ordinaria auctoritate, juxta præscriptum sacri Tridentini concilii monentis in decreto *De observ. et evit. in celebr. miss.* locorum ordinarios, ut edicto et pœnis propositis caveant, ne sacerdotes aliis quam debitis horis celebrent ; verum etiam facultate sibi ab eadem Sanctitate Sua, quatenus opus sit, specialiter delegata, mandet promulgari edictum, quo sub pœna suspensionis a divinis ipso facto incurrenda, aliisque etiam gravioribus arbitrio Eminentiæ vestræ decernendis, districte prohibeatur omnibus, et singulis sacerdotibus, tam sæcularibus quam regularibus et præsertim fratribus ordinis Prædicatorum, ne quisquam eorum in præfata ecclesia Sancti Matthiæ missam ullam, sive lectam, sive cum cantu, præterquam debitis horis audeat præmissa die Dominica, vel alia quacunque celebrare. Id itaque de mandato ejusdem sanctissimi domini nostri Eminentiæ vestræ significo, ut ejus menti se conformare dignetur, ejusque manus humillime deoscular.

« Romæ, 2 Martii 1737.

« Eminentiæ vestræ
« Humill. et addictiss. serv.,
« A. card. Gentili, propræf. »

(8. Licitum est cuilibet sacerdoti rite disposito quotidie celebrare ; ex cap. *Consuluisti*, De celebratione missarum. (9. Excipiuntur tamen ultimi tres dies hebdomadæ sanctæ, in quibus ubique prohibentur missæ privatæ, non obstante quocunque privilegio, et contraria consuetudine, ex decreto sacræ R. congregationis, et Clement. XI, 20 Aprilis 1707 ac ejusdem tandem vivæ vocis oraculo 8 Augusti 1713.

(10. Excepto die Nativitatis Domini, et casu necessitatis, non licet eidem sacerdoti plures missas eodem die celebrare : ex cap. *Sufficit*, dist. 1, De cons., ibi : « Sufficit sacerdoti unam missam in die una celebrare, quia Christus semel passus est, et totum mundum redemit, et valde felix est, qui unam digne celebrare potest. » Et ex cap. *Tereferente ;* et cap. *Consuluisti*, De celebratione missarum, ibi : « Excepto die Nativitatis Dominicæ, nisi necessitatis causa suadeat, sufficit sacerdoti semel in die unam missam solummodo celebrare. » (11. Et si bis celebret in eadem die, fit irregularis. Sac. cong. Concil. *in Placentina* 11 Jan. 1710, ad primum dub (70). Vide Barbosam, *Collect. in Decr.*, tit. *De celebr. miss.*, cap. *Consuluisti* 3, n. 3 (71).

(70) *Nota Romani theologi.*—Quod sacerdos pluries celebrans in die fiat irregularis nec ne, placet hic transcribere; quod firmat Carolus Antonius, *Thesaurus Soc. Jesu*, *De pœnis ecclesiasticis*, verb. *Missa*, cap. 5, n. 2, ibi : « Quidam putant irregularem, ut Majol. tenet lib. VIII, cap. 15 § *Præterea*, in fine; sed nullo jure id probat, et irregularitas non est asserenda; ubi non est a jure expressa cap. *Iis, qui*, De sent. excom. in 6. » Vide *Additiones Casinenses* in fine h. articuli.

(71) Barbosa, *l. c.*, nihil statuit de pœna, de qua auctor. *Ed. Cas.*

Digitized by Google

(12. Excipitur dies Nativitatis Domini, in quo tres missæ celebrari possunt, cap. *Nocte* 48, De consecrat., dist. 1, et cap. *Consuluisti* 3, De celebratione missarum; prima enim dicitur in media nocte, in memoriam Christi Nativitatis, secunda in aurora, in memoriam adorationis tali hora ei a pastoribus factæ, et tertia hora *tertiæ* diei in memoriam manifestationis omnibus factæ, juxta Telesphori Papæ (qui celebrationem trium missarum instituit) intentionem, capit. *Nocte*, De consecration., distinct. 1. Vel dicuntur ipsa die tres missæ ad significandam triplicem Christi Nativitatem, scilicet æternam ex Patre cœlesti, temporalem ex Maria Virgine, et spiritualem, seu mysticam in hominum cordibus per gratiam, ut notat D. Thomas III part., quæst. 83, art. 2. Vel ad significandum tres hominum status, scilicet ante legem Moysis, sub lege Moysis, et post legem, qui est status gratiæ, ut dicit Beda in *Sermone de Nativ.*, et notat *Glossa* in cap. *Nocte* 48, De consecr., dist. 1, uti exprimunt versus sequentes :

Quarum prima tibi tempus, quo lege carebant :
Altera dat Moysen, designat tertia Christum.

(13. Antiquis temporibus tres missæ celebrabantur etiam in festivitatibus Resurrectionis Domini, sancti Joannis Baptistæ, et SS. apostolorum Petri et Pauli, ut referunt Strabon., *De Eccles. offic.*, cap. 21; Amalar. Fortunat., eodem titul., lib. IV, cap. 2; Gonzalez, in cap. *Consuluisti* 3, De celebrat. missarum; Ursaya, *Institut. crimin.*, lib. I, tit. 10, § 2, num. 63. (14. In ipso die Nativitatis potest sacerdos tribus obligationibus satisfacere. Sacr. cong. Conc. *in Nullius* 18 Aprilis 1654, lib. XIX *Decret.*, fol. 336. *Vide* infra a n. 57 et seqq., ubi afferuntur alia novissima ad rem attendenda.

(15. In ipsa die Nativitatis est privilegium, et non præceptum celebrandi tres missas, adeoque est in libertate cujusque sacerdotis, juxta morem in suo loco receptum, tres, vel unam celebrare, cum hac advertentia, quod qui unam tantum vult celebrare, illam celebret accommodatam tempori, quo celebrat; nempe si de nocte, legat primam : si in aurora, secundam : si in pleno die, tertiam. (16. Quamcunque tamen legat, si unam solam legat, debet in ea facere commemorationem S. Anastasiæ. (17. Dixi « si celebret de nocte, » nam de jure omnes sacerdotes in nocte Nativitatis possunt celebrare unam missam : *De consecrat.*, dict. 1 cap. *Nocte sancta*, ex Telesphoro, *Epistol. decr.*, et sequitur Nav., *De celebrat. miss.*, cons. 2, lib. III; Monacel., t. II, tit. 15, n. 16; Bonac. et alii*. Hujus decreti Espenio et aliis visum est. Telesph. haud esse auct. *.

(18. Non possunt tamen in ipsa nocte Nativitatis successive ad primam missam statim celebrari aliæ duæ missæ, nec communio præberi fidelibus, nisi post auroram, non obstante quocunque privilegio, ex decreto sacræ congr. Rituum 7 Sept. 1641, 9 Augusti 1653, et 20 1664, *in una Pisaurensi*, in qua habetur, ut sequitur : « Patres

S. Caroli congr. clericorum regularium petierunt responderi an liceat in nocte Nativitatis Domini post cantatam primam missam, alias duas immediate celebrare, et communicare fideles? Et sacra congregatio respondit, « nullo modo licere, sed omnino prohibetur. » Et cum abusus celebrandi successive ad primam missam, et communionem præbendi fidelibus iterum tam in Urbe quam extra resurgeret, denuo observantia dictorum decretorum a sacra congreg. Visitationis Apostolicæ 7 Decembris 1702, et edicto eminentissimi cardinalis vicarii stricte demandata fuit, ut patet ex sequentibus provisionibus :

« Eminentissimi e reverendissimi signori.

« Il sacerdote Carlo Consueti oratore umilissimo dell' EE. VV. espone riverentemente, essersi introdotta tanto in Roma, come fuori in alcune chiese la celebrazione delle tre messe basse nella mezza notte della nascita di Nostro Signore, il che è contro la forma della rubrica del Messale *De hora celebrandi missam*, rub. 15, e contro i decreti, e dichiarazioni altre volte fatte da questa sacra congregazione, de' quali se ne dà qui sotto copia.

« Si supplicano pertanto l' EE. VV. d'altra promulgazione, e Decreto per toglier tal abuso, etc. »

« Cum superioribus diebus consulta fuisset hæc sacra Rituum congregatio : « An « esset permittendum celebrari in media « nocte Nativitatis Domini post missam de- « cantatam, successive alias duas missas, et « in eis sac. communionem exhibere fide- « libus illam deposcentibus, et respondisset « non esse permittendum, sed omnibus « utrumque prohibendum. Nihilominus non- « nulli regulares asserentes hoc licere, « supplicarunt audiri : et sacra congregatio, « ipsis auditis cum procuratoribus et ad- « vocatis, ad relationem eminentissimi Pal- « lotti, stetit in decretis, et respondit « iterum prohibendum, tam sacerdotibus « celebrare volentibus, quam confluentibus « in dicta nocte ad ecclesiam, et commu- « nionem deposcentibus; die 7 Decembris « 1641. » Quorum Decretorum duplicata expedita fuerunt die 9 Augusti 1653, in *Regest.*, fol. 144.

(19. Excipitur etiam casus necessitatis, nam in casu necessitatis plures missas eodem die celebrari posse ab eodem sacerdote jejuno, clare patet ex cit. cap. *Consuluisti*, De celebratione missar. (20. Inter autem hujusmodi casus necessitatis præcipue comprehenduntur sequentes. Primus casus sufficientis necessitatis est, quando sacerdos jam celebravit, et superveniente morte, vel infirmitate, qua missam non possit prosequi, alteri sacerdoti celebranti post hostiam consecratam, ad eamdem complendam ipse sufficitur, ut habetur in c. *Nihil* 7, qu. 1.

(21. Secundus est, quando sacerdos habet duas vel tres parochias inter se valde dissitas, et non potest habere coadjutorem, nec omnis populus potest in unam ecclesiam convenire; tunc enim poterit eadem die in

Digitized by Google

qualibet sua parochia celebrare, ut quilibet populus possit præcepto de audiendo sacro satisfacere. (22. Tertius casus est, quando in partibus infidelium pauci sunt sacerdotes, et multi Catholici, ut in Anglia, Hollandia, etc., id exigente necessitate illorum Catholicorum in illis partibus. (23. Quartus casus est, quando, occurrente maxima solemnitate, tam magnus esset populi concursus, ut omnes in eadem ecclesia capi non possent ad assistendum sacro, nullo alio existente sacerdote, tunc enim ab eodem posset sacrum iterari ad satisfaciendum omnibus. Sic tenet Durandus lib. II *De ritibus eccles.*, cap. 7, dicens ita sensisse Leonem Papam epist. 81, *ad Dioscorum;* quinimo Strabo, *De rebus eccles.*, cap. 21, refert eumdem Leonem papam, quandoque septies, quandoque novies eadem die ex eadem causa celebrasse (72). (24. Advertendum tamen est, quod in his casibus, si sacerdos præscius sit postea sibi iterum sacrificandum fore, debet abstinere in prima missa a sumptione ablut., ut in missis Nativ. Domini, uti notant comm. DD. in c. *Ex parte*, De celebr. miss.

(25. Alii casus referuntur a quibusdam doctoribus in quibus dicunt posse eumdem sacerdotem eadem die bis sacrificare : verb. gr., ne moriturus sine viatico decedat; at hic non subsistit, cum obstet præceptum non iterandi sacrificium, et in eo casu ex defectu hostiæ consecratæ excusetur infirmus a præcepto sumendi viaticum ob impotentiam. *Vide* verb. INFIRMUS, num. 28, et verb. MORIBUNDUS, num. 16. (26. Sic nec est casus sufficientis necessitatis adventus alicujus magnatis, principis, episcopi, cardinalis, legati, ut volunt aliqui. (27. Nec pariter sufficit pro iteratione sacrificii eadem die præstanda ab eodem sacerdote, adventus inexspectatæ processionis, magnæ copiæ peregrinorum, vel magna devotio Catholicorum in partibus infidelium audiendi sacrum, etiam diebus ferialibus, ut volunt alii. (28. Nec etiam defectus decentis apparatus vestium pro qualitate multorum nobilium erubescentium die festo intervenire sacro, cui alii concurrunt, ut censuere aliqui. Videntur enim requiri graviores causæ ad hoc, ut ab eodem sacerdote possit eadem die pluries celebrari, ut potest colligi ex sequentibus declarationibus. « Cum in civitate, quam dicunt *de Assumptione*, in provincia Parequarensi, pars magna nobilium domi se contineat, quod apparatu decente careat, ideo ut nobiles mulieres, ac viri e domibus ad templa educerentur, opus fuerit missam ante solis ortum celebrare, sed non reperto sacerdote, qui absque stipendio munus hoc subire vellet, episcopus prædictæ civitatis missam antelucanam nobilium gratia celebravit. Proposito dubio in sacra congregatione eminentiss. card. concilii Tridentini interpretum : « an episcopus absque apostolico indulto posset bis in die sacrificium « offerre ex prænarrata causa ? » Die 1 Septemb. 1657 ead. sac. congr. censuit non posse. Hinc etiam cum archiepiscopus Sipontinus obligatus esset in ecclesia Sipontina fer. v in Cœna Dom. celebrare et conficere chrisma, quamvis deberet in Ecclesia Garganica recipere peregrinos, ideoque cum clerus et populus compelleret ad hic prius celebrandum, Honorius III, cap. *Te referente*, De celeb. miss., sic decrevit : « Cum « cuilibet sacerdoti, quacunque dignitate præ« fulgeat, unam in die celebrare missam suffi« ciat, nam et valde felix est, qui celebrat « digne unam, frater, tuæ mandamus, quate« nus die Cœnæ Domini in Ecclesia Sipontina « duntaxat, in qua teneris chrisma conficere, « missarum studeas solemnia celebrare. »

(29. « Feria quinta in Cœna Domini celebrari nequit missa in Ecclesia, in qua non asservatur sanctissimum sacramentum, ut in una Neapolitana disponitur, Instit. vicarius generalis eminentissimi archiepiscopi Neapolitani a sac. Rituum congreg. declarari : « An liceat in Ecclesiis, in quibus non « asservatur sanctissimum sacramentum, cele« brari missam feria quinta in Cœna Domini, « et in sepulcro idem augustissimum sacra« mentum asservari ? » Et sac. eadem congreg. respondit non licere ; die 24 Junii 1659.

« Fr. Mar. PHEBÆUS, S. Rit. congr. secr. »

(30. Regulares possunt in suis ecclesiis missas celebrare eodem tempore, quo parochi celebrant in suis, ex concessione S. Pii V constitut. incip. *Etsi mendicantium.* (31. Et post concessionem S. Pii V fuit editum decretum a sac. congr. episcop. et regul. 10 Octobr. 1586, in quo statuitur, quod ordinarii non impediant fratres pulsare campanas ad Matutinum, ad Horas et ad missam, antequam pulsetur campana majoris ecclesiæ, præterquam in die sabbati sancti. (32. Imo possunt regulares etiam celebrare missas priusquam parochi celebrent, ut statuit S. Pius V, in cit. constitut. § 8, his verbis : « Nec non missas et divina officia hujusmodi etiam in diebus Dominicis, vel festivis, etiam antequam rector parochialis Ecclesia celebraverit, celebrare et facere, quando eis videtur. » (33. Nec episcopi possunt illis prohibere, ne campanas pulsent et missas celebrent in suis ecclesiis ante pulsationem campanæ et celebrationem missæ in ecclesia parochiali, ut decrevit sacr. congr. Concilii *in causa nullius provinciæ Raven.*, die 15 Septembris 1629.

(34. Potest tamen episcopus decreto synodali statuere, ut diebus festis de præcepto missæ celebrari non debeant in oratoriis et ecclesiis ruralibus, nisi celebrata missa in ecclesia parochiali, ut declaravit sacr. congregat. Concilii *in S. Agathæ Gothorum* 25 Maii 1652, l. XIX *Decret.*, fol. 191, et *in Camerinen.* 30 Augusti 1704, favore parochiæ S. Pauli loci Flastræ contra capellanum

(72) Perperam Durandus, *l. c.*, cum Lucio nostro Pontificem Leonem Magnum, seu I cum Leone III confundit, quem postremum (Leo III ab anno 795 ad annum 816 Pontificatum tenuit) testatur Strabo, plures in die missas celebrasse. *Edit. Casin.*

Digitized by Google

Villæ Collis, ita tamen, ut missa parochialis hora opportuna celebretur. *Vide* verb. PAROCHUS, art. 3, n. 8.

(35. Assumpto onere celebrandi missam ad finem aliquem obtinendum, si missa differatur ultra tempus, quo finis possit obtineri, dilatio est graviter peccaminosa, quia per illam dilationem frustratur finis, ob quem tradita est eleemosyna, et assumpta est illa obligatio, et etiam violata est fides, qua sacerdos se obligavit, adeoque graviter peccavit, nedum contra fidelitatem, sed etiam contra justitiam.

(36. Hinc, si quis erogaverit sacerdoti stipem ab eodem ad hunc finem acceptam, ut celebret missam pro salute corporali recuperanda, et sacerdos distulerit celebrationem post mortem secutam, certe non eximeretur a gravi culpa, cum forte mortuus non fuisset, si debito tempore pro eodem celebrasset. Sic etiam graviter peccant differentes ultra debitum tempus celebrationem missarum acceptarum pro præciso fine habendi v. g. felicem partum, prosperum iter, seu navigationem, et hujusmodi, ut tradunt communiter doctores. (37. Et graviter etiam delinquit quilibet sacerdos, etiam privatus, assumens tot onera missarum, quibus non possit satisfacere, nisi post longissimum tempus, quia sacra congregat. auctoritate Urbani VIII in responsione ad 11 concedit solum posse nova onera missarum celebrandarum suscipere, « dummodo infra modicum tempus possint omnibus satisfacere ; » et circa hoc in responsione ad 16 statuit « comprehendi etiam privatos sacerdotes. »

(38. Obligatus ad celebrandas missas in diebus festivis ex institutione fundatoris, non potest illas differre in dies feriales sequentes ad festa, et sic differens graviter peccat, et ratio non solum deducitur ex dilatione ultra diem præscriptum, et ex violatione voluntatis testatoris ; sed etiam ex qualitate diei festi, quem voluit testator specialiter tum ad venerationem ejusdem, tum ad commodum populorum. (39. Et dies festi in similibus casibus debent intelligi dies festi solum de præcepto, in quibus cadit obligatio audiendi sacrum, et abstinendi ab operibus servilibus, non autem dies, qui, ratione ritus duplicis, dicuntur festi in ordine ad divinum officium.

(40. Non licet anticipata applicatione missam celebrare et applicare pro eo qui primo eleemosynam erogabit ; sic enim declaravit sacra congr. Concilii, de mandato Clementis VIII die 5 Novembris 1605 præcisis his verbis : « Superioribus diebus significatum fuit S. D. N. paucis abhinc annis in Hispania novam consuetudinem recentiorum aliquot theologorum opinione nixam, sensim receptam in dies magis invaluisse, ut sacerdotes missam celebrantes, ejus valorem generalem applicent his, qui postea missæ celebrationem postulaturi ac pro eo eleemosynam præbituri sunt, tametsi antequam missæ sacrificium perageretur, neque a sacerdote illud rogassent, neque ei hac de causa præstitissent eleemosynam. Quam rem

cum Sanctitas Sua ad sacr. congregationem cardinalium concilii Tridentini interpretum pro materiæ gravitate examinandam rejecisset, in ipsa congregatione primum de ea actum fuit diligentissime, ac deinde relatum ad Sanctitatem Suam, qui, ex ejusdem congregationis sententia, hujusmodi consuetudinem, tanquam pluribus nominibus periculosam, fidelium scandalis, et offensionibus obnoxiam, atque a vetusto Ecclesiæ more nimium abhorrentem explosit ac improbavit, atque amplitudini tuæ litteras dari, quod facimus, mandavit, ut omnibus illius regni archiepiscopis, atque episcopis, in quorum diœcesibus hujusmodi applicatio in usum inducta fuerit, per litteras, aut alias scripto injungat, ut talem usum abolcant, ac prohibeant, excommunicationis, atque aliis, quas opportunas et necessarias existimaverit, pœnis. Idemque præcipiat generalibus et capitibus ordinum, quos in istis regnis nunc noverit commorari, ut scilicet et ipsi regularibus sibi subditis talibus applicationibus, iisdem pœnis propositis, interdicant : Quæ omnia pro sua pietate, et sanctissimi domini nostri jussu obsequendi studio amplitudinem tuam sedulo effecturam sperantes, omnipotentem Deum rogamus, eam quotidie cœlestis suæ gratiæ donis velit auctiorem. » Romæ, die 15 Novembris 1605, de qua declaratione meminerunt Laurentius de Peirinis, tom. XII *De privileg. Minim.*, inter *Const.* Urbani VIII, n. 9 ; Gavant. in *Thesaur.*, tom. I, part. III, tit. 12, a n. 34 ; Lezana, in *Sum. quæst. regul.*, cap. 21, n. 7.

(41. Capellanus, qui onus habet certis diebus celebrandi pro fundatore, potest anticipare præveniendo illas celebrare, nisi fundator ipse aliud, sive implicite, sive explicite statuerit ; quia ex una parte illa anticipata celebratio, non cadit in incertum, nec suspendit effectum ejusdem sacrificii, cum sint omnia requisita, et sit determinata persona, supra quam cadit idem effectus ; ex alia parte potius suffragatur fundatori, quam noceat, siquidem pro ejus salute, quo citius offertur sacrificium eo citius liberatur a purgatorio, adeoque non est, cur dicatur prohibita talis anticipata celebratio. (42. Si autem fundator in fundatione expresserit, quod tot missæ qualibet hebdomada celebrentur, nec ulla ex eis in singula omittatur, vel dies præfixerit ex peculiari sua devotione ad eas, vel ut in ipsis determinatis diebus daretur commodum populo audiendi sacrum, tunc non posset anticipate celebrare, sed teneretur omnibus illis præfixis diebus ad illam determinatam celebrationem saltem localem, quia aliter violaret mentem fundatoris, et fraudaret populum jure, quod ex ejusdem testatoris voluntate haberet sacrum audiendi illis cujuscunque hebdomadæ determinatis diebus. Sic sentit Barbosa *De offic. et potest episcop.*, part. II, allegat. 24, n. 13 ; Diana, Riccius et alii communiter.

(43. Utilius est curare ut missæ pro se celebrentur in vita, quam instituere ut celebrentur post mortem ; (44. quia missæ

Digitized by Google

pro aliquo celebratæ post mortem sunt solum satisfactoriæ pro pœnis, quas animæ luunt in purgatorio. (45. At missæ celebratæ pro aliquo adhuc in vita, non solum sunt satisfactoriæ, sed etiam propitiatoriæ, meritoriæ et impetratoriæ, et sic juvant in vita, et post mortem. Imo tanta esse possunt sacrificia in vita alicujus oblata, ut totam pœnam, quæ illi in purgatorio debeatur, expient ac deleant, ita ut ille decedens, cœlum statim consequatur, et ita ad rem aptissime sentit divus Gregorius lib. IV *Dialog.*, cap. 58. « Tutior est via, ut bonum, quod quisque post mortem suam sperat agi per alios, agat ipse, dum vivit per se : Beatius quippe est liberum exire, quam post vincula libertatem quærere; » et sic cum ipso sentiunt Barbosa in *Concil. Trident.*, sess. XXII, *De sacrificio missæ*, cap. 2, n. 11, Hobat, Fraxinellus, Pinellus, Marchinus et plurimi alii.

(46. Ad complementum hujus articuli addendum est, quod eminentissimus cardinalis, qui in sacello Pontificio celebrat primam missam Nativitatis Domini ante mediam noctem, censetur saltem tacite dispensatus a Summo Pontifice, ut celebret et communicet non jejunus. Ipse enim solet in ipsa die vigiliæ hora solita prandere, licet sero in collatione fieri solita in Palatio apostolico, nihil sumat, ut patet universæ Urbi, teste Diana, *Coordinat.*, tom. II, tract. 3, resolut. 12, n. 4, ubi dicit non esse verum quod Summus Pontifex quotannis speciali brevi dispenset cum cardinali celebraturo, ut possit non jejunus, celebrare, ut asserit Pasqualigus tom. I, decis. 312, n. 4, nec quod cardinalis celebraturus maneat tota die vigiliæ Nativitatis jejunus, et post celebrationem cœnet, referitque sic sibi testatos fuisse plures curiæ ministros, et magistrum cæremoniarum ipsiusmet Summi Pontificis; unde non videtur verificari opinionem card. de Lugo, *De sacram. euchar.*, disp. 15, sect. 2, n. 16, et Aversa, *De sacram. euchar.*, qu. 8, sect. 8, putantium Summum Pontificem pro illo loco, et pro illa nocte anticipare aliquantulum initium diei sequentis, ita ut talis cardinalis censeatur celebrare in die, et non in vigilia Nativitatis, sicque communicet jejunus. Sic Dicastill., *De sacram.*, tom. I, tract. 4, dub. 17, quæst. 7, n. 404. expresse dicens, revera saltem tacite Summum Pontificem dispensare, ut sacrum in capella Pontificia dicatur a cardinali non jejuno absque ulla anticipatione diei, ut vult Lugo, sed illud sacrum dici intra festivitatem ecclesiasticam Nativitatis Christi sine ulla anticipatione diei; ita etiam Quarti, *Commentar. in Rubric. missalis*, part. III, tit. 9, dub. 6, caus. 4; Pasqualigus, *loc. cit.*, decis. 311; Martinon., tom. III, disput. 35, n. 64; Diana, *Coordinat.*, t. II, tract. 3, resolut. 11 et 12, quamvis ipse censeat contrariam opinionem etiam probabilem, et alii plures.

(47. Non sic autem censendum est de aliis, qui ex privilegio vel consuetudine celebrant ante mediam noctem, ut patet de primicerio S. Marci Venetiarum, qui ante dictam mediam noctem semper jejunus celebrat, ut testatur Diana, *Coordinat.*, *loc. cit.*, resolut. 11, n. 4, ubi arguens contra cardinalem de Lugo existimantem missam celebratam a cardinali in capella Pontificia non solum esse missam diei, sed missam celebratam in die Natalis Domini, ex eo quod censet Summum Pontificem pro illo loco, et nocte, anticipare diem sequentem per aliquot horas, expresse sic habet : « Sed hæc doctrina, credo, quod ipsemet cardinalis non concederet pro templo Divi Marci, quod patet; nam si ita esset, primicerius posset dicere unam missam non jejunus, quod nunquam accidit; nam semper primicerius celebrat jejunus. » Et paulo infra subjungit : « Et hoc ultimum (nempe quod illud sacrum censeatur dici intra festivitatem ecclesiasticam Nativitatis Christi sine ulla diei anticipatione) dicendum est etiam de sacro, quod dicit primicerius in templo divi Marci, non autem de dispensatione jejunii, nam ut observatum est, primicerii S. Marci semper celebrant illa nocte Nativitatis jejuni. » Et sic in genere de omnibus qui celebrant ante mediam noctem, tenet expresse Gavantus tom. I, part. 4, tit. 3, n. 5, ibi : « Quod si celebraturus sit ante mediam noctem ex privilegio, vel legitima consuetudine, vere non dispensatur in jejunio necessario ad missam, ideo a pridiana media nocte jejunet, neque in missa vigiliæ sumat purificationem. » Et ipsum sequitur Merati, *ibidem*, n. 12, ibi : « Illi autem, qui ex privilegio celebraturi sunt ante mediam noctem, observent omnia ea quoad jejunium servandum ante, et post missam illam, quæ tradit Gavantus supra. »

(48. Cardinalis, vel alius celebrans prædictam missam ante mediam noctem, non potest mane Nativitatis celebrare tres missas, sicuti alii sacerdotes. Sic Quarti, *loc. cit.*, part. I, tit. 15, dub. 7, difficult. 1, et communis aliorum contra Caramuelem; et ratio est, quia Summus Pontifex non dispensat in numero missarum, quæ dici possunt in solemnitate Nativitatis, sed solum in hora celebrandi primam ex tribus illis missis illa die concessis, transferendo in die præcedentem partem illius privilegii, quod jus commune concedit pro ipsa die Nativitatis Domini. Unde cum jam prima missa fuerit ex privilegio anticipate celebrata, non potest iterum ab eodem celebrari. Nec ideo est deterioris conditionis aliis sacerdotibus, ut prætendit Caramuel in *Theologia fundamentali*, fundament. 31, n. 13, sed imo conditionis melioris, quia fruitur anticipate eodem privilegio. Potest tamen mane celebrare reliquas duas missas, ne sit deterioris conditionis aliis sacerdotibus, cum, quod ob gratiam alicujus conceditur, non sit in ejus dispendium retorquendum, textu expresso in cap. *Quod ob gratiam* 61, De regul. juris, in 6; Quarti, *loc. cit.*; Gavant., *loc. cit.*, n. 5, expresse concludens : « Et eo casu, si in prima missa noctis sumeret purificationem, imo et cibum ante mediam noctem, posse celebrare secundam, et tertiam missam Nativitatis Domini, favet communis doctrina theologorum; » et sequitur Merati, *loc. cit.*,

Digitized by Google

n. 12, quamvis Diana, *Coordinat.* tom. II, tract. 1, resolut. 96, n. 4, dicat, quod cardinalis, qui in sacello Pontificio celebrat missam Nativitatis ante mediam noctem, non potest postea mane celebrare alias duas missas.

(49. Cardinalis, vel alius celebraturus primam missam Natalis ante mediam noctem, potest mane celebrare missam consuetam vigiliæ : Quarti, *loc. cit.*, difficult. 2, dicens sic communiter sentire doctores supracitatos; et id supponunt Merati, et Gavant., *loc. cit.*, dicendo : « Neque in missa vigiliæ sumant purificationem. » Et ratio est quia, quamvis prædicta hora pertineat physice ad diem vigiliæ, moraliter tamen, quantum ad anticipatam celebrationem hujus missæ, pertinere videtur ad diem Natalis, cum vere dicatur pro solemnitate Natalis; et sic licite potest prædictus cardinalis, vel alius sacerdos similiter privilegiatus mane celebrare missam consuetam vigiliæ, et postea primam missam diei Natalis ante mediam noctem ejusdem, quamvis censeatur bis celebrare in eadem physice die; quia Summus Pontifex concedendo alicui anticipationem primæ missæ Natalis, non tollit ipsi facultatem de jure communi omnibus concessam celebrandi horis consuetis missam vigiliæ; alias privilegiatus esset deterioris conditionis non privilegiatis, contra dispositionem cit. cap. *Quod ob. grat.* 61, De regul. juris, in 6.

(50. Celebrans anticipate illam primam missam Natalis potest sumere purificationem, vel etiam postea Cœnam ante mediam noctem, et die sequenti, nempe in die Natalis celebrare secundam, et tertiam missam. Sic cum Pasqualigo, Quarti, *loc. cit.*, dub. 7, in fine; Gavantus et Merati, *loc. cit.*, dicentes, quod favet communis doctrina theologorum. Et ratio est quia, cum illa hora vere physice pertineat ad diem vigiliæ, sumens purificationem in ipsa anticipata missa, et postea Cœnam ante mediam noctem, vere erit jejunus pro celebratione aliarum duarum missarum in die Natalis, quod est contra opinionem cardinalis de Lugo, *loc. cit.*, existimantis juxta sua principia, illam horam pertinere ad anticipatam per Summum Pontificem diem Natalis.

(51. Tam celebrans, quam audientes dictam anticipatam missam, satisfaciunt præcepto dicendi, vel audiendi missam, pro die Natalis. Ita Diana, *Coordinat.* tom. II, tract. 3, resolut. 11 et 12; Quarti, *loc. cit.*, dub. 7, difficult. 3, cum Dicastillo, Aversa, et aliis supracitatis contra Pasqualigum. Et ratio est, quia eo ipso, quo Summus Pontifex dispensat, ut missa Nativitatis anticipate celebretur, dispensat etiam, ut ipsam celebrans et audientes anticipate satisfaciant obligationi. Nam dispositum in uno correlativo censetur et dispositum in alio. Unde in *Thesauro resol. sacræ congregationis Concil.*, tom. I, sub die 13 Julii 1720 *in una Veneta* in fine, expresse dicitur quod in ipsa civitate Venetiarum nocte Nativitatis Domini ante mediam noctem missa celebratur a primicerio in templo S. Marci; et senatus Venetus, aliique, qui missam dicta hora audiunt, satisfaciunt præcepto audiendi missam die Nativitatis Domini. Et quod hoc ipsum sit in eadem civitate, et in ecclesiis S. Joannis, et S. Jacobi in Rivoalto, necnon in ecclesia canonicorum Lateranensium, et in ecclesia Patrum, qui nuncupatur *Frari*, necnon in ecclesia Monialium S. Zachariæ : et simile privilegium fuit novissime concessum anno 1745 a Summo Pontifice Benedicto XIV pro Ecclesia nostri ejus civitatis conventus vulgo nuncupati *La Vigna*; quamvis an. 1720, 13 Jul., fuerit ecclesiæ collegiatæ S. Pauli ipsiusmet civitatis denegata a sacra congregatione Concilii reassumptio intermissi consimilis privilegii sibi concessi a Pio IV. et S. Pius V, constit. 4 incip. *Sanctissimus*, revocaverit omnia hujusmodi privilegia, et prohibuerit prælatis et capitulis ac quibuscunque ecclesiarum superioribus in virtute sanctæ obedientiæ, et imposita pœna perpetuæ suspensionis a divinis : « Ne deinceps missas vespertino tempore hujusmodi licentiarum et facultatum, aut alio quovis prætextu celebrare, vel celebrari facere præsumant : » addita derogatione quibuscunque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, consuetudinibus et privilegiis, etiam munitis derogatoriarum derogatoriis, et aliis quibuscunque clausulis, etiamsi privilegia concessa fuissent intuitu imperatoris, regum, reginarum, ducum et aliorum principum, ut latius in ipsa allegata constitutione, et ut patet in supra cit. *Veneta*, impressa in *Thesauro resolutionum sacræ congregationis Conc.*, tom. I, sub die 13 Julii 1720, quæ Resolutiones prostant Romæ apud Barbiellini *ad Minervam*.

(52. Vigilia Nativitatis occurrente in Dominica, non potest quis nolle audire missam mane Dominicæ, et exspectare, ad satisfaciendum præcepto missam, illam anticipatam ante mediam noctem : Quarti, *loc. cit.*, dub. 7, difficult. 4, cum Diana et aliis ab ipso citatis, aliique passim. Et ratio est quia illa anticipata missa nullo modo computari potest pro ipsa Dominica, sed solum pro sequenti festo Natalis. Quamvis enim non dicatur in die Natalis, nihilominus vere dicitur pro solemnitate Natalis, et, ut dictum est numero antecedenti, ipsam celebrans et audientes satisfaciunt præcepto dicendi, vel audiendi missam in die Natalis; unde cum ipsa inserviat pro satisfaciendo præcepto diei Natalis, non potest servire pro satisfaciendo præcepto Dominicæ præcedentis; quia unico sacro non potest satisfieri duobus præceptis duarum distinctarum festivitatum; sicuti unico officio non potest quis satisfacere duplici præcepto pro die præsenti et crastino : et merito damnata inter alias propositione 35 ab Alexandro VII die 18 Martii 1666, ibi : « Unico officio potest quis satisfacere duplici præcepto pro die præsenti et crastino. »

(53. Quoad missæ celebrationem fieri solitam ante noctis dimidium in pervigilio Nativitatis Domini in capella pontificia, sive in aliis ecclesiis ex privilegio præter ea, quæ hucusque adduximus, Maximus Pon-

Digitized by Google

tifex Benedictus XIV, *De synodo diœcesana*, lib. VI, cap. 8, per tot., permulta ad rem eruditissime suo more adducit, et quoad horam ipsam celebrandi, hæc n. 14, habet : « Ex diariis, quæ Pontificii cæremoniarum magistri ab anno 1484 ad annum 1517 digesserunt, colligimus, matutinum in Pontificia capella incœpisse circa octavam, nonam, ac etiam decimam horam (ab occasu solis numerando, juxta Italiæ morem) illius noctis, quæ diem Christi Natalem præcedit; ac præterea sacrum hunc ritum, una cum solemni missa, non nisi quatuor horarum spatio expleri consuevisse. Leo X, referente in Diariis Paride de Grassis, anno 1517, ob adversæ valetudinis incommoda, Pontificiæ capellæ initium statuit *hora quinta noctis*. Pontifex Hadrianus VI, veterum morem secutus, horam noctis nonam restituit. At Clemens VII, Paulus III, ac Julius item III, circa secundam aut tertiam noctis horam matutinum inchoandum mandarunt : hinc hora septima noctis, ipsi etiam solemniori missæ finis imponebatur. Varius in hoc tempore designando fuit S. Pontifex Pius V quandoquidem, eo jubente, anno 1566 matutino initium dedit hora noctis sexta, anno 1567, hora quarta; anno 1568, hora quinta; anno 1569, hora octava cum dimidio; anno demum 1570, hora nona. Gregorius XIII, juxta veterem morem, tertiam, aut quartam noctis horam in usum revocavit. Atque hic demum mos in Pontificia capella deinde servatus fuit, et adhuc viget, statuta pro matutini initio quarta hora noctis, ex quo sequitur ut solemnis missa paulo ante noctis dimidium perficiatur. »

(54. Deinde idem Pontifex, *ibidem*, n. 5, a designatione temporis, et horæ pro ipsa missa celebranda, ad jejunium progreditur, referens ex relatione magistrorum cæremoniarum in diariis, cardinalem, qui sacrum obtulit, nonnunquam ad celebrandam missam accessisse jejunum, ut nostra ætate constat de cardinali Leandro Colloredo, et de Benedicto Papa XIII, qui eadem jejunii lege sese obstrinxit; quia vero non multa occurrunt eorum exempla, qui jejuni accesserint ad altare; contra vero frequentius contingat, ut cardinalis, qui nocte Nativitatis sacrum explet, die præcedenti a refectione non abstinuerit, pergit ad tradendam rationem, quæ id licere suadeat; et sub n. 16, relatis variis auctorum opinionibus, jam a nobis *loco supracit.* adductis « sunt, dicit, qui credant Romanum Pontificem quotannis litteras in forma brevis expedire, per quas cardinalis nocte Nativitatis celebraturus, eximatur a lege jejunii, quod alioquin a præcedentis noctis dimidio servare teneretur. Id tamen, subjungit, ibidem gratis asseritur, et hujusmodi litteræ reipsa minime conceduntur. Et sub num. 17 ita superaddit : « Hinc meliori consilio alii sentiunt ac docent, in proposito casu, licet expressa Pontificis dispensatio non appareat, inesse tamen tacitam ac rationi admodum consonam. Enimvero, cum, nonnisi præhabito Summi Pontificis assensu, statuta ad matutinum inchoandum hora definiatur, profecto Summus Pontifex haud ignorat quo tempore in pervigilio Nativitatis capella incipiat, qua hora solemnis missa, cui nonnunquam ipsemet Pontifex interesse solet, celebretur. Et quoniam præterea compertum persæpe illi est, eum qui sacrum offert, non esse jejunum, et tamen nullus unquam Pontifex edixisse fertur, ut cardinalis ea occasione ante noctis dimidium celebrans, a præcedenti media nocte jejunium servaret, nihil ultra requirendum videtur ad tacitam Pontificis dispensationem inducendam, æquitatis tamen ac rationis legibus consentaneam. »

(55. « Ex hactenus dictis (prosequitur idem Pontifex *ibid.*, n. 20) colligitur, privilegium celebrandi missam in Pontificia capella ante noctis dimidium, non quidem per necessariam connexionem secum ferre aliud privilegium exemptionis a lege jejunii; imo posterius hocce privilegium esse repetendum a tacita Pontificis dispensatione, quam satis probant eæ rerum ac temporis circumstantiæ simul sumptæ, quas supra memoravimus. Hinc sequitur, sublatis hisce circumstantiis, jam nullum tacitæ dispensationi esse locum, ideoque ad jejunium naturale servandum teneri, qui alibi sacrum offerat, etiamsi ex Apostolico indulto, mediæ noctis articulum in missæ oblatione præveniat. Consulendi in rem hanc Andreas Cataldo in *Prax. cæremon.*, l. III, sect. 2, cap. 1, num, 4, pag. 391, et cap. 3, num. 1, pag. 393, nec non celebris Gavantus, part. IV, tit. 2, n. 5, ubi ita loquitur : « Celebra- « turus ante mediam noctem ex privilegio, « vel consuetudine legitima, vere non dis- « pensatur in jejunio necessario ad missam ; « ideo a pridiana media nocte jejunet, neque « in missa vigiliæ sumat purificationem. » Consonat diligens scriptor P. Merati tom. I, part. I Romanæ editionis, pag. 853, n. 12. »

(56. « Itaque (concludit *ibid.*, n. 21) ut rem hanc expediamus, episcoporum partes erunt, duo hæc in synodis opportune decernere, ut scilicet primo edicant, nulli fas esse, citra apostolicam dispensationem, in nocte Nativitatis Christi missam celebrare ante noctis dimidium, et id quidem fieri prohibeant, indicta in contumaces pœna suspensionis, quam etiam probant et laudant Polacus in suis *Aphorismis sacrar. cæremoniar.*, aphorism. 1, num. 4; Pax Jordan., *Elucubrat.*, tom. I, l. IV, tit. 1, *De sacrific. missæ*, n. 93. Secundo, aperte declarent eos qui, ex Apostolico privilegio, sacrum obeunt ante noctis dimidium, adhuc teneri lege jejunii, idque a præcedentis noctis dimidio servandum esse. In ordine quodam pro divini officii celebratione, Romæ edito anno 1645, cujus etiam meminit Diana in edition. coordinat., tom. III, tract. 1, resolut. 55, n. 3, hæc legimus : « Missa hujus « sacratissimæ noctis debet celebrari post me- « diam noctem, aliter sacerdos non celebraret « jejunus. Celebraturus ante mediam noctem « ex privilegio, vel legitima consuetudine, « non dispensatur in jejunio necessario ad

Digitized by Google

« missam, id est a pridiana nocte jejunet, « neque in missa vigiliæ sumat purificatio- « nem. » Eadem occurrunt in Ordinario patriarchali, quod anno quolibet Venetiis evulgatur, ubi ad diem 24 Decemb. hæc legitur adnotatio: « Celebrantes ante mediam no- « ctem sint jejuni a media nocte antecedenti, « ideoque non sumant purificationem in missa « hodierna. » Hactenus idem Pontifex *loc. cit.*

(57. Missas tres in Nativitate Domini, Armenis, et universim sacerdotibus Orientalibus celebrare non licet. Idem, constit. incip. *In superiori*, § 2 et seq.

(58. Missarum celebratio una hora ante auroram, et post meridiem indulgetur militibus S. Januarii. Benedictus XIV, constit. incip. *Romanæ Ecclesiæ.*

(59. Idipsum conceditur et equitibus S. Joannis Hierosolymitani. Idem, const. incip. *Quoniam*, § 1.

(60. Missarum trium celebratio die Natali Salvatoris nostri primum a S. Telesphoro instituta fuit. Idem constitut. incip. *Declarasti*, et constit. incip. *Quod expensis.* (61. Quæ consuetudo asseritur et commendatur. Idem *ibidem.* (62. Antiquis temporibus alii per annum dies erant polyliturgici, quibus missarum sacrificia iterare licebat, nempe præter Natalem Domini, prima dies Januarii, feria v in Cœna Domini, vigilia Ascensionis, tres dies jejunii infra octavam Pentecostes, aliique dies festi nonnullorum sanctorum memoriæ dicati, ut Nativitas S. Joannis Baptistæ, et Natalitium sanctorum apostolorum Petri et Pauli. Idem in cit. constitut. *Quod expensis.*

(63. Sæpe etiam iterabantur sacrificia, si defuncti cadaver die Dominico, vel alio festo ad Ecclesiam deferebatur. Idem, *ibid.* (64. Ea consuetudo justis de causis abolita est, et præsertim ob inductos abusus circa eleemosynarum sordidas exactiones. Idem *ibid.* (65. Nec præsenti tempore præter dictam diem, permittitur missæ iteratio, etiam ex causa utilitatis Ecclesiæ, aut presbyteri. Idem, constitut. 3, incip. *Declarasti.* (66. Id solum permittitur parocho duarum ecclesiarum adeo inter se distantium, ut populus utrique subjectus, in unam earum totus convenire nequeat. Idem, *ibid.* (67. Quod intelligendum est de diebus festis tantummodo, in quibus adest præceptum audiendi missam. Idem, *ibid.* (68. Et dummodo necessaria ad id ordinarii superioris licentia accedat. Idem, *ibid.* Et sufficit contrarium synodalis constitutionis præceptum, ut parocho id minime liceat. Idem, *ibid.*

(69. Præterea, si alius adsit sacerdos, qui in una ex illis ecclesiis celebrare possit, parochus debet ab iteratione missæ se abstinere. Idem, *ibid.* (70. Etiamsi necesse sit catechismum populo explanare, cum id, vel per alium sacerdotem, vel ab ipso parocho extra missarum solemnia fieri possit. Idem, *ibid.*

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(71. De *modico tempore*, intra quod onera missarum ex decreto S. congregationis Rituum a S. M. Urbano VIII approbato, de quo auctor n. 37 sunt implenda, non inutile est hic disserere.

(72. Sunt autem qui tenent modicum hoc tempus extendi ad tres annos. *Vide* Peirin *De privileg*, t. III, ad constit. 9 Urbani VIII, ad 10.

(73. Alii sentiunt hoc modicum tempus concludi intra tres menses : Leander, *De sacram.*, tract. 8, disput. 4, quæst. 18, Tamburin., *De sacrif. miss.* lib. III, cap. 1, § 9, num. 4.

(74. Brevius alii volunt hoc modicum tempus, illudque ad duos menses restringunt; Marchin, *De ordin.*, tr. 3, part. II, cap. 31, num. 5; Quart., in *Rubric. missal.*, in *Appendic.*, quæst. 4, punct. 1, difficult. 2.

(75. Ut, quod sentio, dicam, si tempus sit determinatum, haud potest differri celebratio ultra illud. Determinatio autem temporis aliquando provenit expressa voluntate dantis eleemosynam, et aliquando ex tacita ejusdem voluntate, ut si pro imminente aliqua occasione missarum celebratio committatur.

(76. Si autem tempus haud sit determinatum, arbitrio boni viri, pensatis singulis circumstantiis, determinandum illud est; Dicastill., *De sacram.*, tr. 5, disput. 4, dub. 21, num. 403, Hurtad., part. I *Resolut. moral.*, tract. 2, cap. 4, resolut. 18, num 202, et sic aliquando potest esse brevius, aliquando amplius dnobus mensibus. (77. Quoties enim lex haud determinat tempus illud, quod nec partes determinarunt, ejus determinatio dependere debet ab arbitrio boni viri, perpensis singulis circumstantiis, minimeque licet sine auctoritate legis certum terminum statuere.

(78. Monendum vero est, quod semper, quoad fieri potest, tempus hoc sit restringendum, cum ita conveniat subjectæ materiæ.

RESPONSIO AUCTORIS

(79. Quoad dicta in his additionibus sub num. 76 et seq. poterat additor, et debuerat videre decretum sac. congr. Conc. a me jam allatum in verb. MISSA, art. 2, n. 18, relat. a card. Lambertin. postea S. P. Bened. XIV, in tom. III *Notific.*, cit. c., p. 189 edit. Bononien., ubi sancivit modicum tempus debere intelligi infra mensem. *Vide* ibi expresse determinatum tempus a lege.

ADDITIONES CASINENSES.

(80. Quoad ea, quæ Auctor tradit sub num. 10 hujus articul. notandum, posterioribus sæculis, et Benedicto XIV docente (*Epist. ad episc. Oscen.* incip. *Declarasti*, tom. II *Bullar.*, pag. 7 et seqq.) ab Innocentio III, cap. *Consuluisti*, ex. *De celebratione missar.* revera sancitum, ne plures, quam unam singuli eodem die presbyteri missam perageret, præterquam in festo Nativitatis Domini. (81. Aliter se res habebat in antiquiori disciplina. Tertullianus, *De corona*, cap. 3, missam bis in die, mane scilicet, ac

Digitized by Google

vespere celebratam avo suo tradit. Synodus Emeritensis an. 666 decreverat, ut presbyter plures regens Ecclesias, in singulis Dominico die sacrum faceret; Toletana XII, an. 681, suspensionis censuram in eos sanxit, qui plura uno die sacrificia immolantes, in ultimo tantum, non in singulis eucharisticum cibum potumque sumerent, ut in can. 5 tenoris sequentis: « Relatum nobis est, quosdam de sacerdotibus non tot vicibus communionis sanctæ gratiam sumere, quot sacrificia in una die videntur offerre; sed in uno die, si plurima per se Deo offerant sacrificia, in omnibus se oblationibus a communione suspendunt, et in sola tantum extrema sacrificii oblatione communionis sanctæ gratiam sumunt, quasi non sit toties illis vero, et singulari sacrificio participandum, quoties corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi immolatio facta constiterit. Nam ecce Apostolus dicit: *Nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris?* Certum est, quod hi, qui sacrificantes, non edunt, rei sunt Dominici sacramenti. Quicunque ergo sacerdotum deinceps divino altario sacrificium oblaturus accesserit et se a communione suspenderit, ab ipsa, qua se indecenter privavit, gratia communionis anno uno repulsum se noverit....»

Pari modo Leonem III qui sedit ab an. 795 ad 816, quandoque septem, ac novem missas in die celebrare consuevisse Walfrid. Strabo, *De rebus Eccl.*, cap. 21, ac post eum Baronius ad ann. 816, *Annal.* tom. IX testantur. Et cardinalis Petrus Damiani, qui anno 1073 obiit, tradens consuetudinem a majoribus acceptam abluendi, abstergendique calicis in postrema, « si nosmetipsi, addit, *eodem die* sacrificium denuo speramus offerre;» lib. VI, ep. 18.

Sic quoque Hugo Menardus, in lib. *Sacrament.* S. Greg. Magni, hæc ante secundam missam habet: « Quando Apostolicus duas missas celebrat eodem die, inter eas non lavat os, nisi post officium, sed absque intervallo, finita priore, incipitur alia: » nimirum ut jejunus celebret.

(82. Præterea Romanam Ecclesiam in multis festivitabus olim indixisse uni eidemque vel episcopo, vel presbytero onus celebrandi duo, vel tria sacrificia solemniter, puta præter Nativitatem Domini, die primo Januarii, feria quinta Majoris Hebdomadæ, Asceusionis festo, tribus jejunii diebus ante Pentecosten (uti supra n. 62), et quoties plurium sanctorum Natalitia eodem die concurrerent, aut missa ob aliquam necessitatem votiva, aut ob imminentem defuncti sepulturam incideret, ex antiquis ritualibus aliisque monumentis compertum est, per cl. cardinalem Bona congestis, *Rer. liturg.*, lib. I, cap. 18, n. 5.

(83. Illud vero addamus oportet, S. Bonifacium archiep. Moguntinum, qui sæculo octavo vixit, unam tantum missam celebrare eodem die solitum fuisse. Unde idem Strabo scriptor sæculi noni, rationes afferens in utramque partem, nempe pro plur. missarum celebratione, vel unius tantum ab eodem sacerdote eadem die, propensior esse videtur pro plurium celebratione; atque ita concludit *loc. cit.*: « Itaque unusquisque in sensu suo abundet, dum fides concordet, ut nec sæpius offerentes æstiment Deum aliter petitiones non posse discernere, nec semel host. per diem immolantes, suæ fidei subtilitatem potius, quam superiorum devotionem divinitus acceptari. »

(84. Nunc vero, cum regula sit unam tantum missam eadem die a sacerdote celebrari posse, excepto die Nativitatis etc. *Vid.* Lucium nostrum, n. 12 et seqq. h. art., merito « celebranti bis, vel ter in die extra casus a jure permissos gravis pœna infligi solet. Quanquam hæc pœna solet esse judici arbitraria, pro qualitate facti et scandalo populi, » ait Bonacina, *De sacram. euchar.* disput. 4, q. 8, punct. 7, propos. 3, § 5, n. 9.

Porro in synodo diœc. Neap. eminent. card. Pignatelli, part. III. cap. 1. n. 10. pœna suspensionis ipso facto infligitur in hujusmodi sacerdotes pluries eadem die celebrantes.

(85. Audiamus insuper hac in re *Thesaur. de pœn. Eccles.* qui hæc habet., cap. 5, v. *Missa.* « Peccat graviter missas plures celebrans in eadem die, semel enim celebrare posse sacerdotem duntaxat in die habetur c. *Sufficit*, etc.» Deinde prosequitur:

« Quidam putent sacerdotem missam iterantem eadem die, hoc ipso esse irregularem, ut Majolus tenet lib. III, cap 15, § *Propterea.* Sed nullo jure id probat, et irregularitas non est asserenda, ubi non est jure expressa. Tamen si esset de hoc crimine diffamatus, esset irregularis aliquo modo improprie, quatenus ratione scandali celebrare non posset licite ob infamiam facti.»

Præstat quoque audire Pignatellum, in hæc verba rite disserentem: « Nullibi in jure constituta est aliqua pœna contra celebrantes pluries in die, ideoque pœnam hujus delicti esse arbitrariam... Et ideo non est ad hanc vel illam speciem determinata, et proinde sufficit, quod in unaquaque specie sit proportionata delicto.... Quoniam autem (prosequitur) hoc facinus a populo existimari solet graviss., idque ut plurimum avaritiæ causa a pauper. et imperitis sacerdotibus perpetratur, ideo non debent judices leve illud judicare, sed debent inferre pœnam accommodatam delicto, consideratis prius diligenter facti notorietate, populi scandalo, ac personæ delinquentis moribus, causa sive motivo, quo motus fuit ad delinquendum, præcipue, si pro pecuniis... si semel, aut pluries hoc delictum commiserit, si non jejunus, quod sæpius accidit quia malitiose hoc delictum committentes, sumunt ablutionem, ne se prodant, ac proinde gravius erit puniendus, quia committit duplex delictum, alterum contra præceptum non celebrandi, nisi semel in die, et alterum non celebrandi, nisi præmisso jejunio naturali, quod est gravius, quia strictius obligat, ut ex eo constat, quod DD. excepto, quando agitur de complendo sacrificio, quod per inchoantem impleri non potuit, in rarissimis casibus,

Digitized by Google

aut in nullo concedunt posse celebrari a non jejuno; aliisque circumstantiis, quæ augere, vel minuere possunt qualitatem delicti...

« Atque hinc (prosequitur Pignatellus), si quis semel ac iterum in eadem die celebrare, putans bona fide ex aliqua justa causa id sibi licere, et si revera non liceret, nisi tamen constaret, quod malitiose se gesserit, poterit dimitti cum aliqua pœnitentia salutari, quia cum processerit ex bona fide, non habet locum pœna.

« Quod (sic idem scriptor) si scandalose eadem die missam iterans, esset de hoc crimine diffamatus, esset irregularis aliquo modo improprie, quatenus ratione scandali celebrare non posset licite ob infamiam facti...

« Judex autem (nota pariter cum Pignatello) tam ratione delicti, quam delinquentis regulariter est episcopus, etiamsi delinquens sit regularis, vigore decreti S. concil. Trident. *De observ. et evit. in celebr. miss.*, sess. XXII, cum in hoc delicto intercedat abusus, qui saltem ex dicto decreto, reducitur ad avaritiam, vel scandalum, atque adeo potest reus, etiamsi regularis sit, ab episcopo puniri. » — Tom IV *Consult. canonic.*, consult. 1, n. 3, 4, 6, 7, 9.

(86. Quibus præmissis cavendum sane est ab opinione P. Armeni in tract. quem edidit Venetiis 1700, *De pœnis*, tit. 8, § 2, n. 29, ubi concludit in hæc verba: « Cum igitur nec contra jus divinum, nec contra præceptum Ecclesiæ sit repetita celebratio, videre haud scio quomodo mortaliter peccet sacerdos, celebrans pluries in eadem die. » Et ulterius progrediens, n. 32, addit sequentia : « Adverto autem, quod potest etiam dari necessitas ex parte sacerdotis, si nempe pauper esset, ejus fundi patrimoniales periissent, et sibi sustentanda esset mater, aut nepotes pauperes, et eleemosyna unius missæ utpote tenuis, minime sufficeret ad manutentionem sacerdotis, et familiæ suæ etc. sequitur, ex hoc, quod ex tali necessitate adactus sacerdos, si omni diligentia adhibita, ne sequatur scandalum, bis celebret in die, non peccat. » Apud Monacell., tom. II, tit. 15, n. 14, pag. 219.

« Quia vero opinio auctoris (prosequitur Monacell.) est contra communem sensum DD. et Eccl. nemoque, quem viderim, inter casus, in quibus jure antiquo permittebatur eadem die sacrum reiterandi, enumerat paupertatem sacerdotis, ut videre est apud *Gloss.* cap. *Consuluisti*, verb. *Necessitatis*, De celebrat. miss..., cum evidens sit, quod necessitas, de qua loquitur textus in d. cap. respicit populum et Ecclesiam, non autem necessitatem privatam celebrantis, ut admonendo episcopum Gerundensem declaravit S. cong. episcop. de anno 1588 ad 4. prout refert Fagnan., in cap. *In ordinando*, n. 37, De Simonia, cujus decreti tenor ibi relatus talis est : « Ad quartum super licentiis bis celebrandi, ac pecuniis quæ pro illarum expeditione, ut asseritur, solvuntur, mirat sacr. congr. agi de his licentiis concedendis; nam id non nisi ex magna necessitate fieri debet, et magna cautela, ut puta in locis, ubi perpaucissimi sunt sacerdotes, vel adsint impedimenta adversariorum fidei, vel quid simile; quæ cessant eo in loco, ubi vix evenire possunt alii casus a jure permissi, nec concedi potest hæc licentia ab episcopo generaliter quasi privilegium alicujus sacerdotis, sed tantum in aliquo casu particulari necessitatis causa ab episcopo examinanda. » — « Quibus bene perpensis (concludit Monacell.) doctrina cit. auctoris censuram congr. Indicis non valuit effugere, nam ejus liber fuit damnatus. » *Loc. cit.*, n. 15.

(87. Lubet denique sequentia exscribere ex epistola Bened. XIV, t., II *Bull.*, 3 in ordine, incip. *Declarasti*, directa episc. Oscensi, quoad causas, ex quibus possit sacerdos plures missas in die celebrare, ibi : « Quamvis nonnulli ex theologis moralibus plures rationes et causas excogitaverint, ob quas sacerdos eadem die sacrificium missæ bis offerre posse videatur,... id tamen unanimi consensu permittitur sacerdoti, qui duas parochias obtineat, vel duos populos adeo sejunctos, ut alter ipsorum parocho celebranti per dies festos adesse nullo modo possit, ob locorum maximam distantiam; tunc enim absque ulla dubitatione licere existimant ejusmodi rectori, cum festi dies incidunt, bis sacrum conficere, ut populo utrique satisfaciat,... ea tamen conditione, ut legitimam pro re gerenda facultatem prius obstinuerit. »

(88. Seclusa hujusmodi necessitate : « illud affirmabimus (prosequitur prælaud. Pontifex), ex communi totius Ecclesiæ disciplina permitti tantum sacerdotibus hoc tempore, ut die Natali Salvatoris nostri ter sacrum faciant, vel quia institutum id fuit a S. Telesphoro Pontifice, ut eam celebritatem singulari honore prosequerentur fideles, uti ostendit canon *Nocte sancta*, De consecr., dist. 1, vel quia (si plurimi facienda videantur argumenta, quibus auctor Telesphorus illius canonis impugnatur) parens ac magistra Ecclesia eum ritum die Natali Domini conservandum censuit, ut posteris perpetuo commendaret veterem disciplinam, ob quam sacerdos idem plura sacra conficiebat, cum alii quoque festi dies per annum occurrebant. »

(89. Quantum ad causam utilitatis pro plur. missis in die ab eod. sacerd. celebrandis, hæc id Pontifex habet : « Et utilitas quidem non suffragatur : quidquid enim sit de titulo utilitatis, qui illum admittunt, illum explicant et intelligunt, non de utilitate celebrantis, sed missam audientis... »

(90. Quoad vero necessitatem ex inopia, attentis alicujus parœciæ circumstantiis, cum una missa satis non est : « Minus prodest necessitas (sic addit præfatus Pontifex) ex inopia desumpta, cum plura sint expendenda, antequam titulus necessitatis ex inopia desumptus admittatur. Primo, an revera parochi tanta premantur egestate, ut alteri

Digitized by Google

sacerdoti stipendium missæ nequeant suppeditare. Si enim inopia adeo magna non sit, episcopali auctoritate... adigi poterunt, ut sacerdoti missam celebraturo eleemosynam largiantur... Secundo si parochis tenues omnino angustique proventus obveniant, videndum an populus etiam in eadem pauperl. versetur; quemadmodum enim episc. adigere potest sacerdotem ut populo sacrum faciat diebus festis, ita etiam potest indicere populo ut celebranti sacerdoti consuet. stipend. elargiatur.

« Porro difficile prorsus videtur (prosequitur Pontifex) omnia hæc simul copulata deprehendi. Quod si res ita se haberet, tunc Ven. Frater. ex iis eleemosynis, quas ipse egenis elargiri large consuevisti, stipendium pro re divina facienda sacerdotibus erogare deberes, nec ullo modo perferre, ut sacrificium iterent parochi, quibus deest alius sacerdos, qui diebus festis populo ministret. »

(91. Quantum ad consuetudinem, quæ forte invalescere potuerit, plures missas ab eodem sacerdote in die celebrari, audiamus præd. supremum magistrum hoc sane pacto : « Parochi postremo... vetustissimam adducunt consuetudinem. Nos.... solum inquirimus, utrum ea consuetudo rationem præscriptionis, aut præsumptionis sibi comparaverit ; et utrumque falsum et alienum judicamus. Non utique jus divinum, sed ecclesiasticum prohibet, eadem die ab eodem sacerdote sacrificium iterari. At non omnia, quæ juris tantum ecclesiastici sunt, præscribi possunt. Si etenim, juxta civiles leges, sanctæ res præscribi non possunt, absonum undique est asserere fuisse per præscriptionem aliquid obtentum, vel acquisitum, quod adversetur sanctionibus universalibus Ecclesiæ, quarum observantiam sacrum Trid. conc. in missarum celebratione sacerdotibus omnino præcipit, uti colligitur ex decr. *De observ. et evit. in celebr. missæ.*

« Præscriptionem excipit præsumptio (ita præd. Pontifex), de qua modo sermo habendus est. Equidem non ignoramus jurisperitorum commune adagium, nempe ratione consuetudinis ab immemorabili afferri posse in medium quemcunque gratiosum titulum, et etiam privilegium Apostolicum, quod utpote nullo certo documento probatum, præsumptum appellatur. Sed cæteris prætermissis... subdimus hæc intelligi posse de illis privilegiis, quæ impetrari potuissent a sede apostolica, si quis ea postulasset; non vero de illis, quæ, cum postulantur, negari omnino consueverunt ; ne præsumptio plus habeat roboris et momenti, quam veritas. » Ita Bened. XIV, epist. cit.

ARTICULUS VI.

Missa a quo possit celebrari, vel non? et in quo idiomate?

SUMMARIUM.

1. Missa a solo sacerdote rite ordinato celebrari potest. — 2. Missam celebrantes non ordinati gravissimis pœnis puniuntur, quippe degradantur, et curiæ sæc. tradumtur etiam pro prima vice. — 3. Et licet essent minores 25 annorum, dummodo compleverint 20, tradendi sunt per inquisitores brachio sæculari, et ultimo supplicio afficiendi. — 4. Casus iste evenit Romæ anno 1711, in Dominico Spallacino Urbevetano. — 5. Missa non debet permitti, quod celebretur a sacerdotibus vagis et ignaris. — 6. Nec a sacerdotibus notorie, et publice criminosis. — 7. Nec a sacerdotibus exteris et incognitis, sine legitimis litteris dimissoriis sui episcopi. — 8. Sacerdotes exteri nec etiam possunt admitti a regularibus ad celebrandum in suis ecclesiis contra prohibitionem ordinarii. — Missa non potest celebrari in lingua vulgari, sed solum in lingua Latina, vel Græca a Græcis, nunquam, et a nullo in lingua Sclavonica, nisi ex consuetudine, ad n. 11 alia ad rem ad n. 17. — 18. Subnectuntur *Addit. ex aliena manu*, ad n. 23. — 24. An ob debilitatem corporis possit missa celebrari sedens ex indulto : an cæcus omnino, possit item ex indulto celebrare. — 25. Quid de sacerdote paralytico? *ibi.*

(1. Missa a solo sacerdote ordinato rite celebrari potest. concil Nicænum can. 4, et Trid., sess. XXII, cap. 1. Solus enim sacerdos est legitimus minister Ecclesiæ ad hoc mysterium conficiendum consecratus, juxta quod Christus solis apostolis, eorumque in sacerdotio successoribus præcepit in ultima Cœna dicens : *Hoc facite in meam commemorationem.* (2. Unde missam celebrantes non ordinati, gravissimis pœnis puniuntur. Gregorius enim XIII, constitut. 21, incipient. *Officii nostri*, statuit, quod judicentur et puniantur rigorosissime per inquisitores ; et Clemens VIII, constitut. 81, incip. *Etsi alias*, decrevit quod degradentur et curiæ sæculari tradantur etiam pro prima vice; quod etiam confirmat Urbanus VIII, constitut. 79, incip. *Apostolatus.*

(3. Et licet essent minores 25 annorum, dummodo compleverint 20, tradendi sunt per inquisitores brachio sæculari et ultimo supplicio afficiendi, ex Clement. VIII et Urbano VIII in cit. constitut. (4. Casus iste evenit Romæ anno 1721 in Dominico Spallacino Urbevetano, qui sub mentito nomine Joan. Baptistæ Rosignoli, Andrea Rosignoli et Josephi Bonifacii, per annos quinque sæpissime missam celebravit, cum tamen nullos haberet sacros ordines, in Acie Campi Floræ furca suspensus et deinde igni crematus fuit die 12 Julii ejusd. anni 1711. Vide infra num. 12.

(5. Missa non debet permitti, quod celebretur a sacerdotibus vagis et ignaris. Concil. Tridentin. sess. XXII, in *Decret.*, tit. *De observand. in celebrat. missar.* (6. Nec a sacerdotibus notorie et publice criminosis. Idem concilium, *ibid.* (7. Nec a sacerdotibus exteris et incognitis, sine legitimis litteris dimissoriis sui episcopi. Concil. Mediolanen. I, part. II, tit. *De iis quæ pertinent ad celebrat. missæ.* (8. Sacerdotes exteri nec etiam possunt admitti a regularibus ad celebrandum in suis ecclesiis, contra prohibitionem ordinarii, ut censuit sac. cong. Concil. in *Bononiensi* 2 Julii 1620, et *in Neapolitana* 17 Augusti 1630, et sæpe alibi.

Digitized by Google

(9. Missa non potest celebrari in lingua vulgari; concil. Senonen. cap. 7, inter errores damnatos ibi relatos. Concil. Trident., sess. XXII, cap. 8, sed solum in lingua Latina, vel Græca a Græcis : nunquam et a nullo in lingua Sclavonica. Joan. VIII, epist. 195, ibi : « Audivimus etiam, quod missas cantantes in barbara, hoc est Sclavonica lingua ; unde jam litteris nostris per Paulum episcopum Anconitanum tibi directis prohibuimus, ne in ea lingua sacra missarum solemnia celebrares, sed vel in Latina, vel Græca lingua, sicut Ecclesia Dei, toto terrarum orbe diffusa, et in omnibus gentibus dilatata cantat. » Sic apud Pallavicinum in *Polyanchea sacrorum canonum*, tom. III, verb. *Missa*, § 3, n. 1. Et Thomas archidiaconus Spalatensis in *Historia episcoporum Salonitanorum* edita a Joanne Lucio, c. 16, tempore Alexandr. II refert a legatis Sedis Apostolicæ coactam fuisse synodum omnium episcoporum Dalmatiæ et Croatiæ, in qua statutum fuit, ne quis de cætero præsumeret divina mysteria celebrare in lingua Sclavonica, sed debere uti tantum Latina, vel Græca. Idem statuit Gregor. VII Alexandri successor, lib. VII, epist. 11, data ad Vratislaum Bohemiæ ducem, in qua sic scribit : « Quia nobilitas tua postulavit quod secundum Sclavonicam linguam apud vos divinum celebrari annueremus officium, scias Nos huic petitioni tuæ nequaquam posse favere. » Et paucis interjectis subdit : « Unde ne id fiat, auctoritate B. Petri inhibemus, teque ad honorem omnipotentis Dei huic vanæ temeritati viribus totis resistere præcipimus. »

(10. In Istria tamen, in Liburnia et in Dalmatia littorali missa et alia officia lingua Illyrica, seu Sclavonica celebrantur; at servatur ibid. Ritus Romanus. Eadem lingua ut tradit cardinalis Bona lib. I, cap. 9, num. 4, est in usu apud Christianos Tartaros circa Tauricam Chersonesum, apud Circassos, et quasdam Ponticas nationes, itemque in Servia, Misia, Bosnia, Bulgaria, Russia minori, in Volhinia, Podolia, et parte quadam Lithuaniæ et in aliis finitimis regionibus. Usum talis linguæ in sacris Ecclesiæ functionibus cœpisse sæculo nono, quo Moscovitas Christianæ religioni nomen dedisse sub imperio Basilii Macedonis ostendit Baronius in *Appendice* tom. VII *De Ruthenis a Sede Apostolica receptis*, volunt aliqui; alii autem id serius, nempe vertente sæculo decimo, imperantibus Basilio juniore et Constantino, contigisse opinantur; verum negari non posse ante prædictum tempus, nempe ante annum 872 ab Hadriano II Moravis permissum fuisse, ut lingua Sclavonica in missis et officiis uterentur, tradit Bollandus, in *Vita S. Cyrilli et S. Methodii*. Eamdem licentiam celebrandi missam, et officium lingua Sclavonica confirmavit Innocent. IV an. 1248 epistola ad quemdam in Sclavonia episcopum relata ab Oderico Raynaldo ad eumdem annum, num. 52, et vigore ejusdem privilegii in ecclesia sancti Hieronymi Illyricorum Almæ Romanæ Urbis, festo ipsius sancti, dum celebratur missa solemnis, canitur idiomate Illyrico epistola in choro ab uno ex beneficiatis ejusdem Ecclesiæ, Evangelium vero ab uno ex canonicis ; et a subdiacono legitur eadem Epistola in idiomate Latino, sicut Evangelium in eodem idiomate a diacono, ut refert eruditissimus P. Merati, tom. I, part. I *Observat. præliminar*, n. 29, ubi in fine tradit, quod in dictis provinciis, ut notat cardinal. Bona, *loc. cit.*, non obstantibus Apostolicis inhibitionibus numero antecedente relatis, dudum recepta consuetudo prævaluit, et viget. *Vide* ipsum, *loc. cit.*, ubi multa ad rem erudite suo more adducit.

(11. Cardinalis de Albic. tamen, *De inconstantia in fide*, part. I, cap. 34, n. 40 et seq., refert per extensum breve, quo Alexander VII 12 Januarii 1661 prohibuit Missale Gallica lingua impressum, quo publicato, statim omnia exemplaria abolita fuerunt, observando sub num. 41 quod occasione hujus Missalis clerus Gallicanus, pro suo in catholicæ Ecclesiæ disciplinam studio, Parisiis anno eod. 1661 in lucem dedit luculentissimam « collectionem quorumdam gravium auctorum, qui ex professo, vel ex occasione, sacræ Scripturæ, aut divinorum officiorum in vulgarem linguam translationes damnarunt ; » sacerdotem aliter facientem esse vehementer de hæresi suspectum, dum nostri temporis hæretici id obstinate servandum esse contendunt. Quinimo neque permissum est concilia in alias vulgares linguas traducere, ut respondit sac. congr. Conc. *in una Galliæ* 2 Julii 1629, ut in I. XVI *Decret.*, fol. 109.

(12. Missam celebrantes, qui reperti fuerint ad presbyteratum non promoti, curiæ sæculari traduntur, etiam pro prima vice, prævia degradatione, si alium ordinem habeant. Benedictus XIV, constitut. 97 incip. *Sacerdos*. (13. Etiamsi unius tantum missæ partem celebraverint, dummodo elevationem peregerint. Idem, *ibid.*, § 6. (14. Etiamsi consecrationis formam non protulerint. Idem, *ibid.* (15. Si elevationem non peregerint, mitiori pœna damnari possunt. Idem, *ibid.*

(16. Illyrica natio in missis celebrandis, et in Horis canonicis, aliisque divinis officiis persolvendis adhibere tenetur missalia, tabellas et breviaria characteribus Hieronymianis impressa typis congregationis Propagandæ Fidei, et Slavum litterale idioma cum dictis characteribus retinere; ac nemo orationes et preces, quæ Apostolicæ Sedis auctoritate examinatæ et approbatæ non fuerint, recitare, aut quoquo modo adhibere potest. Benedictus XIV, ecclesiasticis omnibus Ritus Slavo-latini expresse id præcipit constitut. incip. *Etsi pastorali*.

(17. Nemo ignotus sive sæcularis, sive regularis admittendus est ad celebrandam missam, nisi adductis testimonialibus, iisque visis et approbatis ab episcopo; idque præcipi posse ab eodem episcopo, saltem quoad sacerdotes regulares exteros etiam regularibus censuit S. congregatio. *Institut. eccles.*, 34, § 4, et *De synodo diœces.*, lib. VII,

Digitized by Google

cap. 41, § 5, novæ edit. lib. IX, cap. 15, § 5.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(18. Grave adeo visum est delictum ejus, qui cum non sit sacerdotio initiatus, audet missam celebrare, ut plura singularia adversus ipsum constitutionibus Pontificiis sint sancita.

(19. Primum est, quod extremum probationis non promotionis ad sacerdotium probari queat litteris extrajudicialibus ordinarii, ut statuit Benedictus XIV, in constitutione incipiente : *Sacerdos in æternum.*

(20. Secundum est, quod si ad probandum alterum extremum celebrationis missæ, testes inducti sint singulares, possit reus tormentis subjici ad veritatem eruendam. Idem Summus Pontifex in dicta constitutione.

(21. Tertium est, quod reus hujus delicti traditur brachio sæculari, etiamsi partem tantummodo missæ celebraverit, dummodo elevationem hostiæ, vel calicis, vel utriusque fecerit, forma consecrationis licet non probata. Mox laudatus Summus Pontifex in dicta constitutione.

(22. Quartum, quod et traditur ab auctore n. 3 est, quod a traditione brachio sæculari, nec excusat ætas minor 25 annis, si tamen reus annum vigesimum compleverit, ut sanxit Urbanus VIII, in constitutione cui initium est : *Apostolatus officium*, et innovavit Benedictus XIV, in dicta constitutione.

(23. Quintum est, quod *confessio* vocata *de plano*, quæ suffragari in tribunali S. Inquisitionis solet ad mitigandam pœnam ordinariam minime reis hujus delicti suffragatur ad vitandam traditionem brachio sæculari, ut constituit idem Benedictus XIV, in altera constitutione, quæ incipit : *Divinorum.*

ADDITIONES CASINENSES.

(24. Pro resolutione dubiorum, an scilicet quis sedens ob crurium debilitatem, etc., vel omnino cæcus, missam ex Apostolicæ Sedis indulto celebrare possit : satius existimamus epistolam hic transcribere immortalis Pontificis Benedicti XIV in qua simul alia incidenter disciplinam ecclesiasticam respicientia suo more solidissime exposita reperiuntur, tenoris sequentis.

Lettera della santità di nostro signore Benedetto Papa XIV a monsignore Ignazio Reali, primo maestro delle cerimonie Pontificie, sopra il celebrare la messa sedendo.

ALL' AMATO FIGLIUOLO MAESTRO IGNAZIO REALI, PREFETTO DELLE CERIMONIE PONTIFICIE.

BENEDETTO PAPA XIV

Amato figliuolo salute, ed Apostolica benedizione.

« Nell' estate dell' anno prossimo passato 1756, incominciammo a provare nella nostra complessione naturale varj pregiudizj, e danni, cagionati in parte dalla grave età in cui ci ritroviamo, ed in parte dalle incessanti fatiche intraprese, e sopportate dai primi anni della nostra gioventù sino all' ultima nostra vecchiaja..... Da quel giorno sino al giorno presente non abbiamo mai celebrata la messa ; non essendo possibile, che a Noi' riesca lo stare in piedi. Abbiamo però sempre ricevuta la sacra Eucaristia in quei giorni, nei quali secondo il solito avressimo celebrata la messa, se non fossimo stati impediti ; e la comunione è stata ricevuta da Noi o sedenti in una sedia, o per lo più stando nel letto, e stando in esso a sedere : nè in questo tempo abbiamo mai pensato a celebrare la messa, per la speranza dataci dai professori, che, venuta nell' estate la stagione calda, avressimo pel benefizio d'essa riacquistato ciò che avevamo perduto. Ma nulla avendo conseguito, ed essendo restati inabili come prima, ed avendo già sperimentate tutte le stagioni nel decorso d' un' anno ; ci sembra d'aver avuta la sentenza, da Noi ben volentieri accettata, di dovere nel rimanente di nostra vita esser impediti, come ora siamo, e non potere per conseguenza reggerci in veruna maniera su i piedi. Per lo che è necessario il vedere, che partito dobbiamo prendere ; cioè, se dobbiamo continuare ricevendo la santa comunione ; o se dobbiamo procurare di celebrare la messa stando a sedere.

« Si è detto, aver Noi ben volentieri accettata la sentenza ; non avendo mai pregato Dio nella nostra grave malattia di vivere, o di guarire dal male. Ci siamo sempre con pienezza e sincerità di cuore rimessi, in tutto e per tutto, nella sua santissima volontà, ben sicuri che non si sarebbe scordato dell' anima nostra, nè tampoco del governo della Chiesa, e di questa S. Sede Apostolica, quando la sua divina volontà fosse stata che dovessimo anche per qualche tempo sopravvivere. Si è detto, esser venuto il tempo di dover risolvere, se dobbiamo continuare ricevendo l'Eucaristia, come abbiamo fatto fin' ora, o pure dire la S. messa, sedendo. Ma perchè Salomone nel cap. 3 de' *Proverbj* dice : *Ne innitaris prudentiæ tuæ*, parole ancora, che si leggono nella decretale *Ne innitaris*, De constitutionibus ; e Giansenio sopra i *Proverbj*, così soggiugne : « Vetat niti suæ prudentiæ, quod est sic illi « fidere, quasi illa sufficiat ad directionem « actuum nostrorum, et provisionem rerum « necessariarum : » ed il Salazar sopra il detto testo de' *Proverbj* al n. 26, osserva con S. Gio. Grisostomo, che a questa legge sono ancora sottoposti i vecchi, non ostante la lunga esperienza degli affari, e che abbiano un bastone a cui si possano appoggiare : « Baculus, inquit Chrysostomus, se- « nectutis sustentatio est. Quapropter dixe- « rim, eo spectasse Salomonem, ut his ver- « bis suadeat, sapientiæ, vel prudentiæ pro- « priæ non inniti. Nam, si qui possent certo « propriis consiliis, et prudentiæ fidere, « maxime senes et grandævi, propter ex- « perimentum et canos. Ait ergo : ne pru- « dentiæ tuæ, quasi baculo innitaris : id est « etiamsi ad senectam perveneris, cum opus

Digitized by Google

« est baculo, ne tunc quidem tua prudentia « quasi baculo utaris : » quindi è, che dopo aver Noi dedotte in questa lettera per l'una, e l' altra parte le ragioni che possono assistere o al proseguire la comunione, come insino ad ora si è fatto, o al celebrare la messa sedendo, siamo resoluti di confidare queste nostre fatiche a varj uomini da bene, e dotti, per prendere poi risoluzione, dopo aver inteso il loro consiglio. Il cardinal Enea Silvio Piccolomini, che di poi fatto Papa, prese il nome di Pio II nella sua celebre lettera scritta a Martino Mayer, cancelliere dell' arcivescovo di Magonza, e stampata ne' Commentarj dell' edizione di Roma del 1584, espone la necessità che ha il Papa di prender consiglio, colle seguenti parole : « Papa, etsi doctus et sapiens est, « non tamen tam verbo suo sapit quam « consilio assistentium ; et deciperetur for- « sitan aliquando, nisi astarent viri sapien- « tes, qui multa noscant. » Questo è un grande avvertimento per Noi, che non siamo nè dotti, nè sapienti, e che abbiamo alle mani un affare, che non è affare d'altri, ma nostro, ed in cui, senza il lume dell' altrui consiglio, l' amor proprio potrebbe far travedere.

RIFLESSIONI

Sopra il proseguire a ricevere la comunione, come s' è fatto fino ad ora, lasciando il celebrare la messa sedendo.

« I. Per camminare con ordine, esporremo in primo luogo quanto risguarda il continuare la santa comunione nel modo fin' ora praticato, lasciando di celebrare la messa sedendo; per far poscia passaggio all' altra parte, in cui si ammette la celebrazione della messa sedendo, lasciando da parte il costume di recever sempre la sacra comunione, come fin' ora si è fatto.

« II. L'Angelico Dottore S. Tommaso 2-2, quæst. 93, art. 1, ad sec. insegna che, avanti il tempo della legge, i giusti per mezzo d'un interiore istinto erano istrutti del modo d' onorare Iddio, a cui poscia gli altri aderivano : « Ante tempus legis justi « per interiorem instinctum instruebantur « de modo colendi Deum, quos alii seque- « bantur : » e che poi nella legge furono stabiliti i precetti esteriori, da quali restarono gli uomini a sufficienza istrutti, ed obbligati all' adempimento d'essi : « Postmo- « dum vero exterioribus præceptis, » prosiegue S. Tommaso, « circa hoc homines « sunt instructi, quæ præterire pestiferum « est. »

« III. Terminata poi l'osservanza della legge Mosaica, e l' obbligo di adempirla per la venuta di Cristo, e fattosi luogo al Vangelo, benchè non ogni rito spettante all' amministrazione de' Sagramenti, ed alla messa, sia stato istituito dagli apostoli, ma molti e molti siano stati istituiti dalla Chiesa, ciò non toglie che questi pure debbano adempirsi ed osservarsi. Il Suarez nel t. III, in III part. D. Thom., quæst. 83, art. 5,

disput. 84, sect. 1. dopo aver portato le parole dell' apostolo S. Paolo nella *I ad Corint.*, XIV. *Omnia secundum ordinem fiant in vobis :* dice essere stata la Chiesa necessitata a costituire, ne' sacri riti spettanti all' amministrazione de sagramenti ed alla celebrazione della messa, un' ordine fisso anche nelle cose più minute : « Et ideo « oportet in his omnibus, etiam minutissi- « mis, certum ordinem ab Ecclesia consti- « tui : » riflettendo che se le cose si fossero lasciate all' arbitrio di ciascheduno, *multo indecore, et imprudenter fierent ;* e che l'uniformità nelle predette cose serve per lodare l' unità della Chiesa, la cura e sollecitudine de' Pastori : « Hæc uniformitas, quæ in his « omnibus servatur, ad splendorem officii « ecclesiastici spectat, et unitatem Ecclesiæ « commendat, et pastorum ejus curam ac « sollicitudinem ».

« IV. E però, venendo al caso nostro, se nelle rubriche generali del Messale Romano al tit. 17, non si ammette il sedere nella messa privata, ma bensì nella messa solenne, quando si cantano dal coro il *Kyrie*, la *Gloria*, ed il *Credo*, se quanto ivi è prescritto deve esattamente eseguirsi, esclusa qualsisia mutazione, secondo la definizione del sacro concil. di Trento alla sess. VII, *De sacram in gen.* can. 13, e la bolla di S. Pio V, prefissa al Messale, in cui si comanda un' esatta osservanza di quanto è prescritto nelle sopraddette rubriche, sembra restar chiara la conseguenza che, non essendo permesso il sedere nella messa privata, chi senza sedere non la può celebrare, dee contentarsi di ricevere la sacra comunione *more laicorum*, lasciando di celebrarla.

« V. Ben vediamo, che si può replicare che l'argomento prova non doversi celebrare la messa senza l' opportuna dispenza, non escludendo il celebrarla colla dispensa. Ma subentra la replica ; ed è che il celebrare la messa sedendo, quando la rubrica non lo permette è una specie di disprezzo, che non può levarsi pel mezzo della dispensa. Teofilo Raynaudo nella sua opera intitolata *Sacrum Christianum Acathistum, seu sessionis expers*, al tom. VI, pag. 498, § 4, e seg., pone in chiaro il sopraddetto disprezzo. Evvi pure un' opuscolo di S. Pier Damiano che è il 39. al tom. III della stampa del 1743 in cui persuade al vescovo Bisuntino che dalla sua diocesi tenga lontano *opprobrium ignominiosæ sessionis*. E nel decreto di Graziano sono registrati due canoni, il 57, ed il 68, *De consecrat.*, dist. 1, nel primo dei quali così si legge ; « Nullus episcopus, « presbyter, aut diaconus ad solemnia mis- « sarum celebranda præsumat cum baculo « introire : » e nel secondo si ritrovano queste altre parole : « Apostolica auctori- « tate mandamus, dum sancta Evangelia in « Ecclesia recitantur, ut sacerdotes et cæ- « teri omnes præsentes, non sedentes, sed « venerabiliter curvi in conspectum Evan- « gelii stantes, Dominica verba intente au- « diant et fideliter adorent. »

« VI. Tanto più, che ora non si parla

Digitized by Google

d'una dispensa di celebrare la messa sedendo, stando però in piedi in tutto il tempo del canone, come altre volte è stato concesso; ma di celebrare la messa intera stando a sedere, e così ancora nel tempo del canone, della qual dispensa dicesi non ritrovarsi esempio. Il Pasqualigo, *De sacrificio novæ legis*, tom. I, quæst. 227, propone la questione: *an sacerdos, dum celebrat, sedere possit?* e dopo aver riposto di nò, pel motivo dell' irriverenza, parlando in ultimo della dispensa Papale, dice, che non sarebbe conveniente il concederla, quando la dispensa dovesse comprendere tutta intera la messa; ma che piuttosto sarebbe cosa praticabile, se, non potendo il sacerdote stare in piedi tutto il tempo del canone, interrompesse la messa, e andasse a sedere, prendendo in quella maniera il necessario riposo: « Satius esset, quod potius interrumperet missam, et sedens quiesceret ad recuperandas vires, quam sedendo celebraret: » il che Noi abbiamo veduto praticare da un'uomo dotto e dabbene, che era inquisitore di Perugia, e che non poteva stare in piedi tutto il tempo del canone, come doveva fare, a tenore della dispensa, per la gran debolezza a cui era sottoposto.

« VII. Sappiamo parere superfluo a taluno quanto sin ora si è detto contro il celebrare la messa sedendo, e particolarmente quando il sedere comprende ancora il tempo del canone; poichè derivando la proibizione del sedere nel detto tempo dal gius positivo e non dalla legge divina, o naturale ed essendo il Romano Pontefice superiore al gius positivo, può con ogni facilità derogare ad esso, e per conseguenza concedere di poter sedere celebrando la messa o fuori del tempo del canone, o anche nel tempo del medesimo.

« VIII. Ma chi la discorre così, non ha presenti quei casi, ne' quali il Romano Pontefice non concede dispensa, ancorchè, concedendola, non deroghi che al gius positivo, nè offenda il gius divino, o naturale.

« IX. Si controverte fra i teologi, se sia proibito dal gius divino, o naturale, oppure dal solo gius positivo il matrimonio tra fratello e sorella; e S. Tommaso, il Gonzalez, il Ponzio, il Parisio, l'Aversa riducono la proibizione al solo gius positivo: e ciò non ostante, non si ritrova esempio di verun Pontefice Romano, che abbia ammesse le suppliche del fratello che volea maritarsi colla sorella; essendo falsi gli esempj che dagl' inimici della S. Sede si portano per la concessione della dispensa; ed essendo solamente vero quello d' Arrigo VIII, re d' Inghilterra, che avendo con gran premura domandato al Pontefice Clemente VII che il duca di Richemont suo figlio bastardo potesse maritarsi con Maria figlia legittima di lui e della regina Caterina, ebbe una pronta repulsa; ed essendo pur vero l' altro esempio del conte d'Armagnac, che si maritò colla sorella col mezzo d' una dispensa, ma falsa, di Callisto III che sempre ricusò di concederla. Vedasi il tutto pienamente riferito, e comprovato dal Riganti, che volentieri nominiamo, per essere stato da Noi trattato *in minoribus* con amicizia, e confidenza, e stima del suo valore e sue virtuose fatiche. Vedasi il citato Riganti ne' commenti sopra la regola 49 di cancelleria dal num. 13 fino a tutto il num. 17.

« X. Il matrimonio in primo grado di affinità in linea retta non è proibito, che pel gius positivo; ed il Silvio, celebre teologo, sostiene, che concorrendovi causa di gran rilievo, può il Romano Pontefice concedere la dispensa fra patrigno, e figliastra: ma insino ad ora non si è trovato Papa che abbia concessa, anche con causa di gran rilievo, dispensa in primo grado d' affinità di linea retta: come Noi abbiamo dimostrato nel nostro lib. IX *De synodo diœces.* dell' ultima edizione al cap. 13, n. 4. (V. *Addit. Cas.*, v. *Matrim.*, art. 6, sub verbo AFFINITAS, n. 28.)

« XI. L'impedimento *criminis*, ancor quando sia seguita l' uccisione del conjuge, è impedimento di gius positivo. Ciò si vede nella legge Ebrea, che non riconosce nullità di matrimonio, ancorchè sia preceduta la copula coll' uccisione del conjuge: e Noi ci ricordiamo, essersi nel tribunale del S. Officio, quando *in minoribus* n' eravamo consultore, rigettata l' istanza d' un giudice Ebreo, che voleva introdurre l' impedimento *criminis* nei matrimonj, che si facevano fra gli Ebrei, quando v' era stata l' uccisione del conjuge, essendo troppo chiaro il fatto di Davidde, il di cui matrimonio con Bersabea si ebbe per valido, ancorchè prima avesse colla medesima commesso adulterio, e macchinato nella morte di Uria di lei marito. Essendo la proibizione del matrimonio nel caso predetto di gius positivo, se fosse vera la regola generale della facilità di dispensare, quando la proibizione discende unicamente dal gius positivo, non vi dovrebbe esser stata, nè tampoco essere oggidì tanta difficoltà di dispensare, concorrendo causa legittima; e pure non v'è esempio, che da verun Romano Pontefice sia stata concessa simile dispensa, quando il fatto sia pubblico. Vedasi quanto in questo proposito è radunato dal Migliorucci nelle sue *Istituzioni canoniche* al l. II, tit. 14, nelle spiegazioni al n. 9 e 10. « Ubi conjugis occisio secuta sit, nunquam dispensatur, non quia Pontifex non possit, » e quanto al caso, che l'impedimento sia occulto, il maggior penitenziere concede la dispensa tanto ne' matrimonj contratti, quanto in quelli che debbono contrarsi, pel foro interno, se l' adulterio è seguito *neutro machinante;* ma se l' impedimento nasce dall' adulterio, *utroque, vel altero machinante*, essendo occulto l' impedimento, il maggior penitenziere ha la facoltà di dispensare, *raro tamen*, e sempre pel detto foro interno, e concorrendo una grave necessità, o sia qualche imminente pericolo, ma dopo aver proposto il caso nella piena congregazione, o sia segnatura della Penitenzieria. Vedasi la nostra constituzione 93. che comincia *Pastor bonus* nel v. 1, del nostro *Bollario*, al § 44.

« XII. I sopraddetti esempj pienamente

Digitized by Google

comprovano, non doversi correre alla cieca, e stabilire per regola, che, quando una cosa non è prohibita dal gius positivo, e non dal gius naturale, o divino, sia in piena libertà del Romano Pontefice usare il diritto di derogarvi: anzi agli esempj poc' anzi riferiti può aggiungersi ancor quello del celebrare sedendo in tutto il tempo della messa, e così anche nel tempo del canone: giacchè, per quanto dice chi è contrario alla celebrazione della messa nel modo predetto, non si trova esempio di simile concessione.

« XIII. Nè a quanto si è esposto, può in veruna maniera ostare, se mai si replicasse impedirsi un gran bene, se non si concede la detta dispensa: si perchè consistendo il bene nell' edificazione, che dà il vescovo celebrando la messa in quella maniera che può, questo gran bene avrebbe luogo, ogni volta che si concedesse la dispensa; inserendosi in simili dispense, ed anche in quella di poter celebrare sedendo, purchè nel tempo del canone si stia in piedi, la clausula, che la messa si celebri in oratorj privati, per non cagionare ammirazione, e bisbiglio nel popolo: sì perchè, quando prescindendo dal motivo poc' anzi addotto, si potesse l'accennato bene ottenere, non sembra doversi conseguire con introdurre nella Chiesa un' esempio nuovo; potendo il vescovo soddisfare alla sua divozione, comunicandosi *more laicorum;* e potendo soddisfare alle messe che deve offerire pel popolo, commettendo ad altri il celebrarle in sua vece.

« XIV. E un gran bene, che un povero ammalato, che chiede il SS. viatico, lo riceva; è un gran bene, che il sacerdote glielo amministri. Ma, se non si ritrova almeno una candela per celebrare la messa, o se mancano gl' indumenti sacri, essendo partito, senza prevedere il caso, chi li tiene sotto chiave, che ha seco portata, nè l' ammalato riceve il viatico, nè il sacerdote glielo amministra: ma s' insinua all' ammalato il contentarsi del desiderio, che ha avuto, ed ha, di ricevere *in re* il sagramento, bastandogli in questo caso il riceverlo *in spe;* ed al sacerdote si dice pure, che si contenti della prontezza che aveva di celebrare la messa per poter amministrare all' ammalato il viatico; non essendo permesso pel bene di conferire il viatico all' ammalato, il celebrare la messa o senza i lumi o senza i sacri indumenti, secondo la più vera opinione, della quale da Noi si è parlato nel nostro *Trattato della S. messa* al tom. II, sez. II, cap. 1, § 3 dell' edizione Italiana, e dell' edizione Latina al lib. III, cap. 7, n. 3.

RIFLESSIONI

Sopra in celebrare la messa sedendo anche nel tempo del canone, senza essere astretto di sempre ricevere la sacra comunione, come la ricevono i laici. (* Agitur quoque de sacerd. facto cæco, an possit ex indulto celebrare*.)

« XV. Chi crede esser ben fatto il concedere la dispensa di celebrare la messa anche

sedendo nel tempo del canone per la gran debolezza in cui si ritrova il celebrante, e per la quale senza pericolo di gravi sconcerti non può stare in piedi nel tempo del canone, premette non essere il sedere in tempo delle divine preci cosa indecente, o piena d' obbrobrio. Negli *Atti apostolici* al cap. 2, si legge, che lo Spirito santo discese sopra gli apostoli, che sedevano nel cenacolo: *Et replevit totam domum ubi erant sedentes.* Onde il cardinale Gaetano così scrive sopra gli *Atti degli apostoli*, commentando il detto testo: *Non horreo sessionem corporalem, cum nihil indecens inducat:* ed il Navarro, nel *Manuale de oratione*, al c. 4, n. 12, soggiunge, che il predetto sito del corpo non è incongruo per quelli che pregano. Passando poi oltre, chi è parziale della dispensa, ammette, che da ciò deriva l' esser cosa mal fatta e condannata, che chi celebra la messa stia a sedere; ma soggiugne che, concorrendo una causa legittima, qual' è quella della debolezza del corpo, questa tal debolezza, che non permette lo stare in piedi, ancorchè lo stare in piedi si restringa al tempo del canone, deve aversi per una causa bastante e legittima per accordare la dispensa di celebrare, sedendo, tutta la messa, non ad ognuno, ma a quei rispettabili sacerdoti, che per le dignità che ottengono, fanno una gran figura nella Chiesa, e molto più ai vescovi, che per debito del loro ministero sono obbligati a celebrarla. S. Pier Damiano, che, come poc' anzi si è avvertito, fu capitale nemico del sedere nelle preci, nel fine del citato opusculo al c. 4, pag. 336, così soggiugne: « Nemo sedeat, nisi corporis eum valetudo compellat; » e Teofilo Raynaudo, inimico del sedere nelle sacre preci al pari di S. Pier Damiano, nel luogo citato pag. 503, col. 1, così scrive: « Quis sedere « coram Deo audeat injussu ejus? At abest « Dei nutus, vel jussum de sibi assidendo, « si adsit ægritudo corporis sessionem de- « poscens; ea enim corporis imbecillitas « divinæ indulgentiæ ad sedendum conces- « sæ tessera est ex natura rei. » E leggendosi nel canone 131 del concilio I Aquisgranense: « Nec cum baculis in choro, ex- « ceptis debilibus, sed religiosissime illic « standum et psallendum est. » L'erudito Padre Hæfreno nelle sue dotte *Disquisizioni monastiche*, t. VII, disquis. 1, p. 705, così lo spiega e commenta: « Quod autem debilibus « hic legimus baculum indulgeri, cæteris « negari, id factum eo modo, quo de Zebino « scribit Theodor. *in Phil.*, c. 24. Postquam « autem non permittebat senectus, ut citra « molestiam stare posset assidue, sustenta- « culum ei præstabat baculus, cui innixus « Dom. et laudabat et orabat. »

« XVI. E per vero dire, se inabilitandosi qualche sacerdote a poter celebrare la messa, si prendono tutte le misure per concedergli la dispensa di poterla celebrare, non ostante il difetto in cui è incorso, se si fa quanto si può acciò i laici, e gli altri non restino senza ricevere i sagramenti, superando colle diligenze ed i mezzi termini le difficoltà,

Digitized by Google

che ad essi impediscono il riceverli; non deve a chi si sia parer cosa strana, se, oltre il concedere a chi non può per lungo tempo stare in piedi, il celebrare la messa sedendo, eccettuato il tempo del canone, si conceda ai personaggi qualificati per le dignità ecclesiastiche, che hanno nella chiesa, e molto più ai vescovi, che non possono stare in piedi nel tempo del canone, il celebrare sedendo sempre, e così anche nel tempo del canone, e della consecrazione.

« XVII. Quando il parroco, o il sacerdote non è affatto cieco, se gli concede la licenza di celebrare nei giorni festivi, e doppii la messa votiva della beatiss. Vergine, e ne' giorni feriali la messa da morto, ma con molte clausule, e particolarmente con quella, che « non sit omnino cæcus, nec recitet memoriter, » ordinando al vescovo, che diventando affatto cieco, gli neghi la licenza di celebrare. Ma, se si tratta d'un sacerdote diventato affatto cieco, questa malattia, che gli sopravviene dopo ricevuto l'ordine sacerdotale, non lo priva dell'ordine, ma dell'esecuzione dello stesso in ciò che appartiene alla consecrazione dell'Eucaristia, ma

non agli altri uffizj, che non richiedono la vista, come sarebbe il confessare, o il predicare; conforme molto bene riflette S. Tommaso nella III par., quæst. 82, art. 10, ad. 3. Non mancano esempj di dispense date a vescovi ciechi di poter celebrare la messa: leggendosi nell'Aimonio negli Atti del concilio Tricassino dell'anno 878 appresso il cardinale Baronio, et appresso Natale Alessandro, che il Pontefice Giovanni VIII accordò nel detto concilio ad istanza de' vescovi ad Incmaro vescovo di Laon, cieco, nipote d'Incmaro Remense, il celebrare la messa; ed attestando il Soto in 4 sent., dist. 9, quæst. 1, art. 2, di aver veduto nel concilio di Trento in vescovo cieco, che celebrava quotidianamente la messa colla dispensa del Papa. Ma nel tempo che *in minoribus* eravamo segretario della congregazione del Concilio, dopo essere stata ben discussa ed esaminata la materia, dopo essersi veduti gli autori più gravi, allegati da Noi nel foglio, che in quell'occasione pubblicammo, e che si ritrova stampato nel 4 tomo del *Tesoro delle risoluzioni* della detta congregazione p. 101 e seg., dell'ediz. d'Urbino (73),

(73) Lubet afferre in terminis decretum S. C. Concilii hic supra a Bened. XIV memoratum: « Fiorentina, Sacerdos Joannes Niccoli parochus S. Romuli in Villamagna diœcesis Florentinæ, cum visus debilitatem pateretur, anno 1720 consuetam ab hac congregatione, obtinuit licentiam celebrandi diebus festis, et duplicibus missam votivam beatæ Mariæ Virginis, et diebus ferialibus missam defunctorum cum solitis clausulis, quod videlicet non esset *omnino cæcus*, *memoriter non recitaret*, data insuper Ordinario commissione denegandi licentiam celebrandi, quatenus ipse omnino cæcus evasisset. Licet enim Vasquez, et Suarez, aliique magni nominis Theologi in ea sint opinione, ut illi, qui propter debilitatem visus non possunt legere, si possunt sufficienter hostiam, et calicem videre, non sint arcendi a celebrando, si missam sufficienter memoriter recitent, uti videre est apud Dianam in edit. coordinata, tom. II, tract. 1, resol. 137. Sacra nihilominus hæc congregatio in formula consueta pro cæcutientibus apponit clausulam: *Dummodo memoriter non recitent.*

« Crescente ætate, et postquam sacerdos Joannes devenit ad annum septuagesimum, cæcus omnino factus est, habitoque per eum recursu ad Summum Pontificem pro facultate continuandi in celebratione missæ votivæ beatæ Mariæ Virginis diebus festis, et duplicibus, et missam defunctorum in diebis ferialibus, instantiæ remissio facta est ad hanc sacram congregationem, quæ juxta morem scripsit archiepiscopo Florentino, ut informaret, facto prius experimento coram magistro cæremoniarum.

« Factum fuit experimentum coram prædicto magistro, qui in scripto retulit, oratorem esse grata dignum, cum tali peritia polleat, non obstante cæcitate, ut nullum sit irreverentiæ periculum, si missam celebret. Archiepiscopus hoc idem confirmavit in suis litteris, in quibus pro motivo gratiæ addidit, oratorem nedum esse sacerdotem optimæ famæ, et parochum, qui semper suum munus diligenter adimplevit, sed etiam paupertate laborare, cum ex redditibus parochiæ non habeat, nisi annua scuta quinquaginta monetæ Florentinæ, quorum partem erogare tenetur pro alimonia capellani, idemque archiepiscopus concludit annui posse petitus, dummodo celebret cum assistentia alterius sacerdotis, et eo fortius, quia si orator missam non poterit celebrare, periculum imminet, quod parochiani sine missa diebus festis remaneant propter defectum aliarum ecclesiarum in parochia, et distantiam septem milliarium a civitate, et unius milliaris ab alia parochia.

« De promoto ad sacerdotium, certum est, quod si ille cæcus evadat, non habet exsecutionem ordinis, quantum ad ea, quæ visum requirunt, uti est missæ celebratio, teste divo Thoma, III p., q. 82, art. 10, ad 3, ibi: « Debilitas, vel ægritudo superveniens « ordini sacerdotali ordinem non tollit, exsecutio- « nem tamen ordinis tollit quantum ad consecratio- « nem Eucharistiæ; quandoque propter impossibili- « tatem exsecutionis, sicut si privetur oculis: » secus quoad alia, quæ visum non requirunt, uti confessiones audire, et concionari, uti adnotarunt Majol... Gibalin... Et probat textus in cap. *Presbyterum*, De cler. ægr., ibi: « ipsum autem cæteris « officiis sacerdotalibus fungi minime prohibemus. »

« Punctus itaque est, an ex gratia a Summo Pontifice concedi possit, et aliquando concessum sit sacerdoti cæco, ut missam celebraret, et signanter cum assistentia alterius sacerdotis.

« Notæ sunt simultates inter Hincmarum Remensem metropolitanum, Hincmarumque Laudunensem episcopum ejus nepotem, qui per duos annos in carcere detentus est, et oculis orbatus.

« In synodo Tricassina secunda habita anno Christi 878 coram Joanne VIII Romano Pontifice, Hincmarus Laudunensis ad Pontificem adductus, oblato reclamationis libello, calamitatum suarum historiam exposuit, et episcopis orantibus, ipsum ab excommunicatione, irregularitate, et cæteris pœnis Pontifex absolvit, et facultatem concessit missæ celebrandæ, attributo ad vitæ sustentationem Congiario ex redditibus Ecclesiæ, quo audito, episcopi Hincmarum indumentis sacerdotalibus indutum ad Ecclesiam detulerunt, et signum benedictionis super populum dari fecerunt, et sic synodus soluta est, uti refert Aimonius in Actis dictæ synodi, et late prosequuntur Baronius ad annum Chr. 878, n. 24 et seqq.; Natal. Alex., in *Hist. eccles.*, sæc. IX, dissert. 8, n. 18 et seqq.

« De episcopo, qui in synodo Tridentina missam cæcus celebrabat ex pontificia dispensatione, mentio

Digitized by Google

fu concessa ad un degno parroco Fiorentino affatto cieco, al di cui favore concorrevano varie rilevanti circostanze, la grazia di poter celebrare la messa coll' assistenza d' un' altro sacerdote, essendo stata proposta la causa ai 2 di Agosto del 1727 e risoluta nel giorno 23 dello stesso mese ed anno. Nè mancano altri simili esempj di concessioni di dispense fatte di poi.

« XVIII. Non si può celebrare la messa col capo coperto. I canoni, che ciò vietano, sono da Noi allegati nella nostra notific. 14, del t. II, ch'è la 32 dell'ediz. lat., al. § 4, il che pure vien comprovato da Noi nel nostro t. 1 della S. messa alla sez. 1, cap. 4, §. 2. dell'ediz. italian. ed al. lib. I, cap. 9, n. 2 e seg,. dell'ediz. lat. essendo, oltre gli altri canoni, letterale quello, che incomincia *Nullus episcopus*, De consecrat., dist. 2, le di cui parole sono le seguenti : « Nullus epi- « scopus, presbyter, aut diaconus ad solem- « nia missarum celebranda præsumat cum « baculo introire, aut velato capite altario « Dei assistere. » E ciò che siasi di quello, che racconta il Vasquez nel t. III, sopra la III part., disput. 232, cap. 4, che nella Polonia i sacerdoti anche regolari dicono la messa nel tempo d'inverno tenendo il capo coperto fino alla consecrazione, è introdotta l'usanza di concedere il celebrare la messa col capo coperto, tenendolo però scoperto nel tempo del canone, e della consecrazione, quando vi concorra l'attestazione de' medici della necessità, in cui si trova il sacerdote di tener coperta la testa celebrando la messa, per non recar pregiudizio alla sua salute. E del Pontefice Paolo V si legge, che in alcune Chiese Orientali concesse il celebrare la

messa col capo coperto anche nel tempo del canone, e della consecrazione, riputandosi in quelle regioni cosa incivile il tenere il capo scoperto. E il Raynaudo nel cit. t. VI, p. 499, col. e l'Henao nel t. II, *De sacrificio*, disput. 27, sez. 2, n. 10, e 20, ammettono il tenere il capo coperto anche nel tempo del canone, e della consecrazione, pel timore del detrimento della salute, a cui sarebbero sottoposti i sacerdoti, che dicono la messa ne' paesi soggetti al gran freddo, ancorchè lo tenessero scoperto nel solo tempo del canone, e della consecrazione. Onde il Navarro nel lib. III, *De celebrat. missar.*, cons. 7, n. 5, dell'ediz. Veneta del 1621, così la discorre : « Non desinunt sa- « cramenta divina reverenter tractari, eo « quod ex justa causa, et necessitate vi- « tandi frigoris, vel doloris capitis, pileolo « aliquo honesto caput tegatur. » Concorda il Salmerone al tom. XIV, nell' *Epist. I ad Corinth.*, cap. XI, disput. 18, pag. 104, della stampa di Colonia del. 1614. E l'Henao nella cit. sez. 2, n. 20, così conchiude coll' Arriaga, disput. 55, sez. 4, n. 19 : « Non est cen- « sendum, Deum malle omitti sacrificium, « aut quod graviter sacerdotes de salute « periclitentur, quam quod habeant tecta « capita; cum hoc ipsum, quod extra ne- « cessitatem esset irreverentia, desinat esse « talis in similibus casibus. » In oltre è proibito agli ecclesiastici il portare la parrucca, come può vedersi ne' monumenti da Noi raccolti nel nostro trattato *De synodo diœcesana* dell' ultima stampa al. lib. XI, c. 9, e molto più l' andare con essa all'altare, e celebrare con essa la messa : e ciò non ostante, si è introdotta una specie di tolleranza a

fit apud Sotum in 4 dist., q. 1, art. 2. Et auctores passim testantur fuisse a Summo Pontifice dispensatum cum sacerdotibus cæcis, ut missam celebrarent cum assistentia alterius sacerdotis, Henriquez... Diana.. Formos. ad cap. 2 *De corpore vitiatis*, q. 1, n. 39, ibi : « At ex dispensatione Papæ, cæcus po- « test celebrare missam, si alius sacerdos, aut vir « expertus illi adsit cæco celebranti. » Michalor., *De cæco, surdo, et muto*, cap. 22. Gibal... Leander, *Oper. morali*, p. 5, tract. 2, disp. 2, q. 6, ibi : « An « saltem ex dispensatione Papæ possit sacerdos cæ- « cus celebrare missam, respondeo posse, casu so- « lum, quo alius sacerdos, aut alius vir expertus « adsit ipsi cæco celebranti. » Raynald. in *Observat. crim.*, tom. I, ad cap. 8, suppl. 1, n. 55, 56; episcopus Sarnellus, tom. IX *Epist. eccles.*, epist. 62, ubi proposita hac quæstione : « Se un sacerdote di- « venuto cieco possa ottenere la dispensa di celebrare « quella messa, che sa a memoria : » post plura allegata concludit, num. 15 : « Sicchè col sacerdote « divenuto cieco si dispensa, che possa celebrare « quel la messa, che sa a memoria, come della beata « Vergine, o di *Requiem*, purchè abbja assistente al « lato un' altro sacerdote, come ho inteso essere « stato conceduto ad alcuni. »

« Et ipse testari possum (concludit Bened. XIV, tunc Prosper de Lambertinis, et d. congregationis secretarius), a sanctissimo domino nostro concessam fuisse sacerdoti professo ordinis S. Dominici, qui cæcus factus est, facultatem missam celebrandi cum assistentia alterius sacerdotis.

« Quibus stantibus dignabuntur EE. VV. decernere : « An, et quomodo petitis sit annuendum in « casu, etc. » Die 23 Augusti 1727, S. congregatio rescripsit : « Pro gratia cum assistentia alterius « sacerdotis. »

Ita in *Thes. resol. S. C. Conc.*, tom. IV, pag. 101, 106.

Cæterum id. Bened. XIV, in *Institutione eccles.* 34, § 2, de hujusmodi indulto, et gratia Apostolica, qua nempe omni oculorum luce destitutis missam celebrare conceditur, verba faciens, in hunc sane modum prosequitur : « Id vero (concessio Indulti præf.) perraro solet accidere. Nam longo temporis spatio, quo in sac. Conc. congregatione secretarii munus exercuimus, parocho Florentino (' ut in nuper allato decreto S. congreg. ') id unice permissum fuit, qui ad extremam paupertatem redactus ita fuerat, ut nihil ipsi aliud pro vita sustentanda, nisi missæ stipendium superesset. Insuper Florentinus archiepiscopus ipsum in sacrificio peragendo diligentissimum testabatur, nullamque fore suspicionem, ne aliquid contra ipsius sacrificii dignitatem committeretur... »

Quoad vero eos sacerdotes, qui « lumine oculorum sic debilitentur, ut non omnino cæci, sed cæcutientes evadant... sacra congregatio tribuere solet, ut diebus festis, ac duplicibus, votivam in honorem B. Virginis missam, diebus autem profestis pro defunctis celebrent. Multa tamen caventur, atque inter cætera, quod *non sit omnino cæcus, memoriter non recitet.* Illud quoque episcopis præcipitur, ne quos omisso penitus oculorum lumine ad celebrandum accedere patiantur. » Sic præl. Bened. XIV, *l. et n. cit.* Id quod ex supra relato S. congr. decreto aperte colligitur. (*Edit. Casinenses.*)

Digitized by Google

pro di quelli, che hanno la licenza di portare la parrucca, di portarla anche all' altare celebrando la messa, purchè sempre resti scoperta la corona clericale.

« XIX. Succede il discorrere delle facilità ritrovate, acciò i laici, non ostanti le difficoltà che s'incontrano, possano ricevere i sagramenti. E noto ad ognuno, che, sebbene una volta in mare celebravasi unicamente la messa, detta secca, che fu poi proibita, oggidì si concede il privilegio della celebrazione della messa vera; acciò i laici, e gli altri, che sono nella nave, non restino senza assistere al divin sagrifizio, quando però la nave sia sicura, sia molto lontana dal lido, il mare sia tranquillo, ed oltre il celebrante, vi sia un' altro sacerdote, o diacono, il quale sia pronto ad accorrere colla mano, nel caso che insorgesse qualche moto, per cui potesse temersi, che il calice si rovesciasse; come può il tutto vedersi nel nostro t. II della *S. Messa*, sez. 2, c. 1, § 3, p. 152, dell' ediz. Ital., e nell' ed. lat., lib. III, cap. 6, n. 10, e seg. E, per non dilungarci di soverchio, accenneremo, non essersi tralasciato di pensare al modo, con cui può amministrarsi il sagramento dell'Eucaristia all' ammalato, che non può inghiottire la sacra particola, ed ancora al modo d'amministrare il sagramento dell' Eucaristia agli appestati, senza che il sacerdote, che l'amministra, contragga la peste; come quanto al 1. c., può vedersi nel nostro trattato della santa messa al. t. II, sez. 2. c. 6, § 4, dell' ed. Ital., ed al lib. III, cap. 19, n. 4 dell' ed. lat.; e quanto al 2 c., nel nostro trattato *De syn. diœc.* dell' ultima stampa al. lib. XIII, cap. 19, n. 21 e seg. Per le quali cose tutte ripiglia vigore quanto poc' anzi si è detto, che, essendosi pensato a dare ogni possibile ajuto ai semplici sacerdoti inabilitati a celebrare la messa, acciò la possano celebrare, ed ai laici impediti a ricevere i sagramenti, acciò li possano ricevere, non debbasi poi con tanti scrupoli e sottigliezze procurar d'impedire ai personnaggi costituiti nelle più sublimi dignità ecclesiastiche, e molto più ai vescovi, che non possono reggersi su i piedi, il celebrare la messa sedendo in tutto il tempo della celebrazione, essendo particolarmente uffizio del vescovo l'offerire a Dio il sagrifizio della messa pel popolo alla sua cura commesso, ed anche per se stesso.

« XX. Ecco le parole di S. Paolo nell' *Epistola agli Ebrei* al. c. V, vers. 1 e seg.: *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis: qui condolere possit iis, qui ignorant, et errant; quoniam et ipse circumdatus est infirmitate: et propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam et pro semetipso offerre pro peccatis;* e nel cap. VIII della stessa lettera al vers. 3: *Omnis enim pontifex ad offerendum munera, et hostias constituitur.* Per lo che Giovanni Gagneo sopra il detto capitolo V dopo un lungo discorso così conchiude: « Munus

« ergo assumpti Pontificis est orare, et pro « suis, ac pro populi delectis sacrificia of- « ferre, et agnoscere se peccatorem, atque « ita populi peccatis condolere. » E col Gagneo concordano Guglielmo Estio, il Salmerone, e Cornelio a Lapide ne' commenti sopra il cit. c. V, non meritando d'esser valutata la riflessione addotta di sopra, che dovendosi celebrare dal vescovo sedente la messa, non in chieza ma nell' oratorio privato, per non recar maraviglia al popolo, che la vedesse celebrare nel modo predetto, cessa il fine della predetta celebrazione, ch'è l'edificazione del popolo; imperocchè non è l'edificazione del popolo la causa principale della celebrazione della messa, ma è l'offerire il sagrifizio per esso, il che si fa, celebrando anche la messa nell' oratorio: oltre di che il popolo, che sta intento alle operazioni del vescovo, sapendo, che il vescovo celebra la messa in quella maniera che può, dee restar edificato del proprio pastore, e non scandalizzato; tanto più, quando sa, che così celebra, avendo ottenuta dal Papa la dispenza.

« XXI. Tutto va bene, dirassi, ma a buon conto non si trova esempio, che di dispense concesse anche ai vescovi di celebrare la messa sedendo, ma non nel tempo del canone, e della consecrazione; nè si ritrova esempio di dispense di celebrare la messa sedendo in tutto il tempo della celebrazione, ch'è il punto della presente indagine. Scorrendo la sacra antichità, ritrovasi, che S. Luciano martire nella persecuzione di Massimiano, per soddisfare alla divozione de' Cristiani, che seco rinchiusi in carcere bramavano d'assistere al sagrifizio della messa, si stese in terra, e nella festa dell' Epifania si servì del proprio petto, come d'un altare per celebrarvi la messa: come si vede negli Atti appresso i Bollandisti nel t. I di Gennajo p. 361, n. 14. Ritrovasi, che Teodoreto vescovo di Ciro, per far cosa grata ad un Santo Romito, che stando nella sua solitudine, non era mai stato presente alla messa, portatosi al di lui tugurio coi sacri vasi, fece, che le mani de' diaconi servissero d'altare, e sopra esse fece la consecrazione della sacra Eucaristia; come esso stesso racconta nel Filoteo al c. 10. Uranio nella lettera *De obitu Paulini*, appresso i Bollandisti al t. IV di Giugno p. 198, n. 2, attesta, ch' essendo infermo S. Paulino vescovo di Nola, vennero altri due vescovi per visitarlo, e che con essi celebrò, benchè infermo, la messa, avendo fatto alzare un altare vicino al letto: « Et quasi « profecturus ad Dominum, jubet, sibi ante « lectulum suum sacra ministeria exhiberi; « scilicet, ut una cum sanctis episcopis ob- « lato sacrificio, animam suam Domino « commendaret: » il che anche fu puntualmente eseguito, come si vede nel n. 3. « Et « cum hæc omnia sanctus episcopus læto, « ac perfecto ordine celebrasset; » non potendosi ammettere l'intelligenza data da alcuni alle citate parole d'Uranio, cioè, che debbono intendersi, non della celebrazione

Digitized by Google

della messa, ma del ricevere la sacra Eucaristia; essendo contrarj a questa intelligenza, e favorevoli all' altra della celebrazione della messa, il Tillemont al t. XIV nelle *gesta di S. Paolo*, ar. 52, p. 139, della Veneta edizione, ed il dotto Padre maestro Orsi, maestro di questo sacro Palazzo Apostolico, nel t. XII della *Storia ecclesiastica* lib. XXVIII, n. 76, p. 375.

« XXII. Sono senza dubbio speciosi i sopradetti esempj, e possono anche servire per l'assunto presente; ma sono antichi, e sono seguiti, prima che la messa fosse ridotta al sistema, ed all' ordine, in cui presentemente si ritrova. Morì S. Tarasio patriarca di Costantinopoli nel principio del secolo nono, ed Ignazio vescovo Niceno di lui discepolo, e che scrisse le di lui gesta, come può vedersi appresso il card. Baronio all' an. 806, ed appresso i Bollandisti al t. III di Febbrajo, p. 586, n. 47, così descrive la celebrazione della messa, che il santo faceva nel tempo della sua grave malattia: « Ingruens morbus, et valde gravem ei « dolorem afferens, non persuasit ut obli- « viscerétur perpetui et divini officii. Nam « et morbo et senio laborans, nequaquam « satiabatur sacrosancti mysterii celebra- « tione, sed intenso amore ad Deum ardens, « et morbi nullam ducens rationem, pe- « ctore innixus mensæ ligneæ, quæ ponebá- « tur ante aram divinam, sancta peragebat, « infirmus videlicet: » che vuol dire: appoggiando il ventre, ed il petto alla tavola di legno, e sustentando coi piedi l'altra parte del corpo. Morì nel 1303 S. Ivo sacerdote, e parroco nella Brettagna Armorica, e di esso si legge, che non potendo stare in piedi, celebrava la messa nel modo seguente: « Fuit adeo infirmus, et debilis, quod se « non poterat sustinere; imo interdum » sustentabatur per aliquos assistentes, et « sic missam celebravit in capella sua; » come può vedersi nel t. IV di Maggio dei Bollandisti, p. 541. Al n. 17. e lo depone un testimonio *de visu* nel processo fatto sopra le di lui virtù appresso gli stessi Bollandisti nel *luogo citato* pag. 560, c. 5, n. 65, e Maurizio Gaufrido nella lunga vita, che scrisse di S. Ivo, nel cit. tom. IV de' Bollandisti, p. 594, c. 6, n. 50., così descrive il tutto: « Erat autem adeo tunc infirmus, ut « præ debilitate corporis nec induere, nec « exuere per se sufficeret sacras vestes, sed « nec alia pro missa necessaria præparare, « ad altare se sustinere, aut ad elevandum « corpus Domini se juvare, nisi ab assisten- « tibus abbatibus Belliportus, et de Begar, « et archidiacono Trecorensi cum aliis præ- « sentibus fulciretur. »

« XXIII. Incominciano le cose ad accostarsi al suo dovuto segno; ma, non essendo in que' tempi introdotta per anche la disciplina della necessità della dispensa Apostolica per potere sedendo celebrare la messa, disciplina saviamente introdotta, acciò non sia in petto di ciascheduno il figurarsi una malattia, e celebrare la messa sedendo; porteremo gli esempj delle dispense de' Romani Pontefici, concesse ai personnaggi qualificati nella chiesa, ed ai vescovi infermi, e che non possono reggersi su i piedi; non già di celebrare la messa sedendo, eccettuato il tempo del canone, e della consecrazione, del che non si questiona, ma di sedere in tutto il tempo della messa, al qual punto si riduce il presente esame.

« XXIV. Giovanni Renna Veneziano, che fu ai 3 di Novembre del 1534 fatto vescovo d'Alghieri, e da questo vescovado fu trasferito a quello di Pamplona ai 13 di Maggio 1538. domandò al Pontefice Paolo III varie grazie. Fra le altre espose, ch' era maltrattato dalla podagra, in tal maniera che i suoi membri erano quasi resi affatto inabili: « Diversis infirmitatibus podagræ detentus, « quibus fere ad membrorum invaliditatem « redactus es: » per lo che non potendo celebrare la messa stando in piedi, desiderava poterla celebrare in una sua sedia, che aveva fatto fare, ed in cui sedendo pareva, che stesse in piedi: « Ac tibi, qui propter infir- « mitatem prædictam, missam stando cele- « brare non vales, et zelo devotionis accen- « sus, missam celebrare desideras, tibi, ut « sedendo in quodam artificio sedis per te « facto, in quo sedendo stare videris, quo- « ties tibi placuerit missam celebrare, bene- « dictionem elargiri, et alia, quæ ad episco- « palem ordinem pertinent, etiam sedendo « exercere..... tenore præsentium de spe- « ciali gratia indulgemus: proviso, quod « divinum sacramentum debita cum reve- « rentia tractetur, et scandalum non sequa- « tur; et, si celebratione tua in artificio « prædicto astantes scandalizari verisimiliter « credi possit, celebrationem hujusmodi, « non publice, sed privatim facias. » Il breve si ritrova sottoscritto dal cardinale Girolamo Ghinucci, che era quello, che aveva l' incombenza di sottoscriverli, come può vedersi nel Ciaconio al tom. III, pag. 569, e da uno de' segretarj apostolici, il di cui nome è abbreviato. Il breve poi si ritrova fra le minute originali de' brevi di Paolo III nell' archivio segreto all' anno 1538, n. 466, ed intero si trascrive nel fine di questa lettera, acciocchè ognuno, leggendolo possa soddisfarsi. Noi, qui non c' inoltreremo a discorrere della sedia artificiosa, in cui sedendo chi celebrava la messa, pareva che stesse in piedi; non avendo Noi pratica di simili cose: ma diremo, essere stata da Paolo III concessa la facoltà al vescovo di Pamplona di celebrare la messa stando sempre a sedere, e senza l' obbligo di stare in piedi nel tempo del canone, e della consecrazione.

« Il Pontefice S. Pio V. nel primo anno del suo pontificato concesse al cardinale Pietro Francesco Ferrari del titolo di S. Agnese il celebrare la messa nella sua capella privata sedendo, mentre per la grave indisposizione della podagra non la poteva celebrare in piedi: « Nos specialem gratiam « tibi facere volentes, tuis in hac parte sup- « plicationibus inclinati, circumspectioni

Digitized by Google

« tuæ, ut quotiescunque devotionis gratia « missam celebrare volueris, si eam pedibus « stando ob ipsas indispositiones commode « celebrare nequiveris, illam sedendo in ora- « torio domus tuæ, seu capella tua privata, « coram familiaribus et domesticis tuis « duntaxat, ita ut exinde nullus scandalum, « aut offendiculum capere possit, alias ta- « men rite celebrare valeas, auctoritate « Apostolica tenore præsentium licentiam « concedimus, et facultatem. » La minuta originale del breve è sottoscritta da Monsignor Cesare Glorieri antico segretario de' brevi, ed è nell' archivio segreto fra le minute originali de' brevi di S. Pio V. dell' anno 1566, n. 572. Si dà pure nel fine di questa lettera il breve intero, acciò non solamente possa ognuno soddisfarsi, ma resti ancora persuaso, dirsi da taluni con molta facilità, che non v'è esempio della tal cosa, perchè essi non ne hanno notizia: ed il comodo che si riceve dalla suddetta asserzione, che trasfonde in altri il peso di faticare, liberandone l' asserente, suol finire in amarezza, comparendo ciò, che lo stesso asserente aveva detto o non esservi, o non ritrovarsi. »

Narrative di fatti, che risguardano il Romano Pontefice, che sembrano necessarie a chi dee dare il suo giudizio sopra il caso, che è in questione.

« A taluno sembrerà superfluo tutto ciò che or ora riferiremo: imperciocchè se il Sommo Pontefice concede ad altri impediti, e che non possono stare in piedi, il celebrare tutta la messa sedendo, cosa mai potrà dirsi, se, concorrendo la stessa causa, prende per se quel comodo, che dà agli altri? Ma la riflessione in tutto, e per tutto non soddisfa; potendovi essere alcune cose, che non si accordino colla dignità Pontificia, ancorchè il Papa ad altri le conceda. E però, acciò si veda, se disdica al Papa il celebrare sedendo, è d' uopo vedere, se vi siano esempj di Sommi Pontefici, che non potendo stare in piedi, abbiano celebrata la messa sedendo in tutto il tempo d' essa. Ciò a noi non sarà di gran fatica, avendo radunato quanto potemmo radunare in questo proposito, quando damno alla buona memoria del cardinale di Roano vescovo d' Argentina, la licenza di celebrare la messa sedendo, eccettuato il tempo del canone, e della consecrazione, per l' impedimento della podagra, che non l' avrebbe lasciato stare in piedi in tutto il tempo della messa, ma unicamente in quello del canone, e della consecrazione. L'unione delle notizie, che allora facemmo, non ci sorebbe oggi riuscito di fare, non solo pel grave peso degli anni, e della nostra non perfetta guarigione, ma perchè avendo destinata la nostra cogiosa e scelta libreria all' Istituto di Bologna, ed avendo ad esso trasmessa una gran parte de' libri, de' quali avevamo tutta la pratica, ciò ci astringe a chiedere ad altri que' libri più rari, de' quali abbiamo bisogno; il che ci è di non piccolo incomodo, e perdita di tempo, di cui poscia abbiamo gran carestia.

« XXVII. Onorio IV fu eletto Sommo Pontefice nel 1285. e non era che diacono; in tal maniera fu d' uopo consecrarlo prete, e pontefice. Gl' istorici attestano, ch' era abitualmente infermo: Martino Minorita nel suo *Flores temporum*, Giovanni Vitodurano nella *Cronaca*, Andrea di Ratisbona pure nella *Cronaca*, Ermanno Cornero parimente nella *Cronaca*, appresso Giorgio Eccardo nel suo *Corpo istorico del medio evo* al tom. I, pag. 1631, pag. 1756, pag. 2088, ed al tom. II, pag. 936. Altri, ch' era talmente infermo ne' piedi, che non poteva camminare: Riccobaldo Ferrarese nella *Storia de' Pontefici Romani* all' anno 1285, nel tom. IX *Rer. Ital. script.*, pag. 182. Altri, ch' era talmente oppresso dalla gotta, che non poteva unire un dito coll' altro: Muratori negli *Annali d'Italia* tom. VII, pag. 460. Altri, che non poteva celebrare la messa, se non coll' ajuto d' alcuni strumenti. Tolomeo Luccense al lib. XXIV della sua *Storia ecclesiastica*, cap. 13, nel tom. XI *Rer. Ital. script.* pag. 1191; il Raynaldi all' anno 1285, n. 14; Fleury al t. XVIII della *Storia ecclesiastica*, p. 371, e nella Vita del detto Pontefice il Ciaconio al tom. II, p. 240; il Burio, il Pagi, al tom. III, p. 456, n. 3. l' autore delle *Vite de Papi* stampate all' Haya al tom. III, p. 289. Non manca poi chi descrive ancora gli strumenti, coll' ajuto de' quali sedendo celebrava la messa. Questi è il P. Francesco Pipino di Bologna, dell' ordine de' Predicatori, che nella sua *Cronaca* al lib. IV, cap. 12, così lasciò scritto: « Pedibus erat ita ægrotus, « ut nec ambulare, nec stare posset; manus « autem sic contractas habebat, ut digitos, « exceptis pollicibus, unum ad alterum jun- « gere non posset; imo etiam, carne su- « perexcrescente, fere unus ab altero se- « cerni non poterat. Et, cum celebraret, « ponebatur corpus Domini inter ipsos « pollices; et quodam instrumento ligneo, « quo insidebat, volvebatur ad populum: » conforme si può vedere nel cit. t. IX *Rer. Ital script.*, alla pag. 727.

« XXVIII. Ne' *Commentarj* di Pio II che fu eletto Sommo Pontefice l' anno 1458, alla pag. 203, dopo una lunga narrativa della processione fatta nel trasporto del capo di S. Andrea apostolo venuto dall' Acaja, in dono all' istesso Pontefice, si leggono le seguenti parole: « Die sabbati, quæ fuit Apri- « lis 17, celebrato grandi officio, cum bene- « diceret populo Pontifex Maximus, promi- « sit in crastinum, ob reverentiam Resur- « rectionis, in ecclesia Principis Apostolo- « rum sese rem divinam facturum, porta- « turumque sacrum Andreæ caput, utiterum « atque iterum videretur, quod ex Altari « beati Petri abductum, in palatio clauserat. « Res nova, et insperata fuit. Nam propter « ægritudines, et absentiam Pontificis ante « quatuor annos, non viderunt Romani « suum Pontificem divinam hostiam offeren- « tem. Cumque suis pedibus stare pius « præsul nequiret, excogitata ingenia sunt, « ut quasi sedens celebraret. »

« XXIX. Pio III fu eletto Sommo Ponte-

Digitized by Google

fice nel 1503 e non era che diacono, ed aveva in una gamba una piaga mortale, in tal maniera, che non poteva stare in piedi. Sedendo fu ordinato prete dal cardinale di S. Pietro in Vincoli ai 30 di Settembre 1503 e dallo stesso fu consecrato vescovo nel giorno 1 d'Ottobre: e nel giorno 8 dello stesso mese fu ordinato, e celebrò sedendo la messa Pontificale nella basilica Vaticana. Il tutto si vede nel libro ultimo dei *Diarj* di Giovanni Burcardo, maestro delle sacre cerimonie, alla pag. 56, 58 e 59, che era nella libreria del fu cardinale Silvio Valenti nostro segretario di Stato, e che oggi è nelle mani di Monsignor Luigi Valenti di lui nipote.

ANNO MDIII.

« Die Veneris 29 Septembris ordinavi se-
« dem pro Papa, in qua sedens cruribus ex-
« tensis ordinaretur, et celebraret, et men-
« sam longam pro altari, ut pedes subtus
« extendi possent.

« Die sabbati..... cardinalis S. Petri ad
« Vincula ordinavit Papam..... accessit in
« planeta ad Papam in illa sede ordinata ad
« omnia sedentem.

« Die Dominica 8 Octobris S. D. N. dela-
« tus in sede ad hoc ordinata, de qua per
« totum officium non descendit. Sed in ea
« post introitum Ecclesiæ..... accepit in ea
« pallium, et portatus in ea super solium,
« deinde in ea celebravit. »

« XXX. Celebrando pontificalmente il Romano Pontefice, dopo la consecrazione fatta all' altare, ritorna al soglio, ed ivi riceve l' Eucaristia sotto le specie del pane e del vino, ma stando in piedi; non essendo vero ciò che da alcuni viene scritto, che si comunichi sedendo: come può vedersi nel t. II del nostro trattato della *Santa Messa*, sez. 1. cap. 20, § 1 dell' ediz. Ital., e nell' ediz. lat. al lib. II, cap. 21, n. 4. Ma nel cerimoniale della cappella Papale si lascia il Sommo Pontefice in libertà di comunicare i cardinali diaconi, e gli altri personaggi del soglio, sedendo; il che da Noi mai è stato fatto, avendo sempre comunicato i predetti, stando in piedi. Dovendosi il Papa eletto consecrar vescovo, si dice, che dal cardinale vescovo, che fa la consecrazione, gli s' impone il libro degli Evangelj sopra le spalle, e le mani sopra il capo, e successivamente se gli fa la sacra unzione col crisma, tanto nel capo, quanto nelle mani, stando in tutte le dette azioni il Papa a sedere. Parimente se il Papa eletto non fosse suddiacono, o non fosse diacono, o pure non fosse sacerdote, nel suddiaconato il cardinal vescovo, che conferisce l' ordine stando in piedi, dà al Sommo Pontefice eletto « sedenti cali-
« cem vacuum cum patena, et urceolos cum
« vino, et aqua, bucale, et manutergium; »
e gli consegna il libro Epistolario, seguitando esso a sedere. Conferendosegli il diaconato, il cardinale, che ordina sta in piedi, pone la mano sopra il capo del Papa sedente, dicendo: *Accipe Spiritum sanctum*: ed al Papa sedente si consegnano i sacri paramenti, ed il libro degli Evangelj. E finalmente nell' ordinazione sacerdotale s' impongono le mani dall' ordinante sopra il capo del Papa sedente, che pure sta sedendo, quando il detto ordinante gli unge le mani coll' olio santo de' catecumeni, e gli consegna il calice col vino e l' acqua, e la patena coll' ostia. Cose tutte che dimostrano, non disdire al Sommo Pontefice nelle più sacre azioni lo stare sedendo, e rende più facile quanto di sopra si è detto, discorrendo di celebrare la messa sedendo anche nel tempo del canone, non potendo reggersi su i piedi in tutto il tempo del canone, e della consecrazione.

« XXXI. Ed ecco quanto abbiamo creduto bene d'esporre in questa nostra lettera, che comunichiamo anche a quelli, il consiglio de' quali desideriamo d'avere prima di prendere veruna risoluzione. E quando si arrivasse a prendere la risoluzione favorevole alla celebrazione della messa, sarà suo pensiere il far preparare una tavola d'altare colla pietra sacra, coll' immagine del Crocifisso, coi lumi, ed ogni altra cosa che si richiede per la messa, lasciando vacuo ciò che resta sotto l'altare, per potervi distendere i piedi; essendo sicurissimi, che il tutto sarà fatto, ed eseguito colla solita sua inarrivabile diligenza. E Noi intanto di vero cuore le diamo l'Apostolica benedizione.

« Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, 11 Octobris MDCCLVIII, pontificatus nostri anno decimo octavo. »

PAULUS PP. III

VENERABILI FRATRI JOANNI EPISCOPO PAMPILONEN.

« *Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.*

« Cupientes commodis tuis, qui diversis infirmitatibus podagræ detentus, quibus fere ad membrorum invaliditatem redactus es, limina Apostolorum Petri et Pauli visitare personaliter de triennio in triennium commode, ut jurasti, non vales providere tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tibi, ut tua vita durante per procuratorem tuum ad hoc a te specialiter constitutum, dicta limina visitando, ad ea aliter visitandum minime tenearis, nec ad id invitus a quoquam compelli possis: ac tibi, qui propter infirmitatem prædictam, missam stando celebrare non vales, et zelo devotionis accensus missam celebrare desideras, tibi, ut sedendo in quodam artificio sedis per te facto, in quo sedendo* stare videris, quoties tibi placuerit, missam celebrare, benedictionem elargiri, et aliæ quæ ad episcopalem ordinem pertinent, etiam sedendo exercere; et Horas canonicas, diurnas et nocturnas, cum uno vel duobus capellanis juxta ordinem Romanæ curiæ per dilectos filios nostros cardinalem sanctæ Crucis, vel alios antiquitus institutum, prout tibi placuerit, libere et licite dicere, ac easdem Horas anteponere et postponere, et cumulative unico contextu recitare sine scrupulo conscientiæ libere et licite possis et valeas, tenore præsentium de speciali gratia indulgemus: proviso quod di-

Digitized by Google

vinum sacramentum debita cum reverentia tractetur, et scandalum non sequatur; et si celebratione tua in artificio prædicto astantes scandalizari verisimiliter credi possit, celebrationem hujusmodi non publice, sed privatim facias. Non obstantibus Apostolicis ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, cæterisque contrariis quibuscunque. Datum in domo Sanctæ Crucis extra muros Nicien. sub annulo Piscatoris 6 Junii MDXXXVIII, pontificatus nostri anno quarto.

« HIERONYMUS, card. GHINUCCIUS
Fab. Vigil.

PIUS PP. V

DILECTO FILIO NOSTRO PETRO FRANCISCO

Tituli Sanctæ Agnetis in agone presbytero cardinali Ferrerio vocato.

« Dilecte fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Eximia virtutum dona quibus personam tuam illarum largitor illustravit Altissimus, promerentur ut votis tuis, præsertim quæ ex devotionis fervore prodire dignoscuntur, benigno annuamus affectu. Cum itaque, sicut Nobis nuper exposuisti, tu adeo frequenter gravibus tui corporis indispositionibus, et præsertim podagra quæ te assidue impeditum tenet, laborare solitus sis, ut, quando devotionis tuæ causa missam celebrare desideras, quoniam pedibus stare non potes, id facere nullo modo valeas; quare Nobis humiliter supplicasti, ut tibi in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur: Nos igitur specialem gratiam tibi facere volentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, circumspectioni tuæ, ut quotiescunque devotionis gratia missam celebrare volueris, si eam pedibus stando ob ipsas indispositiones commode celebrare nequiveris, illam sedendo in oratorio domus tuæ, seu capella tua privata, coram familiaribus et domesticis tuis duntaxat, ita ut exinde nullus scandalum aut offendiculum capere possit, tamen rite celebrare valeas, auctoritate Apostolica tenore præsentium licentiam concedimus et facultatem. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque.

« Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub annulo Piscatoris, die 28 Septemb. MDLXVI, pontificatus nostri anno primo.

« Cæsar GLORIERIUS. »

Apud Bened. XIV, *Tract. de sacrif. miss.*, edit. ital. Venetiis, 1792. typis A. Curti et Q. Jacobi ad calcem Oper.

(25. Morbo paralytico laboranti, nec etiam cum assistentia alterius sacerd. missam celebrare posse ex Indulto concedi solet. Lubet transcribere ad hoc, decretum S. congreg. Concil. 27 Maii 1718, ubi quoque de epilectico agitur, tenoris ut sequitur.

« *Civitatis Castellanæ.* — Jacobus Paradisi sacerdos et canonicus cathedralis ecclesiæ civitatis Castellanæ fuit a suo ordinario suspensus a celebratione missæ, propter

morbum paralyticum quo laborat, eodemque supplicante pro facultate celebrandi missam cum assistentia sacerdotis, fuerunt, juxta morem, preces remissæ ad eumdem ordinarium pro informatione et voto, et ipse retulit, sibi, ex testimonio plurium sacerdot. et cleric. fide dignorum, constare quod post absolutam a Jacobo paralytico missam fuerunt adinventæ in corporali particulæ hostiæ consecratæ, et quod aliquæ ex calice sanguinis guttæ ceciderunt, dum missa ab eodem celebrabatur, propter manuum tremorem quo laborat. De hoc postremo facto episcopus dicit se informatum esse ex processu a se confecto, neque se existimare quod adjutorium alterius sacerdotis operari valeat, ne in missæ celebratione a canonico peragenda, sequi possint ea quæ supra fuerunt enarrata.

« De justitia suspensionis nulla videtur esse posse difficultas; sacerdos etenim, qui tremulas habet manus, propter periculum subversionis sanguinis suspenditur ab ordinis sacerdotalis administratione, juxta doctrinam *Specul.*, in cap. *Si forte*, De elect., in 6, ita ut hic et nunc tantum quærendum sit an missæ celebratio illi permitti valeat cum alterius sacerdotis assistentia.

« Pro negativa opinione facit *Gloss.* in cap. *Communiter*, in verbo *De iis*, dist. 33, quæ alterius sacerdotis assistentiam admittit in epilectico qui raro tamen in terram labatur, nisi quia, si accidat paroxismus, sacrificium, quod ab eo incœptum est, perfici valet ab assistente, quæ ratio non videtur applicabilis casui sacerdotis paralytici.

« Pro affirmativa vero opinione facit textus concilii Toletani, relatus in can. *Illud* 7, quæst. 1, qui assistentiam sacerdotis generaliter admittit quando agitur de infirmo sacerdote celebrante, non attentis postremis verbis in quibus dicitur non admitti sacerdotem adjutorem, quando frequens, et continuus est morbus celebrantis: hæc etenim postrema verba non sunt verba concilii, sed Gratiani, quæque consequenter vim textus habere non possunt, juxta communem sensum eruditorum, etiam in tribunalibus admissum...

« Additur quod adhibito calice majoris ponderis, et firmato celebrantis brachio per brachium assistentis, non videtur amplius adesse posse periculum effusionis. Simileque est illud quod habetur in concessione facta celebrationis missæ anno 1706 in navibus Hispanorum, et in triremibus classis Pontificiæ pro anno 1716 per litteras Apostolicas in forma brevis; legitur enim in illis hæc clausula: « Dummodo celebratio missæ « eo duntaxat tempore quo mare tranquil- « lum et cœlum serenum reperiatur, et cum « assistentia alterius sacerdotis seu diaconi « fiat, ita ut periculum effusionis sanguinis « in dicta celebratione minime adsit. »

« Dignabuntur itaque EE. VV. decernere an oratoris precibus sit annuendum in casu, etc. *Negative.* » Ita in *Thes. resol. S. congr. Conc.*, tom. I, pag. 64, 65.

Digitized by Google

ARTICULUS VII.

Missa pro quibus celebrari possit, et pro quibus non.

SUMMARIUM.

1. Missa potest offerri pro sacerdote ipso, et pro omnibus aliis fidelibus. — 2. Potest offerri etiam pro peccatoribus. — 3. Etiam pro Turcis, infidelibus, hæreticis, et schismaticis potest offerri sacrificium per modum deprecationis, ut ad fidem convertantur. — 4. Sic etiam potest offerri pro catechumenis. — 5. Potest etiam directe offerri pro infantibus. — 6. Missæ sacrificium potissime offertur pro defunctis in purgatorio existentibus. — 7. Non potest autem missa offerri pro defunctis hæreticis, et infidelibus. — 8. Neque pro mortuis christianis certo damnatis. — 9. Hic missæ non possunt offerri pro iis, qui omnino voluntarie, et compotes sui se occidunt. — 10. Nec pro mortuis excommunicatis. — 11. Pro excommunicatis vitandis, et non toleratis, licet possit offerri missæ sacrificium indirecte, non potest tamen offerri directe.— 12. Licet ipsi excommunicati vitandi essent mortui contriti et in gratia Dei, adhuc non posset pro illis directe missa offerri, donec etiam mortui ritu cæremoniali essent absoluti. — 13. Missæ sacrificium an licite possit offerri pro excommunicatis toleratis et non vitandis, ad n. 14. — 15. Missæ sacrificium an, et quomodo possit offerri pro sanctis? ad n. 16. — 17. Approbatur, et conceditur missa nova ad postulandam gratiam bene moriendi, etc. — 18. An liceat offerre sacrificium pro damnatis : ad n. 20. — 21. Num liceat anticipare ante mortem celebrare, vel celebrari facere missas de requie pro anima sua etc. ibi.

(1. Missa potest offerri pro sacerdote ipso et pro omnibus aliis fidelibus. Ex Apostolo *ad Hebræos* c. 5, vers. 1 et 3, præcisis his verbis : *Omnis pontifex,... pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis... Et propterea debet quemadmodum pro populo, ita etiam et pro semetipso offerre pro peccatis.* (2. Potest offerri etiam pro peccatoribus; est enim sacrificium propitiatorium, quale fuit etiam crucis sacrificium pro peccatoribus oblatum, habetur clare ex Trid., sess. XXII, c. 1 et 3, ubi dicitur : « Hujus quippe oblatione placatus Dominus gratiam, et donum pœnitentiæ concedens, crimina, et peccata, etiam ingentia, dimittit. » (3. Etiam pro Turcis, infidelibus, hæreticis et schismaticis potest offerri sacrificium per modum deprecationis, ut ad veram fidem convertantur, ut colligitur ex Trid., sess. XXII, can. 3, ubi dicit posse missam offerri *pro peccatis, et aliis necessitatibus :* sed infidelitas est peccatum (74), et maxima necessitas, adeoq. etc. (4. Sic etiam potest offerri pro catechumenis, ut habetur c. *Apostolicam*, De presbytero non baptizato. (5. Potest etiam directe offerri pro infantibus, ut tenet communis cum Pasqualigo q. 40. ubi refert constitutionem a S. Clemente factam, his verbis : « Infantium Ecclesiæ memores simus, ut Dominus perfectos esse in timore suo ad adultam ætatem perducat. »

(6. Missæ sacrificium potissime offertur pro defunctis in purgatorio existentibus, ut de fide esse definit concil. Trid. sess. XXII, can. 3 : « Si quis dixerit missæ sacrificium tantum esse laudis et gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium; vel soli prodesse sumenti; neque pro vivis et defunctis; pro peccatis, pœnis, satisfactionibus et aliis necessitatibus offerri debere, anathema sit. » Et idem repetit sess. XXV, in *Decreto de purgatorio* : « Cum catholica Ecclesia Spiritu sancto edocta, ex sacris litteris et antiqua Patrum traditione, in sacris conciliis, et novissime in hac œcumenica synodo docuerit, purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili altaris sacrificio juvari, etc. » Ubi præcipit quod missarum sacrificia, aliaque pietatis opera quæ pro fidelibus defunctis ex testatorum fundationibus vel alia ratione debentur, a sacerdotibus et Ecclesiæ ministris, et aliis, qui hoc præstare tenentur, diligenter et accurate persolvantur.

(7. Non potest autem missa offerri pro defunctis hæreticis, et infidelibus. Greg. III, epist. 1, concil. Lateranens. III can. 27. (8. Neque pro mortuis Christianis certo damnatis, ut expresse prohibetur cap. *Pro obeuntibus* 2, caus. 13, q. 2. (9. Hinc missæ non possunt offerri pro iis, qui omnino voluntarie, et compotes sui se occidunt. Nicolaus I, *ad consulta Bulgarorum*, c. 98, causa 23, q. 5, c. *Placuit*. (10. Nec pro mortuis excommunicatis; Leo IV, *Homil. de cura pastoral.* 11, qu. 3, *Si quis episc. aut abbas.*

(11. Pro excommunicatis vitandis et non toleratis licet possit offerri missæ sacrificium indirecte, v. gr. offerendo pro omnibus peccatoribus, pro reductione et conversione hæreticorum, vel impiorum, directe tamen pro ipsis excommunicatis vitandis non potest offerri, et qui offerret, etiamsi generaliter pro illis offerret, nullum in particulari nominando vel determinando, peccaret mortaliter, ut tenent communiter doctores, quia ageret contra prohibitionem gravem Ecclesiæ imponentis excommunicatis vitandis hanc pœnam medicinalem privationis communium suffragiorum, qualis est missa, donec corrigantur, et a contumacia resipiscant, et postea absolvantur : ut habetur cap. *A nobis* 28 et cap. *Sacris* 38, De sentent. excomm., his verbis : « Licet is, qui voluntarius excommunicatis illis communicaverat... ad cor rediens, de mandato Ecclesiæ excommunicatos, quos prius foverat, expugnaverit, non tamen priusquam absolutionis gratiam perceperit, habendus est absolutus, nec si occumbat in hujusmodi bello, sunt absolutiones, vel oblationes recipiendæ pro eo, vel orationes Deo porrigendæ : nisi cum de ipsius viventis pœnitentia per evidentia signa constiterit, et juxta cujusdam constitutionis nostræ tenorem, defuncto etiam absolutionis beneficium impendatur. » (12. Sic

(74) Intellige non de infidelitate pure negativa, quæ, utique non est peccatum. *Vide Addit. Casinenses* sub verb. INFIDELITAS. (*Edit. Casinenses.*)

Digitized by Google

Innocent. III ex cujus mente, et sensu aperte constat, quod, licet ipsi excommunicati vitandi essent mortui contriti, et in gratia Dei, adhuc non posse pro illis directe missam offerri, donec etiam mortui ritu cæremoniali essent absoluti.

(13. Pro excommunicatis toleratis et non vitandis multi ex doctoribus post concil. Constantiense, et extravagant. Martin. V incip. *Ad evitanda*, sustinent posse licite offerri sacrificium missæ; quia, cum in ipsa extravaganti concedatur communicatio cum excommunicatis toleratis etiam in sacris et divinis; imo et pro ipsis præsentibus publice precemur in choro dicendo; *Misereatur vestri*, etc. *Dominus vobiscum*, sequitur posse etiam pro ipsis licite offerri sacrificium missæ; sic sentiunt Navarrus, Henricx, Sanchez, Fagund. Hurtad. Sà, Lugo, Coninch, Pasqualig., et alii passim. (14. Verum, quamvis id licite fiat, simulque tale sacrificium prodesse valeat excommunicatis toleratis, quatenus offertur in persona Christi, non tamen ipsis proderit, quatenus offertur in persona Ecclesiæ, cum Pontifex in præfata bulla expresse protestetur quod per hoc non intendit excommunicatos in aliquo relevare, nec eis quomodolibet suffragari.

(15. Quamvis missæ sacrificium offerri possit Deo in honorem sanctorum, et in gratiarum actionem pro beneficiis quæ Deus illis concessit, atque ad obtinendam eorum intercessionem apud Deum, ut definit Trident., sess. XXII, cap. 3, his verbis : (16. « Quamvis in honorem et memoriam sanctorum nonnullas interdum missas Ecclesia celebrare consueverit, non tamen illis sacrificium offerri docet, sed Deo soli qui illos coronavit : unde nec sacerdos dicere solet : Offero tibi sacrificium, Petre vel Paule; sed Deo de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat, ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam facimus in terris. » Et *ibid.*, can. 5 : « Si quis dixerit, imposturam esse missas celebrare in honorem sanctorum et pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit, anathema sit. » Nequit tamen offerri pro ipsis sanctis, ut habetur decisum cap. *Cum Marthæ*, § *Tertio loco*, De celebrat. missar., quia ut ibi dicitur : « Injuriam facit martyri, qui orat pro martyre. » Et sancti in cœlis « orationibus nostris non indigent pro eo, quod cum sint perfecte beati, omnia eis ad vota succedunt. »

(17. Approbatur et conceditur pro Ecclesia universali missa nova ad postulandam gratiam bene moriendi, ponenda in missali post missam *pro remissione peccatorum*, et in Rubricis generalibus in tit. *De color. paramentorum*, sub colore violaceo, ac præterea in gradualibus ad cantum chori in eodem cantu et tono, qui in antiquis habetur feria IV post Domin. 1 et Sabbato post Domin. III, in Quadragesima et in Dominicis IV, XVI, XX et XXVI post Pentecosten. S. R. C. 20 Mart. 1706, approbante Clemente XI, die 27 ejusdem mensis et anni.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(18. An liceat sacrificium offerre pro damnatis ? Affert Petavius tom. III *Theolog. dogmat.*, lib. III, cap. 8, n. 15, nonnullos SS. Patres, et cum primis D. Augustinum, D. Joannem Chrysostomum, et D. Joannem Damascenum tenentes, per eleemosynas et sacrificia animas damnatorum aliquantulum a pœnis sublevari. (19. At idem Petavius concludit quod, cum nihil hac de quæstione definitum sit ab Ecclesia, tanquam absurda sit explodenda opinio hæc affirmans posse pro damnatis sacrificium offerri (75). (20. Quin imo refert Albic. *De inconstantia in fide*, cap. 3, n. 12, quod quum quidam concionator exhortando fideles ad erogandas eleemosynas, hanc protulisset propositionem : « Ab eleemosynis pœnas damnatorum aliquantulum sublevari, » re delata ad tribunal S. Inquisitionis, coactus ille fuit se retractare, et hanc resolutionem S. Inquisitionis approbavit ven. Innocentius XI.

(21. Num liceat anticipate ante mortem celebrare, vel celebrari facere missas defunctorum, sive *de Requie* pro suffragio animæ suæ, ut a pœnis purgatorii liberetur ? Quæstio hæc fuit alias ad S. congregationem Concilii interpretem delata, sed ab ea non fuit resoluta, ut litteris consignavit Albic. *ubi supra*, n. 37. Affert autem hic auctor rationes in utramque partem, sed concludit haud posse.

ARTICULUS VIII.

Missa quoad eam celebrantis obligationem.

SUMMARIUM.

1. In sacrificio missæ debent a celebrante offerri panis et vinum aqua mixtum. — 2. Et plus de vino, quam de aqua est ponendum : Vinum enim debet esse plus saltem quoad duas partes. — 3. Nec potest offerri vinum mellitum, vel mulsum, vel aliud. — 4. Panis debet esse triticeus. — 5. Et potest valide consecrari sive in azymo, sive in fermentato, juxta suæ Ecclesiæ consuetudinem. — 6. Græcus vero consecrans in azymo et Latinus in fermentato graviter peccant : imo Latinus celebrans in fermentato privatur officio et beneficio. — 7. Missam dicens celebrare tenetur juxta missale Romanum. — 8. Tenetur eam prosequi usque in finem, alias excommunicatur, nisi aliquis casus accidat. — 9. Tenetur communicare recipiendo corpus et sanguinem Christi. — 10. Tenetur missam legere, antequam ad altare accedat, et signa præparare, ne erret. — 11. Omnia debet legere et nihil memoriter recitare et neque celerius, neque tardius, quam par est, eam legere. — 12. Debet sinere candelas accensas

(75) Lubet hic afferre integrum textum Petavii, qui sane mutilus hic supra ponitur, dum sic concludit : « De hac damnatorum saltem hominum respiratione, nihil adhuc certi decretum est ab Ecclesia catholica : ut propterea non temere, tanquam absurda, sit explodenda sanctissimorum Patrum hæc opinio; quamvis a communi sensu Catholicorum hoc tempore sit aliena. Et vero maximum adversus illam præjudicium est, quod nunquam Ecclesia pro damnatis orare consuevit : quod profecto faceret si levari saltem illorum cruciatus possent, etsi penitus terminari non possent. » *De angelis*, l. III, c. 8, n. 18.

Digitized by Google

usque ad finem ultimi evangelii Sancti Joannis. — 13. Debet generaliter et specialiter orare pro vivis, et defunctis. — 14. De calceamentis in accessu ad altare. — 15. Quid circa defectus, qui deprehendi possunt in pane et vino, ante, vel post consecrationem; ad n. 20. —21. Quænam attendenda de vino, ut sit materia apta; ad n. 23. — 24. Alia a celebrante attendenda, vel præstanda, ad n. 40.—Subnectuntur *additiones ex aliena manu*, ad. n. 46. * — Expenditur dubium, an aqua, vel alius liquor, post consecrationem immitti possit in calicem absque sacramenti corruptione : ad n. 50.

(1. In sacrificio missæ debent a celebrante offerri panis et vinum aqua mistum; est enim illicitum offerri vinum sine aqua, cum a latere Christi aqua simul cum sanguine exierit, *De consecrat.*, dist. 2, cap. *In sacramentorum;* c. *Si quis in sacrificando*, c. *Non oportet ;* Conc. Aurel. IV, cap. 4; Concil. Vormat., cap. 4, et conc. Trid., sess. XXII, cap. 7. (2. Et plus de vino, quam de aqua est ponendum, *De celebrat. missar.*, cap. *Perniciosus.* Vinum quippe cum aqua miscendum debet esse plus saltem quoad duas partes, Conc. Tribur. 1, cap. 19. (3. Nec potest offerri vinum mellitum, vel mulsum, vel aliud, concil. Antissiodoren., cap. 8. Valide tamen consecratur mustum, seu vinum de uvis recenter expressum : at illicite, et cum gravi peccato, quia licet sit verum vinum, nihilominus est impurum et feculentum, adeoque indecens, ut docet S. Thom., quæst. 74, art 5, ad 3, ex declaratione Julii Papæ in cap. *Cum omne crimen*, De consecrat., dist. 2, ubi tamen conceditur, ut, urgente necessitate, possit consecrari mustum. Similiter si vinum cœperit acescere, vel corrumpi, vel fuerit aliquantulum acre, usque ad ultimum instans, quo substantialiter mutetur, et fiat penitus acetum, valide consecratur, quia adhuc retinet substantiam, et formam vini, at consecrans graviter peccat propter irreverentiam, quæ fit sacramento, adhibendo vinum semicorruptum quoad qualitates; S. Thom., qu. 75, art. 5, ad. 2. Rubrica Missalis part. 3., tit. 4, *De defectu vini*, num. 2. Quarti et Merati, *ibid.*, et alii passim. Si autem urgeat necessitas celebrandi, seu non possit sacerdos absque nota omittere sacrum, ut præsertim inter regulares contingere potest, non peccat sacerdos subditus adhibendo tale vinum aliquantulum acidum, vel acre, quia non tenetur subditus cum notabili incommodo sacrificium illud omittere; et quamvis tali vino uti sit contra reverentiam sacramenti, ea tamen irreverentia non imputatur celebranti, sed superiori vel ministro qui est causa voluntaria illius, præsertim si fuerit monitus, et ob avaritiam vel alium finem, aut quia decipitur, nolit mutare, sed præcipiat adhuc tale vinum apponi. Sic Merati et Quarti, *loc. cit.*, cum aliis. Quid autem agendum sit, si deprehendatur vinum esse factum penitus acetum, vel alias corruptum, sive ante consecrationem, sive post? docet clare dicta rubrica *De defectu vini;* Vide ipsam per tot. (4. Panis debet esse triticeus. Concil. Carthagin., cap. *In sacrament.* 5, De consecrat. 5, dist. 2; Eugen. IV, *in Decreto unionis in concil. Florentino.* (5. Et potest valide consecrari sive in azyme sive in fermentato, juxta suæ Ecclesiæ consuetudinem, ut declaravit Eugen. IV *in Decreto unionis in concil. Florent*, sess., XXV, in fine, his verbis : « In azymo, sive fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici, sacerdotesque in altero ipsum Domini corpus conficere debere, unumquemque scilicet juxta suæ Ecclesiæ, sive Occidentalis, sive Orientalis consuetudinem. » (6. Græcus vero, consecrans in azymo, et Latinus, in fermentato, graviter peccant ex eodem concilio Florent. et S. Pio V, constitut. incip. *Providentia Romani Pontificis.* Imo Latinus celebrans in fermentato privatur officio et beneficio, Honor. III, in cap. *Litteras* 24, De celebr. miss., his verbis : « Cum igitur, vel ex aperta malitia, vel nimia desipientia peccasse probetur, mandamus quatenus officio et beneficio perpetuo ipsum prives. » (7. Missam dicens celebrare tenetur juxta Missale Romanum, ex forma et jussu concil. Trident. institutum; S. Pius V, constit. 106, incip. *Quo primum*, et juxta formam præscriptam ab Ecclesia Romana. Concil. Bracarense I, cap. 22, et concil. Trident. sess. XXII, in decret. *De obser. et vitand. in celebr. missæ.*

* Sunt audaces quidem novitatum amatores, qui vel in ipsa Italia non verentur Missale Romanum subterfugere, cum tamen Romanus Pontifex, non solum primatis jure, sed etiam patriarchali potuerit Occidentis Ecclesiis Missalis formam præscribere, ut nuper ostendit eruditus presbyter Franciscus Antonius Mondellius in præclaro, quod edidit Suessionensis archiepiscopi Langueti opusculo, *De secreta canonis pronuntiatione* *. (8. Tenetur eam prosequi usque in finem, alias excommunicatur, nisi aliquis casus accidat. Conc. Rom., sub. Zacharia, c. 14, Post epist. 2, *Soter.* (9. Tenetur communicare recipiendo corpus, et sanguinem Christi *De cons.*, dist. 2. c. *Relatum est.* Leo IV, *Homil. de cura pastorali.* (10. Tenetur missam legere, antequam ad altare accedat, et signa præparare, ne erret. (11. Omnia debet legere et nihil memoriter recitare, et neque celerius neque tardius quam par est eam legere. Concil. Mediolanen. I, part. II, titul. *Quæ pertinent ad celebrationem missæ.* (12. Debet sinere candelas accensas usque ad finem ultimi evangelii S. Joannis, ex eodem concil. Mediolanens. *Ibid.* (13. Debet generaliter et specialiter orare pro vivis et defunctis, *De consecr.*, dist. 1, cap. *Visum præterea*, Concil. Cabilonens. II, cap. 39. (14. Sacerdos calceatus pedibus debet accedere ad altare, ut præscribit Rubrica Missalis part. II, tit. 1, n. 2, *De præparatione sacerdotis celebraturi;* ibi : *Calceatus pedibus*, quod volunt esse præceptum. Silvester verb. *Missa*, et Sotus in 4, dist. 13, quæst. 2, et alii; et Ordo Romanus *De Parasceve*, dicit non licere presbyterum, diaconum, vel acolythum ad altare ministrare per nudos pedes. At vero nonnisi ad majorem honestatem et decen-

Digitized by Google

tiam hoc præscribi dicunt Suarez III, part., disp. 82, sect. 3; Quarti, et Gavant., *loc. cit.*, et alii. Neque quod sacerdos calceatus ad altare accedat, vacat mysterio, juxta illud Apostoli *ad Ephes.* VI : *Calceati pedes in præparatione Evangelii pacis*, id est cum animo parato, prompto, et expedito ad Evangelium pacis profitendum, vita exprimendum, et ad alios deferendum, ut ex Chrysost. et Theophil. recte docet sapientissimus Tirinus in cit. cap. VI *ad Ephes.*, n. 15: « Qui enim calceatus incedit, audaciter, intrepide, et expedite progreditur; at vero qui nudis est pedibus ægre, timide, tarde, nec nisi suspenso gradu procedit; » hinc doctissimus P. Gavantus in cit. part. II, tit. 1, rubrica 2, litt. *X*, apud eruditissimum P. Merati, *eod. loco*, recte concludit, quod laudandi sunt clerici regulares sui præclarissimi ordinis, qui in sacristia deponunt etiam communes crepidas, seu calceos et alias ibidem ad id paratas crepidas induunt ad majorem nitorem, et sacri ministerii splendorem; quod et observari compertum est in pluribus provinciis et conventibus nostri seraphici ordinis, nec non in pluribus aliis.

(15. * Quid statuendum, si contingat defectum aliquem deprehendi vel in pane, vel in vino consecrationis, ex rubrica repetatur; quæ mandat, si forte accidat, ut post sumptionem sanguinis animadvertatur primo hostia inepta sacrificio, resumendum esse novum panem, et vinum cum aqua, et verba consecrationis super utrumque repetenda, sumpto initio ab illis verbis : « Qui pridie quam pateretur, » facta tamen utriusque oblatione. Sunt quidem qui putant sufficere hostiæ tantummodo consecrationem; at tunc « debitus ordo non servaretur; » quæ altera est ex duabus causis, ex quibus rubrica utriusque consecrationem mandat. Quare rubricæ parendum. Ben. XIV, *De sacrif. missæ*, lib. III, cap. 15, § 2.

(16. Si vero post consecrationem, sumpta jam hostia, cognoscat vinum ineptum fuisse ad consecrationem; tunc nova hostia, novumque vinum apponendum est, novaque utriusque consecratio facienda. Id utique censet S. Thomas, ejusque discipuli. Sed post reformatas sub Clemente VIII rubricas Missalis legitur in illis expressum : si missa celebretur in loco publico coram multis, ad scandalum evitandum sufficere, si tantummodo apponatur novum vinum cum aqua, et facta oblatione consecretur, statimque sumatur. *Ibid.*, § 3, 4, etc. (76).

(17. Defectus si occurrat in pane, et vino, deprehendaturque ante consecrationem, nova materia apta apponatur; si post consecrationem, missa omitti tuto potest; si post sumptionem, necessario omittitur, nisi forte multitudo adesset missæ audiendæ; quo in casu posset sacerdos submissa voce preces aliquas recitare, quæ ad illam partem missæ non pertinerent, et benedictionem populo impertiri. *Ibid.*, cap. 15, § 9.

(18. Si aqua infusa calici non sit, idque ante consecrationem agnoscatur, infundatur statim; si post consecrationem, missa peragenda est. *Ibid.*, § 10.

Si musca, vel aranea in calicem ante consecrationem ceciderit, effundatur vinum, et novum apponatur. Si post consecrationem, illud, quidquid est, extrahatur, lavetur, et comburatur, et ablutio cum cineribus in sacrario reponatur. Ita ex S. Thoma; *ibid.*, § 10.

(20. Si vino immistum venenum deprehendatur ante consecrationem, idem quod prius servandum est; si post consecrationem, in aliud vasculum transfundatur, et tandiu servetur, donec species vini fuerint exsiccatæ, et aliud vinum consecretur, ut ex S. Thoma, *ibid.*

(21. Vinum acescens non est adhibendum in missa; si tamen id fiat, conficitur sacramentum; nec peccant regulares, qui celebrare debent, nec habent auctoritatem vinum commutandi, id enim peccati ligat eorum superiores, ut ex Quarti et Merati adnotatur *Institut. eccles.* 77, § 2. Vinum, quod ex aqua conficitur botris superinjecta, quale a Latinis priscis lora, seu lorca dicebatur, ineptum est ad sacrificium, ut ex theologis firmatur. *Ibid.*, § 4.

(22. Vetitum est sub peccato gravi adhibere vinum illud dilutum, quod ex musto, et aquæ æquali vel fere æquali quantitate conficitur ut ex theologis. *Ibid.*, § 6.

(23. Licitum est tamen adhibere in eam rem vinum, quod ex modo illud conficiendi in regionibus aliquibus habet aliquid aquæ admistum, est enim vinum usuale. *Ibid.*, § 7.

(24. Si guttæ vini reperiantur extrinsece in cappa calicis, censeantur non consecratæ et abstergantur purificatorio. Si interius, tutius censeantur consecratæ, et per secundam purificationem assumantur. *De sacrif. miss.*, lib. III, cap. 17, § 7.

(76) « Gibertus, *Consult. can. de sacr.*, consult. 3, *De sacris. miss.*, casum proponit, si clericus ex adituis, qui sacrario inserviunt, partem hauserit vini, quod ad missas paratum erat et pro vino assumpto substituerit aquam, quo fiat, ut presbyter, accepto calice, sentiat plus inesse aquæ quam vini; quæritur, utrum, quæ facta est consecratio, valida sit, an vero opus sit, novo accepto vino exigua aqua diluto, consecrationem iterare; et respondet, in sacramentis mutationem materiæ non esse substantialem, nisi pro materia, quam Christus instituit, alia prorsus materia adhibeatur, quæ illam destruat. Cum itaque vinum propria calicis materia sit, negat mutationem esse substantialem, nisi pro vino adhibeatur aqua, aut tantum aquæ in vinum infundatur, ut destruatur vini natura. Porro et illud advertit, ad inducendam substantialem mutationem, ad quam, ubi de validitate disceptatur, unice respiciendum est, non satis esse, quod plus aquæ quam vini in calicem sit infusum : ejusmodi enim esse potest vinum, ut robore suo resistat, et proprium servet naturam, quamvis aquæ mensura longe major sit; palatum autem verius, quam oculos posse judicare, suamne naturam vinum retinuerit, licet plus aquæ infusum sit. » Apud Bened. XIV, *De sacrif. miss.*, lib. III, cap. 10, n. 17. (*Editores Casin.*)

Digitized by Google

(25. Generatim monet S. Thomas, in dubiis, num aliquid omissum sit in missa, vel si certe constet omissum, nec illud sit de necessitate sacramenti, negligendum esse, si sit vero de necessitate sacramenti, illud iteretur, et reliqua omnia ex ordine deducantur. *Ibid.*, cap. 15, § 16.

(26. Si sacerdos, sumpta purificatione, animadvertat remansisse in corporali vel patena fragmenta, sive illa magna sint, sive parva, absumantur, sicut et absumenda sunt fragmenta, si quæ remanserint post distributionem Eucharistiæ in adstantes peracta missa. *Ibid.*, lib. III, cap. 17, § 3.

(27. Si tamen quod remanet, non fragmentum, sed integra est hostia, magna, seu parva; hæc post sumptam purificationem non est absumenda, sed vel recondenda in tabernaculo vel ponenda in patena, ut alteri sacerdoti mox celebraturo reservetur; quod si fieri non potest, absumatur. Ita ex rubr. *Ibid.*, § 4.

(28. Particula illa hostiæ, quæ separatur in inferiori parte hostiæ in duas partes fractæ, si in vino non diffluat in os, sed remaneat in calice, potius quam digito redigatur ad oram calicis, præstat, ut mediante novo vino hauriatur. *Ibid.*, § 1.

(29. Sacerdote in sacristiam jam restituto post missam et nondum sacris vestibus exuto, absumenda sunt fragmenta, si quæ advertit remansisse in patena. Si vero sacras vestes exuit, quidquid superfuerit e sacrificio reponendum est in tabernaculo si adsit; sin minus, vel non liceat, sine aliqua admiratione populi, absumendum est. Ita ex S. Thoma *ibid.*, § 5.

(30. Peccaret graviter sacerdos, si hostiam in missa consecratam reponeret in tabernaculo, et ejus loco sumeret hostiam quæ in eodem tabernaculo antea continebatur. Ita ex can. *Relatum*, De consecr., distinct. 2, *ibid.*, § 8.

(31. Sacerdos celebrans si habeat hostiam parvi moduli, melius faceret, si populum doceret, ne miraretur, si illam adhibet pro majori, quæ tunc non suppetit; potius quam utatur sententia aliquorum, qui censent posse tunc extrahi e tabernaculo hostiam majorem, quæ forte ibi adest, et adhibere illam ad elevationem. *Ibid.*, § 9.

(32. Si pyxis hostiis parvis plena sit præsens moraliter sacerdoti, sed non fuerit aperta ante oblationem et consecrationem, illicite quidem id fieret; sed, cum moraliter præsens esset sacerdoti, valida esset consecratio; quod verum est, etiamsi quando consecravit, actu de particulis non cogitaret. Moralis vero præsentia ea dicitur, cum ita præsens est, ut verificari censeantur illa verba formæ *Hoc*, vel *Hic*. *Ibid.*, c, 18, § 2 et 3.

(33. Si particulæ afferantur a l altare post peractam oblationem, non debet sacerdos illas consecrare sine legitima causa, ut si magna multitudo populi parata ad recipiendam Eucharistiam, alias careret sacramento, tunc vero sacerdos deberet prius illas ante consecrationem mente offerre; cœpto jam canone, si afferatur particula, non est consecranda, neque pro dando viatico infirmo, tunc enim sufficeret, si sacerdos ex sua hostia parvam portionem separaret. *Ibid.*, § 5.

(34. Si forte contingat, ut pyxis deferatur ad altare, nec sacerdos illam advertit, adeoque proferat verba consecrationis, nihil cogitans de pyxide, tunc utique, si pyxis non sit supra petram sacram, non censetur voluisse sacerdos consecrare, alioquin enim censeretur voluisse id quod sibi illicitum est. Quamvis vero sint doctores qui contrarium censent, cum tamen in sacramentis conferendis sequi teneamur opinionem tutiorem, relicta probabiliori, ideo in casu tali particulas illas non esse populo distribuendas, sed asservandas, ut in alia missa sub conditione consecrentur, satis constat. *Ibid.*, § 6.

(35. Si celebranti sint præsentes undecim hostiæ, et ille habeat intentionem consecrandi solum decem, nec determinet quales, nulla ex illis esset consecrata, ut ex rubricis discimus. Quare debet sacerdos intentionem suam ita dirigere, ut velit omne consecrare quiquid ante se positum est. Ex quo intelligitur, sacerdotem, qui cum hac intentione habet in manu duas hostias, unam se tenere putans, utramque revera consecrare. *Ibid.*, § 7.

(36. Nemini licet ab altari recedere cœpta missa, relicto alio sacerdote, ut reliqua suppleat: ut statuitur in can. *Nullus ep.*, De cons., d. 1. Quod ibi vetatur sub pœna suspensionis, quæ tamen est ferendæ, non latæ sententiæ, nec locum habet, si sacerdos ante consecrationem ab altari sine causa recedat. *Ibid.*, lib. III, c. 14, § 2.

(37. Tridentinum, sess. XXIII, cap. 14, monet episcopos, ut curent, ut sacerdotes non habentes animarum curam, diebus saltem Dominicis, vel festis solemnioribus missam celebrent. An committant peccatum grave sacerdotes illi, si monito Tridentini non se submiserint, quæstio est anceps. Profecto peccaret graviter, qui nunquam per annum sacrificium offerret; esset enim hoc indicium vitæ corruptæ et pareret scandalum. Teneretur etiam celebrare, ut ægroto viaticum deferretur, si alio modo fieri non posset. *De sacrif. miss.*, lib. III, cap. 1, § 10.

(38. Missam quotidie celebrare melius est quam ab ea abstinere; negandum tamen non est, quin optime præstet sacerdos, si aliquando abstineat ex reverentia, seu ad hoc, ut ferventius celebret. Id vero eruitur ex eo, quod ad spiritum Ecclesiæ propius accedit, qui quotidie sacramentum recipit.

(39. Addendum quod munus sacerdotis est non privatum, sed publicum, estque ejus opus Ecclesiæ utile, et ex assidua celebratione validius auxilium obtinebit a Deo, ut dignius celebret. Quare statuendum sacerdoti ut plurimum quotidie celebrandum esse, si, discussa conscientia sua, persuadere sibi moraliter possit, se esse in statu

Digitized by Google

gratiæ. Nec obstat minor fervor, cum illum persæpe patiamur inviti. *Ibid.*, c. 2.

(40. Missæ nec ita breves esse debent, ut saltem horæ tertiam partem non attingant, neque ita longæ, ut horæ dimidium excedant. *De sacrif. miss.*, lib. III, c. 24. § 2. Vide *Institut. eccles.* 34, § 19.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(41. Haud licere missam inchoatam intermittere, liquet ex cap. *Nullus*, De celebrat. missar. Excipitur vero casus urgentis necessitatis. (42. Quocirca posse missam intermitti, etiam post consecrationem, ut sacramentum pœnitentiæ homini in extremis constituto ministretur, communis est sententia; idem dic de baptismo ministrando homini pariter in extremis constituto. (43. Num possit intermitti missa pro administratione viatici aut extremæ unctionis? Ante consecrationem posse, modo periculum sit in mora, non item post consecrationem, sentiunt auctores relati a Pasqualig. *De sacrific. missæ*, tom. I, quæst. 197, a n. 4 ad plur. sequent. (44. Quin imo Quart., in *Rubr. missal.*, part. II, tit. 3, sect. 3, dub. 3; Tamburin., *De sacrific. miss.*, l. II, cap. 6, § 7, n. 4, aliique tenent et post consecrationem posse intermitti, si moribundus sit intra ecclesiam.

(45. De sacerdote, qui, incœpta missa, recordatur se a jure impeditum esse, quæritur, an valeat is missam deserere. Negant communiter auctores, si recordetur post consecrationem. At discordes inter se sunt, si recordetur ante consecrationem. *Vide* Pasqualig., *De sacrif. miss.*, tom. I, quæst. 194, a. n. 3 ad plur. sequent. qui abit in sententiam eorum, qui sustinent posse prosequi. (46. Verum meo judicio non est recedendum a Rubrica Missalis, quæ hæc habet: « Ante consecrationem in supradictis casibus si non timetur scandalum, debet missam incœptam deserere ».

ADDITIONES CASINENSES.

(47. S. Thomas expendens an aqua possit vino jam consecrato misceri: generalem statuit regulam, nullum post consecrationem infundendum esse liquorem in calicem, præsertim aquam: « Nullo autem modo (sic ille) debet aqua vino jam consecrato misceri, quia sequeretur corruptio sacramenti pro aliqua parte. » III part., quæst. 83, art. 6 ad quartum. Verum « utcunque sit, addit Bened. XIV, de ea ratione quam affert Angelicus Doctor, regula optima quidem est pro Occidentali Ecclesia. «Sed, cum Græci (prosequitur idem Pontifex) post consecrationem vini aquam calidam in calicem immittant, et in concilio Florentino eas de hoc ritu rationes attulerint, quibus Eugenius IV conquieverit, idcirco cardinalis Bona, *Rer. liturg.*, lib. II, cap. 9, n. 5, putat, eam Angelicum Doctorem statuisse regulam, ejusque rationem attulisse, haud gnarum illiusmodi ritus Græcorum. » *De sacrific. missæ*, lib. III, cap. 10, n. 16.

(48. Amplius idem D. Thomas, cit. part. III, quæst. 77, art. 8. loquens de vino non consecrato, quod cum consecrato misceatur, concludit, si in magna quantitate admisceatur, ita ut in omne vinum consecratum diffundatur, non amplius remanere ibi sanguinem Christi; en ejus verba: « Manifestum est . . . quod corpus et sanguis Christi remanent in hoc sacramento, quandiu illæ species manent eædem numero: consecratur enim hic panis et hoc vinum. Unde, si fiat tanta permistio liquoris cujuscunque, quod pertingat ad totum vinum consecratum, et fiat permistum, erit aliud numero, et non remanebit ibi sanguis Christi: Si vero fiat tam parva alicujus liquoris adjunctio, quod non possit diffundi per totum, sed usque ad aliquam partem specierum, desinet esse sanguis Christi sub illa parte vini consecrati, remanebit tamen sub alia. » Hæc ille.

(49. At præstat adnotare, Innocentium III in cap. *Cum Marthæ*, § *Quæsivisti*, ex *De celebrat. miss.* generaliter posuisse: « Si post calicis consecrationem aliud vinum mittatur in calicem, illud quidem non transit in sanguinem, nec sanguini commiscetur, sed accidentibus prioris vini commistum, corpori, quod sub eis latet, undique circumfunditur, non madidans circumfusum: ipsa tamen accidentia vinum appositum videntur afficere; quia, si aqua fuerit apposita, vini saporem assumit. » Quæ Innocentii doctrina adversatur plane iis, quæ D. Thomas docet loco modo relato. Id prævidit S. doctor, *l. c.*, et adducto d. text. Innocent. ait, intelligendum esse, si tantula sit extranei liquoris quantitas, ut non diffundatur in omne vinum consecratum; « Quando non fit tanta permistio liquoris extranei, quod sanguis Christi desinat esse sub toto, tunc enim dicitur undique circumfundi, non quia tangat sanguinem Christi secundum ejus proprias dimensiones, sed secundum dimensiones sacramentales, sub quibus continetur. » *Ibid.*, ad 3.

(50. Contra tamen hujusmodi D. Thomæ doctrinam videntur sentire fere omnes theologi, Innocentii III allata decret. freti, ubi indistincte Pontifex loquitur, sive liquor in magna, sive in parva quantitate vino consecrato admisceatur. Audiamus Barbosam, qui sub dicto capite *Cum Marthæ*, § *Quæsivisti*, hæc habet: « Quid autem dicendum sit, ubi vino consecrato fit commistio vini in summa quantitate, veluti si guttæ sanguinis Christi superadditum sit vini profani dolium, quæstio est difficilis, an scilicet maneat semper, facta prædicta commistione, illa gutta sanguinis sub particula vini consecrati? Partem negativam clarissimis verbis tuetur D. Thomas, III p., q. 77, art. 8, et iterum in 4, dist. 12, art. 2, quæstiuncula 1, et quodlibet. 10, art. 3, cujus fundamentum illud est, quod licet per commistionem ejusdem liquoris, scilicet vini, non corrumpatur species vini consecrata, nec desit adesse vinum per modum substantiæ, attamen desinit esse idem in individuo, propter divisionem liquoris commisti in tam magna

Digitized by Google

quantitate, et ideo desinit ibi esse sanguis Christi, qui eatenus ibi est, quatenus species consecrata non corrumpitur, imo existit, et conservatur.... Contra eamdem tamen videntur sentire fere omnes theologi .... pro qua sententia afferunt multas et efficacissimas rationes, ultra auctoritatem hujus textus (*Cum Marthæ*, etc.) qui indistincte loquitur, sive liquor in magna quantitate, sive in parva misceatur calici consecrato (77). » *Collect. DD. in Decr.*, tit. 41, *De celebrat. miss.*, c. *Cum Marthæ*, et c. 6, n. 10.

Illud quoque pro hac postrema sententia ex veteri disciplina addere possumus « cum populo in calicibus ministerialibus sub specie vini exhibebatur Eucharistia, vinum non consecratum identidem, ut postulabat numerus eorum, qui essent communicandi, in calicem infundi consuevisse, nec ullum unquam veritum esse, ne fideles Christi sanguinem non susciperent. » Verba sunt Bened. XIV, *De sacrific. missæ*, lib. III, cap. 10, n. 17.

ARTICULUS IX.

Missa quoad vetita in ejus celebratione.

SUMMARIUM.

1. Vetitum est missam celebrare capite velato.— 2. Unde nemini licet uti pileolo, et ficto capillitio. — 3. Nec alius præter Sedem Apostolicam potest concedere facultatem eum ferendi, ad n. 4. — 5. Vetitum est missam celebrare sine ministro. — 6. Vetitum est sacerdotibus deferre manutergium super calicem eundo, vel redeundo ab altari. — 7. Vetitum est pro ministro feminam inservire. — 8. Sic nec filius illegitimus potest missæ sui patris presbyteri inservire. — 9. Vetitum est cum baculo ad missam celebrandam accedere. — 10. Item vetitum est missam sine luminibus celebrare. — 11. Sic etiam vetitum est missam celebrare in calice ligneo, et vitreo. — 12. Neque uti permittitur calice ex ære, aut aurichalco. — 13. Sicuti nec etiam uti licet calice plumbeo, aut ferreo. — 14. Vetitum est missam celebrare cum calice quocunque non consecrato. — 15. Imo, si quis auderet celebrare in calice non consecrato, esset suspensus ab officio celebrandi et a beneficio, si quod haberet. — 16. In sacrificio missæ non est adhibenda palla drappo serico a parte superiore cooperta. — 17. Sacerdos in sacrificio missæ congruentius utitur cingulo linteo non serico.—18. Alia ad rem ad n. 22. — 23. Subnectuntur *Addit. ex aliena manu* ad n. 27, ubi nonnulla reperiuntur notatu digna.

(1. Vetitum est missam celebrare capite velato; cap. *Nullus episcopus* 57, De consec., dist. 1. (2. Unde nemini licet uti pileolo, et ficto capillitio. Concilium Mediolanen. I, part. II, tit. *Quæ pertinent ad celebr. missæ*. (3. Nec alius præter Sedem Apostolicam potest eum ferendi cuiquam licentiam concedere, ex decreto jussu Urbani VIII in Missali reformato reposito his verbis: « Nemo audeat uti pileo in celebratione missarum sine expressa licentia Sedis Apostolicæ, non obstante quacunque contraria consuetudine : » et sacr. congr. Concil. 24 April. 1626, his verbis : « Facultas concedendi usum pileoli in missa spectat ad Papam. » (4. Et quoad fictum capillitium, seu comas expresse prohibuit Innocent. XI cujus decretum in diœcesi Coloniensi fuit promulgatum præcisis his verbis : « Cum informato non ita pridem, et consulto S. D. N. Papa Innocent. XI super rationibus et motivis quare usus comarum adscititiarum in hisce rigidioribus partibus saltem apud illos, qui de S. Sedis Apostolicæ, seu legatorum ejus aut episcoporum diœcesanorum, vel vicariorum eorumdem licentia longo temporis intervallo illis usi, iisdem sine præsenti valetudinis discrimine deinceps carere non posse dignoscerentur; modo, et forma juxta edictum sub 14 mensis Decembr. anni novissimi lapsi præscriptis tolerandus videretur, ejusdem Suæ Sanctitatis hic residenti legato illustris, et reverend. archiepiscopo Damasceno renuntiatum fuerit, « non esse mentem « Sanctitatis Suæ, quod nuntiis Apostolicis, « aut episcopis liceat licentiam sacerdotibus « concedere ejusmodi comas in actu cele- « brationis gestandi; » hinc justissimis sanctissimi Patris nostri monitis devotissime in omnibus obsequendo, revocatis cum hoc quibuscunque alias etiam post emanatum præfatum edictum obtentis licentiis, aut concessionibus, seu earum declarationibus, monentur omnes, et singuli harum tenore serio, ac paterne in Domino, ut memores humilitatis, et reverentiæ tam tremendo mysterio debitæ, sacrificio missæ, aut altari Dei nonnisi detecto ac nudato capite assistere præsumant, idque sub pœna suspensionis a divinis officiis, aliisque juxta superius edictum, cujus tenor in reliquis quoque quoad vestium prohibitarum, annulorum, comæ, et coronæ etiam subdiacon. et diaconalibus ordinibus proportionatæ gestationem exactius, quam hactenus ubique observabitur. Signatum Coloniæ die 21 Martii 1689. Joannes Henricus ANETHAN., episcop. Hierap. suffrag. et vicarius generalis Coloniensis. *Vide* verb. COMA FICTITIA, seu ADSCITITIA, per tot., et verb. PILEOLUS per tot. (5. Vetitum est missam celebrare sine ministro cap. *Proposuit*, De filiis presbyter., ubi sic habetur : « Non enim solus presbyter missarum solemnia, aut alia divina officia potest sine ministri suffragio celebrare. » Concil. Parisiens. VI, p. I, c. 48, his verbis : « Visum est, ut deinceps hujuscemodi casus inhibeatur, provideatque unusquisque episcoporum, ne in sua parochia quisquam presbyterorum missam solus celebrare præsumat, et, si hanc definitionem, superbiendo transgressus fuerit, canonicæ correctioni subjaceat. » Sic etiam decrevit conc. Granatense, c. 36; conc. Mugutin.,

(77) « Difficultas est, quid faciendum sit de dolio vini in quod gutta specierum vini consecratarum immissa est. Respondet Sotus... et alii, illud vinum adhiberi, et bibi posse a laicis, nec opus esse, ut servetur pro missis celebrandis, quia illa gutta habetur pro omissa, cum ignoretur, quænam illa sit. Verum magis pie Suar. Bonac... et alii per eos citati sentiunt hujusmodi vinum servandum esse ad pios usus, alioquin fieri contra reverentiam speciebus consecratis debitam. » Idem Barbosa, *Collect. DD. in Decretal.*, tit. 41, *De celebr. miss.*, cap. *Cum Marthæ*.

Digitized by Google

c. 43, et Leo IV, *Homil. de cura pastorali.* (6. « Vetitum est sacerdotibus deferre manutergium super calicem eundo vel redeundo ab altari. Sac. congr. Rit. 1 Septembr. 1703, quod est etiam contra rubricam generalem Missalis, et *Comment.* Gavant. *in easdem rubricas*, part. I, tit. 20. (7. Vetitum est pro ministro feminam inservire : cap. *Inhibendum*, De cohabitat. clericor. et mulier., ubi sic statuitur : « Prohibendum quoque est ut nulla femina ad altare præsumat accedere, aut presbyterio ministrare. » Subjungit La Croix l. VI, part. II, num. 388 : « Et si mulier in ecclesia tacere debet, uti habetur *I ad Corinth.* XIV, multo magis abstinere debet a ministerio altaris; » sic etiam Barbosa, *De offic. et potest. parochi*, part. XI, cap. 15, num. 42 et 43, cum multis ibi citatis. Confirmat Benedictus XIV, in constit. 47, tom. IV *Bullar.*, quæ incip. *Allatæ sunt*, ubi, § 29, hæc habet : « Summus Pontifex Gelasius in sua epistola nona ad episcopos Lucaniæ cap. 26, pravam consuetudinem jam invectam improbavit, juxta quam, mulieres sacerdoti missam celebranti inserviebant; cumque idem abusus ad Græcos transisset, Innocentius IV in epistola, quam ad episcopum Tusculanum dedit, eumdem severissime proscripsit : « Mulieres autem « servire ad altare non audeant, sed ab « illius ministerio repellantur omnino; » iisdem verbis a Nobis quoque prohibetur in nostra sæpius citata constitutione *Et si pastoralis*, § 6, n. 21, t. II *Bullarii nostri* (78). (8. Sic nec filius illegitimus potest missæ sui patris presbyteri inservire, quia indecorum est, ut in altaris officio illegitimus filius impudico patri ministret, in quo unigenitus Dei Filius æterno Patri pro salute humani generis victimatur, ut habetur cap. *Cum decorem* 15, De filiis presbyterorum, et colligitur ex concil. Trident. *De reformat.*, sess. XXV, cap. 15, ubi : « Ut paternæ incontinentiæ memoria a locis Deo consecratis, quos maxime puritas, sanctitasque decet, longissime arceatur, » jubet, ne filii illegitimi clericorum, in ecclesiis, ubi eorum parentes beneficium habent, ullo modo ministrent, per præcisa hæc verba : « Nec in « dictis ecclesiis quoquo modo ministrare. » (9. Vetitum est cum baculo ad missam celebrandam accedere, ex canon. Zachariæ Papæ lato in concil. Romano, et inserto in decreto Gratiam., in cap. *Nullus episcopus* 57, De consecr., dist. 1, ubi sic habetur : « Nullus episcopus, presbyter, aut diaconus ad solemnia missarum celebranda præsumat cum baculo introire, et qui temere præsumpserit, communione privetur. » (10. Item vetitum est missam sine luminibus celebrare. Leo IV, *Homil. de cura pastorali*, et Honorius III, in cap. *Litteras* 12, De celebrat. missarum. (11. Sic etiam vetitum est missam celebrare in calice ligneo et vitreo ex concil. Remensi, cap. 6, canon. *Ut calix* 45, De consecrat., dist. 1, ubi expresse dicitur : « Nullus autem in ligneo, aut vitreo calice præsumat missam cantare. » (12. Neque uti permittitur calice ex ære, aut aurichalco; ex eodem concil., *ibidem*, his verbis : « De ære, aut aurichalco non fiat calix, quia ob vini virtutem æruginem parit, quæ vomitum provocat. » (13. Sicuti nec etiam uti licet calice plumbeo, aut ferreo ex eodem motivo; c. *Vasa*, De consecr., dist. 1, et Leo IV, *Homil. de cura pastorali.* (14. Vetitum est missam celebrare cum calice quocunque non consecrato, ex cap. Unico, § fin. De sacra unctione. (15. Imo, si quis auderet celebrare in calice non consecrato, esset suspensus ab officio celebrandi et a beneficio, si quod haberet, per textum in cap. ultimo, De celebrat. missarum.

(16. In sacrificio missæ non est adhibenda palla drappo serico a parte superiori cooperta. Sac. congreg. Rit. 22 Jan. 1701.

(17. Sacerdos in sacrificio missæ congruentius utitur cingulo lineo, quam serico. Eadem sac. congr. Rit. 22 Januar. 1701, apud La Croix, lib. VI, part. II, n. 2055, pag. 312 et 313.

(18. Annulum in digito gerere, dum missa celebratur, cujuscunque dignitatis nemo potest, vetante S. Rituum congregatione, *Instit. eccles.* 34, § 4, n. 15.

(19. Nec licet etiam protonotariis non participantibus adhibere in missa instrumentum argenteum cum candela, ut ex decreto apud Monacell., *ibid.*, n. 16. Quod etiam superioribus ordinum mendicantium, et parochis vetuit S. congregatio, cujus litteræ referuntur *ibid.*, sub. n. 17, sunt autem tenoris sequentis :

(78) « Minister, secundum Nav., Fagn., Zerol., sub mortali, et quidem masculus : in necessitate tamen gravi, v. g. diei festi, vel dandi viaticum, posset quis sibi respondere, inquit Sa, Bonac. et Dian. tr. 4, resol. 43, ex aliis. In quo casu etiam feminam adhiberi posse docet Nug. a. 6, d. 1, et Sylv. idque quibusdam Belgii partibus consuetudine inductum esse docet March. *R. past.*, cap. 5, contra communem, apud Lay. Fern et Dian., *l. c.* Tamburin... et March., *De ord.*, t. III, cap. 15, ubi vult id esse mortale. Ministrante tamen circa altare viro, qui haud sciat respondere, moniales ex choro respondere, non esse prohibitum notat C. de Lugo, et Tambur... ubi etiam cum Henriq. et Hurtad. permittit celebranti missam cœptam prosequi sine ministro, si hic forte abiit et aliquantulum exspectatus non revertatur. » Busemb. apud D. de Ligorio, *De eucharist.*, etc., num. 391.

Sed audiamus eumdem D. de Ligorio, qui hæc habet : « Dubitatur an sacerdos celebrans, respondente muliere, graviter peccat? Affirmat Nunn. apud Dianam... sed communiter negant Laym... Suarez... Tournely... et Diana... cum Molfes, Homob, Zanardo, Fern. Hinc dicunt Wigandt... Tournely cum Lugo, et Laym. cum Palud. et Hurtad. bene permitti, ut feminæ quandoque respondeant a longe, maxime si sint sanctimoniales, modo non immediate ministrent in altari, porrigendo urceolos, etc., id enim non posse excusari a mortali ex cap. *Inhibendum*, De cohabit. cleric., ubi feminis omnino interdicitur celebranti ministrare. Et ideo bene advertit Laym. quod, urgente necessitate, satius esset celebrare sine ministro, quam cum femina ministrante. » *Loc. cit.*, num. 392. (*Editores Casinenses.*)

Digitized by Google

Eminentiss. ac reverendiss. Domine Observandiss.

« Cum sacrorum Rituum congregat. innotuerit, quemdam in ista civitate Bononiæ irrepsisse abusum, quod tum parochi ejusdem, tum superiores ordinum mendicantium nulla dignitate ecclesiastica insigniti, nulloque justo titulo fulti, in celebratione missæ sive solemnis, sive privatæ instrumento argenteo cum candela, quod *bugia* nominatur, noviter uti præsumpsere, eminentissimi, et reverendissimi Patres eidem sacr. congregationi præpositi Eminentiæ vestræ scribendum esse duxerunt, ut ipsa abusum prædictum zelo, quo pollet, ecclesiasticæ disciplinæ, a civitate ista omnino tollere, et amovere curet, parochosque omnes, et ordinum mendicantium superiores, adhibitis iis juris remediis, quæ prudentiæ suæ opportuna, vel etiam necessaria videbuntur, auctoritate ipsius sacræ congregationis moneat, coerceat, et ad terminos suos reducere non omittat; et E. V. manus humillime exosculor.

« Romæ 18 Augusti 1734.

« Eminentiæ Vestræ

« Humillimus atque addictissimus servus A. F. card. Zondadari, propræf.

« N. M. Tedeschi, archiepiscopus Apam. S. R. C. secret. »

Quin et juxta decreta Alexandri VII abbatibus regularibus consecratis id non licet, nisi in missa solemni, cum pontificalibus utuntur, ut ex decretis S. congregationis; cit. *Institut. Eccles.* 34, § 4, num. 17.

(20. Pari passu cum hoc argenteo instrumento procedendum est cum assistente; *ibidem*, § 18, ut ex decreto sacræ congregat. Rituum.

(21. Novus sacerdos in celebratione missæ primæ vetatur ecclesiam circuire sacris vestibus indutus, ut recipiat oblationes, potest tamen se vertere ad altare, et ibi eas accipere, ex decreto sac. congregationis; *Instit. Eccles.* 56, § 7.

(22. Sacerdos, in alia diœcesi celebrans missam, non potest nomen episcopi sui nomini episcopi illius diœcesis substituere, ex Pouget, et Merato. Bened. XIV, *De sacrif. missæ*, lib. II, cap 17, § 4.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(23. An possit sacerdos sine ministro missam celebrare, si sit aliqua celebrandi necessitas, non conveniunt inter se auctores. Negant post D. Antoninum complures. Affirmant vero alii; sed et hi discordes sunt circa illam necessitatem, quæ licitam facit hanc missæ celebrationem sine ministro. (24. Affert Sotus exemplum, si aliter sacerdos non posset satisfacere præcepto audiendi missam. Sed non omnes in hoc exemplo concordes sunt. (25. In eo tamen videntur plerique convenire, quod scilicet possit missa celebrari sine ministro, si viaticum sit ministrandum periculose ægrotanti.

(26. De eo quoque quæri solet, an in casu necessitatis liceat uti ministerio mulieris? Satius esse sine ministro celebrare, quam mulierem habere adjutricem, communis opinio est.

(28. Num filius illegitimus in casu necessitatis possit patri celebranti ministrare: tum an possit ministrare eidem patri secreto celebranti in aliquo oratorio, *vide* apud Pasqualig. t. I, quæst. 349, n. 5.

ARTICULUS X.

Missa quoad requisita pro ejus celebratione.

SUMMARIUM.

1. Requiritur in primis altare. — 2. Et debet esse consecratum. — 3. Et coopertum linteis mundissimis. — 4. Et ista lintea regulariter debent esse tria. — 5. Et in ipso altari, etiamsi sit expositum venerabile, semper requiritur crux cum imagine Crucifixi etc. — 6. Et debent lumina esse in ipso accensa. — 7. Requiritur corporale benedictum ab episcopo, vel ab habente privilegium benedicendi. — 8. Et hoc debet esse linteum. — 9. Requiritur quædam etiam parva palla superponenda calici. — 10. Requiritur calix cum patena ex auro, vel ex argento. — 11. Requiritur missale. — 12. Requiritur insuper amictus, alba, cingulum, manipulus, stola, et casula. — 13. Alia ad rem ad n. 24. — 25. An sacerdos omittendo aliquid eorum, quæ ad ritum celebrationis attinent, puta debitum tempus, altare, etc., vestes, etc., valide consecret.—26. Expenditur hic, an debeat esse determinata quantitas panis et vini pro valida consecratione; alia ad rem, ibi.

(1. Requiritur in primis altare, ex cap. *Altaria*, De consecrat., dist. 1, quod debet esse lapideum, ex concil. Epaonen. can. 26 et 27, post epist. 2 Evaristi, et ex concil. Hipponen. cap. 6, et refertur in cap. *Altaria*, De consec., dist. 1. (2. Et debet esse consecratum ex c. 1, De consecrat., dist. 1. (3. Et coopertum linteis mundissimis, c. *Consulto*, De consecr., dist. 1 Con. Coyacens., c. 3; concil. Lateranen. IV, cap. 19, concil. Oxonien. I, c. 10. (4. Et ista lintea regulariter debent esse tria, ut videtur colligi ex c. *Si per negligentiam*, De consec., dist. 2, ubi præter corporale numerantur tria his verbis: « Si aliquid de sanguine stillaverit supra linteum altaris, et ad aliud stilla pervenit, quatuor diebus pœniteat, si usque ad tertium, novem diebus pœnitent, si usque ad quartum, viginti diebus. » Ubi nota primum verba *stillaverit super linteum altaris* referri ad corporale, et cum de tribus aliis fiat mentio, utique judicari, quod requirantur tria præter corporale, sicuti pariter Missale Romanum auctoritate Clem. VIII et S. Pii V editum expresse tria requirit t. *De defectibus*. (5. Et in ipso altari etiam si sit expositum venerabile, semper requiritur crux cum imagine Crucifixi, ut declaravit sac. congr. Rit. 24 Maii 1707, his verbis: « Quando super altare expositum est venerabile, debet etiam in eo collocari cum imag. Crucifixi: » Et quidem illius altitudinis et magnitudinis novissime præscriptæ a sæpe laudato Sum. Pont. Bened. XIV, die 16 Julii 1746 in sua encyclica epistola directa archiepisc. episc., et ordinariis ditio-

Digitized by Google

nis ecclesiasticæ, in qua circa finem sic expresse mandat : « Illud vobis præcipimus, ut nullo modo patiamini rem divinam fieri ad hujusmodi altaria nisi crucifixus inter candelabra ita promineat, ut sacerdos celebrans, ac populus sacrificio assistens eumdem crucifixum facile, et commode intueri possit, quod evenire nequit, si exigua solum crux minori tabulæ defixa fidelibus exhibeatur. Si ejusmodi corruptela in diœcesim non valde propagata est, facile exstingui poterit; si privatim regulares, aut sæculares ecclesiarum superiores de hac re moneantur : Sin autem late per diœcesim invaluerit, tunc a vobis edictum necessario promulgandum erit, quod his nostris litteris conformetur. » *Vid.* tamen in *Supplementis* ad verb. ALTARE, n. 59, novissimam dispositionem ejusdem Pont. Benedicti XIV, circa crucem collocandam, vel non, in altari, in quo est expositum sanctissimum sacramentum. (6. Et debent lumina esse in ipso accensa, ex capitulo ultimo, De celebratione missarum.

(7. Requiritur corporale benedictum ab episcopo, vel ab habente privilegium benedicendi, cap. *Consulto*, De consecr., dist. 1. (8. Et hoc debet esse lineum, ex concil. Remens., cap. 3. (9. Requiritur etiam quædam parva palla superponenda calici, ut habet Innocentius, lib. II, *De mysteriis missæ*, cap. 56, his verbis : « Duplex est palla, quæ dicitur corporale, una, quam diaconus super altare totam extendit, altera quam supra calicem plicatam imponit. » (10. Requiritur calix cum patena ex auro, vel ex argento, ex cap. *Vasa*, De consecrat., dist. 1, et ex concil. Remensi relato in cap. *Ut calix*, De consecrat., dist. 1, ubi habentur hæc verba : « Ut calix Domini cum patena, si non ex auro, omnino ex argento fiat : » qui calix cum patena debet esse consecratus, ex cap. unico, § final. *De sacra unctione.* (11. Requiritur Missale jussu S. Pii V editum constitut. incip. *Quo primum :* quod iterum restitutum, et emendatum solum in usu haberi mandavit Clemens VIII, constit. incip. *Cum sanctissimum.* (12. Requiritur insuper amictus, alba, cingulum, manipulus, stola, et casula ex concil. Coyacensi, cap. 3, Leone IV, *Homil. de cura pastorali*, et videtur colligi ex cap. *Ecclesiastica institutione*, dist. 23, et explicite enumerat omnes has vestes Innocentius III, lib. I, *De mysteriis missæ.*

(13. * Sacerdos missam celebrans etiam in necessitate dandi viatici infirmo absque uno e sacris indumentis, peccat graviter ex irreverentia : neque enim urget viatici præceptum, si ministrari non possit eo modo, quo decet. Ben. XIV, *De sacrif. missæ*, lib. III, cap. 7, § 1.

(14. Idem dicas si absque luminibus, quæ sint oportet sive ex cera, sive ex oleo ; et si desint, in necessitate, saltem sebacea, sufficit tamen, si necessitas urgeat, unicum lumen. Idem dicas, si celebret absque Missali, seu libro, in quo sit saltem canon. Hæc ex DD. *ibid.*, § 2.

(15. Peccat etiam sacerdos celebrans sine ministro, ut eruitur ex cap. *Proposuit*, De fil. presbyt. Si tamen sit ministrandum viaticum, potest sacerdos sine ministro missam celebrare et sibi ipsi respondere. Alias præstat omittere missam, quamvis si hoc agat, sunt qui negent illum peccare. *Ibid.*, § 3.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(16. Altare, in quo missa est celebranda, potest consecrari non solum ab episcopo, sed et a simplici sacerdote, si hanc ipsi potestatem concedat Summus Pontifex ; *V.* Habert, *De euch.*, 13, q. 1.

(17. Num autem ad consecrationem altaris necesse omnino sit, ut reliquiæ sanctorum in eo includantur, magna quæstio est. Negant plures, quos allegat Habert *loco citato*, quæst. 3, ut sunt Suarez, Sotus, Coninck., etc. Sed recedendum haud est a communi Ecclesiæ praxi firmata communiori opinione, nempe altare sine reliquiis non esse consecratum, consecratumque exsecrari ablatis reliq., vel fracto sigillo locali, in quo sunt recondita.

(18. Quando vero altare consecratum censeri possit exsecratum et amisisse benedictionem, tradit Habert *ubi supra*, q. 2.

(19. Sicuti altaris, ita et calicis consecratio potest ex permissione Summi Pontificis spectare ad simplicem presbyterum reque ipsa spectat ad nonnullos abbates et superiores. (20. Sed hæc facultas non solet ipsis dari, nisi pro oratoriis sui ordinis tantum et ita semper intelligenda, si forte verba essent dubia. De exsecratione calicis, vide Habert, *eodem loco*, quæst. 3.

(21. Non conveniunt auctores, an sacerdote celebrante cum calice, aut in altari non consecrato, censeantur illa consecrata? Non male vero distinguit Sambovius inter altare et calicem, tenetque altare non manere consecratum ex sacrificio super eo oblato. Calicem vero consecrari ex solo contactu sanguinis Christi.

(22. Si aliqua ex vestibus sacerdotalibus desit, nec haberi queat, an omitti debeat missæ sacrificium in casu etiam necessitatis? « Pensandum est (inquit Habert, *De eucharistia*, cap. 14, quæst. 7) quatenus ex una parte sit defectus et ex altera quanta sit celebrandi necessitas. (23. Namque 1° in communi et profano vestitu nunquam liceret offerre : quod etiam verum est, si desit altare consecratum, sive calix, sive patena, sive corporale. (24. 2° Si tanta sit celebrandi necessitas, puta si frequens populus sine scandalo dimitti non posset, celebrare liceret sine manipulo aut cingulo. Si autem tanta non sit necessitas, si v. g. sacerdos aliter satisfacere non possit præcepto audiendæ missæ, ex S. Antonino præstat non audire, quam indecenter celebrare. Monent communiter in casu necessitatis licitum esse stola pro cingulo, vel manipulo pro stola uti. »

ADDITIONES CASINENSES.

(25. Sacerdos omittendo aliquid ex iis,

Digitized by Google

quæ ritum celebrationis spectant, nempe tempus debitum, altare etc. peccat quidem graviter, nihilominus consecrat, positis debita materia et forma, si adsit ejus intentio.

Ita in Sacerdotali Romano, ubi hæc leguntur : « Sciendum est, quod secundum S. Thomam et Albertum et alios theologos, si omittatur aliquid de his, quæ ad ritum celebrationis pertinent, quilibet dimittens aliquid tale, puta tempus debitum, altare tribus mappis coopertum, vestes et hujusmodi, graviter peccat : nihilominus consecrat, si sit ordinatus, *et adsit ejus intentio*, et debita materia et debita forma, sed gravissime peccat, si scienter hoc faciat. » Apud Bened. XIV, *De sacrif. miss.*, lib. III, cap. 13, num. 2.

« Quæritur P. Orsi, prosequitur idem Benedictus XIV, *l. c.*, an valide consecraret sacerdos, qui super panem et vinum communi mensæ apposita consecrationis verba pronuntiaret, nullus indutus sacris vestibus, nullis cæremoniis, nullis precationibus adhibitis, serio tamen agens cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia. De illicita consecratione nulla esse potest controversia : tota difficultas eo redit, an valide consecret. Combefisius, Le Quien et Toutée statuunt consecrationem esse invalidam, eorum opinionem secuti, qui non Christi tantum verbis, sed Ecclesiæ etiam precationibus panem et vinum existimant consecrari. Quam sententiam cum idem P. Orsi everterit et ipsi cum eo sentimus, consecrationis formam in Christi verbis consistere, idcirco statuimus cum eo, ejusmodi consecrationem illicitam quidem fore, sed validam. »

(26. Circa quantitatem vero panis et vini consecrandam, an scilicet determinata esse debeat, pro validitate consecrationis, audiamus D. Thomam, qui sic habet : « Quidam dixerunt quod sacerdos non posset consecrare immensam quantitatem panis et vini : puta totum panem, qui venditur in furno, aut totum vinum, quod est in dolio.

« Sed hoc non videtur esse verum : quia in omnibus habentibus materiam, ratio determinationis materiæ sumitur ex ordine ad finem : sicut materia serræ est ferrum, ut sit apta sectioni. Finis autem hujus sacramenti est usus fidelium. Unde oportet, quod quantitas materiæ hujus sacramenti determinetur per comparationem ad usum fidelium. Non autem potest esse, quod determinetur per comparationem ad usum fidelium, qui nunc occurrunt ; alioquin, sacerdos paucos parochianos habens non posset consecrare multas hostias. Unde relinquitur, quod materia hujus sacramenti determinetur per comparationem ad usum fidelium absolute. Numerus autem fidelium est indeterminatus. Unde non potest dici, quod quantitas materiæ hujus sacramenti sit determinata. » Part. III, q. 74, art. 2.

Addit idem D. Thomas, *ibid.*, ad 2, quod

etiamsi sacerdos consecraret propter malum finem, quicunque is esse posset, nihilominus perficeret sacramentum. En ejus verba : « Unde si sacerdos intendat consecrare corpus Christi propter aliquem malum finem, puta ut irrideat, vel veneficia faciat, propter intentionem mali finis peccat : nihilominus tamen propter potestatem sibi datam perficit sacramentum. »

Hinc concludas oportet, cum Christus materiæ consecrandæ mensuram non definiverit, sive in exigua, dum tamen visibili, sive in magna copia consecrationem valere : « Quamvis (nota) non defuerint theologi, qui irritam putarent fore consecrationem, si sacerdos immensam panis, aut vini copiam, qualis est *ex. gr.* in furno, aut in dolio consecrare vellet, eo quod, inquiebant, potestatem a Christo accepit in ædificationem, non in destructionem. »

ARTICULUS XI.

Missa quoad requisita in celebrante pro valida et licita ejus celebratione.

SUMMARIUM.

1. Requiritur, ut valide celebret, quod celebrans sit rite ordinatus sacerdos. — 2. Et quod habeant intentionem sacrificandi et conficiendi sacramentum. 3. Et ut licite celebret, quod sacerdos in gratia sit et se probet. — 4. Unde concil. Trid. confessionem in sacerdote prærequirit, non solum ratione communionis, sed etiam ratione specifica celebrationis. — 5. Quomodo sit intelligendum Tridentinum præcipiens sacerdoti, qui, necessitate urgente, absque prævia confessione celebravit, ut post celebrationem quamprimum confiteatur ad n. 6. — 7. Ut celebrans licite celebret requiritur etiam quod sit jejunus jejunio naturali. — 8. Assignantur tamen aliquæ causæ, ob quas potest licite celebrare etiam non jejunus jejunio naturali, ad n. 28. — 29. Quid sit jejunium naturale et quando frangatur, vel non? ad n. 46. — 47. Subnectuntur *Additiones ex aliena manu* ad n. 53.

(1. Requiritur, ut valide celebret, quod celebrans sit rite ordinatus sacerdos, ex concil. Nicæno cap. 4, et ex Triden., sess. XXII, c. 1. (2. Et quod habeat intentionem sacrificandi et conficiendi sacramentum, ex concil. Florentino in *Decreto unionis Armen.*, et ex Trid., sess. VII, can. 11, *De sacramentis in genere*, ubi anathematizatur, qui dixerit, « in ministris, dum sacramenta conficiunt et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia. »

* Porro intentio applicationis missæ sufficit si habitualis fuerit ; est enim veluti quædam donatio, quæ semper valet, etiamsi multo ante intercesserit. Tempus autem applicationis num sit sufficiens post consecrationem ambiguum est. Præstat, ut sacerdos missam applicet, cum se ad eam præparat, *De sacrif. miss.*, lib. III, cap. 16, § 9. Quoad intentionem hoc quoque notandum : cum novi sacerdotes cum episcopo celebrant, non debent intentionem suam ita conformare, ut intelligant se consecraturos eodem momento, quo episcopus extrema verba protulerit, sive ipsi ante, sive postea

Digitized by Google

formam compleverint; sed debent esse ita animo comparati, ut omne studium ponant proferendi ultima verba cum episcopo, atque ita una cum eo consecrent, ex quo fit, ut si non ita jungant sua verba cum episcopo, non consecrent, cum non habuerint intentionem consecrandi. *Ibidem*, § 6*. (3. Et ut licite celebret, requiritur, quod sacerdos sit in gratia et se probet, juxta præceptum Apostoli *I ad Corinth.*, XI: *Probet autem se ipsum homo et sic de pane illo edat et de calice bibat.*, id est confessionem sacramentalem præmittat, ut vult concil. Trident., sess. XIII, cap. 7, *De Eucharistia*, his verbis : « Ecclesiastica autem consuetudo declarat eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione ad S. eucharistiam accedere debeat, quod a Christianis omnibus, etiam ab iis sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc sancta synodus perpetuo servandum esse decrevit, modo non desit illis copia confessoris ; quod si, necessitate urgente, sacerdos absque prævia confessione celebraverit, quamprimum confiteatur, » et canone 11 ejusdem sessionis statuit expresse, « necessario præmittendam esse confessionem sacramentalem, » sub pœna excommunicationis eo ipso. (4. Unde concil. Trident. confessionem in sacerdote prærequirit, non solum ratione communionis, sed etiam ratione specifica celebrationis, adeo ut non solum teneatur esse in gratia quando in missa sacram Eucharistiam sumit, sed etiam in ipso actu sacrificii, quando ipsum conficit, ut expresse innuit sess. XXII, in decreto *De observandis et vitandis in celebratione missæ*, dum dicit : « Omnem operam et diligentiam in eo ponendam esse, ut quanta maxima fieri potest interiori cordis munditia, puritate, atque exteriori devotionis ac pietatis specie peragatur. »

(5. Illa autem particula citati Tridentini « quam primum confiteatur, » si, urgente necessitate, ex defectu confessoris inconfessus celebraverit, non est intelligenda in hoc sensu, scilicet cum sacerdos suo tempore confitebitur; quia in hoc sensu fuit damnata ab Alex. VII, 18 Martii 1666, his præcisis verbis, uti jacet n. 39 in ordine : ILLA PARTICULA *quam primum* INTELLIGITUR, CUM SACERDOS SUO TEMPORE CONFITEBITUR. Sed ejus verus sensus est, ut quamprimum, et statim post peractum sacrum habuerit copiam confessoris, vel illico ac confessarius sibi occurrerit, teneatur confiteri, taliter quod, si unum, vel alterum confessarium culpabiliter prætermittat, peccet mortaliter ratione non adimpleti hujus præcepti. (6. Nec potest dici quod concil. Trident. ibi consulat tantummodo, et non præcipiat confessionem quam primum, quia concilium ibi præceptum dat, non consilium, ut expresse patet ex sequenti propositione 38 in ordine damnata ab Alexandro VII, die et anno quo supra : « Mandatum Tridentini factum sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum mortali peccato, confitendi quam primum, est consilium, non præceptum. »

* Sacerdos igitur valide consecrat, etsi lethali crimine sit infectus, excommunicatus, hæreticus, degradatus. At ut celebret etiam licite, debet esse in statu gratiæ, et a lethali peccator liber; alioquin, duplicis culpæ reum se constituit, conficiendo scilicet, vel suscipiendo indigne sacramentum, et infideliter sibi ipsi ministrando.

Vetat quidem Tridentinum cit. sess. XIII, c. 7 *De eucharistia*, ne sacerdos peccati mortalis reus, quantumvis contritus, nisi prius sacramentali confessione expiatus, ad celebrandum accedat; permittit tamen sacerdotibus celebrationem prævio tantum actu contritionis, dummodo gravis necessitas urgeat, nec sit copia confessarii : simul vero in eo rerum eventu mandat, ut qui ita celebraverit, quamprimum confiteatur ; atque ita explicat præceptum divinum ab Apostolo traditum, *probet autem seipsum homo*. In casu vero urgentis necessitatis non satis est attritio, sed omnino contritio requiritur, vel saltem attritio, quam sacerdos sine culpa contritionem existimaverit.

Porro urgens necessitas, de qua hic sermo, ea censetur, si sacerdos eo die non celebrans offensioni esset, et scandalo. Item si parocho celebrandum est ad ministrandum viaticum. Sunt qui addunt sufficere ad celebrationem in eo rerum statu, si nuper decessit anima probabiliter sacrif. indigens ; quod tamen aliis, et merito, minus probatur, cum omnes animæ in purgat. sacrif. indigeant.

Sed quid, si sacerdos, cœpta missa, recordetur peccati lethalis non expositi in confessione, vel se obstringi aliqua censura, vel jejunium non servasse? Profecto, si ante consecrationem peccati, seu jejunii non servati recordatur, missam deserere tenetur, nisi aliud suadeat justus de gravi scandalo timor. Si vero post consecrationem, perficiat, et sumat sacramentum, præmissa contritione, si succurrat grave peccatum nondum pœnitentia deletum, et elicito proposito satisfaciendi postmodum præcepto confessionis et absolutionis. Si vero nequeat conteri, satius est scandalum potius permittere, quam sacramentum conficere, et indigne recipere.

Scandalum vero an causaret recedendo ab altari ille, qui in loco privato celebrans cum unico ministro, peccati gravis, inchoata missa, recordetur, quæstio est anceps ; sunt enim, qui minimum esse scandalum censent, si adsit tantummodo minister puer, vel celebrantis servus, aut amicus.

Si ea die, tempore missam præcedente, grave peccatum commissum a sacerdote fuerit, de quo tamen doluit, et confessus est, non decet sacerdotem eadem die celebrare; quia tollitur quidem reatus culpæ, sed non continuo immundities corporis adimitur. Idem dicas de eo qui pollutionem proprii corporis sensit, nec tamen consen-

Digitized by Google

sum apposuit. Quamvis nulla sit in eo culpa, indecens est tamen ad sacrificium accedere, præsertim si menti tenacius inhærerant pravæ cogitationes. Ex Tract. Bened. XIV, *De sacrif. missæ*, lib. III, cap. 11, § 1 ad 12.

(7. Ut celebrans licite celebret, requiritur etiam, quod sit jejunus jejunio naturali, uti, juxta morem universalis Ecclesiæ Apostolica traditione introductum, decreverunt varia concilia, et in primis Carthaginense III, can. 29, statuit : « ut sacramenta altaris nonnisi a jejunis hominibus celebrentur, » et idem reperitur can. 47 concil. Matisconense II, ubi can. 6, renovat canon. concilii Carthaginensis, et addit pœnam depositionis; concilium Bracarense I decrevit, ut etiam feria V in Cœna Domini missæ a jejunis celebrentur; concil. Toletanum VII, canon. 2, relat. in c. *Nihil* 16, caus. 7, q. 1, pœnam excommunicationis statuit in eos, qui post sumptum cibum quemlibet exiguum, missam celebrare audent, præcisis his verbis : « Ne tamen, quod naturæ languoris causa consulitur, in præsumptionis perniciem convertatur, nullus post cibum, potumque quemlibet minimum sumptum missas facere præsumat..... Si quis hæc temere præsumpserit, excommunicationis sententiam sustinebit. » Concilium Constantiense, sess. XIII, damnat errorem, sive abusum quorumdam, qui sacramentum altaris post cibum sumptum celebrare audebant : et sic senserunt communiter sancti Patres, pro quibus omnibus unus Augustinus adducitur, qui in epist. 54, alias 218, n. 7 et 8, habet præcisa hæc verba : « Placuit Spiritui sancto, ut in honorem tanti sacramenti prius in os Christiani corpus Dominicum intraret, quam cæteri cibi; nam ideo per universum orbem mos iste servatur; » et refertur in c. *Liquido* 54, dist. 2, De consecrat.

(8. Dantur tamen aliquæ causæ, ob quas sacerdos licite celebrare, ac communicare potest, etiamsi non sit jejunus jejunio naturali. Et prima est necessitas integrandi sacrificium. (9. Si enim sacerdos celebrans post consecrationem unius, vel utriusque speciei, recordetur se non esse jejunum, potest, imo debet adhuc complere sacrificium; quia majus, et fortius est præceptum divinum obligans ad integrandum sacrificium, quam præceptum ecclesiasticum obligans ad communicandum jejune. *Communis.* (10. Si autem sacerdos recordetur, se non esse jejunum ante consecrationem, ac celebret privatim in aliquo oratorio, uno tantum ministro, aut altero bene noto præsente, sicque possit sine gravi scandalo ab altari recedere, missamque relinquere, ad id omnino tenebitur; secus vero si publice coram magno populo celebret, ac nequeat missam relinquere sine gravi scandalo; quia tunc poterit etiam non jejunus jejunio naturali complere sacrificium; cum non posset sine magna sui erubescentia, aut nota infamiæ, et aliorum sinistra interpretatione, suspicione, ac temerario judicio, adeoque vero scandalo, sic ab altari recedere, quod, teste Sporer t. III, part. II, cap. 6, sect. 7, num. 476, concedunt communiter doctores etiam de laico jam ante altare communicaturo existente, ac ibi se non esse jejunum recordante, et non sine magno rubore, infamia, ac scandalo, non valente recedere; leges enim positivæ nunquam tam severe, ac rigide obligant; et totum id colligitur etiam ex S. Thom., III part. *Summ.*, q. 83, art. 6, ad 2, ubi in similibus casibus reputat quidem tutius ab altari, et communione recedere, sed tamen nisi quis recedere non possit sine ingenti scandalo, ibi : « Nisi grave scandalum timeretur. »

(11. Item si sacerdos celebrans, peracta jam consecratione utriusque, vel unius, speciei, de repente moriatur, seu tali morbo corripiatur, ut non possit sacrificium complere, ac non reperiatur sacerdos jejunus, debet sacrificium compleri ab alio sacerdote, quamvis non jejuno. *Communis.* (12. Item si sacerdos loco vini inadvertenter solum aquam consecraverit, et errorem suum solum post sumptionem totius aquæ cognoverit, debet, quamvis non amplius jejunus jejunio naturali, de novo vinum cum aqua consecrare, ac consecratum sumere ad integrandum sacrificium. *Communis.* Et ratio est quia, ut dictum est supra, majus et fortius est præceptum de sacrificio non relinquendo imperfecto, quam præceptum de sacrificando, et communicando jejune.

(13. *Secunda* est necessitas servandi reverentiam debitam sacramento. Si enim immineat periculum, ne sacræ hostiæ, seu particulæ ab infidelibus, et hæreticis profanentur, aut incendio, vel inundatione absumantur, non solum a sacerdote non jejuno, sed sacerdote absente, etiam a laico non jejuno propriis manibus sumi, et absumi possunt, ut docent communiter doctores; imo et debent, ut volunt Layman, lib. I, tract. 4, cap. 6, num. 22; Gobat, t. I, tract. 3, casu 13, num. 423, et alii.

(14. Item, si post jam sumptam ablutionem sacerdos reperiat aliquas particulas, aut reliquias ex hostia, quæ aliter nequeant decenter asservari, debet eas, sive parvæ, sive magnæ sint, sumere, quia spectant ad idem sacrificium. *Rubr. Mis.*, tit. 7 *De defectibus.* (15. Et hoc etiamsi integra hora interim, etiam post sacrum finitum occupatus fuerit in communicandis aliis; imo etiamsi eas repererit jam ad sacristiam reversus, et depositis vestibus, ac non modico tempore effluxo, si nequeant asservari sine majori irreverentia, ac nullus alius adsit sacerdos sacrificaturus, qui illas in suo sacrificio ante ablutionem possit absumere; in tali enim casu non censebitur novam communionem inchoare, sed perficere præcedentem, cum dictæ particulæ, seu hostiæ videantur spectare ad idem suum sacrificium. (16. Si autem tales particulæ, seu reliquiæ hostiæ essent ex alio non suo sacro, si eas repererit ante sumptam ablutionem, debebit eas absumere : secus vero, si eas repererit post sumptam ablutionem, quia tunc, si commode et reverenter asser-

Digitized by Google

vari possent, essent asservandæ donec ipse, vel alius sacerdos intra sacrum eas jejunus sumeret; quia non sunt pars sui præsentis sacrificii : quamvis Bonacina, Castropalaus, et alii permittant earum sumptionem, licet sint ex alio sacro; quod et ego approbo in casu, quo non possint commode et reverenter asservari; quia tunc urget reverentia sacramenti. (17. Et si sacerdos dubitet, an repertæ particulæ, seu reliquiæ hostiæ sint consecratæ, nec ne, poterit eas sumere post utriusque speciei sumptionem ante suæ ablutionis sumptionem, et etiam post ipsam, si solum post ipsam eas repererit. Sic in universum Gobat, *loc. cit.*, a n. 420 ad 422; Sporer, *loc. cit.*, n. 477, cum pluribus aliis ab ipsis allegatis.

(18. Item si particula hostiæ mixta cum sanguine remaneat in fundo calicis, poterit sacerdos vinum infundere, ut sic cum vino deglutiatur, et hoc bis, aut ter, si non sufficit semel; quamvis enim ex *Rubricis Missalis, De defectibus* tit. 10, n. 8, possit celebrans pro libito ipsam particulam, vel digito attrahere ad labium calicis, et ante purificationem sumere; vel vinum infundere, ut sic cum vino deglutiatur, aptior tamen et decentior est hic secundus modus, nempe ut infundatur vinum, et cum eo sumatur particula, quamvis prius deglutiatur aliqua pars vini, sicque jejunium naturale frangatur, antequam deglutiatur particula. Et ratio est, quia præceptum jejunii naturalis urget solum pro integra communione, et sumptione sacramenti absoluta, et per se; non autem pro sumenda aliqua remansa reliquia communionis jam inchoatæ, ut patet de sanguine Christi, qui non totus a sacerdote omnino jejunio hauriri contingit, cum in prima sumptione semper aliquid remaneat vini consecrati, quod una cum non consecrato bibitur, et eo magis in hoc casu, ubi traditur talis modus ad decentius perficiendam, et complendam ejusdem sacramenti sumptionem, ut cum Suarez, Silvestro, Victoria, Cajetano, Navarro, Aversa, Tamburino, et cardinali de Lugo tradit Quarti, *Commentar. in Rubric. Missal.*, part. II, tit. 10, dub. 7, et cum aliis Gobat., *loc. cit.*, n. 423, addens idem pariter faciendum esse a laico, quando hostia, seu particula palato adhæret.

(19. *Tertia* est necessitas sumendi viaticum in articulo mortis; si enim quis reperiatur constitutus in articulo mortis, sive naturalis per infirmitatem, sive violentæ per justitiam, nec possit communicari jejunus, tunc potest etiam non jejunus sacram communionem recipere per modum viatici. *Communis*, et quotidiana praxis. (20. Qui mane ante periculum communicavit ex devotione, si superveniat periculum, an possit, et teneatur eadem die per modum viatici communicare, etiam non jejunus? *Vide* verb. Eucharistia, n. 36. (21. In eadem infirmitate, etsi non teneatur, potest tamen ægrotus post 7 vel 8 dies repetere viaticum non jejunus, dummodo nequeat jejunus sumere, et periculum mortis recurrat. Vide *ibidem*, num. 37. (22. Quando morbus, et periculum diu protrahitur post. 7 vel 8 dies, potest iterum dari communio non jejuno. Vide *ibid.*, n. 38. (23. Pro consecrando viatico dando moribundo, non est licitum sacerdoti non jejuno celebrare. *Vide* verb. Infirmus, num. 8.

24. *Quarta* est necessitas vitandi scandalum publicum, aut aliud grave malum, seu damnum : si enim parochus v. g. aut alius sacerdos obligatus ex officio celebrare diebus Dominicis, et festis non possit sacrum omittere sine gravi scandalo, et obmurmuratione, susurratione, et sinistra suspicione populi, aut etiam sine proprio gravi malo, seu damno, aliter non evitabili sine celebratione, tunc poterit celebrare etiamsi casu, vel culpa non sit amplius jejunus. Sic Suarez, disp. 4, sect. 5, Tannerus, disp. 5, quæst. 8, n. 41, Layman, *loc. cit.*, num. 22; Sporer, *loc. cit.*, num. 479; Rosignol., *De eucharistia*, quæst. 3, art. 7, num. 12, et alii passim : quia majus, et fortius est præceptum naturale charitatis de vitando scandalo, quam præceptum positivum ecclesiasticum de celebrando, et communicando jejune. (25. Quod etiam in laicis, præsertim religiosis, qui determinatis diebus communicare debent, locum habere posse, tradunt citati doctores, et Rosignolus, *loc. cit.*, n. 12, in fine, sic præcise habet : « In universum ubicunque intervenire potest scandalum conjunctum cum aliqua infamia, quæ aliter vitari nequeat, sive in sacerdote sacrificante, sive in laico communicature, etiam fracto jejunio potest ille sacrificare, hic communicare, quandoquidem exceptio de vitando scandalo in omnibus præceptis locum habet, ubi contrarium non est intrinsece malum, et obligatio legis positivæ non obligat cum tanto onere, et discrimine (79). (26. Quamvis neomysta, seu neopresbyter (qui mane diei, quo primitias solemniter celebraturus erat, se adhuc probans, ut prioribus diebus missam siccam privatim celebrando, incogitanter sumpsit panem, et vinum, seu aliter jejunium naturale fregit) per se loquendo non possit missam licite celebrare, sed debeat in sequentem diem differre, possunt tamen intervenire, et concurrere tales circumstantiæ, ob quas sic non jejunus possit licite suam primam missam solemniter celebrare, Utpote 1° Si neomysta seu neopresbyter sit perhonestæ familiæ. 2° Si illuc advenerint aliunde cognati complures. 3° Si paratum jam fuerit lautum convivium. 4° Si e suggesto fuerat invitatus populus ad ipsum primum sacrum pro tali die, et jam plebs, et multæ aliæ personæ nobiles ob id ad destinatam ecclesiam se accinxerint. 5° Si error ille non jejuni

(79) *Nota Romani theologi.* — Si jejunus laicus, præsertim religiosus, non sit, dicere sine ulla infamia potest, non sum jejunus, atque ita sine scandalo potest a communione abstinere quam percipere juxta Ecclesiæ præceptum nequeat.

Digitized by Google

neomystæ fuerit occultus. In his circumstantiis simul concurrentibus posset talis neomysta licite suum primum sacrum solemniter celebrare, ob rationabilissimam epikeyam, quod si Papa adesset, vel interrogaretur, an generalis lex statuta in sacris conciliis, sacrisque canonibus de non communicando, et celebrando, nisi jejune, vellet extendi ad hunc casum in dictis circumstantiis, responderet, nec se, nec suos antecessores id velle, aut voluisse, præsertim ad evitanda ingentia mala, incommoda, et scandala inde oritura, videlicet maximam mortificationem illius innocentis neomystæ, ejus cognatorum tristitiam, aliorum obmurmurationes, suspiciones, temeraria judicia, adeoque vera scandala ultra magnas expensas frustra factas, et contemptum ipsius neopresbyteri, tanquam hominis incautissimi in re gravissima; unde in tali casu locum haberet legistarum axioma : « Singula, quæ non possunt, multa collecta juvant. » Sic expresse Gobat., *loc. cit.*, casu 13, a. n. 410 ad 415; Sporer, *loc. cit.*, n. 481; La Croix, lib. VI, part. I, n. 583, et alii per text. in l. *Spadones* 15, § 11, ff. *De excusationibus*, l. *Instrumenta* 5, et l. *Rationes* 6, cód. *De probationib.*. cap. *Cum causam* 13, De probation., ex quibus deductum est, d. axioma teste Barbosa axiom. 209, n. 1.

(27. Item si parochus v. g. invitaret alium vicinum parochum, ut in festo majoris solemnitatis suæ parochiæ, missam pro eo caneret, hicque invitationis oblitus, domi celebraret, aut jentaret, sicque non amplius jejunus accederet ad parochum invitantem, qui sub spe habendi ad canendam solemnem missam jejunum parochum invitatum, et ipse jam celebravit, aut jentavit, posset parochus invitatus, ad evitandum grave scandalum, licite quamvis non jejunus missam celebrare; si enim non celebraret, nec adesset alius jejunus sacerdos celebraturus, sicque populus absque missa dimitteretur, non posset evitari grave scandalum, id est gravis, et justa indignatio, gravis obloculio adversus ipsum, ac alios sacerdotes, ridiculi sarcasmi, et dicteria lædentia eorum famam, et honorem. Sporer, *loc. cit.*, n. 480; Gobat, tom. I, tract. 4, casu 19, n. 239 et seq., cum aliis ibi citatis.

(28. Item, si in festo Nativitatis Christi non esset, nisi unicus sacerdos non amplius jejunus, neque alius haberi posset, qui missam celebraret, nec aliter evitari posset scandalum, licite ageret, si celebraret : Sporer, *loc. cit.*; Gobat, *loc. cit.*, n. 331, cum Tannero et Angles ibi citatis, et alii id colligentes etiam ex S. Thoma, III part. *Summ.*, quæst. 83, artic. 6, ad 2, dicente, quod ubi difficultas occurrit, semper accipiendum est illud, quod habet minus de periculo, et quod minus est illud, quod pertinet ad qualitatem sumentis, quam publicum grave scandalum, adeoque, etc., *vide supra* n. 10. Et ratio est jam allata, *supra* n. 24, quia majus, et fortius est præceptum naturale charitatis de evitando scandalo, quam præceptum positivum Ecclesiæ de celebrando, ac communicando jejune.

(29. Jejunium naturale ad celebrationem, et communionem prærequisitum « est carentia cibi, et potus suscepti in stomachum, vel in via ad stomachum. » Sic Scotus in 4, d. 8, qu. 3, et est in re communis. Unde ille jejunus est jejunio naturali, qui a media nocte nihil sumpsit per modum sibi, aut potus : Sumere autem aliquid per modum cibi aut potus « est aliquid ab extrinseco sumptum per se actione vitali in stomachum dimittere, edendo, vel bibendo : » ut ex communi tradit Tannerus, disp. 5, quæst. 8, n. 78, et Sporer, *loc. cit.*, n. 466. (30. Hinc saliva, et quidquid per modum salivæ sumitur, vel in stomachum dimittitur, non frangit jejunium naturale. Illud autem dicitur sumi, vel trajici per modum salivæ, « quod cum sit minimum quid, et a saliva inseparabile (quamvis in illam non sit conversum), inadvertenter, et præter directam intentionem trajicitur. » Sic Suarez, Vasquez, et alii apud Dianam part. I, tr. 5, res. 12; Sporer, *loc. cit.*, n. 466; La Croix, l. VI, part. I, n. 566, cum aliis ibi citatis. (31. Unde, si quis abluendo os aqua, aliquam ejus stillam mixtam salivæ deglutiat, potest adhuc celebrare, seu communicare; quod et tradunt etiam *Rubricæ Missalis* tit. *De defectibus dispositionis corporis*, ibi : « Si abluendo os, deglutiatur stilla aquæ præter intentionem, non impedit communionem. » (32. Secus vero, si quis dedita opera parvam aquam, aut aliquid etiam minimum a saliva distinguibile, per modum cibi, aut potus deglutiat. S. Thomas, III part. *Summ.*, quæst. 80, art. 8; Scotus, *loc. cit.*, et alii communiter. (33. Per cibum autem, et potum intelligitur illud solum, et omne quod a stomacho alterari, saltem, ex parte digeri potest, sicque in substantiam hominis aliquo modo converti. Sanchez, Tambur., Lugo, Dicastil., Gobat et alii citati, et secuti a La Croix, *loc. cit.*, n. 561, et a Sporer., *loc. cit.*, n. 467, contra Nugnum, Layman, Bernal. et alios, qui non requirunt ut sit aliquid digestibile.

(34. Unde, qui deglutiret capillos, ungues abrasos, ossicula fructuum, lignum, aurum, argentum, plumbum, vitrum, fila ex serico, vel lana, et quidquid nec cibi, nec potus rationem habet, non frangit jejunium naturale; Lugo, Dicastill., Ledesma, Sanchez Diana, Tamburin., Aversa citati, et secuti a la Croix, *loc. cit.*, n. 562; Gobat, tom. I, tract. 4, n. 262; Sporer, *loc. cit.*, n. 467; Rosignol., *loc. cit.*, n. 20 et 21; Quarti, *Comment. in Rubric. Missal.*, part. III, tit. 9, dub. 2, difficult. 3, cum aliis ibi citatis contra alios; supradicta enim non habent rationem comestibilis, aut potabilis, nec digeruntur, nec alterantur, sed integra egeruntur; excepto auro, quando resolvitur, et redditur potabile. Tum quia sacri canones solum exigunt, ut nullus cibus, aut potus sumatur ante communionem, ut patet in cap. *Nihil* 16, caus. 7 q. 1, ibi : « Nullus post cibum, potumque quemlibet minimum sumptum, missas... facere

Digitized by Google

præsumat : » et in cap. *Liquido* 54, De consecr. dist. 2, ibi : « Placuit Spiritui sancto, ut in honorem tanti sacramenti prius in os Christiani corpus Dominicum intraret, quam cæteri cibi » : et consimiliter in cap. *Ex parte* 5, De celebrat. missar., in concil. Bracaren. I, canon, 16, et Bracaren. II, can. 10, Carthaginen. III, canon. 29, Constantiensi, sess. XIII, et in aliis; quæ autem ex sua natura non sunt ab homine comestibilia, aut potabilia, ut supradicta, non sunt proprie cibus, aut potus humanus, adeoque non censentur prohibita ante celebrationem, et communionem, nec frangunt jejunium naturale.

(35. An autem terra, seu creta, quam puellæ edunt ut albescant, charta seu papyrus, filum ex lino, fenum, palea, cera, pulveres medicinales, venenum, et hujusmodi frangant jejunium naturale, variant doctores. Aliqui enim volunt, ea jejunium non frangere, quia, dicunt ipsi, non sumuntur per modum cibi, aut potus, cum ex sua natura non sint comestibilia, aut potabilia. Alii autem probabilius tenent, quod ipsa jejunium naturale frangant, quia in terra, et creta continentur partes mixtæ, quæ a stomacho sunt alterabiles, et digeribiles, sicque aliquo modo in substantiam hominis converti possunt : papyrus, seu charta servit pro nutrimento muribus, et filum ex lino fit ex herbis, sicuti etiam ipsa charta, saltem mediate, ex herbis fit, cum fiat ex lino; fenum et palea in substantia sua sunt herbæ nutritivæ; cera retinet aliquid mixtum de melle; pulveres medicinales etiam ex ossibus et lapidibus contriris confecti habent se tamquam cibi medicinales corporum; venenum continet partes, quæ ex natura sua deservire possunt pro cibo humano, ut patet exemplo Mithridatis, adeoque cum supradicta, et alia similia possint a stomacho alterari, et digeri, sicque aliquo modo in substantiam hominis converti, probabilius jejunium naturale frangunt. La Croix, *loc. cit.*, n. 362; Tamburin., *De communion.*, cap 2, n. 19 et 20; Henno, tom. II *Tract. de eucharistia*, disp. 8, quæst. 2, art. 1, conclus.2, resolut, 1; Layman, lib. v, tractat. 4, cap. 6, n. 18, cum aliis ibi citatis : Nugnus, Præpositus, Henriquez, Bonacina, Reginaldus, Villalobos, Fagundez, et alii contra alios.

(36. Qui reliquias cibi diei præcedentis dentibus implicitas inadvertenter, et casualiter deglutiunt, non frangunt jejunium naturale, S. Thomas, II part. *Summ.*, quæst. 80, art. 8, ad quartum, et alii passim, quia non censentur illæ comedi, sed per modum salivæ deglutiri. Si autem advertantur, et sensibiliter percipiantur in lingua, debent exspui, aliter frangerent jejunium : quia si scienter, et dedita opera deglutirentur, non possent habere meram rationem salivæ, cum possent a saliva separari, et exspui; quod optime videtur considerasse S. Thomas, *l. cit.*, ubi dicit reliquias illas non frangere jejunium, addita tamen conditione, *si casualiter transglutiantur;* et sic docet communior opinio, ut testatur Henno, *loc. cit.*, resolut. 5. Attamen Suarez, Castropal., Gobat, Leander et alii, non dissentientibus Tannero, Diana, Ochagavia apud La Croix, *l. c.*, n. 567; Quarti, *l. c.* difficult. 1, et alii tenent non frangi jejunium, etiamsi advertenter, et dedita opera ipsæ deglutiantur, quia, dicunt ipsi, censentur adhuc deglutiri per modum salivæ, et non veniunt ab extrinseco, ac censentur pertinere ad comestionem præcedentis diei : et Rubricæ Missalis tit. 9, *De defectibus dispositionis corporis*, simpliciter sic habent : « Si reliquiæ cibi remanentes in ore transglutiantur, non impediunt communionem, cum non transglutiantur per modum cibi, sed per modum salivæ. »

(37. Jejunium naturale non frangunt, qui ad probandum, an sit vinum album, vel aqua, ad percipiendum saporem, seu condimentum, jusculum, aquam vel aliquid aliud supra linguam ponunt, et prægustant, ac statim exspuunt, quamvis parum ipsius jusculi, vini, aquæ, vel alterius liquoris salivæ admixtum casu deglutiant. Sic expresse S. Antoninus, III part. *Summ. theolog.*, tit. 3, cap. 7, § 8; Sylvius, in III part. *Summ.* S. Thomæ, quæst. 80, art. 8, et teste Sporer., *loc. cit.*, n. 368, communis aliorum cum S. Thoma, *loc. cit.*, quia cum illud parum sit a saliva inseparabile, censeretur per modum salivæ trajectum : secus autem si vel in magna quantitate, vel in parva quidem non casualiter, sed advertenter, et ex proposito; si videlicet illud parum potuissent a saliva distinguere, et separare, Sporer, *loc. cit.*, Gobat, cit. tract. 4, casu 17, n. 266, cum aliis ibi allegatis. Quid autem dicendum sit, si quis gargarizet, et aquam detineat in ore diutius? Jordanus, tom. I, lib. IV, tit. 2, n. 4; Gobat, *loc. cit.*, n. 167; Sporer., *loc. cit.*, n. 468, respondent vix possibile esse, tunc partem aliquam aquæ a faucibus non attrahi, ideoque ut periculosum saltem dissuadendum esse.

(38. Qui aromata dentibus terunt, aut ore continent ad confortandum caput, vel vitandum noxium aerem, aut odorem, dummodo nihil ex intentione deglutiant, non violant jejunium naturale, quamvis aliquid succi inseparabiliter salivæ permixtum deglutiant, quia illa trajectio est per modum salivæ, et non est vera comestio, seu potatio; imo ob eamdem rationem etiamsi parvum granulum aromatis casu, et sine intentione comedendi in stomachum descenderet. Sic Coninc, Mercerus, Bonacina, Tannerus, Lorichius, et alii, quos citant et sequuntur Diana, part. V, tract. 13, resolut. 1, § *Verum;* Quarti, *loc cit.*, dub. 2, vers. *Colligitur tertio*, et alii.

(39. Nec jejunium naturale frangunt, qui respirando attrahunt vapores ex cibo, et potu præsente; nec qui per modum respirationis attrahunt per os in stomachum vel pulverem, vel pluviam, vel muscam, vel quid simile, quia ista deglutiuntur per modum respirationis, et non per modum comestionis, aut potationis, ut requiritur ad

Digitized by Google

fractionem jejunii. Sic quidem doct. citati, et alii passim. (40. Secus autem esset dicendum, si quis alicui oscitanti, nec advertenti injiceret in os uvam, aut parvam nucem, ipsamque deglutiret, aut ei dormienti in os apertum, aut guttur globulum sacchari, aut aliquid cibi, vel potus immitteret, et ipse casu, vel violenter deglutiret, aut in flumen prolapsus invitus aquam in stomachum trajiceret : quia vitaliter sumitur per potationem, vel cibationem, cum sic etiam infantes, et infirmi, ac bruta cibentur, licet invitis ingeratur cibus. Gobat, cit. tract. 4, casu 17, n. 64; Sporer, *loc. cit.*, n. 470; La Croix, *loc. cit.*, n. 168, et alii apud ipsos.

(41. Neque jejunium naturale frangunt, qui deglutiunt sanguinem e gingiva, vel humorem ex capite, seu pustula in ore rupta, defluentem : quia ista non sumuntur ab extrinseco, nec per modum cibi, aut potus, sed per modum salivæ. Sporer, *loc. cit.*, n. 480; La Croix, *loc. cit.*, n. 465, cum aliis ibi allegatis. Quarti, *loc. cit.*, dub. 2, in fine, ubi citans S. Thomam, Suarez, cardinal. de Lugo, et alios addit insuper, quod licet sanguis in os defluens ex industria deglutiretur, etiam animo se nutriendi, non violaretur jejunium, quia intentio illa non potest dare rationem cibi, prædicto ex capite, et sanguine ab intrinseco defluenti, cum de ratione cibi sit, ut ore sumatur ab extrinseco, juxta regulam traditam a S. Thoma. in 4, dist. 8, quæst. 1, art. 4, quæstiuncula 2 ad 3, et ab aliis communiter receptam.

(42. Secus autem dicendum esset, si quis sugeret sanguinem ex vulnere manus, aut digiti, vel extractum ex propria vena, quia tunc vere haberetur cibus ore sumptus ab extrinseco. Quarti, *loc. cit.*; La Croix *loc. cit.*, cum Lugo, et Tamburin., ibi allegatis, Henno, *loc. cit.*, resolut. 2, et alii. Et idem dicendum est de muliere lac sugente de propriis mammillis. Henno, *loc. cit.*, resolut. 2; La Croix, *loc. cit.*, ubi addit frangi etiam jejunium, si id, quod ex oculis, vel naribus defluit, in os admittatur et deglutiatur, quia aliquid digestibile sumitur ab extrinseco instar cibi, aut potus præsertim, si id potuit a saliva distingui, separari, et exspui. (43. Non frangit tamen jejunium, qui aquam, vel quidpiam aliud per nares sumit, licet aliquid dilabatur in stomachum, quia non sumit ore per modum cibi, vel potus, nec est comestio, vel potatio, cum hæc fiant ore, non naribus. Quarti, *loc. cit.*, ver. *Colligitur quinto*, allegans Suarez, Cœlestinum, Faustum, et alios, quos affert, et sequitur Diana, part. II, tract. 13, resolut. 1; Henn., *loc cit.*, resolut. 6, et alii.

(44. Qui vesperi decumbens imponit ori saccharum, vel aliquid contra raucedinem paulatim liquandum, et deglutiendum, si post mediam noctem, etiam dormiens aliquam partem deglutiret, frangeret jejunium naturale, nec posset celebrare, aut communicare, quia moraliter tandiu censetur durare comestio, quandiu saccharum est in ore, cum fuerit sumptum, ut paulatim deglutiretur. Quarti, *loc. cit.*, difficult. 1, testans de communi · Henno, *loc. cit.*, resolut. 5; Sporer, *loc. cit.*, n. 459, et alii passim. (45. Si vero dubius sit, an aliquid deglutiverit, vel an factum sit post mediam noctem, si adhibita diligentia adhuc perseveret dubius, probabile est quod possit celebrare, aut communicare; et ratio est, quia in dubio melior est conditio possidentis c. *Si causa* 7, De præscriptionibus ; c. *Quod autem* 5, De jurepatr., c. in part. VI *De regul. juris* in 6, vi. *Nemo* 126, § 2, ff. *De reg. jur.*, 1, *In pari causa* 123, ff. eod. Quilibet autem fidelis possidet jus communicandi, quandiu non constat de impedimento aliquo, adeoque hic, cui, facta diligentia, non constat de impedimento fracti jejunii, poterit celebrare, aut communicare. Sic Layman, lib. I, tract. 1, cap 1, n. 36, et multi alii, quos affert, et sequitur Diana, part. VI, tract. 11, resolut. 18, ubi citat Dicastillum, Bossium, Leandrum, Caramuelem, Drullench, Pasqualigum : et alios citat part. X, tract. 13, resolut. 14, § *Nota*, et prius etiam docuerat part. III, tract. 5, resolut. 29, ut refert Quarti, *loc. cit.*, dub. 5, vers. *Secunda sententia :* qui in fine dicti dubii dicit contrariam opinionem esse etiam vere probabilem, uti revera, est, et talem censent graves doct. ab ipso in dicto quinto dubio allegati, quia in tali dubio, seu incertitudine tutior pars eligenda videtur propter reverentiam sacramenti. Tum quia possessio stat pro præcepto de non celebrando, seu communicando, nisi jejune (80).

(46. An sumptio tabaci frangat jejunium naturale, et impediat celebrationem seu communionem? *Vide* verb. TABACUM, n. 6 et 7.

(47 Missa in Pontificio sacello nocte Nativitatis Domini celebratur a cardinali plerumque non jejuno a præcedenti media nocte. Benedict. XIV, constitut. incip. *Quadam*, § 9 et 10. Et id fit ex tacita, non autem expressa dispensatione Pontificis. Idem *ibidem*.

(48. Missam ut etiam non jejuni celebrare possent sacerdotes per Indias regi Lusitaniæ subjectas, ex certis causis indulsit Pius IV ut refert Bened. XIV, cit. constit. *Quadam* § 9. *Vide* dicta verb. EUCHARISTIA.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(49. De sacerdote, qui non jejunus celebrat, quæri solet, an sit is suspectus de fide, ita ut possit contra eum procedere tribunal S. Inquisitionis? Affirmant Alphon. de Leon, *De offic. et potest. confessarii*, recoll. 22, versic. trigesimo sexto ; Transmiera, *De polygam.*, lib. III, quæst. 2, n. 55; Albergin, in *Manual.*, cap. 23, n. 3, qui ultimus hanc

(80) *Nota Romani theologi.* — Qui ita dubius est, tenetur non celebrare, ne se exponat periculo transgrediendi Ecclesiæ præceptum. *Vide* quæ de probabilismo disputata sunt, art. CONSCIENTIA.

Digitized by Google

reddit rationem, quod scilicet talis sacerdos facto adhærere videtur hæresi Lutheri, qui asseruit consultius esse sumere eucharistiam post sumptum cibum.

(50. At re discussa in tribunali supremæ Inquisitionis, existimatum fuit, minime sacerdotem hunc esse suspectum de hæresi, adeoque puniri haud posse ab ipso tribunali supremæ Inquisitionis ; ut patet ex decreto lato die 10 Septembris 1613, quod allegat Albit., *De inconstant. in fide*, cap. 33, n. 55. (51. Probe vero monet mox laudatus auctor, n. 66, decretum hoc haud habere locum, si sacerdos esset ex illis regionibus, in quibus viget hæresis Lutherana; nam hic vocari posset ad S. Officium, et interrogari super ejus credulitate et intentione.

(52. Minusque S. Officio subjicitur sacerdos, qui in prima, vel secunda missa diei Nativitatis Domini nostri Jesu Christi sumat purificationem ; deinde celebret secundam, vel tertiam missam; ut liquet ex allato decreto lato die 29 Martii 1628, allato ab eodem auctore *ubi supra*, n. 67.

(53. Agere hic non esset incongruum de casibus, in quibus sacerdos non jejunus celebrare valet. Sed vide, qui de iis egregie præ cæteris tractat, cardinalem de Lugo, *De sacram.*, disp. 15, sect. 2, 3 et 4.

ARTICULUS XII.

Missa quoad ritus observandos in ipsa celebranda.

SUMMARIUM.

1. Missa quoad fieri potest, est semper legenda de die, seu concordans cum officio, prout a rubricis Missalis præscribitur, nisi pro aliquo casu et obligatione debeatur legi votiva et de Requiem. — 2. Hinc missæ propriæ concessæ certis regularibus, et certis locis, non possunt ab aliis dici alibi et ne quidem in ecclesiis eorumdem regularium.—3. Unde sacerdotes celebrantes in ecclesiis regularium diebus propriorum sanctorum habentium missam propriam, debent quidem missam celebrare de illo sancto, vel beato, sed cum missali Romano et de communi. — 4. Et capellani monialium etiam non utentium Breviario Romano possunt quotidie celebrare missam correspondentem officio a monialibus recitato, sed cum Missali Romano et de communi. — 5. Si vero moniales non habeant Missale a Romano diversum, sacerdotes in earum ecclesiis celebraturi, possunt dicere proprias missas ipsis monialibus concessas. — 6. Sacerdotes omnes celebrantes in ecclesiis regularium, in quibus fit de festo duplici, non debent dicere missam de Requiem. — 7. Missa potest celebrari de quolibet canonizato, licet nondum relato in Martyrologio. — 8. De beatis autem potest celebrari solum in illis locis et ecclesia regularium et ab illis, quibus facta est specialis concessio. — 9. Missa potest etiam celebrari de dedicatione ecclesiarum. — 10. Imo de ipsa dedicatione, seu consecratione propriæ ecclesiæ tenentur omnes missam celebrare et respectivum officium recitare sub ritu duplici primæ classis omnes clerici illius ecclesiæ, sive sint sæculares, sive regulares cum octava. — 11. Sicut etiam sub eodem ritu cum octava tenentur de titulari propriæ ecclesiæ, et conventus. — 12. Et regulares tenentur sub eodem ritu primæ classis, sed sine octava ad missas, et officia patroni principalis loci, vel diœcesis, ac protectoris civitatis, et regni, nec non titularis ecclesiæ cathedralis. — 13. Et ad missam, et officium dedicationis ecclesiæ cathedralis sub ritu duplici secundæ classis sine octava. — 14. Potest etiam missa celebrari sub ritu duplici in ea ecclesia, in qua habetur insignis reliquia.— 15. Missa non est celebranda per totam civitatem, vel diœcesim, nec recitandum officium de sancto, eo quod in loco adsit ecclesia parochialis, vel regularis, vel etiam abbatialis, aut aliqua insignis reliquia, sed tantum in propria ecclesia, nisi habeatur specialis licentia. — 16. Nec festum, quod in aliqua ecclesia celebratur ratione corporis, vel insignis reliquiæ habet octavam, nisi specialiter concedatur, — 17. Et qui recitat officium de sancto, de quo habet insignem reliquiam in propria ecclesia, si celebret eo die in alia ecclesia, debet omittere *Credo*. — 18. Missa S. Rochi in die ejus festi potest solum celebrari in ecclesiis in ejusdem honorem Deo dedicatis, nisi aliud specialiter concedatur. — 19. Episcopi regulares debent missam celebrare, et officium recitare juxta ritum suæ diœcesis, non vero regulæ; et occurente festo regulæ in festo diœcesis hoc erit præferendum. — 20. Episcopi regulares, qui ex indulto Sedis Apostolicæ gaudent privilegio suæ religionis, de quibus sunt capaces pro eorum conditione, non possunt de beatis suæ religionis recitare officium, et in propriis cathedralibus missam celebrare, et altare prædictis beatis erigere. — 21. In missis de beatis non est dicendum symbolum, ubi est permissa hujusmodi celebratio, nisi adsit reliquia, et nisi sit de iis concessum officium, sub ritu saltem secundæ classis.— 22. Nemo potest excedere limites verbales indultorum Sedis Apostolicæ super beatificationibus, præsertim in celebratione missarum et officii cum octavis sine expressa licentia prædictæ Sedis Apostolicæ. — 23. Sacerdos, qui celebrat missam conventualem, in qua chorus tenetur canere symbolum, non potest illam prosequi eo tempore, quo a choro cantatur Symbolum prædictum : Neque dum canitur *Credo* debent pulsari organa. — 24. Sacerdoti missam novam celebranti licet oblationes accipere, dummodo non discedat ab altari. — 25. Vicario episcopi missam cantanti solemnem non ministrant canonici, neque fit circulus ante ipsum. — 26. Missas conventuales et pontificales non potest celebrare vicarius absente episcopo. — 27. Ad missam vicarii generalis non debent accendi quatuor candelæ, nec assistere duo capellani. Nec etiam quatuor candelas in missis privatis adhibere possunt prælati, et superiores quicunque sive sæculares, sive regulares episcopo inferiores. — 28. Vicarius, ut vicarius, non potest, absente episcopo, missas cantare solemnes, sanctissimum sacramentum, aut sacras reliquias paratus deferre, nec aliis se immiscere functionibus ecclesiasticis, sed tantum præesse, ut omnia suo ordine fiant. — 29. Assistens presbyter debet episcopum thurificare ad sedem, quicunque ille sit, non vero diaconus Evangelii. — 30. Absente episcopo thurificandus est celebrans triplici ductu. — 31. Finito Evangelio missæ solemnis, cui assistit episcopus cum cappa, thurificandus est celebrans, non vero episcopus. — 32. Septimum candelabrum debet adhiberi in missis tantum episcopi solemnibus, sed non defunctorum. — 33. Archidiaconus sustinens baculum episcopi thurificandus est post diaconos assistentes, ubi non adsit contraria consuetudo. — 34. Canonici in Dominicis singillatim aspergendi sunt aqua benedicta, non vere unico ictu in circulum. — 35. Celebrans, qui distribuit cineres, candelas, et ramos, detecto capite debet distribuere. — 36. Absente episcopo, benedictiones candelarum, cinerum, palmarum, et fontis, debent fieri ab eo, qui cantaturus est missam. — 37. Ille idem, qui benedicit cineres prima die Quadragesimæ, vel candelas in festo Purificationis, aut ramos in Dominica Palmarum, debet etiam cantare missam sequentem. — 38. Non est facienda altaris thurificatio in missa conventuali dierum se-

Digitized by Google

lemnium, si absque cantu, et ministris celebretur. — 39. Diaconus et subdiaconus accipiunt pacem ab episcopo celebrante statim post diaconos assistentes. — 40. Duorum canonicorum assistentia semper convenit episcopo, sive celebret ipse, sive assistat divinis. — 41. Dignitates tenentur associare episcopum cum canonicis ex debito, licet cæremoniale episcoporum nominet tantum canonicos, ubi non adsit contraria consuetudo. — 42. Consuetudo, ut dignitates, et canonici mitram, gremiale, baculum, thuribulum, et similia ministrent episcopo, est servanda. — 43. Non tenentur omnes canonici associare episcopum ab eo altari, in quo missam planam celebravit, usque ad sedem episcopalem, si assistere velit missæ conventuali. — 44. Archidiaconus non potest assistere episcopo in habitu prælatitio, non chorali, licet sit protonotarius. — 45. Canonici assistentes episcopo præcedunt vicarium generalem, et sunt ante ipsum thurificandi. — 46. Canonici missam celebrantes coram episcopo non debent sedere in sede cum postergali, sed in scamno, oblongo tapeto, vel panno cooperto in latere Epistolæ. — 47. Archidiaconus, si est prima dignitas, debet facere officium presbyteri assistentis, si est sacerdos; et recusans, cogendus est pœnis, et censuris. — 48. Prima dignitas debet assistere episcopo celebranti, licet sit unica. — 49. Soli canonici debent facere consuetos circulos ante episcopum, non autem vicarius generalis. — 50. Licet episcopus non celebret, sed tantum assistat missæ solemni, celebrans debet ad confessionem respondere episcopo usque ad *Indulgentiam* inclusive, non vero simul cum illo dicere, *In nomine Patris*, etc. — 51. Coadjutor episcopi non sedet celebrans, nisi in faldistorio, neque habet diaconos assistentes, neque canonici parantur, neque ponitur septimum candelabrum. — 52. Prædictus episcopi coadjutor non utitur baculo, nisi in ordinationibus. — 53. Coadjutor episcopi celebrans præter diaconum, et subdiaconum debet habere assistentem canonicum pro libro. — 54. Candelæ, cineres, et palmæ distribuuntur, stando cum mitra in capite ab eo, qui privilegium habet eam gestandi. — 55. Inferiores episcopo non debent sumere de altari paramenta pro missa. — 56. Prima dignitas dat candelam episcopo in festo Purificationis, et episcopus dat statim primæ dignitati ante vicarium generalem. — 57. Clerici in minoribus non sunt assumendi ad cantandam Epistolam, vel Evangelium, etiamsi sit penuria diaconorum, et subdiaconorum. — 58. Clericus, qui solemniter cantat epistolam cum tunicella, et reliquis sacris vestibus, sed absque manipulo, debet petere dispensationem irregularitatis ad cautelam. *Vide* tamen novum decretum citatum in corpore. — 59. Si sub altari, vel sub ejus gradibus humata sint defunctorum cadavera, non est ibi celebranda missa, donec alio transferantur. — 60. Intra clausuram omnino prohiberi debet celebratio missæ, etiam ad communicandas infirmas, non obstante antiquissima consuetudine. — 61. Missæ ad satisfaciendum eleemosynis alicui ecclesiæ traditis non sunt celebrandæ per exteros, ubi commode possunt satisfieri per sacerdotes ejusdem ecclesiæ. — 62. Non debent regulares in canone nominare superiores suos, ut antistites. — 63. Regulares in celebratione missæ possunt annuntiare dies festos, et jejunia in suis ecclesiis. — 64. In oratione *A cunctis* nomina patronorum S. Michaelis archangeli, et S. Joannis Baptistæ præponenda sunt apostolis. — 65. Celebrans in Parasceve debet mittere particulam in calicem; neque debet se signare cum calice. — 66. Oratio imperata a superiore, veluti *Deus refugium*, omittenda est in duplicibus primæ classis; Romæ omittitur etiam in festis secundæ classis. — 67. In fine missæ, ad quodcunque altare celebratæ, fit reverentia cruci infra gradus capite semper deoperto. — 68. Non permittitur

ad altare majus celebratio missæ, dum dicuntur in choro Matutinum et Horæ. — 69. Qui præ timore, vel balbutie non pronuntiat Evangelium S. Joann. quod legitur in fine missæ, sed ejus loco aliud suo arbitratu recitat, suspendendus est a missarum celebratione, quousque illud rite pronuntiare assuescat. — 70. Evangelium pro solemni palmarum benedictione canendum est in cornu Epistolæ ab illo qui celebrat absque diacono et subdiacono. — 71. Passio in hebdomada majori legenda est in missis privatis in cornu Evangelii, licet in missa solemni legatur a celebrante in cornu Epistolæ. — 72. In processionibus Candelarum, Palmarum, et similium, quæ fiunt intra ecclesias sine sacramento, non est pulsanda campanula ad elevationem SS. corporis Christi in missa privata; quod si pulsetur, et advertatur elevatio, tunc est genuflectendum in utroque genu a transeuntibus ante altare, ubi missa celebratur, et deposito sanctissimo sacramento, progrediendum. — 73. Similiter, si aliqui transeant in elevatione calicis. — 74. Sacerdos in sacrificio missæ congruentius utitur cingulo lineo, quam serico. — 75. In sacrificio non est adhibenda palla drappo serico a parte superiore cooperta. — 76. Non est omittenda una ex assignatis orationibus in Missali, velut *A cunctis*, ut ejusdem loco dicatur aliqua oratio imperata ab episcopo, veluti *Deus refugium* etc., neque ut recitetur penultimo loco oratio pro defunctis. — 77. Quando dicitur oratio *A cunctis*; vel *Ecclesiæ*, non est dicenda oratio contra paganos, vel alia hujusmodi. — 78. Quando dicitur collecta, vel missa contra paganos, non potest mutari nomen *Paganorum*, dicendo *Turcarum*, *Hæreticorum*, etc. — 79. Manus sacerdotis ad *Hunc igitur oblationem*, debent ita extendi, ut palmæ sint apertæ pollice dextro super sinistrum in modum crucis supra manus, non vero infra manus. — 80. Cruces, quæ fiunt a sacerdote super oblata, non sunt faciendæ manu transversa, sed manu recta in transversa parte crucis. — 81. Pars inferior hostiæ, non autem superior, præcidenda est, quando dicitur *Pax Domini sit semper vobiscum*. — 82. De sequentiis quoad recitationem, earumque auctores, ad n. 86. — 87. Pacis osculum cur non detur in missa feriæ v, in Cœna Domini, Feriæ VI in Parasceve, et sabbati sancti? ad n. 89. — 90. Alia ad rem ad n. 103. — 104. Additur attendenda ad rem, notabilis resolutio sac. congregat. Rit. cum aliis notatu dignis ad n. 126.

(1. Missa, quoad fieri potest, est semper legenda de die, seu concordans cum officio, prout a rubricis Missalis præscribitur, nisi pro aliqua causa, et obligatione debeatur legi votiva, et de Requiem.

(2. Hinc est, quod missæ propriæ concessæ certis regularibus, et certis locis, non possunt ab aliis dici alibi, et ne quidem in ecclesiis eorumdem regularium, ex decreto sacr. congregat. Rituum 19 Novembris 1622.

(3. Unde sacerdotes celebrantes in ecclesiis regularium diebus propriorum sanctorum habentium missam propriam, debent quidem missam celebrare de illo sancto, vel beato, sed cum Missali Romano, et de communi, ut decrevit sacr. congr. Rit. 19 Novembr. 1622, et iterum 9 Junii 1668, his verbis : « Qui celebrat missam in aliqua ecclesia regularium, aut etiam monialium, in qua fit de festo duplici habente missam propriam, quæ non sit concessa omnibus, missam quidem dicat de festo, sed cum Missali Rom. » (4. Et capellani monialium etiam non utentium Breviario Romano, possunt quotidie celebrare missam corre-

Digitized by Google

spondentem officio a monialibus recitato, sed cum Missali Romano, et de communi, ut declaravit sacra congregat. Rituum 29 Novembris 1628. (5. Si vero moniales non habeant Missale a Romano diversum, sacerdotes in earum ecclesiis celebraturi possunt dicere proprias missas ipsis monialibus concessas; sacr. congr. Rituum 27 Aug. 1672. *vide inf.* n. 121. (6. Sacerdotes omnes celebrantes in ecclesiis regularium, in quibus fit de festo duplici, non debent dicere missam de Requiem. Sacr. congregat. Rituum 9 Junii 1669. Et ad hoc dantur novissima decreta emanata ad instantiam PP. tertii ordinis S. P. Francisci sic quærentium.

« I. An diebus Dominicis, aliisque diebus, quibus in ipsorum ecclesiis celebratur de sanctis ordinis sub ritu duplici, sacerdotibus exteris ad eas confluentibus permitti debeat celebratio de Dominica, vel alio festo, vel etiam de Requiem, et quatenus affirmative? An in missa de Dominica, aliisque festis debeant sacerdotes exteri uti paramentis competentibus dictis Dominicis, et festis; vel possint se conformare paramentis, quibus eisdem diebus utuntur fratres?

« II. An fratres diebus, quibus propria officia celebrant sub ritu dup. celebrantes in alienis ecclesiis possint celebrare missam cum dictis officiis concordantes, vel possint celebrare de aliis conformando se ritui eorumdem ecclesiarum, ac etiam de Requiem, et quatenus affirmative quoad primam partem, quid quoad colores paramentorum?

« III. An sacerdotes exteri confluentes ad ipsorum ecclesias, ut supra, et celebrantes de sanctis ordinis Ser. Ser. possint in missis se uniformare cum fratribus quoad *Credo*, et quoad numerum orationum more duplicium?

« IV. An diebus Dominicis, quibus tam fratres, quam exteri celebrant de Dominica, possint exteri uti coloribus paramentorum, quibus utuntur fratres ratione alicujus octavæ, et fratres celebrantes in alienis ecclesiis uti coloribus juxta ritum earumdem, et an tam exteri in ecclesiis fratrum, quam fratres in alienis possint apponere commemorationem octavæ, ut supra occurrentis, servata rubrica de duplici oratione habenda in Dominicis infra octavam?

« V. An in offic. ad Hym. *Iste confessor* pro sanctis confessoribus, quoties eisdem fixa dies est assignata, quæ non est dies obitus, recitari debeat V. *Meruit beatus scandere sedes*, eo quod revera officium sit de die obitus, et quatenus affirmative, an eadem regula servanda sit in officiis de confessoribus translatis, dummodo officium sit de die obitus? »

Sac. congreg. Rituum die 11 Junii 1701 respondit:

« Ad primum quoad primam partem dubii negative, quando festum celebratur cum solemnitate, et concursu populi, et quoad secundam partem jam provisum. » Ad 2, ut ad primum. Ad 3, posse. Ad 4, posse. Ad 5, negative.

(7. Missa potest celebrari de quolibet canonizato, licet nondum relato in Martyrologio, quia per canonizationem definitur, publicum et universalem cultum deberi ab omnibus ipsi canonizato. (8. De beatis autem potest celebrari in illis locis, et ecclesiis regularium, et ab illis, quibus facta est specialis concessio, cum nondum sit eis concessus cultus universalis. Sacra Rituum congreg. 27 Septembris 1649. (9. Potest etiam celebrari de dedicatione ecclesiarum. (10. Imo de ipsa dedicatione, seu consecratione propriæ ecclesiæ tenentur missam celebrare, et respective officium recitare sub ritu duplici primæ classis omnes clerici illius ecclesiæ, sive sint sæculares, sive regulares; cum octava. Sacr. congr. Rituum 18 Augusti 1729 et 13 Junii 1682. (11. Sicuti etiam sub eodem ritu cum octava tenentur de titulari propriæ ecclesiæ, et conventus. Eadem sacra congregat. 13 Junii 1662. (12. Et regulares tenentur sub eodem ritu primæ classis, sed sine octava ad missas, et officia patroni principalis loci, vel diœcesis, ac protectoris civitatis, et regni nec non titularis ecclesiæ cathedralis, ex decreto sacræ congr. Rit. 20 Mart, 1783.

(13. Et ad missam, et officium dedicationis ecclesiæ cathedralis sub ritu duplici secundæ classis sine octava, ex decreto ejusdem 8 Aprilis 1662. (14. Potest etiam missa celebrari suo ritu duplici in ea ecclesia in qua habetur insignis reliquia, ex eadem sacra congreg. 23 Novembr. 1602, dummodo ipsa sit integra, et non parva, et prius ab ordinario sit legitime approbata, ut requirit decretum sacræ congregat jussu Urbani VIII evulgatum anno 1630, et sit de sanctis non baptizatis nominibus ad libitum, ex decreto ejusdem 19 Decembr. 1643, sed solummodo de descriptis in Martyrologio Romano, et dummodo constet de identitate corporis, seu reliquiæ insignis illiusmet sancti, qui reperitur in Martyrologio descriptus, ex decreto 11 Augusti 1691, edito, et a sanctissimo Innocent. XII, die 19 Octobris ejusdem anni 1691, approbato.

(15. Missa non est celebranda per totam civitatem, vel diœcesim, nec recitandum officium de sancto, eo quod in loco adsit ecclesia parochialis, vel etiam abbatialis, aut aliqua insignis reliquia, sed tantum in propria ecclesia, nisi habeatur specialis licentia, ex decreto S. C. R. 8 Aprilis 1628. (16. Nec festum, quod in aliqua ecclesia celebratur ratione corporis, vel insignis reliquiæ habet octavam, nisi specialiter concedatur a Sede Apostolica; 12 Augusti 1653.

(17. Et qui recitat officium de sancto, de quo habet insignem reliquiam in propria ecclesia, si celebret eo die in alia ecclesia, debet omittere *Credo*. S. R. C. 2 Decembris 1684.

(18. Missa S. Rochi in die ejus festi potest solum celebrari in ecclesiis in ejusdem honorem Deo dedicatis, nisi aliud specialiter concedatur; 29 Novembris 1629. (19 Episcopi regulares debent missam celebrare, et officium recitare juxta ritum suæ diœcesis, non vero regulæ; et occurrente festo

Digitized by Google

regulæ in festo diœcesis, hoc erit præferendum, 11 Junii 1605. Episcopi regulares, qui ex indulto Sedis Apostolicæ gaudent privilegio suæ religionis, de quibus sunt capaces pro eorum conditione, non possunt de beatis suæ religionis recitare officium, et in propriis cathedralibus missam celebrare, et altare prædictis beatis erigere; 17 Aprilis 1660. (20. In missis de beatis non est dicendum Symbolum, ubi est permissa hujusmodi celebratio, nisi adsit reliquia; 22 Julii 1664, et nisi sit de iis concessum officium sub ritu saltem secundæ classis. (21. Nemo potest excedere limites verbales indultorum Sedis Apostolicæ super beatificationibus, præsertim in celebratione missarum et officii cum octavis sine expressa licentia prædictæ Sedis Apostolicæ; 5 Octobr. 1652.

(22. Sacerdos, qui celebrat missam conventualem, in qua chorus tenetur canere Symbolum, non potest illam prosequi eo tempore, quo a choro cantatur Symbolum prædictum; 17 Dec. 1695. (23. Neque dum canitur *Credo*, debent pulsari organa; 17 Decembr. 1695. (24. Sacerdoti missam novam celebranti licet oblationem accipere, dummodo non discedat ab altari; 1 Octobris 1601. (25. Vicario episcopi missam cantanti solemnem non ministrant canonici, neque fit circulus ante ipsum; 8 Martii 1595. (26. Missas conventuales, et pontificales non potest celebrare vicarius absente episcopo; 16 Maii 1600. (27. Ad missam vicarii generalis non debent accendi quatuor candelæ, nec assistere duo capellani; 7 Augusti 1627. Nec etiam quatuor candelas adhibere possunt in missis privatis prælati, et superiores quicunque, sive sæculares, sive regulares episcopo inferiores, uti expresse statuit sacra Rit. congregatio coram sanctissimo domino nostro Alexandro Papa VII, die 27 Septembr. 1659, in *decreto* generali circa usum Pontificalium prælatis episcopo inferioribus concessorum, § 21, ibi: « In missis privatis..... duasque tantum candelas super altari adhibeant, » et confirmavit die 20 Julii 1660, in declaratione ad § vigesimum primum, ibi: « Ad § vigesimum primum, quo in missis privatis prohibentur abbatibus [quivis ritus, et prærogativæ] ad episcopos privative spectantes, exponentibus monachis abbates Casinenses hactenus in missis privatis adhibuisse quatuor candelas, etc., sac. congregatio censuit, servandum esse decretum; » quod et Sanctissimus approbavit. *Vide* verb. ABBAS, circa finem, ubi dicta decreta cum aliis dantur per extensum.

(28. Vicarius, ut vicarius, non potest, absente episcopo, missas cantare solemnes, Ss. sacramentum, aut sacras reliquias paratus deferre, nec aliis se immiscere functionibus ecclesiasticis, sed tantum præesse, ut omnia suo ordine fiant; 19 Septembris 1627. (29. Assistens presbyter debet episcopum thurificare ad Sedem, quicunque ille sit, non vero diaconus Evangelii; 19 Maii 1607. (30. Absente episc. thurificandus est celebrans triplici ductu; 30 Januarii 1616. (31. Finito Evangelio missæ solemnis, cui

assistit episcopus cum cappa, thurificandus est celebrans, non vero episcopus; 4 Augusti 1663. (32. Septimum candelabrum debet adhiberi in missis tantum episcopi solemnibus, sed non defunctorum; 19 Maii 1607.

(33. Archidiaconus sustinens baculum episcopi thurificandus est post diaconos assistentes, ubi non adsit contraria consuetudo; 28 Aprilis 1607. (34. Canonici in Dominicis sigillatim aspergendi sunt aqua benedicta, non vero unico ictu in circulum; 20 Decembris 1601. (35. Celebrans, qui distribuit cineres, candelas, et ramos, detecto capite debet distribuere; 18 Julii 1626. (36. Absente episcopo, benedictiones candelarum, cinerum, palmarum, et fontis debent fieri ab eo, qui cantaturus est missam; 12 Junii 1627. (37. Ille idem, qui benedicit cineres prima die Quadragesimæ, vel candelas in festo Purificationis, aut ramos in Dominica Palmarum, debet etiam cantare missam sequentem; 12 Aprilis 1640. (38. Non est facienda altaris thurificatio in Missa conventuali dierum solemnium, si absque cantu, et ministris celebretur; 22 Januarii 1701.

(39. Diaconus, et subdiaconus accipiunt pacem ab episcopo celebrante statim post diaconos assistentes; 15 Mart. 1608. (40. Duorum canonicorum assistentia semper convenit episcopo, sive celebret ipse, sive assistat divinis; 10 Maii 1608. (41. Dignitates tenentur associare episcopum cum canonicis ex debito, licet cæremoniale episcoporum nominet tantum canonicos, ubi non adsit contraria consuetudo; 10 Januarii 1609. (42. Consuetudo ut dignitates, et canonici mitram, gremiale, baculum, thuribulum, et similia ministrent episcopo, est servanda; 5 Julii 1603. (43. Non tenentur omnes canonici associare episcopum ab eo altari, in quo missam planam celebravit usque ad sedem episcopalem, si assistere voluerit missæ conventuali; 5 Julii 1603. (44. Archidiaconus non potest assistere episcopo in habitu prælatitio, non chorali, licet sit protonotarius; 6 Martii 1610. (45. Canonici assistentes episcopo præcedunt vicarium generalem, et sunt ante ipsum thurificandi; 6 Martii 1610. (46. Canonici missam celebrantes coram episcopo, non debent sedere in sede cum postergali, sed in scamno oblongo, tapeto, vel panno cooperto in latere Epistolæ; 19 Maii 1614. (47. Archidiaconus, si est prima dignitas, debet facere officium presbyteri assistentis, si est sacerdos, et recusans cogendus est pœnis, et censuris; 30 Maii 1616. (48. Prima dignitas debet assistere episcopo celebranti, licet sit unica; 12 Decembr. 1620. (49. Soli canonici debent facere consuetos circulos ante episcopum, non autem vicarius generalis; 28 Septembr. 1630. (50. Licet episcopus non celebret, sed tantum assistat missæ solemni, celebrans debet ad confessionem respondere episcopo usque ad *Indulgentiam* inclusive; non vero simul cum illo dicere: *In nomine Patris*; 4 Augusti 1663. (51. Coad-

Digitized by Google

jutor episcopi non sedet celebrans, nisi in faldistorio, neque habet diaconos assistentes, neque canonici parantur, neque ponitur septimum candelabrum; 1 Septembris 1607. (52. Prædictus episcopi coadjutor non utitur baculo, nisi in ordinationibus; 1 Septembris 1607. (53. Coadjutor episcopi celebrans præter diaconum, et subdiaconum debet habere assistentem canonicum pro libro; 7 Augusti 1627. (54. Candelæ, cineres, et palmæ distribuuntur stando cum mitra in capite ab eo, qui privilegium habet eam gestandi, 18 Februarii 1650. (55. Inferiores episcopo non debent sumere de altari paramenta pro missa; 7 Julii 1612. (56. Prima dignitas dat candelam episcopo in festo Purificationis, et episcopus dat statim primæ dignitati ante vicarium generalem; 14 Junii 1608. (57. Clerici in minoribus non sunt assumendi ad cantandam Epistolam, vel Evangelium, etiamsi sit penuria diaconorum, et subdiaconorum; sacra Rit. congreg. *in una Alexandrina* 15 Martii 1608. (58. Clericus, qui solemniter cantat Epistolam cum tunicella, et reliquis sacris vestibus, sed absque manipulo, debet petere dispensationem Irregularitatis ad cautelam; S. C. Concil. 23 Aprilis 1604. Apud Nicol. *Lucubrat canon.*, l. v, t. XXVIII, *De cleric. non ordinat. ministrant. Vide* tamen t. IX *Decret. S. R. C.*, n. 701. *V. Addit. Casin.*, v. IRREGULARITAS.

(59. Si sub altari, vel sub ejus gradibus humata sint defunctorum cadavera, non est ibi celebranda missa, donec alio transferantur; 10 Novembr. 1599. (60. Intra clausuram omnino prohiberi debet celebratio missæ, etiam ad communicandas infirmas, non obstante antiquissima consuetudine; 1 Decembr. 1602. (61. Missæ, ad satisfaciendum eleemosynis alicui ecclesiæ traditis non sunt celebrandæ per exteros, ubi commode possunt satisfieri per sacerdotes ejusdem ecclesiæ; 28 Januarii 1606. *Vide supra* art. 4., num. 16. (62. Non debent regulares in canone nominare superiores suos ut antistites; 12 Novembris 1515. (63. Regulares in celebratione missæ possunt annuntiare dies festos, et jejunia in suis ecclesiis; 2 Julii 1602. (64. In oratione *A cunctis* nomina patronorum S. Michaelis archangeli et S. Jo. Baptistæ præponenda sunt apostolis; 22 Augusti 1620. (65. Celebrans in Parasceve debet mittere particulam in calicem, neque debet se signare cum calice; 28 Augusti 1627. (66. Oratio imperata a superiore, veluti *Deus refugium*, etc. omittenda est in duplicibus primæ classis; 28 Augusti 1627. (67. Romæ omittitur etiam in festis secundæ classis. In fine missæ ad quodcunque altare celebratæ, fit reverentia cruci infra gradus, capite semper deoperto; 18 Augusti 1627. (68. Non permittitur ad altare majus celebratio missæ, dum dicuntur in choro Matutinum et Horæ; 15 Septembr. 1564. (69. Qui præ timore, vel balbutie non pronuntiat Evangelium S. Joannis, quod legitur in fine missæ, sed ejus loco aliud suo arbitratu recitat, suspendendus est a missarum celebratione, quousque illud rite pronuntiare assuescat; 5 Julii 1631.

(70. Evangelium pro solemni Palmarum benedictione canendum est in cornu Epistolæ ab illo, qui celebrat absque diacono et subdiacono; 27 Aprilis 1697. (71. Passio in hebdomada majori legenda est in missis privatis in cornu Evangelii, licet in missa solemni legatur a celebrante in cornu Epistolæ; 4 Augusti 1663. (72. In processionibus Candelarum, Palmarum et similium, quæ fiunt intra ecclesias sine sacramento, non est pulsanda campanula ad elevationem SS. corporis Christi in missa privata. (73. Quod si pulsetur et advertatur elevatio, tunc est genuflectendum utroque genu a transeuntibus ante altare, ubi missa celebratur, et deposito SS. sacramento, progrediendum; similiter, si aliqui transeant in elevatione calicis; 1 Martii 1681. (74. Sacerdos in sacrificio missæ congruentius utitur cingulo lineo, quam serico; 22 Jan. 1701. (75. In sacrificio missæ non est adhibenda palla drappo serico a parte superiori cooperta; 22 Januar. 1701. (76. Non est omittenda una ex assignatis orationibus in Missali, velut *A cunctis*, ut ejusdem loco dicatur aliqua oratio imperata ab episcopo, veluti *Deus refugium*, neque ut recitetur penultimo loco oratio pro defunctis; 2 Decemb. 1684. (77. Quando dicitur oratio *A cunctis*, vel *Ecclesiæ* non est dicenda oratio contra paganos, vel alia hujusmodi, quia sufficienter una continet, quod et altera; 16 Aprilis 1688. (78. Quando dicitur collecta vel missa contra paganos non potest mutari nomen *paganorum*, dicendo *Turcarum, Hæreticorum*, etc.; 29 Jul. 1689. (79. Manus sacerdotis ad *Hanc igitur oblationem* debent ita extendi ut palmæ sint apertæ, pollice dextero super sinistrum in modum crucis supra manus, non vero infra; 4 Augusti 1663. (80. Cruces quæ fiunt a sacerdote supra oblata non sunt faciendæ manu transversa, sed manu recta in transversa parte *crucis;* 4 Augusti 1663. (81. Pars inferior hostiæ non autem superior præcidenda est, quando dicitur *Pax Domini sit semper vobiscum;* 4 Augusti 1663.

(82. In missa Paschatis resurrectionis et infra ejus octavam dicenda est sequentia *Victimæ Paschali*, cujus auctorem esse abbatem Nogerum, seu Notherum Sancti Galli, aut Hotgerum ducis Sueviæ filium et abbatem S. Galli asserit Herrera scriptor recentior lib. II *De origine et progressu rit. miss.*, cap. 12, relatus a cardinal. Bona, *De rebus liturgicis*, l. II, c. 6, n. 6. Alii vero tribuunt talem sequentiam Hermanno Contracto Germaniæ monacho qui fuit astrolabii inventor; ita Bellotte in suis *Observationibus*, pag. 416; et Possevinus in *Apparatu sacro*, tom. II, et alii alium volunt auctorem; unde verum est quod scribit Gavantus part. I, tit. 10, rubric. 3, litt. R., incertum esse talis sequentiæ auctorem.

(83. In missa Pentecostes et infra ejus octavam dicenda est sequentia *Veni, Sancte*

Digitized by Google

Spiritus, cujus auctor esse perhibetur Robertus Franciæ rex apud Trithemium, et Durandum, lib. IV, cap. 22, circa annum 1003, vel Hermanus Contractus, Germaniæ monachus, *De ligno vitæ*, lib. V, cap. 70; Merati tamen, tom. I, part. IV, tit. 12, num. 18, dicit probabilius esse, fuisse dictam sequentiam compositam ab Innocent. III et ab eodem in Missali insertam, cum in ejus operibus reperiatur.

(84. In missa festi Corporis Christi et totius ejus octavæ dicenda est sequentia *Lauda, Sion, Salvatorem*, cujus auctorem esse S. Thomam Aquinatem dicit Gavantus, part. I, tit. 10, rubrica 3, litt. *R*, et tenent etiam alii. At vero Rioche, l. IV *Compend. tempor.*, cap. 71, col. 3; Petrus Antonius a Venetiis in *Viridario seraphico*, italice conscripto, tom. II, part. V, in *Operibus* editis a S. Bonaventura, citans Pisanum in suo catalogo, et Oldoinum apud Ciaconium, tenent ab ipso sancto Bonaventura fuisse compositam.

(85. In missa SS. Nomine Jesu et totius ejus octavæ ubi celebratur recitanda est a Fratribus Minoribus sequentia *Lauda, Sion, Salvatorem*, cujus auctor videtur dicendus vulgo beatus Bernardinus de Bustis, cum ipse, ut tradit Petrus Antonius de Venetiis, *l. c.*, cap. 5, multa addiderit ejus Officio composito a S. Bernardino Senensi post insignem ejus victoriam Romæ obtentam; ab aliis autem sacerdotibus, sive sæcularibus, sive regularibus etiam capellanis, seu confessariis non Francescanis monialium ordinis Minorum est omittenda, ut recte docet sapientissimus Merati, t. I, p. IV, tit. 4, n. 4, referens quod in concessione facta præclarissimæ Societati Jesu, anno 1701, 1 Oct., expresse dicitur: « Exclusa tamen sequentia; et de facto ab aliis omittendam esse dictam sequentiam respondit novissime sac. Rit. congregat. *in Burgen.* 23 Junii 1736, et *in Mechlinen.* 16 Februari 1737. *Vide* in t. IX, *Decreto S. R. C.*, n. 1011.

(86. In missa festi Septem Dolorum B. M. V. et totius ejus octavæ, ubi celebratur, recitanda est sequentia *Stabat Mater dolorosa*, cujus auctorem esse vulgo beatum Jacobum, seu Jacoponum a Tuderto ordinis Minorum refert dictus Petrus Antonius a Venetiis, *l. c.*, c. 5, ubi insuper dicit fuisse ab ipso etiam compositum nobile canticum de contemptu mundi, incipiens *Cur mundus militat sub vana gloria*, allatum sub verb. MUNDUS.

(87. In missa feriæ V in Cœna Domini non datur pacis osculum; ex Ordine Romano, in detestationem osculi Judæ. Alcuin., *ibid.* Gavant. et Merati, tom. I, part. IV, tit. 8, *De feria* V *in Cœna Domini*, n. 4, ubi Gavant. addit quod in tertio *Agnus Dei* dicitur: *Dona nobis pacem*, contra editionem Venetam in officiis parvis hebdomadæ majoris in quibus antiquo Ritu notatur quod habet Durand., l. IV, c. 52, tertio dici *Miserere nobis*; nam Missale vult dici de more, quamvis pax non detur.

(88. Item in missa feriæ VI in Parasceve non datur Pax; ex Ordine Romano, in odium dicti oculi Judæ. Amalat., lib. I, cap. 13; Gavant. et Merati, *l. c.*, part. IV, tit. 9, rubrica 18, litt. *Q*. Tum quia nullum hac die fit sacrificium, ex Albaspineo, lib. I, *De veterib. ritib.*, observat. 17. Unde nec dicitur *Pax Domini*, nec *Agnus Dei*, quia ordinantur ad pacem dandam, ut patet in tertio *Dona nobis pacem*.

(89. In missa autem sabbati sancti non datur Pax, ex Ordine Romano, quia nondum dixerat Christus apostolis *Pax vobis;* Gavant. et Merati, *l. c.*, t. X, rubric. 38, litt. *M*. Nec dicitur *Agnus Dei;* ex Ordine Romano et *Sacrament.* Gregor. ob silentium mulierum quæ nondum credebant Christo Redemptori animarum ad tollenda peccata mundi. Durand., lib. VI, cap. 8, Gavant. et Merati, *loc. cit.*, litt. *N.*, post Alcuinum ibi allegatum.

(90. Missæ in quibus solus sacerdos communicat reprobari non possunt, Benedict. XIV, tom. I, constit. incip. *Certiores*, § 1*. Quia tamen non defuerunt temerarii quidam pseudo theologi, qui nihil a Benedicti XIV Encyclica commoti falsum illud de necessitate communionis populi dogma novis libellis confirmare ausi sunt, ut Nannaronius et Traversarius, eorum commentarios Roma jure ac merito confixit*. Missam celebrantes non tenentur S. eucharistiam omnibus petentibus infra ipsam actionem ministrare. Idem, *ibid.*

(91. Ad episcopos pertinet præscribere ea quæ observanda et evitanda sunt in celebratione missæ; iisque tanquam Apostolicæ Sedis delegatis omnes etiam exempti hac in re obedire tenentur. Idem tom. II, constit. 17, incip. *Accepimus præstantium**. Intelligo modo episcopi a Romani Missalis rubricis pro commentitia quadam auctoritate quam episcopus S. Pontii Petrus Joannes Persin superiore sæculo propugnare, aliisque persuadere frustra conatus est, edito libro : *Du droit et du pouvoir des évêques de réyler les offices divins dans leurs diocèses*, sibi discedendum non duxerint*. (92. In missarum celebratione Crucifixi imago super altari retineri debet in memoriam Dominicæ passionis et mortis. Idem, *ibid.* Alia ad rem *vide* verb. CRUX.

(93. Missa celebrari nequit a sacerdote Latino ritibus Græcis, nec vice versa, sub pœna suspensionis. Id., const. 57, incip. *Etsi pastoralis*, § 1. (94. Missarum celebratio permittitur Italo-Græcis in feriis Quadragesimæ cum conditionibus et limitationibus, nempe servato, nec prætermisso in parochialibus ecclesiis præsanctificatorum ritu et excepto postremo triduo majoris hebdomadæ. Idem *ibid.* (95. Missa unica in die super quolibet altari à Græcis celebrari potest. Idem, *ibid.*, et constit. 87, incip. *Demandatam*, § 8. (96. Permittuntur tamen erigi plura altaria in eadem ecclesia et plures sacerdotes super eodem altari simul celebrare. Idem *ibid.*, § 9. (97. Missam applicare potest pro offerentibus eleemosynam sacerdos Græcus, qui cum alio ritu concelebret; concelebrare tamen non dicitur, nec sacrificium applicare potest pro

Digitized by Google

offerentibus eleemosynam, qui particulas tantum adjicit in præparatione panis ante missam. Idem, *ibid.*

(98. Missa præsantificatorum duntaxat celebrari potest apud Græcos in Quadragesima, exceptis diebus Dominicis et sabbatis. Id., *ibid.*, cit. § 9. (99. In missis præsanctificatorum non fit transsubstantiatio vini per immersionem particulæ consecratæ et confutatur hac de re error schismaticorum. Idem, tom. II, constitut. 3, incip. *Declarasti.* (100. Missa præsanctificatorum iterari non potest, etiamsi in priori omissus fuerit haustus vini non consecrati. Idem, *ibid.*

(101. Addendum est quod | antiphona *Communio* cantari debet immediate post *Agnus Dei* eodem tempore, quo celebrans sacram communionem sumit, nisi fiat communio populi, quia tunc ad eam cantatur. Gavant., part. I, tit. 13, n. 1; Bauldry, part. III, cap. 7, tit. 13; Scarfanton., part. II, tit. 10, n. 11, et novissimum Cæremoniale provinciæ reformatæ Mediolani impressum anno 1744, cap. 21, n. 519, ubi ad id citatur etiam Cæremoniale episcoporum lib. II, cap. 9, uti ipsum etiam citat Bauldry, licet id tangat Cæremoniale episcoporum in cap. 8.

(102. Attendendum est differentiam intercedere inter missam cantatam, et missam solemnem; quando enim præscribitur missa cantanda, sufficit illam cantari cum assistentia solius acolythi; at quando mandatur cantari missa solemnis, cani debet cum assistentia diaconi, et subdiaconi. Cum enim *in una Neapolitana celebrationis missarum* prætenderetur Patres Carmelitas non adimplevisse onus sibi injunctum, canendi quotidie unam missam ex quo illam cantassent sine assistentia diaconi, et subdiaconi, et causa fuisset proposita in sacra congregatione Concilii sub die 28 Augusti 1683 nec ipsa die resoluta; et reproposita sub die 29 Januarii 1684, sub hoc dubio: « An missa quotidie cantanda debuerit, et debeat cantari cum assistentia diaconi, et subdiaconi, vel solius acolythi? » Eadem sacra congregatio reflectens, quod onus erat unius missæ cantatæ, et non unius missæ solemnis, respondit: « Satisfactum fuisse, et satisfieri voluntati testatoris, cantando missas etiam sine assistentia diaconi et subdiaconi. » (103. Refert et tenet cardinal. Lambertin. dein Bon. Pontif. Bened. XIV, vol. V, notif. 17, § 7, ubi insuper refert, fuisse decisum, quod electio diaconi et subdiaconi pro missa solemni canenda a parocho, vel ab alio sacerdote a se deputato in ecclesia confraternitatis, seu pro inibi danda benedictione, pertinet ad ipsam confraternitatem, et non ad se; proposito enim in sacra congregatione Concilii hoc dubio: « An parochus, vel interveniens ad canendam missam, vel dandam benedictionem, habeat jus sibi eligendi diaconum, subdiaconum, cæterosque ministros, » eadem sac. congregatio *in Bononien.*, die 15 Maii 1728, respondit: *Negative.*

(104. Attento decreto S. R. C. 2 Septemb. 1741, de quo infra art. 14, n. 88, et tom. IX, inter *Decreta S. R. C.*, n. 1102, patet, posse in missa dici plures orationes quam tres. Et quidem etiam quinque, aut septem ad libitum, ut expresse habetur in Missali, rubrica 9, *De orationibus;* n. 12, ibi: « In festis simplicibus, et feriis per annum, nisi aliter in propriis locis notetur, dicuntur tres, ut in semiduplicibus, aut quinque: possunt etiam dici septem ad libitum. » (105. Tres autem orationes præscribuntur in honorem SS. Trinitatis, et in memoriam Christi, qui tertia die resurrexit, et ter oravit in horto; quinque in commemorationem quinque plagarum ejusdem Christi; et septem ob septem petitiones Orationis Dominicalis, vel ad obtinenda septem dona Spiritus sancti. (106. Sic Innocentius III, l. I, c. 27; *Micrologus*, cap. 4; Merati, *loc. cit.*, n. 11; Cavalieri, *loc. cit.*, c. 11, n. 7 et alii. (107. Nec septenarius orationum numerus videtur posse excedi, cum loquendi modus, quem servat cit. rubrica missalis, « Possunt etiam dici septem ad libitum, » videatur satis indicare numerum, ultra quem progredi non possit, quamvis non utatur taxativa *tantum*, quæ tamen semper debet subintelligi, nisi oppositum exprimatur, quando determinatur quantitas, ut recte notant Megalius, tom. II *Variarum resol.*, resol. 158, et Cavalieri, cit. c. 11, n. 6, ne in infinitum detur processus, et ne indiscreti sacerdotes per ulteriorem additionem tædio afficiant adstantes, et ne fideles ob tædium avertantur ab auditione missarum. (108. Tales autem orationes, ut vult allatum sacræ congregationis decretum, *curandum est, ut sint numero impares.* Nec obstat aliud ejusdem sac. congregationis decretum editum 2 Decembr. 1684, *in una canonicorum regul. Lateranensium*, his verbis: « Non est omittenda una ex assignatis orationibus in missa, veluti tertia *A cunctis*, si secunda esset de festo simplici, ut ejus loco dicatur oratio imperata, veluti *Deus refugium;* sed post tertiam orationem *A cunctis*, potest et imperata dici, cum in missa de semiduplici, vel simplici, vel votiva, non sint necessario dicendæ collectæ impares, puta tres, quinque, vel septem. » In hoc enim decreto nulla fit mentio de missis defunctorum. Unde *cum expediat concordare jura juribus*, textu expresso in cap. *Cum expediat*, 29, De elect., in 6, videtur dicendum, quod hoc decretum velit, non necessario esse dicendas collectas impares in missa de semiduplici, vel simplici, vel votiva, cum in his missis numerum parem, puta quatuor, aut sex possint exigere commemorationes secundum ritum, vel imperate faciendæ, quod non potest recurrere in missis pro defunctis, et ideo decretum anni 1741, 2 Septembris, vult, in istis curandum esse, ut orationes sint numero impares, quod de facili potest in his adimpleri, cum numerus impar pendeat a libertate celebrantis, ubi in illis pendet quandoque numerus par a necessitate ritus, vel superioris imperio.

(109. Missa, et officium, sub ritu SS. doctorum, S. Leonis I Papæ decernitur a Be-

Digitized by Google

nedicto XIV, constitut. incip. *Militantis*, § 3, ubi statuitur, ut in officii divini Breviario in festo S. Leonis Papæ, et confessoris, antiphona ad *Magnificat* in utrisque vesperis ponatur ea, quæ incipit, *O doctor optime;* in missa autem dicatur Introitus *in medio Ecclesiæ;* et post collectam subsequatur lectio libri *Sapientiæ: Justus cor suum tradet*, cum graduali, ut in communi doctorum; post Evangelium vero dicatur *Credo ;* reliqua, ut in consueta missa de sancto Leone.

(110. * Sacerdotibus latini ritus in Russia Polonica degentibus, tam præsentibus, quam futuris conceditur, ut deficientibus tabulis lapideis consecratis, missam celebrent super Antimensiis Ruthenorum unitorum. Ritu tamen latino sacrum agere istis injunctum est. Sunt Antimensia lintei quidam episcopali benedictione consecrati, in quorum angulis sanctorum reliquiæ reconditæ sunt. Bened. XIV, const. 43, incip. *Impositio nobis.*

(111. Commentitia est distinctio inter rubricas præceptivas, et instructivas, sed omnes sunt præceptivæ, licet aliquæ ex materiæ parvitate sub veniali tantummodo obligent Bened. XIV, *De sacrif. missæ*, lib. III, cap. 13, § 3.

(112. Nulla urgente causa, leve est peccatum celebrare missam privatam non recitatis Matutino, et Laudibus. (*Vide* verb. MATUTINUM, a n. 19 ad 23.) At si de missa conventuali agatur, mortalis criminis reus videri posset ille, qui ante Matutinum, et Laudes eam celebraret, nempe ante eam partem officii in choro celebratam. Sicut et peccato gravi se obstringeret, qui perpetuo, et quasi ex animo statuisset, nunquam missam celebrare, Matutino cum Laudibus recitato. *Ibid.*, § 4.

(113. Si contingat ut sacerdos, dum missam celebrat, subitò morbo corripiatur, vel mortuus concidat, vel hoc accidat ante consecrationem, nec tunc opus est missam ab alio continuari; si vero post consecrationem unius, vel utriusque speciei, tunc supplenda est missa, et quidem ex præcepto a sacerdote, initio inde sumpto, ubi alter desiit, et si prior ille sacerdos adhuc vivat, et capax sit sacramenti, nec alia præsto sit hostia consecrata, ex hostia sacerdotis secundi pars infirmo ministranda est, ut ex rubricis Miss., *ibid.*, § 4 et 5.

(114. Sacerdos missam suppleturus præstare id potest, si alius non adsit, etiamsi non sit jejunus, quin etiam si in statu gratiæ non versetur; tunc enim quærendus ab illo est confessarius, et si non reperiatur, eliciendus est actus contritionis, atque ita comparatus missam perficiat. At si neque conteri possit, neque missa ab altero perfici ante meridiem, tunc hostia et calix reponendi sunt in tabernaculo, ut ad alteram diem reserventur. Hæc omnia ex rubricis et DD. *ibid.*, § 7 et 8. Ex hoc conficitur, quod laico, si fuerit præsens, hostia illa, et calix dari non potest, *ibid.*, § 6.

(115. Si sacerdote missam celebrante violetur, vel polluatur subito templum, ante incœptum canonem, missa intermittenda est; eo vero incœpto, perficienda; ut ex rubricis; *ibid.*, § 12.

(116. Si, dum celebratur, incidat subita irruptio hostium, vel imminens alluvio, aut ruina templi, ante consecrationem, deserenda est missa : post consecrationem, sumendum statim sacramentum, omissis aliis cæremoniis. Si vero casus isti incidant, hostia quidem, sed nondum sanguine consecrato, potest sacerdos hostiam statim sumere, et abire, nisi forte in casu, quo Christianæ religionis hostes in contemptum ejusdem religionis minitentur sacerdoti mortem, nisi sacrificium imperfectum relinquat. *Ibid.*, § 14.

(117. Superveniente excommunicato non tolerato, missa, si nondum perventum est ad canonem, vel ut quidam volunt, ad consecrationem, nec ille possit abigi, deserenda est, post consecrationem perficienda. Sed sumpta communione, reliqua perficienda sunt, vel in sacristia, vel in alio loco decenti. *Ibid.*, § 14.

(118. Rite pariter interrumpitur missa, etiam interruptione longa vel ad baptizandum infantem moriturum, qui alioqui sine baptismo moreretur, vel ad audiendam confessionem infirmi, qui alioqui non confessus obiret; vel etiam, ad extremam unctionem administrandam. Curandum tamen tunc esset a sacerdote, ut sacramentum interim diligenter custodiatur, et cum redierit, resumenda missa est ex eo loco, ubi fuerit intermissa. *Ibid.*, § 15.

(119. Si recitato jam Evangelio, et Symbolo, superveniat vir princeps, sive laicus, sive ecclesiasticus qui missam die festo non audierit, negant plures doctores posse ex integro missam resumi. *Ibid.*, § 16.

(120. Eucharistiam fidelibus administrare infra actionem missæ non sunt obligandi sacerdotes, si parochi, seu episcopi censuerint præstare, ut hæc administratio fiat in altari, ubi adsservatur SS. eucharistia extra missam. Encyclica ad episcopos Italiæ incip. *Certiores effecti.*

(121. Sacerdotes sæculares in ecclesiis regularium illorum missam legere vetantur, sed utendum est illis Missali Romano, ita tamen, ut possint de sancto, de quo regulares illi agunt officium, missam recitare eam desumendo ex communi Missalis Romani, ut pro capellanis, et confessariis monialium decrevit S. congregatio, Clemente XI decretum approbante, *De sacrif. missæ*, lib. III, cap. 23, § 1, et *Instit. eccles.*, inst. 34, § 20.

* (122. Sacerdotes tamen sæculares celebrantes in ecclesiis totius ordinis S. Augustini possunt recitare missas proprias sanctorum illius ordinis, ut ex rescripto sanct. mem. Clementis XIV, 18 Junii 1773, per secretariam supplicum libellorum edito; et SS. D. P. Pius VI eamdem facultatem concessit celebrantibus in ecclesiis ordinis Minorum S. Francisci 5 Sept. 1775.; Carmelitarum Excalceatorum 14 Augusti 1777;

Digitized by Google

Carmelitarum antiquæ Observantiæ 2 Junii 1778, et in Ecclesiis totius ordinis S. Benedicti 12 Februarii 1780, per eamdem secretariam.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(123. Missa, ut monet etiam auctor num. 1, debet esse conformis officio diei, « nisi gravis causa excusêt ; » tum quia cap. *Quidam*, De celebr. missar., reprehenduntur sacerdotes, qui officio diei prætermisso frequentius celebrant missas, quas *votivas* dicimus; tum quia non semel a sacra Rituum congregatione prohibitum est quominus missæ votivæ in festis solemnibus, et duplicibus celebrentur.

(124. Dixi « nisi gravis causa excuset, » propterea quod in exsequiis ex. gr. præsente corpore, debet missa de defunctis celebrari.

(125. Caute vero intelligendus est auctor, dum eodem num. 1 ait : « Nisi pro aliqua causa et obligatione debeat legi votiva. » Ex his enim verbis videtur sequi, quod sacerdos, qui ratione beneficii, vel stipendii tenetur missam celebrare, ex. g. de beata Virgine, vel de defunctis, eam indistincte celebrare queat diebus etiam Dominicis, et festis duplicibus. At non concurrente expressa, voluntate fundatoris, recte monet Habert, *De eucharist.*, cap. 16, quæst. 1: « Sacerdotem, qui ratione beneficii vel stipendii tenetur missam celebrare de B. Virgine, seu de defunctis, posse, imo debere Dominicis et festis duplicibus sacrum facere de die ; quia præsumitur fundator Ecclesiæ filius juxta matris præscriptum suum legatum instituisse. »

* Hoc ipsum diserte tradit Lucius noster, artic. proximo, num. 4, quod miror ab auctore additionum non fuisse animadversum *.

(126. Quid vero, si expressa sit voluntas fundatoris, ut festis etiam duplicibus celebretur missa de B. Virgine, vel de defunctis; ita ut recurri nequeat ad dictam præsumptionem? Tolerari posse celebrationem missæ de B. Virgine, vel de defunctis, si festa illa simplicia non sint de præcepto, relato decreto S. cong. Rituum, tradit Pasqualig., *De sacrific. miss.*, tom. I, qu. 249, num. 2.

(127. Major difficultas est, an id ipsum [illegible]ari queat in feriis privilegiatis, et in [illegible]s infra octavam, quibus cadunt etiam [illegible] duplicia ; negat mox laudatus auctor *supra*, num. 3.

ARTICULUS XIII.

De observandis in missis votivis

SUMMARIUM.

1. Missa unde dicatur votiva? — Missa votiva licita est, si adsit rationabilis causa pro ipsa celebranda. — 3. Missæ votivæ privatæ non possunt dici in festo duplici, etiamsi tale duplex esset translatum. — 4. Item nequeunt dici die Cinerum, septimana sancta, in vigilia Nativitatis Christi et Pentecostes, in vigilia Epiphaniæ, infra octavas Epiphaniæ, Paschæ et Pentecostes, infra octavam Corporis Christi, infra octavam Nativitatis Christi, et in omnibus anni Dominicis. — 5. Votivæ solemnes, et pro re gravi, et causa publica celebrari possunt etiam in festis duplicibus de præcepto, et Dominicis, exceptis Dominica prima Adventus, feria IV Cinerum, Dominica prima Quadrag., Passionis, et Palmarum usque ad fer. III Paschæ inclusive, Dominica in Albis, Dominica Pentecostes, cum duobus festis sequentibus, Nativitate Domini, Epiphania, Ascensione, Corpore Christi, et omnibus solemnitatibus primæ classis. — 6. Res gravis pro licita missæ votivæ solemnis decantatione cum *Gloria*, et *Credo* ea est, pro qua convenit totus clerus cum episcopo ; vel apud regulares in eorum comitiis generalibus, vel provincialibus, et cum cantatur missa pro re, eorumdem judicio, gravi. — 7. Item pro expositione 40 horarum pro tempore cantatur missa votiva de SS. sacramento cum *Gloria*, et *Credo*, et unica oratione, exceptis Dominicis et festis 1 et 2 classis, ac feria 4 Cinerum, et feria 2, 3 et 4 majoris hebdomadæ, quibus diebus cantatur missa de officio currenti cum commemoratione SS. sacramenti sub unica tantum conclusione. — 8. Et si cantanda est alia missa, durante expositione, licet sit conventualis, debet cantari in alio altari. — 9. Neque in altari expositionis debent celebrari missæ privatæ cujuscunque ritus. — 10. Et missæ privatæ, si officium est duplex, debent celebrari de officio currenti cum commemoratione SS. sacramenti. — 11. Vel si non est duplex, votivæ de sanctissimo sacramento sine *Gloria*, et sine *Credo*. — 12. Sacerdos missam privatam celebraturus, dum transit ante Ss. sacramentum, facta adoratione utroque genu, et aperto capite, surgens se cooperit. — 13. Missæ votivæ solemnes pro re gravi, et causa publica canendæ sunt cum *Gloria* et *Credo*, nisi adhibeantur paramenta violacea, quia tunc debet omitti *Gloria* et *Credo*. — 14. Missæ votivæ nunquam sunt celebrandæ cum *Gloria* et *Credo*, nisi fuerint missæ angelorum, in quibus quotidie est recitandus hymnus angelicus; vel Missæ de B. M. V. in quibus quolibet Sabbato dici debet *Gloria*, sed sine *Credo*. — 15. In votivis dicitur semper psalmus *Judica*, et ad *Introitum*, et *Lavabo*, semper *Gloria Patri*, etc. etiamsi esset missa de Passione, etiam infra hebdomadam Passionis, licet hæc omnia omittantur in missa de tempore. — 16. Præfatio dicitur propria, si habeatur; alias dicitur de tempore, vel de octava, vel de communi. — 17. Quod procedit etiam infra octavam Nativitatis Christi, si votiva habeat præfationem propriam. — 18. *Communicantes*, et *Hanc igitur*, si votiva dicatur infra octavam, quæ illa habet propria, dicuntur de octava; et in fine dicitur semper Evangelium S. Joannis. — 19. Infra octavam non celebratur votiva de eo de quo est octava, sed dicitur missa festi conveniens officio cum *Gloria* sine *Credo;* quod si sit infra octavam B. M. V. et fiat officium de aliquo sancto, pro votiva de B. Maria Virgine, debet dici missa de octava, sed more votivo sine *Gloria* et sine *Credo;* nisi fuerit sabbatum, quia tunc dicendum erit *Gloria* sine *Credo*. — 20. Qui in sabbato recitat officium de B. M. V. si celebret votivam de aliquo sancto, non debet dicere *Gloria*, neque præfationem B. M. V. — 21. Ob missam votivam non est omittenda missa conventualis, neque potest introduci consuetudo in contrarium. — 22. Imo abrogatur consuetudo non cantandi missam in die ultra votivam. — 23. Et licet in illis ecclesiis, in quibus adest invetarata consuetudo cantandi missam votivam de B. V. Maria singulis diebus sabbati, possit hic pius usus, seu populorum devotio continuari, etiam in sabbatis festo duplici impeditis; non est tamen omittenda missa conventualis, ad n. 24. — 25. Alia satis summarie referuntur, ad n. 36. — 37. Missæ votivæ an dici possint de beatis nondum canoniz.? ad n. 39. — 40. Alia ad rem ad n. 49.

(1. Missa dicitur votiva non simpliciter a voto quo quis se obstringit ad talem missam

Digitized by Google

celebrandam, sed a voluntate qua se determinat, vel ex propria devotione, vel ad implendum desiderium alterius qui eam petit. (2. Et licita est, si adsit rationabilis causa pro ipsa celebranda, alioquin missa debet concordare cum officio, ut in *Rubricis Missalis* præscribitur. (3. Missæ votivæ privatæ non possunt dici in festo duplici, etiamsi esset tale duplex festum translatum; sac. Rit. congreg. 5 Augusti 1662. (4. Item nequeunt dici die Cinerum, septimana sancta, in vigilia Nativitatis Christi et Pentecostes; 29 Augusti 1627, in Vigilia Epiphaniæ, 27 Aprilis 1698, et 10 Decembr. 1718, infra octavas Epiphaniæ, Paschæ et Pentecostes; 28 Augusti 1627, infra octavam Corporis Christi, 21 Junii 1670, infra octavam Nativitatis Christi; 25 Septembris 1706, confirmat. 15 Sept. 1714, nec non in omnibus anni Dominicis, ut constat ex ipsis rubricis, in quibus dicitur posse solum celebrari missam votivam *aliis diebus infra hebdomadam*, hoc est a Dominica in Dominicam, quando non est duplex.

(5. Votivæ autem solemnes, et pro re gravi, et causa publica celebrari possunt etiam in festis duplicibus de præcepto, et in Dominicis, exceptis Dominica prima Adventus, feria IV Cinerum, Dominica prima Quadragesimæ, Passionis et Palmarum usque ad feriam III Paschæ inclusive, Dominica in Albis, Dominica Pentecostes cum duobus festis sequentibus; Nativitate Domini, Epiphania, Ascensione, Corpore Christi, et omnibus solemnitatibus primæ classis. Quarti, part. I, tit. 4, vers. *Nota secundo;* aliique communiter, ut patet ex decretis relatis artic. sequent. n. 4. (6. Res gravis pro licita missæ votivæ solemnis decantatione cum *Gloria* et *Credo* ea est, pro qua convenit totus clerus cum episcopo; vel apud regulares in eorum comitiis generalibus, vel provincialibus; et cum cantatur missa pro re, eorumdem judicio gravi; 19 Maii 1607. (7. Item pro expositione 40 Horarum, juxta decretum ejusdem congr. 13 Februarii 1666, et instructionem de mandato Clementis XI pro tali expositione emanatam die 20 Januarii 1705, in qua disponitur, ut sequitur: « In expositione et repositione Ss. sacramenti pro oratione 40 Horarum cantatur missa votiva de Ss. sacramento cum *Gloria* et *Credo*, et unica oratione, exceptis Dominicis et festis 1 et 2 classis, ac feria 4 Cinerum, et feria 2, 3 et 4 majoris hebdomadæ, quibus diebus cantatur missa de officio currenti cum commemoratione Ss. sacramenti sub unica tantum conclusione. (8. Et si cantanda est alia missa, durante expositione, licet sit conventualis, debet cantari in alio altari. (9. Neque in altari expositionis debent celebrari missæ privatæ cujuscunque ritus. (10. Et missæ privatæ, si officium est duplex, debent celebrari de officio currenti cum commemoratione Ss. sacramenti; (11. Vel si non est duplex, votivæ de sanctissimo sacramento sine *Gloria* et sine *Credo*. » Sic præcipiente sanctissimo D. nostro. *Vide* tamen *infra*, n. 34, et verb. ORATIO, n. 31, ubi excipiuntur etiam alii dies pro missis

votivis cantandis ex nova instructione Clementis XII emanata, die 1 Septembr. 1730., et jam integre allata in tomo tertio verb. EUCHARISTIA, n. 64. (12. Sacerdos missam privatam celebraturus, dum transit ante Ss. sacramentum, facta adoratione utroque genu, et aperto capite, surgens se cooperit; sac. Rituum cong. 7 Septembris 1638.

(13. Missæ votivæ solemnes pro re gravi, et causa publica canendæ sunt cum *Gloria* et *Credo*, nisi adhibeantur paramenta violacea, quia tunc debet omitti *Gloria* et *Credo:* ex decreto 19 Maii 1607. (14. Missæ autem votivæ privatæ nunquam sunt celebrandæ cum *Gloria* et *Credo*, nisi fuerint missæ angelorum, in quibus quotidie est recitandus hymnus angelicus, vel missæ de B. V. Maria, in quibus quolibet sabbato dici debet *Gloria*, sed sine *Credo;* 15 Maii 1672. (15. In votivis dicitur semper psalmus *Judica*, et ad *Introitum*, et *Lavabo*, semper *Gloria Patri*, etc., etiamsi esset missa de Passione, etiam infra hebdomadam Passionis, licet hæc omnia omittantur in missa de tempore; 10 Februari 1647. (16. Præfatio dicitur propria, si habeatur; alias dicitur de tempore, vel de octava, vel de communi; 28 Augusti 1607 et 16 Junii 1683. (17. Quod procedit etiam infra octavam Nativitatis Christi, si votiva habeat præfationem propriam; 28 Augusti 1627 et 16 Junii 1683. (18. *Communicantes* autem et *Hanc igitur* dicantur de octava, si votiva dicatur infra octavam, quæ illa habet propria: et in fine dicitur semper Evangelium S. Joannis, 20 Augusti 1627 et 16 Junii 1683. (19. Infra octavam non celebratur votiva de eo de quo est octava, sed dicitur missa festi conveniens officio cum *Gloria* sine *Credo*. Quod si sit infra octavam beatæ Mariæ Virginis, et fiat officium de aliquo sancto, pro votiva de B. M. Virgine, debet dici missa de octava, sed more votivo sine *Gloria* et sine *Credo*, nisi fuerit sabbatum, quia tunc dicendum erit *Gloria* sine *Credo;* 2 Decembris 1684. (20. Qui in sabbato recitat officium B. M. Virginis, si celebret votivam de aliquo sancto, non debet dicere *Gloria*, neque præfationem B. M. Virgin. 2 Decembris 1684. (21. Ob missam votivam non est omittenda missa conventualis, neque potest introduci consuetudo in contrarium; 16 Jan. 1627. (22. Imo abrogatur consuetudo non canendi missam die ultra votivam: 28 Augusti 1628. Et licet in illis ecclesiis, in quibus adest inveterata consuetudo cantandi missam votivam de B. M. Virgine singulis diebus sabbati, possit hic pius usus, seu populorum devotio continuari etiam in sabbatis festo duplici impeditis, non est tamen omittenda missa conventualis; 2 Decembris 1684. (24. Tenentur enim canonici omnino ad canendam missam de die, ut lucrentur distributiones: 28 Januarii 1612, et ex sacra congregatione Concilii *in Tusculan.* 10 Novembris 1652, et *in Civitatis Castellanæ* 4 Martii 1690.

(25. Missa votiva solemnis de B. M. V. potest cantari in die Dominico ratione concursus populi; sac. Rit. congreg. *in Aretina*

Digitized by Google

20 Novemb. 1662; dummodo tamen non sit Dominica privilegiata, vel ipsa non incidat in festo 1 et 2 classis, vel in octavis privilegiatis. Vide *Resolutiones sac. cong.*

(26. Missa votiva solemnis de B. M. V. cum *Gloria* et *Credo* potest cantari in die Dominico ratione voti, seu alia causa: sacra Rit. congregat. *in Aretina* 16 Junii 1663. Id tamen locum non habet in Dominicis, et octavis privilegiatis, et in duplicibus primæ et secundæ classis; ut in numero antecedenti.

(27. In ecclesiis uni quotidie non cantatur missa, si occurrat festum patroni seu titularis diebus quibus non potest de eo fieri officium, potest nihilominus (diebus non exceptis a *Rubrica Missalis*, tit. 6, *De translatione*) cantari missa de patrono seu titulari, licet non cantetur altera missa non concordans cum officio; sacra Rit. congr. *in una ordinis Eremitar. S. Augustini*, 23 Aug. 1704.

(28. In ecclesiis ubi titulus est ecclesiæ, vel concursus populi ad celebrandum festum quod transferri debet diebus in quibus, juxta *Rubricas missalis*, t. VI, *De translatione festor.*, possunt cantari duæ missæ, una de die, alia de festo, si non est obligatio cantandi missam quotidie, cantari potest missa solemnis votiva de festo occurrente tantum; sac. Rit. congreg. *in Borgonen.* 17 Aug. 1709, apud Pitton., tom. II *Constitut. et decis. pro sacris ritibus*, num. margin. 1675, et observa num. hic immediate antecedentem sub. 27 Aug. 1704 *in una ordinis Eremitarum S. Augustini.*

(29. Missæ votivæ, quas ex obligatione capituli tenetur per hebdomadam celebrare [illegible] præscriptis, in quibus multotiens occurrit festum de præcepto, debent transferri in aliam diem non impeditam de præcepto; sac. Rit. cong. *in Tarentina* 9 Decembris 1634.

(30. Missa solemnis in Dominica intra octavam alicujus sancti, non debet celebrari de eodem sancto, licet de consensu ordinarii fiat processio ad ejus Ecclesiam; sacr. Rit. congr. *in Aretina* 24 Julii 1660.

(31. Missa solemnis de S. Josepho, quando ejus festum incidit in feria 2, 3 et 4 majoris hebdomadæ, non potest cantari, etiam ob concursum populi, sed debet [illegible], nec potest illis diebus fieri processio [illegible] honorem; sac. Rit. congr. 4 *Augusti* [illegible], *in una Urbis.*

(32. Receptio ad habitum et professionem religiosam, sub re gravi numerari non potest, ut ex consuetudine cantari possit missa votiva solemnis etiam de Spiritu sancto, in Dominicis vel duplicibus, et hic abusus est omnino tollendus; sac. Rit. congr. *in Ruremonden.* 24 Julii 1683.

(33. Non potest missa votiva de Spiritu sancto, vel alia celebrari etiam ab episcopo pro eligenda abbatissa in festo duplici, vel Dominica; sac. Rit. congr. 28 April. 1708.

(34. Missæ solemnes, et pro re gravi, et causa publica non solum nequeunt cani in supradictis Dominicis, et duplicibus primæ et secundæ classis, feria 4 Cinerum, 2, 3 et 4 majoris hebdomadæ, juxta instructionem pro expositione sacramenti ratione orationis 40 Horarum editam a Clemente XI, die 20 Januarii 1705, et a nobis allatam sub verb. EUCHARISTIA, in fine: sed neque in omnibus diebus octavarum Paschæ et Pentecostes, in vigilia Nativitatis Domini et Pentecostes, et in die octava Epiphaniæ, ut colligitur ex eadem instructione confirmata et adducta sub § 10 a Clemente XII, die prima Septembr. 1730, et allata a Merati, tom. I, part. II, tit. 14, in qua præscribitur quidem missa de sanctissimo sacramento votiva pro re gravi, sed excipiuntur expresse supradicti dies, qui non erant excepti in instructione prædicta Clementis XII, in quibus mandat cantari missam de officio currenti cum commemoratione SS. sacramenti sub unica tantum conclusione. Unde si in dictis diebus non potest cantari votiva pro re gravi de sanctissimo sacramento, quod est majus, neque poterit cani alia votiva, quod est minus; arg. auth. *Multo magis*, cod. *De sacr. Eccles*

(35. Potest tamen in supradictis diebus cani missa solemnis in propria ecclesia de sancto patrono seu titulari, licet transferendo; quia allata Clementina instructio respicit solum missam solemnem simpliciter votivam: missa autem de patrono seu titulari, in casu proposito, non est simpliciter votiva, sed semifestiva, ut notant Quarti, Gavantus, Arnaud et alii apud Merati, t. I, part. I, tit. 4, § 7, et habet aliquid juris, et acquisiti, et acquirendi in propria sua die. Tum quia *Rubrica Missalis*, tit. 6, *De translatione festorum*, expresse sic habet: «In ecclesiis autem ubi titulus est ecclesiæ, vel concursus populi ad celebrandum festum, quod transferri debet, possunt cantari duæ missæ, una de die, alia de festo; excepta Dominica prima Adventus, feria quarta Cinerum, Dominica prima Quadragesimæ, Dominica Palmarum cum tota hebdomada majori, Dominica Resurrectionis, et Dominica Pentecostes cum duobus diebus sequentibus, die Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Ascensionis, et festo Corporis Christi.» Ubi, ut vides, non excipiuntur supradicti et similes dies: exceptio autem firmat regulam in non exceptis l. *In his quæ* 15, ff. *De legibus;* l. *Quæsitum* 12, § 43, ff. *De instructo, vel instrumento legato;* cap. *Dominus* 16, caus. 32, qu. 7; cap. *Quoniam* 2, De conjugio leprosor., cum similibus: adeoque, vigore dictæ rubricæ, cantari poterit in dictis diebus non exceptis missa de titulari in propria Ecclesia; et ad id faciunt supra allata decreta sacr. congr. Rit. sub num. 27 *in una ordinis Eremitarum Sancti Augustini*, et sub num. 28 *in Bergonen.* Tunc autem erunt cantandæ duæ missæ in ecclesiis quibus incumbit onus eas cantandi; sac. Rit. congreg. 28 Aug. 1628, 4 Maii 1686, et 5 Jul. 1698. De his omnibus vide *Resolutiones*, et *Decreta S. R. Congregat.* quæ in hac editione apposita sunt in tomo IX.

(36. Missæ votivæ de sanctissimo sacra-

Digitized by Google

mento, de B. M. V. cum cantu, fundatæ seu relictæ, et ordinatæ a benefactoribus, cantari non possunt in duplicibus, aliisque diebus duplicia excludentibus sed cantari debent missæ de festo occurrente cum applicatione sacrificii, sicque satisfieri, et benefactorum mentem impleri resolvit, non obstante quacunque consuetudine in contrarium, quam abusum esse declaravit sac. Rit. congr. *in Ruremunden.* 24 Julii 1683; apud Henricum Pisarr. in *Exposit. Rubricar. Missal. Roman.*, part. I, tit. 4, *De missis votivis*, sub n. 8, et Merati, *loc. cit.*, n. 463.

(37. An missæ votivæ dici possint de beatis nondum canonizatis, variant doctores; affirmativam sententiam tenent Castropalao, tract. 3, *De fide*, disp. 1, punct. 5, § 5, n. 7; Quintanadvenas, in *Theolog. moral.*, tract. 7, singul. 5; Megalius, in *Promptuario*, verb. *Canonizatio;* Tamburin., opuscul. *De sacrific.*, lib. II, cap. 6, § 8; Pasqualig., tom. I, *De missa sacrific.*, quæst. 277, n. 3 et sequent., et alii ab ipsis citati volentes posse dici missas votivas de dictis beatis a quibuscunque sacerdotibus in quibuscunque ecclesiis, et quibuscunque diebus, in quibus sint permissæ missæ votivæ, quia eo ipso, quod Sedes Apostolica concessit posse recitari missam de aliquo beato, quilibet recitans missam quacunque die, et in quacunque ecclesia in honorem dicti beati, id facit auctoritate Sedis Apostolicæ, quæ abstulit impedimentum relatum in cap. 1, De reliquiis, et veneratione sanctorum, ubi cavetur neminem esse venerandum sine auctoritate Apostolicæ Sedis.

(38. Negativam autem defendunt Quarti, in *Rubr. Missal.*, part. I, tit. 4, dub. 6; Bissus, litt. *M*, n. 231, § 26; Guyetus, l. IV, c. 21, qu. 2; Merati, t. I, tit. 5, § 2, n. 16, et alii dicentes non posse in honorem beati nondum canonizati dici missam extra diem assignatam, vel ab aliis personis, vel in aliis ecclesiis non expressis in diplomate beatificationis; asseruntque hanc sententiam communiorem esse et veram. Imo Quarti, *loc. cit.*, et alii volunt esse communem. Et ratio est quia ex cit. cap. 1, *De reliquiis et veneratione sanctor.*, nemini licet aliquem venerari cultu publico absque licentia Sedis Apostolicæ; in nostro autem casu non est concessa licentia, nisi determinatis personis, et pro diebus, et locis etiam determinatis, adeoque non licet prædictos limites excedere; alias, si liceret, frustra et inutiliter apponeretur prædicta determinatio et limitatio personarum, dierum et locorum, quod non est dicendum; tum quia vis privilegii seu concessionis non pendet solum a causa, sed præcipue pendet a libera voluntate concedentis, qui non intendit concedere, nisi id quod exprimit, adeoque in casu nostro non potest dici missa, neque ab aliis personis, neque in aliis diebus in bulla non expressis, quia non licet excedere, præsertim in missa, limites verbales indultorum Sedis Apostolicæ, ex decreto sacr. Rit. congreg. 5 Octobr. 1653, relat. inter. *Resolutiones sac. congr.* (39. Quæ sententia, ut conformior decretis et menti Sedis Apostolicæ, est tenenda. Et ad summum posset sequi prima sententia quoad hanc partem, nempe posse dici missas votivas de beatis non canonizatis ab illis personis quibus a Sede Apostolica est concessa de dictis beatis missarum celebratio, quia tales personæ, maxime in locis concessis, non viderentur exhibere illis cultum diversum ab eo quem concessit Sedes Apostolica; sicque non viderentur contravenire decretis et menti dictæ Apostolicæ Sedis, nisi forte talis concessio esset expresse restricta ad solam eorum diem festivam.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(40. Quæri hic potest an missæ assignatæ certis diebus aut festivitatibus possint in aliis diebus tanquam votivæ celebrari? Missas de communi celebrari posse per annum in honorem eorum sanctorum, de quibus licet missas celebrare, non est quod controverti queat, idque quia cum sint eæ applicabiles pluribus sanctis, ita etiam pro quolibet tempore applicari possunt.

(42. Quinimo id ipsum locum habet quoad sanctos quorum missa in Missali est propria quoad aliquas preces, propterea quod ita ea est ordinata ad celebritatem illius sancti, ut convenire etiam possit cuicunque commemorationi ipsius, qualis est quæ sit in missa votiva. *Vide* Alcozer., tract. 1, *Cæremon.*, gloss. 14; Castal., lib. II *Cærem.*, sect. 9, cap. 4, n. 1.

(43. Difficultas itaque est de missis dierum mobilium, festorum B. M. Virginis, et similibus. Hasce autem missas tanquam votivas celebrari haud posse, communiter præter mox allegatos tenent Gavant. in *Rubr. Missal.*, part. IV, tit. 17, n. 8; Quart., in *Rubric. Missal.*, part. I, tract. 3, dub. 5; Avers., quæst. 11, *De eucharistia*, sect. 12; Pasqualig., *De sacrificio missæ*, t. I, quæst. 248, n. 2.

(44. Quo fit ut pro missis hebdomadæ majoris erit celebranda missa de passione, pro missa Pentecostes votiva de Spiritu sancto, eo quia hæ missæ institutæ principaliter sunt pro illa celebratione, adeoque non congruunt extra occasionem ipsius; Pasqualig., *De sacrif. missæ*, tom. I, quæst. 248, dist. n. 2.

(45. Ex hac autem communi opinione plura sequuntur: (46. 1° quod non possit celebrari missa votiva Assumptionis B. M. Virginis, aut alterius festivitis, sed celebranda sit votiva posita in Missali juxta congruentiam temporis ibi assignatam. (47. 2° quod si celebranda sit missa votiva Nativitatis Domini, celebrari ea debeat, quæ celebratur infra octavam, et omittenda sint ea quæ non congruunt tempori in quo recitatur, ut esset *Alleluia*, et addendus esset tractus, qui esset proportionatus. (48. 3° quod si petatur celebratio missæ votivæ S. Petri, aut S. Pauli, erit celebranda missa votiva apostolorum. (49. 4° quod ubi petitur missa votiva, quæ non debet celebrari; et in Missali non adest votivæ correspon-

Digitized by Google

dens, celebranda erit quæ currit illo die; Pasqualigo, *loco citato*, n. 5, et plur. seqq.

ARTICULUS XIV.

De observanais pro missis de Requiem, *et de missis quas vocant* D. Gregorii.

SUMMARIUM.

1. Missæ privatæ de Requiem non possunt celebrari omnibus illis diebus quibus non possunt celebrari missæ votivæ. — 2. Missæ privatæ de Requiem non possunt dici in festo duplici, etiamsi esset tale duplex festum translatum. — 3. Et neque privatæ missæ de Requiem possunt celebrari etiam præsente et insepulto corpore, in quocunque duplici, vel quacunque die qua prohibetur fieri officium duplex.—4. Missa solemnis de Requiem, præsente corpore, potest cantari in omnibus Dominicis et festis de præcepto; præter quam in solemnitatibus primæ classis : et triduo majoris hebdomadæ, ac die S. Paschæ prohibentur etiam exsequiæ, et quodcunque signum defunct. sed officium et preces recitantur privatim.—5. Anniversaria de Requiem, aut de tertia, septima, et trigesima die non possunt in festo de præcepto cani, ne quidem solemniter; bene tamen pro implenda voluntate testatorum in festo duplici, quod non est de præcepto. — 6. Imo, anniversaria et missæ de Requiem, quæ ex dispositione testatorum cum cantu sunt quotannis celebrandæ, possunt cantari, etiamsi ipsorum obitus dies inciderit in festum duplex majus; non tamen in festo duplici secundæ classis. — 7. Cum primum habita fuerit notitia de obitu alicujus personæ, cantari poterit missa de Requiem, etiam in festo duplici, quod non sit de præcepto, nam in hoc casu prædicta missa erit differenda. — 8. Missæ in festo duplici celebratæ in altari pro animabus perpetuo privilegiato, et in quo proinde quotidie etiam in duplicibus celebrandæ essent missæ de Requiem ex obligatione, suffragantur, ac si celebratæ fuissent pro defunctis etiam juxta formam privilegiorum. — 9. Decretum extenditur etiam ad altaria, non in perpetuum, sed ad septennium, seu aliud brevius vel longius tempus, ac non omnibus, sed aliquo vel aliquibus tantum hebdomadæ diebus privilegiata, ac proinde missæ de festo duplici, quæ sive ex obligatione, sive ex sola fidelium devotione celebrantur, suffragantur, ac si celebratæ fuissent pro defunctis. —10. Insuper missæ celebratæ de festo currente in altaribus privilegiatis in diebus, quibus non licet missas de Requiem celebrare, habent eamdem vim et indulgentias, perinde ac si essent celebratæ missæ defunctorum. — 11. Adducitur ad id constitutio Alexandri VII. — 12. Adducitur ad id constitutio Clementis IX. — 13. Adducitur ad id constitutio Innocentii XI. — 14. Adducitur ad id novissima resolutio sacr. congregat. Rit. Urbis et Orbis, specialiter approbata a Clemente XI. — 15. Dies tertia, septima et trigesima numerantur a die datæ sepulturæ. — 16. Ante sepulturam die tertia, septima, et trigesima celebratur missa de die obitus, sive depositionis. — 17. Si dies tertia, septima, trigesima, aut anniversaria incidat in diem prohibitam, potest transferri in diem sequentem. — 18. Imo, si dies prohibita non sit ex magis privilegiatis, et festum de præcepto, ad implendam testatorum voluntatem potest cani missa solemnis de Requiem die tertia, septima, et trigesima, etiamsi sit festum duplex, non de præcepto. — 19. Et pro anniversariis quotannis adimplendis potest etiam cani in duplici majore. — 20. Missæ in die commemorationis omnium fidelium defunctorum possunt applicari ad libitum, scilicet tam in genere pro omnibus, quam in specie pro aliquibus defunctis. — 21. Durante expositione ss. sacramenti non potest celebrari missa de Requiem, neque cantari pro adimplenda mente testatoris, sive anniversario satisfaciendo, licet currat officium hujusmodi missas admittens. — 22. An, quomodo, et quando liceat ministrare eucharistiam in paramentis nigris, et in missis defunctorum, ad n. 23-24. Triginta missæ S. Gregorii unde ortum habuerint, et ob quam causam in devotionem et praxim fidelium devenerint. — 25. Istæ triginta missæ non sunt prohibitæ, sed solum quædam aliæ pro vivis, et defunctis falso divo Gregorio imputatæ, et a sacra congregatione non approbatæ. — 26. Hæ triginta missæ non est necesse, quod omnes celebrentur ab uno et eodem solo sacerdote. — 27. Nec necesse est quod omnes illæ triginta missæ sint de Requiem. — 28. Requiritur autem quantum fieri potest, ut istæ triginta missæ sint continuæ et non interpolatæ. — 29. Et dato, quod sacerdos ad illas celebrandas obligatus, ex decentia et honestate pro aliqua die vellet missam omittere, sic permittente Ecclesia, tunc posset illas continuare per celebrationem alterius sacerdotis. — 30. Non interpolantur tamen per omissionem celebrationis illis diebus quibus per Ecclesiam vetitum est celebrare. — 31. Cavendum autem est ne hæc continuatio missarum per triginta dies fiat aliquo modo superstitioso, ponendo vim in tali præciso numero, aut in hac vel illa conditione.—32. In missis defunctorum nequeunt pulsari organa, et alia instrumenta musica. — 33. Pax quare non detur in missis defunctorum — 34. Adduntur varia decreta usque ad num. 69, — 70. Alia ad rem, ad n. 91.

(1. Missæ privatæ de Requiem non possunt celebrari omnibus illis diebus quibus non possunt celebrari missæ votivæ, cum supra adducta decreta pro missis votivis militent etiam pro missis de Requiem non celebrandis in illis diebus exceptis. (2. Missæ privatæ de Requiem non possunt dici in festo duplici, etiamsi esset tale duplex festum translatum; sacr. Rituum congregat. 5 Augusti 1662. (3. Et neque privatæ missæ de Requiem possunt celebrari etiam præsente et insepulto corpore in quocunque duplici, vel quacunque die, qua prohibetur fieri officium duplex; sacra Rituum congreg. 10 Junii 1693 : et expresse prohibuit sub gravibus pœnis Alexander VII, 5 August. 1662, cujus decretum confirmavit et innovavit Clemens XI, 10 Aug. 1706. (4. Missa autem solemnis præsente corpore potest cantari in omnibus Dominicis et festis de præcepto, præterquam in duplicibus primæ classis : sacra Rit. congreg. 5 Junii 1698; 23 Augusti 1704, 29 Septembris 1714, 10 decembris 1718, et 11 Augusti 1736. Et triduo majoris hebdomadæ, ac die S. Pasch. prohibentur, etiam exsequiæ et quodcunque signum defunct. sed officium et preces recitantur privatim ex cit. decretis. *Vide* tamen infra in *Supplementis*, ubi varia alia adducuntur ad rem observanda.

(5. Anniversaria de Requiem, aut de tertia, septima, et trigesima die non possunt in festo de præcepto cani, nequidem solemniter; bene tamen pro implenda voluntate testatorum in festo duplici, quod non est de præcepto; sac. Rituum congr. 7 Sept. 1607 et 20 Junii 1626. (6. Imo anniversaria et missæ de Requiem, quæ, ex dispositione testatorum, cum cantu sunt quotannis celebranda, possunt cantari, etiamsi ipsorum obitus dies inciderit in festum duplex majus:

Digitized by Google

sacr. Rit. congr. 22 Novembris 1664, et Alexander VII, 22 Jan. 1667, decret. incipient. *Creditæ*. Non tamen in festo duplici secundæ classis; sac. Rit. congreg. *in Collen.* 5 Julii 1699. (7. Cum primum habita fuerit notitia de obitu alicujus personæ, cantari poterit missa de Requiem, etiam in festo duplici, quod non sit de præcepto, nam in hoc casu prædicta missa erit differenda; 4 Maii 1686.

(8. Missæ in festo duplici celebratæ in altari pro animabus perpetuo privilegiato, et in quo proinde quotidie etiam in duplicibus celebrandæ essent missæ de Requiem ex obligatione, suffragantur ac si celebratæ fuissent pro defunctis, etiam juxta formam privilegiorum; 22 Januar. 1667.

(9. Decretum extenditur etiam ad altaria, non in perpetuum, sed ad septennium, seu aliud brevius vel longius tempus, ac non omnibus, sed aliquo, vel aliquibus tantum hebdomadæ diebus privilegiata; ac proinde missæ de festo duplici, quæ sive ex obligatione, sive ex sola fidelium devotione celebrantur, suffragantur ac si celebratæ fuissent pro defunctis; 23 Septembris 1669. (10. Insuper missæ celebratæ de festo currente in altaribus privilegiatis in diebus quibus non licet missas de Requiem celebrare, habent eamdem vim, et indulgentias, perinde ac si fuissent celebratæ missæ defunctorum, ut expresse statuerunt tres Summi Pontifices, scilicet Alexander VII, die 22 Januarii 1667, in sua constitutione incip. *Creditæ;* Clemens IX, die 22 Septembris 1669, in sua constit. incipient. *Cum felicis*, et Innocentius XI, die 4 Maii 1688, in sua constit. incip. *Alias*, quæ omnes, ut præ oculis a cunctis habeantur, ad tollendas omnes dubietates per extensum hic adducuntur.

« ALEXANDER PAPA VII.

(11. « Creditæ Nobis cœlitus dispensationis officium salubriter exsequi, adjuvante Domino, jugiter satagentes, et quam plurima dubia in diversis mundi partibus orta, et in congr. venerab. Fratrum nostrorum Sanctæ Rom. Eccles. cardin. sacris Ritibus præpositorum deducta, occasione decreti ejusdem congregationis die 5 Augusti 1662, editi, ac a Nobis probati, de non celebrandis missis de Requiem in duplicibus, tollere atque dirimere cupientes, de memoratorum cardin. consilio, auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus in primis aliud decretum prædictæ congregat. editum *in una Novarien.*, die 22 Novembris 1664, quo declaratum fuit, anniversaria, et missas cantatas de Requiem relictas ex dispositione testatorum, quotannis in die ipsorum obitus, etiam in duplici majori contingentis, non comprehendi in dicto decreto.

« Ulterius quoad altaria perpetuo privilegiata, et in quibus proinde quotidie etiam in duplicibus celebrandæ sint missæ de Requiem ex obligatione, auctoritate et tenore prædictis declaramus, per celebrationem missarum de festo currenti satisfieri

dictis obligationibus, et suffragari cum eisdem indulgentiis perinde ac si essent celebratæ missæ de Requiem ad formam privilegiorum; salva tamen semper in præmissis auctoritate congreg. Decernentes easdem præsentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere. (12. Non obstantibus, etc.

« Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die 22 Januarii 1667, pontificatus nostri anno duodecimo. »

Declarationem Alexandri extendit Clem. IX ad alteria temporaneo privilegio decorata, quoad missas in eis etiam ex fidelium devotione celebrandas, ut sequitur :

« Cum fel. record. Alexand. Papa VII prædecessor noster dubiâ in diversis mundi partibus occasione decreti congreg. tunc existentium S. R. E. card. sacris ritibus præpositorum, die 5 Augusti 1662 emanati, et ab ipso Alexandro prædecessore approbati, de non celebrandis missis defunctorum in festis ritus duplicis, exorta, dirimere cupiens, aliud ejusdem congreg. decretum *in una Novariensi*, die 22 Novembr. 1664, editum approbaverit, quo declaratum fuerat anniversaria et missas defunctorum cum cantu ex disposit. testatorum quotannis, recurrente ipsorum obitus die celebrandas; tametsi dies obitus hujusmodi in festo ritus duplicis majoris incideret, non comprehendi in primo dicto decreto; ac ulterius quoad altaria privilegio Apostolico pro animabus fidelium defunctorum in perpetuum decorata, et in quibus proinde quotidie, etiam in festis ritus duplicis, celebrandæ essent missæ defunctorum ex obligatione, declaravit, per celebrationem missarum de festo currenti satisfieri injunctis obligationibus, et indulgentias per ejusmodi privilegia Apostolica concessas animabus fidelium defunctorum in purgatorio existentibus suffragari, perinde ac si celebratæ fuissent missæ defunctorum ad formam dictorum privilegiorum, et alias pro ut in ejusdem Alexandri prædecessoris litteris desuper in simili forma brevis die 22 Januarii 1667 expeditis, quarum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis et insertis haberi volumus, uberius continetur. Cumque (sicut ad aures nostras pervenit) etiam dubitetur utrum dictarum litterarum dispositio, quoad altaria pariter quidem privilegiata, sed non in perpetuum, nec pro omnibus hebdomadæ diebus, et ad quæ missæ non ex obligatione sed ex sola fidelium devotione celebrantur, locum habeat; hinc est, quod Nos dubitationes hujusmodi ex injunctæ Nobis cœlitus pastoralis sollicitudinis munere dirimere pariter atque decidere cupientes, de venerabilium fratrum nostrorum ejusdem sanctæ Romanæ Eccl. cardinalium sacris Ritibus præpositorum, qui rem mature perpenderunt, consilio, declarationem a memorato Alexandro prædecessore, sicut præmittitur, editam, ad altaria, ut præfertur, non in perpetuum, sed ad septennium, seu aliud brevius vel lon-

Digitized by Google

gius tempus, ac non omnibus, sed aliquo, vel aliquibus tantum hebdomadæ diebus, nunc; et in futurum, quandocunque privilegiata, auctoritate Apostolica tenore præsentium extendimus. Et proinde, ut missæ, quæ ibidem de festo currenti, in quo missæ defunctorum celebrari non possint, sive ex obligatione, sive ex sola fidelium devotione celebrabuntur, ita ut animæ Christifidelium, pro quibus celebratæ fuerint, indulgentias per privilegia hujusmodi concessas, consequantur in omnibus, et per omnia, perinde ac si missæ defunctorum ad formam eorumdem privilegiorum celebratæ fuissent, auctoritate, et tenore prædictis concedimus et indulgemus. Decernentes easdem præsentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere. Non obstantibus, etc.

« Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die 23 Septemb. 1669, pontificatus nostri anno tertio. »

(13. Deinde Innocentius XI confirmavit decretum S. congr. Rituum editum super intelligentia declarationum Alexandri, et Clement., quo ad alios quoque dies in quibus, juxta rubricas, missæ defunctorum celebrari non possunt, ut infra:

« Alias postquam fel. record. Alexander Papa VII prædecessor noster per quasdam suas in simili forma brevis die 22 Januarii 1667 expeditas litteras, dubia in diversis mundi partibus, occasione decreti congregat. tunc existentium sanctæ Romanæ Eccl. cardinal. sacris Ritibus præpositorum, die 5 Augusti 1662 emanati, et ab ipso Alexandro prædecessore approbati, de non celebrandis missis defunctorum in festis ritus duplicis, exorta, dirimere cupiens, inter cætera, quoad altaria privilegio Apostolico pro animabus fidelium defunctorum in perpetuum decorata, et in quibus proinde quotidie, etiam in festis ritus duplicis, celebrandæ fuissent missæ defunctorum ex obligatione, declaraverat, per celebrationem missarum de festo currenti satisfieri injunctis obligationibus, et indulgentias per ejusmodi privilegia Apostolica concessas, animabus fidelium defunctorum in purgatorio existentibus suffragari, perinde ac si celebratæ fuissent missæ defunctorum ad formam dictorum privilegiorum; rec. mem. Clem. Papa IX pariter prædecessor noster, aliam subinde ortam dubitationem, utrum scilicet dictarum Alexandri prædecessoris litterarum dispositio, quoad altaria pariter quidem privilegiata, sed non in perpetuum, nec pro omnibus hebdomadæ diebus, et ad quæ missæ non ex obligatione, sed ex sola fidelium devotione celebrarentur, locum haberet, similiter tollere desiderans, declarationem a memorato Alexand. prædecessore, sicut præmittitur, editam, ad altaria, ut præfertur, non in perpetuum, sed ad septennium, seu aliud brevius vel longius tempus, ac non in omnibus, sed aliquo, vel aliquibus tantum hebdomadæ diebus, tunc, et in futurum quandocunque privilegiata, auctoritate Apostolica extendit, et proinde ut missæ, quæ ibidem de festo currenti, in quo missæ defunctorum celebrari non possent, sive ex obligatione, sive ex sola fidelium devotione celebrandæ essent, suffragentur, ita ut animæ Christifidelium, pro quibus celebrarentur, indulgentias per privilegia hujusmodi concessas, consequerentur, in omnibus, et per omnia, perinde ac si missæ defunctorum ad formam eorumdem privilegiorum celebratæ fuissent, eadem auctoritate concessit et indulsit, et alias, prout in ipsius Clement. prædecessoris litteris, etiam in forma brevis die 23 Septembris 1669 desuper expeditis, quarum, et præfatarum Alexand. prædecessoris litterarum tenores præsentibus pro plene et sufficienter expressis, et insertis haberi volumus, uberius continetur. Cum autem postmodum, sicut accepimus, novum circa præmissa excitatum fuerit dubium, videlicet, an supradictæ Alexandri et Clementis prædecessorum declarationes, sibi pariter locum vindicarent etiam in diebus Dominicis, infra octavas Paschatis Resurrectionis, Pentecostes, et Corporis Christi, aliisque diebus, licet a festo duplici non impediantur, adhuc tamen missæ defunctorum juxta ritum et morem Ecclesiæ celebrari nequeunt, quatenus nimirum missæ, quas iisdem diebus celebrare licet, servata cæteroquin dictorum privilegiorum forma, ad præfata altaria privilegiata celebrarentur; Nosque dubium hujusmodi congr. ven. fratrum nostrorum, S. R. E. cardin. sacris Ritibus præpositorum, examinandum commiserimus, ac eadem Card. congr. re matura discussa, nuper suum decretum die 3 Aprilis proximi præteriti, præfatas Alexandri, et Clem. prædecess. declarationes intelligendas esse pro omnibus diebus, quibus, juxta rubricas, missæ defunctorum celebrari non possunt, responderit. Hinc est, quod Nos commissæ Nobis cœlitus dispensationis munere fidelium defunctorum animarum in purgatorio existentium suffragiis peramplius consulere cupientes, decretum hujusmodi a memorata cardinalium congregatione editum, ut præfertur, Apostolica auctoritate, tenore præsentium confirmamus et approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; salva tamen semper in præmissis auctoritate supradictæ congregationis cardinalium. Decernentes easdem præsentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri ac obtinere.

« Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die 4 Maii, anno millesimo sexcentesimo octuagesimo octavo, pontificatus nostri duodecimo.

« J. F. Albanus. »

(14. Circa quæ adest resolutio congregationis Rituum urbis et orbis 15 Septemb. 1714, specialiter approbata a Clemente XI, die 29 dicti mensis sequentis tenoris:

Urbis et orbis.

« Cum occasione Missalis, typis sacris

Digitized by Google

congregationis de Propaganda Fide summa cura ac diligentia novissime impressi, et prope diem publico usui exponendi, sacræ Rituum congregationi enixe fuerit supplicatum, ut nonnulla ejusdem sacræ congreg. decreta jam alias edita, et approbata, in prædicto novo Missali summatim apponi, et imprimi posse benigne concedere dignaretur, videlicet:

« Missæ pro defunctis, sive de Requiem in festis duplicibus, contra præscriptum rubricarum Missalis Romani nullatenus celebrari debent. Quod si ex benefactorum institutione missæ hujusmodi celebrandæ incidunt in festum duplex, tunc, ne dilatio animabus suffragia exspectantibus detrimento sit, in aliam diem non impeditam minime transferantur: sed dicantur de festo currenti, cum applicatione sacrificii, juxta mentem eorumdem benefactorum; die 5 Augusti 1662 approbatum a fel. rec. Alex. VII eadem die.

« Prædictum decretum ab ejusdem fel. rec. Alexandro VII speciali brevi, quod incipit, *Creditæ Nobis*, denuo fuit confirmatum, ac insuper statutum, idem servandum esse quoad missas in altaribus privilegiatis ex obligatione celebrandas, et indulgentias, per ejusmodi privilegia concessas animabus in purgatorio existentibus, suffragari, perinde ac si celebratæ fuissent missæ defunctorum. Ac denique declaratum, anniversaria et missas cantatas de Requiem relicta ex dispositione testatorum, quotannis in die ipsorum obitus, etiam in duplici majori contingentis, in prædicto decreto die 5 Augusti edito minime comprehendi, prout antea *in una Novarien.* 22 Novembris 1664, eadem sacra congregatio declaraverat die 22 Januarii 1668, pontificatus XII.

« Deinde fel. rec. Clemens IX eadem sacræ congregationis decreta, alio brevi, cujus initium: *Cum fel. rec.* iterum confirmavit, prædictamque Alexandri VII dispositionem ad altaria, non in perpetuum sed ad septennium, seu aliud brevius vel longius tempus, ac non in omnibus, sed aliquo vel aliquibus tantum hebdomadæ diebus, nunc et in futurum quandocunque privilegiata extendit die 23 Septemb. 1669, pontificatus III.

« Tandem proposito dubio, an supradictæ Alexandri VII et Clementis IX declarationes sibi locum vindicarent, etiam in diebus Dominicis, et infra octavas Paschatis Resurrectionis, Pentecostes et Corporis Christi, aliisque anni diebus omnibus, licet a festo duplici non impediantur, adhuc tamen missæ defunctorum, juxta ritum Ecclesiæ, celebrari nequeunt, quatenus nimirum missæ, quas iisdem diebus celebrari licet, servata cæteroquin privilegiatorum forma, ad altaria privilegiata celebrarentur. Eadem sacra Rituum congregatio die 2 Aprilis 1668, prædictorum Pontificum declarationes pro omnibus diebus quibus juxta rubricas missæ defunctorum celebrari non possunt, intelligendas esse respondit, ejusque decretum subinde confirmatum fuit a fel. rec. Innocentio Papa XI speciali brevi, quod incipit *Alias postquam*, dato die 4 Maii 1688.

« Decretum a sacra Rituum congregatione anno 1630, editum, quo permittitur posse in ecclesiis recitari officia et missas celebrari de illis sanctis, quorum corpora, vel reliquiæ insignes in eisdem asservantur, intelligendum esse de sanctis duntaxat in Martyrologio Romano descriptis, et dummodo constet de identitate corporis eorumdem, vel insignis reliquiæ. Secus vero de sanctis in eodem Martyrol. non descriptis. Quorum tamen corporibus et reliquiis ab ordinariis locorum approbatis debita a fidelibus veneratio adhibenda est, sed absque officio, et missa sub pœnis de non satisfaciendo præcepto recitandi officium, aliisque in constitutionibus S. Pii V contentis, die 11 Augusti 1691 approbatum a fel. rec. Innocentio XII die 19 Octobris.

« Ad augendam fidelium venerationem erga augustissimum Eucharistiæ sacramentum, ejusque cultum in toto terrarum orbe promovendum, prohibitum est celebrari missas votivas, vel pro defunctis infra octavam Corporis Christi; die 21 Junii 1670, eadem die a fel. record. Clemente X approbatum.

« Item prohibitum est easdem missas celebrari infra octavam Nativitatis Domini; in missis vero solemnibus pro re gravi infra eamdem octavam celebrandis, dicenda est præfatio juxta rubricam generalem, tit. 12, n. 4, die 25 Septembris 1706, jam a sanctissimo approbatam.

« Re vero in sacra Rituum congregatione ad relationem eminentiss. et reverendiss. domini cardinalis Barberini pluries discussa, et mature perpensa, sacra eadem Rituum congregatio supradicta decreta, tum ut celebrantium instructioni et usui sint, tum ut nonnulli abusus, qui in aliquibus locis irrepserunt, penitus evellantur, in Missali post rubricas generales apponi et imprimi posse censuit, si sanctissimo domino nostro visum fuerit; die 14 Septembris 1714.

« Factaque deinde per me prosecretarium de prædictis sanctissimo domino nostro relatione, Sanctitas sua sensum sacræ congregationis approbavit, eademque decreta in Missali apponi, et imprimi mandavit die 29 Septembris ejusdem anni 1714.

« F. cardinalis DE ABDUA, præfectus.

« N. M. TEDESCHI, episcopus Liparitanus, sac. Rit. congreg. prosecretarius. »

(15. Dies tertia, septima et trigesima numeratur a die datæ sepulturæ; sic Quarti, *Commentar. in Rubric. Missalis*, tit. 5, n. 3, vers. *Colligitur primo:* La Croix, lib. IX, part. II, n. 514; Gavant., in *Rubric.*, part. IV, tit. 18, n. 9, quamvis ipse etiam teneat posse dictos dies numerari a die obitus, sumendo pro eodem obitus et depositionis diem. (16. Ante sepulturam, die tertia, septima, et trigesima celebratur missa de die obitus, sive depositionis; idem, *ibidem*. (17. Si dies tertia, septima et trigesima, aut anniversaria incidat in diem prohibitum, potest

Digitized by Google

transferri in diem sequentem; 27 Septembris 1707. (18. Imo si dies prohibita non sit ex magis privilegiatis, et festum de præcepto, ad implendam testatorum voluntatem, potest cani missa solemnis de Requiem die tertia, septima, et trigesima, etiamsi sit festum duplex non de præcepto : ex superius citat. decret. 23 Maii 1603, 1 Septemb. 1607 et 20 Junii 1626. (19. Et pro anniversariis quotannis adimplendis potest etiam cani in duplici majore : ex cit. decret. 22 Novembr. 1664, et Alexandri VII 22 Januarii 1667. (20. Missæ in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum possunt applicari ad libitum, scilicet tam in genere pro omnibus, quam in specie pro aliquibus defunctis; 4 Aug. 1663. Et iterum sic decrevit ead. sacr. cong. *in una Ord. Capuccinorum* 9 Decemb. 1709, apud Joan. Bapt. Pitt., in *Brevi*, tract. *De commemoratione omnium fidelium defunctorum*, n. 37. Et sic videtur voluisse etiam Innocent. XI, 30 Septembr. 1679, dum concessit in ditionibus regi catholico subjectis omnibus sacerdotibus, tam sæcularibus quam regularibus cujuscunque ordinis, eodem die Commemorationis omnium fidelium defunctorum in quocunque altari celebrantibus « liberationem animæ pro qua sacrificium offerent; » quibus verbis supponit aperte Pontifex, posse illa die applicari missam pro particulari defuncto, ad libitum celebrantis, et sic expresse novissime eadem sacr. congreg. Rit. 14 Decembr. 1709. (21. Durante expositione Ss. sacramenti, non potest celebrari missa de Requiem, neque cantari pro adimplenda mente testatoris, sive anniversario satisfaciendo, licet currat officium hujusmodi missas admittens; 2 Decemb. 1684. (22. Nullo modo licere in missis defunctorum præbere Eucharistiam fidelibus illam deposcentibus, decrevit sacra Rituum congreg. 16 Aprilis 1701. (23. Neque administrare in paramentis nigris; 2 Augusti 1701, id est nec tempore celebrationis, nec post, ex declaratione ejusdem sac. congr. Rituum 20 Martii 1711, et confirmata 2 Augusti 1724. Novissime autem, ad tollendas omnes insurgentes difficultates, eadem sac. Rituum congreg. *in una Aquensi Provinciæ Franciæ*, sub die 2 Septembris 1741, declaravit sic : « In paramentis nigris non ministratur Eucharistia per modum sacramenti, extrahendo pyxidem a custodia; potest tamen ministrari per modum sacrificii, prout est quando fidelibus præbetur communio cum particulis infra eamdem missam consecratis. »

(24. Circa missas triginta *S. Gregorii* sciendum est, quod istæ ortum habuerunt, ex quo divus Gregorius in *Dialog.* IV, cap. 55, præscripserit abbati Pretioso, ut offerri curaret triginta missas triginta diebus continuis pro monacho Justo, his verbis: « Vade, ab hodierna die diebus triginta continuis offerre pro eo sacrificium, stude ut nullus omnino prætermittatur dies, quo pro absolutione illius hostia salutaris non offeratur. » Ritus celebrandi has triginta missas pro defunctis cœpit esse in maxima veneratione in Ecclesia Dei, et fideles solent similes missas pro suis defunctis curare, tum ob institutionem tam sancti Pontificis, tum ob varias revelationes, quod illæ maxime profuerint animabus, pro quibus oblatæ fuerunt. (25. Nec istæ missæ sunt prohibitæ, ut falso putarunt aliqui, ex decreto edito a sac. Rit. congregat. die 8 Aprilis 1628; quia in illo decreto prohibuit solum quasdam alias pro vivis, et defunctis falso divo Gregorio imputatas, et ab ipsa sacr. cong. non approbatas. Istæ vero triginta missæ a divo Gregorio, uti supra, sic institutæ et ordinatæ, non sunt prohibitæ, ut expresse decrevit eadem sacra Rituum congregatio die 28 Octobris 1628, apud Barbos. *De officio parochi*, p. I, c. 11, n. 30. (26. Hæ autem triginta missæ non est necesse, quod omnes celebrentur ab uno et eodem solo sacerdote, quia divus Gregorius in citatis verbis non dicit « offer per temetipsum, sed « offerre stude, » quod æque fieri potest, vel per se ipsum, vel per alium. (27. Nec necesse est quod omnes illæ triginta missæ sint de Requiem; aliter non possent esse continuæ, cum intra illas triginta dies continuas medient Dominicæ, et regulariter etiam alii dies officii duplicis, in quibus nequeunt celebrari missæ de Requiem ex supra citatis decretis, eo vel maxime quod divus Gregorius dixit solum abbati Pretioso : « Vade, offerre pro eo sacrificium stude; » quod æque fieri potest sive in missa de Requiem, sive in missa de officio currente, cum solum exigatur applicatio sacrificii, quod illi animæ æque prodest, sive fiat in missa de Requiem, sive in missa de officio currente ex supra adductis declarationibus Alexandri VII, Clementis IX et Innocentii XI. (28. Requiritur autem quantum fieri potest, ut istæ triginta missæ, sint continuæ, et non interpolatæ, cum divus Gregorius institutor illius ritus expresse dicat « diebus triginta continuis. » (29. Et dato, quod sacerdos ad illas celebrandas obligatus, ex decentia et honestate pro aliqua die vellet missam omittere, sic permittente Ecclesia, tunc posset illas continuare per celebrationem alterius sacerdotis, quod, ut mox diximus, fieri potest. (30. Non interpolantur tamen per omissionem celebrationis illis diebus, quibus per Ecclesiam vetitum est celebrare, ut in triduo majoris hebdomadæ : ex decreto sac. Rituum congreg. et Clement. XI, 20 Aprilis 1707, et ejusdem vivæ vocis oraculo 8 Aug. 1713, et in feriis sextis Quadragesimæ juxta ritum Ambrosianum, in quibus, obstante tali ritu, missæ non celebrantur; per omissionem enim celebrationis illis vetitis diebus non inducitur discontinuatio contra institutionem divi Gregorii, cum hæc intelligenda sit de continuatione servato ritu Ecclesiæ. (31. Cavendum tamen est ne hæc continuatio missarum per triginta dies fiat aliquo modo superstitioso, ponendo vim in tali numero præcise, aut in hac, vel illa conditione, ut advertit, et damnat San-

Digitized by Google

chez, in *Præcepto Decalogi*, t. I, lib. II, c. 40 et 41; Hieronym. Roderic., in *Compend. quæst. regular.*, resolut. 45, n. 8; Barbosa, *l. c.*, *De officio parochi*, p. I, c. 11, n. 30, et alii plures.

(32. In missis defunctorum nequeunt pulsari organa, et alia instrumenta musica; Benedict. XIII in *Conc. Romano*, tit. 15, cap. 6.

(33. In missis de Requiem non datur pax, quia indicium est lætitiæ, quod non convenit missæ defunctorum. Alcuin., cap. *De exsequiis mortuorum*; Amalar., lib. III, cap. 44; Gavant. et Merati, tom. I, p. II, tit. 10; Rubr. 4, litt. 1; Durand., lib. IV, c. 13, addit quiescere jam defunctos in Domino, neque amplius esse in turbatione hominum. Albaspineus vero, *De veterib. ritib.*, l. I, observ. 17, probabiliorem, ut vult. Gavant., *l. c.*, affert causam, quia, inquit, mortuorum sacra privata erant, non solemnia, ex canone 4 concil. Vasen. II. In solemnibus autem erat communio populi, et ad eam per pacem præparatio, quæ cessabant in privatis.

(34. Addenda sunt sequentia decreta tradita cum eruditis suis commentariis a sapientissimo P. Cavalieri in *Agenda defunctorum*.

(35. Missæ defunctorum non possunt celebrari, nisi cum colore nigro, vel saltem violaceo. S. R. C. 21 Junii 1670 *in Oritana*.

(36. Sacerdos sæcularis, sive capellanus, sive non, qui recitavit officium semiduplex, vel simplex, vel feriale, illo die celebrans in aliqua regularium ecclesia, in qua recitatum est ab ipsis regularibus eadem die officium duplex de non præcepto, prout de aliquo sancto sui ordinis, non potest dicere missam de Requiem; S. R. C. 9 Junii 1668 *in Conversana*.

(37. Prohibitio facta 9 Junii 1668 sacerdotibus sæcularibus, etiam capellanis, licet recitaverint officium semiduplex, vel simplex, vel feriale, ne celebrent missam de Requiem in ecclesiis regularium, in quibus recitatum sit officium duplex de non præcepto, vel de aliquo sancto eorumdem sui ordinis, intelligi etiam debet pro Ecclesiis monialium; sacr. Rituum congregat. 11 Februarii 1702 *in Tarvisina*.

(38. Non possunt celebrari missæ, etiam pro animabus purgatorii, una hora post meridiem; sacr. Rit. congr. 24 Novembris 1661, *in Neapolitana*.

(39. In die commemorationis omnium fidelium defunctorum sacrificia possunt a sacerdotibus celebrantibus applicari ad libitum, scilicet, vel pro omnibus fidelibus defunctis, vel pro aliquibus tantum. S. R. congr. 4 August. 1663 *in una Dalmatiarum*.

(40. Missa ut in die obitus præsente corpore ultra missam de communi defunctorum, celebranda erit, quando aliquis obierit in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum; S. R. C. 14 Aprilis 1696 *in Ulyssipon*.

(41. Missæ exsequiales defunctorum in die depositionis defuncti possunt solemniter celebrari diebus, in quibus cadit festum duplex alicujus sancti, dummodo non sit de præcepto juxta rubricas Breviarii Romani; S. R. C. 19 Septembr. 1614 *in Papien*.

(42. Missæ privatæ de Requiem, corpore præsente et insepulto, dici non possunt diebus, quibus fit de officio duplici, vel aliis a rubrica vetitis; et quamcunque consuetudinem tanquam abusum abolendam, juxta dispositionem rubricæ V Missalis Romani, de missa defunctorum, n. 2, in fine, et decreta sacræ congregationis, et siguanter generale 5 Augusti 1662, servanda esse mandavit S. R. C. 10 Januar. 1693 *in una Galliar*.

(43. In die quo celebratur festum duplex etiam translatum, prohibetur missa de Requiem, nisi sit præsens cadaver. Anniversarium potest transferri, imo debet, et in feriis majoribus debent omnino cantari duæ missæ; S. R. C. 31 Julii 1664 *in una nullius provinciæ Treviren*.

(44. Tolerari possunt missæ votivæ cantatæ B. M. V. in sabbato, vel pariter cantatæ defunctorum in festo duplici quod non est de præcepto, ut testatorum voluntates adimpleantur, dummodo non omittatur missa conventualis; S. R. congregat. 1 Sept. 1607 et 20 Julii 1626 *in Nucerina*.

(45. Feria secunda post Dominicam Passionis, quando recitatum est officium defunctorum, non dicitur missa conventualis de defunctis, neque oratio *Fidelium*, quæ etiam in aliis feriis secundis Quadragesimæ non dicitur juxta rubricas, sed solum oratio *Omnipotens sempiterne Deus* quæ est pro vivis et defunctis, et omittitur tempore Passionis; S. R. C. 11 Julii 1643 *in Lugdunen*.

(46. Ob missam votivam, seu pro defunctis, non est omittenda missa conventualis, neque potest introduci consuetudo in contrarium usum; S. R. C. 16 Jan. 1627, *in Januen*.

(47. In die commemorationis omniam fidelium defunctorum non potest celebrari missa solemnis de Requiem post Primam, sed servandæ sunt rubricæ quæ præscribunt post Nonam; sac. Rituum congreg. 22 Januarii 1701, *in una Camaldulen. montis Coronæ*.

(48. Missas duas in die commemorationis omnium fidelium defunctorum singuli sacerdotes celebrabant in regnis Aragoniæ, Valentiæ et Majoricæ, et in principatu Cataloniæ, regulares vero tres. (49. Bened. XIV, in constit. 3, tom. II, incip. *Declarasti*, et constit. 61, incip. *Quod expensis*. (50. Idque antiquæ consuetudini et famæ privilegii Apostolici innitebatur. Idem, *ibid*.

(51. Rogante Hispaniarum rege ut mos iste ad omnes ditiones suas extenderetur, et Portugalliæ rege simile privilegium pro suis ditionibus postulante, Pontifex tres missas ab omnibus tam sæcularibus quam regularibus presbyteris in dictis regionibus ea die celebrari indulsit. Idem in cit. constitut. 61,

Digitized by Google

incip. *Quem expensis.* (52. Sed applicationem missarum de novo indultarum in suffragium omnium defunctorum fidelium in genere fieri jubet. Idem, *ibid.* (53. Item pro celebratione missarum hujusmodi quamcunque eleemosynam sub quocunque prætextu percipi prohibet sub pœna suspensionis Papæ reservatæ ipso facto incurrendæ. Idem, *ibid.* (54. Quoad illos autem qui ante hoc tempus in Aragoniæ regno duas vel tres respectivæ missas prædicta die celebrantes, duas vel tres eleemosynas accipiebant, nihil innovandum censuit. Idem, *ibid.*

(55. Missæ privatæ de defunctis, quocunque die dici possunt, præterquam in festis duplicibus et Dominicis diebus, juxta præscriptum rubricarum : S. R. C. 15 Febr. *in Faventina*, 28 Febr. 1660.

(56. In diebus in quibus non potest fieri de festo duplici prohibentur missæ votivæ, et de Requiem; S. R. C. 28 Augusti 1627, *in una Urbis.*

(57. Infra octavam SS. Corporis Christi prohibentur missæ votivæ quæcunque, vel pro defunctis; S. R. C., approbante Clem. X 21 Junii 1670.

(58. Ad augendam fidelium venerationem erga augustissimum Eucharistiæ sacramentum, ejusque cultum in toto terrarum orbe promovendum, prohibuit celebrari missas votivas, vel pro defunctis infra octavam Corporis Christi; S. R. C. 15 Septembris 1714, annuente Clement. XI, 29 ejusdem.

(59. Infra octavam Nativitatis Domini prohibentur missæ votivæ, vel pro defunctis; sacra Rituum congregatio 25 Septembris 1706, et 14 Septembris 1714, annuente Clement. XI, 29 ejusdem

(60. In vigilia Epiphaniæ dici non possunt missæ privatæ defunctorum; S. R. C. 27 Aprilis 1697 *in Panormitana.*

(61. In vigilia Epiphaniæ non licet celebrare missas privatas pro defunctis; S. R. C. 26 Junii 1708 *in Parisien.*

(62. In vigilia Epiphaniæ missæ votivæ et defunctorum celebrari non possunt; S. R. C. 10 Decemb. 1718 *in Æsina.*

(63. In vigilia Epiphaniæ Domini non possunt celebrari missæ privatæ de Requiem et votivæ; S. R. C. 16 Septembr. 1730 *in una ord. Hierosol.*

(64. Omnibus et singulis sacerdotibus, tam sæcularibus quam regularibus cujusvis ordinis, etiam necessario exprimendi districte præcipitur ut missas privatas pro defunctis, seu de Requiem, in duplicibus nullatenus celebrare audeant vel præsumant; quod si ex benefactorum præscripto missæ hujusmodi celebrandæ incidant in festum duplex, tunc minime transferantur in aliam diem non impeditam, ne dilatio animabus suffragia exspectantibus detrimento sit, sed dicantur de festo cum applicatione sacrificii, juxta mentem eorumdem benefactorum; curentque ecclesiarum rectores, sacristæ, aliique ad quos spectat ut hujusmodi decretum inviolate servetur, atque in sacristia affixum retineatur, ubi commode ab omnibus celebrare volentibus conspici et legi possit; in eos autem qui contrafaecere ausi fuerint, vel præmissa adimplere neglexerint, locorum ordinarii tam sæculares quam regulares pro modo culpæ animadvertant S. R. C. approbante Alex. VII, 3 Augusti 1662.

(65. Missæ pro defunctis sive de Requiem in festis duplicibus contra præscriptum rubricarum Missalis Romani nullatenus celebrari debent. Quod si ex benefactorum institutione missæ hujusmodi celebrandæ incidant in festum duplex, tunc ne dilatio animabus suffragia exspectantibus detrimento sit, in aliam diem non impeditam minime transferantur, sed dicantur de festo currenti cum applicatione sacrificii, juxta mentem eorumdem benefactorum; Sacr. R. C. 15 Septembris 1714, annuente Clement. XI, *ibidem.*

(66. Collectæ pro defunctis non admittuntur, nisi in missis festorum simplicium et ferialium; S. R. C. 31 Jul. 1665 *in una nullius provinciæ Treviren.*

(67. In missa privata de festo semiduplici, simplici seu votiva, vel de infra octavam, seu de feria non privilegiata, potest in penultimo loco dici collecta pro particulari defuncto, puta *Inclina*, etc., vel *Deus qui nos Patrem*, etc., et similia; sed ob id non est omittenda ulla ex collectis pro tempore assignatis, puta *A cunctis*, vel *Ecclesiæ*; S. R. C. 2 Decemb. 1684, *in una canon. Lateranen.*

(68. Occurrente commemoratione sancti simplicis in feria secunda Quadragesimæ, quando dictum est nocturnum defunctorum, non debet in Missa quarto loco dici orat. *Omnipotens sempiterne Deus qui vivorum*, etc., pro commemoratione defunctorum, sed sufficit tertia oratio *A cunctis.* Quod si dicatur quarta *Omnipotens*, etc., quinta erit ad libitum; S. R. C. 4 Maii 1709, in *Pistorien.*

(69. Occurrente commemoratione Sancti simplicis in feria secunda post Dominicam Passionis, quando dictum est nocturnum defunctorum, in missa dicenda est secunda oratio de simplici tantum; S. R. C. 4 Maii 1700 *in Pistorien.*

(70. In missis defunctorum non pulsentur organa nec aliud quodvis musicum instrumentum adhibeatur. Benedictus XIII in concilio Romano, tit. 15, cap. 6, *Cæremonial. episc.*, lib. 1, cap. 20, ibi : « In missis et officiis defunctorum nec organo, nec musica quam figuratam vocant utimur, sed cantu firmo, quem etiam in tempore Adventus et Quadragesimæ in ferialibus diebus adhiberi convenit. »

(71. Hic juvat ad uberiorem notitiam referre quæ tradit de missis defunctorum eruditissimus P. Cavalieri in cit. *Agenda defunctorum*, cap. 10, a n. 14 ad 17. Quatuor in Missali pro defunctis assignantur missæ, et quælibet cum sua propria Epistola et proprio Evangelio, et quamlibet ex his missis cum sua Epistola et suo Evangelio in assignatis quatuor diebus dicendam esse, titu-

Digitized by Google

lus ipse aperte declarat, videlicet primam in commemoratione omnium fidelium defunctorum, secundam in die obitus seu depositionis, et in diebus 3, 7 et 30; tertiam in anniversario, et quartam in missis quotidianis, seu in missis omnibus aliis quæ dicuntur extra præfatos dies et circumstantias. Limita pro die depositionis et anniversarii Summi Pontificis et episcopi in quo rubrica orationibus præfixa diserte mandat primam missam quæ consequenter dicenda etiam erit in eorumdem diebus 3, 7 et 30, pro quibus supplet rubrica alia in secunda missa inserta, quæ in præfatis diebus expresse præscribit *missam ut supra*, scilicet ut in die obitus : unde pro quibus in die obitus dicitur prima missa, hæc etiam dicenda erit in diebus 3, 7 et 30. At qualis adhibenda erit infra annum in circumstantiis aliis ? Ut in quotidianis ; sic enim indiscriminatim indicitur, nec rubrica ulla, vel indirecte Summis Pontificibus aut episcopis aliquem favorem facit.

(72. Eamdem primam missam cardinali defuncto, ut supra, attribuunt Gavantus, part. IV, tit. 18, n. 6; Meratus, *ibid.*, n. 2; Tonellius, tit. 13, n. 5; Quarti, part. I, tit. 6, dub. 1, n. 12; Guyetus, *loc. cit.*, quæst. 27 et 29, aliique plures quorum nonnulli eamdem extendunt etiam ad prælatos regulares, reges, principes et magnates. Verum auctores hos omnes diserte carpit rubrica quædam in Missale defunctorum Romæ anno 1725, typis Vaticanæ typographiæ in tertiam missam sub his verbis invecta : « In anniversario S. R. E. cardinalium... *Oremus, Deus indulgentiarum*, etc.; hæc enim rubrica missam anniversarii sub qua est posita, in anniversario cardinalium usurpandam esse indicat, et consequenter etiam in die depositionis aliisque, missas illas quæ in talibus diebus et circumstantiis communiter præscribuntur. Idem esto judicium de regibus, magnatibus, sacerdotibus atque prælatis ; hi quippe etsi ordinariam, et quasi episcopalem jurisdictionem habeant, carent adhuc episcopali dignitate, in cujus gratiam favor ille latus fuit. Suffragatur admodum Ecclesiæ praxis quæ distincto communi in divinis officiis, pontifices quidem honorat, cæteros vero, licet cardinales, reges, etc., communi confessorum non Pontificum indiscriminatim aggregat. »

(73. Qui tamen secus faciunt, contra rubricas non omnino peccant : post quartam enim missam hæc particularis rubrica habetur : « Epistolæ et Evangelia superius posita in una missa pro defunctis dici possunt etiam in alia similiter pro defunctis. » Una missa ab alia non differt, nisi in orationibus, Epistola et Evangelio ; ergo demptis orationibus de quibus suo loco liberum est quamcunque missam pro quocunque et in qualibet circumstantia dicere, si Epistolæ et Evangelia unius missæ in alia dici possunt. Quid unquam nisi idipsum prætendunt Missalia antiqua, dum quatuor Epistolas et Evangelia prædicta continenti serie sub una eademque missa

referunt? Pro eadem libertate pronuntiant itidem citati Quarti, Tonellius et Gavantus, n. 4, et cum indubie eadem faciant rubricæ verba in suo veriori sensu, nos dissentiri non possumus, quidquid scribat Guyetus qui quæst. 27 dictam rubricam nimis violenter explicat, dum eamdem restringit ad id quod « in sequentibus Missale declarat, aut alias ex pari ratione opportunum judicabitur. » Et quidem Missale infra solum disponit « pro die obitus, et anniversario Summi Pontificis et episcopi, » et adhuc determinate assignat primam missam, et consequenter etiam determinate Epistolam et Evangelium ejusdem missæ, unde nunquam integrum foret Epistolam et Evangelium unius missæ in alia usurpare contra expressam rubricæ indulgentiam.

(74. Captus sit itaque, quod quidem decet Epistolas et Evangelia dici in diebus et circumstantiis, prout in Missali sunt distributa, non dempta tamen celebranti libertate assumendi utrum Epistolam, et utrum velit Evangelium ; et quidem etiam in die depositionis, et anniversario Summi Pontificis, aut episcopi : dum enim in casu hujusmodi per particularem rubricam determinate assignatur prima missa, id accipiendum est cum subordinatione ad rubricam alteram, quæ, ut supra, libertatem facit. Qua libertate bene usum iri credimus, seu magis fieri, quod magis decet, si in die commemorationis omnium defunctorum alicujus religionis, quæ se habet instar commemorationis omnium fidelium defunctorum universalis Ecclesiæ, prima missa cum sua Epistola et Evangelio assumatur, et secunda in die quasi obitus, quando scilicet primum habetur notitia obitus alicujus in loco dissito, licet in priori casu communior praxis usurpet anniversarii missam ; id enim profecto evincit paritas pro utroque casu, et pro secundo diserte favet decretum 6, cap. 3, nempe : « Cum primum accipitur nuntium de obitu in loco dissito alicujus, potest cantari missa de Requiem, ut in die obitus, pro ejus anima in festo duplici majori vel minori, non tamen de præcepto, ut citius suffragetur animæ defuncti, non relicta tamen missa in casu de festo duplici, quatenus adsit obligatio ; » sacr. Rituum congregat. 4 Maii 1686 *in una canon. regul. Lateran.*; concordantque Gavantus, n. 15, et Guyetus, quæst. 28. Hæc ille.

(75. Sapientissimi autem Patres Gavantus, part. IV, tit. 18, n. 7, et Meratus, *ibidem*, n. 2; Tonellius, Quarti, et Guyetus, aliique plures, *loc. cit.*, a Cavalieri, volunt eamdem missam primam dicendam esse tam in die obitus, quam in anniversario pro defunctis cardinalibus, mutatis orationibus, ut in Missali, nempe pro defuncto cardinali episcopo, *Deus qui inter apostolicos*, etc., dicendo *episcopum cardinalem* : et si sit solum diaconus, *Inclina, Domine*, etc., dicendo *diaconi cardinalis*, quia ut advertit Gavantus, *loc. cit.*, n. 8, licet rubrica Missalis id non præscribat, usus tamen ita declaravit, nam cardinales episcopis sunt majores. Et *ibidem*,

Digitized by Google

n. 8 subjungit : « Quid pro sacerdote defuncto? Licet de eo rubrica Missalis meminerit inter defunctum episcopum et cardinalem; non tamen iisdem æqualem facit, et rationabilis consuetudo est in plerisque ecclesiis majoribus Urbis, ut dicatur missa secunda mutata oratione, ratione cujus videtur in rubrica, prius de sacerdote quam de cardinali mentionem factam fuisse; si tamen dicatur missa prima, favet rubrica in fine missarum pro defunctis, quæ concedit Epistolas et Evangelia unius missæ dici posse in alia quacunque missa pro defunctis. » Hæc ille, et Meratus, in *Additionibus ad tit.* 5, part. 1, sub n. 11, expresse sic habet : « Pro defuncto sacerdote, quamvis rubrica nihil disponat, tamen in die obitus, seu depositionis dicenda videtur eadem missa prima cum oratione, ut in Missali pro sacerdote assignata. Ita Bissus, litt. *M*, n. 243, § 3 et sequent. Pro aliis vero defunctis, sive clericis, sive laicis in die obitus dicitur missa, quæ secundo loco habetur intra missas defunctorum, cum unica oratione congruenti personæ defunctæ. »

(76. Hinc colligo servandam quidem esse rubricam in omnibus Missalibus positam, statuentem, celebrandam esse primam missam pro Summo Pontifice et episcopo, et rubricam in Missale defunctorum Romæ anno 1725, typis Vaticanæ typographiæ in tertiam missam sub his verbis invectam : « In anniversario sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium. *Oremus, Deus indulgentiarum*, etc., » a P. Cavalieri assertam. At liberum esse sacerdotibus servare etiam rubricam post quartam missam, seu in fine missarum pro defunctis impressam, quæ ut notant etiam Gavant., *loc. cit.*, n. 8; Cavalieri, *loc. cit.*, n. 26, et alii, concedit Epistolas et Evangelia unius missæ dici posse in alia quacunque missa pro defunctis, ibi : « Epistolæ et Evangelia superius posita in una missa pro defunctis, dici possunt etiam in alia similiter pro defunctis. »

(77. Ubi vero adsit usus, seu consuetudo quam adesse tradit Gavant., *l. cit.*, n. 7, dicendi eamdem primam missam, mutatis orationibus, etiam pro cardinalibus defunctis, quamvis rubrica id explicite non præscribat, cum tamen usus ita declaraverit rubricam, ut dicit ipse, eadem consuetudo est servanda, sicut etiam servanda est alia rationabilis consuetudo, quæ, teste eodem, *loc. cit.*, n. 8, est in plerisque ecclesiis majoribus Urbis, ut pro sacerdote defuncto dicatur missa secunda mutata oratione; consuetudo enim est optima legum interpres, textu expresso in l. *Si de interpretatione* 37, ff. *De legib.*, et in cap. *Cum dilectus* 8, De consuetudine.

(78. Notandum est, quod in missis defunctorum prosa seu sequentia *Dies iræ, dies illa* dicitur in die commemorationis omnium defunctorum, et depositionis defuncti, et quandocunque dicitur una tantum oratio; in aliis autem missis pro defunctis dicitur ad arbitrium sacerdotis. Sic expresse rubrica Missalis, p. 1, tit. 5, *De missis defunctorum*, num. 5. Unde dici debet in diebus 3, 7, 30. (79. Anniversario, et in missis quibuslibet, quæ pro defunctis solemniter celebrantur, cum hisce in missis una tantum dici debeat oratio, ex præscripto ejusdem rubricæ, num. 3, et quod canenda sit in anniversariis, expresse decrevit etiam sac. congregat. Conc. *in Montis Marani* 30 Januarii 1723, ad 2 dub. (80. Ejus auctor diversus a diversis assignatur Leander Albertus apud eruditissimum P. Merati, in c. *Rubrica* 4, n. 12, dicit ejus auctorem fuisse Latinum cardinalem Ursinum, Frangipanium etiam dictum, ordinis Prædicatorum, cui eam etiam tribuit Marcellus Cavalieri, in *Statera sacra*, tit. 2, n. 192, secutus a doctissimo P. Joanne Michaele Cavalieri in *Agenda defunctorum*, cap. 10, n. 8; Possevinus in *Apparatu sacro* ascribi ait Augustin. Bugellensi Pedemontano, ordinis S. Augustini, subdens ibidem verum auctorem esse Humbertum, quintum generalem ord. Prædicatorum; Arnaldus Wion, lib. v *Ligni vitæ*, cap. 70, asserit a quibusdam adjudicari S. Gregorio Magno; et alii eam ascribunt S. Bernardo. (81. Verum P. Petrus Antonius de Venetiis, in *Viridario seraphico*, tom. V, part. III, Italice conscripto, dicit fuisse compositam a P. Thoma de Cœlano ordin. Minorum provinciæ Marchiæ, quod et asserit Lucas Wadingus apud Merati, *loc. cit.*, quamvis alii apud eumdem Wadingum adscribant S. Bonaventuræ, vel Matthæo Aquasparto ex generalibus, et cardinalibus dicti ordinis Minorum.

(82. In missis quotidianis pro defunctis tres regulariter dicuntur orationes, quæ in Missali assignantur. (83. In his enim missis quotidianis quoad numerum orationum servatur eadem regula, ac de feria, et simplicibus, seu semiduplicibus; cum hac advertentia quod si missa applicetur generaliter pro defunctis, dicuntur regulariter orationes in Missali pro missis quotidianis assignatæ. (84. At si missa celebretur pro aliqua, vel pro aliquibus determinatis personis, primo loco dicitur oratio pro iis pro quibus missa celebratur, secunda et tertia quæ secundo, et tertio loco ponuntur in missa quotidiana defunctorum : Lohner, part. IV, tit. 3, § 21, n. 4; Merati, part. 1, tit. 5, n. 12. (85. Sacerdos autem celebrans potest secundo loco aliam orationem ad libitum dicere v. g. pro suis parentibus, vel pro suo patre, et sua matre, et hujusmodi; Quarti, part. 1, tit. 5, dub. 1, vers. *Respondeo* n. 7; Merati, *loc. cit.*, n. 23, et S. R. congregatio in decreto mox adducendo.

(86. Et si plures dicuntur orationes, ultimo loco semper est dicenda oratio *Fidelium*, quæ est generalis pro defunctis. Sic expresse sacr. Rituum congregat. 2 Septembris 1741, his verbis : « In missis quotidianis quæ pro defunctis celebrantur, possunt quidem dici plures orationes quam tres, sed curandum ut sint numero impares. Sicut pro illa, *Deus veniæ largitor*, potest subrogari alia, nempe pro patre, pro matre,

Digitized by Google

etc., dummodo ultimo loco dicatur oratio *Fidelium.* »

(87. Juxta decreta allata supra n. 4, missa solemnis de Requiem præsente corpore potest cantari in omnibus Dominicis, et festis de præcepto, præterquam in duplicibus primæ classis; sed quia adhuc remanebat indecisa controversia, an in eodem decreto comprehensa manerent cuncta primæ classis, ut vult Quarti ad rubricas Missalis, part. I, tit. 5, dub. 1, n. 7, an vero duntaxat majora, seu solemniora, ut tradit Pasqualig., *De sacrificio novæ legis*, tom, I, quæst. 285, ad ipsam dirimendam, videtur sufficere sequens decretum novissime editum a sacra Rituum congregatione, die 2 Septembris 1741, his verbis: « Cum juxta rubricas Ritualis Romani absque missa, quantum fieri potest, defunctorum corpora non sint sepelienda, poterit præsente in ecclesia cadavere unica missa solemnis de Requiem celebrari feria secunda Paschæ, aut Pentecostes. Hæc tamen missa non decantabitur in duplici primæ classis, etiam non festivo de præcepto, si corpus præsens in ecclesia non fuerit, aut si fuerit pridie sepultum; » per quod decretum, dum permittit celebrari missam solemnem præsente corpore in feriis secundis Paschæ, et Pentescostes, quæ sunt festivæ de præcepto, et duplices primæ classis, respuendo quæcunque alia duplicia primæ classis occurrentia, non obscure indicatur, quod ex festis primæ classis, solum majora, seu solemniora, juxta sententiam Pasqualigi, non admitant missam solemnem de Requiem præsente corpore, et quod etiam aliqua festa inferioris conditionis et ritus, si cum majori solemnitate, et concursu populi celebrentur, eodem privilegio ac honore gaudeant, cum decretum innitatur rubricis Ritualis Romani, ibi: « Cum juxta rubricas Ritualis Romani, » et ipsæ rubricæ tit. *De exsequiis*, solum obstare velint *magnam diei celebritatem*, *seu solemnitatem*; quæ magna celebritas, seu solemnitas certo non congruit cuicunque festo duplici primæ classis, et aliunde verificari potest de aliquo festo inferioris conditionis, et ritus alicubi celebrato cum maxima frequentia populi, ut experientia patet. (88. Hinc recte infert eruditissimus P. Cavalieri, *loc. cit.*, cap. 3, decret. 4, n. 5, quod ex festis universalibus primæ classis missam solemnem de Requiem, etiam præsente corpore, non admittant Nativitas Christi, Epiphania, dies prima Paschæ et Pentecostes, et festum Corporis Christi in tota catholica Ecclesia, ut festa præcipua solemniter admodum celebrata, ipsis addendo Ascensionem Domini, et Deiparæ Assumptionem, ac ultimum triduum majoris hebdomadæ, in quo juxta decreta supra allegata n. 4, et signanter juxta illud 11 Augusti 1736 celebrari non possunt defunctorum exsequiæ, et officium, ac preces mandantur recitari privatim. (89. Quibus adderem in tota universali Ecclesia festum SS. Apostolorum, Petri et Pauli, et in tota seraphica religione festum Concept. I. V. M. (90. Ex festis etiam particularibus dictam missam de Requiem, etiam præsente corpore, respuunt duntaxat festum titularis, aut festum alterius sancti cum maxima solemnitate, et concursu populi celebratum, et apud regulares festum eorum respectivi S. fundatoris, aut festum alterius sancti cum magna solemnitate et frequentia populi celebratum, ne minuatur, perturbetur, aut interrumpatur magna occurrens celebritas aut solemnitas, juxta dispositionem rubricæ Ritualis Romani.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(91. De missis quas vocant D. Gregorii, vide, si lubet, qui de iis plenius disserit, tum plures pro more expendit quæstiones, Pasqualig., *De sacr. miss.*, t. I, a quæst. 292 ad quæst. 296, et alios quos citat Benedictus XIV, instit. 24, n. 22.

ARTICULUS XV.

In quo pro uberiori notitia adnotantur varia decreta et edicta pertinentia ad celebrationem missarum, earumque adimplementum, uti reperiuntur impressa in novissimo Bullario Clementis XI, aliaque insuper ad rem.

Decreta varia ad missarum celebrationem pertinentia summatim collecta, quæ in Missali typis sacræ congregationis de Propaganda Fide novissime impresso edita sunt.

Urbis et orbis.

(1. *Cum occasione*, etc. *Vide* in articulo antecedenti sub n. 14 in quo habentur omnia per extensum.

(2. *Decreta varia, et instructio pro accurato perpetuorum onerum missarum adimplemento.*

Affinchè li obblighi delle messe perpetue, o a tempo, o manuali, che dalla providenza de' fedeli defonti prima di passare da questa all' altra vita, o dalla carità de' loro congionti, ed amici, ovvero dalla divozione di pii benefattori sono stabiliti con assegnamenti di certi capitali; o con limosine quotidiane per la celebrazione di esse, vengano puntualmente adempiti da quelli, che avendo ricevuti gli emolumenti, sono a ciò tenuti, e le povere anime purganti ricevano ne' debiti tempi i dovuti suffragj; la Santità di N. S. Papa Clemente XI, inerendo a' decreti sopra la celebrazione delle messe emanati in tempo delle SS. MM. di Urbano VIII ed Innocenzo XII suoi predecessori, e rinnovandone la puntuale osservanza sotto l' istesse pene in dette costituzioni contenute, per comandamento espresso datoci a bocca, ordina, e comanda a tutti i superiori, e sopraintendenti, deputati, sagrestani, cappellani, ed a qualunque altra persona, che non qualsisia titolo, ed offizio presiede al governo, regolamento, ed amministrazione delle chiese patriarcali, basiliche, collegiate, parrocchiali, monasterj, e conventi de' Regolari dell' uno, e l' altro sesso, conservatorj, congregazioni, ospedali, confraternite laicali, e d' ogni altra chiesa, cappella, ed

Digitized by Google

oratorio di Roma, che tanto nel ricevere le limosine delle messe, quanto nel soddisfare agli obblighi nella celebrazione delle medesime, sia inviolabilmente, ed intieramente, osservata, e praticata la seguente istruzione sotto pena a quelli, che o in tutto, o in parte la trasgrediranno, della sospensione *a divinis*, se saranno preti secolari, e della privazione della voce attiva e passiva, e delle cariche, ed uffizj, se saranno regolari, ed anche d'altre pene pecuniarie, e rispettivamente corporali ad arbitrio della Santità Sua.

Illustrazione per le messe perpetue.

Si formerà un catalogo, nel quale si descriveranno distintamente tutti li obblighi di messe cantate, e piane, sì perpetui, come *ad tempus*, da che provengono, sì per testamento, o per donazione, o in altra forma, con li fondi, che sono stati lasciati per dote di ciaschedun obbligo, e gli altari, in cui si devono soddisfare.

Il detto catalogo doveranno esibirlo poi al signor Angelo Stantelli computista deputato da Sua Santità, che gli sarà fatto l'esibito, e gli sarà reso.

Doveranno in oltre tenere la tabella distinta di tutti detti obblighi con la espressione del nome del benefattore, e indicazione del testamento, o altro istromento, che v sia, cioè per quali atti, e di che tempo, ripartitamente con le sue colonnette distinte delle messe cantate, messe quotidiane, messe d'ogni mese, messe d'ogni settimana, o altri obblighi temporanei, che si sono lasciati, chi si celebrino, con l'espressione dell' altare, in cui si dovranno celebrare, etc. Qual tabella doverà esser riconosciuta, e sottoscritta da monsignor segretario della Sacra Visita Apostolica *pro tempore*, o computista deputato, e si debba tener affissa nella sagrestia in luogo patente, come dispongono le costituzioni Apostoliche, e che da essa non si possa levare, nè aggiungere partita alcuna, senza ritornare a ricoroscersi, e sottoscriversi da' medesimi, e succedendo infra annum qualche lascito, si debba portare tanto il catalogo, quanto detta tabella per potersi notare.

In oltre doveranno tener due libri, uno per gli obblighi perpetui, et l' altro per le messe avventizie, come dispongono le medesime costituzioni apostoliche, e questi doveranno regolarsi nel modo, come si dirà appresso

Il libro delle messe perpetue si devorà intavolare anno per anno, è devora esser finito d'intavolare dentro il mese d'Ottobre di ciaschedun anno per l'anno avvenire, e nelli mesi di Novembre, e Decembre esibirli al computista deputato da Nostro Signore, acciò riconosca, se sono ben intavolati, e li contrassegni, e faccia sottoscrivere a monsignore segretario della Sagra Visita Apostolica *pro tempore:* e li libri vecchi, in cui appariranno le celebrazioni dell' anno antecedente, si dovranno parimente esibire al medesimo dentro il mese di Gennaro susseguente all' anno finito, acciò si riconosca, se sia adempito a tutti gli obblighi, e non essendo adempito in qualche cosa si deduca la causa, acciò si possano pigliare quegli espedienti, che pareranno più proprj.

Il modo d' intitolare detti libri sarà il seguente; cioè

Si debba tenere un libro bislungo per e messe perpetue, nel quale in prima carta si devono descrivere partita per partita gli obblighi delle messe perpetue, che vi sono cioè:

	Messe cantate	*Messe basse.*
Per l' anima di Pietro N. N. una messa quotidiana bassa, e un anniversario il giorno della sua morte, che fu li . . . come in tabella numero primo.	Num. 1.	N. 365.
Per l' anima di Paolo N. N. una messa al messe bassa, come in tabella n. 2.	Num.	N. 12.
Per lascito di Francesco N. N. una messa ogni Venerdì, come in tabella n. 3.	Num.	N. 52.
Per lascito di Giovanni N. N. messe 50 l' anno, come in tabella n. 4.	Num.	N. 50.
	Num. 1.	*N. 479.*

e così di altre, che potessero esservi, andar notando sotto detto rigo ultimo, e chiudere poi la somma dell' intero delle messe, che si doveranno celebrare in tutto l' anno, e il medesimo, se vi sono altri anniversarj con la medesima dichiarazione, e succedendo poi infra annum qualche altro lascito, aggiungerlo, come sopra.

Si noterà poi nella carta susseguente a correlazione nella nota suddetta, giornata per giornata, cioè nel mezzo, a di primo gennaro, ed in margine dire n. 1 messa per l' anima di N. N. e se sono quattro messe quotidiane di diversi, notare sotto il medesimo giorno quattro partite distinte per l'obbligo, che vi è; e così andare seguitando, ed in quella giornata, che cade il Venerdì, Sabbato, o altro giorno fisso, che vi sia qualche disposizione, aggiungere la partita in quel giorno distintamente, che in fin d' anno il numero delle messe tirato in margine verrà a corrispondere con la prima nota fatta in primo foglio del detto libro per esempio:

Addì primo Gennaro 1705 *Giovedì.*

Num. 1. *Per l' anima di Pietro N. N.*
Num. 1. *Per l' anima di Paolo N. N.*
2 *detto Venerdì.*
Num. 1. *Per l' anima di Pietro N. N.*
Num. 1. *Per l' anima di Francesco N. N.*
Num. 1. *Per l' anima di Gio: N. N.*
3 *detto Sabbato.*
Num. 1. *Per l' anima di Pietro N. N.*

Inoltre debba ogni sacerdote, tanto cappellano fisso della messa quotidiana, quan-

Digitized by Google

to ogni altro, che averà cura di celebrare per gli obblighi infra settimana, celebrato che averà la sua messa, notarsi dirimpetto alla sua partita dell' obbligo, per il quale ha celebrato, N. N. *celebravi*, e in questa forma resteranno adempite le disposizioni nel modo, che sono state lasciate, e apparira chiaramente la celebrazione.

Per ovviare a qualche disordine, che potesse succedere in quelle chiese, dove vi è maggior numero di messe per obblighi fissi da celebrarsi, dove si può dar il caso, che escano più sacerdoti a celebrare nel medesimo tempo, e uno ritornando prima metta il *Celebravi* in quella partita, che avesse adempito un altro; si ordina che il sacerdote, quando va in sagrestia per prepararsi, ricorra al libro, e riconosca la sua partita vacante, dove deve mettere il *Celebravi* per chi la deve dire, e metta subito il suo nome, e cognome. E celebrato, che averà, aggiunga al detto nome *Celebravi*, che in questa forma ogn' uno, che arriverà, e che non vederà la partita contrassegnata, come sopra, saprà quella, che doverà celebrare, e non ne succederà confusione.

In caso poi, che in quel giorno, che si deve celebrare per adempimento dell' obbligo, fosse qualche sacerdote accidentalmente impedito, onde in detto giorno non restasse celebrata la messa, dovendosi rimettere dopo, noterà quello, che celebrerà N. N. *Celebravi sub die tali*, etc., perchè senza detta dichiarazione non verrebbe a corrispondere alla giornata, che vi sarà il *Celebravi*, come l' altre.

Per le messe avventizie.

Si riterrà il solito libro, nel quale si notano l' elemosine, che vengono portate da' benefattori, e queste si doveranno descrivere distintamente, se siano votive, o pro defunctis, e il numero esprimerlo dentro la partita in lettera con tirarlo fuori per abbaco, come per esempio :

Messe due per defonti.	Num. 2.
Messe tre per S. Antonio	Num. 3.
Messe quattro per S. Francesco.	Num. 4.

Le messe notate in detto libro si noteranno poi riportate in un' altro libro da tenersi in sagrestia, nel quale si doverà notare messa per messa ad effetto, che il sacerdote possa all' incontro mettere il *Celebravi* nel modo, come si è detto nelle messe perpetue, e se ne dà la norma come appresso.

Messe una per defonti.	Num. 1.
Messe una per defonti.	Num. 1.
Messe una per S. Antonio.	Num. 1.
Messe una per S. Antonio.	Num. 1.
Messe una per S. Antonio.	Num. 1.
Messe una per S. Francesco.	Num. 1.
Messe una per S. Francesco.	Num. 1.
Messe una per S. Francesco.	Num. 1.
Messe una per S. Francesco.	Num. 1.

Quelle messe che non si saranno finite di celebrare in quell' anno, che si sono avute l'elemosine, si doveranno riportare nell'

anno susseguente, e notarle in prima partita con l' istesso ordine di sopra.

Procuri per tanto ciascuno di dare pronta esecuzione a quanto si ordina per espresso comandamento di Sua Santità, altrimenti si procederà contra li trasgressori rigorosamente alle pene di sopra comminate. E perchè niuno possa in qualsivoglia tempo allegare ignoranza di quanto nella sopra espressa istruzione si prescrive, si doverà in ciascheduna sagrestia delle sopra nominate chiese, ed oratorj tenere continuamente affisso in luogu visibile un esemplare del presente editto, sotto pena, in caso di contravenzione, di scudi dieci d'oro, da pagarsi irremissibilmente dal sagrestano, se sarà prete secolare, e della privazione della carica, ed inabilità a qualsivoglia uffizio per cinque anni, se sarà regolare.

Dato il 1 Ottobre 1704.

Giuseppe Domenico DE TOTIS,
Segretario della Sacra Visita Apostolica.

Niccolò PIGNATELLI,
Commiss. e fiscale della Sacra Visita Apostolica.

Paolo FATII, not. della sac. cong.

EDICTUM

(3. *Pro notitiis missarum onera respicientibus, quæ secretariæ sacræ congregationis a Notariis, et aliis infra statutum tempus exhibendæ sunt.*

Una delle cure principali, che fin dal principio del suo apostolico ministero ha cagionata particolar sollecitudine nella Santa mente di nostro Signor Papa Clemente XI è sempre stata la premura, che restino adempiti gli obblighi delle messe, che con pia provvidenza i fedeli hanno procurato, o in vita, o in morte, di assicurarsi con l'impiego delle proprie facoltà per suffragio delle proprie anime, e de' loro congionti, benefattori, el amici, e potendosi temere, che l' omissioni, e le negligenze talvolta praticate nella soddisfazione di detti obblighi, abbiano potuto provocare la divina giustizia, che non solo faccia provare ai popoli le gravi percosse del suo flagello, ma anche maggiori sempre più ne minacci; pertanto la Santità Sua per sottrare il suo gregge vivente dalle calamità, che gli sovrastano in questa vita, e l'anime de' fedeli defonti dall' atrocissime pene, che soffrono nell' altra per mancanza dei dovuti suffragi, comandò con ordine datoci a bocca, che si pubblicasse un' istruzione, in cui era prescritto a tutte le chiese, e luoghi pii di Roma un modo, o metodo universale di formare, e descrivere le tabelle, ed i cataloghi degli obblighi delle messe, ed intavolare i libri dove si deve notare l' effettiva celebrazione di ciascheduna messa di mano dell' istesso celebrante.

Ed avendo noi sin sotto il 1 Ott. 1704 per obedire alli comandamenti di Sua Santità, fatta personalmente presentare la detta instruzione a' ministri di tutte le chiese, e luoghi pii di Roma, dalla pronta esecuzione

Digitized by Google

che ha avuto, e dalla comune osservanza della medesima per due anni già terminati, si è riconosciuto di quanto profitto sia stato per assicurare la piena soddisfazione degli obblighi delle messe con indicibile consolazione e quiete dell'animo di Sua Beatitudine.

Ma perchè nel confronto, che di ordine parimenti della Santità Sua si va presentemente facendo di detti obblighi descritti nelle tabelle con i testamenti, ed altri documenti, d'onde derivano, si è trovato in alcuni qualche difetto, o mancanza nei nomi dei notati, nel tempo, e nella quantità con pregiudizio de' suddetti suffragj: ed affinchè in avvenire le tabelle, che di nuovo si formeranno, o le addizioni, che si faranno nelle già formate de' nuovi obblighi, che giornalmente sopravvengono, sempre appariscano fatte con maggior legalità, e sicurezza, e di loro in ogni tempo si possa avere una piena verificazione.

La Santità di nostro Signore con ordine datoci a bocca vuole, ed espressamente comanda, che tutti li capo notari, loro sostituti, Giovani di qualsivoglia tribunale ecclesiastico e secolare di Roma, ed anche quelli, che senza avere uffizio publico, si rogano nelle loro case private di detta città, dopo quindeci giorni, che avranno stipulato qualsivoglia contratto tra vivi, in cui vi sia ingiunto obbligo di messe, o perpetue, o a tempo lungo che passi il decennio, o anniversarj, ne debbano portare, e lasciare nota distinta nella nostra segretaria, o de' nostri successori nell' uffizio di deputato la riconoscere gli obblighi delle messe, e riportarne la fede dell'esibizione da darseli gratis, e parimente dopo quindici giorni, che avranno aperto, e pubblicato qualsivoglia testamento, codicillo, o donazione *causa mortis* di qualsisia persona anche privilegiata, e privilegiatissima, della quale se ne dovesse fare special menzione, benchè fosse cardinale della S. R. C. dove siano ingionti pesi di messe, come sopra, debbano portare, e lasciare l'istessa nota alla medesima segreteria, e riportarne la fede dell'esibizione sotto pena alli trasgressori di venticinque scudi d'oro da pagarsi per ciascheduna volta, che non averanno adempito quanto di sopra si contiene, da applicarsi una metà all'accusatore, il quale sarà tenuto segreto, e l'altra metà a' poveri luoghi pii, ed anche della sospensione, e privazione dell'uffizio, ed altre pene ad arbitrio della Santità Sua, alle quali pene saranno ancora tenuti li notari padroni per i loro sostituti, e Giovani.

E di più vuole e comanda che tutti li parrochi, o altri, che con qualsivoglia titolo esercitano cure d'anime, tanto amovibili, quanto perpetui, secolari, e regolari, confessori, sacerdoti, e religiosi di qualsivoglia ordine ed instituto, di qualunque monastero, convento, o ospizio di questa città, dopo quindeci giorni dalla morte di qualsivoglia persona, come sopra, che gli avrà confidenzialmente lasciato qualche obbligo di messe perpetue, o a lungo tempo, o anniversarj, o che in loro presenza secondo la disposizione della ragione canonicà, avrà disposto legati di messe, come sopra, ne debbano portare e lasciare la nota alla sopradetta segretaria, e riportarne la fede dell'esibizione, come sopra, sotto pena a' secolari per ciascheduna volta, che mancheranno, di venticinque scudi d'oro da applicarsi come sopra, ed ai regolari della privazione di voce attiva e passiva, ed anche ad ambeduo della sospensione del loro uffizio, ed altre pene ad arbitrio della Santità Sua.

Inoltre comanda, che tutti li camerlenghi, ed ufficiali dei capitoli di patriarchali, basiliche, o collegiate di Roma, e tutti li superiori, e sopra intendeni, rettori, sagrestani, e capellani di qualsivoglia chiesa, tanto de' regolari, quanto dei secolari, e monasterj di monache, e conservatori, e tutti li prefetti, guardiani, provveditori, ed altri superiori di confraternite, oratorj, adunanze, congregazioni, ed altri luoghi pii secolari in qualsivoglia modo nominati, benchè eretti in chiese, e case regolari, che in caso, che da qualsivoglia persona come sopra, confidentemente brevi manu, o per scrittura privata gli fosse consegnata, o in vita o in morte, qualche somma di denaro contante, o qualche stabile, luogo di monte, credito, e qualsivoglia altro capitale, con peso di celebrazione di messe perpetue, o a lungo tempo, che passi il decennio, debbano dopo quindici giorni, che ne sarà seguita l'assegna, portarne e lasciarne la nota alla medesima segreteria e riportarne la fede dell'esibizione come sopra, sotto pena a' trasgressori secolari di venticinque scudi oro per ciascheduna volta, da applicarsi nel modo sopradetto, ed alli regolari della privazione di voce attiva e passiva, e ad entrambi della sospensione, privazione del loro offizio, ed altre pene ad arbitrio della Santità Sua.

Intendendo la medesima Santità Sua, che nel presente editto s'intendano compresi i parochi, vicarii perpetui, o manuali, o altri, che sotto qualsivoglia titolo abbiano l'esercizio di cura d'anime, confessori, sacerdoti, secolari e regolari, superiori, prefetti, guardiani, sopraintendenti, notari e segretarj di qualsivoglia chiesa, confraternità, o altro luogo pio, benchè fosse nazionale, e che godesse qualunque privilegio, esenzione, o indulto Apostolico, benchè fosse per titolo di dotazione, o fondazione, e per qualsivoglia altra causa, alle quali tutte la Santità Sua, per la piena osservanza di quanto di sopra si contiene, con la pienezza della sua autorità specialmente deroga.

Procuri pertanto ciascuno di prontamente adempire quanto nel presente editto si contiene, per non incorrere nelle pene nel medesimo commmate, che contro i trasgressori saranno puntualmente eseguite Dichiarando, che il medesimo editto publicato, ed affisso nei soliti luoghi di Roma, obbli-

Digitized by Google

gherà tutti, come se a tutti fosse personalmente intimato. Questo di primo Febbraro 1707.

Giuseppe Domenico DE TOTIS, deputato dalla Santità di N. Sign.

Paolo FATII, notario A. C. delle sacre congregazioni.

EDICTUM

(4. *Quo plura statuuntur atque mandantur pro sedulo missarum onerum adimplemento, eorumque in destinatis libris descriptione.*

Avendo la Santità di Nostro Signore Papa Clemente XI con editto emanato sotto il primo di Ottobre 1704 già prescritto il metodo, che universalmente deve osservarsi nell'adempimento degli obblighi di messe, tanto perpetue, quanto manuali, ed avendo con altro simil editto sotto il primo Febbraro 1707 providamente ordinato, che si diano nella nostra segreteria le notizie dei nuovi pesi di celebrare negli altari, o chiese destinate da'testatori, o pii benefattori, quindi è, che inerendo agli accennati editti con rinnovarne la puntuale osservanza sotto le medesime pene in essi contenute, e volendo con il suo santo zelo sempre più provedere al totale adempimento dei sopra nominati obblighi di messe, per ordine espressamente datoci a bocca precisamente vuole e comanda.

Che tutti li cappellani e sacerdoti, canonici, abbati, rettori, beneficiati, ed altri di qualsivoglia stato, grado e condizione, anche privilegiati, privilegiatissimi, delli quali se ne dovesse fare speciale mentione, tanto secolari, quanto regolari di qualsivoglia ordine ed instituto, comprese anche le undici congregazioni, e li Padri Gesuiti, di qualunque monastero, convento, ospizio, oratorio, chiesa, ed altro luogo pio di quest'alma città di Roma, che anno il peso di celebrare le messe in un altare certo e determinato, debbano per l'avvenire celebrarle nel medesimo, e non in altro altare, benchè ugualmente o più privilegiato. Ed acciò apparisca tale adempimento, doveranno li suddetti che averanno celebrato, notare di proprio carattere la celebrazione nel libro, che nelle sagrestie si ritiene a tal affetto, con l'espressione dell' istesso altare, come per esempio, se si hanno da celebrare le messe nell' altare di San Francesco, debbano scrivere di proprio carattere la celebrazione in questa forma, cioè: *Ego N. celebravi ad altare S. Francisci;* ovvero esendo notato l'Altare nel foglio contrapposto possono scrivere in questo modo: *Ego N. celebravi ad contrascriptum altare*, e così doveranno fare di altro altare, se l'obbligo sarà in altro altare, altrimente incorreranno *ipso facto* nella pena di dieci scudi d'oro per ogni volta, che contravveranno, da applicarsi la metà all' accusatore; e l'altra metà a' luoghi pii ad arbitrio della Santità Sua, e saranno tenuti a celebrare di nuovo le messe celebrate, o fatte celebrare in altro altare, ovvero non notate nella forma già detta, come se non fossero in modo veruno adempite. E se saranno regolari quelli che in qualunque modo contravveranno a quanto nel presente editto si contiene, incorreranno *ipso facto* nella pena della sospensione dell'uffizio e della privazione della voce attiva e passiva; ed anche tanto contro i suddetti secolari quanto regolari si procederà ad altre pene ancora maggiori ad arbitrio di Sua Santità. E contro i sagrestani ed altri sopraintendenti alle sagrestie che non invigileranno alla puntuale osservanza di tale adempimento si procederà rigorosamente con simili ed altre pene ad arbitrio di Sua Beatitudine.

Similmente ordina, e comanda, che le messe perpetue dalla pia disposizione de'Fedeli lasciate da celebrarsi in una certa, e determinata chiesa, non possano in conto alcuno celebrarsi, o farsi celebrare in altra chiesa, e molto meno fuori di Roma; ancorchè l'altra chiesa, tanto dantro la città, quanto fuori fosse dipendente dalla chiesa, dove sono state destinate le messe, o fosse della stessa religione, dell' istesso instituto. E quelli, che in qualunque maniera contravverranno, incorreranno nel medesimo modo nelle pene già sopra espresse.

Finalmente essendosi ordinato sotto il primo di Ottobre 1704 nel sopra nominato editto, o instruzion eda osservarsi per l'adempimento degli obblighi delle messe, che il libro delle messe perpetue debba intavolarsi anno, per anno, ed esser finito d'intavolarsi dentro il mese di Ottobre diciaschedun anno per l'anno avvenire, e nelli mesi di Novembre, e Decembre esibirsi al computista deputato dalla medesima Santità Sua, ed essendosi per l'esperienza riconosciuto, che l'esibirlo in detto tempo genera qualche confusione, ed incomodo, perchè molti portandolo nel fine del mese di Decembre, non possono poi subito per l'angustia del tempo, dentro il quale non può il computista riconoscere tanti libri, nel principio del nuovo anno riaverlo, ed in conseguenza notare in esso la celebrazione delle messe, ma sono forzati a notare la celebrazione in foglio volante; perciò la Santità Sua non cessendo di sempre più procurare il miglior e più facile modo di adempire li obblighi delle messe, confermando in tutto e per tutto il nominato editto, o istruzione, e solo in questa parte moderandolo, espressamente ordina, e comanda, che li libri delle messe perpetue per gli anni avvenire debbano intavolarsi dentro il mese di Settembre, ed esibirsi al detto computista dentro il mese di Ottobre sotto le medesime pene ai trasgressori già nell' accennato editto contenute.

Awerta dunque ciascuno di puntualmente adempire quanto nel presente editto si prescrive, altrimenti incorrerà irremissibilmente nelle pene in esso comminate, ed anche in altre maggiori ad arbitrio di Sua Beatitudine. Ed acciò niuno possa in qualsivoglia tempo allegare ignoranza di quello

Digitized by Google

si contiene in questo editto, si doverà in ciascuna sagrestia di tutte, e singole chiese, e luoghi pii di Roma tenere continuamente affisso in luogo visibile un esemplare del medesimo editto, sotto pena, in caso di contravenzione, di scudi dieci d'oro da pagarsi irremissibilmente dalli sagrestani, o sopraintendenti alle sagrestie, se saranno preti secolari, e della privazione d'ell'uffizio, della voce attiva, e passiva, e dell' inabilità a qualsivoglia uffizio, se saranno regolari, dichiarendo però, che questo editto publicato, ed affisso ne' soliti luoghi di Roma obbligherà tutti, e singoli, come se a tutti, e singoli fosse personalmente intimato.

Questo dì 25 Gennaro 1708.

Leonardo Antonio Ghezzi, Seg. della sagra Visita Apostolica.

Niccolò Pignatelli, commissario, e fiscale della sagra Visita Apostolica.

Paolo Fatii, not. delle sagr. congr.

EDICTUM

(3. *Quo præcedentes ordinationes instaurantur, ac plura insuper alia pro accuratiori onerum missarum adimplemento statuuntur.*

La pastorale sollecitudine di nostro Signore già mai si stanca di pensare a stabilire un perfetto regolamento, perchè totalmente si adempiscano i legati, e pesi delle messe, e ne ricevano il dovuto, e pronto suffragio le anime de' defonti, ed ajuto, e grazie li fedeli, che non li trascurano, perciò avendo nelli anni scorsi fatto pubblicare alcuni editti, per mezzo de' quali si è ottenuto nella maggior parte il bramato fine, ne rinnova ora con tutto il fervore, autorità, e comando quanto in essi viene prescritto, e sentendo tuttavia in sorgere alcuni abusi nell' adempimento di molti legati, a cui possa darsi più opportuno rimedio, con comando expresso datoci a viva voce, vuole che si pubblichino li ordini seguenti.

Primieramente per li legati di messe, che restano in arbitrio di poterli soddisfare in quella chiesa, o chiese, dove parerà, e piacerà agli eredi, o altri che abbino per qualunque titolo l'obbligo ingionto di adempirli, sieno tenuti li detti eredi, o altri come sopra tanto ecclesiastici, quanto laici di qualsivoglia stato, grado, e condizione, in fine d'ogni anno portare la giustificazione, del loro adempimento nella computisteria della Sagra Visita, nella quale se ne riterrà registro in libro a parte, verranno riconosciute da uno dei computisti a tal fine deputato, sottoscrito da monsignor segretario della sagra Visita Apostolica *pro tempore*, sotto pena a' cotravventori di scudi 25 d' oro da applicarsi la metà al denunziante, che sarà tenuto segreto, e l'altra metà in beneficio de' poveri luoghi pii, e se saranno regolari incorreranno nella pena della sospensione dall' uffizio, e della privazione della voce attiva, e passiva, oltre altre pene anche maggiori ad arbitrio di Sua Santità e della sagra congregazione della sagra Visita.

Ordinando, e dichiarando, che le giustificazioni da esibirsi, come sopra, debbano contenere la celebrazione delle messe notate giorno per giorno dal celebrante in un foglio, e libretto particolare con la sottoscrizione in fine del rettore, o sagrestano di quella chiesa, o chiese, delle quali si saranno celebrate; e per la celebrazione delle messe, che per disposizioni de' benefattori, o per speciale indulto si facesse fuori di Roma, le dette giustificazioni debbano essere legalizzate dalli ordinarj de' luoghi, se li celebranti sarrano sacerdoti secolari, e se regolari, da' superiori maggiori della loro religione.

E quando il benefattore ha ingionto il peso agli eredi, o altri di dichiarare la chiesa, dove abbino a celebrarsi le messe, siano quelli tenuti sotto le pene suddette, dentro sei mesi determinare la chiesa, nella quale abbia a farsi l' adempimento, e registrarsi nella tabella di detta chiesa.

Ordina parimente la santità Sua, che tutti li pesi di messe perpetue, o a lungo tempo che passi li dieci anni, li quali sino al presente non si trovassero espressi nelle tabelle di quelle chiese in cui devono soddisfarsi, o perchè l'obbligo di soddisfarli spettava ad altri, o secolari, o regolari, o luoghi pii, o pure perchè sin ora si sono fatte soddisfare, come se fossero messe avventizie, per lavvenire, si aggiungano alle dette tabelle, con l' espressione, che il peso di farsi soddisfare spetta a talli eredi, legatarj, o altri. E per la più pronta, e facile esecuzione, si ordina alli eredi, legatarj, o altri, come sopra, che non trovandosi espressi gli accennati pesi nelle tabelle di quelle chiese, dove gli devono far soddisfare, nel termine di sei mesi, ne portino la notizia in detta computisteria sotto le pene di sopra espresse.

In oltre la Santità Sua vuole, e comanda, che l' erezione delle cappellanie, o assegnamento dei fondi per peso di messe ingionto da' benefattori, si faccia sollecitamente, e perciò nel termine di sei mesi dovranno gli eredi, o altri come sopra, far costare in detta computisteria l' erezione, o assegna fatta de' fondi. E quando per qualche giusta, e ragionevol causa si richiedesse maggior tempo, dentro il medesimo termine di sei mesi, dovrà impetrarsi una proroga competente.

Essendo per tanto tutti questi ordini diretti a togliere gli abusi, e manterene con facilità, ed esatezza l' adempimento de' legati pii, procuri ciascuno prontamente eseguire quanto nel presente editto si contiene, e per secondare con la dovuta obbedienza la rettissima intenzione di Sua Beatitudine, e per non incorrere nelle pene in esso comminate, le quali irremissibilmente si eseguiranno contro gli trasgressori; dichiarando, che il medesimo editto pubblicato, ed affisso ne' soliti luoghi di Roma obbligherà tutti, come se a tutti, e a ciascheduno di loro fosse personalmente intimato. Ed ac-

Digitized by Google

ciocchè in qualsivoglia tempo l'avvenire nessuno possa allegare causa d' ignoranza di quanto nel presente editto si contiene, si dovrà in ciascheduna sagrestia di qualsivoglia chiesa, e luogo pio di Roma tenere continuamente affisso in luogo visibile un esemplare del medesimo Editto sotto le pene sopra espresse in caso di contravenzione.

Dato li 18 Settembre 1719.

A. M. Pallavicini, segretario della sagra Visita Apostolica.

Gaetano Ivones, commissario, e fiscale della sagra Visita Apostolica.

Paolo Fatii, not. A. C. e della sacra congreg. *Hæc insuper notasse liceat.*

(6. Missarum celebratio, et applicatio probatur juramento celebrantis, ipsi enim id asserenti cum juramento credendum est, licet in libro ad hoc parato, per incuriam, oblivionem, aut alia de causa non reperiatur descriptus : quia ea, quæ pendent ab animo, et conscientia, legitime probantur juramento, ex punctuali, et notabili *Glossa* in cap, *Significasti* 16, verb. *Si est ita*, De homicid. Sic expresse Monacell., in *Formulario legali practico*, t. II, tit. 13, formul. 2, n. 46, asferens ad id decretum sac. congregat. Concilii *in una Civitat. Plebis* sub die 17 Maii 1704, et testans de communi DD. Dictus autem celebrans, qui missas celebratas in libro ad hoc parato non notavit, potest ab ordinario mulctari. Monacell., *loc. cit.*, ex Gavant. in *Manuali episcop.*, verb. *Missa*, n. 60, et Concil. Mediolan. provincial. VII, part. I, tit. *De missis*, ubi rectores Ecclesiarum carentes dicto libro multantur aureo nummo, et sacerdotes non scribentes duodecim solidis.

(7. * Si Ecclesia, et loca pia careant redditibus, adeo ut non possint licite illos erogare in expensas pro missarum celebratione, fas ejus administratoribus est aliquid subtrahere de consueta eleemosyna, quantum necesse est pro celebratione illius missæ, ut ex decreto Urbani VIII, certum est. Sed ex pluribus decretis sacræ congregationis eruitur, detrahi in eo casu aliquid posse ex eleemosyna in missis perpetuis : tunc autem videndum est, num adsit aliquis, qui sit obligatus supplere, et num potius supplendum sit recurrendo pro diminutione numeri missarum.

(8. Sive autem Ecclesia sit paupercula, sive non, non potest aliquid exigi ab iis sacerdotibus, qui sponte religione ducti veniunt in aliqua Eclesia celebraturi, sicut etiam ab iis, qui ab administratoribus Ecclesiæ eleemosynam nullam recipiunt.

(9. Jure tamen exigitur hæc detractio ab iis, qui omnino ibi celebrare volunt, nec Ecclesia habet de suo quomodo utensilibus provideat, nec de suo providet ille, qui eleemosynam suppeditavit. Hæc omnia ex tract. Benedicti XIV, *De sacrif. missæ*, lib. II, cap. 24, § 13.

(10. De eleemosynis receptis pro missis, sacristæ regulares tenentur illas ponere in arca duabus clavibus obserata, quarum alteram tenere debet superior localis, alteram unus ex regularibus a capitulo deputatus; ac deinde de satisfactione earumdem missarum tenentur reddere rationem coram Patribus discretis, ut ex decreto Urbani VIII ab Innocentio XII confirmato constat. *Institut. eccles.*, 72, § 29.

(11. Benedictus XIII in Romano concilio præfectos regularium monuit, ut in taxanda pecuniæ summa pro missis perpetuis sexaginta scuta romana definirent non excedendo nec minuendo. *De sacrific. miss.* lib. III, cap. 22, § 9.

(12. Episcopus potest quidem visitare parochiales ecclesias regularium; sed num possit etiam recognoscere de oneribus missarum, an sint impleta, requisita fuit sac. congregatio, et nondum prodiit responsum. Potest tamen episcopus inquirere, num parochus regularis singulis diebus festis pro populo celebraverit, cum id concernat curam animarum, de qua jus est inquirendi episcopo in visitatione. *De syn. diœc.*, l. XIII, c. ult., n. 5, nov. edit. Fas est tamen episcopo visitare confraternitates laicorum in ecclesiis regularium erectas, et altare, si illis incumbit onus manutenendi, et onera missarum, ad quæ confraternitates illæ tenentur. *Ibid.*, § 6.

(13. Si testator missas reliquerit quotannis celebrandas in ecclesiis regularium, et hæredi suo permiserit, ut designet sacerdotem, per quem celebrari debeant, non possunt regulares exigere, ut unus ex suis designetur, quin et præstare debent patientiam, ut ab eo, quem hæres designarit, in suis ecclesiis celebrentur, dummodo tamen dentur frustatoriæ, ut ex responso S. congregationis. *Ibid.*, § 7. *V. Addit. Cass.*, ad. art. 4, h. rubr.

(14. A mandatis et monitoriis, etc., per quæ retardetur exsecutio provisionum, et statutorum pro divino cultu conservando, et augendo, præsertim circa missæ celebrationem, ad exsecutionem decretorum Tridentini, sess. XXI, *De ref.*, cap. 8, et sess. XXII, in *Decr. de observ. et evitand. in celebr. miss.*, ne recipiantur in tribunali actus judiciales, per quos eorum exsecutio impediatur, sancitum est a pontifice in bulla *Ad militantis. Bull.* tom. I, n. 48, § 46.

ARTICULUS XVI.

Missa a quibus, et quibus in locis audiri possit, et debeat?

SUMMARIUM.

1. Omnes fideles usus rationis capaces, non legitime impediti, cujuscunque sint status, et conditionis, tenentur integram missam audire singulis diebus Dominicis, et festivis sub peccato mortali. — 2. Missam audire tenentur integram, et quidem unius solius sacerdotis, et non debent ante benedictionem sacerdotis egredi. — 3. Unde probabilius non satisfaciunt præcepto de audiendo sacro, etiam qui successive a diversis celebrantibus absque justa causa audiunt duas medietates. — 4. Partem notabilem missæ omittere est peccatum mortale : parvam autem omittere est solum veniale, si nulla justa causa intersit. — 5. Quænam sit parva, aut notabilis. — 6. Impediti aliqua impotentia, sive physica, sive morali, aut aliquo officio, seu rationabili motivo

Digitized by Google

excusantur a præcepto audiendi sacrum, et assignantur sic legitime impediti. — 7. In omnibus recensitis casibus, et consimilibus excusantur fideles ab obligatione audiendi Sacrum ex mente ecclesiæ præcipientis instar discretæ, et benignæ matris nolentis obligare cum tanto rigore. — 8. Non excusantur autem domini, nec famuli, qui ob parvum lucrum per occupationes impediuntur ab audienda missa. — 9. Fideles audiendo missas in ecclesiis regularium satisfaciunt præcepto de audiendo missam. — 10. Unde non possunt fideles constringi ad missam audiendam in ecclesia parochiali. — 11. Nec ullam censuram meretur, qui docet in foro conscientiæ nullum teneri in diebus festis parochiæ suæ interesse ad missam audiendam. — 12. Fideles satisfaciunt præcepto de audiendo missam etiam in oratoriis, et capellis domesticis regularium. — 13. Imo etiam in capellis regularium rusticis, seu oratoriis sitis in eorum grangiis, seu prædiis ruralibus. 14. Satisfaciunt audiendo missam in oratoriis, et capellis cardinalium, et episcoporum. — 15. Etiam in oratoriis de licentia episcopi erectis in quibusdam domibus, dummodo ab ipsis domibus ita sint separata, ut per eas ad illa minime iri possit, et a via publica pateat cunctis accessus. — 16. In oratoriis vero privatis, quæ a Sede Apostolica aliquibus in propriis domibus solent concedi, satisfaciunt audiendo missam solummodo in indulto privilegiati. — 17. Ut autem sciatur, quinam sint privilegiati nec ne: adducuntur clausulæ, quæ in similibus indultis solent impresentiarum regulariter apponi. — 18. Adducitur clausula, quæ solet apponi in Indulto pro infirmo, etiam nobili. — 19. Familiares, seu famuli indultarii in ejus domo inservientes, et ejus expensis viventes, nisi in actu celebrationis missæ servitio Domini necessarii sint, ut satisfaciant præcepto de audienda missa diebus festis, tenentur accedere ad ecclesiam. — 20. Adducitur, et solvitur instantia. — 21. Talis conditio, cum ponatur in indultis de intentione expressa Pontificis, et declaratione sac. congr. Concilii, est omnino servanda, ad num. 22. — 23. Indultarii autem, qui suis in indultis majora habent privilegia, et ampliores clausulas, possunt iis libere, et licite uti sine ulla restrictione. — 24. In oratorio rurali ultra dimidium miliare ab ecclesia distante satisfaciunt omnes familiares. — 25. Concesso privilegio domino, et famulis eidem inservientibus, absente domino, famuli audientes sacrum non satisfaciunt præcepto. — 26. Si autem dominus, audito sacro in ecclesia, ex devotione iterum audiat solitum sacrum in suo privato oratorio, tunc familia, et famuli acta domino inservientes satisfaciunt præcepto audiendi sacrum. — 27. Celebrato in ipso privato sacello, seu oratorio uno sacro, non potest illa die aliud celebrari neque per regulares. — 28. Familiares sunt solum illi, qui expensis ejus, cujus dicuntur familiares, continuo vivunt, et morantur cum eo, indeque continui commensales dicuntur. — 29. Appellatione familiæ, quæ in privatis oratoriis potest audire missam, veniunt omnes illi, qui habitant in domo privilegiati cum quadam habitudine ad illum, et assignantur. — 30. Filii, ac filiæ privilegiati, eorumdem uxores, ac viri non gaudent hoc privilegio, si habitent in eadem domo, sed vivant separatim propriis expensis. — 31. Alia ad rem, remissive.

(1. Omnes fideles usus rationis capaces non legitime impediti, cujuscunque sint status, et conditionis, tenentur integram missam audire singulis diebus Dominicis, et festivis, sub peccato mortali, cap. *Missas* 64, De consecratione, distinct. 1; cap. *Omnes fideles*, cap. 2, De parochis, cap. *Ut Dominicis*, cap. *Si quis*, et cap. *Qui die*, De consecrat., dist. 1. Concil. Agathens. c. 47; concil. Matiscon. II c. 4. (2. Dixi *integram missam*, quia, juxta Canonem *missas* 64, De consecrat., dist. 1, non debet populus ante benedictionem sacerdotis egredi: et ab Innocentio XI, die 2 Martii 1679, damnata fuit hæc propositio, quæ est 53, in ordine: « Satisfacit præcepto Ecclesiæ, de audiendo sacro, qui duas ejus partes, imo quatuor simul a diversis celebrantibus audit. » 3. Unde probabilius, imo pro certo, juxta nunc receptam apud probatiores theologos sententiam, non satisfaciunt præcepto de audiendo sacro, etiam qui successive a diversis celebrantibus absque justa causa, imo absoluta, audiunt duas medietates, v. gr. a consecratione usque ad finem ab uno, et postea a principio usque ad consecrationem ab alio sacerdote, ut solide probat Lugo *De sacr. Eucharistiæ*, disp. 22, sect. 1, n. 8, citans pro se Azorium, Toletum, Fagundez, Suarez, Coninch, Reginal. et alios; opinio enim contraria videtur virtualiter comprehendi in damnatione mox recensitæ propositionis 53 propter eamdem rationem. (4. Partem notabilem missæ omittere est peccatum mortale, parvam autem omittere est solum veniale, si nulla justa causa intersit. (5. Et parva pars censetur communiter a doctoribus omissio usque ad Epistolam exclusive, et a communione usque ad finem; et sic excusantur a mortali, qui missam audiunt a principio Epistolæ, seu etiam Evangelii, secundum multos, usque ad finem, vel etiam ab initio usque ad communionem, cum sic non omittant partem notabilem, uti esset media, vel tertia pars, ex quo sic notabiler deficeretur contra præceptum de audienda tota missa indictum a concilio Agathens., cap. 47, his verbis: « Missas die Dominico sæcularibus totas audire speciali ordine præcipimus, et in c. *Omnes fideles*, De consecrat, dist. 1, his præcisis verbis: « Omnes fideles, qui convenient in solemnitatibus sacris ad ecclesiam, et Scripturas Apostolorum, et Evangelium audiant. Qui autem non perseverant in oratione, usque dum Missa peragatur... convenit communione privari. »

* « Juxta multos, inquit Antoine in *Tract. de virtute religionis*, cap. 11, quæst. 5, n. 1, § *Porro*, peccat solum venialiter, qui ab initio Epistolæ usque ad finem missæ interest, quia putant partem omissam non esse notabilem. At ex communi sententia omissio initii missæ, et aliorum usque ad Evangelium inclusive, imo secundum multos etiam exclusive, est mortalis: quia hæc pars omissa notabilis est respectu missæ. Imo est mortale abesse solo tempore consecrationis: nam est pars maxime notabilis, et principalis, cum in ea consistat essentia sacrificii, et Ecclesia præcipiat missam principaliter quoad sacrificium. « Tunc fiunt « missæ, quando munera offeruntur, et « corpus, vel sanguis Domini consecratur, » ait S. Cæsarius. Idem dicunt aliqui de communione sacerdotis: quia vel est essentialis pars sacrificii, vel saltem est de illius integritate, et complemento substantiali, ac proinde est pars notabilior: pars enim no-

Digitized by Google

tabilis æstimari debet non solum ex diuturnitate, sed etiam ex dignitate operis : nec leve censeri debet abesse ab essentia, vel integritate, ac complemento sacrificii, cui toti interesse teneris. Hinc qui potest solum interesse consecrationi, et non reliquæ parti missæ, ad id tenetur; nam illa pars est principalis, et continet essentiam sacrificii, nec principale sequitur accessorium.»

(6. Dixi non legitime impediti, quia impediti aliqua impotentia, sive physica, sive morali, aut aliquo officio, seu rationabili motivo excusantur a præcepto audiendi sacrum, uti sunt infirmi, carcerati, domi sequestrati, navigantes, excommunicati, (* « Tenentur tamen excommunicati, quam primum possunt, obtinere absolutionem, quam si obtinere non curent, erunt in causa omissionis missæ, et omissio imputabitur ad peccatum lethale. » Ita P. Cuniliati, tract. 6, *De tertio Decalogi præcepto*, cap. 11, § 4, n. 11 *) interdicti, milites custodientes castra, et urbes, si suo muneri deesse non possunt, pastores ovium, et similes, si non habeant alios, quos ad earum custodiam relinquant, nec possint diversis horis, et alternis vicibus omnes sacro interesse; matres et custodes infirmorum, si non habeant, quos relinquant ad custodiam infantulorum et infirmorum, qui possent pati periculum; timentes prudenter grave damnum sibi, aut aliis, si exirent de domo; habentes gravia negotia expedienda, quæ sine magno incommodo differri non possunt; itinerantes, qui nequeunt sacrum audire, nisi amittant socios, sine quibus, vel viam ignorant, vel prudenter timent latronum periculum, aut aliud grave malum; habentes graves difficultates adeundi ecclesiam ob distantiam loci, ob difficile iter, ob pluviam, et similia; mulieres gravidæ, si graviditates sint periculosæ; non habentes vestes suo statui convenientes; mulieres ex consuetudine patriæ non egredientes tempore luctus * Romanus theologus hanc ad hæc verba not. apposuit : « Non habentes vestes convenientes possunt summo mane audire sacrum. Nec videntur excusari mulieres posse ex consuetudine loci tempore luctus, cum abusus hic sit intolerabilis, nec rationi consentaneus. » Hunc tamen morem absolute non damnat P. Cuniliati, qui, *loc. cit.*, n. 111, scribit : « His causis excusantibus accedere potest consuetudo aliquarum regionum, in quibus nobiles in diebus luctus alicujus stricte conjuncti, domi se continere consueverunt, quamvis non habeant privilegium oratorii domestici. In aliis, puellæ nubiles tempore sponsaliorum domo exire non consueverunt. In aliis, mulieres puerperæ tot septimanis ab Ecclesiæ ingressu arcentur, quousque a sacerdote benedicantur; et hæc, fiunt scientibus episcopis, et parochis, iisdemque tacentibus : idcirco omittentes missam non videntur culpandi. Cavendum tamen, ne hæ consuetudines introducantur, ubi non sunt, et ne amplientur, ubi obtinent. » Subdit autem opportune n. 4 : « Monendum est, impeditos ex causa aliqua audire sacrum teneri sub mortali supplere per aliqua alia pietatis opera, præcipue actuum fidei, charitatis, spei, contritionis, aut similium. Non quidem ex vi præcepti ecclesiastici, quod obligat ad missam, sed ex vi præcepti naturalis colendi Deum diebus festivis : unde qui non potest cultu præscripto, potest autem supplere per cultum alterum, supplere obligatur. Ita docent P. Marchantius, t. II *Tribunal.*, tract. 4, tit. 2, quæst. 3, auctor non severus, et P. Sporer, tract. 3, in tertium præcept., c. 4, sect. 2, n. 36, auctor ex benignioribus; » * et mulieres post partum, dummodo non exeant ob alias causas; uxores ob zelotypiam a maritis impeditæ, feminæ ex occulta fornicatione prægnantes, si metuant exire, ne reæ sic cognoscantur; ignorantes invincibiliter, et inculpabiliter inadvertentes tali die currere festum de præcepto. (7. In omnibus enim recensitis casibus, et consimilibus, excusantur fideles ab obligatione audiendi missam ex communi doctorum; cum hæc sit mens Ecclesiæ præcipientis instar discretæ, et benignæ matris nolentis obligare cum tanto rigore. (8. Non excusantur autem domini, nec famuli, qui ob parvum lucrum per occupationes impediuntur ab audienda missa, juxta canonem *Non putatis*, dist. 89. *Vide* verb. VIDUA, n. 9.

(9. Fideles audiendo missas in ecclesiis regularium satisfaciunt præcepto de audiendo missam, ex declaratione Leonis X, data 13 Novembris 1517, in constitut. incip. *Intelleximus*, quæ est tenoris, qui sequitur : « Intelleximus, quosdam in dubium revocare, et perinde timoratis conscientiis scrupulum injicere, si Christifideles, qui Dominicis et festis diebus extra ecclesias suas parochiales missas audiunt in ecclesiis Fratrum ordinum mendicantium, Ecclesiæ præcepto de missa audienda satisfaciant. Nos enim ambiguitatem hujusmodi penitus tollere volentes, ut cum sinceriori conscientia fideles quique Deo Creatori suo serviant, auctoritate Apostolica, tenore præsentium notum facimus, omnes Christifideles utriusque sexus, qui (non contempto proprio sacerdote parochiali) in ecclesiis Fratrum ordinum mendicantium, Dominicis, et festis diebus, missas audiunt, satisfacere præcepto Ecclesiæ de missa audienda, nec in aliquam labem mortalis peccati, pœnamve incurrere. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque, etc. » Ex Paolo III in sua extravaganti emanata Kalendis Novembris 1549, incipient. *Licet debitum*, qua « omnibus Christifidelibus cujuscunque conditionis, qui verbi Dei prædicationibus in templis ejusdem Societatis (*Jesu*) interfuerint, concedit, ut ibidem missas audire, et sacramenta recipere libere, et licite valeant, neque ad id parochiales ecclesias accedere teneantur; » ex S. Pio V in sua constitut. edita 16 Maii 1567, incip. *Etsi mendicantium*, in qua Summus ille Pontifex refert vexationem, de qua religiosi mendicantes querebantur apud episcopos, et sacerdotes : « Aliqui vero, inquit, in

Digitized by Google

suos parochianos ad sonum campanæ excommunicationem promulgant, ut non possint interesse missis, concionibus, et divinis officiis, nisi in propria parochia. » En causa expostulationis, circa quam S. ille Papa decidit, concilii Tridentini decr. incip. *Quanta cura*, sess. XXII, explicans his verbis : « Decretum, quod populum sæpe ad suas Ecclesias, saltem Dominicis, et majoribus festivis diebus convenire debere monet insequendo, volumus, quod fratribus mendicantibus hujusmodi, non solum prohiberi non possit, ne missas, et alia divina officia in eorum ecclesiis, etc. Quicunque utriusque sexus Christifideles totius anni tempore illas, et illa (missas, et divina officia) in ecclesiis Fratrum hujusmodi audire possint, ipsi Christifideles ullatenus desuper molestari, aut impediri per locorum ordinarios, seu rectores parochialium ecclesiarum.... non valeant, seu debeant. Sed præfati Christifideles audiendo missas, et alia divina officia in ecclesia Fratrum hujusmodi, diebus Dominicis, aut festivis, præcepto Ecclesiæ de illis audiendis satisfecisse censeantur. » Et ex Clemente VIII, qui anno 1592, 22 Decembris, contrariam opinionem circa hanc controversiam Duaci excitatam expresse dirimit his verbis : « Præsenti nostro decreto sancimus, licere sæcularibus Christifidelibus universis missas diebus Dominicis, et festis aliis majoribus audire in ecclesiis, tam fratrum Prædicatorum, quam aliorum mendicantium, nec non etiam Collegii Societatis Jesu, juxta eorum privilegia, et antiquas consuetudines, dummodo id in contemptum parochialium ecclesiarum non faciant: et tam dictis Patribus Prædicatoribus, ac Presbyteriis dictæ Societatis, quam aliis privilegiatis, quibus id a Sede Apostolica indultum est, idoneis, et ab ordinario approbatis, peccata sua, etiam Quadragesimali, et Paschali, et quovis alio tempore confiteri licite posse, etc. »

(10. Ex quibus patet non posse fideles constringi ad missam audiendam in ecclesia parochiali. Sac. Congregat. 10 Octobris 1581. In Tridentino enim sess. XXII, *Decret. de observandis et evitandis in celebrat. missæ*, solum dicitur : « Moneant episcopi populum, ut frequenter ad suas parochias saltem diebus Dominicis, ac majoribus festivitatibus accedant. Et sac. congregat. Concilii Tridentini declaravit : « Non posse ordinarium, mulctis et pœnis cogere populum ad audiendam missam, aut concionem in propria parochia, etiam in casu negligentiæ, aut contumaciæ; ut refert Azorius, tom. I, lib. VII, cap. 8, quæst. 6; Lugo, *De eucharist.*, dist. 22, sect. 1, n. 2, et alii. (11. Nec ullam censuram meretur, qui docet in foro conscientiæ nullum teneri in diebus festis parochiæ suæ interesse ad missam audiendam, ut declaravit Alexander VII in speciali

decreto anno 1659, die 29 Januarii emanato.

Hanc tamen propositionem non esse prædicandam, nec publice docendam statuit. Ita namque in dec reto laudato : « 4. Nullus inforo conscientiæ laudato parochiæ suæ interesse tenetur, nec ad annuam confessionem, nec ad missas parochiales, nec ad audiendum verbum Dei, divinam legem, fidei rudimenta, morumque doctrinam, quæ ibi in catechesibus annuntiantur, et docentur. Quoad primam et secundam partem simpliciter accepta est erronea, et temeraria : suppositis vero privilegiis Apostolicis nullam meretur censuram. Et quoad tertiam partem, de auditione verbi Dei, servetur dispositio sacri concilii Tridentini. 5. Talem legem in hac materia nec episcopi, nec concilia provinciarum, vel nationum sancire, nec delinquentes aliquibus pœnis, aut ecclesiasticis censuris mulctare possunt. Suppositis itidem privilegiis apostolicis, nullam meretur censuram, verum ista non est prædicanda, nec publice docenda, prout nec præcedens quarta. »

(12. Fideles satisfaciunt præcepto, audiendo missam etiam in oratoriis et capellis domesticis regularium, cum in ipsis ex privilegiis possint quotidie celebrari plures missæ etiam a sacerdotibus sæcularibus, cum sit privilegium locale, quo gaudere possunt omnes. Sacra congregat. Episcop. et Regular. *in Bononien.* 31 Maii 1602; *in Tarant.* 25 Maii 1618, et congregat. Concilii *in Neapolitan. et Brundusin.* 8 Augusti 1615. (13. Imo etiam in capellis regularium rusticis, seu oratoriis sitis in eorum grangiis, seu prædiis ruralibus. Gregor. XV, 24 Septembris 1622, et congregat. Concilii 6 Martii 1621, et sic plurimi doctores sustinent stante etiam privilegio concesso ab Alexandro VI, Cisterciensibus relato a Rodriguez, tom. II, quæst. 75, art. 2; et Pellizar. in *Manual. regul.*, tom. II, tract. 8, cap. 2, n. 134 (81). (14. Satisfaciunt audiendo missam in oratoriis, et capellis cardinalium ; sac. congregat. Conc. 1 Februarii 1623, et Episcoporum ; ex sac. congregat. Conc. 22 Septembris 1640. (15. Etiam in oratoriis de licentia episcopi erectis in quibusdam domibus, dummodo ab ipsis domibus ita sint separata, ut per eas ad illam minime iri possit, et a via publica pateat cunctis accessus sac. congregat. Episc. et Regular. *in Conimbricens.* 1 Julii 1616. (16. In oratoriis vero privatis, quæ a Sede Apostolica aliquibus in propriis domibus solent concedi, satisfaciunt audiendo missam solummodo in indulto privilegiati. (17. Ut autem sciatur, quinam sint privilegiati, nec ne, adducuntur clausulæ, quæ in similibus indultis solent impræsentiarum regulariter apponi. « Volumus autem, quod familiares servitiis tuis tempore dictæ missæ actu non necessariis ibidem missæ hujusmodi interessentes, ab obligatione audiendi

(81) *Nota Rom. theologi.* In capellis ruralibus, et privatis domibus regularium sacrificare non licet, nisi oratoria erecta sint auctoritate ordinarii; ita ex decreto sacr. congr. Concil. 1 Martii 1687 relato a cardinali Petra *Comment. ad Const. Apost.*, tom. I, sect. unic., n. 53. (Vide *Addit.* nostras ad *verb.* CAPELLA, n. 79.)

Digitized by Google

missam in ecclesia diebus festis de præcepto minime liberi censeantur. (18. Pro infirmo autem etiam solet apponi sic : « Tibi, ut « etiam diebus ut præfertur exceptis, si in « illis ob infirmitatem domo egredi non po- « teris, in dicto oratorio prædictam unicam « missam celebrari facere, ac illam cum « una persona servitiis tuis necessaria dun- « taxat audire libere, et licite valeas. » Vel sic : « In tua, ac unius personæ servitiis « tuis necessariæ duntaxat præsentia cele- « brari facere libere, et licite possis, et va- « leas. Volumus autem quod alii præter su- « pradictam personam missæ ejusmodi ibi- « dem interessentes ab obligatione audiendi « Missam in ecclesia diebus festis de præ- « cepto minime liberi censeantur » Et pro oratorio rurali solet poni sic : « In tua, ac « familiæ : et hospitum nobilium tuorum « præsentia celebrari facere libere, et licite « possis. Volumus autem, quod familiares ser- « vitiis tuis tempore dictæ missæ actu non « necessarii ibidem missæ hujusmodi inter- « essentes, ab obligatione audiendi missam « in ecclesia diebus festis de præcepto mi- « nime liberi censeantur. »

(19. Ex istis igitur, et similibus clausulis manifeste patet, quod familiares, seu famuli Indultarii in ejus domo inservientes, et ejus expensis viventes, nisi in actu celebrationis missæ servitio Domini necessarii sint, indulto gaudere non possunt; sed ut præcepto Ecclesiæ de audienda missa diebus festis satisfaciant, ad ecclesiam accedere tenentur non obstante, quod penes quosdam contrarius usus oppositum admittat, quia iste usus est corruptela et perniciosus abusus contra expressam intentionem Pontificis, ut clare patet in prima clausula, « Volumus autem, quod familiares servitiis tuis tempore dictæ missæ non necessarii, etc. » (20. Nec valet dici, quod præfatæ clausulæ apponantur in indulto de stylo potius officialium secretariæ brevium, quam de intentione vera Papæ, quia talis conditio, quæ est quinta tenoris sequentis : « Quinto, ut qui ibidem missam audiunt, non liberentur ab obligatione accedendi diebus præceptis ad Ecclesiam pro missis audiendis, præter eos famulos, et famulas tantum, qui servitio domini, cui facultas conceditur, fuerint necessarii; » fuit de voto sacræ cong. Concilii, Papa approbante, et mandante in hujusmodi indultis apposita *in una Minervin.* 4 Maii 1604, prout refert Fagnan., in cap. *Auctoritate*, post n. 22, De censibus, et Nicol., *Lucubrat, canon.*, lib. v, tit. 33, De privileg. et excess., post n. 7, ampl. 7. (21. Unde cum talis conditio ponatur in indultis, de intentione expressa Pontificis, et declaratione sacræ congreg. Concilii, est omnino servanda, non obstante aliquorum contraria observantia, et abusu; quælibet enim magis lata interpretatio, nec in mente, nec in verbis comprehenditur Pontificis, cum ipse in indulto personas digito designet, et famulis actu non necessariis indultum non suffragari expresse declaret. (22. Imo addo, quod cum die 31 Julii 1706 *in Auximana* transcripta fuisset in folio sac. cong. Concilii dicta clausula brevis, et propositum fuisset dubium : « An in vim dicti brevis satisfaciant præcepto missæ in diebus festis omnes famuli commensales, vel quinam in casu? » Rescriptum fuit : « Dilata juxta mentem; » et mens fuit, quod orator peteret declarationem a Papa; ideoque si sacra congreg. Concilii noluit apponere manum propter satis claram mentem Papæ in dicta clausula expressam, nemo poterit illam latius, quam sonet, interpretari, et declarare. (23. Indultarii autem, qui in suis indultis majora habent privilegia, et ampliores clausulas, possunt iis libere, et licite uti sine ulla restrictione, cum hic sit sermo solummodo de indultis, quæ communiter et regulariter juxta communes clausulas solent concedi; adeoque attendenda sunt pro observantia indultariorum indulta. (24. In oratorio rurali ultra dimidium miliare ab ecclesia distante satisfaciunt omnes familiares, cum propter talem distantiam, et longam moram accessus, et recessus, ne servitium domini patiatur, omnes dicantur actu necessarii : sicuti etiam tempore hyemis, et magnæ pluviæ : ex Monacell., tom. IV, n. 489. (25. Concesso privilegio domino, et famulis eidem inservientibus, absente domino, famuli audientes sacrum non satisfaciunt præcepto, ex decreto Clementis XI, 15 Decembris 1703. (26. Si autem dominus, audito sacro in Ecclesia, ex devotione iterum audiat solitum sacrum in suo privato oratorio, tunc familia, et famuli actu domino inservientes satisfaciunt præcepto audiendi sacrum, cum facultas concessa domino audiendi sacrum in proprio sacello non sit solum ad audiendum illud pro satisfactione præcepti, sed etiam ad audiendum ex devotione, sicuti non est concessum familiæ, et famulis solum satisfacere præcepto, quando intersunt cum domino, vel inserviunt ei audienti ad satisfaciendum præcepto, sed quoties cum eo intersunt, et ei inserviunt, sive audiat ex præcepto, sive ex devotione. (27. Celebrato in ipso privato sacello uno sacro, non potest illa die aliud celebrari, neque per Regulares, ex cit. decr. Clementis XI, 15 Decembris 1703.

(28. Familiares autem sunt solum illi, qui expensis ejus, cujus dicuntur familiares, continuo vivunt, et morantur cum eo, indeque continui commensales dicuntur, cap. *Sicut nobis.* De verborum significatione, in 6; Barbosa, appellat. 96, n. 1, ubi cum aliis dicit, quod duo debent concurrere copulative, quod scilicet inserviant actu, et vivant expensis domini. (29. Et appellatione familiæ, quæ in privatis oratoriis potest audire missam, veniunt omnes illi, qui habitant in domo privilegiati cum quadam habitudine ad illum, uti sunt pater, mater, nurus, gener, uxor, filii, filiæ, nepotes, pronepotes, et alii quicunque de parentela habitantes, et conviventes cum illo. (30. Filii vero ac filiæ privilegiati, eorumdem uxores, ac viri non gaudent hoc privilegio, si habitent in

Digitized by Google

eadem domo, sed vivant separatim propriis expensis, quia istæ personæ constituunt familiam omnino distinctam a privilegiato, cum vivant propriis expensis, habeant omnia servitia, et suos famulos seorsim a familia privilegiati, et licet maneant in eadem domo materiali, non constituunt tamen unam familiam formalem cum familia privilegiati, cum eis deficiat commensalitas, et conviventia ipsius privilegiati expensis, prout requiritur, ex cap. *Sicut nobis*, De verborum significatione, in 6 (82).

(31. Alia *vide* verb. ORATORIUM, ubi late de omnibus clausulis.

ARTICULUS XVII.

Missa quomodo debeat audiri, et quænam requirantur ad satisfaciendum præcepto eam audiendi?

SUMMARIUM.

1. Missa debet audiri cum omni devotione mentis et cordis affectu, et cum omni compositione corporis et modestia, sine ulla confabulatione, et tumultu. — 2. Missa est audienda aperto capite, et vultu ad altare converso, nec est sedendum a principio canonis. — 3. Missa non est audienda cum armis; et transgressores puniendi sunt a judice ecclesiastico. — 4. Fideles debent missæ interesse eodem decenti vestitu, quo in publicum prodire solent, et ita se componere, ut corporis habitu animi religionem præ se ferant. — 5. Missæ attendere debent auscultantes, et voto agere id, quod sacerdos agit ministerio. — 6. Ad satisfaciendum præcepto requiritur intentio, quæ sufficit, etiamsi sit solum interpretativa, et virtualis consistens in actuali voluntaria assistentia, quantumvis non sit expressus animus satisfaciendi eidem præcepto. — 7. Hinc præcepto satisfacit, qui solet interesse missæ, tanquam rei sacræ, qui adit ecclesiam volens partes christiani facere, qui adit, ut præsentia sua honoret sacrificium, qui ecclesiam adit ex nulla alia causa, et quicunque missam audit, si non constet, eum habere intentionem contrariam, præsumitur habere sufficientem. — 8. Imo satisfacit præcepto, etiamsi quis adeat ecclesiam cum intentione libidinosa videndi feminam, et simul audiendi sacrum, licet iste graviter peccaret. — 9. Audiens sacrum ob devotionem, ignorans esse diem festum, si postea advertat, non tenetur ad aliud sacrum. — 10. Audiens sacrum cum intentione ipsum audiendi ob devotionem, licet non habeat intentionem satisfaciendi per illum sacrum præcepto, vere satisfacit, etiamsi aliud sacrum non audiat. — 11. Si autem audiat tale sacrum cum positiva et actuali intentione per illud non satisfaciendi, secundum multos non satisfacit præcepto. — 12. Secundum autem plures alios satisfacit. — 13. Ad satisfaciendum requiritur etiam præsentia corporalis, et assistentia moralis. — 14. Non est tamen necesse, quod actu quis videat, aut audiat sacerdotem. — 15. Censetur quis moraliter præsens corpore, quamvis pergat ad sacristiam aliquid pro ministerio missæ allaturus, aut ad campanile campanas tacturus. — 16. Satisfaciunt præcepto qui de navi audiunt missam quæ celebratur in littore, sicuti et milites e suis tentoriis audientes eam quæ celebratur in campo publico ad distantiam 20 et 30 passuum. — 17. Missam audiens e fenestra suæ domus, si domus sit omnino conjuncta cum ipsa ecclesia, satisfacit præcepto. — 18. Si autem domus sit omnino sejuncta ab ecclesia, ita ut inter fenestram et ecclesiam mediet via, seu platea, licet videat altare, in quo missa celebratur, non satisfacit præcepto. — 19. Qui interest missæ coactus, v. g. ligatus, et reluctans, non satisfacit, sicut nec ebrius, aut dormiens. — 20. Qui tempore missæ in altam contemplationem, seu exstasim a sensibus abripitur, censetur adhuc satisfacere præcepto, maxime si pergat contemplari mysteria, quæ peraguntur in ipsa missa. — 21. Ad satisfaciendum requiritur etiam attentio tam interna quam externa. — 22. Quæ sit attentio interna? — 23. Et quæ externa? — 24. Non satisfaciunt præcepto, qui tempore notabili missæ scribunt, vel pingunt, aut negotia pertractant. — 25. Neque satisfaciunt, qui per notabile tempus de re seria confabulantur, vel res alias fixe aspiciunt et considerant, ita ut moraliter loquendo nequeant attendere ad ea quæ a sacerdote geruntur. — 26. Nec satisfaciunt, qui per notabilem partem missæ legunt attente librum profanum. — 27. Nec satisfaciunt, qui per notabilem partem missæ confitentur sua peccata. — 28. Satisfaciunt tamen præcepto qui tempore missæ conscientiam suam examinant, eliciunt actus doloris, vel aliis piis actionibus se præparant ad confessionem. — 29. Satisfaciunt etiam, qui tempore missæ recitant officium canonicum, vel pœnitentiam a confessario impositam et præceptam. — 30. Satisfaciunt etiam musici, et organædi, tympanistæ, chelistæ, tubicines, et hujusmodi, dummodo simul attendant quod a sacerdote in altari geritur. — 31. Sic pariter satisfaciunt collectores eleemosynarum, si simul attendant ad missam, sicuti ministrantes missæ sufficienter attendunt exhibendo suum ministerium. — 32. Omnes supradicti, ut satisfaciant præcepto, debent integram missam audire. — 33. Alia ad rem ad n. 49.

(1. Missa debet audiri cum omni devotione mentis, et cordis affectu, c. *Decet*, De immunit. eccles., in 6, cum omni compositione corporis, et modestia, sine ulla confabulatione et tumultu. Concil. Turon. III, c. 38; concil. Later. IV, c. 17; conc. Trid., sess. XXII, in decret. *De observand. et evitand. in celebrat. missæ*, in quo decreto circa medium mandat non permitti interesse sacrificio missæ; « Nisi prius, qui intersint, decenter composito corporis habitu declaraverint, se mente etiam, ac devoto cordis affectu, non solum corpore adesse. » (2. Missa est audienda aperto capite, et vultu ad altare converso, nec sedendum est a principio canonis; conc. Mogunt. IV, cap. 59; concil. Mediol. I, part. II, titul. *Quæ pertinent ad celebrat. missar.* (3. Missa non est audienda cum armis; et transgressores puniendi sunt a judice ecclesiastico; concil. Aurelian. III, c. 28. (4. Fideles debent missæ interesse eodem decenti vestitu, quo in publicum prodire solent, et ita se componere, ut corporis habitu animi religionem præ se ferant; concil. Mediolan., *loco mox citato*. (5. Missæ attendere debent auscultantes, et voto agere id, quod sacerdos agit ministerio; concil. Moguntin. IV, cap. 58.

(6. Ad satisfaciendum præcepto requiri-

(82) *Nota Romani theologi.* In hujusmodi oratoriis celebrari, ac præcepto satisfieri non potest, nisi eidem missæ actu præsens sit aliquis ex iis, quibus principaliter indultum concessum fuit. Hoc autem principaliter indultum concessum intelligitur iis, quibus breve dirigitur, vel facultas conceditur, ut possint in oratorio privato, cui ipsa persona adsistit, missam celebrandam ordinare; ex dec. cong. Conc. relatis a Bened. XIV, in *Epist.* cujus initium *Magno*.

Digitized by Google

tur intentio, quæ sufficit, etiamsi sit solum interpretativa, et virtualis, consistens in actuali voluntaria assistentia, quantumvis non sit expressus animus satisfaciendi ei eidem præcepto. (7. Hinc præcepto sat-is facit, qui solet interesse missæ tanquam rei sacræ; qui adit ecclesiam volens partes Christiani facere; qui adit, ut præsentia sua honoret sacrificium, qui ecclesiam adit ex nulla alia causa, si enim non adit ex alia, interpretatur adire ex ista, et quicunque missam audit, si non constet eum habere intentionem contrariam, præsumitur habere sufficientem, ut tradunt communiter doctores. (8. Imo satisfacit præcepto, etiamsi quis adeat ecclesiam cum intentione libidinosa videndi feminam, et simul audiendi sacrum, licet iste graviter peccaret, quia sic audiens efficit quidquid requiritur ad satisfactionem præcepti, habet enim assistentiam corporalem, et sufficientem attentionem cum implicita saltem voluntate satisfaciendi eidem præcepto. Nec obstat illa libidinosa intentio, quia hæc non tollit substantiam actus, quamvis illum inficiat: quotiescunque autem salvatur substantia actus, præceptum intelligitur per illam adimpletum.

(9. Audiens sacrum ob devotionem, ignorans esse diem festum, si postea advertat, non tenetur ad aliud sacrum, quia jam satisfecit ob interpretativam, et virtualem intentionem satisfaciendi. (10. Audiens sacrum cum intentione ipsum audiendi ob devotionem, licet non habeat intentionem satisfaciendi per illud sacrum præcepto, vere satisfacit, etiamsi aliud sacrum non audiat: quia ad hoc non requiritur expresse velle satisfacere, sed ponere solum id, quod præcipitur, ut notant communiter theologi.

(11. Si autem audiat tale sacrum cum positiva, et actuali intentione per illud non satisfaciendi præcepto, Azorius, part. I, lib. VII, c. 2, quæst. 6; Navarr., Medina, et multi alii cum Rosignol., quæst. 8, *De usu eucharist. et audit. sac.*, artic. 20, dicunt ipsum non satisfacere præcepto, quia actus agentium non operantur ultra intentionem eorum. Leg. *Non omnis*, 19, ff. *De rebus creditis*, lib. XXII, tit. 1. (12. Unde a fortiori, et maxime hic in moralibus non operabuntur contra positivam intentionem eorum, adeoque audiens tale sacrum cum positiva, et actuali intentione non satisfaciendi, non satisfaciet, quia, ut dicunt ipsi, non potest esse actus obedientiæ cum voluntate expressa, et absoluta non obediendi; sed auditio sacri, prout præcipitur ab ecclesia, debet esse actus obedientiæ; ergo si fit cum voluntate expressa non obediendi, seu non satisfaciendi præcepto, non poterit talis auditio Sacri esse satisfactoria præcepti; sunt enim actus omnino repugnantes dicere: « Nolo satisfacere, et satisfacio, nolo obedire, et obedio, » adeoque, etc. Secundum autem multos alios satisfacit; uti est Pasqualigus qu. 1311, cum 28 auctoribus, qui sustinent, eum adhuc satisfacere præcepto. *Vide* verb. LEX, art. 4, n. 6 et 7, ubi adducuntur auctores, et solvitur instantia.

(13. Ad satisfaciendum requiritur etiam præsentia corporalis, et assistentia moralis. id est, ut quis sit ita præsens physice, vel moraliter loco, in quo fit missa, ut possit dici unus e numero eorum qui humano modo libere assistunt, et cum sacerdote offerunt sacrificium. (14. Unde non est necesse, quod actu quis videat, aut audiat sacerdotem, nam surdus, cæcus, aut ob multitudinem populi distans, ut actu nec audiat, nec videat, satisfacit, si sacrificio sit præsens in ipsa ecclesia vel in loco, qui communicat cum ipsa ecclesia, ut in choro post altare, in sacristia habente ostium patens directe ad ecclesiam, etiam in atrio, seu platea extra ecclesiam, in quam ingredi non possit propter multitudinem, dummodo sciat missam inchoari, seu fieri, et sit illi multitudini ita conjunctus, ut faciat unum corpus morale fidelium sacro præsens, et assistens. (15. Sic pariter quis censetur moraliter præsens corpore, quamvis pergat ad sacristiam aliquid pro ministerio missæ allaturus, aut ad campanile campanas tracturus, cum hæc ordinentur ad illud Dei cultum, qui per sacrificium ei exhibetur. (16. Satisfaciunt præcepto qui de navi audiunt missam quæ celebratur in littore, sicuti et milites e suis tentoriis audientes missam quæ celebratur in campo publico ad distantiam 20 et 30 passuum, quia isti ratione suæ conditionis, ut censeantur moraliter corpore præsentes, sufficit, quod possint aliqua ratione cognoscere, quid agatur a celebrante. (17 Missam audiens e fenestra suæ domus, si domus sit omnino conjuncta cum ipsa ecclesia, satisfacit præcepto: quia cum sit interjectus solus paries, in quo est fenestra, censetur ipse moraliter præsens, cum sic facillime, videat, et audiat sacerdotem, ejusque ministerium et actiones attendat. (18. Si autem domus sit omnino sejuncta ab ecclesia, ita ut inter fenestram, et ecclesiam mediet via, seu platea, licet videat altare in quo missa celebratur, non satisfacit præcepto, quia nec physice, nec moraliter est præsens ecclesiæ, et sacerdoti celebranti: non physice, quia corporaliter non est in ecclesia; nec moraliter, quia domus sejuncta, et platea, seu via interjacens ponunt quamcunque interruptionem, nec secundum communem hominum existimationem haberetur ut existens in ecclesia. (19. Qui interest missæ coactus, v. g. ligatus, et reluctans, non satisfacit, sicuti nec ebrius, aut dormiens, quia non adest modo humano, cum, ut supponitur, nequeat per notabilem partem missæ attendere, quamvis ebrietas, et dormitio esset involuntaria. (20. Qui tempore missæ in altam contemplationem, seu exstasim a sensibus abripitur, censetur adhuc satisfacere præcepto, maxime si pergat contemplari mysteria, quæ peraguntur in ipsa missa, quia manet moralis assistentia per præcedentem voluntatem nondum revocatam; imo ex speciali gratia Dei censetur excellentiorem præ aliis moralem assistentiam habere tali sacrificio, ad cujus mysteria contemplanda sic mirabiliter elevatur.

Digitized by Google

(21. Ad satisfaciendum requiritur etiam attentio, tam interna, quam externa. (22. Interna est advertentia, seu applicatio animi ad aliquid, v. g. ad ministerium, et actiones, quæ in alteri geruntur. (23. Externa est omissio actionum | exteriorum incompossibilium cum attentione interna, uti pingere, scribere, confabulari, etc. Ratio est, quia ecclesia præcipiendo auditionem sacri, præcipit actionem humanam religiosam, qualis non est auditio sacri sine ulla prorsus attentione interna, sed cum omnimoda voluntaria distractione interna, et sine attentione externa, se occupando tempore missæ in actionibus externis moraliter incompossibilibus cum tali auditione. (24. Unde non satisfaciant præcepto, qui tempore notabili missæ scribunt, vel pingunt, vel negotia pertractant, quia hæ actiones ita occupant, ut cum illis attentio interna videatur esse incompossibilis. (25. Neque satisfaciunt, qui per notabile tempus de re seria confabulantur, vel res alias fixe aspiciunt, et considerant, ita ut moraliter loquendo nequeant attendere ad ea, quæ a sacerdote geruntur. (26. Nec satisfaciunt, qui per notabilem partem missæ legunt attente librum profanum, v. g. philosophum, rhetoricum, poetam, et similia, ut litteras, historias, etc., quia lectiones istæ profanæ ex natura sua avertunt animum ab attentione debita ad missæ sacrificium, ut tradunt doctores. (27. Nec satisfaciunt, qui per notabilem partem missæ confitentur sua peccata, quia enarratio peccatorum ita distrahit, ut cum illa non videatur stare posse attentio requisita ad missam. Confitens enim non habet se per modum alicujus, qui cum sacerdote offert sacrificium, sed per modum rei, qui se accusat; accusatio autem, aut persona rei non spectat ad sacrificium, et sic sentiunt communius doctores, ut Suarez, Azorius, Tanner., Bonac., Tamburin, Stephan., Basil, March., Pasqual., Rosignol., et alii plurimi cum de Lugo, qui *De eucharist.*, disp. 22, sect. 2, n. 22, dicit esse sic omnino tenendum, quia, quod actio, quæ fit, ordinetur ad obsequium Dei, non facit illam compatibilem cum auditione sacri, ut prætendebant aliqui: alioquin posset quis, dum audit missam, consulere patrem spiritualem, vel theologum circa casus suæ conscientiæ, posset inservire, ægroto, sternere ei lectum, et his similia, quod non est dicendum, cum quælibet actio pietatis, quæ excludit attentionem requisitam ad missam, non sit compatibilis cum auditione sacri de præcepto.

(28. Satisfaciunt tamen præcepto, qui tempore missæ conscientiam suam examinant, eliciunt actus doloris, vel aliis piis actionibus se præparant ad confessionem, quia istæ actiones, ut habet communis, non excludunt attentionem requisitam ad missam.

(29. Satisfaciunt etiam, qui tempore missæ recitant officium canonicum, vel pœnitentiam a confessario impositam, et præceptam; nam æque cum istis, et aliis orationibus stare posset attentio ad missam audiendam requisita, cum etiam istæ ordinentur ad Deum colendum, atque nihil prohibet duobus præceptis uno eodemque actu satisfieri. Non enim prohibet idem tempus; nam sicuti per idem jejunium habitum in die Quadragesimæ, in qua concurrat dies quatuor temporum, vel pervigilium alicujus festi, satisfit et oneri jejunii quadragesimalis, et oneri jejunii sacrorum temporum, et pervigilii, ita per auditionem missæ, et recitationem officii canonici, et pœnitentiæ præceptæ a confessario factam eodem tempore satisfit et oneri audiendi missam, et recitandi officium, et adimplendi pœnitentiam: nec prohibet defectus debitæ attentionis, nam cum etiam recitatio officii, et pœnitentiæ ordinetur ad Deum colendum, est compatibilis cum attentione requisita ad missam; nec prohibet aliquod præceptum positivum, cum de hoc nullibi constet. (30. Satisfaciunt etiam musici, organædi, tympanistæ, chelistæ, tubicines, dummodo simul attendant, quod a sacerdote in altari geritur, nam cantus, et actus ipsorum referuntur ad hunc Dei cultum, nec necessario impedit requisitam attentionem ad illa quæ in altari a sacerdote geruntur. (31. Sic pariter satisfaciunt collectores eleemosynarum, si simul attendant ad missam, sicuti ministrantes missæ sufficienter attendunt exhibendo suum ministerium, cum hoc sit actualis cooperatio ad sacrificium, imo et exhibitio partis ipsius sacrificii. (32. Omnes autem isti, ut satisfaciant præcepto, debent integram missam audire, ex concil. Agathens., can. 47, ubi expresse habetur: « Missas die Dominico sæcularibus totas audire speciali ordine præcipimus; » et ex cap. *Omnes fideles*, De consecrat., distinct. 1: « Omnes fideles, qui conveniunt in solemnitatibus sacris ad ecclesiam, et scripturas apostolorum, et Evangelium audiant. Qui autem non perseverant in oratione usque dum missa peragatur.... convenit communione privari. » *Vid.* art. 16, n. 1 et 2.

(33. Præceptum itaque audiendi missam non implevisse censetur, qui ante benedictionem ab ecclesia discedit, ex sententia cit. conc. Agath. Bened. XIV, constit. incip. *Declarasti*.

(34 * Missam auscultare diebus festis in quacunque ecclesia, etiamsi non sit propria parochialis, cuicunque fideli, ut præcepto satisfaciat, fas est, ut consuetudo ubique obtinens, quæ proinde induit rationem juris communis, demonstrat. *De synod. diœc.*, lib. VII, c. 64, § 10.

(35 * Huc referenda sunt nonnulla ex illis quæ leguntur in *Addit. ad. P. Cuniliati tract.* 111 *de Decal. præcepto*, cap. 11, § 1, n. 11, tom. I, pag. 305, seqq.: « Colligendum est primo præcepto satisfacere, qui solet interesse missæ tanquam rei sacræ, qui adit ecclesiam volens partes Christiani adhibere; si enim non adit ex alia causa, reputatur adire ex ista; et uno verbo quicunque missam audit, si non constet, eum habere contrariam intentionem, præsumitur habere sufficientem ad implendum præceptum, ut sentiunt commu-

Digitized by Google

niter doctores. (36. Colligendum secundo non satisfacere præcepto, qui interest missæ coactus v. g. ligatus, et reluctans, ut et auctor docet, tract. 1, cap. 2, § 7, n. 1. (37. Si tamen quis coactus templum ingrederetur, et deinde voluntarie missam audiret, præceptum impleret. Teneretur tamen priorem pravam suam voluntatem præcepto repuguantem, utpote grave peccatum jam commissum, in confessione aperire. Videatur Suarez, cit. disp. 88, sect. 3. (38. An autem præcepto faciat satis, qui ob intentionem pravam aspiciendi impudice feminam pergit ad audiendum sacrum, dissident inter se theologi. Affirmant communiter recentiores, sed alii verius negant cum S. Antonino II part., tit. 9, cap. 10, § 2, illorumque opinionem ut laxam, et falsam rejiciunt. Consulatur P. Daniel Concina *Theolog. Christ.*, t. V, lib. I, dissert. 3, cap. 4, ubi difficultatem hanc examini subjicit, atque pro dignitate tractat. (39. Tum satisfaciunt præcepto qui tempore missæ actum doloris de peccatis ad confessionem necessarium eliciunt, vel aliis piis actionibus sese ad illam disponunt. Idem asserit P. Lucius Ferraris, v. Missa, art. 17, n. 28, et de iis, qui eodem tempore conscientiam examinant. (40. At secus dicendum existimat auctor, tract. 1, cap. 2, § 7, n. 10, nisi de brevissimo examine sermo sit : « nam, ait, ut examen recte fiat, præci- « pue si longiusculum, a sacro nimis dis- « trabere necesse est. » (41. Deinde paucis interpositis : « Idem et de collectoribus elee- « mosynarum sentiendum, nimirum quod « satisfaciant, si simul attendant ad missam. « Quia vero non est adeo facile ut omnes « recensiti attentum animum ad missam con- « servare valeant, idcirco in re tanti momenti « hortandi sunt ut missam privatam audiant. » (42. Satisfaciunt demum, qui tempore missæ, in altam contemplationem, seu exstasim abripiuntur : maxime, si pergant contemplari mysteria, quæ in missa peraguntur. (43. Verum non satisfaciunt præcepto, qui tempore notabili missæ scribunt, pingunt, ludunt, disputant, et id genus similia exterius agunt. (44. Non satisfaciunt item, qui per notabile tempus confabulantur, corrident, et oculos quoque versum in exeuntes, et introeuntes convertunt, vel qui, ut omnes decoris et urbanitatis modos servent, in id pene unum intendunt, ut salutent, et resalutent. (45. Non satisfaciunt quoque, qui per notabilem missæ partem libros legunt, vel epitaphia, aut picturas fixe aspiciunt et considerant. Non satisfaciunt etiam, qui per notabilem missæ partem dormiunt. (46. Qui autem cœpit audire sacrum intentione debita, sed postmodum vexatur a somno, si adeo resistat ut audiat sacrum ea attentione, quod saltem videat se non omittere audire partem notabilem, licet propter gravitatem et molestiam somni non attendat ad significationem, neque ad aliam meditationem, non peccat saltem mortaliter juxta PP. Salmaticenses, *loc. cit.*, punct. 5, num. 48. (47. Non satisfaciunt denique qui tempore missæ peccata sua confitentur, nisi excuset brevitas confessionis; nec confessarii, dum confessiones audiunt, possunt satisfacere præcepto audiendi missam, quando ipsi non celebrant, quia hæc, ut nemo non videt, omnino impediunt attentionem necessariam. (48. Quæres quoti temporis interna, vel externa distractio lethale crimen inducat? Resp. Illud sufficere tempus, quod æquivalet omissioni partis notabilis missæ; quippe audire missam absque debita attentione, idem est ac prorsus illam omittere Sic censet Suarez citata pluries disp. 88, sect. 3, his verbis : « Si quis... eo modo « (videlicet exercendo voluntarie actiones « aliquas repugnantes debitæ attentioni missæ) *magnam missæ partem audiat, peccabit mortaliter, et non implebit præceptum, si nimirum tanta sit pars, cujus omissio sufficeret ad præcepti transgressionem.* » (49. Hinc colligimus adversum cardinalem de Lugo, dis. 22, sect. 2, n. 4, eum præcepto minime satisfacturum, qui voluntarie per tempus duntaxat consecrationis foret distractus; cum ex superius dictis exploratum sit, illum non implere præceptum, qui solo tempore consecrationis a sacrificio abest. »*

MISSIONES, MISSIONARII.

SUMMARIUM.

1. Concessio missionum pro regnis Bargao, et Bittia. — 2. Missionarii Latini episcoporum Græcorum Melchitarum jurisdictionem perturbare non debent, ad n. 5. — 6. De juramento præstando ante exercitium Missionis a missionariis regnorum Madurensis, Mayssurensis, etc. ad n. 7. — 8. Ipsis interdicitur translatio rituum gentilium in ritus Ecclesiæ catholicæ absque S. Sedis licentia — 9. Item dispensationes concedere super observantia rituum Ecclesiæ. — 10. Sicque pariter prohibentur lavacra, et ablutiones ritu, et more paganorum, præter necessariam corporis munditiem. — 11. Juramenta præscripta præstare et observare jubentur. — 12. Pollicentur se *pareis*, id est abjectissimis viris omnia spiritualia præstituros; id quod iisdem injungitur sub pœna privationis facultatum, etc. — 13. De missionariis in Sinis, et in regno Cocinchinæ, ad n. 14. — 15. Alia ad rem ad n. 17. — 18. Missionarii ab episcopis missi tanquam visitationis pastoralis prænuntii recipi debent a parochis etiam regularibus in propriis ecclesiis, et domibus. — 19. Approbatio congregationis Missionis ab Alexandro VII. — 20. Vota simplicia in eadem emissa a nemine dissolvi possunt, præterquam a Summo Pontifice, aut a superiore generali in actu dimissionis tantum, ad n. 22. — 23. Missionis presbyteri, aut clerici ad beneficia curata, aut residentialia extra congregationem promoveri nequeunt. — 24. Missionariis a Sede Apostolica conceditur privilegium celebrandi missam bis in die, in casu tamen necessitatis. — 25. Missionarii sacramenta sæcularibus ministrare non possunt, nisi episcopi, vicarii apostolici, vel cujusvis ordinarii loci impetrata licentia, etc., ad n. 26. — 27. Munera Missionariorum per Orientem. — 28. Alia ad rem ad n. 30.

Digitized by Google

(1. Missiones conceduntur pro regnis Bargao, et Bittia in magno Thibet. Ben. XIV, tom. I, constit. 53, incip. *Adilecto*, et Const. 54, incip. *Litteræ*. (2. Missionarii Latini episcoporum Græcorum Melchitarum jurisdictionem non debent perturbare. Idem constit. 87 incip. *Demandatam*, § 13. (3. Transitum a ritu græco ad latinum Græcis non suadeant, nec admittant inconsulta S. Sede. Idem, *ibid.*, § 15. (4. Rituum Græcorum conservationem curent. Idem, *ibid.*, § 19. (5. Nec adversus illos dispensationes concedant, aut quidquam innovent. Idem, *ibid.*

(6. Missionarii regnorum Madurensis, Mayssurensis, et Carnotensis jurare debent observantiam constitutionum Apostolicarum, antequam missionis exercitio se immisceant. Idem constit. 107, incip. *Omnium sollicitudinum*, § 17. (7. Eorum juramenta subscripta exhibentur Summo Pontifici. Idem, *ibid.*, § 21. (8. Ipsis interdicitur translatio rituum gentilium in ritus Ecclesiæ catholicæ absque licentia S. Sedis. Idem, *ibid.*, § 14. (9. Item dispensationes concedere super observantia Rituum Ecclesiæ. Idem, *ibid.*, § 14. (10. Eisdem prohibentur lavacra, et ablutiones ritu, et more paganorum, præter necessariam corporis munditiem. Idem, *ibid.*, § 3 et 14. (11. Juramenta præscripta præstare, et observare jubentur. Idem, *ibid.*, § 28. (12. Pollicentur se *pareis*, id est abjectissimis viris omnia spiritualia præstituros; id quod iisdem injungitur sub pœna privationis facultatum post quinquennium ipso facto incurrenda. Idem, *ibid.*, § 35 et 37. Alia ad rem *vide* verb. BAPTISMUS.

(13. Missionarii Apostolici in Sinis, si mandatis non obtemperaverint, in Europam revocari jubentur sub pœnis contra eorum superiores. (14. Idem constit. 59 incip. *Ex quo*, missionariis in regno Cocinchinæ prohibetur exercitium jurisdictionis, aut facultatum, extra districtus sibi assignatos. Idem, constitut. 3, incip. *Tantopere*.

(15. Missionum sacrarum ad excitandam in populis pietatem utilitas commendatur ab experimento, et auctoritate. Idem, constit. 140, incip. *Gravissimum*, § 4. (16. Earum usus laudatur, vel injungitur a congregatione Concilii. Idem, *ibid.*, § 7. (17. Instructio fidelium in rebus ad salutem necessariis est præcipuus missionum scopus. Idem, *ibid.*, § 11.

(18. Missionarii ab episcopis missi, tanquam visitationis pastoralis prænuntii recipi debent a parochis, etiam regularibus in propriis ecclesiis, et domibus. Idem, constitut. 109, incip. *Firmandis*, § 5.

(19. Missionis congregatio approbatur ab Alexandro VII. Idem constitut. 69, incip. *Quo magis*. (20. Vota simplicia in eadem emissa a nemine dissolvi possunt, præterquam a Summo Pontifice, aut a superiore generali in actu dimissionis tantum. Idem, *ibid.*, § 3 et 4. (21. Nequidem vigore facultatum, quæ confessariis tribuuntur in jubilæis, aliisque Indultis. Idem, *ibid.*, § 3.

(22. Neque ratione infirmitatis, vel assecutionis beneficii curati, aut residentialis. Idem, *ibid.*, § 4. (23. Missionis presbyteri, aut clerici ad beneficia curata, aut residentialia extra congregationem promoveri nequeunt. Idem, *ibid.*, § 4.

(24. Missionariis a Sede Apostolica conceditur privilegium celebrandi missam bis uno die, in casu tamen necessitatis. Idem, tom. II, constitut. 3, incip. *Declarasti*.

(25. Missionarii sacramenta sæcularibus ministrare non possunt, nisi episcopi, vicarii apostolici, vel cujusvis ordinarii loci impetrata licentia. Bened. XIV, const. incip. *Apostolicum*, § 10. Missionarii regulares in Anglia, in iis, quæ curam animarum respiciunt, et administrationem sacramentorum, subjiciuntur vicariis Apostolicis; et contraria quæcunque regularium privilegia sustulit Tridentinum concilium. Idem, *ibid.*, § 12 et 13.

(26. Tali decreto non solum afficiuntur regulares parochi, sed et cæteri, qui unum, vel plura sacramenta, renuente, vel irrequisito ordinario, sæcularibus ministrant. Idem, *ibid.*, § 14. In iis tamen, quæ regularem observantiam respiciunt, suis superioribus, non autem vicariis apostolicis, subjiciuntur. Idem, *ibid.*, § 15 et 16. Perinde enim habendi sunt missionarii regulares in Anglia commorantes, ac si intra monasterium degerent. Idem, *ibid.*, § 15 et 18. Imo vero in iis, quæ curam animarum, et administrationem sacramentorum spectant, etiam a superioribus regularibus corrigi, ac puniri possunt. Idem, *ibid.*, § 16 et 17. Vicarii tamen Apostolici judicium, sententiæ superioris regularis, ex jure cumulativo concurrentis, præpollet. Idem, *ibid.*, § 17. Cæterum vicarius apostolicus potest missionarium regularem ab officio suspendere, vel removere, quin superiori regulari causam pandere teneatur. Idem, *ibid.*, § 17. Eadem facultas competit quoque superiori regulari. Idem, *ibid.*, § 17 et 21. A decreto suspensionis, vel remotionis non conceditur missionario regulari suspensiva appellatio. Idem, *ibid.*, § 17.

(27. Missionariorum per Orientem munus est, ut schismaticos ad unitatem Ecclesiæ adducant. Bened. XIV, constitut. incip. *Allatæ sunt*, § 19; missionarii ritus omnes Orientales intervertere non debent, nec conversis ad unitatem Ecclesiæ suadere transitum ad ritum latinum. Idem, *ibid.*, § 19 et 21. Missionarii non possunt dispensare cum Catholicis Orientalibus super observatione jejunii, aliorumque, quæ in ipsorum ritu præscribuntur. Idem, *ibid.*, § 3.

(28. Missionarios mutuæ charitatis, et concordiæ officium maxime decet. Benedict XIV, constit. incip. *Apostolicum ministerium*, in procemio. Missionibus Anglicanis quatuor vicarii apostolici præficiuntur. Idem, *ibid.*, § 1. Missionarii regulares ad Anglos, cum primum illo advenerint, debent se sistere vicariis apostolicis, eisque testimoniales litteras suorum superiorum exhibere. Idem, *ibid.*, § 6. Deberent insuper,

Digitized by Google

jure communi inspecto, examinari, et approbari a vicariis apostolicis ad audiendas sæcularium confessiones. Idem, *ibid.*, § 7 et 8. (29. Ex speciali indulto iisdem datur, ut examen vel coram ordinario loci, ubi situm est monasterium, vel Bruxellis coram nuntio Sedis Apostolicæ, subire possint. Idem, *ibid.*, § 8. (30. Facultas tamen audiendi confessiones a vicariis apostolicis est impetranda; et ista ad sexennium concedi debet, et subinde ad aliud sexennium prorogari sine examine; et ab hoc onere regulares quantumvis privilegiati non sunt immunes. Idem, *ibid.*, § 10. Et a vicariis Apostolicis itidem expetere, et accipere facultates formulæ secundæ. Idem, *ibid.*, § 12.

MOLENDINUM, MOLITOR.

SUMMARIUM.

1. Agitur de privilegiis molendini mensæ episcopalis, et sub directo dominio Ecclesiæ, *ad n.* 8. — 9. Alia circa molendinum, et molituram ad exemptionem ecclesiaticorum, regularium, et monialium spectantia, *ad n.* 19.

(1. Molendinum mensæ episcopalis non comprehenditur sub prohibitione facta a communitate populo de non adeundo, nisi ad molendina communitatis; sac. congregat. Immunit. in *Firmana* 2 Julii 1620, l. II *Decr.* Paul., pag. 48.

(2. Molendina, et alia ædificia sub directo dominio Ecclesiæ sunt exempta. Eadem sacr. congr. Immunit., *in una Montis Regalis* 15 Jan. 1648, lib. IV *Decr.* Paul., pag. 2.

(3. Molendina ecclesiasticorum non comprehenduntur sub bannis gubernatoris, qui debet facere declarationem de non comprehensione eorum. Eadem sacr. congr. Immun. *in Æsina* 8 Apr. 1631, lib. II *Decret.* Paul., pag. 74; *in Pleinen.* 20 Septembr. 1639, l. III *Decr.* Paul., pag. 10.

(4. Molendina ecclesiasticorum, ac molentes in ipsis molendinis non comprehenduntur sub prohibitione laicali solvendi gabellam ut dicitur *della Pesa.* Ead. sacr. congr. Immunit. *in Maceraten.* 19 Januarii 1638, lib. III *Decr.* Paul., pag. 52.

(5. Repugnat immunitati, et libertati eccles. exactio oneris molituræ in molendinis ecclesiasticorum, et equitum S. Mauritii, nec non publicatio ordinis prohibitivi eundi ad dd. Molendina. Ead. sacr. congr. Immun. *in Taurinen.* 11 Septembr. 1634, lib. II *Decr.* Paul., pag. 202.

(6. Episcopus procedat prout de jure contra ministros laicos impedientes moniales in fabricatione molendini olearii, non obstante monitorio A. C. Eadem sacra congregat. Immunitat. *in Ariminen.* 9 Febr. 1700, lib. II *Decr.* Vall., pag. 272.

(7. Impedientes molere olivas in molendinis ecclesiasticorum, et prætendentes decimas, sunt ab ordinario excommunicandi. Eadem sacra congr. Immunit. *in Catacen.* 11 Augusti 1631, lib. II *Decr.* Paul., pag. 85; *in Ugentina* 29 Octobris 1695, lib. I *Decret.* Vall., pag. 226.

(8. Prohibitio communitatis eundi ad alia molendina, quam ad molendina ipsius communitatis non comprehendit molendina episcopi, ecclesiarum, et ecclesiasticorum, tam intra, quam extra communitatis territorium existentia; et communitas est cogenda ad declarationem non comprehensionis. Eadem sacra congr. *in Firmana* 10 Novembr. 1630, lib. III *Decr.* Paul., pag. 63.

(9. Ecclesiastici non possunt cogi ire ad molendinum domini temporalis, seu communitatis, sed possunt ire ad alia sibi benevisa. Sacr. congr. Immunitat. *in Neritonen.* 1 Septemb. 1643, l. III *Decret.* Paul., p. 208.

(10. Molendina vulgo dicta *centimoli* ab ecclesiasticis retineri possunt in propriis domibus pro eorum usu, et familiæ. Eadem sacra congr. Immunit. *in Lycien.* 20 Sept. 1650, lib. IV *Decr.* Paul., pag. 120.

(11. Ecclesiastici sunt exempti ab impositione molituræ. Eadem sacra congr. Immun. *in Isernien.* 10 Martii 1631, lib. I *Decr.* Paul., pag. 99.

(12. Non licet gubernatori, seu curiæ sæculari visitare, seu perquisitiones facere in molendinis monialium, et aliorum piorum locorum, quamvis sint conducta a molitoribus affictuariis. Eadem sacra congr. Immun. *in Verulana.* 2 Octobr. 1691, *Libr. Decret.* Grim., pag. 18.

(13. Nec vexare dictos molitores affictuarios sub prætextu mensurarum injustarum, vulgo *le scudelle*, sed illas restituere debent. *Ibid.*

(14. Molitores, seu conductores molendini præposituræ, et collegiatæ patentati respondentes pro affictu molendini in tot frumentis recollectis in ipso molendino, gaudent privilegio fori. Eadem sacra congregatio Immunitatis *in Nullius Atini* 4 Junii 1607, lib. II *Decr.* Vall., pag. 93.

(15. Molitor, qui sine collectis moluit frumentum mensæ episcopalis, nequit molestari a curia laica, alioquin episcopus procedat contra eamdem, prout de jure. Eadem sacra congregatio Immunitatis *in Bononien.* 22 Aprilis 1698, lib. II *Decr.* Vall., pag. 148; *item* 19 Augusti et 16 Septembris d. a. et lib., pag. 175.

(16. Operarii molendini olivarum conventus regularium vendentes oleum mensuris non justis, nequeunt puniri a justitiariis sæcularibus. Eadem sacra congregatio Immunitatis *in Arianen* 8 Aprilis 1687, *Lib. Decret.* Mart., pag. 76.

(17. Ecclesiastici, cum mittunt triticum ad molendina, non tenentur accipere, nec deferre cartulam, vulgo *la bolletta* subscriptam a gabellariis. Eadem sacra congregatio Immunitat. *in Nullius Altamuræ* 8 Novembris 1692, lib. I *Decr.* Vall., pag. 85.

(18. Mensuræ vulgo dictæ *le scudelle* ablatæ a molendinis ecclesiasticorum de ordine gubernatoris, sunt restituendæ curiæ episcopali, ad quam etiam debet recurri pro

Digitized by Google

cognitione fraudum commissarum in dd. molendinis. Eadem sacr. congr. Immun. *in Veliterna* 12 Januarii 1648, lib. III *Decr.* Alt., pag. 1047.

(19. Quatenus ecclesiastici non molestentur in exactione impositionis molituræ, et aliorum onerum vigore edictorum, quæ ipsos nullatenus comprehendere possunt, supersedendum est a fulminatione censurarum : alias precedendum est ad ulteriora. Eadem sacr. congr. Immunit. *in Mutinen.* 16 Jan. 1647, lib. IV *Decr.* Paul., pag. 2.

MOLLITIES.

Vid. verb. LUXURIA a. n. 35 ad 45.

MONACHUS.

Artic. noviss. adjectus.

1. Unde monachi nomen? — 2, 3, 4, 5. Varia monachorum genera : ascetæ, anachoretæ, cœnobitæ, stylitæ. — 6. *Origo monachorum* a primis Ecclesiæ sæculis repetenda in Ascetis. — 7. His in Paulo, Antonio, aliisque paucis cum Deciana persecutione, tum post ipsam anachoretæ successerunt. Pachomius cœnobitarum institutor, data Ecclesiæ pace. — 8, 9, 10. Monasticæ vitæ progressus. — 11, 12. Regulæ monachorum. — 13. Monachi a primæva institutione laici fuerunt, eorum tamen aliqui subinde sacerdotio initiati. — 14. Quanta a monachis in rempublicam ipsam dimanet utilitas, Justiniano imperatore judice.— 15. *Subnectuntur addit Casin.* ad n. 28.

(1. Monachi nomen varie a Patribus explicatur. Aptissima est Cassiani interpretatio; ait enim, collat. 18. abbatis Pyamonis cap. 5, inde monachos dictos, quod a conjugiis abstinerent, et a parentum se consortio ac mundi hujus conversatione secernerent, ut nimirum soli Deo per contemplationem inhærerent.

(2. Varia fuere monachorum genera. Primum ascetæ constituunt, qui nuptiis, carnibus, rebusque vitam habentibus, et vino abstinebant; (hos enim canon. 51, inter Apostolicos *ascetas* vocat) qui ferventiori precandi studio se dabant, ut excellentiora quædam charitatis, paupertatis Evangelicæ, mundique contemptus argumenta præberent; quo nomine Hieronymus, *De scriptor. Eccles.*, cap. 41; Serapionem ep. Antiochenum « ascesi addictum; » et cap. 76 Pierium « miræ asceseos appetitorem et voluntariæ paupertatis » appellat.

(3. Alterum monachorum genus anachoretæ, et eremitæ induxerunt, hominum scilicet, qui civitates, aliorumque consortium fugientes, in speluncis et cavernis solitariam vitam agebant. Quo spectat illud B. Hieronymi in *Epistola ad Heliodorum :* « interpretare vocabulum monachi, hoc est tuum : quid facis in turba, qui solus es? » quibus sane verbis illud sanctus doctor insinuat, nomen monachi nonnisi eremitis, qui soli habitabant, propriissime convenire.

(4. Tertii generis cœnobitæ sunt, qui et synoditæ dicti, ii scilicet qui, in societate viventes, omnia habebant communia. De his loquitur S. Augustinus *in Ps.* CXXXII.

(5. Adde his stylitas, sic nuncupatos a singulari vivendi ratione super columna.

(6. Hinc vides, quo demum pacto gravis illa quæstio de vitæ monasticæ origine sit dirimenda. Quarto primum sæculo hoc vitæ genus cœpisse Magdeburgenses, cent. 4, c. 6, et protestantes passim contendunt, sed insigni mendacio, et rerum ecclesiasticarum ignoratione; nimirum hi monachorum institutionem ad quartum sæculum pertrahunt, ut austerioris cujusdam vitæ professionem, paupertatis evangelicæ studium, cælibatum inventa hominum fuisse suadeant a primæva Ecclesiæ puritate abhorrentia. Sed nonne ab ipso apostolorum ævo ascetæ exstiterunt? Id pluribus non efficiam, cum id jam præstiterit illustrissimus præsul Nicolaus Antonellius in eruditissima de ascetis dissertatione, qua utilissimam, splendidissimamque suam S. Jacobi Nisibeni sermonum editionem Romanam exornavit. At a monachis ascetæ discriminabantur. Nomine profecto differebant, re tamen, et virtutum, quas monachis postea professi sunt, exercitatione mirifice conveniebant, ut nihil proficiant sacrorum votorum osores monachorum tardiore institutione, cum ab ipsis Ecclesiæ primordiis plurimi fuerint, qui eadem vota magna pietate ac religione servarent. Quid ergo de nomine solliciti simus, ubi eadem arctioris vitæ instituendæ ratione, ac præsertim votorum paupertatis, et castitatis professione monachis ascetæ præivere solum, sed ita præivere, ut quemdam in Ecclesia ordinem clericos inter et laicos medium constituerent, quemadmodum ex S. Cyrilli *Catechesibus*, et S. Gregorii Nazianzeni oratione *De pace quæ in reconciliatione solitarie degentium habita est*, constat. Itaque si quid video, revera ascetæ monachis præluserunt, nec monachi aliud fuerunt, quam ascetæ solitudini addicti, et ex peculiaris cujusdam disciplinæ legibus ea exercentes, quæ cæteri ascetæ in ipsis civitatibus, et omni lege soluti persequebantur.

(7. Anachoretæ tamen primi fuerunt, qui, Deciana persecutione sæviente, in solitudine sese receperunt, Paulus cum primis, et Antonius, quorum illum *Vitæ anachoretarum* auctorem, hunc illustratorem S. Hieronymus, ep. 22, *ad Eustochium* vocat. Nondum tamen monasterium ullum exstruxerant; sed, cessante quoque ea persecutione, in cellulis, quas sibi in solitudine paraverant, pauci tamen, et singulares homines hac illac dispersi in Ægypti desertis

Digitized by Google

permanere maluerunt, quam ad pristina sua domicilia reverti. Discimus hoc ex actorum S. Pachomii scriptore apud Pezium ad ann. 308, n. 12. Ubi vero, pace a Constantino Ecclesiæ reddita, idem Pachomius quædam monasteria in Thebaide Ægypti ædificanda curavit, in quibus ad certas leges in societate monachi degerent, paulatim in alias quoque regiones ea invecta fuit disciplina. Hilarion Antonii discipulus primus fuit in Palæstina, sive Syria monachorum fundator et eruditor, ut in ejus *Vita* cap. 11 Hieronymus scribit. Eustathius Sebastiæ episcopus Sozomeno teste, *Hist. eccl.* lib. III, cap. 14, inter Armenos Paphlagonas et Ponti accolas monasticam vitam introduxit. Basilius monasticæ vitæ aditum patefecit in Cappadocia. Nec omittendus in Mesopotamia et Perside monachorum institutor Eugenius B. Antonii discipulus, quemadmodum ostendunt Acta sanctorum Barsabiæ, Bademi, aliorumque monachorum apud Persas in dirissima Saporis persecutione cæsorum, aliaque monumenta a Cl. præsule Stephano Evodio Assemano prolata in luculenta præfatione ad *Acta martyrum orientalium et occidentalium*, t. I, p. LXVII et sequ.

(8. Roma a S. Athanasio, qui anno 340 huc accessit et postea a Petro item Alexandrino episcopo, « B. Antonii adhuc tunc viventis, monasteriorumque in Thebaide Pachomii... didicit disciplinam, » ut ep. 16 *ad Princip.* scribebat Hieronymus, qui deinde addit se Romæ commorante, « tam crebra fuisse virginum monasteria, monachorumque innumerabilem multitudinem, ut pro frequentia servientium Deo, quod prius ignominiæ fuerat, esset postea gloriæ. » A Romana porro Ecclesia cæteræ Occidentalis Ecclesiæ monasticam disciplinam mutuatæ sunt. Illustria in his fuerunt in nostra Italia Vercellense monasterium a S. Eusebio Vercellarum episcopo et Mediolanensia alterum a S. Ambrosio, alterum a S. Martino condita.

(9. Idem Martinus Turonensis Ecclesiæ episcopus creatus, duobus fere ab urbe illa miliaribus monasterium statuit, quod *majus* etiamnum vocant. Brevi autem Martino auctore adeo monachorum numerus accrevit, ut ad S. antistitis « exsequias monachorum fere duo millia convenisse dicantur.

(10. S. Augustinus Ambrosii exemplo eductus, « factus presbyter, inquit Possidius in illius Vita, monasterium intra Ecclesiam (Tagaste in Africa) mox instituit, et cum Dei servis vivere cœpit secundum modum, et regulam sub sanctis apostolis constitutam. » Quod tamen Thomassinus, p. I, lib. III, cap. 3; et Selviggius, lib. I, p. XI, cap. 13, § 2, n. 3, cum aliis malunt de clericorum simul cum Augustino inhabitantium conventu intelligere, quam de veris monachis. Cætera, quæ ad monasticæ vitæ in Occidente progressum spectant, dabit Mabillonius *Præf. in sæc. I Benedictin.*, a n. 19.

(11. Malim ego ex eodem aliqua promere de primariis veterum monachorum regulis. Ut in Oriente, sic in Occidente « tot propemodum typi ac regulæ erant quot cellæ et monasteria, » ut ait Cassianus lib. II *Instit.*, c. 2. Aliis pro regula erat abbatis voluntas; aliis modus majorum usu, et traditione confirmatus; aliis leges scriptæ imponebantur. In uno, eodemque cœnobio plures simul regulæ scriptæ non raro observabantur detractis, vel assumptis nonnullis pro locorum, ac temporum conditione. Sancti Basilii regulam, postquam Rufinus Aquileiensis presbyter, rogante Urseio Pineti abbate, eas latinas fecerat, monachi nostrates præferebant. Nam Eugippii abbatis Lucullanensis, et Virgilii diaconi regulæ non admodum tenebantur. Eamdem Basilii Regulam in Gallia servabat Aredius cum Cassiani institutis, quæ in pluribus ejusdem gentis monasteriis vigebant. In Hispanias quam regulam intulerit ex Africa S. Donatus Facundi Hermianensis discipulus, incompertum est.

(12. Ad Italiam nostram redeo: Sæculo quinto elanguit apud nos monastica institutio ob Gothorum, Hunnorum, Vandalorum et Erulorum irruptiones: sed tandem ineunte sæculo sexto respirare cœpit, et S. Benedicto auctore, Ægyptiorum monachorum celebritatem non æquavit solum, sed plane superavit incredibili Ecclesiæ, atque ipsius reipublicæ utilitate, tot tantosque viros Benedictinus ordo a primo, quo cœpit, sæculo, ad nostrum ætatem sanctissimos et doctissimos monachos dedit.

(13. Monachi a primæva institutione laici omnes fuerunt. Huc spectat Chalcedonensis canon 11. « Si quis sequester et intercessor adeo turpibus, et nefariis lucris apparuit, hic quoque si sit quidem clericus, proprio gradu excidat; si sit autem laicus, vel monachus, anathematizetur. » Brevi tamen præter monachos, quos episcopi in Ecclesiæ suæ commodum, rectamque fidelium institutionem e monasteriis abstractos ad clericatum evehebant, pauci inter monachos sacerdotio initiari cœperunt, præsertim ubi monasteria ab episcopali aut parochiali ecclesia distarent, aut nimis ampla essent. Ordinabantur autem olim, non ut modo, titulo paupertatis, sed sub titulo sui monasterii, ut fert Chalcedonensis, canon 6. Confer Mabillonium. *Præfat. in sæcul.* V, n. 131.

(14. Monachorum censores, qui nostro sæculo in dies excrescunt, mirabuntur, in hac nostra Romana editione additum fuisse hunc de monachis articulum. Sed mirari desinent, si Justiniani imperatoris Novellam 133 legerint. Pauca hæc ex illa decerpo: « Si enim illi puris manibus, et nudis animabus pro republica supplicent Deo, manifestum, quod et exercitus habebunt bene et civitates bene disponentur... Sed et terra nobis feret fructus, et mare quæ sua sunt dabit, illorum oratione propitiationem ad omnem rempublicam deducente. » Hæc imperator, non certe a philosophis, Politici-

Digitized by Google

que nostræ ætatis superstitionis, aut imbecillitatis, nomine contemnendus. Alia ad rem *vide* verb. REGULARES.

ADDITIONES CASINENSES.

De instituto monastico speciatim.

(15. Ex cap. XIX, XI et XXI Matthæi vel utique colligas licet, institutionem, vitamque monasticam duobus Christi Servatoris consiliis inniti, quæ in continentia, et paupertate consistunt; ut hinc Fleuryus *Hist. eccles.*, discurs. 8, asserere non dubitet, ejusmodi monasticum vivendi genus esse divinæ institutionis.

(16. Hinc juxta Cassianum « cœnobitarum disciplina a tempore prædicationis apostolicæ sumpsit exordium, » collat. 18, cap. 5 (83).

(17. In hoc sensu D. Marcum evangelistam monasticam vitam Alexandriæ instituisse Epiphanius, hæres. 29, tradit; deque hoc eodem evangelista hæc Eusebius refert, nempe : « Marcum... in ipsa urbe Alexandria Ecclesias constituisse. Tanta porro multitudo virorum simul et mulierum, qui fidem Christi illic amplexi fuerant, ab ipso statim initio tam severam, tamque philosophicam institutionem professa est, ut studia illorum, et cœtus... totamque vivendi rationem scriptis suis commemorare operæ pretium duxerit Philo. » *Hist. eccles.*, lib. II, cap. 16.

(18. Exploratum præterea est primos Ecclesiæ Jerosolymitanæ fideles eam ab apostolis vitæ institutionem habuisse, qua monastica, ac regularis disciplina præcipue constat; *Actor.* IV, 32.

(19. Id tamen non de monachatu stricto sensu intelligendum. Fuere enimvero semper inter Christianos, qui durius quoddam et asperius vitæ genus sequerentur, vacantes jejunio, precibus, et meditationi rerum divinarum, quique ascetæ dicti sunt; at hi cum monachis nequaquam confundendi veniunt, ut recte Cotel. Pagius, aliique observant.

Jam vero paganorum principum persecutionibus per tria et amplius sæcula gliscentibus, factum est, præsertim a tempore Decii imperatoris an. 249, ær. v, ut plurimi in Thebaidem, aliosque orbis solitudines se reciperent, ibique vitam ducerent sanctissimam. A Græcis isti eremitæ et monachi, id est solitarii, dicti sunt; hincque monachatus initia repeti possunt. Eorum autem principem D. Paulum Thebæum exstitisse vulgo scriptores memoriæ prodiderunt : solitariæ vitæ « auctor Paulus, illustrator Antonius, » ut ait Hieronymus epist. 22, *ad Eustoch.*, cap. 16.

(20. At Paulus quidem toto vitæ suæ longævo tempore nemini ferme cognitus fuit, tantumque morti proximus Antonio innotuit. Antonius vero plures habuit imitatores et in eo totus fuit, ut solitariam vitam inculcaret, perficeret, et regulis asceticis instrueret. « Habuit porro quamplurimos, ac probatissimos discipulos, quorum alii in Ægypto ac Libya, alii in Palæstina et Syria, atque Arabia floruerunt : » ut Sozomenus scribit *Hist. eccles.*, lib. I, cap. 13 (84). Inter hos celebres Macharius et Hilarion fuere.

(21. Porro, cum pacem Ecclesia universa, Constantino imperitante, adepta fuisset, satius monachi duxerunt e speluncis et solitudinibus sese ad cœnobia in unam societatem conferre, ibique sub communi tecto communem vitam colere, id unum respicientes, nempe æternæ salutis negotium simul peragere. Hos quippe permulti virorum ac mulierum (85) sectati sunt, quo in cœno-

(83) Sanctior quidem vitæ forma in Hebræorum *Rechabitis* præluxit, ut sileam antiquiores solitariæ vitæ imagines, quas ab Elia, et Eliseo, filiisque prophetarum Basilius, Chrysostomus et Eucherius repetunt. Præterea Josephus Flavius *Ant. Judaic.*, lib. XVIII, cap. 1. Patriæ Hebræorum philosophiæ sectas recensens, Pharis. nempe, Sadduceorum et Essenorum, horum ult. austerum vivendi genus exponit : quod idem fusius lib. II, cap. 8, *De bello Judaic.* persequitur : « Tria hominum genera (hæc ille *loc. cit.*) apud Judæos philosophantur... Tertium vero, quod sane vitam severiorem exercere videtur, Esseni appellantur; gente quidem Judæi, at mutuo sese amore magis quam alii complectentes. Isti a voluptatibus tanquam a scelere abhorrent, continentiam vero servare, et cupiditatibus non succumbere pro virtute maxima ducunt. Et ipsis quidem despectui habentur nuptiæ, alienos vero liberos, dum ad capessendas disciplinas molles adhuc sunt, suscipientes, pro cognatis suis reputant, suisque moribus informant.... Divitias contemnunt... Erga Deum pietate sunt singulari... Est et alius Essenorum ordo, qui cum prioribus quidem quoad rationem vivendi, moresque, et instituta consentit, sed in una de nuptiis opinione ab ipsis discrepat... Verumtamen sponsas per triennium probant. Cum autem ter purificatæ fuerint ad explorandum possint ne parere, tum eas in uxores ducunt. At cum gravidis non cocunt, hoc ipso ostendentes quod nuptias non voluptatis ergo, sed liberorum inopia fecerint. » Hæc Flavius, qui cit. lib. XVIII, cap. 1, *Antiq Jud.*, de illis sic subjungit : « Esseni omnia Dei in manu relinquenda esse censent... » Hinc proinde, ut ait Fleuryus *Hist. eccles.*, lib. I, n. 4, omnia fato, nihilque libero arbitrio attribuebant; adeo ut vel ex hoc uno capite (prosequitur Fleur.) nimis quidem inferiores Christi discipulis agnoscendi sint.

Porro, qui inter eos longe durius vitæ genus amplectebantur, therapeutæ dicti fuere.

(84) Non tamen Antonius ullum ædificavit monasterium, quo solitarii simul viverent. Primus Pachomius pacatis Constantini M. temporibus cœnobium, et communem monachorum vitam instituit, quod ex Actis Pachomii ab antiquo quodam auctore scriptis aperte constat : ibi enim inducitur Antonius anachoretarum parens, qui ita Sacchæum Pachomii discipulum alloquitur : « Quo ego primum tempore monachum cœpi agere, nullum uspiam exstabat cœnobium, in quo de aliorum salute cura, aut metus cuiquam erat; sed quisquam antiquorum monachorum persecutione jam finita, privatim in vita sese monastica exercebat. Postea vero Pater vester (Pachomius) tantum bonum, Deo adjuvante, effecit. » Apud Papebroch. in *Acta Pachomii*, die 14 Maii, in *Acta sanctorum*, cap. 77.

(85) Ipsæ siquidem feminæ monasticam vitam pari cum maribus zelo amplexæ sunt. In Oriente quarto sæculo, Basilio teste, *De instit. monach.*, jam erant virginum conventus. Et Chrysostomus, homil. 8, *in Matth.*, choros virginum in solitudinibus

Digitized by Google

biis Christum, resque divinas tutius prosequerentur. De his quidem ita loquitur Basil.: « Homines ex diversis nationibus, et regionibus profectos, per exactam morum ac disciplinæ similitudinem adeo velut in unum coaluisse, ut in pluribus corporibus unus tantum animus inesse videatur, vicissimque plura corpora unius animi instrumenta. » *Inst. monast.*, cap. 19.

(22. Hinc porro factum est ut ex Ægypto, ubi primum monasticum institutum suscepit exordium, per alias Orientis ac etiam Æthiopum, ac Persarum regiones diffunderetur. Sed Orientales præcipuum monachorum præconem et institutorem S. Basilium celebrant, cujus regulæ et constitutiones deinceps in Orientis monasteriis unice ferme obtinuerunt.

(23. A beato Athanasio Alexandrino episcopo, Romam monachos invectos tradit Hieronymus in hæc sane verba : « Nulla eo tempore nobilium feminarum noverat Romæ propositum monachorum. Hæc (Marcella) ab Alexandrinis prius sacerdotibus, papaque Athanasio, et postea Petro, qui persecutionem Arianæ hæreseos declinantes, Romam confugerant, vitam B. Antonii adhuc tunc viventis, monasteriorumque in Thebaide Pachomii, et virginum, ac viduarum didicit disciplinam ; nec erubuit profiteri, quod Christo placere cognoverat. » Epist. 28 *ad Principium*. Atque hinc ipsa Hieronymi ætate crebra fuerunt Romæ virginum monasteria, atque ingens monachorum multitudo. Et littora maris Etrusci, et insulas circumjacentes, et Volscorum provinciam numero, et pietate monachorum spectabiles factas fuisse, idem Hieronymus cit. epist. testatissimum reliquit. Per Gallias vero vitæ monasticæ propagatio S. Martino præcipue debetur, qui postquam in Italia, prope Mediolanum monasterium condidisset, apud Pictavos alterum ædificavit ; posteaque creatus Turonensis episcopus, duo celebria monasteria ibi constituit.

(24. Verum, monastica vita in Occidente splendorem et incrementum suum maxime debet S. Benedicto, qui circa annum DXXIX Casinum montem in Campan. Felice petiit, unde Regula Benedictina per universum Occidentem pervagata est.

(25. Illud autem cognoscas licet, ab ipsa ferme monachatus origine duo emersisse spuria et reprobata monachorum genera, quorum unum sarabaytæ, alterum gyrovagi constituebant : sarabaytæ ferme bini, vel terni in urbibus et castellis proprio arbitratu, subque nullius præsidis regimine vivebant; de quibus ita Hieronymus, epist. 22 *ad Eustoch.* : « Apud hos affectata sunt omnia, laxæ manicæ, caligæ follicantes, vestis crassior, crebra suspiria, visitatio virginum, detractio clericorum, et si quando dies festus venerit, saturantur ad vomitum. » Gyrovagi, alio nomine circumcelliones dicti, quippe nullo certo loco fixi, per totam vitam vagabantur, propriis voluptatibus, et gulæ illecebris servientes, ut eos S. Benedictus describit *Regul.* cap. 1. Insuperque alii ex his membra martyrum, si tamen martyrum, venditabant; alii fimbrias, et philacteria sua magnificabant, omnesque vel sumptus lucrosæ egestatis, vel simulatæ sanctitatis exigebant; quod Augustinus, *De opere monach.*, c. 28, de his circumcellionibus scriptum reliquit. Proindeque non minus sarabaytæ, quam gyrovagi vitæ monasticæ propudia potius et opprobria, quam monachi fuere.

(26. Porro prima cœnobitarum regula non alia fuit, quam cujusque abbatis vox ad normam consiliorum Evangelicorum, ac Evangelicæ perfectionis. Subinde nonnullis SS. Patrum satius visum monachos suos ad religionem litteris informare. Pachomius fertur primus omnium regulam Tabennensibus scripto tradidisse, cujus plura capita Sozomenus (l. III *Hist. eccles.*, c. 14) recenset : quod et alii postea præstiterunt, unde codicem Regularum Lucas Holstenius confecit, præcipui vero regularum conditores in Oriente S. Basil., S. Augustin. in Africa (hunc pro virginum cœnobio, cui soror præfuit, regulam scripsisse, putat cum aliis Papebr., ad. *Vit. S. Alberti*, die 8 Apr., eamque postea non nisi sæc. IX viris aptatam a B. Bened. Ananiensi abb. Chr. Lupus contendit, in *Not. ad Tertull. De præsc.*), in Occidente S. Bened. exstiterunt.

(27. Illud heic addamus oportet, ejusmodi monasticæ vitæ regulas peculiares, hoc est singulis monasteriis proprias fuisse, quod ex memorata regularum collectione, quas anted. Lucas Holstenius edidit, colligere fas est. Quin monasteria regulas sæpe mutarunt et interdum plures in uno eodemque cœnobio obtinebant regulæ, quod Jo. Mabillonius (in Præf. in part. I sæcul. IV *ord. S. Bened.*, n. 53) observat. Stetitque hæc disciplina usque ad. S. Benedictum, qui primus, aut certe inter primos solemnis professionis formulam præscripsit, qua monachi ad perpetuam susceptæ regulæ observantiam adstricti fuerunt. Atque hoc sane pacto antiqua castigata fuit, atque coercita mutandæ regulæ libertas, deque una ad aliam transeundi ; quod non solum pro Casinensi cœnobio, sed pro universo ordine factum est, ut anted. Mabillonius (in Præfat. ad *Annal. Bened.*, n. 19 et 28) adversus Holsten luculentissime demonstrat.

(28. Jam vero, cum primum monachi nullos redditus possiderent, quippe mundo et opibus propter Christum valedixerant, manibus suis victum sibi hoc pacto paraturi operabantur; id quod etiam ad eorum vir-

Ægyptiacis degentes laudat. Ita invalnit differentia inter virgines ecclesiasticas et monasticas, quarum illæ in domibus paternis degebant, Concil. Carthaginen. III, can. 33, hæ vero communem ducebant vitam, et non secus ac reliqui monachi propriis laboribus vivebant, August., *De moribus eccles.*, cap. 31. Et sequenti ætate in Occidente quot fuerunt monachorum ordines, tot familiæ sanctimonialium, easdem, quas viri regulas profitentes, enatæ fuerunt.

Digitized by Google

tutem promovendam aptissimum sane erat. Et revera otiosi in solitudine vitiis contabescunt, et continuis carnis tempestatibus sunt obnoxii. Ita labor manualis vitæ monasticæ proprius et insitus censebatur. Hinc inter monachos alii in agro colendo laborabant alii in pistrino, alii in fabricando, alii in parandis coriis, alii in sportis atque canistris contexendis. Quæ omnia Palladius Helenopolitanus episc. (floruit sæc. IV) in historia, quæ *Lausiaca* inscribitur, c. 39, recenset. Similiter et in Occidente monachi in horto, pistrino, aliisque opificiis laborarunt. Opus vero manuum, cui cum totius posteritatis immenso beneficio se addixerunt monachi occidentales, fuit veterum codicum descriptio et instauratio : « adeo ut quidquid apud antiquos eruditum, ac scitu dignum, quidquid apud Patres pium et sapientiæ plenum, quidquid in conciliis sanctum, quidquid in libris sacris divinum est, totum id (procul jactantia dictum velim) per monachorum nostrorum manus ad hæc usque tempora pervenerit, » quemadmodum jure meritoque ait Mabillonius Præfat. in sæc. I *ordin. S. Bened.* n. 114.

(29. Per decem plus minus sæcula inter monachos nulla fuit ordinum diversitas, sed omnes tum Orientales, tum Occidentales unius instituti esse censebantur, quod vir doctissimus Mabillonius observat, Præfat. in part. I sæcul. IV *ordin. S. Bened.* n. 52. In Occidente circa sæculum decimum diversitas inter monachos fieri cœpit, quam primum Cluniacenses induxere, unam ex pluribus monasteriis congregationem conficientes. Deinde subsecuti sunt Camaldulenses, Grandimontenses, Carthusiani, Cistercienses : postea, sæc. XIII ineunte, mendicantes; omnes nimirum in vinea Domini multiplici pietatis exercitio, variisque modis ad Dei gloriam, bonumque proximi instantissime operaturi. Annis autem consequentibus alii instituti sunt ordines regulares, ut certa charitatis officia præstarent, atque ut clericis opem ferrent in iis quæ clericalis muneris propria sunt. Nec prætereundi ordines equestres et militares, qui præsertim a cruciatis, atque expeditionibus in Saracenos ortum habuerunt. Cætera ad rem sub v. ORDINES RELIGIOSI persequemur.

MONASTERIUM

Vide verb. REGULARIS *ubi late*, etc.

SUMMARIUM.

1. Monasterii etymol. — 2. Alia monasteriorum synonyma. — 3. Varia eorumdem forma. — 4. In quibusdam laus perennis vigebat. — 5. 6. Prius omnia episcopis suberant, exempta postmodum ab earum jurisdictione cum in Africa, tum in Italia, Galliis, etc., multo ante Isidorianas Decretales. — 7. Bonorum monasterialium partitio inter abbatem et monachos sæculo IX inducta. — 8. Nobiliorum monasteriorum conditio, antequam in unum corpus redigerentur. — 9. Capitulorum generalium origo. — 10. Alia huc spectantia apud Ferrarium, ubi quærenda.

(1. Monasterium a solitudine dictum; nam monasteria in locis abditis, et ab hominum commercio sejunctis condi solebant; ut qui in illa sese reciperent, soli cum essent, facilius contemplationi vacarent.

(2. Eadem cœnobia appellata, quod in eis vita communis a monachis ageretur, uti et cellæ, quo nomine sæpe utitur S. Gregorius M. non modo ad designandum privatum monachi alicujus cubiculum; sed ad totum monasterium indicandum, ut dum, *Dialog.*, lib. I, cap. 4. Æquitius Basilium de cella expelli jubet; lib. XI, cap. 9, habitacula cellæ memorat, et lib. III, cap. 15, quatuor, vel quinque pecudes in cella remansisse scribit. *Vide* cl. Mabillonium, præf. in sæc. I *Ben. Annal.*, n. 46. Aliud lauræ erant, de quibus Evagrius, lib. I, cap. 21 : « Cum ad Christi urbem venisset (Eudocia), multa in honorem Dei Servatoris nostri gessit. Nam et religiosa ædificavit monasteria, et lauras, quas vocant, construxit, » loca scilicet ubi plures anachoretæ in eadem solitudine, alii ab aliis paulum disjuncti vivebant, communi quodam nomine lauræ nuncupata.

(3. Non eadem erat Orientalium et Occidentalium monasteriorum forma. Disparatæ, uno tamen ejusdem monasterii ambitu conclusæ ædiculæ Orientalibus placuerunt : quales hodieque in Carthusianorum, et eremitarum Camaldulensium monasteriis cernimus. Occidentalibus contra, licet nonnullis antiquo quoque ævo mos ille Orientalium probaretur, universim tamen cellæ separatæ sub eodem dormitorii tecto erectæ, vel saltem ut in nostris clericorum, aut nobilium adolescentium seminariis, et collegiis fit, discreti in eodem dormitorio lecti in usu fuerunt. Hinc S. Augendus, abbas Condatiscensis, ut in ejus Vita legitur, sæc. I *Ann. Benedict.*, p. 575, n. 21 : « Refutato archimandritarum Orientalium more, utilius omnes univit in medium. Destructis namque mansionum ædiculis, uno cunctas secum xenodochio quiescere fecit : ut quos causa unitæ refectionis una claudebat ædicula, discretique lectulis una ambiret et mansio. »

(4. Erant monasteria quædam, in quibus jugis erat psalmodia, ut Luxoviense, Dionysianum, etc. Nimirum monachi in his plures dividebantur in turmas : primæ recedenti a matutinis officiis succedebat secunda; huic tertia : dein absoluta prima, priores locum faciebant secuturis, idemque ad alias horas præstabant. Confer de his monasteriis, quæ etiam dicebantur, laudis perennis, Mabillonium, præf. in sæc. IV, n. 204, seq.

(5. Suberant initio monasteria episcoporum jurisdictioni; neque mirum, cum fere laicis tantum, ut diximus, constarent. Hinc Chalcedonenses Patres, edito canone, eam episcoporum in monasteria potestatem con-

Digitized by Google

firmarunt. Duo tamen Carthaginiensia concilia, alterum an. 525, alterum anno 534 non diœcesanis episcopis, sed primatibus tantum jus in monasteria asseruerunt. Inter Romanos pontifices S. Gregorius M. Classense primum an. 598 cœnobium, deinde an. 601 in Romana synodo omnia saltem Italiæ monasteria ab episcoporum jure subtraxit. Gregorii exemplum secuti sunt Honorius I, qui an. 628, Bobiense; Joannes IV, qui an. 641, duo Luxoviensia; Adeodatus qui an. 675, Turonense S. Martini; Zacharias, qui an. 751, Fuldense cœnobium ab episcopi jurisdictione exemit, et solius Apostolicæ Sedis juribus obnoxium esse voluit. Quæ quidem exempla, aliaque hanc in rem a Francisco Antonio Zaccaria in utroque Antifebronio Latino, et Italico proposita ostendunt, nihil falsius, nihil absurdius fingi posse, quam quod Febronius aliique ejus sectatores efficiunt, monachorum exemptiones ab Isidorianis Decretalibus fuisse profectas (86).

(6. Hæc porro exempta monasteria duorum generum erant, alia *ingenua*, quæ a natalibus suis per conditores suos a jure communi erepta fuerant; alia *libera*, quæ, procedente tempore, eamdem prærogativam obtinuerant. *Vide* Mabillonium, præfat. in sæc. VI *Ann. Ben.*, n. 30.

(7. Utinam vero hisce libertatis privilegiis rapacitati quorumdam abbatum sæcularium, qui omnia monasterii sibi commendati bona in usus suos demum convertebant, satis provisum fuisset. Hinc tandem effectum, ut sæculo IX (Hilduino abbate S. Dionysii exemplum præbente) bonorum monasterialium partitio inter abbatem et cæteros monasterii monachos decreta fuerit. Sic Franco Leodicensis episcopus, idemque Laubiensis abbas ita cum suis monachis bona partitus est, «ut medietas abbatiæ fratribus inibi regulariter militantibus in usu communi deserviret; aliam episcopus sibi, et militantibus manciparet.» Adi eumdem Mabillonium, Præf. in sæc. IV *Ann. Ben.*, n. 200.

(8. Ante omnem ordinis Benedectini ex variis monasteriis in unum corpus redacti institutionem, quæ Cluniacensibus monasteriis debetur, cœpta quidem sub Odone abbate, perfecta autem sub sancto Hugone abbate sexto, ea fuit in nobilioribus monasteriis disciplina ut quælibet minores sub se haberent colonias, quæ cellæ, præposituræ, obedientiæ, prioratus, monasteriola et monasteria passim, imo et abbatiæ aliquando vocabantur. Erant in illis cellis præpositi, seu decani ad nutum abbatis, qui principi monasterio præerat, amovendi: et si qui abbates illis præficiebantur, nonnisi habito primi abbatis consensu eorum fiebat electio, ab eodem postea confirmanda. Qui in cellis illis residebant, in singulos annos certum censum principi monasterio referebant, certisque diebus ad conventum indictum adesse tenebantur. Hæc Mabillonius, præf. in sæc. V *Ann. Ben.*, n. 53, ubi et hujus institutionis causas affert.

(9. Ubi vero magnum quoddam corpus plurium monasteriorum conflatum fuit, quod ordinem appellant, alii tamen congregationem vocant, quemadmodum apud nos nobilissima Casinensis congregatio sub uno abbate generali, capitula item generalia celebrari necesse fuit. Eorum usus sæculo XII vulgaris fuit. Ideam tamen quamdam, et specimen exhibuerat synodus Aquisgranensis anni 817 ex universis pene Benedictini ordinis abbatibus composita, in qua utilia de rebus monasticis statuta condita sunt. Apud Casinates: « His item temporibus, ut scribit Leo Hostiensis, *Chron.* l. I, c. 32, mos erat, ut pridie Kal. Septembris conventus ad hunc locum fieret, una cum præpositis suis universorum hujus cœnobii in circuitu monachorum, docendi ab abbate, quid facere, quid cavere, quidve corrigere, seu qualiter sub Dei præsentia, et timore cum regulari observatione vivere deberent. Sequenti vero die ordinabantur, et describebantur, atque destinabantur, in obedientias, per singulas, prout opportunum erat, provincias. »

(10. Cætera recentioris ævi ad monachos æquæ, atque ad omnes regulares ordines postea a sanctissimis viris institutos, quære apud auctorem nostrum verb. CONVENTUS et REGULARES.

MONETA, MONETARIUS.

SUMMARIUM.

1. Moneta unde dicta? — 2. Moneta confunditur cum denario, nummo, et pecunia. Denarius unde dictus? — 3. Nummus unde dictus? — 4. Pecunia unde dicta? — 5. Monetæ valor est duplex, scilicet intrinsecus, seu naturalis, et extrinsecus, seu legalis, et qualis sit uterque? — 6. Ad justitiam causæ monetæ tria omnino requiruntur, et assignantur. — 7. Jus monetam cudendi est de regalibus, unde soli principes supremi possunt de jure monetam cudere. — 8. Alii autem inferiores nonnisi ex speciali privilegio id facere possunt.—9. Princeps mutationem valoris, sive intrinseci, sive extrinseci monetarum facere non potest absque consensu communitatis, vel saltem potioris ejus partis, excepto casu publicæ, ac manifestæ necessitatis. — 10. Consensus majoris partis magnatum regni habetur pro consensu omnium. — 11. Ob evidentem causam, seu necessitatem princeps monetæ mutationem facere potest, etiam non requisito populi consensu, dummodo cessante necessitate populo damna compenset. — 12. Cæterum gravissime peccat princeps, seu magistratus, si ob commodum suum, et absque publica necessitate monetarum mutationem introducat. — 13. Si monetæ valor mutetur intrinsece, solutio fieri debet ex moneta antiqua, quæ currebat tempore debiti contracti, si inveniatur: Si vero non inveniatur antiqua, debet fieri ad illius æstimationem. — 14. Et hoc sive monetæ valor intrinsecus fuerit auctus, sive immi-

(86) De hujusmodi exemptione monasteriorum ordinatius et fusius modo historico agemus, sub v. REGULARES, art. 2. (*Editores Casinenses.*)

Digitized by Google

netus. — 15. Nisi tamen in alterius monetæ solutione fuerit legitime præscriptum. — 16. Si monetæ valor mutetur extrinsece, solutio fieri debet secundum ejusdem valorem de tempore solutionis. — 17. Si tamen moneta sit a principio taxata ad rationem tot librarum, tunc in solutione attendendus est valor taxatus. — 18. Quando monetæ species certo numero solvendæ sunt in pactum deductæ, tunc tot numero species tempore constituto solvi debent, quot fuerunt pacto conventæ, sive earum valor extrinsecus sit auctus, sive diminutus. — 19. Quando conventa est certa species monetæ, solutio facienda est in eadem specie, nec debitor liberatur, solvendo in alia specie ejusdem valoris. etiamsi adsit consuetudo, ut una species monetæ solvatur pro alia. — 20. Intellige tamen, quando facile conventa species monetæ inveniri possit; secus autem si non reperiatur, quo casu solutio fieri potest, et debet per aliam æquivalentem. — 21. Quando quantitas pecuniaria in obligationem deducitur, nulla facta designatione speciei, aut facta quidem, sed numero incerto, vel nulla illius facta æstimatione, tunc, si fiat mutatio extrinseca monetarum, solutio fieri debet secundum valorem currentem tempore solutionis. — 22. Quando valor extrinsecus monetarum crescit in manu depositarii, administratoris, aut cujuscunque similis possessoris, seu alterius pecuniæ custodis, ordinarie tale augmentum, non ad ipsum, sed ad dominum monetarum pertinet, sicuti ad ipsum pertinet decrementum valoris, si contingat. — 23. Potest licite moneta purioris materiæ, quamvis ejusdem valoris legalis, commutari cum alia imperfectioris materiæ cum moderato lucro; attentis circumstantiis majoris, vel minoris valoris naturalis utriusque. Et idem dicendum est proportionate de permutatione monetæ cameralis, cum non camerali. — 24. Qui scientia privata scit valorem monetæ esse brevi minuendum, seu monetam esse prohibendam, potest ipsam expendere secundum valorem præsentem. — 25. Non excusantur tamen magistratus ipsi, qui ex industria legis promulgationem differunt, ut interim suas monetas majori valore expendant. — 26. Monetam falsam scienter expendens, non obstante quod ab aliis acceperit et deceptus fuerit, peccat graviter, et tenetur ad restitutionem ei qui læsus fuit, et ut reus falsi criminis circa monetas puniri potest. — 27. Qui bona fide monetam falsam ab alio accepit, et bona etiam fide, seu ignoranter eam expendit, postea, comperta veritate, tenetur ad restitutionem ei qui læsus fuit. — 28. Monetam falsam fabricantes, veram tondentes, radentes, vel minuentes, falsi crimen committunt, et fiunt rei læsæ majestatis sub pœna ultimi supplicii, confiscationis bonorum, et feudorum, infamiæ, et privationis omnium dignitatum. — 29. Monetas aureas, et argenteas tondentes, tam in urbe, quam in toto statu ecclesiastico, incurrunt pœnam ultimi supplicii. — 30. Et idem confirmavit, et ampliavit Urbanus VIII, et extendit ad quaslibet personas ecclesiasticas, sæculares, et regulares intra Italiam, aureas, vel argenteas monetas tondere, fabricare, colorare, vel alias adulterare, seu etiam quomodolibet adulteratas scienter erogare, aut expendere præsumentes. — 31. Pecunias autem adulteratas scienter detinentes, aut de loco ad locum transportantes, aut materiam, instrumenta, sive opem ad præmissa præstantes incurrunt pœnam triremium ad decennium. — 32. Cognitio hujusmodi causarum in provinciis Sedi Apostolicæ subjectis spectat ad S. R. E. cardinales ibidem legatos; in aliis vero provinciis Italiæ spectat ad locorum ordinarios, etiam quoad regulares privative quoad omnes. — 33. Monetarii gaudent immunitate ecclesiastica. — 34. Attendenda tamen est circa id novissima dispositio Benedicti XIII, quæ adducitur. — 35. Reliqua usque ad num. 50. — Subnectuntur *Additiones ex aliena manu* ad num. 62.

(1. Moneta est sic dicta, eo quod signi impressione, vel auctoris, vel pretii moneat. ***Magnum lexicon juridicum*** Calvini, verb. ***Moneta;*** Suidas autem scribit, Junonem monetam cultam fuisse Romæ, eo quod in bello adversus Pyrrhum et Tarentinos, de pecunia laborantes, benigno responso, ope consilioque juvisset, in cujus templo nummum cudi institutum est. Veteres etiam monetam Deam esse dicebant, quæ pecuniæ curam haberet, graviter animadvertentes in eos, qui dolum malum in pecunia committerent. Qua etiam ratione doctissimi grammaticorum censuerunt monetam dici, quod moneat, ne quid fraudis in ære pondereve fiat. Corrasius lib. III ***Miscell.***, cap. 13; sic Calv., in cit. ***Magno lexico*** verb. ***Moneta.***

(2. Moneta cunfunditur cum denario, nummo, et pecunia. Denarius, venit a dena decem significante; l. XXVI, ***De verb. obligat.***, et inde nomen traxit, quia primo decem asses valebat. Calvin., in cit. ***Magno lexico***, verb. ***Dena*** et ***Denarius.*** (3. Nummus appellatus est a Numa rege, qui nummos primum apud Latinos imaginibus notavit, et titulo nominis sui præscripsit: S. Isidorus, lib. XVI ***Origin.***, cap. 17; Calvin., ***loc. cit.***, verb. ***Nummus***, ubi infra subjungit: « Quid tamen, si vocem latinam a verbo, et ipso latino derives, nempe a numero; nam nummi functio non minus, opinor, numero constat, quam pondere. » (4. Pecunia a pecude dicta est quasi peculium patris familias ex pecude æstimatum; veterum enim tota substantia, ac totum eorum patrimonium in pecudibus repositum erat, omniaque necessaria, fundos, domos, esculenta, poculenta, pecudibus sibi comparabant, iisdem pecudes redimebant; Columella in præfat. lib. VI; Alciat. in lib. ***Pecuniæ*** 14, ff. ***De verb. significat.***, Calvin., ***loc. cit.***, verb. ***Pecunia;*** unde S. Augustinus relatus, in cap. ***Totum*** 6, caus. 1, qu. tertia, sic expresse dicit: « Ideo autem pecunia vocata est, quia antiqui totum, quod habebant, in pecoribus habebant. » Et concordat l. ***Origo*** 1, ff. ***De contrah. emption.***, ibi: « Origo emendi, vendendique a permutationibus cœpit; olim enim non ita erat nummus; neque aliud merx, aliud pretium vocabatur; sed unusquisque, secundum necessitatem temporum ac rerum, utilibus inutilia permutabat, quando plerumque evenit ut, quod alteri superest, alteri desit. Sed, quia non semper, nec facile concurrebat, ut cum tu haberes, quod ego desiderarem, vicissim haberem, quod tu accipere velles, electa materia est (pecunia nempe, seu nummus), cujus publica, et perpetua æstimatio difficultatibus permutationum æqualitate quantitatis subveniret: eaque materia forma publica percussa usum dominiumque non tam ex substantia præbet quam ex quantitate; nec ultra merx utrumque, sed alterum pretium vocatur. »

(5. Monetæ valor seu æstimatio est duplex, scilicet valor, intrinsecus, seu natura-

Digitized by Google

lis, et valor extrinsecus, seu legalis : valor intrinsecus, seu naturalis est ille, qui provenit ex bonitate metalli, vel materiæ, ex antiquitate, ex utilitate majori ad commercia humana, ex majori facilitate, qua apud exteros acceptatur, et ex aliis capitibus, propter quæ solet supra extrinsecum, seu legalem valorem plus dari pro tali moneta. Valor extrinsecus, seu legalis est ille, qui a lege publica, seu decreto principis, vel magistratus habentis ad id potestatem cum sigillo, seu signo imponitur, vel taxatur.

(6. Ad justitiam causæ monetæ, seu pecuniæ tria omnino requiruntur. *Glossa* communiter recepta in cap. *Quanto* 18, verb. *Patris*, De jurejurand., per textum in l. 1, ff. *De contrahend. emption.* Primum est legitima cudendi auctoritas, quam etiam signum impressum indicat; secundum est materiæ bonitas, seu integritas, id est quod moneta sit tota de ea materia, ex qua esse debet, ut moneta aurea nihil admistum habeat metalli inferioris, et sic de moneta argentea, et aliis; tertium est justum pondus materiæ, sicuti signum monetæ indicat.

(7. Jus monetam cudendi est de regalibus: unde soli principes suprema auctoritate gaudentes possunt de jure monetam cudere, lib. II *Feudorum* tit. 57, *Quæ sint regaliæ;* et leg. 2, c. *De falsa moneta*, cum similibus. (8. Alii autem inferiores non nisi ex speciali priveligio id facere possunt. *Communis.*

(9. Princeps mutationem valoris, sive intrinseci, sive extrinseci monetarum facere non potest absque consensu communitatis, vel saltem potioris ejus partis, excepto casu publicæ ac manifestæ necessitatis, ut colligitur clare ex cap. *Quanto* 18, De jurejurando, et tenet communis doctorum, teste Layman, l. III, tract. 3, part. I, cap. 6, n. 7. Et ratio est, quia per mutationem valoris, sive intrinseci, sive extrinseci monetarum infertur maximum detrimentum populo, unde id est injustum, nisi ipse populus sponte consentiat: tum quia monetæ usus, et commoditas debet esse publica, et communior, ex c. *Quod omnes* 29, De reg. juris, in 6, ubi habetur expresse: « Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari. »

(10. Dicitur autem notanter « Vel saltem potioris ejus partis, » quia in similibus rebus consensus majoris, seu potioris partis alicujus communitatis, v. g. in hoc casu consensus majoris partis magnatum regni dicitur consensus omnium; arg. l. *Quod major*, ff. *Ad municipalem*, cum possibile non sit omnium omnino consensum postulari.

(11. Item notanter dicitur « excepto casu publicæ, ac manifestæ necessitatis, » quia ob evidentem causam, seu necessitatem princeps monetæ mutationem facere potest, etiam non requisito populi consensu; Oresmius, tract. *De mutatione monetarum*, cap. 22; Covarr., in *Collat. numismat.*, cap. 7, n. 6; Joannes Faber, institut. *Quibus modis tollitur obligatio princ.;* Layman, *loc. cit.*, n. 7, ubi sic præcise subjungit: « Sed admonent, quod princeps, cessante necessitate, populo compensare debeat damnum, quod ob pecuniæ mutationem passi sunt. Exempli gratia, si, ingruentibus hostibus, ad bellum necessarium gerendum pecuniæ desint, duobus modis princeps succurrere poterit, ut publico edicto monetarum omnium valor extrinsecus augeatur, vel ut nummi ærei pro argenteis, aut etiam aureis, impresso eodem valoris signo cudantur cum implicito pacto crediti, ita videlicet, ut quicunque, finito bello, tale signum attulerit, ipsi bonus nummus argenteus, vel aureus ex eadem principis officina dandus sit, unde æreus prodierat; quare tale signum, non tam nummi, quam arrhæ, aut tesseræ rationem habebit. » Et de facto sic fuit practicatum Melitæ obsidionis tempore, et aderant in monetis verba hæc: « Non æs, sed fides, » attento, quod deinde fuerunt permutatæ, et restitutæ aliæ bonæ materiei, et justi ponderis, refert Ursaya, *Instit. crimin.* l. II, tit. 6, n. 185.

(12. Cæterum gravissime peccat princeps, seu magistratus, si ob commodum suum, absque publica necessitate monetarum mutationem introducat, v. g. si bonum monetæ genus reprobet, aut banniat, atque congregatum conflet, ac postea minus valentem monetam cudi faciat sola lucri sui causa, et hujusmodi, Abbas in c. *Quanto* 18, De jurejurando, n. 11, Gabriel, in 4, dist. 15, part. IX, artic. 3, dub. 1; Majoran., in 4, dist. 19, qu. 28, corollar. 6, et communis aliorum; gravissima enim damna, et incommoda provenire solent ex monetarum mutatione, ut experientia docet, et videri possunt apud Layman, *loc. cit.*, n. 8, et alios passim.

(13. Si monetæ valor mutetur intrinsece, solutio fieri debet ex moneta antiqua, quæ currebat tempore debiti contracti, si vero non inveniatur antiqua, debet fieri ad illius æstimationem, textu expresso in cap. *Cum canonicis* 26, De censibus, et tenet communis doctorum cum Fagnano, lib. III *Decretal.*, in cap. *Olim* 20, De censibus, n. 4, et sequent., et Rota, part. II *Recent. decis.*, dec. 149, n. 11; part. III, decis. 108, n. 1; part. XV, decis. 164, n. 8, et sæpe alibi. (14. Et hoc sive monetæ valor intrinsecus fuerit auctus, sive imminutus. *Communis* cum Fagnan., *loc. cit.*, n. 6, per textum in cit. cap. *Cum olim* 20, et citat. cap. *Cum canonicis* 26, De censibus. (15. Nisi tamen fuerit alterius monetæ solutione legitime præscriptum, ut patet a contrario sensu in cit. cap. *Olim* 20; De censibus, ibi: « Non nisi triginta sex annorum ad plus tempus effluxerit. » Per hoc enim innuit, ut si effluxisset tempus annorum quadraginta, bene præscriptum esset in solutione alterius monetæ. Et sic tenet *Glossa, ibidem.* verb. *Non nisi triginta sex.* Innocent., circa finem verb. *Papien.* Abbas antiq. n. 1; Joann. Andreas, n. 10; Fagnan., n. 14 et 15, cum Ancharan., Butr. cardin., Anania, Castellin., Bald. ibi ab ipso citatis. Unde, si creditor recipiat unam speciem pecuniæ loco alterius longissimo tempore, non cogitur debitor in futurum solvere de pecunia primæ speciei.

(16. Si monetæ valor mutetur extrinsece,

Digitized by Google

solutio fieri debet secundum ejusdem valorem de tempore solutionis. *Communis.*, cum Fagnan., *loc. cit.*, num. 22 et 24, et Rota, part. II *Rec. decis.* dec. 149, n. 11; p. III, decis. 49, n. 1; part. XI, decis. 24, n. 10, et sæpe alibi; et ratio est, quia hoc casu bonitas monetæ intrinseca non mutatur, sed tantum bonitas extrinseca, id est valor. In æstimationem autem valoris inspicitur tempus solutionis, l. *Cum quid*, et l. *Vinum*, ff. *Si certum petatur*, et l. *Paulus*, ff. *De solutionibus*.

(17. Si tamen moneta sit ab initio taxata ad rationem tot librarum, tunc in solutione attendendus est valor taxatus, quia æstimatio facit venditionem; l. *Plerumque* § *Si ante*, ff. *De jure dot.*, l. *Si æstimatis*, et l. *Quoties*, cod. eodem, et ideo reddi et solvi debet illa æstimatio, et non major, vel minor. Bald., concil. 539. « Punctus quæstionis talis est, » vol. II; Boer., decis. 327, n. 10; Fagnan., *loc. cit.*, n. 24 et 25; Rota, part. III *Recent. decis.*, dec. 49, n. 3., part. IX, tom. II; decis. 398, num. 10 et seq., et sæpe alibi.

(18. Quando monetæ species certo numero solvendæ, sunt in pactum deductæ, tunc tot numero species tempore constituto solvi debent, quot fuerunt pacto conventæ, sive earum valor extrinsecus sit auctus, sive diminutus, quia illarum superveniens extrinseca mutatio cedit commodo, vel incommodo creditoris: unde, si Caius dedit mutuo Titio centum duplas eodem numero, et specie restituendas, seu emerit agrum pro centum duplis in specie, et numero solvendis; tunc totidem duplæ in specie, et numero sunt solvendæ, non obstante, quod earum valor extrinsecus sit auctus, vel diminutus. *Communis* cum Covarr., *De mutation. monetar.*, § unic., conclus. 7; Layman., *loc. cit.*, n. 13. Rota, part. XIV *Recent. decis.*, decis. 504, part. XV, decis. 564, n. 23, et sæpe alibi.

(19. Quando conventa est certa species monetæ, solutio facienda est in eadem specie, nec debitor liberatur solvendo in alia specie ejusdem valoris, etiamsi adsit consuetudo, ut una species monetæ solvatur pro alia; unde, si conventum sit, ut solutio fiat in auro, non tenetur creditor recipere monetam argenteam, quamvis probam, et ejusdem, seu æquivalentis valoris; Rota, part. II *Recent. decis.*, dec. 149, n. 4; part. IV, tom. II, dec. 165, n. 1; part. V, tom. II, decis. 141, n. 56; part. XIX, tom. I, dec. 329, n. 1 et 2, et sæpe alibi. Et ratio est, quia « contractus ex conventione legem accipiunt, » l. I, § *Si convenerit.*, ff. *Depositi*, et regul. Jur. in 6, ibi: « Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur. » — « Et aliud pro alio, invito creditore, solvi non potest; » juxta l. II, § 1, ff. *Si certum petatur*.

(20. Intellige tamen, quando facile, vel cum modica difficultate species monetæ inveniri possit, secus autem, si qualitas promissa, seu conventa moneta non reperiatur, vel totaliter abscesserit, seu publice fuerit prohibita, quo casu solutio fieri potest, et debet per aliam æquivalentem; arg. cap. *Olim* 20, et cap. *Cum canonicis* 26, De censibus; Rota, part. II *Recent. decis.*, dec. 149, n. 5; part. IV, tom. II, dec. 165, n. 2; Annotat. ad dec. 67, n. 52 et seq., part. IX, tom. I, decis. 351, n. 2; part. XIV, et decis. 329, n. 3; part. XIX, tom. I. *Vide* verb. PENSIO a n. 113 ad 118.

(21. Quando quantitas pecuniaria in obligationem deducitur, nulla facta designatione speciei, aut facta quidem, sed numero incerto, vel nulla illius facta æstimatione, tunc, si fiat mutatio extrinseca monetarum, solutio fieri debet secundum valorem currentem tempore solutionis. Si enim v. gr. Titius det centum scuta Caio cum pacto ut tantumdem in bona moneta restituat, vel cum pacto ut ea restituat in auro, vel argento, non expresso numero specierum, tunc, cum talis species monetæ solvendæ adjecta sit causa demonstrationis tantum, et non æstimationis, monetæ valor extrinsecus, sive auctus, sive diminutus currit commodo, vel incommodo debitoris; Rota, part. XVI *Recent. dec.*, dec. 230, n. 5; Fagnan., *loc. cit.*, n. 11; Bald., concil. 407, *Super facto Domini*, n. 1, vers. *In contrarium*, lib. V; Castellin., consil. 35, n. 9; Joann. Faber., institut. *Quibus modis tollitur obligatio;* Tholosan., lib. XXXVI *Syntag.*, cap. 2, n. 27; Frideric. Martini, *De jure cens.*, c. 5, n. 60, etc. 8, n. 59; Mynsinger., centur. 4, observat. 1; Covarr., *De mutatione monet.*, § unic., n. 3, in fine, et conclus. 4; Carol. Molin., *De usurar. contract.*, quæst. 92, n. 708; Sotus, lib. VI *De justitia*, quæst. 1, art. 1, et quæst. 12, art. 3; Sylvester, verb. *Solutio*, quæst. 2; Petr. Navarrus, lib. III *De restitut.*, c. 1, n. 259; Toletus, lib. II, c. 34, n. 2; Rebell. p. II, l. XI, q. 15, conclus. ultim.; Filliucius, in *Moral.*, qq., tract. 35, n. 409, verb. *Quinto;* Ludov. Molin., t. II, disp. 312, conclus. 1; Layman., *l. c.* n. 15; Joann. Medina, *De restitut.*, q. ultim., vers. *Ideo fatentur;* Abbas, in c. *Quanto* 18, De jurejurando, n. 2; Hostiens., *ibidem*; Reiffenst., l. III *Decretal.*, tit. 33, n. 35; Engel, *ibidem*, n. 14, et alii plures contra alios.

(22. Quando valor monetarum extrinsecus crescit in manu depositarii, administratoris, aut cujuscunque similis possessoris, seu alterius pecuniæ custodis, ordinarie tale augmentum non ad ipsum, sed ad dominum monetarum pertinet, sicuti ad ipsum pertinet detrimentum valoris, si contingat. *Communis;* et ratio est clara, quia augmentum, et decrementum extrinsecum est quoddam accidens monetæ, adeoque ejusdem debet esse, cujus est moneta.

(23. Potest licite moneta purioris materiæ, quamvis ejusdem valoris legalis, commutari cum alia imperfectioris materiæ cum moderato lucro, attentis circumstantiis majoris vel minoris valoris naturalis utriusque; et idem dicendum est proportionate de permutatione monetæ cameralis cum non camerali; Molina, tract. 2, disp. 401, vers. *Dicendum deinde est;* Salas, *De cambiis*,

Digitized by Google

dub. 33, n. 3 et 4, et 9; Rebellus, II part. *De obligat. justitiæ*, lib. XI, *De cambiis*, quæst. 6; Pontas, verb. *Campsor.*, cas. 1; Lugo, *De cambiis*, disp. 27, sect. 1, num. 8, vers. *Quintus titulus est*, ubi dicit sic sentire alios communiter, et num. 11, ubi dicit : « Ego puto non recedendum a communi sententia, sed cum ipsa dicendum communiter licitum esse plus aliquid accipere hoc etiam titulo majoris commoditatis, et facilioris expendibilitatis unius monetæ, quam alterius; » Rosignol., *De cambiis* 1, prænot. 4, n. 2, et ipso teste, alii magis communiter contra Medinam, Valentiam, et quosdam alios. *Vide* ipsum Rosignolum, et Lugonem ad longum nostram conclusionem propugnantes.

(24. Qui scientia privata scit valorem monetæ esse brevi minuendum, seu monetam esse prohibendam, potest ipsam expendere secundum valorem præsentem, quia valor justus est valor publice currens secundum communem existimationem, vel secundum taxationem legis, et non secundum privatam cognitionem, seu existimationem. *Communis.* (25. Dicitur autem notanter « scientia privata, » quia communis doctorum cum cardinali de Lugo, t. II, disp. 26, num. 140, tenet non excusari magistratus ipsos, qui ex industria legis promulgationem differunt, ut interim suas monetas majori valore expendant. *Vide* verb. CONTRACT. EMPTION., art. 2, n. 18.

(26. Monetam falsam, v. gr. stanneam, aut plumbeam pro argentea scienter expendens, non obstante, quod ab aliis acceperit, et deceptus fuerit, peccat graviter, tenetur ad restitutionem ei qui læsus fuit, et ut reus falsi criminis circa monetas potest puniri. Colligitur ex l. 1, § final., ff. *Ad leg. Corneliam*, De falsis, et ex l. *Cornelia* 9, ff. eod., et docent. Jul. Clarus, lib. v *Sentent.*, § *Falsum*, n. 38; Covarruv., *De collat. veterum numismat.*, cap. 8, n. 4; Molina, tract. 2, disp. 702, num. 9; Sylvester, verb. *Falsarius*, qu. 6; Navarr., c. 16, num. 167; Tholosan., lib. XXXVI *Syntag.*, c. 3; Layman, lib. III, tract. 3, part. 1, cap. 5, num. 5, et alii passim.

(27. Qui bona fide monetam falsam ab illo accepit, et bona etiam fide, seu ignoranter eam expendit, postea, comperta veritate, tenetur ad restitutionem ei qui læsus fuit; Molina, cit. disp. 702, ad fin., Petrus Navarr., lib. III *De restitut.* cap. 1, n. 312; Navarr., in *Manual.*, cap. 17, num. 167; Layman, *loc. cit.*, num. 5, et alii. Et consentit Lugo, tom. II, disp. 28, sect. 2, n. 6, ubi recte cum distinctione respondens dicit eum, qui bona fide monetam falsam expendit, non factus ea de causa locupletior, tunc solum teneri ad restituendum, quando is, cui ipse pecuniam illam solvit, passus est ea de causa detrimentum aliquod. Si autem nullum detrimentum passus est, quia ipse etiam bona fide eam expendit, et solvit personis ignotis, quibus restituere non tenetur, quia nescit an ipsæ etiam detrimentum passæ sint, liber etiam ille primus erit ab onere restituendi. *Vide* verb. CONTRACT. EMPTION., art. 2, a n. 1 ad n. 9.

(28. Monetam falsam fabricantes, veram tondentes, radentes, vel minuentes falsi crimen committunt, et fiunt rei læsæ majestatis, sub pœna ultimi supplicii, confiscationis bonorum, et feudorum, infamiæ, et privationis omnium dignitatum; l. II *Cod. de fals. monet.*, ibi : « Cujus obnoxii majestatis crimen committunt, » et concordant l. I et III *Cod.*, et l. *Quicunque*, ff. *Ad leg. Corneliam, De falsar.*, cum similibus, et tenent doctores communiter.

(29. Monetas aureas et argenteas tondentes, tam in Urbe, quam in toto Statu ecclesiastico, incurrunt pœnam ultimi supplicii : S. Pius V, constitut. 3, incip. *Cum nihil magis.* (30. Quam constitutionem approbat, confirmat, et innovat Urbanus VIII, et ad omnes, et singulas personas ecclesiasticas, etiam quomodolibet exemptas, cujusvis ordinis, societatis, instituti, nec non militiarum quarumcunque, etiam hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, regulares, in omnibus, et singulis provinciis, regnis, civitatibus, terris, oppidis, castris et locis in Italia duntaxat existentibus, qui aureas, vel argenteas monetas tondere, fabricare, colorare, vel alias adulterare, seu etiam quomodolibet adulteratas scienter erogare, aut exponere præsumpserint, extendit, et ampliat; ac vult, ut culpabiles in præmissis reperti, prævia degradatione, curiæ sæculari puniendi tradantur. Urban. VIII, constitut. 75, incipient. *In suprema.*

(31. Pecunias autem adulteratas scienter detinentes, seu de loco ad locum transportantes, aut materiam, instrumenta, sive opem ad præmissa præstantes, incurrunt pœnam triremium per decennium. Urban. VIII, in d. constitutione incip. *In suprema.*

(32. Cognitio hujusmodi causarum in provinciis Sedi Apostolicæ subjectis spectat ad S. R. E. cardinales ibidem legatos; in aliis vero provinciis Italiæ spectat ad locorum ordinarios, etiam quoad regulares privative quoad omnes, etiam superiores ipsorum religiosorum, ipsis superioribus penitus exclusis. Urban. VIII, in d. constitut. incip. *In suprema*, § 6.

(33. Monetarii gaudent immunitate ecclesiastica; sed contra ecclesiasticos complices in hoc delicto procedendum est juxta formam dictæ Constitutionis a Sanctissimo editæ anno 1627. Sacra congregat. Immunitat. *in Oppiden.* 16 Januar. 1635, lib. II *Decretal.* Paul., pag. 214.

(34. Attendenda tamen est novissima dispositio Benedicti XIII, in constitut. incip. *Ex quo*, edita 1725, sexto Idus Junii, ubi sic expresse habet : « Excludimus pariter, repellimus, atque privamus ejusdem immunitatis privilegio... conflantes, adulterantes, vel tondentes quascunque monetas aureas, vel argenteas, etiam principum exterorum, quotiescunque in loco, aut provincia, ubi crimen admittitur, liberum habeant usum, et commercium, vel ipsas monetas conflatas, adulteratas, aut detonsas scienter ita expen-

Digitized by Google

dere, et erogare præsumentes, ut fraudis conscii, atque participes censeri possint. »

(35. Cognitio causæ sacerdotis monetarii spectat ad eminentissimum legatum privative quoad ordinarium, juxta dispositionem dictæ bullæ F. R. Urbani VIII. Sacra congreg. Immunitat. *in Bononien.* 6 Septembr. 1671, lib. I *Decret.* Altov., pag. 729.

(36. Vigore ejusdem bullæ cognitio causæ fabricationis falsæ monetæ contra clericum spectat ad curiam episcopalem. Eadem sac. congreg. Immun. *in Eugubina* 16 Febr. 1631, lib. II *Decret.* Paul., pag. 96.

(37. Verum aliquando contra ecclesiasticos fabricatores falsæ monetæ datur facultas gubernatori procedendi etiam per alium, modo sit clericus. Ead. sacra congreg. Immunit. *in Beneventana* 26 April. 1677, lib. II *Decret.* Altov., p. 1373.

38. Conceditur, mandante Sanctissimo, facultas eminentissimo legato extrahendi, et retinendi prætensos monetarios, ac conficiendi processum, quem ad sac. congreg. transmittat. Ead. sacra congreg. Immunit. *in Bononien.* 30 Aprilis 1672, lib. I *Decret.* Alt., pag. 683.

(39. Monetarius, in cujus domo repertum fuit breve Sanctissimi, et sigillum, utrumque ex probabilibus indiciis falsum, mandante Sanctissimo, extrahitur a quocunque loco immuni per D. nuntium : Ead. sacra congreg. Imm. *in Neapolitana* 29 Decemb. 1668, lib. I *Decret.* Alt., pag. 303.

(40. Monetarius ad preces M. ducis ex gratia speciali Sanctissimi extrahitur ad formam bullæ, et retinetur in carceribus ecclesiasticis, usque ad novum ordinem, quamvis casus non sit de exceptis : Ead. sacr. congreg. Imm. *in Pisana* 7 Aprilis 1668, lib. I *Decret.* Alt., pag. 214 ; *in Florentina* 9 Februar. 1669, d. lib., pag. 314. Attendenda tamen nunc dicta bulla Benedicti XIII.

(41. Ad instantiam regionum datur facultas episcopis status Mediolanen. inquirendi in locis immunibus, et extrahendi monetas adulteratas, et tonsas, ac etiam instrumenta ad hunc usum ; quo vero ad monetarios, et tonsores conceditur em. archiepiscopo Mediol. facultas ad triennium illos extrahendi, et retinendi in carceribus eccles. vel ad totam custodiam in laicalibus nomine sac. congregat. conficiendi processum. ad effectum transmittendi, ac etiam communicandi aliis episcopis facultatem tantum extrahendi et custodiendi ipsos reos. Eadem sacr. congregat. Immunit. *in Mediolanen.* 6 Julii 1677, lib. II *Decret.* Altov., pag. 1411.

(42. Datur facultas episcopo procedendi contra monetarios extractos ab Ecclesia, ad rigorosum examen, attentis enormitate et frequentia horum delictorum : Ead. sac. congr. Immun. *in Lycien.* 26 Julii 1667, lib. I, *Decret.* Alt., pag. 138.

(43. Conceditur facultas, annuente Sanctissimo, vicario generali consignandi instrumenta extracta ab Ecclesia, quibus monetarius utebatur ad cudendos nummos, ut etiam nummos ipsos, si adsint, facta protestatione, ut dicta curia procedat in causa citra pœnam sanguinis : Ead. sac. congregat. Immunit. *in Mediol.* 16 Febr. 1679, lib. II, *Decret.* Altov. p. 1712.

(44. Annuente Sanctissimo, datur D. nuntio apostolico facultas restituendi, seu consignandi judicibus laicis monetas falsas repertas apud fratrem N. mendicantem retentum in carceribus nuntiaturæ, postquam eisdem usus fuerit pro omni eo quod attinet ad suum tribunal cum solita præservatione : Eadem sacra congregat. Immunitat. *in Neapolit.* 10 April. 1664, lib. I *Decret.* Vall., pag. 115. Quo ad omnia supradicta attendenda est nunc dicta bulla Bened. XIII incip. *Ex quo.*

(45. Conceditur facultas in forma commissaria, annuente Sanctissimo, inquisitori, et episcopo Melevitano, ut pro exstinctione monetæ ex ære fabricatæ contribuant ecclesiastici tam sæculares quam regulares una cum laicis in summa scutorum 135 mille pro rata quorumcunque bonorum, rerum, et effectuum per eosdem commissarios declaranda, ita tamen, ut creditum etiam relig. Hierosolymitanæ ad dictam summam ascendens remaneat exstinctum, et residuum ejusdem monetæ ex ære fabricatæ infra biennium, amota omni dilatione etiam exstinguatur : Ead. sac. congreg. Immunit. *in Melevitana* 10 Novemb. 1649, lib. IV *Decret.* Paul., pag. 64.

(46. Taxæ edicto regio impositæ ex causa monetæ novæ non comprehendunt ecclesiasticos, et injungitur D. nuntio, ut tueatur immunitatem ecclesiasticam : Eadem sacra congreg. Immunit. *in Aprutina.* 1 Aprilis 1695, lib. I *Decret.* Vall., pag. 140.

» (47. Ad instantiam regis catholici sacr. cong. Immunitat. ex placito Sanctissimi concedit approbationem donativi extraordinarii ecclesiasticorum in regno Siciliæ, dummodo erogetur in causa monetæ novæ : *In una regni Siciliæ, seu Panorm.* 16 Septemb. 1698, lib. II Decret. Vall., pag. 176.

(48. Monetas aureas tondentes ultimi supplicii pœna plectuntur. Benedict. XIV, constitut. incip. *Ad curam*, § 2. (49. Pœnam hanc ad tondentes monetas argenteas ampliavit S. Pius V Pontifex in constitut. incip. *Cum nil magis.* Idem *ibid.*, § 2. (50. Urbanus autem VIII, in constitut. incip. *In suprema*, hujusmodi pœnali sanctioni obnoxios fecit ecclesiasticos quoscunque tam sæculares quam regulares infra Italiam, et insulas adjacentes. Idem, *ibid.*, § 3.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(51. De mutatione monetæ inter diem contracti debiti, ac solutionis, gravis præsertim in mutuo controversia est, cui nocere ea debeat, creditori ne, an debitori ? Plures sane hac de quæstione scripsere, sed qui eos legit, vix assequi potest quid sibi velint.

(52. Priusquam vero propius ad rem veniamus, nonnulla præmittenda sunt. Notandum primo est, mutari internam nummorum bonitatem, quoties, ipsa proba nummorum materia in nummis recentioribus minori invenitur pondere, seu quantitate, quam in vetustioribus, dum posteriores

Digitized by Google

eamdem puritatem bonitatemque habent, sed levioris ponderis; vel idem eum prioribus pondus habent, sed plus inferioris metalli singulis mistum est.

(53. Notandum secundo est externam nummorum bonitatem consistere in valore, qui imponitur publica auctoritate materiæ publice signatæ, ea mente, ut perpetuus stabilisque sit. (54. Quo fit, ut usum dominiumque pecunia non tam ex substantia, quam quantitate præbere intelligatur, imo non amplius corpus, et æstimatio illa publica deinceps spectanda sit, per quam pecuniæ corpora semel æstimata omnem in posterum aliam respuunt privatam æstimationem, omniaque æstimant.

(55. Notandum tertio, mutari aliquando externum valorem ipsius materiæ, scilicet auri, argentique, per usum atque commercia hominum aucto rudis auri aut argenti pretio, et ita quidem ut pari proportione non surgat æstimatio utriusque metalli, ex quo nummus constat, sed magis auri, quam argenti, aut vice versa. (56. Ex quo necessario augenda deinde quoque est publica æstimatio nummorum jam cusorum, et cudendorum, etsi materia eorum neque melior, neque major sit.

(57. Notandum ultimo, ita plerumque in rebus publicis, aut regnis bene constitutis externum valorem nummis auctoritate publica solvere, atque etiam oportere imponi, ut cum intrinseca materiæ bonitate conveniat, eique respondeat.

(58. Hisce notatis, sentio bonitatem internam, et externam nummorum mutatam, ipsamque etiam mutationem valoris metalli, seu materiæ, quæ mutationibus superioribus præbere solet occasionem, cedere lucro, et damno debitoris, maxime mutuarii, obligati ad pecuniam reddendam. Confer. Neostad., *Cur. Holland.*, decis. 37, per tot, et Christin., *Belgicar. decision*, volum. III, decis. 1, n. 1.

(59. Et ratio est quia, ut notatum est, pecunia, qua talis usum, dominiumque non tam ex substantia, quam quantitate præbet, quæ quantitas ita auctoritate publica definitur, ut illa sola, et nulla alia spectari debeat in expendendo et in commercio inter homines.

(60. Patet hinc errare eos, qui asserunt, mutata intrinseca materiæ bonitate, tempus contractus: mutatus vero extrinseca bonitate, id est valore imposito, tempus solutionis attendendum esse in solutione facienda.

(61. Declara tamen, ita procedere quæ diximus, si nulla ex parte debitoris, vel creditoris mora intercesserit. Neostad., *dist. decis. cur. Holland.* 37; Coren., observat. 16, per tot.

(62. Tum declara procedere, nisi pactum sit de solvenda certa moneta in specie. Grot., *Manuduct. ad jurisprud. Holland.*, l. III, cap. 10, n. 18 et seq.; Wassenaar, *Pract. judicial.*, c. 11, n. 103.

MONIALES (87).

ARTICULUS I.

Moniales quoad ea quæ concernunt puellarum educationem, novitiatum et professionem.

SUMMARIUM.

1. Puellæ educationis gratia recipi possunt in monasteriis monialium.—2. Plures tamen requiruntur conditiones, ut puellæ inibi educandæ recipiantur: et prima conditio est, ut monasterium ad educationem puellas recipere consueverit.—3. Monasterium dicitur solitum puellas ad educationem recipere, quando alias in educationem tenuit, licet forte modo nullam educandam habeat.—4. Non possunt tamen recipi educandæ in monasteriis convertitarum.—5. Neque in illis monasteriis, in quibus viget prohibitio admittendi puellas ad habitum.—6. Secunda conditio est, quod puellæ habitent in loco separato a dormitorio monialium, et novitiarum, alias monasteria non habentia talem locum separatum pro dictis puellis non possunt eas in educationem recipere.—7. Unde ad hoc jubetur monasterium visitari.—8. Tertia conditio est, quod puellæ educandæ non recipiantur in monasteriis, nisi de expressa licentia sacræ congregationis.—9. Et hoc sub pœna violatæ clausuræ.—10. Licentia recipiendi in educationem non conceditur monialibus in particulari, sed solum monasterio in communi.—11. Ordinarius non potest hujusmodi licentiam concedere.—12. Non obstante contraria consuetudine.—13. Obtenta licentia sacræ congregationis præsentanda est ei, cui directa fuerit, nec non in propriæ cancellariæ registris recondenda, alias invalida redderetur.—14. In monasteriis regularibus subjectis, obtenta licentia sacræ congregationis, recipi, et admitti possunt educandæ absque consensu episcopi, et sola licentia superioris regularis; si tamen licentiæ executio sit expresse commissa episcopo, est ei pro exsecutione præstanda.—15. Quarta conditio est, quod puellæ recipiantur de consensu superioris et monialium per secreta suffragia.—16. Qui consensus monialium debet esse majoris partis, non obstante contrario abusu.—17. Dum superior regularis recipit monialium suffragia pro admittenda educanda, cum eo non assistit vicarius generalis, nec alius ab eo, seu ab episcopo deputatus.—18. Quinta conditio est, quod puellæ non sint supra numerum monasterio præfixum.—19. Non est tamen prohibitum, quod in eodem monasterio accipiantur educandæ plures sorores, quam duæ.—20. Numerus educandarum ita præfigi debet, ut quælibet suum

(87) Primis Ecclesiæ sæculis fuere virgines, quas *ecclesiasticas* et *canonicas* vocabant, quod licet privatim in paternis ædibus degerent, in canone tamen, seu libris Ecclesiæ notatæ essent, ac peculiari quadam ratione ad episcopi providentiam spectarent. Sed quarto jam sæculo monasticæ virgines in sacra societate viventes, de quibus hic auctor agit, in Ecclesia inveniuntur. Exstat de his Carthaginiensis III concilii canon. 33, easque etiam S. Augustinus memorat in libro *De moribus Ecclesiæ*, c. 31. Justinam quoque *abbatissam fundatricem sancti loci hujus*, cœnobii scilicet alicujus, quæ an. 569 dum annum ageret LXXXV decessit, exhibet lapis a Muratorio divulgatus pag. 429. De antiquis hisce sanctimonialibus, præter Cangium, nonnulla non ita obvia dabit Zaccaria in dissertatione *De veterum Christianarum inscriptionum in rebus theologicis usu*, cap. 8, n. 5.

Digitized by Google

lectum separatum habeat. — 21. Sexta conditio est, quod puella educanda recipiatur sola sine ancilla. — 22. Septima conditio est, quod puellæ educandæ utantur vestitu, qui virginali modestiæ, et pudicitiæ convenit. — 23. Octava conditio est, quod puella educanda septimum expleverit annum, nec sit major 25 annis. — 24. Puellæ, quæ compleverunt 25 annum, debent a clausura dimitti. — 25. Nisi prorogationem obtineant a sacra congregatione. — 26. Si autem, completis annis 25 sine obtenta prorogatione, non statim egrediatur, non afficitur excommunicatione, sicuti nec abbatissa, vel priorissa monialium illam retinentes. — 27. Nona conditio est, quod puellæ sic introductæ e monasterio non egrediantur, sed ad clausuram ad instar monialium teneantur, et semel egressæ ad illud, vel ad aliud monasterium redire non permittantur absque sacræ congregationis licentia, cum egressus hujusmodi expressione, nisi habitum regularem suscipiendi animo essent reversuræ. — 28. Ipsæ tamen puellæ egrediendo absque superioris licentia non incurrunt excommunicationem violatæ clausuræ. — 29. Decima conditio est, quod quolibet semestri pro dictis puellis alimenta in pecunia anticipate solvantur. — 30. Educandæ matrimonium contrahere volentes desponsari debent extra clausuram, in eam amplius non redituræ sine licentia Sanctæ Sedis. — 31. Imo ordinarius, habita notitia, quod educandæ contraxerint sponsalia, debet eas a clausura dimittere.— 32. Si sponsam de licentia sacræ congregationis in clausuræ degentem sponsus visitet absque ejusdem sacræ cong. facultate, quæ raro conceditur, et multo magis si præfatus sponsus circa monasterium cantet, vel sonet, ipsa sponsa debet a clausura dimitti. — 33. Abbatissa, quæ sponsalium instrumentum cum educanda fieri permittit ad crates, deponitur ab officio, voce activa, et passiva privatur. — 34. Educandis nubere volentibus liber exitus permitti debet. — 35. Ordinarius non debet absque causa relevanti præcipere educandæ, ne contrahat matrimonium sine sua licentia. — 36. Matrimonium contractum a puella educanda ad crates monasterii coram testibus, et parocho ecclesiæ parochialis, intra cujus limites situm est monasterium, validum est, etiamsi parochus fuerit alio prætextu vocatus, nisi aliud obstet. — 37. Educandæ dimitti debent, si sine facultate speciali receptæ sint ante septimum annum completum, vel si compleverunt annum vigesimum quintum. — 38. Neque in hoc dispensare possunt ordinarii.— 39. Item dimitti debent puellæ, quæ non solvunt alimenta.—40. Item dimitti debent, si detegantur energumenæ. — 41. Item dimitti debent, si detegantur gravidæ, et multo magis si pariant. — 42. Puellæ, quæ compleverunt annum 25, nequeunt recipi educandæ in monasteriis monialium. — 43. Nisi raro ad annum propter causas urgentes, et de licentia sacræ congregationis. — 44. Modo ultra alimenta donet aliqua monasterio. — 45. Nisi quando recipiuntur ad probandum Institutum. — 46. Mulieres nuptæ nequeunt recipi in monasteriis monialium de licentia ordinarii. — 47. Illæ autem, quæ sunt in discordia cum maritis, et eorum sævitiam timent, si extra culpam sint, debent, si sint in monasteriis, tolerari; in posterum vero hujusmodi mulieres non possunt recipi etiam cum licentia episcopi.— 48. Mulier, quæ in suspicionem venit marito, et timet ob id, ne ab eo ipsi vis aliqua inferatur, permitti debet, ut possit ingredi monasterium monialium, dummodo constitutiones monasterii non repugnent, et accedat consensus superiorum, abbatissæ, et monialium, etc. — 49. Viduæ, quæ honestatis causa se in monasteria monialium contulerunt, dummodo sint bonæ existimationis et famæ, tolerari debent, quatenus legibus monialium pareant; de cætero tamen non sunt recipiendæ, nisi moniales fieri vellent. — 50. Famulæ, seu ancillæ sæculares de licentia superiorum possunt introduci in monasterium monialium causa inserviendi domesticis servitiis, et infirmis monialibus, si deficiant conversæ. — 51. Extra tamen casum dictæ, et similis necessitatis non possunt introduci cum sola licentia ordinarii; sicuti nec possunt introduci pro servitio alicujus monialis particularis, aut alicujus puellæ educandæ cum sola licentia ordinarii; Imo etiam Sedes Apostolica regulariter hanc licentiam denegat. — 52. Puella, vel vidua, quæ temere ingreditur ad suscipiendum habitum, et abbatissa recipiens, incidunt in censuras: hæcque debet graviter puniri, illa expelli. — 53. Cogere puellas ad ingressum monasterii causa solius educationis, si coactio est illata puellis a non habentibus in illas potestatem dominativam, est peccatum mortale: Si coactio sit illata a parentibus, vel tutoribus, et puellæ sint impuberes, nullum est peccatum; Si autem sint puberes, talis coactio censetur peccaminosa. — 54. Cogentes coactione peccaminosa puellas puberes ad ingrediendum monasterium, probabilius incurrunt excommunicationem latam a Tridentino, etiamsi non intendant illas ingredi ad habitum religionis sumendum, aut profitendum, sed solum educationis gratia. — 55. Id tamen limitant varii, quando talis coactio est in ordine ad induendum habitum, et ad profitendum; secus vero si sit solum in ordine ad educationem. — 56. Ordinationes, et declarationes ordinario directæ pro monasteriis, servari debent etiam in monasteriis subjectis regularibus. — 57. Secus si ordinationes tam pro monachandis, quam pro educandis factæ fuerint ab ipso ordinario.— 58. Nisi eæ, quæ respiciunt clausuram, et ad illam accessum, vel ingressum. — 59. Puellæ manentes in monasteriis exemptis non subjacent episcopo, nisi in casibus in quibus ipsi subduntur moniales exemptæ. — 60. Si aliqua educanda ægrotet, cum periculo vitæ, et testari velit, debet concedi licentia notario cum testibus ingrediendi clausuram.— 61. Educanda si moreretur in monasterio exempto nulla electa sepultura, ubi esset sepelienda? ad n. 62.— 63. Quod dicitur de educandis, idipsum dicendum est, servata proportione, de tumulatione mulierum sæcularium in monasterio monialium legitima facultate commorantium, et inibi decedentium.— 64. Puella, ut legitime recipiatur ad habitum religionis, requiritur consensus superioris, et monialium per secreta suffragia. — 65. Qui consensus monialium debet esse majoris partis.— 66. Puella ad habitum Religionis recipienda, est ab episcopo, vel ejus deputato exploranda, an seducta sit, an sciat quid agat, et hujusmodi. — 67. Et hoc etiam in monasteriis regularibus subjectis, in quibus nec potest ad habitum admitti sine prævia licentia episcopi in scriptis. — 68. Unde potest episcopus sub censuris præcipere monialibus etiam exemptis, et earum superioribus, ne recipiant puellas ad habitum, nec ad professionem, nisi prius sit ipse certioratus. — 69. Hanc voluntatis puellæ explorationem non debet episcopus differre ultra 15 dies, alias superiores exempti, 15 diebus elapsis, possunt, eo inconsulto, ad receptionem et admissionem procedere. — 70. Defectus explorationis voluntatis non irritat receptionem et admissionem. — 71. Puella ad habitum recipienda, debet prius per decem dies continuos spiritualibus exercitiis operam dare.— 72. Puellæ non possunt admitti ad habitum religionis, nisi habeant 15 annos completos.—73. Antequam puella habitu religioso induatur, debet esse sacramento confirmationis munita. — 74. Debet ei imponi nomen sanctæ, non gentilis feminæ. — 75. Debet ei imponi, ut vocetur titulo sororis, et non dominæ. — 76. Novitiæ omnes debent degere sub cura, et regimine magistræ in habitatione particulari. — 77. Episcopus præcipere potest monialibus etiam exemptis, etiam regularibus subjectis, ut habeant locum separatum, et commodum pro novitiis, et puellis educandis, et potest prohibere, ne illas extra dictum locum teneant sub

Digitized by Google

quovis prætextu sub gravibus pœnis, etc. — 78. Prohibitum est puellas ad habitum suscipi in illis monasteriis, quæ non habent locum distinctum, et separatum pro novitiatu. — 79. In habitu sæculari fieri non potest novitiatus. — 80. Tempus, sive annus probationis debet esse continuus, et incipit a die assumptionis habitus, et non a die acceptationis monialium. — 81. Alimenta pro anno novitiatus debentur etiam a numerariis; nisi sacra congregatio det licentiam investiendi dotem pro novitia, quæ illam solvere nequit. — 82. Ordinarius nullo pacto compellere potest moniales ad acceptandum puellas neque ad habitum, neque ad professionem, licet haberent licentiam Sedis Apostolicæ.— 83. Novitia infirma morbo contumaci remittitur curanda domum.— 84. Eo pacto, ut reversa recipiat novitiatum a capite.— 85. Sed, si novitiatus annum expleverat, posteaque ex causa supradicta de consensu monialium et superioris exit, potest, cum redit, admitti sine novo novitiatu. — 86. Novitia, quæ exit ab uno monasterio ad profitendum in alio, debet reincipere novitiatum a capite.— 87. Novitia debet per annum cum habitu regulari permanere, alias professio erit irrita.— 88. Annus probationis debet esse completus de momento ad momentum; alias professio est nulla. — 89. Novitia non potest professionem emittere ante annum decimum sextum completum, alias professio antea facta est nulla.— 90. Anni 16 ad professionem requisiti debent esse completi de momento ad momentum, alias professio est nulla.— 91. Ætas autem incipit a die nativitatis, et non a die baptismi.— 92. Novitia ante professionem debet explorari quoad ejus voluntatem ab episcopo, seu ejus deputato.— 93. Et hoc etiam in monasteriis regularibus subjectis.— 94. Episcopus, postquam fuit monitus, non debet differre explorationem voluntatis novitiæ ultra 15 dies, alias superiores exempti, ipsis 15 diebus lapsis, possunt procedere ad admissionem professionis. — 95. Defectus hujus explorationis non annullat professionem.— 96. Novitiæ in articulo mortis constitutæ, etiam anno novitiatus non completo, possunt professionem emittere, dummodo sint in ætate legitima.— 97. Si tamen hujusmodi novitiæ convaluerint, tenentur iterum profiteri. — 98. Talis autem professio emissa a novitia in articulo mortis, anno novitiatus nondum completo, non suffragatur, nisi quoad acquisitionem Indulgentiarum favore profitentis, non autem quoad acquisitionem dotis favore monasterii. — 99. Si autem talis professio in articulo mortis sit emissa in manibus abbatissæ, anno probationis jam integre completo, tunc dos acquiritur monasterio, licet professio emissa fuerit inscio ordinario. — 100. Aliqui vero tenent, quod professio emissa post annum probationis a puella phthisica, seu hectica non prosit monasterio quoad acquisitionem bonorum.— 101. Professio monialium in manu ordinarii principaliter, non autem abbatissæ fieri debet.— 102. Tamen, si fiat in manu superiorissæ de consensu majoris partis capituli, est valida.— 103. Adducitur, et solvitur instantia. — 104. Episcopo, vel alio prælato, seu superiore jubente recipi novitiam ad professionem, contradicente majori parte monialium, non debet admitti. — 105. Et si ordinarius ad id eas compelleret, possunt ad superiorem appellare. — 106. Et si superior de se cum minori parte, reclamante majori parte monialium, novitiam ad professionem admitteret, professio esset nulla.— 107. Moniales nullo modo per juramentum, vel censuras cogendæ sunt ab ordinario ad exprimendam causam, cur aliquam novitiam a professione rejiciant: sed, si secreto interrogatæ idoneam repulsionis causam non afferant, et in sua contumacia perseverent, ordinarius debet facere certiorem sacram cong. ut de opportune remedio provideat. — 108. Quæ solet jubere iterum convocari capitulum: dummodo monialibus pro extorquendis votis vis non inferatur.— 109. Rejicere autem a professione novitiam non possunt moniales sine justa causa, alias graviter peccant.— 110. Abbatissa seu superiorissa in monasteriis non exemptis tenetur ante mensem certiorem facere episcopum professionis a novitia emittendæ, alias potest suspendi arbitrio episcopi.— 111. In monasteriis vero exemptis tenetur ipsum certiorem facere solum ante quindecim dies, quibus elapsis, nequit episcopus amplius se ingerere, et superiores exempti possunt sine alio ad admissionem professionis procedere. — 112. Secunda soror in loco numerario admitti potest sine licentia sacræ congregationis. — 113. Tertia tamen soror recipi non potest in eodem monasterio, licet regularibus subjecto sine licentia sacræ congregationis. — 114. Tertia soror vocem activam, et passivam non habet, nisi post mortem alterius ex primis. — 115. Potest tamen tertia soror habere alia officia, quæ dantur extra capitulum sine suffragiis monialium.— 116. Tertia, et quarta soror habent præcedentiam a die professionis, sicut aliæ.— 117. Sæpius tertiis sororibus solent voces concedi ex gratia, maxime ubi magnus est numerus monialium.— 118. Monialis supernumeraria non potest admitti sine licentia sacræ congregationis. — 119. Monialis supernumeraria remanet semper supernumeraria.— 120. Excommunicantur omnes, qui quomodocunque virginem, vel viduam, vel aliam mulierem coegerint invitam ad ingrediendum monasterium, vel habitum suscipiendum Religionis, vel ad professionem emittendam. — 121. Item ii, qui consilium, auxilium, favorem dederint, quique scientes eam non sponte facere, quoquomodo eidem actui, vel præsentiam, vel consensum, vel auctoritatem interposuerint.— 122. Non excommunicantur ii qui per vim inductivam, non coactivam, coegerint virginem monasterium ingredi. — 123. Excommunicantur et ii qui sanctas virgines, vel alias mulieres veli accipiendi, vel voti emittendi quoquo modo sine justa causa impedierint.— 124. Alia ad rem ad n. 140. — 141. Subnectuntur *Addita ex aliena manu*, ad num. 157.

(1. Puellæ educationis gratia recipi possunt in monasteriis monialium, ut pluries decrevit sac. congreg. Episcop. et Regul. et signanter *in Hieracensi* 31 Augusti 1575, ubi illius episcopo rescripsit expresse quod « nullo concilii decreto prohibetur, quominus puellæ in monasteriis monialium educentur; » et patet ex quotidiana praxi ejusdem sac. congreg. concedentis in dies facultates pro puellis inibi educandis.

(2. Plures tamen requiruntur conditiones, ut puellæ inibi educandæ recipiantur: prima conditio igitur est, quod monasterium ad educationem puellas recipere consueverit, ut pluries decrevit sacr. congreg. Episcop. et Regul., et signanter *in Parmen.* 7 Octobr. 1603, et *in Derton.* 27 Maii 1607. (3. Monasterium autem dicitur solitum puellas ad educationem recipere, quando alias in educationem tenuit, licet forte modo nullam educandam habeat. Sac. congreg. Episcop. et Regular. *in Eugubina* 18 Martii 1603. (4. Non possunt tamen recipi educandæ in monasteriis convertitarum, ut expresse prohibuit sacra congreg. Episc. et Regular. 12 Maii 1619. (5. Neque in illis monasteriis, in quibus viget prohibitio admittendi puellas ad habitum, quia inibi censetur

Digitized by Google

etiam prohibitum eas admittere ad educationem, ut respondit sacr. congreg. Episc. et Regul. *in Camerin.* 28 Martii 1588, et *in Neapolitana* 30 Sept. 1695.

(6. Secunda conditio est, quod puellæ intra monasterium habitent in loco separato, tam a dormitorio monialium, et novitiarum, quam a loco, in quo ipsæ moniales solent vacare operibus manualibus, et hoc est adeo necessarium, ut monasteria non habentia loca propria destinata ad usum puellarum ibi educandarum, non possint hujusmodi puellas recipere in educationem, ut pluries decrevit sac. congr. Episc. et Regul., et signanter *in Novarien.* 2 Junii 1595, *in Dertonen.* 27 Maii 1607; *in S. Severin.* 15 Januarii 1615; *in Campan.* 7 Junii 1619; *in Neapolitana* 11 Dec. 1648. (7. Unde ad hoc jubetur monasterium visitari. Ead. sac. cong. Episc. *in Lauretana* 16 Augusti 1602.

(8. Tertia conditio est, quod puellæ educandæ non recipiantur in monasteriis, nisi de expressa licentia sacræ congreg. ut pluries decrevit eadem sac. cong. Episcop., et signanter *in Hieracen.* 31 Augusti 1575; *in Viterb.* 17 Aprilis 1602; *in Volaterrana* 1 Septembris 1603. (9. Et hoc sub pœna violatæ clausuræ. Ead. sacr. cong. Episcop. et Regul. *in Neapolitana* 7 Febr. 1647, et 1 Julii 1650. Unde, si reperiretur alicubi introducta aliqua puella educationis gratia absque licentia sacræ congregationis, superior, aut episcopus, qui id permiserit, esset incursus excommunicationem, prout archiepiscopum Pragensem monuit sac. congr. Episc. et Regul. 9 August. 1594, apud Monacell. in *Formul. legal.*, part. 1, tit. 11, formul. 11, n. 17. (10. Licentia recipiendi in educationem non conceditur monialibus particularibus, sed solum monasterio in communi. Ead. sac. congreg. Episc. et Regul. *in Casaten.* 18 Novemb. 1611, et *in Placentina* 28 Febr. 1614. (11. Ordinarius non potest hujusmodi licentiam concedere. Ead. sac. congr. *in Auximana* 13 Novembr. 1589, et *in Astensi* 18 Decembr. ejusdem anni. (12. Non obstante contraria consuetudine. Ead. sac. congreg. Episcop. *in Lauden.* 20 Novembris 1626. (13. Obtenta licentia sacræ congreg. Episcop. et Regul. præsentanda est ei cui directa fuerit, nec non in propriæ cancellariæ registris recondenda, alias invalida redderetur, ut declaravit ead. sac. congreg. Episcop. et Regul. *in Dertonen.* 27 Maii 1607. (14. In monasteriis regularibus subjectis, obtenta licentia sacræ congreg. recipi, et admitti possunt educandæ absque consensu episcopi, et sola licentia superioris regularis sac. congreg. Episcop. et Regul. *in Cremon. Terræ Soncini* 1 Septemb. 1690, licet aliquando sacra congregatio etiam in monasteriis regularibus subjectis exsecutionem licentiæ episcopo soleat committere. Sic expresse habetur apud Monacell., part. 1, tit. 11, form. 11, n. 16, quæ licentiæ exsecutio, si expresse sit commissa episcopo, est ei pro exsecutione præsentanda, juxta decretum n. antecedenti relatum. Atque hic occurrunt attendenda sequentia, cum archiepiscopus Taurinensis contenderet, sine sui particulari, et expressa facultate non licere monialibus exemptis Saviliani, et curæ regul. observant. subjectis, cogere capitulum pro admittenda ad habitum, vel professionem aliqua adolescentula, acta fuit causa coram congr. Episcopor. et Regul. a qua emanavit sequens

DECRETUM.

« Sacra congreg. eminentiss. et reverendiss. S. R. E. cardinalium negotiis, et consultationibus episcoporum, et regular. præposita, mature perpensis omnibus rationibus allatis, referente eminentiss. cardinal. Gotti Ponente, censuit rescribendum, prout præsentis decreti tenore benigne rescripsit; pro convocatione capituli ad effectum acceptandi educandas in monasteriis exemptis, non requiri licentiam archiepiscopi, sed abbatissam teneri eidem transmittere copiam authenticam resolutionis dicti capituli ad effectum judicandi de ejusdem validitate.

« Datum Romæ 1 Decemb. 1741.

« I. card. Firrao.

« C., archiepiscopus Damiatæ, secret. »

(15. Quarta conditio est, quod puellæ recipiantur de consensu superioris, et monialium per secreta suffragia. Sac. cong. Episc. et Regul. *in Derton.* 27 Maii 1607, et *in Amelie*, 4 Januar. 1608. (16. Qui consensus monialium debet esse majoris partis, non obstante contrario abusu. Ead. sacr. cong. Episcop. *in Assisien.* 29 April. 1603; *in Camarinen.* 4 Januar. 1608; *in Atrebaten.* 30 Sept. 1616. (17. Dum superior regularis recipit monialium suffragia pro admittenda educanda in monasteriis sibi subjectis, cum eo non assistit vicarius generalis, nec alius ab eodem, seu ab episcopo deputatus, prout sac. cong. Episcop. rescripsit episcopo Cremonen. ut infra:

« Riferito in sacra congr. dal cardinal Caraffa quanto V. S. ha rappresentato con sua lettera in ordine al dubbio proposto dal prior del convento dell' ordine de' Predicatori di Soncino di cotesta diocesi, se nell' accettazione dell' educande nel monasterio delle monache di S. Paolo di detto luogo soggette al suo ordine possa intervenire alla pallottazione, che si fa dalle monache, il suo vicario generale, o altra persona da deputarsi da lei; questi eminentissimi miei signori hanno risoluto, che non abbia potuto, nè possa intervenirci. Glielo significo, ed il signor Iddio la prosperi. Roma, 15 Settembre 1690. » Ex registro autographo sac. congreg.

Et jam *in una Comensi Dominicanorum* 14 Martii 1652, ead. sac. congreg. Episcop. et Regul. decreverat quod « Scrutinium et consensus capitularis dependet a monialium arbitrio, nec ad hoc egent licentia ordinarii, » apud Nicol. in *Flosculis*, verb. *Educatio*, n. 10.

(18. Quinta conditio est, quod puellæ non sint supra numerum monasterio præfixum. Ead. sacr. cong. Episc. et Regul. *in Derton.*

Digitized by Google

27 Maii 1607. (19. Non est tamen prohibitum, quod in eod. monasterio recipiantur educandæ plures sorores, quam duæ. Sac. cong. Episc. et Regul. *in Iserniensi* 11 Januarii 1622, et *in Panormitana* 6 Maii 1622. (20. Numerus educandarum ita præfigi debet, ut quælibet suum lectum separatum habeat. Ead. sac. cong. Episc. *in Comen.* 16 Martii 1593.

(21. Sexta conditio est, quod puella educanda recipiatur sola sine ancilla. Sac. cong. Episc. et Regul. *in Neapolitana* 12 Martii 1619, apud Barbosam, *Juris eccles. univers.*, cap. 41, n. 55, ubi refert, quod Chrysostoma Caracciola in monasterio Domnæ Reginæ educationis causa degens, ancillam ad ejus servitia introducendam petiit a sacra congregatione sibi concedi. Et sacra congregatio respondit, « quod non datur ancilla pro educandis, » et sic jam decreverat *in Hieracensi* 31 Augusti 1575.

(22. Septima conditio est, quod puellæ educandæ utantur vestitu, qui virginali modestiæ, et pudicitiæ convenit, ut sæpius decrevit ead. sac. cong. Episcop. et Regul., et signanter *in d. Hieracensi* 31 Augusti 1575, et *in Dertonensi* 27 Maii 1607. Unde S. Carolus Borromæus, in suis *Constitutionibus synodalibus*, lib. VI, § *De puellis sæcularibus*, n. 4, expresse statuit, « quod dictæ puellæ nigri tantummodo, aut fusci, aut albi coloris vestes, non sericas adhibeant, et nullo prætextu exquisito utantur ornatu, nec concinnatæ incedant, inaures, neque monilia, aut ejus generis inanes delicias ferant. »

(23. Octava conditio est, quod puella educanda septimum expleverit annum, nec sit major viginti quinque annis. Sac. congr. Episc. et Regul., *in d. Dertonensi* 27 Maii 1607 (24. Puellæ enim, quæ compleverunt 25 annum debent a clausura dimitti. Ead. sac. cong. *in Dertonensi*, et *in Panormitana* 19 Octobris 1582. (25. Nisi prorogationem obtineant a sacra congregatione. Ead. sac. cong. *in Ariminen.* 14 Januar. 1650. (26. Si autem aliqua completis annis 25 sine obtenta prorogatione, non statim egrediatur, non afficitur excommunicatione, sicuti nec abbatissa, vel priorissa monialium illam retinentes, quia non est illicite ingressa, nec sacra congregatio talem excommunicationem imposuit; debet tamen in illo casu ordinarius præfigere ei terminum ad eligendum egressum de monasterio, vel ad habitum regularem suscipiendum, ut declarasse sacram congregationem testantur Franciscus Leo, in *Thesaur. for. ecclesiast.*, p. XII, c. 16, n. 54; Barbosa, *De offic. et potest. episc.*, p. III, alleg. 102, n. 64; Campanil., in *Divers. jur. canon.*, rubr. 12, c. 16, num. 26; Tamburin., *De jur. abbatissar.*, disp. 1, quæst. 2, num. 11, et alii plures.

(27. Nona conditio est, quod puellæ sic introductæ, e monasterio non egrediantur, sed ad clausuram ad instar monialium teneantur, et semel egressæ, ad illud monasterium redire non permittantur absque sacræ cong. licentia cum egressus hujusmodi expressione nisi habitum regularem suscipiendi animo essent reversuræ, ut expresse decrevit sac. cong. Episc. et Regul. *in d. Dertonensi* 27 Maii 1607. (28. Ipsæ tamen puellæ egrediendo absque superioris licentia non incurrunt excommunicationem violatæ clausuræ. Ita Lugo, et Giballinus relati, et secuti a D. Cajetano de Alexandris, in *Confessario monialium*, c. 7, § 8, q. 5; Pellizarius, *De monialibus*, c. 5, sect. 4, q. 9, n. 187, et alii, qui tamen debent intelligi de excommunicatione Papali; secus de imposita ab episcopo, in quam profecto incidunt, si exeant absque licentia; in hoc sensu, ut advertit Clericatus *De sacram. eucharist.*, decis. 18, n. 25, et D. Cajetanus de Alexandris, *l. c.*, intelligendi sunt Pollaccus, et Tamburinus, *l. c.*, n. 14, dicentes præfatas puellas egredientes sine licentia e monasterio incurrere excommunicationem, etiamsi exeant animo non amplius revertendi: et ratio nostræ conclusionis est, quia jura indicentia clausuram sub excommunicatione loquuntur solum de monialibus tacite, aut expresse professis, adeo ut Navarr., Azorius, Zerola, Sanchez et alii, quos citat et sequitur Tambur., ipse d. 18, q. 6, n. 1, dicunt quod talem excommunicationem non incurrunt novitiæ egredientes e monasterio sine licentia superioris, ergo a fortiori eam non incurrunt puellæ educandæ; ubi enim agitur de obligatione imponenda, stricta debet fieri interpretatio, c. 1, *De jurejur.*, in 6, c. *Odia* 16, et c. *In pœnis* 49, De reg. juris in 6.

(29. Decima conditio est, quod quolibet semestri pro dictis puellis alimenta in pecunia anticipate solvantur; imo pro tali solutione debet idoneus fidejussor constitui; nec permittendum est, quod parentes earum ipsi transmittant victum dictim. Sac. cong. Episcop. et Regul. *in d. Dertonensi* 27 Maii 1607.

(30. Educandæ matrimonium contrahere volentes desponsari debent extra clausuram, in eam amplius non redituræ sine licentia Sanctæ Sedis. Sacr. cong. Episc. et Regul. *in Catanzaren.* 15 Febr. 1595. (31. Imo ordinarius, habita notitia, quod educandæ contraxerint sponsalia, debet eas a clausura dimittere. Ead. sacr. congreg. Episc. *in Placentina* 13 Jan. 1634, et *in Consentina* 9 Nov. 1635. (32. Si sponsam de licentia sacræ congregationis in clausura degentem sponsus visitet absque ejusdem sacræ congregationis facultate, quæ raro conceditur, et multo magis, si præfatus sponsus circa monasterium cantet, vel sonet, ipsa sponsa debet a clausura dimitti. Eadem sacr. cong. Episcop. *in Neapolitana* 25 Febr. 1596, et 25 April. 1627; *in Papien.* 15 Decemb. 1604, *in Placentina* 27 Martii 1650. (33. Abbatissa, quæ sponsalium instrumentum cum educanda fieri permittit ad crates, deponitur ab officio, voceque activa, et passiva privatur. Eadem sacra congreg. Episcop. *in Assisien.* 20 Sept. 1599.

(34. Educandis nubere volentibus liber exitus permitti debet. Ead. sacr. congreg. Episcop. *in Bononien.* 29 Novembr. 1600. (35. Ordinarius non debet absque causa re-

Digitized by Google

levanti præcipere educandæ, ne contrahat matrimonium sine sua licentia. Ead. sac. congr. Episc. *in Neapolitana* 15 Apr. 1633. (36. Matrimonium contractum a puella educanda ad crates monasterii coram testibus, et parocho ecclesiæ parochialis, intra cujus limites situm est monasterium, validum est, etiamsi parochus fuerit alio prætextu vocatus, nisi aliud obstet. Sacr. congreg. Concilii *in Turritana* 19 Decembr. 1648, lib. XVIII Decret., pag. 563.

(37. Educandæ dimitti debent, si sine facultate speciali receptæ sint ante septimum annum completum, vel si compleverunt annum 25, ut sæpius decrevit sacr. congregat. Episcop. et Regul., et signanter *in Dertonen.* 27 Maii 1607, et *in Campanien.* 11 Decemb. 1648. (38. Neque in hoc dispensare possunt ordinarii, quia inferior (uti est ordinarius respectu sacræ congreg.) nullam habet potestatem in legem superioris: cap. *inferior* 4, distinct. 21, cap. *Cum inferior* 16, De majorit. et obedient., et Clementin. *Ne Romani*, De election. (39. Item dimitti debent educandæ, quæ non solvunt alimenta. Ead. sacra congr. Episc. *in Campanien.* 11 Dec. 1648. (40. Item dimitti debent, si delegantur energumenæ. Eadem sac. cong. Episc. *in Ferrarien.* 12 Jan. 1612. (41. Item dimitti debent, si delegantur gravidæ, et multo magis si pariant. Ead. sacr. cong. Episcopor. *in Mediolan.* 10 Februarii 1651.

(42. Puellæ quæ compleverunt annum 25 nequeunt recipi educandæ in monasteriis monialium, ut sæpius decrevit sacr. congreg. Episc. et Regul., et signanter *in Ferrarien.* 3 Julii 1595; *in Forosempron.* 20 Septemb. 1604; *in Derton.* 27 Maii 1607. (43. Nisi raro ad annum propter causas urgentes, et de licentia sacræ congregat. Ead. sacr. congreg. Episcop. *in Ariminen.* 14 Octob. 1598. (44. Modo ultra alimenta donent aliquid monasterio. Ead. sacra congreg. *in Parmen.* 17 Apr. 1602. (45. Nisi quando recipiuntur ad probandum institutum. Ead. sac. cong. *in Brixien.* 4 Mart. 1603.

(46. Mulieres nuptæ nequeunt recipi in monasteriis monialium de licentia ordinarii: imo sacra congregatio rejecit petitionem cujusdam comitissæ, quæ, propter quamdam infirmitatem, a suo marito separari cupiebat, et cum tribus filiabus ingredi quoddam monasterium monialium; sic referunt Barbosa, *De offic. et potest. episc.*, p. III, allegat. 102, n. 66; Miranda, *De sacris monialibus*, q. 2, art. 6, conclus. unic., Tambur., *De jure abbatissar.*, disp. 24, q. 14, n. 1, et alii. (47. Illæ autem, quæ sunt in discordia cum maritis, et eorum sævitiam timent, si extra culpam sint, debent, si sint in monasteriis, tolerari; in posterum vero hujusmodi mulieres non possunt recipi etiam cum licentia episcopi. Ita referunt decisum Campanil., *in Diver. juris canon.*, rubr. 12, c. 16, n. 30; Zerola, in *Praxi episc.*, p. I, verb. *Monialis*, § 12; Tamburin., *l. c.*, n. 1; Bonacina, *De clausura*, quæst. 4, punct. 3, n. 17; Barbosa, allegat. 102, n. 60, et alii.

(48. Mulieri, quæ in suspicionem venit marito, et timet ob id, ne ab eo ipsi vis aliqua inferatur, permitti debet, ut possit ingredi monasterium monialium, dummodo constitutiones monasterii non repugnent, et accedat consensus superiorum, abbatissæ et monialium; et cessante causa ingressus, debet inde exire, et, si semel exierit, nunquam postea poterit in idem monasterium ingredi. Dum autem non exit, et moratur intra claustra, tenetur, sicuti et aliæ moniales, ad clausuram, et stare sine ancillis, et servare alias conditiones supra adductas pro educandis. Sic decisum fuisse referunt Campanil., *loc. cit.*, n. 31; Zerola, *loc. cit.*, § 12; Tamb., *loc. cit.*, n. 2; Barbosa, *loc. cit.*, num. 66; Joan. de la Crux, *De stat. rel.*, l. 1, c. 5, dub. 2, concl. 3, et alii.

(49. Viduæ, quæ honestatis causa se in monasteria monialium contulerunt, dummodo sint bonæ existimationis et famæ, tolerari debent, quatenus legibus monialium pareant; de cætero tamen non sunt recipiendæ, nisi moniales fieri vellent. Sic decisum fuisse a sacra congregatione referunt Miranda, *l. c.*, art. 6, concl. unic.; Homobonus de Bonis, in *Examin. ecclesiast.*, tract. 9, quæst. 32. Campanil., *l. c.*, n. 30 et 31; Lezana, in *Summa qq. reg.*, c. 25, n. 28 et 30; Tamb., *l. c.*, n. 3; Navar., in *Lucerna regul.*, verb. *Educatio*, n. 13; Barbosa, cit. allegat. 102, n. 67, resolventes nec posse episcopum dare licentiam viduæ ingredi volenti, atque in habitu laicali permanere, etiamsi toto tempore vitæ suæ illic degere, nec amplius inde exire vellet, quia in istis nulla adest necessitas.

(50. Famulæ, seu ancillæ sæculares de licentia superiorum possunt introduci in monasteriis monialium causa inserviendi domesticis servitiis, et infirmis monialibus, si deficiant conversæ, aut sint infirmæ, dummodo sint morigeratæ, et sint in obsequium totius monasterii, seu omnium monialium, et a monasterio non egrediantur, quamvis adesset consuetudo exeundi pro libito suo. Sic decrevisse sacram congregationem cardinalium *in una Abulensi* referunt Barbosa, cit. allegat. 102, n. 60; Tamburin., disp. 24, q. 16, n. 3. Qui insuper referunt sic concessisse Paulum III de anno 1536 et S. Pium V, 27 Septemb. 1569, ad petitionem commissarii Fratrum Minorum de observantia in Curia Romana tunc existentis. (51. Extra tamen casum dictæ et similis necessitatis, non possunt introduci pro servitio alicujus monialis particularis, aut alicujus puellæ educandæ cum sola licentia ordinarii. Imo etiam Sedes Apostolica regulariter hanc licentiam denegat, ut *in Neapolitana* 12 Augusti 1585, et 12 Martii 1619; *in Parmen.* 22 Januarii 1601; *in Panormit.* 27 Julii 1604; *in Compostellana* 5 Septemb. 1605, et sæpe alibi, ut videre est in decretis allatis a Nicolio in *Flosculis*, verb. *Ancilla.*

(52. Puella, vel vidua, quæ temere ingreditur ad suscipiendum habitum, et abbatissa recipiens incidunt in censuras, hæcque debet graviter puniri, illa expelli, nec amplius

Digitized by Google

admitti sine licentia speciali sac. congregat. Episcop. neque pro educanda, neque ad probandum institutum. Sacra congreg. Episcop. 8 Octob. 1649, et 8 Novemb. 1652. Si autem ingressa fuit non ad malum finem, postquam exivit, absolvitur cum pœnitentia salutari absque ulla pœna pecuniaria. Ead. sacra. congreg. Episcop. 20 Novembr. 1654.

(53. Cogere puellas ad ingressum monasterii causa solius educationis, si coactio est illata puellis a non habentibus in illas potestatem dominativam, est peccatum mortale, quia est eis graviter injuriosa. Suarez, tom. III, *De relig.*, l. v, c. 9, n. 4, et alii passim. Si coactio sit illata a parentibus, vel tutoribus, et puellæ sint impuberes, nullum est peccatum, quia utuntur jure, quod habent in filias in illa ætate; si autem sint puberes, talis coactio censetur peccaminosa. Diana, p. II, tract. 15, resolut. 55, cum aliis ibi citatis. Cum enim puellæ majoris ætatis, ut observat Suarez, *l. c.*, sint sui juris in omnibus his quæ pertinent ad statum animæ suæ, non possunt licite, et sine peccato a parentibus cogi ad tam arctam et rigidam custodiam, uti est monasterii clausura; dummodo tamen ad aliquod tempus ratione circumstantiarum, locorum, temporum, et personarum talis ingressus non censeatur moraliter necessarius ad decentiam et custodiam ipsarum.

(54. Cogentes coactione peccaminosa puellas puberes ad ingrediendum monasterium, probabilius incurrunt excommunicationem latam a Trident., ses. XXV, *De regularib. et monialib.*, c. 18, etiamsi non intendant illas ingredi ad habitum religionis sumendum, aut profitendum, sed solum ut ibi maneant cum habitu sæculari solius educationis gratia, donec occurrat occasio nubendi. Barbosa, *De offic. et potest. episcop.*, allegat. 104, n. 5, cum pluribus aliis ibi citatis. Zerola, part. II, *Prax. episcop.*, verb. *Moniales*, n. 13; Filliuc., tract. 14, c. 6, n. 89; Diana, p. II, tract. 15, et I *Miscellan.*, resolut. 66, cum pluribus ibi citatis, Navarr., consil. 56, sub tit. *De sentent. excomm.*, in 1 edition., et concil. 6, sub tit. *De regular.*, in 2 edition.; Suarez, *De censur.*, disp. 23, sect. 5, n. 9; Gavant., in *Manual. episcop.*, verb. *Monialium educatio activa*, n. 1; Tamburin, *l. c.*, disp. 1, quæst. 4, n. 4 et sequ., et alii apud ipsum, *ibidem*, n. 1. Et ratio est, quia concilium Trid. excommunicando cogentes feminas invitas ad monasterium, tres prohibet coactiones, unam videlicet ad ingressum, alteram ad susceptionem habitus, et tertiam ad emissionem professionis, ibi: « Ad ingrediendum monasterium, vel ad suscipiendum habitum, vel ad emittendam professionem, » quæ coactiones, ut vides, sunt inter se distinctæ, prout declarat dictio illa *vel*, quæ stat alternative, et disjungit sensum et verba. Bartol., in l. *Si iis, quæ ducenta*, n. 2, ff. *De reb. dub.*; Natt., concil. 625, vol. IV; Paris., concil. 91, n. 29, lib. II, adeoque ad contrahendam prædictam excommunicationem sufficit sola coactio ad ingressum, quia in alternativis sufficit alterum adimpleri; cap. *In alternativis* 70, De regul. juris, in 6, Rota, part. I *Recent. dec.*, dec. 569, n. 2. Unde Diana, p. II, tract. 15, et I *Miscellan.*, resol. 856, dicit quod optime, sancteque Tridentinum locutum est absolute, quia per illum ingressum datur quodammodo occasio, ut postea puella monasterium ingressa, ob verecundiam feminarum, et monialium suasionem suscipiat habitum involuntarie, ut de facto non semel accidit.

(55. Id tamen limitant Sanchez, in *Decalog.*, l. IV, c. 4, num. 12; Portell., in *Addition. ad dub. regularia*, verb. *Moniales*, n. 14; Fr. Emmanuel, in *Summa*, tom. II, cap. 8, num. 10; Hieronym. Roderic., in *Compend. quæst. regul.*, resolut. 10, n. 79, et alii, quando talis coactio est in ordine ad suscipiendum postea religionis habitum, et inibi professionem emittendam, sive suasionibus monialium, sive alia ratione, nam cum tali tantum qualitate derogat libertati, quam concilium intendit conservare in puellis ad religionem admittendis, secus vero, si ordinetur ad educationem in habitu sæculari, donec occurrat occasio nubendi; quam opinionem Diana, *l. c.*; Tamburin., *loc. cit.*, et alii vocant satis probabilem, et tutam in praxi, quamvis ipsi primam, ut probabiliorem, sequantur.

(56. Ordinationes et declarationes ordinario directæ pro monasteriis servari debent etiam in monasteriis subjectis regularibus. Sac. cong. Episc. et Reg. *in Perusina* 8 Apr. 1577. (57. Secus si ordinationes tam pro monachandis, quam pro educandis factæ fuerint ab ipso ordinario, quia hæ non ligant monasteria regularibus subjecta, vel aliter exempta. Ead. sacr. congr. Episc. et Regular. *in Vercell.* 8 Martii 1625. (58. Nisi eæ, quæ respiciunt clausuram, et ad illam accessum, vel ingressum. Ead. sacr. congr. Episcop. et Regul. *in Vicentina* 11 April. 1625, apud Nicolium, in *Flosculis*, verb. *Monasterium*, n. 8. (59. Unde recte censent Cespedes cum aliis ab ipso relatis, *De dubiis regular.*, cap. 33, dub. 337; Pellizar., cum aliis valde doctis a se consultis. *De monialib.*, c. 1, sect. 5, quæst. 13., num. 191, et alii, puellas manentes in monasteriis exemptis non subjacere episcopo, nisi in casibus, in quibus ipsi subduntur moniales exemptæ; quia locus exemptus, et extra diœcesim æquiparantur. *Glossa* in Clementin. 1, *De foro competent.*, et juxta hanc doctrinam sustinent prædicti doctores, et alii non subjacere casibus reservatis ordinario, quod desumitur etiam ex cap. 1, *De privileg.*, in 6, ubi delictum in loco exempto commissum supponitur extra jurisdictionem ordinarii.

Contrariam tamen opinionem tuetur P. Cajetanus de Alexandris in *Confessar. monialium*, part. I, cap. 7, § 8, quæst 7, hac ductus ratione, quia non subjacent monialium reservatis, cum non sint religiosæ; nec cum approbatis tantum a superiore regulari confiteri possunt, nec sunt persona-

Digitized by Google

liter privilegiatæ, quia non sunt proprie commensales, cum ex suis vivant. *Vide infra* n. 143 et seqq. *

(60. Si aliqua educanda ægrotet cum periculo vitæ, et testari velit, debet concedi licentia notario cum testibus ingrediendi clausuram, prout declarasse sacram congregationem Cardin. de anno 1595, referunt Naldus in *Summa*, verb. *Moniales*, n. 14; Tamburin., *De jure abbatissar.*, disp. 1, quæst. 2, n. 16; Pellizar., *De monial.*, cap. 5, q. 5, n. 193, et alii.

(61. Ubi autem esset sepelienda educanda, si moreretur in monasterio exempto, nulla electa sepultura, variant doctores; Bordonus enim in *Miscellan.*, decis. 128; Pellizarius, *De monialib.*, cap. 10, sect. 3, subject. 1, n. 233, § *Imo puto;* Sanchez, lib. III *De matrim.*, disp. 23, a n. 9; Samuel, *De sepulturis*, disp. 3, tract. 1, controv. 16, n. 16 et 30, et alii, quibus adhærebam ante infra positam sacr. congreg. Concil. resolutionum, sustinent esse sepeliendam in monialium ecclesia; et ratio est, quia educandæ sunt partes ejusdem corporis monasterii, adeoque de eodem jure censendæ sunt; tum quia id colligitur ex concil. Trid. sess. XXIV, c. 11, ubi personæ commensales actu regularium, apud quos domicilium et habitationem habent, gaudent eorum juribus et privilegiis, penitusque eximuntur a jurisdictione ordinariorum, ibi : « Exceptis tamen iis qui prædictis locis aut militiis actu inserviunt, et intra eorum septa ac domos resident, subque eorum obedientia vivunt; » et cap. 11, sess. XXV, *De regularibus et monialibus*, ubi personas continue commensales, et de familia in monasteriis regularium excipit omnino a jurisdictione episcoporum, ibi : « Præter eas, quæ sunt de illorum monasteriorum, seu locorum familia personæ, tam regulares, quam sæculares : » et favet constitutio Clementis X incip. *Superna*, et decretum sacræ congregationis Concil. adduct. sub verb. APPROBATIO, art. 1, n. 65. *Vide ibi* usque ad n. 68. Tum etiam, quia jus sepulturæ ex administratione sacramentorum acquiritur eidem ecclesiæ; unde supracitati doctores volunt in tali casu deberi confessario quartam funeralem, quæ datur propter onus, quod sustinetur in admistratione sacramentorum ex officio, cap. *Nos instituta* 1, et cap. *De his* 4, De sepulturis, cum similibus; confessarius enim monialium, licet non vocetur parochus, in re tamen est parochus, cum ex officio curam habeat animarum, æque ac si esset parochus respectu sæcularium; imo Bordonus, *loc. cit.*, ubi mordicus hanc tuetur opinionem, addit, quod si dictæ puellæ eligerent in aliena ecclesia sepulturam, funus esset ducendum a confessario, et non a parocho, quia ad illum spectat funus perficere, ad quem pertinet ejusdem funeris inchoatio; ad solum autem confessarium spectat initium funeris, et cadaveris levatio ex monasterio, quia nemo præter ipsum ibi jus habet, cum locus sit omnino exemptus a jure parochiali.

(62. Pignatellus autem, tom. VII, consult. 67, per tot., acriter tenet educandas decedentes in monasterio exempto tumulandas esse in ecclesia illius parochiæ in qua ipsæ habent domicilium : quam opinionem sequitur Matthæucci, *Official. cur.*, cap. 32, Officialis quoad moniales, n. 8 et seq., et probabilem censent Sanchez, *loc. cit.;* Pellizarius, *loc. cit.*, et alii; et ratio est, quia puellæ, quæ ad tempus causa educationis sunt hospites in monasterio, dicuntur peregrinantes; ut desumitur ex l. 1, § *De his qui dejecerint*, ibi : « Tantum autem interest inter habitatorem et hospitem, quantum interest inter domicilium habentem et peregrinantem; » adeoque, si tales puellæ sunt peregrinantes, non amittunt parochiam domicilii, neque acquirunt parochiam ratione educationis in monasterio, et consequenter, si contingat eas mori in monasterio, non electa, nec a se ipsis, nec a parentibus, si adhuc sint impuberes, sepultura, debent in propria ecclesia parochiali sepeliri, quatenus tamen non habeant proprium sepulcrum majorum, quia tunc deberent inibi sepeliri, soluta quarta funeralium suæ ecclesiæ parochiali; et si in nulla parochia haberent domicilium, neque sepulcrum majorum haberent, nec alibi sepulturam elegissent, dicunt quod tunc essent sepeliendæ in ecclesia illius parochiæ, in qua situm est monasterium, et non in ecclesia monialium : ad quod facit novissima resolutio sac. congr. Concil. *in Feretrana* 11 April. 1742, ubi respondit, quod educandæ decedentes non sibi electa sepultura, sepeliendæ sint in parochia, sub qua est monasterium, si non habeant sepulcrum majorum. Et si elegerint sepulturam in monasterio, possint ibi sepeliri, sed deberi quartam funeralem parocho : » *Vide* verb. MATRIMONIUM, art. 9, a n. 115 ad 121, et infra in hocce art., a n. 126 ad 129. (63. Quod dicitur de educandis, idipsum dicendum est servata proportione, de tumulatione mulierum sæcularium in monasteriis monialium legitima facultate commorantium, et inibi decedentium. *Vide* etiam verb. SEPULTURA, a n. 31 ad 32.

(64. Puella, ut legitime recipiatur ad habitum religionis, requiritur consensus superioris, et monialium per secreta suffragia, ut pluries decrevit sac. congreg. Episcop. et Regular., et signanter *in Amelien.* 4 Januarii 1608; *in Placentina* 6 Februarii, et *in Hierac.* 8 Maii 1615. (65. Qui consensus monialium debet esse majoris partis. Eadem sacra congreg. *in Assisien.* 19 April 1603; *in Camerin.* 4 Januar. 1608; *in Atrebaten.* 30 Septembr. 1616. (66. Puella ad habitum religionis recipienda est ab episcopo, vel ejus deputato exploranda an coacta, an seducta sit, an sciat quid agat, et hujusmodi, Conc. Trid, sess. XXV, *De regularib. et monialib.*, cap. 17. Et hoc etiam in monasteriis regularibus subjectis, ut sæpius declaravit sacr. congreg. Concil., et signanter die 13 Novembr. 1627, et *in Dertonen.* 16 Decemb. 1645. Nec potest in dictis exemptis monasteriis ad habitum admitti sine prævia licentia episcopi in scriptis, ut declaravit sacra

Digitized by Google

congregat. super Episcopis, et Regularib. per hæc verba : « Al vescovo di Brescia. Altre volte dalla sac. congregazione e stato risoluto, che ne' monasterj di monache anche esenti, e soggetti al governo de' regolari non possano introdursi Zitelle Monacande, senza che vi preceda l'accettazione delle suore capitolarmente, e per voti segreti per un luogo vacante dentro il numero prefisso, e la licenza in scriptis dell' ordinario; ora sentendosi dalla lettera di V. S. che ne' monasterj soggetti agli abbati Cassinensi si pretenda da' superiori di essi di potere fare altrimenti, e di non aver bisogno del suo consenso, questi eminentissimi miei signori inerendo alle risoluzioni suddette, mi hanno comandato di scriverle, che ella non solo non lo permetta, ma in caso di contravenzione proceda contro i trasgressori alle pene canoniche, ed alla censura di violata clausura. Glielo significo, ed Iddio la prosperi. Di Roma al primo di Luglio del 1650. » Sic refert, et tenet Pignatell., tom. IV, consult. 171, n. 5; Cajetanus de Alexandris, in *Confessario monialium*, cap. 2, § 1, quæst. 13, et tradit Monacell., tom. II, tit. 13, in formula 5, vers. *Proibiamo*, ibi : « Ed alle superiore, e superiori, e monache de' monasterj soggetti a regolari, o in altra maniera esenti, di ammetterle, ed accettarle come sopra, se prima non sarà stata da noi esplorata la loro volontà, ed ottenuta la nostra licenza in scritto, sotto pena ec. » Et ratio est, quia id pertinet ad clausuram monialium, cujus conservatio episcopis demandatur per S. concilium Trid. sess. XXV, *De regularib.*, cap. 5, et per constitutionem Gregorii XV incip. *Inscrutabili*. (68. Unde potest episcopus sub censuris præcipere monialibus etiam exemptis, et earum superioribus, ne recipiant puellas ad habitum, nec ad professionem, nisi prius sit ipse certioratus. Sac. congr. Concil. *in Limana* 19 Novemb. 1625; *in Burgen.* 4 Decemb. 1627, et *in d. Derton.* 16 Dec. 1645. *Vide* ad rem resolutionem sacræ cong. Concil. in Papiensi allatam in tom. IX, in *Appendice ad Decret.*, sub n. 257, ad 1 dub. (69. Hanc tamen voluntatis puellæ explorationem, non episcopus, postquam fuit certioratus, differre ultra 15 dies, alias superiores exempti, ipsis 15 diebus elapsis, possunt, eo inconsulto, ad receptionem, et admissionem procedere, juxta S. Pii V constitutionem 41 incip. *Et si mendicantium*, § 6, ubi sic habet : « Volumus etiam, quod puellarum Deo dicandarum, an scilicet coactæ, vel seductæ fuerint? Examen faciendum nonnisi infra 15 dies, postquam juxta concilium Tridentinum episcopi, vel eorum vicarii requisiti fuerint, fieri possit, quibus elapsis, amplius in hoc se illis intromittere non liceat, cujus occasione, nec episcopus, nec ejus vicarius intra septa monasterii ingrediantur, sed stent ante cratem ferream, et interrogationes alias, quam eas, quæ præfatum concilium Tridentinum jubet eis fieri, omnino prohibemus. Ac similiter volumus quod puellæ, seu novitiæ ipsæ ad alias interrogationes respondere minime teneantur : » Et sic tenet, et refert etiam Barbosa *ad Concil. Trident.*, sess. XXV, *De regularibus et monialibus*, cap. 17; Monacell., p. II, tit. 13, formul. 5, n. 12, et alii passim. (70. Defectus explorationis voluntatis non irritat receptionem et admissionem. sac. cong. Concil., teste Fagnan. et Pascuc. citand. infra n. 95.

(71. Puella ad habitum recipienda debet prius per decem dies continuos spiritualibus exercitiis operam dare, prout jussit Innocentius XI, litteris encyclicis sacr. congregat. 9 Octobris 1680.

(72. Puellæ, quamvis ad habitum recipi possent olim post annum 12, ex c. 1 et 2, caus. 21, q. 2; cap. *Ad nostram* 8, et c. *Significatum* 11, De regularib.; Clementin. *Eos*, eod. tit., et ex Tridentino, sess. XXV, *De regularibus*, cap. 17. Tamen hodie non possunt admitti ad habitum religionis, nisi habeant 15 annos completos, ut expresse decrevit sacr. cong. Episcop. et Regul. 23 Maii 1659, quod decretum referunt per extensum Nicol., *Lucubration. canonic.*, l. III, tit. 31, *De regularib.*, n. 34, vers. *Unde*, et Passerin., *De statu hom.*, tom. III., q. 189., n. 17, et se vidisse originaliter in libris secretariæ testatur Monacell., part. I, tit. 11, formul. 7, n. 3, ubi n. 5, subdit, quod post publicationem dicti decreti praxis universalis obtinuit recurrendi ad Sedem Apostolicam, quoties aliqua puella ferventi devotionis spiritu ducta cupit religiosum habitum suscipere ante dictam ætatem completam 15 annorum; et Papa, cui preces diriguntur, vel ipse dispensat, vel remittit ad arbitrium ipsius sacræ congr. quæ juxta meritum postulantium, et præsertim nobilium, gratiam concedit pro octo, vel decem mensibus; vel, si immediate preces sint directæ sacræ congregationi, solet rescribere « pro gratia, si Sanctissimo placuerit, » prout ita rescripsit pro nobili puella *Mantica Amerina*, sub die 18 Novemb. 1695, ac in reformatione « constitutionum monialium Cotignolæ Faventin. diœcesis 8 Octobris 1689, servari mandavit; » Unde concludit, caute legendos esse doctores, qui dispositionem juris sequentes scripserunt posse puellas habitum religionis suscipere ante ætatem quindecim annorum.

(73. Antequam puella habitu religioso induatur, debet esse confirmationis sacramento munita, Conc. Mediolan. Provinc. III; Gavant., in *Manual. episcop.*, verb. *Monialium receptio*, n. 36; Tamburin., *De jure abbatiss.*, disp. 4, quæst. 4, n. 1, testans sic decrevisse sacram congregationem. (74. Debet ei imponi nomen sanctæ, non gentilis feminæ. Gavant., *loc. cit.*, n. 3, ex concil. Mediolanen. I; Tamburin., *loc. cit.*, n. 3. (75. Debet ei imponi, ut vocetur titulo sororis, et non domnæ, seu vulgo *suor*, et non *donna*. Sacr. congregat. Episcop. et Regular. *in Toletana* 9 Januar. 1595, apud Barbosa in *Summa apostol. decis.*, verb. *Monialis*, n. 10, et lib. I *Jur. Eccles. univers*, cap. 44, n. 65, et apud Tamburin., *loco cit.*, n. 2.

(76. Novitiæ omnes debent degere sub

Digitized by Google

cura, et regimine magistræ in habitatione particulari, in qua præter magistram cum socia nulla professa degat. Sacr. congr. Episc. et Regul. *in Comen.* 10 Martii 1593. (77. Unde episcopus præcipere potest monialibus etiam exemptis, etiam regularibus subjectis, ut habeant locum separatum et commodum pro noviciis et puellis educandis, et potest prohibere, ne illas extra dictum locum teneant ex quovis prætextu, etiam licentiæ superiorum. Insuper decernere et declarare potest quod abbatissæ et priorissæ, quæ tempore sui officii in hoc defecerunt, ad illud officium in futurum amplius eligi non possint. Et etiam quod moniales particulares cujuscunque monasterii, quæ recipiunt novitias, vel puellas educandas in suis cellis sint ipso jure voce activa et passiva privatæ. Sac. congr. Episcop. et Regul. *in Patavina* 21 Junii 1605. (78. Hinc prohibetur puellas ad habitum suscipi in illis monasteriis, quæ non habent locum distinctum, et separatum pro novitiatu. Sac. congr. Episcop. et Regul. *in Florentina* 12 Januarii 1629.

(79. In habitu sæculari fieri non potest novitiatus. Sac. congr. Episc. et Regul. *in Senogallien.* 17 Aprilis 1602. (80. Tempus, sive annus probationis debet esse continuus, et incipit a die assumptionis habitus, non acceptationis monialium. Sac. cong. Episc. *in Parmen.* 23 Maii 1608. (81. Alimenta pro anno novitiatus debentur etiam a numerariis. Eadem sacra congr. Episc. *in Lauden.* 1 Febr. 1585. Nisi sacra congr. det licentiam investiendi dotem pro novitia, quæ illa solvere nequit. Ead. sac. congr. *in Lauden.* 9 Novemb. 1645.

(82. Ordinarius nullo pacto compellere potest moniales ad acceptandas puellas, neque ad habitum, neque ad professionem, licet haberent licentiam Sedis Apostolicæ. Sac. congr. Episcop. *in Assisien.* 20 Maii 1601; *in Capuana* 7 Novemb. ejusdem anni; *in Marsicana* 26 Martii 1602; *in Firmana* 17 April., et *in Mutinen.* 4 Septembris ejusdem anni. Acceptatio enim puellarum ad habitum religionis pertinet libere ad moniales, et episcopus, præter voluntatis explorationem, nihil aliud facere potest, ut respondit sacr. congr. Episcop. *in Placent.* 6 Febr., et *in Hierac.* 8 Maii 1615.

(83. Novitia infirma morbo contumaci remittitur curanda domum. Sacr. congregat. Episcop. *in Neapolitana* 14 Decembr. 1593 et 4 Augusti 1597. (84. Eo pacto, ut reversa reincipiat novitiatum a capite. Ead. sacr. congr. *in una Venetiarum* 14 Decembr., 1605; *in Tranen.* 15 Septemb. 1634, 15 Febr. 1645 et 21 Aprilis 1646. (85. Sed, si novitiatus annum expleverat, posteaque ex causa supradicta de consensu monialium, et superioris exiit, potest, cum redit, admitti sine novo novitiatu. Sac. cong. Episc. *in Neapolitana* 8 Novemb. 1619. (86. Novitia, quæ exiit ab uno monasterio ad profitendum in alio, debet reincipere novitiatum a capite. Sacr. congr. Episcop. *in Ravennaten.* 10 Junii 1603 et *in Messana* 27 Octobr. ejusdem anni.

(87. Novitia debet per annum cum habitu regulari in probatione permanere, ex decreto concilii Tridentini sess. XXV, *De regular. et monial.*, cap. 15. Alias professio erit irrita, ut ex eodem concilio *loc. cit.*, docent communiter doctores cum Barbosa, *ad idem concilium Trid.*, de sess. XXV, cap 15, n. 15; Tambur., *De jure abbatiss.*, disp. 4, quæst. 4, n. 8. (88. Et annus probationis debet esse completus de momento in momentum, alias professio esset nulla, ut colligitur clare ex Tridentino, sess. XXV, *De regul. et monialib.*, cap. 15, nullam declarante professionem illius, qui « minori tempore, quam per annum post susceptum habitum in probatione steterit; » quod indicat, annum probationis debere esse integrum, et completum de momento in momentum, ut expresse declaravit sac. congr. Conc. 1 Februar. 1631, et jam sub die 21 Januarii 1617 declaravit professionem emissam a regulari, non completo anni circulo, etiam per duas horas tantum non valere. *Vide* verb. ANNUS PROBATIONIS, a n. 25.

(89. Novitia non potest professionem emittere ante annum 16 completum, alias antea facta est nulla; sic expresse conc. Trident., sess. XXV, *De regularib. et monialibus*, cap. 15, ibi : « In quacunque religione tam virorum, quam mulierum professio non fiat ante decimum sextum annum expletum.... Professio autem antea facta sit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicujus regulæ, vel religionis, vel ordinis observationem, aut alios quoscunque effectus. » (90. Anni sexdecim ad professionem requisiti debent esse completi de momento ad momentum : unde si professio fiat per aliquot tantum horas ante completum annum decimum sextum ætatis, est nulla, sicuti supra sub n. 88 dictum est esse nullam, si fiat per aliquot horas ante completum novitiatus annum, ex conc. Trid., cit. sess. XXV, c. 15, et ex declaratione sacræ congregationis ejusdem concilii, et tenent communiter doctores cum Panimol., dec. 29, n. 7; Matthæucci, *Offic. cur.*, c. 32, n. 2; Faguan., l. III *Decretal.*, in c. *Ad nostram* 9, De regularibus, n. 9, 23, 24 et seq., usque in finem. (91. Ætas autem incipit a die nativitatis, et non a die baptismi. Sacr. cong. Concilii *in Croton.* 4 Decemb. 1627.

(92. Novitia ante professionem debet explorari quo ad ejus voluntatem ab episcopo, seu ejus deputato. Concil. Trident., sess. XXV, *De regular. et monialib.*, c. 17. (93. Et hoc etiam in monasteriis regularibus subjectis, ut sæpius declaravit sac. congreg. Concilii, et signanter die 13 Nov. 1627 et *in Dert.* 16 Decemb. 1645. (94. Episcopus postquam fuit monitus, non debet differre explorationem voluntatis novitiæ ultra quindecim dies, alias superiores exempti, ipsis 15 diebus elapsis, possunt procedere ad admissionem professionis, ut ex cit. constitut. S. Pii V incipient. *Mendicantium*, adducta supra n. 69, tenet Monacell., p. III, tit. 13, formul. 6, n. 12, et alii passim. (95. Defectus hujus explorationis non annullat professio-

Digitized by Google

nem, Barbosa, *De offic. et potest. episcopi*, p. 4, allegat. 100, n. 9; Tambur., *De jure abbatis.*, disp. 3, q. 2, num. 11; Donat., *De regul.*, t. IV, tract. 9, q. 8, n. 8; Nicol., *Lucubrat. canon.*, l. III, tit. 1, *De vita, et honest. clericor.*, n. 22, vers. *Si vero;* Monac., *l. c.*, n. 12, in fine; Fagnan., l. I *Decr.* in c. *Cum accessissent* 8, De constitutionibus, n. 31, et l. V, c. *Qui presbyterum* 2, De pœnitent. et remiss., n. 84, testans sic declarasse sacram congregation. Concilii; Pignatell., t. VI, consult. 85, n. 211, testans sic declaratum fuisse *in una Venetiarum* 21 Sept. 1593 et 22 Novembris 1593.

(96. Novitiæ in articulo mortis constitutæ, etiam anno novitiatus non completo, possunt professionem emittere, dummodo sint in legitima ætate; sic expresse concessit S. Pius V novitiis monialibus S. P. Dominici, constit. incip. *Summi sacerdotis cura*, qua concessione gaudent per communicationem novitiæ et novitii aliarum religionum. (97. Si tamen hujusmodi novitiæ convaluerint, debent iterum profiteri. Sic censuit sacr. congr. Concilii *in una ordinis S. P. Francisci Minor. Observ.* die 20 Maii 1649, ad cap. 16, sess. 25, *De regul.*, apud Pignatell., tom. I, consult. 356.

(98. Talis autem professio emissa a novitia in articulo mortis anno novitiatus nondum completo, non suffragatur, nisi quoad acquisitionem indulgentiarum favore profitentis, non autem quoad acquisitionem dotis favore monasterii, cum ipsa debeat restitui ejus consanguineis hæredibus, ut declaravit sacr. congreg. Concilii *in una Montis Regalis* 13 Novembris 1627; *in Carpenctoraten.* 14 Junii 1641, et *in una Neapolitana* 14 Martii 1705, et tenent Donat., *Prax. rerum regular.*, tom. IV, tract. 10, quæst. 21, per tot., Pignatell., t. I, consult. 346; Monacell., part. I, tit. 11, formul. 7, n. 13, et part. II, tit. 13, formul. 5, n. 13; et Fagnan., lib. III *Decret.*, in cap. *Sicut nobis* 17, De regularibus, n. 30, et alii. (99. Si autem talis professio in articulo mortis sit emissa in manibus abbatissæ anno probationis jam integre completo, tunc dos acquiritur monasterio, licet professio emissa fuerit, inscio ordinario, quia tunc nihil deficit ad substantiam veræ professionis; Donat. d. tom. IV, tract. 10, quæst. 23; Pellizar., *De monialibus*, cap. 9, numer. 28; Monacell., *locis citatis*, et alii. (100. Riccius vero, *Prax. rerum quotidian. for. ecclesiast.*, part. II, resolut. 493, secundum Venet. impressionem, 1674, n. 5, citatus, et secutus a Monacell., part. II, tit. 13, formul. 5, n. 14, tenet, quod professio emissa etiam post annum probationis a puella phthisica, seu hectica non prosit monasterio quoad acquisitionem bonorum, et ad longum probat, ut videri potest apud ipsum, et Monacell., *locis citatis.*

(101. Quamvis professio monialium in manu ordinarii principaliter, non autem abbatissæ fieri debeat, ex decreto sacræ congregat. Episcoporum *in Lingonien.* 22 Februarii 1635. (102. Tamen, si fiat in manu superiorissæ de consensu majoris partis capituli est valida: cum superiorissa de per se sola cum dicto consensu majoris partis monialium illam possit recipere, nisi obstent peculiares constitutiones religionis; de jure enim monialium receptio non spectat ad ordinarium, sed ad abbatissam, et monasterium, ut cap. *Si ad solum* 6, De regularibus, in 7, et ibi notant Joann. monachus et archidiaconus, et tenet Lupus, allegat. 33, incip. *Prima conclusio;* Fagnan., in cap. *Porrectum* 18, De regularibus, n. 30, cum aliis ibi citatis, Navarr., consil. 9, n. 12, *De constitut.*; Monacell., part. I, tit. 11, formul. 6, n. 14; Sanchez, lib. V *Moral.*, cap. 4, n. 76; Pellizar., *De monialibus*, cap. 3, n. 7, et alii plures cum Tambur., *loc. cit.*, disp. 6, quæst. 5, n. 1, arg. cap. *Consuluit* 4. Qui clerici, vel voventes, ubi dicitur, feminam quamdam, quæ, dimisso habitu regulari, nupserat, valide nupsisse, eo quod professa non fuerat in manu alicujus episcopi, vel abbatis, vel abbatissæ, quod clare supponit abbatissam posse valide ad professionem moniales admittere, ut notant ibi doctores; unde cum abbatissa monasterii, et prælatus illius quoad acceptandam professionem monialis novitiæ se habeant cumulative, adeoque inter illos dari possit veluti præventio, servanda est in hoc consuetudo uniuscujusque ordinis, provinciæ, aut loci, quæ varia est.

(103. Nec valet dicere cum Miranda in *Manual. prælator.*, tom. II, quæst. 28, art. 1, et aliis abbatissas non posse professionem novitiarum recipere sine suorum prælatorum licentia, quia ut recte notat Fagnan., in cit. cap. *Porrectum*, n. 31, id non probatur jure, et in monasteriis subjectis ordini Fratrum Minorum S. Francisci id specialiter cautum est a Nicolao V ut refertur in *Compend. privileg.*, in verb. *Abbatissa*, § 8, et ideo notanter fuit dictum in conclusione: « Nisi obstent peculiares constitutiones religion. »

(104. Episcopo, vel alio prælato, seu superiore jubente recipi novitiam ad professionem, contradicente majori parte monialium, non debet admitti: non enim superior potest ad id moniales compellere, ut pluries decrevit sacra congreg. Episcop. et Regul., ut patet ex decretis citatis supra n. 82. (105. Et si ordinarius ad id eas compelleret, possent ad superiorem appellare. Fagnan., in cit. c. *Porrectum*, n. 30; Tamburin., *De jure abbatis.*, disp. 6, quæst. 5, n. 3. Archidiacon. Bellem. Turrecrem. ibi citat. et alii passim per text. in c. 1, De his, quæ fiunt, a majori part. cap. (106. Et si superior de se cum minori parte, reclamante majori parte monialium, novitiam ad professionem admitteret, professio esset nulla. S. cong. Episc. *in Colonien.* 26 Septembr. 1653; Lapus, alleg. 33, incip. *Prima conclusio;* Fagn., in cit. cap. *Porrectum* n. 30; Matthæuc., *Official. cur.*, c. 41, n. 19 et 20, et alii passim per text. in cap. *Novit.* 4, cap. *Quanto* 5, c. *Ea noscitur* 6, De his quæ fiunt a prælatis sine consensu capituli.

(107. Moniales nullo modo per juramentum, vel censuras cogendæ sunt ab ordinario ad exprimendam causam cur aliquam

Digitized by Google

novitiam a professione rejiciant : sed si secreto interrogatæ idoneam repulsionis causam non afferant, et in sua contumacia perseverent, ordinarius debet facere certiorem sacram congreg., ut de opportuno remedio confestim provideri possit. Sacr. congr. Episcop. et Reg. *in Pampilonem.* 5 Nov. 1605. (108. Quæ solet jubere iterum convocari capitulum, dummodo monialibus pro extorquendis votis vis non inferatur ; Ead. sac. congregat. Episcop. *in Assisien.*, 19 Januarii 1701, et *in Januen.*, 6 Martii 1698. Et si necesse sit, solet jubere, ut ordinarius secreto, et ex improviso se conferat ad monasterium, ubi procuret suffragia per moniales libere dari. Eadem sacra congreg. Episcoporum *in Pistorien.* 30 Junii 1620.

(109. Rejicere autem a professione novitiam non possunt moniales sine justa causa. Eadem sac. congregat. Episcop., 2 Octobr. 1649, alias graviter peccant, ut tradunt communiter doctores.

(110. Abbatissa, seu superiorissa in monasteriis non exemptis tenetur ante mensem certiorem facere episcopum professionis a novitia emittendæ, alias potest suspendi arbitrio ipsius episcopi. Concil. Trident., sess. XXV, *De regularib. et monialib.*, cap. 17, ibi : « Ne professionis tempus episcopus ignoret, tenetur præfecta monasterii eum ante mensem certiorem facere, alias, quandiu episcopo videbitur, ea ab officio suspensa sit. » (111. In monasteriis vero exemptis tenetur ipsum certiorem facere solum ante 15 dies, quibus elapsis, nequit episcopus amplius se ingerere, et superiores exempti possunt sine alio ad admissionem professionis procedere ; S. Pius V, constitut. incip. *Etsi mendicantium. Vide supra* n. 69 et 94.

(112. Secunda soror in loco numerario admitti potest sine licentia sacræ congregationis, præterquam in civitate Florentiæ, ubi prohibetur per breve Clementis VIII. Sacra congregat. Episcop. *in Forolivien.* 26 Nov. 1603 ; *in Imolen.* 10 Nov. 1620. (113. Tertia tamen soror recipi non potest in eodem monasterio, licet regularibus subjecto, sine licentia sacræ congreg. Eadem sacra congregat. Episcoporum et Regular. *in Aretina* 4 Novembr. 1597 ; *in Mutinen.* 11 Aprilis 1700. (114. Tertia soror vocem activam, et passivam non habet, nisi post mortem alterius ex primis. Eadem sacr. congregat. Episcopor. et Regular. *in Neapolitana* 21 Junii 1636 et sæpe alibi. (115. Potest tamen tertia soror habere alia officia, quæ dantur extra capitulum sine suffragiis monialium. Eadem sacra congregat. Episcopor. *in Mutinen.* 11 Aprilis 1600. (116. Tertia, et quarta soror habent præcedentiam a die professionis, sicuti aliæ. Eadem sacra congregat. *in Mutinen.* 11 Aprilis 1600. (117. Sæpe sæpius tertiis sororibus solent voces concedi ex gratia, maxime ubi magnus est numerus monialium. Eadem sacra congreg. *in Januen.* 6 Martii 1606 ; in Crem. 10 Junii 1650 et sæpe alibi.

(118. Monialis supernumeraria non potest admitti sine licentia sacræ. congregat. Sacr. congregat. Episcop. die 6 Febr. 1615 ; Greg. XIII, constitut. incip. *Deo sacris.* (119. Monialis supernumeraria remaneat semper supernumeraria, ita ut non impediat quin, moriente aliqua de numero, possit alia ad habitum admitti : ipsa tamen in cæteris juribus remanet æqualis omnibus aliis. Sacr. congr. Episc. 6 Sept. 1604.

(120. Excommunicantur omnes, qui quomodocunque virginem, vel viduam, et aliam mulierem coegerint invitam ad ingrediendum monasterium, vel habitum suscipiendum religionis, vel ad professionem emittendam. Conc. Trident., sess. XXV, *De regul. et monialib.*, c. 18. (121. Item ii qui consilium, auxilium, favorem dederint, quique scientes eam non sponte facere, quoquo modo eidem actui vel præsentiam, vel consensum, vel auctoritatem interposuerint. Tridentinum, *ibidem.* (122. Non excommunicantur, ii, qui per vim inductivam, non coactivam, coegerint virginem monasterium ingredi. Sic decisum refert Barbosa, *De offic. et potest. episcop.*, p. III, allegat. 104, n. 3, et supra concil., cit., sess. XXV, c. 18, n. 5. Armendariz apud ipsum, *ibidem.* Excommunicantur et ii, qui sanctam virginem, vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi, vel voti emittenti quoquo modo sine justa causa impedierint. Tridentinum, *ibidem.*

(124. Alia ad rem, *vide* art. seq. et verb. NOVITIUS, NOVITIA, et verb. PROFESSIO.

(125. Quoad decisionem sac. congr. conc. *in Feretrana* 21 Aprilis 1742. relatam supra n. 62 advertendum est, quod fuerunt tunc proposita tria hæc dubia :

« I. An ven. monasterio monialium S. Claræ Terræ Maceratæ Feltriæ liceat sepelire in ejus ecclesia cadavera puellarum educationis causa ibidem commorantium et in eodem monasterio decedentium et quatenus negative.

« II. An sit restituendum parocho ejusdem terræ cadaver Annæ Bartoli educationis causa in dicto monasterio degentis, ibique defunctæ et sepultæ ; sive saltem facienda sit declaratio de retinenda nomine parochiæ.

« III. An eidem parocho restituenda sint cum cera integra emolumenta funeris ejusdem Annæ Bartoli in casu, etc. » Et dicta sac. cong. Conc., 21 April. 1742, respondit : « ad I : *Affirmative*, constito de electione sepulturæ ; Ad II : *Negative* ; Ad III : deberi quartam funeralem tantum. » (126. Et jam de simili controversia actum fuerat *in Pinnen. sepulturæ* 6 Julii 1737 (ubi tamen ea concurrebat peculiaris circumstantia, quod puella sepulturam elegerat in ecclesia monasterii) et propositis hisce dubiis :

« I. An licuerit tumulare cadaver Mariæ Nolli in ecclesia monialium S. Claræ civitatis Pinnæ ? Et quatenus negative.

« II. An sit locus exhumationi et respective restitutioni cadaveris una cum funeris emolumentis favore ecclesiæ collegiatæ S. Joannis Evangelistæ ejusdem civitatis in casu, etc. » Et sac. congregat. Concil. rescripsit : « Ad I : *Affirmative* ; Ad II : Pro-

Digitized by Google

visum in primo, et amplius. » (127. Quæ decisio allegata fuit in dicta *Feretrana*; quæ a parocho, adductis novis juribus, reproposita die 1 Sept. 1742, sub dubio : « An, et in quibus sit standum, vel recedendum a decisis in casu, etc. » Eadem sac. cong. Conc. *in Feretrana juris sepeliendi*, die qua supra, respondit, Ad I : « Prævio recessu a Decis. *Affirmative*, attentis circumstantiis. » Ad II et III : « In decisis in omnibus, et amplius. »

(128. Ubi notanda est illa particula, *et amplius*, quæ, ut recte tradit practicissimus cardinal. Lambertin., deinde Summus Pontifex Benedictus XIV, volum. III, notific. 14, p. 136, significat, quod omnes eminentissimi cardinales fuerunt concordes, et quod cum sit clara materia, seu causa, non est amplius de ea agendum.

(129. *Monialium professio religiosa (ut supra traditum) ante decimum sextum ætatis annum expletum, et exactum annum novitiatus emissa, irrita est ex Trident. sup. cit. Attamen excipiuntur mulieres, quæ pœnitentes, aut convertitæ appellantur, cum quibus constitutiones earum circa probationem servandæ sunt, non obstante conciliari decreto de monialium professione, ut ex decreto S. congr. Concil. *De synod. diœc.*, lib. XIII, cap. 12, § 1 nov. edit.

(130. Hæc conciliaris sanctio de anno probationis valet etiam pro illa, quæ usa privilegio bimestris post conjugium, religionem ingreditur, quanquam id cedat in incommodum illius, qui in sæculo remanet, ut non possit transire ad alias nuptias, nisi postquam conjux religiosa, anno probationis exacto, professionem emittit. *Ibid.*, § 2. Quin et accidere potest, ut biennium exspectandum sit illi, si conjux religiosa, anno probationis fere exacto, religionem mutaverit, et in ea novam probationem instituerit.

(131. Sponsa per verba de futuro alteri oppignorata, additq utrinque juramento de contrahendo et consummando matrimonio, potest ante initum conjugium religionem ingredi, juxta illud : « Promissum non infringitur ab eo, qui in melius illud commutat; » cap. *Pervenit*, De jurejur. Et definitur in c. *Commissum*, De sponsal., quamvis ibi dicatur tutius esse, si ineat matrimonium, tum religionem ingrediatur; quod tamen vel est de consilio tantummodo, vel sponsalia tunc non inferebant aliam promissionem, nisi de conjugio celebrando, non vero de celebrando et consummando, uti nunc ferunt. *Ibid.*, § 8.

(132. Matrimonio rato, non consummato, integrum est mulieri religionem approbatam ingredi, et per professionem in ea conjugii vinculum dissolvitur. (133. Hæc tamen valent pro veris et approbatis religionibus, in quibus tria vota substantialia emittuntur, ut est etiam ordo equestris, Hierosolymitanus, non vero cæteri equestres ordines, ut ex Tridentino, sess. XXIV, *De matrim.*, can. 6, et traditis a DD. *Ibid.*, § 9.

(134. Consummato jam conjugio, si liber utriusque conjugis consensus intercesserit, potest utique mulier religionem ingredi, (idem de viro dixeris) et in ea profiteri, si tamen et alter conjux consentiat in religionem ingredi, si junior est, vel si senex exstiterit, emittat votum simplex castitatis. (135. Si vero ab alterutro vel revocetur consensus libere præstitus ante alterius professionem, vel etiam post professionem valide emissam, si non adimpletæ fuerint conditiones superius expressæ, conjux religiosus, eo petente, egredi e religione tenetur, ut definitur in c. *Præterea*, De convers. conjug., can. *Quia Agatho* 27, q. 2, c. *Cum sis*, De convers. conjug. *Ibid.*, § 10, 11.

(136. Non vero sufficit, si, muliere religionem ingressa, alter conjux non senex sacros ordines suscipiat, ex constitut. Joannis XXII *Antiquæ*, tit. *De voti redempt.*

(137. Si vero legitime probatum fuerit adulterium uxoris, quæ dein transit ad religionem, tunc integrum viro est in sæculo manere, dummodo tamen castitatis votum emittat. Ita ex decisis a sacr. congr. *Ibid.*, § 15.

(138. Quin et in eo casu, si ex episcopi testimonio constet, virum in sæculo manentem vitæ esse probatæ, conceditur illi per indultum, ut nullo se castitatis voto obliget, adeo ut post uxoris mortem possit ad alias nuptias transire. Ita ex resolutis a sac. congr. *Ibid.*, § 16.

(139. Concessum est etiam aliquando indultum viro sexagenario majori, ut Sacerdotio initiari posset, dummodo uxor fere sexagenaria perpetuam castitatem voveret. *Ibid.* (140. Concessum est etiam, ut vir septuagenarius de consensu uxoris acciperet sacros ordines, et uxor paris ætatis Tertiariæ habitum indueret, dummodo diversas omnino ædes incolerent. *Ibid.**

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(141. Inter requisita allata ab auctore pro legitima receptione puellarum ad educationem, recenseri et hoc debet, quod eæ fidem matrimonii haud præstiterint. (142. Nam et receptas ab ordinariis dimittendas esse, si constiterit fidem matrimonii præstitisse, decisum refert a sacr. congreg. Episcoporum et Regularium negotiis præposita Benedictus XIV, *Institut. eccl.*, 33, n. 13. et quidem etiamsi agatur de monasteriis exemptis.

(143. An autem puellæ jam receptæ et manentes in monasterio exempto, subjectæ sint ordinario? (144. Negat Pellizzarius, *De monial.*, cap. 5, sect. 4, n. 190, ex ratione illa quod locus exemptus et locus extra diœcesim æquiparantur. (145. At rectius affirmat Suarez, *De censur.*, d. 1, sect. 4, n. 6, nam verum indistincte haud est quod locus exemptus et locus extra diœcesim æquiparentur, sed ad certos tantummodo effectus. *Vide* Clement. *Concord. pastoral.*, part. II, c. 1, n. 55 et seqq. (146. Quocirca non est quod statuatur, esse dictas puellas exemptas ab ordinarii jurisdictione.

(147. Patet hinc puellas per id temporis quo in educatione manent, subjici reservationi casuum ab ordinario loci factæ, ut non

Digitized by Google

videtur negare ipse Pellizzarius, *De monial.*, cap. 5, sect. 4, n. 191, tametsi in superiori quæstione contrarius.

(148. Sed an dictæ puellæ tempore interdicti, sive generalis, sive particularis, possint audire missam et alia divina officia, recipere sacramenta, et donari ecclesiastica sepultura, sine pompa tamen? (149. Affirmant plures apud Pellizzarium, *De monial.*, c. 5, sect. 4, n, 192, ea de ratione, quod veniunt nomine familiarium monialium, quibus permissa hæc sunt. (150. Sed, cum eæ propriis sumptibus vivant, non immerito dubitari potest an venire possint nomine familiarium monialium.

(151. Non gaudere privilegio fori hasce puellas, communis sententia est. (152. Sed non convenit inter doctores an dictæ puellæ gaudeant immunitate ecclesiastica concessa ecclesiis et monasteriis omnium religiosorum utriusque sexus. (153. Improbabilis vero haud videtur distinctio a Bordonio, resol. 1, n. 8, tradita quoad religiosos, et a Pellizzario amplexa quoad puellas has, ut scilicet gaudeant si delinquant in ecclesia: non gaudeant autem si delinquant in monasterio.

(154. Reliquum est ut disseramus de parocho, qui possit assistere matrimoniis puellarum in monasteriis propter educationem manentium. (155. Cavendum (88) autem est ab auctore hic n. 36 (39) absolute pronuntiante parochum in cujus parochia est monasterium assistere posse matrimoniis harum puellarum. Ut enim recte monuit san. mem. Benedictus XIV, d. *Instit. ecclesiast.*, 33, n. 16: « Si puella, quæ Matrimonii fidem præstitit, in alia parochia domicilium non habeat, tunc parochus quem primo loco nominavimus (scilicet in cujus parochia est monasterium), puellam in matrimonio conjunget. Sin autem paternum, maternum, vel fraternum domicilium habebit, tunc parochus cui domicilium idem subjicitur, pro conficiendo matrimonio præsens assistet. »

(156. Cavendum etiam ab auctore qui n. 84 sentire videtur, novitiam ex causa infirmitatis egressam e monasterio, reversam debere inchoare annum novitiatus, nam « decisum fuisse ait Pellizzarius *De monial.*, c. 2, sect. 2, n. 47, a sacra congregatione novitiam monialem durante probationis anno curandæ valetudinis causa a monasterio egressam, et postea reversam, professionem emittere potuisse, ac si nunquam egressa fuisset, quod est dicere, per hujusmodi egressum non censeri annum probationis moraliter interruptum. »

(157. Cavendum demum ab auctore qui n. 100 videtur adhærere doctoribus tenentibus, quod professio emissa post annum probationis a puella hectica non prosit monasterio quoad acquisitionem bonorum. *Vide* tamen quæ diximus in additione ad verbum ANNUS PROBATIONIS, n. 10.

ADDITIONES CASINENSES.

Quoad ea quæ in hoc articulo traduntur a n. 134 ad n. 140 satius existimamus doctrinam Benedicti XIV per extensum transcribere, tenoris sequentis: « (De matrimonio consumnato) illud est præmittendum quod quidquid sit de quibusdam exemplis, quæ in ecclesiastica historia leguntur, nonnullarum scilicet mulierum jam nuptarum quæ viris plane insciis ad religiosa claustra confugerunt, vel de viris qui uxoribus nihil tale opinantibus monasticam vitam professi sunt; cum tribuenda hæc sint peculiari divino afflatui, aut vigenti per ea tempora ecclesiasticæ disciplinæ quæ ad monasticum institutum fovendum, ampliandumque magnopère intendebat: nostris sane temporibus, si de matrimonio agatur consummato, nequit uxor sine consensu viri, aut vir sine consensu uxoris, religiosam et claustralem vitam amplecti, quemadmodum perspicue infertur ex Decretali Alexandri III in cap. *Verum*, De convers. conjug. « Consensum autem hujus- « modi liberum esse oportet ac voluntarium: « si enim fuisset per vim metumve extortus, « posset utique qui ipsum præstitit alterum « conjugem, licet jam claustris inclusum ex « iis revocare; » uti rescripsit Innocentius III in decretali *Accedens*, eodem tit. Et quamvis etiam consensus omnino fuisset liber, insuperque conjux monasterium ingressus, religiosam professionem emisisset, si alter conjux ea quæ sacris canonibus constituta sunt, ex parte sua non præstet, integrum ipsi est, professum e claustro revocare, licet professio

(88) Vide de hac re sub v. *Matrimonium*, art. 9, n. 116 et seqq.

(89) *Responsio auctoris.* — « Cavendum est ab auctore (inclamat hic additor sub n. 155), cavendum est ab auctore hic n. 36, absolute pronuntiante parochum, in cujus parochia est monasterium assistere posse matrimoniis harum puellarum. Uti enim recte monuit san. mem. Bened. XIV, etc. » Ast bona additoris venia, debebat ipse advertere et adnotare quod totum id jam fuerat a me auctore allatum in *Supp.*, verb. MATRIMON., art. 9, n. 116 et seq. Insuper sub n. 156 subjungit: « Cavendum etiam ab auctore, qui n. 84, sentire videtur, novitiam ex causa infirmitatis egressam a monasterio, reversam debere inchoare annum novitiatus, nam decisum fuisse ait Pellizzar., *De monialibus*, cap 2, sect. 2, n. 47, a sacr. congr. contrarium. » Ast ego pro mea conclusione affero tria decreta sac. congr. Episcoporum, et D. additor tantummodo refert ex Pellizzario sac. cong. sensisse contrarium. Hinc videat lector, cui magis fidendum, an D. additori citanti contrarium decretum sine ulla assignatione diei, mensis, anni et loci; an mihi afferenti tria decreta cum assignatione temporis et loci, quo et unde fuerunt emanata. *Vide ibi* n. 84, et decretum allatum n. 85, immediate sequenti. Denique sub n. 157 repetit additor: « Cavendum ab auctore qui n. 100, videtur adhærere doctoribus tenentibus, quod professio emissa post annum probationis a puella hectica non prosit monasterio, quoad acquisitionem bonorum. » Ast ego ibi n. 99, sentio contrarium, quamvis n. 100 et seq. referam opinionem Riccii relati, et secuti a Monacell., part. II, tit. 13, formula 5, n. 14, edition. Rom., 1706. Hinc a quo nostrum, an a me, an potius a D. additore hac in re cavendum sit, judicet prudens lector.

Digitized by Google

ab eo valide emissa fuerit, juxta celebre rescriptum laudati Pontificis Alexandri III in decretali *Præterea*, De convers. conjug. Quapropter, si in aliqua diœcesi contingat ut nupta mulier in religionem se recipiat, noverit episcopus id sibi vel maxime incumbere, ut et legitimus liberque præcedat viri consensus, et is præterea præscriptas a sacris canonibus conditiones implere non omittat.

« De quibus sane conditionibus aliqua hic adnotare volentes, duo a sacris canonibus præscripta comperimus. Primum, ut si alter conjugum velit in monasterium sese recipere, ibique se Deo devovere, id ei nullatenus concedatur, nisi alter quoque conjux cœnobium ingrediatur et in eo Regularem professionem emittat. Satis perspicuus est textus in can. *Quia Agatho*, 27, quæst. 2, ubi hæc leguntur : « Quem tamen (de Agathone « sermo est ab uxore ad religionem propo- « rante) ita suscipiendum esse cognosce, si « et uxor illius similiter converti voluerit, « nam, dum unum utrorumque corpus con- « jugii copulatione sit factum, incongruum « est, partem converti, et partem in sæculo « remanere. » Huic consonat sequens canon *Scripsit Nobis*, in quo continetur rescriptum Nicolai Pontificis ad reginam Teuthbergam, quæ, cum esset Lothario nupta, Religioni nomen dare exoptabat : « Cui nos scripsimus « non hoc aliter fieri posse, nisi eamdem « vitam conjux ejus Lotharius elegerit. » Idemque Pontifex ad Lotharium scribens hæc habet : « Nam licet sit scriptum : *Quod « Deus coujunxit, homo non separet :* Deus « tamen et non homo separat, quando divini « amoris intuitu, ex consensu utriusque « conjugis matrimonia dissolvuntur. Aliter « autem fieri mutuam separationem vestram « prohibemus. » Neque clarior esse potest Alexandri III decretalis in cap. *Cum sis*, De convers. conjug : « Ignorare non debes san- « ctorum Patrum constitutioni esse contra- « rium, ut vir, uxore sua, aut uxor, viro suo « non assumente religionis habitum, debeat « ad religionem transire. » Hæc est prior regula a jure canonico tradita. Sequitur altera quam prioris limitationem merito dixeris; qua nimirum sancitur posse alterum conjugem, post matrimonium etiam consummatum, fieri religiosum, licet alter ejus vestigia sequi detrectet, dummodo tamen hic provectæ ætatis sit ab omni incontinentiæ suspicione immunis, et si inter sæculares versari maluerit, simplici castitatis voto se obstringat : his quippe positis peculiaribus circumstantiis, alteri ex conjugibus fit facultas ingrediendi religionem, alteri vero manendi in sæculo, veluti prosequitur Alexander Pontifex in præcitata decretali *Cum sis*, De convers. conjug. En ejus verba : « Inde est quod « auctoritate Apostolica prohibemus ne in « episcopatu tuo virum, vel uxorem, nisi « uterque ad religionem migraverit, trans- « ire permittas. Verum, si ita uxor senex « est et sterilis quod sine suspicione possit « esse in sæculo, dissimulare poteris ut ea « in sæculo remanente et castitatem pro- « mittente, ad religionem transeat vir ejus- « dem. » In quem textum *Glossa*, verb. *Dissimulare*, observat hujusmodi verba veram permittendi et approbandi vim inesse. Quod eo magis dicendum est, dum quidquid decretum legitur in præindicato cap. *Cum sis*, confirmatur quoque in subsequentibus decretalibus sub eodem titulo, De conversione conjugatorum, collectis; quarum uni initium est *Uxoratus*, alteri *Ad Apostolicam*, et alteri *Significavit*. Et quamvis in prima ex illis, nimirum in decretali *Uxoratus* habeatur, continentiæ votum a conjuge jam sene qui in sæculo remanet emittendum, « publice in conspectu Ecclesiæ » nuncupari debere, exinde tamen non sequitur solemne illud esse; nam, sicut inferius demonstrabimus, illud tantummodo continentiæ votum solemne censetur, quod est sacro ordini vel regulari professioni annexum : sed hoc tantummodo ex laudata Decretali infertur, perpetuæ continentiæ votum a manente in sæculo concipiendum, et rite perficiendum esse coram testibus et superiore ecclesiastico, ne unquam de illius nuncupatione dubitari possit....

« Cum dictum fuerit superius quoties uxor religiosam in monasterio vitam amplectatur debere et virum ingredi monasterium, ibique monasticæ professionis vota emittere, nisi ea sit ætate vel conditione quæ omnem incontinentiæ suspicionem excludat, satis vero esse ut in sæculo se simplicis castitatis voto obstringat, si ab ejusmodi suspicione maxime per ætatem vindicetur; ambigi jure nequit, quin, in hac posteriori facti specie possit vir, si velit, ad sacrum ordinem, indeque ad sacerdotalem gradum in sæculo conscendere; si enim lex ipsi in tali casu indulget, ut simplici castitatis voto illigatus in sæculo permaneat, cumulatius legem implet, si sacris ordinibus initietur : cum castitatis votum, sacris ordinibus adnexum, solemne sit, et habeatur, juxta decretalem in cap. unic. *De voto*, in 6, cujus hæc sunt verba : « Illud solum votum debere dici solemne, « etc. quod solemnizatum fuerit per su- « sceptionem sacri ordinis, aut per profes- « sionem expressam, vel tacitam factam ali- « cui de religionibus per Sedem Apostoli- « cam approbatis. »

« Nodus igitur difficultatis est potissimum in eo casu, quo vir nec ætate grandævus, nec ob alias circumstantias ab incontinentiæ suspicione remotus, juxta canonum sanctionem deberet solemnia religionis vota nuncupare, quod tamen ipse abnuit, sacrum tantummodo ordinem suscipere intendens, vel ad sacerdotalem gradum in sæculo ascendere. Instante Veronensi episcopo, casus hujusmodi propositus fuit in sacra congregatione concilii habita 18 Decembris 1728. eoque licet ad iteratum examen revocato, nulla tamen prodiit resolutio, uti videre est tom. IV *Thesauri resolutionum;* propterea quod existimatum non fuerit, virum qui a florente quam agit, ætate, ad voluptatem allicitur, per susceptos in sæculo sacros ordines dici posse ab incontinentiæ periculo

Digitized by Google

procul abesse, atque adeo opportunis cautionibus, præsidiisque munitum, qualis evaderet, si se in monasterium abderet, ibique religiosam emitteret professionem. Haud tamen diffitemur quin aliqua afferri possint exempla episcoporum, qui nuptæ mulieri facultatem fecerint se Deo dicandi in monasterio, dum vir sacerdotio inter sæculares initiaretur, licet is, haud grandiorem, sed virentem ageret ætatem. Hoc autem ideo fortasse factum, quod perspectissima fuerit viri probitas, certoque præcognitum, quantum quidem humana conditio patitur, fore, ut sacris ordinibus obstrictus, illibatam castitatem servaret: quod potissimum intendunt sanctiones canonum jubentium, virum ætate florentem, religionem ingredi, quoties uxor inter moniales ad religiosam vitam ducendam se recipit. Nemo sane ignorat veterem illam, satisque arduam, quæ olim fuit, controversiam, an, sicut matrimonii rati, sed non consummati vinculum per religiosam professionem dissolvitur, ita per sacri ordinis assumptionem diremtum illud pronuntiari jure posset, cum sacer ordo, æque ac religiosa professio, sit impedimentum nedum impediens, sed dirimens etiam matrimonium. Cardinalis Hostiensis in *Summa* eamdem sacro ordini vim tribuit ad dissolvendum matrimonium ratum, nec consummatum, quam habet regularis professio. Oppositam sententiam alii sunt secuti, impensius monentes, quod nulla super hoc allata, nec evulgata Pontificia definitione, periculosum nimis est Hostiensis opinioni subscribere. Verum, cum postmodum Joannes XXII suam ediderit constitutionem, quæ incipit *Antiquæ*, sub titulo *De voto et voti redemptione*, in collectione ejusdem Decretalium tit. 6, indubium firmumque mansit, quamvis matrimonium ratum, sed non consummatum, dissolvat religiosa professio, minime tamen per susceptionem sacrorum ordinum dissociatum illud censeri oportere. Porro, si ad casum, de quo agimus, exemplum ejusmodi accommodetur, unusquisque facile noverit, non satis tuto egisse episcopos illos, qui quandoque facultatem fecerint ad sacros ordines conscendendi viro licet juniori, cujus uxor sanctimonialium vitam amplectebatur; longeque rectius fuisse facturos, si, ubi peculiares facti circumstantiæ id suadere viderentur, eosdem monuissent ut opportunam a Sede Apostolica dispensationem implorarent, cum nulla de hoc Pontificia exstet definitio.

Verum, si hoc quæstionis caput de viro juniore, qui, uxore monasticam vitam vovente, non inter regulares profiteri, sed inter sæculares sacerdotes initiari contendit, nullo Pontificio rescripto, aut const. fuit definitum, haud tamen illa desiderantur quoad alterum caput de viro florentis ætatis, cujus uxor admissi adulterii pœnitens, vult sese in monasterium abdere, ibique, nuncupata regulari professione, crimina sua expiare. Actum de ea re fuit congregatione particulari habita coram fel. record. Innocentio Papa X, in eaque statutum fuit, legitima adulterii probatione non deficiente, nimirum quoties aut mulier ipsa crimen confessa sit, aut illius delictum notorium fuerit, aut denique judex sententiam tulerit super divortio ex capite adulterii; si uxor religiosam in monasterio vitam eligat, non cogi virum, licet florentem ætate, religionem ingredi, sed satis esse ut ab eo simplex castitatis votum in sæculo nuncupetur. Ita testatur Lezana, qui memoratæ congregationi coram Pontifice habitæ interfuit, in sua consult. 80, n. 27. Huic consonant aliæ a congregatione Concilii editæ resolutiones, in causa nimirum *Lucana*, decisa 14 Novembris 1682, lib. XXXIII *Decretor.*, fol. 489, et in *Ferrarien.* 2 Maii 1693, uti videre est lib. XLIII *Decretor.*, fol. 225, dumque nos ipsi in minoribus constituti eidem congregationi a secretis essemus, in causa *Januen.* 2 Maii 1722, ut patet ex tom. II *Thesauri resolutionum* (90), ubi insertum est folium, quod tunc a nobis elucubratum, et typis impressum congregationi obtulimus.

(90) Lubet afferre resolutionem, de qua supra, tenoris ut sequitur: « *Januen.* Maria Victoria Fossa matrimonium contraxit cum Francisco Venatio, sed aliis se prostituit, ita ut, instante viro, fuerit pluries detenta in magno publico Hospitio pauperum, in quo hujusce generis mulieres custodiri solent. Pluries actum fuit, ut uxor rediret ad cohabitandum cum viro, sed hic semper constantissime renuit. Cumque, divina favente gratia, Maria Victoria parata sit ingredi monasterium convertitarum, et in eo professionem regularem emittere, et vir suum præstet consensum, et se paratum exhibeat ad dotem restituendam, et ulterius protestetur, quod ipse etiam professionem regularem emitteret in aliquo ordine religioso, nisi genitorum ætas ingravesceret, eorumque indigentia aliud suaderet, exhibita fuit huic S. congregationi a Maria Victoria humilis petitio pro facultate ingrediendi in monasterium convertitarum, et in eadem emittendi professionem religiosam, licet vir in sæculo remaneat. »

Scriptum fuit eminentissimo archiepiscopo pro informatione et voto; qui retulit omnia in facto subsistere, et Mariam Victoriam esse in ætate annorum 25, et Franciscum virum esse in ætate annorum 34.

Consimilis casus his contigit tempore videlicet Summi Pontificis Innocentii X et anno 1682.

Tempore Innocentii Papæ X quædam femina conjugata habens maritum juvenem, sed qui religionem ingredi non poterat propter infirmitatem, post commissum adulterium, facti pœnitens, petiit ex consensu mariti ingredi religionem, et in ea profiteri, ipso in sæculo remanente.

Acciti fuerunt a Summo Pontifice theologi, ut consilium præstarent. Fuit inter eos accitus Pater Lezana, qui consilium dedit trigesimum inter impressa, et n. 37 refert sequentibus verbis casus decisionem: « Sanctissimus dominus noster Innocentius X quorumdam theologorum, ex quibus minimus ego fui, votis auditis, decrevit, ut si de istius feminæ adulterio constabat, in monasterium quoddam monialium, religionem professura ingrederetur, marito manente in sæculo, solo voto continentiæ emisso. »

Rursus anno 1682, cum quædam mulier Lucensis post matrimonium cum quodam viro contractum, cum aliis commercium carnale habuisset, postula-

Digitized by Google

« Hæc sunt quæ hic opportune afferenda duximus, ut demonstraremus quomodo se gerere debeat episcopus, si aliqua nupta mulier monasterium ingredi, et religiosum institutum profiteri velit; nimirum, quando, et qua ratione, illius instantiæ valeat obsecundare. Quæ tamen nullatenus obstant, quominus, si peculiares alicujus facti circumstantiæ temperamentum aliquod, vel generalis regulæ relaxationem exposcere videantur, Apostolicæ Sedis auctoritas imploretur, quæ ex legitimis causis potest, consuevitque opportunas dispensationes indulgere. Quemadmodum mox supra monuimus, probato adulterio, si uxor adultera, saniore inito consilio, se religioni devoveat, non eo onere gravatur vir, licet junior, ut monachus fiat; sed satis est ut simplici castitatis voto inter sæculares se obstringat. Turbavit id aliquando non neminem, qui ad Sanctam Sedem supplex confugit, ut a præfati voti nuncupandi onere fieret immunis, fortasse etiam pertimescens, ne, mortua quandocunque in claustris uxore, adempta sibi esset facultas transeundi ad alias nuptias. Cum enim uxor, quæ consensit, virum sacro ordine initiari, eo e vivis erepto, prohibeatur alteri nubere, ut constat ex can. *Seriatim*, distinct. 32, et, si quod ab ipsa attentetur matrimonium ecclesiasticis sanctionibus irritum fiat, uti videre est apud Sanchez, *De matrim.*, lib. VII, disp. 40, per tot., dubitari non omnino temere posset, num idem quoque pronuntiandum esset in altera facti specie, qua, uxore solemniter professa, simplici autem castitatis voto per virum nuncupato, vellet hic, post illius mortem, ad alias nuptias convolare : par enim ratio inesse videtur utrique speciei, nimirum reverentiæ habendæ erga solemne votum, licet ab altero conjuge emissum : quam rationem innuit S. Thomas in 4 sentent., distinct. 37, quæst. 1, art. 2, ad secundum. Quod si hujusmodi ratio non satis idonea censeretur, initum tamen matrimonium semper esset illicitum, propterea quod votum castitatis, licet simplex, oporteat esse perpetuum. Itaque in proposito casu, allato episcopi testimonio de religiosa vita, probatisque moribus oratoris, datum ipsi fuit, ut præfato voto non emisso, liber inter sæculares versaretur : hicque fuit exitus præindicatæ causæ *Januen.* quamvis antea decretum fuisset, ut vir votum simplex castitatis voveret in sæculo, si uxor adultera regularem emitteret professionem. Hæc omnia, dum in minoribus secretarii congregationis munere fungeremur, collegimus in foliis a nobis editis in causa *Ulyssiponensi* 22 Novembris et 6 Decembris 1727, uti videre licet tom. IV *Thesauri resolutionum* (91). Sacri enim canones adigunt quidem virum ætate florentem ad professionem in monasterio nuncupandam, vel, quatenus in provecta jam ætate constitutus sit, ad emittendum in sæculo simplex castitatis votum, dum uxor religiosum institutum amplectitur; at non tunc, cum jura matrimonii sunt læsa; si enim hujusmodi jura ab uxore per adulterium læsa fuerint, quod tunc juniori viro in sæculo manenti imponitur onus emittendi simplex castitatis votum, præscriptum dici debet ad quamdam veluti tutiorem cautionem; cui quidem stricto jure locus non est, quoties anteacta viri vita nullam futuræ incontinentiæ suspicionem ingerit. Insuper olim, proprio instante episcopo, dispensatio concessa fuit bene merito viro, sexagenario majori, ut sacerdotalem gradum ascendere posset, dummodo ejus uxor, quæ octavum et quinquagesimum agebat ætatis annum, perpetuam castitatem voveret, absque eo quod monasterium ingrederetur et professionem emitteret regularem, cum cæteroquin ipsa eximium honestatis specimen semper præbuisset. Hujusmodi indultum concessum fuit nobili viro Parisiensi in congregatione habita 6 Maii

vit facultatem ingrediendi in monasterium, et in eo professionem regularem emittendi, licet vir in sæculo remaneret, delata fuit instantia ad hanc sac. congregationem, quæ die 20 Junii 1682 noluit annuere petitis; ex relatione etenim episcopi deprehendebatur, quod oratrix fuerat pluribus prostituta, jubente viro; cumque nova supervenisset ordinarii informatio, in qua retulit non subsistere in facto, vel saltem, quod non aderant probationes judiciales de lænocinio, quod supponebatur a viro patratum, sacra congregatio jussit, quod causa describeretur in folio, factaque descriptione die 14 Novembris 1682 propositoque dubio : « An oratrici indulgendum sit, ut viro in sæculo permanente, professionem in monasterio convertitarum emittere valeat, responsum fuit affirmative, emisso per virum castitatis voto, et proinde S. congregatio benigne indulsit oratrici, ut, veris existentibus narratis, regularem habitum in monasterio convertitarum civitatis Januæ suscipere, in eoque, servatis alioquin servandis, professionem emittere pro arbitrio, et prudentia emin. domini cardinalis Spinula episcopi Lucen. libere, et licite valeat, » uti habetur lib. XXXIII *Decret.*, fol. 479.

Addunt doctores, quod jura prohibentia professionem seu mutationem status alterius conjugis, altero in sæculo remanente, loquuntur in casibus in quibus matrimonium integrum et illæsum perseverat, secus autem, quando jura sunt læsa et diminuta propter adulterium. Rursus, sicuti commisso per alterum ex conjugibus notorio adulterio, conjux innocens, etiam invito adultero, potest ad religionem transire, juxta textum in can. *Agathose*, quæst. 2, in cap. *Constitutus*, et in cap. *Veniens*, De conversione conjugatorum, sic licitum est innocenti, quamvis in sæculo remanenti, concedere facultatem adultero, ut transeat ad religionem, juxta plene relata per Lezan., *loc. cit.*, n. 15.

His stantibus dignabuntur EE. VV. decernere « An, et quomodo petitis sit annuendum.

« Posse permitti Mariæ Victoriæ, ut monasterium ingrediatur, et in eo professionem regularem emittat, accedente consensu viri canonice præstando, et accedente voto continentiæ ab eodem emittendo, donec uxor vixerit. » Sic in *Thes. resol.*, tom. II, pag. 163, 164.

(91) Sunt porro hujusmodi : « *Ulyssiponen. orientalis.* Isabella Ventura Fernandes, an. 1708. Matrimonium per verba de præsenti contraxit coram parocho, et testibus cum Joanne de Albillos, et ex eodem matrimonio nati sunt filii. »

Ab Hispaniis, ubi contractum fuit matrimonium,

Digitized by Google

1645, uti videre est lib. XVII *Decretorum*, pag. 471, a terg. Nos ipsi quoque, allatis precibus defuncti cardinalis de Almeyda patriarchæ Ulyssiponensis, audito prius voto officii nostri Pœnitentiariæ, non recusavimus facultatem facere spectato viro, licet ætate non admodum provecto, conscendendi ad sacros ordines, dummodo uxor simplex castitatis votum coram cardinali patriarcha nuncuparet, postquam tamen se in aliquod monasterium recepisset, cavissetque idoneo se professionem emissuram, cum primum congruam dotem monasterio persolvendam fuisset consecuta. Denique, cum Panormi-

conjuges se transtulerunt ad regnum Portugalliæ, et postquam per aliquod tempus habitarunt in civitate Ulyssiponensi, marchio de Gowea captus amore Isabellæ, cum ea per plures annos habuit carnale commercium.

Post hoc tempus se voluit marchio liberare ab illicito contubernio, utque id exsequi posset, Isabellam induxit ad suscipiendum habitum monasticum in monasterio Sanctæ Monicæ ordinis S. Augustini, et ad emittendam in eo professionem ante expletum annum novitiatus, obtento, uti supponitur, brevi, nec in hac re defuit consensus Joannis viri, qui tamen, licet esset ætatis annorum 33 nec professionem regularem in aliquo virorum monasterio emisit, nec castitatem in sæculo promisit.

Professio emissa fuit anno 1718 et marchio mortuus est anno 1723, et sub fundamento, quod professio ab Isabella emissa fuisset per vim, et metum ipsi a marchione incussum, et quod consimili modo extortus fuisset Joannis consensus, supplicatum fuit pro restitutione in integrum adversus lapsum quinquennii, datisque litteris ad vicarium capitularem Ulyssiponen., confectus fuit ab eodem processus super prætensa nullitate professionis, et in præsenti tria dubia disputanda proponuntur, et instantiæ uxoris adhæret Joannes vir, qui audito obitu marchionis, ad civitatem rediit Ulyssiponen., a qua ejus timore discedere coactus fuerat.

Quoad vim et metum, idem testibus innititur, atque conjecturis in scriptura, et summario legendis, et quoad cæteras facti circumstantias faciunt sequentes juris propositiones.

Prima est, quod post consummatum matrimonium non potest uxor ingredi monasterium, et in eo religiosam professionem emittere, nisi accedat consensus viri, text. in can. *Si dicat*, et in can. *Mulier* 33, quæst. 5, et facit text. in cap. *Cum causam*, De raptoribus, ibi : « Præterea, cum post matrimonium, carnis commistione perfectum, teste Apostolo, uxor sui corporis potestatem non habeat, sed maritus, et e converso, si præcessisse matrimonium vel ex probationibus viri, vel ex mulieris confessione claruerit, postmodum sine assensu viri non potuit ipsa monasterium ingredi, aut aliter continentiam profiteri. »

Secunda est, viri consensum liberum esse debere, uti probat text. in cap. *Accedens*, De conversione conjugatorum, ibi : « quæ propter multa verbera, et alia gravamina, quæ dictus vir inferebat eidem, se ipsam asserens dimissurum, annuit votis ejus; » et concordat textus in can. *Notificasti* 33, quæst. 5, ibi : « non enim violentia, sed ex pari voluntate, et consensu, sicuti sancti Patres dicunt, hoc fieri debet. »

Tertia est, transeunte conjuge ad religionem, et in eadem profitente, oportere, ut alter religionem ingrediatur, et in ea profiteatur, si sit juvenis, et si fuerit senex, tolerari posse, ut in sæculo remaneat cum voto simplici castitatis. Text. in cap. *Cum sis*, De convers. conjugat., ibi : « inde est, quod auctoritate Apostolica prohibemus, ne in episcopatu tuo virum, vel uxorem, nisi uterque ad religionem migraverit, transire permittas. Verum, si ita uxor senex est, et sterilis, quod sine suspicione possit esse in sæculo, dissimulare poteris, ut ea in sæculo remanente, et castitatem promittente, ad religionem transeat vir ejusdem; » et concordat alius text. in cap. *Uxoratus*, eod. tit., excepto casu in quo matrimonii jura læsa essent per adulterium; tunc enim, accedente sola licentia conjugis vere innocentis, qui nec directe, nec indirecte adulterio ejus cooperatus est, potest conjux adulter religionem profiteri, licet innocens in sæculo remaneat, nec emittat solemnem professionem, si sit juvenis, nec faciat simplex votum castitatis, si sit senex; Sanchez, *De matrimonio*, lib. X, dist. 10, n. 15, et facit resolutio hujus sac. congreg. *in Januen.* 2, Maii 1722, in qua cum responsum fuisset pro facultate uxoris adulteræ emittendi professionem, marito in sæculo remanente cum simplici voto continentiæ, in subsequenti congregatione, habita die 25 Maii ejusdem anni, responsum fuit pro absolutione conjugis innocentis a voto simplici continentiæ, et pro libertate absolute, et simpliciter in sæculo remanendi.

Quarta est, validam esse professionem emissam de conjugis consensu, licet hic remaneat in sæculo, et sic nec professionem regularem emittat, si sit juvenis, nec emittat votum simplex castitatis, si sit senex. Textus in can. *Agathosa* 27, quæst. 2, ubi Pontifex validam censet professionem disjunctive, hoc est, vel si conjugatus consensum præstitit, vel si conversus est, ibi : « Agathosa latrix præsentium questa est, maritum suum contra voluntatem suam in monasterio Urbici abbatis esse conversum, quod quia ad ejusdem abbatis culpam et invidiam, non est dubium pertinere, experientiæ tuæ præcipimus, ut diligenti inquisitione discutias, ne forte cum ejus voluntate conversus sit, vel ipsa se mutare promiserit, et si hoc repereris, et illum in monasterio remanere provideas, hanc, sicut promisit, mutare compellas; » et concordat textus in cap. *Ex parte*, De convers. conjugat., ubi deciditur nullum esse matrimonium contractum ab eo, qui professionem regularem emiserat de consensu uxoris, et, ea mortua, aliud contraxerat matrimonium, infertur enim validam fuisse professionem cum sola licentia uxoris, alias pronuntiari non potuisset pro nullitate secundi matrimonii.

Quinta est, magnum dubium esse, an qui consensum præstitit, et nec regularem professionem, si sit juvenis, nec votum simplex castitatis, si senex, emisit, habeat jus revocandi professam cum ejus simplici licentia. Affirmativa quippe responsio probatur per text. in cap. *Præterea*, De convers. conjugat. : « Utrum laicus uxoratus, qui præsentibus sacerdotibus et monachis, ignorante episcopo, de licentia et permissione uxoris monasterium ingressus professionem fecit, uxore in sæculari habitu remanente, nec transeunte ad religionem, aut perpetuam continentiam vovente, ab episcopo suo possit ad thorum revocari uxoris, an illa compellenda sit continentiam observare. » Ecce casus ejus qui professionem emisit cum sola licentia conjugis, absque eo quod hic in sæculo remanens, vel professionem emittat, vel faciat simplex votum castitatis, et in hoc casu sic a Pontifice respondetur : « Dicimus quod nisi uxor in religionem transierit, aut perpetuo castitatem servare promiserit, vir potest et debet de monasterio revocari. » At nonnulli distingunt inter manentem in sæculo, et conscium juris disponentis, conjugem non posse profiteri, nisi licentiam concedens voveat castitatem, si sit senex, et si juvenis, ingrediatur religionem, et ignarum hujus dispositionis juris, ita ut in primo casu non sit permissa revocatio, secus in secundo, dummodo tamen ignorans dispositionem juris fuerit uxor et non vir, utpote qui per igno

Digitized by Google

tanus archiepiscopus retulisset, se in diœcesi reperiisse virum let mulierem conjuges, ex quibus, cum ambo affectæ valetudinis essent, et septuagenariam ætatem prope attingerent, vir quidem sacerdotali ordine

rantiam juris excusari non potest, uti late probat Sanchez, *De matrim.*, lib. VII, disp. 33, n. 14. Alii autem hanc distinctionem impugnant et contendunt locum esse revocationi, sive adfuerit, sive non, cognitio dispositionis juris; Pont., *De matrim.*, lib. IX, cap. 12, n. 4 et 5, et conjux, qui, non obstante valida professione, ad sæculum revocatur, non potest petere, sed tantum reddere debitum, et mortuo revocante, tenetur ad religionem redire, juxta citat. text. *Ex parte*, De convers. conjugat.; ibi : « ea tamen sublata de medio, votum sine salutis suæ periculo non potuit violare .. »

Iis stantibus dignabuntur EE. VV. decernere :

« I. An constet de causis restitutionis in integrum, ita ut sit declaranda nulla professio, et quatenus affirmative...

« Non proposita. » Tom. IV *Thesaur. resolut.*, pag. 131.

« *Ulyssiponen. Orientalis.* Juxta exposita in folio præcedentis Congregationis, benigne reassumendo, Isabella Ventura Fernandes uxor legitima Joannis de Albillos, post illicitum commercium habitum cum marchione de Govvea, professionem regularem emisit in monasterio Sanctæ Monicæ ordinis S. Augustini, de consensu viri sui, qui in sæculo permansit, et nec regularem professionem, nec votum simplex castitatis emisit; eademque Isabella, mortuo marchione, instat pro declaratione nullitatis suæ professionis, et uxoris instantiæ adhæret vir, qui conjugem suam, licet professam repetit; et potissimum fundamentum constituitur in vi, et metu incussis a marchione, tum Joanni, ut daret assensum, tum Isabellæ, ut professionem emitteret, super quo puncto dignabuntur EE. VV. solita maturitate perpendere, an ex deductis in summario consurgat legitima probatio vis, et metus, vel potius opus sit demandare coadjuvationem probationum.

At quia supposita validitate professionis quoad mulierem, suppositoque libenti consensu præstito per virum, adhuc dubitari potest, an ipse, qui permansit in sæculo, et nec professionem regularem, nec votum simplex continentiæ emisit, uxorem suam repetere valeat, reversuram ad monasterium, quatenus ei supervivat, juxta textum in cap. *Ex parte*, De convers. conjugat., operæ pretium esse censui sequentia adnotare.

Ut uxor transeat ad religionem, et in ea profiteatur, oportet ut vir religionem ingrediatur, et in ea profiteatur, si fuerit juvenis, et si fuerit senex, oportet ut in sæculo emittat votum simplex castitatis, juxta text. in cap. *Cum sis*, in cap. *Uxoratus*, De convers. conjugat., et si maritus dederit assensum suum, sed nec regularem professionem, nec votum simplex castitatis emiserit, potest uxorem suam repetere, et eadem ipsi restituenda est, saltem officio judicis, juxta litteralem text. in cap. *Præterea*, De convers. conjugat., in præcedenti folio relatum.

Torquet hic textus ingenia doctorum, quocirca nonnulli scribunt, eum procedere in casu, in quo vir dederit consensum per vim et metum, et alii communiori calculo dicunt, illum sibi vindicare locum, quando maritus, qui dedit consensum, ignoravit dispositionem juris, quæ vult, ut ipse in tali casu, vel voveat castitatem in sæculo, vel religionem ingrediatur, secus vero, si prædictam juris dispositionem scivit : et ad ulteriora procedendo, dicunt juris ignorantiam præsumi, et suffragari uxori, sed nec præsumi in viro, nec suffragari viro, qua distinctione attenta, non posset Joannes repetere Isabellam, licet ipse nec regularem pro-

insigniri expostulabat, ac uxor, licet in id consensum ultro præberet, tamen ad id tantummodo et vix quidem, adduci poterat, ut Tertiariæ habitum induceret; cumque archiepiscopus pro dispensatione supplicaret,

fessionem, nec votum simplex castitatis emiserit.

Theorica hæc auctorem habet abbatem, qui in cit. cap. *Præterea*, sub n. 4, habet : « Procedit ergo iste textus, ubi uxor erat istius juris inscia, et potest argui per istum textum, quod in hoc casu excusat mulierem ignorantia juris; » et sub n. 8 : « Etiam crederem, quod si dans licentiam sit conscius juris, quod tunc non fiat illa reductio, quia, ut supra dixi, dando licentiam, tacite videtur vovere. » Abbatem alii sequuntur, quibus latissime adhærent Sanchez, *De matr.*, lib. VII, disp. 33, n. 14; Pirhing., ad l. III *Decret.*, tit. 32, § 2, n. 14; P. Schmalzgrueber, ad eumd. tit. n. 36.

At alii prædictas qualificant explicationes tamquam divinatorias, cum ex allegato textu nullum pro illis deduci possit fundamentum, quocirca absolute et indistincte docent, posse uxorem professam revocari a viro, qui suum liberum dedit assensum, sed nec votum simplex castitatis nec professionem regularem emisit, cum prædictus assensus licet libere præstitus, ab Ecclesia non acceptetur, nisi fuerit vallatus, vel professione religiosa, vel voto simplici continentiæ in sæculo, quemadmodum latissime ostendunt Suarez, *De religione*, tom. III, l. VI, cap. 7, n. 12 et seqq.; Perez, *De matrim.*, disp. 58, sect. 4, n. 10; Pont., *De matrim.*, lib. IX, cap. 12, n. 4 et 5.

Ad partes ergo posita prædicta distinctione, alia subingreditur inspectio consistens in adulterio commisso ab uxore, remanetque videndum an in casu professionis, quæ ab uxore adultera fit de consensu viri, necesse sit ut ipse vel religionem ingrediatur, vel votum simplex continentiæ in sæculo emittat, ita ut, his non peractis, valeat ipse uxorem suam repetere, licet de suo consensu professam.

Sermonem habendo de hoc articulo, de jure esse videtur, quod si vir uxori dedit proximam causam adulterandi, ut quando expresse, vel tacite concessit eidem facultatem adulterandi, aut quando conscius adulterii non prohibuit, cum posset sine suo gravi detrimento, aut quando sciens adulterium, sponte reddidit debitum, vel petiit, tunc omnino necesse sit, quod ultra licentiam profitendi, ipse, si sit juvenis, emittat professionem regularem, vel si senex, votum continentiæ in sæculo, uti bene perpendit Lezzana, consul. 30, n. 18, 19, cui deferendum esse videtur, cum interfuerit congregationi super hoc articulo habitæ coram sanctæ mem. Innocentio X, et in nostra facti specie circumstantiæ expositæ non videntur contemnendæ, cum Isabella, et Joannes scenicam exercerent, uti habetur ex informatione ordinarii.

At si prædictæ desint circumstantiæ, et vir revera innocens sit, tunc communis esse videtur doctorum assertio, sufficere licentiam innocentis, nec opus esse, ut ipse, vel religionem ingrediatur, vel emittat in sæculo votum continentiæ, ex quo jura canonica quæ ingressum in religionem seu regularem professionem, vel votum simplex castitatis in sæculo exposcunt, procedunt in terminis, in quibus jura matrimonii sunt integra, et illæsa, secus autem quando sunt læsa et diminuta; Sanchez, *De matrim.*, lib. X, num. 15; Lezzana, cit. cons. 30, num. 15; Diana, in editione coord., tom. II, tract. 6, resolut. 226, num. 2; Layman, Castropalao, Pirrhing, cit. tit. 32, lib. III *Decret.*, Anaclet., ad eumd. tit., num. 28; Reginald., Donat., in *Praxi rer. regul.*, tom. II, p. II, tract. 3, quæst. 17, num. 7.

Hæc quoad scripta doctorum; quoad praxim vero sacrarum congregationum, in particulari congregatione habita coram san. mem. Innocentio X, de qua supra, cum disputatum fuisset, an mulier adultera

Digitized by Google

re ad congregationem Concilii delata, hæc quidem pro dispensatione votum tulit, hac tamen superaddita conditione, ut vir, uxorque diversas omnino ædes incolerent: uti cernere est in resolutione edita 20 Maii 1752, quæ nostris litteris in forma brevis, datis 13 Septembris ejusdem anni, fuit confirmata. Tunc autem necessaria habita fuit dispensatio, propterea quod in Decretali *Conjugatus*, De conyers. conjug., cautum legatur: « Nullus coujugatorum est ad sacros ordines promovendus, nisi ab uxore continentiam profitente fuerit absolutus; » relata autem verba « continentiam profitente, » minime congruere visa sint Tertiariarum instituto, quod uxor amplecti cupiebat. Superaddita vero fuit cautela distinctas inhabitandi domos...» *De syn. diœces.*, l. XIII, c. 12, n. 10 et seqq. *Vide* insuper v. CONJUGES, CONJUGIUM.

ARTICULUS II.

Moniales quoad ea quæ concernunt earum numerum, dotem, peculium, et libellum.

SUMMARIUM.

1. In unoquoque monasterio ille præfigendus est monialium numerus, qui ex reditibus, vel consuetis eleemosynis commode sustentari valeat. — 2. Numerus monialium præfigendus est etiam in monasteriis bona immobilia non possidentibus. — 3. Numerus monialium præfigendus est ab episcopo in monasteriis non exemptis: et in monasteriis exemptis, et regularibus subjectis præfigendus est ab episcopo cum interventu superiorum suorum. — 4. Numerus monialium præfigendus est et servandus, etiamsi omnes moniales consentirent velle recipi supra numerum cum eleemosynæ duplicatæ solutione. — 5. Alias, attento jure antiquo, receptio, et professio monialis supra numerum in monasteriis non mendicantium esset nulla; quamvis tamen hodie tale jus sit consuetudine abrogatum, et talis receptio et professio sit valida. — 6. Numerus monialium debet esse saltem duodecim. — 7. Nec numerus monialium debet esse major numero cellarum. — 8. In præfixione numeri distingui debent separatim quot debeant esse moniales velatæ, quot conversæ, et quot aliæ personæ exteræ monasterii reditibus sustentandæ. — 9. Numerus conversarum calculatur ad unam pro septem monialibus; sed choralium regulatur secundum proventus monasterii. — 10. Reditus ut plurimum requiruntur triceni aurei pro qualibet: in quibusdam locis quinquageni; in aliis viceni quini. — 11. Inter hos tamen reditus non sunt computanda lucra monialium, licet ponantur in communi. — 12. Ubi exitus major est introitu reducitur numerus ad proportionem, prohibendo ne interim recipiantur ad habitum, nisi cum licentia sac. congr. et dote duplicata. — 13. Adest prohibitio vestiendi et profitendi in monasteriis, ubi non est numerus præfixus. — 14. Numerus augeri non potest ab ordinario sine licentia sacræ congregationis. — 15. Monialis supranumeraria non potest admitti sine licentia sacræ congreg. — 16. Moniales supranumerariæ remanent semper supranumerariæ, in cæteris tamen sunt omnibus aliis æquales. — 17. Loca monialium intra numerum decedentium non possunt concedi, aut promitti cuiquam puellæ ante vacationem, sub gravissimis pœnis. — 18. Moniales velatæ absque dote non debent admitti; conversæ vero aliquando possunt admitti sine dote propter necessitatem monasterii. — 19. Dotales eleemosynæ debent solvi in ære, nec potest permitti assignatio bonorum stabilium, aut censuum. — 20. Et nullatenus apud consanguineos monialium sunt relinquendæ, sed antequam puellæ habitum suscipiant, sunt deponendæ apud mercatorem, seu virum fide et facultatibus idoneum, si non adsint banchi. — 21. Ordinarius compellere non debet, ut depositum fiat coram ipso, sed sufficit sibi relationem fieri de persona depositarii et notarii rogandi, etiam in monasteriis regularibus subjectis. — 22. Instrumentum depositi rogari potest a quolibet notario ad arbitrium monialium, dummodo exhibeatur copia authenticæ in Cancellaria episcopali. — 23. Depositum dotis debet esse effectivum, et non fictitium, sive confessionatum; aliter in defectu, si episcopus esset talis fictionis conscius, teneretur de proprio. — 24. Depositarius, secuta professione, compelli debet ad exbursandum pecuniam in commune de-

de consensu viri sui posset professionem regularem emittere, marito in juvenili ætate constituto, et non valente propter infirmitates ordines sacros recipere, nec emittere professionem regularem, pontifex, auditis votis theologorum, respondit, quod constito de adulterio, uxor professionem emitteret, « marito in sæculo manente, » solo voto continentiæ emisso, uti habetur apud Lezzanam cit. cons., n. 1 et 27.

In hac sacra congregatione, cum in quadam causa Lucana uxor adultera peteret facultatem emittendi professionem regularem, marito in sæculo remanente, die 20 Junii 1682, responsum fuit *negative*, cum diceretur eam fuisse a viro prostitutam, sed superventa informatione ordinarii, in qua dixit, suppositum prædictum non subsistere, descriptaque causa in folio, die 14 Novembris 1682, recessum fuit a decisis, et data fuit facultas uxori emittendi professionem in monasterio convertitarum, « sed emisso per virum castitatis voto, » uti habetur lib. XXXII *Decret.*, fol. 470.

Anno 1693. Cum mulier Ferrariensis deprehensa fuisset in adulterio, et vir judicialiter institisset pro divortio, et uxor habito consensu viri, petiisset facultatem profitendi in monasterio convertitarum, re delata ad hanc sacr. congregationem, hæc die 2 Maii 1693 facultatem concessit, « accedente consensu viri denuo in forma juris valide præstando, » uti habetur lib. XLIII *Decret.*, fol. 225.

Anno 1722. Cum quædam mulier Januensis conjugata se aliis prostituisset, et vir eam amplius recipere nollet, propositum fuit in hac sacr. congregatione, an, stante consensu viri, posset ea professionem regularem emittere, licet vir constitutus in ætate annorum 34, remaneret in sæculo, et protestaretur, quod etiam ipse professionem regularem emitteret, si propter ingravescentem ætatem genitorum, et eorum indigentiam id facere posset, et sacr. hæc congreg. die 2 Maii præd. anni *affirmative* respondit, « accedente consensu viri canonice præstando, et accedente voto continentiæ ab eo emittendo, donec uxor vixisset, » uti habetur lib. LXXII *Decret.*, fol. 195, a tergo. Sed habito subinde recursu a procuratore viri, et ponderato inter summaria precum lectarum in subsequenti congregat. quod agebatur de viro ignaro, utpote fabro ligniario, et quod, teste ordinario, quicunque aberat metus repetitionis uxoris, quodque votum simplex continentiæ emittendum, injiciebat laqueum conscientiæ prædicti miserabilis, in subsequenti congregatione responsum fuit pro abolitione oneris emittendi votum simplex continentiæ in sæculo.

Ex his ergo, cæterisque per EE. VV. perpendendis, dignabuntur ipsæ decernere:

« 1. An constet de causis restitutionis in integrum, ita ut sit declaranda nulla professio, et quatenus affirmative...

« Dilata, et scribatur juxta instructionem. » Cit. tom. IV *Thesaur.*, pag. 155 et seqq.

Digitized by Google

positum monasterii. — 25. Monialis novitiæ professio potest differri etiam ultra annum, si dotem competentem monasterium adhuc non receperit. Potest tamen admitti ad professionem, antequam solvatur dos. — 26. Superiores regulares circa depositionem, solutionem et implicationem dotis nihil disponere possunt sine licentia ordinarii, sub pœna privationis vocis activæ et passivæ. — 27. Quantitas dotis pro monialibus numerariis non debet esse minor scutis ducentis monetæ Romanæ. — 28. Nisi fundator minorem statuisset. — 29. Et hæc expendi potest in utilitatem monasterii cum sola licentia superioris monasterii. — 30. Præterquam in monasteriis nuper erectis, in quibus etiam dotes numerariæ sunt investiendæ. — 31. Non potest Ordinarius præfigere quantitatem dotis etiam numerariæ, ita ut moniales non possint amplius recipere, si ea major quantitas sponte solvi velit. — 32. Dotes hodie minui non possunt sine licentia sac. congregat. — 33. Pro monialibus supranumerariis solvitur dos duplicata.—34. Dos duplicata quid importet? — 35. Nec de dotibus supranumerariis possunt moniales aliquid condonare. — 36. Investiri debent omnino dotes supranumerariæ. — 37. Etiam capuccinarum. — 38. Velatarum tamen et non conversarum. — 39. In stabilibus, vel iis deficientibus, in censibus securis. — 40. Vel in extinctionem censuum. — 41. Vel in locis montium Urbis non vacabilibus. — 42. Non solet concedi licentia alienandi totam dotem supranumerariam, neque pro causis urgentissimis, sed tantum dimidium cum onere reinvestiendi. — 43. Consumentes, vel expendentes dotes supranumerarias sine licentia, licet in utilitatem, incurrunt excommunicationem, a qua non absolvuntur, nisi cum onere restituendi tantumdem. — 44. Et abbatissa suspenditur ab officio, vel si non est amplius in officio, punitur aliis pœnis : depositarii vero, qui illas exbursaverunt contra tenorem licentiarum, coguntur ad solvendum de novo.—45. In dotibus recipiendis an facienda sit differentia inter terrerias et advenas, et an plus recipi possit a defectuosis, seu minus aptis officiis monasterii, aut volentibus ab ipsis dispensari? — 46. Dotem triplicatam solvit tertia soror, si numerus monialium sit minor 90. Si vero major, admittitur cum duplicata. — 47. Si vero pater sit benemeritus, admittitur etiam cum dote ordinaria. — 48. Quid de tertia sorore senserit sac. congr. Epis. *in una Bracaren.* — 49. Potest ex gratia vestiri monialis intra numerum cum dote ordinaria, non obstante, quod ibi habeat alteram sororem germanam cum multis consobrinis. — 50. Monialis translata ad aliud monasterium, nisi aliud disponat sac. congr. reliquit dotem primo, solvitque novam secundo. — 51. An monialis translata possit secum deferre ad monasterium *ad quod*, vel debeat relinquere monasterio *a quo* bona alia, quæ habet? — 52. Moniales præter dotem monachandæ possunt etiam per pactum aliquid aliud recipere pro sacristia, vel infirmaria, non autem alio titulo. — 53. An excusari possit a Simonia, et ab excommunicatione consuetudo vigens in aliquibus monasteriis, quod præter dotem dentur etiam singulis monialibus aliquæ portiones pecuniæ? et hujusmodi, ad num. 54. — 55. Affertur ad id novissimum edictum Clementis XI complectens constitutionem Alexandri VII et edicta Innocentior. XI et XII ad tenorem extravagant. *Sane* 1, De Simonia. — 56. Expedit ut episcopi in suis diœcesibus faciant observari talem dispositionem. — 57. Insuper curare debent episcopi omnes Italiæ et insularum adjacentium, sicuti et superiores regulares, quod omnimode a monialibus sibi subjectis observentur Clementis IX dispositiones in sequentibus epistolis datæ. Et insuper novissima dispositio Benedicti XIV, ad n. 62. — 63. Episcopus, sive superior regularis non potest recipere munera occasione receptionis habitus, seu emissionis professionis monialium, seu ingressus abbatissæ in officium abbatissatus et hujusmodi. — 64. Episcopus, et quilibet alius superior ordinarius in his transgressor, tenetur ad restitutionem; nec potest absolvi, nisi facta restitutione, etc. — 65. Monialis in particulari nequit neque de licentia ac dispensatione superioris habere peculium, seu aliquid proprium. — 66. Adducuntur ad id variæ resolutiones sac. cong. Concilii, ad n. 68. — 69. Quomodo circa id procedendum sit in monasteriis, ubi non est, nec potest introduci vita communis? — 70. Quomodo partitæ capsæ communis, seu depositi debeant inscribi? — 71. Ut moniales in monasteriis, ubi non adest vita communis, possit licite exigere, retinere et expendere livella, debent concurrere quinque conditiones, quæ assignantur. — 72. Livella non possunt a monialibus et regularibus cedi eorum consanguineis sine licentia sac. cong. — 73. Posse autem moniales et regulares remittere suis consanguineis, vel aliis donare fructus sui livelli cum sola licentia superioris tenent passim doctores. — 74. Imo plures tenent moniales et regulares posse simul cessiones, remissiones, seu donationes fructuum sui livelli facere absque licentia ad id speciali superioris, sed cum sola licentia generali insumendi tales fructus in suas indigentias et religiosos usus. — 75. Intellige tamen de cessione, seu donatione fructuum livelli non ascendentium ad magnam summam. — 76. Monialis ex pecunia sui livelli, seu aliunde quæsita nequit sibi censum emere, seu constituere, neque de licentia abbatissæ. Imo neque ipsam pecuniam tradere monasterio cum pacto, seu tacita conventione, quod monasterium certos reditus ad rationem tot pro centenario, ejus vita durante, concedat, seu solvat. — 77. Neque potest monialis ex peculio sui livelli, vel aliunde quæsito, et sibi libere a superiore concesso fundare censum, ut ex fructibus post ejus mortem celebrentur missæ pro ejus anima. — 78. Nec potest monialis tradere amico certam summam pecuniæ ex suo livello, seu aliunde quæsitæ cum pacto, quod post ejus mortem faciat celebrari tot missas. — 79. An possit monialis dictam pecuniam ex suo livello, seu aliunde quæsitam proprio usui concessam donare alteri cum onere, ut statim celebrentur singulis annis aliquæ missæ in perpetuum? — 80. Sub quibus conditionibus soleat sacra congregatio concedere monialibus et regularibus facultatem habendi livella, seu vitalitia. — 81. Adducuntur ad id variæ specificæ resolutiones sacr. congreg. ad n. 82. — 83. Legatum relictum moniali, seu regulari in particulari sub conditione, quod quandiu vivit, pertineat irrevocabiliter ad eam, vel eum, independenter a licentia superiorissæ, seu superioris, non debetur ipsi moniali, seu religioso, sed monasterio, et talis conditio habetur pro non adjecta. — 84. Imo legatum relictum moniali, seu regulari nec momento temporis potest esse apud eam, vel eum, sed illico acquiritur monasterio. — 85. Nec moniales et regulares in particulari possunt habere, seu de se retinere legata, præsertim si sint in bonis stabilibus, neque de licentia quorumcunque suorum superiorum. — 86. Imo talis licentia, etiamsi esset obtenta ab eorum generalibus, qui dicerent eam posse concedere, non excusaret moniales, et fratres a culpa, et pœna a Tridentino imposita. — 87. Adducitur advertentia diligenter habenda. — 88. Insuper adducitur conclusio doctissimi Fagnani semper attendenda. — 89. Livella monialium administrari non possunt a se ipsis. — 90. Monialis et regularis transiens de uno monasterio ad aliud defert secum livellum ad secundum monasterium. — 91. Monialis, an, et quomodo pecuniam ex suo livello, et aliunde quæsitam possit ludo exponere? *remissive.* — 92. Alia de livellis, et annuis reditibus, *remissive.* — 93. Episcopus, vicarius generalis, quilibet alius prælatus et officialis,

Digitized by Google

seu deputatus nihil accipere potest pro ingressu, et professione monialium, pro exploratione, pro approbatione, depositis dotibus, pro licentiis, et hujusmodi. — 94. Additur attendenda ad rem notabilis resolutio sacræ congreg. Episcoporum et Regular. — 95. Alia ad rem ad num. 99. — 100. Subnect. *Addit. ex aliena manu* ad num. 112.

(1. In unoquoque monasterio ille præfigendus est monialium numerus, qui ex reditibus, vel consuetis eleemosynis commode sustentari valeat; textu expresso in concil. Trid., sess. XXV. *De regularibus et monial.*, cap. 3, S. Pius V, constit. incip. *Circa pastoralis officii;* Gregor. XIII, const. incip. *Deo sacris;* Clemens VIII, constit. incip. *Nullus omnino;* Paulus V, constit. incip. *Sanctissimus;* sacra congr. Concilii in decretis *De celebratione missarum*, jussu et auctoritate Urbani VIII editis incip. *Cum sæpe contingat;* Innocentius XII, constit. incip. *Nuper*, ubi confirmat, innovat, et ampliat dicta decreta sacræ congregationis Concilii jussu et auctoritate Urbani VIII edita, et de suo mandato ab ead. sacra congreg. denuo mature et accurate discussa, recognita et examinata.

(2. Numerus monialium præfigendus est etiam in monasteriis bona immobilia non possidentibus, textu expresso in concil. Trid., *loc. cit.*, ibi : « In prædictis autem monasteriis, et domibus tam virorum, quam mulierum bona immobilia possidentibus, vel non possidentibus is tantum numerus constituatur, ac in posterum conservetur, qui vel ex reditibus propriis monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis commode possit sustentari. » Cit. decr. sacr. congreg. Concil. et constit. Innoc. XII incip. *Nuper.* (3. Numerus monialium præfigendus est ab episcopo in monasteriis non exemptis et in monasteriis exemptis, et regularibus subjectis præfigendus est ab episcopo cum interventu superiorum suorum Greg. XIII, const. 8 incip. *Deo sacris.*

(4. Numerus monialium præfigendus est, et servandus, etiamsi omnes moniales consentirent velle recipi supra numerum cum eleemosynæ duplicatæ solutione. Sac. cong. Episc. et Regul. *in Cremonen.* 12 Julii 1604. (5. Alias attento jure antiquo in c. *Periculoso*, unic. *De statu regular.*, in 6, § *Sane*, receptio, et professio monialis receptæ supra numerum in monasteriis non mendicantium esset nulla, ibi : « Sane ut hoc salutare statutum commodius valeat observari, districtius inhibemus, ne in monasteriis ordinum non mendicantium recipiantur de cætero in sorores, nisi quot poterunt de ipsorum monasteriorum ordinum bonis, sive proventibus absque penuria sustentari : si secus actum fuerit irritum decernentes. » Hodie tamen, ut recte notant Sanchez, *in Præcepta Decalogi*, t. II, lib. VII, c. 23, num. 4, vers. *Secunda conclusio;* Barbosa, *in concil. Trid.*, sess. XXV, *De regular. et monialib.*, cap. 3, n. 26, et alii, tale jus irritans professionem monialium receptarum supra numerum locum non habet, quia consuetudine abrogatum est; cum compertum sit plures sæpe admitti, nec unquam nostris temporibus auditum sit in controversiam verti valorem professionis, et de facto non esse nullam talem professionem censuit sac. cong. Concil. teste Fagnano, l. III *Decretal.*, in cap. *Non amplius* 1, De institutionibus, n. 32.

(6. Numerus monialium debet esse saltem duodecim. Sac. cong. Episc. et Regular. *in Camerinen.* 18 Dec. 1600 et 22 Julii 1601, et cit. decret. sacræ congregationis Concilii *De celebr. missar.* et Innoc. XII d. const. incip. *Nuper.* (7. Nec numerus monialium debet esse major numero cellarum monasterii. Sac. cong. Episc. et Regul. *in Vicentina* 30 Julii 1627. (8. In præfixione numeri distingui debent separatim, quot debeant esse moniales velatæ, quot conversæ, et quot aliæ personæ exteræ monasterii reditibus sustinendæ. Sacra congr. Episc. et Regul. *in Placent.* 6 Novembr. 1695; *in Comen.* 23 Julii 1602; *in una Civitat. Castelli* 13 Maii 1603; *in una Nullius Castri Durantis* 29 Augusti 1614. (9. Numerus conversarum calculatur ad unam pro septem monialibus, sed choralium regulatur secundum proventus monasterii. Sac. cong. Episc. *in Camerinen.* 21 Feb. 1620.

(10. Reditus ut plurimum requiruntur triceni aurei pro qualibet. Sac. cong. Episc. *in Ariminen.* 26 Mart. 1602, et *in Aquen.* 17 Sept. ejusdem anni. In quibusdam locis quinquageni. Ead. sac. cong. Episcop. *in Neapolitana* 19 Jun. 1601. In aliis viceni quini. Eadem sacra congr. Episcop. *in Perusina* 12 mart. 1602 et 27 Januar. 1607. (11. Inter hos tamen reditus non sunt computanda lucra monialium, licet ponantur in communi. Sacr. congr. Episcop. *in una Burgi S. Sepulcri* 26 Novembr. 1602; *in Aquilana* 12 Januar. 1604. (12. Ubi exitus major est introitu, reducitur numerus ad proportionem, prohibendo, ne interim recipiantur ad habitum, nisi cum licentia sacræ congregationis, et dote duplicata. Sacra congr. Episc. *in Panormitana* 29 Januar. 1601, *in Perusina* 5 Feb. 1602; *in Aquilana* 12 Januar. 1604, et *in Camerinen.* 3 Februarii ejusdem anni; Gregor. XIII, constitut. incip. *Deo sacris.*

(13. Adest prohibitio vestiendi et profitendi in monasteriis, ubi non est numerus præfixus. Sacr. congr. Episc. et Regul. *in Tricaricen.* 3 Februarii 1602; *in Reatina* 6 Augusti ejusdem anni; *in Interamnen.* 16 Mart. 1604; *in Placentina* 5 April. ejusdem anni, et *in Tranen.* 27 Julii ejusdem anni. Neque moniales in dictis monasteriis recipi possunt cum licentia sacræ congregationis, quæ non derogat in specie præsenti prohibitione. Ead. sacr. congr. Episcop. *in Reatina* 23 Julii et 25 Octob. 1602. Sicuti derogari solet, quando pro monachanda offertur depositum conditionale duplicatum. Ead. sacr. congr. Episc. *in Eugubina* 28 Aprilis 1645.

(14. Numerus augeri non potest ab ordinario sine licentia sacræ cong. Ead. sac.

Digitized by Google

cong. Episcop. *in Brundusina* 12 Mart. 1602; *in Lauretana* 27 Jul. 1604, et 23 Jul. 1649. Neque sub prætextu augmenti reddituum. Cit. decret. sacræ congreg. Concil. *De celebrat. missar.*, et Innocent. XII, d. constit. incip. *Nuper;* quæ licentia non conceditur, nisi redditus ita sint aucti, ut quotannis ultra triginta aureos annuos sit aliquid reliqui. Ead. sac. congreg. Episc. *in Regien.* 29 Nov. 1605.

(15. Monialis supranumeraria non potest admitti sine licentia sacræ congregationis. Sacr. congreg. Episcop. 6 Februar 1616; Gregor. XIII, constit. incip. *Deo sacris.*

(16. Moniales supranumerariæ non subrogantur in locum monialium decedentium intra numerum, sed semper remanent supranumerariæ. In cæteris tamen ab aliis non differunt, sed illis per omnia sunt æquales, ut decreto generali declaravit sacr. cong. Episc. et Regul. 6 Septemb. 1604; apud Fagnan., l. III *Decretal.*, in cap. *Non amplius* 1, De institutionibus, n. 48 et 49, his verbis: « Sacra congr. negotiis Episcoporum et Regularium præposita, generali decreto statuit, et declaravit, moniales, quæ supra numerum in quolibet monasterio constitutum recipiantur, in locum monialium decedentium intra numerum nequaquam subrogari, neque impedimento esse, quin aliæ in locum earumdem ex numero demortuarum recipi eo modo valeant, quo in singulis monasteriis moniales intra numerum possunt admitti. Quinimo eas tem sic supra numerum receptas supernumerarias semper quod hoc remanere, etiamsi in cæteris ab aliis nihil differant, sed illis in omnibus, pares, et æquales juxta cujusque monasterii institutum esse debeant. »

(17. Loca monialium intra numerum decedentium non possunt concedi, aut promitti cuiquam puellæ ante vocationem, sub pœna privationis vocis activæ et passivæ, aliisque arbitrio sacræ congregationis infligendis pœnis superioribus, et superiorissis talia vacatura loca concedentibus, aut promittentibus. Sic decrevit sacr. congreg. Episcop. et Regul. apud Fagnan., in d. cap. *Non amplius*, n. 43 et seq., et apud Quaranta, in *Summ. bullar.*, verb. *Monasteria monialium*, pag. 359; Tamburin., *De jure abbatiss.*, disp. 5, quæst. 7, n. 8, ubi affert decretum per extensum.

(18. Moniales velatæ absque dote non debent admitti; conversæ vero aliquando possunt sine dote admitti propter necessitatem et indigentiam monasterii. Sacr. congregat. Episcop. 20 Mart. 1594. Dotem enim monialis recipere simoniam non esse, et monasterium agere posse pro illius consecutione, respondit novissime sac. congregat. Concil. *in Bononien.* 15 April. 1725, et prius die 18 Septem. 1663, *in Causa Belgii.* (19. Dotales eleemosynæ debent solvi in ære, nec potest permitti assignatio bonorum stabilium, aut censuum. Sac. congreg. Episcop. *in Camerinen.* 28 Martii 1588; *in Interamnen.* 2 Maii 1614. (20. Et nullatenus apud monialium consanguineos sunt relinquendæ, sed antequam puellæ habitum suscipiant, penes mercatorem, aut virum fide, et facultatibus idoneum actualiter sunt deponendæ (ubi non adsunt *Banchi*) qui ad omne monialium mandatum absque aliqua exceptione soluturum se obliget. Sac. congreg. Episc. *in Camerinen.* 15 Martii 1594; *in Neapolitana* 11 Maii 1640, 10 Januarii 1643, 20 Januarii 1645.

(21. Ordinarius compellere non debet, ut depositum fiat coram ipso, sed sufficit sibi relationem fieri de persona depositarii et notarii rogandi. Sac. congreg. Episc. *in Vercellen.* 15 Novemb. 1606. Etiam in monasteriis regularibus subjectis. Ead. sac. cong. Episc. *in Fulginaten.* 26 Augusti 1550. (22. Instrumentum depositi rogari potest a quolibet notario ad arbitrium monialium, dummodo exhibeatur copia authentica in cancellaria episcopali. Ead. sac. cong. Episcop. *in Aquilana* 8 Novemb. 1652. (23. Depositum dotis debet esse effectivum, non autem fictitium, sive confessionatum (ut sæpe fit), alias, si depositum, secuta professione, exigi non posset, et pecunia, quæ forte realiter non fuit deposita, integraliter monasterio non solveretur, episcopus, si fictionis esset conscius, teneretur de proprio. Sacr. cong. Episcop. *in Portugallen.* 6 Julii 1615, et *in Brundusina* 15 Januarii 1616.

(24. Depositarius, secuta professione, compelli debet ad exbursandam pecuniam in commune depositum monasterii, vel in montem pietatis, non obstante, quod tunc non adsit occasio emendi stabilia, vel census securos. Sacra congr. Episcop. *in Asculana* 16 Januarii 1630. (25. Monialis novitiæ professio potest differri etiam ultra annum, si dotem competentem monasterium adhuc non receperit. Sac. cong. Episc. 31 maii 1597. Potest tamen admitti ad professionem, antequam solvatur dos. Ead. sacr. cong. *in Nucerina* 14 Febr. 1653.

(26. Superiores regulares circa depositionem, solutionem et implicationem dotis nihil disponere possunt sine licentia ordinarii sub pœna privationis vocis activæ et passivæ et officiorum. Gregor. XV, constit. 18, incip. *Inscrutabili*, et sac. cong. Episc. et Regular. *in Dertonen.* 15 Nov. 1652, et sæpe alibi.

(27. Quantitas dotis pro monialibus numerariis non debet esse minor scutis ducentis monetæ Romanæ. Sac. congr. Episc. et Regul. *in Ferentina* 12 Septembris 1614, *in Forolivien.* 1 Septembris 1645. (28. Nisi fundator minorem statuisset. Eadem sacr. congreg. Episcopor. *in Reatina* 3 Aprilis 1618. (29. Et hæc expendi potest in utilitatem monasterii, cum sola licentia superioris monasterii, Monacell., part. II, tit. 12, formul. 5, n. 3, in fine. Ead. sacr. congr. Episcop. *in Ariminen.* 22 Maii 1601; *in Ferrarien.* 23 Mart. ejusdem anni. (30. Præterquam in monasteriis nuper erectis, in quibus etiam dotes numerariæ sunt investiendæ. Ead sac. congr. Episc. *in Capacien.* 23 Julii 1603. (31. Non potest ordinarius præfigere quantitatem dotis etiam numerariæ, ita ut moniales non possint

Digitized by Google

amplius recipere. Eadem sac. cong. *in Bononien.* 8 Novemb. 1604. Si ea major quantitas sponte solvi velit. Ead. sac. cong. *in una Civitatis Castellanæ* 3 Decemb., et *in Aretina* 17 Decemb. ejusdem anni. (32. Dotes hodie minui non possunt sine licentia sac. cong. Ead. sac. cong. Episc. 1 Decemb. 1645.

(33. Pro monialibus supranumerariis solvitur dos duplicata. Sac. cong. Episc. *in Novarien.* 20 Septemb. 1594; *in Voloterrana* 22 Aug. 1605. (34. Dos duplicata significat duplicatam summam ejus, quæ in receptione monialis intra numerum dari consuevit, ita tamen, ut ubi summa minor est ducentis scutis, ibi saltem solvantur 400 et non minus. Eadem sacra congreg. *in decreto generali* 6 Septemb. 1604. Nunquam enim potest esse minor scudis quadringentis monetæ Romanæ. Eadem sac. congreg. *in Amelien.* 8 April 1603; *in Anconitana* 12 Maii 1603; *in Ferentina* 12 Septembris 1614; *in Eugubina* 6 Novemb. 1643, et sæpe alibi. (35. Nec de dotibus supernumerariis possunt moniales aliquid condonare. Ead. sac. congr. *in Reatina* 22 Aprilis 1603.

(36. Investiri debent omnino dotes supranumerariæ Ead. sac. congr. Episcop. *in Castellana* 25 Jul. 1574; *in Mediolan.* 22 Martii 1602, et sæpe alibi. (37. Etiam Capuccinarum. Ead. sacra congr. *in Lauretana* 13 Martii 1603. (38 Velatarum tamen, et non conversarum, quia præceptum investiendi dotes supranumerarias intelligitur solum de choralibus. Eadem sac. cong. *in Parmen.* 15 Sept. 1603; *in Fulginaten.* 14 Novemb. 1625, et sæpe alibi. (39. In stabilibus, vel, iis deficientibus, in censibus securis. Ead. sac. cong, *in Ferrarien.* 14 Novembr. 1601. (40. Vel in exstinctione censuum. Eadem. sac. congreg. *in Pistorien.* 12 Julii 1604. (41. Vel in locis montium Urbis non vacabilibus. Ead. sac. congreg. *in Comen.* 23 Julii 1602. Si vero cum licentia sacræ congregationis assignata fuerint in dotem loca montium vacabilia, vendi debent, et pretium investiri. Eadem sacra congr. *in Camerin.* 8 Aprilis 1603.

(42. Non solet concedi licentia alienandi totam dotem supranumerariam, neque pro causis urgentissimis, sed tantum dimidium cum onere reinvestiendi. Ead. sac. cong. *in Brixien.* 23 Februarii 1603; *in Perusina* 13 Jan. (43. Consumentes, vel expendentes dotes supranumerarias sine licentia, licet in utilitatem, incurrunt excommunicationem, a qua non absolvuntur, nisi cum onere restituendi tantumdem. Ead. sacr. congr. *in Aretina* 24 Martii 1597; *in Cremen.* 27 Septembr. 1601. (44. Et abbatissa suspenditur ab officio, vel si non est amplius in officio, punitur aliis pœnis; depositarii vero, qui illas exbursaverunt contra tenorem licentiarum, coguntur ad solvendum de novo. Ead. sacr. congr. *Mediol.* 4 Augusti 1603.

(45. In dotibus recipiendis nulla est facienda differentia inter terrerias et advenas. Sacra congr. Episc. et Regul. 3 Sept. 1616, apud Tamburin., *De jure abbatiss.*, disput. 5, quæst. 7, n. 5, et Gavant. in *Manual. epi-*

scop., verb. *Monialium novitiarum alimenta*, n. 12. Cardinalis tamen Petra tom. III, *Comm. ad constitut.* 12 *Innocent. IV*, n. 52, dicit, id alicubi ex justo motivo non servari, adeoque in hoc servandam esse consuetudinem, sicuti servanda est in exigenda majori dote pro recipienda aliqua defectuosa, seu minus apta officiis monasterii, aut quæ velit ab ipsis dispensari, arg. cap. *Cum consuetudinis* 9, et cap. *Cum tant.* 11, De consuetudine, l. *Nam imperator* 38, ff. *De legib.* Consuetudo enim, quæ sic servari videtur, est optima legum interpres, cap. *Cum dilectus* 8, De consuetud., l. *Si de interpretatione* 37, ff. *De legib. Vide* ipsum, *loc. cit.*, a n. 48 ad 51, ubi allegat. card. de Luca et alios, Rosignolum, *De dote* part. II, fol. 233, n. 8 et 9, et alios ab ipso citatos.

(46. Dotem triplicatam solvit tertia soror, si numerus monialium sit minor 90. Si vero major, admittitur cum duplicata. Sacra congregatio Episcop. *in Bononien.* 25 April. 1662 (47. Si vero Pater sit bene meritus, etc., admittitur etiam cum dote ordinaria. Eadem sac. congreg. *in una Venetiarum* 26 Octobris 1604; *in Faventina* 12 Martii 1608. (48. In Bracarensi autem 27 Augusti 1616 sic rescripsit illi archiepiscopo : « Utique hæc sacra congregatio, et infra : Aut igitur tertia soror intra præfinitum monialium numerum in monasterium introducenda est, aut supra illum; si ut numerata ingredi voluerit, eleemosynam totalem duplicatam monasterio persolvat; suffragioque tam activo, quam passivo carebit, quousque altera ex duabus ejus sororibus e vita decesserit; si ut vero supra definitum monialium numerum admitti petierit, speciali sacræ hujus congregationis licentia opus erit, quæ quidem concedi non solet, nisi ex conditione, ut ipsa tertia soror triplicatam eleemosynam dotalem monasterio solvat, nec reliquis ejus duabus sororibus simul superstitibus, activo, vel passivo suffragio gaudeat. »

(49. Potest ex gratia vestiri monialis intra numerum cum dote ordinaria, non obstante, quod ibi habeat alteram sororem germanam cum multis consobrinis. Sacra congregat. Episcopor. *in Vercellen.* 14 Maii 1601; *in Imolen.* 19 Novembris 1620. Etsi de rigore justitiæ, secunda soror deberet solvere dotem duplicatam. Eadem sacra congreg. *in Aretina* 27 Octob. 1603.

(50. Monialis translata ad aliud monasterium, nisi aliud disponat sacra congregatio, relinquit dotem primo, solvitque novam secundo. Sacra congreg. Episcop. *in Viterbien.* 2 Augusti 1580; *in Neapolitana* 20 Julii 1583; *in Paduana* 20 Martii 1601; *in Tropien.* 25 Februarii 1603; *in Concordien.* 4 Martii ejusdem anni; *in Messanen.* 29 April. ejusdem anni; *in Carmelitar. discal.* 3 Aug. 1635.

(51. An autem monialis translata possit secum deferre ad monasterium *ad quod*, vel debeat relinquere monasterio *a quo* bona alia, quæ habet? Attendenda est dispositio sacræ congregationis in concessione facultatis transeundi, quæ juxta varias circum-

Digitized by Google

stantias varie solet demandare : in dictis enim *Neapolitana, et Carmelitar. discalceat.* et aliis citatis statuit, etiam alia bona monialis translatæ debere remanere monasterio *a quo* sicuti solet etiam statuere in transfiliationibus regularium, nempe quod bona, et jura quæsita remaneant integre, et illibata conventui *a quo*, ut *in Neapolitana* 20 Januar. 1719, in causa baccalaurei Anselmi Viana Minoris Conventualis, et sæpe alibi. Imo quandoque solet etiam demandare, ut aliqua pars livelli remaneat monasterio *a quo*, ut practicavit *in Neapolitana.* 13 Aug. 1714, *ponente eminentiss. card. Corsino*, ex post Summo Pontifice, in qua duabus monialibus ex familia Caracciola concessit gratiam transeundi a monasterio S. Pontii ad aliud S. Josephi, « Injuncta tamen obligatione subministrandi quotannis monasterio S. Josephi, vita durante monialium transferendarum, ducatos 40 pro qualibet; » remanentibus decem ducatis pro qualibet primo monasterio, quia livellum dictarum monialium erat ducat. 50. Sic apud Ursayam, tom. III, part. II, discept. 1, § 22, n. 29; Monacell. autem, part. I, tit. 11, formul. 7, n. 12, tenet, et refert, quod eadem sacra congr. Episcop. statuit, quod monialis translata deferat ad monasterium *ad quod* alia bona, si quæ habet, relicta solummodo prima dote monasterio *a quo*, ut sequendo opinionem card. de Luca, *De regularib.*, disc. 39, n. 17, tenuit sac. cong. Episc. referente eminentiss. card. Tanara *in Hispal. transitus* 23 Januarii 1699. *Vide* ipsum Monacell., p. II, tit. 13, formul. 5, an. 21 usque in finem, ubi affert varia decreta ad rem, et plura notabilia adducit.

(52. Moniales præter dotem monachandæ possunt etiam per pactum aliquod aliud recipere pro sacristia, vel infirmaria, non autem alio titulo. Monacell., p. I, tit. 11, form. 7, n, 9, ubi refert quod sic declaravit sac. cong. Episcop. *in Ulyssipon.* 5 Novembr. 1616, Papæ oraculo, ibi : « Sanctissimus D. N. censuit, eleemosynas, quæ per pactum sacristis, et infirmariis monasteriorum monialium dari solent, non comprehendi in decreto, quo propinarum solutio per moniales, dum ad habitum, vel ad professionem admittuntur, fieri solita, interdicitur. »

(53. An autem excusari possit a simonia, et ab excommunicatione consuetudo vigens in quibusdam monialium monasteriis, quod præter dotem novitiæ datam monasterio, dentur etiam singulis monialibus aliquæ portiones pecuniæ, quas propinas vocant, ut v. g. quatuor, vel duo argentei, una candela, unum linteum, et hujusmodi? Variant doctores. Quod talis consuetudo excusari possit, tenent Sanchez, in *Opusc.*, lib. II, cap. 3, dub. 23, n. 6; D. Cajetanus de Alexandris, *in Confessario monialium*, cap. 2, § 5, q. 6; Pignatell., tom. VII, consult. 90, n. 23, ubi sic expresse ait : « Hæc autem consuetudo nulla alia ratione mihi videtur posse a simonia excusari, nisi asserendo dotem, quæ exigitur ad sustentationem monialis, non consistere in indivisibili, sed sicut taxari potest sexcentis ducatis, etiam taxari potest sexcentis et quinquaginta distributis hoc modo, ut sexcenta applicentur communitati, seu monasterio, et alia quinquaginta distribuantur inter moniales, singulis dando illos quatuor, vel duos argenteos, candelam, linteum, et hujusmodi, ut suis necessitatibus subveniant. » Sic præcise Pignatell., *loc. cit.*, et, ipso citato, Cajetanus de Alexandris, et in hoc sensu posse excusari tenent etiam alii. Dummodo tamen in his moderatio adhibeatur, et saltem, si propter consuetudinem recipiuntur, non negentur spiritualia, etiamsi illa non dentur, sed servetur modus illa petendi præscriptus in cap. *Ad Apostolicam* 42, De simonia, ut recte advertunt Suarez tom. II, *De relig.*, lib. IV, *De simonia*, cap. 17, n. 18; Cajetan. de Alexandris, *loc. cit.*; Pignatell., *loc. cit.*, n. 14, et alii.

(54. Multi tamen, ut videre est apud monacell., part. III, tit. 4, § *De excommunic.* 1; Pignat., cit. consult. 90, a n. 23; Bonac, *De simonia*, qu. 7, § 4, n. 11; Barbosa, *in Extravagant. Sane* 1, *De simonia*, n. 3, docent, quod talis consuetudo excusari non possit, et huic opinioni favet decretum sac. cong. Episc. et Regul. quæ die 2 Julii 1589 et *in Lusitana* 6 Junii 1615 ad 2 propinarum, seu munerum largitionem monialibus faciendam, tam in ingressu, seu in suscipiendo habitum regularem, quam in professione emittenda, tanquam abusum omnino abrogari mandavit, ac prohibuit sub pœna etiam censurarum. Sic refert Pignat., cit. consult. 90, n. 33, et clare Extr. *Sane* 1, *De simonia*, ubi Urban. IV ad eliminandum simoniæ crimen, quod occasione ingressus in religionem cum fidelium scandalo, et damno committebatur (relictis in suo robore pœnis a jure statutis) districtius inhibuit omnibus regularibus utriusque sexus per hæc precisa verba : « Ne tam a maribus, quam a mulieribus volentibus ingredi eorum religiones, ecclesias, monasteria, prioratus, domus, seu loca in earumdem personarum receptione, aut ante, vel post illam, quoscunque pastus, prandia seu cœnas, pecunias, jocalia, aut res alias etiam ad usum ecclesiasticum, seu quamvis pium alium usum deputata, vel deputanda directe, vel indirecte petere, vel exigere quoquomodo præsumant... Illa duntaxat, quæ personæ ipsæ ingredientes pure et sponte et plena libertate, omnique pactione cessante, dare, vel offerre ecclesiis, monasteriis, prioratibus, et domibus hujusmodi voluerint, cum gratiarum actione licite recepturi; Nos enim, qui secus egerint, si sint singulares personæ, tam dantes, quam recipientes, hujusmodi excommunicationis, etsi capitulum, vel conventus fuerit, suspensionis sententiis eo ipso decernimus subjacere, a quibus præterquam in mortis articulo absolvi nequeant absque Sedis Apostolicæ licentia speciali. » Unde quod non liceat aliquid peti, seu exigi, neque titulo eleemosynæ pro admittendis ad habitum, et professionem regularem, petet etiam ex declaratione sacræ congrega-

Digitized by Google

tionis Concilii, quæ *in una Leodien. pro PP. Carmelitis calceatis huic quæsito pro moribus facto* 9 Februar. 1697 respondit : « servetur dispositio juris. » Sic refert Monacell. part. I, tit. 11, formul. 7, n. 8. De jure autem est, quod religiosi, et religiosæ non possunt, nec debent pretio recipi in monasterium, cap. *Quoniam* 40, De simonia, et cit. Extravagant. *Sane* 1, *De simonia*. *Vide* verb. NOVITIUS, art. 2, a n. 20 ad. 23.

(55. Unde jure merito in constit. Alex. VII incip. *Pro commisso* ; et in edictis Innocent. XI anno 1676 et 1684, et Innocent. XII, anno 1692, et Clement. XI, anno 1702, in Urbe publicatis prohibentur expresse monialibus sub pœnis privationis vocis activæ et passivæ et officiorum, ipso facto incurrendis, ea omnia, quæ in dicta Extrav. 1, *De simonia* continentur, aliaque de novo statuuntur pro monachandis in monasteriis Urbis, quæ ut ab omnibus præ oculis habeantur, datur hic ad litteram edictum Clementis XI supradicta complectens.

EDICTUM.

Pro puellis admittendis ad habitum monasticum, et novitiis regularem professionem emissuris.

« GASPERO, per la misericordia di Dio vescovo di Sabina, della S. R. C. cardinale Carpegna, della Santità di N. Signore vicario generale ec.

« La Santità di nostro Signore ordina, che le RR. Madri abbadesse, priore, superiore, camerlenghe, altre officiali, monache, ed oblate tutte dei monasteri di Roma senza veruna eccezione debbano osservare, tener affissi, e leggere nei tempi assegnati, cioè nella prima Domenica dell'Avvento, e terza dopo la pentecoste la costituzione della santa memoria d'Alessandro VII emanata li 24 settembre 1657, per moderare le vane, e superflue spese ne' suddetti monasterj, e transportata per maggior intelligenza, e per non andar in disuso, in volgare. Ed in oltre gli editti pubblicati da noi per ordine della S. M. d'Innocenzo XI, li 19 Novembre 1676, e li 28 Febraro 1684, incaricando specialmente la Santità Sua quel che nell' ultimo editto diffusamente si dichiara circa le zitelle d'ammettersi all' abito, e le novizie alla professione, cioè che nè le medesime, nè li loro parenti, o alcun altro in nome delle suddette possano dare cosa alcuna per occasione di dette funzioni, nè in denaro, nè in spezie tanto alle suddette superiore, officiali, monache, converse, novizie, educande, quanto al confessore, fattori, ed altri ministri secolari, o regolari sotto le pene, a chi contravenisse, tanto nel dare, come nel ricevere contenute nella detta costituzione apostolica, ed editti, che sono la privazione delli loro offizj alle superiore, e della voce attiva, e passiva all' altre monache, riservata al Sommo Pontefice, ed altre pene a nostro arbitrio, e parimente, che in occasione delle nominate funzioni non si faccia pompa alcuna d' apparati fuori della chiesa, ma che si adorni al di dentro con gli apparati, argenti, e supellettili del medesimo monastero; permettendosi solo, che a titolo d'una moderata ricreazione si contribuisca dalle dette zitelle, o novizie, o da' loro parenti una limitata somma da arbitrarsi dalla superiora di ciaschedun monastero con nostra approvazione (dove però vi è l' uso) e che non ecceda la quantità di quattro giulj per ciascheduna di quelle, che commorano ne' monasterj, e devono participare di detta ricreazione; di più si diano solo le candele necessarie per la chiesa in quella funzione, ed una candela a ciascheduna monaca, che non dovrà eccedere il peso di mezza libra; ed acciò non si manchi alla puntual osservanza, come Nostro Signore con sommo suo dispiacere ha sentito, che si trascura in alcuni monasterj di quest' alma città in gran pregiudizio dell' osservanza regolare, e della vocazione di tante oneste zitelle, che per l' eccessività delle dette vane spese non abbracciano lo stato religioso; la santità sua coll' oracolo della sua viva voce ci ha incaricato di far precetto formale di sancta obbedienza, siccome facciamo a tutte le RR. Madri abbadesse, superiore, offiziali, monache, ed obblate, ancorchè non abbiano clausura, o voti, che oltre le cose suddette permesse non ardiscano pigliar altro, sia denaro, o qualunque roba in specie dalle zitelle, quando pigliano l' abito, nè dalle novizie per causa, o quando fanno la professione, nè dalli parenti delle medesime, nè da altri in nome loro per qualsivoglia tempo prima, o dopo le dette funzioni sotto qualunque titolo, colore, o pretesto, sia mancia, regalo, offerta, o altro anche volontariamente dati, non ostante qualsisia consuetudine, uso, o pratica in contrario, quale dichiariamo abuso, riservando a noi la facoltà di assolvere quelle, che contraverranno, il che non faremo, se non seguita l' effectiva restituzione di quel che han ricevuto; volendo Sua Santità, che non le possano assolvere li confessori ordinarj o estraordinarj, secolari o regolari in qualunque modo privilegiati.

« Alli suddetti confessori, deputati, fattori, ed altri ministri, s' ingiunge sotto pena della privazione de' loro offizj, ed altre pene anche più gravi ad arbitrio nostro, di non dover pigliare cosa alcuna, come sopra, dalle zitelle, che pigliano l' abito, nè dalle novizie, che professano.

« Di più che alle abbadesse, o superiore, quando sono elette, non si dia il possesso dei loro offizj, se prima non giurano avanti di noi, o del nostro deputato di osservar, e di far osservare per quel, che spetta, o dipenpa da loro, quanto di sopra si è ordinato circa le mancie, offerte, e regali in ordine alle zitelle, e novizie suddette : E che ogni volta, che qualche zitella dovrà prendere l'abito, o che la novizia dovrà professare, prima che si spedisca la licenza, debba notificarsi alle medesime, quando si esplora la loro volontà, ed alli parenti da parte di N. S. l'ordine di non dare cosa alcuna, fuor-

Digitized by Google

chè la dote, e le cose suddette permesse.

« Finalmente è intenzione della Santità Suà, che le zitelle da vestirsi vadino in quel giorno alla chiesa con habito modesto, senza gioie, ed altri abbellimenti, o pompe, che impediscono, e distraggono dalla divozione, con che si deve ricevere il sagro abito religioso, e tanto queste prima di pigliar l'abito, quanto le novizie prima della professione debbano fare gli esercizj spirituali secondo gli ordini emanati dalla sancta memoria d'Innocenzo XI.

« Intende anche expressamente la Santità di N. S. che, siccome la sudetta costituzione Apostolica, ed i nostri passati editti, così la disposizione del presente sia universale a tutti i monasterj di quest' alma città, compresi quelli, che hanno protettori particolari di qualsivoglia grado, qualità, o condizione, anche se fossero gli eminentissimi signori cardinali, ovvero, che n'abbiano la cura i regolari, e che si debbe procedere da Noi all' esecuzione delle pene in esso contenute, non solamente contro le religiose, che in qualunque modo trasgredissero, ma contro gli suddetti confessori, deputati, fattori, sagrestani, ed altri ministri secolari o regolari, se ricevessero cosa alcuna dalle suddette zitelle, e novizie, rispettivamente nelle occasioni di sopra espresse, e contro qualisisia altra persona di quasilvoglia grado, e condizione, che concorresse alle dette spese, col dare, o procurare in prestito apparati, argenti, e suppellettili per le nominate funzioni, con facoltà di procedere tanto a pene pecuniarie, come corporali a nostro arbitrio secondo la gravità della trasgressione.

« Volendo, che il presente nostro editto, notificato che sarà in ciaschedun monastero, obblighi tutte, non solo al presente, ma in avvenire, come se fosse loro personalmente intimato, e per togliere ogni abuso, che potesse mai introdursi in contrario, ordiniamo, che si tenga affisso, e si legga in refettorio colla suddetta costituzione Apostolica, e con gli editti ne' tempi assegnati, come sta espresso di sopra.

« Dato dalla solita nostra residenza questo dì 2 Marzo 1702.

« G., card. vicario.

« N. A. Cuggiò, segr.

« Io infrascritto mandatario dell' eminentissimo signor cardinal vicario ho portato li suddetti ordini alli monasterj di Roma alli cinque Marzo.

« Santi Fabri. »

(56. Hinc multum expedit, et prope necessarium videtur, quod ordinarii locorum in suis diœcesibus curent exemplo episcopi Urbis, et orbis, ut moniales servent dispositionem dictæ Extravagant. *Sane* 1, *De simonia*, d. constit. Alexandri VII. incip. *Pro commisso*, et dictorum edictorum Innocentii XII et Clementis XI quorum ultimum, ut alia complectens, fuit supra ad litteram datum : Et sic cessabunt pericula simoniæ, et incursus censurarum; sic monent Pignatell., cit. consult. 90, n. 24; Monacell., part., III, tit. 4, *De censur. contra monial.*, formul. 1, num. 6, et alii.

(57. Insuper curare debent episcopi omnes Italiæ et insularum adjacentium, sicuti et superiores regulares, quod omnimode a monialibus sibi subjectis observentur sequentes Clementis XI ordinationes.

EPISTOLA ENCYCLICA

(58. *Quæ jussu Summi Pontificis universis patriarchis, archiepiscopis, episcopis, cæterisque Italiæ ac insularum adjacentium ordinariis, necnon superioribus generalibus ordinum regularium, quorum regimini monialium monasteria subsunt, districte mandatur ut monialibus sibi subditis inhibeant ne occasione officiorum, sive antequam illa exercere incipiant, sive postquam illis perfunctæ fuerint, ullos sumptus proprio, et peculiari earum nomine faciant.*

« La Santità di Nostro Signore, che con paterno amore, ed Apostolico zelo invigila incessantemente a togliere gli abusi, e promuovere il bene spirituale di tutto il cristianesimo, non lascia di stendere l' occhio della sollecita sua pastorale attenzione alla buona direzione delle persone religiose, e specialmente delle sacre Vergini, che con ragione si chiamano *Illustrior portio gregis Christi*, sperando da essa, non solo di conseguire la loro santificazione, ma ancora di poter ottenere per mezzo delle orazioni di queste dilette Spose del Nostro Signor Gesù Cristo, quando veramente attendano con tutto il loro spirito a quella religiosa perfezione, a cui si sono consecrate, specialissimi ajuti dal medesimo signore nelle gravissime, e pur troppo note calamità, che di presente affliggono per ogni parte la Santa Chiesa : che però, avendo inteso da varie parti, che uno de' principali impedimenti al profitto spirituale delle medesime religiose ne' monasterj dell' Italia, ed isole adjacenti proviene dalle spese, che sono costrette di fare le monache particolari in occasione de' loro offizj, derivando da ciò (oltre le vessazioni importune, che si danno alli padri, madri, ed altri parenti, quali talvolta non possono corrispondere) necessariamente la distrazione dall' orazione, e culto di Dio, l' inosservanza delle regole, l' attaccamento biasimevole alli beni terreni, e talvolta anco con pregiudizio del voto della santa povertà, le continue inquietudini, gli stenti, e le occasioni di trattare con troppa libertà, e frequenza con i secolari con danno scambievole delle anime, e inconvenienti anco più gravi, de quali giungono frequenti, e quotidiani ricorsi alle orecchie de' superiori ordinarj delle sagre congregazioni, e della stessa Santità Sua; E volendo la medesima, che onninamente si ponga un efficace rimedio a' suddetti disordini, siccome ha comandato, che a quelli opportunamente si proveda rispetto alli monasterj di quest' alma città di Roma, con diverse ordinazioni contenute in un editto sopra di ciò pubblicato sotto il dì 4 Giugno prossimo passato, così per curare con egual rimedio l' istesso

Digitized by Google

gravissimo male anco negli altri monasterj d' Italia, e dell' isole adjacenti, ha incaricato a me d' ingiungere strettamente in suo nome a V. S, e nell' istessa maniera a tutti gli altri ordinarj d' Italia, e dell' isole suddette, come parimente alli superiori generali delle religioni presidenti a' monasteri di monache ; che fatti bene ponderare religiose a lei sottoposte i sopradetti disordini, e le pessime conseguenze, che da essi provengono, e quanto all' incontro sia per conferire alla loro religiosa quiete, ed a liberarle da infiniti fastidj, rimorsi, e scrupoli, l' alienarsi affatto dal pensiere, e sollecitudine d' ogni privato interesse temporale : Ella seguendo l' esempio di quel, che si è fatto in Roma, incarichi sotto precetto formale di santa obbedienza con riservare a sè la facoltà di assolvere, ed in oltre sotto pena di privazione d'offizio, e della voce attiva, e passiva, e altre a suo arbitrio a tutte le abbadesse, superiore, camerlenghe, sagrestane, rotare, ed altre monache offiziali di tutti li monasteri, che non facciano, nè permettano rispettivamente, che da altre si faccia spesa alcuna, ancorchè ne fosse data loro comodità da' parenti, e da altre persone duranti li loro offizj nè meno quelli finiti, o prima di esercitarli, nè di dare cos' alcuna di qualsivoglia valore a titolo di celebrazione di feste, o di donativo, nè sotto qualunque altro titolo, che abbia causa, occasione, o dipendenza dalli predetti offizj, non solo alle superiore, officiali, monache, novizie, e altre, che dimorano nel monastere rispettivamente (quali pure non dovranno riceverla), ma nè anche alli loro superiori benchè regolari, confessori, deputati, fattori, ed altri offiziali del monastero, anzi ne meno alla chiesa, o alla sagrestia, ma qualsivoglia spesa da farsi nelli esercizj di detti offizj, o per celebrare le loro festività, o per occasione delle medesime, quale dovrà sempre essere conveniente, e moderata, si faccia colle rendite del monastero senza contrarre debito alcuno. Al qual effetto dovrà V. S. efficacemente ingiungere, tanto alle superiore, ed officiali, quanto alli deputati, sindaci, ed economi di ciaschedun monastero, di procurare, che le suddette spese, come sopra, moderate, si stabiliscano dentro breve termine con li modi, che stimeranno più proprj e convenienti, da approvarsi da lei secondo la rendite de' medesimi monasteri. Intendendo inoltre espressamente la Santita Sua, che la disposizione di quanto si contiene nella presente lettera, sia universale, e comune a tutti li monasteri di monache eziandio governati da' regolari, e di qualunque altro superiore, benchè privilegiato, e privilegiatissimo, e degno di special menzione, o in qualsivoglia altro modo esenti, o anche immediatamente soggetti alla Santa Sede, come parimente alle case d'obblate, benchè non abbiano clausura, nè voti solenni. Così dunque V. S. dovrà far osservare con tutta la diligenza, e attenzione : ed in caso, per conseguire pienamente l' effetto, che si desidera, quale sommamente preme alla Santità Sua, Ella abbia bisogno in qualche cosa delli oracoli, e autorità della Santa Sede, non manchi di ricorrere alla medesima con certa fiducia di venire assistita con tutto quell' ajuto, a protezione, che si giudicherà espediente per ottenere onninamente il compimento di cosa sì necessaria alla quiete, e benefizio spirituale delle religiose, e tanto importante al servizio del signor Iddio, da cui le prego ogni maggior felicità.

« Roma 28 Luglio 1708.

« G. cardinal DI CARPEGNA, prefetto.

« FERDINANDO, arcivescovo di Nicea, segr. »

EPISTOLA ENCYCLICA

(59. *Ad universos Italiæ, Insularumque adjacentium ordinarios, nec non monialium superiores regulares conscripta, qua disposita in alia præcedenti Epistola declarantur.*

« Per provvedere alla religiosa quiete delle monache, e liberarle da rimorsi, e scrupoli, come da ogni sollecitudine di privato interesse temporale, ordinò già la Santità di Nostro Signore con editto, o sia lettera circolare in data delli 28 del passato mese di Luglio, che tutte le spese degli offizj, si facessero con le rendite de' monasterj : Ora a fine di soddisfare alle istanze di alcuni monasteri, che hanno in ciò ricercata qualche più chiara spiegazione. La Santità Sua col parere d'una congregazione specialmente deputata, ha comandato, e comanda, che in virtù delli decreti Apostolici fatti per l' osservanza del voto della Santa povertà i livelli, o vitalizi si consegnino, o confondano nella cassa comune a disposizione della superiora, la quale somministri alle monache, quanto gli occorre per le loro necessità religiose, ed il rimanente converta in beneficio del monastero per sovvenirlo, ed abilitarlo a supplire alle spese necessarie per li offizj, ed altro : restando però sempre nel suo vigore la disposizione, e penalità del prefato editto, o sia lettera circolare ; S' ingiunge per tanto efficacemente a V. S. di procurare, che si metta in pratica ciò che sopra si è detto, nel che sommamente preme il Santo zelo di Nostro Signore, che desidera l' obbedienza dovuta ed un ordine sì necessario, non meno per il profitto spirituale, che per la quiete temporale dell' animo di tutte le religiose. Glielo significo, ed il signor Iddio lo prosperi.

« Roma 26 Gennaro 1709.

« G., card. DI CARPEGNA, prefetto.

« FERDINANDO, arcivescovo di Nicea, segr. »

EPISTOLA

(60. *Jussu Summi Pontificis ad eminentissim. archiepiscopum Neapolitanum conscripta, qua illi significatur, ut in monasteriis ejusdem civitatis disposita a Sanctitate sua de sumptibus a monialibus occasione officiorum faciendis exacte observari mandet.*

« Essendo giundo all' orecchio di Nostro Signore, cho in codesti monasteri di mona-

Digitized by Google

che soggetti a vostra eminenza contro gli ordini dati dalla Santità Sua col mezzo di questa congregazione a tutti i monasterj d' Italia con lettera circolare del 28 Luglio 1708 le abbadesse, vicarie, cellerarie, camerlenghe, sagrestane, rotare, ed altre monache offiziali, tanto nell' ingresso, che nel fine del loro offizio faccino spese eccedenti, anche sopra la somma di ducati ottocento, e più, a titolo di pietanze alle monache, e a' loro superiori, benchè regolari, confessori, deputati, fattori, ed altri ; e conoscendo sua Beatitudine, che da ciò deriva la tepidezza delle religiose nello spirito, la distrazione dall' orazione, e dal culto di Dio, l'inosservanza della regola, e forse talvolta il pregiudizio del voto della santa povertà, mi ha comandato di scrivere a V. Em., che si compiaccia d'incaricare sotto precetto formale di sant' obbedienza con riservarne a sè la facoltà d'assolverne, ed in oltre sotto pena di privazione d'offizio, e della privazione di voce attiva, e passiva, ed altre a suo arbitrio alle monache offiziali suddette, che non facciano, nè permettano, che da altri si faccia spesa alcuna, ancorchè ne fosse data loro comodità da' parenti, o da altre persone, duranti i loro offizi, ma nè meno quelli finiti, ed esercitati, nè anche a titolo di celebrazione di feste, o di donative, nè sotto qualsisia altro titolo, che abbia causa, occasione, o dipendenza dalli predetti offizj, e come più amplamente si contiene nella suddetta circolare del 28 Luglio 1708 la quale vuole Sua Santità che venga in ogni sua parte puntualmente, e religiosamente osservata. Nell' ubbedienza agli ordini supremi di Nostro Signore col significarlo a vostr' eminenza, perchè cooperi con tutto il suo zelo a sì santa, e pia intenzione di sua Beatitudine, le bacio ec.

« Roma 26 Giugno 1716.

« Ferdinando, card. d'Adda, pro-prefetto.
« V., arcivescovo di Damasco, segr. »

EPISTOLA

(61. *Jussu Summi Pontificis ad nuntium Apostolicum in civitate Neapolitana conscripta, qua illa injungitur, ut in monialium ejus jurisdictioni subjectarum disposita a Sanctitate sua de sumptibus a monialibus occasione officiorum faciendis inviolabiliter observari curet.*

« Preme sommamente a Nostro Signore, che venghino esattamente osservati gli ordini trasmessi, anche al suo antecessore, con lettere di questa sagra congregazione de' 28 Luglio 1708 circa la superfluità delle spese, che si fanno dalle abbadesse, vicarie, ed altre monache offiziali duranti e finiti i loro offizj, sì nelle pietanze per le altre monache, loro superiori, confessori, deputati, fattori, e simili altri ministri, che nelle occasioni di feste si fanno. Sentendosi però, che ne' monasteri di codesta città soggetti alla giurisdizione di V. S. non solo non vengono osservati tali ordini, ma che anzi venghino fatte spese eccedenti la somma di ottocento e più ducati in pietanza, e celebrazione di feste contro la pia, e savia mente di sua Beatitudine, che pur troppo prevede, quanto detrimento sia con ciò per risultare alle religiose nella via dello spirito, nella distrazione dall' orazione, nel culto di Dio, nell' osservanza della regola, e forse anche talvolta nel voto della santa povertà, mi ha pertanto comandato di scrivere a lei, che come ministro apostolico, a cui soggiacciono i monasteri esenti dalla giurisdizione di cotesto eminentissimo arcivescovo, dovrà dar esempio a quelli, che sono immediatamente soggetti a sua eminenza, faccia precetto formale di santa obbedienza, con riservare a sè la facoltà di assolverne, ed inoltre sotto pena di privazione di officio, delle voci attiva, e passiva, ed altre da arbitrarsi da lei alle monache, ed offiziali suddette di ciascun monastero esistente sotto il suo governo, che non facciano, nè permettano, che da altre si faccia spesa alcuna, ancorchè ne fosse data loro comodità da' parenti, o da altre persone, duranti, e finiti i loro offizj, nè anche a titolo di celebrazione di feste, o di donativo, nè sotto qualsivoglia altro titolo, che abbia causa occasione, o dipendenza dalli predetti offizj, e come più amplamente si contiene nella menzionata Lettera circolare de' 28 Luglio 1708. E susseguentemente procuri con tutta efficacia, che sia il tutto eseguito, e si proceda contro chi trasgredirà onninamente alle pene, essendo spezialmente ordine della Santità di Nostro Signore, che V. S. in tal' affare facci riconoscere la sua vigilanza. Così ella eseguirà in ossequio de' supremi cenni di sua Beatitudine ; e le prego ec.

« Roma 29 Giugno 1716.

« F., card. d'Adda, pro-prefetto.
« V., Arcivescopo di Damasco, segr.»

(62. Affertur ad id novissima similis dispositio Benedicti XIV, ut habetur in sequenti epistola directa eminentissimo cardinali archiepiscopo Mediolanensi.

« Eminentissimo e reverendissimo signor mio osservandissimo.

« Quantunque altre volte questa sagra congregazione, e specialmente sotto il dì 28 Luglio 1708 abbia ordinato che le spese occorrenti in congiunture di feste et degli uffizj, che si esercitano dalle monache, si dovessero fare colle rendite dei monasteri; nulladimeno è stato rappresentato alla santità di Nostro Signore, che in molti conventi quelle si faccino dalle monache particolari a conto proprio, dal che molti, e gravi inconvenienti possono derivare, come la distrazione dall'orazione, e dal culto divino, l'occasione di trattar con troppa frequenza co' secolari, e qualche altra inosservanza delle regole, la soverchia sollecitudine di acquistar denaro con pericolo di contravenire al voto della povertà, ed inoltre di porre in angustia i loro parenti, li quali, per non soggiacere a replicate gravi spese, si asten-

Digitized by Google

gono tal' ora dal collocare ne' monasteri altre fanciulle, che ne avrebbero la vocazione. Perciò la Santità Sua, la quale con indefesso Apostolico zelo assiduamente invigila a promuovere il bene spirituale di tutto il cristianesimo, ed ha specialmente a cuore, che sempre più si avanzino nella strada della perfezione le sacre Vergini, parte la più illustre del gregge di Gesù Cristo, ha comandato, che si rinnovino gli ordini in questa materia altre volte emanati, e che insistasi per l'esecuzione de medesimi. Si compiacerà per tanto V. E. incaricare con precetto formale di sant'obbedienza a tutte le abbadesse, priore, vicarie, camerlenghe, sagrestane ed altre offiziali, che non debbano in occasione o di feste, o di loro offizj fare spesa alcuna, o dare alcun donativo, quantunque di poco valore, nè alle monache, nè alle novizie, nè ad altre, che dimorano nel monastero, nè tampoco a' loro superiori, ancorchè regolari, nè a' confessori, deputati, fattori ed altri offiziali, anzi nè meno alla chiesa, e sagrestia, ma qualsivoglia spesa nelle sopradette congiunture dovrà onninamente farsi colle rendite de' monasteri. E perchè questi non restino di soverchio aggravati, potrà l'E. V. ingiungere tanto alle superiore quanto alli deputati, sindici ed economi di ciascun monastero che considerato lo stato de' medesimi, stabiliscano per le suddette spese una precisa somma, che da V. E. dovrà poi esaminarsi ed approvarsi perchè sia propria, convenevole e proporzionata all'entrate; in caso poi che qualche monastero fosse così scarso di rendite, che, non ostante tutta la moderazione usata, non potesse soccombere a questo peso, l'E. V. ordinerà, che somministrato alle monache del deposito proveniente dalli livelli, o vitalizj, quanto le occorre per le loro necessità religiose, il rimanente s'impieghi nelle divisate spese, conforme fu dichiarato coll' altra lettera circolare de' 25 Febbrajo 1709.

« Ed affinchè si mantenga perpetuamente l'osservanza di quanto viene, come sopra prescritto, potrà l'E V. comandare espressamente che sempre nell' elezione della nuova superiora debba in capitolo leggersi ciò, che nella presente lettera si contiene. Dichiarando che la Santità di Nostro Signore intende che inviolabilmente debba il tutto osservarsi da qualunque monastero, benche esente, privilegiato, privilegiatissimo e degno di spezial menzione, eziando soggetto immediatamente alla Santa Sede, ed anche dalle case delle obblate quantunque non astrette alla clausura, sotto la pena in caso di contravenzione, della privazione dell'offizio, e della voce attiva e passiva da incorrersi *ipso facto*, e da durare ad arbitrio della sacra congregazione.

« Sarà dunque parte della pastoral vigilanza dell' E. V. il restar servita di ordinare l'esatto adempimento di quanto si prescrive, compiacendosi susseguentemente dare avviso dell'operato, mentre bacio alla medesima unilmente le mani.

« Di Vostra Eminenza.

« Roma, 26 Gennajo 1742.

« C., arcivescovo di Damiata, segr.

« Milano all' eminent. sig. cardinal arci-
« vescovo.

« Umiliss. divotiss. servitore,
« G., card. Firrao.»

(63. Episcopus sive superior regularis non potest recipere munera occasione receptionis habitus, seu emissionis professionis monialium, seu ingressus abbatissæ in officium abbatissatus et hujusmodi: Clemens VIII, const. de largitione munerum incip. *Religiosæ congregationes*, et expresse sac. cong. Episc. et Regular. *in Aversana* 22 Januarii 1591, his verbis: « Non liceat episcopis cum novitiæ vestiuntur vel professionem emittunt, a propinquis, vel ab alio quocunque dona tam comestibilia quam linea etiam parvi valoris accipere, neque ab abbatissis in ingressu officii, sed ab eisdem comestibilia tantum in aliquibus solemnitatibus, nomine totius monasterii, etiamsi antiquissima inoleverit consuetudo. » (64. Episcopus et quilibet alius superior ordinarius in his transgressor juxta tenorem dictæ constitutionis Clementis VIII tenetur ad restitutionem, quatenus munera non comestibilia et præter formam alterius bullæ Urbani VIII incip. *Nuper a congregatione*, moderatoriæ et declaratoriæ et confirmatoriæ illius Clementis VIII recipiat, adeo ut, neque a summo pœnitentiario (si munus summam scutorum decem excedat) absolvi possit nisi facta restitutione, prout patet ex novissima constitutione Innocentii XII declaratoria facultatum cardinalis pœnitentiarii emanata tertio nonas Septembris 1692, incip. *Romanus Pontifex* in qua § 17 sic expresse habetur: « Munera a Regularibus contra recol. memor. Clementis papæ VIII pariter prædecessoris nostri anno Incarnationis præfatæ 1594 tertio decimo Kalendas Julii editam constitutionem ultra valorem decem scutorum monetæ recipientes, exceptis rerum medicinalium seu devotionis muneribus ante factam restitutionem non absolvat, nec mandet absolvi; infra vero prædictum valorem, non nisi facta arbitrio ipsius majoris pœnitentiarii, seu per eum eligendi confessarii eleemosyna quæ in beneficium religionis, seu conventus, cui de jure faciendæ esset restitutio si caute fieri potest, erogetur, absolvat, seu mandet absolvi. »

(65. Monialis in particulari nequit, neque de licentia, ac dispensatione superioris habere peculium seu aliquid proprium de quo tanquam de re sibi propria pro libitu disponere possit. *Communis*, textu expresso in c. *Cum ad monasterium* 6, De statu monachorum, in fine, ibi: « Nec æstimet abbas quod super habenda proprietate possit cum aliquo monacho dispensare, quia abdicatio proprietatis, sicuti et custodia castitatis adeo est annexa regulæ monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere: » Concil. Trid., sess. XXV, *De regularib. et monialib.*, c. 2, et habetur expresse in decret. Clement. VIII, *De reformation.*

Digitized by Google

regul., incip. *Nullus omnino*. Et hoc sæpe sæpius in casibus specificis declaravit sacra congreg. Conc. ut abunde refert Fagnanus in c. *Monachi* 2, De statu monachorum, a n. 61 usque in finem.

(66. Et signanter *in causa Panormitana*, in qua cum quædam monialis præter dotem monasterio tributam sibi reservasset scuta quinquaginta annua pro suis necessitatibus atque indigentiis, petiit fieri facultatem illa erogandi in usus prædictos; S. congregat. censuit hanc pecuniam annuam, non obstante reservatione, jam quæsitam esse monasterio: ideoque deferendam esse recte ad manus abbatissæ, quæ primum prospiciat necessitatibus monialis oratricis, et quod reliquum fuerit in usus totius monasterii convertat. (67. Præterea *in causa Neapolitana* propositum fuit S. congregat. dubium ut infra conceptum. In aliquibus monasteriis nonnullæ moniales census et annuos quosdam reditus et proventus seu fructus percipiunt sub diversis contractuum speciebus; nam aliquæ in ipsarum persona emerunt certos reditus a personis laicis, aliquæ ab aliis monialibus, aliquæ ab ipsis monasteriis, aliæ vero dederunt pecuniam monasterio, ut ex earum pecuniis fieret emptio nomine monasterii ad rationem septem vel octo pro centenario, et abbatissæ dabant ipsis monialibus illos reditus, quos ex dictis emptionibus exigebant singulis annis. Aliquæ monasteriis seu eorum superioribus certas pecuniarum summas manualiter pro indigentiis monasterii dederunt, pacto adjecto, vel etiam tacita conventione adhibita ut monasterium seu abbatissa certos reditus ad rationem tot pro centenario eorum vita durante concedat. Quæritur an moniales prædictæ in hujusmodi casibus incurrant in pœnas per concilium Trident., sess. XXV, c. 2, *De regular.*, in proprietarios inflictas, etiamsi de licentia abbatissæ, et ad abbatissæ nutum vel conventus seu monasterii nomine percipiant? Sacra congregatio censuit, in nullo supradictorum casuum licere moniales dictos fructus, seu reditus percipere et si perceperint incidere in pœnas d. cap., sess. XXV, *De regularibus*. Neque ab hujusmodi pœnis excusari ob licentiam abbatissæ, quæ eam d. concilii decreto in supradictis casibus concedere quidem prohibetur, sed debet ex suo munere ex monasterii reditibus, vel eleemosynis monialium necessitatibus in dies subvenire. Ex quibus declarationibus apparet, non esse amplius locum opinioni Jo. And. in regul. *Non est obligatorium;* Calderin., cons. 2, *De regularibus*, et Abbat., cons. 88, p. 1, existimantium, licere professo de licentia superioris prælati accipere aliquam annualem provisionem a conventu, vel a provincia, puta scutorum decem, ut exemplificat Jo. Andr., vel quinquaginta, ut inquiunt Calder et Abb., persolvendam pro vestibus et aliis personalibus necessitatibus.

(68. Item *in Urbinaten.* cum archiepiscopus Urbini retulisset sacræ congreg. se non potuisse adducere moniales cujusdam monasterii ad suscipiendam exactam vitam communem : ideoque illis proposuisse ut fieret communis arca cujus clavis penes abbatissam existeret et intus aptarentur tot scriniola, quot essent moniales, ita ut unaquæque haberet claviculam scrinioli sui, et in eo asservaret pecuniam ex laboritio, vel aliunde partam, quæ in ipsius tantum et non in alterius necessitates erogari deberet arbitrio abbatissæ; sacra congregatio hoc temperamentum ludicrum existimavit, ac repugnans decreto dict. cap. 2, quod jubet ut omnia superiori tradantur, conventuique incorporentur, ideoque mandavit archiepiscopo, ut quandiu moniales communem vitam non susciperent interdiceret illis receptionem puellarum ad habitum et professionem.

(69. In monasteriis tamen, in quibus, vel ob carentiam redituum, vel ob incuriam et negligentiam superiorum vita communis non servatur, nec potest introduci, et monasterium indigentiis monialium non supplet, nec ob ejus paupertatem supplere potest, omnes pecuniæ undequaque quæsitæ a monialibus, in capsam depositi conferendæ sunt et registrandæ ac nomine monasterii exigendæ : et exinde, ut monialibus exhibitricibus de necessariis ad vitam provideatur, eisdem eleemosynaliter de licentia abbatissæ per depositariam tradi debent : ita enim eo modo, quo potest, servatur votum paupertatis, et tollitur occasio proprietatis, ut cum aliis tradit Donatus, *Prax. rerum regular.*, tom. IV, tract. 15, quæst 11, 19 et 20, ubi sub n. 2, refert decretum sacræ congregationis Visitationis Apostolicæ jussu Urbani VIII factæ die 13 Julii 1627 pro Franciscanis conventualibus monasterii SS. Apostolorum Romæ per hæc verba : « Pecuniæ vero, aliæque res quæcunque Fratrum intra viginti quatuor horas tradantur superiori in commune conventus ærarium reponendæ triplicique clavi custodiendæ, quarum una penes guardianum pro tempore existentem, duæ vero aliæ penes duos alios fratres singulo quoque anno per conventum eligendos, conserventur, ex quibus subministrato exhibitori quantum religiosæ ejus necessitates (status valetudinis, laborumque ratione habita) expostulare videbuntur; reliquum penes ærarium remaneat, et arbitrio duarum ex tribus partibus capituli, seu congregationis provincialis singulis annis faciendæ erogetur. »

(70. Partitæ autem dictæ capsæ communis per computum separatum sic inscribi debent : « Il monastero deve aver da sè per conto di Suor N. N. scudi... » Prout sacra congregatio episcopor. et Regular. rescripsit archiepiscopo Barensi 2 Octobris 1595, cui totam pecuniam provenientem ex monialibus particularibus in capsam communem deponendam esse injunxerat, quoties moniales ex causis supradictis ad vitam communem reduci non possent. Et iterum ita fieri jussit generaliter 4 Febr. 1678, ut refert Crispin., *De visitatione*, § 42, n. 40.

(71. Unde ut moniales in monasteriis, ubi

Digitized by Google

non adest vita communis, possint licite exigere, retinere et expendere livella, debent quinque conditiones, seu circumstantiæ concurrere; prima scilicet, quod habeant dependenter a voluntate superioris; secunda, ut sint paratæ peculium consignare ad nutum ejusdem superioris; tertia ut pecunias convertant in licitos et pios usus, et decentes eorum statui; quarta, quod non sit peculium superfluum; quinta, quod sit penes capsam depositi, seu ærarium commune, Donat., *Prax rer. regular.*, tom. IV, tract. 15, quæst. 11 et 19, et alii plures ibi citati, Monacell. part. I, tit 11, formul. 20, n. 4 et 6, ubi habet, quod hæc Donati theorica potest tute practicari et tolerari, prout tolerari posse declaravit sacra congr. *in una Cæsenaten.* pro monasterio S. Claræ illius civitatis rescribendo sub die 12 Mart. 1693, in obsequium card. Denhoff. tunc episcopi vitam communem desiderantis : « Ad mentem, » referente eminentissimo card. Acciajolo, et mens fuit, quod circa vitam perfecte communem nihil esset innovandum.

72. Livella non possunt a monialibus et regularibus cedi eorum consanguineis sine licentia sacræ congregationis, Rota, decis. 610, n. 8 et 9, *coram card. Cerro*, et *in Albanen. locorum Montium* 26 *Januar.* 1725, *coram d. Calcagnino :* card. Petra, t. V, *Commentar. ad constitut.* 5 *Pauli II*, sect. 2, n. 7, ubi citat. alias Rotæ decisiones, et testatur, regulares et moniales passim recurrere ad sacram congregationem episcop. et Regul. pro obtinendis licentiis in concedendis livellis suis consanguineis, quæ solent concedi accedente consensu superiorum, et capituli conventualis, ut ipse expertus est, dum erat secretarius dictæ sacræ congregationis, ut refert eodem tom. V *Comment. ad constitut.* 12 *Sixti IV*, n. 5, in fine. Et revera cum nuperrime quidam regularis Carmelita calceatus petiisset a d. sacra congregatione facultatem transigendi in certa conventa summa pecuniæ pro decursis livelli annualitatibus a suis consanguineis partim non solutis, et partim sub dubio an fuerint integraliter solutæ, ex quo utraque pars fuerit negligens in registrandis, et asservandis memoriis, Dicta sacra congr. Episcop. et Regul. sub die 16 Januar. 1739 rescripsit : « concedendo facultatem generali ejusdem ordinis, dummodo narrata vera existerent (narraverat enim a suis consanguineis pluries pecuniaria subsidia ultra suum livellum gratis recepisse) et accederet consensus capitularium conventus, cujus erat filius, et actus fieret nomine ipsius conventus. »

(73. Posse autem moniales et regulares remittere suis consanguineis, vel aliis donare fructus sui livelli cum sola licentia superioris tenent Sanchez *ad Præcepta Decalogi*, lib. VII, cap. 22, n. 16; Diana, *Coordinat.*, t. VII, tract. 3, *De paupertat. religios.*, resolut. 69; card. de Luca, *De regularib.*, disc. 56, a. n. 6; Paulut., in *Voto arbit. pro veritate edito in una Cæsenaten.*, quod registratur in dissertat. 36, art. 2, per tot.; Ursaya, tom. III, part. II, disceptat. 1, § 18, n. 30, et § 22, n. 35; Valer., *De disser. utriusque fori*, verb. *Munera*, n. 37, et alii passim et Rota, decis. 1162, n. 17, *coram Emerix Junior.* (74. Imo plures ex citatis, et non pauci alii doctores tenent, moniales et regulares posse similes cessiones, remissiones, seu donationes fructum sui livelli facere absque licentia ad id speciali superioris, sed cum sola licentia generali insumendi tales fructus in suas indigentias et religiosos usus. Et ratio istorum est, quia eo ipso, quod religioso certa quantitas conceditur et præscribitur, censetur etiam dari tacite licentia expendendi in honestos usus id, quod sibi subtrahit ex parcimonia; tum quia per talem donationem seu remissionem monialis, seu regularis nullum damnum infert monasterio, sed parce vivendo et expendendo detrahere videtur condecentiæ suæ personæ, ejusque genio, et ventri id, quod donat, vel remittit, et bulla de largitione munerum, prohibet tantum largitiones munerum, ex quibus damnum, seu grave incommodum infertur monasterio; tum etiam quia ex hac opinione datur occasio monialibus et regularibus, ut libentius abstinentiæ, sobrietati, frugalitati, modestiæ, et moderato sumptui assuescant, dum sciunt ea, quæ sibi de necessariis subtrahunt, posse consanguineis et aliis de se benemeritis donare, et in aliis licitis operibus expendere. Valer., *De different. utriusque fori*, verb. *Munera*, n. 37; Peyrin., tom. I, *De subdit.*, quæst. 2, c. 2, § 6; Navarr., consil. 3, n. 46, *De statu monachor.*; Beja, cas. 32, vers. *Respondemus*, Ursaya, tom. III, p. II, discept. 1, § 22, a n. 35; Paulut., *loc. cit.*, a n. 38; D. Cajetan. de Alexandris in *Confessario monialium*, cap. 4, § 4, q. 6; card. de Luca, *loc. c.*; Diana, *l. c.*, et alii plures, quæ opinio in monasteriis, ubi adest talis consuetudo, si adsit licentia saltem tacita superioris, est vere probabilis, quia taciti et expressi eadem est virtus, l. *Cum quid*, ff. *De rebus cred.*, et cap. 2, De rescriptis.

(75. Intelligo tamen de cessione, seu donatione fructuum livelli non ascendentium ad magnam summam, quia pro cessione, seu donatione annualitatum conflantium magnam et notabilem summam, seu pro cessione juris livelli recurrendum est ad sacram congregationem Episcop. et Regul. juxta dicta supra n. 72, cum circa talem summam, et tale jus obstent constitutiones Clementis VIII et Urbani VIII de largitione munerum, ad quarum solummodo formam possunt regulares uti livellis, uti decrevit sacr. congr. Episcop. et Regular. *in Florentina* 21 Jun. 1690, *ad relationem eminentissimi card. Petrucci.*

(76. Monialis ex pecunia sui livelli, seu aliunde quæsita nequit sibi censum emere, seu constituere, neque de licentia abbatissæ, imo neque ipsam pecuniam tradere monasterio, seu abbatissæ pro indigentiis monasterii cum pacto, vel etiam tacita conventione adhibita, ut monasterium, seu abbatissa certos reditus ad rationem tot pro

Digitized by Google

centenarió, ejus vita durante concedat, seu solvat : Sic expresse decrevit sacra congreg. Concilii *in dicta Neapolitana* relata ex Fagnano supra num. 67. Unde cum quidam regularis dedisset monasterio capitale in pecunia cum pacto, ut ei quotannis certa summa solveretur, suborto dubio, an monasterium ad id teneretur? Sac. cong. Episc. nuperrime rescripsit « Monasterium non teneri, » Sic refert card. Petra, t. IV *Commentar. ad constitut.* 5 *Benedicti XII*, sect. 2, n. 29, in fine.

(77. Neque potest monialis ex peculio sui livelli, vel aliunde quæsito, et sibi libere a superiore concesso fundare censum, ut ex ejus fructibus post ejus mortem celebrentur missæ pro anima ipsius, quia cum quidquid acquirit monachus, monasterio acquirat; cap. *Statutum* 1, caus. 18, quæst. 5, cap. *Abbates* 16, caus. 18, q. 2, cap. *Quia ingredientibus* 7, caus. 19, quæst. 3; cap. *Inpræsentia* 8, De probat., statim ac census fundaretur, acquireretur monasterio, et non esset amplius fundatio sub dispositione monialis, et proinde non posset eam supponere oneri missarum. Pasqualig., in *Qq. moral. juridic.*, quæst. 199, n. 1 ; D. Cajetan. de Alexandris, in *Confessario monialium*, c. 4, § 2, quæst. 12, et alii passim.

(78. Nec potest monialis tradere amico certam summam pecuniæ ex suo livello, seu aliunde quæsitæ cum pacto, quod post ejus mortem faciat celebrari tot missas, quia sic monialis disponeret quidem vivens de tali pecunia, sed tamen causa mortis, ita ut dispositio non sortiretur effectum, nisi post mortem; hoc autem esset disponere per modum ultimæ voluntatis, quod est omnino prohibitum religiosis regularibus, Authent. cod. *De sacrosanct. Eccles.*, cap. *Non dicatis* 11, caus, 12. q. 1 ; cap. *Quia ingredientibus* 7, caus. 19, q. 3; cap. *Quia ingredientibus* 2, De testamentis, cum similibus D. Cajetanus, *loc. cit.*, q. 13, et alii.

(79. An autem possit monialis dictam pecuniam ex suo livello, seu aliunde quæsitam proprio usui concessam donare alteri cum onere, ut statim celebrentur singulis annis aliquæ missæ in perpetuum? variant doctores. Affirmant enim Ludovicus Lopez, lib. II, *De contractibus*, cap. 40; Navarr. comment. 2, n. 41, *De regularibus*, et alii, quia dicunt : hoc non est disponere per modum ultimæ voluntatis, cum eo ipso, quod disponat per donationem, disponat irrevocabiliter; de ratione autem dispositionis per modum ultimæ voluntatis est disponere revocabiliter. At melius negant Pasqualigus, *loc. cit.*; D. Cajetanus, *loc. cit.*, quæst. 13; Molina, tom. I, *De justitia*, disp. 140, col. 2, et alii plures : quia monialis, et regularis nec potest facere donationem mortis causa, arg. *l.* 1, § 1, ff. *De tutel. et rat. distrah.*; Reiffenstuel., lib. IV *Decret.*, tit. 26, n. 360, et alii passim. Nisi de re modica fiat donatio mortis causa, quia istam cum consensu superioris, seu superiorissæ, et multo magis ipsum superiorem, seu superiorissam posse facere, tenent Barbosa, in cap. *Quia ingredientibus* 2, De testamentis, n. 5; Pirhing., lib. III *Decret.*, tit. 26, n. 48; Reiffenstuel, *loc. cit.*; Sanchez, lib. VII *Moral.*, cap. 8, n. 11; Layman., lib III, tract. 5, cap. 3, n. 4, et alii communiter. Tum quia in nostro casu non intervenit vera donatio, sed deputatio dictæ pecuniæ pro celebratione missarum, quæ videtur dispositio per modum ultimæ voluntatis, cum illud onus injunctum continuet etiam post mortem, quod est omnino prohibitum religiosis regularibus, per citata jura, num. antecedenti.

(80. Supradicta omnia clare deducuntur ex eo, quod Sedes Apostolica quotiescunque per sacram congregationem episcoporum, aut Concilii facultatem habendi livella, seu vitalitia regularibus, aut monialibus concedit, solet adjicere sequentes conditiones : « Dummodo annuus reditus a procuratore monasterii exigatur, et recta via deferatur in commune depositum, et tunc de manu depositarii, et de licentia superiorum ipse orator recipiat quantum, et quatenus opus fuerit, et in suas religiosas necessitates applicet, applicatorumque, quoties a superioribus fuerit requisitus, rationem reddat, et residuum in communes monasterii necessitates erogetur. » Sic refert cardinal. Petra, tom. IV, *Commentar. ad constitut.* 5 *Benedicti XII*, n. 38, et Rota part. XVI *Recentior. decis.*, dec. 405, n. 5, vers. *Tota.* (81. Et de facto *in Panormitana*, cum quædam monialis præter dotem monasterio tributam sibi reservasset scuta quinquaginta annua pro suis necessitatibus, atque indigentiis, petiit sibi fieri facultatem illa erogandi in usus prædictos; sacra congregat. Concil. censuit « hanc pecuniam annuam, non obstante reservatione, jam quæsitam esse monasterio, ideoque deferendam esse recta via ad manus abbatissæ, quæ primum prospiciat necessitatibus monialis oratricis, et quod reliquum fuerit, in usus totius monasterii convertat. »

(82. Alias consimiles sacræ congregationis declarationes refert Ursaya tom. III, part. II, disceptat. 1, § 13, et signanter sub n. 7, ubi de redditibus vitalitiis, quos quædam moniales reperiebantur in possessione de se recipiendi et retinendi nomine proprio, sac. congreg. Conc. censuit, « hos reditus ab ipsamet abbatissa exigi, et ad ipsius manus recta deferri oportere, de quibus pro suo arbitrio subveniet in primis necessitati monialium, quarum intuitu hi reditus monasterio obvenerunt, cæterum, quod supererit, in communem monasterii usum convertat. » Et sub n. 3, refert aliam emanatam die 16 Novemb. 1629, ibi : « Che le sovvenzioni annue, che si assegnano alle monache particolari per le loro religiose necessità, siano da principio volontarie a parenti. Le monache poi siano obbligate di tenere li frutti di tali assegnamenti nel commune deposito, e che si prendano dalle mani della badessa per le loro religiose necessità solamente; ed il residuo s'impieghi nelli usi comuni del monastero ; » et sub n. 5, refert aliam emanatam 11 Februarii 1678, approbatam ab Innocentio XI, cum addito : « che

Digitized by Google

si levi ogni altro abuso introdotto contro le buone regole monastiche, massime quelle di aver trovato tal forma di vivere, e tali abusi nel tempo del loro ingresso nel monastero. » Merito proinde concludens cum doctissimo episcopo Crispin. Nella *Visita pastorale*, part. II, § 42, n. 39, in medio, quod in his terminis a monialibus inallegabilis est usus in contrarium, attento dicto oraculo Pontificio, et resolutione ejusdem sacræ congregationis; et Donat., *Rer. regul.* t. IV, tract. 15, *De voto paupertat.*, quæst. 5, n. 3 et 4, ac Fontan., *ad constitut. ord. Prædicator.*, verb. *Professio*, n. 11, fol. 530, dicunt: « Ex clara dispositione capituli generalis Parisiis celebrati an. 1611 ad monit. 3, utriusque sexus regulares viventes sub habitu S. P. Dominici tenentur ad observantiam regulæ, et constitut. nostrar. non prout hic, vel ibi servatur, sed simpliciter, prout littera sonat. » Hæc ille.

(83. Hinc legatum relictum moniali, seu regulari in particulari sub conditione, quod, quandiu vivit, pertineat irrevocabiliter ad eam, vel eum, independenter a licentia superiorissæ, vel superioris, non debetur ipsi moniali, seu religioso, sed monasterio, et talis conditio habetur pro non adjecta. *Vide* verb. LEGATUM, n. 8.

(84. Imo legatum relictum moniali, seu regulari nec momento temporis potest esse apud eam, vel eum, sed illico acquiritur monasterio. *Vide* d. verb. LEGATUM, n. 89 et 90.

(85. Nec moniales et regulares in particulari possunt habere, seu de se retinere legata, præsertim si sint in bonis stabilibus, neque de licentia quorumcunque suorum superiorum. *Vide* d. verb. LEGATUM, n. 91.

(86. Imo talis licentia, etiamsi esset obtenta ab eorum generalibus, qui dicerent, eam posse concedere, non excusaret moniales et fratres a culpa, et pœna a concilio Tridentino imposita. *Vide* d. verb. LEGATUM, n. 92.

(87. Adducitur advertentia diligenter habenda. *Vide* d. verb. LEGATUM, n. 93.

(88. Insuper adducitur conclusio doctissimi Fagnani semper attendenda. *Vide* d. verb. LEGATUM, n. 94.

(89. Livella monialium administrari non possunt a se ipsis juxta oraculum Clementis XI 28 Julii 1708 et 26 Januarii 1709, de quo *in Synod. Fulginaten.* Baptistell., in *Appendic.*, fol. 181, relat. ab Ursaya, in *Miscellan. sacro et profano* 1, lit. *L*, n. 127.

(90. Monialis et regularis transiens ab uno monasterio ad aliud defert secum livellum ad secundum monasterium, vel secundam religionem, quia livellum, seu vitalitium est personale, et sequitur personam religiosæ, seu religiosi, pendetque ab illius vita; cardin. de Luca, *De regular.*, decis. 57, n. 19; Donat., *Prax. rer. regular.*, tom. I, tract. 8, *De transeuntibus*, q. 61, n. 9 et 10; Ursaya, tom. III, part. II, discep. 1, § 12, n. 29; card. Petra, tom. IV *Commentar. ad constit.* 5 *Bened. XII*, sect. 2, n. 60, ubi refert sic resolutum fuisse a congreg. particulari *in Romana annui reditus* 7 Jun. 1707, cui congregationi et ipse ut unus ex deputatis interfuit.

(91. Monialis an, et quomodo pecuniam ex suo livello, et aliunde quæsitam possit ludo exponere? *Vide* verb. LUDUS, a. n. 9 ad 12.

(92. Alia de livellis, et annuis redditibus, *vide* Ursayam, tom. IV, part. II, disceptat. 1, § 22, per tot. card. Petram, tom. IV *Commentar. ad constit.* 5 *Benedicti XII*, sect. 2, per tot.; Fagnan, lib. III, *Decretal.*, in cap. *Monachi* 2, De statu monachor., per tot.

(93 Episcopus, vicarius generalis, quilibet alius prælatus et officialis, seu deputatus nihil accipere potest pro ingressu et professione monialium, pro exploratione, pro approbatione depositi dotis, pro licentiis et hujusmodi, ut sæpe sæpius decrevit sac. cong. Episc. et Regular., et signanter *in Tranen.* 30 Maii 1668; *in Isernien.* 6 Junii 1642, et expresse Innoc. XI, die 1 Octobris 1678, in sua *Taxa* dicta communiter *Innocentiana*, § *Generalmente*, ibi: « Generalmente in tutto quello, che riguarda i monasterj delle monache ed i conservatorj di quelle donne, le quali a guisa di monache respettivamente vivono ritirate, il vescovo, o altro prelato, il vicario, così generale, como particolare, e qualunque altro offiziale, o deputato, ed il cancelliere, ed anche i parenti, ed i familiari del vescovo, o prelato, e de' suoi officiali, non possano esigere, e ricevere emolumento alcuno in denaro, ed in altre cose, eccetto che quelle commestibili, che siano proporzionate all' uso, e consumo proprio dentro tre giorni, anche con titolo di donativo, per l'ammissione all'abito monastico, per l'approvazione del deposito della dote, per la professione, per l'ammissione dell' educande, ed altre donne secolari, per le rinunzie, che si fanno dalle novizie, per l' elezione dell' abbadessa, o altra superiora, per le licenze de' medici, chirurgi ed operarj, per le licenze di parlare alle monache, ed altre, che sono nel monastero, per la deputazione de' confessori, cappellani, procuratori, esattori ed altri ministri, e generalmente per ogni altro atto, che riguarda al governo, ma solamente il cancelliere per il rogito delle rinunzie, et per li atti, che convenga fare sopra la giustificazione del deposito della dote, possa esigere la mercede proporzionata alla fatica della scrittura, purchè non ecceda in tutto giulj 5 moneta Romana, ovvero l' equivalente alla moneta del Paese. »

Additur attendenda ad rem sequens epistola sacræ congregationis Episcopor. et Regular. transmissa die 23 Martii 1719 eminentiss. et reverendiss. card. Jacobo Boncompagno archiepiscopo Bononiensi, et relata a Benedicto XIV, in egregiis suis *Notificationibus*, volumine II, notificatione 9, n. 7, in fine lib.

(94. « Si è compiaciuta questa sacra congregazione nella relazione fatta nuovamente in quest' oggi dell' informazione di Vostra Eminenza toccante la contumacias di coteste

Digitized by Google

monache di S. Mattia circa la revisione de' conti, da cui si pretendono esenti, come soggette al governo de' regolari, recedendo da quanto aveva sopra di ciò deciso dopo il giorno 10 Febbrajo, di decretare, che l'E. V. in vigore delle costituzioni Apostoliche, e in specie della bolla della S. M. di Gregorio XV e delle resoluzioni altre volte prese dalla medesima, e dalla sacra congregrazione del Concilio, possa coartare le monache del mentovato, ed altri monasterj sottoposti ai regolari ad esibire i conti dell' amministrazione economica, e riconoscere; se i depositi delle doti seguano secondo gli ordini di questa sacra congregazione, conformandosi nel resto alla proibizione fatta alla badessa, e monache di non ammettere all' abito veruna zitella senza la precedente licenza. Glielo significo con baciarle riverentemente le SS. Mani.

(95. * In ingressu monialium in monasterium dotis solutio approbatur ea, quæ datur non ad ingressum in religionem, sed pro contractu, quem facit religio cum illa quæ ingreditur obligans sese ad ejus substentationem. (96. Si vero monasterium per se sit dives, ut sufficere ex suis possit monialium substentationi, tunc utique præstaret dotem imminuere, quin etiam penitus remittere, quamquam id agendum non jest, nisi prius consulta S. congregatione Concil. *De synod. diœc.*, lib. VII, c. 56, § 6; lib. XI, cap. 6, n. 6, nov. edit.

(97. Quoad prandia, cœnas et munera, quæ ab ingrediente moniales exigunt, perseverare censet Pontifex prohibitionem factam ab Urbano V, Extrav. 1, *De simon. inter comm. Ibid.*

(98. Modum tamen imponendum sumptibus apparatuum et comessationum, ac pomparum, quæ fiunt in ingressu monialium censet Pontifex, usus opportune hac in re doctrina Navarri in *Tract. de redit. eccles. Ibid.*, § 7.

(99. Annuæ præstationes, quas consanguinei solvunt designatis monialibus, vitæ communi minime repugnant, sed requiritur, ut annua manibus præpositæ consignentur, quæ prius consulere debet indigentiis illius monialis in cujus gratiam collatæ sunt; et si quid reliquum, in cæterarum levamen erogetur. *De syn. diœc.*, l. XIII, c. 12, § 19, nov. edit.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(100. Plura hoc in articulo cumulat auctor de num. monialium, de dote et de livellis. Nos pauca addemus, vel confutando, vel declarando, vel supplendo ipsum auctorem.

Ad numerum monialium quod attinet, tenet auctor, n. 5, dispositionem cap. *Periculoso* §, *Sane*, De stat. regular., in 6, qua irrita declaratur professio monialis ultrà numerum receptæ, contrario usu esse abrogatam. At hanc opinionem improbant Castropalaus, tract. 16, d. 1, q. 7, § 6, n. 5; Pellizzar., *De monial.*, cap. 2, sect. 1, n. 7, aientes sibi constare nonnullis in locis servari, adeoque inspiciendam esse consuetudinem regionum, et secundum eam judicandum. (101. Quinimo meo judicio, attenta hac diversitate, in locis, in quibus nec favorabilis, nec contraria obtinet consuetudo, standum est dispositioni dicti textus.

(102. Quoad vero dotem, verum regulariter est quod tradit auctor, n. 18, moniales velatas absque dote non esse admittendas, conversas vero posse sine dote aliquando admitti propter necessitatem. (103. Cæterum si contingat adolescentulam aliquam esse monasterio ad aliquem usum, puta ad pulsandum organum, necessariam, hanc etiam uti velatam admitti posse sine dote, quidquid contradicat Pellizzar., *De monial.*, c. 3, sect. 2, n. 46, non improbabiliter alii tenent; idque quia eadem necessitatis ratio, quæ permittit admissionem conversæ sine dote, permittere et in hoc casu debet admissionem velatæ, pariter sine dote.

(104. Non solum dos monialium diminui nequit, absque licentia S. congregationis Episcoporum et Regularium negotiis præpositæ, ut notavit auctor, n. 32, sed nec a principio taxari amplius potest a superiore monasterii, sive is sit episcopus, sive prælatus regularis, sed debet ab ipsa S. congregatione taxari. Pellizzar., *De monialib.*, c. 3, sect. 2, n. 43.

(105. An possit monialis admitti cum dote majori, quam quæ taxata est, hac tamen lege, ut ad officia consueta monasterii haud teneatur? (106. Affirmat Pellizzar., *De monial.*, c. 3, sect. 2, n. 45, qui tamen una monet, in casu urgentis necessitatis posse cogi monialem illam ad exercenda mox dicta officia consueta monasterii. (107. Verum, ut Pellizzario scripsit Bordonus, haud debet mulier ratione majoris dotis recipi hoc cum pacto, utpote contrario voto obedientiæ, et si recipiatur, pro non apposito haberi debet dictum pactum. Accedit, quod dedecet augeri dotem jam taxatam hoc nom. quod non teneatur monialis ad consueta officia monast.

(108. Quod demum concernit livella, quidquid alios allegans contradicat auctor, * n. 73 et sequent. semper, ac fit a moniali unica remissio livellorum pro futuris annis, opus est licentia Summi Pontificis, cum hæc remissio sit alienatio, ut post Bordon. aliosque firmat Capon., discep. 94, n. 37.

RESPONSIO AUCTORIS.

* Ast ego auctor expresse teneo, requiri ad id dictam licentiam, ut clare patet, n. 72, ubi inter alia refero etiam decretum sacr. congr. Episcop. et Regular. 16 Januarii 1739, n. autem 73 et 74, refero tantummodo opinionem aliorum, non eam sequendo, ut evidenter demonstro dicens: « Et ratio istorum est, » etc. *Vide* ibi etiam sub n. 75.

(109. De livellis quæri solet, an possint ea assignari, vel relinqui ea conditione, ut nihil acquiratur monasterio? « Sed Domini (recte ait Rota inter impress. post Torr. *De pact. futur. succes.*, decis. 47, n. 7, et plur. sequent.), re bene considerata, existima-

Digitized by Google

runt, nanc reservationem connnere conditionem impossibilem, et omnino repugnantem, cum monacho aliquid habere non permittatur in proprietate, sed totum sit monasterii, etc., adeoque annexa est regulæ monachali proprietatis abdicatio, ut contra eam, nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere, etc. Inferebant, quod non poterant dicti ducati 70 reservati pervenire in utilitatem et commodum P. Henrici, quin simul monasterio quærerentur, alias esset quædam repugnantia, et contradictio, quæ vitiaret supra dictam reservationem, etc. Hinc ad sustinendum actum, memorata renuntiationis verba sic intelligi debere, ut monasterium patiatur dictum Henricum ducatos 70 reservatos habere eo modo, quo potest, etc. Huic juridicæ interpretationi nihil repugnat licentia S. congreg. quia, restricta reservatione ad solum usum, et commoditatem monachi reservantis necessario sequitur, quod integrum maneat jus superioris hunc usum revocandi, et ad proprias et honestas necessitates restringendi, cum hoc modo salvetur reservatio, ut in nihilo pugnet cum religionis substantia. » *Vide* et Rotam post eumdem, decis. 75.

(110. Major quæstio est, an livella cessent acceptata in monasterio vita communi? Sed hanc quæstionem diremit S. congregatio Episcoporum et Regularium negotiis præfecta *in Cæsenaten.* 1 Februarii 1692, negative respondendo monialibus Spiritus sancti et Sanctæ Catharinæ Cæsenæ, quæ eam hac de re consuluerant. Decretum hoc refert Paulut., dissert. 36, art. 3, n. 40.

(111. De livellis, an gaudeant privilegio dotis, *vide* cardinal. de Luc., *De regul.*, discur. 34, n. 1; Rot., in *Recent. decis.*, dec. 39, n. 13, part. xi.

APPENDIX.

(112. Ad ea quæ ab auctore dicta sunt articulo II addendam duximus recentissimam dispositionem Clementis XIII Pontif. Maximi super expensis, quæ fiunt a monialibus sacristiæ præfectis, per chirographum a Sanct. sua Ferdinando Mariæ de Rubeis patriarchæ Constantinopolitano, vicariatus Urbis vicesgerenti, S. R. Eccl. cardinali directum; en ejus verba:

« *A Monsignor Ferdinando Maria de Rubeis, patriarcha di Costantinopoli, del vicariato di Roma vicegerente.*

« Le sacre Vergini dedicate a Dio ne' chiostri vestendo l' abito religioso, hanno avuto una giusta sicurezza di vivere affatto lontane da ogni sollecitudine temporale, e li nostri gloriosi predecessori hanno avuta continua premura di dare opportuni provvedimenti, perchè niuna cosa le distogliesse da questo santo e lodevole oggetto. Quindi è che hanno impedito tutto quello, che potea dal medesimo allontanarle, per ragione degl'Offizj, che debbano ne' loro monasteri adempire, e specialmente per quello di sagrestana. Ma perchè li provvedimenti dati non s' eseguiscono, sono altresì gravissimi gl' inconvenienti, che succedono, e che pur troppo ci sono stati rappresentati con replicati continui ricorsi. A questi inconvenienti volendo Noi rimediare, con la presente cedola di moto proprio, ordiniamo a voi, che proibiate in nostro nome alle superiore religiose di permettere, che le loro monache destinate all' offizio di sagrestane facciano in avvenire alcuna spesa in occasione delle feste, che si debbano solennizzare nelle loro respettive chiese; essendo mente nostra, che qualora le medesime chiese siano bastantemente provvedute d' apparati propri, si mettano questi in opera a spese comuni del monastero: ma quando ne fossero prive, non si prendano le religiose incaricate dell' offizio di sagrestane altra cura, e sollecitudine, che quella di far disporre sopra gli altari que' sacri arredi, e supellettili, che si trovano avere, con la maggior decenza compatibile alle forze dello stato economico del medesimo monastero. Siccome però non intendiamo pel rimanente d' impedire a' monasteri facoltosi la celebrazione delle feste con la consueta pompa, purchè sia interamente sagra, ed ecclesiastica; cosi vogliamo, che generalmente si proibisca a tutti il framischiarvi rinfreschi di qualunque sorte, non solo perchè danno occasione a spese inutili, e di scandalo a' secolari, ma perchè distraggono le religiose da quella divozione, e raccoglimento, che debbono avere nel corso di tutto l' anno, e molto più ne' giorni con particolarità dedicati o alla venerazione del santo fondatore, o al titolare, sotto la protezione de' quali vivono. Proibiamo ancora, che le sagrestane a proprie spese facciano in simili occasioni, ricognizioni, o regali a qualunque sorta di persone, o dentro, o fuori del monastero. E vogliamo, che le superiore restino incaricate dell' esecuzione esatta di questa nostra volontà; e che in caso di contravvenzione restino sospese dal loro impiego, riservando a Noi la facoltà di reintegrarle, quando attese le circostanze crederemo di doverlo fare.

« Dato dal nostro Palazzo Apostolico a Monte Cavallo questo di 30 Giugno 1759. »

ARTICULUS III.

Moniales quoad ea quæ concernunt clausuram.

SUMMARIUM.

1. Clausura ante tempora Bonifacii VIII fuit solum sub consilio.— 2. Clausura a quo primo sub formali et absoluto præcepto fuerit indicta? — 3. Ad clausuram tenentur nunc moniales omnes professæ cujuscunque regulæ, et ordinis, et nominis, et etiam tertiariæ in congreg. viventes, et tria vota essentialia emittentes.— 4. Et si renuant, prohibetur eis receptio ad habitum. — 5. Quamvis clausura non contineatur formaliter in Regula cujuscunque monialis, continetur tamen virtualiter sub tribus votis, et signanter sub voto obedientiæ. — 6. Hinc moniales profitentes hac conditione, ut clausuræ non obligentur, non sunt veræ professæ. — 7. Moniales temere egredientes a clausura sui monasterii, ultra alias gravissimas pœnas, incurrunt ipso facto excommunicationem majorem. — 8. Supradictas pœnas incurrunt episcopi, aliique superiores monia-

Digitized by Google

lium injuste licentiam monialibus egrediendi a monasterio concedentes, et omnes aliæ personæ ipsas moniales injuste, et illicite de monasterio egressas comitantes, vel recipientes, et sic tamen illicitum egressum, vel illius perseverantiam foventes.— 9. Non incurrunt tamen dictas pœnas, qui post illicitum et injustum egressum moniales comitantur, vel recipiunt, non ut cooperentur illi injusto et illicito egressui, seu perseverantiæ in ipso, sed solum, ut earum honori, et honestati consulant, vel gratia urbanitatis, amicitiæ, seu consanguinitatis et affinitatis. — 10. Excommunicationem, et alias dictas pœnas incurrit monialis, quæ ambobus pedibus exit ostium clausuræ uno, vel altero palmo. — 11. Monialis ascendens supra tectum violat clausuram, et incurrit dictas pœnas. — 12. Monialis faciens se dimitti e fenestra correspondente viæ publicæ patenti sæcularibus, quamvis non totaliter descendat, sed maneat suspensa in medio aere pendens ex aliquo fune, clausuram violat et incurrit pœnas. — 13. Item clausuram violat monialis ascendens arborem in horto monasterii et procedens ad ramum omnino prominentem extra murum, etiamsi ascenderit causa recreationis, seu alio fine, dummodo totum corpus perpendiculariter pendeat extra locum clausuræ. — 14. Item clausuram violat monialis se ponens in Rota; eamque volvens versus partem exteriorem, ad quam sæculares accedunt.— 15. Item clausuram violat monialis, quæ appenso fune ex superiori limine portæ clausuræ, eoque manibus apprehenso, ludit ludo navis.— 16. Item clausuram violat monialis egrediens ad spatium, quod est inter januam monasterii clausam, et aliam sæcularibus patentem.— 17. Item clausuram violat monialis accedens ad domos contiguas monasterii inhabitatas a feminis servitricibus; seu ad propriam ecclesiam exteriorem.— 18. Item clausuram violat monialis urbanitatis, vel curiositatis gratia egrediens e proprio monasterio, et in aliud contiguum ingrediens. — 19. A tali excommunicatione violatæ per illicitum egressum clausuræ, seu per cooperationem concedendo licentiam, comitando, et recipiendo sic illicite egressas, si sit publica, absolvit solus Summus Pontifex, vel habens ab eo auctoritatem.— 20. Si autem sit occulta, alii dicunt non posse ab ipsa absolvere episcopum. — 21. Et alii tenent oppositum volentes posse ab ipsa excommunicatione occulta absolvere episcopum, et habentes ab episcopo facultatem. — 22. Quod dicitur de episcopis respectu sæcularium et monialium sibi subjectarum, intelligi etiam debet de prælatis regularibus respectu suorum subditorum. — 23. In foro conscientiæ posse confessarios regulares absolvere a tali excommunicatione, etiamsi sit publica, aut deducta ad forum contentiosum, docent plurimi. — 24. A pœnis privationis officiorum et dignitatum, et inhabilitatis latis a S. Pio V, possunt absolvere pro utroque foro, quoad suos subditos, episcopi et prælati regulares. — 25. Conciliantur dicta supra sub n. 19, cum dictis, sub. verb. Absolutio, art. 1, n. 6.— 26. Moniales possunt in aliquibus casibus de monasterio exire absque incursu pœnarum, et præcipue ex causa magni incendii, vel infirmitatis lepræ, et epidemiæ.— 27. Quid veniat nomine *magni incendii?* nomine *lepræ?* et nomine *epidemiæ?*— 28. Moniales possunt licite egredi etiam in aliis casibus consimilibus prædictis tribus, ut quando grave periculum substat monialibus ratione imminentis belli, inundationis fluminis, ruinæ ædificii, seu alterius gravioris consimilis periculi, nisi exeant.— 29. Occurrente aliquo casu, in quo, juxta dicta, licitus est egressus monialium a monasterio, requiritur licentia superioris. — 30. In Monasteriis subjectis episcopo, seu ordinario loci sufficit licentia solius episcopi, seu ordinarii loci; in monasteriis autem exemptis requiritur ultra licentiam prælati regularis, etiam licentia episcopi, seu ordinarii loci.— 31. Nomine episcopi, qui approbare causam debet et potest, venit etiam vicarius generalis et capitularis. — 32. Si in aliquo ex dictis casibus periculum sit in mora, nec ob distantiam possit superior consuli, tunc moniales in tali necessitate, et periculo possunt licite exire. — 33. Abbatissa an cum licent a solius episcopi et superioris regularis, si sit ei subjecta, possit exire de monasterio ad præstandum principi sæculari domino feudi fidelitatis juramentum, quando illud præstare non potest per procuratorem?— 34. Moniales, licet olim possent de licentia ordinariorum et superiorum monasteriorum transferri ad novum monasterium fundandum, vel etiam reformandum, seu ad officium abbatissatus, seu aliud munus exercendum, tamen hodie quacumque occasione transferri non possunt amplius de monasterio ad monasterium sine speciali licentia Sedis Apostolicæ toties quoties obtinenda. — 35. Facultas, quæ olim, sive de jure communi, sive ex concilio Tridentino locorum ordinariis, vel monasteriorum superioribus super hoc competebat, fuit sublata per constitutionem S. Pii V.— 36. Moniales ex licentia sacr. congregationis egressæ tenentur sub mortali, statim expleta causa egressus, se ad monasterium recipere.— 37. Si autem finita et expleta causa sui egressus, multo spatio extra monasterium morentur ob malum finem, non solum peccant mortaliter, sed etiam incurrunt excommunicationem.— 28. Monialis cum licentia sacræ congregationis egressa ad curandam infirmitatem, et intra domum privatam, non violat clausuram, si huc et illuc vagetur; si tamen in licentia esset præscriptum, ut talis monialis in domo privata servaret clausuram, tunc teneretur ad ipsam.— 39. Monialis cum licentia sacræ congregationis licite egressa ad aliud fundandum monasterium, ad curandam infirmitatem in balneis, et hujusmodi, non violat clausuram, nec graviter peccat, si ea occasione a recto itinere viginti, aut 25, milliaribus deviet ad aliquod sanctuarium colendum, seu ad consanguineos, vel amicos visitandos.— 40. An monialis legitime egressa e suo monasterio, et transiens ad aliud, seu ab balnea, seu in via accedat ad locum, in quo existit monialium monasterium, possit ibi hospitio recipi? ad 41.— 42. Ingressus in monasteria absque justa causa et legitima facultate, est absolute prohibitus omnibus omnino personis a Bonifacio VIII, sed sub nulla censura. — 43. Item a concilio Tridentino sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda, sed nemini reservata.— 44. Deinde S. Pius V id, quod statuit Tridentinum, jussit observari.—45. Gregorius autem VIII idem statuit sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, et Papæ reservata contra præsumentes ingredi monasteria monialium prætextu facultatum, revocando omnes, et quascunque ad id concessas licentias, et imponendo transgressoribus alias gravissimas pœnas. — 46. Item Paulus V inhærendo litteris dicti Gregorii revocavit omnes licentias ab ipso, et aliis pontificibus concessas mulieribus cujuscunque status ac conditionis, quoad ingrediendum monasteria monialium, aut conversandum cum ipsis, prohibendo superioribus, et superiorissis sub gravissimis pœnis ipsas admittere, aut admissas retinere. — 47. Et de mandato Clementis VIII sac. congregatio Episc. et Regul. sub pœna excommunicationis majoris Papæ omnimode reservatæ, intra Italiam et extra Urbem, omnibus prohibuit ingressum in monasteria monialium ad malum finem. — 48. Excommunicatio lata a concilio Tridentino incurritur, etiamsi ingressus non sit ad malum finem, nec prætextu licentiarum: at nulli est reservata. — 49. Excommunicatio lata a Gregorio XIII et Paulo V est Papæ reservata, et incurritur, etiamsi ingressus non sit ad malum finem, et etiamsi non sit ex prætextu licentiarum.— 50. Quis possit absolvere ab excommunicatione, ali-

Digitized by Google

isque pœnis latis a Gregor. XIII et Paulo V in dictis constitutionibus ? *remissive*. — 51. Excommunicatio lata a Clemente VIII per dictum decretum ad ann. 1602, 26, Novembr., incurritur ab omnibus violantibus clausuram monialium ad malum finem. — 52. Et hæc excommunicatio extra urbem, et intra Italiam est reservata Romano Pontifici, ita ut regulares, non obstantibus suis privilegiis, nequeant ab ipsa absolvere. — 53. Imperatores, imperatrices, reges, reginæ, eorumque filii et filiæ possunt absque incursu excommunicationis, aliarumque pœnarum, ingredi cum sua decenti comitiva in monasteria monialium. Vide tamen novissimam dispositionem Benedicti XIV latam infra sub n. 99. — 54. An possint etiam dicta monasteria ingredi ducissæ, aliæque principissæ, duces et principes suprema jurisdictione gaudentes? Vide d. novissimam dispositionem. — 55. An item dicta monasteria possint ingredi fundatrices et fundatores? Vide d. dispositionem. — 56. Mulieres, quibus a Sede Apostolica conceditur licentia ingrediendi monasteria monialium, non possunt ingredi, nisi prius habito consensu monialium, capitulariter præstito per suffragia secreta. — 57. Consensus autem sufficit, quod sit capitulariter præstitus a majori parte monialium. — 58. Pueri et puellæ cujuscunque sint ætatis, nequeunt ingredi et introduci in monasteria monialium, et introducens infantes cujusvis sexus, vel ætatis, incurrit censuras violatæ clausuræ. Unde tolerari non debet, quod puellæ, licet parvulæ, ingrediantur ad libitum, et abbatissa, quæ hæc permittit, privatur officio, voceque passiva. — 59. Nomine monialium introducentium, vel admittentium in clausuram personas non habentes ad id legitimam facultatem, veniunt omnes active influentes in talem ingressum. — 60. Cardinales, aut episcopi, sive alii prælati ingredi non possunt monasteria monialium, quæ eorum jurisdictioni non subsunt. — 61. Neque cardinales legati habent potestatem visitandi moniales et ingrediendi clausuram. — 62. Et a fortiori neque vicelegatus potest clausuram ingredi sine episcopi licentia. — 63. Neque inquisitores, nisi ex causa S. officii. — 64. Neque magistratus et deputati ad clausuram monialium debent ingredi cum episcopo, nisi eos elegerit. — 65. Neque permittere debet episcopus deputari a civitatibus aliquos, qui comitentur visitatores monialium, etiam regularibus subjectarum. — 66. Prælati omnes sæculares episcopali ac etiam cardinalatus dignitate prædíti, nequeunt ingredi clausuram monialium, etiam sibi subjectarum, nisi in casibus necessariis, et comitati a paucis, iisque senioribus, ac religiosis personis. — 67. Si autem contrafecerint, incurrunt interdictum ab ingressu ecclesiæ pro prima vice; pro secunda vero contrahunt suspensionem a Pontificali munere, et a divinis; pro tertia autem vice et deinceps, excommunicatione majori afficiuntur. — 68. Unde non possunt episcopi secum ducere in clausuram ullos laicos tanquam comites et socios. — 69. Adducitur et solvitur instantia. — 70. Propter ejusdem necessitatem, et ad promovendam utilitatem monasterii possunt episcopi secum ducere aliquos peritos laicos. — 71. Non possunt tamen episcopi secum ducere in clausuram plusquam octo personas, alias incurrunt prædictas censuras. — 72 Absolutio tamen ab istis censuris non est Papæ reservata. — 73. Prælati regulares ingredientes extra necessitatem monasteria monialium sibi subjectarum ligantur dicta excommunicatione majori et privantur omnibus officiis et dignitatibus. — 74. Prælati regulares qua ex causa, quomodo, et quando possint ingredi, et visitare clausuram interiorem monialium? — 75. Prælatus regularis, si fuerit generalis, potest secum introducere duos socios sui ordinis: Si fuerit alius a generali, potest introducere secum tantum unum socium sui ordinis. — 76. Nec ipse visitator, nec ejus socii possunt sumere intra clausuram ullam refectionem. — 77. Si ob clausuram, aut aliam urgentem ac necessariam causam oportuerit superiorem regularem eodem anno pluries ingredi septa monasterii, tunc non aliter ingredi potest, quam cum præsentia episcopi diœcesani, vel alterius personæ ecclesiasticæ sæcularis boni exempli ac maturæ ætatis ab ipso episcopo ad hoc specialiter deputatæ. — 78. Si superior regularis supradictis contrafecerit, ipso facto pœnam excommun. et privationem omnium officiorum, quæ obtinet, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, vel alia in posterum obtinenda, vocisque activæ et passivæ absque alta declaratione incurrit; et nihilominus nullis privilegiis et exemptionibus uteri se potest, quominus ab episcopo loci, tanquam ad hoc Sedis Apostolicæ delegato, quoties, et quando opus fuerit, corrigi et puniri valeat. — 79. Confessarii quomodo, et quando pos int ingredi clausuram, *remissive*. — 80. Medici, et chirurgi quando, et quomodo ingredi possint clausuram ? *remissive*. — 81. Factores, syndici, aliique operarii ad monialium servitium necessarii possunt de legitimi superioris licentia ingredi clausuram ad exercenda suæ artis opera, quæ commode extra monasterium exerceri non possunt. — 82. Qui tamen habet licentiam ingrediendi pro uno servitio, non potest ingredi ad aliud servitium præstandum, alias violat clausuram. — 83. Clausuram violant et in excommunicationem Papæ reservatam incidunt mulieres illæ, seu viri, qui cum uno saxo, vel ligno, vel qualibet alia sub re intrant prætextu deferendi necessaria pro fabrica; et ita etiam moniales illæ, quæ tales introducunt. — 84. Secus autem, qui ingreditur etiam sine licentia ad exstinguendum incendium, vel ad servandum seipsum, aut monasterium ab incendio; vel ad succurrendum in aliis casibus repentinæ ruinæ. — 85. Licentiam concedere pro ingressu in clausuram monialium spectat ad episcopum auctoritate quidem propria pro monasteriis sibi subjectis, et auctoritate delegata pro monasteriis subjectis Sedi Apostolicæ. — 86. Item pro dictis monasteriis talem licentiam concedere potest vicarius generalis, si ad hoc habeat speciale mandatum. — 87. Item talem licentiam concedere potest vicarius capitularis etiam pro monasteriis Sedi Apostolicæ subjectis. — 88. Pro ingressu in monasteria regularibus immediate subjecta ad quem spectet licentiam concedere? ad n. 93. — 94. Episcopus potest excommunicationem sibi reservatam imponere circa aperitionem ostii clausuræ monialium etiam regularibus subjectarum. — 95 Episcopus potest visitare clausuram et monasteria monialium regularibus subjectarum, etiam inconsultis et irrequisitis earum superioribus regularibus. — 96. Quoad talem visitationem debet episcopus observare decreta sacræ congregationis Concilii hac de re edita et hic adducta. — 97. Hic juvat addere novissimas resolutiones sacræ congregationis Concilii. — 98. Super clausura monialium attendenda est novissima dispositio Benedicti XIV quæ adducitur. — 99. Alia ad rem ad n. 127.

(1. Clausura, ante tempora Bonifacii VIII fuit solum sub consilio; quamvis enim fuerit multum commendata, et quasi indicta in concil. Carthaginen. I sub ann. 348 et Carthagin. III, can. 33; in conc. Trullano, can. 46, in Cæbilonen. II, can. 62; in Lugdun. II, can. 3, in Matisconen., can. 19; in Aquisgranen., can. 19. Tamen, ut observant Suarez, tom. IV *De relig.*, lib. I, cap. 8, num. 211; Tamburin. *De jure abbatiss.*, disp. 18, quæsit. 3, n. 1; Pellizzarius *De monialibus*, cap. 5, n. 23 et alii passim, non fuit ibi clausura absolute præcepta, sed sub consilio efficaciter commendata; unde pro tunc paulo major ac rigidior clausura imposita fuit fe-

Digitized by Google

minis, quam viris; imposita enim erat ipsis clausura dependenter fere a legitima facultate abbatissæ.

(2. Primo enim sub formali et absoluto præcepto clausuram monialibus indixit Bonifacius VIII in cap. *Periculoso*, unic., De statu regu., in 6. Et deinde concilium Trid., sess. XXV, *De regularib. et monial.*, cap. 5; S. Pius V, constit. incip. *Circa pastoralis officii;* et constit. incip. *Decori et honestati* et Gregorius XIII, const. incip. *Deo sacris.*

(3. Unde ad clausuram tenentur nunc moniales omnes professæ cujuscunque regulæ, ordinis et nominis, etiam tertiariæ in congregatione viventes, et tria vota essentialia emittentes; Bonifac. VIII, in cit. cap. *Periculoso;* concil. Trid. sess. XXV, cap. 5; S. Pius V, in cit. constitut. incip. *Circa pastoralis officii* et constitut. incip. *Decori et honestati* et Gregor. XIII, constit incip. *Deo sacris* et sæpe sæpius sacra congr. Episc. et Regul., et signanter *in Virdunen.* 15 Januar. 1602; *in Constantien.* 25 Jun. 1603, et sæpius etiam sac. cong. Conc. (4. Et si renuant, prohibetur eis receptio ad habitum. S. cong. Episc. *in Pampilon.* 10 Febr. 1593; *in Terracin.* 5 Mart. 1603; *in Constantien.* 13 August. 1616 et sæpe alibi, et expresse S. Pius V, cit. const. incip. *Circa pastoralis officii.* (5. Quamvis enim clausura non contineatur formaliter in regula cujuscunque monialis, continetur tamen virtualiter sub tribus votis. Sacra cong. Episc. *in Zamoren.* 7 Feb. 1592, et signanter sub voto obedientiæ. Eadem sacra cong. Episcop. 16 April. 1619. (6. Hinc moniales profitentes hac conditione, ut clausuræ non obligentur, non sunt veræ Professæ, quia S. Pius V, in cit. constit. incip. *Circa pastoralis officii*, dictas professiones irritat; Miranda, *De sacris monialib.*, qu. 1, art. 4; Lezana, tom. I, *Summæ* cap. 25, n. 17; Emmanuel Roderic., tom. I, *Qq. regular.*, quæst. 47, art. 2; Tamburin., *De jure abbatiss*, disp. 18, quæst. 5, n. 6; Pellizzar., *De monialib.*, cap. 8, n. 54, et alii passim.

(7. Moniales temere egredientes e clausura sui monasterii, ultra alias gravissimas pœnas, incurrunt ipso facto excommunicationem majorem reservatam Papæ. Sic expresse S. Pius V in cit. constit. incip. *Decori et honestati*, ibi : « Aliter autem egredientes, seu licentiam exeundi quomodocunque concedentes, nec non comitantes, ac illarum receptatrices personas, sive laicas, aut sæculares, vel ecclesiasticas, consanguineas, vel non, excommunicationis majoris latæ sententiæ vinculo, statim, eo ipso, absque alia declaratione subjacere, a quo præterquam a Romano Pontifice, nisi in mortis articulo, absolvi nequeant. Et insuper tam egressas, quam præsidentes, et alios superiores prædictos eis licentiam hujusmodi concedentes, dignitatibus, officiis, et administrationibus per eas, et eos tunc obtentis privamus, et illas, et illos ad obtenta, et alia in posterum obtinenda inhabiles... decernimus. »

(8. Supradictas pœnas, ut vides ex d. constitutione S. Pii V incurrunt episcopi, aliique superiores monialium injuste licentiam monialibus egrediendi e monasterio concedentes, et omnes aliæ personæ ipsas moniales injuste et illicite de monasterio egressas comitantes, vel recipientes, et sic talem illicitum egressum, vel illius perseverantiam foventes. (9. Non incurrunt tamen dictas pœnas, qui post illicitum, et injustum egressum moniales comitantur, seu recipiunt, non ut cooperentur illi illicito, et injusto egressui, seu perseverantiæ in ipso, sed solum ut earum honori, et honestati; seu castitati consulant, vel gratia urbanitatis, amicitiæ, aut honoris, seu consanguinitatis, et affinitatis. Sanchez, in *Dec.*, l. v, c. 15, n. 71; Graffius, p. 1 *Decis.*, l. IV, c. 23, n. 17; Zerola, in *Prax. episc.*, p. 1., verb. *Moniales*, ad 15 quæsit., dub. 7; Bonacina, *De clausura*, q. 1, punct. 4, num. 5; Zecchius, *De republ. eccles.*, tit. *De regularibus*, cap. 3, n. 15, Cajetanus de Alexandris, in *Confessario monialium*, cap. 7, § 11, qu. 7; Tamburinus, *De jure abbatis.*, disput. 19, quæst. 2, n. 4, et alii passim.

(10. Excommunicationem et alias dictas, pœnas incurrit monialis, quæ ambobus pedibus exit ostium clausuræ uno, vel altero palmo : Sanch., *ad Decalog.*, lib. VI, c. 15, n. 63; Navar., t. IV, *De regul.*, n. 57; Roder, tom. I, quæst. 49, art. 1; Cajetan. de Alexandris, *loc. cit.*, c. 7, § 1, quæst. 1, Portell., in *Dub. regul.*, verb. *Clausura monial.*, n. 25; Comitol., lib. v, *Respons. moral.*, qu. 3, Donatus, *Prax. rer. regul.*, tom. IV, tract. 4, quæst. 25, n. 2; Bonacina, *De clausura*, q. 1, punct. 4, n. 2, ubi dicit conclusionem procedere etiamsi uno solo palmo se reciperet extra januam clausuræ, et statim redeat. Tamb., *De jure abbatiss.*, disp. 19, quæsit. 4, ad casum. 1; Diana, p. III, tract. 2, *De dub. regul.*, resolut. 52, et part. v, resol. 22, § *Ad hæc;* Gibal., *De sanctimonialib.*, disp. 1, c. 2, § 17, consec. 2, sub. n. 33; Lezana, verb. *Clausura*, n. 7, et alii plures contra Graffium 1 part. *Decis.*, l. IV, cap. 23, et in *Practica de casibus. reservat.*, lib. I, c. 5, n. 45; Nald., in *Summa*, verb. *Clausura*, n. 1; Pellizzar., *De monialib.*, c. 5, sect. 1, quæst. 11, n. 19; Peyrin., t. I, *Privil. minimor.*, in const., 6 Pii V, n. 4; Merola, t. I, d. 1, c. 2, *De volunt.* 7, difficult., n. 502, volentes dictam monialem in casu posito ob parvitatem materiæ excusari a pœnis, et culpa. (11. Monialis ascendens supra tectum violat clausuram, et incurrit dictas pœnas. Sic sacr. C. Episcop. *in Lycien.* 16 Sept. 1609, et *in Comen.* 18 Septemb. ejusdem anni, quæ mandavit cum pœnitentiis salutaribus ad arbitrium quasdam moniales, quæ bona fide ascenderant supra tectum ad siccanda frumenta, et pastas ab ipsis elaboratas, sive ad videndum quoddam festum, cum speciali prohibitione illuc ultra ascendendi propter quamcunque causam; ita apud Nicol., in *Flosculis*, verb. *Moniales*, n. 35; Sanchez autem, *loc. cit.*,

Digitized by Google

lib. VI, cap. 14, n. 7; Tambur., *De jure abbatis.*, disp. 19, q. 4, ad 4 casum; Diana, part. III, tr. 13, *Miscellan.*, resolut. 88; Pellizzar., loc. cit., num. 74; Bonacina, *loc. cit.*, et alii distinguendo sustinent, quod si tectum monasterii correspondeat spatio extra clausuram, censetur extra clausuram, et monialis supra illud ascendens violat clausuram; secus vero si correspondeat spatio intra clausuram, quia tunc, dicunt ipsi, reputatur quædam pars monasterii; at vero forte ipsi non observarunt dictam resolutionem sacræ congregationis, quæ sine tali distinctione processit.

(12. Monialis faciens se dimitti e fenestra correspondente viæ publicæ patenti sæcularibus, quamvis non totaliter descendat, sed maneat suspensa in medio aere pendens ex aliquo fune, clausuram violat, et incurrit pœnas; quia sic se ponit in loco, ad quem patet aditus sæcularibus, media aliqua scala parieti apposita; quod utique prohibetur a Gregor. XIII constit. incip. *Deo sacris;* Pellizzarius, *De monial.*, cap. 5, sect. 2, q. 39, n. 77, cum aliis ab ipso consultis; Donat., *Prax. rer. regular.*, tom. IV, tract. 4, qu. 28, n. 6 et alii.

(13. Item clausuram violat monialis ascendens arborem positam in horto monasterii, et procedens ad ramum omnino prominentem extra murum, etiamsi ascenderit causa recreationis, seu alio fine, dummodo totum corpus perpendiculariter pendeat extra locum clausuræ; quia perfecte accedit ad locum, ad quem sæculares possunt accedere, quod prohibetur a Gregorio XIII, in d. constitut. *Deo sacris;* Donat., *loc. cit.*, n. 4; Pellizar., *loc. cit.*, n. 78; Cajetan. de Alexandris, *loc. cit.*, § 1, q. 1.

(14. Item clausuram violat monialis se ponens in Rota, eamque volvens versus partem externam, ad quam sæculares accedunt, quia vere, et perfecte talis monialis accedit ad locum, ad quem sæculares accedunt, quod est prohibitum a Gregorio XIII, in dict. constit. *Deo sacris*, et se exponit gravi honestatis periculo, propter quod evitandum indicta est clausura in cit. cap. *Periculoso*, unic., De statu regul., in 6; Trid., sess. XXV, *De regularib. et monialib.*, cap. 5, et in cit. constitut. S. Pii V, incip. *Circa pastoralis officii*, et alia ejusdem incip. *Decori et honestati*, et in cit. const. Greg. XIII incip. *Deo sacris*. Sic tenent Gibal., *De clausura sanctim.*, disquisit. 1, cap. 13, § 17, consect. 3; Comitolus, lib. VI *Respons. moral.*, qu. 3; Portel., *De dub. regular.*, verb. *Clausura*, n. 25; Donat., *l. c.*, quæst. 26, per tot., et alii contra Tamburin., *l. c.* ad cass. 5; Dianam, p. II, t. II, res. 52; Pellizzar., *l. c.*, n. 72; Lezanam, t. 1, c. 25, n. 18. (15. Item clausuram violat monialis, quæ, appenso fune ex superiori limine portæ clausuræ eoque manibus apprehenso, se toto corpore a terra elevatam agitat motu reciproco, exeundo nunc scilicet, nunc vero redeundo intra clausuram; qui ludus multis in locis est usitatus satis apud adolescentes, et vocatur ludus navis; talis enim monialis quoad totum corpus per quamlibet agitationem vere exit extra ostium, et limites clausuræ: Donat., *loc. cit.*, q. 27, per tot. Cajetanus de Alexandris, *loc. cit*, § 1, q. 1; Pellizzarius, *loc. cit.*, q. 34, n. 71, cum Diana, card. de Lugo et aliis a se consultis contra Naldum, Sanctarell., Badell., et alios ibi citatos. (16. Item clausuram violat monialis egrediens ad spatium, quod est inter januam monasterii clausam, et aliam sæcularibus patentem, ut habetur clare ex cit. const. Greg. XIII incip. *Deo sacris;* ibi: « Nec itidem licere monialib. etiam tertiariis egredi janua monasterii, quæ est pro clausura ipsius monast. etiam ad claudendum aliam ulteriorem januam, qua patere solet aditus sæcularibus venientibus, vel ad rotam, vel ad crates, seu loca colloquiis destinata, quæ vulgo parlatoria appellantur, vel ad pulsandum ipsam clausuræ januam, quæ loca cum saltem pro causis præfatis patere soleant sæcularibus, extra clausuram censeri debent, etiam tempore quo clausa sunt. » (17. Item clausuram monialis violat accedens ad domos contiguas monasterii inhabitatas a feminis servitricibus; sic etiamsi accedat ad propriam ecclesiam exteriorem; quia ad talia loca patet accessus sæcularium, quod prohibetur a Gregor. XIII in cit. constitut. incip. *Deo sacris*, ut patet e mox adductis ipsius præcisis verbis, et sic tenent doctores communiter. (18. Item clausuram violat monialis, urbanitatis vel curiositatis gratia, egrediens e proprio monasterio, et aliud contiguum ingrediens: imo talis monialis est rea dupliciter violatæ clausuræ, sunt enim duo actus, egressus videlicet et ingressus; unde etiam duplicem contrahit excommunicationem, prout rescripsit sac. C. archiepiscopo Panormitano 21 Augusti 1699 et 14 Septembris ejusdem anni, ut testatur D. Cajetanus de Alexandris, *loc. cit.*, cap. 7, § 1, q. 4.

(19. A tali excommunicatione violatæ per illicitum egressum clausuræ, seu per cooperationem concedendo licentiam, comitando, et recipiendo sic illicite egressas, si sit publica, absolvit solus Summus Pontifex, vel habens ab eo auctoritatem. Sic expresse sanctus Pius V in dict. constitut. incip. *Decori et honestati*, ibi: « A quo (vinculo) præterquam a Romano Pontifice, nisi in mortis articulo absolvi nequeant. » (20. Si autem sit occulta, certant inter se doctores quisnam ab ea possit absolvere. Fagnanus enim, in cap. *Dilectus* 15, De temporibus ordinationum, a n. 30, ad 34, tenet absolute, nec episcopum posse ab ea absolvere, quamvis sit occulta, et adducit decreta sacræ congregationis, et declarationem Pontificiam; ibi: « Sed nunquid episcopus facultate sibi tributa in d. cap. 6, sess. XXIV, in casibus occultis post concilium ex nova lege Sedi Apostolicæ reservatis etiam cum clausula « non obstantibus » absolvere possit? Sacra congregat. censuit non posse. Et in specie cum dubitatum fuerit: « An episcopus et « inquisitores possint hodie ex d. cap. 6, « sess. XXIV, absolvere lapsos in hæresim,

Digitized by Google

« non obstante bulla Cœnæ Domini ? » censuit eam bullam derogasse cap. 6. » Unde frustra nonnulli ex recentioribus Theologis hunc articulum in controversiam adducunt, cum habeamus claram determinationem sacræ congregationis. Præterea, cum dubitasset archiepiscopus Florentinus an, vigore c. 6, sess. XXIV, posset absolvere quamdam monialem, quæ occulte et ad malum finem fregerat clausuram, non obstante bulla S. Pii V quæ videtur habere locum in casu publico? variatum est sententiis. Nam ex decem cardinalibus tres censuerunt bullam intelligendam esse etiam in occultis; quia illius verba sunt generalia, et est tantum exceptus casus, nisi in mortis articulo, etc., et quia jam declaratum, bullam Cœnæ Domini, quæ prohibet ab aliis absolvi, habere locum etiam in occultis, et quia cum bulla sit confecta post concilium, censetur derogasse concilio. Quatuor censuerunt eam bullam non habere locum in casibus occultis; reliqui autem tres dixerunt agendum cum Sanctissimo, qui declaravit, bullam S. Pii V habere locum etiam in occultis : tamen concessit facultatem archiepiscopo absolvendi illam monialem. Unde postea sac. C. generaliter consulta : « An si monialis alicujus monasterii jurisdictioni regularium subjecti secreto deliquerit in materia clausuræ, in foro conscientiæ absolvi possit vigore ejusdem decreti ab episcopo, cui tanquam delegato in iis, quæ ad clausuram pertinent, auctoritas tributa est decreto, cap. 5., sess. XXV, *De regul.*, stante prædicta bulla S. Pii V, » respondit non posse; et Fagn. sequuntur Matthæucci, *Officialis curiæ*, c. 11, n. 21; Sanctarellus, *Tract. de hæresi*, cap. 5, dub. 1, num. 1, cum aliis per ipsum allegatis, ubi etiam ipse affert decretum sacræ congregationis, quæ censuit, approbante Gregorio XIII, bullam S. Pii V etiam in occultis procedere, et sic tenent alii plures.

(21. Oppositum tamen tenent Navarr., tom. II, l. v, *De sentent. excom.*, concil. 43; Diana, part. VII, tractat. 2, *De potest. episcop.* resol. 20; Sanchez, *in Decalog.*, l. VI, c. 15, n. 76; Suarez, *De censur.*, tom. V., disp. 2, sect. 2, n. 10 et 12, in fine; Bonacina, *De censur.*, disp. 1, quæst. 22, punct. 22, n. 2, ubi late de decreto Tridentino, et *Tract. de clausura*, quæst. 1, punct. 5, n. 1. Thesaurus *De pœnis*, II p., *Prax.*, verb. *Clausuram violans*, cap. 9, verb. *Absolvere;* Tamb., *De jure abbatis.*, disp. 19, quæsit. 5, n. 1; Pellizzarius, *De monial.*, c. 5, sect. 2, n. 28; Pignat., t. X, consult. 100, n. 25; Monac., p. I in *Append. adnotat. ad constit. S. Pii V*, n. 4; Felix Potestas, tom. I, p. IV, num. 3511, Roderic., t. I, quæst. 24, art. 19; Toletus, in *Summa*, lib. I, cap. 41, n. 7; Vincentius Candidus, magister sacri Palatii, tom. I, disquisit. 3, art. 28; Donatus, *Prax. rer. regul.*, tom. IV, tract. 5, quæst. 8, n. 9; Lezana, verb. *Clausura*, n. 20, et plurimi alii volentes, quod a dicta excommunicatione, si sit occulta, possit absolvere episcopus vel alius habens ab episcopo facultatem ex concilio Tridentino, sess. XXIV, c. 6; ubi omnes casus occulti illi conceduntur, quod Tridentinum decretum generaliter de omnibus casibus S. Sedi reservatis etiam post Tridentinum volunt intelligi. Nec, dicunt ipsi, in dict. constitut. S. Pii V incipient. *Decori et honestati*, fit mentio dicti concilii, nec de illis decretis et declarationibus allatis numero antecedenti constat authentice; tum quia concludunt quod oppositum servat praxis, cum revera episcopi passim absolvant a tali excommunicatione occulta, et ab aliis similibus.

(22. Quod dicitur de episcopis respectu sæcularium, et monialium sibi subjectarum, intelligi etiam debet de prælatis Regularibus respectu suorum subditorum; quia S. Pius V, constitut. incip. *Romani Pontificis*, edita pro prælatis ordinis S. P. Dominici, concessit, ut gaudeant eo privilegio in foro conscientiæ erga subditos, quo gaudent episcopi erga suos, virtute concilii Tridentini, sess. XXIV, cap. 6, quod privilegium loquitur etiam de superioribus localibus. Sic Tamburin., *De jure abbatiss.*, disp. 19, q. 6, n. 2; Roderic., *Qq. regul.*, tom. I, quæst. 61, n. 8; Donat., *l. c.*, n. 10, cum pluribus ibi adductis; Barbosa, *in Concil. Trident.*, ad dict. sess. XXV, cap. 6, cum plurimis aliis ibi citatis, et alii passim.

(23. In foro conscientiæ posse confessarios regulares absolvere a tali excommunicatione, etiamsi sit publica, aut deducta ad forum contentiosum, docent Tamburin., *De jure abbatiss.*, disp. 19, qu. 5, n. 3; Bonac., *De clausura*, quæst. 1, punct. 5, n. 2; Peyrin., *in const. S. Pii V*, pag. 203, n. 41; item, *in const. Julii II*, et t. I *De subdito*, cit. et secutus a Felice Potest., t. I, part. IV, n. 3492; Donat., *Prax. rerum regular.*, t. I, p. II, quæst. 34, num. 1, cum Sanchez, Roderic, Alphonso de Leon., et aliis ibi citatis; quia S. Pius V, in cit. const. incip. *Decori et honestati*, in reservatione dictæ excommunicationis non comprehendit privilegia regularium; regulares autem ex concessione facta a Paulo III venerabili societati Jesu constit. incip. *Cum inter cunctas*, edita 3 Junii 1545, possunt absolvere ab omnibus casibus, et censuris reservatis Papæ, exceptis contentis in bulla Cœnæ et exceptis casibus reservatis episcopis ex constit. Clementis X incip. *Superna*, et ex proposit. 12 damnata ab Alexandro VII, et etiam exceptis intra Italiam et extra Urbem, aliis sex dictis Clementinis, ex quo de mandato Clementis VIII fuerint reservati a sacra congr. Episc. et Regular. in declaratione sui decreti editi die 9 Januarii 1601 facta per aliud decretum editum anno immediate sequent. 1602, 26 Nov. Unde, cum Paulus III, in dict. constit. *Cum inter cunctas*, concesserit regularibus facultatem absolvendi a censuris sine ulla restrictione, aut limitatione ad occultas, stat, quod possint absolvere ab ipsis, etiam quando sunt publicæ, et deductæ ad forum contentiosum, quia ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus. Cap. *Quia circa* 22, De

Digitized by Google

privil., et l. *De pretio*, ff. *De publiciana in rem action.* Tum quia, quando Summus Pontifex intendit facultatem absolvendi, vel dispensandi limitare ad censuras occultas, solet exprimere dicendo, « dummodo non sint publicæ, vel deductæ de foro externo, » et hujusmodi, ut est videre in d. cap. 6, sess. XXIV, *De reform.*, et docet Sotus in 4 *Sentent.*, dist. 22, art. 3; Donat., *l. c.*, cum aliis ibi adductis, adeoque in non declarando videtur indulgere. *Vide* verb. ABSOLUTIO, art. 1. a n. 41 ad 47.

(24. A pœnis privationis officiorum et dignitatum et inhabilitatis latis in dict. const. S. Pii V, incip. *Decori et honestati*, possunt absolvere pro utroque foro, quoad suos subditos, episcopi et prælati regulares, quia tales pœnæ non sunt reservatæ; nam, ut constat legenti verba præcisa bullæ relata supra sub num. 7, reservatio est facta solum pro excommunicatione. Sic Roderic., tom. I, q. 24, art. 17; Felix Potestas, tom. I, part. IV, num. 3494, et alii.

(25. Hic advertendum venit, quod ea quæ diximus supra n. 19, quod a tali excommunicatione violatæ per illicitum egressum clausuræ, seu per cooperationem ad ipsum concedendo licentiam, comitando et recipiendo sic illicite egressas, si sit publica, absolvit solus Summus Pontifex, vel habens ab eo auctoritatem, non pugnant, cum iis, quæ diximus sub verb. ABSOLUTIO art. 1, num. 6, ubi conclusimus, quod cum impeditis personaliter adire Pontificem, possunt episcopi directe absolvere pro utroque foro etiam ab omnibus casibus publicis reservatis Papæ a jure, aut ab homine, etiam hæresis, et in bulla Cœnæ contentis, ex cap. *Mulierе* 6; cap. *De cætero* 11; cap. *Ea noscitur* 13, et cap. *De monialib.*, 33, De sentent. excommun., non pugnant, inquam, siquidem episcopus, in quantum potest absolvere personas perpetuo impeditas, uti sunt moniales, ab omnibus casibus Papæ reservatis, ad quos alioquin ejus facultas non extenditur, comprehenditur sub iis verbis: « Vel habens ab eo auctoritatem, » adductis supra sub n. 19, cum per citata jura episcopus vere habeat a Papa auctoritatem absolvendi personas perpetuo impeditas, uti sunt moniales, ab omnibus casibus papalibus. Et sic respective dicendum est de prælatis regularibus quoad suos subditos, quos possunt absolvere a dictis casibus ex variis Summorum Pontificum constitutionibus, et præcipue ex constit. Sixti IV incip. *Regimini;* Pauli III incip. *Licet debitum;* S. Pii V incip. *Romani Pontificis*, et alia ejusdem incip. *Dum ad congregationem. Vide* d. verb. ABSOLUTIO, art. 6 ad 40.

(26. Moniales possunt in aliquibus casibus de monasterio exire absque incursu pœnarum et præcipue in tribus expressis a S. Pio V in dict. constit. incip. *Decori et honestati*, ibi : « Nisi ex causa magni incendii, vel infirmitatis lepræ, aut epidemiæ. »

(27. Nomine *magni incendii* venit incendium, cui succurri non potest absque periculo pereundi moniales, si intra claustra morentur. Nomine *lepræ* venit infirmitas ita contagiosa, ut si moniales tali morbo infectæ non egrediantur, omnes aliæ cito periculo evidenti similis infectionis subjiciantur. Nomine *epidemiæ* venit infectio pestilentialis malignam qualitatem præ se ferens, quæ facile ad alios diffunditur cum manifesto mortis periculo, non vero morbus popularis de facili sanabilis. Sic doctores communiter.

(28. Moniales possunt licite egredi e monasterio etiam in aliis casibus consimilibus tribus prædictis a S. Pio V expressis; ut quando grave periculum subsit monialibus ratione imminentis belli, inundationis fluminis, ruinæ ædificii, seu alterius gravioris consimilis periculi, nisi exeant, quia licet S. Pius V, in dict. constit. incip. *Decori et honestati*, utatur dictione *nisi*, quæ videtur excludere omnes alias causas, tamen hæc dictio non excludit casus similes, et urgentiores, ut in l. *Si mora*, verb. *Duntaxat*, ff. *Soluto matrimonio*, ubi Castrens., n. 9, Jason, n. 5, et alii; et sic tenent passim doctores cum Tamburin., *De jure abbatiss.*, disp. 20, quæsit. 2; Pasqualig. in *Lauret.*, n. 30; Barbosa, *De offic. et potest. episcop.*, part. III, alleg. 102, a n. 16.

(29. Occurrente aliquo casu, in quo, juxta dicta, licitus est egressus monialium e monasterio, requiritur licentia superioris : concil. Trident., sess. XXV, *De regularibus et monialibus*, cap. 6, ibi : « Nemini sanctimonialium liceat post professionem exire a monasterio etiam ad breve tempus, quocunque prætextu, nisi ex aliqua legitima causa ab episcopo approbanda. » Et S. Pius V in d. constit. incip. *Decori et honestati*, ibi : « Quæ tamen infirmitas, præter alios ordinum superiores quibus cura monasterio rum incumberet, etiam per episcopum, seu alium loci ordinarium, etiamsi prædicta monasteria ab episcoporum et ordinariorum jurisdictione exempta esse reperiantur, cognita et expresse in scriptis approbata sit. » (30. Ex quibus, ut vides, in monasteriis subjectis episcopo seu ordinario, requiritur et sufficit licentia solius episcopi aut ordinarii loci; cum ipse respectu illorum monasteriorum sit et episcopus et prælatus religionis. (31. In monasteriis autem exemptis requiritur, ultra licentiam prælati regularis, provincialis scilicet aut generalis juxta cujuscunque ordinis institutum, etiam licentia episcopi seu ordinarii loci. Nomine episcopi, qui approbare causam debet et potest, venit etiam vicarius generalis et capitularis, ut tenent passim doctores cum Tamburin., *l. c.*, quæsit. 5, n. 8; Barbosa, *De offic. et potest. episcop.*, part. III, allegat. 102, n. 28; Cajetanus de Alexandris, cap. 7, § 9, quæst. 4; Pellizzar., *l. c.*, cap. 5, n. 37.

(32. Si in aliquo ex dictis casibus periculum sit in mora, nec ob distantiam possit superior consuli, tunc moniales in tali necessitate, et periculo possunt licite exire, quia urgentissimus similis casus videtur per epicheiam exceptus, quia necessitas

Digitized by Google

non habet legem, et quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum: capit. *Sicut* 11, distinct. 1, De consecrat.; capit. *Omnes* 1, De feriis; capit. *Consilium* 2, De observatione jejunior., cap. *Consuluisti* 3; De celebrat. missar., et cap. *Quod non est* 4, De regul. juris. In qualibet enim dispositione intelligitur excepta necessitas; cap. *Licet* 6, De pœniten. et remiss.; et sic tenent communiter doctores cum Tamburin., *l. c.* n. 4; Zecch.. *De republic. ecclesiast.*, tit. *De regularib.*, cap. 3, n. 15; Bonacina, *De clausura*, quæst. 1, punct. 8, n. 9, addentes, moniales in tali necessitate egressas teneri, cum primum poterunt, significare superiori suum egressum.

(33. An autem abbatissa cum licentia solius episcopi et superioris regularis, si sit ei subjecta, possit exire de monasterio ad præstandum principi sæculari domino feudi fidelitatis juramentum, quando illud non potest præstare per procuratorem? Tamburin., *l. c.*, num. 5; Sanchez, lib. IX *Moral.*, c. 15, n. 51; Barbosa, lib. I *Juris. eccles. univers.*, cap. 44, n. 70; Pellizzar., *De monialib.*, c. 5, sect. 2, num. 63, et alii tenent absolute id posse quia expresse est sic concessum a Bonifacio VIII in c. *Periculoso*, unic. De statu regular., in 6, § *Verum*. Attamen, quia S. Pius V expost in d. const. incip. *Decori et honestati*, non concedit monialibus posse exire cum facultate superioris « nisi ex causa magni incendii vel infirmitatis lepræ aut epidemiæ; » nisi adsit periculum in mora perdendi feudum, vel aliud grave damnum incurrendi, petenda videtur licentia a Sede Apostolica vel a sacra congregatione. Unde in Regesto litterarum sacræ congregationis Episc. sub die 15 Januarii 1616, fol. 9, habetur sequens decretum: « Al nuncio di Spagna : SS. D. N. ejus in Hispaniarum regnis nuntio litteras dari mandavit ut omnes archiepiscopos, episcopos aliosve ordinarios inferiores tam seculares quam regulares monialium monasteria eisdem regnis habentes certioret, ne absque Sedis Apostolicæ auctoritate monialibus e monasterii septis egrediendi licentias nullatenus concedant minusque easdem de uno ad aliud monasterium (tribus casibus in bulla S. M. Pii V nominatim expressis exceptis) transferant.» Ita apud Monacell., p. II, tit. 13, formul. 5, n. 16.

(34. Hinc moniales, licet olim possent de licentia ordinariorum, et monasteriorum superiorum transferri ad novum monasterium fundandum, vel etiam reformandum, seu ad officium abbatissatus, seu aliud munus exercendum, tamen hodie quacunque occasione transferri non possunt amplius de monasterio ad monasterium, sine speciali licentia Sedis Apostolicæ toties quoties obtinenda, neque occasione prioratus, vel alterius officii, quibuscunque in contrarium non obstantibus, ex decreto Pauli V publicato a sacra congreg. Episcop. et Regular. sub die 22 Decembris 1617, et generalibus ordinum procuratoribus intimato, et relato a Nicolio in *Flosculis*, verb. *Monialis*, n. 19, et ab aliis passim. (35. Nam facultas, quæ olim, sive de jure communi sive ex concilio Tridentino, locorum ordinariis, vel monasteriorum superioribus super hoc competebat, fuit sublata per d. constitutionem S. Pii quæ incipit *Decori et honestati*, ut eadem sacra congreg. declaravit die 30 Maii 1631, apud Nicolium, *loc. cit.*, n. 19.

(36. Moniales ex licentia sacræ congregationis egressæ tenentur sub mortali, statim expleta causa egressus, se ad monasterium recipere, ex cap. *Periculoso*, unic., De statu regular., in 6, § *Verum*, et ex constit. S. Pii V incip. *Decori et honestati*, et Gregorii XIII incip. *Deo sacris*. Hoc tamen intelligendum est moraliter, et non metaphysice, adeo ut, si per breve spatium v. g. unius, vel alterius diei ingressum suum in monasterium differrent, non peccarent mortaliter. Tamburin., *De jure abbatiss.*, disput. 20, quæst. 7, n. 2 et 3, cum Sanchez., Victorell., et aliis ibi citatis, Barbosa, *De offic. et potest. episcop.*, allegat. 102, n. 58, et alii. (37. Si autem finita et expleta causa sui egressus, multo spatio extra monasterium morentur ob malum finem, non solum peccant mortaliter, sed etiam incurrunt excommunicationem. Bonacina, *De clausura*, qu. 4, punc. 4, n. 22; Merola, in *Disp. theol. moral.*, t. I, disp. 1, difficul. 7, n. 498; Barbosa, *l. c.*, n. 58; Castropalaus, tract. 16, disp. 4, p. 9, n. 21; Sanctorus, in *Constitut. Minor.*, cap. 11, statut. 7, qu. 2, et alii.

(38. Moniales cum licentia sacræ congregationis egressæ ad curandam infirmitatem, et intra domum privatam inclusa non violat clausuram, si huc et illuc vagetur, quia monialis non tenetur ad clausuram, nisi intra proprium monasterium. Domus autem illa privata non est monasterium. Unde, cum obligatio clausuræ sit odiosa, non debet ampliari, sed restringi, sicque non debet extendi ad loca, quæ proprie non sunt monasterium; arg. cap. *Odia* 15, De regul. juris, in 6; Sanchez, lib. VI *Moral.*, cap. 16, n. 9; Navarr., *Comment. 4 de regular.*, n. 44, not. 4; Victorell., *De orig. et clausur. monial.*, vers. *Monialis professa;* Tamburin., *loc. c.*, disp. 19, quæsit. 4, ad 9; Pellizzar, *loc. cit.*, cap. 5, n. 82; Cajetanus de Alexandris, *loc. c.*, c. 7, § 9, q. 12, et alii. Si tamen in licentia esset præscriptum, ut talis monialis in domo privata servaret clausuram, tunc teneretur ad ipsam, cum licentia esset concessa solum cum tali obligatione. Sic Pellizzar., *loc. cit.;* Cajetanus de Alexandris, *loc. cit.*, et alii.

(39. Monialis cum licentia sacræ congregationis licite exiens e suo monasterio ad aliud v. g. fundandum, ad curandam infirmitatem in balneis, et hujusmodi, non violat clausuram, nec graviter peccat, si ea occasione a recto itinere viginti, vel viginti-quinque milliaribus deviet ad aliquod sanctuarium colendum, seu ad consanguineos, vel amicos visitandos, quia hoc non fit in fraudem clausuræ. Sanchez, *loc. cit.*, c. 15, n. 61; Bonacina, *De clausura*, quæst. 1, punct. 8, n. 24; Gottierez, lib. I, cap. 14;

Digitized by Google

Tamburin., *loc. cit.*, disp. 20, quæsit. 7, n. 4; Pelizzar., *loc. cit.*, cap. 5, n. 55; Castropal., tract. 16, disp. 4, part. IX, n. 19; Roderic., tom. I, quæst. 47, art. 11, et alii.

(40. An monialis legitime egressa e suo monasterio, et transiens ad aliud, seu ad balnea, si in via accedat ad locum, in quo existit monialium monasterium, possit ibi hospitio recipi? variant doctores. Sanchez enim, lib. VI *Moral.*, cap. 16, n. 10; Peyrin., tom. II *Privil. constit.* 6 *S. Pii* V, num. 28; Tamburin., *De jure abbatissar.*, disput. 24, quæsit. 15, a n. 1; Pellizzar., *loc. cit.*, cap. 5, num. 107; Donat., *Prax. rer. regular.*, tom. IV, qu. 14, et alii respondent cum distinctione: Aut ista monialis petit admitti intra monasterium ejusdem ordinis, et habitus, et sic excipi potest absque alia licentia superioris, non solum causa hospitii, sed etiam in casu, quo illa degeret in aliqua domo privata ad recuperandam sanitatem, et vellet ingredi monasterium, gratia recreationis et hujusmodi, quia talis monialis non est extranea, cum sit ejusdem ordinis, ac habitus, adeoque non cadit in illam prohibitio ingrediendi monasteria monialium, quæ comprehendit solum extraneos; vel monialis petit admitti in monasterium diversi ordinis et habitus, et tunc, si ibi non adsit monasterium proprii ordinis, potest in ipso admitti de licentia tamen superioris illius monasterii, et non aliter, quia religiosa charitas, quæ religiosis personis maxime convenit, et honestas status monialis exigit, ut ibi in hospitio recipiatur. Secus autem si divertere vellet in dictum monasterium diversi ordinis, non causa necessarii hospitii, sed gratia recreationis, aut invisendi monialem consanguineam aut amicam, quia tunc nequit ibi excipi, ne quidem de licentia superioris, quia monialis itinerans respectu talis monasterii est vere extranea, adeoque ex hac sola causa non potest in illud admitti, sicuti nec potest admitti quæcunque alia persona extranea.

(41. Castropalaus autem, part. III, disp. 4, p. 10, n. 4; D. Cajetanus de Alexandris, *loc. cit.*, cap. 7, § 7, qu. 8, et alii negant absolute posse talem monialem admitti in monasterium, sive sit ejusdem ordinis, sive diversi, quia unum monasterium non communicat cum alio in clausura, quod ut dicit citatus Cajetanus, est de mente sacræ congregationis, quæ consulta, an moniales advenæ essent admittendæ intra clausuram? respondit negative *in Pistorien.* 16 Junii 1585, quam forte declarationem non observarunt doctores primæ sententiæ.

(42. Ingressus in monasteria monialium absque justa causa, et legitima facultate est absolute prohibitus omnibus omnino personis a Bonifacio VIII in cap. *Periculoso* unic., De statu regul., in 5, sed sub nulla censura. (43. Item a concilio Tridentino, sess. XXV, *De regularib. et monialib.*, cap. 5, sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda, sed nemini reservata, ut apparet ex textu: ibi: « Ingredi autem septa monasterii nemini liceat cujuscunque generis aut conditionis, sexus vel ætatis, sine episcopi vel superioris licentia in scriptis obtenta, sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda. » (44. Deinde S. Pius V idem, quod statuit concilium Trid. jussit observari in sua constitutione incip. *Circa pastoralis officii.* (45. Gregorius autem XIII constitut. incipient. *Ubi gratiæ*, idem statuit sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, et Papæ reservata contra præsumentes ingredi monasteria monialium prætextu facultatum a Summo Pontifice, vel a legatis seu ab aliis concessarum, revocando omnes, et quascunque licentias a quibusdam concessas ingrediendi monasteria monialium; et præter excommunicationem ipso facto incurrendam, et Summo Pontifici reservatam, imposuit etiam pro abbatibus, et abbatissis, aliisque monasteriorum utriusque sexus superioribus et personis, privationem dignitatum, beneficiorum, et officiorum, et inhabilitatem ad illa in posterum obtinenda. (46. Item Paulus V constitutione incip. *Monialium statui*, inhærendo litteris dicti Gregori XIII sui prædecessoris, revocavit omnes licentias ab ipso, et aliis Pontificibus concessas mulieribus cujuscunque status, ac conditionis quoad ingrediendum monasteria monialium, aut conversandum cum ipsis; et præterea prohibuit abbatissis, seu priorissis, ac superioribus, ne dictas mulieres introducere seu admittere, vel admissas quoquomodo retinere audeant seu præsumant; idque sub pœna excommunicationis majoris reservatæ Summo Pontifici, et sub omnibus aliis pœnis contentis in cit. constitutione Gregorii XIII. (47. Et de mandato Clementis VIII, sacra congreg. Episc. et Regul. 26 Novemb. 1602, sub pœna excommunicationis majoris Papæ omnimode reservatæ intra Italiam et extra Urbem, omnibus prohibuit ingressum in monasteria monialium ad malum finem.

(48. Excommunicatio lata a concilio Tridentino incurritur, etiamsi ingressus non sit ad malum finem, nec prætextu licentiarum; at nulli est reservata, cum a concilio, *loco citato*, nulla fit reservationis mentio; unde potest absolvi a confessario approbato ab ordinario loci, ut docent Donat., tom. IV *Prax. rerum regul.* tract. 5, q. 1, n. 3; Tamburin., *De jure abbatissar.*, disp. 22, quæst. 1, n. 3; Roderic., tom. III, *Qq. regular.*, q. 47, art. 2, et alii passim.

(49. Excommunicatio lata a Gregorio XIII et Paulo V est Papæ reservata, et incurritur, etiamsi ingressus non sit ad malum finem, ut omnes concedunt, et etiamsi non sit ex prætextu licentiarum, ut tanquam in praxi tutius, et verius tenent Narvarr., comment. 4 *De regular.*, sub num. 624, et in *Manuali*, cap. 27, De censuris, sub n. 150, verb. *Adde his primo*; Quaranta, in *Summa bullar.*, verb. Monasteria monialium, in calce constitut. Gregorii XIII incip. *Ubi gratiæ*; Beja in suis *Responsionibus*, I p., cas. 30, verb. *Hæc omnia*, ubi docet de praxi totius Italiæ; Villagut., *Tract. de usuris*, q. 33, n. ultim., ubi testatur sic responsum

Digitized by Google

fuisse ab ipsomet Gregor. XIII consulto a S. Carolo Borromæo, Flavius Cherubin., in *Compend. bullar.*, tom. II, schol. 1, ad constitut. Gregorii XIII incip. *Ubi gratiæ*, ubi testatur de praxi pœnitentiariæ, Donat., tom. IV, *Prax. rer. regular.*, tractat. 1, quæst. 2, a n. 6, ubi ex aliis testatur Gregorium XIII declarasse, suam mentem fuisse comprehendere quoscunque ingredientes, et admittentes, sicut fecit S. Pius V, constit. incip. *Regularium*, respectu mulierum quarumque ingredientium conventus regularium : ibi : « Declaramus fuisse, et esse mentem et intentionem nostram, quod prædictæ litteræ non solum comprehenderent, et comprehendant mulieres, habentes et prætendentes facultatem et indulta ingrediendi monasteria, sed etiam omnes, et quascunque mulieres alias, tam in specie, quam in genere. » Unde P. Suarez, tom. IV *De relig.*, lib. I, cap. 7 n. 9, retractans quæ dixerat disp. 22, *De censuris*, sect. 6, n. 11, mutavit sententiam ; et sic tenent Azorius, Roderic. Zecchius, Graffius, Comitolus, Filliucius, Peyrinus, Merola, Thesaurus, Homobonus, Raynerius, Riccius, Megala, Coriolanus, et alii relati a Donat., *loc. cit.*, contra Sanchez, Sayrum, Mirandam, Barbosam, Dianam, Zerolam, Portellum, Tamburinum, Pellizzarium relatos ab ipso Donato, *loc. cit.*, n. 2; Felicem Potestat., tom. I, p. IV, n. 3489, et alios plures volentes talem excommunicationem non incurri, nisi egressus fiat sub prætextu licentiarum.

(50. Quis autem possit absolvere a dicta excommunicatione, aliisque pœnis latis a Gregorio XIII et Paulo V in dictis constitutionibus ? *Vide supra*, a n. 19 ad 25.

(51. Excommunicatio lata a Clemente VIII per decretum de anno 1602, 26 Novemb. incurritur ab omnibus violantibus clausuram monialium ad malum finem, ut patet ex verbis præcisis decreti, ibi : « Violationis clausuræ monialium ad malum finem. »

(52. Et hæc excommunicatio est reservata Romano Pontifici extra Urbem, et intra Italiam ; unde ab ipsa non possunt extra Urbem, et intra Italiam absolvere regulares, non obstantibus suis privilegiis, ut expresse fuit statutum de mandato Clementis VIII, a sacr. congreg. Episcop. et Regular. in decreto de anno 1602, 26 Novembris. *Vide* verb. ABSOLUTIO a n. 43 ad 47.

(53. Imperatores, imperatrices, reges et reginæ; eorum filii et filiæ possunt absque incursu excommunicationis, aliarumque pœnarum ingredi cum sua decenti comitiva in monasteria monialium, quia hujusmodi personæ, ratione excellentiæ et dignitatis, non comprehenduntur in dispositionibus odiosis, nisi exprimantur; Sanchez, lib. VI *Moral.*, c. 16, n. 3, c. 17, n. 5 ; Suarez, t. IV *De religion.*, lib. I, c. 7, n. 5, in fine; Emmanuel Rodriq., t. I, quæst. 47, artic. 1 ; Joannes Crucius, in *Epitom.*, lib. I, c. 5, dub. 1, conclus. 1, in fine; Tamburin., *De jure abbatissar.*, disp. 24, quæst. 20; Gibalin., *De sanctimonialib.*, disquis. 1, c. 4, § 2, conclus 1, n. 2; Donat., t. IV *Prax. rerum regular.*, tract. 5, quæst. 12; Bordon., *Variar. resolut.*, part. II, resol. 26, n. 35; Cajetanus de Alexandris, in *Confessario monial.*, c. 7, § 7, et alii passim cum praxi universali; Barbosa tamen *in Tridentin.*, sess. XXV, *De regular. et monial.*, cap. 5, n. 47; Bonacina, *De clausura*, quæst. 4, punct. 1, n. 4, tenent probabiliter contrarium. *Vide* novissimam dispositionem Benedicti XIV allatam infra sub. n. 98.

(54. An autem possint etiam dicta monasteria ingredi ducissæ, aliæque principissæ, duces, et principes suprema jurisdictione et auctoritate gaudentes? Negant passim doctores, quia S. Pius V, const. incip. *Regularium personarum;* Gregorius XIII, constit. incip. *Ubi gratiæ*; Paulus V, constit. incip. *Monialium statui*, expresse interdixerunt talem ingressum, « etiam comitissis, marchionissis et ducissis ; » attamen etiam de istis videtur praxis contraria. *Vide* d. dispositionem sub n. 98.

(55. An item dicta monasteria possint ingredi fundatrices, et fundatores? Negant passim doctores, et ita fuisse decisum a sacra congreg. Concilii, refert Aldan. in *Compend. canonic. resolut.*, lib. I, tit. 8, n. 12; Barbosa, in *Summa Apostolic. decis.*, verb. *Monialium clausura circa ingressum*, n. 7, et Donat., t. IV *Prax. rer. regular.*, tract. 5, quæst. 13, n. 7, præcisis his verbis : « Monialium monasteria ingredi deinceps non permittitur mulieribus sæcularibus, ne quidem fundatricibus, aut dominatricibus ad breve vel ad longum tempus, etiamsi a Sede Apostolica hoc eis specialiter esset indultum; cum Pauli V, constitutione de anno 1612, edita id fuerit in genere revocatum. » Et Nicolius in *Flosculis*, verb. *Fundator*, sic refert : « Sacra congregatio, etc., censuit, fundatores monasteriorum monialium non posse earumdem clausuram ingredi, nec a monialibus recipi, nisi in litteris Apostolicis erectionis secus expresse caveatur. » Eadem sacra congreg. *in una Regularium* 17 Augusti 1639. *Vide* verb. CONVENTUS, art. 3, a n. 17 ad 22, et dictam dispositionem infra n. 98.

(56. Mulieres, quibus a Sede Apostolica conceditur licentia ingrediendi monasteria monialium, non possunt ingredi, nisi prius habito consensu monialium capitulariter præstito per suffragia secreta : Urban. VIII, constit. incip. *Sacrosanctum apostolatus ministerium.* (57. Consensus autem sufficit, quod sit capitulariter præstitus a majori parte monialium; cap. 1, *De his quæ fiunt, a majori parte capit.*, cum similibus : cum enim Pontifex non determinet, an consensus sit præstandus ab omnibus monialibus, censendum est voluisse istud relinquere dispositioni Juris communis; l. *Commodissime*, ff. *De lib. et posthum.*

(58. Pueri, et puellæ cujuscunque sint ætatis, nequeunt ingredi, et introduci in monasteria monialium : concil. Trident., sess. XXV, *De regularib. et monialib.*, cap. 5 : ibi : « Ingredi autem septa monasterii nemini liceat, cujuscunque generis, aut

Digitized by Google

conditionis, sexus, vel ætatis fuerint; » Et sæpe sæpius declaravit sacra congr. Episcop. et Regular. quod introducens infantes cujusvis sexus, vel ætatis incurrit censuras violatæ clausuræ, et signanter *in Tudertina* 7 April. 1579; *in Neapolit.* 22 Mart. 1580; *in Cremonen.* 12 Februar. 1585; *in Laurinen.* 10 Jun. 1650. Unde tolerari non debet, quod puellæ, licet parvulæ, ingrediantur, et egrediantur ad libitum. Eadem sacra congreg. *in Pistorien.* 24 Februar. 1579, et abbatissa, quæ hoc permittit, privatur officio, voceque passiva. Eadem sacr. congreg. Episcop. *in S. Sever.* 8 Maii 1595.

(59. Nomine monialium introducentium, vel admittentium in clausuram personas non habentes ad id legitimam facultatem veniunt omnes active influentes in talem ingressum, ut sunt invitantes, consulentes, hortantes, approbantes, monstrantes iter, auferentes impedimenta, januam aperientes, eas recipientes, concedentes, et auctoritative, sive ratione sui officii permittentes, ut intrent. *Vide* verb. CONVENTUS, art. 3, a n. 30 ad 32.

(60. Cardinales, aut episcopi, sive alii prælati ingredi non possunt monasteria monialium, quæ eorum jurisdictioni non subsunt, ut colligitur ex cap. *Periculoso.* unic., De statu regular., in 6, ex concilio Tridentino, sess. XXV, *De regular. et monialib.*, cap. 5, ex constitutione S. Pii V incip. *Circa pastoralis officii*, constitut. Gregor. XIII, incip. *Ubi gratiæ*, et alia ejusdem incip. *Dubiis*, et tenent Tamburin., *De monialib.*, disp. 24, quæst. 9, n. 1; Donat., t. IV *Prax. ter. regular.*, quæst. 24; Cajetanus de Alexandris, in *Confessario monial.*, cap. 7, § 4, q. 3, et alii passim.

(61. Neque cardinales legati habent potestatem visitandi moniales, et ingrediendi clausuram. Sacr. congr. Episcopor. et Regular. *in Bononien.* 30 Septembr. 1630, approbante Innocentio X. (62. Et a fortiori neque vice legatus potest clausuram ingredi sine episcopi licentia, ut declaravit sacra congr. Episc. 8 Mart. 1605, apud Gavant., in *Manual. episc.*, verb. *Monialium clausura*, n. 29. (63. Neque inquisitores, nisi ex causa S. Officii, ut declaravit congreg. S. Officii 16 Februar. 1628 apud Cajetanum de Alexandris, *loc. cit.*, quæst. 3. (64. Neque magistratus, et deputati ad curam monialium debent ingredi cum episcopo, nisi eos elegerit sacr. congr. Episcop. et Regul. apud Gavant., *loc cit.*, n. 30. (65. Neque permittere debet episcopus deputari a civitatibus aliquos, qui comitentur visitatores monialium regularibus etiam subjectarum, prout decrevit eadem sacra congregatio Episcop. 22 Januar. 1616, apud Gavant., *l. c.*, n. 62.

(66. Prælati omnes sæculares episcopali, ac etiam cardinalatus dignitate præditi nequeunt ingredi clausuram monialium etiam sibi subjectarum, nisi in casibus necessariis, et comitati a paucis, iisque senioribus, ac religiosis personis. Sic expresse statuit Gregorius XIII, constit. incip. *Dubiis.* (67. Si autem contrafecerint, incurrunt interdictum ab ingressu ecclesiæ pro prima vice, pro secunda vero contrahunt suspensionem a pontificali munere, et a divinis, pro tertia autem vice, ac deinceps, excommunicatione majori ipso facto afficiuntur; sic expresse Gregorius XIII in d. constitut. incip. *Dubiis.*

(68. Unde non possunt episcopi secum ducere in clausuram illos laicos tanquam comites et socios. *Vide* verb. EPISCOPUS, art. 6, n. 99. (69. Adducitur, et solvitur instantia. *Vide ib.*, n. 100. (70. Propter necessitatem tamen, et ad promovendam utilitatem monasterii possunt episcopi secum ducere aliquos peritos laicos. *Vide ib.*, n. 101. (71. Non possunt tamen episcopi secum ducere in clausuram plusquam octo personas, alias incurrunt prædictas censuras. *Vide ibid.*, n. 102 et seq. (72. Absolutio tamen ab istis censuris non est Papæ reservata. *Vide ibid.*, n. 105.

(73. Prælati regulares ingredientes extra necessitatem monasteria monialium sibi subjectarum ligantur dicta excommunicatione majori, et privantur omnibus officiis, et dignitatibus. Gregorius XIII in d. constit. incip. *Dubiis.* (74. Nec possunt prælati regulares ordinarie ingredi monasteria monialium : « Nisi ex causa visitationis localis, et hoc semel tantum in anno; ita ut in eo anno, in quo unus ex memoratis superioribus visitavit, alius superior a visitatione hujusmodi se omnino abstineat..... Visitet autem superior regularis interiorem clausuram per se ipsum, non autem per alium, etiamsi fuerit legitime impeditus, quo casu differatur visitatio in aliud tempus, quo cessaverit impedimentum, et visitationem celeriter, et unica die, debita tamen cum diligentia absolvat, nec ante ortum solis eam incipiat, nec post occasum protrahat..... Visitatio vero personarum fiat ad crates, et omnino extra clausuram monasterii, et per ipsummet et superiorem duntaxat, ut supra dictum est de visitatione interioris clausuræ. » Sic expresse statuit Alexander VII, constitut. incip. *Felici sacrarum virginum statui.* Ex quibus dictæ constitutionis verbis clare patet, non posse superiores regulares delegare alios ad visitationem monialium, sed ipsam posse solum peragere per se ipsos. Et idem addendum est ad dicta sub verb. PRÆLATUS REGULARIS, n. 39. (75. Prælatus regularis, si fuerit generalis, potest secum introducere duos socios sui ordinis : si fuerit alius a generali, potest introducere secum tantum unum socium sui ordinis, exclusis omnibus aliis, etiam ratione officii. Alexander VII, in cit. constitut. incip. *Felici.* (76. Nec ipse visitator, neque ejus socii possunt sumere intra clausuram ullam refectionem. Alexander VII, *ibidem.* (77. Si ob clausuram, aut aliam urgentem, et necessariam causam oportuerit superiorem regularem eodem anno pluries ingredi septa monasterii, tunc non aliter ingredi potest, quam cum præsentia episcopi diœcesani, vel alterius personæ ecclesiasticæ sæcularis, boni exempli

Digitized by Google

ac maturæ ætatis, ab ipso episcopo ad hoc specialiter deputatæ. Ita expresse Alexander VII, *ibid.* (78. Si superior regularis supradictis contrafecerit, ipso facto pœnam excommunicationis, et privationis omnium officiorum, quæ obtinet, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, vel alia in posterum obtinenda, vocisque activæ et passivæ absque alia declaratione incurrat. Et nihilominus nullis privilegiis, et exemptionibus tueri se possit quominus ab episcopo loci, tanquam ad hoc Sedis Apostolicæ delegato, quoties, et quando opus fuerit, corrigi, et puniri valeat. Sic præcise Alexander VII, in cit. constit. incip. *Felici*.

(79. Confessarii quomodo, et quando possint ingredi clausuram? *Vide infra* art. 5, a n. 50.

(80. Medici et chirurgi quando, et quomodo ingredi possunt clausuram monialium. *Vide* verb. MEDICUS, a n. 13 ad 18.

(81. Factores, syndici, aliique operarii ad monialium servitium necessarii possunt de legitimi superioris licentia ingredi clausuram ad exercenda suæ artis opera, quæ commode extra monasterium exercere non possunt. *Communis*. (82. Qui tamen habet licentiam ingrediendi pro uno servitio, non potest ingredi ad aliud servitium præstandum, alias violat clausuram, cum licentia non se extendat ultra opera suæ artis. Sic decrevit sacr. congr. Episcop. et Regul. *in Ferrarien.* 6 August. 1601; *in Spoletana* 1 Octobr. ejusdem anni; *in Pisaurien.* 14 Jun. 1630.

(83. Clausuram violant, et in excommunicationem Papæ reservatam incidunt mulieres illæ, seu viri, qui cum uno saxo, vel ligno, vel qualibet alia re intrant sub prætextu deferendi necessaria pro fabrica. Et ita etiam moniales illæ, quæ tales introduount. Sic decrevit sacra congr. Episcop. et Regular. *in Insernien.* 11 Jun. 1583, apud Nicol. in *Floscul.*, verb. *Clausura*, n. 40.

(84. Secus autem, qui ingreditur, etiam sine licentia, ad exstinguendum incendium, vel ad servandum seipsum, aut monasterium ab incendio, vel ad succurrendum in aliis casibus repentinæ ruinæ: Sacr. congr. Episcop. et Regular. *in Interamnen.* 17 Decembr. 1601; *in Alatrina* 12 Mart. 1602; *in Spoletana* 27 Maii 1603.

(85. Licentiam concedere pro ingressu in clausuram monialium spectat ad episcopum auctoritate quidem propria pro monasteriis sibi subjectis, et auctoritate delegata pro monasteriis Sedi Apostolicæ subjectis. Sic decisum fuisse referunt Barbosa, *De offic. et potest. episcop.*, part. III, alleg. 102, n. 38; Tamburin., *De jure abbatiss.*, disp. 23, quæsit. 1, n. 3, et tenent communiter doctores. (86. Item pro dictis monasteriis talem licentiam concedere potest vicarius generalis, si ad hoc habeat speciale mandatum: « non enim sufficit generalis facultas, » ut declaravit sac. congr. Conc. apud Suarez, *De relig.*, t. IV, tract. 8, lib. II, cap. 10, n. 11; Cajetanus de Alexandris, in *Confessario monialium*, cap. 7, § 2, quæst. 2. Pellizzar., *De monialib.*, cap. 5, n. 147, et apud Matthæucci, *Officialis curiæ* c. 11, n. 9. (87. Item talem licentiam concedere potest vicarius capitularis etiam pro monasteriis Sedi Apostolicæ subjectis, quia capitulum seu vicarius capitularis succedit episcopo etiam in jurisdictione delegata, quando hæc est in perpetuum commissa muneri episcopali, ut advertit Molina, *De justitia*, tom. VI, tract. 5, disp. 11, sub num. 8, et 9; Barbosa, *De offic. et potest. ep.*, part. III, allegat. 133, num. 21. Et sic tenent Tamburin., *loc. cit.*, quæsit. 2, num. 4; Pellizzar., *loc. cit.*, n. 148; Cajetanus de Alexandris, *loc. cit.*, quæst. 2; Donat, *Prax. rer. regul.*, tom. IV, tract. 6, q. 16, n. 1, et alii passim.

(88. Pro ingressu in monasteria regularibus immediate subjecta, stando in jure concilii Tridentini, sufficere videtur sola licentia superioris regularis; quia concilium, sess. XV, *De regular. et monialib.*, cap. 6, utitur disjunctiva *vel*; ibi: « Ingredi autem intra septa monasterii nemini liceat cujuscunque generis, sexus vel ætatis fuerit, sine episcopi vel superioris licentia. » Et de facto, die 19 Jun. 1597: « Sac. cong. Cardinalium conc. Tridentini interpretum censuit licentias ingrediendi intra septa monialium ex vera tantum necessitate concedendas, quoad monasteria regularibus subjecta, pertinere duntaxat ad ipsos superiores regulares. » Quod decretum referunt emin. cardin. Bellarmin., in d. cap. 5, Trident. sess. XV, *De regularib.*; Tamburin., *loc. cit.*, quæst. 1, n. 6; Donat., *loc. cit.*, q. 17, n. 9; Barbosa, *De offic. et potest. episcop.*, part. III, allegat. 102, n. 41, ubi testatur se vidisse tale decretum subscriptum ab eminent. card. Millino.

(89. Et sic etiam fuit ab eadem sac. congregatione Concilii novissime resolutum *in Hieracensi* 26 Januar. 1692, in contradictorio judicio, ut patet ex decreto authentico subscripto ab eminentiss. card. Petra tunc ejusdem sacræ congreg. secretario, et suo sigillo munito asservato in archivio hujus conventus S. Bernardini Alexandriæ Min. de observantia, ut sequitur:

Hieracen. Visitationis.

« Intra diœcesim in oppido Castri veteris adest monasterium monialium B. Mariæ Vallis Viridis subjectum jurisdictioni priorissæ Messanensis, et pro tali a sacra congregatione reputatum anno 1597. In contradictorio judicio inter d. priorissam et tunc temporis episcopum Hieracensem.

« Ad visitationem hujus monasterii curavit accedere anno 1690 modernus episcopus, qua quoad clausuram acta, volens eam perficere quoad singulas moniales, fuit impeditus; quare, præsupposita asserta exemptione, utraque parte citata ac informante supra infrascriptis dubiis concordatis dignentur EE. VV. respondere.

« Quinto, an medici aliique ministri necessarii ingredi possint cum sola licentia et approbatione delegati, absque licentia vel consensu episcopi?

Digitized by Google

« Die 26 Januarii 1692, sacra congregat. eminentiss. S. R. E. Cardinalium concilii Tridentini interpretum, juribus ab utraque parte deductis mature perpensis, censuit ad quintum danda esse decreta in hac ipsa Hyeracon. a sacra congregatione Concilii edita de anno 1681; ad tertium dubium tenoris sequentis: « Tertio item, se sotto nome « d'Infermità, Fantesche ordinarie, Garzoni, « quali hanno da portare grano, farina, legna, « acqua, ed altre cose necessarie, Sartori, « Muratori, Falegnami, e Procuratori pos- « sano, o non possano entrare in detto Mo- « nastero? »

« Sacra congregatio respondit, licentiam ingrediendi monasteria spectare ad superiorem regularem, ex cap. 5, sess. 25, de regular.

« Ita reperitur in Regesto autographo ejusdem sacræ congregat. Concil., lib. *Decretorum* 42, fol. 45. In quorum fidem etc. hac die 27 Jun. 1708.

« V. Petra, secretarius. »

Quod decretum, cum, ut vides, sit editum a sacra Conc. congregatione, juribus ab utraque parte deductis, mature perpensis, et authentice habeatur subscriptum, et suo sigillo munitum a S. R. E. eminentissimo principe cardinali Petra, non est parvi faciendum.

(90 Attamen eadem sacra congregatio Concilii pluries contrarium statuit, et signanter in decreto, Papa approbante, emanato 13 Novemb. 1610, et iterum renovato an. 1630 *in Bellunen.*, ubi dicitur: « Lecto in S. cong. decreto circa ingredientes septa monasteriorum, omnes censuerunt illud esse edendum, et est tenoris sequentis: tametsi alias sacr. congr. Concil. declaraverit licentiam ingrediendi septa monasteriorum monialium exemptarum, et regularibus subjectarum ex vera tantum necessitate, quæ moniales respiciat conceden. seu acceden. ad loquendum cum monialibus pertinere ad ipsos tantum superiores regulares. » Nihilominus sub die 13 Novembr. 1610, « quo magis clausuræ observationi consuleretur, facultate sibi a SS. D. N. tributa statuit, et decrevit, ut deinceps intra hujusmodi septa ingredi nemini liceat, nisi licentiæ in casibus necessariis conceden. nedum a superioribus regularibus dd. monasteriorum, sed etiam a locorum ordinariis obtentæ fuerint, non obstan. quibuscunque legibus, statutis, et consuetudinibus etiam immemorabilibus. Postremo autem ad removendam omnem dubietatem, quæ ex hujusmodi decreto forsan oriri potest, negotio iterum in sac. cong. proposito, atque SS. D. N. relato:

« Die 21 Maii 1630. Sanctitas Sua declara- « vit hujusmodi licentias a superioribus re- « gularibus non esse petendas in illis locis, « in quibus adest consuetudo, ut istæ ab « episcopo tantum concedantur: hoc enim « casu statuit, et decrevit talem consuetu- « dinem esse servandam, et ipsorum episco- « porum tantummodo licentias sufficere, « etiam privative quoad ipsos regulares. » Lib. IV *Decr.* pag. 30. Sic refert Monacell., part. II tit. 15, formul. 15. n. 3.

(91 Et concordant alia decreta sacræ congregat. Episcop. et Regular. relata ab eodem Monacell. part. I, tit. 11, formular. 19, num. 7 et 8, ibi: « Sac. congr. in generali decreto per viam legis emanato 24 Augusti 1594, sic statuit: « Essendo le persone secola- « ri più conosciute dai loro prelati ordinarj, « che da' religiosi di qualsivoglia ordine, « per abbondare in cautela questi miei si- « gnori qui della congregazione hanno ri- « soluto, che per l'avvenire non si abbia « d'ammettere persona alcuna a parlare alle « monache, tampoco dentro la clausura d'essi « monasteri soggetti a' regolari, senza li- « cenza espressa in scritto degli ordinarj « de' luoghi, oltre a quella si dovrà per ciò « ottenere dalli superiori regolari, non os- « tante qualunque legge, statuto, o consuetu- « dine di tempo immemorabile in contrario « con ordine, che io debba avvertire la P. V. « acciò lo significhi al P. generale, ed a « tutti li provinciali, perchè facciano osser- « vare in ogni luogo conforme alla suddet- « ta risoluzione senza eccezione alcuna, on- « de non manchi d'eseguire con ogni sol- « lecitudine, ed il signore la preservi. »

« Roma, 24 Agosto 1594 »

(92 Et alio edito *in Camerinen.* 7 Martii 1617, sic extenso: « Sac. cong. ut controversiis quæ inter episcopor. Camerin. et superiores regulares exortæ sunt, finis imponatur, censuit facultatem concedendi personis sæcularibus licentiam alloquendi moniales eisdem regularibus subjectas, in civitate quidem Camerinen. ad episcopum, sive ejus vicarium generalem, ac superiorem regularem, cui moniales ipsæ subjectæ sunt, conjunctim; ita ut idem episcopus, seu ejus vicarius primo loco subscribat: per diœcesim vero non ad vicarium foraneum, sed ab eodem episcopo ad id deputandum, nec non ad superiorem regularem, qui priori loco subscribat, conjunctim pariter spectare, idemque quoad licentiam eorum, quibus ordinarie septa monasteriorum earumdem monialium ingredi necesse est, servandum esse, repentinis tamen casibus extremæ necessitatis exceptis, in quibus licentia unius eorum sudscriptione roborata sufficiat. Edicta vero, quibus personis sæcularibus ad eadem monasteria monialium accessus prohibetur, ab episcopo duntaxat subscribenda, et publicanda esse decrevit. »

(93 Quod et declaravit novissime etiam sac. cong. Concil. *in Bononien.* 17 Maii 1704 in qua statuit, quod licentia ingressus in clausuram monialium a nemine dari potest sine approbatione episcopi, non obstante privilegio, seu consuetudine. Sic refert Monacell., par. II tit. 15, formul. 15., num. 14, et idem decrevit ead. sac. cong. Conc. *in una Burgi S. Domnini* 21 Apr. 1731.

Episcopus potest excommunicationem sibi reservatam imponere circa apertionem ostii clausuræ monialium etiam regularibus subjectarum. Sacr. cong. Concil. *in Vi-*

Digitized by Google

terbien. die 26 Jun. 1627, apud Panimoll., decis. 84. adnot. 3, n. 56, ubi cum quæreretur: « An episcopus ad clausuram custodiendam etiam in monasteriis regularibus subjectis possit excommunicationis latæ sententiæ pœnam sibi reservatæ imponere circa apertionem ostii clausuræ extra casus indigentiæ, nec non circa accessus, et colloquia cum monialibus, dictaque excommunicatio liget nedum regulares accedentes, verum etiam moniales, facta de illis mentione, adeo ut superior regularis ab hujusmodi excommunicatione absolvere nequeat? » Sacra congregatio Card. concil. Trid. interpretum respondit: « Episcopum posse. »

(95. Episcopus potest visitare clausuram, et monasteria monialium regularibus subjectarum, etiam inconsultis, et irrequisitis earum superioribus regularibus. Sacr. congreg. Conc. *in Colimbrien.* die 26 Maii 1640, apud Barbos., *ad sess.* XXV, *De regular. et monialib.*, c. 5, n. 13, ibi: « Sacr. congreg. Concil. censuit episcopum Colimbriensem, uti Sedis Apostolicæ delegatum, potuisse, quoad clausuram, monasterium monialium, conventus et cellas ordinis Cisterciensis regularibus ejusdem ordinis subjectarum visitare, etiam assumpto secum vicario generali, et confessario earumdem monialium; monialesque ipsas in iis, quæ ad eamdem clausuram pertinent, examini subjicere, semotis etiam suspicione violatæ clausuræ, ac quacunque superiorum regularium negligentia, ipsisque inconsultis, ac insuper eidem episcopo licuisse rectorem collegii dicti ordinis ex supradicta causa inobedientem declarare in pœnam excommunicationis, ac alias comminatas incurrisse. »

(96. Quoad talem autem visitationem debet episcopus observare resolutiones, et responsiones sacræ congregationis Concilii ad dubia eidem super ea re proposita a P. Francisco de Monelia Min. de Observantia procuratore generali:

« I. An episcopus visitaturus clausuram, monialium regularibus subjectarum teneatur ante accessum ejusdem monialibus præfinire diem, et horam visitationis?

« II. An in ecclesiis earumdem monialium non curatis visitare possit sanctiss. sacramentum, oleum infirmorum, confessionalia, sepulturas, ac reliquias inibi existentes, et quatenus affirmative?

« III. An in casu resistentiæ monialium possit fores ecclesiæ frangere, tabernaculum violenter aperire, ecclesiam interdicere, et eucharistiæ sacramentum ad aliam ecclesiam transferre?

« IV. An episcopo monasterior. clausuram visitare volenti, dictæ moniales teneantur erigere in ecclesia exteriori, vel interiori sedem cum baldachino, vel solummodo sufficiat illi stratum præparare in utraque ecclesia?

« V. An episcopus dictam clausuram visitaturus, præterquam convisitatores, possit pro suo libito secum ducere intus monasterium alias personas, sive ecclesiasticas, sive sæculares indeterminate, vel in certo, et præfixo numero?

« VI. An episcopum dictorum monasteriorum clausuram visitaturum teneantur moniales omnes excipere personaliter cum cruce, et cantico *Benedictus?*

« VII. An dictæ moniales teneantur in ipso clausuræ ingressu adornare stratum, ibique genuflectenti episcopo monialis aliqua porrigere debeat crucem deosculandam?

« VIII. An episcopus clausuram ingressus possit pro suo libito convocare dd. moniales omnes in choro interiori, aut alio loco, et ad eas sermonem habere?

« IX. An absolute et indifferenter visitare possit cellas dictarum monialium, etiam quoad non pertinentia ad clausuram; »

Ad quæ die 10 Januarii 1686, sac. congr. S. R. E. Cardinal. concil. Trident. interpretum respondit:

« Ad I. *Negative.*

« Ad II. Censuit dandum esse decretum, in Florentina juris visitandi tenoris infrascripti.

« An archiepiscopus, seu de ejus mandato vicarius generalis possit visitare sanctiss. Sacramentum, olea sacra, confessionalia, et sepulturas in ecclesiis monialium regularibus subjectarum? Die 29 Julii 1684, S. cong. Conc. respondit *negative*, nisi in his, quæ concernunt observantiam clausuræ, et quatenus non adsit legitima consuetudo in contrarium.

« Ad III. *Negative*, nisi in casibus spectantibus ad clausuram.

« Ad IV. Sufficere præparationem strati.

« Ad V. Servandas esse constitut. Apostolicas Gregorii XIII: « Dubiis quæ emergunt... « Nos omnem hæsitationis materiam tollere, « et viam scandali præcidere, ac sanctimonia- « lium quieti consulere volentes, harum te- « nore auctoritate Apostolica declaramus, « prælatos omnes, tam sæculares, quam regu- « lares, quibus cura, et regimen monasterio- « rum monialium, quovis modo incumbit, fa- « cultate sibi ex officio attributa ingrediendi « monasteria prædicta, ita demum uti posse, « si id faciant in casibus necessariis, et a « pau cis, iisque senioribus ac religiosis « personis comitati. »

« Ad VI. *Negative.*

« Ad VII. Itidem *negative.*

« Ad VIII. Posse.

« Ad IX. *Negative.* »

(97. His juvat addere novissimas resolutiones sacræ congregationis Concilii *in Bononien. Indultorum* 17 Maii 1704 propositis sequentibus dubiis:

« Primo. An liceat confessario signare licentias ingressus in monasterium privative, et independenter ab archiepiscopo? Et quatenus negative. Secundo, an et quomodo confessarius possit signare dictas licentias, et in quibus casibus, et pro quibus personis? Tertio. An licentiæ solius archiepiscopi possint impediri ex dissensu confessarii? Quarto. An archiepiscopus possit prohibere confessario, ne signet, aut concedat licentias

Digitized by Google

pro allocutione, tam cum monialibus, quam cum educandis ad crates? Quinto. An idem confessarius possit celebrare sacrum in capella infirmariæ monast. Et quatenus affirmative. Sexto. An iis casibus, in quibus potest celebrare in dicta capella, valeat uti in ministrum, seu cleric. qualibet persona sæculari sibi bene visa, seu potius teneatur adhibere clericum approbatum cum licentia archiepiscopi? » Sac. cong. respondit: « Ad primum, *negative*. Ad secundum *affirmative* pro personis approbatis ab archiepiscopo. Ad tertium, *negative*. Ad quartum et quintum, *affirmative*. Ad sextum, *negative* quoad primam partem, et *affirmative* quoad secundam. »

(98. Super clausura monialium attendenda est novissima Benedicti XIV, constitutio incipiens : *Salutare in catholica Ecclesia institutum*, in qua revocat omnia indulta, et privilegia ingrediendi clausuram monaster. monialium, et quoad ipsas moniales e dicta clausura egrediendi; prohibetque quibuscunque, etiam sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus, sive singulis, sive eorumdem cardinalium congregationibus, ne facultates et licentias ingrediendi clausuram monialium ullo modo concedant, et concessas omnino invalidas declarat, ac decernit, quemlibet ipsorum, et quorumcunque aliorum, etiam speciali mentione dignorum quacunque facultate hujusmodi, sive pro se, sive pro aliis temere uti audentem, ipso facto absque ulla declaratione pœnas, et ecclesiasticas censuras contra violantes clausuram monialium incurrere, et incursas esse a quibus præterquam a Romano Pontifice, nisi in mortis articulo absolvi possit.... Exceptis duntaxat locorum ordinariis, iisque omnibus superioribus, quibus tanquam ordinariis, et ordinaria jurisdictione utentibus monialium monasteria subjecta, et addicta sunt, in casibus tamen necessariis, et servatis aliis de jure servandis, et non aliter omnino.

(99. Si cura alicujus monasterii subjecti regularibus a S. Sede demandetur tertio, v. g. alicui abbati, aut alteri in dignitate constituto ob aliquam controversiam, vel ad placitum ejusdem S. Sedis, tunc episcopus nullimode se ingerere potest in monasterii sic dispositi gubernio, nec quantum ad clausuram, et ad illam spectantia, quia ille tertius in tali casu non consideratur ut regularis superior, cujus potestas supplenda per episcopum decernitur in concilio, et Apostolicis provisionibus, sed tanquam Apostolicus delegatus specialiter deputatus ad dicti monasterii regimen independenter a quocunque ordinario, et dependenter ab ipsa sola S. Sede, prout declaratur regulariter in brevibus ad hoc expeditis, et invenitur generaliter decisum per sacr. congreg. Episcop. et Reg. 17 Jan. 1642. apud Nicol., in *Floscul.*, verb. *Gubernat.*, n. 12.

(100. Moniales Portugalliæ, et Algarbiæ ad claustra revocantur, nec ipsis ultra permittendus est exitus. Benedictus XIV, constitut. incip. *Cum sacrarum*. (101. Moniales ordinis S. Spiritus in Hispania, et Polonia existentes, subjiciuntur locorum ordinariis, idem, constitut. 16, incip. *Sæpe Romano: um*, § 3.

(102. Moniales Græco-Melchitæ Regulam S. Basilii sequi debent. Idem, constitut. 97, incip. *Demandatam*, § 23. (103. Sub regimine monachorum congregationis S. Joannis de Soario, et immediata subjectione ordinarii, mediata vero patriarchæ catholici, tanquam delegati S. Sedis; abbati autem generali duntaxat in defectum episcopi, et patriarchæ catholici. *Ibid.*.

(104. * Moniales regularibus subjectæ ex Triden., sess. XXV, *De regul.*, cap. 5, ordinario loci tanquam delegato subjiciuntur quoad clausuram. Id vero declarans Gregorius XV in constitut. sua num. 18, statuit, confessarios earum regulares ab ipsis suis superioribus deputatos pro confessionibus monialium, ab episcopo approbandos esse. Eidem etiam episcopo reddendam esse rationem ab iis, qui bona illarum administrant, accitis tamen tunc etiam superioribus regularium, qui, si reuuerint, tunc id præstet per se episcopus. Datur etiam episcopo auctoritas præsidendi una cum superiore regulari, cum antistes monasterii eligitur. Denique conceditur episcopo, ut si regulares forte in ordine ad clausuram deliquerint, puniat illos, et corrigat usque ad censuras. Alexander VII in sua constitut. 153 concedit superioribus regularibus jus ingrediendi septa monasterii earumdem monialium semel quotannis occasione visitationis. Sæpius vero ex causa urgenti vetuit ne ingrederentur, nisi præsente episcopo, vel alio ecclesiastico ab eodem deputato. *Institut. eccles.* 29, n. 4 et 5. Contraria quoad hæc omnia consuetudo etiam immemorialis a sac. congregatione sæpius reprobata est. *Ibidem*, n. 7 et seq.

(105. In visitationibus monasteriorum sanctimonialium non tenetur episcopus denuntiare illis diem, et horam visitationis, sicut nec tenetur ducere secum superiorem regularem ejusdem ordinis: *Ibidem*, § 18. Potest etiam episcopus monialibus regularibus subjectis sacram eucharistiam ministrare, si ipsæ velint. *Ibidem*, § 19.

(106. In electione abbatissarum, quæ præsunt monasteriis regularibus subjectis, tenentur regulares monere episcopum, si velit interesse vel per se, vel per alium, ut ex cit. const. Gregorii XV quibus debet episcopus manifestare suam voluntatem. At potest episcopus in synodo generaliter edicere velle se interesse omnibus istis electionibus, ex quo satis manifestat suam voluntatem. *De synodo diœces*, lib. V, cap. 12.

(107. Monialium transitum de uno ad aliud monasterium cum monialibus ultra montes concedit summus pœnitentiarius, qui tamen facultatis hujus executionem ordinarii arbitrio committit. Bulla *Pastor bonus*, tom. I *Bull.*, n. 95, § 36.

(108. Translatio monialium ab uno ad aliud monasterium fieri jure nequit, nisi de licentia R. Pontificis, nisi exigente aliquo

Digitized by Google

repentino casu, in quo rei necessitas exigat repentinum egressum: tunc enim etiam pro monialibus regularibus subjectis præter facultatem prælati regularis, episcopi licentia in scriptis requiritur. Bulla S. Pii V. incip. *Decori et honestati.*

(109. Casus repentini indicantur in eadem Bulla, magnum incendium, infirmitas lepræ, ac epidemiæ, sive pestis. *De syn. diæc.*, l. IX, c. 15, nov. edit. Non licet autem absque facultate Sedis Apostolicæ egressum hunc permittere, etiamsi possent occurrere casus alii, qui videantur æquipollere iis quos S. Pius V in sua constitutione expressit, ut si ex. gr. sit aliqua monialis, ex qua prudenter timeri possit periculum scandali ac perversionis aliarum. *Ibid.*

(110. Ingressus in monasteria monialium, quæ regularibus subduntur, fieri debet de licentia episcopi, nulla obstante consuetudine in contrarium, ut post diligens examen decretum est, approbante Urbano VIII *De synodo diæc.*, lib. XIII, cap. 12, [§ 23, nov. edit., in quo etiam decreto statuitur, licentias moniales illas alloquendi petendas esse ab episcopo, non vero a superiore regulari.

(111. Quoad censuras, seu pœnas in casibus occultis etiam violatæ clausuræ, vel in dispensando aliquo occulto defectu, major pœnitentiarius confessarium monialibus concedit. In casibus publicis clausuræ a monialibus, vel ab aliis quibuscunque ad malum finem delinquentibus non absolvit, nisi prius ordinarius supplicarit, et casus a congregatione super Episcop. et Regul. ad pœnitentiarium delatus fuerit. Bulla *Pastor bonus*, § 37, 38, de qua sup., n. 107.

(112. Alia ad rem, *vide* verb. VISITATIO, n. 10.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(113. Libet paucis disserere de Ecclesiæ disciplina circa clausuram monialium.

(114. Prior Bonifacius VIII in notissimo cap. *Periculoso*, De stat. regul., in 6, generalem clausuræ legem monialibus observandam præcepit; nam antea, si quæ erant moniales clausuræ legibus obnoxiæ, consuetudine potius particulari, quam lege generali obligabantur, ut post Thiers, *De clausura*, notavit Benedictus XIV, *Instit. eccles.*, 29, n. 13.

(115. At non obstante hac generali lege clausuræ a Bonifacio VIII monialibus omnibus injuncta, multa tamen monasteria ei se se haud subjecere. (116. Tantumque abest, ut Ecclesia ante S. Pium V de iis abolendis cogitaverit, ut Leo X omnia ipsis concesserit privilegia ordinis, quem profitebantur, modo virginitatem servarent, ut perspicuum est ex constitutione 22 ejusdem.

(117. S. Pius V mox commemoratus prior cogitavit, et quidem serio de abolendis monasteriis hisce clausuræ legibus haud obnoxiis, in constitutione 8. In ea enim jussit, ut episcopi cum superioribus regularibus ad clausuram redigerent monasteria omnia, et si qua essent monasteria, quæ amplecti clausuram nollent, iis prohibuit, quominus ullas in futurum moniales, reciperent, ut patet ex sequentibus verbis ejusd. const. § 3: « Cæteris autem omnibus sic absque emissione professionis et clausuræ vivere omnino volentibus interdicimus, et perpetuo prohibemus, ne in futurum ullam aliam prorsus in suum ordinem, religionem, congregationemve recipiant. Quod si contra hanc hujusmodi nostram prohibitionem, et decretum alias recipiant, eas ad sic vivendum omnino inhabiles reddimus. »

(118. Reque ipsa una omnium fuit semper sententia, abolevisse S. Pium V hæc sine clausura monasteria. Lezana, in *Summ., quæst. regular.*, tom. II, c. 14, n. 38; Rotar., *Theolog. regular.* t. III, c. 6, n. 13, et Benedictus XIV, *Instit. eccles.* 105, § 2, n. 75.

(119. Nihilominus plura remansere monasteria, quæ quamvis clausuræ legi se haud subjecissent, alias tamen receperunt, et recipiunt etiamnum.

(120. Non destitit autem Ecclesia semper ac occasionem habuit disserendo de hisce monasteriis sine clausura, declarare, quod ea tolerabat, non autem approbabat. (121. Nec certe potest ipsa approbare, nisi supra allegata constitutio 8 S. Pii V abrogetur, nam ad tramites hujus constitutionis « si hodie reperiantur, ut inquit Rotarius loco mox citato, tertiariæ collegialiter viventes, debent impediri, supprimi, et annullari, nisi professionem emittant cum quarto voto perpetuæ clausuræ. »

(122. Ex hoc autem quod monasteria hæc sine clausura ab ecclesia tolerantur duntaxat, nequaquam vero approbantur, manavit, ut ea non amplius reputentur pro locis religiosarum, adeoque non gaudeant exemptione illa a jurisdictione episcopi, qua gaudent ordines, quos [qui clausuram] profitentur.

(123. Ita primum definitum fuit a S. congregatione Episcoporum et Regularium negotiis præposita generalibus decretis anno 1616 publicatis, ut patet ex § 3 eorumdem.

(124. Et ita in casibus particularibus rescripsere sac. congregationes, ut eas laudando, et sequendo tradunt card. Petra in *Commentar. ad constit. Apostolic.*, constit. 15 Martini V, n. 20 et sequent.; Nicol., in *Flescul.*, verb. *Clausura*, n. 38; Piasec., in *Prax. episcop.*, part. II, c. 3, art. 7, num. 13; Matthæuc., in *Official. curiæ*, c. 52, n. 6; Benedict. XIV, *Instit. eccles.*, 29, n. 13, et rursus *Instit. eccles.*, 105, § 2, num. 75, et duob. sequent.

(125. Hæc Ecclesiæ disciplina invariata mansit usque ad s. m. Benedictum XIII. At hic in constitutione, cui initium est: *Paterna*: denuo hæc monasteria sine clausura subjecit superioribus regularibus ipsorum, exemitque a jurisdictione episcoporum.

(126. At placuit Clementi XII anno 1732 in constitutione, quæ incipit *Romanus* revocare constitutionem illam Benedicti XIII. Quam constitutionem Clementis XII ob oculos habens Benedictus XIV. « Cum hæc ita se habeant, inquit, *Instit. eccl.*, 105, § 2, n. 76 et sequent., res tota ad eos limites restituenda est, quibus ante Benedictum XIII

Digitized by Google

concludebatur, et quos antea recensuimus. Itaque redditur episcopo pristina auctoritas, quam in has tertiarias exercebat. »

(127. Reque ipsa, consentanee ad mox dictam constitutionem Clementis XII, novissime sac. congregatio Episcoporum et Regularium negotiis præfecta in *Constantien.* 14 Decembris 1759, ordinario subjectum declaravit monasterium sine clausura, oppidi Ravenspurgensis, tametsi profiteretur ipsum tertium ordinem divi Francisci.

ARTICULUS VI.

Moniales quoad ea quæ concernunt accessum ad earum monasteria, et locutionem cum eis.

SUMMARIUM.

1. Accessus ad monasteria monialium sine rationabili causa est omnibus prohibitus. — 2. Constitutio Bonifacii VIII in cap. *Periculoso*, fuit innovata a concil. Trid. et a S. Pio V. — 3. Accessus ad monasteria monialium non sumitur materialiter, sed formaliter pro aditu, et accessu ad illas alloquendas. 4. Accedentes ad moniales sine rationabili causa, et legitima facultate, sive sint sæculares, sive ecclesiastici, ordinarie peccant mortaliter. — 5. Accessus ad moniales potest ab ordinariis fieri casus reservatus. — 6. Imo potest ab ipsis prohiberi sub pœna excommunicationis latæ sententiæ. — 7. Notanter dicitur, quod peccant mortaliter *ordinarie*, ad denotandum, quod si accedant tantum semel, aut iterum sine scandalo, aut turpi fine, et absque contemptu Superiorum, peccant solum venialiter. — 8. Patres, et matres monialium possunt eas licite alloqui sine licentia, non tamen diebus prohibitis. — 9. Item etiam filii monialium possunt proprias matres licite alloqui sine licentia. — 10. Item fratres et sorores sæculares possunt sine licentia diebus non prohibitis alloqui suas sorores moniales. — 11. Prohibitio alloquendi moniales non solet comprehendere conjunctos in primo, vel secundo gradu. — 12. Regulares autem nunquam possunt moniales sibi conjunctas, aut alias intra clausuram degentes alloqui sine ordinarii licentia. — 13. Imo episcopus non potest concedere regularibus licentiam alloquendi moniales, aut alias intra clausuram degentes, nisi sint eis conjunctæ in primo, vel secundo gradu, et quater tantum in anno cum quibusdam conditionibus necessario servandis. — 14. Adducitur ad id decretum ejusdem sacræ congregationis Epis. jussu Sixti V editum. — 15. Adducitur aliud decretum ejusdem sacræ congregationis jussu Urbani VIII editum. Vide tamen infra n. 19 ubi videtur permissum episcopis, ut talem licentiam regularibus concedere possint. — 16. Regulares absque legitima facultate alloquentes moniales, aut alias intra clausuram degentes etiam ab episcopi jurisdictione exemptas, et ipsis regularibus subjectas, peccant mortaliter, quamvis alloquantur per quodcunque modicum tempus, et transgressores possunt ab ordinario coerceri sub excommunicationis, privationis vocis activæ et passivæ, aliisque pœnis. — 17. Adducitur ad id decret. sacr. cong. Concil. a Clement. IX approbatum, et ejus jussu promulgatum. — 18. Regulares sine legitima licentia alloquentes moniales, seu alias intra clausuram degentes, peccant mortaliter, etiamsi alloquantur ob bonum finem. — 19. Adducitur ad id decretum sac. cong. Concilii. — 20. Regulares missi ad crates monialium pro munere prædicationis obeundo, peccant mortaliter, et incurrunt censuras, et pœnas, si sine expressa licentia ad colloquendum, immediate post concionem cum aliquibus, seu cum una tantum, omnibus aliis audientibus immisceant sermones cum quæstionibus, vel dubiis spiritualibus, aut materiis ipsius concionis. — 21. Adducitur ad id decretum sacr. cong. Concilii. — 22. Superiores regulares, et confessarii monialium non egent licentia ordinarii ad alloquendas moniales suæ curæ commissas. — 23. Adducuntur ad id decreta sac. cong. Episc et Reg. — 24. Et hæc procedunt, tam de superiore provinciali, quam locali, cui cura monasterii incumbit. — 25. Quid de vicario conventus? — 26. Regulares in Gallia, ubi moniales clausuram non observant, si eas alloquantur extra claustra, non incurrunt pœnas. — 27. Sub decretis, quibus prohibetur regularibus accessus ad moniales, comprehenduntur etiam equites Melitenses. — 28. Unde episcopus potest procedere contra ipsos, si accedant ad monasteria monialium sine legitima facultate. — 29. episcopus potest imponere censuras, aliasque pœnas non solum contra regulares, sed etiam contra omnes clericos, et sæculares accedentes sine legitima facultate ad moniales. — 30. Episcopus potest imponere excommunicationem latæ sententiæ, et sibi reservatam, non solum contra quoscunque accedentes ad moniales, sed etiam contra moniales ipsas alloquentes cum illis, etiam pro monasteriis exemptis. — 31. Decreta interdicentia allocutionem cum monialibus comprehendunt etiam abbatissam. — 32. Subcollectores accedentes ad moniales sine legitima licentia incurrunt easdem pœnas. — 33. Judices non possunt sine legitima licentia accedere ad collocutorium monialium ad interponendum decretum in contractu puellæ sæcularis existentis in monasterio. — 34. Episcopi, aliique prælati extra suam diœcesim non possunt licite accedere ad moniales sine licentia ordinarii loci, et superioris illarum. — 36. Canonici cathedralis, et capituli exempti accedentes ad moniales sine legitima facultate incurrunt censuras, et pœnas. — 36. Peregrini et advenæ, si sine licentia loquantur cum monialibus, incurrunt censuras, et pœnas. — 37. Pauperes ostiatim mendicantes, si accedant sine expressa licentia ad moniales causa quærendi eleemosynam, secluso dolo et scandalo, non incurrunt dictas censuras et pœnas. — 38. Sic etiam dictas censuras et pœnas non incurrunt famuli et famulæ sine expressa licentia deferentes munuscula ad moniales jussu suorum dominorum, seu dominarum, dummodo id faciant sine dolo et scandalo. — 39. Non debet permitti magistris accessus ad monasteria ad effectum instruendi moniales in sono, et cantu, nisi brevi tempore pro cantu Gregoriano. — 40. Non debet permitti Hebræis accessus ad moniales. — 41. Moniales regularibus subjectæ alloquentes cum regularibus, etiam ejusdem ordinis, licentiam legitimam non habentibus, incurrunt censuras, et pœnas a conciliis provincialibus, vel edictis episcopalibus appositas. — 42. Regulares inventi alloquentes moniales absque legitima facultate possunt ab episcopo pœna carceris puniri. — 43. Loquentes cum monali de domo propinqua, aut via publica sita prope monasterium probabilius incurrit censuras, et pœnas. — 44. Item dictas pœnas, et censuras incurrit loquens cum moniali per nutus, et signa. — 45. Item dictas censuras, et pœnas incurrit, qui per interpositam personam loquitur in præsentia monialis audientis, et per eamdem respondentis. — 46. Item dictas censuras et pœnas incurrit, qui loquitur cum moniali audiente, sed non respondente. — 47. Item dictas censuras et pœnas incurrit qui contra legem municipalem, seu diœcesanam id prohibentem litteras scribit ad moniales; secus autem est dicendum pro illis diœcesibus, ubi non adest talis particularis prohibitio. — 48. Item dictas censuras, et pœnas incurrit, qui sine legitima licentia contra legem municipalem, et diœcesanam loquitur cum novitiis, educandis, aliisque feminis intra clausuram degentibus. — 49. Regulares sine legitima licentia loquentes cum prædictis, etiam præscindendo a statuto synodali, aut edicto episcopi, incurrunt pœnas latas a sacra congregatione, et a Summo Pontifice. — 50. Licentiam concedere pro

Digitized by Google

alloquendis monialibus, et aliis personis intra clausuram degentibus, pro monasteriis episcopo, vel Sedi Apostolicæ subjectis ad quem spectet? *remissive.* — 51. Licentiam concedere pro monasteriis exemptis, et regularibus subjectis ad quem spectet? *remissive.* — 52. Talem licentiam concedere non competit regularibus privative quoad ordinarios. — 53. Ubi licentia datur ab episcopo, vel ejus vicario, et superiore regulari, non licet isti talem licentiam alterare, aliquid addendo, vel adimendo.—54. Talis licentia pro monasteriis in civitate existentibus debet primo loco subscribi ab episcopo, seu ejus vicario, et postea a superiore regulari. Pro monasteriis autem in diœcesi existentibus debent priori loco subscribi a superiore regulari, et postea a deputato ab episcopo. — 55. Edicta vero, quibus personis sæcularibus ad eadem monasteria monialium prohibetur accessus, subscribenda, et publicanda sunt a solo episcopo privative quoad superiores regulares. — 56. Regulares pro alloquendis monialibus etiam sibi subjectis in casibus permissis indigent licentia episcopi loci, et superioris regularis. — 57. Regulares confessarii, et superiores, sive visitatores, si alloquantur moniales extra præcisam officii sui necessitatem, incidunt in pœnas privationis officiorum, vocisque activæ, et passivæ; licet non alloquantur ad malum finem; nec possunt rehabilitari per suos superiores. — 58. Habens licentiam loquendi cum una determinata moniali non potest loqui, nisi cum illa persona, quæ in licentia nominatur. — 60. Unde licentia concessa uni regul. non extenditur ad socium. — 61. Alia notabil. ad rem ad n. 66.— 67. Subnect. *Addit. ex alien. man.* ad n. 74. * Appendix edit. Casin. *

(1. Accessus ad monasteria monialium sine rationabili causa est prohibitus omnibus, sive laicis, sive clericis, cap. *Monasteria* 8, De vita et honestate clericorum, ibi: « Monasteria sanctimonialium si quis clericus sine manifesta et rationabili causa frequentare præsumpserit, per episcopum arceatur, et si non destiterit, ab officio ecclesiastico reddatur immunis (id est suspendatur): et si laici, excommucationi subdantur, et a cœtu fidelium fiant penitus alieni; » et cap. *Periculoso*, unic. De statu regular., in 6. ibi: « Nullique aliquatenus inhonestæ personæ, nec etiam honestæ, nisi rationabilis causa existat, ac de illius, ad quem pertinuerit speciali licentia, ingressus vel accessus pateat ad easdem. »

(2. Et talis constitutio Bonifacii VIII in d. cap. *Periculoso*, fuit innovata a concilio Tridentino sess. 25, *De regular. et monial.*, cap. 5: ibi: « Bonifacii VIII constitutionem, quæ incipit *Periculoso*, renovans sancta synodus, etc., et a S. Pio V. In constitut. incip. *Circa pastoralis officii*, ibi: « Quam « nos auctoritate Apostolica etiam approba« mus, et innovamus in omnibus, et per « omnia, ac illam districte observari man« damus. »

(3. Accessus ad monasteria monialium non sumitur materialiter, id est intelligitur, et sumitur aditus, non quidem simpliciter ad monasteria monialium materialiter, seu pro muris, et parietibus sumpta, sed aditus, et accessus ad ipsas moniales causa illas visitandi, aut alloquendi, ac proinde in citatis juribus non prohibetur accessus ad earum ecclesias, sed ad illarum colloquia et aspectum, sine rationabili causa, et legitima facultate, quod satis clare patet ex cit. cap. *Periculoso*, dum ibi loco monasterii dicitur ad easdem, scilicet moniales; ibi: « Nulli... accessus pateat ad easdem. » Sic Suarez, tom. IV *De relig.*, trac. 8, lib. 1, cap. 10, n. 24; Sanchez, l. VI *Moral.*, cap. 16, n. 112; Rodriq., tom. I, q. 45, art. 2, § *Advertendum;* Bonacina, *De clausura*, quæst. 3, punc. 1, num. 1 et 2; Pellizzar., *De monialib.*, cap. 5, sect. 5, n. 195; Donat., *Prax. rer. regular.* tom. IV, tract. 6, n. 1 et 2, et alii passim.

(4. Accedentes ad moniales sine rationabili causa, et legitima facultate, sive sint sæculares, sive ecclesiastici, ordinarie peccant mortaliter. Rodriq. *l. c.*, art. 4; Miranda, *De monialib.*, quæst. 4, art. 1; Bonacina, *loc. cit.*, pag. 3, n. 1; Pellizzar., *loc. cit.*, n. 199; D. Cajetanus de Alexandris, in *Confessario monialium*, c. 7, § 10, quæst. 2; Suarez, tom. IV, *De relig.*, tract. 3, l. 1, cap. 10, n. 27; Tamburin., *De jure abbatissar.*, disp. 25, quæst. 5, in principio, et alii. De ratione enim legis est, ut in materia gravi obliget sub mortali, ut tradunt communiter doctores in materia de legibus. Constat autem quod lex prohibens accessum ad moniales ex genere suo est de re gravi, ut colligitur ex gravitate finis in ea intenti. (5. Unde accessus ad moniales potest ab ordinario fieri casus reservatus, ut decrevit sac. congreg. Episc. et Regul. *in Bononien.* 26 Octobris 1604. (6. Imo potest ab ipsis prohiberi sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ut decrevit sac. congregat. Concilii *in Viterbien.* 26 Junii 1627, et sac. congregat. Episcop. *in Urbinaten.* 10 Maii 1663, et *in una Civitatis Castelli* 16 Januarii et 10 Julii 1699.

(7. Notanter autem dicitur quod peccant mortaliter *ordinarie*, quia ordinarie accedentes ad moniales sine rationabili causa et legitima facultate, solent accedere cum scandalo, seu turpi fine, aut contemptu superiorum; at vero, si accedant tantum semel aut iterum, seclusis dictis circumstantiis, peccant solum venialiter, ut docent Sanchez in *Summa*, lib. VI, cap. 119; Lezana, tom. I, c. 25, n. 36; Sanctorus, in *Constit. Min.*, cap. 11, statut. 7, quæst 1; Navarrus, Lamaz, Rodericus, et alii plures.

(8. Patres et matres monialium possunt eas licite alloqui sine licentia, non tamen diebus prohibitis. Sacra congreg. Episc. et Reg. 15 Januar. 1616, apud Gavant. in *Manual. episc.*, verb. *Monialium collatio*, n. 7.

(9. Item etiam filii monialium possunt proprias matres licite alloqui sine licentia. Ead. sac. congreg. Episc. 15 Martii 1619. Apud eumdem, *ibid.*, n. 8.

(10. Item fratres, et sorores sæculares possunt sine licentia diebus non prohibitis alloqui suas sorores moniales. Ead. sac. congreg. 20 Septemb. 1593. Apud eminentiss. Bellarmin. in suis *Declarationibus ad decreta S. Conc. Trid.*, sess. XXV, cap. 5, *De regularib. et monial.*, ibi: « E che li padri, e madri, fratelli e sorelle carnali, fuori però della Quaresima, e dell'Avvento, e dei giorni, che le monache si comunicheranno,

Digitized by Google

possano senz'altra licenza parlare con le loro figlie, e sorelle una volta la settimana solamente. »

(11. Unde advertendum est quod prohibitio alloquendi moniales non solet comprehendere sæculares conjunctos in primo, vel secundo gradu, ut decrevit ead. sacra congregat. *in Perusina* 18 Januar. 1618, et *in Monopolitana* 6 Maii. Excepto casu, in quo ex constitutionibus monasterii, vel speciali decreto episcopi prohibentur etiam conjuncti in primo, vel secundo gradu moniales alloqui, sine licentia, quæ tamen, nisi aliud obstet, concedi debet ad annum pro alloquendis monialibus sibi conjunctis semel in mense. Ead. sacra congreg. *in Verulana* 10 Febr. 1599.

(12. Regulares autem nunquam possunt moniales sibi conjunctas, aut alias intra clausuram degentes alloqui sine ordinarii licentia. Sac. cong. Episc. et Regul. 12 Kalend. Decemb. 1623, et 6 Nov. 1648, 23 Jul. 1649. (13. Imo episcopus non potest concedere regularibus licentiam alloquendi moniales, aut alias intra clausuram degentes, nisi sint ejus conjunctæ in primo, vel secundo gradu; et quater tantum in anno, pro die, et hora certa, et extra Adventum, et Quadragesimam, feriam sextam, Sabbatum, vigilias, et dies festos; quæ licentia subscribi debet etiam a superiore regulari pro monialibus sub regularium gubernio existentibus, item registrari, et confessario consignari qui assistat cum auscultatricibus. Ita expresse sac. cong. Episc., jussu Urbani VIII, XII Kalend. Decemb. 1623. In decreto reformativo alterius decreti jussu Sixti V editi, ubi prohibebatur regularibus moniales alloqui sine expressa licentia ejusdem sacræ congregationis, quæ decreta, ut ab omnibus commode legi possint, hic ad litteram dantur.

(14. *Decretum sacræ congregationis Episc. et Regul. super accessu regularium ad monasteria monialium jussu Sixti V editum Nonis Maii* 1590.

« Illustrissimi et reverendissimi DD. cardinales sacræ regularium congregationis præfecti, ad occurrendum scandalis, quæ contingere possunt, aliisque justis et rationabilibus causis animum ipsorum moventibus, de speciali, et expresso mandato S. D. N. Sixti divina Providentia Papæ V, vivæ vocis oraculo eis facto decreverunt, et mandaverunt, nulli posthac religioso cujuscunque ordinis, qualitatis, et dignitatis existat (Superiore, cui monasterii, seu domus cura incumbit visitatore, vel visitatoribus, confessarioque ordinario, et extraordinario, cum ad tempus deputabitur, duntaxat exceptis) licere absque licentia expressa ejusdem sacræ congregationis accedere ad monasteria, seu domus quarumcunque monialium, vel sororum, sive sui, sive alterius cujusvis ordinis ad colloquendum, sive tractandum cum eis. Quod si aliquando mandato sui superioris aliquos religiosos ad prædicandum verbum Dei, vel ad celebrandas missas in ipsarum monialium seu sororum ecclesiis, sive oratoriis exterioribus, sive extra clausuram existentibus, mitti contigerit, prohibuerunt, ne dicti religiosi, ullo quæsito colore, moniales, sorores, aut quamlibet aliam personam intra clausuram degentes, alloqui possint.

« Quæ omnia, et singula sub pœnis privationis officiorum, ac vocis activæ et passivæ ipso facto incurrendis, aliisque ejusdem congregationis arbitrio, præceperunt inviolabiliter observari. »

(15. *Decretum ejusdem sac. congreg. Episc. et Regul. jussu Urbani VIII editum* XII *Kal. Dec.* 1623, *quo illud Sixti V jussu editum moderatur.*

« Cum alias de anno 1590, per sacram cardinalium negotiis Regularium Præfectorum congregationem de mandato fel. rec. Sixti Papæ V, circa accessum regularium cujuscunque ordinis ad monialium monasteria fuerit decretum, quod nulli religioso cujuscunque ordinis, gradus, qualitatis, et dignitatis existat (superiore, cui monasterii, seu domus cura incumbit, visitatore, vel visitatoribus, confessarioque ordinario, et extraordinario, cum ad tempus deputabitur, duntaxat exceptis) liceat absque licentia expressa ejusdem sacræ congregationis accedere ad monasteria, seu domus quarumcunque monialium, vel sororum, sive sui, sive alterius cujusvis ordinis ad colloquendum, sive tractandum cum eis. Quod si aliquando, mandato sui superioris, aliquos religiosos ad prædicandum verbum Dei, vel ad celebrandas missas in ipsarum monialium, seu sororum ecclesiis, sive oratoriis exterioribus, sive extra claustra existentibus, mitti contigerit, ne dicti religiosi ullo quæsito colore, moniales, sorores, aut quamlibet aliam personam intra clausuram degentes alloqui possint, sub pœna privationis officiorum, ac vocis activæ et passivæ ipso facto incurrendis, aliisque ejusdem sacræ congregationis arbitrio, fueritque postmodum declaratum, etiam equites S. Joannis Hierosolymitani sub eodem decreto comprehendi, et quoscunque contrafacientes, ab alio quam ab Apostolica Sede, aut a sac. congr. absolvi, et rehabilitari non posse; amplissimi ejusdem sacræ congregationis Patres decreta hujusmodi innovanda, et inviolabiliter observanda statuerunt. Verum, quia experientia compertum est, interdum ob pias et rationabiles causas, easque (ita f- rente casu) repentinas, ut ab eadem sacra congregatione licentiam expectari summe incommodum, vel inutile sit, regularibus supradictis colloquendi cum monialib.. sibi attinentibus, necessitatem obveni.. facto verbo cum sanctiss. dom. nostro U.. bano VIII et de Sanctit. suæ expresso ordine et mandato, facultatem tribuerunt in posterum locorum ordinariis, ut quatenus sibi visum fuerit in Domino expedire, licentiam concedere possint per quatuor vices ad summum quolibet anno, cuicunque regulari, ut moniales sibi in primo, et secundo tantum consanguinitatis gradu conjunctas conve-

Digitized by Google

nire, et alloqui possit. Id vero non aliter, quam servata forma infrascripta ad unguem, ut id nullo modo liceat diebus festivis, aut in Adventu, Quadragesima, feria sexta, Sabbato, et vigiliis; prædictaque licentia obtenta ab ordinario, et ab alio, ad quem spectet eam concedere, assignetur confessario ordinario monasterii, qui penes se retinere debeat; isque associet et præsens sit, et auscultatrices de more, non autem aliæ assistant, prædictaque licentia pro die, et hora certa, et in scriptis concedatur, in librisque cancellariæ ejusdem ordinarii adnotetur. Quod si prædicti locorum ordinarii, per plures vices, vel in ulteriori gradu conjunctis, aut aliter, quam servata forma supradicta, licentias concesserint, vel permiserint, sciant se intentioni sanctissimi Domini nostri, et sacræ congregat. transgressores, judiciumque reformident : regulares autem pœnis in supradicto decreto contentis, ac si nullam licentiam obtinuissent, eo ipso se noverint esse addictos, et arbitrio sac. cong. severius puniendos. Romæ XII Kalend. Decemb. 1623. » *Vide* tamen infra, numer. 19, ubi videtur permissum episcopis, ut talem licentiam regularibus concedere possint.

(16. Regulares absque legitima facultate alloquentes moniales, aut alias personas inter clausuram degentes, etiam ab episcopi jurisdictione exemptas, et ipsis regularibus subjectas, peccant mortaliter, quamvis alloquantur per solum quadrantem horæ cum dimidio, horologio arenario mensuratum, seu per quodcunque modicum temporis spatium, et transgressores possunt ab ordinario, tanquam Sedis Apostolicæ delegato coerceri sub excommunicationis, privationis vocis activæ et passivæ, aliisque contra regulares accedentes sine licentia ad monasteria monialium statutis pœnis, ut expresse declaravit sacra congreg. Concil. approbante Clemente IX, ut infra.

(17. « Die 11 Maii 1669 sacra congreg. eminentissimorum S. R. E. Cardinalium concilii Tridentini interpretum habita notitia, quod nonnulli regulares absque licentia crates monasteriorum monialium adire, et frequentare non dubitent, prætendentes non esse interdictum per breve tempus, etiam usque ad quadrantem horæ cum dimidio, quod horologio arenario aliquando metiuntur, moniales, aliasque personas in clausura existentes alloqui; et hanc opinionem, tanquam tutam affirment, disseminent, et forsan etiam scriptis evulgent, proprias graviter illaqueantes conscientias, et scandala confoventes, ad hujusmodi perniciosos errores eliminandos, opinionem prædictam improbans, rejiciens ac damnans declaravit, regulares cujuscunque ordinis, militiæ, societatis, congregationis et instituti, etiam de quibus specialis mentio foret habenda, qui ad monasteria monialium, quamvis ab ordinarii jurisdictione quomodolibet exempta, ac etiam ipsis regularibus subjecta, vel alias speciali mentione digna, absque legitima facultate accedunt, colloquendo etiam per quodcunque modicum temporis spatium, cum monialibus, aut alias intra clausuram degentibus peccare mortaliter, eosque sub excommunicationis, privationis vocis activæ et passivæ, aliisque contra regulares accedentes sine licentia ad monasteria monialium statutis pœnis, posse ab ordinario tamquam Sedis Apostolicæ delegato coerceri. Et die 7 Junii ejusdem anni, facta relatione sanctissimo domino nostro, Sanctitas Sua præsentem declarationem approbavit, ac typis dari, et servari jussit.

« A. card. Celsus, præfectus.

« Loco sigilli.

« S. Brancacius, Archiep. adrianopolis, secr. »

(18. Regulares sine legitima licentia alloquentes moniales, seu alias intra clausuram degentes peccant mortaliter, etiamsi alloquantur ob bonum finem, ut expresse declaravit sacr. congregatio Concilii, ut infra :

« *Spoletana, Accessus ad monasteria.*

(19. « Etsi sacra congr. eminentissimorum S. R. E. Cardinalium concilii Tridentini Interpretum, sub die 11 Maii 1669, aperte declaraverit regulares, qui ad monasteria monialium absque legitima facultate accedunt, colloquendo etiam per quodcunque modicum temporis spatium cum monialibus, aut aliis intra clausuram degentibus, peccare mortaliter, hancque declarationem sanctissimus dominus approbaverit, ac typis dari, servarique jusserit, quia tamen nonnulli sunt, qui declarationem hujusmodi perperam interpretantes, verumque sensum subvertentes, varia confingendo sophismata, asserunt, accedentes ad bonum finem non peccare mortaliter, et declarationem præfatam non obligare sub mortali contendunt, ad omnem tollendam dubietatem resolvendum :

« *Primo.* An regulares accedentes ad « colloquendum cum monialibus sine licen« tia episcopi peccent mortaliter ? »

« *Secundo.* An peccent mortaliter saltem « stante d. declaratione sac. congr. Conc. cum « approbatione Sanctissimi ? »

« Die 26 Novembris 1672 ead. sacra congr. ad utrumque respondit *affirmative*, etiam ex rationabili causa, quando non adest licentia, etc. »

P., card. de Alteriis, præfectus.

« Loco sigilli.

« S. archiep. Brancasius episc. Viterb., secr. »

(20. Regulares missi ad crates monialium pro munere prædicationis obeundo peccant mortaliter, et incurrunt censuras et pœnas, si sine expressa licentia ad colloquendum immediate post concionem cum aliquibus, seu cum una tantum, omnibus aliis audientibus, immisceant sermones cum quæstionibus, vel dubiis spiritualibus, aut materia ipsius concionis, ut expresse declaravit ead. sac. congreg. Concilii, *ut infra*.

(21. Edita vix lege, statim illam eludere malitia excogitat ; non ita pridem emanavit generale decretum arctissime prohibens

Digitized by Google

colloquia regularium cum monialibus, quando jam super eo variæ interpretationes confingi cœperunt, aliæque nunc hergomi suboriuntur, pro quarum resolutione supplicant confessarii monialium quærendo :

« *Primo*. An regularibus missi ad crates monialium pro munere prædicationis obeundo prohibitum sit sub peccato mortali, censuris et pœnis, etc., immediate post cum ipsis monialibus absque expressa licentia ad colloquendum immiscere sermones cum quæstionibus, vel dubiis spiritualibus, aut materiis ipsius concionis?

« *Secundo*. An talis prohibitio intelligatur tam de collocutione cum aliquibus monialium, quam cum una tantum (omnibus tamen aliis audientibus) immediate post concionem » ?

Die 21 Maii 1678, sacr. congr. eminentissimorum S. R. E. Cardinalium concilii Tridentini interpretum ad utrumque respondit affirmative. Et ad id facit novissima constitutio Clementis XII, incipiens *Romanus Pontifex* : in qua revocat diversas facultates a Romanis Pontificibus per eorum vivæ vocis oraculum, vel rescripta concessas ; et tertia decima revocata est sequens. « XIII. *Facultas* regularibus alloquendi moniales etiam consanguineas, aliasque personas intra clausuram degentes, absque peculiari superiorum, ad quos quomodocunque spectat, licentia ». Unde caveant regulares ne sine tali licentia, moniales aliasque personas intra clausuram degentes alloquantur : cum prædictus Summus Pontifex inter alia id prohibeat « sub pœna excommunicationis, « ac privationis officiorum, dignitatum, ac « quorumvis beneficiorum obtentorum, « vocis activæ, et passivæ, necnon inhabili- « tatis ad audiendas confessiones, et ad offi- « cia, dignitates et beneficia hujusmodi in « futurum obtinenda, ipso facto absque « ulla alia declaratione per transgressores « respective incurrenda, a quo nonnisi a « Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore « existente, præterquam quoad excommu- « nicationem præfatam in mortis articulo « constituti absolutionis, dispensationis, « seu rehabilitationis beneficium valeant « obtinere. » Sunt præcisa verba dictæ constitutionis, a nobis per extensum allatæ sub verb. ORACULA VIVÆ VOCIS.

(22. Superiores regulares et confessarii monialium non egent licentia ordinarii ad alloquendas moniales suæ curæ commissas ; isti enim expresse excipiuntur in cit. decretis editis jussu Sixti V et Urbani VIII, ibi : « Superiore, cui monasterii, seu domus cura incumbit, visitatore, vel visitatoribus, confessarioque ordinario, et extraordinario, cum ad tempus deputabitur, duntaxat exceptis ; » et declaravit sacr. congreg. Episc. in *Mediolanen.* 24 Novembr. 1592, ubi rescripsit commissario apostolico observanti : « Che il soprascritto decreto (cioè fatto sotto Sisto V.) non comprende il ministro delle provincie, nè gli altri superiori per quei monasteri, che stanno sotto il governo, e cura loro ». (23. Et *in Caputaquen.* 27 Septembr. 1641, rescribens episcopo, ut publicatum edictum reformaret, ut infra : « Essendosi doluto appresso la S. C. il ministro provinciale delli Osservanti di cotesta provincia di principato, che V. S. abbia con suo editto particolare prohibito sotto pena di scomunica riservata a se medesima, che nessuna persona secolare, e regolare, ancorchè sia confessore, o superiore del monastero di Gioja (soggetto alla detta religione delli Osservanti) o altro ministro, o operario necessario, possa andare a parlare alle monache, ed entrar in clausura, eziandio, per amministrare li sacramenti, o in altri casi di necessità senza sua licenza : questi EE. miei signori mi hanno ordinato di scriverle, che se bene gli ordinari dei luoghi possono sottoscrivere le licenze di parlar alle monache, ed entrar in clausura de' monasteri anco sogetti a' regolari, ancorchè per il passato siano state solite sottoscriversi da' regolari solamente, come pretende esso ministro, ciò si deve fare congiuntamente con l'istesso superiore regolare, e non s' intenda delli confessori, o superiori delli conventi de' frati, che han cura del monastero ; perchè, come potrà vedere da se stassa nel decreto stampato (et est verisimile eidem fuisse transmissum illud sub Sixto, vel Urbano) che se li manda quì aggiunto, detti superiori, e confessori sono eccettuati nella proibizione fatta dalla sac. congreg. sopra l' accesso de' regolari a monasterj di monache : onde V. S. potrà riformare il suo editto in questa conformità, per non darli occasione di giusto richiamo, che così la sacra congreg. m' ha commesso di significarle, e Dio la prosperi. Il card. di S. Onofrio. »

(24. Et hæc procedunt, tam de superiore provinciali, quam locali, cui cura monasteri incumbit, ut clare infertur ex verbis decreti in d. *Caputaquen.*, ibi : « O superiori delli conventi de' Frati, che han cura del monastero » ; et ex verbis decreti in d. *Mediolan.* ibi : Non comprende il ministro delle provincie, ne gli altri superiori per quei monasteri, che stanno sotto il governo, e cura loro ».

(25. De vicario autem conventus eadem sacr. congregatio per episcopum Ripanum consulta sub die 1 Septembris 1617 declaravit expresse : « Vicarium fratrum absque Apostolicæ Sedis licentia moniales alloquentem in pœnas in decreto generali contentas incidere, dummodo idem vicarius in prioris absentia ejusdem prioris officii munus non obeat. » (26. Sic refert Barbosa, lib. 1 *Juris ecclesiastic. univers.*, cap. 44, num. 265. Ubi addit, quod præfatum decretum locum non habet in Gallia, ubi moniales clausuram non observant, ac proinde fratres alloquentes in eo regno moniales extra claustra pœnas non incurrunt, ut ead. sac. congregat. declaravit, et rescripsit generali Capuccinorum sub die 15 Martii 1594.

(27. Sub decretis, quibus prohibetur regularibus accessus ad monasteria, comprehenduntur etiam equites Melitenses, utpote

Digitized by Google

veri regulares. Sacr. congreg. Episcop. et Regul. *in Tranen.* 28 Januarii 1603, et in decreto generali jussu Urbani VIII ab eadem sac. congregatione Episcop. et Regul. edito 12 Kal. Decemb. 1623, ibi : « Fueritque postmodum declaratum, etiam equites S. Joannis Hierosolymitani sub eodem decreto comprehendi. » (28. Unde episcopus potest procedere contra equites Hierosolymitanos, seu Melitenses, si accedant ad monasteria monialium contra formam dicti decreti generalis, ut resolvit sac. cong. Episc. et Regul. *in Parmen.* 29 Augusti 1614, et antea *in una d. Religionis*, 18 Februari 1605, ac etiam *in Neapolitana* 12 Julii 1599, apud Nicolium in *Floscul.*, verb. *Hierosolymitani*, n. 5, ubi num. 6 affert alia decreta de eorum punitione *in Januen.* 14 Augusti 1584, et *in Cosentina* 21 Julii 1640.

(29. Episcopus potest imponere censuras aliasque pœnas non solum contra regulares, sed etiam contra omnes clericos et sæculares sine legitima facultate accedentes ad moniales. Sac. cong. conc. *in Viterbien.* 26 Junii 1627, et sac. congr. Episcop. *in Urbinaten.* 10 Maii 1663, et *in una Civitatis Castelli* 16 Januar. et 10 Julii 1699, arg. cap. *Monasteria* 8, De vita et honestat. clericor.

(30. Episcopus potest imponere excommunicationem latæ sententiæ sibi reservatam, non solum contra quoscunque accedentes ad moniales, sed etiam contra moniales ipsas colloquentes cum illis, etiam pro monasteriis exemptis et subjectis regularibus, a qua excommunicatione nequeant superiores regulares absolvere, neque suos subditos, seu subditas incursas, ut expresse declaravit sac. congr. Concilii *in Viterbien.* 16 Junii 1627; in Decreto allato per extensum art. anteced., n. 94, et *in Auximana* 26 Junii 1658, apud Monacell. part. II, tit. 15, num. 16. Ubi addit quod sac. congreg. Episcop., *in Anconitana* 8 Novemb. 1585, decrevit quod episcopus posset accessum ad moniales prohibere etiam sub pœna corporis afflictiva.

(31. Decreta interdicentia allocutionem cum monialibus comprehendunt etiam abbatissam, ut pro quiete et utilitate monialium Urbis decrevit Alexander VII, constit. incip. *Sacrosancti*, in qua aperte declarat, quod sub nomine monialium in hac materia locutionis veniunt abbatissæ, priorissæ, aut officiales monasterii, et absolute censuit sac. cong. Concilii de anno 1654. Quæ ad dubium propositum per commissarium generalem ordinis Minorum S. Francisci : « An regulares ad dicta monasteria accedentes, et cum abbatissa alloquentes, incurrant pœnas in eisdem decretis inflictas, quas incurrunt regulares, qui accedunt et loquuntur cum aliis monialibus? Respondit « Regulares « alloquentes cum abbatissa incurrere eas- « dem pœnas. » Lib. XIX *Decretor*, pag. 425, apud Monacell., part. II, tit. 15, formul. 15, n. 17.

(32. Subcollectores accedentes ad colloquendum cum monialibus sine legitima licentia incurrunt easdem pœnas. Sacra congregat. Concil. *in Taurinen.* et *in Hipporegien.* 13 Maii 1628. (33. Judices non possunt sine legitima licentia accedere ad collocutorium monialium ad interponendum decretum in contractu puellæ sæcularis existentis in monasterio, alias mulctari possunt etiam pœna pecuniaria. Sacra congreg. Concil. *in Anconitana* 18 Novembr. 1645, lib. XVII *Decret.*, pag. 525.

(34. Episcopus aliique prælati, dum extra suam diœcesim reperiuntur, non possunt licite accedere ad moniales sine licentia ordinarii loci et superioris illarum, et si accedant incidunt in pœnas latas contra hujusmodi alloquentes sine dicta licentia. Tales enim extra proprium territorium censentur quoad hoc, ut personæ privatæ, sicuti præses extra suam provinciam; ita ex multis tenent Donat. *Prax. rer. regul.* tom. IV, tr. 6, quæst. 23; Tambur., *De jure abbatiss.*, disput. 25, quæst. 2; D. Cajetanus de Alexandris, in *Confessario monialium*, cap. 7, § 10, quæst. 6, ubi referunt sic decrevisse sacra congreg. Concilii *in Baren.* 20 Martii 1619 et ita expresse declaravit fel. recor. Benedictus XIV, Epistola encyclica incip. *Non senza*, me etiam in ipsa ad id citato in hunc locum. *Vide* infra n. 66, ubi affertur ad litteram dicta præceptiva epistola.

(35. Canonici cathedralis et capituli exempti accedentes ad moniales sine legitima facultate incurrunt censuras et pœnas ab ordinariis latas contra hujusmodi accedentes sine licentia. Sperell., dec. 21, n. 28, cum pluribus aliis ibi citatis, D. Cajetan. de Alexandris, *l. c.*, quæsit. 8, cum aliis ibi adductis et alii passim; episcopus enim in hac materia ex adductis decretis procedit ut Sedis Apostolicæ delegatus et omnes sibi subjicit, etiam privilegiatos et exemptos; et sic expresse decrevit sacra congreg. Episcop. *in Lucensi* 19 Januarii 1618.

(36. Peregrini et advenæ, si sine licentia loquantur cum monialibus, incurrunt censuras et pœnas latas ab ordinario contra hujusmodi alloquentes, quia episcopus in concernentibus materiam clausuræ monialium procedit ut Sedis Apostolicæ delegatus, non solum quoad loca, sed etiam quoad personas, ut patet ex declaratione sacræ congregat. Concilii 20 Martii 1619 allata *supra*, n. 34. Adeoque peregrini et advenæ in concernentibus materiam clausuræ subjiciuntur æque episcopo, ac subjiciuntur Sedi Apostolicæ, et consequenter tenentur servare edicta episcopi prohibentia accessum ad moniales, non secus ac si essent edita a Papa, et si contrafaciant, incurrunt censuras et pœnas ab ipso latas; sic absolute tenet D. Cajetanus de Alexandris, *l. c.*, qu. 10; Donat., *l. c.*, qu. 22, n. 2; et alii contra Dianam, Pellizzarium et alios, et sic decrevit sacr. congr. Episcop. *in Tranen.* 13 Julii 1618.

(37. Pauperes ostiatim mendicantes, si accedant sine expressa licentia ad moniales causa quærendi eleemosynam, secluso dolo, et scandalo, non incurrunt dictas censuras

Digitized by Google

et pœnas, quia præsumuntur accedere ex tacita licentia episcopi et in ipsorum brevissimo, et transeunte accessu cessant causæ finales, ob quas est facta hujusmodi prohibitio, et sic servat usus, et praxis communis. Sic Donatus, *loc. cit.*, quæst. 25; D. Cajetanus de Alexandris, *loc. cit.*, quæst. 14; Pellizzarius, *loc. cit.*, cap. 5, n. 212.

(38. Sic etiam dictas censuras et pœnas non incurrunt famuli et famulæ sine expressa licentia deferentes munuscula ad moniales jussu suorum dominorum, seu dominarum, dummodo id faciant sine dolo et scandalo, quia tales tenentur suis dominis obedire, et pro similibus casibus præsumitur licentia tacita episcopi loci. Donat. *loc., cit.*, qu. 72; D. Cajet. de Alexandris, *l. c.*, qu. 14; Pellizzar., *loc. cit.*, n. 113, et alii.

(39. Non debet permitti magistris accessus ad monasteria ad effectum instruendi moniales in sono et cantu, ut expresse declaravit sac. congr. Episcop. 13 Septembris 1583, his verbis : « Non permittatur accessus sæcularium ad monasteria monialium sub prætextu eas docendi sonum cymbalorum, aut alterius instrumenti, aut musicam, vel cantum, etiam ad crates. » Sic referunt Pignatell. tom. VI, consult. 85, n. 216; Gavant. in *Manual. episcop.*, verb. *Monialium colloquio*, n. 4; Donat., *loc. cit.*, q. 26; et Nicolius, in *Floscul.*, verb. *Musica*, n. 5, sic habet expresse : « Non conceditur quod moniales possint a viris doceri, neque cantum, neque sonum, neque ad crates, neque ad portas. » Sac. congreg. Episcop. *in Agrigentina* 23 Aprilis 1602, et *in Parmen.* 8 Maii; et *in Regien.* 13 Julii ejusdem anni; *in Macerat.* 17 Febr. 1603; *in Messanen.* 10 Junii, et *in Anconitana* 15 Septemb. ejusdem anni; *in Neapolitana* 8 Novemb. 1604 et 5 Julii 1647. Nisi brevi tempore pro cantu Gregoriano. Eadem sacr. congr. Episcop. 2 Aug. 1647, 15 Januar. 1649, 21 Jan. 1650, apud eumdem, *l. c.*, n. 5.

(40. Non debet permitti Hebræis accessus ad moniales. Sacr. congreg. Episcop. et Regul. *in Ravennaten.* 26 Novemb. 1594, apud Nicol., in *Floscul.*, verb. *Hebræus*, n. 2, his verbis : « Non permittatur Hebræis accessus ad moniales, et accedentibus sine licentia infligatur exsilium a civitate et diœcesi. »

(41. Moniales regularibus subjectæ, alloquentes cum regularibus, etiam ejusdem ordinis licentiam legitimam non habentibus incurrunt pœnas et censuras a conciliis provincialibus, vel edictis episcopalibus in similibus appositas, ex bulla Gregorii XV De exemptorum privilegiis incip. *Inscrutabili*; sic sacr. congr. Concilii *in Veronen.* 29 Januarii 1633, in respons. ad 1 dub., apud Barbosam, in *Summa Apostol. decis.*, verb. *Moniales alloquendi prohibitio*, n. 9. *Vide* supra, n. 30.

(42. Regulares inventi alloquentes moniales absque legitima licentia possunt ab episcopo pœna carceris puniri, ut expresse decrevit sacra congr. Concilii *in Faventina* 7 Martii 1617, et iterum de anno 1629, sub Urbano VIII, ad dub. 14, ubi cum quæreretur « an posita dicta constitutione (scilicet Gregorii XV, de exemptorum privilegiis incip. *Incrustabili*), regularis absque legitima licentia accedens ad monast. monialium regularibus subjectarum, ibique in loco colloquiis destinato cum moniali colloquens a diœcesano episcopo, tanquam Sedis Apostolicæ delegato, coerceri et puniri possit? Sac. congregat. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum censuit posse. » Quam congregationis sententiam Urbanus VIII ad se relatam approbavit, et postremo id. sancivit die 11 Maii 1669, approbante Clemente IX. *Vide* supra n. 16 et 17, ubi datur decretum per extensum.

(43. Loquens cum moniali de domo propinqua, aut via publica sita prope monasterium, probabilius, imo pro certo incurrit censuras et pœnas latas contra accedentes ad colloquendum cum monialibus, quia principaliter et per se primo prohibetur collocutio, accessus vero per accidens; finis enim hujusmodi accessus est collocutio, qua reddita impossibili, non est qui desideret ad moniales accedere. Sic recte Donatus, *loc. cit.*, quæst. 15, n. 2; Graffius tit. 1, cons. 22, *De excommun.* n. 23; Henriquez, lib. XIII, cap. 26, n. 22; *Verricell.*, tract. 8, quæst. 66, n. 20; Felix Potestas, tom. I, part. II, n. 1475; Pasqualigus, *in Lauret.*, n. 1124; Merol. et alii contra Dianam, part. II, tract. 2, *De dub regular.*, resol. 48; Tamburin, *De jure abbatis.*, disp. 25, quæsit. 8, n. 1; Pellizzar., *De monial.*, cap. 5, n. 214; D. Cajetan. de Alexandris, *loc. cit.*, § 10, quæst. 1, et alios.

(44. Item dictas censuras et pœnas incurrit loquens cum moniali per nutus et signa, quia conceptus mentales et animi passiones exprimuntur, et alteri significantur, nedum externa voce articulata, sed etiam signis et nutibus, ut patet in mutis et surdis. Sic recte Graffius, *De casibus reservatis*, lib. II, cap. 5, n. 33; Tamburin., *loc. citat.*, in respons. ad tertium; Merola, tom. I, disp. 1, cap. 2, *De voluntario* 3, difficul. 593 et seq.; Diana, part. III, tract. 2, *De dub. regular.*, resolut. 48; Donat., *loc. citat.*, quæst. 14, n. 2; D. Cajetan. de Alexandris, *loc. cit.*, quæst. 1 et plures alii, quos refert et sequitur Philip., *De privileg. ignorant.*, in appendic. ad cap. 4, n. 284.

(45. Item dictas censuras et pœnas incurrit qui per interpositam personam loquitur in præsentia monialis audientis, et per eamdem interpositam personam respondentis; quia id in effectu idem est ac si cum ipsa moniali colloqueretur; loqui enim per se et per interpositam personam paria sunt quoad effectum intentum. Bordon., resolut. 7, n. 70; Verricel., tract. 8, quæst. 66, n. 21; Donat., *loc. cit.*, quæst. 14, n. 3 et seq.; Lezana in *Summa*, verb. *Moniales*, n. 20; Graffius, *loc. cit.*, et alii contra Dianam, *l. c.*, Pellizzarium, *l. c.*, n. 215.

(46. Item dictas censuras et pœnas incurrit qui loquitur cum moniali audiente, sed non respondente, quia de ipso verifica-

Digitized by Google

tur, quod vere cum moniali loquatur, sive ipsa monialis respondeat, sive non : verumtamen est, quod dictas censuras et pœnas in tali casu non incurrit monialis audiens, et tacens, sicuti nec incurrit qui monialem sibi loquentem audit, et nihil respondet, quia censura, et pœna est imposita contra loquentes, et non contra audientes. Graffius, tom. 1, cons. 22, *De excommun.*, n. 30; Diana, *loc. cit.*; Tamburin., *loc. citat.* in respons. ad secundum; Verricel., *loc. cit.*, n. 24; Pasqualig., *loc. cit.*, n. 1123; D. Cajetanus de Alexandris, *loc. cit.*, quæst. 1, et alii.

(47. Item dictas censuras et pœnas incurrit qui contra legem municipalem, seu diœcesanam id prohibentem, litteras scribit ad moniales ; unde attendendæ sunt constitutiones particulares diœcesum, et edicta episcoporum : nam in aliquibus diœcesibus, ut in Neapolitana et aliis adest prohibitio sub excommunicatione. Secus autem est dicendum pro illis diœcesibus ubi non adest talis particularis prohibitio. Donat., *loc. cit.*, quæst. 10, cum pluribus ibi citatis, et constitut. synodal. Neapolitana ibi adducta sub, n. 5, et alii passim : decreta enim generalia loquuntur solum de accedentibus ad moniales alloquendas, non autem de scribentibus ad ipsas; alioqui enim est quid diversum a scribere, et a diversis non fit illatio. Bonacina, *De clausura*, quæst. 3, punct. 2, n. 3; Diana, *loc. cit.*, resol. 48; Navar., comm. 4, *De regularib.*, n. 61; Sanchez, lib. VI *Moral.*, cap 16, num. 117; Rodriguez, tom. I, quæst. 45, artic. 3; Nicol., *De monialib.*, quæst. 4, art., 5; Tamburin., disp. 25, quæsit. 10; Barbosa, *De offic. et potest. episcop.*, part. III, allegat. 102, n. 81, et alii.

(48. Item dictas censuras et pœnas incurrit qui sine legitima licentia contra legem municipalem et diœcesanam loquitur cum novitiis, educandis, aliisque feminis intra clausuram degentibus. Donatus, *loc. cit.*, quæst. 17; Riccius, I part. *Prax.*, decis. 647; Graffius, lib. II, *De casibus reservat.*, cap. 53, et alii passim, et sic expresse habetur in cit. statut. synodal. Neapolitan., ibi : « Etiamsi cum novitia, aut cum puellis, quæ educationis causa ibi commorantur. »

(49. Et de facto regulares sine legitima licentia loquentes cum prædictis, etiam præscindenda a statuto synodali, seu edicto episcopi, incurrunt pœnas decreti sacr. cong. jussu Sixti V editi, ibi : « Ne dicti religiosi, ullo quæsito colore, moniales, sorores, aut quamlibet aliam personam intra clausuram degentem alloqui possint »; et constitutionis Gregorii XV incip. *Inscrutabili*, ibi : « Si deliquerint circa personas intra septa degentes, » et decreti sacræ congregationis Concilii de anno 1669, 11 *Maii* approbati a Clemente IX, die 7 Junii ejusdem anni, et ejus jussu typis dati, et servari mandati, ibi : « Cum monialibus, aut aliis intra clausuram degentibus. » *Vide* supra n. 17, decretum per extensum.

(50. Licentiam concedere pro alloquendis monialibus, et aliis personis intra clausuram degentibus pro monasteriis episcopo subjectis, vel Sedi Apostolicæ, ad quem spectet? *Vide* art. anteced. a n. 85 ad 87.

(51. Licentiam concedere pro monasteriis exemptis, et regularibus subjectis, ad quem spectet? *Vide ibidem*, a n. 88 ad. 93, cum proportionaliter idem dicendum sit de licentia pro allocutione monialium, ac pro ingressu in clausuram.

(52. Unde, ut notant Matthæucci, *Official. curiæ*, cap. *Quoad allocutionem cum monialibus*, n. 6, constat, talem licentiam concedere non competere regularibus privative quoad ordinarios, et ordinariorum licentia est semper necessaria ad licite moniales etiam regularibus subjectas alloquendas ex dispositione etiam sacræ congregationis Episcop. et Regular. quæ apud Pignat., tom. VI, consult. 85, n. 31, die 29 April. 1594, censuit, « quod moniales regularibus licet subjectas alloqui nemo possit absque licentia episcopi, vel ejus deputati, » quod et nuper declaravit sacra congregat. Concilii *in Bononien.* 17 Maii 1704, in responsione ad quartum, apud Monac., part. I, tit. 15, formul. 15, n. 14. *Vide* supra, n. 12.

(53. Ubi licentia datur ab episcopo, vel ejus vicario, et superiore regulari, non licet superiori regulari talem licentiam alterare, addendo vel aliquid adimendo. Sac. cong. Concilii *in Verulen.* 29 Januarii 1633, apud Barbosam, in *Summa Apostolic. decis.*, verb. *Moniales alloquendi prohibitio*, n. 11, ibi : « Monialium regularibus subjectarum superiores subscribentes post episcopum vel ejus vicarium licentias eorum, qui ad collocutoria accedunt, vel clausuram ingrediuntur, non possunt quid excludere, addere, vel adimere ex illis quæ episcopus ipse, aut vicarius pro cura, et bono regimine clausuræ in licentiis præscribit et apponit. »

(54. Pro quo advertendum quod talis licentia pro monasteriis in civitate existentibus debet primo loco subscribi ab episcopo, seu ejus vicario, et postea a superiore regulari ; pro monasteriis autem existentibus extra civitatem in diœcesi debet priori loco subscribi a superiore regulari, et postea a deputato ab episcopo. Sic expresse sacra congr. Episcop. et Regul. *in Camerin.* 7 Martii 1617, prout patet in ejus decreto per extensum allato artic. anteced., n. 92

(55. Edicta vero, quibus personis sæcularibus ad eadem monasteria monialium prohibetur accessus, subscribenda et publicanda sunt a solo episcopo privative quoad superiores regulares. Sic expresse ead. sacra congreg. *in d. Camerinensi*, ibi : « Edicta vero quibus personis sæcularibus ad eadem monasteria monialium accessus prohibetur, ab episcopo duntaxat subscribenda et publicanda esse decrevit ; » et nuper statuit etiam S. cong. Cong. *in Hyeracensi Visitationis* 26 Jan. 1692, in responsione ad 13, apud Monacell., part. I, tit. 11, form. 19, n. 8.

(56. Regulares pro alloquendis monialibus etiam sibi subjectis in casibus permissis indigent licentia episcopi loci, et sui su-

Digitized by Google

perioris regularis, ita ut utriusque licentia debeat copulative concurrere. Donatus, *l. c.*, tr. 6, quæst. 31, n. 5; Matthæuc. *Offic. cur.*, cap. 3, n. 18, et constat ex decreto sacræ congreg. Episcop. et Regul. jussu Urbani VIII editum, et allatum *supra*, n. 15

(57. Regulares confessarii, et superiores, seu visitatores, si alloquantur moniales extra præcisam officii sui necessitatem, incidunt in pœnas privationis officiorum, vocisque activæ, et passivæ. Sac. congregat. Episcop. et Regul. *in Ariminen.* 22 Januarii 1576; *in Januen.* 4 Maii 1618. Licet non alloquantur ad malum finem. Ead. sac. cong. Episcop. *in Placentina* 26 Januarii 1624. Nec possunt rehabilitari per suos superiores. Eadem sacra congr. Episcop. et Regul. *in una Venetiarum, et Nucerina* 14 Decemb. 1604, apud Nicolium, in *Flosculis*, verb. *Accessus*, n. 2.

(58. Habens licentiam loquendi cum una determinata moniali non potest loqui cum aliis, sicuti monialis non potest loqui, nisi cum illa persona quæ in licentia nominatur. Sacra congr. Episcop. et Regul. *in Comen.* 16 Martii 1593. (59. Unde patet quod licentia concessa uni regulari non extenditur ad socium, ut recte docent Cotonius, lib. IV, controv., 7, n. 88; Matthæucci, *Official. curiæ*, cap. 3, n. 11, et alii contra alios; et concordant alia decreta supra allata, quæ prohibitionem alloquendi declarant in terminis universalibus negativis; ut « nulli religioso, nulli regulari liceat, etc. Nemo alloqui possit sine licentia », et hujusmodi. De socio enim verificaretur, quod loqueretur sine licentia, adeoque, etc.

(60. Iis quæ jam diximus supra n. 24 addenda sunt quæ tradit eruditissimus P. Gaudentius de Janua in egregio suo opere novissime anno 1748 Romæ impresso, *De visitatione*, cap. 4, dubit. 11, sect. 5, n. 31, ibi : « Recolendum est itidem quod dictum fuit superius, sect. 4, n. 27, a prohibitione alloquendi moniales exceptos esse superiores, tum provinciales, tum locales, confessariosque ordinarios, simul et extraordinarios, pro tempore exerciti muneris; resolutionem etenim ibi datam impugnat Monacellus aliter sentiens, et confessariis, qui sint presbyteri sæculares, consulens contrarium, quod nimirum moniales extra actum confessionis minime alloquantur, nisi aliqua necessitas, quæ bonum publicum monasterii respiciat, urgeret; » prout part. I, tit. 9, formul. 3, n. 11. Confessariis vero regularibus hoc idem districte præcipiens deinde form. 5, n. 1 et 2, ex relato per se decreto *in Nolana* 21 Feb. 1617, quod ait reperiri in Regesto, sed locum non citat; ubi facto quæsito : « Num confessarius regularis monialium, ejusque socius, confessionis, et sacramentorum administrationis casibus exceptis, easdem moniales absque S. C. congregationis licentia alloqui valeant? » Refertur data responsio *Negative*. Verum hic considerandum obvenit, declarationem hujusmodi emanasse a sacra congregatione Episcoporum et Regularium; supra quo non reflectit Monacellus. (61. At eadem S. cong. Episcop. ex motivo, fortasse, quod nonnisi cum maxima difficultate mandatum hujusmodi a superioribus, et confessariis observandum foret, illud, quatenus prius editum sustineatur, in posterioribus decretis revocavit; excipiendo a communi decreto non alloquendi moniales superiores dictos, atque confessarios tum ordinarios regularium, tum extraordinarios respective; atque præcipiens locorum ordinariis, ne superiores in casu, confessariosve ad monasteria accedentes ullatenus vexent; in decreto scilicet edito 20 Jul. anno 1640 in Alexandrina; et in littera data de anno 1641, 22 Novembris, archiepiscopo Amalphitano, sicut et in data prius episcopo Caputaquen. sub die 27 Septembris ejusdem anni 1641. Quæ omnia potuisset legere Monacellus apud Lantuscam v, *Allocutio monialium*, n. 7, prout plura legit et citavit apud eumdem, quoties ad suum inserviant, et juvent intentum. (62. Posset adduci sane constitutio posterior Alexandri VII *Sacrosancta* 50, in *Bullar.* tom. V, data sub die 30 Mart. 1658, in qua prohibitio præfata, sub pœnis ibi taxatis, extenditur ad confessarios ordinarios et extraordinarios, superiores item cujuscunque gradus, seu visitatores, tam ordinarios quam delegatos, qui extra actum visitationum aut confessionum respective cum monialibus, etiamsi abbatissæ, priorissæ aut officiales monasterii fuerint, « colloqui præsumpserint. » (63. Ubi notandum venit illud verbum « præsumpserint. » Verumtamen constitutio edita fuisse constat « pro quiete et utilitate monialium Urbis, regularium curæ subjectarum; » ut inibi in titulo et præambulo propter specialia motiva solerti pontifici nota, qua ratione fortasse Monacellus, quem certe non latebat, eam allegare desiit; licet Matthæuccius ipsammet generaliter admittens, *Offic. cur.*, cap. 13, n. 6, non advertat se contradicere sententiæ quam sustinuerat, cap. 3, n. 13. « confessarios videlicet, superioresque in prohibitione alloquendi, etc., minime includi. » (64. An vero etiam in Urbe constitutio sancta exacte observetur, non est meum investigare. Porro, quod in aliquibus actionibus, extra actum visitandi, atque audiendi confessiones, valeant regularium superiores et quoque confessarii alloqui moniales, nec non ad collocutoria accedere, invenitur decisum a S. C. Conc. recentius *in Mediolan.* 2 Jul. 1738 : « Ad primum dubium, videlicet, quod superior regularis, vel ipsius delegatus possit et debeat intervenire contractibus per moniales initos, eisdemque privative consensum præbere, absque licentia et interventu protectorum, quatenus moniales sint regularibus subjectæ. » Inter fol. pub. p. 90, quod idem probatum legitur in fol. ejusdem Mediolanen. antea expositæ sub die 27 Maii ipsiusmet anni, pag. 82, § *Porro*, in fine. (65. Et quia forte prætendebant episcopi, sive ordinarii, superioribus regularibus in

Digitized by Google

hujusmodi casibus necessariam præbere licentiam; oppositum habetur itidem resolutum *in Lycien. Clausuræ* 22 Septembr. anno 1742, ad dub 18 et 19. Nempe, « quod regularis superior in quibuscunque contractibus, tam activis quam passivis, per notarium in locutoriis monasteriorum suo ordini subjectorum rogandis (salvo jure episcopi tribuendi licentiam pro rogatione eorumdem) possit interesse eisdem contractibus, absque licentia episcopi et in absentia superioris regularis, confessarius remaneat vicarius dictorum monasteriorum. » Inter fol. publ. ejusdem ann. pag. 136 et seq. Hæc ille præcisis verbis. *Vide* tom. IX, in *Appendic.* ad Decreta SS. CC. ubi habentur omnia resoluta dubia in dicta *Lycien. Clausuræ* 22 Septemb. 1742.

(66. Hic observanda venit novissima encyclica Epistola Benedicti XIV ut sequitur :

Lettera circolare della Santità di Nostro Signore Benedetto Papa XIV agli arcivescovi, vescovi, et ordinarj dello Stato Ecclesiastico. Sopra l' accesso a'monasteri delle monache, che da alcuni si fa senza le opportune licenze.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

« Non senza grave molestia dell' animo nostro ci è stato da persone degne di fede riferito portarsi alle volte i prelati locali governatori delle città del nostro Stato a'monasteri delle monache, e parlare ancora liberamente con esse, senza avere chiesta, ed ottenuta l' opportuna licenza da' vescovi, ed ordinarj de luoghi, contravenendo alle disposizioni sinodali, o costituzioni episcopali nelle quali vien prescritto sotto le dovute pene il non accostarsi a' monasterj delle monache, e parlare con esse senza le opportune licenze; ello stesso praticarsi anche da prelati, e governatori, che essendo governatori d' una città, per qualche loro contingenza passano per un' altra, andando nella stessa maniera a'monasterj delle monache : pretendendo tutti i predetti di fare quanto fanno, col fondamento d'esser esenti dalle particolari costituzioni de'vescovi, ed ordinarj, che proibiscono l' accesso alle monache senza le opportune licenze. Nè noi abbiamo avuto difficoltà di prestar fede alle relazioni, ed esposizioni, che ci sono state fatte : avendo pur troppo, mentre eravamo vescovo di Ancona, e governavamo come arcivescovo la città di Bologna, stando a piè fermo in essa, veduto con nostro grave dispiacere succedere così sotto gli occhi nostri, poco, o nulla curando le nostre ammonizioni, ancorchè fatte con qualche calore.

« Non può negarsi, che nulla, o poco vi sarebbe da fare, se si avessero presenti le risoluzioni fatte da questi nostri tribunali, ed approvate ancora da nostri predecessori; avendo essi pensato a tutto ne'tempi passati, ed avendo essi in altri tempi anche saviamente provisto a tutto : ma perchè per lo più esse non si sanno, o, se si sanno, si prende l'impegno d' operare a capriccio, resta il peso in chi attualmente governa di rimetterle nella memoria degli uomini, ad inculcarne l'osservanza

« Ne' tempi passati non solo le sacre congregazioni coll'approvazione de'Sommi Pontefici nostri predecessori hanno stabilito quanto era d'uopo in ordine agli accessi de'regolari, che col fondamento della loro esenzione pretendevano di potere andare a'monasterj delle monache sottoposte alla loro giurisdizione senza l' opportuna licenza del vescovo, come può vedersi nel nostro trattato *de Synodo*, al lib. 7, cap. 31, n. 7, ove sono indicate, e riferite le accennate risoluzioni; ma altresì hanno pensato, e provisto al caso non che de'prelati, e governatori, ma de' vescovi, o che passano, o per accidente si ritrovino dimoranti in qualche altra città, o luogo ad altro vescovo sottoposto; ed hanno determinato, che non possano andare a'monasterj delle monache, e parlare con esse, senza prima aver fatte le dovute parti coll'ordinario del luogo; e queste individue risoluzioni sono anche indicate dagli autori moderni, come può vedersi nel Pellizzario, *De monialibus*, cap. 5, sect. 5, n. 210; nel Graziano, discept. 192, n. 1; nel Tamburrino, *De Jure abbatissar.*, disput. 25, quæst. 2, e nel Ferraris nella sua *Biblioteca*, tom. V, in verb. MONIALES, art. 4, n. 34.

« La custodia della clausura delle monache viene commessa dalle disposizioni canoniche al jus ordinario del vescovo locale ne'monasteri a lui sottoposti, ed al jus delegato ne'monasteri esenti, come fu stabilito dal nostro predecessore Papa Bonifazio VIII, nel cap. *Periculoso*, De statu monachorum, in sexto, che fu rinnovato dal sacro concilio di Trento, nel cap. 5, sess. XXV, *De regularibus et monialibus*; effetto, e sequela di questa custodia della clausura è la proibizione, che veruno si accosti ai monasterj delle monache, e parli con esse senza la dovuta permissione, e licenza del custode, il che porta seco, dover ciascheduno chiederla, ed ottenerla per poter andare ai monasterj, e parlare colle monache, e restare tutti sottoposti all' autorità direttiva della proibizione, come discorrono i citati autori, e come ancora si desume dalle passate risoluzioni. Queste sono da Noi pienamente approvate; e quando mai ve ne fosse bisogno (il che non crediamo) anche per via di nuova legge, determiniamo non poter i vescovi, che sono fuori della loro residenza, andare ai monasteri delle monache situati in altre diocesi, e parlare con esse, senza la dovuta licenza dell'ordinario locale, e nemmeno potere i vicelegati, ed i governatori locali ancorchè prelati, andare ai monasterj delle monache situati nel loro governo senza la predetta licenza, nè tampoco ai monasterj situati fuori del loro governo in altri luoghi, ne'quali abitassero,

Digitized by Google

o pe'quali in occasione di viaggio fossero obbligati a passare.

« Poc' anzi s' è detto, essere tutti questi sottoposti all' autorità direttiva delle costituzioni de'vescovi proibenti l'accesso ai monasterj delle monache senza l' opportuna licenza : perchè essendo i predetti esenti dalla loro giurisdizione ordinaria, restano esenti dalla forza coattiva della loro giurisdizione, ch' è lo stesso che dire, dalle pene da essi imposte contro i trasgressori, giusta la riposta del nostro predecessore Clemente III, nel cap. *A nobis* 21, De sententia excommunicationis : Ed acciò da questa esenzione non derivi qualche inconveniente, nel caso di cui si tratta, ordiniamo, che quando mai in avvenire (il che non crediamo) succedesse, che taluno de' sopradetti andasse ai monasterj delle monache, e parlasse con esse senza la loro licenza contro lo stabilito ne'sinodi episcopali, o nell' episcopali costituzioni, o bandi, ne diano parte a Noi, o alla congregazione de' Vescovi, e Regolari, che non si lascerà di prendere le dovute misure per vendicare l' autorità vescovile dispregiata : E tanto più volentieri ci applichiamo a questo temperamento, perchè lo vediamo abbracciato, e stabilito, nel caso di doversi procedere dagli ordinarj contra gli esenti, ed immediatamente soggetti alla Sede Apostolica, dal nostro predecessore Giovanni XXII, nel cap. *Cum Matthæus*, De hæreticis, nelle stravaganti comuni, e dall' altro nostro predecessore Eugenio IV, nel cap. *Divina*, De privilegiis, pure fra le stravaganti comuni. Ed ecco quanto abbiamo creduto necessario di dover fare. Resta ora a voi, venerabile fratello, il conservare nella vostra cancellaria questra nostra lettera, notificarne il tenore nella maniera che crederete più propria a chiunque deve essere notificata, pubblicandola in quel modo che crederete opportuno; ed invigilare per l'esecusione della medisima, mentre Noi abbracciandovi, diamo a voi, ed al gregge alla vostra cura commesso l'apostolica benedizione.

« Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die trigesima prima Octobris, millesimo septingentesimo quadragesimo nono, pontificatus nostri anno decimo. »

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(67. Plures hic occurrunt quæstiones, æque frequentissimæ. Prima est, an episcopus, vel alter superior ordinarius concedere valeat regularibus quibuscunque, etiam non conjunctis in primo et secundo gradu, licentiam alloquendi moniales? (68. Tractat inter alios hanc quæstionem P. Gaudent. a Janua, *De visitat.*, tom. 1, cap. 4, dub. 11, sect. 4, n 28, et affirmativam tenet sententiam. (69. Præcipue ex hoc movetur, quod S. congregatio Concilii interpres anno 1669, et rursus anno 1672 decrevit : regulares alloquentes moniales, sine licentia ordinarii, puniendos esse ab eodem ordinario et peccare mortaliter. Hinc enim infert d. sacram congregationem supponere, quod ordinarius valeat regularibus licentiam concedere alloquendi moniales. (70. Sed quidquid in utramque partem in hac quæstione dici possit, videtur amplectenda hæc affirmativa sententia, attenta praxi; nam ubique fere locorum ordinarii licentias hasce alloquendi moniales concedunt regularibus.

(71. Altera quæstio est an pœnæ statutæ contra regulares alloquentes moniales sine licentia ordinarii, locum sibi vindicent, si regulares, sine licentia ordinarii novitias, educandas, et inservientes, quæ in monasteriis cum monialibus degunt, alloquantur? (72. Affirmative autem cum auctore n. 49 respondendum videtur, attentis decretis anno 1623 et 1669 editis a sacra congregatione Concilii interprete, iisque a S. Sede approbatis, in quibus disertis verbis habetur, haud posse regulares, sine debita licentia, alloqui moniales, aut alias quaslibet personas intra clausuram degentes. Meritoque Pater Gaudentius a Janua, *De visitat.*, tom. I, cap. 4, dubitat. 11, sect. 3, n. 29, reprehendit Graffium, Donatum et Monacellum tenentes, sub prohibitione alloquendi moniales non venire novitias.

(73. Tertia quæstio est an ordinarius regulares alloquentes moniales punire possit aliis pœnis, præter illas contentas in decretis SS. congregationum?

(74. Et quidquid contradicat P. Gaudentius a Janua, *De visit.*, tom. I, cap, 4, dubitat. 11, sect. 4, num. 29, verior videtur sententia affirmativa Monacelli, *Formular. legal. pract.*, tom. I, tit. 11, formul. 19, n. 5, utpote innixa pluribus resolutionibus sacrarum congregationum ab ipso allegatis. Et convenit etiam auctor n. 42.

—

APPENDIX EDITORUM CASINENSIUM

Ad superiorem et ad præsentem articulum de clausura monialium.

(1. Nomine clausuræ intelligitur spatium illud quod continetur intra januam monasterii semper clausam, seu, quod idem est, intelligitur locus ille qui continetur clausa monasterii janua ad quem externi accedere nequeunt et extra quem moniales non possunt egredi sine violatione præcepti, vel etiam voti, dum clausuram ex voto servare tenentur; ut ex constit. Summi Pontificis Gregorii XIII incip. *Deo sacris*, ibi : « Neq. itidem licere monialibus, etiam tertiariis, egredi janua monasterii, quæ est pro clausura ipsius monasterii, etiam ad claudendam aliam ulteriorem januam, per quam patere solet aditus sæcularibus venientibus ad rotam vel ad crates seu loca colloquiis destinata, quæ vulgo *parlatoria* vocantur, vel ad pulsandam ipsam januam clausuræ; quæ loca, cum saltem pro causis prædictis patere soleant sæcularibus, extra clausuram censeri debent etiam tempore quo clausa sunt. » Bonacina, *De clausura*, quæst. 1, punct. 1, n. 1.

2. Unde appellatione clausuræ venit to-

Digitized by Google

tum illud spatium monasterii, seu domus personarum religiosarum, ad quod liber est accessus ipsis religiosis, et non sæcularibus personis, terminique et limites istius clausuræ complectuntur omnia monasterii loca, quæ janua clausa continentur, et ad quæ sæculares non admittuntur. [Bonacina, *l. c.*; Ventriglia, *Prax. rer. notab.*, part. I, annotat. 5, § 1, n. 2.

(3. Porro incipit clausura ab ea porta, in qua est sedes janitoris ad clausuram servandam (91-92). Sanchez, *in Decal.*, lib. VI, c. 15, n. 28; Ventriglia, *l. c.*, n. 3. Hujusmodi autem clausuræ limites statuere pertinet ad prælatum loci illius, qui habet jus visitandi clausuram prædict. sive ordinarium, sive delegatum. Pignatell., tom. VI, consultat. 85, n. 275.

(4. Illud quoque ex verbis d. bullæ utique infertur, ecclesiam, et locutoria exteriora non venire sub appellatione clausuræ (93). Sanchez, *in Decal.*, l. VI, c. 15, n. 6 et 7; Ventriglia, *l. c.*, n. 2.

(5. « De limine (vero) portæ, sic Ventrigl., *l. c.*, n. 4, quid dicendum sit, dubitatur, an dicatur venire appellatione clausuræ, videtur dicendum quod non; nam quod fit in ostio, non dicitur fieri in domo... (Ast) verius dicendum est, si, clausa janua, limen remanet intra, erit comprehensum in clausura; si vero remanet extra, dicitur extra clausuram, ut bene distinguit Bart... qui dicit, quod si aliquid fit in ostio intra clausuram domus, dicitur esse factum in domo; si vero fit extra clausuram ostii, non dicitur fieri in domo. »

(6. Quoad autem rotam spectat, « Dubitatur, prosequitur Ventriglia, *l. c.*, n. 6 et seq. an rota, id est instrumentum illud in pariete monasterii, quo res e monasterio extra, vel ab extra ad monasterium trahuntur, veniat appellatione clausuræ. Respondet Bonacina..., sic idem Ventriglia; quod rota non dicitur intra, nec extra clausuram, unde infert quod si monialis rotam ingrediatur, et rotam ad partem, quæ sæcularibus patet, vertat, quandiu a rota non egreditur, non dicitur violare perfecte clausuram, cum limites clausuræ nondum perfecte excedat, licet peccet ratione periculi. Verum, prosequitur Ventriglia, Comitolus, quem refert et sequitur idemmet Bonacina ante factum, tenet contrarium; unde in casu prædicto monialis diceretur violare clausuram, et opinio Comitoli est tutior; nam tenendo opinionem Bonacinæ, sequeretur absurdum; nam si sæcularis poneret se intra rotam, eamque verteret ad partem, quæ monialibus patet, si non egrederetur a rota, non violaret clausuram; quod non potest dici, nam vere ex hoc ingressu possent oriri damna et scandala pro quibus vitandis introducta est clausura. Hanc opinionem, concludit. præf. Ventriglia, omnes admittunt quoad peccatum; quoad vero censuras, magis communis est talem monialem non incurrere excommunicationem. Tamburin., *De jur. abbatiss.*, disp. 19, quæsit. 4, n. 5; Diana et alii. »

(7. Tectum eatenus dicitur esse intra clausuram, quatenus regit loca quæ sunt intra clausuram, et non ultra. Sanch., *l. c.*; Suar., t. IV, *De rel.*, l. I, c. 10, n. 6; Diana, *De claus.*, n. 20; Ventrigl., *ibid.*, n. 5.

(8. Horti demum monial. continentur procul dubio sub clausura. Nicol., in *Flosc.*, v. *Monialis*, n. 34... « Mihi tamen, prosequitur Nicolius, procul dubio, videtur non affici clausura hortus, quando non est muratus, sed sola sepe cinctus, et per consequens non posse moniales ad illum egredi; alias plus esset periculi, quam si per vias publicas graderentur : nec ita indicatur clausura per sepem, sicuti per murum... » Sacra vero congregatio, sic idem Nicolius eod. censuit, « quod hortus, vel silva murati, aut fovea circumdati, comprehenduntur sub clausura, 15 Octob. 1578. »

(9. « An autem violatio clausuræ monialium excusari possit a culpa m. ratione parvitatis materiæ : R. Naldus, verb. *Clausura*, n. 2, et Graff., *De cas. reser.*, c. 9, n. 45, quos adducit et non reprobat Diana p. III, tr. 2, resol. 52, posse excusari, adeoque monialem ambobus pedibus se transferentem extra januam terminos clausuræ terminantem ad unum, vel ad duos palmos, non peccare m. si statim regrediatur; idem sentit, et Merolla relatus a Tambur... qui tamen oppositum sentit cum Bonac... et aliis, alioqui concedens parvitatem materiæ in præsenti casu posse admitti, si monialis toto corpore non egrediatur e clausura, sed majori parte corporis manens intra septa monasterii, pede, aut pedibus exeat : sic quippe non videtur consummari tota transgressio violationis clausuræ in eo consistens, quod monialis egrediatur e terminis definitæ clausuræ, quod utique verificatur, sive ea longe recedat a dictis terminis, sive tantum ad duos pedes, mox regressura; quæ est ratio cur citati DD. sustineant in violatione clausuræ non dari parvitatem materiæ, et quidem satis probabiliter. Quanquam non audeam damnare oppositam sententiam, quam admittunt docti neoterici a me consulti, nec

(91-92) Hac ratione « violatrix dicitur clausuræ monialis, etiam tertiaria, si egrediatur e janua monasterii, quæ est pro clausura, ad claudendam aliam januam ulteriorem qua patere solet aditus sæcularibus venientibus ad rotam, vel ad crates, seu loca colloquiis destinata, vel ad pulsandam ipsam januam clausuræ; quæ loca, cum patere soleant sæcularibus, extra clausuram censeri debent, etiam tempore quo clausæ sunt. » Ventriglia, *Prax. rer. notab.*, part. I, annot. 5, § 5, n. 20.

(93) « Hinc nec sacristana, nec priorissa, nec alia monialis egredi potest in ecclesiam exteriorem, occasione claudendi illius januam, vel quolibet alio prætextu. 1608, *Brissinon.* 12 Dec. Neque de hoc datur licentia, 1577, *Amelia*, 22 Jan., *Como*, 8 Dec. 1594. Sed pro necessitate claudendi januam respondentem in viam publicam debet provideri de vecte cum sera a parte exteriori, cujus clavis teneatur a confessario, vel procuratore, vel alia persona vicina sene, et timente Deum. 1594, 20 Sep. » Nicolius, *Floscul.*, v. *Clausura*, n. 50.

Digitized by Google

immerito; stante quòd obligatio clausuræ est de jure positivo humano, quod cum debeat esse accommodatum fragilitati humanæ, non solet, nec debet interpretari adeo rigorose, ut non admittat levitatem materiæ, etiam in casu quo ejus violatio dicatur perfecte consummata modo prædicto; idque juxta doctrinam a Sanchez traditam l. 1 *Mor.*, cap. 4, n. 1, asserentem tunc solum non dari parvitatem materiæ, quando in materia parva reperitur integra ratio irreverentiæ, ac offensionis, cujusmodi sunt ea quæ immediate ac directe versantur circa Deum, ut odium Dei, contemptus illius, infidelitas, perjurium assertorum, simonia, et alia id genus, inter quæ tamen non videtur computanda violatio clausuræ, etsi Sanchez, l. VI *Mor.*, c. 16, n. 70, id neget. » Hæc habet Pellizzar., *De monial.*, cap. 5, sect. 1, q. 11, n. 19 (94).

(10. Contra Pignatellus secutus Sanchez, Bonac. et Dianam, tenet quod « clausura, consistit in indivisibili; unde non potest in hujus violatione dari parvitas materiæ; nam sive parum ultra lineam clausuræ transeas, sive multum, dummodo totus transeas, perfecte diceris clausuram violasse. » Tom. VI, consult. 85, n. 275. Ita pariter sentit Ventriglia, *Prax. rer. notabil.*, part. 1, annot. 5, § 1, n. 8.

(11. Jam vero ex concil. Trident., sess. XXV, cap. 5 *De regular.* Episcopis injungitur sub obtestatione divini judicii, et interminatione maledictionis æternæ, ut clausuram violatam restituant, et inviolatam conservent: quod quidem onus eisdem incumbit ordinaria auctoritate in monasteriis sibi subjectis, auctoritate vero a Sede Apostolica delegata in illis præfatæ Sedi Apost. immediate subjectis, ut ex eod Trid., *l. c.*, et ex motu S. Pii V incip. *Circa pastoralis;* Ventrigl., *l. c.*, § 2, n. 1.

(12. Atque, ut rite hanc rem persequamur, illud lector advertat oportet, moniales esse in triplici differentia. Aliæ enim sunt immediate subjectæ episcopis; aliæ immediate Sedi Apostolicæ; aliæ vero immediate regularibus, quæ etiam dicuntur exemptæ. Insuper duplex in episcopo dari potest potestas alia ordinaria; alia delegata, de quibus doctores passim. Pignatellus, tom. VI, consult. 85, n. 1.

(13. « Expendendo igitur hoc triplex monialium genus, cum hac duplici episcoporum auctoritate, certum est, quod jus cogendi ad clausuram episcopo subjectas, est ipsius episcopi auctoritate ordinaria. In monasteriis vero Sedi Apostolicæ immediate subjectis est jus ejusdem episcopi auctoritate delegata Sedis Apostolicæ. »

(14. Certum est etiam apud omnes, episcopum non habere jus super clausuram monialium exemptarum auctoritate ordinaria. Ideo etiam vocantur exemptæ, quia non subduntur jurisdictioni ordinariæ episcoporum. Hujus ratio est generalis exemptio regularium a jurisdictione episcopi, de qua nemo hucusque dubitavit. Ac moniales exemptæ regularium regimini subjectæ, sunt in numero regularium, potiunturque respective regularium exemptionibus, et immunitatibus spiritualibus, ac temporalibus... Atque adeo etiam moniales exemptæ ab ordinaria jurisdictione episcopi eximuntur. Tota igitur difficultas reducitur ad potestatem delegatam, an hanc habeant episcopi quoad clausuram super monasteria exempta. » Sic Pignatellus, *l. c.*, n. 2.

(15. Nonnullis siquidem, etiam magni nominis doctoribus, ut Navarro, Sanchezio, Bonacinæ, Tamburino, Pellizzario, etc., visum fuit nullam episcopis delegatam fuisse jurisdictionem sive ex Tridentino, sive ex Pontificiis constitutionibus super moniales exemptas, regularibus subjectas, etiam in ordine ad clausuram.

(16. Verum cum sæpius, et sæpissime, pluribus editis resolutionibus, sacra congregatio Concilii hujusmodi potestatem episcopis demandaverit, non amplius ea de re venit ambigendum. Præstat audire ipsam sacram congregationem Concilii, quæ scribens cardinali Paleotto, sic habet: « Più volte è stato risoluto, *etiam* di mente di nostro Signore, e scrittosi anche a diversi prelati, che i vescovi visitando la clausura delle monache governate da regolari, « conforme alle facoltà, che dà loro il sacro « concilio di Trento, » possano, e debbano con questa occasione investigare diligentemente, ed informarsi, se la clausura è in alcun modo violata, parlando sopra di ciò particolarmente alle monache, per intendere secretamente da loro, se vi è mancamento alcuno. Il che par tanto utile, e quasi necessario in questa materia a chi vuol fare l'ufficio di visitatore, nella maniera, che conviene, che non si dovrà lamentare niuno di questa risoluzione: e però dovrà V. S. Illustrissima così eseguire, ai 27 di Aprile 1583 et 24 Febr. 1583. « Licet episcopis in « visitatione clausuræ monasteriorum regu- « laribus subjectorum investigare diligenter, « et informationem capere, etiam a monia-

(94) Ex hujus sententiæ tenore posito casu: « An violet clausuram monialis, quæ existens in ostio aperto monasterii, per jocum compellitur a socia extra illud, » idem Pellizzarius, cap. 5, sect. 2, qu. 33, n. 70, sic respondet: « Tambur., *De jure abbatiss.*, d. 19, q. 4, § ad 10, (ait) non violare, dummodo monialis eo modo compulsa perfecte non sit egressa, citatque pro sua sententia Portellum et Naldum, addens idem dicendum, etiam in casu quo monialis impulsu brachiorum, et per jocum invita compellatur extra septa monasterii. Verum, a prosequitur Pellizz. « cum sect. præc. q. 11, *An autem*, dixerimus, in violatione clausuræ admitti posse parvitatem materiæ, in præsenti casu excusanda videtur monialis a peccato saltem motum ob levitat. materiæ, quæ in tali eventu interveniat, si monialis compulsa statim regrediatur; tum quia hujusmodi violatio clausur. non videtur formalis violatio, sed solum materialis, utpote involuntaria respecto monialis compulsæ, ut suppono. » Sed v. Tambur., *l. c.*

Digitized by Google

« libus, an clausura aliquo modo violata « sit. » *Vide* Luc. nostrum, art. 3, h. rubricæ, n. 94 et seqq.

(17. Hinc clausuram sanctimonialium violatam restitui procurare tenentur episcopi, contradictores puniendo; et delinquentes circa clausuram monialium etiam regularibus subjectarum, aut personarum intra septa degentium, nulla exemptione tueri se possunt quominus ab episcopo coerceantur. Hoc pacto, clausura an servetur, potest videre episcopus, non solum in monasteriis sibi subjectis, sed etiam in monasteriis monialium, quæ regularibus subduntur, nec possunt ab ipsis regularibus impediri, quominus ad hunc effectum ea visitet, quoties id expedire judicaverit. Sacr. congr. Concil. apud Barbosam, *Summ. Apost. decis.*, verb. *Clausura*, n. 6 et 8.

(18. Hinc profecto « accessus ad colloquutoria, vel rotam, vel alias monasteriorum monialium partes, est materia pertinens ad clausuram, et per consequens spectat ad ordinarium, etiam in monasteriis subjectis regularibus, qui eas ad libitum visitare potest; 1605, *Genova* 17 Jun. » Nicolius, *Floscul.*, verb. *Clausura*, n. 12.

(19. « Hinc, Barbosa docente, censura per statutum, aut edictum episcopale ipso jure adversus adeuntes monasteria monialium, et cum illis alloquentes, comprehendit etiam accedentes ad monasteria exempta monialium subdita regularibus, qui non subsunt jurisdictioni episcop. existentia intra suam diœcesim... dum tamen vetitus fuerit accessus ad monasteria etiam exempta, alioquin generica prohibitio non afficit eunles ad exempta. » *De offic. et potest. episc.*, alleg. 102, n. 74. — Ita quoque Bonac., *De clausura*, quæst. 3, punct. 4, num. 1.

(20. Et pro visitatione clausuræ, non solum episcopo, sed etiam generali ejus vicario ad hoc speciale mandatum habenti licet ingredi septa monasteriorum monialium regularibus subjectarum, tametsi « nulla rationabilis violatæ clausuræ suspicio » irrepserit... Sacr. congregat. Concil. apud Barbosam, *Summ. Apost. decis.*, verb. *Claus.* n. 10.

(21. Et quod amplius est, juxta Barbos., *ibid.*, num. 11 : « Clausuram monialium etiam regularibus subjectarum visitandi facultas tributa episcopo transit in vicarium generalem non habentem ad id speciale mandatum. » S. cong. Conc. die 13 Maii 1628.

(22. At abstractione facta ab hujusmodi decreto, cujus Barbosa meminit, receptum videtur, vicarium generalem episcopi speciali mandato pro visitatione clausuræ, de qua agitur, munitum esse debere, idq. ex post decr. ejusdem S. congr.

« Ut igitur, sunt verba Monacelli, clausura monialium ubique tuta reddatur, potest episcopus illam visitare, semota quacunque superiorum regularium negligentia, aut suspicione violationis, illisque irrequisitis et inconsultis, non solum per se ipsum, sed etiam per suum vicarium generalem « ad hoc speciale mandatum habentem. » et in casu resistentiæ, poterit contra renuentes et contrad. ad pœnas etiam censurarum procedere, prout declaravit congregatio Concil. *in Limana* 12 Augusti 1628, et *in Augustana* 12 Januarii 1630; *in Rhegien.* 9 Novembris 1630, etc. » *Formul. pract.*, tom. II, tit. 15, formul. 15, n. 18, pag. 261. Ita pariter sentit Matthæucci, *Official. cur. regular.*, tom. I, cap. 13, n. 15.

(23. « Quod autem dictum est, pertinentia ad clausuram etiam in monasteriis regularibus subjectis, spectare ad ordinarium intelligitur « cumulative quoad superiores re« gulares, non autem privative. » Fossanen. 31 Aug. 1658. Apud Nicol. *Flosc.*, verb. *Claus.*, n. 12, id quod notatu dignum sit.

(24. Porro clausuram monialium visitare non potest suffraganeus episcopus, uti suffraganeus, absque speciali commissione, et mandato episcopi, cum non habeat exercitium jurisdictionis, nisi sibi tribuatur ab episcopo, sed tantum usum Pontificalium in diœcesi. Sac. cong. Conc. die 11 Maii 1630 apud Barbos. *Summ. Apostol. dec.*, verb. *Claus.*, n. 12.

(25. « Si quæ vero sint in civitate situatæ (moniales) sed alii episcopo subjectæ, visitantur ab episcopo diœcesis, sicut aliæ moniales subjectæ regularibus, refert decisum Gallet., verb. *Moniales*, 4. » Barbosa, *De offic. et potest. episc.* allegat. 102, n. 6.

(26. Quantum vero ad capitulum sede vacante « potest vicarius capituli jure suo ordinario visitare septa monialium episcopo subjectarum in temporalibus et spiritualibus; monasteria vero Sedi Apostolicæ immediate subjecta, et quæ perpetuo episcopali muneri sunt commissa, et delegata, spiritualiter tantum. » Sic Monacellus, part. III, tit. 1, formul. 39, n. 11, pag. 163. « Neque dicas capit. sede vacante, non succedere in jurisdictione episcopo delegata etiam ex generali delegatione Sedis Apostolicæ. Enimvero distinguendum inter casum in quo aliquid jurisdictionis in perpetuum committitur muneri episcopali ex delegatione Sedis Apostolicæ, ut ex officio deinceps competat episcopis, et inter casum in quo episcopo sub nomine dignitatis, et consequenter etiam successori a Summo Pontifice delegato ad aliquam peculiarem tantum causam, vel negotium. Etenim in hoc ultimo casu jurisdictio delegata non transit in capitulum sede vacante, et ita procedit limitatio communis doctorum. At in primo casu non procedit eadem limitatio, sed potius resolvendum, capitulum in dubio succedere etiam in hujusmodi jurisdictione in perpetuum episcopali muneri delegata, nisi aliud aliunde legitime colligatur ex mente delegantis. Ratio est, quia, supposita perpetuitate hujus delegationis, per quam id de quo actum fuerit annectitur in perpetuum episcopali muneri, non quidem principaliter in bonum episcopi, nec tanquam ejus privilegium, sed in bonum eorum in quos ea jurisdictio taliter delegata exercetur, vel aliorum, et ecclesiæ, consequitur eamdem jurisdictionem censendam esse ut accessorium, imo ut partem totius jurisdi-

Digitized by Google

ctionis episcopalis in communi, ac proinde ut talem transituram in capitulum in quod, sede vacante, transit per viam regulæ episcopalis jurisdictio. Cum ergo hoc ita se habeat in jurisdictione in perpetuum episcopali muneri delegata, proindeque in ea succedat capitulum sede vacante, poterit ejus virtute visitare in spiritualibus moniales taliter exemptas, quippe credendum non est quod toto tempore sedis quoquo modo vacantis monasteria monialium exempta et soli Summo Pontifici immediate subjecta, et eorum moniales destituantur visitatione, et quolibet alio regimine spirituali, quod tantopere a Trid. et Pontif. Const. intenditur.» Barbosa, *De canonicis*, cap. 42, n. 107. Quidquid de capit. jurisdictione sede vac. visum fuerit l. nostro, v. CAPITULUM SEDE VACANTE, art. 3, n. 19 et seqq. *V. Addit. Casin.*, v. VICARIUS CAPITULARIS.

(27. « Jam vero præcipitur episcopo observantia clausuræ sub pœna obtestationis divini judicii, et interminationis maledictionis æternæ, ut ex cit. Trident. et motu Pii V quorum sanctiones non inducunt excommunicationem, sed significant præceptum obligare sub peccato mortali. » Ventriglia, *Prax. rer. notab.*, part. I, annotat. 5, § 2, n. 3.

(28. « Porro ad hoc munus implendum sac. congreg. Conc. *in Auximana* 26 Januar. 1658 declaravit episcop. ad clausuram monialium custodiendam etiam in monasteriis subjectis regularibus, uti posse censuris, easque ligare nedum regulares accedentes, sed etiam moniales, facta de illis mentione, et regulares non posse absolvere incursos et incursas. Et sacra cong. Episc. *in Anconitana* 8 Novemb. 1585 quod posset accessum prohibere etiam sub pœna corporis afflictiva. » Apud Monacellum, part. II, tit. 15, form. 15, n. 16, pag. 261.

(29. Hinc « episcopus ut inviolatam clausuram monialium custodiat juxta dispositionem concil. Trident. duo attendere debet : « Primum circa ipsam monialium personas « immediate, prohibendo egressum illarum « e clausura : et mediate, prohibendo in« gressum externarum personarum ad mo« nast. (95), non solum ingressum ad inte« riores partes monast. sed etiam ad exte« riores, alloquendo eas in rota, cratibus, « aliisque locis, vulgo *parlatorii* nuncupatis. « Secundo operando, ut clausura ipsa cir« cumsepta sit, et munita altis mœniis (96) « ex omni parte, ita ut accessus per ea red« datur impossibilis ; et claudatur una tan« tum janua, si fieri potest, eaque clave, et « ferro sit munita, quæ janua, die, una clave, « nocte vero duabus claudi debet, nec sine « præfecta aperiri : » Tambur., *De jur. abbatiss.*, disp. 18, quæst 1, n. 6 ; Ventriglia, *l. cit.*, n. 7, et in eisdem terminis Barbosa, *De offic. et potest. episc.*, allegat. 102, n. 10.

(30. *Parlatoria* etiam quod attinet, lubet transcribere declarationem in forma epistolæ. S. congreg. Episc. et Reg. in hæc sane verba : « Al vescovo di Reggio ai 9 Agosto 1593 d'ordine di Nostro Signore, che faccia eseguire gl' infrascritti ordini, non solo ne' monasteri ad esso sottoposti, ma etiam in quelli, che sono sudditi ai regolari.

« Primo, che i parlatorii si abbiano da levare dalle chiese, accomodandoli fuori di

(95) « Episcopus potest punire regulares violantes clausuram monialium virtute concil. Trid., sess. 6, cap. 5, *De reformat.*, et tenet Leo, in *Thes. form. eccles.*, p. II, c. 1, n. 56, ubi etiam dicit, non incurrere regularem in excommunicationem emanatam in edicto episcopali contra adeuntes monasteria monialium, si regularis expresse ex privilegio eximatur ab ordinarii excommunicationibus ; secus est de non habentibus hoc privilegium, de quibus optime Campanus..., ubi dicit, quod licet episcopus non possit excommunicare regulares habentes tale privilegium, pro accessu, et colloquio cum monialibus, cum huic privilegio non sit derogatum per concil. Trident., *loc cit.*, potest tamen eos punire alia pœna in privilegio non comprehensa. Tambur., *De jure abbatis.*, disp. 18, quæsit. 1, n. 6. » Ita Ventriglia. *supra cit. Prax. rer. notabil.*, p. I, annot. 5, § 2, n. 6.

Sed præstat in hac re audire D. de Ligorio, qui sic habet : « Dubitatur an regulares colloquentes cum monialibus incurrant excommunicationem reservatam latam ab episcopo? Adsunt quatuor sententiæ. Prima absolute negat... quia licet episcopi circa clausuram monialium, ex Trident., sess. 25, cap. 5, procedant ut delegati Sedis Apostolicæ, tamen ibi nulla fit mentio facultatis ferendi censuras contra religiosos. Secunda sententia omnino opposita... dicit, omnes regulares, etiam speciali privilegio donatas, incurrere excommunicationem latam ab episcopo. Tertia sententia... distinguit, et dicit non incurrere, si monasteria sint episcopo subjecta, quia cum in illis episcopus procedat auctoritate ordinaria, ei non subduntur regulares ; secus vero si sint exemota, quia in his episcopi procedunt ut Papæ delegati. Quarta demum sententia communior, cui magis adhæreo, ita de Ligorio... aliter distinguit, et ait, quod regulares, si habeant speciale privilegium, quod non possint excommunicari, aut suspendi ab episcopis (prout habent mendicantes ex *Compend. privileg.*, etc., et religiosi societatis Jesu, ex bulla Pauli III, ann. 1549), hi non incurrunt excommunicationem ab episcopo latam ; secus vero, si tali privilegio careant... Unde infertur, quod regulares speciali privilegio non muniti, bene incurrunt excommunicationem latam ab episcopo in colloquentes cum monialibus, sive monasterium sit exemptum sive subjectum episcopo, quia etiam in hoc episcopus procedit contra regulares tanquam delegatus Sedis Apostolicæ, alias in eos nullam haberet jurisdictionem puniendi et corrigendi, sicut habere dicitur in bulla (mox citanda). Secus vero dicendum de regularibus speciali privilegio gaudentibus ; tale enim privilegium hoc importare debet, ut contra eos episcopus, nec etiam ut delegatus Sedis Apostolicæ possit procedere ; quia cum regulares ordinarie in aliis sint exempti a jurisdictione episcopi, quando contra eos episcopus procedit, semper ut delegatus procedere debet. Hoc vero intelligendum si privilegium post (dict.) bullam Gregorii XIII (incip. *Inscrutabili*) sit concessum, non vero si ante, dum in Bulla dicitur, « nullis privi« legiis et exemptionibus tueri se possint, etc. » *De censuris*, n. 241.

(96) « Debere ita custodiri clausura, ita ut sit circumsepta, et munita altis mœniis, ac excelsis undique parietibus, ne e vicinorum ædibus, quicunque illi sint, monasteria introspiciantur. » Pellizz., *De monial.*, c. 5, sect. 1, n. 12.

Digitized by Google

essa in luoghi opportuni con la sua ruota, e ferrate doppie in ogni finestra, e così strette, che da un ferro all' altro non vi siano più di due dita di larghezza... » Apud Pignatellum, tom. VI, consultat. 85, n. 207.

(31. Hæc pariter in materia clausuræ attendenda veniunt : « Al Vescovo di Como 16 Marzo 1593. Che le porte de' monasteri, che servono per uso de'carri, e delle some si tengano sempre serrate di fuori con catenacci, e le chiavi si tengano dal confessore, o da altra persona deputata dal vescovo, le quali porte non si aprano mai, se non per l'uso narrato.

« Che non si possano introdurre per le porte ordinarie quelle cose, che possono entrare per le ruote, e che le suore non possan parlare nelle dette porte con persona alcuna. » Apud Pignatellum, *loc. cit.*, n. 167.

Unde porta clausuræ non debet aperiri pro quacunque visitatione, etiam matrum, vel sororum. 1604, *Parma*, 26 Jan. Sed solum pro necessitate introducendi res, vel personas, 1604, *Perugia* 4 Maii. Apud Nicol., *Flosc.*, verb. *Claus.*, n. 4.

(32. Insuper clavis ad custodiendam januam a parte interiori monasterii per abbatissam tenenda, debet fieri diversa ab exteriori, quam tenet confessarius; *in Marsicana* 5 Decembr. 1600, vel alia persona moribus ac ætate gravis ab ordinario eligenda, quæ non ideo licentiam habere censeatur ingrediendi monasterium; *in Gallipolensi* 29 Martii 1589. Non autem illam tenere debet capellanus junior, vel magistratus sæcularis, vel ejus syndicus, vel alius quilibet laicus, nisi in defectum ecclesiasticorum, et ad nutum; *in Telesina* 17 Febr. 1601; *in Marsicensi* 27 Maii 1603; *in Lyciensi* 4 Junii 1610; *in Tarentina* 26 Novemb. ejusdem anni.

(33. Multo minus superior regularis ipsarum monialium; *in Perusina* 19 Augusti 1603. Hæc omnia apud Pignatellum, tom. VI, consult. 85, num. 240; Nicolium, in *Floscul.*, verb. *Clausura*, num. 5 et seqq. *Vide* etiam notas sub n. 3 et 4 hujus *Append.*

(34. Quia porro Trident., et Apostolicæ constitutiones ad monialium clausuram sartam tectam habendam omni modo, et quoad omnes intendunt, hinc minime possunt prælati omnes sæculares, etiam cardinalatus dignitate præditi, nec non superiores regulares pro monasteriis sibi subjectis, clausuram monialium ingredi, nisi in casibus necessariis et comitati a paucis senioribus et religiosis viris, atque id ex forma constit. Gregorii XIII incip. *Dubiis*, et sub pœnis in illa contentis, ut infra. *Vide* Luc. nostrum, art. 3 h. Rubricæ, n. 66 et seqq.

(35. Ex sentent. Monacell. vicarius capituli sede vacante, qui dicitur vicarius jurisdict. episcopalis, si in ingressu clausuræ monialium non servat formam traditam in d. constit. pro prima vice interdictum, pro secunda suspensionem, pro tertia excommunicationem incurrit, ut ibi decernitur quoad episcopos aliosque prælatos sæculares, etiam cardinalatus dignitate præditos : quod idem de vicariis generalibus, aliisque prælatis inferioribus jurisdictionem quasi episcopalem in monialium clausuram habentibus dicendum, licet ibi expresse non sint expressi. Etenim volens Gregor. XIII, dubium exortum super intelligentia suæ primæ bullæ, incip. *Ubi gratiæ*, declarare in hac alia, quæ incipit *Dubiis*, sic ait : « Constitutione item nostra fuit provisum, ne cui in posterum, nisi in casibus necessariis, septa monasteriorum monialium ingrediendi concederetur licentia, a nonnullis dubitatum fuisse; sciamus circa personas, quæ alterius ad id licentia non indigent, sed sui auctoritate officii nituntur, an liceat eis pro libito suæ voluntatis hujusmodi septa ingredi, vel potius servare debeant ipsi Regulam a concilio præscriptam. (Hæc in proœmio, et in dispositiva.) Nos omnem hæsitationis materiam tollere, et viam scandalis præcidere, ac sanctimonialium quieti consulere volentes, harum tenore auctoritate Apostolica declaramus, prælatos omnes tam sæculares, quam regulares, quibus cura et regimen monasteriorum monialium quovis modo incumbit, facultate sibi ex officio attributa ingrediendi monasteria prædicta, ita demum uti posse, si id faciant in casibus necessariis, a paucis iisque senioribus, ac religiosis viris comitati... Quod si contrafecerint, eadem auctorit. Apost. statuimus atq. decernimus, qui pontificalis dignitatis fuerint, eos pro prima vice, qua contrafecerint ab ingressu eccl. interdictos, pro secunda a munere pontificali, et a divinis suspensos, ac deinceps ipso facto absque alia declaratione excommunicatos existere; regulares vere omni officio ac ministerio privatos excommunicationi similiter subjacere. »

« Verus propterea (sic Monacell.) sensus istius constit. est, quod omnes super. qui aliena licentia non indigent, ingrediendo clausuram monialium in casibus non necessariis, etc., pro prima vice interdictum, pro secunda suspensionem a divinis, et pro tertia excommunicationem incurrunt : neque dicendum, quod vicarii generales, et alii prælati inferiores non fuerint nominati, neque expressi; quia satis illos expressit, et nominavit in cit. bullæ proœmio, per verba *circa personas, quæ alterius ad id licentia non indigent, sed sui auctoritate officii nituntur*, ecce omnes superiores comprehensos, et in illis verbis dispositivæ : *Prælatos omnes quibus cura, et regimen monast. monialium quovis modo incumbit*, ecce vicarios capitulares, quibus attributa est de jure facultas visitandi monast. d. monialium. » Ita Monacellus, part. III, tit. 1, formul. 42, n. 18 et seqq., pag. 154, et seqq.

« Concludendum propterea videtur (sic in terminis id. Monacell., *loc. cit.*, n. 30, pag. 156), quod vicarius capituli de ingressu in clausuram monialium possit sindicari : primo quando ingreditur sine necessitate... secundo quando secum duxit, et introduxit numerum superfluum et excessivum per-

Digitized by Google

sonarum; tertio quando est ingressus solus sine sociis, vel cum sociis laicis, præsertim juvenibus; quia in his casibus est constitutionis Gregor. transgressor, prout sunt omnes alii superiores qui super eisdem delinquunt. Ab excommunicatione autem, quam forte incurrit, poterit ab episcopo absolvi, cum non sit reservata. »

(36. Ast contrariam tenent sententiam Bonacina, *De clausura*, q. 4, punct. 5, n. 11, et Ventriglia, *Prax. rer. notab*, p. 1, ann. 5, § 1, n. 46 : « Ex dictis, sic ille, patet primo differentia inter prælatos sæculares, prædictos dignitate pontificali, et alios pontificalem dignitatem non habentes, quod licet nulli possint licite ingredi monasteria monialium, sibi subdita ultra casus necessitatis, « soli « tamen prælati pontificali dignitate » prædicti prædictis pœnis afficiuntur; quia Gregorius, dum pœnas contra prælatos sæculares imponit, horum tantummodo meminit. Ob id vicarius generalis, aut abbates, aliique jurisdictionem episcopalem non habentes his pœnis non subjiciuntur, ut bene Sanchez, lib. VI, c. 16, n. 99. Ratio est quia pontificali dignitate carent, ut suppono. »

« Observa, ita Ventriglia, quod hæ pœnæ non militant contra vicarios generales, vel prælatos sæculares episcopo inferiores, habentes quasi episcopalem jurisdictionem in moniales, ingredientes ut supra; quia ibi non sunt expressi, neque aliam censuram incurrunt, aut pœnam latæ sententiæ, quia nullibi lata est. Ita Sanchez, cit. cap. 16, num. 99; Bonacina, *De claus.*, q. 4, punct. 5, n. 11.

(37. Amplius Bonacina, *loco citato*, num. 12, addit : « Prælatos tam sæculares, quam regulares ingredientes ex causa necessaria non affici excommunicatione, etiamsi soli ingrediantur; vel etiamsi ducant secum personas non religiosas, nec senes. Ratio est, quia licet faciant contra præf. Greg. motum; tamen pœnæ illius motus extenduntur solum ad ingredientes in casibus necessariis. »

(38. Adversus tamen hanc Bonac. sententiam insurgit id. Monacellus, cit. part. III, tit. 1, formul. 42, num. 27 et seqq., pag. 156, in hæc sane verba : « Erronea quoque est alia propositio ejusdem Bonacinæ... nempe, quod tam prælati sæculares, quam regulares ingredientes clausuram monialium ex causa necessitatis, non incurrunt excommunicationem, si soli ingrediantur, vel si secum ducant personas non religiosas, nec senes; quia, *ut ipse* dicit, pœnæ const. Greg. extenduntur solum ad ingredientes in casibus non necessariis. Nam Pontifex Greg. declarando suam primam bullam, per modum novæ legis statuit, quod superiores, quia alterius licentia non indigent pro ingressu, facultate, quæ eis ex officio datur, non utantur, nisi in casibus necessariis, et non nisi a paucis et religiosis personis fuerint comitati : ut patet ex supra cit. verbis, ibi : « si id faciant in casibus necessariis, « et a paucis, iisque senioribus ac religiosis « viris comitati; » et sic dum dicit « si id « faciant in casibus necessariis, » ponit *conditionem*, non *modum;* et dum dicit *a paucis* comitati, virtute illius copulæ, et hanc aliam conditionem, prout juris est æqualiter conjungit, et duo principaliter requirit, nempe necessitatem, et socios senes, et religiosos : ideoque ad evitandas pœnas constit. non sufficit alterum verificari, sed debet per necesse utrumque concurrere, ut in terminis d. bullæ ponderant Fagnanus cap. *Ut juxta*, De officio judicis ordinar., n. 29 (97). » Nicol., *Lucubr. can.*, lib. V, tit. 39, n. 200.

(39. At Ventriglia, cit. *Prax. rer. notab.*, § 1, n. 47, Bonacinæ sententiam tenere videtur, hoc sane pacto : « Neque hæ pœnæ procedunt contra ipsos prælatos intrantes ex causa necessaria, sed associatos a multis, vel junioribus, aut sæcularibus, ut per Sanchez... nam hæ pœnæ procedunt tantum, quando sine causa necessaria intrant. » Hancque ipsam opinionem D. de Ligorio amplecti quoque videtur, per hæc verba : « Dicit tamen Tamb. cum Victorell... quod si episcopus solus intraret, vel non adhiberet comitantes senes, aut non religiosos, aut non paucos, non incurreret pœnas, quia pœnæ tantum afficiunt prælatos ingredientes sine necessitate. » *De censur.*, n. 221.

(40. « Nota quod hæ excommunicationes non sunt reservatæ; ita Sanchez, in *Summ.*, lib. VI, cap. 16, n. 93; Filliuc., tract. 15, 146, in fin. » Ventriglia, *l. cit.*, n. 45.

(41. Sequentia porro iis quæ dicta sunt addere liceat. Clausuram monialium haud ingredi debet episcopus in exploratione voluntatis novitiæ, vel alio simili actu, sed stare debet ante fenestellam cancellorum, examinando mentem ipsius puellæ. Sacra congreg. Concil. apud Barbosam, *Summa apost. decis.*, verb. *Clausura*, n. 4.

(42. Insuper clausuram ingredi non licet superiori, aut episcopo, seu ordinis generali prætextu dandi habitum novitalibus, vel recipiendi ad professionem, aut occasione benedicendi, vel consecrandi abbatissas, ac solemniter velum concedendi, ubi solitum est eas benedici, nec etiam prætextu interveniendi electioni abbatissæ, vel priorissæ, aut examinandi moniales particulares, si hæc ad monasterii crates peragi valeant. Sacra congreg. Episcop. et Regul. 13 Sept. 1583, et *in Syracusana* 16 Oct. 1600. Apud Barbosam *l. c.*, n. 6 (98).

(43. Amplius notandum in motu Pii V

(97) Hæc porro sunt verba Fagnani, *l. cit.* : « Hodie ex declaratoria Greg. XIII super dubiis const. incip. *Ubi gratiæ*, prælati omnes tam sæculares, quam regulares, quibus cura et regimen monasteriorum incumbit, ita demum uti possunt facultate ingrediendi illorum septa sibi ex officio attributa (et sic etiam ex causa visitationis), si id faciant in casibus necessariis, et a paucis, iisque senioribus, ac religiosis personis comitati; et contra facientes, si pontificalis dignitatis fuerint, pro prima vice ingressu ecclesiæ interdicti, etc.... Regulares vero omni officio et ministerio privati, et excommunicati decernuntur. »

(98) Posse autem in causa electionis, de qua

Digitized by Google

incip. *Decori et honestati* præcipi episcopis, et aliis locorum ordinariis in virtute sanctæ obedientiæ publicationem decreti de clausura monialium singulis annis. Dubitatur an hoc præceptum obliget sub mortali singulis annis.

(44. Resp. « Satis esse decretum alias publicatum fuisse, nisi aliud necessitas suadeat. » Ratio est, tum quia aliquibus in locis non solet quotannis publicari; tum quia in alio motu ejusdem Pii V, qui incip. *Circa pastoralis*, et in motu Greg. XIII, qui incip. *Deo sacris*, sermo simpliciter est de publicatione facienda, et non præscribitur publicatio quotannis; ita Nav. in comm. 4 *De regul.*, n. 54; Sanchez, in *Oper. mor.* l. VI, cap. 15, n. 23. » Sic Bonac., *De claus.*, q. 1, punct. 6., n. 3. Hæc pariter Ventriglia, *Prax. rer. notabil.*, par. I, cit. annotat. 5, § 2, n. 4 et 5.

(45. In hac materia de clausura, quæri insuper solet an, et quid valeat (circa eamdem) consuetudo, et quid adhuc incumbat episcopo.

« Quamvis contra clausuram monialium, tam quoad egressum, quam ingressum licita et valida sit consuetudo rationabilis et legitime introducta, id est tempore debito per decem saltem annos continuata, ita ut vi illius in variis monasteriis ubique licita sint, et permitti possint, quæ de jure prohibita cognoscuntur, prout cum communi, et recepta aliorum jam sæpe dictum, eo quod clausura solo obliget jure humana ecclesiastico, contra quod utique licite, et valide introduci potest consuetudo, textu claro c. fin. *De consuet...* Nihilominus si animadvertant reverendissimi ordinarii, quod occasione hujusmodi consuetudinum in monasterio aliquo varia eveniant inconvenientia, vel nascantur scandala, aut notabiliter patiatur disciplina regularis, etc., possunt, et gravissime tenentur hujusmodi consuetudines tollere, vel saltem pro exigentia circumstantiarum moderari, ipsamque clausuram denuo restituere; ubi vero hujusmodi consuetudines nondum vigent, neutiquam permittere ut introducantur; sed potius debite vigilare, et procurare, ut clausura semper inviolata conservetur, et hoc non tantum in monasteriis sibi subjectis, sed etiam *exemptis*. Ita communis DD. ob clara verba concil. Trident. ubi gravissimam hanc obligationem tremendis verbis imponit episcopis. Ratio est, quia consuetudo, quæ vel ab initio, vel cum tempore incipit præbere occasionem peccandi, vel est utilitati communi perniciosa, non amplius est rationabilis, sed irrationabilis, et mala corruptela, sicque nec licita, nec valida... » Reiffenstuel. ad tit. 35, ex. *De stat. monach.*, § 2, n. 66.

Sic pariter ex Bonacina, *De claus.*, q. 4, punct. 5, num. 1 et 2: « Laici et clerici... excusari possunt a culpa et pœnis jure communi impositis contra frequentantes monasteria monialium... (si adest) legitima consuetudo in contrarium. Alicubi enim usu receptum est ut feminæ et viri, præsertim laici, sine ullo conscientiæ stimulo ad monialium monasteria accedant. »

(46. « Porro ubi clausura relaxata fuerit, remitti debet sine vigore, cum suavitate, et cautela, temporisque beneficio. » 1604, *Saluzzo*, 12 Jan. Apud. Nicol., *Flosc.*, verb. *Clausura*, n. 2.

(47. Etsi vero quodammodo stare possit consuetudo in materia clausuræ pro particul. speciebus, juxta tradita a Reiffenstuel et a Bonac., haud tamen inferas licet, decretis conciliaribus, et constitutionibus Apostolicis clausuram præcipientibus contraria consuetudine posse in universum valedici, quemadmodum sacra congr. Concilii rite declaravit *in Sabinen.* 3 Jul. 1632, quæ super tertio dubio.

« An decretis conciliaribus et constitutionibus Apostolicis clausuram præcipientibus obstet contraria consuetudo, etiam post concilium introducta?

« Sacra congreg. respondit:

« Ad III. Decretis conciliaribus et constitut. Apostolicis clausuram præcipientibus nullam consuedinem obstare. » Apud Monacell., part. II, tit. 15, formul. 15, n. 14, pag. 260 (99).

(48. Hoc pacto, etiamsi in aliquo monasterio ante concilium Tridentinum clausura

supra, superiores ingredi clausuram tradit Reiffenstuel cum Barbosa, *De offic. et potest. episc.*, allegat. 102, n. 46; Roderiquez, Miranda, et Donato, quando nimirum prudenter timetur quod, ipsis non intrantibus, sint secuturæ collusiones, factiones, indeque subsequens inquieta, vel mala, vel omnino non canonica electio. « Pariter, subjungit Reiffenstuel, licebit, ubi consuetudo id habet, qualis in provincia nostra reformata viget. » Ad tit. 35, ex. *De statu monach.*, § 2, n. 64.

(99) Videtur quod Sanchez, lib. VI, in *Decal.*, cap. 15, n. 4, et seq., in eam iverit sententiam, contraria consuetudine clausuram aboleri fortasse posse, ex eo quod illa sit juris duntaxat humani. Lubet ejus verba, et doctrinam referre: « Absque dubio dicendum, sic ille, prohibitionem quoad clausuram solius humani juris esse; nec enim sacris litteris, aut traditione aliqua divina hujusmodi clausura clare deduci potest, nec in tribus religiosis votis clauditur. » Et paulo post... « Ii textus (quoad clausur.) minime decernunt exitum e monasteriis fuisse ante juris humani prohibitionem illicitum, sed per illud jure optimo interdici ad pericula contra castitatem, et scandala, quæ inde consurgere poterant, præcavenda; nec decrevere id præceptum contraria consuetudine in posterum inducenda aboleri non posse, sed solam jam inductam abrogaverunt. Hinc deducitur posse alicubi consuetudine esse derogatum his omnibus decretis clausuram indicentibus, quia possunt esse non recepta, aut contraria consuetudine abolita, quippe cum solius juris humani clausura hæc sit, potest contraria consuetudo prævalere... Quare minus bene Lamas... dicit contra hanc clausuram non potuisse consuetudinem, aut statuta religionis vim habere ullo tempore, quia etiam ante juris humani statuta vim habuisset clausura, quia tacite clauditur in voto tanquam necessaria ad castitatis promissæ observantiam. Sed si hoc argumentum vim haberet, falsum esset, quod diximus esse de solo jure humano, quod tamen non est, sed verissimum; quamvis enim tacite sub obedientiæ voto claudatur quid-

Digitized by Google

non fuisset servata, (hanc) consuetudinem damnat Tridentinum, sess. XXV, cap. 5, *De regul.*, et Pius V in bulla incip. *Circa pastoralis*, etiamsi esset immemorabilis. Tambur., *De jur. abbatiss.*, disp. 18, quæst. 5, n. 5.» Sic Ventriglia, *Prax.*, etc., annot. *ut supra*, § 1, n. 12.

(49. Privilegia denique quod attinet in hac eadem materia, « nota, quod privilegia contra clausuram ante concil. Trident. et prædictam bullam Pii V dicuntur ab illis revocata, ut notat Nav. in comment. de regul. 4, n. 53, nota 2 et 3; Sanchez, *in Decal.*, sive in *Oper. mor.*, lib. VI, cap. 15, n. 18. Secus tamen est, si adessent privilegia legitime concessa post concil. Trident. Tambur. *l. c.* » Ita pariter Ventriglia, *ibid.*, n. 14.

(50. Jam vero obligatio clausuræ adstringit « omnes et singulas moniales cujuscunque ordinis, etiam militaris, quæ religiosam professionem emittunt et vivunt in congregatione; Sanchez.., Miranda.., Bonacina.., aliique communiter: et probatur tum quia concil. Trident., sess. XXV, c. 22, *De regul.*, statuit omnia, et singula contenta in superioribus decretis servari in omnibus cœnobiis, ac monasteriis, quarumcunque sanctimonialium, etiamsi illæ sub gubernio militiarum, etiam Hierosolymitanæ, vivant, et quocunque nomine appellentur, sub quacunque regula, vel institutionibus: unum autem ex præfat. decretis ea sessione factis est de clausura monialium: tum quia Pius V in sua bulla *Circa pastoralis officii*. ait, « cujuscunque ordinis, vel militiarum, « etiam Hierosolymitanæ sint, » quæ dictio *etiam* in utroque decreto posita significat a fortiori comprehendi moniales aliorum ordinum militarium. »

(51. Quod si quæ femina hodie licite profiteretur ea conditione, ut in domo propria maneret, prout permittitur cap. fin. *Qui clerici vel voventes*, ea non teneretur ad clausuram; si quidem jura loquuntur de monialibus viventibus in congregatione, ut aperte constat ex constit. Pii V et cum sint odiosa, non debent ampliari sed restringi, ita Graff. Miranda.... Bonac.... aliique (100). » Pellizzarius, *De monial.*, cap. 5, sect. 1, quæst. 8, n. 14.

(52. « Nota monialem teneri ad clausuram etiamsi tempore professionis habuerit animum non se obligandi ad illam, quia hæc obligatio provenit ex dispositione Summ. Pontificum, qui moniales professas ad clausuram obligant.... » Ventriglia, *Prax. rer. notab.*, part. I, annot. 5, § 1, n. 15.

(53. Ad clausuram non tenentur novitiæ, quia in jure non fit sermo de novitiis. Bonac., *l. c.*, q. 1, punct. 1, n. 3. De puellis educationis causa in monasteriis degentibus, *Vide.* Luc. nostrum, art. 1, verb. MONIALIS, n. 28.

Cætera ad rem, ut complura alia notabilia moniales spectantia, sub. verb. PROFESSIO RELIGIOSA persequemur.

ARTICULUS V.

Moniales quoad ea quæ concernunt earum confessarios tam ordinarios quam extraordinarios.

SUMMARIUM.

1. Monialium confessarii eligi debent et approbari ab episcopo loci pro monasteriis sibi subjectis. — 2. Pro monasteriis autem regularibus subjectis eligi et deputari debent a suis respective superioribus regularibus; ab episcopo diœcesano debent idonei judicari et approbari. — 3. Potest tamen episcopus in aliquibus casibus deputare confessarium sæcularem, seu regularem etiam alterius religionis monialibus exemptis. — 4. Quod episcopus in casu negligentiæ superiorum possit deputare confessarium extraordinarium monialibus regularibus subjectis, decrevit expresse sac. cong. Concilii. — 5. Insuper potest episcopus ex justa et rationabili causa superiores regulares admonere, ut ejusmodi confessarios amoveant, et si superiores id facere detrectent aut negligant, potest ipse prædictos confessarios amovere quoties et quando opus esse judicaverit. — 6. Nec episcopus tenetur ejusmodi causam significare superioribus regularibus. — 7. Confessiones monialium sibi subjectarum auditæ a confessariis regularibus sine approbatione episcopi sunt irritæ et nullæ. — 8. Neque superiores quicunque, etiamsi sint generales, possunt sine approbatione episcopi audire confessiones monialium sibi subjectarum. — 9. Licet iidem confessarii sint generaliter approbati ab episcopo ad audiendas confessiones sæcularium, adhuc est eis necessaria approbatio pro monialibus sibi subjectis. — 10. Nec approbati ab episcopo ad audiendas confessiones monialium unius monasterii, censentur approbati ad audiendas confessiones monialium alterius monasterii. — 11. Etiam confessarii extraordinarii indigent speciali approbatione episcopi. — 12. Nec semel approbati censentur semper approbati. — 13. Nec in vim unius approbationis possunt pluries monialium etiam ejusdem monasterii confessiones audire, sed toties debent ab episcopo approbari, quoties casus deputationis contigerit. — 14. Imo tales confessarii indigent approbatione ordinarii ad audiendas confessiones monialium sibi subjectarum non obstante etiam contraria consuetudine immemorabili. — 15. Confessarii non approbati specialiter ad audiendas confessiones monialium, nequeunt earum confessiones audire, neque tempore jubilæi. — 16. Approbatus pro monialibus unius monasterii, neque tempore jubilæi censetur approbatus pro monialibus alterius monasterii. — 17. Confessarius præsentatus ad excipiendas confessiones monialium regularibus subjectarum, debet vel absolute rejici, vel per totum triennium approbari, non vero ad tempus brevius. — 18. Nulla ex

quid secundum regulas præcipit superior; at quod juxta illas præcipit superior, est merum jus humanum, et ita consuetudo potest prævalere contra illud, sicut jure divino tenemur obedire Pontifici; at præcepta illius solo jure humano obligant, possuntque consuetudine aboleri.»

Hæc videtur etiam esse sententia Pellizarii, *De monial.*, cap. 5, sect. 1, q. 12, n. 28. Attamen quidquid sit de hac quæstione speculative loquendo, a decreto S. congr. supra allato nequaquam recedere licere tenemus: idque, etiamsi de hac, vel illa pecul. consuet. agatur, ut sentire videtur Monac., *ib. Vid.*, const. Ben. XIV, incip. *Salutare*.

(100) « Verum Pii V constitutio incip. *Decori et honestati* videtur irritare has professiones. Tambur., *De jur. abbatiss.*, disput. 18, q. 5, in fin., ubi adducit Lezanam, Mirandam, Rodriq. Zipeu. et alios.» Ita Ventriglia, cit. *Prax*, annot. 5, § 1, n. 17.

Digitized by Google

monialibus subjectis regularibus sentiens se non gravatam mortali culpa potest de venialibus valide confiteri sacramentaliter cuicunque sacerdoti non approbato ab ordinario. — 19. Confessarii monialium durare possunt solum triennio, quo elapso, non possunt amplius audire confessiones in eodem monasterio per aliud tempus absque licentia sacræ congregationis, alias declarantur suspensi ab audiendis confessionibus. — 20. Quod habet locum etiam in confessario conservatorii puellarum, ac aliarum quarumcunque mulierum. — 21. Confessarii vero Dominicani et Casinenses non possunt durare in hujusmodi officio nisi per biennium. — 22. Si autem esset quis deputatus confessarius ad aliquot menses per modum supplementi, poterit iste in generali deputatione confessariorum, quæ postea fiet, ab ordinario eligi in confessarium ejusdem monasterii ad integrum triennium. — 23. Confessarius, si, expleto triennio, ex dispensatione sacræ congregationis, eligatur ad aliud triennium, non potest rursus, expleto secundo triennio, absque alia dispensatione eligi ad tertium triennium.—24. Confessarii monialium esse non possunt, qui sunt vicarii generales. — 25. Neque parochi, si exinde cura notabiliter pateretur. — 26. Neque Minores conventuales. — 27. Neque observantes provinciæ reformatæ S. Antonii Lusitaniæ. — 28. Et generaliter regulares, non solum non possunt esse confessarii ordinarii, sed neque capellani monialium ordinario subjectarum. — 29. Unde ordinarii non possunt uti opera confessariorum regularium, etiam pro confessariis extraordinariis, nisi in casu necessitatis. — 30. Sic etiam parochi licet ordinarie non possint deputari confessarii monialium, possunt autem, si exinde cura notabiliter non patiatur. — 31. Sic pariter licet regulariter canonicus pœnitentiarius non possit deputari confessarius monialium ubi non valeat utrique muneri satisfacere, potest tamen deputari, ubi valet utrumque munus adimplere. — 32. Præter confessarium ordinarium debet etiam alius extraordinarius ab episcopo et aliis superioribus bis aut ter in anno monialibus offerri. — 33. Potest tamen confessarius extraordinarius eis concedi a superioribus per plures vices, quam ter in anno. — 34. Moniales nequeunt recusare unum confessarium extraordinarium, seu ordinarium, et alium petere, nisi assignata justa causa recusationis. — 35. Possunt tamen moniales etiam sine causa recusare confessarium extraordinarium, nullum alium loco ipsius petendo. — 36. Moniales quamvis, si nolint, non teneantur omnes confessario extraordinario confiteri, tamen coram ipso debent omnes successive comparere, etiam quæ confiteri nolunt. — 37. Adducitur ad id edictum pro monialibus Urbis, mandante Clemente XI, editum. — 38. Confessarius extraordinarius nunquam dätur pro moniali particulari. — 39. Nec perpetuus, neque ad tempus. — 40. Nisi per sacram pœnitentiariam pro una vice tantum, vel de licentia sacræ congregationis.— 41. Potest tamen episcopus ex aliqua speciali ratione concedere extraordinarium alicui moniali particulari, puta in articulo mortis. — 42. Confessarius extraordinarius potest deputari a superioribus quolibet anni tempore, et ad dies sibi bene visos, prout suadent circumstantiæ hic et nunc concurrentes. — 43. Dies autem determinati, si non obstet vel consuetudo, vel statutum aliquod particulare, incipiunt currere a die cœpti exercitii. — 44. Tempore deputationis confessarii extraordinarii expedit quod ordinarius non accedat ad monasterium. Imo pro monasteriis Urbis hoc præcipitur expresse omnibus confessariis sub gravissimis pœnis. — 45. Sic etiam expedit, quod confessarii omnes, tam ordinarii quam extraordinarii, completo suo officio et ministerio, non amplius ad dicta monasteria accedant, neque ob motivum directionis et conferentiæ spiritualis. Imo pro monasteriis Urbis hoc expresse præcipitur omnibus dictis confessariis sub gravissimis pœnis. — 46. Prælati regulares in regnis Hispaniarum tenentur saltem semel in anno deputare pro monasteriis sibi subjectis confessarium extraordinarium, aut sæcularem, aut regularem alterius ordinis, alias ipsum poterunt deputare episcopi. — 47. Et quod pro monialibus subjectis regularibus deputentur confessarii extraordinarii, etiam qui ejusdem ordinis non sunt regulares, jam decreverat sacra congr. *in Neapolitana*. — 48. Confessarii et capellani monialium possunt celebrare missas sanctorum, de quibus ipsæ recitant officium, sed cum Missali Romano, et de communi. — 49. Confessarii monialium debent esse in ætate supra quadraginta annos. — 50. Socii autem confessariorum debent esse in ætate supra quinquaginta annos. — 51. Confessarii monialium non possunt ingredi clausuram ad peragendum officium funeris. — 52. Alias omnes culpabiles incurrunt excommunicationem violatæ clausuræ. — 53. Neque consuetudo excusat a censura inflicta adversus violatores clausuræ, nec ab ea quæ infligitur ab Alexandro VII; nec episcopi et alii superiores possunt ad id licentiam concedere. — 54. Confessarius monialium clausuram ingressus ad administranda sacramenta, debet ire et redire recta via absque diverticulo, nec potest in alia parte divagari, etiam occasione visitandi alias infirmas, quibus sacramentorum administratio non est necessaria. — 55. Cum aliqua monialis laboret in extremis, conceditur confessario pernoctatio in mansione prope monasterium extra clausuram, ut, ingruente necessitate, illico præsto esse possit vocatus. — 56. Dum confessarius monialis infirmæ confessionem audit, cellæ janua debet remanere aperta, et anilæ comitatrices debent morari ad ejusdem cellæ januam, ita ut confessarius et infirma ab eis commode cerni possint. — 57. Confessarii quovis tempore, etiam de nocte, in casu necessitatis possunt clausuram ingredi. — 58. Confessarius non potest ingredi clausuram ad audiendam confessionem illius infirmæ quæ potest accedere ad sedem confessionalem. — 59. Confessarii nullatenus ingredi possunt clausuram prætextu comitandi operarios, medicos, chirurgos, vel alios. — 60. Confessarii non possunt ingredi clausuram, ad conspergendum cellas monialium, aut alia loca aqua benedicta in die Sabbati sancti, aut quolibet alio tempore. — 61. Confessarii nequeunt ingredi clausuram ad exorcizandam monialem energumenam. — 62. Confessarius non potest ingredi clausuram monialium ad inibi missam celebrandam. — 63. An confessarius ingredi possit clausuram ad sumendam particulam consecratam ipsi in actu communicandi moniales in ecclesiam interiorem elapsam? — 64. Confessarius monialium, etiam regularis, non indiget speciali licentia ad ingrediendum pro necessitatibus sui officii, modo per monasterium non vagetur, sed, expleto ministerio, statim exeat: confessarius debet ingredi cum cotta et stola, et non aliter. — 65. Confessarii monialium, quamvis generaliter deberent ingredi absque socio pro ministrandis sacramentis infirmis monialibus, tamen hodie confessarius regularis, non obstante antiqua consuetudine, absque socio ingredi non debet, sed debet ei assignari socius, qui ipsi assistat, et sit ætatis ultra quinquaginta annos. — 66. Confessarius regularis monialium, ejusque socius (confessionis ac sacramentorum administrationis casibus exceptis) easdem moniales absque sacræ congregationis licentia alloqui non possunt. — 67. Confessarii extraordinarii monialium a monasteriorum in quibus degunt, aut religionis oneribus pro eo tempore duntaxat quo confessionibus audiendis occupantur, excusantur. — 68. Habitatio confessarii, licet debeat esse vicina, non tamen sit contigua, seu conjuncta monasterio, sed ab eo disjuncta, non solum per parietes, sed

Digitized by Google

etiam per tecta. — 69. Confessarii monialium debent audire confessiones ex sede confessionali collocata, non quidem in sacristia, aut alio occulto loco, sed in ipsa ecclesia exteriori. — 70. Confessariis monialium certa annua merces constitui debet, quæ juxta morem, et qualitatem religionis victui illius sufficiat, eademque merces monasterio, in quo degit idem confessarius, si regularis sit, persolvatur. — 71. Unde confessarius accipere non debet a monialibus victum dictim, nec utensilia, vel lineam supellectilem, sed tantummodo annuam provisionem. — 72. Quæ non excedat duos julios pro qualibet die. — 73. Confessarii monialium nullo modo possunt comedere, refici, aut cibum sumere in earum monasteriis, seu in locis, ubi sunt crates, vel rotæ in monasterium respondentes, vel in locis adeo vicinis, ut videri, vel audiri possint a monialibus, neque ante portam clausuræ. — 74. Confessarii monialium an possint eas absolvere in foro conscientiæ a censuris occultis, et pœnis papæ reservatis? *Remissive.* — 75. Ad absolvendum monialem, repentino accidenti ereptam, et jam jam animam agentem, in defectu sui proprii confessarii, potest licite quilibet alius confessarius, seu simplex sacerdos prope monasterium existens, seu casualiter transiens, clausuram ingredi sine ulla licentia expressa, et tali moribundæ beneficium absolutionis impertiri. — 76. Confessarius sollicitans monialem est denuntiandus episcopo, vel inquisitori. — 77. Monialis sollicitata, si nolit denuntiare confessarium sollicitantem, non potest absolvi. — 78. Moniali recusanti denuntiare, non potest confessarius protrahere terminum ultra tempus vi edicti præfixum; censent tamen plures doctores posse ei concedi tempus consulendi peritiores, dummodo id brevi præstetur, et interim, data fide denuntiandi, posse absolvi. — 79. Monialis recusans denuntiare præ nimia verecundia alloquendi episcopum, vel inquisitorem, seu præ timore ne detegatur, aut alio simili respectu, potest denuntiare per internuntium, semper confessarium. — 80. His juvat addere novissimas resolutiones sacræ congregationis concilii; sed quo ad duas ultimas, attendenda est posterior dispositio Benedicti XIV. — 81. Alia ad rem n. 84.

(1. Monialium confessarii non possunt eligi ab universitate, nempe ab ipsis monialibus, sed eligi debent, et approbari ab episcopo loci pro monasteriis sibi subjectis. Sacra congr. Episc. et Regul. *in Lauretana* 20 Septembris 1588; *in Tusculana* 25 Octobr. 1601; *in Rhegien.* 4 Septembr. 1602; *in Vallisoletana* 26 Octob. (2. Pro monasteriis autem regularibus subjectis eligi, et deputari debent a suis respective superioribus regularibus; arg. ex conc. Trid., sess. XXV, *De regularib. et monialibus*, cap. 10, ex Clement. *Dudum* De sepulturis, § *Statuimus*, et ex constitut. Gregorii XV, incip. *Inscrutabili*. Sed tamen debent ab episcopo diœcesano idonei judicari et approbari, ut expresse statuit d. Gregorius XV, in cit. constitut. *Inscrutabili*, ibi : « Confessarii vero sive regulares, sive sæculares quomodocunque exempti, tam ordinarii, quam extraordinarii ad confessiones monialium etiam regularibus subjectarum audiendas nullatenus deputari (scilicet per superiores regulares) valeant, nisi prius ab episcopo diœcesano idonei judicentur, et approbationem, quæ gratis concedatur, obtineant. »

(3. Potest tamen episcopus in aliquibus casibus deputare confessarium sæcularem, seu regularem etiam alterius religionis monialibus exemptis, quando scilicet nulla ratione induci possunt, ut peccata sua regularibus confiteantur. Sac. congr. *in Rhegien.* apud Pignatell, tom. VIII, consult. 52, n. 5, vel si injuste denegetur confessarius a proprio prælato. Eadem sacra congregat. ex Naldo, verb. *Episcopus*, n. 13, et sequitur D. Cajetanus de Alexandris, in *Confessario monialium*, cap. 6, § 13, q. 1. (4. Et quod episcopus in casu negligentiæ superiorum possit deputare confessarium extraordinarium monialibus regularibus subjectis, decrevit expresse sacra congregat. Concil. *in Cadurcen.*, 12 Julii 1658, ubi cum ad instantiam monialium S. Claræ quæsitum esset : « An habere possint confessarium extraordinarium ab episcopo diœcesano, non obstante contradictione superiorum regularium, quibus eædem moniales subjiciuntur? Respondit : « Habere posse confessarium « extraordinarium ab episcopo diœcesano « in casu negligentiæ superiorum regula- « rium. » Sic apud Monacell., part. II, tit. 15; formul. 15, n. 6.

(5. Insuper potest episcopus ex justa, et rationabili causa superiores admonere, ut ejusmodi confessarios amoveant, et si superiores id facere detrectent, aut negligant, potest ipse prædictos confessarios amovere, quot, et quando opus esse judicaverit; sic expresse statuit Gregorius XV, in dicta const. incip. *Inscrutabili*, ibi : « Liceatque episcopo ex rationabili causa superiores regulares admonere, ut ejusmodi confessarios, atque administratores amoveant, iisque superioribus id facere detrectantibus, aut negligentibus, habeat episcopus facultatem prædictos confessores, et administratores amovendi, quoties, et quando opus esse judicaverit. »

(6. Nec episcopus tenetur ejusmodi causam significare superioribus regularibus, ut expresse decrevit S. congr. Conc. in responsione ad duodecimum ex dubiis circa dictam constitutionem Greg. XV incip. *Inscrutabili* resolutis, approbante eodem Gregorio XV et Urbano VIII qui dictas responsiones, et declarationes typis Cameralibus imprimi jussit de anno 1623 apud Barbos. super conc. Trid., sess. XXV, *De regularib. et monialib.* c. 5., a n. 7; Fagnan., lib. V *Decret.*, in cap. *Cum capella*, De privil., in fine, et apud Tamburin., *De monialib.*, disp. 26, quæsit. 3. Dictum autem dubium duodecimum conceptum erat his verbis : « Duodecimo, cum in eadem constitutione statutum sit, ut liceat episcopo ex rationabili causa superiores regulares admonere, ut amoveant confessarios monialium, atque administratores bonorum ad earumdem monialium monasteria pertinentium, iisque superioribus id facere detrectantibus, habeat episcopus facultatem prædictos confessarios, et administratores amovendi, quoties et quando opus esse judicaverit; an ejusmodi causam episcopus superioribus regularibus significare teneatur? Respondit : « Ad duodecimum, non teneri ejus- « modi causam significare superioribus re-

Digitized by Google

« gularibus; sed hoc relinqui arbitrio et « prudentiæ episcoporum, quorum con- « scientiam sacra congregatio serio onera- « vit, ne facultate sibi hac in parte attributa « quoquomodo abutantur, ejus rei in di- « stricto Dei judicio rationem reddituri. »

(7. Confessiones monialium sibi subjectarum auditæ a confessariis regularibus sine approbatione episcopi sunt irritæ et nullæ. Eadem sac. congr. Conc. *Vide* verb. APPROBATIO, art. 3, n. 8.

(8. Neque superiores quicunque, etiamsi sint generales, possunt sine approbatione episcopi audire confessiones monialium sibi subjectarum. *Vide* d. verb. APPROBATIO, art. 3, n. 4, et ibi tradita corrige ex iis quæ subduntur, *ibid.*, sub n. 15.

(9. Licet iidem confessarii sint generaliter approbati ab episcopo ad audiendas confessiones sæcularium, adhuc est eis necessaria specialis approbatio pro monialibus sibi subjectis. *Vide ibid.*, n. 5.

(10. Nec approbati ab episcopo ad audiendas confessiones monialium unius monasterii censentur approbati ad audiendas confessiones monialium alterius monasterii. *Vide ibid.*, n. 6.

(11. Etiam confessarii extraordinarii indigent speciali approbatione episcopi. *Vide ibid.*, n. 7.

(12. Nec semel approbati censentur semper approbati. *Vide ibid.*, n. 8.

(13. Nec in vim unius approbationis possunt pluries monialium etiam ejusdem monasterii confessiones audire, sed toties debent ab episcopo approbari, quoties casus deputationis contigerit. *Vide ibid.*, n. 9.

(14. Imo tales confessarii indigent approbatione ordinarii ad audiendas confessiones monialium sibi subjectarum, non obstante etiam contraria consuetudine immemorabili. *Vide ibid.*, n. 10.

(15. Confessarii non approbati specialiter ad audiendas confessiones monialium, nequeunt earum confessiones audire, neque tempore jubilæi. *Vide ib.* n. 11.

(16. Approbatus pro monialibus unius monasterii, neque tempore jubilæi censetur approbatus pro monialibus alterius monasterii. *Vide ibid.*, n. 12.

(17. Confessarius præsentatus ad accipiendas confessiones monialium regularibus subjectarum debet vel absolute rejici, vel per totum triennium approbari, non vero ad tempus brevius. *Vide ibid.*, n. 13.

(18. Nulla ex monialibus subjectis regularibus sentiens se non gravatam mortali culpa potest de venialibus valide confiteri sacramentaliter cuicunque sacerdoti non approbato ab ordinario. *Vide ibid.*, n. 14.

(19. Confessarii monialium durare possunt solum triennio, quo elapso, non possunt amplius audire confessiones in eodem monasterio per aliud tempus absque licentia sacræ congregationis, alias declarantur suspensi ab audiendis confessionibus : Sac. congr. Episc. *in Comen.* 4 Mart. 1591; *in Ragusina* 2 Octobris 1626 et 27, Mart. 1647, et sæpe alibi. (20. Quod habet locum etiam in confessario conservatorii puellarum, vel aliarum quarumcunque mulierum. Ead. sacr. congr. Episcopor. 18 Martii 1649, et *in Lucensi* 25 Julii. (21. Confessarii vero Dominicani et Casinenses non possunt durare in hujusmodi officio audiendi confessiones monialium, nisi per biennium ex eorum constitionibus : Ead. sac. congr. Episc. 17 Novemb. 1645 et 8 Junii 1657. (22. Si autem esset quis deputatus confessarius ad aliquot menses per modum supplementi, poterit iste in generali deputatione confessariorum, quæ postea fiet, ab ordinario eligi in confessarium ejusdem monasterii ad integrum triennium, quia prohibitio sacræ congregationis de non eligendo monialium confessario ultra triennium, cum sit odiosa, benigne et in mitiorem partem est interpretanda. arg. cap. *Odia* 15, De regul. juris, in 6, et cap. *In pœnis* 49, eod. in. 6, ita ut intelligatur de deputatione confessarii ordinaria; non autem de ea quæ fit per modum supplementi : sic expresse D. Cajetanus de Alexand., in *Confessario monialium*, cap. 6, § 6, quæst. 3, et alii.

(23. Confessarius, si, expleto triennio, ex dispensatione sac. congregationis eligatur ad aliud triennium, non potest rursus, expleto secundo triennio, absque alia dispensatione eligi ad tertium triennium. *Vide* verb. ABBATISSA, n. 43, ubi sic fuit dictum in simili de ipsa confirmata ad aliud triennium per dispensationem, et fuit conclusum non posse eligi ad tertium triennium sine nova dispensatione, et fuit ad id allatum decretum sac. congregationis deputatæ ab Innocentio XII, *pro causis congregationis Casinensium* 26 Febr. 1694, in responsione ad quintum dubium.

(24. Confessarii monialium non possunt esse vicarii generales, quia moniales de ipsis non confiderent. Sac. cong. Episcop. *in Sorana* 23 Julii 1587, *in Mutinen.* 3 Februar. 1597. (25. Neque parochi, si exinde cura notabiliter pateretur. Ead sacr. congr. Episcop. *in una Venetiarum* 26 Jul. 1594; *in Parmensi* 7 Mart. 1652, *in Taurinensi* 2 Augusti ejusdem anni et sæpe alibi. (26. Neque minores Conventuales, quibus id prohibitum fuit a Pio V. Ead. sac. cong. Episc. et Regul. *in Ortonensi* 30 Jul. 1599, et *in Neapolitana* 20 Mart. 1621. (27. Neque Observantes provinciæ reformatæ S. Antonii Lusitaniæ, quibus prohibitum fuit a sacra congreg. sub die 7 Novembr. 1653.

(28. Et generaliter regulares non solum non possunt esse confessarii ordinarii, sed neque capellani monialium ordinario subjectarum. Sac. cong. Episcop. *in Pistoriensi* 16 Maii 1653. (29. Unde ordinarii non possunt uti opera confessariorum regularium, etiam pro confessariis extraordinariis, nisi in casu necessitatis. Ead. sacr. cong. Episc. 18 Decemb. 1601. Apud Nicol., in *Floscul.*, verb. *Moniales*, n. 38, et sub die 1 Octobr. 1602; apud Barbosam, lib. *Juris eccles. uni-*

Digitized by Google

vers., cap. 44, n. 127. Et ad id Tamburin., *De jure abbatiss.*, disp. 16, q. 1, n. 4, refert duas epistolas sacræ congregationis directas patriarchæ Veneto, in quarum prima 11 Maii 1617 ei prohibuit, ne regulares sine licentia sacræ congregationis deputaret confessarios monialium sibi subjectarum; et in altera die 7 Jun. 1620 eidem concessit, ut ob penuriam sacerdotum sæcularium posset prædictos regulares deputare ad subeundum munus prædictum.

(30. Sic etiam licet parochi ex dictis *supra* n. 25, non possint regulariter deputari confessarii monialium, possunt autem, si exinde cura notabiliter non patiatur; et ad id Tamburin., *l. c.*, n. 4, refert pariter duas epistolas sacræ congregationis directas patriarchæ Veneto, in quarum prima die 17 Mart. 1592 id ei prohibuit propter præjudicium parochianorum et detrimentum animarum et in altera die 22 Febr. 1593, id ei concessit, ubi non adsit tale præjudicium et detrimentum animarum; idem etiam concessit sacra congr. Concil. *in una Salutiarum*, in responsione ad primum, die 20 Septem. 1642. (31. Sic pariter licet regulariter canonicus pœnitentiarius non possit deputari confessarius monialium, ubi non valeat utrique muneri satisfacere, ex adductis a Pignatell. tom. VII, consult. 13, a n. 1; potest tamen deputari, ubi valeat utrumque munus adimplere, ut censuit sacra congreg. Conc. *in Januensi* 11 Septembr. 1666, apud eumdem Pignatell., *l. c.*, num. 4.

(32. Præter confessarium ordinarium debet etiam alius extraordinarius ab episcopo et aliis superioribus bis, aut ter in anno monialibus offerri; sic expresse statuit concilium Trid., sess. XXV, *De regularib. et monialib.*, cap. 10, ibi : « Præter ordinarium autem confessorem alius extraordinarius ab episcopo et aliis superioribus bis, aut ter in anno offeratur. » (33. Potest tamen confessarius extraordinarius eis concedi a superioribus per plures vices, quam ter in anno, quia concilium Tridentinum statuendo quod confessarius extraordinarius offeratur bis, vel ter in anno, non limitat superiorum facultatem solum ad tres vices, sed solum indicat quod per pauciores vices non debeat, non autem quod per plures non possit : sic decisum fuisse refert ex Galleto Bordonus, resolut. 5, n. 11; Pellizzar., *De monialib.*, c. 10, num. 250 et alii.

(34. Moniales nequeunt recusare unum confessarium extraordinarium, seu ordinarium et alium petere, nisi assignata justa causa recusationis; tunc enim, ipsa justa causa interveniente, possunt ipsum recusare, quia is comparatur parocho, quem ex justa causa populus recusare potest. arg. cap. *Ut circa exactiones* 4, De election., in 6, cum similibus Bordon. in *Miscellan.*, decis., 166; D. Cajetanus de Alexandris *l. c.*, cap. 6, § 6, quæst. 3 et § 13, quæst. 5, et alii passim. (35. Possunt tamen moniales etiam sine causa recusare confessarium extraordinarium, nullum alium loco ipsius petendo; quia confessarius extraordinarius inductus est in earum favorem, quisque autem potest sine causa juri suo renuntiare, c. *Si diligenti* 12, De foro competent., et c. *Si de terra* 6, De privilegiis, ibi : « Cum liberum sit cuique juri suo renuntiare; » Tum quia dicit regula 61 *Juris*, in 6 : « Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum. » Sic Monacell., part. I, tit. 9, formul. 4, n. 4; Donat. *Prax. rer. regular.*, tom. IV, tract. 13, q. 23; D. Cajetanus de Alexandris, *l. c.*, cap. 6, § 13, q. 5; Bordon, in *Miscellan.*, *decis.* 166; Tamburin., *l. c.*, disp. 26, q. 1, n. 8; Pellizzar., *l. c.*, c. 16, n. 270, et alii.

(36. Moniales quamvis, si nolint, non teneantur omnes confessario extraord. confiteri per adducta n. anteced. tamen coram ipso debent omnes successive se præsentare, etiam quæ confiteri nolunt, ne discerni possit quænam indigeant nec ne? Sic expresse statuit sac. congr. Episcop. *in Tornacensi* 19 Octobris 1621; *in Canariensi* 26 Julii 1551, apud Pignatell., lib. VI, consultat. 75, n. 235, et novissime mandante Clemente XI, statuit pro monialibus Urbis eminentissimus cardinalis vicarius Gaspar Carpineus in suo edicto 12 Decemb. 1708, quod ut scitu dignum, hic ad litteram datur.

EDICTUM

(37. *Normam præscribens confessariis ordinariis et extraordinariis sanctimonialium quorumcunque monasteriorum almæ Urbis observandum.*

« Gasparo per la misericordia di Dio vescovo di Sabina, della S. R. C. cardinale di Carpegna, della Santità di nostro signore vicario generale etc.

Avendo determinato il sagro concilio di Trento nella sessione XXV, c. 10, *De regul. et monial.* doversi dare alle monache due, o tre volte l'anno il confessore straordinario, *Qui omnium confessiones audire debeat*: più volte coll'esempio delle ordinazioni fatte dal glorioso S. Carlo Borromeo, che si leggono negli Atti della Chiesa di Milano, e inerendo alle risoluzioni della sacra congregazione de' Vescovi e Regolari, affinchè la suddetta disposizione del sagro concilio abbia pienamente il fine, et l'effetto, per il quale è stata istituita, con varj editti emanati dal nostro tribunale è stato ordinato, che tutte le monache siano obbligate a presentarsi al suddetto confessore straordinario; e binchè sia in arbitrio loro di confessarsi al medesimo, debbanno però far quell'atto, « ut omnes monita salutis « recipiant et actum subjectionis exerceant. » Ed inoltre, che, durante la facoltà del detto confessore straordinario, non debba in il confessore ordinario in qualsivoglia modo impedirlo, nè accostarsi al monastero, e molto meno ascoltare le confessioni di alcuna monacha, e ciò per giuste, e rilevanti cause, per le quali in qualche si-

Digitized by Google

nodo diocesano si è posta la scommunica ipso facto alli confessori ordinarj :: ed alcune religioni per costituzione generale han prohibito con pene gravissime alli confessori ordinari delle monache a loro soggette, che si accostino alli loro monasteri nel tempo, che vi sta lo straordinario; che però la Santità di nostro signore inerendo alle suddette disposizioni ordina e comanda alle RR. Madri superiore, e monache di tutti li monasteri et conventi di quest' alma città, ed anche agli stessi confessori ordinarj et e straordinarj delle medesime le cose infrascritte.

« Primo, che in occasione, che si concede secondo il solito il confessore straordinario a qualche monastero, debbano, come sopra, presentarsi al medesimo tutte le monache, incominciando dalla superiora, le novizie, educande, ed altre secolari, che colle dovute licenze vi dimorano, sotto pena, alle superiore della privazione del loro offizio, ed alle monache della privazione della voce attiva e passiva per un anno, siccome sta disposto dall' editto emanato sotto li 18 Luglio 1603, d'ordine della san. mem. di Clemente VIII ed alle secolari sotto pena di esser licenziate dal monastero.

« Secondo, che per tutto il tempo che dura la facoltà concessa al confessore straordinario, non ardisca il confessore ordinario in qualsivoglia modo impedirlo, nè accostarsi al monastero, e molto meno sentire le confessioni di alcuna monaca, ancorchè sia la superiora, novizia, o conversa, nè di altra persona, che dimora nell' istesso monastero, nè queste debbano confessarsi al medesimo, sotto pena della privazione dell' offizio al detto confessore, ed alle monache sotto le pene suddette, come parimente fu ordinato nel medesimo editto.

« Terzo, per conservare la pace nelli monasteri, e per buona direzione, e profitto spirituale delle religiose ordina la Santità Sua alle monache e secolari suddette sotto le medesime pene, ed a tutti li confessori ordinari e straordinarj, secolari e regolari di qualsisia monastero di quest' alma Città, sotto pena di carcere, ed altre ad arbitrio, che, finito, e terminato che hanno il loro offizio, non debbano più accostarsi alli detti monasteri, nelli quali hanno sentito le confessioni sagramentali, nè tenere corrispondenza con qualsisia monaca, inclusa anche la superiora, novizia, educanda, o altra, che dimora nelli suddetti monasteri, benchè sia per lettere, ed in materie di spirito, essendosi osservato coll' esperienza, che simili corrispondenze, e direzioni spirituali partoriscono confusione, e scissure nelle comunità religiose, e quel ch' è più, la poca obbedienza alli confessori ordinarj e straordinarj attuali.

« Finalmente la Santità Sua ordina, che il presente editto sia universale a tutti li monasteri, e case d' Oblate di quest' Alma Città, anche quelli governati da' regolari, e che hanno protettori particolari, ancorchè fossero gli eminentissimi sig. cardinali.

« Volendo, che il presente ordine, intimato che sarà alli monasterj, e loro confessori, con lasciarne la copia, o l' esemplare, che dovrà star sempre affisso nel monastero, e nella stanza del confessore, abbia la medesima forza, come se fosse a ciascheduno, o ciascheduna personalmente intimato.

« Dato in Roma dalla nostra solita residenza questo dì 12 Decemb. 1708.

« G., card. vicario.

« N. A. Can. Cuggiò, segr. »

(38. Confessarius extraordinarius nunquam datur pro moniali particulari. Eadem sacra congreg. Episcop. et Regul. *in Panormitana* 27 Maii 1603. (39. Nec perpetuus, neque ad tempus. Ead. Sac. cong. Episcop. *in Januensi* 27 April. 1657, ex d. sess. XXV, cap. 10. (40. Nisi per sacram Pœnitentiariam pro una vice tantum, vel de licentia sacræ congregationis, ut decrevit die 1 Septemb. 1645 et 11 Januar. 1647, apud Pignatell., *loc. cit.*, num. 235. (41. Potest tamen episcopus ex aliqua speciali ratione concedere extraordinarium etiam moniali alicui particulari, puta in articulo mortis pro serenitate moribundæ; quia cum in tali periculo animarum saluti omnibus mediis sit succurrendum, talis ingressus est rationalis juxta exigentiam, cap. *Unic.*, De statu regular., in 6, et necessarius juxta Conc. Trident., sess. XXV, cap. 5; Donat., *Prax. rer. regular.*, tom. IV, tract. 13, q. 29; Passerin., *De statu homin.*, tom. II, q. 187, n. 291; Monacell., *loc. cit.*, n. 6; Bordon. in *Miscell.*, decis. 47; D. Cajetan. de Alexandris, *loc. cit.* c. 6, § 13, q. 4, et alii.

(42. Confessarius extraordinarius potest deputari a superioribus quolibet anni tempore, et ad dies sibi bene visos, prout suadent circumstantiæ hic, et nunc concurrentes; quia cum concilium Tridentinum nihil determinet, neque circa tempora, in quibus fieri debet deputatio, neque circa dies pro audiendis confessionibus concedendos, utrumque relinquitur arbitrio ipsorum prælatorum; praxis tamen fere communis est, ut dicta deputatio fiat unoquoque quadrimestri, et quoad dies, alicubi determinantur quindecim, alicubi plures, alicubi minores, et alicubi nulla fit temporis præfinitio: unde in hoc servanda est consuetudo cujusque diœcesis, aut ordinis, cum consuetudo habeat vim legis, cap. *Cum tanto* 12, De consuetudin. (43. Dies autem determinati, verb. gr. quindecim, si non obstet vel consuetudo, vel statutum aliquod particulare, incipiunt currere a die cœpti exercitii, quia tempus respiciens actum, incipit cum ipso actu; ut tradunt Glossa in cap. *Anteriorum* 28, caus. 2, q. 6; Imola, Baldus, et alii.

(44. Tempore deputationis confessarii extraordinarii expedit quod ordinarius non accedat ad monasterium. Imo pro monasteriis Urbis hoc præcipitur expresse confessariis ordinariis, sub pœna privationis vocis activæ et passivæ, et privationis officii, et sub eisdem pœnis prohibentur moniales om-

Digitized by Google

nes ipsis, confiteri pro tali tempore. Sic in adducto edicto sub n. 37, § 3. Idem pro confessariis ordinis Minorum de Observant. disponunt Statuta Sambucana, cap. 11, § 17, n. 12.

(45. Sic etiam expedit quod confessarii omnes, tam ordinarii quam extraordinarii, tam sæculares quam regulares, completo suo officio, et ministerio, non amplius ad dd. monasteria accedant, neque ob motivum directionis, et conferentiæ spiritualis, neque correspondentiam etiam per litteras ob tale motivum tenere cum aliqua moniali, inclusa etiam superiorissa, novitia, educanda, aut alia quacunque inibi degente. Imo pro monasteriis Urbis hoc expresse præcipitur omnibus dictis confessariis sub prædictis, aliisque pœnis. Sic in d. edicto, § 3.

(46. Prælati regulares in regnis Hispaniarum tenentur, saltem semel in anno, deputare pro monasteriis sibi subjectis confessarium extraordinarium, aut sæcularem, aut regularem alterius diversi ordinis; alias ipsum poterunt deputare episcopi. Sic expresse statuit novissime Innocentius XIII constitut. 1 incipient. *In supremo*, § 19, ibi : « Cumque ex eodem concilio Trid. confessar. extraordinarius bis, aut ter in anno offerri monialibus debeat, qui omnium confessiones audiat : si in posterum superiores regulares quoad monasteria ipsis subjecta toties prædictum extraordinarium confessarium deputare neglexerint, vel si etiam ex proprio eodem ordine semper deputaverint, nec saltem semel in anno ad id munus elegerint sacerdotem, aut sæcularem, aut regularem alterius diversi ordinis professorem, in his casibus episcopi pro suo arbitrio et conscientia deputationem hujusmodi facere possint, nec illa quovis titulo aut prætextu a superioribus regularibus valeat impediri. » Et iterum statuit idem Benedictus XIII, constit. 10, incip. *Pastoralis officii*, § 7, graves pœnas imponens superioribus contravenientibus, ibi : « Et quia mentis ac intentionis nostræ est, ut remota quavis diversa intelligentia, et interpretatione, præcise serventur ea quæ in eadem Innocentii prædecessoris constitutione super assignatione, seu deputatione confessarii extraordinarii monialibus sub prælatorum regularium gubernio viventibus disposita fuerunt, statuimus quoque, ut superiores, qui decretum illud quocunque titulo vel prætextu non servaverint, vel ejus exsecutioni aliquod impedimentum directe aut indirecte præbuerint, ipso facto suspensionem ab eorum officiis, nec non privationem vocis, tam activæ quam passivæ, incurrant. » (47. Et quod pro monialibus subjectis regularibus deputentur confessarii extraordinarii, etiam qui ejusdem ordinis non sunt regulares, jam decreverat sacra congreg. 12 Julii 1577, *in Neapolitana*, apud Piguatell., t. VI, consult. 85, n. 233, in fine.

(48. Confessarii et capellani monialium possunt celebrare missas sanctorum, de quibus ipsæ recitant officium, sed cum missali Romano, et de communi, non vero missas proprias eorumdem sanctorum variis ordinibus a sacra congregatione concessas. Sic decrevit, ac servari mandavit sac. congreg. Rit. die 20 Novemb. 1717, approbante et confirmante Clemente XI, die 1 Decemb. ejusdem anni 1717, ut apparet in ejus *Bullario*, decret. 28 sacræ congr. Rit.

(49. Pro confessariis monialium, quamvis de jure communi satis sit ætas ad sacerdotium requisita, ut patet de parochis qui statim ac in sacerdotio constituti, alia ætate non exspectata, suarum ovium utriusque sexus confessiones excipiunt; nihilominus sac. congregat. Episcop. et Regular. *in una Venetiarum* 2 Maii 1617 et 7 Junii 1620 statuit, confessarios monialium debere esse in ætate supra quadraginta annos; quod pro confessariis ordinis Minorum de observantia statuunt etiam sua statuta Sambucana cap. 11, § 17, n. 1; et hoc extendi debet etiam ad confessarios extraordinarios, prout pro reformatis declaravit sac. congr. Concilii *in Cosentina* 26 Novembris 1689, lib. XXXIX *Decret.*, fol. 340. Et juxta epistolam encyclicam sub die 16 Martii 1703, de mandato Sanctissimi directam omnibus ordinariis Italiæ et insularum adjacentium, debent confessarii monialium esse ætate provecti, prudentes, zelantes, et vita exemplari conspicui. (50. Socii autem confessariorum debent esse ætatis ultra quinquaginta annos, vitæque exemplaris, ut decrevit sacra congreg. Episc. et Regular. *in Nolana* 21 Februar. 1617; et Alexander VII, constitut. incip. *Felici*, § 9, statuit, quod socii « sint probata vitæ, et maturæ ætatis. »

(51. Confessarii monialium non possunt ingredi clausuram ad sepeliendas moniales, vel pro celebrandis exsequiis. Sic expresse decrevit sacra congreg. Episcop. et Regul. *in Reatina* 10 Martii 1577; *in una Dominicanorum* 30 Jan. 1582; *in Ulyssiponen.* 11 Aug. 1620. (52. Alias omnes culpabiles incurrunt excommunicationem violatæ clausuræ : eadem sacra congr. Episcop. *in Bononien.* 20 Augusti 1596, apud. Nicol., in *Floscul.*, verb. *Sepultura*, n. 6. Et de facto Alexander VII, constit. incip. *Felici*, § 9, specificans actus ad licitum ingressum confessarii, in clausuram, non memorat ingressum ad peragendum officium funeris, sed solum peragenda alia officia et ministeria, ibi : « Ad hæc confessarius sanctimonialium, tam ordinarius quam extraordinarius minime ingrediatur septa monasterii, nisi ad sacramenta pœnitentiæ, Eucharistiæ, et extremæ unctionis ministranda monialibus, vel aliis personis infirmis ibi degentibus, necnon ad commendandam animam agonizantium. » Ubi, ut vides, Pontifex utitur dictione *nisi*, quæ est exclusiva aliorum cæterorum, per Sperell., decis. 66, n. 32. (53. Neque consuetudo excusat a censura inflicta adversus violatores clausuræ, nec ab ea quæ infligitur ab Alexandro VII, in d. constitut. incip. *Felici*, quia Pontifex omnibus et singulis etiam consuetudinibus, quoad ea, quæ statutis in d. constitutione adversantur, expresse et specialiter dero-

Digitized by Google

gat, sublata cuilibet facultate, et auctoritate aliter judicandi et interpretandi, ac adjecta clausula decreti irritantis, ut patet in fine ejusdem constitutionis : Unde sequitur, quod episcopi, aliique superiores in hoc casu jam declarato per sac. congr. et Summum Pontificem, non necessario, non valeant licentiam concedere, nec permittere et tolerare, quod prætextu consuetudinis (quæ potius corruptela est) confessarii ingrediantur clausuram ad officium funeris peragendum ; hinc confessarii caute legant auctores contrarium scribentes, et reflexe advertant quod si pro tali officio clausuram ingrediantur, excommunicationem incurrunt juxta supra laudata decreta, ut recte firmant Pax Jordan., tom. II, lib. VII, tit. 12, n. 88, vers. *Item neque prætextu*, et n. 173; Nicolius, in *Flosculis*, verb. *Sepultura*, num. 6, ubi citata decreta affert, Monacell. part. I, tit. 9, formul. 3, n. 8 et 9; Matthæucci *Official. curiæ*, cap. 13, n. 38 et alii. Videantur etiam Pignatell., tom.VI, consult. 85, n. 234 ; Gavant. in *Manual episcop.*, verb. *Monialium clausura*, n. 40 ; Barbosa, lib. I *Jur. eccles. univers.*, cap. 44, n. 133.

(54. Confessarius monialium clausuram ingressus ad administranda sanctissima sacramenta, recta via et absque diverticulo eat, redeatque, nec in alia monasterii parte divagetur, etiam occasione visitandi alias infirmas, quibus sacramentorum administratio non est necessaria. Sacra congregatio Episcopor. et Regul. 13 Septembris 1583 apud Barbosam, in *Summa Apostolic. decis.*, verb. *Confessarius monialium*, n. 2; Lezana, in *Summa qu. regul.*, tom. III, verb. *Clausura*, num. 26 ; Gavant., in *Manual. episcop.*, verb. *Monialium clausura*, n. 44. (55. Cum aliqua monialis laborat in extremis, conceditur confessario pernoctatio in sua solita mansione extra clausuram prope monasterium, ut, ingruente necessitate, illico præsto esse possit vocatus. Eadem sac. congreg. Episc. 22 Decembr. 1592, apud Pignat., tom. VI, consult. 85, n. 233.

(56. Confessario monialis infirmæ confessionem audiente cellæ janua aperta remaneat, et ambæ comitatrices ad ejusdem cellæ januam morentur, ita ut confessarius, et infirma ab eis commode cerni possint. Eadem sacr. congregat. Episcop. die 13 Septembr. 1583 et novissime Innocentius XI, per epistolam encyclicam ejusdem sacræ congr. Episc. sub datum Romæ 21 Martii 1682. (57. Confessarii quovis tempore de nocte in casu necessitatis possunt clausuram ingredi. Ead. sac. cong. 13 Sept. 1583. (58. Confessarius non potest ingredi clausuram ad audiendam confessionem illius infirmæ, quæ potest accedere ad sedem confessionalem. Ead. sacr. congr. 13 Sept. 1583. (59. Confessarii nullatenus ingredi possunt clausuram prætextu comitandi operarios, medicos, chirurgos, vel alios: eadem sac. congreg. Episc. 13 Sept. 1583. (60. Confessarii non possunt ingredi clausuram ad conspergendum cellas monialium, aut alia loca aqua benedicta in die Sabbati sancti, aut quolibet alio tempore : sac. cong. Episcop. 4 Sept. 1596. (61. Confessarii nequeunt ingredi clausuram ad exorcizandam monialem energumenam : sac. congreg. Episcopor. et Regular. 1 Julii 1606.

(62. Confessarius non potest ingredi clausuram monialium ad inibi missam celebrandam, ut pluries declaravit sac. cong. Episc. et signanter *in Lancianensi*, et *in Pistoriensi* 16 Julii 1685; *in Mantuana* 13 Jun. 1591; *in Bononien.* 2 Jan. 1601. (63. An autem confessarius ingredi possit clausuram ad sumendam particulam consecratam ipsi in actu communicandi moniales in ecclesiam interiorem elapsam ? Variant doctores. Negativam sententiam tenent Bissus, in *Hierurg. sac.*. tom. II, verb. *Particulæ*, num. 45, § 12; Castaldus, cui adhæret Quartus, in *Rubric. miss.*, part. II, tit. 10, sect. 3, difficult. 4, et alii volentes particulam in tali casu esse colligendam a monialibus, vel abbatissa, et confessario, seu sacerdoti porrigendam; quia, dicunt ipsi, ingressus in monasterium strictius prohibetur, quam tactus hostiæ consecratæ in casu necessitatis. At hoc solum admitti posset, si unica particula caderet intra clausuram, et ibi adesset monialis communicanda, quæ in tali casu genuflexa posset eam reverenter sumere, et sic communicare, ut tradit ipsemet Quartus *l. cit.*, et Clericatus, *De eucharistiæ sacramento*, dec. 44 et alii. In casu autem, quo nulla adesset monialis communicanda, varii doctores, inter quos Clericatus, *loc. cit.*: D. Cajetanus de Alexandris, in *Confessario monialium*, c. 7, § 6, quæst. 7, recte dicunt, posse confessarium ingredi ad sumendam talem particulam, quia strictius obligat reverentia erga sanctissimum hoc sacramentum, quam clausura; quia hæc habetur ex præcepto ecclesiastico, illa vero ex præcepto divino, ut ex D. Thoma, III part., qu. 83, art. 3.

(64. Confessarius monialium, etiam regularis, non indiget speciali licentia ad ingrediendum pro necessitatibus sui officii, modo per monasterium non vagetur, sed, expleto ministerio, statim exeat : sac. cong. Episc. et Regular. *in Comen.* 9 Mart. 1609. Confessarius debet ingredi clausuram cum cotta, et stola, et non aliter : sacr. congreg. Episcop. *in Lucen.* 29 Martii 1589, et 22 Dec. 1602. Et hoc per quamcunque necessariam causam ingrediatur : ead. sac. cong. Episc. *in Cajetana* 29 Januarii 1627, apud Nicol., in *Flosculis*, verb. *Clausura*, num. 34.

(65. Confessarii monialium, quamvis generaliter deberent ingredi absque socio pro ministrandis sacramentis pœnitentiæ, Eucharistiæ, et extremæ unctionis monialibus infirmis, ex decreto sacræ cong. Episc. 13 Sept. 1583, relato a Pignatell., tom. VI, consul. 85, num. 231; tamen hodie confessarius regularis, non obstante antiqua consuetudine, absque socio ingredi non potest, sed debet ei assignari socius, qui ipsi assistat et sit ætatis ultra 50 annos, vitæque exemplaris : sac. cong. Episc. et Regular. *in Nolana* 21 Februarii 1617, apud Lezanam,

Digitized by Google

tom III, verb. *Clausura*, nu. 27; Monacell., part. I, tit. 9, formul. 5, num. 2; Barbosa, in *Summa apostolic. decis.*, verb. *Confessarius monialium*, num. 14, et expresse Alexand. VII, in cit. constit. incip. *Felici*, § 9, ibi: « Nec unquam ingrediatur nisi cum socio, qui sit probatæ vitæ, semperque maneat in ea parte monasterii, qua confessarium videre, et ab ipso videri semper possit. »

(66. Confessarius regularis monialium, ejusque socius (confessionis ac sacramentorum administrationis casibus exceptis) easdem moniales absque sacræ congregat. licentia alloqui non possunt. Ead. sac. cong. Episc. et Regul. *in d. Nolana* 21 Februarii 1617; apud eosdem *locis citatis*. *Vide* art. antec., num. 57.

(67. Confessarii extraordinarii monialium a monasteriorum in quibus degunt, aut religionis oneribus pro eo tempore duntaxat, quo in confessionibus audiendis occupantur, excusantur. Ead. sac. cong. Episc. et Regular. 10 Martii 1593, apud Barbosam, *loc. cit.*, num. 7.

(68. Habitatio confessarii, licet debeat esse vicina, non tamen sit conjuncta seu contigua monasterio, sed ab eo disjuncta non solum per parietes sed etiam per tecta. Sac. congr. Episc. *in Ariminen.* 22 Jan. 1576, 19 Augusti 1578, 2 Jan. 1579, et 22 Jan. 1593; *in Bononien.* 3 Maii 1593; *in Januen.* 14 Novemb. 1603; *in Mantuana* 22 Novemb. 1604, et sæpe alibi, et expresse statuit Alexand. VII, in d. constitut. incip. *Felici*, § 10 et 11, sub gravissimis pœnis contra superiores, et confessarios regulares transgressores; et novissime sacra congr. Concil. *in Ulixbonen. occidentalis* 10 Septemb. 1722, ubi decrevit quod confessarii monialium non possint habitare in atriis monasteriorum muro circumvallatis contiguis monasteriis, et habentibus portam quæ clauditur; apud Ursayam, in *Miscellaneo primo sacro et profano*, litt. *C*, n. 238.

(69. Confessarii monialium debent audire confessiones ex sede confessionali collocata, non quidem in sacristia, aut alio occulto loco, sed in ipsa ecclesia exteriori, ut habetur ex declaratione sac. cong. Concil. *in Camerin.* 29 Novemb. 1605, his verbis: « Confessionalia ex sacristiis, et aliis locis occultis removeri debent, et collocari in ecclesiis exterioribus monialium; » et *in Faventina* 7 Martii 1617, his verbis: « Confessionalia monialium in exterioribus ecclesiis omnino collocentur, et si illæ in hoc renitentes fuerint, interdici debent. » Sic apud Barbosam, in *Summa Apostolic. decis.*, verb. *Confessionalia*, n. 1 et 2; et idem statuit ead. sac. cong. Conc. *in una Salutiarum* in respons. ad 4, die 20 Sept. 1642.

(70. Confessariio monialium certa annua merces constitui debet, quæ juxta morem, et qualitatem regionis victui illius sufficiat, eademque merces monasterio, in quo degit idem confessarius, si regularis sit, persolvatur. Cæterum ordinarii locorum prohibeant monialibus sub aliquibus pœnis, non tamen censurarum, ne ultra mercedem illam aliquid communiter, vel privatim eidem confessario, vel aliis quibuscunque fratribus tribuant, eisdemque fratribus, ne a monialibus etiam sponte oblatum, aut donatum recipiant, sub iisdem pœnis inhibeant. Sic sacr. congr. Episcop. et Regul. sub die 29 Novembr. 1650, apud Barbosam, *loc. cit.*, verb. *Confessarius monialium*, n. 10. (71. Unde confessarius accipere non debet a monialibus victum dictim, nec utensilia, vel lineam supellectilem, sed tantummodo annuam provisionem. Ead sac. cong. Episcop. *in Bononien.* 19 Junii 1601; *in Januen.* 28 Januarii 1603; *in Recinaten.* 19 Aprilis 1624. (72. Quæ non excedat duos julios pro quolibet die. Ead sac. congr. Episc. *in Neapolitana* 27 Septemb. 1652.

(73. Confessarii monialium nullo modo possunt comedere, refici, aut cibum sumere in earum monasteriis, seu in locis ubi sunt crates, vel rotæ in monasterium respondentes; vel in locis adeo vicinis, ut videri, vel audiri possint a monialibus, neque ante portam clausuræ: ut expresse pro omnibus regularibus statuit sac. congr. Episcop. 13 Septemb. 1583 et Nonis Maii 1590, in decreto jussu Sixti V edito, jam relato supra art. 4, n. 14, ubi expresse mandat, quod ibi nullo modo comedant, reficiantur, aut cibum sumant, et solum eis permittit in ædibus vicinis refectionem diurnam sumere diebus generalium confessionum, si eorum conventus, in quibus degunt, nimium distent a monasterio monialium.

(74. Confessarii monialium an possint eas absolvere in foro conscientiæ a censuris occultis, et pœnis Papæ reservatis? *Vide supra*, art. 3, a num. 16 ad 25.

(75. Ad absolvendam monialem repentino accidenti correptam, et jam jam animam agentem, in defectu sui proprii confessarii potest licite quilibet alius confessarius, seu simplex sacerdos prope monasterium existens, seu casualiter transiens, clausuram ingredi sine ulla licentia expressa, et tali moribundæ beneficium absolutionis impertiri; si enim ex decretis sacræ congregationis allatis supra, art. 3, n. 84, potest quis licite sine licentia clausuram ingredi ad extinguendum incendium, vel ad succurendum monialibus in aliis casibus repentinæ ruinæ, multo magis poterit confessarius, seu simplex sacerdos sine licentia clausuram ingredi ad absolvendam monialem in tali casu extremæ necessitatis; quod enim non est licitum in lege, necessitas facit licitum; cap. *Quod non est* 4, De regul. juris, et necessitas non habet legem; cap. *Sicut* 11, De consecrat., dist. 8, cap. *Omnes* 1, De feriis; cap. *Consilium* 2, De observat. jejunior; cap. *Consuluisti* 2, De celebrat. missar. In qualibet enim dispositione intelligitur excepta necessitas; cap. *Licet* 6, De pœnit. et remiss. Et ad hoc facit concilium Tridentinum sess. XIV, *De sacram. pœnit.*, cap. 7, ubi dat facultatem cuilibet simplici sacerdoti, ut sine alia licentia, aut approbatione, possit absolvere pœnitentem in articulo mortis constitutum etiam ab om-

Digitized by Google

nibus censuris, et casibus reservatis, addita ratione : « Ne hac ipsa occasione aliquis pereat, » quæ ratio militat etiam in nostro casu.

(76. Confessarius sollicitans monialem est denuntiandus episcopo, vel inquisitori. Gregor. XV, constit. incip. *Universi.* (77. Monialis sollicitata, si nolit denuntiare confessarium sollicitantem, non potest absolvi; quia remanet semper in peccato mortali, et in excommunicatione majori, quoties moraliter potens denuntiare, id recusat, seu culpabiliter negligit. *Communis.* (78. Moniali recusanti denuntiare non potest confessarius protrahere terminum ultra tempus vi edicti præfixum ad denuntiandum, quia nullam habet jurisdictionem super legem superiorum, ad quorum prudentiam spectat examinare protractionis necessitatem. Censent tamen Sayrus, Freitas, Acunha, et alii apud Dianam, part. I, tract. 4, resolut. 27, posse et concedi tempus consulendi peritiores, dummodo id præstetur absque longa temporis dilatione, et interim, data fide denuntiandi, absolvi posse.

(79. Monialis recusans denuntiare · præ nimia verecundia alloquendi episcopum, vel inquisitorem, seu præ timore ne detegatur, aut alio simili respectu, potest denuntiare per internuntium, seu per confessarium, cui episcopus, vel inquisitor potest dare commissionem ut recipiat in scriptis, et cum juramento denuntiationem. Sic declaravit sacra suprema et universalis Inquisitio jussu Urb. VIII, 27 Septem. 1624, apud Bord., c. 23 *De sollicitatione*, n. 89, his verbis : « E quando il penitente tuttavia persistesse nella medesima renitenza, N. S. si contenta, che dal vescovo, o inquisitore si dia autorità al confessore di ricercare per scrittura, e con giuramento la denunzia, per portarla subito, a chi gli avrà data l' autorità di pigliarla. » Instructio confessarii pro recipiendis hujusmodi denuntiationibus exhibetur a Pignatell., tom. I, consult. 104.

(80. His juvat addere novissimas resolutiones sacræ congregationis Concil. *in Colonien.* 16 Novemb. 1720, ubi de edicto archiepiscopi, in quo nonnullos casus reservaverat, proposita fuerunt infra scripta dubia : « I. An confessarii regulares possint sæculares extra mortis periculum absolvere a casibus ordinario reservatis in casu. II. An confessarii monialium exemptarum, et prælatis regularibus subjectarum possint easdem, etiam extra mortis periculum absolvere a casibus episcopo reservatis, in casu. III. An, supposito edicto supra recensito, confessarius regularis extra mortis articulum absolvere possit sæcularem complicem criminis carnalis externi mortaliter peccaminosi secum commissi, in casu. IV. An, supposito pariter eodem edicto, confessarius regularis monialium exemptarum absolvere possit monialem complicem criminis carnalis externi mortaliter peccaminosi secum commissi, in casu Sacra. congreg. censuit : « Ad I. *Negative.* Ad II. *Affirmative*, præter quam quoad casus quos episcopus sibi reservaverit in materia clare spectante ad jurisdictionem delegatam. Ad III. *Negative.* Ad IV. *Affirmative*, quatenus non sit violata clausura. » Verum quoad duas ultimas resolutiones hodie attendi debet novissima dispositio Bened. XIV, in sua constitutione, quæ incip. *Apostolici muneris*, quam attulimus tom. II, verb. COMPLEX PECCATI, num 19. *Vide ibi.* Confer etiam quæ adducuntur tom. I, verb. APPROBATIO PRO CONFESSIONIBUS, præsertim art. 3, et verb. CONFESSARIUS, art. 3, et verb. SOLLICITATIO.

(81. * Superiores monialium tenentur bis, aut ter singulis annis exhibere confessarios extraordinarios monasteriis sibi subjectis; quibus tamen sic oblatis non tenentur moniales confiteri peccata sua, sed solummodo se præsentare, ut saltem accipiant ab illis monita salutaria; patet jam ex dictis, et allegatis *supra* a num. 32.

(82. Si vero aliqua monialis graviter ægrotet, ut sit in mortis periculo, petatque alium sacerdotem qui non sit ordinarius monasterii confessarius huic a respectivo super. annuendum est. Si vero superior regularis illum concedere noluerit, potest id præstari ab episcopo. Quin etiam si aliqua monialis etiam extra prædictum casum postulet sibi per aliquod tempus alium confessarium ab ordinario diversum, debet illi dari a suo superiore. Quod si superior regularis id renuerit, tunc potest episcopus satisfacere ejus petitioni, etiamsi requirat alterius ordinis regularem, vel etiam sacerdotem sæcularem ex approbatis a superiore ad confessiones monialium. Demum suadetur superioribus earumdem monialium, ut si aliqua ex illis petat pro majori animi sui quiete, et ulteriori progressu in via Dei, ut aliquando liceat sibi confiteri sacerdoti ad excipiendas monialium confessiones jam approbato, etiamsi sit alterius ordinis regularis vel sacerdos sæcularis, non sint difficiles ad præbendum assensum. Requiritur tamen semper, ut confessarius iste extraordinarius sit ex approbatis ab ordinario ad confessiones monialium audiendas. Postremo si superiores regulares non saltem semel in anno elegerint in confessarium extraordinarium, vel sacerdotem sæcularem, vel regularem alterius ordinis, in eo casu devolvitur hæc electio ad episcopum. (83. Hæc oblatio confessarii extraordinarii bis, vel ter in anno, sicut et cætera omnia quæ superius præscripta sunt, præstari debent, etiam cum aliis mulieribus, sive regularibus, sive sæcularibus collegialiter degentibus, quæ unicum habent confessarium. Hæc omnia ex variis sac. congregationis decretis olim stabilita confirmat Pontifex in Bulla num. 56, t. II, incip. *Pastoralis curæ*, de qua sermo est etiam tom. II hujus *Biblioth.*, verb. CONFESSARIUS, art. 4, a num. 29 ad plures seqq.

(84. Hic locum habere potest sequens rescriptum sacræ congregat. Episcopor. et Regular. ad capitulum cathedralis Alexandrinæ, a quo instabatur pro remotione confessariorum regularium a monasteriis mo-

Digitized by Google

nialium ex causis, et in casu, ut sequitur.

ALESSANDRINA.

Eminent. e Rev. Sig. Sig. Patr. Colendiss.

« Essendo alli 14 del corrente mese passato all' altra vita monsignor Alfonso Miroglio vescovo di questa città, è subentrato questo nostro capitolo nell' esercizio dell' ordinaria giurisdizione, e desiderando di riparare un disordine, a cui ostano patentemente i decreti di codesta sagra congregazione, ci troviamo in dovere, e ci diamo l'onore di rappresentare alle EE. VV. esservi in questa città sei monasteri, e non più, di monache soggete alla giurisdizione dell' ordinario, cioè cinque di rigorosa clausura, ed uno senza tal legge, e tutti diretti da' confessori regolari, a favore de' quali (come da diligente ricerca fattasi ne' registri di questa curia vescovile) nè appare, che siasi ottenuta la necessaria permissione delle EE. VV. nè siansi ad alcuno di essi dal defonto prelato spedite patenti per tal' uffizio, affine che in occasione di contrario ricorso all' EE. VV. potessero sempre i medesimi essere scusati col titolo, o sia pretesto di confessori provisionali, benchè uno di questi già da quattro anni successivi ritrovisi in tale esercizio nel medesimo monastero. Ed essendovi in questa città confessori secolari, quali per dottrina, zelo, prudenza, e probità di costumi sono in caso di esercitare, come alcuni di essi hanno già per molti anni esercitato lodevolmente tale uffizio, attese le angustie del tempo, che non ci permettono di dare pronte, e costanti providenze in questo affare, abbiamo concordemente determinato di ricorrere alla sovrana autorità delle EE. VV. supplicandole, come instantemente le supplichiamo, di dare al vicario generale capitolare *de proximo eligendo* quelli ordini, che stimeranno necessarj, ed opportuni, non solamente per l' osservanza de' sovraccennati decreti di cotesta sagra congregazione, ma ancora per uniformarsi alla universale lodevole consuetudine sovra questo proposito della chiesa metropolitana di Milano, e di tutte le altre chiese. E baciandogli reverentemente il lembo delle Sagre Porpore con la più alta stima, e venerazione ci protestiamo.

« Dell' EE. VV.
« Alessandria, 16 Aprile 1755.
« Umil. divotiss. ed obblig. servitori, dignità, canonici, e capitolo della cattedrale. »

« Reverendiss. Sig.,

« Nell' annesso memoriale dato a nome del capitolo di cotesta cattedrale vederete, quanto per parte del medesimo è stato rappresentato alla sagra congregazione. Questi eminentiss. miei signori per tanto, atteso il voto dell' eminentiss. Ferroni, hanno commesso alla vostra vigilanza, che dobbiate chiamare avanti di voi tutti li regolari confessori delle monache soggette alla giurisdizione vescovile, e da ciascuno di essi vi facciate esibire il documento di sua rispettiva deputazione, e quando non costi da simile documento la legitimità della provista, non solamente vi sia lecito, ma dobbiatte rimovere i regolari dall' impiego accennato senza veruna dilazione, ed immediatamente deputare allo stesso uffizio altri sacerdoti semplici secolari di grave età, di vita esemplare, di sperimentata prudenza, e sufficiente dottrina, e che dagli esaminatori sinodali veranno formalmente esaminati, ed approvati ad udire le confessioni delle monache. Sarà per altro vostro debito preciso di procedere alla divisata remozione de' confessori regolari senza il minimo strepito, anzi usando tutta la maggior soavità, e circospezione per evitare l' ammirazione del pubblico, ed insieme ogni confuzione, e disordo che potrebbe tornarne ai Regolari. Così dunque eseguirete, e Dio vi prosperi.

« Roma, 12 Maggio 1755.
« Al piacer vostro
« C. Al. card. CAVALCHINI.
« P. G. GUGLIELMI, sec. »

« Reverendiss. Sig.,

« Essendosi osservato quanto con lettera delli 22 Maggio prossimo passato avete rappresentato in proposito de' confessori regolari di monache, giacchè non regge ciò, che per parte di cotesto capitulo fu espoto, specialmente in ordine alla copia de' sacerdoti secolari abili a sostenere tale impiego; questi eminentiss. miei signori commendando la vostra prudenza praticata in questo proposito, mi hanno imposto di suggerirvi, che qualora vi possa riuscire di deputare qualche sacerdote secolare idoneo in luogo de' regolari, procediate alla deputazione colle circospezioni insinuatevi nella precedente lettera; quando poi la penuria di tali sacerdoti secolari renda necessaria l' opera de' regolari, dovrete onninamente far supplicare questa sagra congregazione per impetrarne la facoltà opportuna, concedendovosi in virtù della presente la facoltà di farli continuare per modo di provisione per lo spazio di due, o tre mesi, acciò in questo tempo possino le monache conseguire la necessaria licenza, senza la quale non dovrete ulteriormente tolerarli. E quantunque alli parochi e cononici sia generalmente vietato l' esercizio di confessore di monache, acciò non abbiano a mancare alle loro incombenze, tuta volta in qualche caso, in cui si rende compatibile l' uno, e l' altro impiego, e che possa il soggetto comodamente supplire ad ambidue, sogliono l'EE. concedere la dispensa, quando sia richiesta, attesa la scarsezza de' sacerdoti semplice. Ve lo significo per vostra regola, e Dio vi guardi.

« Roma, 13 Giurno 1755.
« Sottoscritta al piacer vostro
« C. Al. card. CAVALCHINI.
« P. G. GUGLIELMI, sec. »

Digitized by Google

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(85. Moniales ex lege fundationis, vel ex consuetudine habere posse jus eligendi confessarium ab episcopo approbandum, contra quam sentit hic auctor., n. 1, firmavimus in *Addit.* ad verb. APPROBATIO PRO CONFESSIONIBUS, articul. 3.

(86. Gravis quæstio est an confessarius ordinarius monalium ab episcopo destinatus, et triennio elapso ex peculiari indulto sacr. congr. Episc. et Regul. negotiis præfectæ ad alius triennium immediate sequens confirmatus, hoc altero triennio elapso, possit ab ipso episcopo auctoritate ordinaria destinari ad tertium triennium, non secus ac posset, si secundo triennio non fuisset confirmatus a dict. sac. congregatione? Agit de hac quæstione Pellizzar., *De monial.* c. 10, sect. 2, subject. 1, num. 172; (87. et negativam opinionem refert cardinalis de Lugo, Baldelli, etc.; affirmativa vero Dianæ, Naldi, etc., cui ipse adhæret : « Concessum, inquit, alicui ob gratiam non est in ejus dispendium retorquendum; neque enim idem contrarios effectus operari potest. » Addit et alias rationes in confirmationem affirmativæ hujus sententiæ, quas videas.

(88. At negativa sententia amplectenda est, ex rescripto sacr. congregationis destinatæ ab Innocentio XIII pro causis congregationis Casinensium 26 Februarii 1694 ad dubium quintum, quod refert Monacell., in *Formular.* part. 1, tit. 11, formul. 22, n. 12, tum laudat hic auct. n. 23. (89. Ex hoc enim habetur, quod abbatissa confirmata ex gratia dictæ sacræ congregationis ad secundum triennium, eligi nequeat ad tertium triennium, absque dispensatione. « Neque ex hoc sequitur (recte ait add. ad Pelliz., d. c. 7, n. 47, editionis Romanæ ann. 1755) quod favor convertatur in odium, et quod privilegium et gratia principis nihil operaretur supra jus commune; nam aliquid operaretur pro secundo triennio, et pro tertio triennio ea non converteretur in odium. Illa enim regula potissimum valet quando regula, seu privilegium concessum est a principe motu proprio; confirmatio autem abbatissæ pro secundo triennio solet concedi ad instantiam monialium, quæ dum petunt illam, censentur petere secundum naturam, quam habet de jure officium abbatissæ; scilicet ut subsequatur vocatio pro triennio subsequenti. » Cur non idem dicendum de confessario, ut tenet auctor, d. n. 23?

(90. Tametsi agatur de monasteriis exemptis, et regularibus subjectis, ad episcopum pertinet cognoscere, tum approbare, an confessarius regularis debeat pernoctare prope ipsa monasteria ex causa distantiæ conventuum, ut statuit Alexander VII in constitutione quæ incipit *Felici*.

(91. Vide et alia de confessario præsertim extraordinario monialium apud constitutionem S. M. Benedicti XIV, cui initium est: *Pastoralis curæ.*

ARTICULUS VI.

Moniales quoad varia miscellanea ipsas concernentia.

SUMMARIUM.

1. Moniales tenentur publice in choro officium divinum persolvere. — 2. Moniales choro addictæ non obligatæ ex vi regulæ ad divinum officium, si absint a choro, tenentur sub mortali ad horas canonicas privatim recitandas ex consuetudine obligante ad mortale. — 3. Etiam moniales Clarissæ, non obstante constitutione Eugenii IV. — 4. Moniales choristæ propter imperitiam, donec discant expedite legere, judicio prælatorum, confessariorum, vel abbatissarum, satisfaciunt dicendo officium laicorum. — 5. Insuper moniales choristæ in casu quo ex rationabili causa recitare non possint horas canonicas, satisfaciunt recitando officium sororum laicarum. — 6. Moniales recitando *Confiteor* nihil mutare possunt. — 7. Moniales Clarissæ, et tertii ordinis, sive sint sub cura Fratrum minorum, sive sub ordinariorum, aut aliorum religiosorum cura, possunt uti breviario, vel Patrum conventualium, vel Patrum observantium. — 8. Indulgentiæ concessæ fratribus, eorumque ecclesiis, extenduntur etiam ad moniales, earumque ecclesias, quamvis subsint gubernio ordinariorum. — 9. Moniales debent saltem semel singulis mensibus confiteri et sacram Eucharistiam sumere. — 10. Et ad hoc secundum multos obligantur sub mortali. — 11. Moniales speciali puritate mentis existentes, et ferventiori spiritu pollentes, possunt a superioribus seu confessariis etiam ad communionem quotidianam admitti. — 12. Nullatenus tamen permitti debet in feria sexta parasceve. — 13. Moniales nequeunt se facere ascribi in societatibus Rosarii, Chordæ, Cincturæ, et hujusmodi. — 14. Episcopi prohibere possunt regularibus, ne absque sua licentia accedant ad ecclesias monialium pro celebrandis ibidem missis. — 15. Regulares non debent inservire pro capellanis in ecclesiis monialium, nisi in casu magnæ penuriæ sacerdotum sæcularium. — 16. Et si in illis ex dispositione testatoris onus habent celebrandi, onus transfertur ad eorum ecclesias. — 17. Episcopus potest prohibere presbyteris sæcularibus, ne celebrent in ecclesiis monialium exemptarum, et regularibus subjectarum. — 18. Capellanus autem sufficit, quod approbetur a superiore monasterii. — 19. In ecclesiis monialium, non possunt sepeliri cadavera sæcularium absque licentia sacræ congregationis, et monialium copulativa. — 20. Licentia sacræ congregationis requiritur etiam pro fabricando in ecclesiis monialium sepulcro. — 21. Et concedi solet personis benemeritis, vel cum eleemosyna competenti. — 22. Et tunc officium facit parochus usque ad portam ecclesiæ et non ultra. — 23. Nulla adest prohibitio sepeliendi moniales in ecclesia exteriori, ubi est in usu. — 24. Sed ubi non est in usu, debet fieri secrete, de nocte, et cum solo sacerdote, ac ministris necessariis. — 25. Nec non cum licentia superioris. — 26. Et omni casu debent moniales deferre cadaver usque ad portam clausuræ. — 27. Moniales non possunt habere prospectum, nec retinere crates correspondentes in ecclesia presbyterorum sæcularium, sive regularium, et ubi adsint, debent omnino removeri. — 28. Moniales nequeunt uti confessionario pro locutorio. — 29. Nec etiam possunt uti fenestella communionis ad loquendum cum exteris. — 30. Sub tali prohibitione comprehenduntur confessarii etiam regulares cujuscunque ordinis. — 31. Fenestella communionis deservire non potest pro confessionali. — 32. Ibi ministratur chrisma monialibus, et aliis in clausura degentibus. — 33. Item velum profitentibus et consecratio professis. — 34. Alias debet esse semper clausa fenestellis ligneis

Digitized by Google

interius et exterius. — 35. Debet esse lata palmo integro, alta dimidio. — 36. Et ita restringi, ut non possit ad alium usum deservire. — 37. Clavis fenestellæ communionis debet semper retineri ab abbatissa monasterii. — 38. Collocutorium nullo modo debet esse in secundo plano. — 39. Neque in ecclesia. — 40. Moniales nequeunt uti pro collocutorio rota, vel cratibus in ecclesia existentibus, cum mandato carcerandi illos, qui ibi deprehenderentur in fragranti. — 41. Monialium famuli et famulæ habitantes in mansionibus intra atria monasteriorum tenentur recipere sacramenta ab illis parochis in quorum parochia sita sunt monasteria, et ad dictos parochos spectat eos associare ad sepulturam. — 42. Monialis professio irrita est, quando fit postea hermaphrodita. — 43. Fenestræ particularium claudi debent, si prospectum habent in clausuram monialium, cum cautela tamen, si domus erant monasterii, vel si via est intermedia. Dubium est enim an de jure cogi possint? — 44. Fenestræ et quævis alia foramina regularium respicientia in hortum vel clausuram monialium, omnino claudenda sunt. — 45. Fenestræ tam altæ sint, ut ad lumen tantummodo serviant. — 46. Nec tolerari debet quod propter vicinitatem, et correspondentiam fenestrarum moniales possint videre vicinos, vel videri. — 47. Cella vacans assignari debet secundum antianitatem; nec superior potest aliter ordinare. — 48. Et antianitas incipit a die professionis, et non habitus suscepti. — 49. Non obstantibus mandatis superiorum. — 50. Nisi in aliquo monasterio adesset consuetudo immemorabilis, quod cellæ vacantes distribuantur, et assignentur ad arbitrium abbatissæ et discretarum. — 51. Concedi potest moniali cellam ædificare, eaque uti vita sua durante, vel alia a suis consanguineis ædificata. — 52. Nec debet ab ea removeri pro faciendo valetudinario. — 53. Non potest tamen illam vendere, licet vellet applicare pretium in utilitatem monasterii. — 54. Nisi de licentia sacræ congregationis, et consensu monialium. — 55. Neque potest decernere, quod monialis antiana, quæ cellam optare volet, teneatur aliquid solvere; quod servari debet etiam in casu permutationis, ne via fraudibus aperiatur. — 56. Monialium nulli conceditur facultas disponendi de cellis suis post obitum; et tanto minus disponendi de suis bonis, ea relinquendo huic, vel illi moniali. — 57. Moniales non debent dormire associatæ. — 58. Moniales diebus bacchanalium, nec unquam uti debent habitu virili, neque arma cujusque speciei tractare. — 59. Monialibus non committitur clavis custodiæ sanctissimi sacramenti, sed penes eum sacerdotem semper esse debet, ad quem spectat cura illud administrandi. — 60. Monialium in monasteriis reliquiæ asservari non debent, sed in exterioribus ecclesiis. — 61. Dies festus titularis, quoties modeste celebretur, non potest monialibus prohiberi ne illum solemnizent. — 62. Prohibetur tamen in ecclesiis monialium cantus simplex, vel figuratus musicorum exterorum. — 63. Episcopus prohibere potest, ne in ecclesiis monialium etiam interioribus canatur ab ipsis musica lingua vernacula, quantumvis cantiunculæ, et verba spiritualia sint. — 64. Moniales in refectorio communi comedere, et in loco etiam communi laborare debent. — 65. Monialibus prohibetur cibum externis parare, aut esculenta vendere. — 66. Moniales, completo officio, possunt recitare aliquem psalmum, orationem, vel collectam. — 67. Moniales, quæ breviario Romano uti consueverunt, non sunt compellendæ ad recipiendum monasticum. — 68. Moniales ipsæ tenentur legere, vel cantare cantu firmo divinum officium, non vero earum capellani. — 69. Moniales nec ad chorum, nec ad professionem admitti debent, nisi legere noverint. — 70. Moniales nequeunt esse commatres, etiam per procuratorem. — 71. Canes nequeunt a monialibus retineri intra clausuram. — 72. Alia de monialibus ad n. 75.

(1. Moniales tenentur publice in choro officium divinum persolvere, tum ex antiqua Ecclesiæ consuetudine, tum ex statutis fere omnium religionum, tum ex Clementin. 1, *De celebrat missar.*, ubi præcipitur, quod in omnibus ecclesiis cathedralibus et regularibus, atque etiam collegiatis horæ canonicæ devote psallantur, convenienterque celebretur divinum officium, diurnum pariter atque nocturnum. *Communis.* (2. Moniales choro addictæ, non obligatæ ex vi regulæ ad divinum officium, si absint a choro, tenentur sub mortali ad horas canonicas privatim recitandas ex consuetudine obligante ad mortale. Est jam fere communis, ut docent D. Cajetanus de Alexandris, in *Confessario monialium* c. 8, §1, quæst. 5; Felix Potestas, tom. I, part. II, n. 426; Tamburin., *De jure abbatiss.*, disp. 14, quæsit. 1, n. 8; Lezana, in *Summa qq. regul.*, c. 22, n. 8, et cap. 25, n. 13; Navarr., *De orat.* c. 7, n. 2; Sanch., in *Consil.*, l. VII, c. 2, d. 3, n. 6; Tamburin., l. II, c. 5, § 1, n. 13; Mastrius, Busemb., Diana, Reginaldus, Stoz, Melderus, Gavant., Belloch., Portell., Sporer., tom. III *Tract. append. de horis canon.*, c. 1, n. 13, cum pluribus aliis ab ipso citatis, et alii passim; ita ut Reginaldus opinionem contrariam vocet temerariam, Sanchez non probabilem, Diana prorsus improbandam, ut notat La Croix, l. 4, n. 1189, et Fr. D. Martinus archiepiscopus Panormitanus in suo *Pastorali* ad Moniales omnes urbis et diœcesis Panormitanæ, 20 Maii 1641 inventam a patre Mendacii, quem citat et sequitur Felix Potestas, *loc. cit.*, num. 429. (3 Unde quamvis moniales Clarissæ non obligentur sub mortali ad talem privatam horarum canonicarum recitationem ex vi regulæ, cum Eugenius IV, constitut. incip. *Ordinis tui*, declaraverit, quod in nullius transgressione ex centum et tribus præceptis contentis in regula prima B. Claræ, « præterquam eorum quatuor, quæ concernunt principalia vota, obedientiæ scilicet, paupertatis, castitatis et clausuræ, et super electione abbatissæ et depositione, peccatum mortale incurrant; » Tamen etiam ipsæ obligantur sub mortali, sicuti omnes aliæ ratione consuetudinis, quia Eugenius IV in dict. constitut. disposuit solum de præceptis et obligationibus, quibus ultra vires erant particulariter ex regula gravatæ moniales Clarissæ, non autem de consuetudine cunctis religiosis utriusque sexus communi, qualis est de recitandis horis privatim: Quis enim auderet dicere, ut recte notat Felix Potestas, *loc. cit.*, num. 429, consuetudinem recitandi horas canonicas privatim obligare religiosos viros et moniales omnes, exceptis Clarissis strictioris regulæ præ aliis? Cum enim in vetustissimis sciri non possit a quo sit orta consuetudo, l. *Si arbiter* 28, ff. *De probat.*, attendenda est observantia quæ declarat hujusmodi consuetudinem obligare. Imo potest observantia constituere jus, et facere, quod id obliget, quod de se non obligat, l. *Quod*

Digitized by Google

Societas 1, § *Quibus*; et l. *Nulli* 3, ff. *Quod cujusque univers.* Hinc quamvis non constet, an consuetudo prædicta recitandi divinum officium sit introducta animo obligandi, obligat nihilominus, quia observantia ita declarat et decernit.

(4. Moniales choristæ propter imperitiam donec discant expedite legere, judicio prælatorum et confessariorum, vel abbatissarum satisfaciunt dicendo officium laicarum; sic concessit monialibus Clarissis sub cura fratrum minorum degentibus, et per communicationem aliis Clemens VII in *Compend. privilegior.*, verb. *Moniales*, § 20, et refert etiam Tambur. *De jure abbatissar.*, disp. 15, quæsit. 1, n. 10. Insuper Innocentius IV, per bullam 10, apud Pellizzar., cap. 6, n. 16, et Felicem Potest., tom. I, part. II, n. 430; concessit monialibus sub cura Fratrum minorum degentibus, et per communicationem aliis, ut in casu quo ex rationabili causa recitare non possint horas canonicas, satisfaciant recitando officium sororum laicarum. Causa autem rationabilis erit, si monialis sit nimis agitata scrupulis, si capitis indispositionem patiatur, si sit nimis defatigata ex aliquo extraordinario labore, aut extraordinariam aliquam occupationem habeat, et hujusmodi. Sic citati doctores. *Vide* verb. INFIRMUS, a num. 10. (6. Moniales in recitando *Confiteor* nihil mutare possunt, neque dicere *Tibi, mater, Vobis, sorores*, sed debent dicere, ut in *Breviario, Tibi, Pater, Vobis, fratres*. Sac. congr. Rit. 18 August. 1629.

(7. Moniales Clarissæ et tertii ordinis, sive sint sub cura Fratrum minorum, sive sub ordinariorum, aut aliorum religiosorum cura, possunt uti *Breviario* vel Patrum conventualium, vel Patrum observantium: Eadem sacra congr. 30 August. 1687, in *Rubric. particul. Breviar. Franciscani*, n. 141.

(8. Indulgentiæ generatim concessæ ecclesiis Fratrum pariter et monialium, tum in diebus festis sanctorum ordinis, tum in aliis hujusmodi solemnitatibus cunctæ æque obtineri queunt a Christi fidelibus visitantibus ecclesias monialium, quæ subsunt gubernio ordinariorum. Ex decreto sacr. congregat. Reliquiis et Indulgentiis præpositæ die 27 Februar. 1673, ad instantiam præfecti sacrarii Apostolici per viam declarationis expedito in rubr. particularib. *Breviar. Franciscan.*, n. 160. *Vide* verb. INDULGENTIA, art. 5, num. 19 et 20.

(9. Moniales ex dispositione concilii Tridentini sess. XXV, *De regularib. et monialib.*, c. 10, debent saltem semel singulis mensibus confiteri, et sacram eucharistiam sumere, ibi: « Attendant diligenter episcopi, et cæteri superiores monasteriorum sanctimonialium, ut in constitutionibus earum admoneantur sanctimoniales, ut saltem semel singulis mensibus confessiones peccatorum faciant, et sacrosanct. eucharistiam suscipiant ». (10. Unde quamvis ex dict. verb. *Admoneantur*, doctores apud Barbosam, in d. concil. Trident., cit. sess. XXV, cap. 10, n. 3, colligant, concilium ibi non obligare sub peccato mortali; Cajetanus tamen, Navarr. Dicastill. et alii, quos refert, et sequitur Clericatus, *De Eucharist. sacrament.*, decis. 49, n. 14, dicunt, moniales teneri sub mortali ad menstruam confessionem et communionem; arg. Clement. *Ne in agro* 1, § *Sane*, De statu monachor., ubi præcipitur monachis, ut singulis mensibus crimina sua confiteantur, et sacram eucharistiam suscipiant, quam Clementinam comprehendere etiam moniales tenent plures doctores.

(11. Moniales speciali puritate mentis existentes, et ferventiori spiritu pollentes possunt a superioribus seu confessariis etiam ad communionem quotidianam admitti; sic expresse sac. congr. conc. 12 Febr. 1679, in decreto circa communionem quotidianam approbato ab Innocentio XI et ad litteram relato sub verb. EUCHARISTIA, n. 41. *Vide ibi*, n. 40 et 41. (12. Nullatenus tamen permitti debet in feria sexta Parasceve. Sacr. congr. Conc. in cit. decret., et sac. congreg. Rit. 9 Maii 1606, et 19 Februar. 1622.

(13. Moniales nequeunt se facere ascribi in societatibus Rosarii, Chordæ, Cincturæ, et hujusmodi. Sac. congregat., apud Pignatell., tom. VI, consult. 85, n. 213, ibi: « *All' arcivescovo di Zara a' 27 d'Ottobre* 1593. Non permetta, che le monache si facciano scrivere tra le consuore delle compagnie del Rosario, o del Cordone, o d'altre. »

(14. Sacra congregatio Concilii censuit *in Placentina* 9 Decemb. 1615 per episcopum fieri posse præceptum regularibus, ne absque sua licentia accedant ad ecclesias monasteriorum monialium pro celebrandis ibidem missis, apud Pignatell., *loc. cit.*, n. 165.

(15. Regulares non debent inservire pro capellanis in ecclesiis monialium, nisi in casu magnæ penuriæ sacerdotum sæcularium, et tunc religiosus deputandus de consensu sui superioris debet esse ætate, ac moribus gravis, nec tractare, et loqui potest cum monialibus. Sacra congr. Episcop. *in Sulmon.*, 27 April. 1604; *in Parmen.* 14 Jul. 1607.

(16. Unde, si regularibus ab aliquo testatore reperiatur injunctum onus celebrandi in ecclesiis monialium, tale onus potest, imo et debebit transferri ad eorum ecclesiam, vel alibi, prout laudata sac. congr. Episc. rescripsit patriarchæ Veneto 15 Jun. et 8 Augusti 1592, apud Monacell., part. I, tit. 11, formul. 23, n. 2.

(17. Episcopus potest prohibere presbyteris sæcularibus, ne celebrent in ecclesiis monialium exemptarum, et regularibus subjectarum. Sacra congreg. Conc. *in Hyracen. Visitationis* 26 Januar. 1692, in responsione ad septimum. (18. Capellanus autem sufficit, quod approbetur a superiore monasterii, ut *in d. Hyracen.*, in responsione ad nonum, apud Monacell., *loc. cit.*, n. 4.

(19. In ecclesiis monialium non possunt sepeliri cadavera sæcularium absque licentia sacræ congregationis et monialium copulativa; sic pluries decrevit sacra congreg. Episcop., et signanter *in Montefeltrinen.* 21 Novemb. 1603; *in Gravinen.* 1 Octobris 1650;

Digitized by Google

in Foro Sempronien. 23 Augusti 1652; et *in Maceraten* 8 Novembr. ejusdem anni 1652, quæ decreta iterum probavit eadem sacr. congregat. Episcop. *in Vercellen.* 18 Maii 1695, non obstante solito, referente eminentiss. cardin. Pamphil., et *in Mantuana* 14 Martii 1697, ponente eminentissimo Acciajolo, et *in Camerinen.* 6 Mart. 1713, ponente eminentissimo Corsino.

(20. Licentia sacræ congregationis requiritur etiam pro fabricando in ecclesiis monialium sepulcro. Eadem sacr. congr. Episcoporum *in Ferrarien.* 13 Jul. 1604. (21. Et concedi solet personis benemeritis, vel cum eleemosyna competenti. Eadem sacra congregat. Episcopor. *in Messana* 6 August. 1601 et *in d. Camerinen.* 6 Mart. 1713, ponente eminentissimo Corsino. (22. Et tunc officium facit parochus usque ad portam ecclesiæ, et non ultra. Eadem sacr. congr. Episcop. *in una Observantium* 5 Jun. 1615.

(23. Nulla adest prohibitio sepeliendi moniales in ecclesia exteriori, ubi est in usu. Eadem sacra congr. *in una Carmelitarum* 20 Septembr. 1594. (24. Sed ubi non est in usu, debet fieri secreto de nocte, et cum solo sacerdote, ac ministris necessariis. Eadem sacr. congregat. *in Cremonen.* 15 Mart. 1595. (25. Nec non cum licentia superioris. Eadem sacr. congr. *in dict. Carmelitarum* 20 Sept. 1594. (26. Et in omni casu debent moniales deferre cadaver usque ad portam clausuræ. Eadem sacra congr. *in Torcellen.* 14 Decemb. 1618, et *in Astoricen.* 13 Januar. 1623.

(27. Moniales non possunt habere prospectum, nec retinere crates correspondentes in ecclesia presbyterorum sæcularium, sive regularium pro audienda missa, sub prætextu, quod non possint ob illarum pauperlatem manutenere capellanum; et episcopus, ubi inveniat adesse, et retineri, debet omnino mandare, quod removeantur. Sacr. congregat. Episcopor. *in Trojana* adversus moniales Annunciatæ Foggiæ, ad relationem eminentissimi Petrucci 27 Febr. 1693, quæ cum parere distulissent variis excusationibus, iterum recurrentibus canonicis collegiatæ in quorum ecclesia prospectus in vim concordiæ retinebatur. Eadem sacra congreg. 16 Novemb. 1696, rescripsit: « Episcopus omnino intra mensem decreta sacræ congregationis exsequatur, et procedat ad destructionem transitus. »

(28. Moniales nequeunt uti confessionario pro locutorio. Sic express. sacr. congr. Episc., de mandato Clementis XI, in *Epist. encyclica* sub. 30 Octobr. 1706. (29. Nec etiam possunt uti fenestella communionis ad loquendum cum exteris. Eadem sacr. congr. in dicta *Epistola encyclica.* (30. Sub tali prohibitione comprehenduntur confessarii etiam regulares cujuscunque ordinis. Sic declaravit eadem sacra congregat. Epis. 31 Mart. 1707, ut patet in Epistola directa eminentissimo archiepiscopo Mediolanensi impressa in *Synodo Alexandrina*, fol. 539.

(31. Fenestella communionis deservire non potest pro confessionario, neque per modum provisionis. Sac. cong. Episcop. *in una Burgi S. Domnini* 9 Augusti 1601. (32. Ibi ministratur Chrisma monialibus, et aliis in clausura degentibus. Eadem sacr. cong. *ibidem.* (33. Item velum profitentibus, et consecratio professis. Sacra cong. Episcop. *in Bononien.* 17 Septembris 1617. (34. Alias debet esse semper clausa fenestellis ligneis interius et exterius. Eadem sacr. congr., *ibidem.* (35. Debet esse lata palmo integro, et alta dimidio. Sacra cong. Episcop. *in Pisana* 1618. (36. Et ita restringi, ut non possit ad alium usum deservire. Eadem sac. cong. Episcop. *in Marsicana* 5 Decembris 1610. (37. Clavis fenestellæ communionis debet semper retineri ab abbatissa monasterii. Sac. congr. Episcop. 30 Octobr. 1706, in dicta Epistola encyclica.

(38. Collocutorium nullo modo debet esse in secundo plano. Sac. congr. Episcop. *in Casalen.* 6 Mart. 1612. (39. Neque in Ecclesia. Eadem sacr. congregat. Episcop. *in Perusina* 17 Februarii 1587. (40. Moniales nequeunt uti pro collocutorio rota, vel cratibus in ecclesia existentibus. Sacr. congr. Episcop. *in Eugubina* 22 Septembris 1651, cum mandato carcerandi illos, qui ibi deprehenderentur in fragranti. Eadem sacr. congreg. Episcop. *in Cæsenaten.* 7 Febr. 1653.

(41. Monialium famuli et famulæ habitantes in mansionibus intra atria monasteriorum, tenentur recipere sacramenta ab illis parochis, in quorum parochia sita sunt monasteria. Sacra congreg. Concil. *in Ulixbonen. occidentalis* 19 Septemb. 1722; et jam decreverat *in Leodien.* 14 Aprilis 1685, et *in Spoletana* 19 Aprilis 1691. Ubi etiam, quod ad dictos parochos spectat eos associare ad sepulturam.

(42. Monialis professio irrita est, quando fit postea hermaphrodita. Sacr. cong. Conc. *in Spoletana* 14 Martii 1722, in responsione ad primum dubium, quo casu restituenda est ei dos. Ead. sacr. congr., *ibid.*, in responsione ad secundum dubium.

(43. Fenestræ particularium claudi debent, si prospectum habeant in clausuram monialium. Sacra congr. Episcop. *in una S. Benedicti* 15 Januar. 1602, et *in Mediolanen.* 6 Martii ejusdem anni 1602, et sæpe alibi. Cum cautela tamen, si domus erant monasterii, vel si via est intermedia : dubium enim est an de jure cogi possint. Eadem sac. cong. Episc. *in Agrigentina* 23 Apr. 1602, apud Nicol. in *Floscul.*, verb. *Fenestræ*, n. 2.

(44. Fenestræ vero, et quævis alia foramina regularium spectantia in hortum, vel clausuram monialium omnino claudenda sunt. Ead. sac. cong. Episcop. *in Ameliensi* 23 Decembris 1603, et *in Neapolitana* 2 Decembr. 1639. (45. Fenestræ tam altæ sint, ut ad lumen tantum serviant. Ead. sacra cong. Episc. *in una Civitatis Castelli* 12 Martii 1601. (46. Nec tolerari debet, quod propter vicinitatem et correspondentiam fenestrarum moniales possint videre vicinos,

Digitized by Google

vel videri. Eadem sacra congr. Episcop. *in Nicostrat.* 16 Augusti 1594.

(47. Cella vacans assignari debet secundum antianitatem. Nec superior regularis potest aliter ordinare. Sac. cong. Episc. *in Ferrarien.* 3 Junii 1597; *in Urbinaten.* 8 Februarii, et *in Januen.* 5 Sept. 1692, et 5 Julii 1693. (48. Et antianitas incipit a die professionis, non habitus suscepti. Eadem sac. cong. *in Paduana* de an. 1608, 5 Julii 1645, *in una Augustinens. Lombard.* 7 Januarii 1660, *in una Observant.* 21 Aug. 1654, et sæpe alibi. (49. Non obstantibus mandatis superiorum. Ead. sac. cong. *in Mediolanen.* 5 Febr. 1601; *in Faventina* 29 Aprilis 1603; *in Aversana* 26 Jan. 1604, et 20 Junii 1648. (50. Nisi in aliquo monasterio adesset consuetudo immemorabilis, quod cellæ vacantes distribuantur et assignentur ad arbitrium abbatissæ et discretarum. Eadem sacra congr. Episcop. *in Mutinen.* 24 Jan. 1653.

(51. Concedi potest moniali cellam ædificare, eaque uti sua vita durante, vel alia a suis consanguineis ædificata. Eadem sacra congr. Episc. *in Cæsenaten.* 2 Jan. 1601; *in Ulixbonen.* 16 Jan. ejusd. anni; *in Mantuana* 14 Febr. ejusdem anni; *in Mexicana* 31 Maii 1602; *in Eugubina* 15 Dec. 1603; *in una Civitatis angelor. Indiar.* 8 Aprilis 1606, et sæpe alibi. (52. Nec debet ab ea removeri pro faciendo valetudinario. Ead. sacr. congreg. Episc. *in Assisien.* 9 Febr. 1624; *in Cæsaraugustana* 11 Maii 1635. (53. Non potest tamen illam vendere. Ead. sac. congr. Episc. *in Mediolan.* 8 Novembris 1625. (54. Licet vellet applicare pretium in utilitatem monasterii. Ead. sac. cong. *in d. Mediolan.* Nisi de licentia sacræ congregationis, et consensu monialium. Ead. sac. cong. Episc. *in una Venetiarum* 3 Maii 1647.

(55. Neque potest decernere, quod monialis antiana, quæ cellam optare volet, teneatur aliquid solvere. Ead. sacr. congreg. Episc. *in Januen.* 22 Decemb. 1620. Quod servari debet etiam in casu permutationis, ne via fraudibus aperiatur. Ead. sac. cong. Episc. *in Neapolit.* 17 Nov. 1628.

(56. Monialium nulli conceditur facultas disponendi de cellis suis post obitum, sed eæ, dum vacaverint, superiorum arbitrio aliis monialibus in ordine superioribus distribui debent. Sac. congr. Concil. *in Aversana* 26 Januar. 1604, apud Barbosam *in Summa Apostolic. decis.*, verb. *Moniales*, num. 20, et lib. 1 *Juris eccles. univers.*, c. 44, n. 59, ubi dicit, id etiam decisum fuisse *in Mutinensi* 19 April. 1615. Et tanto minus disponendi de suis bonis ea relinquendo huic, vel illi moniali, cum id sit contra votum paupertatis, ut notant communiter doctores.

(57. Moniales non debent dormire associatæ. Sacr. cong. Episc. et Regul. 21 Maii 1615.

58. Moniales diebus bacchanalium, nec unquam, uti debent habitu virili, neque arma cujusvis speciei tractare. Sac. congr. Episc. *in Ferrar.* 27 Apr. 1604, ibi: « Prohibeant ordinarii, ne moniales monasteriorum, tam eis quam superioribus regularibus subjectorum in bacchanalibus, vel aliis temporibus recreationis, utantur habitu virorum, neque cujusvis speciei armis se accingant; est enim hoc odibile Deo, ut habetur in *Deuter.* XXII ibi: *Non induetur mulier veste virili, nec vir utetur veste feminea, abominabilis enim apud Deum est, qui facit hæc.* »

(59. Monialibus non committitur clavis custodiæ sanctissimi sacramenti, sed penes eum sacerdotem semper esse debet, ad quem spectat cura illud administrandi. Sac. cong. Conc. *in Vallisoletana* 12 Jan. 1604. (60. Monialium in monasteriis reliquiæ asservari non debent, sed in exterioribus Ecclesiis. Sac. congr. Conc. *in Faventina* 7 Martii 1617.

(61. Dies festus titularis quoties modeste, et sine abusu celebretur, non potest monialibus prohiberi, ne illum solemnizent. Sac. cong. Concil. *in Hyeracen. Visitationis* 21 Jan. 1692, in responsione ad 11. (62. Prohibetur in ecclesiis monialium cantus simplex, vel figuratus musicorum exterorum. Sacra cong. Episc. et Regul. in Decretis generalibus editis sub Greg. XIII, relatis a Pignat., t. VI, cons. 85, n. 98, et in aliis decretis relatis a Barb., l. 1, *Jur. eccles. univers.*, c. 44, num. 61, et in aliis posterioribus relatis a Gavant., *Manual. episc.*, verb. *Monialium communes leges*, in addit., num. 6; Crispin., *De visit.*, part. 1, § 42, n. 28. (63. Episcopus prohibere potest, ne in ecclesiis monialium etiam interioribus canatur ab ipsis musica lingua vernacula, quamtumvis cantiunculæ et verba spiritualia sint, sicuti potest id prohibere in omnibus ecclesiis et oratoriis publicis; non obstante quacunque contraria consuetudine, censuit sac. cong. Rit. *in Hispalen.* 3 Sept. 1695 et 24 Nov. 1696, referente eminentiss. cardin. Colloredo in responsione ad quartum; quia cantus hujusmodi est contra ritum Ecclesiæ.

(64. Moniales in refectorio communi comedere, et in loco etiam communi laborare debent. S. congr. Conc. *in Messan.* 1 Aug. 1603. (65. Monialibus prohibetur cibum exteris parare, aut esculenta vendere, exceptis tamen rebus minimi momenti, pro infirmis scilicet parentibus, ac consanguineis duntaxat. Sac. cong. Conc. 1 Julii 1606.

(66. Moniales, completo officio, possunt recitare aliquem psalmum, orationem, vel collectam, quia hoc non est officio addere. Sac. Rit. cong. 12 Jan. 1600. (67. Moniales, quæ Breviario Romano uti consueverunt, non sunt compellendæ ad recipiendum monasticum. Ead. sac. cong. 6 Maii 1622. (68. Moniales ipsæ tenentur legere, vel cantare cantu firmo divinum officium, non vero earum capellani. Ead. sac. Rit. congr. 11 Maii 1635. (69. Moniales nec ad chorum, nec ac professionem admitti debent, nisi legere noverint. Sac. congr. *in Girgensi* 22 Januarii 1604.

Digitized by Google

(70. Moniales nequeunt esse commatres, etiam per procuratorem. Sacr. congr. Conc. *in Mediolanen.* 3 Octobris 1787, ubi id prohibuit pro omnibus regularibus. *Vide* verb. BAPTISMUS, art. 7, a n. 41 ad 47, ubi ad id adducuntur canones, concilia et synodi.

(71. Propter inconvenientia secuta ex parvis caniculis, qui voluptatis gratia tenebantur in monasteriis monialium, facta fuit circa id prohibitio generalis, ne amplius intus habeantur, neque masculi, neque feminæ. Sac. cong. Episcop. et Regul. *in Neapolitana* 12 Julii 1592; *in Mutinensi* 3 Febr. 1597, et *in Justinopolitana* 22 Septembris 1651.

(72. In monasteria monialium introduci pueros, et puellas tenellæ ætatis vetandum est, ex more Romæ obtinente. *Instit. Eccl.*, 29, § 24.

(73. Monialium et monachorum cohabitatio apud Maronitas usu recepta, prohibetur. Bened. XIV, tom. I, constit. 31, incip. *Singularis*, § 8.

(74. Anglicanarum virginum a patria ob catholicam fidem expulsarum institutum utile censetur, et episcopis commendatur; earum tamen conservatoria a Sede Apostolica non approbantur tanquam vera monialium monasteria, sed tolerantur. Benedict. XIV, tom. III, constit. 7, incip. *Quamvis justo.* Non sunt veræ religiosæ, earumque vota sunt tantum simplicia. Ordinariæ episcoporum auctoritati subsunt, et ab iis confessarios et directores spirituales accipere debent. *Ibid.*, § 13, 14. Superiorissis earum non licet virginem ullam ad professionem admittere inconsulto episcopo. *Ibid.*, § 18.

Alia de monialibus, *vide* Pignatell., t. VI, consult. 85, per totum; Barbosam, lib. I *Juris ecclesiastic. univers.*, cap. 44, per totum; Donatum, tom. IV *Prax. rer. regul.*, tract. 4, qu. 5, per tot., ubi plurima ad rem afferuntur decreta sacræ congregationis, et vide ea, quæ scripta sunt verb. REGULARES, art. 1, per tot, et signanter a n. 73.

MONITORIUM

SUMMARIUM.

1. Monitorium quid sit? — 2. Monitoria concedere potest in toto orbe summus Pontifex. — 3. Item episcopi in suis respective diœcesibus. — 4. Item vicarius generalis episcopi vigore suæ generalis Commissionis. — 5. Item vicarius capitularis sede vacante. — 6. Item vicarius Apostolicus. — 7. Item legati *a latere*, et nuntii Apostolici. — 8. Talia monitoria nequeunt concedere abbates, aliique prælati ordinarii etiam exempti episcopo inferiores, et immediate sede Apostolicæ subjecti, ac nullius diœcesis. — 9. Possunt tamen talia monitoria concedere generales religionum, eorumque visitatores, et provinciales pro suis subditis; non vero superiores locales. — 10. Posse autem superiores locales monitoria edere in suis conventibus, non quidem ad finem revelandi pro rebus, aut scripturis deperditis, vel subtractis, sed pro aliis delictis, tenent multi. — 11. Monitoria pro revelandis rebus occultis conceduntur solum in subsidium, quando scilicet deficiunt probationes, et veritas alio modo haberi non potest. — 12. Monitoria hujusmodi sunt concedenda solum illi cujus interest, non autem aliis. — 13. Hinc, si essent concessa absque petentis interesse, essent revocanda. — 14. Monitoria hujusmodi non possunt concedi pro qualibet parva re. — 15. Hinc Romana Curia non concedit monitoria, nisi sub conditione, quod res perdita, seu subtracta, ascendat ad valorem quinquaginta aureorum, sive scutorum monetæ, licet fuerint separatim subtracti. — 16. Potest tamen aliqua res in se parva et levis, esse gravis, et non vulgaris in jure ex circumstantiis, ideoque sufficiens ad concedendum monitorium. — 17. Item si plures grave damnum intulerint, non simul, sed separatim, et singuli parum acceperint non pertingens ad peccatum mortale, tunc adest sufficiens causa concedenti monitorium sub pœna excommunicationis obligans singulos ad restituendum, et revelandum — 18. Monitoria hujusmodi non possunt concedi in criminalibus. — 19. Hinc petenti copias revelationum dari potest juramentum, quod illis non utetur, nisi in judicio civili. — 20. Et si revelationes contineant infamiam, vel aliquid aliud ex quo oriri possit scandalum, non debent concedi, sed monito detentore, si restituere nolit, repetitis testibus cum juramento poterit excommunicari. — 21. Monitoria hujusmodi non sunt concedenda, quando certæ sunt personæ. — 22. Monitoria hujusmodi possunt concedi, tam ante cœptam litem, quam ea pendente, dum probationum terminus non elabitur. — 23. Monitoria hujusmodi potest promulgare ex officio judex ecclesiasticus, etiam nemine petente. — 24. Monitoria hujusmodi non sunt concedenda ad instantiam nominatim excommunicati, seu publici, aut notorii peccatoris. — 25. Monitoria hujusmodi publicantur tribus festivis diebus, exceptis solemnioribus. — 26. Adducitur modus fulminandi excommunicationem monitorii. — 27. Monitorii vi nemo tenetur seipsum patefacere, aut denuntiare. — 28. Qui tamen alienam rem surripuit, tenetur procurare, ut res restituatur domino per fidelem amicum, aut per confessarium. — 29. Non tenetur autem alienam rem restituere, neque vi monitorii, si effectus sit impotens ad solvendum, dummodo habeat animum restituendi cum primum possit. — 30. Neque vi monitorii restituere tenetur, si talem rem retineat in justam compensationem.— 31. Neque scientes hujusmodi detentorem tenentur vi monitorii eum denuntiare, si sciant eum talem rem retinere ob justam compensationem, aut non restituere ob impotentiam. — 32. Tenentur autem scientes revelare, et denuntiare eum, si solum habet impotentiam ad restituendum, seu justum titulum compensationis quoad partem, et non quoad totum. — 33. Item scientes eum denuntiare tenentur, si dubitent de justitia compensationis, aut de impotentia restituendi, nisi rationabiliter deponant dubium. — 34. Nemo tenetur vi monitorii alium denuntiare, quando ex denuntiatione prudenter timet sibi, aut suis usque ad quartum gradum, aliquod grave damnum. — 35. Nec quis tenetur ex vi monitorii denuntiare conjunctos intra quartum gradum, etiamsi non adsint alii testes. — 36. Qui inhabiles sunt ad testimonium ferendum, ut infames, et hujusmodi, tenentur revelare, præsertim cum deficiunt aliæ probationes. — 37. Monitorii vi revelare nemo tenetur id quod duntaxat scit sub secreto naturali. — 38. Excipe tamen casus : in quibus agatur de impediendo futuro damno reipublicæ, aut tertiæ privatæ personæ, quod aliter evitari non possit, aut de revelando impedimento occulto dirimente matrimonium. — 39. Nemo tenetur denuntiare ea quæ non scit. — 40. Unde nemo revelare tenetur ea quæ audivit a personis levibus, vel ignotis, aut nihil certum scientibus. — 41. Neque quis revelare tenetur, quæ audivit ab eo, qui jam denuntiavit. —

Digitized by Google

42. Nemo denuntiare tenetur id quod in judicio probare non potest. — 43. Excipiuntur tamen aliqui casus respicientes alias materias, qui assignantur usque ad n. 46. — 47. Non tenetur denuntiare vi monitorii ad finem restitutionis, qui rite rem præscripsit. — 48. Non tenetur denuntiare, qui rem habet sibi debitam, quamvis adsint creditores ipso anteriores. — 49. Nec etiam tenetur denuntiare, qui bona fide rem alienam pretio numerato emit a latrone, negata, aut non sperata refusione pretii. — 50. Detinens mala fide scripturam alienam, quatenus eam abstulit, tenetur vi monitorii eam reddere domino cum æquali suo damno, aut paulo majori, non tamen cum suo damno longe majori damno ipsius domini. — 51. Si injustus detentor possit suam infamiam, seu suum majus damnum evitare restituendo scripturam, medio secreto amico, aut prudenti confessario, tenetur omnino restituere, alias, ultra grave peccatum, incurrit excommunicationem. — 52. Detinens bona fide scripturam alienam non tenetur eam reddere cum suo, aut suorum notabili damno, etiam minori damno domini scripturæ. — 53. Si autem dictus bonæ fidei detentor possit suum, aut suorum notabile damnum evitare restituendo per se, aut medio secreto amico, seu prudenti confessario, vel alio modo, tenetur ex justitia id facere, quando advertit, scripturam esse alienam; alias tenebitur ad omnia damna quæ sequentur a die habitæ notitiæ, seu factæ adverteutiæ, quod scriptura esset aliena. — 54. Detinens scripturam publicam continentem acta producta, et effecta in judicio tenetur vi monitorii eam tradere, sicuti et testis eam revelare. — 55. Detinens scripturam communem reo et actori, quatenus spectat ad jus utriusque, non tenetur vi monitorii eam tradere, sicuti nec testis revelare, quando inservire potest pro jure alterius contra jus proprium. — 56. Detinens scripturam propriam spectantem ad suum jus, et sua bona, non tenetur vi monitorii eam tradere, sicuti nec testis revelare. — 57. Detinens scripturam spectantem ad jus, et bona actoris, si sit certus de sua justitia, et quando actor, attenta ejus potentia, et opulentia, utetur injuste tali scriptura contra ipsum, tunc, durante eo periculo, non tenetur vi monitorii eam tradere, sicuti nec testis revelare. — 58. Secus autem si sit solum dubius. — 59. Et a fortiori tenetur detinens dictam scripturam actori consignare, et testis revelare, si actor habet jus quamvis litigiosum ad rem, ad quam inservit scriptura. — 60. Detinens transumptum non authenticum scripturæ spectantis ad actorem non tenetur vi monitorii illud consignare, sicuti nec testis revelare. — 61. Sciens aliquem detinere scripturam alienam, ex quo, ipso solo præsente tanquam confidente, communicavit dictam scripturam cum suo advocato, vel procuratore, non tenetur vi monitorii revelare. — 62. Cum quis, ne creditores aliqua sua bona adjudicent, illa vendit in confidentia cuidam suo amico, hic amicus, si talis venditor monitus nolit satisfacere creditoribus, et nullum ipsi sequatur notabile damnum, tenetur vi monitorii revelare talia bona. — 63. Nemo tenetur denuntiare vi monitorii, quando tempore publicationis, et excommunicationis degebat extra territorium episcopi excommunicantis. — 64. Qui autem ad dictum territorium revertitur, seu ibi domicilium figit nondum facta tertia monitorii promulgatione, tenetur revelare, si monitorii sit certior effectus. — 65. Item denuntiare tenetur, qui exit e tali territorio jam facta prima monitorii promulgatione, licet exeat animo non revertendi, sed perpetuo alibi habitandi. — 66. Item a fortiori tali monitorio ligatur reus delicti, propter quod promulgatum est monitorium, etiamsi promulgatum sit post ejus discessum a tali territorio. — 67. Superiores regulares possunt suos subditos per monitorium citare et censuris ligare ubicunque etiam extra eorum territorium existant, sive deliquerint extra, sive intra eorum territorium. — 68. Regulares scientes rem, de qua loquitur monitorium episcopi, non tenentur denuntiare; et si non revelant, non sunt excommunicati. — 69. Obligati ad denuntiandum, si non denuntient intra terminum præfixum in monitorio, peccant mortaliter, et incurrunt excommunicationem, nisi ignorent monitorium, vel si sint legitime impediti, aut alia justa causa excusentur. — 70. Qui autem intra terminum præfixum non revelarunt ob ignorantiam monitorii, vel ob legitimum impedimentum, aut ob aliam justam causam, istis cessantibus, tenentur revelare etiam elapso dicto tempore. — 71. Mortuo superiore, etiam Papa, intra terminum monitorii, seu edicti, exspirat monitorium seu edictum, sicuti etiam exspirat, si superior jurisdictionem amittat. — 72. Si autem censura jam fuerit contracta ante superioris mortem, non tollitur per ejus mortem, sed per absolutionem, quæ in monitoriis solet reservari, et a nullo potest impendi, nisi satisfacta parte. — 73. Qua satisfactione peracta, seu obedientia præstita, etiam executor monitorialium Papalium potest ab ea absolvere, etiam confessarii privilegiati, ut regulares. — 74. Ab excommunicatione vero lata, et sibi specialiter reservata, in monitorio ab episcopo non possunt regulares absolvere sine speciali ejusdem facultate. Sed potest absolvere solus ipse episcopus, vel ejus delegatus, vel ejus successor. — 75. Subnectuntur *Addit. ex aliena manu* ad n. 84.

(1. Per monitorium intelliguntur hic specialiter monitoriales litteræ, seu edicta, quæ a legitimis Ecclesiæ superioribus eduntur, seu conceduntur pro rebus, aut scripturis deperditis, aut subtractis, vel occultatis, ad finem obligandi ad restitutionem illas habentes, et ad revelationem id certo scientes, sub pœna excommunicationis majoris latæ sententiæ ipso facto incurrendæ, restitutione, vel revelatione non facta intra præfixum tempus. (2. Talia monitoria concedere potest in toto orbe Summus Pontifex. Certissima. (3. Item episcopi in suis respective diœcesibus. Concil. Trident., sess. XXV, *De reformat.*, cap. 3., et communis doctorum. (4. Item vicarius generalis episcopi vigore suæ generalis commissionis: Nicol. Garcias, *De benefic.*, part. V, cap. 8, n. 94, ubi adducit ad hoc duplicem sacræ congregationis Cardinalium declarationem super dictum cap. concil. quarum prima hæc verba continet: « Vicarius episcopi potest concedere litteras monitoriales, de quibus in præsenti decreto. » Secunda hæc alia verba continet: « Vicarius generalis episcopi potest has excommunicationes decernere, adhibita causæ cognitione, nec indiget speciali mandato episcopi; » et sic, pluribus citatis, tenet Barbosa supra dict. cap. 3; Trident., n. 5; contra Ugolin., Narbon., Campanil., et alios existimantes vicarium generalem episcopi non posse ex generali commissione hujusmodi excommunicationes, seu monitoriales litteras decernere.

(5. Item talia monitoria concedere potest vicarius capitularis, sede vacante, qui ad capitulum transeunt omnia, quæ sunt jurisdictionis necessariæ, ut est excommunicationis promulgandæ facultas, et sic expresse respondit sacra congregat. Concilii

Digitized by Google

apud Garciam, *De benefic.*, part. v, cap. 8, n. 94., et Barbosam, *De offic. et potest. episc.*, part. III, allegat. 96, n. 7, ibi: « Stante hac declaratione quærebatur, an eadem potestas competat vicario capituli sede vacante? Congregatio censuit affirmative, quia ad capitulum transeunt ea quæ sunt jurisdictionis necessariæ, ut est excommunicatio, etc. » Et sic tenent communiter doctores cum Barbosa, d. alleg. 96, n. 10, et *super Trident.*, d. sess. XXV, cap. 3, n. 6.

(6. Item talia monitoria prævia causæ cognitione, potest concedere etiam vicarius Apostolicus, ut expresse decrevit sac. congreg. concilii sub die 26 octobris 1590, apud Barbosam, in *Summa Apostolic. decis.*, verb. *Monitoria*, n. 1, et cit. alleg. 96, n. 10; Theophil. Raynaud., *De monit. Eccles.*, p. I. c. 1, q. 10, vers. *Omnia*.

(7. Item talia monitoria possunt concedere legati a latere, et nuncii Apostolici. Barbosa, cit. allegat. 96; n. 11, et *super Trid.*, cit. cap. 3, n. 8; Raynaud., *loc. cit.*, quæst. 10, in princip. Aloysius Riccius, in *Praxi fori Eccles.*, resolut. 235, n. 2; Lazar., *De monitor.*, sect. 1, qu. 5; Guttier., *Canon.*, lib. I, cap. 11, a n. 5; Ugolin., *De potest. episc.*, cap. 46, in princip.; Escobar, in *Tractat. select.*, tract. 2., part. I, § 3, n. 60, et alii.

(8. Talia autem monitoria nequeunt concedere abbates, aliique prælati, ordinarii etiam exempti, episcopo inferiores, et immediate Sedi Apostolicæ subjecti, ac nullius diœcesis, sed pro illis obtinendis debent eorum subditi Sedem Apostolicam adire, ut declaravit sacra congreg. Concilii 22 Januar. 1598 apud Monacell., part. I, tit. 6, formul. 11, num. 13., et referunt etiam sic decisum Barbosa, in *Summa, loc. cit.*, n. 3, *super Trid.*, *loc. cit.*, n. 9., in d. allegat. 96, n. 12, Ugolin. Garcias, Campanil., et alii ibi citati.

(9. Possunt tamen talia monitoria concedere generales religionum, eorumque visitatores et provinciales pro suis subditis, non vero superiores locales, ut priores, guardiani et alii similes, qui alios superiores majores habent subtus generalem, quia superiores locales non habent auctoritatem quasi episcopalem. Tancred. tom. V, tractat. 4, quæst. 2, n. 1; Felix potestas, tom. II, part. I, n. 3; Miranda Rodericus, Fr. Emmanuel citati et secuti a Barbosa, *super Trid.*, *loc. cit.*, num. 10 et alii.

(10. Posse autem superiores locales monitoria edere in suis conventibus, non quidem ad finem revelandi pro rebus, aut scripturis deperditis, aut subtractis, sed pro aliis delictis, ut pro reditu fugitivi, seu apostatæ ad conventum intra tres, vel quatuor dies et hujusmodi, docet cum permultis Melphi, *De pœnis*, c. 28, q. 1 et 2, et adducit disparitatem de excommunicatione pro rebus deperditis, seu subtractis dicens, hanc servari prælatis majoribus privative quoad superiores locales, quia solet esse solemnior, ac majori gravitate et circumspectione exercenda; sed vide ipsum *loc. cit.*, et Felicem Potestatem, *loc. cit.*, n. 3.

(11. Monitoria pro revelandis rebus occultis conceduntur solum in subsidium, quando scilicet deficiunt probationes, et veritas alio modo haberi non potest. Sic sentire videtur concil. Trident., cit. sess. XXV, cap. 3, et sic expresse rescripsit sacra congr. Episcop. *in Savonen.* 15 Januar. 1619, apud Nicol., in *Floscul.* verb. *Monitorium*, n. 2, et tenent communiter DD. cum Barbosa, cit. alleg. 96, a n. 24, et cit. sess. XXV, cap. 3, a. n. 18.

(12. Monitoria hujusmodi sunt concedenda solum illi, cujus interest, non autem aliis. Sic expresse statuit S. Pius V constitut. incip. *Sanctissimus*, ubi ordinavit, quod mandata in formam *Significavit* pro rerum subtractarum, aut deperditarum restitutione, aut revelatione expediantur ad eorum duntaxat instantiam, quorum civiliter interest: Barbosa, cit. alleg. 96, n. 24 et cit. sess. XXV, cap. 3, n. 16, cum Ugolin., Lazar., Riccio, Genuens. ibi citatis et alii passim. (13. Hinc, si essent concessa absque petentis interesse essent revocanda, ut cum Lazar., Francis., Leon., Aloysio Riccio tenet Barbosa, cit allegat. 96, n. 24 et cit. cap. 3, n. 17.

(14. Monitoria hujusmodi non possunt concedi pro qualibet parva re. Sic concil. Trident., cit. sess. XXV, c. 3, ibi: « Non alias, quam ex re non vulgari » et S. Pius V, cit. constitut. incip. *Sanctissimus*, ibi: « Et tamen ostendat res ipsas (id quod præcipue in omnibus attendendum est) minime vulgares existere. » Et sic doctores communiter. (15. Hinc Romana Curia non concedit monitoria, nisi sub conditione, quod res perdita, seu subtracta ascendat ad valorem quinquaginta aureorum, sive scutorum monetæ, licet fuerint separatim subtracti et patet ex forma impressa, ut testatur Nicol, in *Floscul.*, verb. *Monitorium*, n. 4; Barbosa cit. allegat. 96, n. 30; referens ex aliis in curia Neapolitana monitoria non concedi pro minori summa, quam quinquaginta ducatorum; considerata tamen paupertate petentis, aliquando decerni in minori summa decem, viginti, vel triginta ducatorum pro episcopi arbitrio.

(16. Potest tamen aliqua res, in se parva et levis, esse gravis, et non vulgaris in jure ex circumstantiis, adeoque sufficiens ad concedendum monitorium, ut si in monasterio religiosorum, seu religiosarum e cella unius fuerit ablata res valoris, v. g. duntaxat sex juliorum, adest tunc sufficiens causa ut superior provincialis, et respective episcopus pro monasteriis sibi subjectis, possit monitorium concedere, quia, quamvis talis materia sit in se levis, est tamen gravis; prout potest enervare regularem disciplinam, frangendo communem pacem, et destruendo publicum spirituale monasterii bonum. Unde superior ad hæc mala evitanda et disciplinam regularem fovendam, publicum monasterii spirituale bonum, et communem pacem conservandam, potest monitorium sub excommunicatione ferre, obligando subditum ad restituendum, vel revelandum; quamvis enim talis materia sit levis in linea justitiæ, evadit gravis ratione talis circumstantiæ et in linea obedientiæ. Sic Tancred.

Digitized by Google

t. V, tract. 4, quæst. 2, cum Suarez, Tamburin., *De jure abbatissar.*, et aliis ibi citatis, Felix Potestas, *loc. cit.*, n. 12, et alii.

(17. Item si plures v. g. grave damnum intulerint, non simul, sed separatim et singuli parum acceperint, non pertingens ad peccatum mortale, ut si plures in populari tumultu deprædati sint aliquam domum, aliquam vineam, tunc adest sufficiens causa concedendi monitorium sub pœna excommunicationis obligans singulos ad restituendum et revelandum, quia licet singuli quid leve rapuerint, omnia tamen hæc levia notabilem damnum constituunt, quod cum possint reparare, si singuli suum leve furatum, seu acceptum restituant, singuli peccant mortaliter detinendo, et consequenter singuli monitorio ligantur. Barbosa, cit. alleg. 96, n. 29; cum Suarez, Lazar., Bonacina, Henriq., Genuens. ibi citatis, Felix Potestas *l. c.*, n. 19, et alii.

(18. Monitoria hujusmodi non possunt concedi in criminalibus, quia et afferunt infamiæ notam, et inducunt periculum incurrendi irregularitatem. Unde ex stylo Curiæ Romanæ, et ex generali diœcesanorum usu in ipsius monitoriis, teste Barbosa, c. alleg. 96, n. 32, ponitur sequens clausula : « Nolumus autem, quod ex revelatione hujusmodi, si eam fieri contingat, nisi pro civili interesse et civiliter tantum agi possit, alias revelatio ipsa, neque in judicio, neque extra, fidem faciat. » Et sic tenent communiter doctores cum Barbosa, cit. allegat. 96, n. 32. Unde sacr. cong. Episcop. *in Aprutina* 22 April. 1616, expresse respondit, quod concedi non possunt monitoria ad finem revelandi, ad detegendum delicta, vel delinquentes; neque pro reperiendis testibus in causa criminali etiam ad defensam. Ead. sacr. congreg. Episcop. *in Compsana* 28 Novemb. 1589. Nec talibus revelationibus uti possunt in causa criminali, licet adessent. Ead. sac. congreg. Episc. *in Senogallien.* 5 Julii 1619, apud. Nicol., in *Floscul.*, verb. *Monitorium*, n. 1.

(19. Hinc petenti copias revelationum dari potest juramentum, quod illis non utetur, nisi in judicio civili. Sic rescripsit sacr. cong. Episc. et Regul. episcopo Marsicano 21 Martii 1589; et episcopo Perusino 5 Maii 1589. (20. Et si revelationes contineant infamiam, vel aliquid aliud, ex quo oriri possit scandalum, non debent concedi, sed monito detentore, si restituere nolit, repetitis testibus cum juramento, poterit excommunicari, ut respondit sac. cong. Episcop. *in Gallipolitana* 7 Junii 1594; apud Monacell. part. I, tit. 6, formul. 11, n. 11; ubi id docent cum Januensi, Lazar. Piasec. ibi citati, et cum multis aliis tenent Barbosa cit. alleg. 96, n. 33; ubi dicit quod monitoria non debent concedi, si sint infamatoria alicujus particularis personæ.

(21. Monitoria hujusmodi non sunt concedenda, quando certæ sunt personæ, quia tunc ordinarie est agendum et procedendum, ut deducitur ex concil. Trident., cit. sess. XXV, cap. 3; *De reformat.*, et docent. Franc., Leo, Giurba, Costa, Lazan., Riccius, Campanil., Marta, Raynaud. citati, et secuti a Barbosa d. allegat. 96, n. 25.

(22. Monitoria hujusmodi possunt concedi tam ante cœptam litem, quam ea pendente, dum probationum terminus non elabitur. Lazar., Campanil., Petrus Gregorius, Mandell. et alii citati, et secuti a Barbosa, d. allegat. 96, n. 38, et alii passim.

(23. Monitoria hujusmodi potest promulgare ex officio judex ecclesiasticus etiam nemine petente, v. g. contra detinentes res Ecclesiæ, si eas non restituant, vel contra non revelantes eos, quos noverint eas detinere, ut habetur in Extravagant. unica Joan. XXII *De furtis*, et docet Barbosa, *l. c.*, n. 23, et communis aliorum.

(24. Monitoria hujusmodi non sunt concedenda ad instantiam nominatim excommunicati, seu publici et notorii peccatoris. *Communis*, arg. c. *Immunitatem* 10, De immunitate Ecclesiæ, ibi : « Cum... frustra legis auxilium invocet, qui committit in legem; » cap. *Sacerdotibus* 2, Ne clerici, vel monachi; ibi : « Indignum est eis ab Ecclesia subveniri, per quos constat in Ecclesia scandalum generari, » et cap. *In audientia* 25, De sent. excom., ibi : « Cum frustra Ecclesiæ imploret auxilium, qui committit in ipsam. » Hinc concilium Mediolanense quartum tit. *De foro episcopali* expresse id vetuit, ibi : « Excommunicationum litteræ non concedantur... cuiquam excommunicato, aut manifeste, aut notorie criminoso. » Et id etiam prohibuit concilium Tholosanum part. IV, cap. 1, n. 6; ibi : « Nullæ in excommunicati, aut perditi, scelestique hominis gratiam... excommunicationes decernantur. »

(25. Monitoria hujusmodi concessa pro habendis revelationibus publicantur tribus festivis diebus, exceptis tamen diebus Nativitatis, Resurrectionis, Ascensionis Domini, diebus Pentecostes, Corporis Christi, aliisque anniversariis solemnioribus diebus, nisi alia gravi de causa episcopus aliter censuerit. Barbosa, cit. allegat. 96, n. 43; cum pluribus ibi citatis, Monacell., *loc. citat.*, n. 1; Nicol., *Lucubrat. canonic.*, l. v, tit. 39, *De sent. excom.* post n. 23; Guazzin., in *Tract. ad defens. animar.*, lib. II, def. 2, cap. 17; n. 79, et conc. Mediolan. IV, part. II, tit. 8. *De foro episcopali*, ibi : « Cum vero pro ratione præscripta aliquando concedentur (excommunicationum litteræ), ne tamen in sanctissimis his diebus, in Nativitate scilicet Domini, Pascha Resurrectionis, Ascensione, Pentecoste, in celebritate sacri Corporis Domini, et aliis anniversariis solemnioribus diebus ullo modo promulgentur, nisi episcopus aliter censuerit. »

(26. Parochus autem, vel alius ecclesiæ rector, dum publice in ecclesia sententiam excommunicationis fulminat contra non restituentes, seu non revelantes, tenet manibus candelam accensam et in fine, candela in terram projecta et exstincta, pedibus eam conculcat, interim campana ecclesiæ paulatim pulsante juxta formam traditam a Joan-

Digitized by Google

ne XXII, in Extravagant. commun. unic. *De furt.* Et exinde, ut populus cœremoniarum ecclesiæ significationem percipiat, et effectus excommunicationis magis pertimescat, statim ipsum instruit, quod ipse parochus Christum excommunicantem, et projectio candelæ, ejusdemque exstinctio, et campanæ pulsatio excommunicatum quasi mortuum significat, ut pote a Christi corpore, tanquam palmitem a vite præcisum, et quod conculcatio candelæ pedibus facta demonstrat excommunicatum, sic ab Ecclesia ejectum, traditum esse dæmoni torquendum et ab eodem, aliisque tartareis ministris in inferno conculcandum, nisi resipiscat.

(27. Monitorii vi nemo tenetur seipsum patefacere, aut denuntiare, quia nemo se infamare debet, cap. *Quis aliquando* 87, De pœnitent., dist. 1; Barbosa, cit. allegat. 96, n. 45 et sequent. et communis aliorum (101). (28. Qui autem alienam rem subripuit, tenetur procurare, ut res restituatur domino per amicum fidelem, aut per confessarium. *Communis.* (29. Non tenetur alienam rem restituere, neque vi monitorii, si effectus sit impotens ad solvendum, dummodo habeat animum restituendi, cum primum possit; quia impossibilium nulla est obligatio; l. *Impossibilium*, ff. *De regul. juris*, et c. *Nemo potest* 6, De regul. juris, in 6; ibi: « Nemo potest ad impossibile obligari, » Barbosa, *loc. cit.*, n. 47 et alii communiter. (30. Neque vi monitorii restituere tenetur, si talem rem retineat in justam compensationem. Barbosa, *loc. cit.*, n. 49, cum communi aliorum, dummodo concurrant omnes conditiones ad justam compensationem requisitæ assignatæ sub verb. COMPENSATIO. *Vide ibi.*

(31. Neque scientes hujusmodi detentorem tenentur vi monitorii eum denuntiare, si sciant eum talem rem retinere ob justam compensationem, aut non restituere ob impotentiam, quia cum in similibus casibus monitorium non liget principalem, tanto minus ligabit minus principales, uti sunt scientes respectu detentoris. Barbosa, *loc. cit.*, num. 72, cum communi aliorum.

(32. Tenentur autem scientes revelare, et denuntiare eum, si solum sit impotens restituere in totum et non quoad partem, seu si solum ob partem habeat justum titulum compensationis et non ob totum, quia in tali casu, sicuti detentor non excusatur quoad totum, sed solum quoad partem a restitutione, ita nec scientes excusantur a revelatione. *Communis.*

(33. Item scientes eum denuntiare tenentur, si dubitent de justitia compensationis, aut de impotentia restituendi, nisi rationabiliter deponant dubium, quatenus nempe eam audierint a fide digno, quia possessio stat pro præcepto superioris, quod est certum, et excusatio est duntaxat dubia. Barbosa, *loc. cit.*, n. 72, et alii communiter.

(34. Nemo tenetur vi monitorii alium denuntiare, quando ex denuntiatione prudenter timet sibi, aut suis usque ad quartum gradum aliquod grave damnum contra aliquod ex quatuor bonis hominis, videlicet animæ, corporis, famæ et substantiæ corporalis, quod juxta debitum ordinem sit præferendum damno alterius, quia præcepta humana et positiva non obligant cum tanto incommodo. Diana, part. IX, tr. 8, resol. 48; Bonacina, tom. I *De obligat. denuntiand.*, disp. 6, § 3; Felix Potestas, tom. II, part. I, n. 39 et alii.

(35. Nec quis tenetur ex vi monitorii denuntiare conjunctos intra quartum gradum, etiamsi non adsint alii testes. Qui enim de jure compelli non potest ad testificandum contra ipsos, nec tenetur eos denuntiare vi monitorii, quia non debet lex ecclesiastica cedere in benignitate legi civili, ut velit eos ligare, quos lex civilis non obligat. Lex autem civilis non obligat ad testificandum contra ipsos supradictos, textu expresso in l. *Quarta*, § *De testibus*, relat. c. *Si testes* 3, caus. 4, q. 2 et 3, ibi: *Item* l. *Quarta*, § 4: « Lege Julia publicorum judiciorum cavetur, ne invito denuntietur, ut testimonium litis dicat adversus socerum, generum, vitricum, privignum, sobrinum, sobrinam, sobrinove natum, eosque qui priori gradu sint. » Tancred., tom. V, tract. 4, qu. 20; Felix Potestas, *loc. cit.*, n. 30; Pontas, verb. *Monitorium*, cas. 12, cum Eveillon., Angelo de Clavasio, Navarr., Suarez, Avila et Barbosa, ibi citatis; Diana, part. V, tract. 13, resolut. 67; Raynaud., *De monitoriis*, part. I, cap. 3, q. 20; Lopez, Sylvius, Baunius; et alii apud Dianam, part. VIII, tract. 7, resol. 10, qui cum Escobar id tenet, tam de consanguineis, quam de affinibus, usque ad quartum gradum, quia, si conjunctus ageret ut denuntiator, aut talis contra sic conjunctos, orirentur inter familias sic conjunctas plurimæ dissensiones, et inimicitiæ, et sic tolleretur domorum, et familiarum pax et quies, quod cederet in maximum reipublicæ præjudicium ex qua ratione Raynaudus et Diana, *locis citatis*, eos a denuntiando eximunt, nedum in causis criminalibus, sed etiam in civilibus. Quod tamen respectu affinitatis non admissit sacr. cong. Concil. in *Fulginaten.* 24 Decemb. 1630, penes Sellium in *Selectis canonic.*, cap. 10, n. 6, et Barbosam *super concil. Trid.*, cit. sess. XXV, cap. 3, n. 12, ubi attestantur fuisse a dicta sacra congregatione sic resolutum: « Revelare tenentur scientes, ita ut non eximantur ab excommunicatione comminata in litteris monitorialibus Apostolicis, quando veritas

(101) *Nota Romani theologi.* — Quæ in hoc articulo a n. 27, ad 68, auctor adducit, ex laxioribus casuistis potissimum hausit. Quare legendi sunt Pontas in *Diction. cas. consc.* et Raynaudus, *De monitor.* In Dictionario tamen Pontas, *loc. cit.*, nihil fere inveniet lector, ex quo emendare quæ laxius alicubi auctor noster tradit, queat. Igitur adeat *notas* ad loca, ad quæ se Lucius refert, et consulat probatiores theologos, qui in his quæstionibus explicandis accurate versati sunt.

Digitized by Google

haberi aliter non potest, nec attenditur excusatio respectu affinitatis in hoc casu. »

(36. Qui inhabiles sunt ad testimonium ferendum, ut infames et hujusmodi, tenentur revelare, præsertim cum deficiunt aliæ probationes, quia eorum testimonium non omnino invalidum est; nam, etsi non probent, faciunt tamen præsumptionem: Glossa verb. *Ad testimonium*, in cap. 1 De testibus, in 6, cum citatis a Farinac., part. III, q. 62, num. 274; Barbosa, cit. allegat. 96, n. 62, cum aliis ibi citatis.

(37. Monitorii vi revelare nemo tenetur id quod duntaxat scit sub secreto naturali ad fidem habendi ad id consilium, vel auxilium sub tali sigillo sibi communicatum, ut solet accidere in medicis, chirurgis, pharmacopolis, obstetricibus, advocatis, procuratoribus, tabellionibus et hujusmodi, qui secreta infirmorum, clientum et aliorum sub naturali sigillo percipiunt, quia obligatio servandi tale arcanum, seu sigillum est juris naturalis, contra quod non potest obligare monitorium, quod est præceptum, seu jus duntaxat ecclesiasticum. Sic Barbosa, cit. allegat. 96, n. 63, et communis doctorum cum S. Thoma, 2-2, qu. 70, art. 1, ad 2, ubi sic præcise dicit: « Quandoque vero sunt talia, quæ quis prodere non tenetur, unde potest obligari ex hoc, quod sibi sub secreto committuntur? Et tunc nullo modo tenetur ea prodere, etiam ex præcepto superioris; quia servare fidem est de jure naturali. Nihil autem potest præcipi contra id quod est de jure naturali. » (38. Excipe tamen casus in quibus agatur de impediendo futuro damno reipublicæ, aut tertiæ personæ privatæ, quod aliter evitari non possit; aut de revelando impedimento occulto matrimonium dirimente, quia in his casibus tenentur medici, chirurgi, pharmacopolæ, obstetrices, advocati, procuratores, tabelliones et alii omnes revelare secretum naturale, ut tales mali exitus antevertantur, nam bonum publicum prævalet bono particulari, seu privato; et jus naturale innocentis, ne grave damnum patiatur, prævalet juri naturali, quod habet nocens, ne reveletur; et validitas, seu bonum sacramenti obligat ad detegendum impedimentum dirimens etiam sub solo naturali sigillo cognitum, ut sic evitetur nullitas ejusdem sacramenti, continuus concubinatus, aliaque gravissima mala inde obventura: Eveillon., *Tract. de excommun. et monitor.*, cap. 23, art. 2, § 2; Barbosa, cit. allegat. 96, n. 63; Navarr., in *Canon inter*, verb. 55, caus. 11, quæst. 3, conclus. 6, n. 222; Valentia, tom. III, in *Summa* S. Thom., disp. 1, quæst. 10, punct. 5; Pontas, verb. *Monitorium*, caus. 8, in fine; Bonacina, tom. I *De obligat. denuntiand.*, a n. 1; Aretin., in *Pract. crimin.*, pag. 164; Melphi, in *Pract. crimin.*, verb. *Testes;* Felix Potestas, *loc. cit.*, n. 57, ubi testatur de communi.

(39. Nemo tenetur denuntiare ea quæ certo non scit, quia alioquin se exponeret periculo levitatis et patientem exponeret damno, quod fortasse injuste pateretur. Hinc monitoria, seu edicta, loquuntur de scientibus; scire autem proprie est veritatem visu, vel alio corporis sensu perceptam vere et realiter retinere. Barbosa, cit. allegat. 96, n. 66, cum Reginald., Lazar., Campanil., Bonacin., Ugolin., Homob., et aliis ibi citatis. (40. Unde nemo revelare tenetur ea quæ audivit a personis levibus, vel ignotis, aut nihil certum scientibus. Barbosa, *loc. cit.*, n. 67, cum Navarr., Sanchez, Reginal., Bonacina ibi citatis et alii passim. (41. Neque quis revelare tenetur quæ audivit ab eo qui jam denuntiavit, quia ex quo judex jam factus est certus, certiorari ulterius non oportet, cap. *Eum qui* 32, De regul. juris, in 6, ibi: « Eum qui certus est, certiorari ulterius non oportet. » Barbosa, *loc. cit.*, n. 68, cum Navarr., Graff. Sayr., Avila, Lazar., Bonacin.., ibi citatis; Felix Potestas, *loc. cit.*, num. 54; Fr. Emmanuel, in *Summ.*, part. I, cap. 79, num. 7 et alii.

(42. Nemo denuntiare tenetur id quod in judicio probare non potest, quia, quod probari non potest, se habet ac si nesciretur. Barbosa, *loc. cit.*, n. 52, cum Navarr., Lazar., Avila, Bonacina, Escobar, Sayr., Henriq., Genuens., Ugolin., Raynaud, ibi citatis. (43. Excipiuntur tamen aliqui casus respicientes alias materias. Primus casus exceptus est, quando agitur de iis quæ respiciunt fidem et Christianam religionem, ut hæresis, vel blasphemia hæreticalis; in his enim denuntiator habetur pro teste et in illis uni testi creditur; cap. *In omni negotio* 2, De testibus; Barbosa, *loc. cit.*, sub. n. 52, cum Lazar., Diana, Baun., Genuen., Bonacina et aliis ibi citatis. Hæretici enim, quamvis occulti et probari non possint, sunt denuntiandi, ut patet ex propositione 5 inter damnatas ab Alexandro VII 24 Septembris 1665, ibi: « Quamvis evidenter tibi constet Petrum esse hæreticum, non teneris denuntiare, si probare non possis. »

(44. Secundus casus exceptus est, quando agitur de iis quæ respiciunt bonum publicum, ut sunt proditiones patriæ, machinationes, conspirationes in principem, seu superiorem, crimina læsæ majestatis, simoniæ, subornationes in electionibus, homicidia occulte grassantia, falsificationes monetæ et similia. Hæc enim dicuntur crimina exceptuata, pro quibus solent monitoria concedi, ut reveletur occultus delinquens notorii criminis ad finem ipsum in aliorum exemplum puniendi et sic consulendi bono communitatis. Unde talia delicta sunt denuntianda, etiamsi sciantur sub secreto naturali et probari non possint. Tamburin., lib. VI, *Decalog.*, cap. 2, § 4; Bonacina, tom. I *De obligat. denuntiand.*, disputat. 6, n. 5; Felix Potestas, *loc. cit.*, n. 62; Barbosa, *loc. cit.*, n. 52, cum pluribus ibi citatis.

(45. Tertius casus exceptus est, quando agitur de impedimentis dirimentibus matrimonium; tunc enim, etiamsi talia impedimenta sint occulta et probari non possint, denuntiari debent sub mortali, quia etiam denuntiatio unius solius sufficit ad matrimonium impediendum, propter evitandam

Digitized by Google

injuriam sacramenti et peccata, aliaque mala inde obventura, cap. *Præterea* 12, De sponsalib.; Barbosa, *loc. cit.*, n. 52, cum pluribus ibi citatis.

(46. Quartus casus exceptus est, quando monitoria, seu edicta, non præcipiunt denuntiationem, sed testificationem; tunc enim tenetur quis revelare et testari, seu deponere tanquam testis, si juridice interrogetur, quamvis probari non possit, cum in edicto præcipiatur simpliciter et absolute testificatio. Barbosa, *loc. cit.*, n. 52, cum Lazar., Avila, Sayr., Bonacina, Genuens., ibi citatis; Felix Potestas, *loc. cit.*, n. 73; Bordon., part. III, resolut. 201, n. 49 et alii passim.

(47. Non tenetur denuntiare vi monitorii ad finem restitutionis, qui rite rem præscripsit, quia per usucapionem et præscriptionem res fit propria usucapientis et præscribentis, ut sicuti non tenetur restituere, ita nec denuntiare. Navar., consil. 35, n. 8 *De sentent. excommun.*; Avila, *De censuris*, part. II, cap. 5, disp. 5, dub. 1, illat. 3; Barbosa, *l. c.*, n. 82; Raynaud., *De monitor.*, part. I, c. 2, quæst. 7; Monacell., part. I, tit. 9, formul. 11, n. 9 et alii passim.

(48. Non tenetur denuntiare, qui rem habet sibi debitam, quamvis adsint creditores ipso anteriores, quia judex ecclesiasticus intendit tantum obligare restitutionem illius, quod non potest retineri sine peccato, qui autem habet rem sibi vere debitam, illam retinet sine ullo peccato. Comitolus, *Respons. moral.*, lib. III, qu. 39; Diana, part. III, tract. 5, resolut. 20; Raynaud, *De monitor.*, part. I, cap. 2, quæst. 6; Barbosa, *loc. cit.*, et alii.

(49. Nec etiam tenetur denuntiare, qui bona fide rem alienam pretio numerato emit a latrone negata, aut non sperata refusione pretii; Rebell., *De obligat. justitiæ*, part. I, lib. II, q. 9, n. 6; Sanchez, *De matrimon.*, l. II, disp. 41, a n. 27; Sayr., in *Clavi regia*, lib. XX, tract. 2, cap. 3, n. 5; Raynaud., *De monitor.*, part. I, cap. 2, quæst. 10; Barbosa, *loc. cit.*, n. 83; Monacell., *loc. cit.*, n. 9; Guazin., in *Tract. de defens. animar.*, lib. II, defens. 2, cap. 15, a n. 65 et alii plures; quamvis enim juxta dicta in verb. EMPTIO ET VENDITIO, art. 2, a n. 1, emens bona fide rem furtivam, seu alienam, teneatur eam restituere domino, nec possit ab ipso repetere expensum pro ea, juxta communiorem doctorum sententiam, attamen juxta dicta *ibidem* n. 7, est revera etiam probabile quod talis emptor possit rem furtivam reddere furi ad pretium recuperandum, seque indemnem servandum, ut præter ibi citatos tenent Philiarch., *De offic. sacerdot.*, part. II, lib. VI, cap. 18; Valentia, 2-2, disput. 5, qu. 6, punct. 4; Rebell., *De obligat. justitiæ*, part. I, lib. II, qu. 9, n. 3; Torres, tom. II, disp. 13, dub. 2; Bonacina, *De contractibus*, disp. 1, *De restitut.* qu. 4, punct. 2, apud Barbosam, cit. allegat. 96, n. 83.

(50. Detinens mala fide scripturam alienam, quatenus eam abstulit, tenetur vi monitorii eam reddere domino cum æquali suo damno, aut paulo majori, non tamen cum damno longe majori damno ipsius domini. Tamburin, lib. IX, *Decalog.*, cap. 3, § 3, a n. 19, cum Molina, Lessio, Azorio, Valentia, Navarr. Bonacina ab ipso citatis, Diana part. IX, tr. 8, resolut. 48; Felix Potestas, tom. II, part. I, num. 114, et alii. Et ratio primæ partis est, quia actio injusta obligat ad amovendum damnum ab innocente, et ad ponendam æqualitatem. Unde detinens mala fide alienam scripturam, tenetur eam reddere domino cum æquali, seu paulo majori damno in suis bonis, damno in bonis domini, cum æquali, seu paulo majori damno in sua vita, aut sua fama, damno in vita, aut fama domini; in damno enim æquali, seu paulo majori, potior est ratio innocentis. Quamvis enim, simpliciter et absolute loquendo, multo plus valeat vita, aut fama propria, quam vita, aut fama alterius, adeoque, cæteris paribus, et quando uterque est innocens, propria sit præferenda alienæ, non sic tamen, quando non adest paritas, et æqualitas utriusque, sed unus est nocens, quia in tali casu multo plus valet vita, aut fama innocentis, quam nocentis; adeoque, stante tali disparitate, et inæqualitate, vita, aut fama aliena innocentis est præferenda vitæ, aut famæ propriæ nocentis.

Ratio autem secundæ partis, nempe quod non teneatur scripturam reddere cum suo damno longe majori damno ipsius domini, est quia justitia commutativa nihil aliud præcipit, quam ut ponatur æqualitas, et sic injustus scripturæ detentor excusatur a restitutione ob impotentiam ponendi æqualitatem: si enim ex restitutione scripturæ sequatur infamia restituentis, ad eam non tenetur, si damnum domini sit solum in bonis temporalibus, quia jactura famæ, utpote superioris ordinis, est longe major jactura bonorum temporalium, utpote inferioris ordinis; sicuti etiam non tenetur restituere, si suum damnum sit circa bona ejusdem ordinis, sed multo, et longe majus damno domini, ut si damnum domini sit quinquagenta aureorum, et suum sit centum aureorum: et ultra. Sic doctores supracitati.

(51. Cum hac tamen advertentia, quod, si injustus detentor possit suam infamiam, seu suum majus damnum evitare restituendo scripturam medio secreto amico, aut prudenti confessario, seu alio modo, tenetur omnino restituere, alias, ultra grave peccatum, incurrit excommunicationem latam in monitorio. *Communis.*

(52. Detinens bona fide scripturam alienam non tenetur eam reddere cum suo, aut suorum notabili damno etiam minori damno domini scripturæ, quia cum talis scripturæ detentio non sit ei culpabilis, non potest obligari ad ejus restitutionem cum notabili suo, aut suorum detrimento, arg. cap. *Cognoscentes* 2, De constitutionibus: ibi: « Rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit. » Diana, in *Summa*, verb. *Testis*, n. 6; Busemb., lib. VI *De statibus*, cap. 3, dub. 6, n. 1; Felix Potestas,

Digitized by Google

loc. cit., n. 16, Tamburin, *l. c.*, num. 24, et alii plures ad ipsum.

(53. Si autem dictus bonæ fidei detentor possit suorum notabile damnum evitare, restituendo per se, aut medio secreto amico, seu prudenti confessario, vel alio modo, tenetur ex justitia id facere, quando advertit scripturam esse alienam, alias tenebitur ad omnia damna, quæ sequerentur a die habitæ notitiæ, seu factæ advertentiæ, quod scriptura esset aliena, quia a tali die incœpit esse injustus detentor. Unde cum potuerit, et noluerit, restituendo, ut debebat, dictam scripturam, damna impedire, gravem culpam commisit contra justitiam ex re accepta, adeoque tenetur ad restitutionem. Tamburin., *loc. cit.*, num. 8, *ibidem*, c. 1, § 9, n. 6, et c. 2, § 1, num. 7, cum aliis ibi citatis, Felix Potestas, *loc. cit.*, n. 117 et 118, contra Busemb., *loc. cit.*, ubi cum aliis dicit teneri restituere dictam scripturam solum ex charitate, et non ex justitia, adeoque non obligari ad damna inde secuta.

(54. Detinens scripturam publicam continentem acta producta, et effecta in judicio tenetur vi monitorii eam tradere, sicuti et testis eam revelare, quia talis scriptura spectat ad justitiam publicam ministrandam. *Communis.* (55. Detinens scripturam communem reo, et actori, quatenus spectat ad jus utriusque, non tenetur vi monitorii eam tradere, sicuti nec testis revelare, quando inservire potest pro jure alterius contra proprium, quia, cum talis scriptura sit utrique communis, cæteris paribus, melior est conditio possidentis. *Communis.*

(56. Detinens scripturam propriam spectantem ad suum jus, et ad sua bona non tenetur vi monitorii eam tradere, sicuti nec testis revelare, quia monitorium fertur contra retinentes scripturas alienas, et spectantes ad jura, et bona actoris: non enim potest quis obligari ad tradenda, seu revelanda arma sua inimico. *Communis.* (57. Detinens scripturam spectantem ad jus, et bona actoris, si sit certus de sua justitia, et quod actor, attenta ejus potentia, seu opulentia, utetur injuste tali scriptura contra ipsum, tunc, durante eo periculo, non tenetur vi monitorii eam tradere, sicuti nec testis revelare, quia monitorium datur ad impedienda, et non ferenda mala; talis autem consignans, seu revelans dictam scripturam in data hypothesi, non solum cooperaretur ad malum temporale sui, sed etiam ad malum spirituale, id est peccatum actoris, sicuti cooperaretur ad peccatum detinens gladium alterius, si illum ei consignaret in contingentia, qua esset certus, aut probabiliter crederet quod esset eo usurus ad aliquem occidendum. *Communis.* (58. Si autem detinens scripturam spectantem ad jus et bona actoris non sit certus de sua justitia, nec quod actor ea utetur injuste, sed solum sit dubius, tunc tenetur dictam scripturam consignare, quia in dubio possessio stat pro creditore, de cujus jure, et bonis est scriptura, qui non est privandus sua scriptura ex dubia sui malitia, nam in dubio quilibet est præsumendus bonus; arg. cap. *In cunctis* 52, causs. 11, quæst. 3, et cap. *Mandata* 6, De præsumptionibus. (59. Et a fortiori tenetur detinens dictam scripturam actori consignare, et testis revelare, si actor habet jus quamvis litigiosum ad rem, in ordine ad quam inservit scriptura, quia tunc est injustus detentor in præjudicium actoris, cui ex justitia debetur sua scriptura, ut possit suum jus prosequi; sic expresse Felix Potestas, *loc. cit.*, num. 111, et alii passim.

(60. Detinens transumptum non authenticum scripturæ spectantis ad actorem, non tenetur vi monitorii illud consignare, sicuti nec testis revelare, quia simplex transumptum non authenticum non facit fidem, et monitorium debet intelligi solum de scriptura authentica, et faciente fidem. Barbosa cit. alleg. 96, num. 51, in fine, cum Suarez, Filliuc., Bonac., Machado, Homobon., ibi citatis.

(61. Sciens aliquem detinere scripturam alienam, ex quo, ipso solo præsente tanquam confidente communicavit dictam scripturam cum suo advocato, vel procuratore, non tenetur vi monitorii revelare, quia id faciendo incurreret infamiam, omnes enim, qui id scirent, recusarent ejus amicitiam, et tanquam infidelem et infamem refugerent; monitorium autem non obligat ad revelationem scripturæ, quando ex tali revelatione infamia sequitur: Diana, part. IX, tractat. 8, resolut. 48, in fine; Tancred., tom. V, tract. 4, quæst. 18; Felix Potestas, *loc. cit.*, num. 121, et alii passim.

(62. Cum quis, ne creditores, aliqua sua bona adjudicent, illa vendit in confidentia cuidam suo amico, hic amicus, si talis venditor monitus nolit satisfacere creditoribus, et nullam ipsi sequatur notabile damnum, tenetur vi monitorii revelare talia bona, quia est particeps peccati talis vendentis, quandiu enim non revelat, est causa cur talis vendens non solvat, sicuti censetur causa peccati, qui occultat bona sibi a fure ad custodiendum tradita. Bonacina, tom. I, disp. 6, *De obligat. denuntian.*, punct. 5, § 6, num. 7; Felix Potestas, *loc. cit.*, num. 184, ubi recte subjungit, quod qui occultant bona, ne ob æs alienum, vel ob delictum patratum capiantur a creditoribus, aut a fisco, tenentur ex vi monitorii revelare, quia talia bona non possunt occultari, aut retineri in fraudem creditorum et fisci, quibus de jure sunt applicata. Idem dic de contractibus ficte initis in fraudem creditorum vel fisci.

(63. Nemo tenetur denuntiare vi monitorii, quando tempore publicationis, et excommunicationis degebat extra territorium episcopi excommunicantis. *Communis*, per textum in cap. *Ut animarum* 1, De constitutionib., in 6, ibi: « Cum extra territorium jus dicenti non pareatur impune; » et cap. *Romana* 5, De sentent. excommunicat., in 6, ibi: « Porro excommunicationum sententiæ.... subjectos ejusdem jurisdictioni

Digitized by Google

Archiep. tantum ligant. » (64. Qui autem ad dictum territorium revertitur, seu ibi domicilium figit, nondum facta tertia monitorii promulgatione, tenetur revelare, si monitorii sit certior effectus, quia talis revera est subditus illius episcopi tempore, quo urget ejus præceptum. Pontas, verb. *Monitorium*, caus. 19, n. 2; Felix Potest., *loc. cit.*, num. 203, cum Bonacina, cit. disp. 6, *De obligat. denuntian.*, et alii passim. (65. Item denuntiare tenetur, qui exit a tali territorio jam facta prima monitorii promulgatione, licet exeat animo non revertendi, sed perpetuo alibi habitandi, quia satis est eum subditum fuisse illius episcopi, cum prima monitio promulgata est, quandoquidem per monitorii citationem ad revelandum jurisdictio perpetuatur; cap. *Proposuisti* 19, De foro competenti, et *Glossa, ibidem*, verb. *Præventus*, ubi expresse dicit : « Sic ergo patet, quod per solam citationem perpetuatur jurisdictio, tam ordinarii, quam delegati; » et ad id citat. l. *Si quis* 7, ff. *De judiciis*, et l. *Ubi cœptum est* 30, ff. *De jurisdict. omn. judic.* et quinque alias Pontificias decretales : Pontas, *loc. citat.*, n. 3, Barbosa, cit. allegat. 96, n. 73, cum Henriq., Sayr., Lazar., Cenuens., et aliis ibi citatis.

(66. Item a fortiori tali monitorio ligatur reus delicti v. g. furti, propter quod promulgatum est monitorium, etiamsi promulgatum sit post ejus discessum a tali territorio, quia remanet subditus ratione delicti; in cujus enim territorio quis deliquit, ejus jurisdictioni subjicitur, licet alias ei subjectus non sit; cap. *Postulasti* 14; cap. *Proposuisti* 19; cap. *Licet* 20, De foro competent.; c. *De illis* 1, De raptoribus; cap. *Placuit* 6, quæst. 3., et Authent. *Qua in provincia*, Cod. *Ubi de criminibus agi oportet*, ubi sic expresse habetur : « Qua in provincia quis deliquit, aut in qua pecuniarum aut criminum reus sit... illic etiam juri subjaceat. » Unde episcopi loci ubi talis commisit delictum furti, et hujusmodi, potest eum in alieno territorio citare, requirendo v. g. consensum episcopi illius territorii, ut permittat citationem per nuntium, aut litteras, vel ut ipse per suos ministros notificet delinquenti monitorium ab episcopo loci delicti latum, cui, si non obtemperet, excommunicationem monitorii incurrit, alias quilibet facinorosus excommunicationes justissimas facile subterfugere posset, et episcoporum potestatem contemnere, et ab eorum jurisdictione quoad delictorum punitionem se eximere malitiose in alias diœceses aufugiendo, quandoquidem ibi plecti non posset ob crimen ibi non commissum, quod nullimode est concedendum, cum fraus, et dolus nemini patrocinari debeant, textu expresso c. *Sedes* 15, cap. *Ex tenore* 16, De rescriptis; cap. *Ex litteris* 2, De dolo et contumacia; cap. *Tuæ* 12, De clericis non residentibus; et l. *In fundo*, ff. De rei vindic., l. *Cum, hi* ff. *De transact.*, et l. *Si legatarius*, Cod. *De legatis;* cum similibus. Sic Pontas verb. *Monitorium*, cas. 19, n. 4; Felix Potestas, *loc. cit.*, n. 213 et sequent., et alii passim.

(67. Superiores regulares possunt suos subditos per monitorium citare, et censuris ligare ubicunque, etiamsi extra eorum territorium existant, sive delinquerint extra, sive intra eorum territorium, quia monachus, seu regularis, ubicunque sit, semper est sub juridictione abbatis, seu superioris, quem vice Dei super caput suum imposuit ex cap. *Statuimus* 3, caus. 19, qu. 3, et cap. *Si religiosus* 27, Deelect., in 6, cum similibus. Sic Pellizzar., tom. II, tract. 9, tit. 3, n. 65; Diana, part. VI, resol. 34; Villalobos, tom. I, tr. 6., n. 16; Felix Potestas, *loc. cit.*, num. 214 et seqq., et alii communiter.

(68. Regulares, scientes rem de qua loquitur monitorium episcopi, non tenentur denuntiare, et si non revelant, non sunt excommunicati, quia sunt exempti a jurisdictione ordinariorum, adeoque quoad hoc non tenentur eis parere, nec possunt suis censuris ligari, arg. cap. *Ut animarum* 2, De constitutionib. in 6, et cap. *Romana* 5, De sentent. excomm., in 6, cum similibus, Barbosa, citat. alleg. 96, n. 80, Marcell. Vulpe, in *Praxi judiciali fori ecclesiastici*, cap. 2, n. 14, et communis aliorum.

(69. Obligati ad denuntiandum, si non denuntient intra terminum in monitorio præscriptum, qui solet esse quindecim dierum, peccant mortaliter, et incurrunt excommunicationem, nisi ignorent monitorium, vel sint legitime impediti, aut alia justa causa excusentur. *Communis.* (70. Qui autem intra terminum non revelarunt ob ignorantium monitorii, vel ob legitimum impedimentum, aut ob aliam justam causam, istis cessantibus, tenentur revelare, etiamsi elapsum jam sit tempus ad revelandum præfixum, quia terminus non apponitur ad finiendam obligationem denuntiandi, sed ad eam sollicitandam. Barbosa, dict. allegat. 96, n. 76, cum Navarro, Suarez, Escobar, Reginal., Lazar., Diana, Raynaud., Bonacina, et aliis ibi citatis.

(71. Mortuo superiore, etiam papa, intra terminum monitorii, seu edicti, exspirat monitorium, seu edictum; sicut etiam exspirat, si superior jurisdictionem amittat, quia mandata superiorum exspirant morte mandantis, sive res sit integra, sive non, quando non dantur per modum legis universalis, sed simplicis præcepti, ut fit in monitorio : Cabassut., *Juris canon. theor. et prax.*, lib. V, cap. 15, n. fin.; Graffius, *Decis. aur.*, lib. IV, cap. 2, n. 26; Leander, *De censuris*, tract. 1, disp. 4, q. 23; Tancred., tom. V, tract. 4, quæst. 7, n. 5; Felix Potestas, verb. *Monitorium*, cas. 16, et alii. (72. Si autem censura jam fuerit contracta ante superioris mortem, non tollitur per ejus mortem, ut tenent supracitati doctores, sed per absolutionem, quæ in monitoriis solet reservari, et impendi, nisi satisfacta parte, nempe nisi obediat. Qua satisfactione peracta, seu obedientia præstita etiam executor monitorialium papalium potest ab ea absolvere,

Digitized by Google

uti resolutum fuisse asserunt Raynaud, et Marc. Ant. apud Barbos., cit. allegat., 96, n, 42. (73. Et etiam confessarii privilegiati, uti regulares, qui, satisfacta parte, habent privilegia absolvendi in foro conscientiæ ab omnibus excommunicationibus reservatis pontifici, exceptis contentis in bulla Cœnæ, et aliis sex casibus intra Italiam, et extra Urbem de mandato Clementis VIII reservatis, ut patet ex adductis sub verb. ABSOLUTIO, art. 1. a n. 41 et verb. EXCOMMUNICATIO, art. 7, n. 2. (74. Ab excommunicatione vero lata, et sibi specialiter reservata in monitorio ab episcopo non possunt regulares absolvere sine speciali ejusdem facultate, ut patet ex adductis sub d. verb. ABSOLUTIO, art. 1, n. 41, sed potest absolvere solus ipse episcopus, vel ejus delegatus, vel ejus successor, pro quo venit etiam capitulum sede vacante ; et in casu appellationis potest ab ipsa solvere metropolitanus, et legatus Sedis Apostolicæ, et summus Pontifex semper, ut patet ex adductis sub. d. verb. EXCOMMUNICATIO, art. 7, n. 3, ad 7.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(75. De prælatis vere, et proprie nullius diœcesis, quæstio est inter doctores, an concedere valeant monitoria, de quibus hoc in articulo agitur (76. Affirmant nonnulli, ea moti ratione, quod concilium Tridentinum, sess. XXV, cap. 3, *De reformat.*, tametsi jus concedendi hæc monitoria videatur concedere episcopis, nomine tamen episcoporum veniunt et prælati vere, et proprie nullius ; vide Raynaud., *De monitor.*, part. 1, quæst. 8, tum ab eo citatos.

(77. At prævaluit opinio negativa, quam ultra allegatos ab auctore hic, n. 8, innixi pluribus resolutionibus sacræ congregationis ejusdem concilii interpretis sequuntur Gallemart. ad concil., *loc. cit.*, Fagnan., in cap. *Accedentibus*, n. 25, De excess. prælator.; cardinal Petra *ad constitut. 4 Callisti III*, sect. 7, n. 64, et seq. Clement. *Concord. Pastoral.* part. II, cap. 23, n. 2 et seqq. Utitur enim concilium non modo dictione taxativa, sed et universali negativa : « a nemine, præterquam ab episcopo, » quæ dictio negat omnia possibilia, et magis negat, quam affirmativa affirmet. Cui ad majorem expressionem subsequitur, vigoremque addit dictio *prorsus*, quæ est præcisa, absolutamque excludendi voluntatem in proferente demonstrat. Quocirca etiamsi prælati vere, et proprie nullius venire soleant nomine episcoporum ; fallit id, ubi contraria, ut hic, est voluntas loquentis.

(78. Quod ait auctor n. 12 esse monitoria illis tantum concedenda, quorum interest, id non est ita intelligendum, ut interesse petentium ipsa monitoria sit plane exploratum. Recte enim Raynaudus, *De monitor*, part. I, c. 1, quæsit. 12. « In dubio quoque (ait) potest ei concedi monitorium, si alioqui periclitaretur res, pro qua monitorium petitur, ita ut, nisi tunc obtineretur monitorium, esset postea futurum, ut, comperto et declarato juridice petentis jure, dilapidata et aversa fuisset. »

(79. Nec est indistincte verum, quod asserit auctor n. 21 concedi haud debere monitoria, quando personæ sunt certæ, propterea quod suppetunt tunc remedia ordinaria. Distinguenda enim est materia spiritualis a materia temporali et in materia hac temporali distingui debent personæ ecclesiasticæ a laicis.

(80. In materia spirituali, si episcopus opportunum id esse censuerit, poterit urgere per monitorium personam certam ad præstandum, quod debet, maxime ubi alia media non sint ad manum, vel difficiliora appareant. Hæc enim materia cum per se, et directe pertineat ad judicem ecclesiasticum, non prohibetur ipse uti medio efficaci, cujusmodi est monitorium, ut adigat ad præstandum, circa eam, quod ratio postulat. Raynaud., *De monitor.*, part. I, cap. 1, quæsit. 8.

(81. In materia temporali idem juris obtinet ; si persona sit ecclesiastica. Subest enim hæc persona foro ecclesiastico. Nil propterea vetare potest, quominus adigatur ea ad præstandum, quod debet, adhibito valde efficaci medio, scilicet intenta per monitorium excommunicatione. Idem auctor *ubi supra*. Confer etiam Suarez, tom. V, III part. d. 20, sect. 1, n. 13, et Avil., II, p., cap. 5, disp. 2, dub. 1, conclus. 2.

(82. At res aliter in materia hac temporali se habet, si persona sit laica. Hoc enim in casu sibi vindicat, quod indistincte et male dicitur, non posse concedi monitorium, ubi persona est certa. Ratio autem est, quod persona laica habet judicem proprium adeoque coram eo conveniri potest, et debet via ordinaria, ubi est certa. (83. At, cum persona, quæ læsit, occulta est et incerta, tunc judex sæcularis cogitur feriari, propterea quod vim non habet aliter urgendi conscientiam, quam per præceptum, caretque vi coactiva interius. Quapropter recurri debet ad judicem ecclesiasticum, qui per censuram generalem etiam personas incertas potest ad officium compellere ; Raynaud., *ubi supra*.

(84. *Vide* et alia de monitoriis apud mox laudatum auctorem.

MONOPOLIUM.

SUMMARIUM.

1. Monopolium unde dictum ? — 2. Monopolium quid sit ? — 3. Monopolium committitur pluribus modis, qui assignantur. — 4. Monopolium committunt, qui statuunt, ne quis accedere possit ad aliud molendinum, vel ad aliud furnum, quam ad illum talis domini. — 5. Item monopolium committunt laniones, qui certam tantum quantitatem carnis ad lanienam deferunt, ut illam carius vendant. — 6. Item monopolium committunt aromatarii statuentes, quod nullus ex eis possit dare coram hæredibus defuncti pro ipsius exsequiis, nisi prius solverint eisdem aromatariis totum id, quod defunctus debebat. — 7. Pecuniam undique congestam ita ad se redigentes, ut quasi monopolium pecuniæ facere videantur, monopolii pœnis sunt puniendi. — 8.

Digitized by Google

Mercatores conventione conspirantes, ut non nisi pretio summo vendant, et non nisi pretio infimo emant, monopolium committunt, et peccant contra justitiam cum obligatione restituendi. — 9. Adducuntur jura pro nostra assertione. — 10. Possunt autem principes seu magistratus ex justa causa licite concedere uni, vel pluribus, ut ipsi soli certas merces vendant. — 11. Imo principes talia, et similia privilegia vendere solent, et licite possunt ad subveniendum necessitatibus urgentibus in bonum commune, si concurrant conditiones requisitæ ad justum tributum, seu gabellam. — 12. Alia ad rem ad n. 13. — Subnect. *Addit. ex aliena manu* ad n. 19.

(1. Monopolium est sic dictum a verb. Græco μόνος, quod est *unum*, et πολέω, quod significat *vendere*, ut observant Silvester, in *Summa*, verb. *Monopolium*; Brugiot., *Institut. crimin.*, lib. II, tit. 16, n. 2; Ursaya, *Institut. crimin.*, lib. II, tit. 4, n. 7, et alii. (2. « Unde monopolium est, quo unus, vel plures mercatores inter se propria auctoritate conveniunt, ut coemendo merces certi generis, eas carius divendant, efficiendo in præjudicium reipublicæ, ut vix alibi inveniri possint. Sic in re communis. »

(3. Monopolium committitur multipliciter, et 14 modos recenset Azeved., *Recopil.*, lib. VIII, tit. 14, l. IV, per tot.; Armendar. autem *ad leges Navarr.*, lib. III, tit. 20, *De confratr.*, n. 2, secutus ab Ursaya. *Institut. crim.*, lib. II, tit. 4, n. 9, duodecim modos numerat: nempe quando illicitæ pactiones concurrunt, aut paciscuntur, ut species diversorum corporum negotiationis, non minoris, quam inter se statuerint, alicui vendantur: quando homines congregati inter se conspirant, et impediunt, ne aliquis deponat in tali causa, quæ forte concernit dominum talis loci civem, aut alium; si quis conetur impedire, ne quis exerceat negotiationem vini, aut alterius rei præter eum, etiam in vim rescripti principis; si aliqui conveniant, ne deferant frumentum in mercatum proximum, ut dominus illius loci vendat suum, vel ut homines illius loci prius suum vendant; si aliqui conveniant, quod alicui habenti possessionem ruri nullum præstetur auxilium, ne quis laboret in possessionibus illius; si artifices inter se paciscantur, ne ullus ipsorum in illa arte instruat alios, nisi filios, aut nepotes illorum; si ipsi paciscantur, ne recipiant aliquem addiscentem, nisi immensum det pretium singulis annis, et quod non ostendent ei, nisi remaneat per tres annos, id quod possent docere eum in uno anno; si cives conveniant, ut officinæ et stationes tali pretio, et non minori locentur, vel si locatores equorum conveniant, quod non locabunt equos, nisi tali pretio, vel si domini domorum conveniant, ut augeatur in immensum pensio domorum; si mercatores agant, ne alius deferat frumentum, vel vinum, seu alia venalia, donec ipsi vendiderint, vel quod naves aliorum impediantur, vel retineantur. Qui dat arrhas in emptionem omnium aromatum civitatis, ut postea ipse carius vendat. Item, si quis emat totum frumentum, ut alii ab eo emant. Si mercatores nemorum, vel alii conveniant, ne emant jugerum, vel arpentum lignorum, vel alias merces, nisi in tali pretio. Si artifices conveniant, ne quis, quod alteri commissum sit opus, impleat, aut ne injunctam alteri sollicitudinem alter incipiat. Zaul.; tom. I, lib. III, rubr. 30, n. 32.

(4. Monopolium committunt, qui statuunt, ne quis accedere possit ad aliud molendinum, vel ad coquendum panem ad aliud furnum, quam ad illum talis domini. Decian., lib. VII, cap. 21, n. 21; Conciol., *Resolut. crimin.*, verb. *Monopolium*, resolut. 1, n. 2; Cohell., *ad Bull. bon. regim.*, c. 31, sub n. 228; Ursaya, *loc. cit.*, n. 28, et alii.

(5. Item ex eadem ratione monopolium committunt laniones, qui certam tantum quantitatem carnis ad lanienam deferunt, ut illam carius vendant. Jodoc., in *Prax. crimin.*, cap. 132; Ursaya, *loc. cit.*, n. 29, et alii.

(6. Item monopolium committunt aromatarii statuentes, quod nullus ex eis possit dare ceram hæredibus defuncti pro illius exsequiis, nisi prius solverint eisdem aromatariis totum id quod defunctus debebat. Farin., in *Pragm. crimin.*, verb. *Monopolium*, resolut. 1, n. 4; Ursaya, *loc. cit.*, n. 30, et alii.

(7. Pecuniam undique congestam ita ad se redigentes, ut quasi monopolium pecuniæ facere videantur, monopolii pœnis sunt puniendi. S. Pius V, constit. 118, *In eam*, § 3, *Quicunque;* Nicol., in *Flosc.* verb. *Pecunia*, n. 2.

(8. Mercatores conventione conspirantes, ut nonnisi pretio summo, seu rigoroso vendant, et nonnisi pretio infimo emant, monopolium committunt, et peccant contra justitiam cum obligatione restituendi, quia respublica videtur habere jus, ne fiant hujusmodi monopolia in damnum ipsius. Quamvis enim tale pretium summum respectu venditionis, et pretium infimum respectu emptionis per se sistat intra limites justi pretii, ratione tamen dictæ iniquæ conventionis evadit injustum, quia, ipsa exclusa, plures mercatores venderent, et respective emerint pretio medio, et alii interdum venderent pretio infimo, et emerent pretio summo; quod cederet in maximum reipublicæ beneficium. Unde cum talis iniqua mercatorum conventio privet rempublicam hoc maximo beneficio, ad quod habet jus, videtur esse omnino contra justitiam, et obligare ad restitutionem. Sic tenent Rebellus, Sotus, Navarrus, Palatius, Ledesma, uterque Medina, Valentia, Armilla, Silvester, Conradus, et alii apud Salas, dub. 37, n. 3, et apud card. de Lugo, tom. II, dist. 26, sect. 12, n. 172, ubi cum Diana subjungit, quod id maxime locum habet, quando aliquid sub hasta venditur, contra Molinam, Lessium, Aragon., Baun, Vegam, Angles, et alios dicentes tales mercatores non peccare contra justitiam, nec obligari ad restituendum.

(9. Nostra autem assertio innititur juris regulæ a Greg. IX laudatæ in c. *Si culpa* 9, De injuriis et damno dato, ibi: « Qui occasionem damni dat, damnum dedisse vide-

Digitized by Google

tur : » et ex l. *Jubemus*, unica, cod. *De monopoliis*, ubi gravissime prohibetur sub pœna privationis omnium bonorum, et exsilii perpetui, ne aliquis, aut aliqui obtineant, ut per ipsos solos merces aliquæ vendantur; et sub pœna 40 librarum auri prohibetur, ne mercatores inter se conveniant de non vendenda merce infra certum pretium, vel de non emenda ultra tale pretium. Et ne artifices, aliique operarii conveniant, ne unus prosequatur opus ab alio cœptum, et hujusmodi. *Vide* in cit. Cod. dictam legem, ubi plura similia monopolia prohibentur sub pœna privationis omnium bonorum, et exsilii perpetui, ibi : « Si quis autem monopolium ausus fuerit exercere, bonis propriis exspoliatus, perpetuitate damnetur exsilii. » *Vide* verb. CONTRACT. EMPTION., art. 1, num. 44 et 45.

(10. Possunt autem principes seu magistratus ex justa causa licite concedere uni, vel pluribus, ut ipsi soli certas merces vendant, ut sic illi curam, et sollicitudinem habeant providendi de abundanti mercium copia populo necessaria, vel de aliqua mercium specie populo valde utili, quia sine tali privilegio non reperiretur, qui vellet talem mercium abundantiam, vel speciem ad reipublicæ beneficium, et commodum providere, ne se exponeret periculo amittendi magnos sumptus sine lucro. Sic etiam licite conceduntur typographis et bibliopolis privilegia, ut ipsi soli vendant tales libros. Sicuti et inventoribus alicujus machinæ, seu artificii reipublicæ utilis justissime in præmium suæ inventionis talia privilegia conceduntur, cum sic ad reipublicæ beneficium foveatur, et promoveatur alacritas, et industria inventorum, auctorum, typographorum, quorum alacritas et industria potius in maximum reipublicæ detrimentum remoraretur, si alii, qui non laboraverunt, possent eorum metere messes, et in labores eorum introire eaque libere ac ipsi vendendo eorum operas.

(11. Imo principes talia, et similia privilegia, v. g. quod pauci soli privative quoad alios possint vendere quædam specialia victualia, aromata, tabaccum, et hujusmodi, vendere solent ad subveniendum necessitatibus urgentibus in bonum commune. Ad cujus tamen justitiam, et ad evitandum monopolium debent concurrere conditiones, quas diximus requiri sub verb. GABELLA, ad impositionem tributi, seu gabellæ; et considerandum est, an bonum commune, ad quod talia privilegia venduntur, et utilitas communis, quæ ex tali venditione resultat, præponderet damno, et gravamini, quod subditis ex tali venditione accressit. Alias sicut tributum, seu gabella, sic talis venditio injusta esset, cum obligatione restituendi tam ex parte vendentis, quam ex parte ementis talia privilegia. Sic expresse card. de Lugo, tom. II, disp. 26, sect. 2, n. 171 ; Molina, Lessius, Salas, et alii passim. *Vide* verb. GABELLA.

(12. Monopolia super segetibus, leguminibus, olivis, et hujusmodi, rigorosis sub pœnis prohibentur; Benedict. XIV, tom. II, constitut. 53, incip. *Quo die*. (13. Monopolii nomine non intelligitur licita et honesta mercatura, qua merces in uno loco emptæ, ad alium locum vendendæ deferuntur. Idem, *ibid.*

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(14. Varii varie definiunt monopolium. At opus haud est de accurata hujus vitii definitione allaborare, cum ex modis, quibus monopolium committitur facile, quid sit, cognosci possit.

(15. Prostat, hanc in rem saluberrima imperatoris Zenonis constitutio, quæ habetur in leg. unic. cod. *De monopol.* Ex ea facili negotio quot monopoliorum species, et quæ tam monopoliis, quam illis, qui se pactis labem monopolicam sapientibus constringunt, pœna infligenda sit, colligere licet.

(16. Sunt autem monopolii species palmariæ tres. I. Quod quis monopolium committat, quando certum mercaturæ genus, e. g. vestium, librorum, etc. sibi arrogat, ut vendere solus possit. II. (17. Incurrunt crimen hoc ii, qui, illicitis habitis conventionibus, jurant, vel paciscuntur, ut species diversorum corporum negotiationis non minoris, quam inter se statuerint, vendantur. III. (18. Ædificiorum artifices, vel ergolabi, aliorumque diversorum operum professores et balneatores crimen hoc incurrunt, quando pacta inter se componunt, ne quis artifex quod alteri commissum est opus impleat, perficiat, aut injunctam alteri sollicitudinem alter intercipiat. *Vide* dict. leg. unic., tum quæ in ejus comment. habet Brunnem.

(19. Nota vero prohibita esse monopolia, si per ea certorum mercatorum promoveatur commodum, bonum vero publicum damno afficiatur. Cæterum res aliter se habet, si tendant monopolia in utilitatem reipublicæ, ejusque commodum inde augeatur; tunc enim privatis, non minus consensu principis quam principibus ipsis honesta monopolia exercere fas est hoc fine, ut sufficiens copia rei adsit, qua carere nequimus, et ut ea mercatorum sordibus subtracta æquo semper comparetur pretio. Confer Stryk., *Juridic. dissert.*, vol. III, disp. 19, cap. 2, n. 116, et plurib. sequent.

MONTES PIETATIS.

SUMMARIUM.

1. Montes pietatis quid sint? — 2. Montes pietatis unde originem habuerint, et qui primi fuerint eorum inventores, et promotores? — 3. Primus mons pietatis erectus fuit Perusii. Deinde in fere omnibus Italiæ urbibus, id semper suadentibus, et propugnantibus fratribus Minoribus de Observantia, ad n. 4. — 5. Montes pietatis, quamvis multum controversi ut usurarii, tamen sunt definiti a Sede Apostolica tanquam sine labe usuræ liciti, et meritorii, concessis insuper indulgentiis manus adjutrices ad ipsos porrigentibus. — 6. Quinimo sub pœna ex

Digitized by Google

comm. latæ sententiæ prohibetur, ne quis contra ipsos audeat prædicare, et disputare. — 7. Tales montes pietatis enumerantur a concilio Trident. inter alia opera pia. — 8. In montibus pietatis tres potissimum nunc leges existunt, et assignantur. — 9. A Summis Pontificibus non permittuntur montes pietatis ut plurimum erigi, nisi ad præscriptum concilii Lateranensis, et præsertim, ut recipi non possit, nisi quid moderatum non excedens summam duorum, vel trium pro centenario. —10. Aliquando tamen ob justas causas permittunt, ut possint recipi quinque pro centenario.—11. Montes pietatis erecti sub conditione, quod deponentibus ibi suas pecunias solvant quinque pro centenario, possunt totidem exigere a suis mutuatariis, et adhuc alia duo necessaria pro expensis faciendis.—12. Montis pietatis ministri in necessitate præferendi sunt aliis indigentibus. — 13. Montis pietatis ministri pauperes disponentes de bonis montium in proprios usus, tenentur servare conditiones, quas servant alii pauperes.—14. Montis pietatis ministri disponentes de bonis montium in præjudicium pauperum, ad quid teneantur?—15. Montis pietatis ministri an possint impendere partem pecuniæ non necessariam subventioni pauperum in proprios usus, et necessitates? — 16. Item, an possint pecuniam montis non solum in proprias necessitates, sed etiam in propria negotia impendere, quando non est necessaria ad usus pauperum. — 17. Alia ad rem cum add. ex aliena manu, allata ad hoc const. Ben. XIII, ad n. 29.

(1. Montes pietatis sunt ærariæ, aut granaria publica piorum hominum liberalitate ad hunc finem erecta, ut ad ipsa, tanquam ad montem, confidenter refugere possint indigentes, et ea in promptu sint ad mutuandum sub pignoris cautione ipsis indigentibus, et occurrendum usuris, quas pro sua indigentia usurariis, præsertim Judæis solvere cogebantur. *Communis.*

(2. Ex quo enim plurimi usurarii, et præsertim Judei, observantes temporum et personarum calamitates ex aliorum inopia messem facerent, suas per immoderatas in mutuis usuras brevi fere totam sortem absorbendo, et pauperes Christianos fere ad extremum depauperando, pietate et misericordia motus, B. Barnabas Interamnensis nei Seraphici Ordinis Min. de Observantia, primus omnium Perusii. (* Non Perusii, sed Urbiventi (*Orvieto* primus mons pietatis erectus fuit, et cum id negotii in Apostolica Camera examinatum fuisset jussu Pii II a cardinali Ostiensi tunc Apostolici fisci præfecto (*camerarium* vocant) confirmatus. Ipse tamen Pius Pontifex postea breve pro hoc instituto, quod *Montem Christi* appellabant, dedit 3 Junii an. 1463, quod refert Bernardinus de Bustis in *Defensor.*, tr. 2, p. 4. Circa idem tamen tempus Perusinus quoque mons pietatis constitutus fuit *), Montem pietatis excogitavit, promovit, atque erexit, ut sic pauperes Christifideles a dictis immoderatis usurariis oppressionibus redimeret. Cum enim Perusii sub Pio II Summo Pontifice conciones ad populum haberet, hoc prius inexcogitatum remedium adinvenit, ut ex cumulo pecuniæ pie collecto exinde mons pietatis nuncupato mutuum præstaretur egenis, accepto pignore, et denariolo, vel summa aliqua per singulos menses detentæ pecuniæ convertendis in stipendium ministrorum, aliasque ad id necessarias expensas. Adinventionis consilium iniit cum Patre Fortunato de Cepolis Perusino ejusdemet ordinis Minorum de Observantia, viro utriusque juris peritissimo, qui rem hanc insolitam mature perpendens, insuperque Academiæ magistros consulens, omnibus istis, nemine dempto, excogitatum approbantibus, statuit id opus plurimum esse laudabile ac pium, ab omni censuræ labe alienum, adeoque summopere promovendum. Inde dictus beatus Barnabas cœpit ea in urbe declamare contra insatiabilem Hebræorum cupiditatem, fere totum suis in usuris pauperum Christianorum sanguinem exsugentem, ac suis ferventissimis, qua privatis, qua publicis exhortationibus pios viros, et divites cives animare, ut collectis, ac collatis eleemosynis, cumulum, seu Montem erigerent perpetuo conservandum, ex quo miseriis pauperum sublevandis pecuniæ erogarentur, in eumdem montem iterum congerendæ. Nec nimium ei insudandum fuit, ut Perusinorum animos de se pietatis operibus satis addictos ad id inclinaret; * præsertim in pium hoc opus conspirantibus Hermolao Barbaro Veronensi episcopo, urbis illius gubernatore, et Jacobo de Cortona ejusdem Perusinæ urbis episcopo. * Ad primam enim concionem ita liberali, ac prompta manu suas pecunias ac facultates cives congesserunt, ut ad ditissimum ac copiosissimum montem, eumque omnium primum illic erigendum abunde sufficerent. Wading., tom. XIV, alias IX, ad annum 1474, num. 11.

(3. Vix autem excellentissimum hoc misericordiæ genus, et sacrum pauperum levamen innotuit, statim plures habuit acerrimos contradictores, hujusmodi montem pietatis tanquam usurarium damnantes, eo quod ultra sortem quidpiam exigeretur. Quapropter, re ad publicam concertationem coram toto magistratu civitatis, magistris, et scholasticis universitatis, clero, et religiosis ordinibus deducta, ac acerrime discussa, et tandem merito pro Minoribus (quorum præcipui defensores erant dicti beatus Barnabas et Fortunatus) lata sententia, confestim cives, præmissa solemni supplicatione, uno, alacrique animo piissimum adinventum, et egregie propugnatum, ac defensum a Minoribus de Observantia opus plene stabilierunt. Wading., *loc. cit.*, n. 12.

(4. Eximium hoc Perusinorum pietatis opus plurimæ, præsertim Italiæ, urbes secutæ, ubique id suadentibus Minoritis, et signanter S. Jacobo de Marchia, B. Marco a Bononia, B. Angelo a Clavasio, B. Bernardino a Feltria, Michaele a Carcano, Antonio Vercellensi alios pietatis montes erexere. Wading., *loc. cit.*, num. 13. (5. Sed ubique non pauci contradictores obstitere qua verbis, qua scriptis, et in specie Cajet., tom. II, opusc. 6; Sotus, lib. VI *De justitia*, q. 1, art. 6, et Silvester, verb. *Usura* 5, q. 4, et eousque processit contentio, ut sermonibus

Digitized by Google

publicis, et conscriptis variis libris, fuerit respondendum, et tanquam licite sine labe usuræ tales montes pietatis fuerint propugnandi, uti pro talibus juxta Minorum de Observantia piam sententiam recognoverunt plures Summi Pontifices, scilicet Pius II, Paulus II, Sixtus IV, Innocentius VIII, Alexander VI, et præcipue Leo X, qui in concilio Lateranensi, sess. x, sacro approbante universali concilio, relatis variis sententiis, et re mature examinata, dictos montes pietatis uti a dictis sanctis, et in magna ob sanctitatis opinionem existimatione habitis viris adinventos, et promotos, et a supradictis Summis Pontificibus approbatos, licitos, et pios, atque meritorios etiam cum indulgentiarum acquisitione esse definivit, edita ad id expresse constit. incip. *Inter multiplices*, in qua § 4 sic habet : « Nos.... sacro approbante concilio, declaramus, et definimus, montes pietatis antedictos per respublicas institutos, et auctoritate Sedis Apostolicæ hactenus probatos, in quibus pro eorum impensis, et indemnitate aliquid moderatum ad solas ministrorum impensas, et aliarum rerum ad illorum conservationem (ut præfertur) pertinentium, pro eorum indemnitate duntaxat ultra sortem absque lucro eorumdem montium recipitur, neque specimen mali præferre, nec peccandi incentivum præstare, neque ullo pacto improbari; quinimo meritorium esse, ac laudari, et probari, debere tale mutuum minime usurarium putari, licereque illorum pietatem et misericordiam populis prædicare, etiam cum indulgentiis a sancta Sede Apostolica eam ob causam concessis. » Wading., *loc. cit.*, n. 13.

(6. Quinimo Leo X in eadem constitutione, § 5, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ prohibet, ne quis de cætero contra dictos montes prædicet, aut verbis, vel scriptis audeat disputare, ibi : « Omnes autem religiosas et ecclesiasticas personas, qui contra præsentis declarationis, et sanctionis formam de cætero prædicare, seu disputare verbo vel scriptis ausi fuerint, excommunicationis latæ sententiæ pœnam, privilegio quocunque non obstante, incurrere volumus. »

(7. Hinc tales montes pietatis a concil. Trid., sess. XXII, cap. 8, *De reformat.*, inter alia opera pia connumerantur.

(8. In dd. montibus pietatis tres potissimum nunc leges existunt. Prima, ut mutuum usque ad certam quantitatem detur non divitibus, sed pauperibus. Secunda est, ut mutuarii dent pignus a ministris montium custodiendum, et exinde vendendum, si præfixo tempore mutuum non restituatur, ut ex pretio montes recuperent suam sortem, et mutuatarii residuum, si quod sit, tanquam suum recipiant. Tertia, quia pro custodia et conservatione pignorum, pro conductione domus, pro alimentis, et stipendiis ministrorum, et aliis ejusmodi, expensæ continuæ fiunt, quæ, si ex ipsis montium pecuniis deducerentur, summa capitalis in Reipublicæ pauperum detrimentum brevi deficeret, exigitur a singulis mutuatariis sine ipsorum montium lucro aliquid exiguum ultra sortem v. gr. duo, vel tres in anno pro centum.

(9. Unde a Summis Pontificibus non permittuntur montes pietatis ut plurimum erigi, nisi ad præscriptum concilii Lateranensis, et præsertim, ut recipi non possit, nisi quid moderatum pro expensis ministrorum, et ipsorum montium non excedens summam trium pro centenario, ut declaravit sacra cong. Conc. *in Avenionen.* 26 Maii 1612; *in Tudertina* 17 Augusti 1626; *in Theatina* 5 Julii 1627; *in Lucerien.* 27 Maii 1643, et *in Mutinensi de finali* 22 Aug. 1737, censuit lucrum pignorum non posse permitti ultra tria pro centenario, et cum clausula, si dicta summa sit necessaria pro ministrorum salario, et aliis expensis montis subeundis, vel bina, ut *in Cremonen.* 31 Maii 1580, et *in Vercell.* 8 Octob. 1628, vel singula tantum, si sufficiant, ut *in Messanen.* 11 Aprilis 1685 et in aliis sæpe, rejecta opinione contraria. Quinimo die 28 Aug. 1582 declaravit, nullo modo permitti debere, ut detur pecunia monti ad finem consequendi ex ea aliquos fructus licet minimos. Et si quæ sub hac conditione mutuata inveniatur, omnino restituatur. Et sacra congregat. super Episcopis, et Regularibus declaravit, quod, si mons potest manuteneri solvendo etiam mercedem operariis, et aliis ministris ex suis propriis reditibus, nihil exigere potest pro mutuis, alias solummodo tantum id, quantum est necessarium pro supradicta manutentione, et expensis necessariis loci, et ministrorum juxta constitutionem Leonis X in conc. Lat., ita *in Cotronen.* 28 April. 1599, et *in Faventina* 6 Septemb. 1604, dummodo non excedant trina pro quolibet centenario, ut *in Viglevanen.* 19 Jan. 1607, et *in Derthonen.* 11 August. 1625, vel ad summum quaterna, ut *in eadem Contronen.* 28 April. 1599, sic ad litteram Pignatell., tom. IV, consul. 153, n. 4. (10. Qui *ibid.*, n. 5, ad primam controversiam : « An impertienda sit licentia erigendi montem, qui volentibus apud ipsum deponere proprias pecunias, solvat lucrum ad rationem quinque pro centenario, idque lucrum pro sui indemnitate exigat a suis mutuatariis? » Sic præcise subjungit : « At nihilominus ob causam necessariæ sublevationis pauperum consueverunt ex indulto Pontifices aliquando dictam summam concedere, et in specie fuit concessum monti pietatis Bononiæ, Mutinæ, Veronæ, et Ferrariæ, ut in indulto, quod legitur apud Pasqualig. *Decis. moral.*, dec. 133, n. 6. Idque ratione lucri cessantis, et damni emergentis, seu indemnitatis ipsorum deponentium, ut latius post alios firmat Pasqualig., n. 11 et seq., ubi etiam n. 18 respondet ad cap. *Super eo*, De usur., quod confirmat decis. 184, per tot., et dec. seq., n. 6 et 7. Unde nonnisi cum temeritate asseri potest, Summos Pontifices, eorumque ac curiæ Romanæ officiales, qui diligentissimi esse solent, ac prudentissimi, errasse, ut ponderat Salon., quæst. 78, sub.

Digitized by Google

n. 3, art. 3, et latissime comprobat Fragos. *De regim. reipubl. eccles.*, part. I, lib. VI, tota disput. 20. » Hæc ille.

(11. Ad secundam autem controversiam : « An idem mons pietatis exponens postea mutuatariis dictas pecunias possit exigere ab iis septem pro centenario? » Idem Pignatell., *loc. cit.*, n. 13, merito respondet, posito, quod mons erigatur sub conditione, quod deponentibus solvat quinque pro centenario, sequi quod totidem exigere possit a suis mutuatariis cum reliquis duobus, quæ sunt omnino necessaria pro omnibus expensis pro montis conservatione, juxta citatam constitutionem Leonis X incipient., *Inter multiplices*. Et sic tenent Abbas in cap. *in Civitate*, circa finem, De usuris; Alexander, in l. *Item quia*, § 1, n. 2, ff. *De pactis;* Rosignol., *De mutuo et usuris*, contract. 3, disquisit. 5, § 1, n. 2; Azorius, part. III, lib. V, cap. 9, quæst. 2, citans alios; Reginald., lib. XXV, cap. 11, n. 209; Philiarch, lib. V *De offic. sacerd.*, cap. 21, § *Quo ad primum*, Scacc., *De commerc.*, § 1, q. 1, n. 151 et 162, cum seq.; Molina, tom. I, *De instit.*, disput. 325; Bonacina, tom. II, disp. 3, *De contract.*, q. 3, punct. 12, n. 3; Lessius, *De justit.*, dub. 23, n. 194; Filliuc., tract. 34, tom. II, c. 9, n. 183, et Pasqualig., *Decis. mor.*, 186, a n. 4, decis. 187, n. 2 et 3, decis. 188, cum binis. seq., et decis. 204, n. 2, ita ut ea dec. 186, n. 5, adeo hanc sententiam veram existimet, ut oppositam censeat non posse probabiliter sustineri.

(12. Montis pietatis ministri in necessitate præferendi sunt aliis indigentibus. Rosignol., *De mutuo et usuris*, contract. 3, disquisit. 5, n. 3, et alii.

(13. Montis pietatis ministri pauperes disponentes de bonis montium in proprios usus, tenentur servare omnes conditiones, quas servant alii pauperes. Rosignol., *l. c.*, n. 6, et alii passim.

(14. Montis pietatis ministri disponentes de bonis montis in præjudicium pauperum tenentur ad compensandum eis, si constet quinam fuerint. (15. Secus ad exonerationem debiti erga ipsum montem. Rosignol., *l. c.*, n. 5. Vide ipsum ibi, ubi sub n. 2 concludit et probat, quod montis pietatis ministri possunt impendere partem non necessariam subventioni pauperum in proprios usus : imo etiam partem aliquam necessariam, si ipsi vere sint pauperes. (16. Et sub n. 3 concludit et probat, quod montis pietatis ministri possunt pecuniam montis, non solum in proprias necessitates, sed etiam in propria negotia impendere, quando non est necessaria ad usus pauperum, dummodo tamen nullum subsit periculum amissionis et eveniente casu, quo mons ipsa pecunia indigeat, sit prompta, ac parata, alias, supervenientibus pauperibus, tunc certe illi providere tenerentur alia pecunia, vel non providendo, tenerentur ad compensationem damnorum ipsis pauperibus provenientium et ratio conclusionis est, qui ex hoc nulla oritur læsio in montem nec gravamen in pauperes. Non primum, quia nihil obesset monti, sive pecunia ibi servetur mortua, sive implicetur. Non secundum, quia jam sufficienter omnibus pauperibus provisum supponitur. Non de facili tamen est id consulendum et ad praxim reducendum, cum non pauca subsint pericula in detrimentum montium et gravamen pauperum.

(17 * In montibus pietatis de novo erigendis nihil ultra sortem exigi potest ab iis, qui mutuum ab eo accipiunt, etiam titulo expensarum, « nisi Apostolicæ Sedis dispensatione, » ut ex decreto S. congreg. Concilii *in causa Neapolitana* die 7 Februarii 1737. Sicut neque absque beneplacito ejusdem Sedis plus exigi potest, quam antea fuerit consuetum, etiamsi hoc augmentum necessarium censeatur pro sustentatione ministrorum, ut ex alio decreto sac. ejusdem congregat. Si vero plus exigatur quam opus sit ad expensas necessarias, tenetur episcopus moderari istas usuras; tutius est autem, quod consultet de hac re sacr. congreg. *De synodo diæc.*, lib. VII, cap. 48, § 2 et 3 *. Per sese, ut singuli montes pietatis erigantur, vel etiam causis piis adnumerentur, auctoritas principis et episcopi sufficit, si forma a Lateranensi concilio præscripta servetur. Dispensatione itaque Apostolica erigi ii solum montes possunt, qui ab ea forma vel parum abludunt ; quo spectant sac. congregationis decreta hic indicata *.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(18. Montes quos vocant *pietatis* constituuntur in urbibus, ut hac ratione publicis necessitatibus, vel pauperibus consulatur. Justitia autem horum montium pendet ex legibus, quibus constituti sunt, vel exercentur. Agendum idcirco de speciebus eorum saltem usitatioribus et quid de illis sentiendum sit, paucis exponendum.

(19. Prima species est, cum acervus ille publicæ pecuniæ gratis indigentibus distribuitur, ita ut debitores nihil restituere ultra sortem teneantur. De ejus autem justitia non est quod verba faciamus, nam ea per se patet.

(20. Altera species est, cum pecunia ea lege distribuitur indigentibus, ut præstent ultra sortem modicum quid pro modo et ratione pecuniæ acceptæ et temporis, ad solvenda stipendia eorum, qui montem regunt et ad explicanda ea omnia, quæ necessaria sunt ad montis conservationem. (21. De justitia autem hujus speciei, quamvis olim in utramque partem maxima animorum contentione fuerit disputatum, probata tamen ea fuit a Paulo II et aliis Pontificibus, tum demum a Leone X in concilio Lateranensi, sess. X, ut refert auctor, n. 5 et sequent.

(22. Cavendum tamen in hac specie, ne plus exigatur, quam sit necessarium ad montis conservationem. Illud enim, quod superexigitur, licet videatur rebus montis accrescere, illicitum est et restitutioni obnoxium, quia concilium Lateranense ea-

Digitized by Google

tenus permittit ultra sortem aliquid præstari, quatenus res montis salva maneat, ut indicant verba illa « absque montium hujusmodi lucro, » et, ut refert Cajetanus, ita Paulus II legato suo Perusino rescripsit.

(23. Idque procedit, etiamsi hoc quod superexigitur erogandum sit in usus pios. Confer Clericat., *Decis. miscellan.*, 42, n. 5.

(24. Curandum et illud est, ne majores expensæ fiant, vel plures ministri adhibeantur, quam opus sit ad rem montis administrandam, ne pauperes vexentur gravioribus exactionibus. Hoc enim, si non usurarium, injustum saltem est.

(25. Controversia vero non levis est, an ad justitiam hujus speciei montium requiratur quod institutores ipsorum montium renuntient dominium pecuniæ, aut tritici in communitatem pauperum, vel obligent se civiliter et perpetuo, vel pro multo tempore ad mutuandum egenis civitatis, aut populi? Et quidquid senserint Lopez, Salon aliique, prævaluit opinio negativa, quam tenet inter alios cardin. de Lugo, disputat. 23, n. 190 et sequent.

(26. Tertia species est eorum montium, quorum ærarium constat ex pecunia fœnore conducta, vel sub censibus accepta, eaque propter coguntur ii qui ad hanc mensam accedunt, non solum reficere sumptus et expensas montis, sed etiam usuras, vel census, quæ mons patitur, ut necessitatibus accipientium possit succurrere. Hanc etiam speciem licitam esse tenent post alios cardin. de Lug. *loc. cit.*, n. 197 et sequent. Sed non est facile permittenda.

(27. Ii vero, qui montibus conferunt pecunias, nil ultra sortem accipere possunt titulo depositi, vel mutui, nisi quatenus eorum intersit.

(28. Quid si mons usuras a creditoribus recuperet, veluti injuste et indebite exactas? teneretur eas restituere ipsis pauperibus, qui coacti fuerunt easdem ipsi monti solvere, idque, quia titulus ille damni emergentis ad non titulum reduceretur et consequenter condicere pauperes valerent l. I et II, ff. *De condict. sine caus.*, l. XVII, in fin., ff. *Commodati*, l. I, cod. *De re judic.*

(102) *Responsio auctoris.* — Theologus noster sic sua hæc addenda incipit : « Vide, amice lector, quam consona sit Ferrariana doctrina, n. 16, expressa cum sana theologia. At non est cur tantum indebite exaggeret contra Ferrarianam doctrinam, ibi est sub aliis numeris traditam. » Videat, quæso, amicus lector, quæ ego ibi sub n. 12, 13, 14 et 16 trado ex doctiss. Rosignolo, uno ex primariis theologis, et consultoribus sui temporis in amplissima Mediolanen. civitate. Videat, et perpendat meam expositionem in *Summario* sub dict. n. 16, et quæ concludo sub eodem num. in corpore dicens : « Non de facili tamen est id consulendum, et ad praxim reducendum, quum non pauca subsint pericula in detrimentum montium, et gravamen pauperum. » Videat et perpendat allatam a theologo hic constitutionem Benedicti XIII *Jamdudum*, quæ est 286 in ordine Bullarii, in cujus summario sic expresse habetur : « Infliguntur pœnæ in depositarios, ministros, etc., qui alienam pecuniam sibi creditam, et depositatam fraudant; » de quibus fraudulentis depositariis, et ministris loquitur ipsa constitutio, de quibus ego nec verbum facio, probe sciens, quod fraus, et dolus nemini debet patrocinari, cap. *Cum universorum* 8, De rerum permutatione; cap. *Officii* 14, De testamentis; cap. *Cum dilectus* 8, De religiosis domibus; cap. *Audivimus* 5, De collusion. detegen.; Clement. *Dudum*, § *Hujusmodi*, De sepulturis. Videat demum, et perpendat omnia, et singula, et pro sua eruditione et æquitate pronuntiet.

ALIÆ ADDITIONES.

(29. Vide, amice lector (102), quam consona sit Ferrariana doctrina n. 16 expressa cum sana theologia. Ait ipse, montis pietatis ministros partem fructuum, vel in proprios usus, vel etiam in propria negotia impendere posse; at sana theologia docet hujusmodi ministros, quibus pro ministerio debitum stipendium assignatum est nullum dominium habere in bona montium pietatis, sed meros administratores esse, ac custodes cum necessariæ, tum etiam superfluæ portionis, ac custodire et administrare oportere quidquid ad hujusmodi montes pertinet juxta determinationem superiorum, aut magistratuum, qui hujusmodi locis piis præsunt, ac jus in illorum bona obtineant. Si domini non sunt, sed meri ministri; ergo bona montium pro arbitrio in eleemosynam erogare non valent; eleemosynam enim ex nostris, non ex alienis bonis distribuere in pauperes debemus. Ac multo minus in propria negotia impendere hujusmodi bona possunt. Hoc enim etiam cum fideli administratione pugnat et cum ipsa montium pietatis institutione, quæ in favorem pauperum, non ministrorum facta est. Accedit etiam, hujusmodi doctrinam periculi plenam esse, quippe quæ viam aperit illis abusibus, qui occasionem dedere constitutioni Benedicti XIII quam hic integram recensemus.

« BENEDICTUS EPISCOPUS,

« SERVUS SERVORUM DEI.

« *Ad perpetuam rei memoriam.*

« § 1. Jam dudum non sine ingenti animi dolore aures nostras perturbat frequens rumor de nonnullis in hac alma Urbe nostra aliæni æris et pignorum depositariis arcariis, custodibus, subcustodibus, exactoribus, rationariis et computorum scriptoribus, aliisque hujus generis officialibus et ministris, qui fide sibi data, suique muneris commodo nefarie abutentes ut voluptatibus, aliisque exsecrandis male agendi occasionibus causisque improbe obtemperarent, vitiisque alacrius et liberius indulgerent, rem, ac pecuniam sibi creditam, aut depositam, inque arca servatam, pro arbitrio usurpantes, pignora apud se in custodia iterum oppignorave-

Digitized by Google

rint : quod non solum in cameræ nostræ Apostolicæ, sed in montis pietatis et publicarum ad nummularios pertinentium mensarum, cæterorumque locorum et piorum operum damnum longe gravissimum redundavit, propterea quod infames fraudulenti hujusmodi officiales, qui rem suam decoxerant, omnino impares essent integrandis, ac restituendis pecuniis, quas ipsi, a proprio, vel alieno commodo inservientes, antea pessum dedissent, scientibus et de compacto cum iis participantibus, doloque operam suam conferentibus rationariis, computorum scriptoribus, subscriptoribus, aliisve eorumdem mensarum et locorum piorum ministris et officialibus.

« § 2. Nobis etiam innotuit, jam dictos officiales, maximæ suæ temeritati confisos ut actionem criminalem vaferrime declinarent vel saltem sua crimina callide palliarent, seque justis pœnis in quas incurrissent prava arte subducerent permultos speciosos et omnino falsos prætextus excogitasse, quibus judicium impedirent, pœnasque effugerent, quas ob suas culpas se mereri optime ipsi agnoscebant.

« § 3. Nos propterea quibus ex pastorali officio, humilitatis nostræ divinitus injuncto, maxime incumbit invigilare et sollicite providere ne hujusmodi crimina impune committantur ; opportunam et necessariam duximus his de rebus sententiam exquirere a nobis speciatim indictæ particularis congregationis nonnullorum hujus nostræ Curiæ Romanæ præsulum, multa rerum cognitione, integritate et doctrina præstantium, quorum sæpe numero coram dilecto filio nostro Hannibale, tituli S. Clementis presbytero cardinali et S. R. E. camerario congregatorum, suffragiis ad nos accurate perlatis undequaque inhærentes in hujusmodi fraudulentos ministros acriter insurgendo, ipsumque juris rigorem etiam acriorem efficiendo, justum in eos iudicium promulgare decrevimus.

« § 4. Nos ergo vestigiis decessoris nostri Pii papæ V insistentes qui præ cæteris in sua constitutione incipiente : *Postquam*, Kalendis Novembris anni millesimi quingentesimi septuagesimi in lucem edita, decoctores luxuriose viventes, propriisque absumptis substantiis, aliena appetentes, qui variis coloribus grande æs alienum, spe restitutionis faciendæ extorquentes proximo suo illudunt, ceu veros fures et latrones, ultimo supplicio puniendos mandavit, hac nostra perpetuo observanda constitutione in quoscunque hujus generis delinquentes paribus quoque pœnis tanquam in veros fures et latrones animadvertendum esse decernimus, idque effectu ipso omnino fieri volumus et mandamus.

« § 5. Itaque statuimus et jubemus, ne ullus ex depositariis vel arcariis æris publici Cameræ nostræ Apostolicæ et præsertim depositariæ generalis, vectigalium generalium et particularium utriusque annonæ, frumentariæ nimirum et *grasciæ* vulgo dictæ, depositariæ Urbanæ, montisque pietatis ac mensæ S. Spiritus, et Datariæ Apostolicæ summam quantulamcunque ejusmodi æris et pecuniam in suum vel alienum commodum quovis modo convertere unquam possit, inque usum ab eo diversum transferre, ad quem generatim in iisdem locis, tanquam sub tuta et fideli custodia servatur : ita ut si aliquis ex jam dictis depositariis et arcariis hanc legem nostram quomodocunque prævaricatus eamque pecuniam in usum et commodum proprium vel alienum convertere ausus fuerit, tanquam reprobus et infidelis minister, interque infames et reipublicæ proditores connumerandus damnari et puniri possit ac debeat ut gravissimi furti et latrocinii reus secundum leges communes et Romanæ Urbis, statusque ecclesiastici edicta contra latrones jam promulgatas, ratione habita pecuniarum quas in suum vel alienum usum et commodum clam, et furtive converterit. Idque ad easdem regulas in iisdem edictis etiam in furto magno præscriptas, fieri debeat ; quotiescunque tamen Camera nostra Apostolica, vel quispiam ex locis piis ac mensis supradictis et quilibet dominus ac creditor pecuniæ vel rei depositæ damnum subiisse compertum fuerit. Ubi vero nullum damnum illatum inde, fuerit nihilominus jam dicti depositarii et arcarii, inter infames habendi ob culpam infidelitatis, duplicata pœna pecuniaria summæ quam in suum vel alienum commodum converterint puniri debeant. Sed præterea pœnis etiam corporalibus gravibus et gravissimis arbitrio judicum cumulate plectantur, ratione habita qualitatis et circumstantiarum singulorum casuum et factorum quas deprehendere contigerit.

« § 6. Similiter volumus, decernimus et jubemus, ne computorum et rationum scriptores montis pietatis et mensæ S. Spiritus recipere, aut recipiendum et solvendum curare vel facere possint quodcunque mandatum, vel scriptum illorum qui nullas pecunias re ipsa ibidem depositas, vel servatas habuerint. Si autem habuerint, eadem mandata, et scripta recipi, et solvi possint pro ea tantum summa quæ deposita ibidem exstiterit. Quod si jam dicti computorum scriptores et rationarii contrafecerint, tunc in eos procedi possit ut debeat pœnis a Nobis in arcarios, et depositarios statutis.

« § 7. Præterea sancimus et declaramus hæc quæ a Nobis lata lege disponuntur in eos pariter locum habere, qui auxiliatores, cooperatores et quocunque alio modo conscii complices ac participes infidelitatis eorum arcariorum et depositariorum exstiterint : qui quidem conscii et complices ac participes secundum suam complicitatem et participationem in singulis factis, et casibus, iisdem pœnis omnino puniri debeant, quibus puniendi essent vel punirentur præcipui, et principales rei eadem forma quæ statuta reperitur in publicis edictis superius memoratis, contra reos cooperatores, auxiliatores, complices et participes olim evulgatis.

« § 8. Quia vero gravissimum esset crimen

Digitized by Google

infidelitatis, ab iis computorum scriptoribus et rationariis commissæ, qui, ut facilius pecuniam sub bona et publica fide sibi creditam et depositatam, in proprios vel alienos usus converterent, vel curarent ut ab aliis converti posset sive alia quacunque de causa in consuetis codicibus et libris, ut scripturarum regula ab ipsis pro illorum officio bene exercendo postulat, nomen, vel nomina depositorum nequaquam describerent; hac nostra pagina perpetuum robur habitura, declaramus, decernimus et statuimus, singulos et quoscunque rationarios et computorum scriptores qui hoc modo in suo officio exercendo peccasse, vel factum simile fraudis et infidelitatis commisisse, vel committendum curasse comperti fuerint, vel qui cujuspiam nominis veritatem describendo, seu minorem summam ea quæ vere deposita esset tam nostræ Cameræ Apostolicæ quam alterius cujuscunque domini et creditoris pecuniæ depositæ in codicibus et libris descripsissent, damno inde secuto vel non secuto, judicari et re ipsa puniri debeant ad regulam et gradum pœnæ pecuniariæ et corporalis superius impositæ in factis, et casibus contra depositarios et arcarios secundum qualitatem et circumstantias eorum inflictis. Ad hæc sancimus et statuendo declaramus, factum commissionis vel omissionis, tanquam dolosum et fraudulentum super habendum maloque animo et fine cogitatum, quotiescunque culpæ obnoxius contrarium non probaverit et constare curaverit.

« § 9. Ne autem exactores camerales, ii præcipue qui in vectigalibus generalibus et particularibus utriusque annonæ frumentariæ et grasciæ inque monte pietatis et mensa S. Spiritus pecunias a debitoribus exigere, exactasque principalium dominorum arbitrio servandas deponere debent, fide sibi data, suique officii commodo abuti, sive æs et pecunias exactas, perque eos non deposita in suum, vel alienum commodum convertere nunquam possint, præsentium tenore districte mandamus, ut totas integre et prompte quemadmodum ex officio tenentur, statim ac per illos exactæ fuerint, deponere debeant, decernentes ut qui eas non deposuerint vel in alienos usus pro arbitrio converterint secuto inde vel non secuto damno Cameræ nostræ Apostolicæ vectigalium utriusque annonæ, frumentariæ nimirum et grasciæ, montis pietatis et mensæ S. Spiritus, in singulis casibus severo judicio judicentur et punientur ad legem, et normam a Nobis decretam et stabilitam contra depositarios, arcarios, rationarios et computorum scriptores ut supra.

« § 10. Volentes etiam pro nostris viribus impedire ne fraudes quæ compluries factæ fuerunt in custodia pignorum montis pietatis, rursus imposterum fiant et committantur, præsentium tenore jubemus, custodes et subcustodes pignorum ejusdem montis æque ac judicialium depositariæ urbanæ, æstimatorum, subæstimatorum, aliorumque ministrorum ad servitium pii operis montis pietatis in memorato officio depositariæ urbanæ electorum, qui fide sibi data commodoque quod eis proprium munus subministrat, inique abutentes, clam et dolose pignus aliquod etiam parvi pretii subtraxerint, vel ex una custodia in aliam transtulerint, priusquam, vel postquam oppignoratum fuerit, illudque, sibi usurpaverint, vel aliis tradiderint, inque alia custodia oppignoraverint, vel ejus speciem et qualitatem immutaverint, remve oppignoratam confixerint, sive unam pro alia describentes dolum et fucum fecerint fraudemve quamcunque falsitatem, aliamve similem actionem circa dicta pignora commiserint, ipso facto pœnam ultimi supplicii incurrere debeant, nulla eis excusatione suffragante, etiam parvi pretii et valoris rei in qua delictum commiserint, judices vero in pœnas ferendo qualitatem, et circumstantias facti respicient.

« § 11. Decet quam maxime ut præ oculis nostris similiter debitum sollicitudinis habeamus quod Nobis ut in cæteris incumbit erga opera, et loca pia, quorum Nobis ut patri et tutori custodia commissa est. Quare præsentibus nostris volumus et ordinamus ut omnes depositarii, syndici, rationarii et exactores ecclesiarum, capitulorum, collegiorum, domuum, conventuum, monasteriorum regularium utriusque sexus, et cujuscunque loci, et operis pii, vel congregationis aut capituli qui in proprio officio et ministerio exercendo, aliquam ex prædictis actionibus et fraudibus committentes quæ damnantur et puniuntur in depositariis, arcariis, rationariis et exactoribus Cameræ nostræ Apostolicæ, in vectigalibus generalibus et particularibus utriusque annonæ frumentariæ et grasciæ ac montis pietatis, mensæ S. Spiritus et depositariæ urbanæ inservientibus, aliisque officialibus supra commemoratis, quovis modo deliquerint omnes et singuli iisdem pœnis cum suis complicibus omnino subjaceant, quæ in eosdem depositarios, arcarios, exactores, camerales aliosque superius nominatos inflictæ fuerunt, ita ut de utriusque par judicium feratur iisdem modis et formis quæ superius præscriptæ fuerunt.

« § 12. Quia vero zelus justitiæ quo intus incendimur nos movet ut has provisiones nostras plenissimo effectui mandandas quamprimum curemus, Nos supradictis reis, omnia subterfugia et prætextus eripere decrevimus, quos sæpe numero judicium criminale sagaciter declinaturi, vel rigorem pœnarum vitaturi studiose conquirunt mala et falsa quarumdam regularum legalium interpretatione freti, quas factis pessime aptant, propterea decernimus et ordinamus ne ullus ex jam dictis depositariis, arcariis, exactoribus, rationariis, syndicis et custodibus aliisve ex nominatis officialibus et ministris, qui quocunque modo contrafecerit et quamcunque ex memoratis, expresse illicitis, vetitis ac criminosis actionibus commiserit nunquam possit esse vel haberi immunis et liber ab actione criminali, et eo

Digitized by Google

minus excusari in aliqua parte delicti, neque absolvi aut liberari a quacunque pœna sub prætextu cujusvis securitatis ab eo datæ pro indemnitate Cameræ nostræ Apostolicæ, montis pietatis, mensæ S. Spiritus, vel alterius loci piique operis prædictorum. Nullo pacto etiam ei possit aut debeat suffragari speciosum velamen administrationis, calculorum faciendorum et rationum non reddita rum, similesque emendicatæ exceptiones et prætextus quæ omnia frivola levia, levissima et nullius momenti esse declaramus tanquam dolo malo delinquentium suggesta et excogitata. Quotiescunque ergo aliquis ejusmodi pecuniam in proprium vel alienum usum et commodum convertere ausus fuerit, vel ei solvendum curaverit qui in monte pietatis vel in mensa S. Spiritus nullam ante pecuniam vere deposuerit, quive rei et pecuniæ depositæ et exactæ esse debitor deprehensus fuerit, atque impos compertus rei ablatæ, statim et sine ulla mora restituendæ, de eo tanquam de homine infami ac vero latrone judicabitur, et omnino ad dispositiones edictorum punietur, ut dictum est supra, nulla ei prædictarum et similium dispositionum ullo pacto suffragante.

« § 13. Si aliquis ex supradictis ministris, officialibus, depositariis, arcariis, exactoribus, syndicis, aliisque superius ordinatis debitor exstiterit, inque aliquod ex delictis jam expressis inciderit, aliena pecunia deposita exacta, vel in arca servata pro arbitrio suo usus, rationario et computorum scriptore id sciente, nec præsidi et superiori patefaciente, cui ea omnia patefieri volumus, tunc rationarius, etiamsi facti conscius non fuerit, pœnis etiam corporalibus et gravissimis ad qualitatem et circumstantiam facti puniatur, nisi clare et evidenter ostenderit se rem eidem præsidi et superiori antea patefecisse.

« § 14. Quia nostra intentio fuit et est præsenti constitutione providendi Cameræ nostræ Apostolicæ, atque omnium S. R. E. imperio subditorum indemnitati, non tam pro factis in hac nostra alma Urbe imposterum fortasse eventuris, quam pro quibuscunque aliis quæ in toto Statu Ecclesiastico, tam mediate, quam immediate Nobis et huic sanctæ Sedi Apostolicæ subjecto, comprehensis etiam quatuor S. R. E. legationibus Bononiæ, Ferrariæ, Romandiolæ et Urbini, evenire possint : ideo volumus et decernimus ut hæc eadem constitutio nostra in omnibus et singulis suis partibus, et dispositionibus, inque omnibus et singulis casibus, et factis, in ea comprehensis et expressis, locum, robur, vim et vigorem habere, et plenæ exsecutioni mandari debeat, etiam extra hanc almam Urbem nostram, in omnibus civitatibus et locis Status Ecclesiastici, ita ut delinquentes in iisdem quatuor delegationibus severo judicio judicentur secundum leges et dicta quibus in iisdem legibus judicantur et puniuntur latrones, et ad normam et tenorem præsentis nostræ constitutionis, ut decrevimus et ordinavimus supra.»

« § 15. Quandoquidem pariter nostra intentio omnino est, ut provisiones huc usque memoratæ, inque hac alma Urbe nostra Camera Apostolica, monte pietatis, mensis publicis, locis et operibus piis unam eamdemque vim et robur semper obtineant, culpasque, fraudes et damna impedire debeant, quæ in præjudicium communitatum totius Status Ecclesiastici committi possunt, hinc Nos in casibus et factis congruis mandamus et ordinamus ut omnes et singulæ dispositiones superius expressæ locum habeant contra exactores, camerarios, depositarios, aliosque ministros et officiales cujuslibet communitatis nostri Status Ecclesiastici, aliquam ex prædictis actionibus, et delictis committentes, contra quos propterea judicari et procedi debeat, non auditis, neque attentis frivolis exceptionibus et prætextibus superius enumeratis ; scilicet ea forma et modo quæ contra officiales et ministros camerales, aliosque superius nominatos præscribuntur.

« § 16. Quamvis ordinamenta et sanctiones præsentibus litteris nostris hactenus recensita, contra delinquentes in casibus in posterum eventuris promulgaverimus, non ideo tamen intendimus a debitis pœnis, justisque animadversionibus eximere eos rationarios, computorum scriptores, arcarios, exactores, custodes, depositarios, syndicos, camerarios, aliosque officiales et ministros jam enuntiatos Cameræ nostræ Apostolicæ, vectigalium generalium, et particularium utriusque annonæ, frumentariæ nimirum, et grasciæ, montis pietatis, mensarum publicarum, Datariæ Apostolicæ, et depositariæ Urbanæ, et communitatum status nostri ecclesiastici, qui olim quomodocunque aliquam ex supradictis actionibus et fraudibus commisissent, de quibus facta est mentio, in omnibus et singulis casibus expressis. Volumus enim ut iidem, ob delicta olim commissa, iisdem omnino puniantur quæ secundum leges communes, vel municipales, et edicta locorum et provinciarum contra tales fraudatores, et delinquentes inflictæ essent.

« § 17. Itaque pro omnium et singulorum præmissorum celeri et omnimoda exsecutione mandamus dilecto filio nostro S. R. E. cardinali camerario, nec non thesaurario generali Cameræ nostræ Apostolicæ, nunc et pro tempore existentibus, ut contra omnes et singulos prædictos ministros et officiales qui aliquod ex memoratis delictis in damnum et præjudicium ejusdem Cameræ nostræ Apostolicæ, directe vel indirecte redundans, illorumque officia respiciens, quoquomodo, ut dictum est supra, commiserint, aut committi et perpetrari curaverint, vel in illorum perpetratione rem et complicitatem aliquam habuerint, cujuscunque conditionis et qualitatis exstiterint, videlicet, tam sæculares quam ecclesiasticos, et quomodolibet privilegiatos, aut exemptos, ad

Digitized by Google

debitas in eos pœnas, tam per se, quam per suos locum tenentes, judices, atque alios arbitrio illorum, prout necessitas casuum exegerit, in partibus etiam delegandos et subdelegandos, procedant, procedique mandent, et juxta præsentem nostram constitutionem, justitia mediante, deveniant et deveniri faciant.

« § 18. Injungimus itidem pro ulteriori præmissorum implemento, tam hujus almæ Urbis nostræ gubernatori, et curiæ causarum Cameræ Apostolicæ generali auditori, cæterisque Urbis judicibus, ad quos de jure spectat, quam omnibus etiam, et singulis nostris, et Sedis Apostolicæ in quibuscunque provinciis, legatis et vicelegatis, nec non quarumcunque civitatum, terrarum, oppidorum et locorum, Nobis, et eidem Sedi, tam mediate quam immediate subjectorum gubernatoribus, prætoribus, capitaneis, commissariis, et aliis quibuscunque judicibus, quavis etiam subdelegata potestate fungentibus, ut præsentes nostras inviolabiliter in suis judiciis observent, nec non contra delinquentes prædictos suæ jurisdictioni subjectos, ad formam earumdem præsentium omnino procedant, omniaque in eisdem litteris contenta plenariæ exsecutioni demandent.

« § 19. Postremo decernimus has litteras nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ defectu notari, minusque sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus comprehendi, vel illis derogari ullo modo tacite, vel expresse unquam posse, nisi de illis, earumque totis tenoribus, ac datis de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, et expressio facta fuerit, aliterque factas derogationes nullius roboris et momenti fore, et tanquam tales a nemine attendi, nec ulli suffragari posse, atque ita per quoscunque judices, tam ordinarios quam delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam S. R. E. cardinales, et de latere legatos, judicari et definiri debere sublata eis, et eorum cuilibet aliter judicandi et interpretandi facultate; decernentes irritum et inane quidquid secus in præmissis, et quolibet præmissorum, atque hac nostra constitutione contentorum, et statutorum, vel circa ea a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, legibus, ac Urbis et Romanæ Curiæ tribunalium, aliarumque curiarum nostri Ecclesiastici Status, ac legationum prædictarum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, stylis, consuetudinibus, quas, si quæ forent, per præsentes revocamus, nullasque et invalidas esse declaramus; privilegiis quoque, indultis et litteris Apostolicis in contrarium præmissorum forsan quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma, ad hoc servanda foret, tenore hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihilo penitus omisso, et forma in illis tradita, observata, inserti forent, eisdem præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, ad effectum præsentium, illisque alias in suo robore permansuris, harum serie specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

« § 20. Volumus autem ut, elapsis tribus respectu dictæ nostræ Urbis, et quindecim diebus respectu totius prædicti nostri Status Ecclesiastici, postquam præsentes valvis ecclesiæ Lateranensis, et basilicæ Principis Apostolorum ejusdem Urbis, et in acie Campi Floræ per aliquem ex nostris cursoribus affixæ et publicatæ fuerint, omnes et singulos, tam in Urbe quam in toto Statu Ecclesiastico et legationibus existentes perinde obligent et arctent, ac si unicuique eorum personaliter et nominatim intimatæ fuissent; utque earum transumptis etiam impressis manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, et extra adhibeatur, quæ eisdemmet præsentibus, si exhibitæ vel ostensæ essent, adhiberetur.

« § 21. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis, sanctionis, legis, statuti, decreti, declarationis, dispositionis et jussionis infringere, vel ei temerario ausu contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beator. apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

« Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vigesimo nono, sexto Kalendas Octobris, pontificatus nostri anno sexto. »

* Cum de montibus pietatis plures egerint, nemo tamen uberius et eruditius in hoc argumento versatus est, quam P. Franciscus Xaverius Zech. in eo libro, quem a. 1747 Ingolstadii edidit prænotatum: « Rigor moderatus doctrinæ Pontificiæ circa usuras a SS. D. N. Benedicto XIV; per epistolam encyclicam episcopis Italiæ traditus. » Cap. 1 sect. 6, a n. 257 ad 384 *.

Digitized by Google

MORGANEGIBA ET MORGENGABA, SIVE MATRIMONIUM AD MORGANATICAM.

NOVUS CASINENSIUM ARTICULUS.

Matrimoniis conscientiæ, de quibus actum est sub verb. MATRIMONIUM, art. 9, n. 63, simile est matrimonium sic dictum ad morganaticam (103), conjunctio nempe cum femina inequalis conditionis ritu ecclesiastico inita, sed ea lege, ut mulier ejusque filii id tantum de bonis patris assequerentur, quod tempore sponsaliorum conventum esset. Hoc pacto femina, quæ ducebatur inæqualis conditionis, neque ad viri dignitatem evadere, nec suscepti ex ea liberi patri hæredes esse poterant. Hinc quamvis hæc conjunctio utique pro vero matrimonio secundum Ecclesiæ leges haberetur, quippe sacro ritu celebrata, civilibus tamen effectibus, præsertim juxta Germanorum instituta (de quibus Adam Brumensis lib. I *Hist. eccl.*, c. 5) minime donabatur. Dictum porro fuit ad morganaticam voce corrupta a *morgengaba*, eratque, teste Gregorio Turonensi, l. IX, cap. 20, morgengaba donum matitunale, quod nempe maritus uxori mane post primam nuptiarum noctem faciebat, quasi ob præmium virginitatis, cujus spolia paulo ante retulerat. « In dote, quam in morganegiba, hoc est maritali dono in Franciam venientem certum est adæquasse... Tam in dote, quam in *morgengaba*, hoc est matutinali dono certum est acquisisse. » Sic Gregor., *l.c.* (104).

Hujusmodi donum vel lautum, vel tenue pro cujusque amore et charitate in uxorem fiebat. At cum quorumdam, quos mulieris illecebræ deliniebant, ea in re dissolutior esset liberalitas, rex Longobardorum Luitprandus lege lata sanxit, ne quis propter *morgengap*, ultra quartam partem bonorum suorum uxori daret; l. II *Leg. Longob.*, tit. 5, cap. 1.

Porro tale matrimonium viros nobiles, præsertim in Germania contrahere mos invaluit, cum post obitum nobilis mulieris, quam pridem uxorem habuissent, ac genitos ex ea filios, aliam ducebant humili loco natam, ne prioris matrimonii liberi præjudicium inde sentirent.

Illud hic addere non absre sit, in l. II *Feudorum* exstare titul. viges. nonum, qui inscribitur *Matrimonium ad morganaticam*, ubi late de hujusmodi matrimonio cum peculiaribus circumstantiis agitur, in hæc sane verba: « Quidam habens filium ex nobili conjuge, post mortem ejus non valens continere, etiam minus nobilem duxit, qui nolens existere in peccato, eam desponsavit ea lege, ut nec ipsa, nec filii ejus amplius habeant de bonis patris quam dixerit tempore sponsaliorum: verbi gratia « decem libras, vel quantum voluerit dare, » quando eam desponsavit: quod Mediolanenses dicunt accipere uxorem ad morganaticam, alibi lege salica; hic, filiis ex ea susceptis, decessit. Isti in proprietatem non succedunt, aliis exstantibus; sed nec in feudo, etiam aliis non exstantibus, qui licet legitimi sint, tamen in beneficio minime succedunt. In proprietate vero succedunt patri, prioribus non existentibus. Succedunt etiam fratribus sine legitima prole decedentibus, secundum usum Mediolanensium. » Unde vides quonam modo ex leg. *Feud.* hocce matrimonium regeretur.

MORIBUNDUS.

SUMMARIUM.

1. Moribundus nequit licite respuere remedia ordinaria ad sanitatem. — 2. Bene vero remedia extraordinaria, et nimis dura. — 3. Moribundus qui petiit confessarium, licet, ipso adveniente, jam obmutuerit, et nulla dare possit signa pœnitentiæ, potest et debet absolvi saltem sub conditione. — 4. Moribundus qui nullum pœnitentiæ signum dedit nec dare potest, si ipse prius probe et christiane vixerit, et sacramenta frequentaverit, probabilius potest absolvi sub conditione. — 5. Moribundus a quolibet sacerdote et probabiliter etiam a laico in articulo mortis absolvi potest ab excommunicatione et interdicto personali. — 6. Moribundo, si sit periculum vomitus, dari potest parva particula Eucharistiæ, quæ stomachum alteratura non credatur; aut si de hoc ipso sit dubium, potest fieri experimentum cum particula non consecrata; quam si retineat, danda est ei consecrata: secus non. Si autem independenter a cibo, perpetuo evomat, nullo modo est ei danda sacra communio, nisi forte per sex saltem horas liber a vomitu exstiterit. — 7. Moribundo puero doli capaci probabilius est dandum viaticum, quamvis nondum esset sanus ad communionem admissus. — 8. Si moribundus sit communicandus, et desit stola vel alba, potest in tali casu ei dari communio sine ipsis. — 9. Moribundus tenetur ex præcepto divino Eucharistiam sumere per modum viatici, et hoc etiamsi non sit jejunus. — 10. Et licet sit jejunus, adhuc recte adhibetur formula *Accipe viaticum*, etc. — 11. Moribundus qui mane communicavit sanus ex devotione, an superveniente periculo teneatur eadem die per modum viatici communicare? — 12. Moribundo post 7 vel 8 dies potest iterum dari viaticum, etiamsi non sit jejunus, dummodo nequeat jejunus sumere, et periculum mortis recurrat. — 13. Moribundo, quando morbus et periculum diu protrahitur, potest iterum post 7 vel 8

(103) Matrimoniis conscientiæ quoad substantiam illa ad morganaticam respondent. Secus vero quantum ad civiles effectus attinet, quibus hæc posteriora carent, non sic priora, habita etiam ratione constitutionis felic. record. Benedicti XIV, incip. *Satis vobis*, quam integram attulimus sub verb. MATRIMONIUM, art. 9, sub num. 63, ubi multa invenies, quæ hujusmodi matrimonia spectant. Quid vero apud nos in matrimoniis conscientiæ quantum ad civiles effectus obtineat, in actibus sic dictis post novissima concordata videre est, part. III, pag. 182 et seqq.

(104) Et quidem morgengaba in omnibus matrimoniis locum habebat, moribusque receptum erat, ut solemni instrumento cum aliis nuptiarum lucris finiretur et promitteretur. Et quoniam in inæquali conjugio hoc unum uxor, ejusque filii lucrabantur, inde ad *morgengabicam*, seu *morganaticam* dictum fuit.

Digitized by Google

dies dari viaticum, quamvis non sit jejunus. — 14. Moribundo dari potest, et debet viaticum, etiam in die Parasceves. — 15. Si moribundus, ob tussim vel aliam causam, sumere non possit viaticum, non debet ad illum deferri SS. eucharistia devotionis causa. — 16. Pro consecrando viatico dando moribundo non est licitum sacerdoti non jejuno celebrare. — 17. Aliqui tamen tenent contrarium. — 18. Pro viatico dando moribundo non debet consecrari hostia extra sacrificium, etiam in necessitate. — 19. Nec etiam in simili necessitate licitum est sacerdoti Latino consecrare in fermentato. — 20. In defectu sacerdotis Latini potest moribundus sumere viaticum a sacerdote Græco consecratum in fermentato. — 21. Moribundus, si nequeat sumere viaticum sub specie panis, an sit ei dandum sub specie vini? — 22. Perpetuo amenti moribundo non est dandum viaticum. — 23. In dubio an amentes adulti utantur ratione, est eis dandum viaticum. — 24. Amentibus qui usum rationis habuerunt, nec sciuntur amisisse illum in mortali, dandum est viaticum. — 25. Phrenetico, aut deliranti, sive ex mania, sive ex morbo, si quando alligatur accipiat cibos, debet etiam alligato dari viaticum. — 26. Si autem sit dubium an reverenter susceperus sit, faciendum est experimentum cum una vel altera particula non consecrata, et si aliquam reverenter suscipiat, danda est ei etiam consecrata. — 27. Moribundo in defectu parochi potest dari viaticum a quolibet sacerdote, sive sæculari, sive regulari, et in defectu sacerdotis etiam a diacono; imo secundum multos etiam a laico, quod tamen ob contrariam consuetudinem facile non est practicandum. — 28. Pro consecrando viatico dando regulari infirmo in domo privata consanguineorum, seu aliorum sæcularium, non potest ab alio regulari erigi ibi altare portatile, et sacrum peragi, et inde viaticum ipsi ministrari absque licentia ordinarii, vel parochi. — 29. Moribundo, si fuerit catholicus, et non constet esse in mortali, dandum est sacramentum extremæ unctionis, etiamsi illud non petierit. — 30. Moribundus præter confessionem tenetur ad actum contritionis perfectæ. — 31. Moribundi possunt, imo quandoque etiam tenentur contrahere matrimonium. — 32. Moribundus an possit absolvi a sacerdote excommunicato vitando, seu degradato, aut hæretico? ad n. 35. — 36. Moribundi ex morte naturali deficere solent in detumescentia maris. — 37. Adducitur novissima ampliata facultas concessa episcopis pro impertienda benedictione papali moribundis. — 38. Affertur modus impertiendi dictam benedictionem. — 39. Alia ad rem ad n. 40. — 41. Subnectuntur *Addit. ex aliena manu*, ad n. 58.

(1. Moribundus nequit licite respuere remedia ordinaria ad sanitatem; quisquis enim tenetur vitæ suæ periclitanti mediis ordinariis opitalari : Sanch., *Consil.*, lib. v, cap. 1, disp. 34; Busembaum et La Croix, lib. II, n. 201, et lib. III, part. I, n. 769 et 775; Henno, tom. I, *Tract. de conscientia*, disp. 3, quæst. ult., conclus. 3, resol. 4, et alii passim. (2. Non tenetur autem pro vita conservanda ad remedia extraordinaria et nimis dura, ut ad abscissionem cruris, et hujusmodi, nisi talis moribundus esset persona necessaria reipublicæ, vel Ecclesiæ, quia tunc teneretur ratione boni communis. Layman., lib. III, tract. 3, part. III, lib. III, cap. 1, n. 5; Sanchez, Victoria, Lugo, Gobat. cum Busemb., et La Croix, lib. III, part. I, n. 767 et 775, et alii passim.

(3. Moribundus, qui petiit confessarium, licet, ipso adveniente, jam obmutuerit et nulla dare possit signa pœnitentiæ, potest et debet absolvi saltem sub conditione. *Communis* cum La Croix, lib. VII, part. II, n. 1156. Vide verb. Absolutio, art. 2, num. 1.

(4. Moribundus qui nullum pœnitentiæ signum dedit, nec dare potest, si ipse prius probe et christiane vixerit, et sacramenta frequentaverit, probabilius absolvi potest sub conditione. Vide dict. verb. Absolutio, art. 2 a n. 4 ad 7, ubi plurimi ad id citantur doctores, et efficaces dantur rationes; atque hic adde, hanc opinionem in praxi amplexum esse Clementem VIII, qui ex remoto loco videns quemdam e fabrica S. Petri cadentem, statim ei absolutionem sub conditione impertitus est, dicens: « Si es capax, ego te absolvo a peccatis tuis; » teste Diana, part. III, tr. 8, resol. 8, tr. 6, res. 28. Juxta varios, si moribundus non haberet, nisi sacerdotem mutum, quamvis certum sit formam in verbis consistere, tamen, stante casu necessitatis extremæ, melius est ut talis sacerdos nutibus, vel scribendo formam eum absolveret, quam ut se omnino retraheret, quia, sicuti moribundus qui supponitur dolere de peccatis absolvi potest, etiam non præstitis signis expressis, ita præfata absolutio non videtur reprobanda : tum quia recurrunt dicta *loc. cit.*, verb. Absolutio (105).

(5. Moribundus a quolibet sacerdote, et probabiliter etiam a laico in articulo mortis absolvi potest ab excommunicatione et interdicto personali. Diana, Layman, Alloza, et alii cum La Croix, lib. VII, n. 130, qui dicunt probabile esse, quod tunc sic absolvere possit omnis etiam laicus, quamvis esset hæreticus, dummodo dispensandum non sit. Licet enim sententia communior et probabilior sit cum Arriaga, dist. 39, n. 5, et Lugo disp. 18, n. 7, quod laicus, absente clerico, ne quidem in articulo mortis valide

(105) *Nota Romani theologi.* — Assertio auctoris de sacerdote muto nutibus, aut scripta forma absolvente, improbanda omnino videtur doctissimis censoribus : et quidem jure atque merito. Nam explorata in theologia res est, sacramentum pœnitentiæ verbis perfici a sacerdote prolatis, non absolutione nutibus, aut scripto data. Id enim ex Apostolica traditione, et ex conciliis Tridentino et Florentino evidenter patet. En Tridentini verba, sess. XIV, cap. 3 : « Docet sancta synodus, sacramenti pœnitentiæ formam, in qua præcipue vis ipsius sita est, in illis ministri verbis positam esse : « Ego te ab- « solvo, » etc. » Hoc idem definitum prius fuerat in concilio Florentino, decreto pro Armenorum instructione edito. Si certum est, ut vel ipse Ferraris indicat, ex Christi institutione verbis a sacerdote prolatis hujusmodi sacramentum perfici oportere, et si in his tota vis formæ hujus sacramenti sita est, ergo in nutibus vis hujusmodi desideratur; ergo in verbis non prolatis, sed scriptis, eadem vis deest; ergo sacerdos mutus nutibus, vel scripta forma absolvendo, sacramentum pœnitentiæ non conficit, vel saltem vehementer suspectum facit. Id vero heitum non ex theologorum omnium consensione : perinde enim esset ac sacramentum simulare, vel certe nullitatis periculo exponere.

Digitized by Google

absolvaja censuris, oppositum tamen probabiliter tenent graves auctores, quos referunt Diana, part. III, tract, 4, resol. 133, Moya, disp. 7, qu. 1, n. 8; La Croix, *loc. cit.*, eo quod putent piam matrem Ecclesiam, quæ id etiam laico delegare potest, pro eo articulo nolle eum quem pœnitet, privari beneficio sepulturæ, et communibus suffragiis. Imo Sanchez, in *Decal.* lib. II, cap. 13, n. 13; Marchinus, aliique multi cum Dicast, d. 3. n. 12, apud La Croix, lib. VII, n. 130, putant laicum teneri pro tali casu absolvere a censuris, quia secundum supra allegatos doctores probabile est valere talem absolutionem, nec potest obesse, neque ullum sequitur inconveniens, et aliunde moribundo præstatur magnum beneficium, ut nempe participet suffragia Ecclesiæ, et sepulturam ecclesiasticam obtineat (106).

(6. Moribundo, si sit periculum vomitus, dari potest parva particula eucharistiæ, quæ stomachum alteratura non credatur, aut si de hoc ipso sit dubium, securitatis gratia dari potest particula non consecrata ad experiendum an possit retinere consecratam necne ? et si retineat non consecratam, danda est ei etiam consecrata : si vero non consecratam rejiciat, non est ei danda consecrata. Si autem independenter a cibo perpetuo evomat, nullo modo est ei danda sacra communio, nisi forte per sex saltem horas liber a vomitu exstiterit. Sic expresse Sancius apud Dianam, part. V, resolut. 55, Busembaum et La Croix, lib. VI, p. I, n. 586 (107).

(7. Moribundo puero doli capaci, qui sciat distinguere eucharistiam ab alio cibo, probabilius est dandum viaticum, quamvis nondum esset sanus ad communionem admissus. Labman, tract. 4. *De eucharist.* c. 4; Suarez, disp. 30, sect. 1, Busemb. et La Croix. lib, VI, par. I, n. 586 et 647; Lugo, disp. 13, sect. 4, n. 34, ubi n. 40, contra Sanchez addit, quod, si de capacitate pueri sit dubium, possit nihilominus dari, etsi non sit necesse, et sic tenent etiam Dicastill., Diana, Tamburin., cum La Croix, lib. VI, n. 648 (108).

(8. Si moribundus sit communicandus, et desit stola vel alba, potest in tali casu ei dari communio sine ipsis. *Vide* verb. INFIRMUS, n. 19.

(9. Moribundus tenetur ex præcepto divino Eucharistiam sumere per modum viatici; et hoc etiamsi non sit jejunus. *Vide* verb. EUCHARISTIA, n. 34; verb. VIATICUM, n. 4.

(10. Et licet sit jejunus, adhuc recte adhibetur formula [« Accipe viaticum, » etc. Vid. d. verb. EUCHARISTIA, n. 35, verb. VIATICUM, n. 5.

(11. Moribundus, qui mane communicavit sanus ex devotione, an superveniente periculo, teneatur eadem die per modum viatici communicare? *Vid.* d. verb. EUCHARISTIA, n. 36 (109).

(12. Moribundo post 7 vel 8 dies potest iterum dari viaticum, etiamsi non sit jejunus, dummodo nequeat jejunus sumere, et periculum mortis recurrat. *Vid.* d. verb. EUCHARISTIA, n. 37.

(13. Moribundo, quando morbus et periculum diu protrahitur, potest iterum post 7 vel 8 dies dari viaticum, quamvis non sit jejunus. *Vid.* d. verb. EUCHARISTIA, n. 38.

(14. Moribundo dari potest et debet viati-

(106) Falsum omnino putatur posse omnem laicum ab excommunicatione aliisque censuris moribundum absolvere; scimus enim id asseruisse Silvestrum ac nonnullos alios theologos; sed facile falsitatis convincitur horum opinio : tum quia iis tantum absolvendi a censuris potestas competit, quibus a Christo Domino jus ligandi atque solvendi concessum est, quod sane laicis minime convenit, tum etiam quia concilium Tridentinum sess. XIV, cap. 7, ait : « In articulo mortis omnes sacerdotes, quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis ant censuris absolvere possunt. » Ex iis autem verbis eruditus continuator Tournely colligit: « Nec laicum, nec clericum, qui sacerdos non sit, a censuris absolvere posse : tum quia concilium Tridentinum non loquitur nisi de sacerdotibus; tum quia potestas absolvendi a censuris in periculo mortis non datur, nisi ut quis etiam a peccatis absolvi possit, solus autem sacerdos a peccatis absolvere potest; tum quia usu receptum est ut solus sacerdos in hoc etiam mortis discrimine absolutionem a censuris impendat, non autem clericus, nisi is forte censuram tulerit, eamque idcirco relaxare valeat. »

(107) Potest alia via experiri an possit moribundi stomachus consecratam particulam retinere : nec unquam permittendum est ut non consecrata particula experimentum fiat, tum ob periculum, quod occurere fortasse posset idololatriæ, tum etiam ne debita erga sacram eucharistiam veneratio hac via minuatur.

(108) In dubio de pueri capacitate ad rite discernendum inter sacrum viaticum et alios cibos, Eucharistia præberi eidem non debet. Etsi enim scimus, ut in antiqua Ecclesia, ita etiam nunc in Ecclesiis aliquibus Orientalibus pueris quoque Eucharistiam administrari; tamen Latina Ecclesia a multis sæculis constituit, ut nonnisi discernentibus cibum Eucharisticum distribueretur, ut debitum in sanctum sacramentum obsequium, ac veneratio servaretur. Ubi ergo dubium est num puer id revera intelligat atque discernat, ex Ecclesiæ institutione sacro viatico refici puer ille non debet; cum hoc non sit sacramentum necessitatis, et cum ex praxi Ecclesiæ constet sacramentum hujusmodi non communicari nisi iis quos Ecclesia noverit ita capaces, et in religionis institutis instructos, ut cœlestem, et angelorum panem a vulgari cibo discernant. Atque hinc patet etiam injuria, n. 22, asseri, « in dubio, an adulti amentes utantur ratione, » dandum eis viaticum esse. Cum enim hoc sacramentum necessitatis non sit, in dubio administrandum non est.

(109) *Vide* de hac re Benedictum XIV, *De synodo diœcesana*, lib. VII, cap. 11, ubi, recensita eorum opinione qui aiunt, etiam hominem qui mane communicaverit, incidendo inopinato in mortis periculum, teneri denuo se reficere eucharistico cibo; illorum qui dicunt recipere iterum eucharistiam sine periculo non posse; denique illorum qui putant, posse dicto homini viaticum dari, sed nullo ad id cogi præcepto, ita concludit : « In tanta opinionum varietate, doctorumque discrepantia, integrum erit parocho eam sententiam amplecti, quæ sibi magis arriserit, quin fas sit episcopo in parochum animadvertere, qui præfato ægrotanti viaticum denegavit, etc. »

Digitized by Google

cum, etiam in die Parasceves. *Vid.* d. verb. EUCHARISTIA, n. 39.

(15. Si Moribundus ob tussim vel aliam causam sumere non possit viaticum, non debet ad illum deferri SS. Eucharistia devotionis causa. *Vide* d. verb. EUCHARISTIA, num. 50.

(16. Pro consecrando viatico dando moribundo non est licitum sacerdoti non jejuno celebrare. *Vide* verb. INFIRMUS, num 28.

(17. Aliqui tamen tenent contrarium. *Vide* d. verb. INFIRMUS, n. 29, * et Benedictum XIV. *De sacrif. missæ*, lib. III, c. 12, n. 8, ubi istorum opinionem refellit, negatque absolute sacerdoti non jejuno celebrare missam licere, ut infirmo viaticum possit ministrari *.

(18. Pro viatico dando moribundo non debet consecrari hostia extra sacrificium, etiam in necessitate. La Croix, l. VI, part. I, num. 610, ubi cum Dicastill., d. 10, num. 344, testatur de communi contra Majorem putantem id esse licitum. (19 In simili necessitate Major docet esse licitum sacerdoti Latino consecrare in fermentato, quam sententiam Tannerus et alii non audent damnare. Attamen oppositam sententiam docet *Communis* cum Dicastill. et La Croix *loc. cit.* num. 610, quia præceptum viatici non obligat cum tanta deformitate ritus. * Atque huc pertinent quæ habet Benedictus XIV in constitut. *De dogmatibus et ritibus ab Italo-Græcis tenendis atque servandis; Bullar.*, tom. I, numer. 57, § 6, *De sacram. eucharistiæ et missæ sacrificio*, num 10. « Cum in sacro generali Florentino concil. præscriptum sit ut unusquisque sacerdos Eucharistiam juxta Ecclesiæ suæ ritum, sive Latinæ, sive Græcæ in azymo, seu fermentato conficere debeat, vetitumque a Summis Romanis Pontificibus, prædecessoribus nostris, ne Latinus sacerdos Græco ritu, aut Græcus Latino utatur; districtius inhibemus, etiam sub pœnis perpetuæ suspensionis a divinis, ne presbyteri Græci Latino more, et Latini Græco ritu, sub quovis licentiarum et facultatum missas et alia divina officia Græci Latino more, et Latini Græco ritu celebrandi, ab Apostolica Sede, vel ejus legatis, ac etiam majori pœnitentiario pro tempore existente obtentarum prætextu, missas et alia divina officia celebrare, vel celebrari facere præsumant. » Itaque in *Appendice de Orientalis Ecclesiæ circa eucharistiam disciplina*, subjecta tractatui P. Antoine *De eucharistia*, § 1, pag. 153, ibi, indicata obligatione quam quisque habet manendi in semel suscepto ritu, subditur : « Ex iis optime concludit Verricellus, non licere sacerdoti Latino uti fermentato in Ecclesia Græca, nec Græco in Ecclesia Latina azymo, etsi populus diu deberet sacrificio privari, et proximus absque viatico decedere. Quia utilitas communis privatorum commodis præferenda est : ad communem vero utilitatem pertinet Ecclesiæ servare præscriptos ritus : et quia præceptum sumendæ eucharistiæ in articulo mortis, et audiendi sacri in diebus festis non obligat, nisi dum sacrum celebrari possit servatis legibus ac ritibus ab Ecclesia stabilitis. Igitur, ut sacerdos non jejunus celebrare nequit pro communicando moribundo, vel ut populus audiat sacrum die festi, ita sacerdos Latinus nequit in fermentato consecrare contra Ecclesiæ præceptum, ut populus sacrum audiat, vel ut morti proximus eucharistiam sumat.

(20. In defectu sacerdotis Latini potest moribundus sumere viaticum a sacerdote Græco consecratum in fermentato : la Croix, *loc cit.*, Tamburin., cap. 2, § 9, n. 12, et alii. (21. Moribundus, an si nequeat sumere viaticum sub specie panis, sit ei dandum sub specie vini ? Variant doctores. Nugnus enim, et Ochagan. tenent affirmativam sententiam, quia, dicunt ipsi, præceptum divinum de sumendo viatico prævalet humano de communicando solum sub specie panis, et id probabile censent Diana, Escobar et alii apud La Croix, *loc. cit.*, n. 611. Negativam autem probabilius docent Fagnanus, Suarez, Diana, Amicus, Lugo, Tamburin., Dicastill., Platell. citati et secuti a La Croix, *loc. cit.*, n. 611, dicentes non teneri moribundum in tali casu sumere viaticum sub specie vini, non quod præceptum humanum prævaleat divino, sed quia divinum non obligat, nisi quando observari potest cum debita reverentia, et principalibus ritibus, et quasi substantialibus cæremoniis ab Ecclesia præscriptis. * « Alias orta est dubitatio, inquit Benedictus XIV, *De missæ sacrificio*, lib. III, cap. 19, n. 6, an moribundo qui Eucharistiam sub specie panis deglutire non posset, liceret eam præbere sub specie vini, seu sub specie panis vino consecrato intincti; qui respondebat licere concil. Toletano XI habito anno 675, sententiam suam fulcire poterat; ea enim synodus, can. 11, statuit, si æger sacram non possit particulam deglutire, ut ei præbeatur eucharistia sub specie vini : sunt etiam alia monumenta Ecclesiasticæ historiæ, ex quibus intelligitur, Eucharistiam exhibitam fuisse sub specie panis vino consecrato intincti, ut ostendunt Martene, lib. I *De sacr. Eccl. ritibus*, cap. 4, art. 10, n. 13; card. Bona, lib. II *Rer. liturgic.*, cap. 18, n. 3, et Mabillonius, 1 præfat. in sæculum XI ordinis Benedictini, n. 75, observat 10. Vera tamen opinio est, id fieri non posse : præceptum enim suscipiendi viaticum non obligat, cum illud gravibus de causis ab Ecclesia negatur : compertum autem est Ecclesiam usum calicis laicis et sacerdotibus missam non celebrantibus prohibuisse, non modo propter plures irreverentias quæ identidem committebantur, sed etiam propter hæresim eorum qui garriebant sub specie panis non contineri corpus Christi, vel præceptum esse Christi, ut Eucharistia sub utraque specie sumatur. Ita respondent Suarez, in III part., tom. III, disput. 71, sect. 3, circa fin.; cardinalis de Lugo, *Respons. moral.*, lib. I, dub. 10, n. 2 et 8 clericatus, decis. 14, cas. 2, n. 15 et seq., *De sacram. euchar.* Pax Jordanus, tom. I, lib. III, tit. 3, num. 34, monet, in ejusmodi casu posse moribundo sacram exhiberi particulam aqua,

Digitized by Google

vel vino non consecrato intinctam, ut eam æger possit deglutire; lex enim de naturali jejunio servando eum non obligat qui viaticum sumit.* »

(22. Perpetuo amenti moribundo non est dandum viaticum. S. Thomas, qu. 80, art. 9, in *Opuscul.*; La Croix, lib. VI, part. I, num. 654 quia, ut ibi notat, id prohibet Rituale Pauli V. (23. In dubio an adulti amentes utantur ratione, Gobat, tract. 4, n. 173, 417 et 418; La Croix, *loc. cit.*, num. 655, et alii dicunt esse eis dandum viaticum, quia in dubio favendum est potius homini, pro quo institutum est sacramentum, cum certo ipsi prosit, et probabiliter possit etiam causare primam gratiam, si forte homo ille in mortali esset, de quo saltem attritionem habuisset.

(24. Amentibus qui usum rationis habuerunt, nec sciuntur amisisse illum, in mortali dandum est viaticum. S. Thomas, *loc. cit.*; *Cathechism. Roman.*, *De euch.*, cap. 11, num. 2, La Croix, *loc. cit.*, num. 656, quia hoc ipso, quod nesciatur amisisse usum rationis in mortali, præsumendum est esse in gratia, quia potuerunt vel sine ulla, vel cum levi tantum culpa amisisse. Gobat, *loc. cit.*, num 151, cum communi, ut testatur La Croix, *loc. cit.*

(25. Phrenetico aut deliranti, sive ex mania, sive ex morbo, si, quando alligatur, accipiat cibos, debet etiam alligato dari viaticum. S. Thom., Aversa, Sanch., Diana, Gobat, secuti et citati a La Croix, *loc. cit.*, num. 660. (26. Si autem sit dubium, an reverenter susceptur-rus sit, faciendum est experimentum cum una vel altera particula non consecrata, et si aliquam reverenter suscipiat, danda est ei etiam consecrata. La Croix, d. num. 660, cum Layman, Castropalao, Diana, Gobat ibi citatis (110).

(27. Moribundo in defectu parochi potest dari viaticum a quolibet sacerdote, sive sæculari, sive regulari, et in defectu sacerdotis etiam a diacono. *Communis* cum Layman, lib. V, tract. 4, cap. 7; Busemb. et La Croix, lib. VI, part. I, num. 479. Imo Suar., Coninch., Laym., Præpositus, Dian., et alii apud Busemb. et La Croix, *loc. cit.*, n. 479, dicunt in articulo mortis, in defectu supradictorum, posse ei dari viaticum etiam a laico. Quod tamen ob contrariam consuetudinem non est facile practicandum, ut docent Lugo, Bonac., cum ipso Buzemb. et La Croix, *loc. cit.*

(28. Pro consecrando viatico dando regulari infirmo in domo privata consanguineorum, seu aliorum sæcularium, non potest ab alio regulari erigi ibi altare portatile, et sacrum peragi, et inde viaticum ipsi ministrari absque licentia ordinarii aut parochi. Sic expresse sacra congregatio Concilii *in Messanen. privilegii*, 20 Sept. 1690, lib. XLVIII *Decr.*, pag. 471, ubi propositis dubiis. Primo : « An regularis Theatinus potuerit licite erigere altare portatile, sacrum peragere, et sanctissimum viaticum ministrare alteri regulari infirmo in domo privata illius consanguineorum absque licentia ordinarii aut parochi ? Secundo : An possit ordinarius in hoc et similibus casibus procedere contra regulares etiam ad censuras? » Respondit « ad 1 *negative*, ad 2 *affirmative*, sed in præsenti non molestandum. » Sic refert. eminentiss. Petra, tom. III, *Commentar. ad constit.* 11 *Alexandr. IV*, n. 33 (111).

(29. Moribundo, si fuerit catholicus, et non constet esse in mortali, dandum est sacramentum extremæ unctionis, etiamsi illud non petierit, nam hoc ipso censetur interpretative voluisse et petiisse quod alii Christiani, etiamsi de eo sacramento nunquam audierit. Busemb. et La Croix, lib. I, p. I, n. 163, et alii passim.

(30. Moribundus tenetur ultra sacramentalem confessionen actum contritionis perfectæ elicere, licet enim constitutus in articulo mortis non teneatur confiteri cum contritione perfecta, eo quod moraliter certum est sacramentum pœnitentiæ cum attritione ad justificationem sufficere, quemadmodum liquet ex Tridentin., ses. XIV, cap. 4 (*Vide* verb. PŒNITENTIÆ SACRAMENTUM), et ex propositionibus 14 et 15 ab Alexandr. VIII damnatis, ac sub verb. *Propositiones damnatæ* allatis; tamen ad id tenetur ex alio capite, quia scilicet quilibet fidelis tenetur præsertim eo puncto, in quo agitur de summa rerum, et momento, a quo pendet æternitas, suæ saluti prospicere, atque consulere omni meliori, quo fieri potest modo, qualis est eliciendo præter confessionem sacramentalem actum contritionis præfectæ; nam non sumus infallibiliter certi de ministro baptismi, ac de ordinatione sacerdotis, etc., pro quo tamen eliciendo cavere debet moribundus, ne obrui sinat ab iis quæ diabolus descendens tunc magnam habens iram, sciens quia modicum tempus habet, impie evomit, ac invide opponit; sed fiducialiter ad supernum auxilium confugiat, ac firmiter fideliterque sibi suasum habeat,

(110) *Nota Romani theologi.*— Si experimentum fiat cum particula non consecrata, infirmus periculo exponitur actus idololatriæ, qui, licet materialis sit respectu illius, permitti tamen non potest. Falsum quoque est quod n. 27 asseritur de laico, qui possit necessitate urgente viaticum deferre. Tantam enim in sacram eucharistiam venerationem exposcit Ecclesia, ut laicis etiam tactum sacrorum vasorum interdixerit; quis ergo credat permittere eisdem, ut eucharistiam tangant, deferantque ad infirmos? Non desunt sane in antiqua Ecclesia exempla laicorum qui Eucharistiam ad infirmos detulerint; at alia nunc tempora sunt, aliæ Ecclesiæ consuetudines, aliæ leges necessariæ ad servandam ac fovendam debitam huic sacramento venerationem. Permittendum itaque ut potius sine viatico infirmus decedat, quam ut leges violentur ab Ecclesia latæ; ne laici Eucharistiæ sacramentum administrent.

(111) Nec parochus neque etiam ordinarius licentiam concedere regularibus potest, ut in domo infirmi altare portatile erigant, ibique celebrent, ut inde viaticum administrent; sed necessaria est Summi Pontificis licentia.

Digitized by Google

viscera misericordiæ non deesse sperantibus in Deum, et fore miserationes ejus super omnia opera ejus. *Psal.* CXLIV, versicul. 9, idcirco opem suam largiter fortiterque in corda fidelium effundere medio pretiosissimo, ac sanctissimo Redemptoris Jesu Christi sanguine pro totius mundi salutare ineffabiliter et incomprehensibiliter dato.

(31. Moribundi possunt, imo etiam quandoque tenentur contrahere matrimonium. *Vide* verb. IMPEDIMENTA MATRIMONII, art. 6, n. 58.

(32. Moribundum in articulo mortis constitutum nec licite, nec valide posse absolvi a sacerdote excommunicato vitando, seu degradato, aut hæretico mordicus defendit Fagnanus, in cap. *Non est vobis* 11, De sponsalibus, per tot., ubi adducit ad id expressam declarationem sacræ congregationis Concil. in hæc verba : « Episcopus Valentinus petiit declarari utrum pœnitentes in articulo mortis constitutos possit a casibus reservatis absolvere quilibet sacerdos, etiam excommunicatus et denuntiatus, » ut tenuit Navarr., *De regulis confessariorum*, cap. 27, n. 272, vers. *Quod per eadem verba*, fol. 551. Et congreg. generalis Card. Moroni, Alciat., Senonen. M. Alt. S. Sixti censuit « non posse, quia communis opinio videtur illa, quod tales excommunicati non possint etiam in hoc casu necessitatis. » Quam sententiam confirmant isti cardinales auctoritatibus tredecim celeberrimorum auctorum, nempe Magistri sententiarum, S. Thomæ, Scoti, Durandi, Capreoli, S. Antonini, Turrecrematæ, Bacchon., Alexandri de Ales, Richardi, Abbatis, Decii et Navarri. Et postea explicant quo sensu debeat intelligi hac de re concilium Trident. « Nec obstat caput 7, *De casuum reservatione*, quia debet intelligi de omnibus sacerdotibus in unitate Ecclesiæ viventibus, referendumque ad eos sacerdotes, de quibus eodem capit. 7, in prima et secunda parte agitur, qui habent ordinariam vel delegatam potestatem. » Hæc sunt propria dictæ declarationis verba, ut testatur Fagnanus, *loc. cit.*, n. 2. Hanc negativam sententiam secuti sunt S. Raymundus, Covarruvias, Joannes Medina, Panormitanus, Præpositus, auctor *Glossæ Decreti Gratiani ;* auctor *Colloquiorum Condomensis diœcesis*, et alii citati et secuti a Joanne Pontas, verb. *Absolutio*, casu 31, in fine; Matthæuc. *Official. cur.*, cap. 2, n. 19; Pignat., tom. X, consult. 136, n. 15, et alii innixi supradictæ cardinalium declarationi; qua vera supposita, et a Summo Pontifice, ut supra exponitur, approbata, non esset ullimodo ab ipsa recedendum. *Vide* tamen *infra*, num. 39.

(33. At vero affirmativam sententiam, nempe posse pœnitentem in articulo mortis, in defectu alterius sacerdotis habilis, licite et valide absolvi a sacerdote excommunicato vitando, seu degradato, aut hæretico, sustinent Paludanus, Silvester, Sotus, Melchior, Canus, Toletus, Azorius, Bonacina, et auctor *Colloquiorum diœcesis Antuerpiensis* apud Pontas, *loc. cit.*; Reiffenstuel, lib. v *Decretal.*, tit. 7, § 8, num. 408, testans de communi; La Croix, l. VI, part. II, num. 1560, testans cum Ariaga de communissima; Barbosa *in concil. Trid.*, sess. XIV, *De sacram. pœnitent.*, cap. 7, num. 13, cum Cano, Navarro, Toleto, Comitolo, Azorio, Reginaldo, Coninch, Riccio, Bonacina, Layman, Suarez, Molina, Torreblanca, Fagundez, Bossio, et Hurtado ibi citatis; Rosignolus, *De pœnit.*, part. I, qu. 7, art. 6, a num. 10 ad 14, cum aliis ibi citatis; Felix Potestas, tom. I, part. IV, cap. 5, n. 3245, et tom. III, part. I, num. 171, cum aliis ibi allegatis; Gobat, tom. I, tract. 7, n. 129, Sporer, tom. III, part. III, c. 6, quæst. 6, num. 724, testans cum Layman, card. de Lugo, et aliis de communissima doctorum, qui, præsertim Gobat, et Sporer, ac alii intelligunt super allatam declarationem sacræ congregat. Concilii apud Fagnan., *loc. cit.*, de absolutione data ab excommunicato vitando, degradato, hæretico, aut apostata in præsentia alterius sacerdotis carentis illis vitiis, quæ utique absolutio esset et illicita et invalida, juxta etiam dicta sub verb. ABSOLUTIO, art. 1, num. 51 et 52. At si nullus omnino adesset alius sacerdos, esset et licita et valida, quia verba concil. Tridentini, cit. sess. XIV, cap. 7, amplissime, et generalissime exprimunt, quod in illo articulo extremæ necessitatis, « ne hac occasione aliquis pereat... Omnes sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt; » qui autem omne dicit, nihil excludit; l. *Hoc articulo* 29, ff. *De hæredib. instituend.*; l. *Si cui servo omnes* 52, ff. *De legatis* 1; l. *Penum meam omnem* 7, ff. *De penu legata;* cap. *Si Romanorum* 1, dist. 19, cap. *Solitæ* 6, § *Nobis*, De majoritate et obedient., et ibi *Glossa* verb. *Quodcunque*, expresse dicens : « Qui dicit omnia, nihil excepit. » Verba enim generalia generaliter sunt intelligenda, cap. *Quia circa* 22, *De* privilegiis, cum similibus, et ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus; l. *Non distinguemus* 32, ff. *De receptis arbitris ;* l. *Præses* 3, *De officio præsidis;* l. *De pretio* 8, ff. *De publiciana in rem action.*, cit. cap. *Quia circa* cum similibus.

(34. Tum quia credendum non est, quod Ecclesia voluerit deserere pœnitentes in tali extrema necessitate constitutos, sed potius tanquam pia mater voluerit illis succurrere hoc salutari præsidio, habilitando sacerdotes etiam rescisos ad absolvendum in defectu aliorum, sicuti etiam per adversarios habilitantur simplices sacerdotes nondum ad confessiones excipiendas approbati ex cit. sess. XIV, cap. 7 concil. Tridentin. hac potissima ratione, « Nec hac occasione aliquis pereat. » Unde in consimili extrema necessitate pia mater Ecclesia permittit quod baptismus possit recipi etiam ab hæretico et excommunicato, cap. *Præter* 6, § *Verum*, dist. 32; cap. *Si quem forte* 40, caus. 24, quæst. 1, cum similibus; adeoque censendum est, quod permittat in extrema necessitate recipi etiam posse pœnitentiam,

Digitized by Google

cum baptismus parvulorum, et pœnitentia morientium sint sacramenta necessitatis, secundum *Glossam* in cap. *Non est vobis* 11, De sponsalib., verb. *Baptismum parvulorum*; uti videtur innui etiam in ipsomet cap. *Non est vobis*, ubi tempore interdicti Anglis impositi, interdicuntur omnia divina, et sacramenta, « præter baptismum parvulorum, et pœnitentias morientium. » Hinc in Rubro, et Summa, d. c. *Si quem forte*, sic habetur : « in extremo positus etiam ab hæretico pœnitentiam accipere valet. » Nam quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum, cap. *Quod non est* 4, De regul. juris. Necessitas enim non habet legem; cap. *Sicut* 11, d. 1, De consec., c. *Omnes* 1, De feriis; cap. *Consuluisti* 3, De celeb. missar.; c. *Consilium* 2, De observat. jejunior., cum similibus. Unde sacri canones passim clamant morientibus pœnitentiam non esse denegandam, cap. *Si quis de corpore* 6, cap. *Si recedunt* 7; cap. *Is qui pœnitentiam* 12; cap. *Agnovimus* 13; cap. *Presbyter* 14, dist. 26, q. 6; c. *Quod in te* 11, De pœnitentiis et remissionib., cum similibus.

(35. Hinc attenta piæ matris Ecclesiæ, ac tot sacrorum canonum benigna interpretatione, et innumera doctorum copia, necnon pene communi, ac communissima opinione, testibus supra allatis, auctoribus pro sententia affirmativa, concludendum est, posse moribundum in extrema necessitate articuli mortis, in defectu alterius sacerdotis habilis, absolvi a sacerdote excommunicato vitando, degradato, hæretico aut apostata; et allata sacræ congregationis declaratio intelligenda videtur de absolutione data a sacerdote excommunicato vitando, degradato, hæretico aut apostata, in præsentia alterius sacerdotis carentis dictis vitiis, quæ utique absolutio, ut dicebatur, esset et illicita, et invalida, non autem de absolutione data ab ipso in defectu alterius sacerdotis habilis, ut eam explicant Gobat, et Sporer, *locis citatis*, et alii, quia adhuc verificaretur de ipso, quod esset sacerdos juxta concessionem concilii : *Omnes sacerdotes*, cum ejus sacerdotalis character sit indelebilis, et in tali casu extremæ necessitatis, « ne, juxta piissimam mentem concilii, hac occasione aliquis pereat, » Ecclesia tollit omne impedimentum canonicum ex parte sacerdotis, eique dat omnimodam jurisdictionem ad id necessariam; cum interpretatio semper facienda sit in benigniorem partem, cap. *Cum tu* 16, De testibus, cum similibus. Si autem auctoritative, et clare constaret, quod mens sacræ congregationis et Summi Pontificis esset, quod neque in defectu alterius habilis sacerdotis possit moribundus in tali extrema necessitate articuli mortis absolvi a sacerdote excommunicato vitando, degradato, hæretico aut apostata, non esset ab ipsa sententia negativa recedendum, quia in claris non admittitur interpretatio, ut docet communior doctorum post *Glossam* in c. *Cum dilectus* 8, De consuetud., verb. *Nec juri communi*, et colligitur ex l. *Licet imperator* 74, ff. *De legatis* 1, et l. *Ille aut ille*, 25, ff. *De legatis* 111, et ubi expresse habetur lex, cessat omnis opinio, c. *Sicut* 2, dist. 15; c. *Si quis eorum* 8, dist. 30, cap. *Cuncta per mundum* 17, caus. 9, quæst. 5, cap. *Canonum statuta* 1, et cap. *Quoniam* 13, De constitution., cum similibus. Vide infra n. 39.

(36. Hic abs re non erit advertere ex Rutilio Benincasa, et variis gravibus auctoribus tacito nomine ab ipso allegatis in suo libro, cujus titulus *Almanacco perpetuo*, etc., p. IV, tract. 5, c. 14, quod moribundi deficere solent morte naturali fere semper in maris detumescentia, seu refluxu. Quando autem intumescat et detumescat mare, ad id explorandum, præmisso quod maris fluxus et refluxus, intumescentia et detumescentia unus sit ex mirabilibus effectibus, quos luminare minus, seu luna mirabiliter præstat, et quod in unoquoque suo lunari die aquas crescere et decrescere faciat, ut sequitur, id est sex horis, et uno horæ quinto eas crescere, aliis sex horis, et uno horæ quinto eas descrescere efficiat, et ita successive de reliquo sui diei spatio, ac consimiliter de aliis suis diebus, prælaudatus auctor proponit exemplum dati diei, in quo quis exoptat scire quæ supra, ac tabulam perpetuam, quam ad idem propere sciendum subnectit, etiam exponit. Unde ea ibi pro opportunitate ab exoptantibus regulæ praxim, utrique medico et infirmariis, ad propositum perutilem non minus ac nautis ad suum, de facili legi, vel transcribi poterit, advertendo tamen librum hujusmodi pluribus scatere erroribus, ne in ipsos dilabamur.

(37. His adde, quod sanctæ mem. Summus Pontifex Benedictus XIV, anno 1747, die 5 April., constitut. incipient. *Pia mater catholica Ecclesia*, ampliavit episcopis facultatem impertiendi benedictionem cum indulgentia plenaria fidelibus in mortis articulo constitutis; etiam per alios, tam in civitatibus quam in diœcesibus ab ipsis subdelegatos. Ubi enim prius episcopis hanc facultatem petentibus concedebatur ad solum triennium, et hac lege, quod per seipsos immediate hanc benedictionem cum p. indulg. applicatione ægrotis in articulo mortis constitutis largirentur, nec ipsi necessitate urgente, et quidem nocturno tempore, alium sacerdotem in singulis peculiaribus casibus subdelegare possent : inde Pontifex eam ipsis ampliat, et concedit ad vitam, ut latius in ipsa constitutione, declarans insuper quod etiam plures pios sacerdotes, sive sæculares, sive regulares, prout necessarium fore judicabant, in eorum civitatibus subdelegare valeant, qui dum ipsi antistites aliquo legitimo impedimento detinebuntur, quamvis hujusmodi impedimentum diurno tempore occurrat, eorum vice dictam benedictionem cum indulgentiæ plenariæ applicatione præfatis ægrotis impertiantur; aliosque similiter per diœcesim sæculares, aut regulares sacerdotes, quotquot necessarios judicaverint, ad prædictum effectum

Digitized by Google

deputare, et subdelegare possint; nec non eosdem a se deputatos removere, ac alios in eorum locum pro suo arbitrio, et prudentia subdelegare valeant. Hanc eamdem facultatem statuit esse in posterum concedendam omnibus episcopis, qui eam a Romano Pontifice postulaverint; et similiter omnibus prælatis inferioribus territorium separatum habentibus, cum vera qualitate nullius, et activa in clerum, et populum jurisdictione. Dummodo ipsi prælati hanc gratiam postulantes, sancta apostolorum limina præscriptis temporibus visitaverint, et relationem status suarum Ecclesiarum Apostolicæ Sedi exhibuerint, et debitum juramentum in prima eorum assumptione ad dictas prælaturas præstiterint, juxta præscriptum ab ipso Pontifice in sua constitut. incip: *Quod sancta.*

(38. Affertur modus pro supradicta benedictione impertienda ab ipso Benedicto XIV traditus, et approbatus in allegata sua constitutione incipiente *Pia mater.* « Habens igitur prædictam facultatem, vel simile privilegium, ingrediendo cubiculum ubi jacet infirmus, dicat : *Pax huic domui*, etc., ac deinde ægrotum, cubiculum et circumstantes aspergat aqua benedicta, dicendo antiphonam *Asperges*, etc. Quod si ægrotus voluerit confiteri, audiat illum, et absolvat. Si confessionem non petat, excitet illum ad eliciendum actum contritionis, de hujus benedictionis efficacia et virtute, si tempus ferat, breviter admoneat, ac de aliis, prout videbitur expedire instruat, ut ibi latius. Tum piis ipsum verbis consoletur in spem erigens fore ut ex divinæ munificentiæ largitate eam pœnarum remissionem, et vitam sit consecuturus æternam. Et postea dicat :

℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.*

℟. *Qui fecit cœlum et terram.*

Antiphona. *Ne reminiscaris, Domine, delicta famuli tui* (vel *ancillæ tuæ*), *neque vindictam sumas de peccatis ejus.*

Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison.

Pater noster, etc.

℣. *Et ne nos inducas in tentationem.*

℟. *Sed libera nos a malo.*

℣. *Salvum fac servum tuum* (vel *ancillam tuam*, et sic deinceps).

℟. *Deus meus sperantem in te.*

℣. *Domine, exaudi orationem meam.*

℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

℣. *Dominus vobiscum.*

℟. *Et cum spiritu tuo.*

Oremus. *Clementissime Deus, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui neminem vis perire in te credentem, atque sperantem, secundum multitudinem miserationum tuarum respice propitius famulum N.* (vel *ancillam N.*) *quam tibi vera fides et spes Christiana commendant. Visita eum* (vel *eam*) *in salutari tuo, et per Unigeniti tui passionem et mortem, omnium ei delictorum suorum remissionem, et veniam clementer indulge, ut ejus anima in hora exitus sui te judicem propitiatum inveniat, et in sanguine ejusdem Filii tui ab omni macula ablata, transire ad vitam mereatur perpetuam. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.*

« Tum dicto ab uno ex clericis astantibus *Confiteor*, etc. Sacerdos dicat : *Misereatur*, etc. Deinde :

Dominus noster Jesus Christus Filius Dei vivi qui beato Petro Apostolo suo dedit potestatem ligandi atque solvendi, per suam piissimam misericordiam recipiat confessionem tuam, et restituat tibi stolam primam quam in baptismate recepisti : et ego facultate mihi ab Apostolica Sede tributa, indulgentiam plenariam et remissionem omnium peccatorum tibi concedo. In nomine Patris, etc.

Per sacrosancta humanæ reparationis mysteria remittat tibi omnipotens Deus omnes præsentis, et futuræ vitæ pœnas, paradisi portas aperiat, et ad gaudia sempiterna perducat. Amen.

Benedicat te omnipotens Deus, Pater, Filius, et Spiritus sanctus. Amen.

« Si vero infirmus sit adeo morti proximus, ut neque confessionis generalis faciendæ, neque præmissarum precum recitandarum tempus suppetat, statim sacerdos benedictionem ei impertiatur. »

(39. Ad dicta sub n. 32, ad 35, advertendum est, quod eruditissimus P. Franciscus Maria Campioni in *Instructione ad confessarios*, c. 41, n. 12, refert ex card. Albitio, part. I, *De inconstantia in fide*, c. 18 et 19, quod prædicta declaratio sacræ congregationis Concilii adducta a Fagnano *supra* n. 32, non reperitur in Regestis concilii, signum quod vel non emanavit, vel fuit expuncta, ut contraria communi sententiæ, occasione cujusdam episcopi, qui in examine interrogatus an sacerdos nominatim excommunicatus posset absolvere in articulo mortis, respondit affirmative. (40. Unde fuit excitatum murmur ob doctrinam Fagnani, et dubio delato ad Innocentium X, hic jussit supprimi quæstionem, neque amplius dubitari de opinione affirmativa, nempe pœnitentem in articulo mortis in defectu alterius sacerdotis habilis licite, et valide absolvi posse a sacerdote excommunicato vitando, seu degradato, aut hæretico. Confer. P. Giraldi in *Expositione juris Pontificii*, part. XI, sect. 39, et Carolum Blascum, dissert. secunda, *De pœnitentia*, italico idiomate prescripta, tom. II *Opusculor. canonico-historico-criticorum*, Neapoli anno 1761 editorum. Itaque infirmo plane fundamento nituntur adversæ opinionis patroni, qui in illa declaratione maximum sententiæ suæ præsidium collocant, ex quibus Bartholomæus de Valle, et Saavedra in *Compendio theologiæ moralis*, Romæ anno 1769 impresso, part. II, tract. 2, quæst. 3, art. 3, ex defectu notionis memoratæ declarationis profectum censet, ut multi oppositum doceant, quasi scilicet multi declarationem illam aut commentitiam, aut minime authenticam esse non demonstrassent.

Digitized by Google

NOTA ROMANI THEOLOGI.

P. Lucius Ferraris hic advertit quod eruditissimus P. Franciscus Maria Campioni in *Instructione ad confessarios*, cap. 41, n. 12, refert ex cardinali Albitio *De inconstantia in fide*, cap. 18, § 19, quod prædicta declaratio sacræ congr. Concilii adducta a Fagnano, ac n. 32 supra relata, non reperitur in Regestis concilii, quod argumentum est, aut nunquam emanasse, aut expunctam fuisse, ut contrariam communi sententiæ, occasione cujusdam episcopi, qui in examine interrogatus an sacerdos nominatim excommunicatus posset absolvere in articulo mortis, respondit affirmative. Unde fuit excitatum murmur ob doctrinam Fagnani, et dubio delato ad Innocentium XI, jussit Pontifex suprimi quæstionem, neque amplius dubitari de opinione affirmativa, nempe pœnitentem in articulo mortis, in defectu alterius sacerdotis habilis, licite, et valide absolvi posse a sacerdote excommunicato vitando, seu degradato, aut hæretico. Præsens sacerdos sit, non præcisus, qui tamen nolit, aut non advertat necessitatem absolvendi, non puto invalidam fore datam a præciso absolutionem, ut asserit Ferraris, n. 33.

RESPONSIO AUCTORIS.

Romanus theologus, *loc. cit.*, ait : « Præsens sacerdos sit, non præcisus, qui tamen nolit, aut non advertat necessitatem absolvendi, non puto invalidam fore datam a præciso absolutionem, ut asserit Ferraris, n. 33. « At neque per somnium id asserit Ferraris pro allata hypothesi, debuerat enim scire noster theologus, ut scio ego Ferraris, quod in jure talis sacerdos in data hypothesi haberetur ut absens; pro absente enim habetur qui, præsens, quod peragere tenebatur, non facit, quodque ut faciat ei incumbit; l. *Non tantum si*, § penultim., et ibi, addit. margin., ff. *De fidei commissariis libertatibus*, et qui non intelligit, aut non advertit, nec præsens dici potest. » L. *coram Titio* 209, et l. *apud Labeonem* 246, ff. *De verborum significat.*, cum similibus. Nec illa hypothesis fuerat exprimenda, quia frustra exprimitur, quod intelligitur. L. *Cornelius* 69, *De hæredibus instituendis;* l. *Hæc verba* 3, ff. *De legatis* 1. Unicuique enim etiam in his cæco obvium est sine alia expressione, et additione, quod ego loquor in præsentia alterius sacerdotis carentis illis vitiis, et omnimodo parati ad absolvendum; quod si talis non sit ille alius sacerdos, stat ibi tradita necessitas moribundi, et amplissima a Trid. concessa facultas, ne hac occasione aliquis pereat.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(41. Moribundus, qui et agonizans dicitur, « is est qui, exasperante jam morbo, et natura prostrata, animam efflaturus de proximo est; » viventibus, et non mortuis accenseri debet. Quinimo sanæ mentis præsumitur, nisi de contrario constet; eaque propter testamentum et codicilios condere, tum contractus inire valet. Stryk., *Juridic. dissert.*, vol. I, disput. 5, c. 1, n. 9 et plur. seq.

(42. Vim magnam habere solet confessio moribundi, eo quia nemo præsumitur in articulo mortis velle mentiri. Sed nec in præjudicium tertii, nec in sui et hæredum commodum credendum esse moribundo tradunt Klock, vol. II, consil. 43, n. 28 et seq., et consil. 40, n. 20; Pacianus, *De probat.*, lib. I, c. 53, n. 46; Mevius, *Ad jus Lubecens.*, part. II, tit. 2, art. 24, n. 11. (43. Præsumptionem autem et indicium aliquod hisce etiam casibus facere confessionem moribundi non est dubitandum; Mascard., *De probat.*, conclus. 1229, n. 1 et 8; Farinac., *Prax. criminal.*, lib. I, tit. 5, q. 46, n. 17.

(44. Quid, si judex in agone confiteatur se pecunia corruptum tulisse sententiam? Obligare se suosque hæredes ad pœnam tripli expressam in Authent. *Novo jure*, c. *De pœn. judic.*, qui mal. judic., nequaquam vero præjudicium creare tertio, ut sententia proinde sit rescindenda, sequitur ex mox dictis. Idemque dicendum de arbitro Mascard., *De probat.*, conclus. 949, n. 23 et seq.; Farinac., dict. quæst. 46, n. 77.

(45. Nec testis moribundi confessio, quod falsum tulerit testimonium, quidquam obstabit, si prolata jam sententia; secus autem re adhuc integra. *Vide* Pacian., *De probat.*, lib. I, cap. 53, n. 46; Farinac., dict. q. 46, n. 84.

(46. De proxenata contractus simoniaci, an ipsi tale scelus in agone confitenti sit credendum quæritur? Negat. Stryk., *Juridic. dissert.*, vol. I, disput. 5, cap. 3, n. 8.

(47. Circa contractus duplici modo moribundi confessio considerari potest, vel prout obligationem astruit, et obligatoria dicitur, vel prout obligationem destruit, et liberatoria nuncupatur. (48. Confessio obligatoria a moribundo dupliciter emittitur, vel ratione sui ipsius confitentis, vel ratione tertii. Ratione sui ipsius, si se certæ alicui personæ asserat obligatum ad certam quantitatem. Ratione tertii, si alterum sibi obligatum profiteatur. Confessio liberatoria semper uno modo emittitur, ut, si quod alter debebat, acceptum dicatur. (49. In una vero, et altera confessione diversum jus ab eo quod inter vivos constitutum, hic in moribundi persona obtinet.

(50. Confessio obligatoria, sine expressione causæ non attenditur regulariter. At ea emissa a moribundo attendi debet. Mascard., *De probat.*, conclus. 345, n. 3; Damhoud., *Pract. civil.*, cap. 173, n. 10 et seq.

(51. Sed, an ea possit revocari a moribundo, tum an hæres possit probare non subesse causam, *vide* apud Hann. *ad Wessembec.*, tit. *De confess.*, n. 5.

(52. De alterum obligando si confessio loquatur, nihil valet. Sed si emanaverit a moribundo, præsumptionem quamdam facit pro confitente et hæredibus. Struv., *Syntagm. jur. civil.*, tit. *De confess.*, thes. 24, Brunemann., *Repetit.*; Paratit., Wessembec., dist., tit. *De conf.*, quæst. 2.

Digitized by Google

(53. Confessio liberatoria, si agatur de dote, vim non habet, si intra tempus legitimum opponatur exceptio non numeratæ dotis. At facta a moribundo opponi hæc exceptio nequit, nisi facta sit in fraudem legis, vel tertio præjudicet. Stryk, *Jurid. dissert.*, vol. I, disp. 5, cap. 3, n. 13 et plur. seq.

(54. Hactenus de confessione moribundi in civilibus. Agendum paululum de ea in criminalibus. Prima occurrit quæstio an standum sit confessioni vulnerati de auctore cædis? Eam non probare, sed tantum indicium facere tenent non pauci. (55. Sed et quæstionis est an faciat indicium ad torturam? (56. Negat cum aliis Stryk., *loc. cit.*, cap. 4, n. 2 et plur. seq., et quidem etiamsi juramento id asseruerit moribundus. Monet vero Stryk, teneri hæredem ad accusandum eum, quem moribundus suæ cædis auctorem dixit.

(57. Quod dictum est de confessione moribundi circa homicidium, id ipsum obtinet de confessione ejusdem circa veneficium, et alia id genus delicta.

(58. De effectu exculpationis factæ a moribundo, mire inter se dissentiunt doctores. Confer Stryk, *ubi supra*, cap. 4, tit. 8, plur. seq., qui et de moribundo fatente se delictum commisisse disserit.

MORTIS ARTICULUS.

(1. Mortis articulus in servis Dei, illustris, et sanctimonia conspicuus apparere debet. Benedict. XIV, t. I, constit. 141, incip. *Sollicitudini nostræ*, § 5 et 7. (2. In mortis articulo constituti quorumcunque peccatorum absolutionem, et censurarum relaxationem a quocunque presbytero obtinere possunt. Idem, t. II, constitution. 34, incip. *Pia mater*. (3. Iisdem indulgentiam plenariam facile concedi optat Ecclesia. Idem, *ibid.* (4. Mortis acceptatio inculcatur tanquam opus injunctum pro consequenda plenaria indulgentia in mortis articulo. Idem, *ibid.*

MULTÆ.

(1. Multas pecuniarias episcopus sibi addicere non potest, quantumvis pauper sit, sine licentia Sedis Apostolicæ, ut ex pluribus argumentis S. congregationis evincitur in tractatu *De synodo diœcesana*, lib. VII, cap, 53, § 2. Sed debent in usus pios applicari illæ mulctæ, quas Tridentinum inflixit clericis non residentibus, aut concubinariis. *Ibid.*

(2. Si quas vero multas diœcesana synodus alicui certo loco pio applicaverit, episcopi non possunt illas sibi obtinere ab Apostolica Sede, etiamsi sint pauperes; quia Sedes Apostolica juri alteri quæsito præjudicium non infert. *Ibidem*, § 3.

(3. Has vero multas antequam applicentur suæ destinationi, deponendas esse penes administratorem fidelem, jussit sac. congregatio in sua encyclica ad omnes episcopos, die 5 Februarii 1670, *ibid.*, § 4.

Alia *vide* verb. EPISCOPUS, art. 6 a n. 63 ad 67, et verb. POENA, art. 5, a n. 50 ad 72.

MULIER.

(1. Mulieres ad ministerium altaris nullatenus sunt admittendæ. Benedict. XIV, t. I, constit. 57 incip. *Etsi pastoralis*, § 6. (2. Mulieres menstruali morbo laborantes arceri nequeunt a sacramentis, aut ab ingressu ecclesiæ. Idem constitut. 107, incip. *Omnium sollicitudinum*, § 3, 14 et 39.

(5. Ad rem alia plurima *vide* verb. FEMINA.

MUNDUS.

SUMMARIUM.

1. Mundus unde sit dictus? — 2. Mundus in sacra Scriptura usurpatur quinque potissimum modis, qui assignantur. — 3. Assignatur alia quintuplex mundi acceptio apud philosophos et theologos. — 4. Mundus variis illustratur titulis, qui assignantur. — 5. Mundus quid sit? — 6. Mundus de facto est unicus; non repugnant tamen plures, ad n. 8. — 9. Mundus non fuit creatus ab æterno. — 10. Mundus probabilius creatus est verno tempore in æquinoctio luna plena, et die Dominico, ad n. 14. — 15. Mundus non fuit creatus in instanti, sed sex dierum spatio. — 16. Afferuntur et solvuntur objectiones, ad n. 17. — 18. Quid creatum fuerit primo die? — 19. Quid secundo? — 20. Quid tertio? — 21. Quid quarto? — 22. Quid quinto? — 23. Quid sexto? — 24. Adam et Eva ambo fuerunt producti sexto die. — 25. Adam productus fuit ex limo terræ. — 26. Adam in quo loco formatus fuerit? — 27. — Adam creatus fuit in ætate perfecta, qua posset generare. — 28. Eva producta fuit de costa Adami. — 29. Cur Eva producta fuerit ex costa. —30. Non solum ex costa, sed etiam ex carne Adami producta fuit Eva. — 31. Costa illa quamvis fuerit Adam necessaria, ut erat caput naturæ humanæ, erat tamen ei superflua quantum ad integritatem individui, ad n. 32. — 33. Adam formatus fuit cum pluribus costis in uno latere, quam in alio, ut ex ipsa superabundante formaretur Eva; qua ablata et inde formata Eva, remansit in utroque latere Adami par costarum numerus, et fuerunt tot, quot in nobis. — 34. Unde non videtur sequenda opinio aliquorum dicentium, quod femina habeat unam costam plus quam viri. — 35. Solus Adam creatus fuit, et ex ipso Eva. — 36. Hinc solum peccatum Adæ, et non Evæ transiit in omnes homines. — 37. Adami corpus secundum aliquos veteres Ecclesiæ Patres dicitur formatum ex quatuor mundi partibus. — 38. Adam cur vocaverit uxorem suam Evam. — 39. Adam extra paradisum fuit formatus, et Eva intra paradisum. — 40. Eva cur formata in paradiso? — 41. Adam semel tantum positus fuit in paradiso terrestri, et non bis. — 42. Adam, et Eva, violato Dei præcepto, ejecti sunt de paradiso. — 43. Qua die, et qua hora Adam et Eva comederint de fructu vetito, qua item expulsi sint de pa-

Digitized by Google

radiso? ad n. 45. — 46. Arbor cujus fructus comestio fuit prohibita Adamo et Evæ, probabilius fuit malum, seu pomum, specie tamen diversum ab omnibus malis nostris. — 47. Unde omnimode rejicienda est erronea opinio eorum, qui existimabant arborem illam fuisse mulierem, et Cainum et Abelem genitos fuisse in paradiso terrestri. — 48. Cain et Abel geniti fuerunt extra paradisum terrestrem, et quo mundi anno. — 49. Eva quolibet partu geminos pariebat, masculum et feminam; quo nomine vocata fuerit soror gemella Cain, et quo soror gemella Abel, et quot filios genuerint Adam et Eva. — 50. Nec etiam sequenda est opinio eorum qui censuerunt arborem illam fuisse frumentum, aut vitem. — 51. Neque etiam vera videtur sententia aliorum volentium arborem illam fuisse ficum. — 52. Adam et Eva, e paradiso ejecti, probabilius eam regionem quæ nunc Judæa et Palæstina dicitur, incoluerunt. — 53. Adam in monte Calvario, a cranio, seu calvaria ipsius ita nominati, probabilius tumulatus fuit. — 54. Adducitur et solvitur objectio. — 55. Est tamen etiam probabilis opinio tenens Adamum sepultum fuisse in Hebron. — 56. Paradisus unde sit dictus, et quid significet? — 57. In quanam mundi parte constitutus fuerit paradisus terrestris? ad n. 58. — 59. Quanta fuerit latitudo et longitudo paradisi terrestris? — 60. Paradisus terrestris adhuc existit, ad n. 61. — 62. Affertur et solvitur objectio. — 63. Mundi ætates alii dividunt in sex, et alii in septem, et assignantur. — 64. Traduntur celebriores opiniones de numero annorum qui ab orbe condito ad æram Christi vulgarem effluxerunt. — 65. Epocha et æra unde sint dictæ, et quæ sint? — 66. Epochæ distinguuntur in sacras et profanas, et quæ sint? — 67. Inter epochas sacras præcipua a Christi nativitate desumitur. — 68. Epocha Christi nativitatis, alia est vera, et alia vulgaris, et quando utraque incipiat? ad n. 69. — 70. Aliæ epochæ sacræ habentur sub. n. 63 et 64. — 71. Inter epochas profanas præcipua ac prima est quæ desumitur a Trojæ excidio. — 72. Secunda est epocha Olympiadum, seu a ludis Olympiacis. — 73. Quid fuerint Olympiades, et ludi Olympiaci, *remissive*. — 74. Tertia est epocha ab urbe Roma condita. — 75. Quarta est epocha, seu æra Hispanica. — 76. Quinta est epocha Arabum, et Mahometanorum ab ipsis *hegira* vocata. — 77. Mundus ab antiquis geographis dividebatur in tres solas præcipuas partes, nempe in *Europam*, *Asiam* et *Africam*; a recentioribus autem dividitur in quatuor, addita supradictis *America*, et ab aliis adhuc modernioribus additur etiam quinta pars *Magellanica* appellata. — 78. Europa unde sit dicta? — 79. Asia unde sit dicta? — 80. Africa unde sit dicta? — 81. America unde sit dicta? — 82. Non parva pars Americæ, seu novi illius adinventi, et ad fidem catholicam conversi orbis, debetur meæ seraphicæ religioni, ad n. 85. — 86. Magellanica unde sit dicta? — 87. Mundus dividitur adhuc in quatuor partes, nempe in continentem, insulam, peninsulam et isthmum, quæ omnes explicantur. — 88. Mundus quatuor habet spatia, seu plagas nempe Orientem, Occidentem, Meridiem et Septentrionem. — 89. Secundum has quatuor mundi plagas cardinales, quatuor etiam sunt venti principales, nempe Eurus seu Subsolanus, Zephyrus, seu Favonius, Auster seu Notus, Boreas seu Aquilo. — 90. Præcipua et celebriora mundi systemata sunt tria, nempe Ptolemaicum, copernicanum et Tychonicum. — 91. Systema quid sit? — 92. Systema Ptolemaicum unde sit dictum? — 93. Systema Ptolemaicum quid sit, quidve importet? — 94. Systema Ptolemaicum fere ab omnibus antiquis fuerat receptum: at nostris hisce temporibus fere ab omnibus rejicitur. — 95. Systema Copernicanum unde sit dictum? — 96. Systema Copernicanum quid sit, et quid importet? — 97. Systema Copernicanum tanquam thesis rejicitur. — 98. Affertur et solvitur objectio. — 99. Adducitur et solvitur instantia. — 100. Systema Copernicanum de motu terræ, et solis quiete, quamvis defendi possit ut hypothesis, nullimode tamen defendi potest ut thesis. — 101. Assignatur discrimen inter thesim et hypothesim. — 102. Systema Tychonicum unde sit dictum. — 103. Systema Tychonicum quid sit, et quid importet? — 104. Alia fere infinita reperiuntur tradita mundi systemata, brevitatis gratia omissa, et solum traduntur circa ista duo notabilia dicta. — 105. Mundus est rotundus, sive sphæricus. — 106. Mundi rotunditas variis experimentis constat. — 107. Mundi et terræ rotunditas clarissime demonstratur a geometris et architectis. — 108. Ex mundi et terræ rotunditate clare deducitur vere dari et exstare antipodes, et qui sint, et unde dicti? — 109. De eorum existentia dubitarunt olim plerique: at nullus nunc est amplius ambigendi locus. — 110. Affertur et solvitur objectio. — 111. Terra rotunda seu sphærica pendet in medio aeris sine ullo sustentaculo, et cœlum pariter rotundum, et sphæricum est undique distans æqualiter a terra, et pluribus demonstratur. — 112. Mundus, seu terræ circuitus, aut ambitus quantus sit? — 113. Qui circumeunt mundum versus orientem, et redeunt versus occidentem ad eumdem locum unde discesserunt, numerant diem unum plusquam habitatores illius loci. — 114. Econtra, qui circumeunt mundum versus occidentem, et versus orientem redeunt ad eumdem locum unde discesserunt, numerant diem unum minus quam habitatores illius loci. — 115. Si autem duo circumirent totum orbem, uno pergente versus orientem, et altero versus occidentem, quocunque loco se invenirent, seu sibi occurrerent, differrent ab invicem uno die. Et si deinde prosequerentur suum iter ambo redeundo ad locum unde discesserunt, unus ab oriente, et alter ab occidente, differrent necessario ab invicem duobus diebus. — 116. Ex supradictis oritur dilucidatio curiosi problematis, quomodo sit possibile, quod ex duobus gemellis ambobus natis, et mortuis in eodem die et momento, unus plus altero vixerit de uno, vel duobus diebus. — 117. Sphæræ nomine quid intelligatur? — 118. Sphæra potissimum pro artificiali sumitur, et quid sit? — 119. Quare vocetur sphæra artificialis, et quis fuerit ejus inventor et auctor? — 120. Hæc sphæra vocatur *armillaris*, et quare? — 121. In hac armillari sphæra decem circuli vulgo repræsentantur, sex majores et quatuor minores, qui assignantur cum suis qualitatibus et differentiis ad invicem. — 122. Ex dictis sex majoribus circulis tres sunt, nempe *horizon*, *meridianus* et *æquator*, quorum poli, seu puncta, ex quibus describuntur, sunt magni momenti in sphæra et vocantur *puncta cardinalia*. — 123. Primi ipsorum cardines, seu puncta cardinalia sunt duo poli mundi. — 124. Polus unde sit dictus, et quid significet? — 125. Polorum alter vocatur *arcticus*, *septentrionalis* et *borealis*, et alter ex diametro oppositus appellatur *antarcticus meridionalis* et *australis*; quare sic dicti et quales sint, ad n. 126. — 127. In medio horum polorum pendet terræ globus et quomodo? — 128. Axis mundi quid sit? — 129. Ultra assignatos supra n. 123, prædictorum majorum circulorum principaliores cardines, seu puncta cardinalia, sunt etiam *zenith* et *nadir*; quid significent et sint? — 130. Item sunt etiam puncta veri ortus et occasus solis, et quæ sint? — 131. Primus ex majoribus circulis est horizon, et quid sit? — 132. Horizon est duplex: sensibilis et rationalis, et quis sit uterque? — 133. Meridianus quid sit? — 134. Æquator quid sit? — 135. Zodiacus quid sit? Assignantur duodecim ejus signa duobus versibus comprehensa. — 136. Signa quæ primo versu continentur, dicuntur septentrionalia,

Digitized by Google

et quæ in secundo versu, meridionalia et quæ sint? — 137. Quodlibet ex his zodiaci signis continet 30 gradus, et quot minuta contineat? — 138. Sol percurrit 360 gradus quolibet integro anno, ita ut sol minut. 59, secund. 8, vel circiter unius gradus sub zodiaco quotidie motu medio perficiat, non sic autem quando sol est in *apogeo* et in *perigeo*, et quid per *apogeum* ac *perigeum* intelligatur. — 139. Dicta signa zodiaci peculiaribus figuris exprimuntur, quæ assignantur. — 140. Hæc duodecim signa dividunt zodiacum in duodecim partes correspondentes duodecim mensibus anni; et dantur versus cum sua explicatione ad sciendum quonam die mensis ingrediatur sol quodlibet signum. — 141. In medio zodiaci est ducta linea quædam, quæ vocatur *ecliptica* seu *orbita solis;* quid sit, et quare sic appelletur? — 142. Eclipsis solis quando sit in ipsa ecliptica? — 143. Eclipsis solis nunquam est universalis seu totalis.— 144. Eclipsis lunæ quando fiat? — 145. Eclipsis lunæ potest esse universalis seu totalis. — 146. Coluri quid sint et unde sint dicti? — 147. Ex coluris unus vocatur colurus solstitiorum et alter colurus æquinoctiorum, et d ntur versus ad ipsos cognoscendos. — 148. A dictis coluris secatur zodiacus in quatuor cardinales partes, quæ dicuntur quatuor anni tempestates, nempe ver, æstas, autumnus et hiems.— 149. Minores circuli sunt ambo *tropici*, nempe tropicus Cancri, et tropicus Capricorni: et ambo *solares*, nempe arcticus et antarcticus. — 150. Tropici unde dicti; et cur unus vocetur tropicus Cancri et alter tropicus Capricorni? — 151. Circuli *solares* unde dicti, et cur unus vocetur arcticus, et alter antarcticus? — 152. Habitantes sub istis polaribus circulis diversimode vident solem in æstate et in hieme; et secundum quod postea unus locus recedit, seu distat ab istis circulis versus polos, majorem habet inæqualitatem dierum; ita ut reperiantur dies, qui constituunt menses, et alii, qui medietatem anni. — 153. Dicti quatuor circuli minores, id est duo tropici et duo polares, dividunt mundum in quinque partes, seu zonas, nempe in unam torridam, duas temperatas, et duas frigidas, et quid sit zona? — 154. Zona torrida quæ sit, et quare sic dicta? — 155. Zonæ temperatæ quæ sint, et quare sic dictæ? — 156. Zonæ frigidæ quæ sint, et quare sic dictæ? — 157. Ex diversa habitudine æquatoris ad horizontem, dividitur sphæra in rectam, obliquam, et parallelam. — 158. Sphæra recta quæ sit? — 159. Sphæra obliqua quæ sit? — 160. Sphæra parallela quæ sit? — 161. Duo sola sunt in terra puncta, quæ possunt habere sphæram parallelam, et una sola linea, quæ habeat sphæram rectam; totum autem residuum est in sphæra obliqua. — 162. Habitantes in sphæra recta habent perpetuo æquinoctia: habent in anno bis æstatem, et bis hiemem, bis ver, et bis autumnum. — 163. Habitantes in sphæra obliqua habent æquinoctia bis solum in anno; et dies ac noctes semper inæquales; vident aliqua sidera perpetuo supra horizontem, et nunquam vident illa quæ sunt sub horizonte. — 164. Habitantes in sphæra parallela non habent nec æquinoctia, nec solstitia, sed unicum habent diem, et unicam noctem in toto anno; vident perpetuo sidera aliqua supra horizontem, et plurima alia infra horizontem nunquam vident. — 165. Cœlum unde sit dictum? — 166. Nomen cœli in sacra Scriptura varie usurpatur, et ostenditur. — 167. Cœlum quid sit? — 168. Cœlum, sicut et mundus, quoad substantiam, durabunt in æternum, licet quoad accidentalia sint immutanda. — 169. Affertur et solvitur objectio, ad n. 170. — 171. Quamvis variæ fuerint et sint opiniones de cœlorum numero, communior tamen, probabilior, et sacræ Scripturæ conformior sententia tres tantum cœlos admittit, nempe æreum, sidereum et empyreum. — 172. Astrum, seu sidus, aut stella quid sit? — 173. Astra, seu sidera, alia sunt fixa, et alia errantia, seu erratica. Fixa vocantur *stellæ*, et errantia, seu erratica appellantur *planetæ*. — 174. Quare stellæ vocentur fixæ, et planetæ errantes? — 175. Planetæ a fixis stellis tripliciter distinguuntur, et assignatur quomodo? — 176. Stellarum fixarum quanta ab astrologis et mathematicis assignetur multitudo? — 177. Dictæ stellæ fixæ distinguuntur ab astrologis et astronomis in sex classes diversæ magnitudinis, et assignantur. — 178. His sex stellarum fixarum classibus adjuncta est septima aliarum exiguarum, et nebulosarum, quæ inter alias sunt illæ *viæ lacteæ*. Hæc *via lactea* unde sit dicta? — 179. Planetæ seu sidera errantia aut erratica sunt tantum septem; quibus majoribus planetis aliæ adjunguntur minores; et assignantur omnes. — 180. Ex dictis septem planetis aliquæ sunt terra majores, et aliæ minores, et assignantur. — 181. Astronomorum supputationes circa magnitudinem planetarum et stellarum fixarum habendæ sunt non ut mensuræ, sed ut æstimationes conjectantis animi; variarum autem mensurarum, et supputationum ratio indicatur versibus hic allatis. — 182. Assignatur tempus quo planetæ et stellæ fixæ suam complent circulationem? — 183. Traditur modus discernendi planetas inter se. — 184. Dicta de numero, magnitudine et motu stellarum ac planetarum, deque diversitate cœlorum et ambitu terræ, solum conjecturaliter sunt habenda, et non certitudinaliter credenda. — 185. Consilium et deprecatio de transeundo a consideratione cœlorum ab astrologis et astronomis mendaciis repletorum ad acquisitionem veritatis sanctorum operum veri cœli empyrei, ac paradisi beatorum. — 186. Adducitur ad id pro contemptu mundi celebre canticum vulgo beati nostri Jacoboni. — 187. Afferuntur insuper ea quæ ad contemnendum mundum adducit vulgo beatus noster Bernardinus de Bustis.—188. In hoc mundo cuncta sunt pulvis, cuncta apparentes prospectivæ, et cuncta sunt nihil. — 189. Hinc Apostolus melius quam alii mundani, sibi consultus, aiebat: *Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo*, et quid per id intelligat? — 190. Adducuntur ad mundi contemptum notabilia dicta. — 191. Ad uberiorem mundi notitiam afferuntur quæ de mundo muliebri in Scriptura, et de jure, habentur. — 192. Mundus muliebris quis dicatur, et unde nomen desumat? — 193. Mundi muliebris nomine quæ contineantur, et quæ non? — 194. Mundo muliebri legato, quæ contineantur, et quæ non? — 195. Ad complementum additur, quod mundus regitur auctoritate Pontificia et regali potestate. — 196. Roma dicitur ab aliquibus posita in medio mundi; quod tamen alii negant dicentes medium terræ potius esse Jerusalem, seu civitatem Arin. — 197. Ad tyronum eruditionem subnectuntur hic nomina cum sua significatione præcipuarum partium mathematicæ, seu matheseos; cujus primogenitæ sunt tres, nempe arithmetica, geometria et statica, ad n. 198. — 199. Arithmetica, quæ juxta suos operandi modos vocatur *algorithmus*, aut *algebra speciosa*, quid sit? — 200. Geometria, quæ a variis suis operationibus vocatur *longometria*, *areometria* et *herometria*, quid sit? quidve ejus partes *trigonometria*, *tetragonometria*, *ciclometria?* — 201. Statica, quæ tot habet partes, quot solent esse potentiæ motrices, seu machinæ, quæque præsertim sunt septem; nempe *vectis*, *axis in peritrochio*, *trochlea*, *rotæ dentatæ*, *planum inclinatum*, *cochlea* tandem et *cuneus?* — 202. Istæ vocantur primæ mathematicæ, a quibus oriuntur secundæ, quæ sunt quatuor, nempe *cosmographia*, *mechanica*, *optica* et *musica*. — 203. Cosmographia quid sit, quidve ejus partes, id est *astronomia*, seu *astrologia*, *geographia* et *meteorologia?* — 204. Sub astronomia seu astrologia comprehenduntur *uranographiâ*, *sphæra* et *theoria planetarum*, et quid sint? — 205. Sub geographia comprehenduntur

Digitized by Google

hydrographia, *chorographia* et *topographia*, et quid sint? — 206. A meteorologia considerantur omnia corpora imperfecta, quæ solent reduci ad quatuor principia, nempe ad *exhalationes*, *vapores*, *habitus* et *fuliginos*. — 207. Mechanica seu machinaria comprehendit sub se quatuor partes, id est *mechanicam simpliciter dictam*, *pyrotechniam*, *pneumaticam* et *hydraulicam*, et quid sint? — 208. Optica seu prospectiva dividitur in *opticam propriam*, in *catopticam* et *dioptricam*; et quid sint? — 209. Musica dividitur in vocalem, quæ continet *melopeiam*, *rhythmicam* et *pneticam*, et in instrumentalem, quæ continet *encordicam*, et *pneumaticam* ac *crusticam*, et quid sint? — 210. Cosmographia habet pro objecto orbem universum : et aliæ particularia sola objecta, id est mechanica pro objecto habet *tangibile*, optica *visibile*, et musica *audibile*. — 211. Secundis mathematicis succedunt tertiæ, quæ sunt quinque, nempe *chronologia*, *gnomonia*, *architectura*, *navigatoria* et *ars militaris*. — 212. Ad chronologiam, quæ est scientia temporum, reducuntur *historia* et *genealogia*. — 213. Ad gnomoniam, quæ est scientia umbrarum, reducitur diversitas horologiorum solarium; horologia autem rotaria, arenaria, clepsydrica, seu aquaria pertinent ad mechanicam, seu machinariam. — 214. Architectura, quæ est scientia fabricarum seu edificationum, dividitur in *civilem*, quæ subdividitur in privatam, et publicam; in *nauticam*, quæ subdividitur in tot partes, quot sunt navium varietates, et in *militarem*, quæ subdividitur in defensivam, uti sunt fortificationes, et in offensivam, uti sunt arietes, cuniculi et similia. — 215. Navigatoria continet duas partes, quæ assignantur. — 216. Ars militaris tradit modum ducendi et reducendi exercitum, et irruendi in hostes et ab ipsis se defendendi. — 217. Subnectuntur add. ex aliena manu, ad n. 226.

(1. Mundus dictus est a verbo Græco κοσμέω, quod latine *ornatum* significat : unde nos a perfecta, absolutaque ejus elegantia ipsum vocamus mundum eo quod nihil eo sit mundius, pulchrius et ornatius. Plinius, lib. II, cap. 1 et 4; Beyerlynck., *Theatr. vitæ humanæ*, t. V, verbo *Mundus*.

(2. Mundus in sacra Scriptura quinque potissimum modis usurpatur. Primo pro rebus ipsis creatis, quibus tota hæc machina visibilis constat. *Joan.* I, 10, ibi : ***Mundus per ipsum factus est***, id est tota universitas, ex eodem cap., n. 3, ibi : ***Omnia per ipsum facta sunt***. Secundo accipitur mundus pro statu præsenti, quo inter homines vivitur. *Joan.*, I, 9, ibi : ***Omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat***, etc.; et cap. IX, 5, ibi : ***Quandiu sum in mundo***; et 39, ibi : ***Ego in hunc mundum veni***, et cap. XIII, 1, ibi : ***Sciens Jesus quia venit hora ejus ut transeat ex hoc mundo***, id est de hoc statu vitæ mortalis; et cap. XVII, 15, ibi : ***Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo***; id est non rogo ut auferas eis vitam, per quam tollantur de hoc mundo. Tertio accipitur pro omnibus hominibus sive bonis, sive malis. *Joan.* XIV, 31, ibi : ***Ut cognoscat mundus quia diligo Patrem***, id est cognoscant omnes homines. Quarto accipitur pro hominibus mundanis, quos vocamus mundanos; quia ea sola, quæ in præsenti vident, desiderant; *Joan.* XVII, 9, ibi : ***Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo***, id est non pro hominibus mundanis; et *ibid.*, 14 : ***Non sunt de mundo, sicut et ego non sum de mundo***; id est isti non sunt mundani, sicut nec ego. Quinto accipitur pro rebus quæ in mundo sunt, et solum habentur hic, et concupiscuntur ab hominibus mundanis, scilicet divitiæ, honores, dignitates et similia. *Epistol. I Joan.*, II, 16, ibi : ***Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ***. Et sic de pluribus aliis consimilibus sacræ Scripturæ textibus supradictam quintuplicem mundi acceptionem comprobantibus.

(3. Celebris est autem tam apud veteres, quam apud novos philosophos et theologos alia quintuplex mundi acceptio; nempe pro mundo archetypo, intellectuali, elementari, mundo magno et mundo parvo. ***Mundus archetypus*** est divina mens, in qua sunt omnes formæ et exemplaria rerum faciendarum; unde Boetius, l. III *De consolation.*, metr. 9.

. . . . . *Tu cuncta Supremo*
Ducis ab exemplo pulchrum pulcherrimus ipse,
Mundum mente gerens, similique ab imagine formans.

Mundus intellectualis dicuntur ipsæ cœlestes intelligentiæ sine omni materia et corpore, sunt enim substantiæ spirituales statu incorruptibiles, durationæ æviternæ, intelligendi virtute sagacissimæ, rerum omnium creatarum verticem, et coronidem eximiis suis præcellentiis et dotibus complectentes. ***Mundus elementaris*** est, qui componitur ex quatuor elementis et corpore cœlesti, quod etiam elementum vocat Aristotel., lib. III, *De cœlo*, cap. 1, text. 1; *Meteor.* I, cap. 3, et initio lib. *De col.* ***Mundus magnus***, qui proprie universum vocatur, est tota creaturarum collectio. ***Mundus parvus*** est homo, qui ab Aristotele, VIII *Physicor.*, c. 2, dicitur a quodam verbo Græco ***Mundus compendiatus***, quem Græci vocant Μικρόκοσμον, id est minorem mundum, eo quod sit omnium rerum epilogus et compendium, et omnium in unum confluentium naturarum possessionem, et totius universitatis summam in se contineat. Habet enim homo, dicit S. Gregorius, hom. 29, *in Evangel.* aliquid omnis creaturæ, ibi : « Omnis autem creaturæ aliquid habet homo; habet namque commune esse cum lapidibus, vivere cum arboribus, sentire cum animalibus, intelligere cum angelis. »

(4. Mundus captus pro universa rerum omnium complexione et distributione, de quo præsertim hic est sermo, variis illustratur titulis. Dicitur enim *machina* propter mirandam ejus structuram et artificium. Dicitur *orbis* propter figuræ rotunditatem. Dicitur *universum*, vel ex eo quod universas, seu omnes creatas res complectatur et involvat; vel ex eo quod mundus ab uno Deo formatus *universum* dicitur, quasi versum unum, seu ad unum Deum ordinatus. Dicitur a Latinis *Mundus* et a Græcis Κόσμος propter ejus munditiam, elegantiam et pulchritudinem.

(5. Mundus ex Aristotele, lib. *De mundo*,

Digitized by Google

cap. 2, ex Possidonio, *in Meteoris* definitur. « Compages e cœlo terraque coagmentata, atque ex iis naturis quæ intra ea continentur; id est ex iis corporibus naturalibus quæ intra cœlum et terram comprehenduntur.

(6. Mundus de facto est unicus; non repugnant tamen plures. Communis inter catholicos cum Scoto, lib. *De primo princip.*, cap. 3, n. 11, et *De rerum princip.*, quæst. 10, n. 23, et colligitur 1 pars ex sacra Scriptura, quæ, quoties de mundo loquitur, unius tantum meminit; sic *Joan.* I, 10 : *Mundus per ipsum factus est*, et sæpissime alibi, ut patet ex testibus adductis supra num. 2, et *Genes.* I, 1 : *In principio creavit Deus* non cœlos et terras, sed *cœlum et terram ;* unde S. Augustinus, lib. *Retractationum*, cap, 10, retractat se, quod dixerit alicubi duos esse mundos.

(7. Hinc nullimode audiendi sunt Manichæi, qui plures invexerunt mundos, quamvis finitos; nec sequaces Democriti, qui cum ipso innumerabiles mundos esse asseruerunt; nec qui infinitos mundos excogitarunt, ut Metrodorus, Anaximander, Anaximenes, Archelaus, Aristarcus, Xenophanes, Leucippus, Epicurus et Anaxarchus, quem, ut refert Plutarchus, lib. *De tranquillitat. animi*) cum Alexander Macedo de mundorum infinitate disserentem audivisset, illacrymasse fertur; rogantibusque ob id amicis num aliquid lacrymandum ei accidisset? An non justum est nos flere debere, respondit, si cum infiniti mundi esse perhibeantur, nondum unius domini simus?

(8. Secunda autem pars, nempe quod non repugnent plures mundi, clare patet, quia nulla potest afferri implicantia, nec ex parte Dei, qui cum sit potentiæ infinitæ et inexhaustæ, tam potens est hodie ad alios creandos, quam fuit ante creationem istius ad istum creandum : neque ex parte creabilium; adeoque plures mundi non repugnant, sed sunt possibiles. Unde sententia negans hanc plurium mundorum possibilitatem, tanquam falsa et erronea merito fuit reprobata et damnata ab universitate Parisiensi sub Stephano ejusdem civitatis episcopo, uti videre est apud Magistrum sententiarum *in fine quarti*.

(9. Mundus non fuit creatus ab æterno, ut senserat Aristoteles VII et VIII *Physicor.*, sed ab initio temporum. Est de fide. *Genesi* enim I expresse habetur : *In principio creavit Deus cœlum et terram;* id est ab initio temporum, ut exponit S. August., quæst. 112, et alii communiter. *Proverb.* VIII, 22 : *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio. Joan.* XVII, 5, ubi Christus alloquens Patrem dicit : *Nunc clarifica me tu, Pater, apud temetipsum claritate quam habui, priusquam mundus esset;* et cap. *Firmiter credimus* 1, De summa Trinitate et fide catholica, ibi : « Ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam spiritualem et corporatem, » etc.

(10. Mundus probabilius creatus est verno tempore in æquinoctio, luna plena et die Dominico. Sic declaratum est omnium consensu in concilio Palæstino de mandato Victoris Papæ congregato a Theophilo episcopo Cæsariensi, in quo fuit conclusum : « Nunc ergo investigavimus, quomodo in principio factus fuerit mundus, id est die Dominico, verno tempore, in æquinoctio, quod est octavo Kalendarum Aprilium, luna plena: per ipsum tantummodo tempus et elementa resurgunt. » Sic apud Paravicinum in *Polyanthea sacror. canonum*, verbo *Creatio mundi*. Et Magister *Historiæ scholasticæ* in historia libri *Geneseos*, affirmat « dogma esse Ecclesiæ, mundum esse creatum in Martio. » Et Ecclesia ipsa hymno ad matutinum Dominicæ canit.

Primo die, quo Trinitas
Beata mundum condidit
Vel quo resurgens Conditor
Nos morte victa liberat.

Et antiquitus ante ejus reformationem sic canebat :

Primo dierum omnium,
Quo mundus exstat conditus,
Vel quo resurgens Conditor
Nos morte victa liberat.

Et sic tenent PP. Eusebius, Athanasius, Cyrillus Hierosolymit., Nazianzenus, Damascenus, Ambrosius, Augustinus, Theodoretus, aliique plures sancti, et classici doctores, quos 20 numero citat Torniellus, 25 Ascanius Martinengus; et longe plures Molina, Genebrardus, Clarius, Delrius, a Lapide, et Salianus apud Tirinum, tom. I, cap. 9, *Chronic. sacr.*, ubi solide probant hanc sententiam, quam tuentur plures alii moderniores, ut Beyerlinck, *loc. cit.*; Frassen., *De mundo*, quæst. 3, conclus. 2; Boyvin., tom. I *Thelog.*, quæst. 1, in fine de creatione mundi; et tom. II *Philos.*, disp. 1, cap. 3, quæst. 7; Dupasquier, tom IV *Philosoph.*, disp. 1, *De mundo*, quæst. 4, conclusion. 1; Goudin., tom. III *Philos.*, quæst. 1. *De mundo*, artic. 2, quæsit. 2., et plurimi alii, cujus sententiæ fuerunt etiam veteres poetæ; unde Virgilius, lib. II *Georgic.*, hæc habet :

Nec alios prima nascentis origine mundi
Illuxisse dies, aliumve habuisse tenorem
Crediderim : ver illud erat, ver magnus agebat
Orbis, et hybernis parcebant flatibus Euri.

(11. S. Hieronymus tamen, Liranus, Tostatus, Scaligerus, Petavius, Usserius, Torniellus, Strauchius, Fortunatus a Brixia, et alii volunt quod probabilius mundus creatus fuerit in æquinoctio autumnali, quia, dicunt ipsi, mundus creatus est eo tempore quo fructus maturi erant, ut sic mensa apponeretur homini et animalibus, ut patet ex cap. II, 9 *Genesis*, ibi : *Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, et ad vescendum suave;* et ex cap. III, 6, ibi : *vidit igitur mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, et pulchrum oculis, aspectuque delectabile, et tulit de fructu illius, et comedit, deditque viro suo, qui comedit.* Fructus autem maturescunt

Digitized by Google

tempore autumni, et non tempore veris, adeoque etc. Tum quia annus antiquus Hebræorum ante eorum exitum ab Ægypto incipiebat ab æquinoctio autumnali, adeo ut nova sanctione opus fuerit, ut annum Ecclesiasticum ab æquinoctio verno Hebræi auspicarentur, ut patet *Exodi* cap. XII, 2, ibi : ***Mensis iste*** (quo nimirum Hebræi egressi fuerant de Ægypto) ***sit vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni.*** Tum etiam, quia ramum virentis olivæ attulit columba in arcam undecimo mense, *Genes.* VIII, 5 et sequentibus; cum autem mense Januario, qui undecimus esset, si a vere annus inchoaretur, non vireat, signum est, mundum non fuisse creatum in æquinoctio verno, sed autumnali.

(12. At istæ rationes adductæ ab asserentibus mundum probabilius creatum fuisse in æquinoctio autumnali, vel nihil contra nos probant, vel potius nostræ favent sententiæ asserenti mundum probabilius creatum fuisse in æquinoctio verno. Et revera prima eorum ratio nihil contra nos, sed potius nostræ favet sententiæ, quia in illa sic bene temperata regione, in qua creatus est homo, primaque animantia terrestria, plures fructus in vere, et salubres herbæ abundant; imo bene temperatis regionibus Orientis, et præsertim ubi paradisus terrestris fuit constitutus, plurimæ arbores toto anno fructibus graves sunt, aliis incipientibus, aliis maturescentibus, aliis omnino maturis, uti etiam videre est in pluribus Europæ provinciis; et ex iis quæ fructibus aliquando spoliantur in Oriente, plures sunt, quæ in verno, quam quæ in autumnali æquinoctio maturos fructus habent, ut experientia demonstrat, nam ante finem æstatis fere omnes fructibus spoliatæ, et nudæ sunt. Secunda autem eorum ratio non subsistit, quia ut recte ostendit eruditissimus Tirinus tom. I in *Chronico sacro*, cap. 5, apud Hebræos annus antiquus inchoabatur ab æquinoctio verno; et secundum hunc calculum processerunt omnes anni a mundo condito usque ad ingressum ipsorum Hebræorum in Ægyptum; in Ægypto vero sese accommodarunt calculo Ægyptiorum, qui annum suum inchoabant a mense *Toth*, qui fere respondet nostro Septembri, ut patet ex traditis sub verb. KALENDARIUM, n. 35. At statim ac ex Ægypto egressi sunt, jussit Deus ipsis Hebræis, ut annum, sicut antea, rursus a Vere inchoarent, ut patet *Exodi* XII, 2, per ipsamet verba adducta ab adversariis *supra*, n. 11. *Vide* ipsum Tirinum, *l. cit.*, ubi multa adducit ad rem etiam de initio anni civilis et anni sabbatici ac jubilæi. Nec etiam urget tertia adversariorum ratio, quia oliva hieme quoque media, adeoque toto anno viret. Tum quia teneriores illius ramusculi quales columba decerpsisse videtur, in calidioribus illis regionibus exeunte potius hieme, quam æstate succrescunt.»

(13. Probatur autem nostra conclusio ex sacra Scriptura. *Genesis* enim cap. I, 11, habetur : *Germinet terra herbam virentem, et facientem semen, et lignum pomiferum faciens fructum juxta genus suum*, ergo eo tempore creata est terra, quo incipit germinare herba; nam si creata fuisset in autumno, ut volunt citati adversarii, aut in æstate, ut cum aliis voluit Gerardus Mercator, *De methodo demonstrationis temporum*, cap. 1, apparuisset cum herbis, plantis, etc. Unde S. Theodoretus in quæstione 72 *supra Exodum*, cum hanc proposuisset dubitationem : cur prima die mensis Deus jussit erigi tabernaculum? eam solvit his verbis : « Propterea quod eodem fere tempore Deus creaturas condidit : cujus rei fidem facit arborum germinatio; *Germinet*, inquit, *terra herbam virentem* etc., incipiente enim vere, prata florere solent, segetes semina concipiunt, arbores fructum emittunt. » Et S. Ambrosius cap. 4, lib. I *Hexameron* sic expresse dicit : « In hoc principio, quo Pascha jussu Dei celebrant Judæi, cœlum et terram fecit Deus, quod inde mundi capi oportebat exordium, ubi erat opportuna omnibus verna temperies; unde et annus mundi imaginem nascentis expressit, ut post hibernas glacies, atque hiemales caligines, serenior solito verni temporis splendor eluceat. Dedit ergo formam fluxus annorum curriculis mundi primus exortus, ut ea lege annorum vices surgerent, atque initio cujusque anni produceret terra nova seminum germina, quo primum Dominus Deus dixerat, *Germinet terra herbam*, » etc.

(14. Tum quia valde verisimile, et credibile est, eodem tempore fuisse formatum primum Adamum, quo postea Christus secundus Adamus; et eodemmet tempore fuisse mundum primo creatum, quo fuit postea recreatus, et redemptus per Christum : atqui constat, Christum incarnatum, et mortuum esse, et resurrexisse in æquinoctio verno; ergo in hoc verno æquinoctio fuit conditus mundus. Tum etiam, quia vernum tempus comparatur juventuti, et autumnus senectuti, adeoque illud aptius est ad nascentis mundi ætatem, cum in illo generante terra, virentibus herbis, florescentibus arboribus, et quasi revirescentibus animantibus, mundus quodammodo renascens, eodem se tempore primum a Deo esse conditum non obscure declaret : et e contra autumnus magis corruptioni, quam generationi rerum conveniat, cum in ipso arborum folia decidant, virore, vigoreque suo privata omnia paulatim flaccessant, et ad interitum ferantur.

(15. Mundus non fuit creatus in instanti, sed revera sex dierum naturalium spatio. Sic sanct. Joann. Chrysostom., homil. 3 *in Genes.*; S. Ambrosius lib. I *Hexameron.*, cap. 7; S. Basilius, homil. 2 *in Genes.*; S. Gregor. Nazianzenus, orat. 48, et S. Gregor. Magnus, lib. XXXII *Moral.*, cap. 10, quibus subscribunt omnes fere alii sancti Patres, ac scholastici, excepto S. Augustino (112),

(112) *Vide* præter Norisium in Vindiciis Augustinianis, et Natalem Alexandrum dissert. 1, in pri-

Digitized by Google

cum, etiam in die Parasceves. *Vid.* d. verb. EUCHARISTIA, n. 39.

(15. Si Moribundus ob tussim vel aliam causam sumere non possit viaticum, non debet ad illum deferri SS. Eucharistia devotionis causa. *Vide* d. verb. EUCHARISTIA, num. 50.

(16. Pro consecrando viatico dando moribundo non est licitum sacerdoti non jejuno celebrare. *Vide* verb. INFIRMUS, num 28.

(17. Aliqui tamen tenent contrarium. *Vide* d. verb. INFIRMUS, n. 29, * et Benedictum XIV. *De sacrif. missæ*, lib. III, c. 12, n. 8, ubi istorum opinionem refellit, negatque absolute sacerdoti non jejuno celebrare missam licere, ut infirmo viaticum possit ministrari *.

(18. Pro viatico dando moribundo non debet consecrari hostia extra sacrificium, etiam in necessitate. La Croix, l. VI, part. I, num. 610, ubi cum Dicastill., d. 10, num. 344, testatur de communi contra Majorem putantem id esse licitum. (19 In simili necessitate Major docet esse licitum sacerdoti Latino consecrare in fermentato, quam sententiam Tannerus et alii non audent damnare. Attamen oppositam sententiam docet *Communis* cum Dicastill. et La Croix *loc. cit.* num. 610, quia præceptum viatici non obligat cum tanta deformitate ritus. * Atque huc pertinent quæ habet Benedictus XIV in constitut. *De dogmatibus et ritibus ab Italo-Græcis tenendis atque servandis; Bullar.*, tom. I, numer. 57, § 6, *De sacram. eucharistiæ et missæ sacrificio*, num 10. « Cum in sacro generali Florentino concil. præscriptum sit ut unusquisque sacerdos Eucharistiam juxta Ecclesiæ suæ ritum, sive Latinæ, sive Græcæ in azymo, seu fermentato conficere debeat, vetitumque a Summis Romanis Pontificibus, prædecessoribus nostris, ne Latinus sacerdos Græco ritu, aut Græcus Latino utatur; districtius inhibemus, etiam sub pœnis perpetuæ suspensionis a divinis, ne presbyteri Græci Latino more, et Latini Græco ritu, sub quovis licentiarum et facultatum missas et alia divina officia Græci Latino more, et Latini Græco ritu celebrandi, ab Apostolica Sede, vel ejus legatis, ac etiam majori pœnitentiario pro tempore existente obtentarum prætextu, missas et alia divina officia celebrare, vel celebrari facere præsumant. » Itaque in *Appendice de Orientalis Ecclesiæ circa eucharistiam disciplina*, subjecta tractatui P. Antoine *De eucharistia*, § 1, pag. 153, ibi, indicata obligatione quam quisque habet manendi in semel suscepto ritu, subditur : « Ex iis optime concludit Verricellus, non licere sacerdoti Latino uti fermentato in Ecclesia Græca, nec Græco in Ecclesia Latina azymo, etsi populus diu deberet sacrificio privari, et proximus absque viatico decedere. Quia utilitas communis privatorum commodis præferenda est : ad communem vero utilitatem pertinet Ecclesiæ servare præscriptos ritus : et quia præceptum sumendæ eucharistiæ in articulo mortis, et audiendi sacri in diebus festis non obligat, nisi dum sacrum celebrari possit servatis legibus ac ritibus ab Ecclesia stabilitis. Igitur, ut sacerdos non jejunus celebrare nequit pro communicando moribundo, vel ut populus audiat sacrum die festi, ita sacerdos Latinus nequit in fermentato consecrare contra Ecclesiæ præceptum, ut populus sacrum audiat, vel ut morti proximus eucharistiam sumat.

(20. In defectu sacerdotis Latini potest moribundus sumere viaticum a sacerdote Græco consecratum in fermentato : la Croix, *loc cit.*, Tamburin., cap. 2, § 9, n. 12, et alii. (21. Moribundus, an si nequeat sumere viaticum sub specie panis, sit ei dandum sub specie vini ? Variant doctores. Nugnus enim, et Ochagan. tenent affirmativam sententiam, quia, dicunt ipsi, præceptum divinum de sumendo viatico prævalet humano de communicando solum sub specie panis, et id probabile censent Diana, Escobar et alii apud La Croix, *loc. cit.*, n. 611. Negativam autem probabilius docent Fagnanus, Suarez, Diana, Amicus, Lugo, Tamburin., Dicastill., Platell. citati et secuti a La Croix, *loc. cit.*, n. 611, dicentes non teneri moribundum in tali casu sumere viaticum sub specie vini, non quod præceptum humanum prævaleat divino, sed quia divinum non obligat, nisi quando observari potest cum debita reverentia, et principalibus ritibus, et quasi substantialibus cæremoniis ab Ecclesia præscriptis. * « Alias orta est dubitatio, inquit Benedictus XIV, *De missæ sacrificio*, lib. III, cap. 19, n. 6, an moribundo qui Eucharistiam sub specie panis deglutire non posset, liceret eam præbere sub specie vini, seu sub specie panis vino consecrato intincti; qui respondebat licere concil. Toletano XI habito anno 675, sententiam suam fulcire poterat; ea enim synodus, can. 11, statuit, si æger sacram non possit particulam deglutire, ut ei præbeatur eucharistia sub specie vini : sunt etiam alia monumenta Ecclesiasticæ historiæ, ex quibus intelligitur, Eucharistiam exhibitam fuisse sub specie panis vino consecrato intincti, ut ostendunt Martene, lib. I *De sacr. Eccl. ritibus*, cap. 4, art. 10, n. 13; card. Bona, lib. II *Rer. liturgic.*, cap. 18, n. 3, et Mabillonius, 1 præfat. in sæculum XI ordinis Benedictini, n. 75, observat 10. Vera tamen opinio est, id fieri non posse : præceptum enim suscipiendi viaticum non obligat, cum illud gravibus de causis ab Ecclesia negatur : compertum autem est Ecclesiam usum calicis laicis et sacerdotibus missam non celebrantibus prohibuisse, non modo propter plures irreverentias quæ identidem committebantur, sed etiam propter hæresim eorum qui garriebant sub specie panis non contineri corpus Christi, vel præceptum esse Christi, ut Eucharistia sub utraque specie sumatur. Ita respondent Suarez, in III part., tom. III, disput. 71, sect. 3, circa fin.; cardinalis de Lugo, *Respons. moral.*, lib. I, dub. 10, n. 2 et 8 clericatus, decis. 14, cas. 2, n. 15 et seq., *De sacram. euchar.* Pax Jordanus, tom. I, lib. III, tit. 3, num. 34, monet, in ejusmodi casu posse moribundo sacram exhiberi particulam aqua,

Digitized by Google

vel vino non consecrato intinctam, ut eam æger possit deglutire; lex enim de naturali jejunio servando eum non obligat qui viaticum sumit.* »

(22. Perpetuo amenti moribundo non est dandum viaticum. S. Thomas, qu. 80, art. 9, in *Opuscul.*; La Croix, lib. VI, part. I, num. 654 quia, ut ibi notat, id prohibet Rituale Pauli V. (23. In dubio an adulti amentes utantur ratione, Gobat, tract. 4, n. 173, 417 et 418; La Croix, *loc. cit.*, num. 655, et alii dicunt esse eis dandum viaticum, quia in dubio favendum est potius homini, pro quo institutum est sacramentum, cum certo ipsi prosit, et probabiliter possit etiam causare primam gratiam, si forte homo ille in mortali esset, de quo saltem attritionem habuisset.

(24. Amentibus qui usum rationis habuerunt, nec sciuntur amisisse illum, in mortali dandum est viaticum. S. Thomas, *loc. cit.*; *Cathechism. Roman.*, *De euch.*, cap. 11, num. 2, La Croix, *loc. cit.*, num. 656, quia hoc ipso, quod nesciatur amisisse usum rationis in mortali, præsumendum est esse in gratia, quia potuerunt vel sine ulla, vel cum levi tantum culpa amisisse. Gobat, *loc. cit.*, num 151, cum communi, ut testatur La Croix, *loc. cit.*

(25. Phrenetico aut deliranti, sive ex mania, sive ex morbo, si, quando alligatur, accipiat cibos, debet etiam alligato dari viaticum. S. Thom., Aversa, Sanch., Diana, Gobat, secuti et citati a La Croix, *loc. cit.*, num. 660. (26. Si autem sit dubium, an reverenter susceperus sit, faciendum est experimentum cum una vel altera particula non consecrata, et si aliquam reverenter suscipiat, danda est ei etiam consecrata. La Croix, d. num. 660, cum Layman, Castropalao, Diana, Gobat ibi citatis (110).

(27. Moribundo in defectu parochi potest dari viaticum a quolibet sacerdote, sive sæculari, sive regulari, et in defectu sacerdotis etiam a diacono. *Communis* cum Layman, lib. V, tract. 4, cap. 7; Busemb. et La Croix, lib. VI, part. I, num. 479. Imo Suar., Coninch., Laym., Præpositus, Dian., et alii apud Busemb. et La Croix, *loc. cit.*, n. 479, dicunt in articulo mortis, in defectu supradictorum, posse ei dari viaticum etiam a laico. Quod tamen ob contrariam consuetudinem non est facile practicandum, ut docent Lugo, Bonac., cum ipso Buzemb. et La Croix, *loc. cit.*

(28. Pro consecrando viatico dando regulari infirmo in domo privata consanguineorum, seu aliorum sæcularium, non potest ab alio regulari erigi ibi altare portatile, et sacrum peragi, et inde viaticum ipsi ministrari absque licentia ordinarii aut parochi. Sic expresse sacra congregatio Concilii *in Messanen. privilegii*, 20 Sept. 1690, lib. XLVIII *Decr.*, pag. 471, ubi propositis dubiis. Primo : « An regularis Theatinus potuerit licite erigere altare portatile, sacrum peragere, et sanctissimum viaticum ministrare alteri regulari infirmo in domo privata illius consanguineorum absque licentia ordinarii aut parochi ? Secundo : An possit ordinarius in hoc et similibus casibus procedere contra regulares etiam ad censuras? » Respondit « ad 1 *negative*, ad 2 *affirmative*, sed in præsenti non molestandum. » Sic refert. eminentiss. Petra, tom. III, *Commentar. ad constit.* 11 *Alexandr. IV*, n. 33 (111).

(29. Moribundo, si fuerit catholicus, et non constet esse in mortali, dandum est sacramentum extremæ unctionis, etiamsi illud non petierit, nam hoc ipso censetur interpretative voluisse et petiisse quod alii Christiani, etiamsi de eo sacramento nunquam audierit. Busemb. et La Croix, lib. I, p. I, n. 163, et alii passim.

(30. Moribundus tenetur ultra sacramentalem confessionen actum contritionis perfectæ elicere, licet enim constitutus in articulo mortis non teneatur confiteri cum contritione perfecta, eo quod moraliter certum est sacramentum pœnitentiæ cum attritione ad justificationem sufficere, quemadmodum liquet ex Tridentin., ses. XIV, cap. 4 (*Vide* verb. POENITENTIÆ SACRAMENTUM), et ex propositionibus 14 et 15 ab Alexandr. VIII damnatis, ac sub verb. *Propositiones damnatæ* allatis; tamen ad id tenetur ex alio capite, quia scilicet quilibet fidelis tenetur præsertim eo puncto, in quo agitur de summa rerum, et momento, a quo pendet æternitas, suæ saluti prospicere, atque consulere omni meliori, quo fieri potest modo, qualis est eliciendo præter confessionem sacramentalem actum contritionis præfectæ; nam non sumus infallibiliter certi de ministro baptismi, ac de ordinatione sacerdotis, etc., pro quo tamen eliciendo cavere debet moribundus, ne obrui sinat ab iis quæ diabolus descendens tunc magnam habens iram, sciens quia modicum tempus habet, impie evomit, ac invide opponit; sed fiducialiter ad supernum auxilium confugiat, ac firmiter fideliterque sibi suasum habeat,

(110) *Nota Romani theologi.*— Si experimentum fiat cum particula non consecrata, infirmus periculo exponitur actus idololatriæ, qui, licet materialis sit respectu illius, permitti tamen non potest. Falsum quoque est quod n. 27 asseritur de laico, qui possit necessitate urgente viaticum deferre. Tantam enim in sacram eucharistiam venerationem exposcit Ecclesia, ut laicis etiam tactum sacrorum vasorum interdixerit; quis ergo credat permittere eisdem, ut eucharistiam tangant, deferantque ad infirmos? Non desunt sane in antiqua Ecclesia exempla laicorum qui Eucharistiam ad infirmos detulerint; at alia nunc tempora sunt, aliæ Ecclesiæ consuetudines, aliæ leges necessariæ ad servandam ac fovendam debitam huic sacramento venerationem. Permittendum itaque ut potius sine viatico infirmus decedat, quam ut leges violentur ab Ecclesia latæ; ne laici Eucharistiæ sacramentum administrent.

(111) Nec parochus neque etiam ordinarius licentiam concedere regularibus potest, ut in domo infirmi altare portatile erigant, ibique celebrent, ut inde viaticum administrent; sed necessaria est Summi Pontificis licentia.

Digitized by Google

viscera misericordiæ non deesse sperantibus in Deum, et fore miserationes ejus super omnia opera ejus. *Psal.* CXLIV, versicul. 9, idcirco opem suam largiter fortiterque in corda fidelium effundere medio pretiosissimo, ac sanctissimo Redemptoris Jesu Christi sanguine pro totius mundi salutare ineffabiliter et incomprehensibiliter dato.

(31. Moribundi possunt, imo etiam quandoque tenentur contrahere matrimonium. *Vide* verb. IMPEDIMENTA MATRIMONII, art. 6, n. 58.

(32. Moribundum in articulo mortis constitutum nec licite, nec valide posse absolvi a sacerdote excommunicato vitando, seu degradato, aut hæretico mordicus defendit Fagnanus, in cap. *Non est vobis* 11, De sponsalibus, per tot., ubi adducit ad id expressam declarationem sacræ congregationis Concil. in hæc verba : « Episcopus Valentinus petiit declarari utrum pœnitentes in articulo mortis constitutos possit a casibus reservatis absolvere quilibet sacerdos, etiam excommunicatus et denuntiatus, » ut tenuit Navarr., *De regulis confessariorum*, cap. 27, n. 272, vers. *Quod per eadem verba*, fol. 551. Et congreg. generalis Card. Moroni, Alciat., Senonen. M. Alt. S. Sixti censuit « non posse, quia communis opinio videtur illa, quod tales excommunicati non possint etiam in hoc casu necessitatis. » Quam sententiam confirmant isti cardinales auctoritatibus tredecim celeberrimorum auctorum, nempe Magistri sententiarum, S. Thomæ, Scoti, Durandi, Capreoli, S. Antonini, Turrecrematæ, Bacchon., Alexandri de Ales, Richardi, Abbatis, Decii et Navarri. Et postea explicant quo sensu debeat intelligi hac de re concilium Trident. « Nec obstat caput 7, *De casuum reservatione*, quia debet intelligi de omnibus sacerdotibus in unitate Ecclesiæ viventibus, referendumque ad eos sacerdotes, de quibus eodem capit. 7, in prima et secunda parte agitur, qui habent ordinariam vel delegatam potestatem. » Hæc sunt propria dictæ declarationis verba, ut testatur Fagnanus, *loc. cit.*, n. 2. Hanc negativam sententiam secuti sunt S. Raymundus, Covarruvias, Joannes Medina, Panormitanus, Præpositus, auctor *Glossæ Decreti Gratiani ;* auctor *Colloquiorum Condomensis diœcesis*, et alii citati et secuti a Joanne Pontas, verb. *Absolutio*, casu 31, in fine; Matthæuc. *Official. cur.*, cap. 2, n. 19; Pignat., tom. X, consult. 136, n. 15, et alii innixi supradictæ cardinalium declarationi; qua vera supposita, et a Summo Pontifice, ut supra exponitur, approbata, non esset ullimodo ab ipsa recedendum. *Vide* tamen *infra*, num. 39.

(33. At vero affirmativam sententiam, nempe posse pœnitentem in articulo mortis, in defectu alterius sacerdotis habilis, licite et valide absolvi a sacerdote excommunicato vitando, seu degradato, aut hæretico, sustinent Paludanus, Silvester, Sotus, Melchior, Canus, Toletus, Azorius, Bonacina, et auctor *Colloquiorum diœcesis Antuerpiensis* apud Pontas, *loc. cit.*; Reiffenstuel, lib. v *Decretal.*, tit. 7, § 8, num. 408, testans de communi; La Croix, l. VI, part. II, num. 1560, testans cum Ariaga de communissima; Barbosa *in concil. Trid.*, sess. XIV, *De sacram. pœnitent.*, cap. 7, num. 13, cum Cano, Navarro, Toleto, Comitolo, Azorio, Reginaldo, Coninch, Riccio, Bonacina, Layman, Suarez, Molina, Torreblanca, Fagundez, Bossio, et Hurtado ibi citatis; Rosignolus, *De pœnit.*, part. I, qu. 7, art. 6, a num. 10 ad 14, cum aliis ibi citatis; Felix Potestas, tom. I, part. IV, cap. 5, n. 3245, et tom. III, part. I, num. 171, cum aliis ibi allegatis; Gobat, tom. I, tract. 7, n. 129, Sporer, tom. III, part. III, c. 6, quæst. 6, num. 724, testans cum Layman, card. de Lugo, et aliis de communissima doctorum, qui, præsertim Gobat, et Sporer, ac alii intelligunt super allatam declarationem sacræ congregat. Concilii apud Fagnan., *loc. cit.*, de absolutione data ab excommunicato vitando, degradato, hæretico, aut apostata in præsentia alterius sacerdotis carentis illis vitiis, quæ utique absolutio esset et illicita et invalida, juxta etiam dicta sub verb. ABSOLUTIO, art. 1, num. 51 et 52. At si nullus omnino adesset alius sacerdos, esset et licita et valida, quia verba concil. Tridentini, cit. sess. XIV, cap. 7, amplissime, et generalissime exprimunt, quod in illo articulo extremæ necessitatis, « ne hac occasione aliquis pereat... Omnes sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt ; » qui autem omne dicit, nihil excludit ; l. *Hoc articulo* 29, ff. *De hæredib. instituend.*; l. *Si cui servo omnes* 52, ff. *De legatis* 1; l. *Penum meam omnem* 7, ff. *De penu legata;* cap. *Si Romanorum* 1, dist. 19, cap. *Solitæ* 6, § *Nobis*, De majoritate et obedient., et ibi *Glossa* verb. *Quodcunque*, expresse dicens : « Qui dicit omnia, nihil excepit. » Verba enim generalia generaliter sunt intelligenda, cap. *Quia circa* 22, *De* privilegiis, cum similibus, et ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus; l. *Non distinguemus* 32, ff. *De receptis arbitris ;* l. *Præses* 3, *De officio præsidis;* l. *De pretio* 8, ff. *De publiciana in rem action.*, cit. cap. *Quia circa* cum similibus.

(34. Tum quia credendum non est, quod Ecclesia voluerit deserere pœnitentes in tali extrema necessitate constitutos, sed potius tanquam pia mater voluerit illis succurrere hoc salutari præsidio, habilitando sacerdotes etiam rescisos ad absolvendum in defectu aliorum, sicuti etiam per adversarios habilitantur simplices sacerdotes nondum ad confessiones excipiendas approbati ex cit. sess. XIV, cap. 7 concil. Tridentin. hac potissima ratione, « Nec hac occasione aliquis pereat. » Unde in consimili extrema necessitate pia mater Ecclesia permittit quod baptismus possit recipi etiam ab hæretico et excommunicato, cap. *Præter* 6, § *Verum*, dist. 32; cap. *Si quem forte* 40, caus. 24, quæst. 1, cum similibus; adeoque censendum est, quod permittat in extrema necessitate recipi etiam posse pœnitentiam,

Digitized by Google

cum baptismus parvulorum, et pœnitentia morientium sint sacramenta necessitatis, secundum *Glossam* in cap. *Non est vobis* 11, De sponsalib., verb. *Baptismum parvulorum;* uti videtur innui etiam in ipsomet cap. *Non est vobis*, ubi tempore interdicti Anglis impositi, interdicuntur omnia divina, et sacramenta, « præter baptismum parvulorum, et pœnitentias morientium. » Hinc in Rubro, et Summa, d. c. *Si quem forte*, sic habetur : « in extremo positus etiam ab hæretico pœnitentiam accipere valet. » Nam quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum, cap. *Quod non est* 4, De regul. juris. Necessitas enim non habet legem; cap. *Sicut* 11, d. 1, De consec., c. *Omnes* 1, De feriis; cap. *Consuluisti* 3, De celeb. missar.; c. *Consilium* 2, De observat. jejunior., cum similibus. Unde sacri canones passim clamant morientibus pœnitentiam non esse denegandam, cap. *Si quis de corpore* 6, cap. *Si recedunt* 7; cap. *Is qui pœnitentiam* 12; cap. *Agnovimus* 13; cap. *Presbyter* 14, dist. 26, q. 6; c. *Quod in te* 11, De pœnitentiis et remissionib., cum similibus.

(35. Hinc attenta piæ matris Ecclesiæ, ac tot sacrorum canonum benigna interpretatione, et innumera doctorum copia, necnon pene communi, ac communissima opinione, testibus supra allatis, auctoribus pro sententia affirmativa, concludendum est, posse moribundum in extrema necessitate articuli mortis, in defectu alterius sacerdotis habilis, absolvi a sacerdote excommunicato vitando, degradato, hæretico aut apostata; et allata sacræ congregationis declaratio intelligenda videtur de absolutione data a sacerdote excommunicato vitando, degradato, hæretico aut apostata, in præsentia alterius sacerdotis carentis dictis vitiis, quæ utique absolutio, ut dicebatur, esset et illicita, et invalida, non autem de absolutione data ab ipso in defectu alterius sacerdotis habilis, ut eam explicant Gobat, et Sporer, *locis citatis*, et alii, quia adhuc verificaretur de ipso, quod esset sacerdos juxta concessionem concilii : *Omnes sacerdotes*, cum ejus sacerdotalis character sit indelebilis, et in tali casu extremæ necessitatis, « ne, juxta piissimam mentem concilii, hac occasione aliquis pereat, » Ecclesia tollit omne impedimentum canonicum ex parte sacerdotis, eique dat omnimodam jurisdictionem ad id necessariam; cum interpretatio semper facienda sit in benigniorem partem, cap. *Cum tu* 16, De testibus, cum similibus. Si autem auctoritative, et clare constaret, quod mens sacræ congregationis et Summi Pontificis esset, quod neque in defectu alterius habilis sacerdotis possit moribundus in tali extrema necessitate articuli mortis absolvi a sacerdote excommunicato vitando, degradato, hæretico aut apostata, non esset ab ipsa sententia negativa recedendum, quia in claris non admittitur interpretatio, ut docet communior doctorum post *Glossam* in c. *Cum dilectus* 8, De consuetud., verb. *Nec juri communi*, et colligitur ex l. *Licet imperator* 74, ff. *De legatis* 1, et l. *Ille aut ille*, 25, ff. *De legatis* III, et ubi expresse habetur lex, cessat omnis opinio, c. *Sicut* 2, dist. 15; c. *Si quis eorum* 8, dist. 30, cap. *Cuncta per mundum* 17, caus. 9, quæst. 5, cap. *Canonum statuta* 1, et cap. *Quoniam* 13, De constitution., cum similibus. Vide infra n. 39.

(36. Hic abs re non erit advertere ex Rutilio Benincasa, et variis gravibus auctoribus tacito nomine ab ipso allegatis in suo libro, cujus titulus *Almanacco perpetuo*, etc., p. IV, tract. 5, c. 14, quod moribundi deficere solent morte naturali fere semper in maris detumescentia, seu refluxu. Quando autem intumescat et detumescat mare, ad id explorandum, præmisso quod maris fluxus et refluxus, intumescentia et detumescentia unus sit ex mirabilibus effectibus, quos luminare minus, seu luna mirabiliter præstat, et quod in unoquoque suo lunari die aquas crescere et decrescere faciat, ut sequitur, id est sex horis, et uno horæ quinto eas crescere, aliis sex horis, et uno horæ quinto eas descrescere efficiat, et ita successive de reliquo sui diei spatio, ac consimiliter de aliis suis diebus, prælaudatus auctor proponit exemplum dati diei, in quo quis exoptat scire quæ supra, ac tabulam perpetuam, quam ad idem propere sciendum subnectit, etiam exponit. Unde ea ibi pro opportunitate ab exoptantibus regulæ praxim, utrique medico et infirmariis, ad propositum perutilem non minus ac nautis ad suum, de facili legi, vel transcribi poterit, advertendo tamen librum hujusmodi pluribus scatere erroribus, ne in ipsos dilabamur.

(37. His adde, quod sanctæ mem. Summus Pontifex Benedictus XIV, anno 1747, die 5 April., constitut. incipient. *Pia mater catholica Ecclesia*, ampliavit episcopis facultatem impertiendi benedictionem cum indulgentia plenaria fidelibus in mortis articulo constitutis; etiam per alios, tam in civitatibus quam in diœcesibus ab ipsis subdelegatos. Ubi enim prius episcopis hanc facultatem petentibus concedebatur ad solum triennium, et hac lege, quod per seipsos immediate hanc benedictionem cum p. indulg. applicatione ægrotis in articulo mortis constitutis largirentur, nec ipsi necessitate urgente, et quidem nocturno tempore, alium sacerdotem in singulis peculiaribus casibus subdelegare possent : inde Pontifex eam ipsis ampliat, et concedit ad vitam, ut latius in ipsa constitutione, declarans insuper quod etiam plures pios sacerdotes, sive sæculares, sive regulares, prout necessarium fore judicabant, in eorum civitatibus subdelegare valeant, qui dum ipsi antistites aliquo legitimo impedimento detinebuntur, quamvis hujusmodi impedimentum diurno tempore occurrat, eorum vice dictam benedictionem cum indulgentiæ plenariæ applicatione præfatis ægrotis impertiantur; aliosque similiter per diœcesim sæculares, aut regulares sacerdotes, quotquot necessarios judicaverint, ad prædictum effectum

Digitized by Google

deputare, et subdelegare possint; nec non eosdem a se deputatos removere, ac alios in eorum locum pro suo arbitrio, et prudentia subdelegare valeant. Hanc eamdem facultatem statuit esse in posterum concedendam omnibus episcopis, qui eam a Romano Pontifice postulaverint; et similiter omnibus prælatis inferioribus territorium separatum habentibus, cum vera qualitate nullius, et activa in clerum, et populum jurisdictione. Dummodo ipsi prælati hanc gratiam postulantes, sancta apostolorum limina præscriptis temporibus visitaverint, et relationem status suarum Ecclesiarum Apostolicæ Sedi exhibuerint, et debitum juramentum in prima eorum assumptione ad dictas prælaturas præstiterint, juxta præscriptum ab ipso Pontifice in sua constitut. incip. *Quod sancta.*

(38. Affertur modus pro supradicta benedictione impertienda ab ipso Benedicto XIV traditus, et approbatus in allegata sua constitutione incipiente *Pia mater.* « Habens igitur prædictam facultatem, vel simile privilegium, ingrediendo cubiculum ubi jacet infirmus, dicat : *Pax huic domui*, etc., ac deinde ægrotum, cubiculum et circumstantes aspergat aqua benedicta, dicendo antiphonam *Asperges*, etc. Quod si ægrotus voluerit confiteri, audiat illum, et absolvat. Si confessionem non petat, excitet illum ad eliciendum actum contritionis, de hujus benedictionis efficacia et virtute, si tempus ferat, breviter admoneat, ac de aliis, prout videbitur expedire instruat, ut ibi latius. Tum piis ipsum verbis consoletur in spem erigens fore ut ex divinæ munificentiæ largitate eam pœnarum remissionem, et vitam sit consecuturus æternam. Et postea dicat :

℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.*

℟. *Qui fecit cœlum et terram.*

Antiphona. *Ne reminiscaris, Domine, delicta famuli tui* (vel *ancillæ tuæ*), *neque vindictam sumas de peccatis ejus.*

Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison.

Pater noster, etc.

℣. *Et ne nos inducas in tentationem.*

℟. *Sed libera nos a malo.*

℣. *Salvum fac servum tuum* (vel *ancillam tuam*, et sic deinceps).

℟. *Deus meus sperantem in te.*

℣. *Domine, exaudi orationem meam.*

℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

℣. *Dominus vobiscum.*

℟. *Et cum spiritu tuo.*

Oremus. *Clementissime Deus, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui neminem vis perire in te credentem, atque sperantem, secundum multitudinem miserationum tuarum respice propitius famulum N.* (vel *ancillam N.*) *quam tibi vera fides et spes Christiana commendant. Visita eum* (vel *eam*) *in salutari tuo, et per Unigeniti tui passionem et mortem, omnium ei delictorum suorum remissionem, et veniam clementer indulge, ut ejus anima in hora exitus sui te judicem propitiatum inveniat, et in sanguine ejusdem Filii tui ab omni macula ablutа, transire ad vitam mereatur perpetuam. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.*

« Tum dicto ab uno ex clericis astantibus *Confiteor*, etc. Sacerdos dicat : *Misereatur*, etc. Deinde :

Dominus noster Jesus Christus Filius Dei vivi qui beato Petro Apostolo suo dedit potestatem ligandi atque solvendi, per suam pitissimam misericordiam recipiat confessionem tuam, et restituat tibi stolam primam quam in baptismate recepisti : et ego facultate mihi ab Apostolica Sede tributa, indulgentiam plenariam et remissionem omnium peccatorum tibi concedo. In nomine Patris, etc.

Per sacrosancta humanæ reparationis mysteria remittat tibi omnipotens Deus omnes præsentis, et futuræ vitæ pœnas, paradisi portas aperiat, et ad gaudia sempiterna perducat. Amen.

Benedicat te omnipotens Deus, Pater, Filius, et Spiritus sanctus. Amen.

« Si vero infirmus sit adeo morti proximus, ut neque confessionis generalis faciendæ, neque præmissarum precum recitandarum tempus suppetat, statim sacerdos benedictionem ei impertiatur. »

(39. Ad dicta sub n. 32, ad 35, advertendum est, quod eruditissimus P. Franciscus Maria Campioni in *Instructione ad confessarios*, c. 41, n. 12, refert ex card. Albitio, part. I, *De inconstantia in fide*, c. 18 et 19, quod prædicta declaratio sacræ congregationis Concilii adducta a Fagnano *supra* n. 32, non reperitur in Regestis concilii, signum quod vel non emanavit, vel fuit expuncta, ut contraria communi sententiæ, occasione cujusdam episcopi, qui in examine interrogatus an sacerdos nominatim excommunicatus posset absolvere in articulo mortis, respondit affirmative. (40. Unde fuit excitatum murmur ob doctrinam Fagnani, et dubio delato ad Innocentium X, hic jussit supprimi quæstionem, neque amplius dubitari de opinione affirmativa, nempe pœnitentem in articulo mortis in defectu alterius sacerdotis habilis licite, et valide absolvi posse a sacerdote excommunicato vitando, seu degradato, aut hæretico. Confer. P. Giraldi in *Expositione juris Pontificii*, part. XI, sect. 39, et Carolum Blascum, dissert. secunda, *De pœnitentia*, italico idiomate prescripta, tom. II *Opusculor. canonico-historico-criticorum*, Neapoli anno 1761 editorum. Itaque infirmo plane fundamento nituntur adversæ opinionis patroni, qui in illa declaratione maximum sententiæ suæ præsidium collocant, ex quibus Bartholomæus de Valle, et Saavedra in *Compendio thæologiæ moralis*, Romæ anno 1769 impresso, part. II, tract. 2, quæst. 3, art. 3, ex defectu notionis memoratæ declarationis profectum censet, ut multi oppositum doceant, quasi scilicet multi declarationem illam aut commentitiam, aut minime authenticam esse non demonstrassent.

Digitized by Google

NOTA ROMANI THEOLOGI.

P. Lucius Ferraris hic advertit quod eruditissimus P. Franciscus Maria Campioni in *Instructione ad confessarios*, cap. 41, n. 12, refert ex cardinali Albitio *De inconstantia in fide*, cap. 18, § 19, quod prædicta declaratio sacræ congr. Concilii adducta a Fagnano, ac n. 32 supra relata, non reperitur in Regestis concilii, quod argumentum est, aut nunquam emanasse, aut expunctam fuisse, ut contrariam communi sententiæ, occasione cujusdam episcopi, qui in examine interrogatus an sacerdos nominatim excommunicatus posset absolvere in articulo mortis, respondit affirmative. Unde fuit excitatum murmur ob doctrinam Fagnani, et dubio delato ad Innocentium XI, jussit Pontifex suprimi quæstionem, neque amplius dubitari de opinione affirmativa, nempe pœnitentem in articulo mortis, in defectu alterius sacerdotis habilis, licite, et valide absolvi posse a sacerdote excommunicato vitando, seu degradato, aut hæretico. Præsens sacerdos sit, non præcisus, qui tamen nolit, aut non advertat necessitatem absolvendi, non puto invalidam fore datam a præciso absolutionem, ut asserit Ferraris, n. 33.

RESPONSIO AUCTORIS.

Romanus theologus, *loc. cit.*, ait : « Præsens sacerdos sit, non præcisus, qui tamen nolit, aut non advertat necessitatem absolvendi, non puto invalidam fore datam a præciso absolutionem, ut asserit Ferraris, n. 33. « At neque per somnium id asserit Ferraris pro allata hypothesi, debuerat enim scire noster theologus, ut scio ego Ferraris, quod in jure talis sacerdos in data hypothesi haberetur ut absens; pro absente enim habetur qui, præsens, quod peragere tenebatur, non facit, quodque ut faciat ei incumbit; l. *Non tantum si*, § penultim., et ibi, addit. margin., ff. *De fidei commissariis libertatibus*, et qui non intelligit, aut non advertit, nec præsens dici potest. » L. *coram Titio* 209, et l. *apud Labeonem* 246, ff. *De verborum significat.*, cum similibus. Nec illa hypothesis fuerat exprimenda, quia frustra exprimitur, quod intelligitur. L. *Cornelius* 69, *De hæredibus instituendis;* l. *Hæc verba* 3, ff. *De legatis* 1. Unicuique enim etiam in his cæco obvium est sine alia expressione, et additione, quod ego loquor in præsentia alterius sacerdotis carentis illis vitiis, et omnimodo parati ad absolvendum; quod si talis non sit ille alius sacerdos, stat ibi tradita necessitas moribundi, et amplissima a Trid. concessa facultas, ne hac occasione aliquis pereat.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(41. Moribundus, qui et agonizans dicitur, « is est qui, exasperante jam morbo, et natura prostrata, animam efflaturus de proximo est; » viventibus, et non mortuis accenseri debet. Quinimo sanæ mentis præsumitur, nisi de contrario constet; eaque propter testamentum et codicilios condere, tum contractus inire valet. Stryk., *Juridic. dissert.*, vol. I, disput. 5, c. 1, n. 9 et plur. seq.

(42. Vim magnam habere solet confessio moribundi, eo quia nemo præsumitur in articulo mortis velle mentiri. Sed nec in præjudicium tertii, nec in sui et hæredum commodum credendum esse moribundo tradunt Klock, vol. II, consil. 43, n. 28 et seq., et consil. 40, n. 20; Pacianus, *De probat.*, lib. I, c. 53, n. 46; Mevius, *Ad jus Lubecens.*, part. II. tit. 2, art. 24, n. 11. (43. Præsumptionem autem et indicium aliquod hisce etiam casibus facere confessionem moribundi non est dubitandum; Mascard., *De probat.*, conclus. 1229, n. 1 et 8; Farinac., *Prax. criminal.*, lib. I, tit. 5, q. 46, n. 17.

(44. Quid, si judex in agone confiteatur se pecunia corruptum tulisse sententiam? Obligare se suosque hæredes ad pœnam tripli expressam in Authent. *Novo jure*, c. *De pœn. judic.*, qui mal. judic., nequaquam vero præjudicium creare tertio, ut sententia proinde sit rescindenda, sequitur ex mox dictis. Idemque dicendum de arbitro Mascard., *De probat.*, conclus. 949, n. 23 et seq.; Farinac., dict. quæst. 46, n. 77.

(45. Nec testis moribundi confessio, quod falsum tulerit testimonium, quidquam obstabit, si prolata jam sententia; secus autem re adhuc integra. *Vide* Pacian., *De probat.*, lib. I, cap. 53, n. 46; Farinac., dict. q. 46, n. 84.

(46. De proxenata contractus simoniaci, an ipsi tale scelus in agone confitenti sit credendum quæritur? Negat. Stryk., *Juridic. dissert.*, vol. I, disput. 5, cap. 3, n. 8.

(47. Circa contractus duplici modo moribundi confessio considerari potest, vel prout obligationem astruit, et obligatoria dicitur, vel prout obligationem destruit, et liberatoria nuncupatur. (48. Confessio obligatoria a moribundo dupliciter emittitur, vel ratione sui ipsius confitentis, vel ratione tertii. Ratione sui ipsius, si se certæ alicui personæ asserat obligatum ad certam quantitatem. Ratione tertii, si alterum sibi obligatum profiteatur. Confessio liberatoria semper uno modo emittitur, ut, si quod alter debebat, acceptum dicatur. (49. In una vero, et altera confessione diversum jus ab eo quod inter vivos constitutum, hic in moribundi persona obtinet.

(50. Confessio obligatoria, sine expressione causæ non attenditur regulariter. At ea emissa a moribundo attendi debet. Mascard., *De probat.*, conclus. 345, n. 3; Damhoud., *Pract. civil.*, cap. 173, n. 10 et seq.

(51. Sed, an ea possit revocari a moribundo, tum an hæres possit probare non subesse causam, *vide* apud Hann. *ad Wessembec.*, tit. *De confess.*, n. 5.

(52. De alterum obligando si confessio loquatur, nihil valet. Sed si emanaverit a moribundo, præsumptionem quamdam facit pro confitente et hæredibus. Struv., *Syntagm. jur. civil.*, tit. *De confess.*, thes. 24, Brunemann., *Repetit.*; Paratit., Wessembec., dist., tit. *De conf.*, quæst. 2.

Digitized by Google

(53. Confessio liberatoria, si agatur de dote, vim non habet, si intra tempus legitimum opponatur exceptio non numeratæ dotis. At facta a moribundo opponi hæc exceptio nequit, nisi facta sit in fraudem legis, vel tertio præjudicet. Stryk, *Jurid. dissert.*, vol. I, disp. 5, cap. 3, n. 13 et plur. seq.

(54. Hactenus de confessione moribundi in civilibus. Agendum paululum de ea in criminalibus. Prima occurrit quæstio an standum sit confessioni vulnerati de auctore cædis? Eam non probare, sed tantum indicium facere tenent non pauci. (55. Sed et quæstionis est an faciat indicium ad torturam? (56. Negat cum aliis Stryk., *loc. cit.*, cap. 4, n. 2 et plur. seq., et quidem etiamsi juramento id asseruerit moribundus. Monet vero Stryk, teneri hæredem ad accusandum eum, quem moribundus suæ cædis auctorem dixit.

(57. Quod dictum est de confessione moribundi circa homicidium, id ipsum obtinet de confessione ejusdem circa veneficium, et alia id genus delicta.

(58. De effectu exculpationis factæ a moribundo, mire inter se dissentiunt doctores. Confer Stryk, *ubi supra*, cap. 4, tit. 8, plur. seq., qui et de moribundo fatente se delictum commisisse disserit.

MORTIS ARTICULUS.

(1. Mortis articulus in servis Dei, illustris, et sanctimonia conspicuus apparere debet. Benedict. XIV, t. I, constit. 141, incip. *Sollicitudini nostræ*, § 5 et 7. (2. In mortis articulo constituti quorumcunque peccatorum absolutionem, et censurarum relaxationem a quocunque presbytero obtinere possunt. Idem, t. II, constitution. 34, incip. *Pia mater*. (3. Iisdem indulgentiam plenariam facile concedi optat Ecclesia. Idem, *ibid.* (4. Mortis acceptatio inculcatur tanquam opus injunctum pro consequenda plenaria indulgentia in mortis articulo. Idem, *ibid.*

MULTÆ.

(1. Multas pecuniarias episcopus sibi addicere non potest, quantumvis pauper sit, sine licentia Sedis Apostolicæ, ut ex pluribus argumentis S. congregationis evincitur in tractatu *De synodo diœcesana*, lib. VII, cap. 53, § 2. Sed debent in usus pios applicari illæ mulctæ, quas Tridentinum inflixit clericis non residentibus, aut concubinariis. *Ibid.*

(2. Si quas vero multas diœcesana synodus alicui certo loco pio applicaverit, episcopi non possunt illas sibi obtinere ab Apostolica Sede, etiamsi sint paupores; quia Sedes Apostolica juri alteri quæsito præjudicium non infert. *Ibidem*, § 3.

(3. Has vero multas antequam applicentur suæ destinationi, deponendas esse penes administratorem fidelem, jussit sac. congregatio in sua encyclica ad omnes episcopos, die 5 Februarii 1670, *ibid.*, § 4.

Alia *vide* verb. EPISCOPUS, art. 6 a n. 63 ad 67, et verb. POENA, art. 5, a n. 50 ad 72.

MULIER.

(1. Mulieres ad ministerium altaris nullatenus sunt admittendæ. Benedict. XIV, t. I, constit. 57 incip. *Etsi pastoralis*, § 6. (2. Mulieres menstruali morbo laborantes arceri nequeunt a sacramentis, aut ab ingressu ecclesiæ. Idem constitut. 107, incip. *Omnium sollicitudinum*, § 3, 14 et 39.

(5. Ad rem alia plurima *vide* verb. FEMINA.

MUNDUS.

SUMMARIUM.

1. Mundus unde sit dictus? — 2. Mundus in sacra Scriptura usurpatur quinque potissimum modis, qui assignantur. — 3. Assignatur alia quintuplex mundi acceptio apud philosophos et theologos. — 4. Mundus variis illustratur titulis, qui assignantur. — 5. Mundus quid sit? — 6. Mundus de facto est unicus; non repugnant tamen plures, ad n. 8. — 9. Mundus non fuit creatus ab æterno. — 10. Mundus probabilius creatus est verno tempore in æquinoctio luna plena, et die Dominico, ad n. 14. — 15. Mundus non fuit creatus in instanti, sed sex dierum spatio. — 16. Afferuntur et solvuntur objectiones, ad n. 17. — 18. Quid creatum fuerit primo die? — 19. Quid secundo? — 20. Quid tertio? — 21. Quid quarto? — 22. Quid quinto? — 23. Quid sexto? — 24. Adam et Eva ambo fuerunt producti sexto die. — 25. Adam productus fuit ex limo terræ. — 26. Adam in quo loco formatus fuerit? — 27. — Adam creatus fuit in ætate perfecta, qua posset generare. — 28. Eva producta fuit de costa Adami. — 29. Cur Eva producta fuerit ex costa. — 30. Non solum ex costa, sed etiam ex carne Adami producta fuit Eva. — 31. Costa illa quamvis fuerit Adam necessaria, ut erat caput naturæ humanæ, erat tamen ei superflua quantum ad integritatem individui, ad n. 32. — 33. Adam formatus fuit cum pluribus costis in uno latere, quam in alio, ut ex ipsa superabundante formaretur Eva; qua ablata et inde formata Eva, remansit in utroque latere Adami par costarum numerus, et fuerunt tot, quot in nobis. — 34. Unde non videtur sequenda opinio aliquorum dicentium, quod femina habeat unam costam plus quam viri. — 35. Solus Adam creatus fuit, et ex ipso Eva. — 36. Hinc solum peccatum Adæ, et non Evæ transiit in omnes homines. — 37. Adami corpus secundum aliquos veteres Ecclesiæ Patres dicitur formatum ex quatuor mundi partibus. — 38. Adam cur vocaverit uxorem suam Evam. — 39. Adam extra paradisum fuit formatus, et Eva intra paradisum. — 40. Eva cur formata in paradiso? — 41. Adam semel tantum positus fuit in paradiso terrestri, et non bis. — 42. Adam, et Eva, violato Dei præcepto, ejecti sunt de paradiso. — 43. Qua die, et qua hora Adam et Eva comederint de fructu vetito, qua item expulsi sint de pa-

Digitized by Google

radiso? ad n. 45. — 46. Arbor cujus fructus esu prohibita Adamo et Evæ, probabilius fuit malum, seu pomum, specie tamen diversum ab omnibus malis nostris. — 47. Unde omnimode rejicienda est erronea opinio eorum, qui existimabant arborem illam fuisse mulierem, et Cainum et Abelem genitos fuisse in paradiso terrestri. — 48. Cain et Abel geniti fuerunt extra paradisum terrestrem, et quo mundi anno. — 49. Eva quolibet partu geminos pariebat, masculum et feminam; quo nomine vocata fuerit soror gemella Cain, et quo soror gemella Abel, et quot filios genuerint Adam et Eva. — 50. Nec etiam sequenda est opinio eorum qui censuerunt arborem illam fuisse frumentum, aut vitem. — 51. Neque etiam vera videtur sententia aliorum volentium arborem illam fuisse ficum. — 52. Adam et Eva, e paradiso ejecti, probabilius eam regionem quæ nunc Judæa et Palæstina dicitur, incoluerunt. — 53. Adam in monte Calvario, a cranio, seu calvaria ipsius ita nominati, probabilius tumulatus fuit. — 54. Adducitur et solvitur objectio. — 55. Est tamen etiam probabilis opinio tenens Adamum sepultum fuisse in Hebron. — 56. Paradisus unde sit dictus, et quid significet? — 57. In quanam mundi parte constitutus fuerit paradisus terrestris? ad n. 58. — 59. Quanta fuerit latitudo et longitudo paradisi terrestris? — 60. Paradisus terrestris adhuc existit, ad n. 61. — 62. Affertur et solvitur objectio. — 63. Mundi ætates alii dividunt in sex, et alii in septem, et assignantur. — 64. Traduntur celebriores opiniones de numero annorum qui ab orbe condito ad æram Christi vulgarem effluxerunt. — 65. Epocha et æra unde sint dictæ, et quæ sint? — 66. Epochæ distinguuntur in sacras et profanas, et quæ sint? — 67. Inter epochas sacras præcipua a Christi nativitate desumitur. — 68. Epocha Christi nativitatis, alia est vera, et alia vulgaris, et quando utraque incipiat? ad n. 69. — 70. Aliæ epochæ sacræ habentur sub. n. 63 et 64. — 71. Inter epochas profanas præcipua ac prima est quæ desumitur a Trojæ excidio. — 72. Secunda est epocha Olympiadum, seu a ludis Olympiacis. — 73. Quid fuerint Olympiades, et ludi Olympiaci, *remissive*. — 74. Tertia est epocha ab urbe Roma condita. — 75. Quarta est epocha, seu æra Hispanica. — 76. Quinta est epocha Arabum, et Mahometanorum ab ipsis *hegira* vocata. — 77. Mundus ab antiquis geographis dividebatur in tres solas præcipuas partes, nempe in *Europam*, *Asiam* et *Africam*; a recentioribus autem dividitur in quatuor, addita supradictis *America*, et ab aliis adhuc modernioribus additur etiam quinta pars *Magellanica* appellata. — 78. Europa unde sit dicta? — 79. Asia unde sit dicta? — 80. Africa unde sit dicta? — 81. America unde sit dicta? — 82. Non parva pars Americæ, seu novi illius adinventi, et ad fidem catholicam conversi orbis, debetur meæ seraphicæ religioni, ad n. 85. — 86. Magellanica unde sit dicta? — 87. Mundus dividitur adhuc in quatuor partes, nempe in continentem, insulam, peninsulam et isthmum, quæ omnes explicantur. — 88. Mundus quatuor habet spatia, seu plagas nempe Orientem, Occidentem, Meridiem et Septentrionem. — 89. Secundum has quatuor mundi plagas cardinales, quatuor etiam sunt venti principales, nempe Eurus seu Subsolanus, Zephyrus, seu Favonius, Auster seu Notus, Boreas seu Aquilo. — 90. Præcipua et celebriora mundi systemata sunt tria, nempe Ptolemaicum, copernicanum et Tychonicum. — 91. Systema quid sit? — 92. Systema Ptolemaicum unde sit dictum? — 93. Systema Ptolemaicum quid sit, quidve importet? — 94. Systema Ptolemaicum fere ab omnibus antiquis fuerat receptum: at nostris hisce temporibus fere ab omnibus rejicitur. — 95. Systema Copernicanum unde sit dictum? — 96. Systema Copernicanum quid sit, et quid importet? — 97. Systema Copernicanum tanquam thesis rejicitur. — 98. Affertur et solvitur objectio. — 99. Adducitur et solvitur instantia. — 100. Systema Copernicanum de motu terræ, et solis quiete, quamvis defendi possit ut hypothesis, nullimode tamen defendi potest ut thesis. — 101. Assignatur discrimen inter thesim et hypothesim. — 102. Systema Tychonicum unde sit dictum. — 103. Systema Tychonicum quid sit, et quid importet? — 104. Alia fere infinita reperiuntur tradita mundi systemata, brevitatis gratia omissa, et solum traduntur circa ista duo notabilia dicta. — 105. Mundus est rotundus, sive sphæricus. — 106. Mundi rotunditas variis experimentis constat. — 107. Mundi et terræ rotunditas clarissime demonstratur a geometris et architectis. — 108. Ex mundi et terræ rotunditate clare deducitur vere dari et exstare antipodes, et qui sint, et unde dicti? — 109. De eorum existentia dubitarunt olim plerique: at nullus nunc est amplius ambigendi locus. — 110. Affertur et solvitur objectio. — 111. Terra rotunda seu sphærica pendet in medio aeris sine ullo sustentaculo, et cœlum pariter rotundum, et sphæricum est undique distans æqualiter a terra, et pluribus demonstratur. — 112. Mundus, seu terræ circuitus, aut ambitus quantus sit? — 113. Qui circumeunt mundum versus orientem, et redeunt versus occidentem ad eumdem locum unde discesserunt, numerant diem unum plusquam habitatores illius loci. — 114. Econtra, qui circumeunt mundum versus occidentem, et versus orientem redeunt ad eumdem locum unde discesserunt, numerant diem unum minus quam habitatores illius loci. — 115. Si autem duo circumirent totum orbem, uno pergente versus orientem, et altero versus occidentem, quocunquoloco se invenirent, seu sibi occurrerent, differrent ab invicem uno die. Et si deinde prosequerentur suum iter ambo redeundo ad locum unde discesserunt, unus ab oriente, et alter ab occidente, differrent necessario ab invicem duobus diebus. — 116. Ex supradictis oritur dilucidatio curiosi problematis, quomodo sit possibile, quod ex duobus gemellis ambobus natis, et mortuis in eodem die et momento, unus plus altero vixerit de uno, vel duobus diebus. — 117. Sphæræ nomine quid intelligatur? — 118. Sphæra potissimum pro artificiali sumitur, et quid sit? — 119. Quare vocetur sphæra artificialis, et quis fuerit ejus inventor et auctor? — 120. Hæc sphæra vocatur *armillaris*, et quare? — 121. In hac armillari sphæra decem circuli vulgo repræsentantur, sex majores et quatuor minores, qui assignantur cum suis qualitatibus et differentiis ad invicem. — 122. Ex dictis sex majoribus circulis tres sunt, nempe *horizon*, *meridianus* et *æquator*, quorum poli, seu puncta, ex quibus describuntur, sunt magni momenti in sphæra et vocantur *puncta cardinalia*. — 123. Primi ipsorum cardines, seu puncta cardinalia sunt duo poli mundi. — 124. Polus unde sit dictus, et quid significet? — 125. Polorum alter vocatur *arcticus*, *septentrionalis* et *borealis*, et alter ex diametro oppositus appellatur *antarcticus meridionalis* et *australis*; quare sic dicti et quales sint, ad n. 126. — 127. In medio horum polorum pendet terræ globus et quomodo? — 128. Axis mundi quid sit? — 129. Ultra assignatos supra n. 123, prædictorum majorum circulorum principaliores cardines, seu puncta cardinalia, sunt etiam *zenith* et *nadir*; quid significent et sint? — 130. Item sunt etiam puncta veri ortus et occasus solis, et quæ sint? — 131. Primus ex majoribus circulis est horizon, et quid sit? — 132. Horizon est duplex: sensibilis et rationalis, et quis sit uterque? — 133. Meridianus quid sit? — 134. Æquator quid sit? — 135. Zodiacus quid sit? Assignantur duodecim ejus signa duobus versibus comprehensa. — 136. Signa quæ primo versu continentur, dicuntur septentrionalia,

Digitized by Google

et quæ in secundo versu, meridionalia et quæ sint? — 137. Quodlibet ex his zodiaci signis continet 30 gradus, et quot minuta contineat? — 138. Sol percurrit 360 gradus quolibet integro anno, ita ut sol minut. 59, secund. 8, vel circiter unius gradus sub zodiaco quotidie motu medio perficiat, non sic autem quando sol est in *apogeo* et in *perigeo*, et quid per *apogeum* ac *perigeum* intelligatur. — 139. Dicta signa zodiaci peculiaribus figuris exprimuntur, quæ assignantur. — 140. Hæc duodecim signa dividunt zodiacum in duodecim partes correspondentes duodecim mensibus anni; et dantur versus cum sua explicatione ad sciendum quonam die mensis ingrediatur sol quodlibet signum. — 141. In medio zodiaci est ducta linea quædam, quæ vocatur *ecliptica* seu *orbita solis;* quid sit, et quare sic appelletur? — 142. Eclipsis solis quando sit in ipsa ecliptica? — 143. Eclipsis solis nunquam est universalis seu totalis.— 144. Eclipsis lunæ quando fiat? — 145. Eclipsis lunæ potest esse universalis seu totalis. — 146. Coluri quid sint et unde sint dicti? — 147. Ex coluris unus vocatur colurus solstitiorum et alter colurus æquinoctiorum, et d ntur versus ad ipsos cognoscendos. — 148. A dictis coluris secatur zodiacus in quatuor cardinales partes, quæ dicuntur quatuor anni tempestates, nempe ver, æstas, autumnus et hiems.— 149. Minores circuli sunt ambo *tropici*, nempe tropicus Cancri, et tropicus Capricorni: et ambo *solares*, nempe arcticus et antarcticus. — 150. Tropici unde dicti; et cur unus vocetur tropicus Cancri et alter tropicus Capricorni? — 151. Circuli *solares* unde dicti, et cur unus vocetur arcticus, et alter antarcticus? — 152. Habitantes sub istis polaribus circulis diversimode vident solem in æstate et in hieme; et secundum quod postea unus locus recedit, seu distat ab istis circulis versus polos, majorem habet inæqualitatem dierum; ita ut reperiantur dies, qui constituunt menses, et alii, qui medietatem anni. — 153. Dicti quatuor circuli minores, id est duo tropici et duo polares, dividunt mundum in quinque partes, seu zonas, nempe in unam torridam, duas temperatas, et duas frigidas, et quid sit zona? — 154. Zona torrida quæ sit, et quare sic dicta? — 155. Zonæ temperatæ quæ sint, et quare sic dictæ? — 156. Zonæ frigidæ quæ sint, et quare sic dictæ? — 157. Ex diversa habitudine æquatoris ad horizontem, dividitur sphæra in rectam, obliquam, et parallelam. — 158. Sphæra recta quæ sit? — 159. Sphæra obliqua quæ sit? — 160. Sphæra parallela quæ sit? — 161. Duo sola sunt in terra puncta, quæ possunt habere sphæram parallelam, et una sola linea, quæ habeat sphæram rectam; totum autem residuum est in sphæra obliqua. — 162. Habitantes in sphæra recta habent perpetuo æquinoctia: habent in anno bis æstatem, et bis hiemem, bis ver, et bis autumnum.— 163. Habitantes in sphæra obliqua habent æquinoctia bis solum in anno; et dies ac noctes semper inæquales; vident aliqua sidera perpetuo supra horizontem, et nunquam vident illa quæ sunt sub horizonte. — 164. Habitantes in sphæra parallela non habent nec æquinoctia, nec solstitia, sed unicum habent diem, et unicam noctem in toto anno; vident perpetuo sidera aliqua supra horizontem, et plurima alia infra horizontem nunquam vident. — 165. Cœlum unde sit dictum? — 166. Nomen cœli in sacra Scriptura varie usurpatur, et ostenditur. — 167. Cœlum quid sit? — 168. Cœlum, sicut et mundus, quoad substantiam, durabunt in æternum, licet quoad accidentalia sint immutanda. — 169. Affertur et solvitur objectio, ad n. 170. — 171. Quamvis variæ fuerint et sint opiniones de cœlorum numero, communior tamen, probabilior, et sacræ Scripturæ conformior sententia tres tantum cœlos admittit, nempe æreum, sidereum et empyreum. — 172. Astrum, seu sidus, aut stella quid sit? — 173. Astra, seu sidera, alia sunt fixa, et alia errantia, seu erratica. Fixa vocantur *stellæ*, et errantia, seu erratica appellantur *planetæ*. — 174. Quare stellæ vocentur fixæ, et planetæ errantes? — 175. Planetæ a fixis stellis tripliciter distinguuntur, et assignatur quomodo? — 176. Stellarum fixarum quanta ab astrologis et mathematicis assignetur multitudo? — 177. Dictæ stellæ fixæ distinguuntur ab astrologis et astronomis in sex classes diversæ magnitudinis, et assignantur. — 178. His sex stellarum fixarum classibus adjuncta est septima aliarum exiguarum, et nebulosarum, quæ inter alias sunt illæ *viæ lacteæ*. Hæc *via lactea* unde sit dicta? — 179. Planetæ seu sidera errantia aut erratica sunt tantum septem; quibus majoribus planetis aliæ adjunguntur minores; et assignantur omnes. — 180. Ex dictis septem planetis aliquæ sunt terra majores, et aliæ minores, et assignantur. — 181. Astronomorum supputationes circa magnitudinem planetarum et stellarum fixarum habendæ sunt non ut mensuræ, sed ut æstimationes conjectantis animi; variarum autem mensurarum, et supputationum ratio indicatur versibus hic allatis. — 182. Assignatur tempus quo planetæ et stellæ fixæ suam complent circulationem? — 183. Traditur modus discernendi planetas inter se. — 184. Dicta de numero, magnitudine et motu stellarum ac planetarum, deque diversitate cœlorum et ambitu terræ, solum conjecturaliter sunt habenda, et non certitudinaliter credenda. — 185. Consilium et deprecatio de transeundo a consideratione cœlorum ab astrologis et astronomis mendaciis repletorum ad acquisitionem veritatis sanctorum operum veri cœli empyrei, ac paradisi beatorum. — 186. Adducitur ad id pro contemptu mundi celebre canticum vulgo beati nostri Jacoboni. — 187. Afferuntur insuper ea quæ ad contemnendum mundum adducit vulgo beatus noster Bernardinus de Bustis.—188. In hoc mundo cuncta sunt pulvis, cuncta apparentes prospectivæ, et cuncta sunt nihil. — 189. Hinc Apostolus melius quam alii mundani, sibi consultus, aiebat: *Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo*, et quid per id intelligat? — 190. Adducuntur ad mundi contemptum notabilia dicta. — 191. Ad uberiorem mundi notitiam afferuntur quæ de mundo muliebri in Scriptura, et de jure, habentur. — 192. Mundus muliebris quis dicatur, et unde nomen desumat? — 193. Mundi muliebris nomine quæ contineantur, et quæ non? — 194. Mundo muliebri legato, quæ contineantur, et quæ non? — 195. Ad complementum additur, quod mundus regitur auctoritate Pontificia et regali potestate. — 196. Roma dicitur ab aliquibus posita in medio mundi; quod tamen alii negant dicentes medium terræ potius esse Jerusalem, seu civitatem Ariu. — 197. Ad tyronum eruditionem subnectuntur hic nomina cum sua significatione præcipuarum partium mathematicæ, seu mathesis; cujus primogenitæ sunt tres, nempe arithmetica, geometria et statica, ad n. 198. — 199. Arithmetica, quæ juxta suos operandi modos vocatur *algorithmus*, aut *algebra speciosa*, quid sit? — 200. Geometria, quæ a variis suis operationibus vocatur *longometria*, *areometria* et *herometria*, quid sit? quidve ejus partes *trigonometria*, *tetragonometria*, *ciclometria?* — 201. Statica, quæ tot habet partes, quot solent esse potentiæ motrices, seu machinæ, quæque præsertim sunt septem; nempe *vectis*, *axis in peritrochio*, *trochlea*, *rotæ dentatæ*, *planum inclinatum*, *cochlea* tandem et *cuneus?* — 202. Istæ vocantur primæ mathematicæ, a quibus oriuntur secundæ, quæ sunt quatuor, nempe *cosmographia*, *mechanica*, *optica* et *musica*. — 203. Cosmographia quid sit, quidve ejus partes, id est *astronomia*, seu *astrologia*, *geographia* et *meteorologia?* — 204. Sub astronomia seu astrologia comprehenduntur *uranographiâ*, *sphæra* et *theoria planetarum*, et quid sint? — 205. Sub geographia comprehenduntur

Digitized by Google

hydrographia, *chorographia* et *topographia*, et quid sint? — 206. A meteorologia considerantur omnia corpora imperfecta, quæ solent reduci ad quatuor principia, nempe ad *exhalationes*, *vapores*, *habitus* et *fuliginos*. — 207. Mechanica seu machinaria comprehendit sub se quatuor partes, id est *mechanicam simpliciter dictam*, *pyrotechniam*, *pneumaticam* et *hydraulicam*, et quid sint? — 209. Optica seu prospectiva dividitur in *opticam propriam*, in *catopticam* et *dioptricam*; et quid sint? — 209. Musica dividitur in vocalem, quæ continet *melopeiam*, *rhythmicam* et *pneticam*, et in instrumentalem, quæ continet *encordicam*, et *pneumaticam* ac *crusticam*, et quid sint? — 210. Cosmographia habet pro objecto orbem universum : et aliæ particularia sola objecta, id est mechanica pro objecto habet *tangibile*, optica *visibile*, et musica *audibile*. — 211. Secundis mathematicis succedunt tertiæ, quæ sunt quinque, nempe *chronologia*, *gnomonia*, *architectura*, *navigatoria* et *ars militaris*. — 212. Ad chronologiam, quæ est scientia temporum, reducuntur *historia* et *genealogia*. — 213. Ad gnomoniam, quæ est scientia umbrarum, reducitur diversitas horologiorum solarium; horologia autem rotaria, arenaria, clepsydrica, seu aquaria pertinent ad mechanicam, seu machinariam. — 214. Architectura, quæ est scientia fabricarum seu edificationum, dividitur in *civilem*, quæ subdividitur in privatam, et publicam; in *nauticam*, quæ subdividitur in tot partes, quot sunt navium varietates, et in *militarem*, quæ subdividitur in defensivam, uti sunt fortificationes, et in offensivam, uti sunt arietes, cuniculi et similia. — 215. Navigatoria continet duas partes, quæ assignantur. — 216. Ars militaris tradit modum ducendi et reducendi exercitum, et irruendi in hostes et ab ipsis se defendendi. — 217. Subnectuntur add. ex aliena manu, ad n. 226.

(1. Mundus dictus est a verbo Græco κοσμέω, quod latine *ornatum* significat : unde nos a perfecta, absolutaque ejus elegantia ipsum vocamus mundum eo quod nihil eo sit mundius, pulchrius et ornatius. Plinius, lib. II, cap. 1 et 4; Beyerlynck., *Theatr. vitæ humanæ*, t. V, verbo *Mundus*.

(2. Mundus in sacra Scriptura quinque potissimum modis usurpatur. Primo pro rebus ipsis creatis, quibus tota hæc machina visibilis constat. *Joan.* I, 10, ibi : ***Mundus per ipsum factus est***, id est tota universitas, ex eodem cap., n. 3, ibi : ***Omnia per ipsum facta sunt***. Secundo accipitur mundus pro statu præsenti, quo inter homines vivitur. *Joan.*, I, 9, ibi : *Omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat*, etc. ; et cap. IX, 5, ibi : *Quandiu sum in mundo;* et 39, ibi : *Ego in hunc mundum veni*, et cap. XIII, 1, ibi : *Sciens Jesus quia venit hora ejus ut transeat ex hoc mundo*, id est de hoc statu vitæ mortalis; et cap. XVII, 15, ibi : *Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo;* id est non rogo ut auferas eis vitam, per quam tollantur de hoc mundo. Tertio accipitur pro omnibus hominibus sive bonis, sive malis. *Joan.* XIV, 31, ibi : *Ut cognoscat mundus quia diligo Patrem*, id est cognoscant omnes homines. Quarto accipitur pro hominibus mundanis, quos vocamus mundanos; quia ea sola, quæ in præsenti vident, desiderant; *Joan.* XVII, 9, ibi : *Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo*, id est non pro hominibus mundanis; et *ibid.*, 14 : *Non sunt de mundo, sicut et ego non sum de mundo;* id est isti non sunt mundani, sicut nec ego. Quinto accipitur pro rebus quæ in mundo sunt, et solum habentur hic, et concupiscuntur ab hominibus mundanis, scilicet divitiæ, honores, dignitates et similia. *Epistol. I Joan.*, II, 16, ibi : *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ*. Et sic de pluribus aliis consimilibus sacræ Scripturæ textibus supradictam quintuplicem mundi acceptionem comprobantibus.

(3. Celebris est autem tam apud veteres, quam apud novos philosophos et theologos alia quintuplex mundi acceptio; nempe pro mundo archetypo, intellectuali, elementari, mundo magno et mundo parvo. *Mundus archetypus* est divina mens, in qua sunt omnes formæ et exemplaria rerum faciendarum; unde Boetius, l. III *De consolation.*, metr. 9.

. . . . . *Tu cuncta Supremo*
Ducis ab exemplo pulchrum pulcherrimus ipse,
Mundum mente gerens, similique ab imagine formans.

Mundus intellectualis dicuntur ipsæ cœlestes intelligentiæ sine omni materia et corpore, sunt enim substantiæ spirituales statu incorruptibiles, durationę æviternæ, intelligendi virtute sagacissimæ, rerum omnium creatarum verticem, et coronidem eximiis suis præcellentiis et dotibus complectentes. *Mundus elementaris* est, qui componitur ex quatuor elementis et corpore cœlesti, quod etiam elementum vocat Aristotel., lib. III, *De cœlo*, cap. 1, text. 1; *Meteor.* I, cap. 3, et initio lib. *De col.* *Mundus magnus*, qui proprie universum vocatur, est tota creaturarum collectio. *Mundus parvus* est homo, qui ab Aristotele, VIII *Physicor.*, c. 2, dicitur a quodam verbo Græco *Mundus compendiatus*, quem Græci vocant Μικρόκοσμον, id est minorem mundum, eo quod sit omnium rerum epilogus et compendium, et omnium in unum confluentium naturarum possessionem, et totius universitatis summam in se contineat. Habet enim homo, dicit S. Gregorius, hom. 29, *in Evangel.* aliquid omnis creaturæ, ibi : « Omnis autem creaturæ aliquid habet homo ; habet namque commune esse cum lapidibus, vivere cum arboribus, sentire cum animalibus, intelligere cum angelis. »

(4. Mundus captus pro universa rerum omnium complexione et distributione, de quo præsertim hic est sermo, variis illustratur titulis. Dicitur enim *machina* propter mirandam ejus structuram et artificium. Dicitur *orbis* propter figuræ rotunditatem. Dicitur *universum*, vel ex eo quod universas, seu omnes creatas res complectatur et involvat; vel ex eo quod mundus ab uno Deo formatus *universum* dicitur, quasi versum unum, seu ad unum Deum ordinatus. Dicitur a Latinis *Mundus* et a Græcis Κόσμος propter ejus munditiam, elegantiam et pulchritudinem.

(5. Mundus ex Aristotele, lib. *De mundo*,

Digitized by Google

cap. 2, ex Possidonio, *in Meteoris* definitur. « Compages e cœlo terraque coagmentata, atque ex iis naturis quæ intra ea continentur; id est ex iis corporibus naturalibus quæ intra cœlum et terram comprehenduntur.

(6. Mundus de facto est unicus; non repugnant tamen plures. Communis inter catholicos cum Scoto, lib. *De primo princip.*, cap. 3, n. 11, et *De rerum princip.*, quæst. 10, n. 23, et colligitur 1 pars ex sacra Scriptura, quæ, quoties de mundo loquitur, unius tantum meminit; sic *Joan.* 1, 10 : *Mundus per ipsum factus est*, et sæpissime alibi, ut patet ex testibus adductis supra num. 2, et *Genes.* 1, 1 : *In principio creavit Deus* non cœlos et terras, sed *cœlum et terram ;* unde S. Augustinus, lib. *Retractationum*, cap, 10, retractat se, quod dixerit alicubi duos esse mundos.

(7. Hinc nullimode audiendi sunt Manichæi, qui plures invexerunt mundos, quamvis finitos; nec sequaces Democriti, qui cum ipso innumerabiles mundos esse asseruerunt; nec qui infinitos mundos excogitarunt, ut Metrodorus, Anaximander, Anaximenes, Archelaus, Aristarcus, Xenophanes, Leucippus, Epicurus et Anaxarchus, quem, ut refert Plutarchus, lib. *De tranquillitat. animi*) cum Alexander Macedo de mundorum infinitate disserentem audivisset, illacrymasse fertur ; rogantibusque ob id amicis num aliquid lacrymandum ei accidisset? An non justum est nos flere debere, respondit, si cum infiniti mundi esse perhibeantur, nondum unius domini simus?

(8. Secunda autem pars, nempe quod non repugnent plures mundi, clare patet, quia nulla potest afferri implicantia, nec ex parte Dei, qui cum sit potentiæ infinitæ et inexhaustæ, tam potens est hodie ad alios creandos, quam fuit ante creationem istius ad istum creandum : neque ex parte creabilium; adeoque plures mundi non repugnant, sed sunt possibiles. Unde sententia negans hanc plurium mundorum possibilitatem, tanquam falsa et erronea merito fuit reprobata et damnata ab universitate Parisiensi sub Stephano ejusdem civitatis episcopo, uti videre est apud Magistrum sententiarum *in fine quarti.*

(9. Mundus non fuit creatus ab æterno, ut senserat Aristoteles VII et VIII *Physicor.*, sed ab initio temporum. Est de fide. *Genesi* enim 1 expresse habetur : *In principio creavit Deus cœlum et terram;* id est ab initio temporum, ut exponit S. August., quæst. 112, et alii communiter. *Proverb.* VIII, 22 : *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio. Joan.* XVII, 5, ubi Christus alloquens Patrem dicit : *Nunc clarifica me tu, Pater, apud temetipsum claritate quam habui, priusquam mundus esset;* et cap. *Firmiter credimus* 1, De summa Trinitate et fide catholica, ibi : « Ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam spiritualem et corporatem, » etc.

(10. Mundus probabilius creatus est verno tempore in æquinoctio, luna plena et die Dominico. Sic declaratum est omnium consensu in concilio Palæstino de mandato Victoris Papæ congregato a Theophilo episcopo Cæsariensi, in quo fuit conclusum : « Nunc ergo investigavimus, quomodo in principio factus fuerit mundus, id est die Dominico, verno tempore, in æquinoctio, quod est octavo Kalendarum Aprilium, luna plena: per ipsum tantummodo tempus et elementa resurgunt. » Sic apud Paravicinum in *Polyanthea sacror. canonum*, verbo *Creatio mundi*. Et Magister *Historiæ scholasticæ* in historia libri *Geneseos*, affirmat « dogma esse Ecclesiæ, mundum esse creatum in Martio. » Et Ecclesia ipsa hymno ad matutinum Dominicæ canit.

Primo die, quo Trinitas
Beata mundum condidit
Vel quo resurgens Conditor
Nos morte victa liberat.

Et antiquitus ante ejus reformationem sic canebat :

Primo dierum omnium,
Quo mundus exstat conditus,
Vel quo resurgens Conditor
Nos morte victa liberat.

Et sic tenent PP. Eusebius, Athanasius, Cyrillus Hierosolymit., Nazianzenus, Damascenus, Ambrosius, Augustinus, Theodoretus, aliique plures sancti, et classici doctores, quos 20 numero citat Torniellus, 25 Ascanius Martinengus; et longe plures Molina, Genebrardus, Clarius, Delrius, a Lapide, et Salianus apud Tirinum, tom. I, cap. 9, *Chronic. sacr.*, ubi solide probant hanc sententiam, quam tuentur plures alii moderniores, ut Beyerlinck, *loc. cit.*; Frassen., *De mundo*, quæst. 3, conclus. 2; Boyvin., tom. I *Thelog.*, quæst. 1, in fine de creatione mundi; et tom. II *Philos.*, disp. 1, cap. 3, quæst. 7; Dupasquier, tom IV *Philosoph.*, disp. 1, *De mundo*, quæst. 4, conclusion. 1; Goudin., tom. III *Philos.*, quæst. 1. *De mundo*, artic. 2, quæsit. 2., et plurimi alii, cujus sententiæ fuerunt etiam veteres poetæ; unde Virgilius, lib. II *Georgic.*, hæc habet :

Nec alios prima nascentis origine mundi
Illuxisse dies, aliumve habuisse tenorem
Crediderim : ver illud erat, ver magnus agebat
Orbis, et hybernis parcebant flatibus Euri.

(11. S. Hieronymus tamen, Liranus, Tostatus, Scaligerus, Petavius, Usserius, Torniellus, Strauchius, Fortunatus a Brixia, et alii volunt quod probabilius mundus creatus fuerit in æquinoctio autumnali, quia, dicunt ipsi, mundus creatus est eo tempore quo fructus maturi erant, ut sic mensa apponeretur homini et animalibus, ut patet ex cap. II, 9 *Genesis*, ibi : *Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, et ad vescendum suave;* et ex cap. III, 6, ibi : *vidit igitur mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, et pulchrum oculis, aspectuque delectabile, et tulit de fructu illius, et comedit, deditque viro suo, qui comedit.* Fructus autem maturescunt

Digitized by Google

tempore autumni, et non tempore veris, adeoque etc. Tum quia annus antiquus Hebræorum ante eorum exitum ab Ægypto incipiebat ab æquinoctio autumnali, adeo ut nova sanctione opus fuerit, ut annum Ecclesiasticum ab æquinoctio verno Hebræi auspicarentur, ut patet *Exodi* cap. XII, 2, ibi : *Mensis iste* (quo nimirum Hebræi egressi fuerant de Ægypto) *sit vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni.* Tum etiam, quia ramum virentis olivæ attulit columba in arcam undecimo mense, *Genes.* VIII, 5 et sequentibus; cum autem mense Januario, qui undecimus esset, si a vere annus inchoaretur, non vireat, signum est, mundum non fuisse creatum in æquinoctio verno, sed autumnali.

(12. At istæ rationes adductæ ab asserentibus mundum probabilius creatum fuisse in æquinoctio autumnali, vel nihil contra nos probant, vel potius nostræ favent sententiæ asserenti mundum probabilius creatum fuisse in æquinoctio verno. Et revera prima eorum ratio nihil contra nos, sed potius nostræ favet sententiæ, quia in illa sic bene temperata regione, in qua creatus est homo, primaque animantia terrestria, plures fructus in vere, et salubres herbæ abundant; imo bene temperatis regionibus Orientis, et præsertim ubi paradisus terrestris fuit constitutus, plurimæ arbores toto anno fructibus graves sunt, aliis incipientibus, aliis maturescentibus, aliis omnino maturis, uti etiam videre est in pluribus Europæ provinciis; et ex iis quæ fructibus aliquando spoliantur in Oriente, plures sunt, quæ in verno, quam quæ in autumnali æquinoctio maturos fructus habent, ut experientia demonstrat, nam ante finem æstatis fere omnes fructibus spoliatæ, et nudæ sunt. Secunda autem eorum ratio non subsistit, quia ut recte ostendit eruditissimus Tirinus tom. I in *Chronico sacro*, cap. 5, apud Hebræos annus antiquus inchoabatur ab æquinoctio verno; et secundum hunc calculum processerunt omnes anni a mundo condito usque ad ingressum ipsorum Hebræorum in Ægyptum; in Ægypto vero sese accommodarunt calculo Ægyptiorum, qui annum suum inchoabant a mense *Toth*, qui fere respondet nostro Septembri, ut patet ex traditis sub verb. KALENDARIUM, n. 35. At statim ac ex Ægypto egressi sunt, jussit Deus ipsis Hebræis, ut annum, sicut antea, rursus a Vere inchoarent, ut patet *Exodi* XII, 2, per ipsamet verba adducta ab adversariis *supra*, n. 11. *Vide* ipsum Tirinum, *l. cit.*, ubi multa adducit ad rem etiam de initio anni civilis et anni sabbatici ac jubilæi. Nec etiam urget tertia adversariorum ratio, quia oliva hieme quoque media, adeoque toto anno viret. Tum quia teneriores illius ramusculi quales columba decerpsisse videtur, in calidioribus illis regionibus exeunte potius hieme, quam æstate succrescunt.»

(13. Probatur autem nostra conclusio ex sacra Scriptura. *Genesis* enim cap. I, 11, habetur : *Germinet terra herbam virentem, et facientem semen, et lignum pomiferum faciens fructum juxta genus suum*; ergo eo tempore creata est terra, quo incipit germinare herba; nam si creata fuisset in autumno, ut volunt citati adversarii, aut in æstate, ut cum aliis voluit Gerardus Mercator, *De methodo demonstrationis temporum*, cap. 1, apparuisset cum herbis, plantis, etc. Unde S. Theodoretus in quæstione 72 *supra Exodum*, cum hanc proposuisset dubitationem : cur prima die mensis Deus jussit erigi tabernaculum? eam solvit his verbis : « Propterea quod eodem fere tempore Deus creaturas condidit : cujus rei fidem facit arborum germinatio; *Germinet*, inquit, *terra herbam virentem* etc., incipiente enim vere, prata florere solent, segetes semina concipiunt, arbores fructum emittunt. » Et S. Ambrosius cap. 4, lib. I *Hexameron* sic expresse dicit : « In hoc principio, quo Pascha jussu Dei celebrant Judæi, cœlum et terram fecit Deus, quod inde mundi capi oportebat exordium, ubi erat opportuna omnibus verna temperies; unde et annus mundi imaginem nascentis expressit, ut post hibernas glacies, atque hiemales caligines, serenior solito verni temporis splendor eluceat. Dedit ergo formam fluxus annorum curriculis mundi primus exortus, ut ea lege annorum vices surgerent, atque initio cujusque anni produceret terra nova seminum germina, quo primum Dominus Deus dixerat, *Germinet terra herbam*, » etc.

(14. Tum quia valde verisimile, et credibile est, eodem tempore fuisse formatum primum Adamum, quo postea Christus secundus Adamus; et eodemmet tempore fuisse mundum primo creatum, quo fuit postea recreatus, et redemptus per Christum : atqui constat, Christum incarnatum, et mortuum esse, et resurrexisse in æquinoctio verno; ergo in hoc verno æquinoctio fuit conditus mundus. Tum etiam, quia vernum tempus comparatur juventuti, et autumnus senectuti, adeoque illud aptius est ad nascentis mundi ætatem, cum in illo generante terra, virentibus herbis, florescentibus arboribus, et quasi revirescentibus animantibus, mundus quodammodo renascens, eodem se tempore primum a Deo esse conditum non obscure declaret : et e contra autumnus magis corruptioni, quam generationi rerum conveniat, cum in ipso arborum folia decidant, virore, vigoreque suo privata omnia paulatim flaccessant, et ad interitum ferantur.

(15. Mundus non fuit creatus in instanti, sed revera sex dierum naturalium spatio. Sic sanct. Joann. Chrysostom., homil. 3 *in Genes.*; S. Ambrosius lib. I *Hexameron.*, cap. 7; S. Basilius, homil. 2 *in Genes.*; S. Gregor. Nazianzenus, orat. 48, et S. Gregor. Magnus, lib. XXXII *Moral.*, cap. 10, quibus subscribunt omnes fere alii sancti Patres, ac scholastici, excepto S. Augustino (112),

(112) *Vide* præter Norisium in Vindiciis Augustinianis, et Natalem Alexandrum dissert. 1, in pri-

Digitized by Google

qui lib. IV *De Genes. ad litt.*, cap. 21, existimavit mundum creatum fuisse in instanti, et totum simul, juxta illud *Ecclesiastici* XVIII, 1 : *Qui vivit in æternum creavit omnia simul.* Probatur autem nostra conclusio ex sacra Scriptura, quia Moyses *Genes.* I, asserens mundum successive sex dierum intervallo factum, historice scripsit, ergo debet intelligi non mystice, et metaphorice, ut illum interpretatur sanctus Augustinus, sed vere litteraliter, ut eum intelligunt fere omnes alii sancti Patres et scholastici. Tum quia, si omnia creata fuissent simul, et in eodem instanti, terra nunquam fuisset *inanis et vacua*, ut habetur *Genes.* I, nec fuissent aliquando tenebræ super faciem abyssi, ut testatur ipse Moyses, cit. c. I *Genes.* Si autem aliquando fuerunt tenebræ, etiam aliquando non fuit lux, adeoque non omnia facta sunt simul in eodem instanti. Tum etiam quia Moyses *Exodi* XX, 8 et seqq. rationem afferens cur Judæi religiose observare deberent diem sabbati, non aliam allegat, nisi quod, sicut Deus per sex dies mundum creavit, et requievit septimo, ita possent ipsi per sex dies operari, et die septimo ad imitandum Deum ab omni opere servili cessare deberent, ibi : *Memento ut diem sabbati sanctifices. Sex diebus operaberis, et facies omnia opera tua. Septimo autem die sabbatum Domini Dei tui est; non facies omne opus in eo, tu, et filius tuus, et filia tua, servus tuus, et ancilla tua, jumentum tuum, et advena, qui est intra portas tuas. Sex enim diebus fecit Deus cœlum et terram, et omnia quæ in eis sunt, et requievit in die septimo: idcirco benedixit Dominus diei sabbati, et sanctificavit eum.* Atqui hæc ratio infirma esset, si Deus in instanti, et non per sex dies produxisset mundum; ergo concludendum est, Moysem fuisse litteraliter locutum, et non mystice et metaphorice, proindeque mundum non fuisse creatum in instanti, sed successive sex dierum spatio.

(16. Objicies cum S. Augustino, *loc. cit.*, illud *Ecclesiastici* XVIII, 1, ubi expresse dicitur : *Qui vivit in æternum, creavit omnia simul :* Ergo non successive sex dierum spatio, sed in instanti creatus fuit mundus. At respondetur, quod illa particula *simul* idem ac *pariter*, seu *universaliter*, et nullo excepto significat, ita quod nihil omnino sit, quod non fuerit a Deo creatum; ita ut illa particula *simul* non denotet simultatem, universitatis, seu collectionis, ut patet ex aliis sacræ Scripturæ textibus, in quibus hæc particula *simul* collectionem significat. Sic *Psal.* XIII, 3. *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt; Psal.* XLVIII, 11 : *Simul insipiens, et stultus peribunt; Job* XXI, 26 : *Et tamen simul in pulvere dormient*, et cap. XXXIV, 15 : *Deficiet omnis caro simul*, cum pluribus similibus. Vel potest dici, quod omnia simul facta sunt secundum materiam nempe rudem, et informem, quæ primo mundi die omnis simul producta fuit, non omnia simul facta sunt secundum formam.

(17. Nec valet instare, quod ipsemet Moyses testatur, Deum omnia produxisse simul simultate temporis, *Genes.* enim II, 4 expresse dicit, *Istæ sunt generationes cœli et terræ, quando creata sunt in die, quo fecit Deus cœlum et terram, et omne virgultum agri*, etc.; adeoque, etc. Non valet, inquam, quia illa particula *in die* sumitur non determinate pro unico die, sed indeterminate pro quocunque illorum sex dierum, quibus res aliquæ seorsim fuerunt formatæ, sicque *in die* sumi potest divisim pro quolibet die, quo aliquid formatum est. Vel respondetur, ut supra, omnia quidem fuisse producta in die unico quoad materiam, non vero quoad formam, sicut explicat sanctus Gregorius l. XLII *Moral.*, cap. 10, ubi hanc agitans quæstionem, post plura concludit : « Qui diversis diebus creatum cœlum, et terram, virgultum, herbamque narraverat, nunc uno die facta manifestat, ut liquido ostenderet, quod creatura omnis simul per substantiam exstitit, quamvis non simul per speciem processit. » Quod deducitur ex ipsomet Moyse in cap. I *Genes.*, ubi dicit quod lux facta sit primo die, sol vero quarta die, non quod lux fuerit primo die sine sole, et dies sine cursu solari, sed quia, licet sol fuerit creatus prima die, et cum illo lux quoad substantiam, sicque per cursum vigintiquatuor horarum incœperit a mundi exordio dies naturales distinguere; tamen sol et luna dicuntur facta die 4 non quoad dictam substantiam, sed quoad speciales influxus, et ad munus discriminandi tempora, menses, dies, et annos per motum in zodiaco, qui tali die datus est soli, aliisque planetis; Et ideo dixit Deus *fiant luminaria*, non quidem simpliciter, sed ut *dividant diem ac noctem, et sint in signa, et tempora, et dies, et annos; ut luceant in firmamento cœli, et illuminent terram. Genes.* I, 14 et 15; sic *Gen.* IX, 13 dicit Deus post diluvium : *Arcum meum ponam in nubibus*, non quidem quantum ad substantiam; nam talis arcus apparebat etiam ante diluvium, sed ut esset in signum fœderis, et pacis, ibi : *Et erit signum fœderis inter me et inter terram.* Unde ex S. Scriptura potius deducitur, quod mundus creatus sit successive spatio dierum sex, quam in instanti. Quam nostram opinionem, posthabita illa S. Augustini, videtur sequi Ecclesia; siquidem in hymnis, quos canit in vespertinis precibus singulorum hebdomadæ dierum, laudat Deum de singulis operibus, quæ particulatim ipse per singulos dies perfecit.

(18. In primo igitur die producta fuerunt cœlum empyreum, angeli, terra, aqua, lux et infernus. De cœlo, terra, aqua et luce habetur expresse ex cap. I *Gen.*, a n. 1 ad 5. De angelis quamvis non habeatur expresse ex Scriptura, habetur tamen in conc. Lateran. in cap. *Firmiter credimus* 1, De summa Trinitat. et fide catholica, ubi definit an-

mam mundi ætatem art. 8, proposit. 1, et alios; Joannem Laurentium Berti *De elogiciis disciplinis* lib. XI, cap. 11, proposit. 1, ubi eos recenset qui S. Augustino præiverunt, vel assensi sunt. *

Digitized by Google

gelos non ante, ut voluerunt aliqui, neque post mundum, ut censuerunt alii, sed simul cum mundo ab initio temporis creatos fuisse, ibi : « Qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, ac deinde humanam, » etc. Fuit enim creatum cœlum non vacuum, sed cœlestibus incolis plenum, nempe spiritualibus substantiis, quos philosophi *intelligentias*, et Scriptura *angelos* vocat; et per ipsum cœlum primo die creatum non intelliguntur omnes orbes cœlestes, sed solum empyreum, ut recte docent S. Clemens, Theodoretus, Origenes, Alcuinus, Rabanus, Lyranus, Abulensis, et alii. Item infernus, quamvis non exprimatur a Scriptura, quo die fuerit creatus, merito tamen creditur creatus primo die cum terra, in cujus centro est; sicut enim Deus primo die divisit lucem corpoream a tenebris corporalibus, ita separavit lucem spiritualem, id est angelos bonos, a tenebris spiritualibus, id est a dæmonibus, qui, duce Lucifero, rebelles facti Deo, eodem illo primo die e cœlis detrusi sunt in infernum, quem sub idem tempus ipsis in centro terræ cum suo igne, et sulphure Deus paravit, ut recte doctissimus Tirinus in c. I *Genes.*, et fere communis aliorum.

(19. Secundo die factum est firmamentum; habetur expresse ex cap. I *Genes.*, a n. 6 ad 8. Per firmamentum autem intelligendum est cœlum stellatum, et omnes orbes cœlestes illi vicini, tum superiores, ut crystallinum, et primum mobile, tum inferiores, qui sunt septem orbes planetarum; unde per ipsum firmamentum intelligitur id, quod in medio aquarum, et ex medio aquarum, seu ex mole aquarum productum, ipsas a se mutuo separat, seu dividit, ut habetur *Genes.* cap. I, num. 6, ibi : *Fiat firmamentum in medio aquarum, et dividat aquas ab aquis.* Per aquas autem, quæ sunt supra firmamentum, non intelliguntur nubes, neque cœlum crystallinum, sed veræ, et propriæ aquæ, uti creatæ sunt primo die omnes conjunctæ, et ejusdem speciei, quæ per firmamentum productum secundo die fuerunt tantum separatæ, ut patet *Genes.* I, 7, ibi : *Fecit Deus firmamentum, divisitque aquas quæ erant sub firmamento ab his quæ erant super firmamentum;* sicque remanserunt veræ, et propriæ aquæ super firmamentum, divina virtute servatæ incorruptæ, tum ad ornatum universi, tum ad oblectamentum sanctorum, tum præsertim ad perpetuam Dei laudem, et gloriam, juxta illud *Psal.* CXLVIII, 5, ibi : *Et aquæ omnes, quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini;* et illud *Daniel.* III, 60, ibi : *Benedicite, aquæ omnes, quæ super cœlos sunt, Domino.* Sic fere omnes sancti Patres et doctores citati, et secuti a Tirino in cap. I, n. 7, *Genesis*, et in *Psal.* CXLVIII, n. 5.

(20. Tertio die facta est congregatio aquarum, et productio herbarum, et plantarum, textu expresso in I *Genes.*, a n. 9 ad 13. Congregatio autem aquarum facta est in unum locum, inquit Scriptura, ut appareret arida, et ipsam aridam vocavit Deus *terram*, congregationesque aquarum appellavit *maria*, ibi, n. 9 et 10 : *Dixit vero Deus : Congregentur aquæ, quæ sub cœlo sunt in locum unum, et appareat arida. Et factum est ita; et vocavit Deus aridam terram, congregationesque aquarum appellavit maria.* Quo vero ad productionem herbarum, et plantarum, clare patet, Deum die tertio dedisse terræ virtutem germinandi herbas, et producendi plantas, sive arbores fructibus graves, aliis incipientibus, aliis maturescentibus, et aliis omnino maturis, juxta dicta supra n. 12 dicit enim Scriptura cit. cap. I *Genes.*, v. 11 et 12 : *Et ait : Germinet terra herbam virentem, et facientem semen, et lignum pomiferum faciens fructum juxta genus suum... et protulit terra herbam virentem, et facientem semen juxta genus suum, lignumque faciens fructum, et habens unumquodque sementem secundum speciem suam.*

(21. Quarto die producta sunt astra, nempe sol, luna et stellæ; et quidem ut illuminent orbem; sol in die, et luna cum stellis in nocte, sicque dividant diem, ac noctem; ac pariter ut sint in signa annorum, mensium, et dierum, et tempestatum veris, æstatis, autumni, et hiemis, ac etiam pluviæ, serenitatis, ventorum, et hujusmodi, textu aperto in cit. cap. I *Genes.*, a v. 14 ad 18; ibi : *Dixit autem Deus : Fiant luminaria in firmamento cœli, et dividant diem ac noctem, et sint in signa, et tempora, et dies, et annos; ut luceant in firmamento cœli, et illuminent terram; et factum est ita; fecitque Deus duo luminaria magna, luminare majus, ut præesset diei, et luminare minus, ut præesset nocti, et stellas.* Primum luminare magnum est *sol*, sic dictus « vel quia solus ex omnibus sideribus sit tantus, vel quia, cum est exortus, obscuratis omnibus, solus apparet, » ut notat Cic., lib. II *De nat. deor.*, seu quia solus ita lucet, ut ex eo dies sit, ut observat Varro, lib. IV *De ling. lat.* Secundum luminare magnum est *luna*, sic dicta ex eo, quod sola nocte luceat, unde *nocticula* etiam dicitur, ut advertit Varro, l. II, *De ling. lat.*, et etiam Cicero, lib. II *De nat. deor.* Per hoc autem, quod *luna* dicatur luminare magnum, non sequitur, quod sit major aliis planetis, cum illa penes molem cæteris planetis minor sit; sed dicitur *luminare magnum*, quia post solem, majorem, et efficaciorem influxum in inferiora habet, quam cæteri alii planetæ, et etiam quia major videtur, quoniam vicinior est terræ.

(22. Quinto die producti sunt pisces, et aves, textu expresso in cit. cap. I *Genes.*, a n. 10 ad 23, ibi : *Dixit etiam Deus : Producant aquæ reptile animæ viventis, et volatile super terram sub firmamento cœli. Creavitque Deus cete grandia, et omnem animam viventem, atque motabilem, quam produxerunt aquæ in species suas, et omne volatile secundum genus suum.* Ipsi pisces, et aves producti sunt ex aqua, ut docent SS. Hieronymus, Augustinus, Cyrillus, Damascenus, et alii communiter, et patet ex adducto Scri-

Digitized by Google

pturæ textu, et ex hymno, qui dicitur in vesperis feriæ quintæ : *Magnæ Deus potentiæ, qui ex aqua orium genus* (ut in hymno antiquo), *qui fertili natos aqua* (ut in hymno novo correcto), *partim relinquis gurgiti, partim levas in aera.* Nec obstat dissimilitudo inter pisces, et aves, quia, ut recte notat S. Augustinus lib. III *De Genes. ad litt.*, c. 3, pisces facti sunt ex aqua densiori, aves vero ex subtiliori, unde sunt magis temperamenti aerei, quam aquei. Per cete grandia creata et adducta in textu, intelliguntur pisces grandiori corpore existentes. Unde nomen *Cete* est commune omnibus magnis piscibus.

(23. Sexto die producta sunt animalia terrestria et deinde homo, qui et dominus cæterorum constitutus est, ut habetur expresse ex cit. cap. I *Genes.*, a vers. 24 ad 30, ibi : *Dixit quoque Deus : Producat terra animam viventem in genere suo, jumenta et reptilia et bestias terræ secundum species suas : factumque est ita. Et fecit Deus bestias terræ juxta species suas, et jumenta, et omne reptile terræ in genere suo. Et vidit Deus quod esset bonum. Et ait : Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram ; et præsit piscibus maris et volatilibus cœli, et bestiis, universæque terræ omnique reptili, quod movetur in terra*, etc.

(24. Adam igitur et Eva ambo producti fuerunt in sexta die : quamvis enim aliqui putent, solum Adamum factum fuisse sexta die et Evam factam fuisse postea, hoc tamen non est probabile, quia Deus in fine sextæ diei cessavit ab omni opere ; *et requievit die septimo ab omni opere, quod patrarat*, ut habetur expresse ex cap. II *Genes.*, v. 2, ubi v. 3 insuper subjungitur : *Et benedixit diei septimo et sanctificavit illum ; quia in ipso cessaverat ab omni opere suo, quod creavit, ut faceret.* Quamvis autem post opera sex dierum loquatur Moyses de formatione Evæ, hoc non officit, quia ibi, nempe *Genes.* cap. II, vers. 21 et sequent., narrat solum quomodo producta fuerit : narrando vero ea, quæ facta sunt in sexto die, expresse dicit : *Masculum et feminam creavit eos : benedixitque illis Deus et ait : Crescite et multiplicamini*, etc.; sic *Gen.* I, 27 et 28.

(25. Adam productus fuit ex limo terræ, *Genes.* II, 7, ibi : *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ ;* Adam enim in Hebræo significat præcisum de terra et dicitur Adam de *Adama*, quod significat terram, ut tradit Tostatus in cap. V *Genes.*, ante quæst. primam, sicut a Latinis dicitur homo ab *humo*, ut tradunt communiter doctores. (26. Adam formatum fuisse in campo Damasceno, loco quodam campestri juxta civitatem Hebron, quæ, non quando Adam formatus est, sed multo post condita fuit in loco distanti ab Jerusalem, 16 milliaribus, sive octo leucis, tradunt varii apud Tostatum *in cap.* I *Genes.*, quæst. 22 et *in cap.* XIII, quæst. 834. Dicuntque ipsi, Adam ibidem vixisse postquam ejectus fuit de paradiso, ibique etiam sepultum fuisse, quod tamen non admittit ipse Tostatus in cit. cap. 138 et multi alii, ut infra patebit.

(27. Adam creatus fuit in ætate perfecta, qua posset generare ; nam formatis Adam, et Eva, dixit illis illico Deus : *Crescite, et multiplicamini*, *Genes.* I, 28. Non tamen certo constat in quibus annis initio mundi computanda esset ætas juvenilis apta perfecte ad generandum : aliqui enim eam reponunt inter trigesimum annum, et quadragesimum, dicuntque in ea ætate Adamum creatum fuisse, qua Christus resurrexit : alii vero dicunt vitam pro tunc fuisse longissimam, et quamlibet ætatem fuisse longiorem, quam nunc, ideoque pueritiam, et adolescentiam fuisse longius productas, tardiusque accessisse juventutem : unde volunt eam computari debere circiter quinquagesimum annum, qua ætate, dicunt, formatum fuisse Adamum ; ex quo inferunt, et quidem mihi videri probabiliter, quod Adam longius vixerit aliquo modo omnibus hominibus, quia licet Mathusalem vixerit nongentis sexaginta novem annis, et Adam tantum nongentis triginta, cum tamen ætas, qua creatus est, correspondeat quinquagesimo anno, sic vita Adam longior fuit, ætate saltem perfecta, vita ipsius Mathusalem.

(28. Eva producta fuit de costa Adami, textu claro in cit. cap. II *Gen.*, vers. 21 et 22, ibi : *Tulit unam de costis ejus, et replevit carnem pro ea, et ædificavit Dominus costam, quam tulerat de Adam in mulierem.* (29. Et quidem producta fuit ex costa Adami, seu de latere ejus, ut advertunt sancti Patres et interpretes, ne aut domina, si de capite, aut ancilla, si de pedibus, sed de medio produci debuit, ut socia viri mulier intelligatur. (30. Nec ex sola costa, sed etiam ex carne Adami producta fuit Eva, ut notant communiter doctores, id deducentes ex verbis ipsius Adami, *Gen.* II, 23, ibi : *Dixitque Adam : Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea, hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est.*

(31. Costa illa, quamvis fuerit Adamo necessaria ut erat caput naturæ humanæ, et ut ex ipsa formaretur Eva, erat tamen ei superflua quantum ad integritatem individui, quia, ut recte ex communiori doctorum advertit Tostat. *in cap.* XIII *Gen.* qu. 357, 358 et 359, Adam habuit a principio plures costas, quam nos, et plures in uno latere, quam in alio ; et ablata illa, manserunt ei tot, quot nobis, et pares in utroque latere dispositæ ordine suo : et ratio est, quia, si Adam tot costas habuisset quot nos, mansisset Adam deficiens in una costa, quod non est dicendum, ne admittatur defectus in formatis a Deo, præsertim in eo, qui fuit primus, et supernaturaliter formatus ; tum quia Deus replevit carnem pro ea, quod non fecisset, si costa illa fuisset Adamo necessaria quoad integritatem individui, quia ibi posuisset aliam costam. Cum ergo Deus carnem produxerit loco dictæ costæ, sequitur quod illa costa fuerit illi

Digitized by Google

superflua, et adhuc sine illa tot haberet costas, quot nos, ne maneret defectus in individuo sic perfecte constituto, et minores haberet costas, quam natura exigat ad sui perfectionem, et integritatem, ad quam 24 requiri tradunt physiologi et medici, dicentes, corpus nostrum 24 costis, duodenis utrovis in latere esse constructum, et coagmentatum. (32. Tum etiam, quia, si illa costa fuisset necessaria Adamo quantum ad integritatem individui, deberet resurgere in ipso Adamo, sicut manus abscissa alicui resurgeret in ipso: et tunc non resurgeret in Eva, unde non posset resurgere Eva, quia id, quod materialiter ipsa erat, resurgeret in Adamo, quod non est dicendum, quia ipsa resurget in Eva, cum sit de integritate ejus individui, tanquam principalis materia ipsius, ut notat Tostatus cit. q. 357.

(33. Unde concludendum est cum ipso Tostato, cit. q. 259, et communiori doctorum, quod Adam formatus fuit cum pluribus costis in uno latere, quam in alio nempe, ut dicunt etiam alii plures, cum tredecim in sinistro latere, sicque habuit plures costas, quam nos; eratque in ipso una superabundans, quam Deus produxerat ex industria, ut illam postea detraheret, et formaret inde mulierem; qua ablata, et inde formata Eva, remansit in utroque latere Adami par costarum numerus, et fuerunt tot, quot in nobis; sicque illa costa erat superflua Adamo quoad integritatem sui individui; quamvis ei fuerit necessaria, ut erat caput naturæ humanæ, ut ex ipsa formaretur Eva. (34. Unde non videtur sequenda opinio aliquorum volentium quod feminæ habeant unam costam plusquam viri, ut inter alios tenuit D. De Ivigene in *Novo dictionario theologico-historico*, etc., Gallico idiomate impresso, verb. *Adam*. Hoc enim dato, perfectius esset corpus feminæ, quam viri, quod est contra rationem, et experientiam.

(35. Solus Adam creatus fuit, et ex ipso Eva, quia conveniens fuit formari feminam ex masculo, ut generis humani unicum esset principium. Unde S. Paulus, *Actor*. XVII, 26, dicit quod Deus ex uno homine fecit omne genus hominum.

(36. Hinc solum peccatum Adæ, et non Evæ transiit in omnes homines, ut dicit Apostolus *ad Roman*. V, 12, ibi: *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransivit, in quo omnes peccaverunt;* ubi, ut vides, Apostolus non facit mentionem, nisi de peccato Adami, et nullimode de peccato Evæ, quamvis ipsa prius peccaverit, cum comedit, et dederit viro suo, qui et comedit; ratio autem hujus, est quia licet Eva peccaverit et quidem gravissime, tamen peccatum ejus non potuit transire in nos, neque per ejus peccatum venit mors in nos; nec dicimus nos peccasse in Eva, sicut in Adamo: quia Eva non est principium totius humani generis, sicut Adam; solus enim Adam est principium totius humani generis, quia in illo solo fuit tota natura humana; nam quidquid pertinet ad naturam humanam, in quocunque sit, fuit in Adam; et ideo vere est principium, quia totam naturam continet in se. In ipso enim erat id, quod ipse erat, et in eo fuit quidquid derivatum est in alios, scilicet Evam, et posteros, quod non potest dici de Eva, quia non fuit in ea tota natura humana aliquando, quia non fuit in ea natura humana Adæ, neque aliquid ejus, neque fuit principium totius humani generis quantum ad nos, quia non est principium totaliter nostri, sicut Adam; quia in ipso fuit id quod nos accepimus ab Eva, et quod accepimus ab eo; nam quod accepimus ab Eva, erat in ipso, in quantum de eo formata fuit Eva, et quod ab ea derivatum est per commixtionem, in ipso erat et ita nihil nos habemus, aut accepimus, quod non fuerit ab Adam, et aliquid accepimus, quod non fuit in Eva, ac per consequens ipsa non est principium totius generis humani, neque quantum ad nos, sicut est Adam. Ideo rectissime dixit Apostolus quod omnes in Adam peccaverunt, et non dixit quod peccaverunt in Eva, quia in ista non fuit tota natura humana sicut fuit tota in illo, et per hoc Adam peccans, non solum peccabat ut unus singularis homo, sed ut homo continens in se omnes homines, quia omnes eramus in eo, in quantum omnes descendimus ex eo, et sicut si omnes peccaremus, omnibus imponeretur pœna, ita cum omnes essemus in Adam, omnes, peccante illo, peccavimus, et omnes obligationem mortis contraximus, sicut ille, ut dicit Apostolus cit. *Epistol. ad Roman.*, cap. V, n. 14, ibi: *Regnavit mors... etiam in eis, qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ*. De Eva autem non potuit id dici, quia ipsa erat solum ut persona singularis, et non ut continens totam naturam humanam, et ideo cum non essemus omnes in ea, non peccavimus omnes, peccante ea, sed solum ipsa peccavit, eique soli suum fuit peccatum imputatum.

(37. Adami corpus secundum aliquos veteres ecclesiæ Patres, dicitur formatum ex quatuor mundi partibus, eo quod, juxta græcum idioma, singulæ vocabuli *Adam*, litteræ inchoent singulas quatuor mundi præcipuas partes, nempe Orientem, Occidentem, Aquilonem, et Meridiem, ut expendit S. Cyprianus, vel quisquis est auctor (113) *libri de montibus Sina, et Sion adversus Judæos*, ibi: « Hebraicum Adam in latino interpretatur, Terra caro facta, eo quod ex quatuor cardinibus orbis terrarum pugno comprehendit terram, sicut scriptum est:

(113) Liber, seu *Tractatus de montibus Sionis et Sina*, olim sub nomine S. Cypriani venditatus, spurius est, suppositilius, et tanto viro indignus, utpote qui compositus ab infimæ notæ auctore, qui rabbinorum et cabbalistarum deliriis fidem adhibebat. Ita Milante in *Bibliothecam Sanctam* Sixti Senensis pag. 230, not. *a*. Confer editiones *Operum* S. Cypriani a Pearsonio, et Baluzio adornatas.

Digitized by Google

(53. Confessio liberatoria, si agatur de dote, vim non habet, si intra tempus legitimum opponatur exceptio non numeratæ dotis. At facta a moribundo opponi hæc exceptio nequit, nisi facta sit in fraudem legis, vel tertio præjudicet. Stryk, *Jurid. dissert.*, vol. I, disp. 5, cap. 3, n. 13 et plur. seq.

(54. Hactenus de confessione moribundi in civilibus. Agendum paululum de ea in criminalibus. Prima occurrit quæstio an standum sit confessioni vulnerati de auctore cædis? Eam non probare, sed tantum indicium facere tenent non pauci. (55. Sed et quæstionis est an faciat indicium ad torturam? (56. Negat cum aliis Stryk., *loc. cit.*, cap. 4, n. 2 et plur. seq., et quidem etiamsi juramento id asseruerit moribundus. Monet vero Stryk, teneri hæredem ad accusandum eum, quem moribundus suæ cædis auctorem dixit.

(57. Quod dictum est de confessione moribundi circa homicidium, id ipsum obtinet de confessione ejusdem circa veneficium, et alia id genus delicta.

(58. De effectu exculpationis factæ a moribundo, mire inter se dissentiunt doctores. Confer Stryk, *ubi supra*, cap. 4, tit. 8, plur. seq., qui et de moribundo fatente se delictum commisisse disserit.

MORTIS ARTICULUS.

(1. Mortis articulus in servis Dei, illustris, et sanctimonia conspicuus apparere debet. Benedict. XIV, t. I, constit. 141, incip. *Sollicitudini nostræ*, § 5 et 7. (2. In mortis articulo constituti quorumcunque peccatorum absolutionem, et censurarum relaxationem a quocunque presbytero obtinere possunt. Idem, t. II, constitution. 34, incip. *Pia mater*. (3. Iisdem indulgentiam plenariam facile concedi optat Ecclesia. Idem, *ibid.* (4. Mortis acceptatio inculcatur tanquam opus injunctum pro consequenda plenaria indulgentia in mortis articulo. Idem, *ibid.*

MULTÆ.

(1. Multas pecuniarias episcopus sibi addicere non potest, quantumvis pauper sit, sine licentia Sedis Apostolicæ, ut ex pluribus argumentis S. congregationis evincitur in tractatu *De synodo diœcesana*, lib. VII, cap, 53, § 2. Sed debent in usus pios applicari illæ mulctæ, quas Tridentinum inflixit clericis non residentibus, aut concubinariis. *Ibid.*

(2. Si quas vero multas diœcesana synodus alicui certo loco pio applicaverit, episcopi non possunt illas sibi obtinere ab Apostolica Sede, etiamsi sint paupores; quia Sedes Apostolica juri alteri quæsito præjudicium non infert. *Ibidem*, § 3.

(3. Has vero multas antequam applicentur suæ destinationi, deponendas esse penes administratorem fidelem, jussit sac. congregatio in sua encyclica ad omnes episcopos, die 5 Februarii 1670, *ibid.*, § 4.

Alia *vide* verb. EPISCOPUS, art. 6 a n. 63 ad 67, et verb. POENA, art. 5, a n. 50 ad 72.

MULIER.

(1. Mulieres ad ministerium altaris nullatenus sunt admittendæ. Benedict. XIV, t. I, constit. 57 incip. *Etsi pastoralis*, § 6. (2. Mulieres menstruali morbo laborantes arceri nequeunt a sacramentis, aut ab ingressu ecclesiæ. Idem constitut. 107, incip. *Omnium sollicitudinum*, § 3, 14 et 39.

(3. Ad rem alia plurima *vide* verb. FEMINA.

MUNDUS.

SUMMARIUM.

1. Mundus unde sit dictus? — 2. Mundus in sacra Scriptura usurpatur quinque potissimum modis, qui assignantur. — 3. Assignatur alia quintuplex mundi acceptio apud philosophos et theologos. — 4. Mundus variis illustratur titulis, qui assignantur. — 5. Mundus quid sit? — 6. Mundus de facto est unicus; non repugnant tamen plures, ad n. 8. — 9. Mundus non fuit creatus ab æterno. — 10. Mundus probabilius creatus est verno tempore in æquinoctio luna plena, et die Dominico, ad n. 14. — 15. Mundus non fuit creatus in instanti, sed sex dierum spatio. — 16. Afferuntur et solvuntur objectiones, ad n. 17. — 18. Quid creatum fuerit primo die? — 19. Quid secundo? — 20. Quid tertio? — 21. Quid quarto? — 22. Quid quinto? — 23. Quid sexto? — 24. Adam et Eva ambo fuerunt producti sexto die. — 25. Adam productus fuit ex limo terræ. — 26. Adam in quo loco formatus fuerit? — 27. — Adam creatus fuit in ætate perfecta, qua posset generare. — 28. Eva producta fuit de costa Adami. — 29. Cur Eva producta fuerit ex costa. —30. Non solum ex costa, sed etiam ex carne Adami producta fuit Eva. — 31. Costa illa quamvis fuerit Adam necessaria, ut erat caput naturæ humanæ, erat tamen ei superflua quantum ad integritatem individui, ad n. 32. — 33. Adam formatus fuit cum pluribus costis in uno latere, quam in alio, ut ex ipsa superabundante formaretur Eva; qua ablata et inde formata Eva, remansit in utroque latere Adami par costarum numerus, et fuerunt tot, quot in nobis. — 34. Unde non videtur sequenda opinio aliquorum dicentium, quod femina habeat unam costam plus quam viri. — 35. Solus Adam creatus fuit, et ex ipso Eva. — 36. Hinc solum peccatum Adæ, et non Evæ transiit in omnes homines. — 37. Adami corpus secundum aliquos veteres Ecclesiæ Patres dicitur formatum ex quatuor mundi partibus. — 38. Adam cur vocaverit uxorem suam Evam. — 39. Adam extra paradisum fuit formatus, et Eva intra paradisum. — 40. Eva cur formata in paradiso? — 41. Adam semel tantum positus fuit in paradiso terrestri, et non bis. — 42. Adam, et Eva, violato Dei præcepto, ejecti sunt de paradiso. — 43. Qua die, et qua hora Adam et Eva comederint de fructu vetito, qua item expulsi sint de pa-

Digitized by Google

radiso? ad n. 45. — 46. Arbor cujus fructus comestio fuit prohibita Adamo et Evæ, probabilius fuit malum, seu pomum, specie tamen diversum ab omnibus malis nostris. — 47. Unde omnimode rejicienda est erronea opinio eorum, qui existimabant arborem illam fuisse mulierem, et Cainum et Abelem genitos fuisse in paradiso terrestri. — 48. Cain et Abel geniti fuerunt extra paradisum terrestrem, et quo mundi anno. — 49. Eva quolibet partu geminos pariebat, masculum et feminam; quo nomine vocata fuerit soror gemella Cain, et quo soror gemella Abel, et quot filios genuerint Adam et Eva. — 50. Nec etiam sequenda est opinio eorum qui censuerunt arborem illam fuisse frumentum, aut vitem. — 51. Neque etiam vera videtur sententia aliorum volentium arborem illam fuisse ficum. — 52. Adam et Eva, e paradiso ejecti, probabilius eam regionem quæ nunc Judæa et Palæstina dicitur, incoluerunt. — 53. Adam in monte Calvario, a cranio, seu calvaria ipsius ita nominati, probabilius tumulatus fuit. — 54. Adducitur et solvitur objectio. — 55. Est tamen etiam probabilis opinio tenens Adamum sepultum fuisse in Hebron. — 56. Paradisus unde sit dictus, et quid significet? — 57. In quanam mundi parte constitutus fuerit paradisus terrestris? ad n. 58. — 59. Quanta fuerit latitudo et longitudo paradisi terretris? — 60. Paradisus terrestris adhuc existit, ad n. 61. — 62. Affertur et solvitur objectio. — 63. Mundi ætates alii dividunt in sex, et alii in septem, et assignantur. — 64. Traduntur celebriores opiniones de numero annorum qui ab orbe condito ad æram Christi vulgarem effluxerunt. — 65. Epocha et æra unde sint dictæ, et quæ sint? — 66. Epochæ distinguuntur in sacras et profanas, et quæ sint? — 67. Inter epochas sacras præcipua a Christi nativitate desumitur. — 68. Epocha Christi nativitatis, alia est vera, et alia vulgaris, et quando utraque incipiat? ad n. 69. — 70. Aliæ epochæ sacræ habentur sub. n. 63 et 64. — 71. Inter epochas profanas præcipua ac prima est quæ desumitur a Trojæ excidio. — 72. Secunda est epocha Olympiadum, seu a ludis Olympiacis. — 73. Quid fuerint Olympiades, et ludi Olympiaci, *remissive*. — 74. Tertia est epocha ab urbe Roma condita. — 75. Quarta est epocha, seu æra Hispanica. — 76. Quinta est epocha Arabum, et Mahometanorum ab ipsis *hegira* vocata. — 77. Mundus ab antiquis geographis dividebatur in tres solas præcipuas partes, nempe in *Europam*, *Asiam* et *Africam*; a recentioribus autem dividitur in quatuor, addita supradictis *America*, et ab aliis adhuc modernioribus additur etiam quinta pars *Magellanica* appellata. — 78. Europa unde sit dicta? — 79. Asia unde sit dicta? — 80. Africa unde sit dicta? — 81. America unde sit dicta? — 82. Non parva pars Americæ, seu novi illius adinventi, et ad fidem catholicam conversi orbis, debetur meæ seraphicæ religioni, ad n. 85. — 86. Magellanica unde sit dicta? — 87. Mundus dividitur adhuc in quatuor partes, nempe in continentem, insulam, peninsulam et isthmum, quæ omnes explicantur. — 88. Mundus quatuor habet spatia, seu plagas nempe Orientem, Occidentem, Meridiem et Septentrionem. — 89. Secundum has quatuor mundi plagas cardinales, quatuor etiam sunt venti principales, nempe Eurus seu Subsolanus, Zephyrus, seu Favonius, Auster seu Notus, Boreas seu Aquilo. — 90. Præcipua et celebriora mundi systemata sunt tria, nempe Ptolemaicum, copernicanum et Tychonicum. — 91. Systema quid sit? — 92. Systema Ptolemaicum unde sit dictum? — 93. Systema Ptolemaicum quid sit, quidve importet? — 94. Systema Ptolemaicum fere ab omnibus antiquis fuerat receptum: at nostris hisce temporibus fere ab omnibus rejicitur. — 95. Systema Copernicanum unde sit dictum? — 96. Systema Copernicanum quid sit, et quid importet? — 97. Systema Copernicanum tanquam thesis rejicitur. — 98. Affertur et solvitur objectio. — 99. Adducitur et solvitur instantia. — 100. Systema Copernicanum de motu terræ, et solis quiete, quamvis defendi possit ut hypothesis, nullimode tamen defendi potest ut thesis. — 101. Assignatur discrimen inter thesim et hypothesim. — 102. Systema Tychonicum unde sit dictum. — 103. Systema Tychonicum quid sit, et quid importet? — 104. Alia fere infinita reperiuntur tradita mundi systemata, brevitatis gratia omissa, et solum traduntur circa ista duo notabilia dicta. — 105. Mundus est rotundus, sive sphæricus. — 106. Mundi rotunditas variis experimentis constat. — 107. Mundi et terræ rotunditas clarissime demonstratur a geometris et architectis. — 108. Ex mundi et terræ rotunditate clare deducitur vere dari et exstare antipodes, et qui sint, et unde dicti? — 109. De eorum existentia dubitarunt olim plerique: at nullus nunc est amplius ambigendi locus. — 110. Affertur et solvitur objectio. — 111. Terra rotunda seu sphærica pendet in medio aeris sine ullo sustentaculo, et cœlum pariter rotundum, et sphæricum est undique distans æqualiter a terra, et pluribus demonstratur. — 112. Mundus, seu terræ circuitus, aut ambitus quantus sit? — 113. Qui circumeunt mundum versus orientem, et redeunt versus occidentem ad eumdem locum unde discesserunt, numerant diem unum plusquam habitatores illius loci. — 114. Econtra, qui circumeunt mundum versus occidentem, et versus orientem redeunt ad eumdem locum unde discesserunt, numerant diem unum minus quam habitatores illius loci. — 115. Si autem duo circumirent totum orbem, uno pergente versus orientem, et altero versus occidentem, quocunquoloco se invenirent, seu sibi occurrerent, differrent ab invicem uno die. Et si deinde prosequerentur suum iter ambo redeundo ad locum unde discesserunt, unus ab oriente, et alter ab occidente, differrent necessario ab invicem duobus diebus. — 116. Ex supradictis oritur dilucidatio curiosi problematis, quomodo sit possibile, quod ex duobus gemellis ambobus natis, et mortuis in eodem die et momento, unus plus altero vixerit de uno, vel duobus diebus. — 117. Sphæræ nomine quid intelligatur? — 118. Sphæra potissimum pro artificiali sumitur, et quid sit? — 119. Quare vocetur sphæra artificialis, et quis fuerit ejus inventor et auctor? — 120. Hæc sphæra vocatur *armillaris*, et quare? — 121. In hac armillari sphæra decem circuli vulgo repræsentantur, sex majores et quatuor minores, qui assignantur cum suis qualitatibus et differentiis ad invicem. — 122. Ex dictis sex majoribus circulis tres sunt, nempe *horizon*, *meridianus* et *æquator*, quorum poli, seu puncta, ex quibus describuntur, sunt magni momenti in sphæra et vocantur *puncta cardinalia*. — 123. Primi ipsorum cardines, seu puncta cardinalia sunt duo poli mundi. — 124. Polus unde sit dictus, et quid significet? — 125. Polorum alter vocatur *arcticus*, *septentrionalis* et *borealis*, et alter ex diametro oppositus appellatur *antarcticus meridionalis* et *australis*; quare sic dicti et quales sint, ad n. 126. — 127. In medio horum polorum pendet terræ globus et quomodo? — 128. Axis mundi quid sit? — 129. Ultra assignatos supra n. 123, prædictorum majorum circulorum principaliores cardines, seu puncta cardinalia, sunt etiam *zenith* et *nadir*; quid significent et sint? — 130. Item sunt etiam puncta veri ortus et occasus solis, et quæ sint? — 131. Primus ex majoribus circulis est horizon, et quid sit? — 132. Horizon est duplex: sensibilis et rationalis, et quis sit uterque? — 133. Meridianus quid sit? — 134. Æquator quid sit? — 135. Zodiacus quid sit? Assignantur duodecim ejus signa duobus versibus comprehensa. — 136. Signa quæ primo versu continentur, dicuntur septentrionalia,

Digitized by Google

et quæ in secundo versu, meridionalia et quæ sint? — 137. Quodlibet ex his zodiaci signis continet 30 gradus, et quot minuta contineat? — 138. Sol percurrit 360 gradus quolibet integro anno, ita ut sol minut. 59, secund. 8, vel circiter unius gradus sub zodiaco quotidie motu medio perficiat, non sic autem quando sol est in *apogeo* et in *perigeo*, et quid per *apogeum* ac *perigeum* intelligatur. — 139. Dicta signa zodiaci peculiaribus figuris exprimuntur, quæ assignantur. — 140. Hæc duodecim signa dividunt zodiacum in duodecim partes correspondentes duodecim mensibus anni; et dantur versus cum sua explicatione ad sciendum quonam die mensis ingrediatur sol quodlibet signum. — 141. In medio zodiaci est ducta linea quædam, quæ vocatur *ecliptica* seu *orbita solis;* quid sit, et quare sic appelletur? — 142. Eclipsis solis quando sit in ipsa ecliptica? — 143. Eclipsis solis nunquam est universalis seu totalis.— 144. Eclipsis lunæ quando fiat? — 145. Eclipsis lunæ potest esse universalis seu totalis. — 146. Coluri quid sint et unde sint dicti? — 147. Ex coluris unus vocatur colurus solstitiorum et alter colurus æquinoctiorum, et d ntur versus ad ipsos cognoscendos. — 148. A dictis coluris secatur zodiacus in quatuor cardinales partes, quæ dicuntur quatuor anni tempestates, nempe ver, æstas, autumnus et hiems.— 149. Minores circuli sunt ambo *tropici*, nempe tropicus Cancri, et tropicus Capricorni: et ambo *solares*, nempe arcticus et antarcticus. — 150. Tropici unde dicti; et cur unus vocetur tropicus Cancri et alter tropicus Capricorni? — 151. Circuli *solares* unde dicti, et cur unus vocetur arcticus, et alter antarcticus? — 152. Habitantes sub istis polaribus circulis diversimode vident solem in æstate et in hieme; et secundum quod postea unus locus recedit, seu distat ab istis circulis versus polos, majorem habet inæqualitatem dierum; ita ut reperiantur dies, qui constituunt menses, et alii, qui medietatem anni. — 153. Dicti quatuor circuli minores, id est duo tropici et duo polares, dividunt mundum in quinque partes, seu zonas, nempe in unam torridam, duas temperatas, et duas frigidas, et quid sit zona? — 154. Zona torrida quæ sit, et quare sic dicta? — 155. Zonæ temperatæ quæ sint, et quare sic dictæ? — 156. Zonæ frigidæ quæ sint, et quare sic dictæ? — 157. Ex diversa habitudine æquatoris ad horizontem, dividitur sphæra in rectam, obliquam, et parallelam. — 158. Sphæra recta quæ sit? — 159. Sphæra obliqua quæ sit? — 160. Sphæra parallela quæ sit? — 161. Duo sola sunt in terra puncta, quæ possunt habere sphæram parallelam, et una sola linea, quæ habeat sphæram rectam; totum autem residuum est in sphæra obliqua. — 162. Habitantes in sphæra recta habent perpetuo æquinoctia: habent in anno bis æstatem, et bis hiemem, bis ver, et bis autumnum. — 163. Habitantes in sphæra obliqua habent æquinoctia bis solum in anno; et dies ac noctes semper inæquales; vident aliqua sidera perpetuo supra horizontem, et nunquam vident illa quæ sunt sub horizonte. — 164. Habitantes in sphæra parallela non habent nec æquinoctia, nec solstitia, sed unicum habent diem, et unicam noctem in toto anno; vident perpetuo sidera aliqua supra horizontem, et plurima alia infra horizontem nunquam vident. — 165. Cœlum unde sit dictum? — 166. Nomen cœli in sacra Scriptura varie usurpatur, et ostenditur. — 167. Cœlum quid sit? — 168. Cœlum, sicut et mundus, quoad substantiam, durabunt in æternum, licet quoad accidentalia sint immutanda. — 169. Affertur et solvitur objectio, ad n. 170. — 171. Quamvis variæ fuerint et sint opiniones de cœlorum numero, communior tamen, probabilior, et sacræ Scripturæ conformior sententia tres tantum cœlos admittit, nempe æreum, sidereum et empyreum. — 172. Astrum, seu sidus, aut stella quid sit? — 173. Astra, seu sidera, alia sunt fixa, et alia errantia, seu erratica. Fixa vocantur *stellæ*, et errantia, seu erratica appellantur *planetæ*. — 174. Quare stellæ vocentur fixæ, et planetæ errantes? — 175. Planetæ a fixis stellis tripliciter distinguuntur, et assignatur quomodo? — 176. Stellarum fixarum quanta ab astrologis et mathematicis assignetur multitudo? — 177. Dictæ stellæ fixæ distinguuntur ab astrologis et astronomis in sex classes diversæ magnitudinis, et assignantur. — 178. His sex stellarum fixarum classibus adjuncta est septima aliarum exiguarum, et nebulosarum, quæ inter alias sunt illæ *viæ lacteæ*. Hæc *via lactea* unde sit dicta? — 179. Planetæ seu sidera errantia aut erratica sunt tantum septem; quibus majoribus planetis aliæ adjunguntur minores; et assignantur omnes. — 180. Ex dictis septem planetis aliquæ sunt terra majores, et aliæ minores, et assignantur. — 181. Astronomorum supputationes circa magnitudinem planetarum et stellarum fixarum habendæ sunt non ut mensuræ, sed ut æstimationes conjectantis animi; variarum autem mensurarum, et supputationum ratio indicatur versibus hic allatis. — 182. Assignatur tempus quo planetæ et stellæ fixæ suam complent circulationem? — 183. Traditur modus discernendi planetas inter se. — 184. Dicta de numero, magnitudine et motu stellarum ac planetarum, deque diversitate cœlorum et ambitu terræ, solum conjecturaliter sunt habenda, et non certitudinaliter credenda. — 185. Consilium et deprecatio de transeundo a consideratione cœlorum ab astrologis et astronomis mendaciis repletorum ad acquisitionem veritatis sanctorum operum veri cœli empyrei, ac paradisi beatorum. — 186. Adducitur ad id pro contemptu mundi celebre canticum vulgo beati nostri Jacoboni. — 187. Afferuntur insuper ea quæ ad contemnendum mundum adducit vulgo beatus noster Bernardinus de Bustis.—188. In hoc mundo cuncta sunt pulvis, cuncta apparentes prospectivæ, et cuncta sunt nihil. — 189. Hinc Apostolus melius quam alii mundani, sibi consultus, aiebat: *Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo*, et quid per id intelligat? — 190. Adducuntur ad mundi contemptum notabilia dicta. — 191. Ad uberiorem mundi notitiam afferuntur quæ de mundo muliebri in Scriptura, et de jure, habentur. — 192. Mundus muliebris quis dicatur, et unde nomen desumat? — 193. Mundi muliebris nomine quæ contineantur, et quæ non? — 194. Mundo muliebri legato, quæ contineantur, et quæ non? — 195. Ad complementum additur, quod mundus regitur auctoritate Pontificia et regali potestate. — 196. Roma dicitur ab aliquibus posita in medio mundi; quod tamen alii negant dicentes medium terræ potius esse Jerusalem, seu civitatem Arii. — 197. Ad tyronum eruditionem subnectuntur hic nomina cum sua significatione præcipuarum partium mathematicæ, seu mathesis; cujus primogenitæ sunt tres, nempe arithmetica, geometria et statica, ad n. 198. — 199. Arithmetica, quæ juxta suos operandi modos vocatur *algorithmus*, aut *algebra speciosa*, quid sit? — 200. Geometria, quæ a variis suis operationibus vocatur *longometria*, *areometria* et *herometria*, quid sit? quidve ejus partes *trigonometria*, *tetragonometria*, *ciclometria?* — 201. Statica, quæ tot habet partes, quot solent esse potentiæ motrices, seu machinæ, quæque præsertim sunt septem; nempe *vectis*, *axis in peritrochio*, *trochlea*, *rotæ dentatæ*, *planum inclinatum*, *cochlea* tandem et *cuneus?* — 202. Istæ vocantur primæ mathematicæ, a quibus oriuntur secundæ, quæ sunt quatuor, nempe *cosmographia*, *mechanica*, *optica* et *musica*. — 203. Cosmographia quid sit, quidve ejus partes, id est *astronomia*, seu *astrologia*, *geographia* et *meteorologia?* — 204. Sub astronomia seu astrologia comprehenduntur *uranographiâ*, *sphæra* et *theoria planetarum*, et quid sint? — 205. Sub geographia comprehenduntur

Digitized by Google

hydrographia, *chorographia* et *topographia*, et quid sint? — 206. A meteorologia considerantur omnia corpora imperfecta, quæ solent reduci ad quatuor principia, nempe ad *exhalationes*, *vapores*, *habitus* et *fuligines*. — 207. Mechanica seu machinaria comprehendit sub se quatuor partes, id est *mechanicam simpliciter dictam*, *pyrotechniam*, *pneumaticam* et *hydraulicam*, et quid sint? — 208. Optica seu prospectiva dividitur in *opticam propriam*, in *catopticam* et *dioptricam*; et quid sint? — 209. Musica dividitur in vocalem, quæ continet *melopeiam*, *rhythmicam* et *pneticam*, et in instrumentalem, quæ continet *encordicam*, et *pneumaticam* ac *crusticam*, et quid sint? — 210. Cosmographia habet pro objecto orbem universum : et aliæ particularia sola objecta, id est mechanica pro objecto habet *tangibile*, optica *visibile*, et musica *audibile*. — 211. Secundis mathematicis succedunt tertiæ, quæ sunt quinque, nempe *chronologia*, *gnomonia*, *architectura*, *navigatoria* et *ars militaris*. — 212. Ad chronologiam, quæ est scientia temporum, reducuntur *historia* et *genealogia*. — 213. Ad gnomoniam, quæ est scientia umbrarum, reducitur diversitas horologiorum solarium; horologia autem rotaria, arenaria, clepsydrica, seu aquaria pertinent ad mechanicam, seu machinariam. — 214. Architectura, quæ est scientia fabricarum seu edificationum, dividitur in *civilem*, quæ subdividitur in privatam, et publicam; in *nauticam*, quæ subdividitur in tot partes, quot sunt navium varietates, et in *militarem*, quæ subdividitur in defensivam, uti sunt fortificationes, et in offensivam, uti sunt arietes, cuniculi et similia. — 215. Navigatoria continet duas partes, quæ assignantur. — 216. Ars militaris tradit modum ducendi et reducendi exercitum, et irruendi in hostes et ab ipsis se defendendi. — 217. Subnectuntur add. ex aliena manu, ad n. 226.

(1. Mundus dictus est a verbo Græco κοσμέω, quod latine *ornatum* significat : unde nos a perfecta, absolutaque ejus elegantia ipsum vocamus mundum eo quod nihil eo sit mundius, pulchrius et ornatius. Plinius, lib. II, cap. 1 et 4; Beyerlynck., *Theatr. vitæ humanæ*, t. V, verbo *Mundus*.

(2. Mundus in sacra Scriptura quinque potissimum modis usurpatur. Primo pro rebus ipsis creatis, quibus tota hæc machina visibilis constat. *Joan.* I, 10, ibi : ***Mundus per ipsum factus est***, id est tota universitas, ex eodem cap., n. 3, ibi : ***Omnia per ipsum facta sunt***. Secundo accipitur mundus pro statu præsenti, quo inter homines vivitur. *Joan.*, I, 9, ibi : ***Omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat***, etc.; et cap. IX, 5, ibi : ***Quandiu sum in mundo;*** et 39, ibi : ***Ego in hunc mundum veni***, et cap. XIII, 1, ibi : ***Sciens Jesus quia venit hora ejus ut transeat ex hoc mundo***, id est de hoc statu vitæ mortalis; et cap. XVII, 15, ibi : ***Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo;*** id est non rogo ut auferas eis vitam, per quam tollantur de hoc mundo. Tertio accipitur pro omnibus hominibus sive bonis, sive malis. *Joan.* XIV, 31, ibi : ***Ut cognoscat mundus quia diligo Patrem***, id est cognoscant omnes homines. Quarto accipitur pro hominibus mundanis, quos vocamus mundanos; quia ea sola, quæ in præsenti vident, desiderant; *Joan.* XVII, 9, ibi : ***Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo***, id est non pro hominibus mundanis; et *ibid.*, 14 : ***Non sunt de mundo, sicut et ego non sum de mundo;*** id est isti non sunt mundani, sicut nec ego. Quinto accipitur pro rebus quæ in mundo sunt, et solum habentur hic, et concupiscuntur ab hominibus mundanis, scilicet divitiæ, honores, dignitates et similia. *Epistol. I Joan.*, II, 16, ibi : ***Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ***. Et sic de pluribus aliis consimilibus sacræ Scripturæ textibus supradictam quintuplicem mundi acceptionem comprobantibus.

(3. Celebris est autem tam apud veteres, quam apud novos philosophos et theologos alia quintuplex mundi acceptio; nempe pro mundo archetypo, intellectuali, elementari, mundo magno et mundo parvo. ***Mundus archetypus*** est divina mens, in qua sunt omnes formæ et exemplaria rerum faciendarum; unde Boetius, l. III *De consolation.*, metr. 9.

. . . . . *Tu cuncta Supremo*
Ducis ab exemplo pulchrum pulcherrimus ipse,
Mundum mente gerens, similique ab imagine formans.

Mundus intellectualis dicuntur ipsæ cœlestes intelligentiæ sine omni materia et corpore, sunt enim substantiæ spirituales statu incorruptibiles, durationæ æviternæ, intelligendi virtute sagacissimæ, rerum omnium creatarum verticem, et coronidem eximiis suis præcellentiis et dotibus complectentes. ***Mundus elementaris*** est, qui componitur ex quatuor elementis et corpore cœlesti, quod etiam elementum vocat Aristotel., lib. III, *De cœlo*, cap. 1, text. 1; *Meteor.* I, cap. 3, et initio lib. *De col.* ***Mundus magnus***, qui proprie universum vocatur, est tota creaturarum collectio. ***Mundus parvus*** est homo, qui ab Aristotele, VIII *Physicor.*, c. 2, dicitur a quodam verbo Græco ***Mundus compendiatus***, quem Græci vocant Μικρόκοσμον, id est minorem mundum, eo quod sit omnium rerum epilogus et compendium, et omnium in unum confluentium naturarum possessionem, et totius universitatis summam in se contineat. Habet enim homo, dicit S. Gregorius, hom. 29, *in Evangel.* aliquid omnis creaturæ, ibi : « Omnis autem creaturæ aliquid habet homo; habet namque commune esse cum lapidibus, vivere cum arboribus, sentire cum animalibus, intelligere cum angelis. »

(4. Mundus captus pro universa rerum omnium complexione et distributione, de quo præsertim hic est sermo, variis illustratur titulis. Dicitur enim *machina* propter mirandam ejus structuram et artificium. Dicitur *orbis* propter figuræ rotunditatem. Dicitur *universum*, vel ex eo quod universas, seu omnes creatas res complectatur et involvat; vel ex eo quod mundus ab uno Deo formatus *universum* dicitur, quasi versum unum, seu ad unum Deum ordinatus. Dicitur a Latinis *Mundus* et a Græcis Κόσμος propter ejus munditiam, elegantiam et pulchritudinem.

(5. Mundus ex Aristotele, lib. *De mundo*,

Digitized by Google

cap. 2, ex Possidonio, *in Meteoris* definitur. « Compages e cœlo terraque coagmentata, atque ex iis naturis quæ intra ea continentur; id est ex iis corporibus naturalibus quæ intra cœlum et terram comprehenduntur.

(6. Mundus de facto est unicus; non repugnant tamen plures. Communis inter catholicos cum Scoto, lib. *De primo princip.*, cap. 3, n. 11, et *De rerum princip.*, quæst. 10, n. 23, et colligitur I pars ex sacra Scriptura, quæ, quoties de mundo loquitur, unius tantum meminit; sic *Joan.* I, 10 : *Mundus per ipsum factus est*, et sæpissime alibi, ut patet ex testibus adductis supra num. 2, et *Genes.* I, 1 : *In principio creavit Deus* non cœlos et terras, sed *cœlum et terram ;* unde S. Augustinus, lib. *Retractationum*, cap, 10, retractat se, quod dixerit alicubi duos esse mundos.

(7. Hinc nullimode audiendi sunt Manichæi, qui plures invexerunt mundos, quamvis finitos; nec sequaces Democriti, qui cum ipso innumerabiles mundos esse asseruerunt; nec qui infinitos mundos excogitarunt, ut Metrodorus, Anaximander, Anaximenes, Archelaus, Aristarcus, Xenophanes, Leucippus, Epicurus et Anaxarchus, quem, ut refert Plutarchus, lib. *De tranquillitat. animi*) cum Alexander Macedo de mundorum infinitate disserentem audivisset, illacrymasse fertur; rogantibusque ob id amicis num aliquid lacrymandum ei accidisset? An non justum est nos flere debere, respondit, si cum infiniti mundi esse perhibeantur, nondum unius domini simus?

(8. Secunda autem pars, nempe quod non repugnent plures mundi, clare patet, quia nulla potest afferri implicantia, nec ex parte Dei, qui cum sit potentiæ infinitæ et inexhaustæ, tam potens est hodie ad alios creandos, quam fuit ante creationem istius ad istum creandum : neque ex parte creabilium; adeoque plures mundi non repugnant, sed sunt possibiles. Unde sententia negans hanc plurium mundorum possibilitatem, tanquam falsa et erronea merito fuit reprobata et damnata ab universitate Parisiensi sub Stephano ejusdem civitatis episcopo, uti videre est apud Magistrum sententiarum *in fine quarti*.

(9. Mundus non fuit creatus ab æterno, ut senserat Aristoteles VII et VIII *Physicor.*, sed ab initio temporum. Est de fide. *Genesi* enim I expresse habetur : *In principio creavit Deus cœlum et terram;* id est ab initio temporum, ut exponit S. August., quæst. 112, et alii communiter. *Proverb.* VIII, 22 : *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio.* *Joan.* XVII, 5, ubi Christus alloquens Patrem dicit : *Nunc clarifica me tu, Pater, apud temetipsum claritate quam habui, priusquam mundus esset;* et cap. *Firmiter credimus* 1, De summa Trinitate et fide catholica, ibi : « Ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam spiritualem et corporatem, » etc.

(10. Mundus probabilius creatus est verno tempore in æquinoctio, luna plena et die Dominico. Sic declaratum est omnium consensu in concilio Palæstino de mandato Victoris Papæ congregato a Theophilo episcopo Cæsariensi, in quo fuit conclusum : « Nunc ergo investigavimus, quomodo in principio factus fuerit mundus, id est die Dominico, verno tempore, in æquinoctio, quod est octavo Kalendarum Aprilium, luna plena: per ipsum tantummodo tempus et elementa resurgunt. » Sic apud Paravicinum in *Polyanthea sacror. canonum*, verbo *Creatio mundi*. Et Magister *Historiæ scholasticæ* in historia libri *Geneseos*, affirmat « dogma esse Ecclesiæ, mundum esse creatum in Martio. » Et Ecclesia ipsa hymno ad matutinum Dominicæ canit.

Primo die, quo Trinitas
Beata mundum condidit
Vel quo resurgens Conditor
Nos morte victa liberat.

Et antiquitus ante ejus reformationem sic canebat :

Primo dierum omnium,
Quo mundus exstat conditus,
Vel quo resurgens Conditor
Nos morte victa liberat.

Et sic tenent PP. Eusebius, Athanasius, Cyrillus Hierosolymit., Nazianzenus, Damascenus, Ambrosius, Augustinus, Theodoretus, aliique plures sancti, et classici doctores, quos 20 numero citat Torniellus, 25 Ascanius Martinengus; et longe plures Molina, Genebrardus, Clarius, Delrius, a Lapide, et Salianus apud Tirinum, tom. I, cap. 9, *Chronic. sacr.*, ubi solide probant hanc sententiam, quam tuentur plures alii moderniores, ut Beyerlinck, *loc. cit.*; Frassen., *De mundo*, quæst. 3, conclus. 2; Boyvin., tom. I *Thelog.*, quæst. 1, in fine de creatione mundi; et tom. II *Philos.*, disp. 1, cap. 3, quæst. 7; Dupasquier, tom IV *Philosoph.*, disp. 1, *De mundo*, quæst. 4, conclusion. 1; Goudin., tom. III *Philos.*, quæst. 1. *De mundo*, artic. 2, quæsit. 2., et plurimi alii, cujus sententiæ fuerunt etiam veteres poetæ; unde Virgilius, lib. II *Georgic.*, hæc habet :

Nec alios prima nascentis origine mundi
Illuxisse dies, aliumve habuisse tenorem
Crediderim : ver illud erat, ver magnus agebat
Orbis, et hybernis parcebant flatibus Euri.

(11. S. Hieronymus tamen, Liranus, Tostatus, Scaligerus, Petavius, Usserius, Torniellus, Strauchius, Fortunatus a Brixia, et alii volunt quod probabilius mundus creatus fuerit in æquinoctio autumnali, quia, dicunt ipsi, mundus creatus est eo tempore quo fructus maturi erant, ut sic mensa apponeretur homini et animalibus, ut patet ex cap. II, 9 *Genesis*, ibi : *Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, et ad vescendum suave;* et ex cap. III, 6, ibi : *vidit igitur mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, et pulchrum oculis, aspectuque delectabile, et tulit de fructu illius, et comedit, deditque viro suo, qui comedit.* Fructus autem maturescunt

Digitized by Google

tempore autumni, et non tempore veris, adeoque etc. Tum quia annus antiquus Hebræorum ante eorum exitum ab Ægypto incipiebat ab æquinoctio autumnali, adeo ut nova sanctione opus fuerit, ut annum Ecclesiasticum ab æquinoctio verno Hebræi auspicarentur, ut patet *Exodi* cap. XII, 2, ibi : *Mensis iste* (quo nimirum Hebræi egressi fuerant de Ægypto) *sit vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni.* Tum etiam, quia ramum virentis olivæ attulit columba in arcam undecimo mense, *Genes.* VIII, 5 et sequentibus; cum autem mense Januario, qui undecimus esset, si a vere annus inchoaretur, non vireat, signum est, mundum non fuisse creatum in æquinoctio verno, sed autumnali.

(12. At istæ rationes adductæ ab asserentibus mundum probabilius creatum fuisse in æquinoctio autumnali, vel nihil contra nos probant, vel potius nostræ favent sententiæ asserenti mundum probabilius creatum fuisse in æquinoctio verno. Et revera prima eorum ratio nihil contra nos, sed potius nostræ favet sententiæ, quia in illa sic bene temperata regione, in qua creatus est homo, primaque animantia terrestria, plures fructus in vere, et salubres herbæ abundant; imo bene temperatis regionibus Orientis, et præsertim ubi paradisus terrestris fuit constitutus, plurimæ arbores toto anno fructibus graves sunt, aliis incipientibus, aliis maturescentibus, aliis omnino maturis, uti etiam videre est in pluribus Europæ provinciis; et ex iis quæ fructibus aliquando spoliantur in Oriente, plures sunt, quæ in verno, quam quæ in autumnali æquinoctio maturos fructus habent, ut experientia demonstrat, nam ante finem æstatis fere omnes fructibus spoliatæ, et nudæ sunt. Secunda autem eorum ratio non subsistit, quia ut recte ostendit eruditissimus Tirinus tom. I in *Chronico sacro*, cap. 5, apud Hebræos annus antiquus inchoabatur ab æquinoctio verno; et secundum hunc calculum processerunt omnes anni a mundo condito usque ad ingressum ipsorum Hebræorum in Ægyptum; in Ægypto vero sese accommodarunt calculo Ægyptiorum, qui annum suum inchoabant a mense *Toth*, qui fere respondet nostro Septembri, ut patet ex traditis sub verb. KALENDARIUM, n. 35. At statim ac ex Ægypto egressi sunt, jussit Deus ipsis Hebræis, ut annum, sicut antea, rursus a Vere inchoarent, ut patet *Exodi* XII, 2, per ipsamet verba adducta ab adversariis *supra*, n. 11. *Vide* ipsum Tirinum, *l. cit.*, ubi multa adducit ad rem etiam de initio anni civilis et anni sabbatici ac jubilæi. Nec etiam urget tertia adversariorum ratio, quia oliva hieme quoque media, adeoque toto anno viret. Tum quia teneriores illius ramusculi quales columba decerpsisse videtur, in calidioribus illis regionibus exeunte potius hieme, quam æstate succrescunt.»

(13. Probatur autem nostra conclusio ex sacra Scriptura. *Genesis* enim cap. I, 11, habetur : *Germinet terra herbam virentem, et facientem semen, et lignum pomiferum faciens fructum juxta genus suum*, ergo eo tempore creata est terra, quo incipit germinare herba; nam si creata fuisset in autumno, ut volunt citati adversarii, aut in æstate, ut cum aliis voluit Gerardus Mercator, *De methodo demonstrationis temporum*, cap. 1, apparuisset cum herbis, plantis, etc. Unde S. Theodoretus in quæstione 72 *supra Exodum*, cum hanc proposuisset dubitationem : cur prima die mensis Deus jussit erigi tabernaculum? eam solvit his verbis : « Propterea quod eodem fere tempore Deus creaturas condidit : cujus rei fidem facit arborum germinatio; *Germinet*, inquit, *terra herbam virentem* etc., incipiente enim vere, prata florere solent, segetes semina concipiunt, arbores fructum emittunt. » Et S. Ambrosius cap. 4, lib. I *Hexameron* sic expresse dicit : « In hoc principio, quo Pascha jussu Dei celebrant Judæi, cœlum et terram fecit Deus, quod inde mundi capi oportebat exordium, ubi erat opportuna omnibus verna temperies; unde et annus mundi imaginem nascentis expressit, ut post hibernas glacies, atque hiemales caligines, serenior solito verni temporis splendor eluceat. Dedit ergo formam fluxus annorum curriculis mundi primus exortus, ut ea lege annorum vices surgerent, atque initio cujusque anni produceret terra nova seminum germina, quo primum Dominus Deus dixerat, *Germinet terra herbam*, » etc.

(14. Tum quia valde verisimile, et credibile est, eodem tempore fuisse formatum primum Adamum, quo postea Christus secundus Adamus; et eodemmet tempore fuisse mundum primo creatum, quo fuit postea recreatus, et redemptus per Christum : atqui constat, Christum incarnatum, et mortuum esse, et resurrexisse in æquinoctio verno; ergo in hoc verno æquinoctio fuit conditus mundus. Tum etiam, quia vernum tempus comparatur juventuti, et autumnus senectuti, adeoque illud aptius est ad nascentis mundi ætatem, cum in illo generante terra, virentibus herbis, florescentibus arboribus, et quasi revirescentibus animantibus, mundus quodammodo renascens, eodem se tempore primum a Deo esse conditum non obscure declaret : et e contra autumnus magis corruptioni, quam generationi rerum conveniat, cum in ipso arborum folia decidant, virore, vigoreque suo privata omnia paulatim flaccessant, et ad interitum ferantur.

(15. Mundus non fuit creatus in instanti, sed revera sex dierum naturalium spatio. Sic sanct. Joann. Chrysostom., homil. 3 *in Genes.*; S. Ambrosius lib. I *Hexameron.*, cap. 7; S. Basilius, homil. 2 *in Genes.*; S. Gregor. Nazianzenus, orat. 48, et S. Gregor. Magnus, lib. XXXII *Moral.*, cap. 10, quibus subscribunt omnes fere alii sancti Patres, ac scholastici, excepto S. Augustino (112),

(112) *Vide* præter Norisium in Vindiciis Augustinianis, et Natalem Alexandrum dissert. 1, in pri-

Digitized by Google

qui lib. IV *De Genes. ad litt.*, cap. 21, existimavit mundum creatum fuisse in instanti, et totum simul, juxta illud *Ecclesiastici* XVIII, 1 : *Qui vivit in æternum creavit omnia simul.* Probatur autem nostra conclusio ex sacra Scriptura, quia Moyses *Genes.* I, asserens mundum successive sex dierum intervallo factum, historice scripsit, ergo debet intelligi non mystice, et metaphorice, ut illum interpretatur sanctus Augustinus, sed vere litteraliter, ut eum intelligunt fere omnes alii sancti Patres et scholastici. Tum quia, si omnia creata fuissent simul, et in eodem instanti, terra nunquam fuisset *inanis et vacua*, ut habetur *Genes.* I, nec fuissent aliquando tenebræ super faciem abyssi, ut testatur ipse Moyses, cit. c. I *Genes.* Si autem aliquando fuerunt tenebræ, etiam aliquando non fuit lux, adeoque non omnia facta sunt simul in eodem instanti. Tum etiam quia Moyses *Exodi* XX, 8 et seqq. rationem afferens cur Judæi religiose observare deberent diem sabbati, non aliam allegat, nisi quod, sicut Deus per sex dies mundum creavit, et requievit septimo, ita possent ipsi per sex dies operari, et die septimo ad imitandum Deum ab omni opere servili cessare deberent, ibi : *Memento ut diem sabbati sanctifices. Sex diebus operaberis, et facies omnia opera tua. Septimo autem die sabbatum Domini Dei tui est; non facies omne opus in eo, tu, et filius tuus, et filia tua, servus tuus, et ancilla tua, jumentum tuum, et advena, qui est intra portas tuas. Sex enim diebus fecit Deus cœlum et terram, et omnia quæ in eis sunt, et requievit in die septimo: idcirco benedixit Dominus diei sabbati, et sanctificavit eum.* Atqui hæc ratio infirma esset, si Deus in instanti, et non per sex dies produxisset mundum; ergo concludendum est, Moysem fuisse litteraliter locutum, et non mystice et metaphorice, proindeque mundum non fuisse creatum in instanti, sed successive sex dierum spatio.

(16. Objicies cum S. Augustino, *loc. cit.*, illud *Ecclesiastici* XVIII, 1, ubi expresse dicitur : *Qui vivit in æternum, creavit omnia simul :* Ergo non successive sex dierum spatio, sed in instanti creatus fuit mundus. At respondetur, quod illa particula *simul* idem ac *pariter*, seu *universaliter*, et nullo excepto significat, ita quod nihil omnino sit, quod non fuerit a Deo creatum; ita ut illa particula *simul* non denotet simultatem, universitatis, seu collectionis, ut patet ex aliis sacræ Scripturæ textibus, in quibus hæc particula *simul* collectionem significat. Sic *Psal.* XIII, 3. *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt; Psal.* XLVIII, 11 : *Simul insipiens, et stultus peribunt; Job* XXI, 26 : *Et tamen simul in pulvere dormient*, et cap. XXXIV, 15 : *Deficiet omnis caro simul*, cum pluribus similibus. Vel potest dici, quod omnia simul facta sunt secundum materiam nempe rudem, et informem, quæ primo mundi die omnis simul producta fuit, non omnia simul facta sunt secundum formam.

(17. Nec valet instare, quod ipsemet Moyses testatur, Deum omnia produxisse simul simultate temporis, *Genes.* enim II, 4 expresse dicit, *Istæ sunt generationes cœli et terræ, quando creata sunt in die, quo fecit Deus cœlum et terram, et omne virgultum agri*, etc.; adeoque, etc. Non valet, inquam, quia illa particula *in die* sumitur non determinate pro unico die, sed indeterminate pro quocunque illorum sex dierum, quibus res aliquæ seorsim fuerunt formatæ, sicque *in die* sumi potest divisim pro quolibet die, quo aliquid formatum est. Vel respondetur, ut supra, omnia quidem fuisse producta in die unico quoad materiam, non vero quoad formam, sicut explicat sanctus Gregorius l. XLII *Moral.*, cap. 10, ubi hanc agitans quæstionem, post plura concludit : « Qui diversis diebus creatum cœlum, et terram, virgultum, herbamque narraverat, nunc uno die facta manifestat, ut liquido ostenderet, quod creatura omnis simul per substantiam exstitit, quamvis non simul per speciem processit. » Quod deducitur ex ipsomet Moyse in cap. I *Genes.*, ubi dicit quod lux facta sit primo die, sol vero quarta die, non quod lux fuerit primo die sine sole, et dies sine cursu solari, sed quia, licet sol fuerit creatus prima die, et cum illo lux quoad substantiam, sicque per cursum vigintiquatuor horarum incœperit a mundi exordio dies naturales distinguere; tamen sol et luna dicuntur facta die 4 non quoad dictam substantiam, sed quoad speciales influxus, et ad munus discriminandi tempora, menses, dies, et annos per motum in zodiaco, qui tali die datus est soli, aliisque planetis; Et ideo dixit Deus *fiant luminaria*, non quidem simpliciter, sed ut *dividant diem ac noctem, et sint in signa, et tempora, et dies, et annos; ut luceant in firmamento cœli, et illuminent terram. Genes.* I, 14 et 15; sic *Gen.* IX, 13 dicit Deus post diluvium : *Arcum meum ponam in nubibus*, non quidem quantum ad substantiam; nam talis arcus apparebat etiam ante diluvium, sed ut esset in signum fœderis, et pacis, ibi : *Et erit signum fœderis inter me et inter terram.* Unde ex S. Scriptura potius deducitur, quod mundus creatus sit successive spatio dierum sex, quam in instanti. Quam nostram opinionem, posthabita illa S. Augustini, videtur sequi Ecclesia; siquidem in hymnis, quos canit in vespertinis precibus singulorum hebdomadæ dierum, laudat Deum de singulis operibus, quæ particulatim ipse per singulos dies perfecit.

(18. In primo igitur die producta fuerunt cœlum empyreum, angeli, terra, aqua, lux et infernus. De cœlo, terra, aqua et luce habetur expresse ex cap. I *Gen.*, a n. 1 ad 5. De angelis quamvis non habeatur expresse ex Scriptura, habetur tamen in conc. Lateran. in cap. *Firmiter credimus* 1, De summa Trinitat. et fide catholica, ubi definit an-

mam mundi ætatem art. 8, proposit. 1, et alios; Joannem Laurentium Berti *De elogicis disciplinis* lib. XI, cap. 11, proposit. 1, ubi eos recenset qui S. Augustino præiverunt, vel assensi sunt.

Digitized by Google

gelos non ante, ut voluerunt aliqui, neque post mundum, ut censuerunt alii, sed simul cum mundo ab initio temporis creatos fuisse, ibi : « Qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, ac deinde humanam, » etc. Fuit enim creatum cœlum non vacuum, sed cœlestibus incolis plenum, nempe spiritualibus substantiis, quos philosophi *intelligentias*, et Scriptura *angelos* vocat; et per ipsum cœlum primo die creatum non intelliguntur omnes orbes cœlestes, sed solum empyreum, ut recte docent S. Clemens, Theodoretus, Origenes, Alcuinus, Rabanus, Lyranus, Abulensis, et alii. Item infernus, quamvis non exprimatur a Scriptura, quo die fuerit creatus, merito tamen creditur creatus primo die cum terra, in cujus centro est; sicut enim Deus primo die divisit lucem corpoream a tenebris corporalibus, ita separavit lucem spiritualem, id est angelos bonos, a tenebris spiritualibus, id est a dæmonibus, qui, duce Lucifero, rebelles facti Deo, eodem illo primo die e cœlis detrusi sunt in infernum, quem sub idem tempus ipsis in centro terræ cum suo igne, et sulphure Deus paravit, ut recte doctissimus Tirinus in c. I *Genes.*, et fere communis aliorum.

(19. Secundo die factum est firmamentum; habetur expresse ex cap. I *Genes.*, a n. 6 ad 8. Per firmamentum autem intelligendum est cœlum stellatum, et omnes orbes cœlestes illi vicini, tum superiores, ut crystallinum, et primum mobile, tum inferiores, qui sunt septem orbes planetarum; unde per ipsum firmamentum intelligitur id, quod in medio aquarum, et ex medio aquarum, seu ex mole aquarum productum, ipsas a se mutuo separat, seu dividit, ut habetur *Genes.* cap. I, num. 6, ibi : *Fiat firmamentum in medio aquarum, et dividat aquas ab aquis.* Per aquas autem, quæ sunt supra firmamentum, non intelliguntur nubes, neque cœlum crystallinum, sed veræ, et propriæ aquæ, uti creatæ sunt primo die omnes conjunctæ, et ejusdem speciei, quæ per firmamentum productum secundo die fuerunt tantum separatæ, ut patet *Genes.* I, 7, ibi : *Fecit Deus firmamentum, divisitque aquas quæ erant sub firmamento ab his quæ erant super firmamentum;* sicque remanserunt veræ, et propriæ aquæ super firmamentum, divina virtute servatæ incorruptæ, tum ad ornatum universi, tum ad oblectamentum sanctorum, tum præsertim ad perpetuam Dei laudem, et gloriam, juxta illud *Psal.* CXLVIII, 5, ibi : *Et aquæ omnes, quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini;* et illud *Daniel.* III, 60, ibi : *Benedicite, aquæ omnes, quæ super cœlos sunt, Domino.* Sic fere omnes sancti Patres et doctores citati, et secuti a Tirino in cap. I, n. 7, *Genesis*, et in *Psal.* CXLVIII, n. 5.

(20. Tertio die facta est congregatio aquarum, et productio herbarum, et plantarum, textu expresso in I *Genes.*, a n. 9 ad 13. Congregatio autem aquarum facta est in unum locum, inquit Scriptura, ut appareret arida, et ipsam aridam vocavit Deus *terram*, congregationesque aquarum appellavit *maria*, ibi, n. 9 et 10 : *Dixit vero Deus : Congregentur aquæ, quæ sub cœlo sunt in locum unum, et appareat arida. Et factum est ita ; et vocavit Deus aridam terram, congregationesque aquarum appellavit maria.* Quo vero ad productionem herbarum, et plantarum, clare patet, Deum die tertio dedisse terræ virtutem germinandi herbas, et producendi plantas, sive arbores fructibus graves, aliis incipientibus, aliis maturescentibus, et aliis omnino maturis, juxta dicta supra n. 12 dicit enim Scriptura cit. cap. I *Genes.*, v. 11 et 12 : *Et ait : Germinet terra herbam virentem, et facientem semen, et lignum pomiferum faciens fructum juxta genus suum... et protulit terra herbam virentem, et facientem semen juxta genus suum, lignumque faciens fructum, et habens unumquodque sementem secundum speciem suam.*

(21. Quarto die producta sunt astra, nempe sol, luna et stellæ; et quidem ut illuminent orbem; sol in die, et luna cum stellis in nocte, sicque dividant diem, ac noctem; ac pariter ut sint in signa annorum, mensium, et dierum, et tempestatum veris, æstatis, autumni, et hiemis, ac etiam pluviæ, serenitatis, ventorum, et hujusmodi, textu aperto in cit. cap. I *Genes.*, a v. 14 ad 18; ibi : *Dixit autem Deus : Fiant luminaria in firmamento cœli, et dividant diem ac noctem, et sint in signa, et tempora, et dies, et annos ; ut luceant in firmamento cœli, et illuminent terram ; et factum est ita; fecitque Deus duo luminaria magna, luminare majus, ut præesset diei, et luminare minus, ut præesset nocti, et stellas.* Primum luminare magnum est *sol*, sic dictus « vel quia solus ex omnibus sideribus sit tantus, vel quia, cum est exortus, obscuratis omnibus, solus apparet, » ut notat Cic., lib. II *De nat. deor.*, seu quia solus ita lucet, ut ex eo dies sit, ut observat Varro, lib. IV *De ling. lat.* Secundum luminare magnum est *luna*, sic dicta ex eo, quod sola nocte luceat, unde *nocticula* etiam dicitur, ut advertit Varro, l. II, *De ling. lat.*, et etiam Cicero, lib. II *De nat. deor.* Per hoc autem, quod *luna* dicatur luminare magnum, non sequitur, quod sit major aliis planetis, cum illa penes molem cæteris planetis minor sit; sed dicitur *luminare magnum*, quia post solem, majorem, et efficaciorem influxum in inferiora habet, quam cæteri alii planetæ, et etiam quia major videtur, quoniam vicinior est terræ.

(22. Quinto die producti sunt pisces, et aves, textu expresso in cit. cap. I *Genes.*, a n. 10 ad 23, ibi : *Dixit etiam Deus : Producant aquæ reptile animæ viventis, et volatile super terram sub firmamento cœli. Creavitque Deus cete grandia, et omnem animam viventem, atque motabilem, quam produxerunt aquæ in species suas, et omne volatile secundum genus suum.* Ipsi pisces, et aves producti sunt ex aqua, ut docent SS. Hieronymus, Augustinus, Cyrillus, Damascenus, et alii communiter, et patet ex adducto Scri-

Digitized by Google

pturæ textu, et ex hymno, qui dicitur in vesperis feriæ quintæ : *Magnæ Deus potentiæ, qui ex aqua ortum genus* (ut in hymno antiquo), *qui fertili natos aqua* (ut in hymno novo correcto), *partim relinquis gurgiti, partim levas in aera.* Nec obstat dissimilitudo inter pisces, et aves, quia, ut recte notat S. Augustinus lib. III *De Genes. ad litt.*, c. 3, pisces facti sunt ex aqua densiori, aves vero ex subtiliori, unde sunt magis temperamenti aerei, quam aquei. Per cete grandia creata et adducta in textu, intelliguntur pisces grandiori corpore existentes. Unde nomen *Cete* est commune omnibus magnis piscibus.

(23. Sexto die producta sunt animalia terrestria et deinde homo, qui et dominus cæterorum constitutus est, ut habetur expresse ex cit. cap. I *Genes.*, a vers. 24 ad 30, ibi : *Dixit quoque Deus : Producat terra animam viventem in genere suo, jumenta et reptilia et bestias terræ secundum species suas : factumque est ita. Et fecit Deus bestias terræ juxta species suas, et jumenta, et omne reptile terræ in genere suo. Et vidit Deus quod esset bonum. Et ait : Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram ; et præsit piscibus maris et volatilibus cœli, et bestiis, universæque terræ omnique reptili, quod movetur in terra*, etc.

(24. Adam igitur et Eva ambo producti fuerunt in sexta die : quamvis enim aliqui putent, solum Adamum factum fuisse sexta die et Evam factam fuisse postea, hoc tamen non est probabile, quia Deus in fine sextæ diei cessavit ab omni opere ; *et requievit die septimo ab omni opere, quod patrarat*, ut habetur expresse ex cap. II *Genes.*, v. 2, ubi v. 3 insuper subjungitur : *Et benedixit diei septimo et sanctificavit illum ; quia in ipso cessaverat ab omni opere suo, quod creavit, ut faceret.* Quamvis autem post opera sex dierum loquatur Moyses de formatione Evæ, hoc non officit, quia ibi, nempe *Genes.* cap. II, vers. 21 et sequent., narrat solum quomodo producta fuerit : narrando vero ea, quæ facta sunt in sexto die, expresse dicit : *Masculum et feminam creavit eos : benedixitque illis Deus et ait : Crescite et multiplicamini*, etc. ; sic *Gen.* I, 27 et 28.

(25. Adam productus fuit ex limo terræ, *Genes.* II, 7, ibi : *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ ;* Adam enim in Hebræo significat præcisum de terra et dicitur Adam de *Adama*, quod significat terram, ut tradit Tostatus in cap. V *Genes.*, ante quæst. primam, sicut a Latinis dicitur homo ab *humo*, ut tradunt communiter doctores. (26. Adam formatum fuisse in campo Damasceno, loco quodam campestri juxta civitatem Hebron, quæ, non quando Adam formatus est, sed multo post condita fuit in loco distanti ab Jerusalem, 16 milliaribus, sive octo leucis, tradunt varii apud Tostatum *in cap.* I *Genes.*, quæst. 22 et *in cap.* XIII, quæst. 834. Dicuntque ipsi, Adam ibidem vixisse postquam ejectus fuit de paradiso, ibique etiam sepultum fuisse, quod tamen non admittit ipse Tostatus in cit. cap. 138 et multi alii, ut infra patebit.

(27. Adam creatus fuit in ætate perfecta, qua posset generare ; nam formatis Adam, et Eva, dixit illis illico Deus : *Crescite, et multiplicamini*, *Genes.* I, 28. Non tamen certo constat in quibus annis initio mundi computanda esset ætas juvenilis apta perfecte ad generandum : aliqui enim eam reponunt inter trigesimum annum, et quadragesimum, dicuntque in ea ætate Adamum creatum fuisse, qua Christus resurrexit : alii vero dicunt vitam pro tunc fuisse longissimam, et quamlibet ætatem fuisse longiorem, quam nunc, ideoque pueritiam, et adolescentiam fuisse longius productas, tardiusque accessisse juventutem : unde volunt eam computari debere circiter quinquagesimum annum, qua ætate, dicunt, formatum fuisse Adamum ; ex quo inferunt, et quidem mihi videri probabiliter, quod Adam longius vixerit aliquo modo omnibus hominibus, quia licet Mathusalem vixerit nongentis sexaginta novem annis, et Adam tantum nongentis triginta, cum tamen ætas, qua creatus est, correspondeat quinquagesimo anno, sic vita Adam longior fuit, ætate saltem perfecta, vita ipsius Mathusalem.

(28. Eva producta fuit de costa Adami, textu claro in cit. cap. II *Gen.*, vers. 21 et 22, ibi : *Tulit unam de costis ejus, et replevit carnem pro ea, et ædificavit Dominus costam, quam tulerat de Adam in mulierem.* (29. Et quidem producta fuit ex costa Adami, seu de latere ejus, ut advertunt sancti Patres et interpretes, ne aut domina, si de capite, aut ancilla, si de pedibus, sed de medio produci debuit, ut socia viri mulier intelligatur. (30. Nec ex sola costa, sed etiam ex carne Adami producta fuit Eva, ut notant communiter doctores, id deducentes ex verbis ipsius Adami, *Gen.* II, 23, ibi : *Dixitque Adam : Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea, hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est.*

(31. Costa illa, quamvis fuerit Adamo necessaria ut erat caput naturæ humanæ, et ut ex ipsa formaretur Eva, erat tamen ei superflua quantum ad integritatem individui, quia, ut recte ex communiori doctorum advertit Tostat. *in cap.* XIII *Gen.* qu. 357, 358 et 359, Adam habuit a principio plures costas, quam nos, et plures in uno latere, quam in alio ; et ablata illa, manserunt ei tot, quot nobis, et pares in utroque latere dispositæ ordine suo : et ratio est, quia, si Adam tot costas habuisset quot nos, mansisset Adam deficiens in una costa, quod non est dicendum, ne admittatur defectus in formatis a Deo, præsertim in eo, qui fuit primus, et supernaturaliter formatus ; tum quia Deus replevit carnem pro ea, quod non fecisset, si costa illa fuisset Adamo necessaria quoad integritatem individui, quia ibi posuisset aliam costam. Cum ergo Deus carnem produxerit loco dictæ costæ, sequitur quod illa costa fuerit illi

Digitized by Google

superflua, et adhuc sine illa tot haberet costas, quot nos, ne manoret defectus in individuo sic perfecte constituto, et minores haberet costas, quam natura exigat ad sui perfectionem, et integritatem, ad quam 24 requiri tradunt physiologi et medici, dicentes, corpus nostrum 24 costis, duodenis utrovis in latere esse constructum, et coagmentatum. (32. Tum etiam, quia, si illa costa fuisset necessaria Adamo quantum ad integritatem individui, deberet resurgere in ipso Adamo, sicut manus abscissa alicui resurgeret in ipso: et tunc non resurgeret in Eva, unde non posset resurgere Eva, quia id, quod materialiter ipsa erat, resurgeret in Adamo, quod non est dicendum, quia ipsa resurget in Eva, cum sit de integritate ejus individui, tanquam principalis materia ipsius, ut notat Tostatus cit. q. 357.

(33. Unde concludendum est cum ipso Tostato, cit. q. 259, et communiori doctorum, quod Adam formatus fuit cum pluribus costis in uno latere, quam in alio nempe, ut dicunt etiam alii plures, cum tredecim in sinistro latere, sicque habuit plures costas, quam nos; eratque in ipso una superabundans, quam Deus produxerat ex industria, ut illam postea detraheret, et formaret inde mulierem; qua ablata, et inde formata Eva, remansit in utroque latere Adami par costarum numerus, et fuerunt tot, quot in nobis; sicque illa costa erat superflua Adamo quoad integritatem sui individui; quamvis ei fuerit necessaria, ut erat caput naturæ humanæ, ut ex ipsa formaretur Eva. (34. Unde non videtur sequenda opinio aliquorum volentium quod feminæ habeant unam costam plusquam viri, ut inter alios tenuit D. De Ivigene in *Novo dictionario theologico-historico*, etc., Gallico idiomate impresso, verb. *Adam*. Hoc enim dato, perfectius esset corpus feminæ, quam viri, quod est contra rationem, et experientiam.

(35. Solus Adam creatus fuit, et ex ipso Eva, quia conveniens fuit formari feminam ex masculo, ut generis humani unicum esset principium. Unde S. Paulus, *Actor.* XVII, 26, dicit quod Deus ex uno homine fecit omne genus hominum.

(36. Hinc solum peccatum Adæ, et non Evæ transiit in omnes homines, ut dicit Apostolus *ad Roman.* V, 12, ibi: *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransivit, in quo omnes peccaverunt;* ubi, ut vides, Apostolus non facit mentionem, nisi de peccato Adami, et nullimode de peccato Evæ, quamvis ipsa prius peccaverit, cum comedit, et dederit viro suo, qui et comedit; ratio autem hujus, est quia licet Eva peccaverit et quidem gravissime, tamen peccatum ejus non potuit transire in nos, neque per ejus peccatum venit mors in nos; nec dicimus nos peccasse in Eva, sicut in Adamo: quia Eva non est principium totius humani generis, sicut Adam; solus enim Adam est principium totius humani generis, quia in illo solo fuit tota natura humana; nam quidquid pertinet ad naturam humanam, in quocunque sit, fuit in Adam; et ideo vere est principium, quia totam naturam continet in se. In ipso enim erat id, quod ipse erat, et in eo fuit quidquid derivatum est in alios, scilicet Evam, et posteros, quod non potest dici de Eva, quia non fuit in ea tota natura humana aliquando, quia non fuit in ea natura humana Adæ, neque aliquid ejus, neque fuit principium totius humani generis quantum ad nos, quia non est principium totaliter nostri, sicut Adam; quia in ipso fuit id quod nos accepimus ab Eva, et quod accepimus ab eo; nam quod accepimus ab Eva, erat in ipso, in quantum de eo formata fuit Eva, et quod ab ea derivatum est per commixtionem, in ipso erat et ita nihil nos habemus, aut accepimus, quod non fuerit ab Adam, et aliquid accepimus, quod non fuit in Eva, ac per consequens ipsa non est principium totius generis humani, neque quantum ad nos, sicut est Adam. Ideo rectissime dixit Apostolus quod omnes in Adam peccaverunt, et non dixit quod peccaverunt in Eva, quia in ista non fuit tota natura humana sicut fuit tota in illo, et per hoc Adam peccans, non solum peccabat ut unus singularis homo, sed ut homo continens in se omnes homines, quia omnes eramus in eo, in quantum omnes descendimus ex eo, et sicut si omnes peccaremus, omnibus imponeretur pœna, ita cum omnes essemus in Adam, omnes, peccante illo, peccavimus, et omnes obligationem mortis contraximus, sicut ille, ut dicit Apostolus cit. *Epistol. ad Roman.*, cap. V, n. 14, ibi: *Regnavit mors... etiam in eis, qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ.* De Eva autem non potuit id dici, quia ipsa erat solum ut persona singularis, et non ut continens totam naturam humanam, et ideo cum non essemus omnes in ea, non peccavimus omnes, peccante ea, sed solum ipsa peccavit, eique soli suum fuit peccatum imputatum.

(37. Adami corpus secundum aliquos veteres ecclesiæ Patres, dicitur formatum ex quatuor mundi partibus, eo quod, juxta græcum idioma, singulæ vocabuli *Adam*, litteræ inchoent singulas quatuor mundi præcipuas partes, nempe Orientem, Occidentem, Aquilonem, et Meridiem, ut expendit S. Cyprianus, vel quisquis est auctor (113) *libri de montibus Sina, et Sion adversus Judæos*, ibi: « Hebraicum Adam in latino interpretatur, Terra caro facta, eo quod ex quatuor cardinibus orbis terrarum pugno comprehendit terram, sicut scriptum est:

(113) Liber, seu *Tractatus de montibus Sionis et Sina*, olim sub nomine S. Cypriani venditatus, spurius est, supposititius, et tanto viro indignus, utpote qui compositus ab infimæ notæ auctore, qui rabbinorum et cabbalistarum deliriis fidem adhibebat. Ita Milante in *Bibliothecam Sanctam* Sixti Senensis pag. 230, not. *a*. Confer editiones *Operum* S. Cypriani a Pearsonio, et Baluzio adornatas.

Digitized by Google

Palmo mensus sum cœlum, et pugno comprehendo terram, et finxi hominem ex omni limo terræ, ad imaginem Dei feci illum : oportuit illum ex his quatuor cardinibus orbis terræ nomen in se portare Adam. Invenimus in Scripturis per singulos cardines orbis terræ esse a conditore mundi quatuor stellas constitutas in singulis cardinibus : prima stella orientalis dicitur *Anatole;* secunda occidentalis dicitur *Dysis;* tertia Aquilonis dicitur *Arctos;* quarta meridiana dicitur *Mesembria.* Ex nominibus stellarum quatuor de singulis stellarum nominibus tolle singulas litteras principales : de stella *Anatole* A, de stella *Dysis* D, de stella *Aretos* A, de stella *Mesembria* M; in his quatuor litteris cardinalibus habes nomen Adam. » Idipsum confirmat S. Augustinus tract. 9 et 10 *in Joannem,* ubi sic ait : « In Adam vocabulo quatuor orbis terrarum partes, per Græcas applicationes demonstrantur; si enim græce dicantur Oriens, Occidens, Aquilo, Meridies, sicut eas plerisque locis Scriptura commemorat, in capitibus verborum invenis Adam Scriptum : » et idem docent Salmeron prolegomeno 7 in evangelicam historiam, Sixtus Senensis lib. III *Bibliothecæ,* Pererius in primum Genesis, et alii.

Adam vocavit uxorem suam Evam, eo quod futura esset mater cunctorum viventium; *Genes.* III, 20. ibi : *Et vocavit Adam nomen uxoris suæ Eva, eo quod mater esset cunctorum viventium.* In Hebræo habetur *Hava,* quod descendit de *Hai,* id est vita, quia, ut redditur ratio in littera, ipsa est mater cunctorum viventium, ante commissam culpam denominaverat Adam uxorem suam nomine naturæ, scilicet *viraginem,* quia de viro sumptam, *Genes.* II, 23, ibi : *Hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est;* nunc vero, post commissum peccatum denominat eam *Evam* a miseria, quia miserorum omnium mater futura erat, *et miseros facit populos peccatum,* ut expresse dicitur *Proverb.* XIV, 34, et advertunt Liranus in cap. III *Genesis,* et Abulensis *ibidem,* q. 22. Hinc pie aliqui dicunt apte vocari *Evam,* quasi hoc nomine alludat ad ejulationem parvulorum ex Eva prognatorum; masculi enim recenter nati ejulando dicunt *A,* feminæ vero dicunt *E,* unde poeta :

Dicunt E vel A quotquot nascuntur ab Eva.

(39. Adam extra paradisum fuit formatus, et Eva intra paradisum, cap. *Illud autem* 9 distinct. 40, ubi ex Ambrosio, *Lib. de paradiso,* cap. 4, sic expresse habetur : « Illud autem animadverte, extra paradisum vir factus est, et mulier intra paradisum, ut advertas, quod non loci, non generis nobilitate, sed virtute unusquisque gratiam sibi comparat. Denique extra paradisum factus, hoc est inferiore loco, vir melior invenitur, et illa, quæ in meliori loco, hoc est in paradiso, facta est, inferior reperitur. »

(40. Non autem ideo formata fuit Eva in paradiso, quia dignior, sed quia fuit formata de latere Adami existentis in paradiso. Sic expresse Tostatus *in cap.* XIII *Genes.,* qu. 136, et alii passim. (41. In ipso autem terrestri paradiso semel tantum posuit Deus Adam, licet alicui videatur, quod bis, ex quo bis id indicetur in c. II *Genesis,* ubi, 8 dicitur : *Plantaverat autem Dominus Deus paradisum voluptatis a principio, in quo posuit hominem, quem formaverat;* et infra, 15, dicitur iterum : *Tulit ergo Dominus Deus hominem, et posuit eum in paradiso voluptatis;* hæc enim ad unam tantum positionem referri debent, nam utitur Scriptura anticipatione, ut recte, et late ostendit doctissimus Abulensis *in cap.* XIII *Genesis,* q. 199.

(42. Adam et Eva, violato Dei præcepto de non comedendo fructu ligni scientiæ boni et mali, appetentes scientiam divinæ similem, juxta falsam Diabolici serpentis promissionem (*Genes.* III, 5), ibi : *Scit enim Deus quod in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, et eritis sicut dii, scientes bonum et malum,* ejecti sunt de paradiso (*Genes., ibid.*). Unde Deus *ibidem,* n. 22, decepto Adamo, scientiam, qua Deo similis fieret, frustra expetitam, pulchra ironia, et sarcasmo exprobrat : *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum et malum.*

(43. Qua vero die, qua hora Adam et Eva comederint de fructu vetito, qua item expulsi sint e Paradiso, non satis constat. Beda enim, Marianus Scotus, et plurimi alii apud Tirinum, tom. I in *Chronico sacr.*. cap. 48, concl. 5, dicunt Adamum et Evam eadem die, et creatos a Deo, et lapsos, et paradiso expulsos fuisse, nempe die 23 Martii. Alii apud Gervasium Tilberien. lib. *De otiis imperialibus,* decisione prima, et Abulensis in cap. XIII, *loc. cit.*, quæst. 606, dicunt per septem tantum horas mansisse in paradiso, et propter hoc volunt, quod septem sint psalmi pœnitentiales, ad signandas septem illas horas. Alii apud Abulensem, *loc. cit.*, qu. 608, tenent quod Adamus et Eva fuerint de paradiso ejecti hora decima, et manserint novem horis in paradiso, quia Christus tantum duravit tormenta patiendo, quandiu fuerunt Adam et Eva in paradiso; et ideo, quia Christus perseverarit usque ad horam nonam diei, et tunc expiravit, sic Adam et Eva perseveraverunt novem horis in paradiso, et hora decima ejecti sunt. Alii tandem apud Abulensem, *loc. cit.*, q. 611, Pererium, qu. 2 *in tertium cap. Genes.*, et Frassen., tom. II, tract. 3 *Theol.* disp. 3, art. 2, qu. 2, sustinent, quod non fuerint, eodem die formati, et de paradiso ejecti, sed pluribus diebus in paradiso mansisse: quæ opinio teste Frassen, et Pererio, *loc. cit.*, et aliis, est communior inter doctores. Et hæc sententia videtur conformis ipsimet sacræ Scripturæ. Ex quo enim serpens *Genes.* III, 1, dixerit Evæ : *Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno paradisi?* signum est quod per aliquot dies observaverit Adam et Evam ex omnium arborum fructibus solitos fuisse comedere, uno excepto fructu arboris scientiæ boni et mali, a quo videbat eos sese religiose abstinere; quod utique Eva confirmasse

Digitized by Google

videtur, dum *Genes.* III, 2, serpenti respondit: *De fructu lignorum, quæ sunt in paradiso vescimur*, dicendo enim *vescimur*, nihil aliud dicere voluit, nisi vesci solemus, quamvis tamen hebraice legatur *vescemur* in futuro tempore.

(44. Tum quia non videtur verisimile tam multa, et varia, quæ inter creationem Adam, et ejectionem ejus a paradiso narrantur facta cap. I, II et III *Genesis*, intra unum solum diem coarctari; primum quidem formatus est Adam extra paradisum: deinde in paradisum introductus est, fuitque ei datum a Deo præceptum de non comedendo de ligno scientiæ boni et mali: post hæc adduxit Deus omnia animalia ad Adam, quorum singulis, considerata cujusque eorum vi et natura, congruentia nomina imposuit: cumque in eis nullum reperiretur Adamo simile et idoneum ad societatem vitæ, prolisque generationem adjutorium, ex ejus latere formata est Eva, et sibi tradita in adjutorium et uxorem: deinde cum adhuc versarentur ambo in paradiso sine ullo, aut nuditatis suæ pudore, aut externi incommodi vel molestiæ perpessione, serpens multis sermonibus tentavit Evam, quæ ejus falsis decepta promissis, arborem vetitam adivit, ejusque curiose spectata et considerata pulchritudine, decerpsit fructum, comedit, porrexitque ad Adam, et suis blanditiis eum induxit ad manducandum: sicque peccavit ipsa, et Adam, et sibi apertis oculis, cognita sua nuditate, erubuerunt, feceruntque sibi perizomata; et post hæc omnia venit Deus ad eos post meridiem, et graviter redargutos ejecit de paradiso; tam multa autem et varia longa facta in unum solum diem includi potuisse non est verisimile, sicque probabilius est Adam et Evam non uno solo die mansisse in paradiso, ut videtur sensisse sanctum etiam Augustinum, lib. XI, *De Genesi*, cap. 31, et lib. II, *De peccatorum meritis et remissione*, cap. 21, ubi dum dixit: « Primos parentes ante peccatum usos fuisse cæteris paradisi fructibus, » clare innuit plus uno die eos in paradiso mansisse. Et clarius idem significat S. Gregorius lib. IV *Dialogor.*, cap. 1, his verbis: « In paradiso assueverat homo verbis Dei, et beatorum angelorum spiritibus, cordis munditia, ac celsitudine visionis interesse. »

(45. Hinc satis probabiliter varii conjectantur illos in paradiso mansisse octo diebus, et octavo die, quo fuerunt creati, hoc est feria sexta hebdomadæ secundæ; e paradiso fuisse ejectos: nam spatio octo dierum videtur congruens, et sufficiens fuisse ad supradicta omnia commode explicanda, ut non minus probabile videtur etiam Tirino, *loc. cit.* Idque consonat eis, quæ sancti patres edocent, nempe Adamum eodem die creatum et lapsum, inquam, non numero, sed hebdomadæ, id est sexto secundæ hebdomadæ recurrente, ut expresse dicit Frassen, *loc. cit.*, qu. 2, conclus., in fin. « Habet pariter consonantiam cum eo, quod secundus Adamus, Christus nempe, pro expiando primi Adami crimine pertulit; etenim sexta die Adamus est creatus, et e paradiso ejectus; eadem quoque passus est Christus, suoque sanguine cœlestis paradisi januas Adamo, et posteris reseravit. Secundo, in ejus diei exordio ille fuit ex luto formatus, hic idem ad tribunal raptus, et sordidissimis fœdatus sputis. Tertio, hora ejus diei tertia inductus est Adamus in paradisum, et Christus tertia hora, mortis accepta sententia, urbe Jerosolyma eductus est ad supplicium. Quarto, inter sextam et nonam horam Adamus et Eva protenderunt manus ad excipiendum fructum qui nobis mortem intulit, hoc ipso tempore Christus manus extendit in cruce, sanguinem fudit, et mortem obiit, quæ nobis vitam æternam conciliavit. Denique ad auram illius diei Deus ejecit Adamum et Evam, veluti latrones fructus e paradiso terrestri; Christus autem latronem pœnitentem in cœlestem paradisum eodem tempore, sicut promiserat, induxit. » Hæc ille. Et consimiliter habet Tirinus, *loc. cit.*, c. 48, concl. 5, ubi sic expresse dicit: « Igitur mortuus est Christus tum die mensis, tum hebdomadæ feria (quidni et hora) eadem, qua Adam ejectus est de paradiso; ita Irenæus, Origenes et Alcuinus; sicut crucem eadem meridiei hora, forsan et puncto horæ, quo Adam ad pomum ligni vetiti manum extenderat; eodem quoque, quo Isaac a parente immolatus pene fuerat; eodem die mensis, feria et hora latro restitutus est paradiso, quo Adam inde ejectus, inquit S. Chrysostomus; Eodem Eva *væ* audivit, et Maria *Ave*, inquit idem Chrysostomus, et Cyrillus Alexandrinus: rursus eodem die et hora apertus et clausus fuit paradisus, inquit Hugo Horiacensis. » Hæc ille, qui multa alia habet ad rem, merito ibi videnda. (46. Arbor, cujus fructus comestio fuit prohibita Adamo et Evæ, probabilius fuit malum, seu pomum, ut colligi videtur ex *Cant.* VIII, 5, ubi sic habetur: *Sub arbore malo suscitavi te, ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua;* at verisimile est specie diversam fuisse ab omnibus malis nostris seu citreis, seu aureis, seu persicis, seu vulgaribus, nam si fuisset ejusdem speciei, et naturæ cum aliis aliquibus paradisi arboribus, facillime potuissent Adam et Eva Dei prohibitionem eludere, et Satanæ tentationem superare, comedendo de fructu alterius arboris ejusdem speciei, totaliter impune, et sine ullo periculo, cum ipsis non fuerit interdicta comestio, nisi de fructu ligni scientiæ boni et mali in medio paradisi existentis, ut patet *Genes.* II, 16 et 17, et III, 2 et 3. Ita Salianus, Cornel. a Lapide et Bonfrerius citati et secuti a Tirino *in cap.* II *Genesis*, littera *C*, et sic tenent Frassen, tom. II *Theolog.*, tract. 3, disput. 2, art. 1. quæst. 4, conclus. 2, et alii plures.

(47. Unde omnino rejicienda est erronea opinio eorum, qui existimabant, arborem illam fuisse mulierem, ut refert Moses Barcepha, lib. *De paradiso* cap. 19, ubi sic habet: « Nonnulli existimant non fuisse illam veram et naturalem arborem, cujus fructum gustaverit Adam, sed venereum

Digitized by Google

amplexum, quo cum uxore ille corpus miscuit, eamque ob rem, aiunt, partum mulieris esse per Dei sententiam doloribus factum obnoxium : neque aliud voluisse illud præceptum, ne edatis de illa arbore, quam ne coeatis, sed sancte, et absque venere vivatis. » Cujus delirii auctorem fuisse Origenem affirmat Anastasius Sinaita lib. IX *in Hexameron*, his verbis : « Nefandorum autem effector, sicut obscenorum perpetrator Origenes existimavit eam arborem esse mulierem. » Falsitatem autem hujus opinionis demonstrat communis sanctorum Patrum et catholicorum doctorum sensus, qui omnes, teste Barcepha, *l. c.*, et Tostato *in cap.* IV *Genes.*, quæst. 2, asserunt expresse, quod primi parentes in paradiso virgines manserunt, et de paradiso virgines exierunt, per quod apparet etiam falsitas eorum Hebræorum, qui apud Tostatum, *loc. cit.*, dicunt quod Cain et Abel in paradiso geniti sunt, asserentes quod, formata muliere, et adducta Adam, immediate cognovit eam carnaliter, alioquin fuissent transgressores præcepti sibi statim dati immediate post suam creationem *Genesis* cap. I, 28, ibi : *Crescite, et multiplicamini.*

(48. Quod autem Cain et Abel geniti fuerint extra paradisum terrestrem, habetur expresse ex revelatione facta S. Methodio (114) martyri, quem multum sequitur magister scholasticarum historiarum : ipse enim, ut refert Tostatus, *loc. cit.*, quæst. 2, dum esset in carcere, oravit, et petiit a Deo ut aliqua ei de principio et fine mundi revelaret, quod sic factum est, ut ipsemet scribit ; et ait, nempe, quod primi parentes virgines de paradiso egressi sunt, deinde anno quintodecimo vitæ Adæ natus est Cain et soror ejus Calmana ; et forte tanto tempore a copula vacaverunt, quia erant dolentes de peccato, quod contra Deum egerant, et de amissione felicis vitæ in Paradiso pro se et tota posteritate. Deinde a Deo mandatum habuerunt de procreatione liberorum post alios quindecim annos, quo scilicet trigesimo anno vitæ Adæ natus fuit Abel, et soror ejus Delbora. Hæc ille. Alii autem, inter quos doctissimus Calmet in *Dictionario sacræ Scripturæ*, tom. I, verb. *Abel et Cain*, volunt probabilius, Cainum primogenitum Adæ, natum fuisse anno primo mundi, et Abelem anno secundo.

(49. Eva quolibet partu geminos pariebat, ut dicunt Judæi, masculum et feminam, et postea illi duo erant vir, et uxor ; Tostatus *in Genes.*, cap. IV ; quæst. 10. Cain editus est cum sorore sua appellata Calmana, sive ut aliis placet Azura, seu Azurum : Calmet, *loc. cit.*, verb. *Cain* ; Tostatus, *loc. cit.*, quæst. 2, et Abel cum gemella sorore sua vocata Delbora, seu ut dicunt alii, Auvinan, seu Decla, vel Edocla. Calmet, *loc. cit.*, verb *Abel* ; Tostatus *loc. cit.*, quæst. 2. De his autem nihil ex sacra Scriptura, ex qua expresse solum habetur, quod Adam et Eva tres genuerunt filios, nempe Cainum, Abelem et Seth. *Genes.*, cap. IV, v. 1, 5, 6, et postquam genuerunt Seth, habuerunt adhuc filios et filias. *Genes.* V, 7, ibi : ***Et facti sunt dies Adam, postquam genuit Seth, octingenti anni, genuitque filios et filias.*** Et ut quidam dicunt apud Tostatum *in cap.* V *Genes.*, q. 5, fuerunt triginta filii, et totidem filiæ, quorum nomina non exprimuntur. Eruditissimus autem Clericatus in suis *Spicis* vulgari idiomate scriptis, verb. *Eva*, habet, quod apud antiquos scriptores relatos a Patre Menochio centuria 1, cap. 74, duæ fuerunt valde contrariæ opiniones : una quod Adam et Eva genuerint duntaxat quatuordecim filios, duodecim masculos, et duas feminas, quarum prima fuit uxor Cain, et secunda uxor Seth, cum ejus geminus frater Abel fuerit a Cain occisus. Altera, quod Eva pepererit inter masculos et feminas plusquam duo milie filios : siquidem ipsa vixit nongentis, et quadraginta annis, et secundum traditiones hebraicas, ipsa pariebat quolibet anno duos geminos filios, masculum et feminam, et sæpe sæpius etiam tres. Rejectis tamen ipsis duabus opinionibus, prima tanquam nimis restricta, et secunda tanquam nimis ampla, tertiam suam adducit concludens quod Eva inter masculos et feminas genuerit circa tercentum filios.

(50. Nec etiam sequenda est opinio eorum qui censuerunt arborem illam fuisse frumentum, atque ideo Christum quoque suum corpus in pane dedisse, ut, qua re contractum esset debitum, eadem et exsolveretur ; nec etiam sequenda alia aliorum volentium, arborem illam fuisse vitem, et idcirco sanguinem suum dedisse Christum in vino pro expianda primorum parentum noxa : frumentum enim seges, non arbor dicitur, ut neque vitis, recte ait Barcepha, *loc. cit.*, et Frassen, cit. conclus. 1.

51. Neque vera videtur sententia aliorum volentium arborem illam fuisse ficum, eo quod Adam et Eva statim ab ejus esu nudos se agnoscentes, ex foliis ficus, tanquam arboris sibi præ aliis vicinioris ad tegendam suam nuditatem vestem sibi consuerunt, ut habetur *Genes.* III, 7, ibi : ***Cumque cognovissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, et fecerunt sibi perizomata ;*** quæ sententia, licet non contemnenda, utpote defensa a S. Athanasio, Theodoreto, Gennadio, Mose Barcepha et aliis apud Frassen, cit. conclus. 1, tamen improbatur a Tostato *in cap.* XIII *Genes.*, quæst. 164, hac convincenti ratione : quia statim ac comederunt fructum illius, dolore ac pudore penitus suffusi, cognove-

(114) In *Dissertat. historica de S. Methodio* inserta libro ven. card. Roberti Bellarmini *De scriptoribus ecclesiasticis*, edit. Ven., ann. 1728, pag. 59, hæc leguntur : « In *Bibliothecis veterum Patrum* exstant Latine duntaxat eidem (S. Methodio) falso tributæ *Revelationes* de rebus, quæ ab initio mundi contigerunt... Documenta, quæ Methodio in carcere existenti ab angelo præsertim circa mundi creationem revelata finguntur, edita fuerunt Basileæ 1498, cum additionibus Wolffgangi Aytingeri, et Sebastiani Brandseu Titionis Argentinensis. »

Digitized by Google

runt se ob id maxima bona amississe, et maxima mala incurrisse, unde summo horrore et odio concepto erga illam arborem, ex qua tantum exitium sibi obvenerat, sic ab ea corde, animo et pede recesserunt, ut nec manum ad folia ejus extendere auderent, ne majus adhuc aliquod damnum ex ea in se attraherent, cum præsertim Eva serpenti responderit *Genes.* III, 3 : *De fructu vero ligni, quod est in medio paradisi, præcepit nobis ne comederemus, et ne tangeremus illud, ne forte moriamur.* Hinc concludit Tostatus : « Certum est, quod non auderent jam post peccatum tangere illam arborem, ne majus malum inde eis accideret ; ergo cum acceperint folia ficus, certum est quod arbor ficus non erat lignum scientiæ boni et mali. »

(52. Adam et Eva e paradiso ejecti, probabilius eam regionem, quæ nunc Judæa et Palæstina dicitur, incoluerunt. Sic ex vetustissima Hebræorum traditione affirmat S. Basilius *in cap.* V *Ezechielis*, expresse dicens : « Obtinuit fama quædam in Ecclesia memoriam conservans, non scripto proditam, quæ et talis est, quod prima utique Judæa hominem habebat incolam, nimirum Adam, simul atque excidit deliciis paradisi in hac terra collocatum ad mitigandam jacturam bonorum, quibus fuerat exutus. » Idem sentit Rupertus, lib. III, cap. 31, et ex eo Tostatus, et uterque ex S. Hieronymo, contendentes Adamum in Judæa commoratum fuisse, ibique sepultum, ut refert et sequitur Frassen, *loc. cit.*, q. 2, conclus. 2, et plures alii id deducentes ex variis conjecturis, et præsertim quod ibi pœnitentiæ agendæ causa habitarint Adam et Eva, ubi et pœnitentes mortui sunt, ac sepulti, mortuos autem esse in Judæa et Palæstina demonstrat vetus Hebræorum traditio, et SS. Patres, ex quibus eruitur sequens conclusio, nempe :

(53. Adam in monte Calvario, a Cranio, seu Calvaria ipsius ita nominato probabilius tumulatus fuit : sic fere communis sanctorum Patrum traditio ; teste Tirino *in cap.* V, v. 1 *Isaiæ*, et ita præ cæteris sentit Tertullianus in carmine *contra Marcionem*, ubi sic habet : * Neque carmen contra Marcionem factum est Tertulliani, neque sermo *De resurrectione Christi* S. Cyprianum habet auctorem. ** Indicatus quoque S. Augustini serm. 71 *De tempore*, a Maurinis editoribus in *Appendicem* ad sermones S. Augustini rejectus fuit, in qua est sexto numero, legiturque col. 13 et seqq., Ven. edit., anni 1731, ac præterea col. 14, not. d, monemur ab editoribus, periocham illam de Adami sepultura in Calvariæ loco in mss. non haberi * :

Golgotha locus est capitis, Calvaria quondam
Lingua paterna prior sic illum nomine dixit :
Hic hominem primum suscepimus esse sepultum.
Hic patitur Christus, pio sanguine terra madescit,
Pulvis Adæ ut veteris possit cum sanguine Christi
Commistus stillantis aquæ virtute lavari.

Ipsi subscripserunt, S. Cyprianus sermone *De resurrectione Christi* : « Nos, inquit, ad Christum pertinentes, cujus sanguine conspersa creditur Adami Calvaria, qui sub loco ubi crux Domini fixa est, humatus traditur ab antiquis ; » Origenes *tractatu* 35 *in Matthæum* : « Venit ad me traditio quædam, quod corpus Adæ primi hominis sepultum est, ubi crucifixus est Christus, ut sicut in Adam omnes moriuntur, sic in Christo omnes vivificentur ; ut in loco illo, qui dicitur Calvariæ locus, id est locus capitis, caput humani generis resurrectionem Domini Salvatoris, qui ibi passus est, » etc. S. Chrysostomus, hom. 24, *in cap.* XIX *Joannis* : « Exivit in eum, qui dicitur Calvariæ locus, ubi quidam dicunt Adam et mortuum, et sepultum esse, et Jesum, ubi mors dominata est, ibidem tropæum erexisse per crucem, quam tulit contra mortis tyrannidem ; » S. Augustinus, serm. 71 *De tempore* : « Etiam hoc antiquorum relatione refertur, quod et Adam primus homo in ipso loco, ubi crux fixa est, fuerit aliquando sepultus, et ideo Calvariæ locum dictum esse, quia caput humani generis ibi dicitur esse sepultum. Et vere, fratres, non incongrue creditur, quiaibi erectus sit medicus, ubi jacebat ægrotus, et dignum erat, ut ubi occiderat humana superbia, ibi se inclinaret divina misericordia : et sanguis ille pretiosus etiam corporaliter, dum dignatur pulverem antiqui peccatoris stillando contingere, redemisse credatur. » Imo et Hieronymus ipse, licet aliter sentire videatur in *Epitaphio S. Paulæ*, tamen scribens nomine Paulæ et Eustochii ad sanctam Marcellam, epistola 17, ait : « In hac urbe, imo in hoc tum loco, et habitasse dicitur et mortuus Adam, unde et locus, in quo crucifixus est Dominus noster, Calvaria appellatur, scilicet quod ibi sit antiqui hominis Calvaria condita ; ut secundi Adam, id est Christi, sanguis de cruce stillans, primi Adam, et jacentis protoplastis peccata diluret. »

(54. Nec valet objicere illud *Josue* XIV, 15, ubi habetur : *Nomen Hebron ante vocabatur Cariath Arbe ; Adam maximus inter Enacim ibi situs est.* Quod et in capite *Hebron*, 2, caus. 12, quæst. 2, ex S. Hieronymo, et in cap. *Unaquæque* 3, ead. caus. 13, et qu. 2, ex S. Augustino asseritur ; et S. Hieronymus *Epitaphio S. Paulæ* expresse dicit : « Cariath Arbe idem est ac civitas virorum quatuor Abraham, Isaac, Jacob et Adam magni, quem ibi conditum, juxta librum Jesu Nave Hebræi autumant : licet plerique quartum putent Caleb, cujus latere memoria monstratur ; » adeoque Adam in Hebron, et non in Calvario, seu Golgotha fuit tumulatus. Non valet, inquam, quia nomen *Adam* aliquando est nomen proprium illius primi hominis, et aliquando est nomen commune significans quemcunque hominem. Unde *Genes.* V, 2, dicitur : *masculum et feminam creavit eos, et benedixit illis, et vocavit nomen eorum Adam*, et ubi nos *Psal.* IV, 3, dicimus : *Filii hominum, usquequo gravi corde ?* in Hebræo dicitur *filii Adam*, et ita poterit accipi littera, ut dicat *homo maximus*, ubi nos dicimus *Adam maximus*, et tunc non in-

Digitized by Google

telligitur de primo parente, sed de homine magnæ staturæ, idest de uno gigante, qui habitabat in Hebron, et erat pater aliorum gigantium, in quo sensu tenent multi Hebræorum apud Abulensem *in cap.* XIII *Genes.*, quæst. 138. In ipso igitur cap. XIV, v. 15 *Josue*, nomen *Adam* tribuitur cuidam homini, cui peculiare erat nomen *Arbe*, qui sicut legitur *ibidem*, cap. XV, v. 13, erat pater Enac gigantis, ibi : *Cariath Arbe patris Enac.* Cum autem *Arbe* fuerit statura major, vel dignitate præcellentior suis filiis, qui cap. XIII, *Numerorum* dicuntur monstra quædam de genere giganteo, ibi : *Vidimus monstra quædam filiorum Enac de genere giganteo* : is Arbe merito dicitur maximus inter Enacim, et ipse est, qui fuit sepultus in Hebron, et non Adam primus parens, qui, ut dicebatur, probabilius creditur tumulatus in Golgotha, seu Calvario, ut sensit etiam S. Hieronymus scribens ad Marcellam per adducta ejus verba supra, n. 53, quamvis in cit. *Epitaphio S. Paulæ*, et cap. *Hebron*, videatur sentire contrarium ; et ut sensit etiam S. Augustinus, serm. 71, (*vid.* not. superiorem) *De tempore* per ejus verb. allata supra dist., n. 53, quamvis pro contraria opinione citetur in cap. *Unaquæque* 3, caus. 13, qu. 2, ubi tamen non ex propria, sed aliorum opinione id asserit, ut patet ex præcisis ejus verbis, ibi : « E contra Adam (ut asseritis) in civitate Arbeæ tumulatus est. »

(55. Non negaverim tamen, quod sit etiam satis probabile, quod in *Josue* cit. cap. XIV, v. 15, accipiatur *Adam maximus* pro primo parente, quem sacra Scriptura excellenter, vel appropriate vocavit solum Adam, qui est maximus, cum sit pater, et origo totius generis humani, et situs sit inter Enacim, id est sepultus in urbe Hebron in terra gigantum, ut vult Tostatus citatus in cit. cap XIV *Josue* quæst. 10, asserens, quod iste sit verior, et communior sensus, quem fere omnes Catholici tenent : nam, ut prosequitur ipse, Adam vixisse perhibetur apud urbem Hebron, et ibi finivisse dies suos, ibique sepultum fuisse cum Eva conjuge sua, et ibi quoque formatum fuisse ; sic quoque testantur etiam gentes, quæ nunc habitant apud urbem Hebron ; et ab antiquo hujus testimonium est, vallis quoque quædam apud urbem Hebron, quæ ab incolis vulgariter *Vallis lacrymarum* appellatur, eo quod Adam centum annis Abel filium suum occisum fleverit, quousque ab angelo admonitus est, ut cognosceret Evam uxorem suam. De hoc in libro de situ terræ sanctæ : de hoc etiam Josephus libro primo Antiquitatum ; et quia in nullo alio loco tactum fuerat de sepulcro Adæ, voluit hic tangere Scriptura. Et concordat ista expositio valde superiori litteræ. Nam urbs Hebron vocata est Cariath Arbe, id est civitas quatuor virorum scilicet patriarcharum : de tribus eorum, scilicet Abraham, Isaac et Jacob constabat *Gen.* XXXIX, quod ibi sepulti erant : de Adam autem nequaquam : ideo additum est hic de quarto viro, et dicitur quod iste est Adam maximus, id est protoplastes. Quidquid autem veritas sit, constat, quod littera nostra intenderit istum sensum : nam si littera nostra intendisset pro aliquo homine, non posuisset nomen Adam, quod apud Latinos ponitur tanquam proprium : sed diceretur homo maximus ibi situs inter Enacim ; et tamen posuit Adam, ideoque intellexit de illo primo, quem vocat Adam, et non hominem nomine Latino communem. Sic totaliter ad litteram Tostatus, *loc. cit.*

(56. Paradisus est vox ex Hebræo *pardes* deducta : Pardes enim hebraice significat pomarium, aut viridarium, juxta illud *Canticor.* IV, *Emissiones tuæ paradisus* (Hebraice *pardes*) *malorum punicorum* : ex qua voce Græci παράδεισος, et Latini *Paradisus* effecerunt ; et Græci hanc vocem *paradisus* ab Orientalibus, et Persis sua pomaria, et viridaria, seu hortos, *paradisos* nuncupantibus, derivatam volunt ; ac Septuaginta Interpretes etiam hac voce παράδεισος *Genes.* II, 8, usi sunt ad viridarium Eden, id est hortum deliciarum significandum, ut notat Calmet in *Dictionario*, verb. *Paradisus.* Unde in hebræo paradisus non vocatur hortus absolute, et simpliciter, sed hortus deliciarum, scilicet *ganeden*, quia *gan* significat hortum, et *eden* significat delicias, ut observat Tostatus *in cap.* XIII *Genes.*, quæst. 8. Hinc, subsequitur ipse *ibidem*, quia locus ille, quem Scriptura *Genes.* II vocat paradisum, erat locus deliciarum plusquam esset alius in tota terra, factum est, ut vitam beatam in cœlo, in qua sunt maximæ deliciæ, et omne bonum, vocemus *paradisum.*

(57. In quanam parte mundi fuerit consitus paradisus terrestris, non satis constat, cum variæ fuerint et sint circa hoc scriptorum opiniones, quibus brevitatis gratia relictis, dicimus, quod probabilius paradisus terrestris consitus fuit in confinibus Mesopotamiæ, et Arabiæ orientalis, parum longe a Chaldæa et Syria Damascena. Sic communior inter recentiores sententia, teste Frassen tom. II *Theolog.*, tr. 3, disput. 2, art. 1, q. 2, eamque pluribus probant Sixtus Senensis, lib. V *Bibliothecæ*, annotat. 34 ; Cornelius a Lapide, *in c.* II *Genes.* ; Maldonatus *in c.* XXVII *Matthæi*, vers. 44 ; Genebrardus, lib. I *Chronographiæ* ; Pererius, lib. III *in Gen.*, n. 122, et plures alii. Et hoc colligitur ex sac. Scriptura ; *Genes.* enim II, 8, ubi Vulgata nostra habet : *Plantaverat autem Deus paradisum voluptatis* ; Hebraica dicit : « Plantaverat Deus paradisum in Eden. » Eden autem fuisse in finibus Mesopotamiæ, vel Syriæ, deducitur ex eadem sacra Scriptura *IV Regum* XIX, 12, ubi habetur, quod Eden regio jungitur cum Gosana, et Aram, et Resph, quæ sunt in finibus Mesopotamiæ, vel Syriæ, ut tradunt fere cuncti scriptores, adeoque, cum Moyses asserat, paradisum fuisse plantatum in Eden, stat clarum, quod in confinibus Mesopotamiæ, vel Syriæ, ubi est Eden, consitus fuerit paradisus terrestris.

(58. Tum quia ex cap. IV *Genes.*, 16, *egressusque Cain a facie Domini habitavit profugus in terram ad Orientalem plagam Eden*, id est

Digitized by Google

versus Orientem ultra Mesopotamiæ Eden, ubi erat paradisus, ut plures explicant cum Genebrardo, lib. II *Chronographiæ;* Frassen, *loc. cit.*, conclus. 2; Tostatus *in cap.* IV *Genes.*, q. 9. Hinc paradisum terrestrem consitum esse in regione Eden sustinent plurimi Patres, tam Græci quam Latini, ac etiam plerique Hebræi apud Malvendam *Lib. de paradiso*, cap. 18, inter quos Moses Barcepha, lib. I, *De paradiso*, cap. 21, sic expresse habet : « Diximus Eden esse regionem spatiosam, amplam, amœnam, variam; paradisum vero locum esse pulchris, fructuosis, præ stantibus, laudabilibusque arboribus, præ quibusvis aliis in tota Eden locis ornatum; paradisum enim ejus regionis, quæ Eden dicitur, partem esse inter alias omnium præstantissimam, laudabilissimam, atque cultoribus suis commodissimam. » Et Eusebius, ac S. Hieronymus in descriptione Hebraicarum urbium et regionum, sic aperte et clare concludunt : « Eden sacer paradisi locus ad Orientem, quod in voluptatem, deliciasque transfertur. »

(59. Quanta fuerit latitudo, et longitudo paradisi terrestris, incerta res est : certum est tamen, quod debuerit esse sufficientis latitudinis et longitudinis, ut capere posset homines, qui in ipso victuri erant, et ut ipsi homines per diversa loca vagarentur. Unde volunt aliqui, quod ambitus terrestris paradisi sit quasi centum leucarum, et longitudo quasi triginta leucarum, vel paulo plus, quia in circulo, vel rotundo ita se habet longitudo, quæ est diameter ad lineam circumferentialem. Sic refert Abulensis *in cap.* II *Genes.*, quæst. 9, qui tamen *Genes.*, cap. XIII, qu. 98, sic habet : « Quibus appareret quod paradisus esset terra aliquantulum lata, tamen non multum : non enim videtur, quod oporteret habere majorem magnitudinem, quam habeat Insula, scilicet in latitudine tres, vel quatuor leucas, in circuitu autem duodecim, aut parum plus; » quamvis eruditissimus Vincentius Fuga in *Compendio notitiæ orbis sacri et profani*, in principio, de ipsius Abulensis opinione sic dicat : « Circa Mesopotamiæ fines Dominus hunc hortum plantavit, latitudine, si Abulensi credimus, duodecim millia passuum, ambitu sex triginta millia. » Frassen autem, *loc. cit.*, art. 2, quæst. 3, concl. 1, concludit, quod probabilius est, paradisum terrestrem nec ita arctum, nec ita spatiosum fuisse, ut ad quindecim, aut viginti leucas excesserit : et colligit ex S August., lib. VIII *in Genes.*, cap. 10, ubi ait : « Neque enim exiguus locus erat paradisus, quem totus fons irrigabat : » et ex Mose Barcepha, *Lib. de Paradiso*, c. 15 et 28, ubi habet : « Paradisus dicebatur accommodatissimus ad habitationem, oblectationemque hominum; sed quanta fuerit hujus amplitudo, satis arguit fluvius magnus, qui ex ipso effluebat, et postquam elapsus esset, dividebatur in quatuor flumina; si enim fluvius ipse magnus erat, manifestum est paradisum, quem irrigabat, magnum spatiosumque fuisse. »

(60. Paradisus terrestris adhuc subsistit; sic communior, et probabilior sanctorum Patrum, aliorumque doctorum opinio (115), inter quos præsertim S. Epiphanius, lib. V *Adversus hæreses*, cap. 5; S. Augustinus, lib. II *De peccato originali*, cap. 23; Tertullianus, *lib. De anima*, cap. 55; Sixtus Senensis, Delrius, Bellarminus, Gregorius a Valentia, Malvenda, Suarez, et fere omnes tum veteres, tum recentiores, ut testatur sapientissimus Tirinus *in cap.* V *Genes.*, vers. 24, et fatentur apud ipsum *ibidem* etiam Pererius, Viegas, Cornelius a Lapide, Salianus, et alii adducti ab ipso *in cap.* II *Genesis*, vers. 8, et colligitur ex cap. XLIV, v. 16 *Ecclesiastici*, ubi expresse dicitur : *Henoch placuit Deo, et translatus est in paradisum, ut det gentibus pœnitentiam :* et ex *IV Regum*, II, 1, ibi : *Factum est autem cum levare vellet Dominus Eliam per turbinem in cœlum*, et 11, ibi : *Et ascendit Elias per turbinem in cœlum*, id est aereum, et ex regione aeris mox translatus est in paradisum terrestrem, ut docent passim sacri interpretes, et præsertim doctissimus Tirinus *in IV Regum*, cap. II, vers. 11, ubi dicit, quod paradisum adhuc exstare tenent præter jam citatos, etiam S. Irenæus, Isidorus, Hieronymus, Justinus, S. Thomas, et Abulensis, ac adhuc Henoch et Eliam exstare, et vivere in paradiso terrestri, ut in fine mundi contra errores, et falsitates Antichristi prædicent hominibus pœnitentiam, et eos in vera fide, et lege confirment, tenet et testatur de communi eruditissimus Clericatus nelle *Spiche*, vulgari idiomate, raccolte, verb. *Elia et Henoch.* juxta illud cit. cap. XLIV, v. 5 *Ecclesiastici* de Henoch, ibi : *ut det gentibus pœnitentiam*, et prædictionem *Malachiæ*, IV, 5; de Elia, ibi : *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis, et convertet cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres eorum;* ubi ad probationem existentiæ adhuc paradisi terrestris, et superviventiæ inibi Henoch, et Eliæ refert sequentem successum, qui ex ipso hic litteraliter ad uberiorem notitiam datur.

(61. Grazioso è quel successo del venerando Fra Benedetto d' Arezzo, uno dei primi religiosi e figliuoli spirituali del glorioso patriarca S. Francesco d' Assisi, che si legge nell' *Istoria cronologica dei Padri Francescani di Gerusalemme*, scritta dal Padre Fra Giovanni da Calaorra, Minor Osservante della provincia di Burgos nel libro secondo, e da noi raccontato nella nostra

(115) Communior et probilior nunc censetur opinio, quam defendit Natalis Alexander dissert. 11, in primam mundi ætatem art. 1, proposit. quæ est hujusmodi : « Utrum paradisus terrestris etiamnum supersit, incertum : probabilius est non exstare amplius quoad cultum et amœnitatem loci. » De loco autem hanc n. 11 ejusdem articuli propositionem statuerat : « Qua in regione consitus fuerit paradisus, obscura certe quæstio : probabilior eorum sententia, qui in Arabia Felice, vel Mesopotamia, aut circa Babyloniam in Mesopotamiæ limite collocatum fuisse censent. »

Digitized by Google

prima età del mondo *Rag.* 13, p. 124 et 125. Il successo è questo. Essendo stato mandato esso Ven. Fra Benedetto d' Arezzo oltre il mare nell' Africa a predicare la santa fede a' Saraceni, ed a reggere diversi conventi ivi fondati di Frati del suo ordine, dopo avere faticato per molti anni con gran profitto dell' anime, e vantaggio della religione, risolse ritornare in Italia, per ritirassi a vivere in una povera cella, ed attendere alla contemplazione dell' eterna vita. Otenne da alcuni marinari, benchè infedeli, d' entrare nella loro nave, che stava per partire a momenti verso l' Italia, come da lì a poco si fece. Alla metà del viaggio insorse una tempesta così fiera, che facendo temere a quei mori il naufragio, per iscansarlo, cominciarono a gittare in mare tutte le mercanzie, che nella nave avevano ; e fatti rabbiosi da tale sfortuna, essendo infedeli, presere anco il povero Frate Benedetto d' Arezzo, e lo gettarono, nel mare, benchè con poco loro profitto, perchè in gastigo della loro empietà, la nave si sommerse, e si annegaronno tutti. Il ven. Fra Benedetto gettato nel mare, e caduto nell' aqua, fu subito preso per un braccio dal suo angelo custode, e sollevato in aria, fu portato nel paradiso terrestre, ove erano li due santi profeti Elia, ed Henoch. Questi restarono ammirati nel vedere un tale religioso, vestito così poveramente, con una sola tonica, e si aspra : gli andarono incontro, e lo salutarono, e gli richiesero, chi fosse ? e come capitato in quel luogo ? Fra Benedetto diede notizia ai medesimi della religione instituita da S. Francesco nella Chiesa cattolica, il suo passaggio, e dimora fatta nell' Africa, il suo ritorno intrapreso verso Italia, la tempesta insorta nel mare, in cui era stato gettato fuori della nave, a guisa d' un' altro Giona, dai Saraceni ; e che dal suo Angelo cavato dall' onde, era stato portato in quel luogo, richiedendo anch' esso, chi loro fossero ? risposero, che erano Elia, ed Henoch, quali stavano in quel luogo benedicendo il Signore, e lo condussero in diverse parti a vedere le delizie di quella abitazione. Mentre Fra Benedetto stava mirando, ed osservando quanto quei due Santi Vecchi gli dicevano, e mostravano, fu preso di nuovo nella braccia dall' angelo e con gran velocità portato per aria, fu collocato in Italia su la riva del mare, e porto d' Ancona. Nello stesso tempo giunsero nel medesimo porto alcun' altre navi, che viaggiavano di conserva con quella affondate : e sapendo i marinari, che in essa vi era Fra Benedetto, restarano stupiti vedendolo sul porto sano, e salvo mentre lo tenevano con tutti gli altri annegato. L' interrogarono in che modo avesse compito il viaggio ? ed egli raccontò la mirabile providenza divina, e la custodia di lui tenuta dal suo angelo custode. Andò poi il venerando Fra Benedetto al più vicino convento de' suoi frati, ove fu ricevuto con somma carità, e gaudio di spirito, coll' avere intese le vicende del suo viaggio. Ma que' buoni Padri più solleciti della santità della loro vita, che di scrivere le cose maravigliose vedute nel paradiso terrestre da Fra Benedetto, altro non notarono, che il successo, quali però ci serve d' attestato, che li profeti Henoch, ed Elia sono conservati in vita per tanti secoli dall' onnipotenza del signore in quel luogo felice, incognito a' mortali. »

(62. Nec valet objicere illud *Genes.* VII, 19 et 20, ibi : *Opertique sunt omnes montes excelsi sub universo cœlo. Quindecim cubitis altior fuit aqua super montes, quos operuerat ;* adeoque paradisus terrestris aquis diluvii dissipatus est ; sicque modo non amplius exstat. Non valet, inquam, quia in eodem cap. VII *Genes.* dicitur universos homines aquis diluvii interiisse, et remansisse solum Noe, et qui cum eo erant in arca, et tamen nemo admittit Henoch fuisse in arca reclusum, neque diluvii aquis periisse, adeoque sicut in hac universali positione, *aquis diluvii interierunt omnes homines præter Noe, et qui cum eo erant in arca,* excipitur Henoch, ita excipitur paradisi terrestris locus ab universali terræ illuvione ; tum quia valde probabile est, quod paradisus terrestris tempore diluvii servatus fuerit immunis, aquis undique ad latera sese attollentibus, et quasi in murum solidatis, ut contigit Israelitis in mari Rubro, *Exodi* XIV, 22, ibi. : *Et ingressi sunt filii Israel per medium sicci maris ; erat enim aqua quasi murus a dextra eorum, et læva ;* ac pariter in Jordane, ut patet *Josue* III et IV.

(63. Mundi tempora seu ætates, alii dividunt in sex, et alii in septem. In sex inter alios sic dividit sapientissimus Tirinus tom. I in *Chronico sacro,* cap. VII, ibi : « Prima ætas mundi cœpit ab Adamo, et duravit usque ad finem diluvii annis 1656. Secunda cœpit a fine diluvii, et duravit usque ad egressum Hebræorum ex Ægypto, annis 887. Tertia cœpit ab egressu Hebræorum ex Ægypto, et duravit usque ad quartum annum regni Salomonis, quo condi cœptum fuit templum, annis 480. Quarta cœpit a quinto anno regni Salomonis, seu secundo anno ab inchoato templo, et duravit usque ad destructum, et exustum idem templum, vel potius usque ad finem captivitatis Babylonicæ, annis 452. Quinta cœpit a relaxata captivitate Judæorum, et initio monarchiæ Persicæ, et duravit usque ad Messiæ adventum, seu incarnatum Filium Dei, annis 525. Sexta cœpit a primo Christi adventu, durabitque usque ad secundum illius adventum, ad judicium, et interitum universi, de quo die nemo scit. Septima non jam in mundo, sed in cœlo inchoabitur ætas a die extremi judicii duratura usque in perpetuas æternitates. In septem autem ætates inter alios sic dividit eruditissimus Vincentius Fuga in *Compendio notitiæ orbis sacri et profani,* in principio : Prima mundi ætas, seu ejus infantia cœpit ab ejus exordio, et duravit usque ad universale diluvium, annis 1656. Secunda, seu pueritia cœpit ab universali Diluvio, et duravit usque ad ortum Abrahæ, annis 382. Tertia, seu adolescentia cœpit ab

Digitized by Google

ortu Abrahæ, et duravit usque ad ortum Moysis, annis 425. Quarta, seu juventus cœpit ab ortu Moysis, et duravit usque ad Samuelis principatum, annis 476. Quinta, seu virilitas cœpit a principatu Samuelis, et duravit usque ad Babylonicæ captivitatis solutionem, annis 577. Sexta, seu senectus cœpit a soluta captivitate, et duravit usque ad nativitatem Christi, annis 536. Septima, seu decrepitas cœpit a Nativitate Christi, et durabit usque ad finem, seu interitum mundi.

(64. Quia tamen in calculandis, et numerandis annis ab orbe condito usque ad Christi Nativitatem effluxis, tot sunt fere sententiæ, quot capita, adeo ut, teste sancto Hieronymo in *Epist. ad Titum*, cap. III, « inter eos, qui ex hebraico fonte numerum deducunt annorum mundi, vix unus, vel alter reperiatur, qui alteri in omnibus consentiat; » hinc celebriores opiniones de mundi ætate subjicimus, ut quisque seligat eam, quæ magis ex illis sibi placuerit.

Celebriores opiniones de numero annorum, qui ab orbe condito ad æram Christi vulgarem fluxerunt, prout traduntur a doctissimo P. Fortunato a Brixia in *Philosophia sensuum mechanica*, tom. II, tr. 1, dissertat. 4, sect. 7, Epocha 2, sunt sequentes :

Secundum Vulgatam	3951
Secundum LXX interpretes	5200
Secundum Samaritanos	4305
Secundum Josephum Hebræum	5970
Secundum Constantinopolitanos	5508
Secundum Antiochenos	5493
Secundum Alexandrinos	5501
Secundum Scaligerum	3950
Secundum Petavium	3983
Secundum Salianum	4054
Secundum Vossium	5598
Secundum Marianum Scotum	4193
Secundum Langium	4042
Secundum Calvisium	3950
Secundum Gerardum Mercatorem	3966
Secundum Spondanum, Torniellum, et Baronium	4852
Secundum Ricciolum	5634
Secundum Hebræos vulg.	3761
Secundum Usserium, et Lancellotum	4004

Ætates mundi annos continent :

I.

Secundum Vulgatam	1657
Secundum Josephum Hebr.	2256
Secundum Usserium, Secundum Petavium	1336

II.

Secundum Vulgatam	367
Secundum Josephum	1267
Secundum Usserium	426
Secundum Petavium	366

III.

Secundum Vulgatam, Secundum Josephum, Secundum Usserium, Secundum Petavium	430

IV.

Secundum Vulgatam	480
Secundum Josephum	962
Secundum Usserium	480
Secundum Petavium	519

V.

Secundum Vulgatam	487
Secundum Josephum	521
Secundum Usserium	476
Secundum Petavium	474

VI.

Secundum Vulgatam	530
Secundum Josephum	534
Secundum Usserium	536
Secundum Petavium	538

(65. Ad uberiorem calculationis annorum et ætatum mundi cognitionem, advertendum est, quod apud chronologos et scriptores usus epochæ seu æræ invaluit. Epocha autem juxta vim Græci vocabuli inhibitionem, vel remoram significat; sunt enim epochæ veluti puncta quædam fixa, a quibus annorum series apud varias nationes numerari incipit, ut tradit eruditissimus Purchotius, *Institut. philosophic.*, part., II, sect. 2, cap. 9, epochæ seu æræ insigniores. Unde epochæ nomine intelligitur communiter a chronologis principium aliquod, insignis nimirum eventus, vel rerum, regnorumque notabilis mutatio, ex qua, veluti cardine anni deinceps numerantur. Æra quoque pro hujusmodi insignium rerum eventu, sicuti epocha usurpatur; cum enim Hispani annos numerare solerent « ab exordio regni Augusti, » idque in Kalendariis suis per primas horum vocabulorum litteras *A, E, R, A*, scriberent, desumpto scilicet *A* a prima littera dicti vocabuli *Ab; E* a prima littera dicti vocabuli *Exordio; R* a prima littera dicti vocabuli *Regni;* et altera *A* a prima littera dicti vocabuli *Augusti :* hinc æræ nomen formatum perhibetur, et usus invaluit, ut id omne, ex quo annorum series inchoatur, æra deinceps diceretur, ut inter alios erudite notant Purchotius, *l. c.*, vers. *quarta est epocha seu æra Hispana*, et Pater Fortunatus a Brixia, *loc. cit.*, sect. 7, vers. *Epochæ nomine.*

(66. Epochæ distinguuntur in sacras, et profanas; sacræ dicuntur illæ, quæ ex documentis et Scripturis sacris eruuntur : profanæ vero illæ, quæ ex documentis et historiis mere profanis repetuntur.

(67. Inter epochas sacras, præcipua a Christi nativitate desumitur : quamvis enim hæc omnibus fere recentior sit, ipsa tamen, ut egregie advertit Petavius *Rat. tempor.*, part. XI, lib. I, cap. 4 : « veluti limes et cardo chronologiæ est, communisque terminus, in quem chronologorum omnium ratiocinia, sic tanquam ab viarum ambagibus in idem computum deducta confluunt. »

(68. Hæc autem Christi nativitatis epocha, vel vera est, vel vulgaris. Epocha Christi vera ab eo anno incipit, in quo Christi nativitas reipsa contigit, de quo anno non parvum inter chronologos adest dissidium;

Digitized by Google

epocha Christi vulgaris, utpote a vulgo communiter usurpata in annis Christi computandis post Dionysium Exiguum ejus inventorem, incipit a primo die Januarii anni 46 Juliani, seu reformationis Julii Cæsaris, qui annus congruit cum anno 4714 periodi Julianæ; adeo ut in illo systemate Christi Nativitas vulgo referatur ad diem 25 Decembris anni 45 Juliani, periodi Julianæ 4713. Quamvis tamen accuratiores chronologi cum Lancelloto apud Purchotium, *loc. cit.*, § *Verum*, ostendant, Christi Domini nativitatem quadriennio ante hanc epocham Dionysianam contigisse, nempe die 25 Decembris anni Juliani, seu reformationis Julii Cæsaris 41, periodi Julianæ 4079, mundi 4000, anno 4, olympiadis 193, ab Urbe condita 749, anno imperii Augusti a morte Julii Cæsaris 40, a victoria Actiaca 27, anno regni Herodis Magni 36. Sic ille. Unde probabilior videtur hæc epocha, quam illa Dionysii Exigui abbatis, natione Scythæ, moribus Romani, qui primus omnium circa initium sexti Ecclesiæ sæculi annos a Christo nato numerare cœpit : nam ante Dionysium Exiguum Christiani annos numerabant, vel per Olympiades Græcorum, vel per Romanorum consulatus, vel ab Urbe condita, vel etiam ab impii Diocletiani persecutione ; quapropter æra vulgaris Christianorum appellata est a chronologis *Dionysiana*, ut tradit Purchotius, *l. c.*, § *Epochæ sacræ*, vers. *Verum ut ad communem.*

(69. Cum autem nequeat certo assignari, quænam ex supra recensitis, et relatis opinionibus de annis ab orbe condito ad æram Christi vulgarem effluxis sit verior, ipsis omnibus in sua probabilitate relictis, hic præstat adducere solum id, quod Romana tenet et servat Ecclesia ac canit in Martyrologio Vigiliæ Nativitatis ejusdem Domini Nostri Jesu Christi, nempe : « A creatione mundi, quando in principio Deus creavit cœlum et terram, quinquies millesimo centesimo nonagesimo nono. A diluvio vero, anno bis millesimo nongentesimo quinquagesimo septimo. A nativitate Abrahæ, anno bis millesimo quinto decimo. A Moyse, et egressu populi Israel de Ægypto, anno millesimo quingentesimo decimo. Ab unctione David in regem, anno millesimo trigesimo secundo, hebdomada sexagesima quinta juxta Danielis prophetiam, olympiade centesima nonagesima quarta. Ab urbe Roma condita, anno septingentesimo quinquagesimo secundo. Anno imperii Octaviani Augusti quadragesimo secundo, toto orbe in pace composito, sexta mundi ætate, Jesus Christus æternus Deus, æternique Patris Filius, mundum volens adventu suo piissimo consecrare, de Spiritu sancto conceptus, novemque post conceptionem decursis mensibus, in Bethlehem Judæ nascitur ex Maria Virgine factus homo.

(70. Aliæ epochæ sacræ habentur supra n. 63 et 64 in adductis juxta diversitatem chronologorum et scriptorum diversis mundi ætatibus, diversisque earum initialibus ac finalibus annis.

(71. Inter epochas profanas præcipua ac prima est, quæ desumitur a Trojæ excidio, quia eæ, quæ Trojanum bellum præcesserunt, nullo certo temporis spatio definiri possunt, cum, teste Diodoro Siculo, *Proœm.*, lib. I : « Nullum certitudinis fulcrum, cui fidamus, ad nos pervenerit. » Hæc itaque epocha incœpit anno Julianæ periodi 3530, ante vulgarem Christi æram 1184. Sic doctissimus Petavius, lib. IX *De doctrina temporum*, cap. 31, et cum eo Genebrardus, Sigonius, Panvinius, Ricciolus, aliique celebriores chronologi citati, et secuti ab eruditissimo Patre Fortunato a Brixia, *loc. cit.*, § *Epocha tertia.*

(72. Secunda inter profanas est epocha olympiadum, seu a ludis olympiacis, apud Græcos præsertim celeberrima, quæ incœpit anno periodi Julianæ 3938, a Trojana clade 408, mundi 3228, ante vulgarem æram Christi 776, ut ex Thucydide, Xenophonte, Petavio, et Eusebio tradit dictus Pater Fortunatus, *loc. cit*, § *Epocha quarta*, et dictus Purchotius, *loc. cit.*, § *Epochæ profanæ.*

(73. Quid autem fuerint olympiades, et ludi olympiaci ? *Vide* verb. KALENDARIUM, n. 59.

(74. Tertia est epocha ab urbe Roma condita, quæ, secundum Varronem, incœpit anno tertio olympiadis sextæ, periodi Julianæ 3961, post dirutam Trojam 432, mundi 3251, ante epocham vulgarem Christi 753. Quamvis M. Porcius Cato, et Verrius Flaccus uno anno tardius, quam a Varrone statuatur, eam incœpisse contendant ; et Julius Frontinus duobus annis tardius, quam a Varrone assignetur, incœpisse arbitretur. Sic dictus Purchotius, *loc. cit.*, et dictus Pater Fortunatus, *loc. cit.*, § *Epocha quinta.*

(75. Quarta est epocha, seu æra Hispanica, sic dicta, quia Hispani usque ad annum salutis 1383, eam in annis computandis adhibuerunt, cum quatuor initialibus illis litteris *A*, *E*, *R*, *A*, unde nomen *æræ* desumpsit juxta dicta supra n. 65, et ipsa incœpit an. periodi Julianæ 4676, a Trojano excidio 1146, ab Juliana anni castigatione 8, ante vulgarem æram Christi 37, ut inter alios tradunt dictus Purchotius, *loc. cit.*, et dictus Pater Fortunatus, *loc. cit.*, § *Epocha nona.*

(76. Quarta, et ultima profana epocha (aliis brevitatis gratia relictis apud chronologos videndis) est Arabum et Mahometanorum, cujus initium sumitur a fuga Mahometis, seu Mahomedis Arabi, qui cum ob falsæ suæ doctrinæ et sectæ in discrimen vocatus, de vita periclitaretur, ex Mecha Arabiæ urbe in Medinam fugere coactus fuit. Hæc illius pseudoprophetæ persecutio, et fuga contigit anno vulgaris æræ Christi 622, periodi Julianæ 5335, die 16 Julii feria sexta, seu die Veneris recurrente, quæ idcirco apud Mahometanos, seu Turcas est sacra, festiva et solemnis; et ab hac Mahometis persecutione et fuga suos annos numerant Turcæ et Arabes ; eosque annos *hegiræ*, sive persecutionis appellant. * De

Digitized by Google

æris Christianis, Judaicis, ethnicis, et Mahometicis accurate agit Guilielmus Beveregius, *Institut. chronologicarum* lib. II, c. 10.

(77. Mundus ab antiquis geographis dividebatur in tres solas præcipuas partes, nempe in Europam, Asiam, et Africam, quæ omnes simul ob id vocantur mundus vetus. A recentioribus autem dividitur in quatuor, addita ipsis tribus antiquis America, quæ communiter appellatur mundus novus, sub quo alii adhuc moderniores comprehendunt additam quintam partem Magellanicam ab ipsis appellatam, ut inter alios notat Abrahamus Ortelius in *Theatro mundi*, in principio, et D. de Ivigne in novo *Dictionario theologico-historico*, etc., idiomate Gallico scripto, verb. *Magellan.*

(78. Europa sic dicta est, ut volunt aliqui, inter quos dictus Ortelius verb. *Europa*, ab Europa Filia Agenoris Phœniciæ regis, rapta a Jove in forma tauri, ut fingit Ovidius lib. II *Metamorph.*, et ducta in dictam partem; seu, ut volunt alii, sic appellata est a quodam rege nuncupato Europo, qui inter primos ibi imperavit. Ita D. de Ivigne, *loc. cit.*, verb. *Europe*, et alii plures.

(79. Asia sic dicta est, ut volunt aliqui, inter quos dictus Ortellius, *loc. cit.*, verb. *Asie*, et D. de Ivigne, *loc. cit.*, verb. *Asie*, ab Asia nympha, filia, ut finxere antiqui poetæ, Oceani, et Thetidis, et muliere Japeti potentissimi; seu, ut dicunt alii, sic nuncupata est ab Asio filio Ænæi Lydi, aut ab Asio celeberrimo philosopho. Ita de Ivigne, et Ortelius, *locis citatis*, et alii plures.

(80. Africa sic dicta ab Afro filio patriarchæ Abraham, et Ceturæ, qui inibi habitavit. Ita Joseph lib. I *Antiquit.*, cap. 15, seu, ut tradunt alii, sic nominata est quasi Africa a sua proprietate, eo quod sit aliis magis soli exposita, et minus frigus in ipsa regnet. Ita de Ivigne, *loc. cit.*, verb. *Afrique*, et Ortelius, *loc. cit.*, verb. *Africa*, ubi in fine subjungit, quod in ipsa continue conspiciuntur novæ formæ animalium, et monstruosæ creaturæ, unde ortum est vulgare adagium : « Semper aliquid novi fert Africa ; » et addi potest aliud : « Africa monstra parit. »

(81. America, novus mundus communiter appellata, sic dicta est ab Americo Vesputio Florentino, qui sub auspiciis Emmanuelis regis Portugalliæ anno 1497 usque ad continentem, seu terram firmam penetravit insulas inibi existentes prius a Christophoro Columbo Januensi anno 1492, Ferdinandi Hispaniarum regis copiis, et opibus munito, adinventas. Ita D., de Ivigne, *loc. cit.*, verb. *Americ Vespuce* et *Amerique*, ubi in fine addit, quod brevi quinque, aut sex annorum spatio Hispanorum medio plusquam decem milliones illorum gentilium ad veram catholicam fidem conversi sunt, et quod unus solus religiosus mei Seraphici ordinis Minorum de Observantia sacra unda baptismatis lavit, ac initiavit usque ad 14000 et sic etiam referunt alii plurimi.

(82. Et revera non parva pars illius novi adinventi, et ad fidem catholicam conversi orbis debetur meæ seraphicæ religioni, ut clare demonstrant illius in immensum dilatatæ regionis historici, et nostri Franciscani Annales ad annum 1492 et 1493, ex quibus juvat hic afferre, quæ refert ex Haroldo eruditissimus noster P. Justus Redn in suo egregio opere canonico-politico, tom. II, part. II, sect. 2, a n. 59 ad 62 præcisis his verbis :

(83. « Res maxima parvis initiis hoc anno feliciter incœpta fuit, in qua Christi catholica fides propagationis suæ, et catholici regis Hispaniarum dilatati in immensum imperii, non parvam partem debent Fratribus Regul. obser. S. Francisci. Cum enim Christophorus Columbus Ligur, acris ingenii vir, et nauticæ artis peritissimus, terras, quas ultra occidentalem Oceanum esse dicerat, in animum induceret arte sua detegi posse, ingenti ejus Europæi principis gloria, lucroque, qui auctoritate sua et sumptibus rem aggrederetur, Joanni II Lusitaniæ, Henrico VII, Angliæ, et Carolo VIII, Galliæ regibus suam in ea re operam obtulit : sed passus ab his repulsam, ad Ferdinandum et Isabellam catholicos reges se contulit : verum, cum his quoque res ipsa incredibilis, et experientia magnis sumptibus certo constituta, optato exitu incertissima videretur, Columbus in Bæticam abiit, sui propositi plenus, sed omnis auxilii jam plane desperabundus.

« Cum autem, disponente Deo, casu invenisset F. Joannem Perezium a Marchena Minoritam, qui tunc cœnobiolum Arabidæ, non illius Lusitanici prope Ulyssiponam, sed alterius D. pass. ab oppido vulgo dicto *Paolos de Moguet*, Guardianus gubernabat; hunc porro cosmographiæ studiosum, eadem, quæ Columbum, cogitatio frequenter subibat, et vehemens desiderium, animas illas, quæ in tenebris et in umbra mortis sedebant, ad veræ fidei lumen reducendi, habuitque non adeo parum auctoritatis in aula, ut qui reginæ confessionibus excipiendis aliquando servivit : lætus ergo Columbi occursu observationes suas, et vota huic aperit, collatisque tabulis hominem tunc omni spe destitutum eo usque animavit, ut cum ipsius ad Ferdinandum Talavericum tunc reginæ confessarium, et ad ipsam reginam litteris Granatam rediret. Quo demum ipse Perezius ad rem recte percipiendam a regina vocatus, frequenti majestatis suæ colloquio, rem gloriosam, utilem, sanctamque aggrediendam firmissimis rationibus persuasit, et adductis in auxilium præter Talavericum cardinali Mendozio, Ludovico a S. Angelo, et Alphonso Quintavilla, qui tunc apud reges valebant, impetravit, ut certis conditionibus Columbo numerarentur septemdecim aureorum millia et traderentur una navis, duæque zelotes, centum et viginti militibus, cæterisque necessariis instructæ.

(84. « Cum his ille III Non. Augusti Gadibus anchoras contraxit, 33 dierum navigatione per varias minores insulas V. M. milliario

Digitized by Google

rum spatio Carimbanam detexit, quam auctorum suæ fortunæ honore, Hispaniolæ nomine consecrare voluit : ubi cum, quidquid indagine dignum videri posset, accuratissime perlustrasset, notassetque præsertim, aurum apud indigenas vix non pro luto haberi, in Hispaniam regressus Ferdinand. regem Barcinona convenit : cum quo, quid egerit, quantumque in vastissimis illis regionibus, non modo fide, et moribus erudiendis, et integris provinciis, regnisque detegendis, atque in catholicæ fidei catholicorumque regum fidelitate inter molestissimas turbas et apertas rebelliones continendis, ipsorumque Hispanorum simultatibus compescendis (quibus res maximæ non semel in desperationem deductæ fuerunt) Deo et principibus præstiterint Fratres S. Francisci, tum anno proxime sequenti, tum aliis succedentibus referemus.

(85. « Et ad annum 1493, Christophorus Columbus, quem anno præcedenti lætum illum a se detectæ Hispaniolæ nuntium ad Ferdinandum catholicum regem Barcinonam tulisse diximus, alteram hoc anno navigationem aggressus est, acceptis navibus, personis, et rebus, quæ numero et qualitate sufficere videbantur, ut insulam illam, aliasque Hispanorum regum imperio subjugaret, fideique magistris, qui barbaras nationes ad veræ fidei normam erudirent, præsertim Franciscanis, ac præ aliis Joanne Perezio a Marchena, quem diximus præcipuum primæ navigationis promotorem fuisse, qui stramineum in primis tugurium construxit, in eoque rem sacram omnium primis fecit, et SS. eucharistiæ sacramentum reposuit, atque ita hæc prima omnium occidentalis Indiæ Ecclesiarum fuit.

« Secundam vero huic proximam idem Perezius opere tumultuario sub invocatione S. P. N. Francisci, adjuncta pro consodalibus habitatione, construxit in ea civitate quam Columbus mox ædificavit, indito nomine S. Dominici, ob sui patris memoriam, qui Dominicus nominabatur. Hoc vero cœnobium ipse Columbus in gratiam Perezii, cui suam fortunam post Deum acceptam ferebat, ditior factus magnificentius et polito lapide construxit ; et omni necessaria supellectili, pro sua in S. Franciscum pietate, et incolarum statu exornavit, crescente in dies erga fratres insulanorum devotione, quos sacris documentis et religiosissimæ vitæ exemplis ad fidem et pietatem inducebant. » Sic F. Franciscus Haroldi in *Epitome histor. ord. Min.* ad annum 1492 et 1493.

(86. Magellanica sic dicta est a Ferdinando Magellano Lusitano, qui hanc nuncupatam quintam Mundi partem adinvenit, et nomine regis Hispaniarum conquisivit anno 1520. Ita D. Antonius Chiusole in sua *Geographia* sub titulo *Mundi antiqui et moderni*, Italice scripta, t. II, c. 18, § 15; De Ivigne, *l. c.*, verb. *Magellan;* Abrahamus Ortelius, *l. c.*, verb. *Mundus*, et alii passim, notantes, quod major et maxima hujus Magellanicæ partis portio est adhuc incognita.

(87. Mundus, ad uberiorem ejus intelligentiam, dividitur adhuc in quatuor partes, nempe in continentem, insulam, peninsulam et isthmum. Continens, seu terra firma intelligitur pro quavis terra, quæ nec est insula, nec peninsula, nec isthmus. Insula est terræ portio undequaque aqua circumdata. Peninsula, seu græce χερσόνησος, est media insula circumdata quidem aqua, sed ex una parte annexa, seu unita terræ. Isthmus est terræ portio valde stricta inter duo maria inclusa, uti est terra in medio Americæ inter mare Septentrionale, vulgo *Mare del Nord*, et mare Pacificum, vulgo *Mare del Zur*.

(88. Mundus quatuor habet spatia, seu plagas, quæ communiter a Latinis vocantur *quatuor mundi plagæ, sive mundi cardines.* Ubi enim oritur sol, vocatur *Oriens;* ubi sol occidit, appellatur *Occidens ;* ubi sol reperitur circa meridiem, nominatur *Meridies;* et plaga contra meridiem nuncupatur *Septentrio.*

(89. Et secundum has quatuor mundi plagas cardinales, quatuor etiam sunt venti principales, vocati *venti cardinales;* ventus enim, qui spirat ab Oriente vocatur *Eurus*, seu *Subsolanus;* ventus qui spirat ab Occidente, appellatur *Zephyrus*, seu *Favonius;* ventus qui spirat a Meridie nominatur *Auster*, seu *Notus*. Et ventus, qui spirat a Septentrione nuncupatur *Boreas*, seu *Aquilo.*

(90. Præcipua et celebriora inter alia mundi systemata nunc in scholis tum astronomicis, tum physicis vigentia, tria sunt : nempe systema Ptolemaicum, Copernicanum et Tychonicum. (91. Systematis autem nomine intelligitur communiter : « Constitutio, seu dispositio quædam universi, ejusque partium inter se, explicandis motibus, cæterisque astrorum phænomenis accommodata. » Cum enim astronomi diu observassent diversos astrorum aspectus, quædam sibi finxerunt systemata, seu hypotheses, quibus motuum illorum rationes redderent, eorumque apparentias salvarent, ac totam mundi fabricam positione, et ordine omnium sui partium repræsentarent.

(92. Primum igitur, et vetustius systema inter tria prædicta est *Ptolemaicum*, sic dictum a *Ptolomæo* veterum astronomorum facile principe, qui sæculo Christi secundo floruit, et dicto systemati ultimum complementum dedit, ob idque ab ipso denominatum, quamvis ipse non fuerit illius primus auctor, cum tale systema tenuerint Plato, Aristoteles, Eudoxus, et clarissimi fere omnes astronomi ipso Ptolomæo antiquiores.

(93. Systema mundi Ptolemaicum in centro universi globum terraqueum immobilem statuit, quem ordine ambiunt sphæræ primo aeris et secundo ignis; deinde succedunt orbes planetarum hoc ordine, nempe prius orbis lunæ, deinde Mercurii, Veneris, Solis, Martis, Jovis, Saturni; ac postea se-

Digitized by Google

quitur firmamentum, seu cœlum stellarum fixarum, quibus adduntur cœli duo chrystallini et primum mobile, qui sunt cœli sine stellis; sicque undecim orbes in cœlesti illa, supernaque regione juxta hanc hypothesim, seu systema numerantur; et quamvis Ptolomæus nullam penitus de cœlorum soliditate mentionem fecerit, omnes tamen hujus hypothesis, seu systematis patroni, cœlos solidos et consistentes voluerunt, arbitrati fieri non posse, ut ea, quæ admiramur, constanti lege astrorum motus in subtili, fluidaque substantia peragantur.

(94. Hoc systema fere ab omnibus antiquis fuerat receptum : at nostris hisce temporibus fere ab omnibus rejicitur, cum experimento compertum sit, omnino repugnare, quod tota regio planetica debeat esse solida, ita ut planetæ suis orbibus sint affixi et nonnisi cum eis moveantur; nam si regio planetica non esset fluida, etsi ipsi planetæ affixi essent cœlis solidis, non possent ex uno cœlo in aliud descendere absque penetratione, quæ naturaliter est impossibilis, cum tamen certum sit, planetas nunc ascendere, et nunc descendere : nam Mercurius, Venus et Mars aliquando sunt supra solem et aliquando infra. Tum quia tot orbes, seu circuli *excentrici* et *epicycli*, seu parvi circuli constituti a Ptolemaicis ad planetarum phænomena explicanda ipsismet planetarum phænomenis contradicunt, ut patet de incremento et decremento luminis Veneris et Lunæ, et de pluribus aliis hujusmodi, quæ post systema a Tichone adinventum, omnes fere astronomi repugnare fatentur.

(95. Secundum mundi systema inter prædicta est *Copernicanum*, sic dictum a Nicolao *Copernico* Canonico Vormiensi Torunnæ in Borussia, id est Prussia Polonica, nato an. 1473, die 19 Febr., qui in hoc systemate stabiliendo, illustrando, ac perficiendo continuo 30 annor. labore, ac studio, nempe ab anno 1500 ad an. 1530, incubuit. Hoc tamen systema, licet non ita purgatum et clarificatum, jam tenuerant Pythagoras, Heraclides Ponticus, Nicætas Syracusanus, Ecophantus, Leucippus, Plato, aliique vetustissimi philosophi et astronomi, et postquam fuit plene illustratum, ac perfectum a Copernico, ipsum secuti sunt plurimi recentiores, ut Joachinus Rheticus, Keplerus, Galilæus, Simon Sterinus, Philippus Lansbergius, Ismael Bullialdus, Renatus Cartesius, Newtonius et alii, qui ommes hanc communiter appellatam *Copernicanam hypothesim* pro suis viribus et ingeniis omnino tuentur.

(96. Hoc Copernicanum systema solem in centro universi immobilem constituit, circa quem vult, quod primo moveatur Mercurius, secundo Venus, tertio terra conjunctim cum luna, ac successive Mars, Jupiter, Saturnus. Ultra omnes has planetarum, ac terræ orbitas ponit spheram stellarum fixarum omnino immobilem, et in immensum pene spatium diffusam. Ad salvandas solis apparentias, tres motus tribuit terræ, ipsam veluti planetam mobilem constituens : unum nempe circa proprium axem, seu centrum ab occasu in ortum 24 horarum intervallo, qui *diurnus* appellatur, eo quod ab eo constituatur; alterum in magno orbe, seu zodiaco circa solem, secundum seriem signorum, qui vocatur *annus*, eo quod unius anni spatio perficiatur; tertium denique motum *parallelismi*, seu *inclinationis*, sic dictum, eo quod ipso mediante terræ axis in annua ejusdem revolutione sibi semper parallelus existit, eamdemque cœli partem perpetuo respicit; unde fit, ut dum terra motu annuo circa solem convertitur, solitæ tempestatum vicissitudines statis temporibus redeant. Hinc axis terræ sibi ipsi, et axi æquatoris, seu mundi semper parallelus in ea hypothesi concipiendus est, et appellat ipsum etiam motum *inclinationis*, quia terra, ut dicit ipse, modo in unam sui partem axi proximam, et modo in alteram oppositam parum deflectit.

(97. At vero hoc Copernicanum systema utpote manifeste contrarium sacræ Scripturæ, aliis omissis rationibus, est tanquam thesis penitus rejiciendum : quod enim sol moveatur, habetur expresse in pluribus sacræ Scripturæ locis. *Genes.* enim I, 14 : *Dixit Deus : Fiant luminaria in firmamento cœli et dividant diem, ac noctem, et sint in signa et tempora, et dies, et annos;* quibus verbis aperte demonstrat, dies noctes et anni tempora horum magnorum luminarium solis et lunæ decursu constitui, et maxime solis, qui suo ad nos accessu, et recessu constituit *signa* quatuor anni temporum, veris, æstatis, autumni, hiemis, atque sua regulari circuitione horas, dies, noctes, menses et annos ordinat, quod non posset facere, si esset immobilis absque ullo penitus motu. Sic *Josue* X, 12 et 13, expresse habetur : *Tunc locutus est Josue... dixitque coram eis : Sol, contra Gabaon ne movearis, et luna contra vallem Ajalon. Steteruntque sol et luna, donec ulcisceretur se gens de inimicis suis... Stetit itaque sol in medio cœli, et non festinavit occumbere spatio unius diei.* Et *Ecclesiastes* I, 5 et 6 : *Oritur sol et occidit, et ad locum suum revertitur, ibidem renascens. Gyrat per meridiem, et flectitur ad Aquilonem : lustrans universa in circuitu pergit spiritus, et in circulos suos revertitur.* Et *Isaiæ* XXXVIII, 8 : *Reversus est sol* (in horologio Achaz) *decem lineis per gradus, quos descenderat;* juxta id quod habetur etiam *IV Reg.* XX, 11, et *Matthæi* V, 45, Christus ipse dicit : *Qui solem suum oriri facit super bonos et malos.* Et Apostolus *ad Ephesios* IV, 26, dicit : *Sol non occidat super iracundiam vestram.* Quod autem terra firma stet, et non moveatur, habetur *Paralipomenon I*, XXVI, 30 : *Ipse enim fundavit orbem immobilem;* et *Psal.* XCI, 1 : *Etenim firmavit orbem terræ, qui non commovebitur;* et *Psal.* CIII, 5 : *Qui fundasti terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in sæculum sæculi;* et *Proverb.* VIII, 29 : *Quando appendebat fundamenta terræ;* et *Ecclesiastes*

Digitized by Google

4, 4 : *Terra autem in æternum stat.* Hinc juremerito Copernici, Pythagoræ, Galilæi, suorumque sequacium opinio de motu terræ et solis quiete, tamquam contraria sacræ Scripturæ anno 1633, sub Urbano VIII proscripta est, ut temeraria et hæretica (*Vide* not. theol. Romani ad verb. HÆRETICUS, num. 16), apud Ricciolum lib. IX *Almagesti*, et Fortunatum a Brixia in cit. *Philosophia mechanic.*, t. II, tr. 1, diss. 2, proposit. 3, ac Ursayam, *Instit. criminal.*, lib. I, t. VI, *De crimine hæresis*, n. 2, ubi habet præcisa hæc verba : « Si aliquis hodie asseveraret, terram esse mobilem, solem vero orbis centrum et immobilem, esset hæreticus, quia contrarium a sacra congregatione sanctissimæ Inquisitionis definitum fuit die 22 Junii 1633, teste Caferr., in *Syntagmat. vetustat.*, ad d. diem 22 Junii.

(98. Nec valet, quod Copernicani dicant, suam opinionem de terræ motu fulciri etiam pluribus sacræ Scripturæ textibus, ut *Psal.* LXXVI, 19 : *Commota est, et contremuit terra; Psal.* LXXXI, 5 · *Movebuntur omnia fundamenta terræ; Psal.* XCIII, 9 : *Commoveatur a facie ejus universa terra; Job* IX, 6 : *Qui commovet terram de loco suo, et columnæ ejus concutiuntur* cum similibus. Non valet, inquam, quia isti Scripturæ textus, et alii consimiles non sunt intelligendi de motu terræ vero et proprio, sed de motu terræ metaphorico, nempe sumendo terram pro hominibus illius incolis, qui vel timore, vel stupore, aut lætitia ad occurentia divinitus prodigia commoventur; vel intelligendi sunt de motu violento et extraordinario, quo, Deo volente, interdum terra concutitur, ut patet in tot terræmotibus ; quibus non solum urbes, sed et interdum integræ provinciæ sunt concussæ et eversæ.

(99. Nec valet instare, quod in tali metaphorico et improprio, ac apparenti terræ motu essent intelligendi etiam scripturæ textus pro nostra sententia de terræ quiete et solis motu, quemadmodum navigantibus stare navim, ac littora moveri videntur, juxta illud Virgilii, lib. III *Æneid.*, vers. 72, ibi :

Provehimur portu, terræque, urbesque recedunt;

cum Scriptura sæpe ad vulgi captum sese accommodet, ut cum lunam vocat *luminare magnum Genes.*, I, 16, quamvis reipsa sit luminare fere omnium minimum. Non valet inquam quia intelligentia de vero et proprio motu solis et terræ quiete in textibus Scripturæ pro nostra sententia adductis, est sic explicata et definita ab Ecclesia (*Vide* notam mox cit.) ex supradictis. Non sic autem in illis pro contraria opinione allatis ; ad illud autem de luna, quæ vocatur *luminare magnum*, respondetur, quod sic appellatur ratione magnæ efficaciæ, quam præ cæteris astris Sole excepto qui vocatur *luminare majus*, habet in sublunaria. (100. Tum quia (quamvis ex illis Scripturis textibus, aliisque rationibus a Copernicanis allatis, defendi possit Copernicanum systema ut *hypothesis* ut anno 1620 concessit ipsamet sacra sanctissimæ Inquisitionis congregatio, ut testantur Purchotius, *loc. cit.*, cap. 3, vers. *Respondeo primo ;* Pater Fortunatus, *l. c.*, § *Propositio tertia* et alii : quia in hypothesi nihil omnino affirmatur ut in rerum natura actu positum, sed tantum ut possibile juxta illud Ciceronis lib. V, *Qq. Tusculanarum*, ibi : « Licet aliquid fingere docendi causa » (nec per talem hypothesim habetur terram revera moveri localiter : sed solum, si terra localiter moveretur, quod tamen non est verum, optime omnia phænomena tum ad physicam, tum ad astronomiam spectantia salvarentur et facilius eorumdem ratio reddi posset), nullimode tamen systema Copernicanum de motu terræ et solis quiete defendi potest ut *thesis*, seu assertio, cum id ex supra dictis constet esse ab Ecclesia proscriptum. (101. Illud autem est discrimen inter *thesim* et *hypothesim*, quod thesis rem ita esse et revera existentem asserit et concludit et ut talem defendit ; hypothesis vero nihil omnino certo asserit ut revera actu existens, sed solum ex re certo modo constituta aliquid ut possibile deducit, sed, an res ita sit, non decernit.

(102. Tertium mundi systema inter prædicta, est Tichonicum, sic dictum a Tichone Brahæo, nobili Dano, astronomiæ restauratore, qui cum animadverteret systema Ptolemaicum rationi et experientiæ et Copernicanum sacræ Scripturæ, ac phænomenis adversari, adhibitis pluribus peritissimis mathematicis, libratis astrorum motibus, eorumque phænomenis accuratis observationibus, ingentique labore et studio expensis, circa finem XVI sæculi, regnante in Dania Christierno IV novum systema medium inter Ptolemaicum et Copernicanum, ac satis verosimilius composuit.

(103. Tichonicum igitur systema ponit terram, lunam et solem ut Ptolemæus, id est ponit terram ut vere immobilem pro centro firmamenti solis et lunæ; at solem facit centrum orbium Saturni, Jovis, Martis, Veneris et Mercurii, ut Copernicus. Unde apud ipsum, firmamentum stellarum fixarum locus est extima mundi pars, in cujus centro reperitur terra immobilis, circa quam moventur luna et sol ; circa solem vero cæteri planetæ. Tria quippe in hoc systemate *mobilia* circa terram, tamquam circa centrum, vertuntur; luna quidem, quæ ipsi proxima est motu menstruo ; sol qui est remotior et quasi medius motu annuo ; firmamentum denique, seu sphæra fixarum stellarum, quæ remotissima est, motu lento nempe 2500 annorum. Et hoc Tichonicum systema est nostris hisce temporibus communius receptum, utpote facilius systemate Ptolemaico, non habens tot *excentricos*, id est circulos, qui non habent idem centrum ac terra et *concentricos*, id est circulos, quorum idem est, ac ipsius terræ centrum ; et utpote naturalius systemate Copernicano, sinens in sua naturali quiete terram, quin eam ut planetam mobilem constituat, faciens nos vel-

Digitized by Google

uti muscas in terræ motu per aerem evolare.

(104. Alia fere infinita reperiuntur mundi systemata ab eruditissimis philosophis et mathematicis adinventa. At hic solum placuit tria inter alia celebriora adducere, sinendo ut in reliquis quisque sibi præfigat quot unquam positiones maluerit, pro certo habens, quod nemo, quantumvis in his versatus, doctus et eruditus, poterit comprehendere, quonam mirifico artificio fuerit a Deo universus hic ordinatus; unde, ut recte notat Paulus Rubeus, in annotationibus ad decis. 320 Rotæ recentior., part. IX, tom. II, n. 54, astrologi et astronomi tam intrepide de planetis cœlestibus verba facientes possent facete interrogari una cum Diogene, « Quandonam de cœlo venistis? » cum apposite currat illud vulgatum, « quantum metitur astronomus, tantum mentitur astrologus. »

(105. Mundus est rotundus, sive sphæricus: colligitur in primis ex sacra Scriptura; *Proverb.* enim VIII, 27 dicitur quod divina Sapientia *gyro vallabat abyssos*, seu, ut habet lectio hebraica, *describebat circulum super faciem abyssi;* et *Ecclesiastes* I, 5 et 6, habetur: *Oritur sol et occidit et ad locum suum revertitur: ibique renascens, gyrat per meridiem et flectitur ad Aquilonem: lustrans universa in circuitu pergit spiritus et in circulos suos revertitur;* quæ vera esse non possent, si mundus non esset vere rotundus et perfecte sphæricus. Tum quia innumeris sacræ Scripturæ locis mundus nomine orbis nuncupatur, ut patet *Gen.*, XLIII, 54, ibi: *In universo orbe fames prævaluit; II Reg.* XXII, 16, ibi: *Revelata sunt fundamenta orbis; Esther*, IX, 28, ibi: *Cunctæ in toto orbe provinciæ; Job*, IX, 13, ibi: *Curvantur, qui portant orbem; Psal.* XXXII, 8, ibi: *Omnes inhabitantes orbem; Proverb.* VIII, 26, ibi: *Cardines orbis terræ; Sapient.* I, 7, ibi: *Spiritus Domini replevit orbem terrarum; Isaiæ* XVIII, 3, ibi: *Omnes habitatores orbis; Lucæ* II, 1, ibi: *Ut describeretur universus orbis; Actor.* XI, 28, ibi: *In universo orbe terrarum; Rom.* X, 18, ibi: *In fines orbis terræ verba eorum; Apocalypsis* III, 10, ibi: *Quæ ventura est in orbem universum;* XII, 9, ibi: *Qui seducit universum orbem* et sæpissime alibi. Hinc, ut habetur in *OEdipo Ægyptiaco Cl. Kircherii*, Rabbini Ramba et Abenezra in apice arboris, quam vocant *Zephyroth*, circulum posuerunt complectentem triangulum, in cujus centro oculus inspiciebatur cum hac inscripta gnome: *Ex archetypo triangulo profluxit mundus;* quo mathematico schematismo, ex viri doctissimi interpretatione, non aliud indicare voluisse videntur, nisi mundum sphærica figura donatum, ex *ineffabili unitate* per *binarium* in *ternarium* profluxisse; ut tradit eruditissimus P. Fortunatus, *l. cit.*, tom. III, tract. 1, dissert. 1, prop. unica.

(106. Mundi rotunditas experimento constat ex itineribus circa ipsum in orbem peractis, comprobaturque ex ortu et occasu siderum, eorumque apparitione et occultatione: siquidem sol, aliaque astra tardius oriuntur iis, qui occidentem versus pergunt, quam iis, qui ad orientem: idipsum demonstrant eclipses solis et lunæ, quæ, licet incipiant per universum orbem in eodem puncto, nihilominus tardius videntur ab Orientalibus quam ab Occidentalibus, ut patet in eclipsi lunæ, quæ, si hic apud nos incipiat tertia hora noctis, longe abhinc trigenta gradibus versus orientem, incipiet tardius duabus horis, nempe quinta hora noctis, quod aperte ostendit mundum esse rotundum ab oriente ad occidentem: sic etiam ejus rotunditas a septentrione ad meridiem comprobatur ab iis, qui versus polos pergunt: secundum enim quod progrediuntur, vident aliquas stellas ante se, quas prius non videbant, et sic sensim cessant videre eas, quæ retro remanent; quod clare demonstrat, mundum etiam a septentrione ad meridiem esse rotundum; sicque rotundum ex omni parte, quoniam si planus esset et non rotundus, undique et ubique conspicerentur eædem stellæ et in eodem situ, et sol omnes simul illuminaret in eodem instanti, quo supra horizontem apparet; tum quia umbra ipsius terræ, quæ in lunæ eclipsi rotunda apparet, manifeste ostendit corpus eam causans esse rotundum.

(107. Mundi et terræ rotunditas clarissime demonstratur a geometris et architectis; siquidem eorum perpendicula terram semper offendunt ad angulos inæquales; et si volunt duas componere turres ad perpendiculum, non sunt parallelæ, sed viciniores intra se in fundamentis, quam in vertice, quoniam, quo plus in altum tolluntur, eo magis dilatantur; uti arcus circulorum cum sunt, ac fiunt grandiores. Unde verificatur quod quivis homo magis capite, quam pedibus currit; et qui terram circuiret, experiretur peregisse capite plusquam pedibus tres saltem perticas vulgo *Trabuchi*, supra dimidiam et eo magis quo grandior esset persona, cum minor et exiguior sit circulus, qui pedibus, quam qui capite perficitur.

(108. Ex mundi, et terræ rotunditate clare deducitur vere dari, et exstare *antipodes*, suntque omnes illi terræ incolæ, qui ex diametro oppositi, seu ex diametro pedibus incedunt, terramque premunt. Dicuntur *antipodes*, idest *contrapedes:* nam ἀντίπους dicitur ab ἀντί, quod est contra, et ποῦς, *pes* quasi contra pes, ut recte notat doctissimus Tostatus *in Deut.* VII, 4. Dicti antipodes sunt inter se ita ex diametro oppositi, ut habeant geographicas proprietates omnino oppositas, nam polus uni conspicuus, alteri est inconspicuus, unius *Zenith* est *Nadir* alterius; dum uni sol oritur, alteri occidit, cum uni est meridies, alteri est media nox, dum uni est æstas et dies maxima, alteri est hiems et dies minima, et sic de aliis; suntque ipsi remotiores, qui reperiri possint, nec puncto se movere possunt, quin amittant illam diametralitatem et quin unus alteri appropinquetur.

(109. De eorum existentia dubitarunt olim plerique, inter quos etiam Lactantius *Lib.*

Digitized by Google

de divin. instit., c. 24; sanctus Augustinus, lib. VI *De civit. Dei*, cap. 9. Origenes et alii tenentes ut impossibile, quod aliqui ex hominibus possent habere pedes contra alios, quia tunc essent capite infra et pedibus supra, essentque sub terra, sicque in diverso mundo sub diverso sole et luna et hujusmodi; at revera nullus nunc est amplius de illorum existentia ambigendi locus, cum post adinventas varias insulas a Christoforo Columbo et nostro Joanne Perez anno 1492 ex supradictis a n. 82 et detectam Americam ab Americo Vesputio Florentino ann. 1497 jam experimento compertum sit, homines vere exstare, qui obversa nobis ex diametro vestigia premunt, nec stant pedibus supra et capite infra, nec sub terra, sed sunt sicuti nos supra terram, quia ubique cœlum semper est supra et ambulant ipsi uti nos capite cœlum versus et pedibus infra, id est supra terram; sicque omnes dicimus esse supra terram, non quidem quia sumus ex ista parte, vel illa, sed quia sumus propinquiores cœlo, quam ipsa terra, in qua sumus; ponatur enim aliquis homo in quacunque parte orbis voluerimus et a pedibus illius protrahatur diameter terræ transiens per centrum terræ et transeat ad aliam extremitatem terræ, homo existens in illa extremitate, quam tangit alia pars diametri, vocabitur antipos alterius. Unde, si unus homo sit in vero puncto orientis et alter in vero puncto occidentis, illi distant ut antipodes et sunt sibi invicem veri antipodes et pariter, si unus sit in vero puncto septentrionis, et alter in vero puncto austri, erunt sibi invicem antipodes, et tunc isti antipodes sic se habent, quod uterque est supra terram, nam ille, qui est in vero puncto orientis, propinquior est cœlo, quam terra, quæ est ibi in oriente; et qui est in vero puncto occidentis, propinquior est cœlo quam terra, quæ est ibi in occidente: sicque omnes sunt supra terram et nulli sub terra, quia infra eam nihil est, cum ipsa sit infra omnia et ipsius centrum sit infimum in toto orbe et omnes sunt sub cœlo, quia supra omnes res est cœlum, cum ultra corpora cœlestia ascendendo nihil sit et cœlum, sicut et terra, sit rotundum et sphæricum propter easdem supra adductas Scripturæ auctoritates et fere easdem, aliasque rationes adductas de rotunditate mundi, cum ipse, ut patet ex ejus definitione adducta supra n. 5, « sit compages cœlo, terraque coagmentata » etc.

(110. Nec valet objicere, quod Zacharias Papa omnes Antipodum assertores damnaverit, jusseritque Vigilium, seu ut alii dicunt, Virgilium episcopum, urgente S. Bonifacio archiepiscopo Moguntino, a Divinis suspendi, ex eo duntaxat, quod Antipodes exstare assereret; unde plures sancti Patres, et veteres doctores ipsos absolute negarunt. Non valet, inquam, quia Zacharias Papa damnavit solum eos, qui asserebant, exstare Antipodes in altero mundo distincto a nostro, sicque admittentes plures distinctos mundos, quod divinæ repugnat Scripturæ, quia si essent plures distincti mundi, sequeretur, quod non omnes homines ex Adam geniti fuissent, quod non omnes a Christo Domino, qui in hunc mundum tantummodo venit, fuissent redempti, quod alius sol et luna exstarent præter illa duo luminaria magna a Deo creata, et alia hujusmodi, quorum assertores merito damnari debuerant. Et quod in hoc sensu duntaxat Antipodum assertores a Zacharia Papa damnati fuerint, patet ex Epist. ipsius Zachariæ apud Baronium ad Otilonem Bavariæ Ducem data (116), quam erudite expendit M. Velserus, lib. V *Rerum Baicarum*, ut refert Ricciolus scol. 1, in cap. 20, lib. I *Almagesti*, et sequitur citat. P. Fortunatus, dict. tom. II, tract. 1, dissertat. 1, sect. 7, § *Antipodes*. Imo dictus Vigilius, seu Virgilius episcopus prætensus ob id a divinis suspensus a Zacharia summo Pontifice, fuit vir sanctissimus ab omni hæresi penitus immunis, fuitque inter sanctos relatus a Gregorio IX, ut refert eruditissimus Dominus Berninus tom. II, fol. 390, *Historiæ omnium hæresum*, Italice scripta, ibi in margine. « Sanctus Virgilius relatus fuit inter Sanctos a Gregorio IX. » *Vide* Baron, an. 748, n. 4, in fine, et n. 11, in margine, ad Vitam dicti S. Bonifacii lib. II, cap. 8, ibique dictus Berninus concludit ex Baronio, citat. an. 748, per tot., falsas fuisse dictas accusationes allatas, ut prætenditur, a S. Bonifacio ad Zachariam Pontificem contra S. Virgilium. Hinc in prædicto sensu intelligendi sunt sancti Patres, aliique veteres doctores, qui antipodes negaverunt, quia suis temporibus nondum experimento compertum fuerat in hoc eodem mundo homines exstare, qui obversa nobis ex diametro vestigia premunt ratione rotunditatis mundi, seu cœli et terræ.

(111. Ad uberiorem hujusmodi captum

(116) Epistola S. Zachariæ Rom. Pont. quam Baronius ad annum 748, n. 3 et seqq. describit, non ad Otilonem ducem Bajoariorum, sed ad S. Bonifacium Moguntinum episcopum data fuit, ac X n. est inter Zachariæ epistolas Collect. concil. Edit. Venetæ ann. 1733, tom. VIII, col. 25 et seqq. Ex hac autem epistola evincitur, Virgilii nomen de errore ad Rom. Pont. a S. Bonifacio delatum, quod alium sub terra mundum esse, aliosque homines, qui alio, quam nos sole aliaque luna illuminarentur, docere ferretur, Zachariam vero Bonifacio quidem præcepisse, ut Virgilium, si, quæ tradere perhibebatur, reipsa defenderet, de concilii sententia sacerdotio dejiceret, Ecclesiæque communione privaret; litterasque ad eumdem Virgilium scripsisse, quibus Romam venire jubebatur, interea tamen ei sacris non interdixisse. Hunc porro Virgilium, cui simultates cum S. Bonifacio Moguntino episcopo intercessere, a S. Virgilio episcopo Salisburgiensi, quem Gregorius IX in sanctorum numerum retulit, Baronius ad annum 748, n. 2, aliique eruditione præstantes viri non esse distinguendum arbitrantur. Verum his repugnat Pagius in *Critica historico-chronologica* ad Baronii *Annales* anno 746, n. 7, cui alii assentiuntur. Ut ut sit. Virgilius, quo tempore accusatus de errore a S. Bonifacio fuit, nec Salisburgensi, nec alii cuiquam Ecclesiæ præerat. *Vide* exercitationem *De Christiana religione a naturalibus disciplinis non aliena*, impressam Romæ anno 1784, n. 22.

Digitized by Google

reflectatur, quod terra rotunda, seu sphærica pendeat in medio aeris sine ullo sustentaculo, et quod cœlum pariter rotundum et sphæricum sit undique distans æqualiter a terra; unde si hæc perforaretur ex una parte ad aliam, videretur cœlum etiam subtus nos, et si in tali foramine projiceretur aliqua petra quamvis gravis, non transiret unquam ad aliam partem oppositam cœli, quia a medio illuc ascenderet cœlum versus, sed remaneret in medio, seu centro, tanquam in loco suæ quietis; quælibet enim res gravis super terram habet naturalem inclinationem tendendi ad suum centrum, seu ad punctum in medio ipsiusmet terræ, ad instar ferri, quod naturali sympathia tendit semper ad magnetem : sic si aliquis homo descenderet illuc, cum esset in medio, posset dici, quod staret pedibus, et capite sursum eodem et tempore, quoniam umbilico teneret centrum, et aliæ partes essent omnes versus cœlum. Item, si ibi adesset scala, duæ personæ possent pergere in duas partes oppositas, et ambæ ascenderent versus cœlum, quia *cœlum undique sursum*, et ambæ descenderent ab imo, seu profundo.

(112. Mundi, seu terræ circuitus, secundum Hipparcum, est 34 millia, et 626 milliariorum : secundum Eratostenem, est 31 millia, et 500 milliariorum : secundum Ptolemæum, est 22 millia et 800 milliariorum ; secundum Alfagranum est 20 millia, et 400 milliariorum; et secundum aliquos recentiores est 19 millia, et 80 milliariorum ; at vero secundum veriorem, et receptiorem opinionem est 21 millia, 600 milliariorum italicorum ; secundum enim hanc opinionem facilitatur magis computus, attribuendo cuique gradui lineæ 600 milliaria Italica, quæ constituunt 30 leucas Gallicas, 23 Germanicas, et 10 Polonicas, et Hungaricas, et cum gradus circa universum orbem numerentur 360 ac quilibet gradus dividatur in 60 minuta, et quodlibet minutum valeat tantum, quantum unum milliarium Italicum, facile comprehenditur circuitum mundi, seu totius terræ esse 21 millia, et 600 milliariorum Italicorum. Hinc, qui posset totum orbem circumire sine ullo impedimento aquarum, montium, et hujusmodi, perficiendo 30 milliaria qualibet die, compleret suum iter in 720 diebus; unde illi remanerent adhuc decem supra dimidium ad faciendam plenam relationem sui itineris seu circuitus, et ad complendos duos integros annos.

(113. Hic tamen est advertendum, quod qui circumeunt mundum versus Orientem, et redeunt versus Occidentem ad eumdem locum, unde discesserunt, numerant diem unam plus quam habitatores illius loci; unde, si illi habitatores habent v. grat., diem Dominicum, ipsi habent diem lunæ, quia eodem momento, quo, in loco, unde quis discedit, sunt viginti quatuor horæ, locus ab ipso distans 15 gradibus in longitudine versus Orientem, habet jam unam horam noctis, et locus distans 30 gradibus, habet jam duas noctis horas, et sic successive discurrendo, cum quicunque 15 gradus unam horam constituant, et 360 gradus, quibus constat ambitus universæ terræ, importent 24 horas, seu diem unum integrum.

(114. Econtra, qui circumeunt mundum versus Occidentem, et redeunt versus Orientem ad eumdem locum unde discesserunt, numerant diem unum minus quam habitatores illius loci : unde si illi habitatores habent v. g. diem Dominicum, ipsi habent diem sabbati, quia versus Occidentem quibuscunq. 15 gradibus fit nox una hora tardius, quam in dicto proprio loco, a quo pergendo versus Occident. discesserunt, et ad quem revertendo versus Orient. redierunt, sicuti ut dictum est n. anteced. versus Orientem, quibuscunque 15 gradibus fit nox citius, quam in proprio loco : qui enim pergunt versus Orientem inveniunt noctem citius, et qui pergunt versus Occidentem, inveniunt ipsam tardius una hora quibuscumque 15 gradibus, quibus omnibus in unum conflatis usque 360 qui sunt circumferentia, seu circuitus totius orbis, conficiuntur 24 horæ, seu unus dies.

(115. Si autem duo eodem tempore circumirent totum orbem, uno pergente versus Orientem, et altero versus Occidentem, quocunque loco se invenirent, seu sibi occurrerent, differrent ab invicem uno die; unus v. g. haberet diem Dominicum, et alter diem Lunæ; quia, dum ille, qui pergit versus Orientem, lucratur unam horam quibuscunque 15 gradibus, alter qui pergit versus Occidentem eodem tempore unam perdit : et supposito, quod tam unus, quam alter perfecerit 180 gradus itineris, ille versus Orientem lucratus fuisset 12 horas, et alter versus Occidentem perdidisset pariter horas duodecim, quæ omnes efficiunt 24 horas, seu unum integrum diem, quo unus differt ab altero. Et si deinde prosequerentur suum iter, ambo redeundo ad locum unde discesserunt, unus ab Oriente, et alter ab Occidente, differrent necessario ab invicem duobus diebus; nam si v. g. habitatores haberent diem Dominicum, ille, qui perrexisset versus Occidentem, et regressus fuisset versus Orientem, haberet diem sabbati, et ille, qui perrexisset versus Orientem, et regressus fuisset versus Occidentem haberet diem lunæ; cum unus lucretur unum diem, et alter perdat alium, sicque inter ipsos remaneat differentia duorum dierum, sicuti de facto contigit quibusdam nautis Batavis, seu Hollandicis, qui eodem tempore Amstelodamo discessi alii versus Orientem, et alii versus Occidentem, in suo regressu, illi, qui perrexerant versus Occidentem, numerabant diem sabbati, et illi, qui perrexerant versus Orientem, numerabant diem Lunæ, dum Amstelodami numerabatur dies Dominicus, hinc est, quod Hispani alias habeant festivitates in insulis Philippinis, quam Batavi, seu Hollandici in Indiis Orientalibus, ex quo illi navigaverint versus Occidentem, et ipsi versus Orientem, ut refert eruditissimus Antonius Chiusole

Digitized by Google

in *Geographia orbis antiqui et moderni*, tom. II, cap. 20, § 35.

(116. Ex supradictis oritur dilucidatio curiosi problematis, quomodo sit possibile, quod ex duobus gemellis ambobus natis, et mortuis in eodem die, et momento, unus plus altero vixerit die uno, vel duobus diebus?

(117. Hinc juvat ad uberiorem notitiam aliqua de sphæra tradere. Sphæræ nomine intelligitur corpus solidum in omni sua parte rotundum, quo nomine astronomi intelligunt universam machinam orbis. (118. Sphæra potissimum pro artificiali sumitur, quæ est instrumentum rotundum ad instar globi, seu pilæ compositum ex diversis punctis, et circulis, et lineis, adinventum ab astronomis ad explicandum motum, et apparentias astrorum cum variis effectibus, quos producunt, repræsentando in ipso orbem universum. Vocatur sphæra artificialis ex quo sit artis inventio, ad distinctionem sphæræ naturalis. (119. Ejus inventor, et auctor non certo scitur; alii enim hoc mirabile adinventum Atlanti tribuunt, unde Diodorus lib. IV, de eo scribens dixit : « Illum astrologiæ fuisse peritissimum, deque sphæra primum inter homines disputasse, qua ex re visus est cœlum suis humeris sustinere, locum præbente fabulis sphæræ inventione ». Alii Anaximandro potius Milesio id acceptum referunt, utpote qui, referente Laertio lib. II, « primus terræ, marisque circuitus descripsit, et sphæram insuper construxit. » Plerique tamen sphæræ inventorem volunt Archimedem; de ipso enim loquens Cicero lib. V Qq. *Tusculanarum* ait : « Cum Archimedes lunæ, solis, quinque errantium motus in sphæram illigavit, effecit idem, quod ille, qui in *Timæo* mundum ædificavit, Platonis Deus, ut tarditate et celeritate dissimillimos motus una regeret conversio; quod si in hoc mundo fieri sine Deo non potest, nec sphæra quidem eosdem motus Archimedes sine divino ingenio potuisset imitari. » Hinc de hac Archimedis sphæra sic olim cecinit Claudianus :

Juppiter, in parvo cum cerneret æthera vitro,
Risit, et ad superos talia dicta dedit;
Huccine mortalis progressa potentia curæ?
Jam meus in fragili luditur orbe labor.
Jura poli, rerumque fidem, legesque Deorum,
Ecce Syracusius transtulit arte senex.
Inclusus variis famulatur spiritus astris,
Et vivum certis motibus urget opus.
Percurrit proprium mentitus signifer annum,
Et simulata novo Cinthia mente redit.
Jamque suum volvens audax industria mundum,
Gaudet, et humana sydera mente regit.

(120. Hæc sphæra vocatur *armillaris*, eo quod ex pluribus solidis circulis inter se connexis, seu intextis veluti *armillis* constet, quibus circuli, quos in mundi sphæra imaginamur, respondere intelliguntur.

(121. Decem quippe in armillari sphæra circuli vulgo repræsentantur, sex majores, et quatuor minores; Sex majores sunt *horizon*, *meridianus*, *æquator*, *zodiacus*, *colurus æquinoctiorum*, et *colurus solstitiorum*; et omnes isti transeunt per sphæræ, seu mundi centrum : omnes sphæram, seu mundum in duas partes æquales dividunt, omnes habent idem centrum simul, et cum mundo, omnes inter se sunt æquales, et omnes se mutuo bifariam dividunt; quatuor vero minores sunt *tropicus* cancri, *tropicus* capricorni, *circulus* polaris *arcticus*, et *circulus* polaris *antarcticus*; et omnes isti diversimode a majoribus cadunt extra sphæræ, seu mundi centrum, sphæram, seu mundum dividunt in duas partes inæquales, habent centrum diversum inter se, et diversum a centro mundi, et non omnes æquales sunt inter se, sed eo minores fiunt, quo magis a sphæræ centro recedunt.

(122. Ex dictis sex majoribus circulis, tres sunt, nempe *horizon*, *meridianus* et *æquator*, quorum poli, seu puncta, ex quibus describuntur, sunt magni momenti in sphæra, et vocantur *puncta cardinalia*.

(123. Primi igitur ipsorum cardines, seu puncta cardinalia sunt duo poli mundi, circa quos omnino immotos, ac fixos sol, luna, ac cætera astra diurna revolutione moventur, et terminant extremitatem axis ipsius mundi, unus versus Septentrionem, et alter versus Meridiem. (124. Nomen *polus* venit a verbo græco πολέω, quod latine significat *volvere*, seu *in gyrum agere*, quia circa istos omnino immotos astra continue volvi concipiuntur.

(125. Horum polorum alter vocatur *arcticus*, *septentrionalis* et *borealis*, et alter ex diametro oppositus, appellatur *antarcticus*, *meridionalis* et *australis*. Polus arcticus ille est, qui nobis Europæis versus Septentrionem habitantibus perpetuo apparet, juxta illud Virgilii lib. I *Georg.*, v. 242.

Hic vertex nobis semper sublimis...

(126. Et dicitur *arcticus* a quadam constellatione stellarum, quam græci appellant Ἄρκτος, et Latini *Ursam*. Dicitur pariter *Septentrionalis* a septem lucidioribus stellis componentibus dictam constellationem *Ursæ majoris*, et eo quod sit versus Septentrionem; item dicitur *borealis* a vento Borea inde flante. Polus autem antarcticus ille est, qui ex adverso positus nos Europæos perpetuo latet, juxta illud Virgilii, *loc. cit.*, v. 242.

Sub pedibus Styx atra videt, manesque profundi:

et dicitur *Antarcticus*, eo quod arctico ex diametro oppositus sit; et dicitur etiam *Meridionalis*, eo quod sit versus meridiem, ac etiam *Australis*, quia ab ea mundi parte ventus ille spirat, quem *Australem* appellamus.

(127. In medium horum polorum pendet terræ globus, ita ut, si deberet pertrahi funis a polo arctico usque ad antarcticum, necesse deberet hæc transire per medium terræ, quæ posset videri quædam margarita filo trajecta : et, si id fieri posset, deberet terra habere duo foramina, unum versus septentrionem, et alterum versus meridiem : unde, quia id fieri nequit, mathematici accurate

Digitized by Google

signarunt duo puncta, ubi debuissent fieri duo dicta foramina, et hæc vocarunt *Polos* ad instar duorum polorum firmamenti. Habemus igitur etiam duos polos super terram, nempe dictum polum arcticum versus Septentrionem, ubi conspicitur perforatus globus supra; et dictum polum antarcticum versus Meridiem ex diametro oppositum polo arctico, et habemus etiam diametrum, qui in imaginatione pertrahitur ab uno polo ad alium, et vocatur *axis*: quamvis rigorose loquendo in hoc differant diameter, et axis, quod omnes axes sunt diametri, quia omnes transeunt per medium orbis: sed non omnes diametri sunt axes, quia solum illi sunt axes, circa quos fit aliquis motus.

(128. Axis ergo mundi est recta linea ab uno ad alterum polum deducta, circa quam omnino immobilem astra omnia ab ortu in occasum rapiuntur: sicque omnes planetarum orbes habent suum axem, circa quem fingitur undique volvi quotidie cœlos ad instar rotæ currus circa suum ligni axem; cum autem totam mundi machinam sustinere videatur, sic de eo Cæsarem alloquens cecinit Lucanus, lib. 1, v. 56:

> Ætheris immensi partem si presseris unam,
> Sentiet axis onus librati pondere cœli.

(129. Ultra assignatos supra n. 123 prædictorum majorum circulorum principaliores cardines, seu puncta cardinalia, sunt etiam *zenith* et *nadir; zenith* Arabice, Latine *vertex cœli* dicitur, et *nadir* Arabice, Latine *imum cœli* vocatur. Hæc duo cardinalia puncta sola mente concipiuntur, nam zenith imaginatur esse illud cœli punctum, quod ad perpendiculum verticis terrestris habitatoris imminet, id est illud cœli punctum, quod v. g. meo capiti imminet in quacunque parte mundi existam, et hoc mutatur, quoties ego mutem meam situationem, et meum horizontem; *nadir* vero imaginatur esse illud punctum, quod ex diametro, seu perpendiculariter oppositum *zenith* meis pedibus subjicitur; suntque ambo horizontis poli.

(130. Item prædictorum majorum circulorum principaliores cardines, seu puncta cardinalia, sunt puncta veri ortus, et veri occasus solis, seu puncta, in quibus sol oritur, et occidit, tempore æquinoctii, id est cum dies noctibus ubique terrarum æquales efficit; et hæc puncta cardinalia ortus, et occasus, sunt illa, in quibus horizon ab æquatore secatur, habenturque quasi poli meridiani; at his breviter traditis, de circulis ex ordine est etiam breviter discurrendum.

(131. Primus igitur juxta supra n. 121 traditum ordinem, est *horizon*, qui est circulus major sphæram, seu mundum in duo hæmisphæria, seu duas partes æquales, superiorem et inferiorem dividens; et est duplex, sensibilis nempe, et rationalis. (132. Horizon sensibilis, seu physicus, est ille circulus, quem unusquisque in vasta aliqua planitie, vel medio mari constitutus visu undique circumacto definit, eoque, veluti commissura quadam, cœlum una cum terra conjungi videtur; qui horizon ratione tumoris terræ non solet extendi ultra decem, vel duodecim milliaria undique plus, aut minus, prout persona reperitur in eminentiori, aut imiori situ; unde hic circulus horizon dicitur, a verbo græco ὁρίζομαι, quod latine idem est ac *finio*, sive *termino*, quia, eo mediante, pars cœli conspicua finitur, seu terminatur, et ab inconspicua dirimitur. Hinc a multis horizon appellatur *terminator*, *finitor* et *finiens*; diciturque *sensibilis*, quia protrahi nequit ultra quod pervenire potest visio unius hominis. Horizon rationalis, sive intelligibilis, aut astronomicus est ille, qui per terræ centrum transiens, cœlum in duas æquales partes dividit, terminatque dies, ac noctes artificiales; et hic variatur ad variationem situs cujusque personæ tam versus Orientem, aut Occidentem, quam Septentrionem, aut Meridiem, siquidem ex duobus punctis *zenith* et *nadir* describi intelligitur; quocirca cum ab uno loco in alium tendimus, horizontem mutamus, quia *zenith* et *nadir*, qui ei deserviunt ut poli, mutantur; diciturque *rationalis* sive *intelligibilis*, quia sola mente, non sensu attingitur, et *astronomicus*, quia ab astronomis consideratur.

(133. Meridianus est circulus major, qui per mundi polos arcticum et antarcticum, et per *zenith* et *nadir*, sive polos horizontis transit, quique sphæram in duas partes æquales, orientalem nempe, et occidentalem dividit, et dicitur *Meridianus*, seu, ut ait Ptolemæus, *circulus meridiei*, græce μεσημβρινός, quia cum sol ad ipsum pervenit, id est ad medietatem sui cursus inter Orientem et Occidentem, efficit medium diem omnibus illis, qui sunt sub una medietate hujus circuli, et mediam noctem illis, qui sunt in parte opposita sub alia medietate, quia ex æquo ab Oriente, et Occidente distat, unde puncta veri ortus, et occasus quasi duo ipsius poli merito considerantur.

(134. Æquator, Græce ἰσημερικός, Latine, *æquidialis*, seu *æquinoctialis*, est circulus major sphæram in duas partes æquales dividens, nempe in meridionalem, seu australem, et in septentrionalem, seu borealem. Dicitur *æquidialis*, seu *æquinoctialis* vel *æquator*, quia, cum sol illum perlustrat, diem nocti æqualem ubique terrarum perpetuo efficit; idque bis in anno contingit, nempe circa diem 21 Martii, et circa diem 23 Sept. tunc quippe sol inter duos mundi polos medium locum occupat, siquidem ejus poli idem sunt cum polis mundi arctico et antarctico, et idem est utriusque axis; insuper regiones, quæ sunt sub hoc circulo, habent perpetuo æquinoctia, id est diem, et noctem semper æqualem.

(135. Zodiacus est circulus major zonæ ad instar obliquæ sphæram cingens, quique bifariam oblique secat æquatorem, et vicissim ab eo scinditur in duas partes æquales, quarum altera ad Septentrionem, et altera ad austrum declinat. Vocatur *zodiacus* a græco vocabulo ζώδιον, quod latine significat

Digitized by Google

animal, quia in ipso duodecim signa notantur, quibus ob quamdam similitudinem, vel proprietatem in suis influxibus quorumdam animalium nomina imposuere vetustiores astronomi; diciturque a Cicerone, et latinis *Signifer*, ob supradicta duodecim cœlestia signa in ipso notata, quæ successive percurrit sol annuo suo cursu, quæque ab Ausonio his versibus sunt comprehensa :

Sunt Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo,
Libraque, Scorpius, Arcitenens, Caper, Amphora,
[Pisces.

(136. Signa, quæ primo versu continentur, dicuntur septentrionalia, quia apparent versus Septentrionem, et ad ipsum declinant; quæ vero secundo versu, dicuntur meridionalia, quia apparent versus Meridiem, et ad ipsum declinant. Tria sunt ignea, seu cholerica, ut *Aries*, *Leo* et *Arcitenens*, seu *Sagittarius*; tria ærea, seu sanguinea, ut *Gemini*, *Libra*, et *Caper*; tria aquea, seu flegmatica, ut *Cancer*, *Scorpius* et *Pisces*; tria terrea, et melancholica, nempe, *Taurus*, *Virgo* et *Aquarius*, seu *Amphora*.

(137. Quodlibet ex his zodiaci signis continet 30 gradus (gradus autem est pars aliqua determinata cœli, sicut palmus, et ulna), quia sol, ut integrum signum pertranseat motu naturali, triginta dies insumit, et totidem sunt gradus, quasi gressus solis, et quia signa sunt duodecim, gradus erunt 360, in quos non solum zodiacus, sed et alii omnes circuli majores dividuntur. Rursus quilibet gradus continet 60 *minuta*, seu *prima*: quodlibet minutum 60 *secunda*, et quodlibet *secundum* 60 *tertia*, et sic successive usque ad decem, et progrederetur adhuc ulterius, si necesse esset; sed sistitur ibi, cum id sufficiat, ut ab astronomis designentur motus cœlestes, et eorum velocitas seu tarditas.

(138. Sol igitur percurrit hos 360 gradus quolibet integro anno 365 dierum, horarum 6, minut. 38, secun. 55, ut proinde sol minut. 59, secund. 8, vel circiter unius gradus sub zodiaco quotidie motu medio perficiat; dicitur autem notanter *motu medio*, quia quando est sol in *apogeo*, id est in majori distantia a terra, peragit aliquid minus, eo quod tunc sua peripheria, seu circumferentia, sit multo major : at quando est in *perigeo*, id est in minori distantia a terra, peragit aliquid magis, eo quod tunc suus circuitus, seu orbis sit multo minor. Unde advertendum est, quod, quamvis dicta signa septentrionalia et meridionalia dividant zodiacum per medietatem, nihilominus sol octo circiter diebus diutius in signis septentrionalibus, quam in meridionalibus commoratur, ut apparet ex numero dierum, qui sunt inter unum, et alterum æquinoctium, quod evenit ratione supradicti apogei, et perigei, cum sol plus temporis insumat, ut a principio *Arietis* per apogeum perveniat ad principium *Libræ*, quam ut a princio *Libræ* per *perigeum* redeat ad principium *Arietis*. ratione majoris portionis suæ orbitæ in motu, seu accessu ab *Ariete* ad *Libram*, quam in recessu, seu regressu a *Libra* ad *Arietem*.

(139. Dicta signa peculiaribus figuris, seu characteribus exprimuntur. *Aries* quidem arietis capite : *Taurus* capite bubulo; *Gemini* duobus gemellis, quorum brachia, et crura conserta sunt : *Cancer* depravato gammaro; *Leo* cauda leonis; *Virgo* rugis vestis muliebris; *Libra* scapo cum examine libræ: *Scorpio* cauda scorpionis; *Sagittarius*, seu *Arcitenens* sagitta; *Capricornus* pede capri, fune, ut aiunt, revincto; *Aquarius*, seu *Amphora*, duobus rivulis; *Pisces* duobus piscibus adverso dorso colligatis.

(140. Hæc duodecim signa dividunt zodiacum in duodecim partes correspondentes duodecim mensibus anni. Ut autem sciatur quonam, die mensis ingrediatur quodlibet signum, observandi sunt sequentes versus :

Livor, Mente, Latens, Insultat, Honoribus, Horret.
Grandia, Gesta, Ferens, Insigni, Laude, Notatis.

Sunt enim in ipsis duodecim verba repræsentantia duodecim menses, quorum primus erit Martius, cui attribuetur littera initialis verbi *Livor*, id est littera *L*. Inde numerandæ erunt per ordinem litteræ alphabeti, et quia reperietur litteram *L* esse decimam, demi debebunt decem a mense Martio, et remanebunt 21 hinc dicitur, quod 21 Martii sol ingreditur Arietem, et consimiliter fiet computus in omnibus aliis mensibus.

(141. In zodiaci medio linea quædam est ducta, quæ *ecliptica* vocatur, seu *orbita solis*. Ecliptica est peripheria circuli in sphæra maximi Æquatorem oblique secantis, sub qua sol periodico suo motu indesinenter incedit, eique sui corporis centro perpetuo respondet. Dicitur *ecliptica*, quia in ea fiunt solis, et lunæ eclipses; et *orbita solis*, seu solis circulus, quia ipsa repræsentat annuum Solis cursum; ab uno tropico ad alium, et regressum ad idem punctum, cum sol semper reperiatur in ipsa, ad differentiam aliorum planetar. qui non semper in ipsa existunt, sed omnes magis, minusve, modo in boream, modo ad austrum ab illa declinant.

(142. Eclipsis autem solis fit, cum sol reperitur in conjunctione cum luna, quia tunc luna inter nos, et solem directe posita, impedit, ne solis lumen ad nos descendat, eamque terræ partem, quam incolimus, suo fulgore illuminet; sol enim non patitur, nisi in noviluniis, cum scilicet luna illi conjungitur, mediumque tenet locum inter terram, et ipsum solem; sicque solis eclipsis solum tandiu durat, quoad luna ortum versus a sole digrediatur, ipsumque, utpote tardiorem, ad tergum relinquat. (143. Eclipsis solis nunquam est universalis, seu totalis, quia cum luna minori polleat diametro, quam sol, globusque terraqueus totum solarem discum, seu peripheriam, aut circumferentiam operire non potest, quin adhuc, non obstante cum

Digitized by Google

umbroso ipsius lunæ, ad aliquam telluris partem suum lumen diffundat.

(144. Eclipsis lunæ fit, cum est in oppositione cum sole, quia tunc, cum terra reperiatur directe interposita inter lunam, et solem, opacum illud telluris corpus, inter utrumque luminare interjectum impedit, quominus luna a sole consuetum lumen recipiat; luna enim eclipsim non patitur, nisi in plenilunio, cum scilicet soli ex diametro opposita est, ita ut umbra terrestris solis illuminationem ipsi præpediat; sicque lunæ eclipsis tamdiu durat, donec luna a directa cum sole oppositione sese expediat, adeoque ex umbra terrestri erumpat. (145. Eclipsis lunæ potest esse universalis, seu totalis: quia luna a globi terraquei magnitudine superatur, sicque diametrum sectionis coni umbrosi diametrum lunæ plurimum excedit, unde non solum potest ipsam integre et totaliter operire, sed etiam aliquo tempore, per duas v. gr. horas, et etiam amplius, intra se delitescentem retinere.

(146. Coluri sunt duo circuli inter majores postremi, qui per mundi polos transeuntes ad rectos angulos sese mutuo in illis bifariam dividunt, atque sphæram in quatuor partes æquales dividunt ad denotandas quatuor anni tempestates. Dicti sunt coluri a Græco vocabulo κόλουρος, quod Latine idem importat ac *mutili* et *imperfecti*, non quod coluri revera mutili sint, aut imperfecti, sed quia supra horizontem obliquum nunquam nobis toti appareant, ut æquator, et zodiacus, sed quædam illorum pars infra horizontem existens nobis perpetuo occultetur.

(147. Ex his autem unus vocatur *colurus solstitiorum*, quia per polos mundi, et puncta solstitialia transit, id est in primo gradu *Cancri*, ubi fit solstitium æstatis, quod accidit circa diem 22 Julii; et in primo gradu *Capricorni*, ubi fit solstitium hiemis, quod accidit circa diem 22 Decembris; unde colurus solstitiorum signat puncta illa, ad quæ perventus sol regreditur versus æquatorem; alter autem nuncupatur *colurus æquinoctiorum*, quia transit per dictos mundi polos, et puncta æquinoctialia, id est in primo gradu *Arietis*, ubi fit æquinoctium veris, quod accidit circa diem 21 Martii, et in primo gradu *Libræ*, ubi fit æquinoctium autumni, quod accidit circa diem 23 Septembris; secundum vulgares hos versus:

Hæc duo solstitium faciunt, Cancer et Capricornus,
Sed noctes æquant Aries et Libra diebus.

(148. A dictis igitur coluris secatur zodiacus in quatuor cardinales partes, quæ denotant quatuor anni tempestates, nempe *ver*, quod incipit ab initio *Arietis; æstatem*, quæ incipit ab initio *Cancri; autumnum*, qui incipit ab initio *Libræ;* et *hiemem*, qui incipit ab initio *Capricorni;* quælibet anni tempestas comprehendit tria signa; *ver* nimirum comprehendit Arietem, Taurum, et Geminos; *æstas* Cancrum, Leonem, Virginem; *autumnus* Libram, Scorpionem et Sagittarium; *hiems* Capricornum, Aquarium et Pisces.

(149. Minores circuli, qui sphæram in duas partes inæquales dividunt sunt ambo *tropici*, nempe tropicus Cancri et tropicus Capricorni; et ambo *polares*, nempe arcticus, et antarcticus. (150. Tropici dicti sunt a verbo græco τρέπειν, quod latine *conversionem*, seu *reversionem* significat, quia sol cum ad hujusmodi circulos pervenit, non amplius ad polos accedit, sed ad æquatorem iterum revertitur. Tropicus versus Septentrionem vocatur *tropicus Cancri*, quia ibi incipit signum Cancri, estque hic circulus æquatori parallelus transiens per punctum seu primum gradum Cancri: tropicus autem versus meridiem vocatur *tropicus Capricorni*, quia ibi incipit signum Capricorni, est que iste circulus æquatori parallelus per punctum, seu primum gradum Capricorni ductus; tanta est utriusque distantia ab æquatore, quanta est maxima solis ab illa declinatio, nempe grad. 23 cum semisse, seu cum 30 minutis.

(151. Circuli polares sunt duo circuli in sphæra minores, immo omnium minimi, a polis eclipticæ diurna cœli revolutione circa polos mundi descripti; dicuntur *polares*, quia sunt circa mundi polos, seu quia describuntur a zodiaci polis. Unus vocatur circulus polaris arcticus, quia est versus polum arcticum, et alter appellatur circulus polaris antarcticus, quia est versus polum antarcticum; et tanta est utriusque distantia a suo polo respective, quanta est polorum eclipsis a polis mundi declinatio, nempe grad. 23 cum semisse, seu cum 30 minutis; ac ipsi simul cum tropicis, et æquatore vulgo circuli paralleli appellantur, eo quod æqualiter a se mutuo in singulis suis punctis recedant.

(152. Advertendum hic est, quod habitantes sub istis polaribus circulis in æstate, dum sunt 23 horæ, vident solem se inclinantem usque ad horizontem, et statim iterum se elevantem; in hieme e contra vix eis apparet, quod statim ab eis evanescit, absque eo quod integre supra ascendat. Secundum quod postea unus locus recedit, seu distat ab istis circulis versus polos, majorem habent inæqualitatem, quoniam reperiuntur dies qui conficiunt hebdomadas, alii qui constituunt menses, et alii qui sex integros menses componunt, ita ut unus solus dies, et una sola nox integrum annum perficiant.

(153. Dicti quatuor circuli minores, id est duo tropici et duo polares dividunt mundum in quinque partes, seu zonas, quæ tanquam falciæ illum undique cingunt. Zona igitur est spatium in superficie globi terraquei acceptum, ac peripheriis circulorum sphæræ comprehensum; quo, veluti quadam fascia, globus ipse perfecte cingitur: ipsæ quinque zonæ denominantur a diversa constitutione regionum, una *torrida*, duæ *temperatæ*, et duæ *frigidæ*.

(154. Zona torrida est illud terræ, seu

Digitized by Google

mundi spatium in medio duorum tropicorum Cancri et Capricorni interclusum; et dicitur *torrida*, id est adusta propter nimium calorem solis ibi decurrentis, cum sit exposita directis radiis ipsius solis ad perpendiculum illi imminentis. Hæc comprehendit 47 gradus latitudinis; unde sub ipsa habentur hæc loca, nempe Cambaja, India, Insulæ Oceani Indici, Java, Ceilanum, Peruvia, Mexicana Hispania, magna pars Oceani Atlantici, Insula S. Helenæ, Brasilia, Nova Guinæa, et aliæ plures provinciæ.

(155. Zonæ temperatæ inter unum tropicum, et circulum polarem sibi proximum jacent; dicuntur *temperatæ* a temperie caloris, et frigoris ibi vigente, quia cum sol non perveniat illuc concentibus radiis directis, adest ibi temperatus aer. Duæ sunt, quarum una *temperata borealis*, seu *septentrionalis*, et altera *temperata Australis*, seu *Meridionalis* nuncupatur. Temperata borealis est illud terræ, seu mundi spatium comprehensum inter tropicum Cancri, et circulum polarem arcticum; temperata australis est illud terræ, seu mundi spatium contentum inter tropicum Capricorni et circulum polarem antarcticum; hæ feliciores sunt aliis, magisque habitabiles, præsertim nostra borealis, seu australis, quia alia fere tota in aqua consistit; utraque comprehendit 43 gradus latitudinis: in zona temperata boreali continetur fere tota Europa, maxima pars Asiæ, et Americæ Septentrionalis, ac Oceani Atlantici et Pacifici: in temperata vero Australi jacet pars Africæ, Monomotapa, Promontorium Bonæ Spei, Portio terræ Magellanicæ, Brasiliæ, et Chili, Fretum Magellanicum, et magna portio Oceani Atlantici, et Indici et Pacifici.

(156. Zonæ frigidæ sunt inter polos et circulos arcticum, et antarcticum; dicuntur *frigidæ* ob intensissimum frigus ibi vigens, eo quia ipsæ sint præ aliis remotiores a via solis, cujus radii, utpote sic remoti, non habent sufficientem virtutem temperandi maximum illius aeris rigorem. Etiam ipsæ duæ sunt, una *Septentrionalis*, seu *Borealis*, et alia *Meridionalis*, seu *Australis*. Frigida Septentrionalis est illud terræ, seu mundi spatium inter circulum arcticum, et polum item arcticum comprehensum: meridionalis vero est illud terræ, seu mundi spatium inter circulum antarcticum, et polum item antarcticum contentum: utriusque latitudo tanta est, quanta circulorum polarium a suis polis respective declinatio, nempe graduum 23 cum semisse, seu cum 30 minutis. Sub circulis polaribus, ubi incipiunt zonæ frigidæ, longi dies æstatis sunt 24 horarum; sol vix pervenit supra horizontem, quod iterum se elevat, et in hieme e contra vix ipsis appareret, quod integre egrediatur. Progrediendo postea versus polos, inveniuntur dies longi ut hebdomadæ, inde ut menses, et tandem ut integri sex menses, simul, ita ut adsint, qui non computant, nisi unum diem, et unam noctem in toto anno, maxime si velimus sumere diem pro eo tempore, quo sol est supra horizontem, quia tunc verum erit, quod sub polis sex continuis mensibus adest dies, sexque aliis continuis adest nox. Alias, si velimus vocare diem totum illud tempus, quo aliquo modo illuminamur a sole, debebimus asserere, quod ibi nunquam est nox, quia, licet non videatur sol, videntur tamen albores, quando a redundantibus vaporibus non suffocantur; sicque posset hoc modo dici, quod sit ibi perpetuus dies, quia nunquam se declinando sol sub ipsorum horizonte plus 23 graduum cum semisse, seu cum 30 minutis, quæ est sua major declinatio, creditur posse transmittere suam lucem, producendo in hieme perpetuum crepusculum. Advertendum tamen est, quod tenendo illum diem sic longum usque ad sex menses, umbra meridiana, quæ quibuscunque 24 horis redit ad suum locum, inservit ibi habitantibus pro computando tempore, illud ita distinguendo, ut possint se conformari cum Ecclesia ad sciendum, quando occurrant vigiliæ et festivitates pro eorum observantia, ne ab ipsa credantur exempti. Zona frigida septentrionalis continet dimidiam Irlandiam, partem Norvegiæ, et Lapiæ, Fiumarchiæ, et Samojedæ, Novam Zemblam, Groelandiam, Spitzbergam, ac partem incognitam Americæ Septentrionalis; loca autem comprehensa a zona frigida australi, sunt adhuc plane incognita, ut ex mappis geographicis constat.

(157. Discussis sphæræ circulis, de ejus divisione aliqualis venit tradenda notitia. Ex diversa igitur habitudine æquatoris ad horizontem dividitur sphæra in rectam, obliquam, et parallelam. (158. Sphæra recta ea est, cujus horizon per æquatoris, seu mundi polos arcticum et antarcticum transit, atque ideo æquatorem ipsum, omnesque circulos illis parallelos bifariam, et ad rectos angulos dividit. (159. Sphæra obliqua ea est, in qua horizon oblique, sive ad angulos inæquales æquatorem, omnesque circulos, qui sunt illi paralleli, dividit, iique ex eo, quod per æquatoris, mundique polos non transeat, sed eorum alterum supra se perpetuo conspicuum, alterum infra se perpetuo latentem detineat. (160. Sphæra parallela est illa, in qua horizon rationalis cum æquatore congruit, ita ut utriusque circuli iidem poli sint, ac proinde *zenith*, et *nadir* loci a mundi polis arctico et antarctico minime distinguantur, et circuli paralleli æquatori, paralleli quoque sint horizonti.

(161. Ex his clare habetur, quod duo sola sunt in terra puncta, quæ possunt habere sphæram parallelam, id est sub duobus polis, arctico et antarctico; et una sola est linea, quæ habet sphæram rectam, id est sub æquatore. Totum autem residuum est in sphæra obliqua.

(162. Habitantes in sphæra recta habent perpetuo æquinoctia, id est dies, et noctes semper æquales. Habent in anno octo tempestates, nempe bis æstatem, et bis hiemem: bis ver, et bis autumnum; Quamvis tamen istæ octo non sint ita differentes, uti nostræ quatuor, quia sol non ita longe re-

Digitized by Google

cedit ab ipsis, sicuti recedit a nobis.

(163. Habitantes in sphæra obliqua habent æquinoctia bis solum in anno, et dies, ac noctes semper inæquales : vident aliqua sidera perpetuo supra horizontem, uti sunt quoad nos illa versus polum arcticum, suntque alia aliis perpetuo latentia sub horizonte, uti sunt illa versus polum antarcticum, in majori, vel minori numero, prout sphæra est magis, vel minus obliqua.

(164. Habitantes in sphæra parallela non habent nec æquinoctia, nec solstitia, quia unicum habent diem, et unicam noctem in toto anno, juxta dicta supra n. 152 et 156. Vident perpetuo sidera aliqua supra horizontem ; et plurima alia infra horizontem perpetuo illis delitescunt.

(165. Tradita quadam notitia de iis, quæ spectant ad mundum in communi, nunc breviter venit tradenda etiam aliqualis cognitio de iis, quæ spectant ad mundum cœlestem, nempe de cœlis et astris, cum sint principaliores, et nobiliores partes mundi, cœlum igitur in veriori etymologia originem ducit ab hoc verbo Græco κοιλόω, quod idem significat, ac latine verbum hoc *sculpo*, eo quod cœlum ob siderum varietatem, quibus ornatur, cælatum, sive sculptum appareat, unde *Ecclesiastici* XLIII, 10, dicitur : *Species cœli gloria stellarum* : quamvis aliqui nomen cœli deducant a *celando*, eo quod cœlum cooperiat, et abscondat ab oculis nostris, quæ continet.

(166. In sacra Scriptura nomen cœli varie usurpatur. Interdum usurpatur ad significandam aeris regionem, sic *Psal.* VIII, 9, ibi : *Volucres cœli*, et *Psal.* XLIX, 11, ibi : *Volatilia cœli*, et *Psalm.* CXLVI, 9, ibi : *Qui operit cœlum nubibus*, et alibi pluries consimiliter. Aliquando pro statu Ecclesiæ militantis, *Matth.* XIII, 24, ibi : *Simile factum est regnum cœlorum homini, qui seminavit bonum semen*, et 31, ibi : *Simile est regnum cœlorum grano sinapis*, et 32, ibi : *Simile est regnum cœlorum fermento*, et 44, ibi : *Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito*, et 45, ibi : *Simile est regnum cœlorum homini negotiatori*, et 47, ibi : *Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mari*, et sæpe alibi pariformiter. Unde sanctus Gregorius Papa, homil. 12 *in Evangel.*, expresse dicit : « Sæpe in sacro eloquio regnum cœlorum præsentis temporis Ecclesia dicitur. » Multoties autem usurpatur pro solo cœlo empyreo, prout est sedes, et merces beatorum, quod per antonomasiam denominatur simpliciter cœlum ; sic *Matthæi* V, 3 et 10, ibi : *Ipsorum est regnum cœlorum*, et 12, ibi : *Merces vestra copiosa est in cœlis*, et VI, 20, ibi : *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo*, et XVIII, 3, ibi : *Non intrabitis in regnum cœlorum*, et 10, ibi : *In cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est*, et alibi passim similiter. Proprie vero, et ad institutum nostrum, sub nomine cœli intelliguntur omnes orbes cœlestes, vel potius quidquid corporum inclusive existit supra regionem lunæ ; sicut enim corpora inferiora, quæ sub luna existunt, dicuntur *mundus elementaris*, et ob hoc dicuntur *sublunaria*, sic omnia corpora, quæ sunt supra cœlum lunæ vocantur cum ipso simpliciter *cœlum*, unde *Gen.* I, 1, dicitur : *In principio creavit Deus cœlum et terram ;* et *ibidem*, 8 : *Vocavitque Deus firmamentum cœlum*, et 10 : *Et vocavit Deus aridam terram.* (167. Unde cœlum sic captum, « est corpus simplex per se incorruptibile elementa involvens sua magnitudine, sideraque intra se, ut locus ipsorum naturalis, complectens. »

(168. Cœlum, sicut et mundus, quoad substantiam durabunt in æternum, licet quoad accidentalia sint immutanda : sic August. lib. XX *De civitate Dei* cap. 14 ; S. Gregorius, lib. XXVII *Moral.*, cap. 1, et alii sancti Patres, et doctores passim, conformiter ad sacram Scripturam, *Psalm.* CXLVIII, 5 et 6, ubi habetur : *Ipse dixit, et facta sunt, ipse mandavit, et creata sunt ; statuit ea in æternum, et in sæculum sæculi, præceptum posuit, et non præteribit.* Et *Ecclesiastes* I, 8, præcise dicitur : *Terra autem in æternum stat ;* et III, 14 : *Didici, quod omnia opera, quæ fecit Deus, perseverant in perpetuum.* Quod autem debeant immutari quoad accidentalia, habetur ex eadem S. Scriptura, *secunda Petri* III, 10, ibi : *Adveniet autem dies Domini ut fur, in quo cœli magno impetu transient, elementa vero calore solventur, terra autem, et quæ in ipsa sunt opera, exurentur ;* et consimilibus.

(169. Nec valet objicere, quod cœlum, terra et mundus nedum quoad accidentalia, sed etiam quoad substantialia totaliter destruentur, ut habetur *Isaiæ* LV, 17, ibi : *Ecce enim ego creo cœlos novos et terram novam ;* et *Apocalyps.* XXI, 1, ibi : *Et vidi cœlum novum, et terram novam. Primum enim cœlum, et prima terra abiit : et mare jam non est ;* et *Matth.* XXV, 35, ac *Marci* XIII, 13, ibi : *Cœlum et terra transibunt.*

(170. Non valet, inquam, quia illud Isaiæ sic est intelligendum, nempe *creo cœlos novos et terram novam*, id est novum mundum, puta metaphoricum, nempe Eccles. Christi, quæ multo amplior, ornatior et augustior est Synagoga, et est quasi novus mundus, ut passim explicant sancti Patres, ac clare deducitur ex numero immediate sequenti ipsius *Isaiæ*, nempe LXV, 18, ubi sic sequitur *quia ecce ego creo Jerusalem*, id est Ecclesiam Christi *exsultationem*, id est exsultantem, et *populum ejus gaudium*, id est gaudentem. Illud vero *Apocalyps. vidi cœlum novum et terram novam*, accipiendum non est quoad substantiam, sed solum quoad accidentia, qualitates, et ornatum : sic *primum cœlum*, seu quod fuit prius quoad motum suum, quoad eclipses, quoad influentias, jam *abiit*, id est cessavit, ut et *prima*, quæ nunc est *terra*, quoad generationem, et corruptionem, et omnem aliam alterationem, et *mare* simili modo *jam non est*, quale fuit vetus illud elementum, turbidum, crassum, mixtum, procellosum, fluctibus hor-

Digitized by Google

ridum, et hujusmodi, sed erit deinceps plane quietum, tranquillum, serenum, purum, subtile, pellucidum, et instar crystalli resplendens, ut communiter intelligunt sacri interpretes. Sic illud *Matthæi* et *Marci*, *cœlum et terra transibunt*, intelligendum est de mutatione, renovatione, et transitu accidentali, aut morali, non de physica, et substantiali totali; id est non debet intelligi, quod cœlum, et terra debeant transire quantum ad entitatem substantialem; bene vero quoad qualitates nobiliores, quas cœlum, astra, et elementa accipient post ultimum diem judicii; sunt enim post diem judicii, tantopere perficienda, ut jure dici possint cœlum novum, et terra nova, juxta illud *Isaiæ* XXX, 26, ibi : *Et erit lux lunæ sicut lux solis et lux solis erit septempliciter sicut lux septem dierum*, id est intensa, quanta est lux septem dierum, seu septempliciter major quam nunc est : idque, ut post diem judicii divina majestas per clariorem totius machinæ cœlestis, et utriusque hemisphæri illuminationem, in æternum magis resplendeat.

(171. Circa cœlorum numerum variæ fuerunt opiniones. Aliqui enim antiqui solo sensu ducti, sine speculatione respicientes solem, lunam et stellas omnes in uno solo cœlo, unicum cœlum admittebant. Alii octo esse volebant, septem pro septem planetis, et octavum pro stellis fixis. Alii nonum cœlum addiderunt pro primo mobili, cui fuit assignatus motus, qui prius supponebatur octavæ sphæræ. Plurimi autem volunt undecim esse cœlos, decem scilicet mobiles, et unum immobile, istud nempe empyreum; illi vero primum mobile, crystallinum, firmamentum, et postea septem planetarum orbes, quos vocant cœlum Saturni, Jovis, Martis, Solis, Veneris, Mercurii, et Lunæ. Communior autem, probabilior, et sacræ Scripturæ conformior sententia docet cœlos esse tantum tres. Primum, seu infimum cœlum est aereum, et complectitur tantum illud spatium, quod lunæ subjectum est : secundum, seu medium cœlum est sidereum, et constat undecim orbibus cœlestibus; tertium, seu supremum est cœlum Empyreum, ubi sedes et paradisus est beatorum : sic S. Damascenus lib. II *De fide*, cap. 6; Theophylactus, Pomerius a Lapide, et alii citati, ac secuti a doctissimo Tirino *in II Epistola S. Pauli ad Corinth.*, cap. XII, 2, et plurimi alii conformius sacræ Scripturæ in citat. *Epistola*, XII, 2, ubi S. Paulus fatetur se raptum fuisse usque ad tertium cœlum ibi : *Scio..... raptum hujusmodi usque ad tertium cœlum*, id est usque ad supremum cœlum, quod est empyreum, seu paradisus, ut ipsemet indicat *ibid.*, 4, dicens : *Quoniam raptus est in paradisum; et audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui.*

(172. Astrum, seu sidus, aut stella, est corpus simplex solidum, ac lucidum, per se circulariter mobile. (173. Astra, seu sidera, quæ sunt nobiliores partes cœlorum, et præcipua mundi ornamenta, alia sunt fixa, et alia errantia, seu erratica; fixa vocantur stellæ et errantia, seu erratica appellantur planetæ. (174. Stellæ vocantur *fixæ*, non quia sint stabiles, sed quia in suo motu eosdem semper conservant aspectus, eamdemque semper distantiam, et ordinem inter se servant; planetæ vero appellantur *errantes* seu *erratici*, quia varie discursitant per signa cœlestia; nec ullam observant constantem dispositionem inter se, aut cum stellis fixis, sed variis cursibus, nunc illis, nunc istis se adjungunt, modo accedentes, et modo recedentes huc, illucque discurrentes.

(175. Planetæ a fixis stellis tripliciter distinguuntur ac discernuntur. Primo, quia planetæ sunt nobis viciniores, unde insigniter grandescunt, cum oculi telescopio muniti ipsos intuentur; stellæ vero fixæ sunt a nobis remotiores, adeoque perexiguæ nobis videntur præ maxima ipsarum a nobis distantia. Secundo, quia stellæ fixæ lucem tremulam ac scintillantem vibrant et effundunt, planetæ vero quietam, et uniformem perpetuo edunt. Tertio, quia stellæ fixæ, ut dictum fuit, eamdem semper inter se distantiam, ordinem, ac situm servant, planetæ vero situm, ordinem, et dispositionem semper variant, et in hoc præcipue distinguuntur

(176. Stellarum fixarum multitudo, quamvis tanta sit, ut jure dicat S. August., lib. XVIII *De civitate Dei* cap. 23 : « Scripturarum auctoritatem contemni ab eo qui existimat se stellarum numerum comprehensisse; » Deus enim dixit Abrahamo, *Genes.* XV, 5 : *Suspice cœlum et numera stellas, si potes;* rursusque XXII, 19 : *Benedicam tibi, et multiplicabo, semen tuum, sicut stellas cœli et velut arenam quæ est in littore maris.* Attamen aliqui ex astrologis et mathematicis cum Hipparcho mille et 22 stellas constituunt, quibus deinde quatuor addit Ptolemæus, alii cum Tychone et Keplero mille 163 numerant; alii cum Ricciolo et Grimaldo mille 468; alii cum Bayero 1625; alii cum Bursthio 1662; alii cum Hevelio 1888, ac tandem alii cum Flamstedio usque ad 3000 earum numerum auxerunt. Hæ autem omnes, ut facilius distinguerentur, atque ab omnibus dignosci possent, in varias constellationes diversis figuris, seu signis expressas, distributæ fuerunt; ut in globis videri potest. Istæ constellationes a Ptolemæo, aliisque veteribus astronomis ad 48 erant determinatæ, a recentioribus autem additione aliarum 18 ad 66 sunt adauctæ.

(177. Dictæ stellæ fixæ distinguuntur ab astrologis et astronomis in sex classes diversæ magnitudinis : quindecim tantum dicunt esse illas primæ classis, seu magnitudinis primæ, centies septies, et adhuc plus excedentes magnitudinem istius terræ; quadraginta quinque volunt esse illas secundæ classis, seu secundæ magnitudinis, terræ magnitudinem nonagies, et adhuc plus superantes; ducentas, et octo illas tertiæ classis, seu tertiæ magnitudinis, septuagies bis, et adhuc plus terræ magnitudinem excedentes; quadringenta septuaginta quatuor illas

Digitized by Google

quartæ classis, seu quartæ magnitudinis, quinquagies quater, et adhuc plus magnitudinem terræ superantes; ducentas septemdecim quintæ classis, seu quintæ magnitudinis, terram in magnitudine tricies sexies, et adhuc plus vincentes; quadraginta novem illas sextæ classis, seu sextæ magnitudinis, decies octies, et adhuc plus terræ magnitudinem excedentes. (178. His sex stellarum fixarum classibus, post inventionem telescopiorum Galilæi, adinventa est septima quarumdam aliarum stellarum exiguarum, et nebulosarum, quæ inter alias sunt illæ *Viæ lacteæ*, seu circuli lactei, aut galaxiæ sic densæ, ac spissæ, quod nudis oculis cœlum in illa parte velut alba fascia devinctum ostendant. Hæc *via lactea* nomen desumpsit a fabula, quod Juno eam suo lacte madefecisset, cum retraxit mamillam ab ore Herculis, quem ei supposuerat Jupiter. Hanc lacteam viam Aristoteles inter meteora habuit, et vulgus illam denominat iter, seu viam S. Jacobi Galitiæ.

(179. Planetæ, seu sidera errantia, aut erratica, sunt tantum septem, nempe Luna, Mercurius, Venus, Sol, Mars, Jupiter et Saturnus; his planetis majoribus minores quidam alii adjunguntur ad instar satellitum, sed qui telescopio duntaxat conspici possunt; quatuor autem gyrant circa Jovem, qui ipsum perpetuo comitantes, ob id vocantur ab astronomis Jovis asseclæ, comites, laterones, et aulici; quia continuo gradiuntur cum illo, non quidem omnes æquali circuitu, sed alii viciniore, et alii paulo remotiore. Totidem etiam gyrant circa Saturnum; et forte suos asseclas, seu comites habent alii planetæ adhuc nobis ignotos. Jovis satellites, seu quatuor exiguas stellulas Jovem comitantes detexit primus omnium Galilæus anno 1610 easque in honorem serenissimæ Mediceæ familiæ, cui devinctissimus erat, *Medicea sidera* nuncupavit; primumque *Catharinam*, secundum *Mariam*, tertium *Cosmum majorem*, et quartum *Cosmum minorem*, appellavit.

(180. Ex dictis septem planetis aliqui sunt terra majores, et alii minores. Luna est terra minor triginta novem vicibus; Mercurius Planetarum minimus est minor terra ducentis novemdecim vicibus; Venus est terra minor septuaginta tribus vicibus; Sol autem omnium planetarum major, sicut et stellarum fixarum, est major terra centum sexaginta sex vicibus. Mars est terra major una vice cum dimidia : Jupiter est major terra nonaginta quinque vicibus : Saturnus denique est terra major nonaginta et una vice; terræ vero ambitus secundum certiorem, et receptiorem opinionem est 21 millia, et 600 milliariorum Italicorum, juxta dicta supra n. 112, ubi allatæ sunt aliæ aliorum opiniones de magnitudine ambitus, seu circuitus terræ; sicuti et aliæ sunt ab allatis opiniones de magnitudine planetarum et stellarum fixarum. Unde advertendum est quod dictæ astronomorum supputationes debent haberi, non ut mensuræ, sed ut æstimationes conjectantis animi, ut inquit Plinius lib. III. Et quod in his mensuris aliquando excedit, et aliquando deficit aliquid. (181. Variarum autem mensurarum, et supputationum ratio sequentibus versibus breviter indicatur :

Quatuor ex granis digitus componitur unus,
Est quater in palmo digitus, quater in pede palmus.
Quinque pedes passum faciunt, passus quoque centum.
Viginti quinque stadium dant : sed milliare
Octo dabunt stadia; duplicatum dat tibi Leuca.

(182. Quantum ad motum stellarum fixarum et planetarum, notandum est quod omnia sidera motu communi moventur supra polos primi mobilis spatio 24 horarum; at vero, præter istum motum communem, habent suum specialem motum, quo diverso, breviori, longiori temporis spatio, suam complent circulationem; luna enim suam circulationem perficit singulis mensibus, seu intra 27 dies, et dimidium circiter; Sol, Venus et Mercurius in uno anno; Mars in duobus annis : Jupiter in duodecim annis; Saturnus in triginta annis, et stellæ fixæ in triginta sex millo annis, secundum Ptolemæum, aut in quadraginta novem mille annis, secundum recentiores, et hanc circulationem Plato vocabat *magnum annum*.

(183. Ut dignoscantur planetæ a planetis, notandum est, quod post solem et lunam, qui ab omnibus sine telescopio cognoscuntur, Venus quoad apparentiam est major, sic candida, et clara, ut videatur parvus sol, quoniam cum sit illi vicinior, fortiores, ac majores recipit reflexus, unde ad ejus lucem corpora sæpe etiam noctu umbram efficiunt, et etiam diu aliquando videtur, signanter quando magis distat a sole; cum apparet mane, *Phosphorus*, aut *Lucifer*, cum autem vespere, dicitur *Hesperus*. Jupiter est fere ejusdem magnitudinis quoad apparentiam ac Venus, sed non sic resplendens; et de facili distinguitur a Venere, quia hæc nunquam recedit a sole plusquam 48 gradibus, Jupiter vero ad 180. Mars apparet, ut ignitum ferrum, differens a Jove et Venere, ratione suæ exiguitatis, rubicunditatis, et obscuritatis. Saturnus differt a Marte, quia multo plus altius apparet, estque coloris plumbei, pallidi, hypocondriaci. Mercurius est observatu difficilior ratione suæ instabilitatis, et quia gyrat semper circa solem, aquo sæpius operitur. Cum est in sua majori distantia, quæ est 28 graduum, apparet valde luminosus, sed multo exiguus.

(184. Advertendum tamen hic est, quod ea, quæ diximus de numero, magnitudine, et motu stellarum ac planetarum, deque diversitate cœlorum et ambitu terræ, solum conjecturaliter sunt habenda, et non certitudinaliter credenda. Solus enim Deus, *qui creavit cœlum et terram; Gen.* I, 1. *Qui præcipit soli, et non oritur, et stellas claudit, quasi sub signaculo; qui extendit cœlos solus, Job* IX, 7 et 8. Qui *numerat multitudinem stellarum, et omnibus eis nomina vocat; Ps.* CLVII, 4 : *Et omnia in numero, pondere, et mensura*

Digitized by Google

disposuit; Sap. XI, 21. Horum omnium nobis *absconditorum est cognitor; Daniel.* XIII, 42. Unde ipsemet arguit Job audentem ista attingere : *Respondens autem Dominus Job de turbine dixit : Quis est iste involvens sententias sermonibus imperitis? Job* XXXVIII, 1 *et* 2. *Nunquid nosti ordinem cœli, et pones rationem ejus in terra? Ibid.*, 33. *Quis enarrabit, cœlorum rationem? Ibid.*, 33.

(185. Hinc, ne et nos cum astrologis et astronomis tot cœlos mendaciis repleamus, verum cœlum empyreum, unicam beatorum sedem ac paradisum studeamus in veritate bonorum operum animabus nostris replere : illuc igitur duntaxat oculos mentis nostræ dirigamus, juxta id, quod piissima Machabæorum mater ultimo suo nato sanctissime suadebat : *Peto, nate, ut aspicias ad cœlum,(II Machab.* VII, 28). Non enim alia de causa Deus erectam faciem nobis concessit, quam ut oculos in cœlum perpetuo defixos habeamus : ut cognovit ipsemet gentilis Ovid. l. II *Metamorph.*, ibi :

Os homini sublime dedit, cœlumque tueri
Jussit, et erectos ad sidera tollere vultus.

(186. Satagamus unice veras, perpetuasque cœli felicitates inquirere, et falsas, ac fugaces, miserasque mundi vanitates contemnere, juxta celebre canticum mei vulgo beati Jacoponi Tudertini in *Annalibus* nostris *Wadinganis*, t. VI, an. 1307, n. 12, fol. 79 et 80, ultimæ Romanæ impressionis typis Rochi Bernabo, ibi :

Cur mundus militat sub vana gloria,
Cujus prosperitas est transitoria?
Tam cito labitur ejus præsentia,
Quam vasa figuli, quæ sunt fragilia.
Plus crede litteris scriptis in glacie
Quam mundi fragilis vanæ fallaciæ
Fallax in præmiis virtutis specie,
Qui nunquam habuit tempus fiduciæ.
Credendum magis viris fallacibus,
Quam mundi miseris prosperitatibus,
Falsis insaniis, et vanitatibus,
Falsisque studiis, et voluptatibus.
Dic, ubi Salomon olim tam nobilis?
Vel ubi Samson dux invincibilis?
Vel pulcher Absalon multum mirabilis?
Vel dulcis Jonathas multum amabilis?
Quo Cæsar abiit celsus imperio?
Vel dives epulo totus in prandio?
Dic ubi Tullius clarus eloquio?
Vel Aristoteles plenus ingenio?
Tot clari proceres, tot rerum copia,
Tot mundi principes, tanta potentia,
Tot ora præsulum, tot mundi fortia
In ictu oculi clauduntur omnia.
Quam breve festum hæc mundi gloria,
Ut umbra hominis sunt ejus gaudia,
Quæ semper subtrahunt æterna præmia,
Et ducunt hominem ad dura devia.
O esca vermium, oh massa pulveris,
O nox, oh vanitas, cur sic extolleris?
Ignoras penitus, utrum cras vixeris :
Fac bonum omnibus, quamdiu poteris.
Hæc carnis gloria, quæ magni penditur,
Sacris in litteris flos fine dicitur,
Vel leve folium, quod vento rapitur;
Sic vita hominis hac vita tollitur.
Nil tuum dixeris, quod potes perdere,
Quod mundus tribuit, intendas rapere,
Superna cogita, cor sit in æthere;
Felix, qui potuit mundum contemnere.

(187. Hinc juvat etiam afferre, quæ refert ad contemptum mundi meus alter vulgo beatus Bernardinus de Bustis in secunda parte *Rosarii*, serm. 27, in fine. Legitur de Alexandro Magno, quod cum mortuus esset, venerunt septem philosophi ad palatium ejus, et unus illorum dixit : « O Alexander, heri dominabaris toti mundo, et hodie mors dominatur tui. » Secundus dixit : « O Alexander, heri non sufficiebat tibi totus mundus; hodie sufficiunt tibi duæ ulnæ. » Tertius dixit : « O Alexander, heri habebas comitivam dominorum, regum, principum, et ducum, ac famulorum; et hodie solus jaces in sepulcro. » Quartus dixit : « O Alexander, heri te omnes timebant; hodie te nullus mortuum timet. » Quintus dixit : « O Alexander, heri vocem tuam omnes libenter audiebant; hodie morte devictus jaces in sepulcro, et non vales loqui. » Sextus dixit : « O Alexander, heri tot regna habebas in tuam potestatem, hodie tenet te mors in suo dominio; herique eras pulcher et decorus, hodie vero es turpis, et horribilis ad videndum. » Septimus dixit : « O Alexander, heri comedebas tot cibaria delicata, hodie factus es cibus, et esca vermium. » Legitur quoque, quod Diogenes philosophus ad sepulcrum cujusdam imperatoris Romani profectus, videns illum mortuum, postea discipulis suis dixit : « Intuitus sum cadaver Cæsaris, et vidi eum livido colore coloratum, putredine circumdatum, alvum ejus diruptum, et vermium catervas per illum discurrentes, duo famelici pascebantur in foveis oculorum, crines non adhærebant capiti; dentes patebant labiis consumptis, et dixi : « Ubi est, o Cæsar, chorus puellarum, magnitudo divitiarum, caterva baronum, acies militum? Ubi sunt canes venantes, equi veloces, aves rapaces, thalamus depictus, lectus eburneus, argentum, et aurum? Ubi sunt mutatoria vestimenta, cibaria diversa, canticum lyræ, organorum sonitus, odor aromaticus? Te verebantur homines, timebant principes, colebant urbes. Ubi est tanta potentia, tantaque præclara facta, et tanta magnificentia? » Et respondit mihi : « Hæc omnia defecerunt in me, quoniam defecit in me spiritus meus, et reliquerunt me miserum in hoc sepulcro circumdatum putredine carnis meæ. » Ideo exclamat quidam versificator dicens homini vano :

Si tibi pulchra domus, si splendida mensa, quid inde?
Si species auri, atque argenti massa : quid inde?
Si tibi sponsa decens : si sit generosa : quid inde?
Si tibi sint nati : si prædia magna : quid inde?
Si fueris pulcher, fortis, divesque : quid inde?
Longus servorum si serviat ordo : quid inde?
Si doceas alios in qualibet arte : quid inde?
Si rideat mundus : si prospera cuncta : quid inde?
Si prior, aut abbas : si rex, si Papa : quid inde?
Si rota fortunæ te tollat ad astra : quid inde?
Annis si felix tu regnes mille; quid inde?
Tam cito prætereunt hæc omnia, quæ nihil inde.

Digitized by Google

Sola manet virtus, qua glorificabimur inde.
Ergo Deo servi, quia sat tibi provenit inde.
Quod fecisse voles in tempore, quo morieris,
Hoc facias juvenis, dum corpore sanus haberis :
Quod nobis concedat Deus noster. Amen.

(188. In hoc enim mundo cuncta sunt pulvis, cuncta apparentes prospectivæ, et cuncta sunt nihil : nam nihil firmum, et non lubricum in hoc orbe.

Omnia mutantur, stabile hic nil permanet unquam,
Consistitque nihil, quo fuit ante loco.
Omnia mutantur sursum, deorsumque volutant.
Oceani ut fluxus, utque refluxus eunt.
Est sic fortunæ flatus, subitusque reflatus :
Hic rerum varius circulus esse solet.

Id quoque habetur in § *Ut autem lex*, Authent., *De non alienandis rebus Eccles.*, ibi : « Quid enim est stabile inter homines, cum omnis noster status sub perpetuo motu versetur? » Et in his terminis nostræ humanæ instabilitatis, nonnulla adducit piissimus, et doctissimus Franciscus Viv. in *Silv. comm.*, opinion. 1042, ubi n. 11, sequentia habet :

Unde superbi
Quid sumus nisi li
De limo homo pri
Sortem vitare nequi
Si nos terra su
Terra quid est nisi fu
Ergo nihil su
Ideo studea
Ut parati si

} mus

(189. Hinc Apostolus ad *Galat.* VI, 14, melius quam alii mundani, sibi consultus aiebat : *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo*; » id est mihi absit ut in alia re glorier, vel gaudeam, quam in cruce Christi, scilicet in fide, gratia, memoria, prædicatione beneficii crucis, et tribulationibus, atque ærumnis ejus causa subeundis; per, et propter quem Christum crucifixum mundus mihi crucifixus est, nam mundum abominor, ac si cadaver esset latronis crucifixi, sicut vice versa ego crucifixus sum mundo, qui me simili modo abominatur, et exhorret, ut egregie explicat abbas Pinusius, item S. Aug. Ambros., Theophil., Anselm., Bernard., et S. Thomas, quos citat et expresse sequitur sapientissimus Tirinus in cit. *Epist.*, cap. 6, n. 14.

(190. Mundum ideo vult Dominus calamitosum esse, ut non debeat diligi, ideo spinosum, ut non debeat amplecti, et ideo ruinosum, ut timeamus ei inniti; Ugo de S. Victore *in Ecclesiast.*, cap. 7, secutus a Lancellotto nell' *Oggidì*, t. II, in fine; mundus diligitur, et amarus est; si dulcis esset, qualiter amaretur? S. August., serm. 11, relatus a Lancellot., *loc. cit.* Et infinita consimilia ad mundi contemptum possent adduci, quæ brevitatis gratia omittuntur.

(191. Ad uberiorem mundi notitiam referre præstat, quæ de mundo muliebri in Scriptura, et in jure habentur. *Esther* enim II, 3 dicitur, quod puellæ virgines, et speciosæ regi Assuero quæsitæ, ut magis ei placerent, deberent induere mundum muliebrem, ibi : *Et accipiant mundum muliebrem*; inter quas præ cæteris placuit ei Esther, *et præcepit eunucho ut acceleraret mundum muliebrem, et traderet ei partes suas. Ibid.*, 9. *Et Ezechiel* XVI, 7, arguit Dominus Jerusalem, quod ingrata conversa fuerit ad idololatriam, postquam eam implesset, et ditasset tot bonis, ut perveniret ad mundum muliebrem, ibi : *Et pervenisti ad mundum muliebrem*; et *ibid.*, XXIII, 30, ei improperat, *et ornata es mundo muliebri.*

(192. Mundus muliebris dicitur, quo mulier mundior sit; l. *Argumento* 25, § 10, ff. *De auro, argento, mundo, ornamentis*; mundus enim muliebris dictus est quasi munditia; Varro, *De lingua Latina*, 4.

(193. Mundi muliebris nomine continentur specula, matulæ, unguenta, vasa unguentaria, et similia, veluti lavatio, viscus, etc., cit. l. *Argumento*, § 10. Mundi muliebris nomine non continentur unguenta, quibus valetudinis causa ipsæ mulieres, sicuti et homines unguntur cit. l. *Argumento*, § 12.

(194. Mundo muliebri legato, non continentur ornamenta muliebria, et monilia, in quibus insunt margaritæ, et gemmæ, nec vestes; sed continetur argentum, vel aliud, quod paratum est ad lavandam, vel balneandam mulierem; l. *Pediculis* 32, § *Titia*, ff. eod. Mundo muliebri legato, continentur ea sola, quæ ex his utendi causa uxori sunt tradita a viro, l. *Si uxori* 39, ff. eod. Mundo muliebri legato, non continentur varia pertinentia ad mundum, quæ testator, cum esset vascularius, aut faber argentarius, ad vendendum habebat, cit. l. *Si uxori*. Mundo muliebri legato uxori, si nihil ad usum mulieris sit datum, vel destinatum, debetur ei quantum ad ejus usum sufficit. *Glossa* in cit. l. *Si uxori*, verb. *Tradita.*

(195. Ad complementum adde, quod mundus regitur auctoritate Pontificia et regali potestate, text. expresso in cap. *Duo sunt* 10, dist. 96, ubi Gelasius Papa ad Anastasium imperatorem sic habet : « Duo sunt quippe, imperator Auguste, quibus principaliter hic mundus regitur, auctoritas sacra Pontificum et regalis potestas. Nosti itaque inter hæc ex illorum te pendere judicio, non illos ad tuam posse redigi voluntatem; » et ibi multa subjungit de auctoritate et excellentia Pontificum supra imperatorem et reges. Et concordat *Glossa prima* in Authentic. *Quomodo oporteat episcopos*, in princip., ubi expresse dicit, quod « mundus totus regitur ex sacerdotio et imperio; unde ecce duo gladii hic. »

(196. Hinc Papa, ut vicarius Christi, et caput visibile universalis Ecclesiæ, habet totum mundum pro sua diœcesi, et spirituali dominio, cathedram, seu sedem suam habet in urbe Roma, quæ, ut volunt Corradus, in *Prax. dispensat.*, lib. II, cap. 7, n. 51; Mandos., *De regul. cancell.*, regul. 16, quæst. 41, n. 7; Ursaya, *Instit. criminal.*, lib. I, tit. 7, n. 7, et alii, in medio mundi posita est. Quod tamen alii negant, dicentes medium

Digitized by Google

terræ potius esse Jerusalem, in qua Salvator nostram est operatus salutem, juxta illud Psalmistæ *Psal.* LXXIII, 12, ibi : *Operatus est salutem in medio terræ;* quamvis hic textus diversimode a sanctis Patribus et interpretibus exponatur. S. enim Bonaventura ibi intelligit *in medio terræ*, id est in communi, quia Passio Christi omnibus æque profuit, quantum in se est : *vel in medio terræ*, id est in Jerusalem, quæ est in medio terræ, nam in sphærico corpore, quidquid est in superficie terræ, est in medio. Ugo cardinalis ibi dicit *in medio terræ*, id est in Jerusalem; *vel in medio terræ*, id est in communi, ut communis mediator, cujus ope sumus redempti, et reconciliati. S. Theodoretus, et Euthymius exponunt *in medio terræ*, id est palam, et ubique in omni terra. S. Hieronymus *in medio terræ*, id est in Jerusalem, vel generaliter, in Judæa, quæ est medium terræ habitatæ; unde et illam pro sua Ecclesia delegisse videtur Deus, et Christus pro sua Passione, ut ipsa ex se, quasi, ex orbis corde, salutem in totum mundum transmitteret, inquit Genebrardus apud Tirinum in cit. *Psal.* LXXIII, 12, ubi subjungit, quod sanctus Hieronymus allegorice explicat *in medio terræ*, id est in ventre virginali. Alii autem prætendunt medium terræ esse in civitate *Arin*, inter quos est Tostatus, qui in *Evangel. Matthæi*, cap. II, quæst. 7, fol. 188, column. 2, in fine, ultimæ impressionis Venetæ anni 1728, apud Nicolaum Pezzana, sic expresse habet : « Locus vero, qui est in medio mundi simpliciter, tam secundum longitudinem, quam secundum latitudinem, est civitas Arin, quæ est sub æquinoctiali, et distat nonaginta gradibus ab Oriente, et totidem ab Occidente; est etiam in medio secundum latitudinem, quia cum sit sub æquinoctiali, distat ab utroque polorum nonaginta gradibus, et secundum aliquos dicitur ibi esse paradisus terrestris, sed hoc non videtur verum. »

(197. Hic juvat subnectere ad tyronum eruditionem nomina cum sua significatione præcipuarum mathematices partium, quas ipsa, velut secunda parens, tanquam nobilissimas filias peperit ad omnes dirigendas, ac perficiendas humanas artes in orbe universo reperibiles ac exercibiles. Prima enim hominum scientia fuit ipsa *mathesis*, quæ excellentia sua nomen doctrinæ, seu disciplinæ merito est sortita, cum ipsa sit omnium scientiarum certior, ex quo in omnibus suis partibus demonstrative procedat, deducendo ab evidentibus suis principiis, infallibiles suas consequentias, ac conclusiones; unde *mathemata* dicuntur artes, quæ firmis demonstrationibus constant. Ab origine mundi cœpit, et culta fuit hæc celeberrima scientia; cum enim Adamus, sive divina revelatione, sive astrologiæ peritia, universalem mundi rerum interitum fore prædixisset, unum diluvio, incendio alterum, ejus nepotes Seth filii, ac successores per manus acceptam sapientiam excolentes, ne mathematices artes omnino perirent, duas excitarunt columnas, alteram lapideam contra diluvia, lateritiam alteram contra incendia, et utrique sua inventa inscripserunt; ut si lateritiam diluvio deleri contingeret, lapidea superstes hominibus discendi copiam faceret. Sic testatur Joseph lib. I, c. 3 *Antiquit.*, qui lapideam sua ætate adhuc in terra Siriade exstitisse scribit.

(198. Tres sunt mathematices primogenitæ, nempe *arithmetica*, *geometria* et *statica*, quia cum ipsa dicatur scientia quantitatis, tres sunt quantitates, quas considerare potest, scilicet *discreta*, *extensiva* et *intensiva*, et tribus modis tres omnes metiri possunt, id est numero, mensura proprie dicta, et pondere.

(199. Arithmetica igitur est scientia numerorum, seu quantitatis discretæ, quæ juxta suos operandi modos, vocatur *algorithmus*, vulgo *Algorismo* et est ars computandi, aut *algebra speciosa*, quæ considerat proprietates et vim numerorum, dicta *algebra* a Geber, uno ex suis auctoribus, *et speciosa* a variis suis speciebus.

(200. Geometria est scientia mensurarum, seu dimensionum, aut quantitatis extensivæ vel continuæ : a variis suis operationibus vocatur *longometria*, *areometria* et *herometria*, quæ sunt tres dimensiones communes omnibus corporibus, id est *longitudo*, *latitudo et soliditas*. Partes areometriæ sunt *trigonometria*, *tetragonometria*, *cyclometria* et similes, prout utitur triangulis, quadrilateribus, aut circulis ad conficiendas suas dimensiones.

(201. Statica est scientia ponderum, seu quantitatis intensivæ, quæ causat grave et leve, et tot habet partes, quot solent esse potentiæ motrices, seu machinæ, quibus vires exiguæ potentiæ ad ingentia pondera movenda plurimum augentur; et sunt præsertim septem, nempe, *vectis*, *axis in peritorchio*, *trochlea*, *rotæ dentatæ*, *planum inclinatum*, *cochica et cuneus*, quibus tot mirabiles effectus tum in solidis, tum in fluidis operantur.

(202. Istæ vocantur primæ mathematicæ, quia ab ipsis oriuntur secundæ, quæ sunt quatuor, nempe *cosmographia*, *mechanica*, *optica et musica*. Cum enim ipsæ ultra quantitatem considerent aliquod particulare corpus, si cum ipsa quantitate adjungitur motus circularis, oritur *cosmographia;* si motus rectus *mechanica;* si umbra aut lux, *optica;* si sonus *musica*.

(203. Cosmographia describit universum orbem; divisa tamen in suas partes, id est in *astronomiam*, seu *astrologiam*, quæ est scientia astrorum; in *geographiam*, quæ est descriptio terræ; et in *meteorologiam*, quæ est cognitio corporum imperfectorum. (204. Sub astronomia seu astrologia comprehenduntur *uranographia*, id est descriptio cœlorum, *sphæra*, id est scientia primi mobilis, et *theoria planetarum*, id est doctrina particularis astrorum.

(205. Sub geographia comprehenduntur *hydrographia*, quæ marium et insularum descriptionem exhibet; *chorographia*, quæ

Digitized by Google

in particularium tantummodo regionum, regnorum scilicet, et provinciarum descriptione versatur; et *topographia*, quæ singularium duntaxat locorum, nempe unius civitatis, villæ, aut pagi descriptione contenta est.

(206. A meteorologia considerantur omnia corpora imperfecta, quæ solent reduci ad quatuor principia, nempe ad *exhalationes*, *vapores*, *halitus* et *fuligines*, quæ a quatuor elementis exire dicuntur.

(207. Mechanica, aut machinaria comprehendit sub se quatuor partes, id est, *mechanicam* simpliciter dictam, quæ movetur a seipsa, *pyrotechnicam*, quæ movetur ab igne, *pneumaticam*, quæ movetur ab aere et *hydraulicam*, quæ movetur ab aqua.

(208. Optica, seu prospectiva dividitur in *opticam propriam*, quæ considerat radios directos, in *catoptricam*, quæ reflexos, et in *dioptricam*, quæ refractos. Ad primam reducitur pictura, ad secundam specularia, seu scientia speculorum, ad tertiam scientia microscopiorum, telescopiorum et conspicillorum.

(209. Musica dividitur in vocalem et instrumentalem. Vocalis continet *melopœam*, seu concentum, vulgo *harmonia*, *melodia*, rhythmicam et poeticam; instrumentalis continet *encordicum*, quæ fit nervis, seu vulgo *corde* et similibus; *pneumaticam*, quæ fit flatu, uti cum buccina, seu tuba et similibus; et *crusticam*, quæ fit pulsatione, uti cum tympanis et similibus.

(210. Ex his divisionibus colligitur, quod cosmographia habet pro objecto magnum orbem, et aliæ exiguum mundum, quia illa considerat orbem universum et alia particularia objecta sensuum, id est mechanica pro objecto habet *tangibile*, optica *visibile* et musica *audibile*, seu auditu perceptibile.

(211. Secundis mathematicis succedunt artes, quæ sunt quinque, nempe *chronologia*, *gnomonica*, *architectura*, *navigatoria*, et *ars militaris*. (212. Ad chronologiam, quæ est scientia temporum, id est quæ certis notis, et indiciis præteritarum rerum memoriam suis temporibus assignat, reducuntur historia et genealogia. (213. Ad gnomonicam, quæ est scientia umbrarum, reducitur diversitas horologiorum solarium. Horologia autem rotaria, arenaria, clepsydrica, seu aquaria pertinent ad mechanicam, seu machinariam. (214. Architectura, quæ est scientia fabricarum, seu ædificationum, dividitur in *civilem*, *nauticam* et *militarem*. Prima subdividitur in privatam et publicam. Secunda in tot partes quot sunt navium varietates. Tertia in defensivam, uti sunt fortificationes et offensivam, uti sunt arietes, cuniculi, vulgo *mine* et similia juxta temporum, et locorum usus. (215. Navigatoria continet duas partes, unam ad inveniendum portum, et aliam ad recognoscendam viam: tota penitus dependendo ab astronomia, a gnomonica, a geographia et a magnetica. (216. Ars militaris tradit modum ducendi et reducendi exercitum, irruendi in hostes, pugnam cum ipsis committendi, et ab ipsis se defendendi.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(217. Innumera sunt futilia, quæ auctor noster ex omni genere librorum sine criterio ullo in hoc articulo de mundo congessit, quæ, si velimus omnia ad sanæ critices amussim expendere, opus sane magni laboris, nulliusque utilitatis iniremus; satius enim esset rem retractare. Quis porro inanes quæstiones, aniles fabulas, turpes, vanasque allegorias, ac sacrorum Bibliorum abusum referre sustineat? Pauca tantum animadvertere satagamus.

(218. De paradiso terrestri multa habet a n. 56 ad 62 quæ doctis viris non probantur: quare videatur omnino Petri Danielis Huetii episcopi Abrincensis eruditissimus *de paradisi situ Tractatus*, in quo et aliæ quæstiones huc spectantes resolvuntur.

(219. Quod de Henoch ait num. 62, cum *Genes.* cap. v, vers. 24, habeamus, *Ambulavitque cum Deo, et non apparuit, quia tulit eum Deus*, non facit pro ipso, nec contra ipsum auctorem in proposita quæstione.

(220. Num. 69, adducit verba Martyrologii Romani pro asserendo anno Nativitatis Christi. Advertas tamen, Ecclesiam, cum Scripturam sacram Vulgatæ editionis ab Hebraico potissimum fonte translatam ut authenticam nobis proposuerit, in medium reliquisse, Hebraicine, an Græci codicis calculos recipere velimus; nam in Vulgata, Hebræorum, in Martyrologio, LXX interpretum secutum computum invenimus.

(221. A n. 90 ad 104 de mundi systematibus agens, cum Purchotio, vel P. Fortunato a Brixia utitur, inoffenso Ferraris pede legi potest; non vero cum quid de suo addit, vel a turbidis fontibus haurit. Videnda igitur de systematibus mundi, præsertim Copernici, Cartesii, Newtonii, et Wisthonii, *Introductio ad Historiam universalem*, Anglice editam et Gallice versam anno 1732.

(222. Iis, quæ de rotunditate terræ n. 105 adducit utpote jam antiquitatis, substituenda sunt ea, quæ astronomi Galli a rege Christianissimo ad polum arcticum et ad æquatorem missi nostra ætate scripserunt, a quibus apparet terraqueum globum circa polos esse planiorem, quam versus æquatorem.

Cætera Ferraris sphalmata quisque primo intuitu cognoscet.

RESPONSIO AUCTORIS.

* In hoc monito editorum theologus noster asserit quod Lucius de paradiso terrestri multa habet a n. 56 ad 62 quæ a doctis viris non probantur. Et tamen ibi adducta a me sub n. 56 tradita sunt ab eruditiss. Calmet, allegante LXX interpretes, et etiam a doctissimo Tostato. Quæ n. 57 tenet communior inter recentiores sententia, teste nostro Frassen, eamque pluribus probant Sixtus Senensis, Cornelius a Lapide, Maldonatus, Genebrardus, Pererius et plures alii id col-

Digitized by Google

ligentes ex sac. Scriptura. Quæ n. 58 tenent Cenebrardus, Frassen. Tostatus et plurimi Patres tam Græci quam Latini ac etiam plerique Hebræi, apud Malvendam, et ad id adducitur etiam Eusebius et S. Hieronymus. Quæ n. 59 excerpta sunt ex Abulensi, Vincentio Fuga, Frassen allegante S. Augustinum et Mosen Barcepha. Quæ n. 60 tradunt S. Epiphanius, S. Augustinus, Tertullianus, Sixtus Senensis, Delrius, Bellarmin., Gregorius Valentia, Malveda, Suarez et fere omnes, tum veteres, tum recentiores, ut testatur Tirinus eruditissimus, asserens, id tenere sanctos Irenæum, Isidorum, Hieronymum, Justinum et S. Thomam et etiam Abulensem, Cornelium a Lapide, Salianum, et novissime tradidit piissimus et eruditissimus Clericatus nelle *Spiche raccolte*, vulgari idiomate, verb. *Elia* et *Enoc*, ubi ex historia chronologica nostrorum Franciscanorum religiosorum Jerusalem scripta a Patre Joanne a Calaora observantis provinciæ Burgensis, lib. II, cap. 4, refert mirabilem successum nostri ven. fratris Benedicti ab Aretio, ab angelo in paradisum terrestrem translati, indeque incolumis ad portum civitatis Anconæ et a me *ibidem* n. 61 ad corroborationem, et ut jacet, ex ipso transcriptum. Unde si theologo nostro cum suis doctis viris tacito nomine allegatis, non probantur tradita a n. 56 ad 62, sufficit mihi quod prius fuerint probata et tradita a tot Patribus et doctoribus undequaque omni eruditione et virtute præstantibus a me citatis. Quod ego sub n. 69 adducam verba Martyrologii Romani pro asserendo anno Nativitatis Christi, sine ullo criterio, quod est extra meum institutum, venio potius commendandus quam censurandus cum ex documento Seraphici mei Patris S. Francisci velim in omnibus et per omnia sequi Romanam Ecclesiam, quæ, relicto omni criterio, de anno nativitatis Christi tenet, et servat universaliter et ubique, ut canit in ipso Martyrologio. Fontes autem a quibus ego mea asserta hausi nequaquam sine injuria dicendi sunt turbidi, nisi quis turbidis oculis eos ut turbidos apprehenderit. Quæ ego trado de rotunditate terræ, dicit noster theologus esse jam antiquata et tamen ea sustinent etiam inter alios Purchotius, tom. III, part. II, sect. 4, cap. 1, et Pater Fortunatus a Brixia, in *Philosophia sensuum mechanica* tom. II, tract. 1, sect. 2, dissert. 1, propos. 1, scholio 2, ubi, adductis contrariis opinionibus cum suis præcipuis fundamentis in § *Verum* sic expresse concludit: « Verum ejusmodi momenta tanti neutiquam sunt, ut a communi in physica de telluris rotunditate sententia nos recedere cogant. » Prius theologus noster dixerat: « Cum Purchotio vel Patre Fortunato a Brixia utitur, inoffenso pede Ferraris legi potest, nunc non sibi constans vult, opinionem de terræ rotunditate esse antiquatam, quamvis a tantis auctoribus traditam et novissime defensam a dictis Purchotio et Fortunato quibus ipse jure merito fidit. » Tandem theologus noster pro sua comitate concludit: « Cætera Ferraris sphalmata quisque primo intuitu cognoscet. » Ast vero rite perpensis omnibus a me ibi adductis ad cuncta mea asserta probanda, censent æqui rerum æstimatores indebitam, injuriosam atque indignam datam ipsi a theologo nomenclaturam, ipsumque amandant ad præfationem recol. mem. Benedicti XIV, sui primi tomi *De synodo diœcesana*, § *Porro*, ubi inter alia sic expresse habet: « Nihil contumeliose jacentes in alios quantumvis ab opinione nostra longe dissentiant; id enim homini Christiano indignum et honesto viro indecens existimamus. Neque vero minus valde unumquemque sententiam suam tueri posse censemus si ab aliorum contemptu et injuria abstineat. »

MUNERA seu DONA.

Vid. verb. Xenia.

MUSICA, MUSICUS

SUMMARIUM.

1. Musica in ecclesiis est de jure permissa. — 2. Episcopus non potest prohibere, ne in ecclesiis fiat musica. Bene tamen potest præcipere musicis, quod non canant, nisi verba sacra et musica sit devota et ecclesiastica. — 3. Neque potest episcopus prohibere musicis, ne canant in illis ecclesiis, ubi non regit magister capellæ cathedralis. — 4. Neque, quod musici non accedant ad canendum sine sua licentia. — 5. Prohiberi non debet musicis usus fistulæ, seu corniculæ, quæ viget etiam Romæ. — 6. Musica non decet in officio Quadragesimæ, præsertim cum instrumentis, et si est occasio alicujus scandali. — 7. Musica in luctu importuna narratio. — 8. Conceditur licentia regulari, ut possit esse magister capellæ, seu cantor cathedralis, vel alterius ecclesiæ. — 9. Non conceditur, quod moniales possint a viris doceri cantum, seu musicam, vel sonum, nec ad crates, nec ad portas. — 10. Nisi brevi tempore pro cantu Gregoriano. — 11. Occasione musicæ nulla monialis eximi potest a choro, vel ab oneribus monasterii communibus. — 12. Musica in ecclesia exteriori monialium pro aliquibus principalioribus festivitatibus toleranda est, ubi adest talis consuetudo; secus vero non. — 13. Episcopus prohibere potest ne musica in ecclesiis canatur lingua vernacula. — 14. Cantiones vulgari sermone in festo sanctissimi sacramenti cantare non convenit. — 15. Musici conducti a capitulo pro cantu ecclesiæ possunt ab illo expelli ad instar famulorum absque ulla causa. — 16. Musici ecclesiæ cathedralis gaudent privilegio fori. — 17. Musici qui non sunt de gremio capituli debent cedere præcedentiam clericis beneficiatis. — 18. Musici non excusantur a jejunio ratione cantus, nisi per illud voces corrumperent, et redderentur inhabiles ad canendum. — 19. Organorum usus quando incœperit in ecclesiis; ad n. 20. — 21. Organa et instrumenta musica nequeunt adhiberi in missis defunctorum. — 22. Pro complemento afferuntur quædam ex Sap. Tostato. — 25. Alia ad rem ad n. 30. — 31. V. verb. Cantiones.

Digitized by Google

(1. Ut honorificetur Deus in sanctis suis, musica in ecclesiis est de jure permissa textu expresso in extravag. *Docta*, unic. De vita et honestat. cleric., et tradunt communiter doctores cum Pignatell., tom. III, consult. 41, per tot. Unde *Ecclesiastici* XLII, 5, habetur non esse impediendam musicam, ibi: *Non impedias musicam;* et *ibidem*, XLVII, 11, commendatur David eo quod *stare fecit cantores contra altare et in sono eorum dulces fecit modos.*

(2. Hinc episcopus non potest præcipere quod in ecclesiis non fiat musica (exceptis monialibus), sed bene poterit musicis præcipere quod non canant nisi verba sacra et quod musica nihil immodestum, aut turpe sapiat, et tota sit devota et ecclesiastica, prout jussit Alexander VII 23 Aprilis 1657 et Innocentius XII 20 Augusti 1692.

(3. Neque potest episcopus prohibere musicis ne canant in illis ecclesiis ubi non regit magister capellæ cathedralis. Sacr. congr. Episcopor. 11 Martii 1648. (4. Neque quod musici non accedant ad canendum sine sua licentia ut contra edictum episcopi Aquilani talia prohibentis rescripsit sacr. congregat. Episcopor. et Regularib. 2 Decembris 1695, referente emin. card. Petrucci.

(5. Prohiberi non debet musicis usus fistulæ seu corniculæ qui viget etiam Romæ, non obstante decreto concilii provincialis, quando non fuit receptum neque in metropolitana. Sacr. congr. Episcop. et Regul. *in Bergomen.* 22 Novemb. 1593.

(6. Musica non decet in officio Quadragesimæ præsertim cum instrumentis, et si est occasio alicujus scandali. Sacr. congregat. Episcop. *in Patavina* 27 Martii 1601, apud Nicol., in *Floscul.* verb. *Musica*, n. 3. (7. Unde *Ecclesiastici* XXII, 6, dicitur: *Musica in luctu importuna narratio.*

(8. Conceditur licentia regulari, ut possit esse magister capellæ vel cantor cathedralis vel alterius ecclesiæ. Sacr. congregat. Episcop. et Regular. *in una Augustinen. Lombard.* 28 Januarii 1606, et *in alia Servitarum* 22 Februarii ejusdem anni.

(9. Non conceditur quod moniales possint a viris doceri cantum seu musicam vel sonum, neque ad crates, neque ad portas. Sac. congr. Episcop. *in Agrigentina* 23 Aprilis; *in Parmen.* 8 Maii, et *in Regien.* 23 Julii 1602; *in Maceraten.* 17 Februarii, *in Messanen.* 10 Junii, et *in Anconitana* 15 Septemb. 1603; *in Neapolitana* 8 Novembr. 1604 et 5 Julii 1647, apud Nicol., *l. c.*, n. 5. (10. Nisi brevi tempore pro cantu Gregoriano. Ead. sacr congr. Episcop. 2 August. 1647; 5 Januar. 1649; 21 Januar. 1650.

(11. Occasione musicæ nulla monialis eximi potest a choro vel ab oneribus monasterii communibus, sub pœna privationis veli vocisque activæ et passivæ et aliis arbitrio sacræ congregationis. Eadem sacra congregatio Episcop. *in Anconitana* 15 Septemb. 1603.

(12. Est decretum generale sacræ congregationis esse tolerandam musicam in ecclesia exteriori monialium præsertim in quibusdam festis principalibus, ubi est talis consuetudo; ubi vero consuetudo non adest, non esse de novo concedendam. Ead. sacr. congreg. Episcop. *in Neapolitana* 10 Novem. 1582.

(13. Vigore decreti concilii cap. 8, sess. XXII, *De celebratione missar.*, non obstante quacunque contraria consuetudine, poterit episcopus prohibere ne in ecclesiis et oratoriis publicis canatur musica lingua vernacula, quantumvis cantiunculæ et verba spiritualia sint. Sac. congr. Rit. *in Hisp.* 3 Septemb. 1695 et 24 Novem. 1696, referente eminentiss. card. Colloredo, in responsione ad quartum; quia cantus hujusmodi est contra ritum Ecclesiæ. (14. Et eadem sacr. congr. Rit. *in una Abulensi* 21 Mart. 1609, jam decreverat, quod cantiones vulgari sermone in festo sanctissimi sacramenti cantare non convenit.

(15. Musici conducti a capitulo pro cantu ecclesiæ possunt ab illo expelli ad instar famulorum absque ulla causa; Rota *in Majoricensi, juris amovendi musicos* 14 Januar. 1729, per tot., coram Molino. Sic refert Ursaya, in *Miscellaneo sacro et profano*, part. II, verb. *Musici.*

(16. Musici ecclesiæ cathedralis gaudent privilegio fori. Sac. cong. Immun. *in Beneventana* 28 Novemb. 1653, apud Pignatell., tom. IV, consult. 90, n. 11.

(17. Musici, qui non sunt de gremio capituli in processionibus et aliis actibus publicis, non debent præferri clericis beneficiatis. Unde non debent incedere cum beneficiatis, sed immediate post crucem, non obstante consuetudine. Sac. congr. Rit. *in Urbeventana* 20 Novemb. 1610 et 15 Januar. 1621, et *in Vigilien.* 8 Octob. 1650, apud Pignatell., cit. consult. 90, a n. 1.

(18. Musici non excusantur a jejunio ratione cantus, nisi per illud voces corrumperent, et redderentur inhabiles ad canendum, quia tunc paterentur grave incommodum, cum vivant ex voce grata. La Croix, l. III, p. II, n. 1349, cum aliis ibi citatis.

(19. Organorum usum in ecclesiis incœpisse tempore Vitaliani Papæ circa ann. Domini 660, refert ex Platina Pignatell., t. III, consult. 41, n. 8, ubi dicit hanc esse veriorem et communiorem sententiam. Alii autem apud Crosolium in *Mystagogo*, lib. III, cap. 27, organa cœpisse audiri in ecclesia, permittente S. Damaso Pontifice, qui creatus fuit Sum. Pontifex 15 Sept. anno 367. *Organorum mentio fit a Juliano Halicarnasseo secta Eutychiano, qui sæculo quinto cadente floruit, ad cap. XXXI *Job*, in Junii Patricii *Catena Græcorum Patrum*, et ab antiquiore Prudentio in *Apoth. adv. Jud.* Salatamen in *Bonam*, tom. XI, p. 380, hæc satis verisimiliter ait, non tam fuisse organa instar nostrorum pneumatica, quæ follibus inflantur, quam psalteria ex sistris, seu calamis compacta. Verum, an de psalteriis intelliget Sala illud quoque Augustini *in Ps.* LVI, « organum dicitur, quod grawle est, et inflatur follibus; » et quæ de organis tradit

Digitized by Google

Isidorus *Etymol.*, lib. XII, c. 21? Illud fortasse facilius creditu foret, fuisse isthæc privatorum organa, neque ad ecclesiasticum usum traducta. Venantius tamen Fortunatus, qui, vergente ad finem sæculo VI floruit, in *Vita S. Germani*, Parisiensem Ecclesiam organa, cujusmodi nostratia sunt, habuisse testatur hisce carminibus :

...Exiguis attemperat organa cannis,
Inde ructat ab ore tubam.

(20. De Vitaliano Pontif., quod auctor fuerit, id quidem in vulgi ore est; hoc tamen inquit Ferrarius in *Sanctis Italiæ*, cum Ecclesia Romana organis minime utatur præsente Pontifice, minus probabile videtur. Octavo sæculo in Galliis plane ignorabantur ante Pipinum, cui a Constantino imperatore dono missa fuerant, acceptaque veluti nunquam visa, ut narrant Sigebertus ann. 766, Annalista Metensis ann. 757, et Eginhardus, in *Vita Caroli M.* Ipso autem illo sæculo VIII organis, et organistis Romanæ Ecclesiæ adeo instructæ erant, ut Monachus Engolismensis in ejusdem *Caroli Vita* testetur, a cantoribus Romanis, qui in Gallias migrarant, fuisse Gallos *in arte organandi* institutos. Veronensem quoque Ecclesiam, Carolo M. imperante, organum habuisse ex quibusdam chartis ab Ughellio redditis Cangius colligit. Quod tamen mireris, labente sæculo IX organorum artem Roma paulatim dedidicerat. Id satis indicat Joannes VIII qui epistola ad Annonem episcopum Frisingensem eum rogat, ut « optimum organum cum artifice, qui hoc moderari, et facere ad omnem modulationis efficaciam possit ad instructionem musicæ disciplinæ ipsi aut deferat, aut cum eisdem redditibus mittat. » Hinc enim perspicuum fit, sæculo IX neque organum, neque qui illud pulsaret, Romæ exstitisse. Baleus tradit, organi usum circa ann. 669 a Vitelliano Angliæ episcopo primitus in Anglicanam Ecclesiam invectum fuisse; sed huic auctori non admodum fidendum est, et fortasse, quod liber Pontificalis, Platina; Leander, Albertus, aliique Vitaliano Romano Pontifici tribuerunt, Vitellianc suo liberaliter ascripsit. In ecclesias Græcas nunquam fuisse organa recepta, ex omnium Græcorum liturgicorum librorum silentio discimus. Neque in omnibus generatim ecclesiis Latinis XIII sæculo adhibebantur, ut satis constat ex S. Thoma 2-2, quæst. 91, art. 2; imo sæculo XII S. Ælredus Rievallis abbas, S. Bernardi olim discipulus, organa Judæis propter eorum inertiam, socordiam, languidumque animum concessa, a Christianis docuerat haud esse adhibenda; cum ipsis loco organorum corpore uti liceat, ubi singula hominis membra ea faciant, quæ Deo gloriam, et laudem afferunt. Narrat Vantillius, Bernardum quemdam natione Germanum, qui ann. 1480, Venet. organum pulsans agebat, organis *pedalia* addidisse. Confer quæ de organis disseruerunt clariss. viri Emmanuel de Azevedo, *Diss. de cantus eccl. orig. et forma*, Franciscus Xaverius Zecch., *De campanis, et instrumentis musicis*, et Petrus Pompilius Rodota, in commentario ad epistolam encyclicam Benedicti XIV, datam die 29 Februarii an. 1749, p. 45, n. 10. Utinam vero servaretur in omnibus Ecclesiis Senonensis concilii caput 17, quo cavetur, ne « in Ecclesia organicis instrumentis resonet impudica aut lasciva melodia; sed sonus omnino dulcis, qui nihil, præter hymnos, et cantica spiritualia, repræsentet. » *

(21. Organa, et quæcunque alia instrumenta musica nequeunt adhiberi in missis defunctorum. Sic Benedict. XIII *in Concil. Romano*, tit. 15, cap. 6.

(22. Pro complemento afferuntur quæ de musica habet sapientissimus Tostatus tom. I, *in Genes. in Epistolam divi Hieronymi ad Paulinum*, cap. 6, verb. *Musicis*, ibi : « Musica enim harmonicis vocibus, tubarum flatibus, et pulsatilibus concrepat organis. » De hoc ait Augustinus : « A terra usque ad cœlum mensura cœlestis musicæ mensuratur : est namque in terra, *Ga ma ut*, in luna *A re*, in Mercurio *Be mi*, in Venere *Ce fa ut*, in sole, *De sol re*, in Marte *E la mi*, in Jove, *Ef fa ut*, in Saturno, *Ge sol re ut*; sunt namque a terra usque ad firmamentum septem toni; a terra usque ad lunam, est unus tonus; a luna usque ad Mercurium est semitonium; a Mercurio usque ad Venerem est semitonium; a Venere usque ad solem, sunt tria semitonia; a sole usque ad Martem, est unus tonus; a Marte usque ad Jovem, est semitonium : a Jove usque ad Saturnum, est semitonium; a Saturno usque ad firmamentum, sunt tria semitonia, quæ universa conjuncta septem tonos efficiunt : tonus autem secundum quosdam continet quindecim millia miliaria. Hæc ille, qui in *Josue* cap. X, qu. 14, addit sic : « Philosophi tamen dicunt, esse in cœlo omnes proportiones harmonicas musicorum, et esse tonos, atque semitonia. Non quidem, quod ibi sit aliqua vox, secundum quam considerantur istæ proportiones : sed accipiuntur isti toni, et semitonia, vel proportiones vocum secundum duo, scilicet secundum magnitudinem et proportionem distantiæ cœli unius ab altero, computando a superficie concava cujuslibet, usque ad convexam, et quia non sunt omnes cœli æquales in magnitudine; et proportio magnitudinis, et distantiæ planetæ a planeta, et secundum hoc a quibusdam planetis ad alios sunt semitonia, ab aliis vero ad alios sunt toni integri; » sicut describit Marcianus, Mineus Felix Capella, lib. II *De nuptiis Mercurii et Physiologiæ*. Hæc ibi.

(23. Musici instrumenti sonatores Christiani prohibentur inservire in infidelium festivitatibus, et sacrificiis. Benedictus XIV in constitut. incip. *Omnium sollicitudinum*, § 3 et 14.

(24. Musicus cantus et musicalia instrumenta sunt in usu in ecclesiis, quibusdam exceptis, id est capella pontificia et ecclesia Lugdunensi. Bened. XIV, constitut. incip. *Annus*, § 4. Nonnulli graves viri musicam in

Digitized by Google

ecclesiis laudant, alii improbant. Idem, *ibidem*, et § 4 et 5.

(25. Musica non erat in usu in ecclesiis S. Thomæ Aquinati cognitis. Idem, *ibid.*, § 4. Cardinalis Thomasius illam vetuit in sua titulari ecclesia. Idem, *ibid.* Marcellus secundus Papa eamdem abolere deliberaverat, sed audita in missis musica excellentis auctoris ad pietatem apta, voluntatem mutavit. Idem, *ibid.*, § 5.

(26. Musicam prohibere concilium Tridentinum proposuit, sed Cæsareis legatis suadentibus, illam, dummodo honestam, toleravit. Idem, *ibid.*, § 5. Musicus ecclesiarum cantus, debet a theatrali differre. Idem, *ibid.* § 6, ac talis esse, ut verba distincte proferantur, et intelligantur. Idem, *ibid.*, § 9.

(27. Musicæ periti fuerunt nonnulli Romani Pontifices, id est Gregorius Magnus, Leo II et Leo IX, et Victor III. Idem, *ibid.*, § 7. Musici cantores in sacris functionibus legem chori sequi debent. Idem, *ibidem*, § 9.

(28. Musica instrumenta in Veteri Testamento adhibebantur, et aliquid figurabant. Idem, *ibidem*, § 4. Vetus Ecclesia ea non adhibuit, ut Christiani longius recederent a profanis ritibus gentilium illa adhibentium. Idem, *ibidem*, § 5. Nunc autem harmonici cantus usus usque ad Paraquariam pervenit. Idem, *ibidem*.

(29. Musica instrumenta quædam permittuntur in musicis ecclesiasticis, alia prohibentur. Idem, *ibid.*, § 11, ubi hæc tradit : « Hominum prudentum et illustrium magistrorum artis musicæ consilium exposcere nobis curæ fuit; consentaneum autem cum eorum sententiis est, ut fraternitas tua, si in tuis ecclesiis instrumentorum usus introductus fuit, cum organo musico nullum aliud instrumentum permittat, nisi barbiton, tecracordon majus, tetracordon minus, monaulon pneumaticum, fidiculas, lyras tetracordes : hæc enim instrumenta inserviunt ad corroborandas, sustinendasque cantantium voces. Vetabit autem tympana, cornua venatoria, tubas, tibias decumanas, fistulas, fistulas parvas, psalteria symphoniaca, cheles, aliaque id genus, quæ musicam theatralem efficiunt. » Et vulgari idiomate sic : « Non abbiamo tralasciato di ricercare il consiglio in Roma, e fuori di Roma d' uomini assennati, ed insigni maestri di cappella; e coerentemente al loro consiglio, quando nelle sue chiese sia introdotto l' uso degli strumenti, non ammetterà coll' organo altro, che violoni, violoncelli, fagotti, viole, violini, che servono per rinforzo maggiore di quelli, che cantano : E bandirà i timpani, i corni da caccia, le trombe, gli oboè, i flauti, i flautini, i salterii moderni, i mandolini, i simili strumenti, che non servono, che per rendere la musica teatrale. » Et eorum sonus talis sit, ut cantum juvet, non opprimat. Idem, *ibid.*, § 12. Musica apud Hebræos usitata fuit in templo, non in theatris. Idem, *ibid.*, § 10.

(30. Musica in ecclesiis improbatur tempore majoris hebdomadæ, aliisque diebus. Olim in ecclesia Lucensi per idem tempus adhibita, ab Alexandro zelantissimo ejus episcopo vetita fuit. Cum autem quidam exempti ab episcopi jurisdictione se episcopali lege minime teneri prætenderent, episcopus rem detulit ad Summum Pontificem S. Pium V, qui in ejus brevi dato 4 April. 1571, deplorata primum humanarum mentium, et carnalium hominum cæcitate, qui mundanarum oblectationum illecebris, et sensuum voluptatibus se regendos, ferendosque tradunt sacris illis diebus, laudato episcopi edicto, decretis concilii Tridentini inhærens declarat, eodem edicto comprehendi, atque obligari etiam ecclesias, quæ ab auctoritate ordinaria, privilegio apostolico, vel alio quocunque jure exemptas se esse contendunt. Idem, *ibid.*, § 13, ubi subjungit, quod in concilio Romano habito anno 1725, tit. 15, num. 6, varia leguntur decreta de usu musici cantus, instrumentorumque in Adventu, in Dominicis Quadragesimæ, et in exsequiis mortuorum.

(31. Alia ad rem, *Vide* verb. CANTIONES.

MUTUUM.

SUMMARIUM.

1. Mutuum unde dictum? — 2. Mutuum quid sit? — 3. Mutuum dare, et accipere possunt omnes illi, qui possunt contrahere. — 4. Civitas, ecclesia, monasteria, et alia pia loca non obligantur ad restituendum, et solvendum mutuum, quod eorum rectores, seu administratores acceperunt, nisi creditor probet, mutuum in civitatis, vel ecclesiæ, seu aliorum piorum locorum utilitatem conversum fuisse. — 5. Filii, vel filiæfamilias, si sine consensu parentum pecuniam mutuo acceperint, neque ipsi, neque parentes ipsorum tenentur ad restitutionem mutui. — 6. Filiifamilias non obligantur ad restitutionem mutui, etiamsi 25 annum suæ ætatis excedant. — 7. Filiifamilias neque post obitum parentum tenentur ad restitutionem mutui, quod ipsis viventibus acceperunt. — 8. Tale privilegium valet non solum pro foro exteriori, sed etiam pro interiori conscientiæ. — 9. Excipiuntur multi casus in quibus filiusfamilias, et quandoque ejus pater tenetur mutuum restituere. Primus igitur casus est, quando filius habet bona castrensia, vel quasi castrensia. — 10. Secundus casus est, quando pater approbat mutuum acceptum a filio, vel filius mutuum accepit jussu patris, seu ipso sciente, et non contradicente, et pater erat solitus solvere mutuum filii. — 11. Tertius casus est, quando filius tempore recepti mutui credebatur esse sui juris. — 12. Quartus casus est, quando filius mutuum accepit, et insumpsit in commodum, et utilitatem patris. — 13. Quintus casus est, quando filius mutuum accepit ob causas, propter quas pater secundum rectam rationem tenebatur subministrare. — 14. Sextus casus est, quando filius tempore mutui accepti erat militiæ addictus. — 15. Septimus casus est, quando filius mutuo accepit non pecuniam, sed aliam rem, dummodo sine ulla fraude legis. — 16. Octavus casus est, quando filius non accipit mutuum, sed fidejubet pro mutuatario, sine fraude legis. — 17. Præcisis supradictis casibus, filiusfamilias non tenetur ad restitutionem mutui, etiamsi renuntiaverit privilegio Macedoniani. — 18. Imo filiusfa-

Digitized by Google

millius nec tenetur ad restitutionem, etiamsi juraverit tale mutuum restituere. — 19. Adducitur et solvitur instantia. — 20. Pupillus habens tutorem et minor habens curatorem, si sine tutoris, vel curatoris consensu aliquid nomine mutui accipiat, de jure civili non tenetur ad restitutionem, si illud amisit, aut imprudenter consumpsit : tenetur tamen, si ex ipso in aliqua parte factus est ditior, et hoc etiam in foro conscientiæ. — 21. Mutuare indigentibus est consilium, nihil tamen sperare tanquam debitum ex ipso mutuo, est præceptum. — 22. Usura est prohibita, nedum jure humano ecclesiastico sed etiam jure divino. — 23. Mutuare ea intentione, ut acquiratur aliquid ex mutuo, tanquam debitum ex justitia, etsi id minus principaliter intendatur, est usura. — 24. Mutuare cum pacto conferendi aliqua supra sortem, non tanquam debitum justitiæ, sed gratitudinis, est usura. — 25. Mutuans non potest aliquid supra sortem exigere a mutuatario, ex quo se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus. — 26. Mutuans non potest aliquid supra sortem exigere a mutuatario pro sola carentia pecuniæ, quam ei actualiter numeratam mutuavit. — 27. Mutuans cum pacto, ut mutuatarius ei vendat res suas, etiam justo pretio, vel ut emat res ab ipso, vel ut utatur ejus molendino, seu frequentet ejus officinam, vel ut patrocinetur suæ causæ, vel ut conducat ejus prædium, vel ut restituat in alio loco, vel ut restituat partem in pecunia, et partem in mercibus, vel ut eum eximat a tributis, seu vectigalibus, vel ut præstet munus a lingua, a manu, ab obsequio, et his similia, committit usuram. — 28. Item usuram committit mutuans cum pacto, ut mutuatarius teneatur fidejubere pro ipso. — 29. Mutuare frumentum, vel vinum de præsenti, quo minoris valet, cum pacto, ut restituatur in eadem quantitate pro tempore, quo prævidetur certo, vel quasi certo pluris valiturum, est usura. — 30. Non est tamen usura, si sit æquale dubium, an pro tempore restitutionis sit valiturum pluris, vel minoris. — 31. Sic pariformiter est dicendum de pecunia mutuata cum pacto, ut restituatur in eadem omnino specie, et numero pro tali certo tempore. — 32. Excipe tamen, nisi ipse mutuator talem pecuniam, tale vinum, tale frumentum, et hujusmodi servaturus esset usque ad illud tempus, quo pluris distrahere potuisset. — 33. Mutuans potest sine labe usuræ pacisci, ut mutuatarius teneatur aliquid ultra sortem ei restituere ratione damni emergentis. — 34. Ut autem juste, et licite exigatur talis compensatio damni emergentis, requiruntur tres conditiones, quæ assignantur. — 35. Mutuans potest licite pacisci cum mutuatario, ut ei teneatur præstare aliquid ultra sortem ratione lucri cessantis. — 36. Ut autem juste, et licite exigatur talis compensatio lucri cessantis, requiruntur itidem tres conditiones, quæ assignantur. — 37. Mutuans potest licite exigere aliquid proportionatum ultra sortem ratione periculi ipsam sortem amittendi, aut difficultatis eam recuperandi. — 38. Mutuans potest licite aliquid moderatum exigere a mutuatario ratione pœnæ conventionalis. — 39. Mutuatarius, qui non pecuniam, sed alias res mutuatus est; et eas, quales esse debent, non reddit, aut eas non reddit in tempore, seu loco convento, tenetur solvere justam earumdem rerum æstimationem pro tempore, et loco, in quo eas reddere debebat. — 40. Si autem non convenit cum mutuante, nec de tempore, nec de loco, in quo eas reddere deberet, tunc reddere eas debet secundum æstimationem, quam habent in tempore et loco in quo petuntur et restituuntur. — 41. Si vero res fuerint mutuo acceptæ secundum æstimationem factam in tempore, et loco mutui accepti tunc mutuatarius eas reddere debet secundum talem æstimationem, licet in tempore et loco restitutionis chariores, seu viliores evaserint. — 42. Si autem æstimatio facta non fuerit in ipso mutui tempore et loco, tunc res reddi debent secundum æstimationem quam habent in tempore et loco quo restituendæ sunt. — 43. Et si, non facta æstimatione, neque de tempore, neque de loco fuerit conventum, tunc debent restitui secundum æstimationem, quam habent in loco, et tempore, quo petuntur, et restituuntur. — 44. Mutuans, accepto pignore a mutuatario cum pacto, ut interim fructus pignoris lucretur, nisi adsit alius justus titulus, committit usuram, et tenetur tales fructus perceptos ex pignore computare in sortem. — 45. Assignatur primus justus titulus percipiendi licite fructus ex pignore sine diminutione sortis, et est, si creditor fundum oppignorandum, seu oppignoratum justo pretio emat cum pacto retroveudendi, quoties debitor voluerit pretium refundere. — 46. Secundus justus titulus percipiendi tales fructus ex pignore est, si fundus fructiferus acceptetur in pignus, adjecto contractu censuali. — 47. Tertius justus titulus percipiendi fructus ex pignore est, si pignus sit datum marito, donec ei solvatur dos promissa. — 48. Quartus justus titulus percipiendi fructus ex pignore est, si feudum, vel res emphiteutica detur in pignus domino ejusdem directo. — 49. Contractus ille, qui vulgo dicitur *a godere*, quo scilicet aliquis dat sufficientem pecuniam alteri, ut ipse, quandiu utitur dicta pecunia, cedat illi domum, vel alteram fructiferam rem interim fruendam, quomodo possit esse licitus? — 50. Qui recusat mutuare pecuniam, sed ipsam tradit indigenti, dicendo, quod emit ab ipso suas vaccas, et easdem ei locat pro pensione annua ei solvenda, excusatur communiter ab usura, si ille alter de facto habeat dictas vaccas utiles, et serventur conditiones : secus vero non. — 51. Ab usura excusatur, qui a se mutuum petenti tradit, pecuniam dicendo, quod tali pecunia conducit suas operas ad futuram messem, seu vindemiam. — 52. Regulares non possunt accipere pecunias mutuo, vel ad cambium cum solutione alicujus lucri, vel cum obligatione bonorum. — 53. Alia ad rem, ad n. 58. — 59. * Subnectuntur *Add. ex alien. man.*, ad n. 69. V. *Monit. edit. Cas.*, ibi.*

(1. Mutuum ita dictum est, quod id, quod mutuo traditur « ex meo fit tuum, » textu expresso in *Instit.*, « Quibus modis re contrahatur obligat., » ubi sic præcise habetur : « Inde etiam dictum est mutuum : quia ita a me tibi datur, ut ex meo tuum fiat; et concordat l. *Mutuum* 2, ff. *De rebus creditis*, et cod. *Si certum petatur*. (2. Unde mutuum recte definitur, quod sit « gratuita rei traditio numero, pondere, vel mensura constantis, facta eo animo, ut statim fiat accipientis, cum obligatione, ut similis in specie, et bonitate restituatur. » Est in re communis, et desumitur ex ipsismet verbis Justiniani imperator., *l. c.*, ubi dicit : « Mutui autem datio in iis rebus consistit, quæ pondere, numero, mensurave constant, veluti vino, oleo, frumento, pecunia numerata... quas res in hoc damus, ut accipientium fiant, et quoniam nobis non eadem res, sed aliæ ejusdem naturæ, et qualitatis reddantur. »

(3. Mutuum dare et accipere possunt omnes illi, qui possunt contrahere, de quibus dictum est satis sub verb. Contractus. Ita *communis*. Contrahere enim ut sic, tanquam genus, comprehendit sub se omnes contractus, adeoque etiam mutuum.

(4. Advertendum tamen est primo, quod

Digitized by Google

civitas, ecclesia, monasteria, et alia pia loca non obligantur ad restituendum, vel solvendum mutuum, quod eorum rectores vel administratores acceperunt, nisi creditor probet, mutuum in civitatis, vel ecclesiæ, seu aliorum piorum locorum utilitatem conversum fuisse; alias autem soli dicti rectores vel administratores conveniri poterunt, et nullatenus civitas, vel ecclesia, seu alia pia loca, ut constat ex Authent. *Hoc jus porrectum*, cod. *De sacrosanct. ecclesiis*, quæ refertur etiam in cap. *Ea enim* 2, caus. 10, quæst. 2, et l. *Civitas*, cod. *Si certum petatur*, juncta l. 1, cod., *De solut. et liber. debit., Civit.*, lib. XI. Sic Bartolus in l. *Civitas*, ff. *De rebus cred.*, Panormit., cap. 1, *De deposit.*, num. 9, et fusius cap. *Quod quibusdam*, De fidejussor.; Lugo, tom. II, disp. 25, sect. 1, n. 2; Rosignol., *De contractibus*, contract. 3, De mutuo, prænot. 4, n. 4; Reiffenst., *Theolog. moral.*, tract. 8, dist. 5, De contractibus, quæst. 1, n. 7; Engel tit. *De pactis*, n. 43, et alii passim.

(5. Advertendum est secundo, quod si filii, vel filiæfamilias sine consensu parentum pecuniam mutuo acceperint, neque ipsi, neque parentes ipsorum teneantur ad restitutionem mutui. Sic expresse habetur in l. 1 et sequentib., ff. et cod. *Ad Macedonianum*, et Institut. *Quod cum eo, qui in aliena est potestate*; § penult. Cum enim quidam Macedo fœnerator soleret mutuum dare filiisfamilias indigentibus, qui postea, cum non haberent unde restituerent, moliebantur mortem suis parentibus, ut in eorum bonis succederent, quibus possent satisfacere. Ad occurrendum his gravissimis malis, conditum, et promulgatum fuit senatusconsultum Macedonianum, ab ipso Macedone sic dictum, quo iidem filiifamilias eximuntur a quocunque onere restitutionis.

(6. Filiifamilias non obligantur ad restitutionem mutui, etiamsi vigesimum quintum annum suæ ætatis excedant, quia dictum privilegium factum est, non tam in favorem filiorum, quam parentum, ut sic parentes liberentur a periculo mortis, quæ ipsis a filiis ratione similis mutui potest intentari, mors autem potest parentibus intentari a filiis, sive annum vigesimum quintum excesserint, sive non, adeoque etc. *Communis.*

(7. Filiifamilias neque post obitum parentum tenentur ad restitutionem mutui, quod, ipsis viventibus, acceperunt, quia dictum senatusconsultum Macedonianum exstinguit in initio contractus totaliter obligationem restitutionis similis mutui; obligatio autem semel exstincta non amplius reviviscit, adeoque, etc. Molina disp. 301, versic. *Privilegium hoc extenditur*; Azorius, *Instit. moral.*, p. III, lib. VII, cap. 3, q. 4; Rosignol., *loc. cit.*, n. 5; Lugo, *loc. cit.*, n. 3, et alii passim.

(8. Tale privilegium valet, non solum pro foro exteriori, sed etiam pro interiori animæ, seu conscientiæ, quia hæc lex publica auctoritate inducta est in commune bonum, et justa est; quælibet autem lex justa obligat, et valet, non solum pro foro externo, sed etiam pro interno, adeoque, etc. Sic expresse tenent Innocentius, et Panormitanus in c. *Quia plerique*, De immunitate eccles., n. 26; Antonius Gomez, tom. II, *Resolut.*, c. 6, n. 2; Lugo, *loc. cit.*, n. 3; Lessius, lib. II, cap. 20, n. 8; Herincx, disp. 3, *De contractib.*, n. 5; Rosignol., *loc. cit.*, n. 6; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 8; Sanchez, et alii passim.

(9. Excipiuntur multi casus, in quibus filiusfamilias, et quandoque ejus pater tenetur mutuum restituere, nec potest uti exceptione senatusconsulti Macedoniani. Primus igitur casus est, quando filiusfamilias habet bona castrensia, seu quasi castrensia, quia tunc, cum filius habeat, unde solvat independenter a bonis patris, cessat periculum ipsius occisionis propter talia bona. Sic expresse habetur l. 1, § ultim. et in l. 2, ff. *Ad Macedonianum.*

(10. Secundus casus est, quando filius mutuum accepit inscio patre, qui tamen postea contractum ratum habuit, et approbavit, vel per expressum consensum, vel per solutionem partis mutui; et a fortiori, si filius mutuum accepit jussu patris, vel ipso sciente, et non contradicente, et pater erat solitus solvere mutuum filii, quia tunc cessat præsumptio, et periculum occisionis patris propter talem restitutionem faciendam, leg. ultima, cod. *Ad Macedonianum.*

(11. Tertius casus est, quando filius tempore recepti mutui credebatur esse sui juris, nec levi fundamento mutuans id credit, vel ex eo, quod officium aliquod publicum exerceret, vel mercaturam, ut paterfamilias, quia tunc cessat præsumptio dicti periculi. Leg. *Si quis patrem*, l. penult., ff. *Ad Macedon.*, l. 1 et 2, Cod. eod. tit.

(12. Quartus casus est, quando filius mutuum accepit, et insumpsit in commodum et utilitatem patris, quia tunc nullum est periculum de nece patris propter solutionem talis mutui, cum in ipso casu pater ipse in defectum filii teneatur restituere. L. *Si filiusfamilias*, et l. *Si tamen*, ff. *Ad Macedonianum*, et l. *Si permittente*, Cod. eod. tit.

(13. Quintus casus est, quando filius accepit mutuum ob causas, propter quas pater secundum rectam rationem tenebatur subministrare, v. g. propter necessaria ad studia, vel propter alimenta, vel causa negotiationis, in qua pater ipsum implicavit; tunc enim cum pater ipse teneatur restituere in defectum filii, cessat dictum periculum, et finis legis deobligantis ad restitutionem. L. *Macedoniani. Ad senatusconsultum Macedonianum.*

(14. Sextus casus est, quando filius, tempore mutui accepti, erat militiæ addictus, quia speciale privilegium est illius status, ut sic milites possint per accepta mutua suis indigentiis in bello providere. L. *Filiusfamilias*, § *Sin autem*, cod. *Ad Macedonianum.*

(15. Septimus casus est, quando filius mutuo accepit, non pecuniam, sed rem aliam, ut triticum, vinum, et similia, dum-

Digitized by Google

modo illæ res in fraudem legis non dentur ea conditione, ut convertantur per alios contractus in pecuniam; nam senatusconsultum Macedonianum loquitur solum de mutuo in pecunia, adeoque non est extendendum ad alias res. Leg. *Sed Julianus*, § *Mutui*, ff. *Ad Macedonianum*. Dicitur autem notanter: « Dummodo illæ res non dentur in fraudem legis, etc., » quia fraus et dolus alicui patrocinari non debent. C. *Sedes* 15, et c. *Ex tenore* 16, De rescriptis, c. *Tuæ* 12, De clericis non residentibus, c. *Ex litteris* 2, De dolo et contumacia; l. *In fundo*, ff. *De rei vindic.*; leg. *Cum hi*, ff. *De transact.*, et l. *Si legatarius*, cod., *De legatis*, cum similibus.

(16. Octavus casus est, quando filius non accipit mutuum, sed fidejubet pro mutuatario, dummodo in fraudem legis fidejussione non palliet mutuum, quatenus pecunia mutuata ad ipsum deveniat, quia per mox citata jura fraus, et dolus alicui patrocinari non debent. Et ratio est, quia hic casus in jure non est expressus, nec ita præsumitur periculum necis in fidejussore, ac in principali debitore. L. *Si Julianus*, § *Item si duos*, ff. *Ad Macedonianum*.

(17. Præcisis supradictis casibus, quos admittunt communiter omnes doctores, filiusfamilias non tenetur ad restitutionem mutui, etiamsi renuntiaverit privilegio Macedoniani: quia senatusconsultum Macedonianum, non solum conditum est in favorem filiorum, sed multo magis in favorem parentum, ne, scilicet ipsorum mors ob restitutionem talis mutui a filiis intentetur. Nemo autem renuntiare potest privilegio in favorem alterius, et in odium delinquentium, ducto arg. cap. *Si diligenti* 12, De foro competenti. Et sic tenent Lugo *loc. cit.*, n. 3; Rosignol., *loc. cit.*, sub n. 14, et alii passim cum infra citandis.

(18. Imo filiusfamilias nec tenetur ad restitutionem, etiamsi juraverit tale mutuum restituere; quia in fraudem legis posset quilibet filiusfamilias, ad facilius obtinendum mutuum, interponere juramentum de ipso restituendo, et sic semper vigeret periculum intentandæ mortis patris; pro quo periculo evitando, et tollendo, fuit conditum, et promulgatum dictum senatusconsultum Macedonianum. Tum quia tale senatusconsultum ex dictis *supra*, n. 8, non solum obligat, et valet in foro externo, sed etiam in interno conscientiæ, adeoque, ipso stante, juramentum non solum est contra leges civiles, sed etiam contra bonos mores, contra bonum commune, et contra jus quod habent parentes per talem legem acquisitum.

(19. Nec valet dicere cum Lessio, lib. II, c. 20, dub. 2, n. 6; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 9, et aliis, quod juramentum in alterius favorem factum servandum sit, quando absque peccato servari potest, uti absque peccato servari potest in hoc casu. Non valet, inquam, quia tale juramentum est contra bonum alterius, in præjudicium legis, et boni publici. Unde sine peccato servari non potest. Ita Panormitanus in cap. *Cum contingat*, De jurejurando, n. 22; Innocentius in cap. *Quia plerique*, De immunitate Eccles., n. 26; Bartolus citatus, et secutus a Rosignol., *loc. cit.*, n. 14, in fine, et alii.

(20. Pupillus habens tutorem, et minor habens curatorem, si sine tutoris aut curatoris consensu aliquid nomine mutui accipiat, de jure civili non tenetur ad restitutionem, si illud amisit, vel imprudenter consumpsit; tenetur tamen, si ex ipso in aliqua parte factus sit locupletior. L. *Si frater tuus*, cod. *De filiofamilia minore*, ubi dicitur, « quod propter lubricum ætatis adversus eam cautionem in integrum restitutionem potuit postulare: » quod est notandum pro iis, qui minoribus sine curatorum, seu tutorum auctoritate dant mutuum. Dicitur autem notanter: « Si ex ipso mutuo in aliqua parte factus sit locupletior; » quia nemo ex re aliena cum injuria, et jactura domini potest ditescere, cap. *Locupletari* 48, De regul. juris, ibi: « Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria, vel jactura. » Dicitur etiam notanter: *De jure civili*, quia per talem mutui acceptionem pupillus pubes, vel pubertati proximus, et minorenis obligatur naturaliter, sive in foro conscientiæ, ut ex communiori diximus sub verb. CONTRACTUS, n. 32, *Vide ibi*, a n. 28 ad 35.

(21. Mutuare indigentibus est consilium, sicuti dare eleemosynam: nihil tamen inde sperare tanquam debitum ex ipso mutuo, est præceptum. *Communis* cum Rosignolo, *De contractibus*, contract. 3, prænot. 7, n. 2. (22. Usura enim est prohibita, nedum jure humano ecclesiastico, ut patet toto tit. *De usuris*, sed etiam jure divino, ut habetur ex pluribus sacræ Scripturæ testibus; *Levitici* enim XXV, 36, præcipitur expresse: *Ne accipias usuras ab eo, nec amplius, quam dedisti*, et *ibidem*, 37, subjungitur: *Pecuniam tuam non dabis eis ad usuram, et frugum superabundantiam non exiges.* Ezechiel propheta, XVIII, 13, numerat inter peccatores *ad usuram dantem, et amplius accipientem*; et *Lucæ* VI, 35, Christus ipse dicit: *Mutuum date, nihil inde sperantes.* Unde cap. *Super eo* 4, De usuris, expresse dicitur quod « usurarum crimen utriusque Testamenti pagina detestetur. » Et si aliquis pertinaciter assereret exercere usuras non esse peccatum, veluti hæreticus esset puniendus, ut est definitum in Clementina unica *De usuris*. *Vide* verb. USURA, n. 6. *V. Add. Cas.* in fin.

(23. Hinc mutuare ea intentione, ut sequiratur aliquid ex mutuo tanquam debitum ex justitia, etsi id minus principaliter intendatur, est usura mentalis. S. Thomas 2-2, qu. 78, art. 2, Cajetanus *ibidem*, art. 1, ad 4, et in *Summa*, verb. *Usura*, cap. *De usura mentali;* Navarr., in *Comment. de usura* 14, quæst. 3, cap. 10, n. 10; Molina, tract. 2, disp. 306, concl. 1; Sotus, lib. VI, qu. 2, art. 2; Lessius, lib. II, *De justitia et jure*, cap. 20, dub. 5, n. 39; Rosignol, *loc. cit.* prænot. 9, n. 2, et alii passim, arg. cit.; cap. VI *Lucæ*, ibi: *Mutuum date nihil inde sperantes;* et cap. *Consuluit* 10, De usuris,

Digitized by Google

ibi : « Consuluit nos tua devotio, an ille in judicio animarum, quasi usurarius debeat judicari, qui non alias mutuo traditurus, eo proposito mutuam pecuniam credit, ut, licet, omni conventione cessante, plus tamen sorte recipiat... Verum quia in his casibus, quid tenendum sit, ex Evangelio Lucæ manifeste cognoscitur, in quo dicitur : *Date mutuum nihil inde sperantes;* hujusmodi homines pro intentione lucri, quam habent, cum omnis usura, et superabundantia prohibeatur in lege, judicandi sunt male agere, et ad ea, quæ taliter sunt accepta, restituenda, in animarum judicio efficaciter inducendi. »

(24. Mutuare cum pacto conferendi aliquid supra sortem, non tanquam debitum justitiæ, sed tantum amicitiæ et gratitudinis, est usura; sic habetur expresse ex propositione 24 inter merito damnatas ab Innocentio XI die 2 Martii 1676, ibi : « Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur, tanquam ex benevolentia et gratitudine debitum, sed solum, si exigatur, tanquam ex justitia debitum. »

(25. Mutuans non potest licite aliquid supra sortem exigere a mutuatario, ex quo se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus. Sic expresse habetur ex propositione 42 inter justissime damnatas ab Alexandro VII die 18 Martii 1666, ibi : « Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus. »

(26. Mutuans non potest licite aliquid supra sortem exigere a mutuatario pro sola carentia pecuniæ, quam ei actualiter numeratam mutuavit; quia carentia illius pecuniæ ad aliquod tempus est intrinseca, et essentialis mutuo. Unde sicut nequit aliquid exigi pro mutuo, ita nec pro illa carentia; hinc Innocentius XI die 2 Martii 1696 jure merito inter alias damnavit sequentem propositionem 41 in ordine, ibi : « Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, et nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem a mutuatario exigere, et eo titulo ab usura excusari; » et ad id facit etiam alia propositio damnata ab Alexandro VII numero antecedenti allata.

(27. Mutuans cum pacto, ut mutuatarius ei vendat res suas, etiam justo pretio, vel ut emat res ab ipso, vel ut utatur ejus molendino, seu frequentet ejus officinam, vel ut patrocinetur suæ causæ, vel conducat ejus prædium, vel ut restituat in alio loco, vel ut restituat partem in pecunia, partem in mercibus, vel ut eum eximat a tributis, seu vectigalibus, vel ut ei præstet munus a lingua, a manu, ab obsequio, et his similia, committit usuram, quia obligatio civilis quoad hæc omnia adimplenda est pretio æstimabili, cum sic imponatur mutuatario onus aliunde indebitum, et privetur sua libertate, adeoque mutuans, imponens ei pro mutuo talem obligationem, committit usuram. *Communis.*

(28. Item usuram committit mutuans cum pacto, ut mutuatarius teneatur fidejubere pro ipso, quia tale onus, ut de se patet, est pretio æstimabilissimum, cum et afferat commodum mutuanti, et incommodum, seu periculum mutuatario, adeoque mutuare cum tali pacto est usura. Cajetanus, 2-2, quæst. 78, art. 2, ad quartum; Sotus, lib. VI, *De justitia*, q. 1, art. 2, ante responsionem ad secundum; Joannes Medina, *De rebus per usuram acquisitis*, qu. 4, ad primum principale, et alii passim.

(29. Mutuare frumentum, vel vinum de præsenti, quo minoris valet, cum pacto, ut restituatur in eadem quantitate pro tempore, quo prævidetur certo, vel quasi certo pluris valiturum, est usura, quia sic plus exigitur quam datur, et supra sortem datam imponitur mutuatario onus pretio æstimabile, quod scilicet restituere debeat in eadem quantitate pro tempore, quo prævidetur certo, vel quasi certo frumentum, vel vinum pluris valiturum. (30. *Communis.* Non est tamen usura, si sit æquale dubium, an pro tempore restitutionis sit valiturum pluris, vel minoris, quia tunc uterque contrahentium æquali fortunæ sponte se subjicit : est enim tunc velut ludus sortis cum æquali jure, et periculo commodi, vel damni utriusque. *Communis.*

(31. Sic pariformiter est dicendum de pecunia mutuata cum pacto, ut restituatur in eadem omnino specie, et numero pro tali certo tempore; nam si æquale sit dubium, vel periculum incrementi, vel decrementi valoris ejusdem, nulla est usura propter rationem supradictam. *Communis.* Si vero certo, vel quasi certo credatur pro tali tempore augendum valorem, injustum et usurarium est tale pactum. Unde tunc non sunt restituendi tot omnino aurei, quot mutuo sunt accepti, sed solum tot ad ratam valoris ipsorum pro tempore mutui accepti. *Communis.*

(32. Excipe tamen, nisi ipse mutuator talem pecuniam, tale vinum, tale frumentum, et hujusmodi servaturus fuisset usque ad illud tempus, quo pluris distrahere potuisset; tunc enim revera ejus interesset antea non mutuasse, et consequenter ratione lucri cessantis poterit pacisci pretium illius temporis, a quod usque servaturus fuisset, deducta tamen æstimatione custodiæ, conservationis, laboris, vel periculi, quod servando frumentum, vel vinum, et hujusmodi interim subire debuisset. *Communis.*

(33. Mutuans potest sine labe usuræ pacisci, ut mutuatarius teneatur aliquid ultra sortem ei restituere ratione damni emergentis; si enim, qui pecuniam destinatam ad emendum frumentum, vel vinum tempore abundantiæ mutuo det, et ob id postea cogatur emere cariori pretio, aut ex absentia pecuniæ mutuatæ res suas viliori pretio vendere cogatur ob occurrentes necessitates, potest juste compensationem talis damni sibi emergentis in pactum cum mutuatario deducere, quia damnum illud emergens, quod subit

Digitized by Google

mutuans in favorem, et commodum mutuatarii, est secundum se pretio æstimabile, adeoque potest mutuans juste pacisci, et exigere, ut illud damnum per mutuatarium sibi compensetur, cum nemo cum suo damno regulariter mutuare teneatur, et soleat. *Communis*, cum S. Thoma 2-2, qu. 78, art. 2, ad 1, et Scoto, in 4, dist. 15, qu. 2, art. 2, n. 18, ubi sic expresse dicit : « Debitor, ex cujus non solutione creditor notabiliter damnificatur, tenetur de justitia satisfacere creditori de interesse, etc. » Unde merito mirantur Scotistæ, quomodo ab adversariis citetur in oppositum, quem si legissent attente, et post eum Mastrium in *Theologia morali*, disput. 5, q. 2, art. 3, certe in contrarium non citassent.

(34. Ut autem juste et licite exigatur talis compensatio damni emergentis, requiruntur tres conditiones. Prima, ut ipsum mutuum sit revera causa talis damni emergentis, quatenus ex ipsa mutuatione sequatur, quod mutuans damnum sibi imminens non possit reparare, nisi cum majori damno, vel vendendo res suas viliori pretio, vel alienas sibi necessarias emendo pretio chariori, vel ob occurrentes necessitates accipiendo pecuniam ab aliis mutuam cum usuris; si enim mutuans habeat alias pecunias, quibus possit sibi impedire tale damnum, non potest dictam compensationem exigere a mutuatario, cum revera mutuum non sit causa illius damni. Secunda, ut servetur æqualitas, id est non exigatur ultra sortem, nisi quantum revera est damnum, vel damni periculum. Tertia, ut mutuans expresse moneat mutuatarium de tali damno emergente compensando, fortasse enim mutuatarius nollet cum eo onere mutuum accipere, sed cum minori dispendio vellet alio modo sibi, rebusque suis consulere. *Communis*.

(35. Mutuans potest licite pacisci cum mutuatario, ut ei teneatur præstare aliquid ultra sortem ratione lucri cessantis; si enim quis det mutuum centum aureos, ex quibus alioquin fuisset negotiaturus cum spe intra certum tempus lucrandi alios quinque aureos, potest istos a mutuatario ultra sortem exigere, quia non dicitur petere usuras, sed potius interesse, ne scilicet ipse mutuans, ratione mutui dati ex lucro sibi cessante, damnum patiatur : aliud enim est mutuum, et aliud lucrum cessans ratione mutui dati. Unde quamvis mutuum debeat dari gratis, juxta illud *Lucæ* VI: *Mutuum date, nihil inde sperantes*, sicque pro mutuo secundum se præcise spectato nihil supra sortem exigi possit, potest tamen mutuans aliquid supra sortem a mutuatario exigere, ut lucrum inde sibi cessans, sicuti etiam damnum sibi inde emergens compensetur; arg. cap. *Pervenit* 2, De fidejussorib., ibi : « Ne dispendium patiatur, unde videtur præmium meruisse. » Et hoc in jure vocatur *interesse*, prout notat *Glossa* in cap. *Quoniam* 14, quæst. 4, atque desumitur ex l. *Si commissa* 13, ff. *Rotam rem haberi*, ibi : « In tantum competit, in quantum mea interfuit, id est quantum mihi obest, quantumque lucrari potui. » Sic communis doctorum, paucis exceptis, et revera etiam Scotus, *loc. cit.*, quamvis ab adversariis in contrarium citetur.

(36. Ut tamen juste, et licite exigatur hujusmodi compensatio lucri cessantis, requiruntur itidem tres conditiones. Prima, ut revera mutuatio sit causa talis lucri cessantis, id est, ideo alicui lucrum cesset, quia mutuum dat, alioquin non cessaturum, adeoque requiritur, quod pecunia mutuo danda, fuerit revera destinata ad negotiationem, vel ad emptionem alicujus rei fructiferæ, et subtrahatur a tali destinata negotiatione, vel emptione, præcise ut mutuatario conferatur. Unde requiritur, quod mutuans non habeat aliam pecuniam omnino otiosam, quam commode possit implicare in negotiatione, seu emptione loco mutuatæ, aliter non poterit lucrum cessans exigere, cum revera in tali casu nullum lucrum ipsi cessaverit ratione talis mutuatæ pecuniæ, cui poterat commode substituere illam aliam omnino otiosam. Dicitur autem notanter *omnino otiosam:* Nam si habeat aliam necessariam ad alios eventus, verb. grat. ad dotandas filias, ad collocandos filios, ad suo statui, seu conditioni provide consulendum, et hujusmodi necessitates, quæ inopinate possunt occurrere, tunc etiam poterit exigere lucrum cessans a mutuatario, quia revera illa mutuatario essent causa cessationis lucri, cum de facto talis pecunia mutuata sibi fructificatura esset, nec pro mutuo dando teneretur se privare illa alia pecunia in capsa reservata, tanquam necessaria ad supradictos eventus. Sic Layman, lib. III, tract. 4, cap. 16, n. 8; Molina, t. II, disp. 216; Lessius, lib. II, c. 20, n. 87; Rosignol. *De contractib.*, contract. 3, prænot. 13, n. 8; Sporer, tom. II, tract. 6, cap. 4, n. 44; Lugo, tom. II, disp. 25, sect. 6, a n. 90 ad 95, ubi cum aliis ibi citatis multa ad rem. Secunda conditio est, ut servetur æqualitas, id est non exigatur ultra sortem, nisi quantum istud lucrum cessans valere potest, detractis expensis faciendis, vel æstimatione periculi, ac incertitudinis lucri, et aliis hujusmodi judicio peritorum in tali arte versatorum, quia lucrum in spe incertum, periculosum et dispendiosum minus valet, quam lucrum in re certum, et securum sine dispendio. Tertia conditio est, quod mutuans præmoneat mutuatarium de tali lucro cessante compensando, quia fortasse ille nollet sub hoc onere mutuum accipere. Et insuper, quod talis compensatio lucri cessantis non exigatur statim, ac datur mutuum, sed postea, tempore conveniente, quo scilicet mutuans fecisset illud lucrum, si non mutuasset, quia si mutuans, v. gr. mille pro quinquaginta, exigeret statim ac mutuat, dicta quinquaginta, jam non mutuaret mille, sed solum 950 et sic tantum exigeret a mutuatario pro 950 quantum pro mille, quod manifeste illicitum est, cum sic plus exigeret pro lucro cessante, quam lucrum ei cessaret.

(37. Mutuans potest licite exigere aliquid proportionatum ultra sortem ratione periculi

Digitized by Google

ipsam sortem amittendi, aut difficultatis eam recuperandi : si enim quis ex conditione mutuatarii, qui sit homo dubiæ fidei, inops, et pluribus debitis obstrictus, rationabiliter timeat, ut deficiat in solvendo, aut non nisi cum expensis, aut magna molestia sortem ab ipso recuperare possit, potest licite exigere aliquod lucrum tali periculo proportionatum judicio alicujus experti, cum tale periculum sit sine dubio pretio æstimabile. Sic Lugo, d. disp. 25, n. 81; Diana part. 1, *Tr. de controvers.*, resol. 37; Rosignol., *loc. cit.*, prænot. 13, n. 10; Felix Potestas, tom. I, part. II, n. 2396; Laym., *loc. cit.*, Sporer, *loc. cit.*, n. 52, cum Silvest. Medina, Petro Navarro, Valentia, Sa, Molina, Lessio, et communiori doctorum contra Sotum, Navarrum, et varios alios (117).

(38. Mutuans potest licite aliquid moderatum exigere a mutuatario ratione pœnæ

(117) *Notæ Romani theologi.* — Novum de mutuo articulum addere constitueram, in quo fusius, et clarius mutui naturam, ac proprietates exponerem, quo facilius lectores possent ex perspicua mutui notione intelligere, quid mutuo intrinsecum, quid extrinsecum sit, atque usuras non apertas tantum, sed etiam occultas, et palliatas agnoscere, et devitare. Sed cum pleraque ex iis, quæ dicturus eram, ad usuram pertinerent, novum hunc articulum septimo adjiciendum tomo stabilivi, in quo de usura ex professo disputatur. Hic tamen paucis monendum lectores duxi, ut doctissimis censoribus morem gererem, atque ea animadvertere, quæ doctissimi hujusmodi viri adnotanda esse existimarunt. Itaque primum animadverto, mutuantibus serio istud inculcandum esse, ut scilicet mutuent animo charitatis, et benevolentiæ, non spiritu avaritiæ, vel spe majoris lucri incitati : mutuum enim contractus est natura sua destinatus ad charitatis exercitium erga pauperes, et indigentes. Atque inter Christianos, ut ferventior vigere charitas debet, ita promptior debet esse animus ad mutuandum indigentibus, omni lucrandi animo, omnique spe lucri remota. Audiant Christum Lucæ VI prædicantem : *Si mutuum dederitis his a quibus speratis recipere, quæ gratia est vobis ? Nam et peccatores peccatoribus fœnerantur, ut recipiant æqualia. Verumtamen diligite inimicos vestros ; benefacite, et mutuum date, nihil inde sperantes ; et erit merces vestra multa, et eritis filii Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos et malos.* Duo in illis Christi verbis continentur præcepta, affirmans unum, alterum negans ; primum per hæc exprimitur verba *mutuum date*, et ut cætera affirmantia præcepta, semper, sed non pro semper obligat ; alterum vero usuram prohibens verbis istis constat, *nihil inde sperantes*, quod negans cum sit, semper, ac pro semper homines obligat. Atque hinc consequitur teneri Christianum hominem ad subveniendum, dum possit, per mutuum proximo suo ; nec quidpiam ob hujusmodi contractum exigere, ac sperare licite posse. Non id tamen fit, ut damni inde emergentis justam compensationem exoscere licite non possit. Cavendum vero semper est, ne charitatis loco avaritia, aut lucri spes in animo vigeat ; hoc enim in casu contra naturæ legem, ac Christi præceptum ageret.

Deinde invaluit quoque theologorum opinio, quæ omnino certi lucri cessantis compensationem probet. At ne hac via spem lucri, atque avaritiam hominis foveamus, monere hic lectores operæ pretium duximus, opinionem hanc recentem esse, ac facile palliandæ usuræ occasionem præbere posse. Nam apud antiquos Ecclesiæ Patres de hoc lucri cessantis titulo altum silentium est ; et antiquiores theologi titulum hujusmodi omnino rejecerunt. Ne vero id gratis asseruisse videamur, transcribere placuit verba doctissimi theologi Patris Dominici Soto, qui *De justitia et jure*, lib. VI, q. 1, art. 3, conclus. 4, hæc habet. « Quod hoc modo possit lucrum cessans in pactum duci, non est adeo certum, ut patroni assertionis hujus arbitrantur, sed est tum minus probabile, tum quamplurimis usurarum periculis expositum. Et quidem, quod non sit usque adeo certum, multis rationibus comprobatur. Primum nullam juris, aut canonici, aut civilis legem invenies, quæ hoc permittat : quod certe non est infimum argumentum. Nam, cum tam frequentes existent, quæ usuras ratione moræ pendi jubent, videlicet dum mutuator, vel quis creditor invitus re sua caret, si spontanea hæc lucri cessantis pactio tam plane licita esset, non deesset lex, quæ id insinuaret. Mox, si priscos doctores consulas, D. Thomas id negat, consulto dignoscens inter damnum emergens, et lucrum cessans, nempe quod illud licet in conventione ponere, hoc vero minime. » Cujus sententiæ accedit Scotus in 4, dist. 27, q. 2 ; Durandus, in 3, dist. 37, q. 2, et inter jurisconsultos, Innocentius super cap. *Naviganti* : « Imo inter antiquos, gravesque, seu juris, seu theologiæ doctores, neminem invenies, qui explicitis verbis id astruat, nisi ratione moræ, aut alicujus culpæ debitoris. » Primus, qui expresse contrariam opinionem docuerit, citatur Conradus Sunhemart, recens auctor, inquit idem Sotus, qui cum formidine, et timore eamdem defendit, septem conditionibus vallatam. Post Silvester, Cajetanus, Adrianus, qui fatentur esse opinionem modernorum. Tandem temporis successu evasit, ut sit inter juniores communis. Placet hic afferre verba S. Thomæ 2-2, qu. 78, art. 11, ad 1 : « Dicendum, inquit, quod ille, qui mutuum dat, potest absque peccato in pactum deducere cum eo, qui mutuum accipit, recompensationem damni, per quod subtrahitur sibi aliquid, quod debet habere. Hoc enim non est vendere usum pecuniæ, sed damnum vitare : et potest esse, quod accipiens mutuum majus damnum evitet, quam dans incurrat. Unde accipiens mutuum, cum sua utilitate damnum alterius recompensat. Recompensationem vero damni, quod consideratur in hoc, quod de pecunia non lucratur, non potest in pactum deducere : qui non debet vendere id quod nondum habet, et potest impediri multipliciter ab habendo. » Hæc notanda, ac serio animadvertenda lectoribus proposui, ut videant, quam caute homini Christiano procedendum sit in pactione ineunda de recipiendo ex mutuo auctario titulo lucri cessantis ; cum enim vix quidem contingere soleat, ut exacte serventur conditiones necessariæ ad licitam constituendam hujusmodi pactionem, non adeo facile permittendi sunt hujusmodi contractus. Audiant hac de re Medinæ, et Toleti consilium : ille enim in quæsit. in quibus casibus licitum est mutuanti, etc., postquam conditiones recensivit necessarias ad hujusmodi titulum cohonestandum, statim subnectit : « Sed quoniam in his, qui mutuantur, rarissime hæc omnia requisita concurrunt ; ideo tales contractus, in quibus aliquid ultra capitale ratione interesse lucri cessantis exigitur, dissuadendi sunt, ut fiant. » Toletus vero, in *Instruct. sacerd.*, lib. V, cap. 33, sub finem capitis hæc habet : « Hæc igitur de lucro cessante dicta sint. Securius est a tali abstinere lucro, et gratis mutuare, cum nullum damnum emergit. »

Non adeo facile pronuntiandum est, licitum esse lucrum mutuanti propter periculum, cui exponitur, amittendi sortem. Primum enim illicitum illud videtur jure illo divino, quo mutuum ad pauperum levamen destinatum est, quoque pauperum vetita est oppressio per illa verba *Exodi* XXII, 25 : *Si pe-*

Digitized by Google

conventionalis. Si enim mutuans conveniat cum mutuatario, ut si tempore præfixo mutuum non restituerit teneatur in pœnam dilationis solvere aliquid ultra sortem principalem, tunc mutuans potest licite id exigere, et mutuatarius tenetur solvere, quia

cuniam mutuam dederis populo meo pauperi, usuris non opprimes eum. Porro si Deus præcipit ut gratis mutuum detur pauperi, si mutuum dare jubet indigentibus, nihil inde sperantes, quis non videt aperte prohibere aliquid supra sortem recipere ob periculum, quod paupertas, et indigentia ipsa secum adnexum habere videntur? Nam hoc periculum a tali mutuo inseparabile omnino est. Aiunt auctores, quos Lucius laudat, periculum istud tolli per fidejussores, aut pignus posse, ideoque mutuo extrinsecum esse. At falsum id generatim est. Nam, qui inopia pressi, mutuum postulant, ordinarie non possunt fidejussorem, aut pignus mutuo æquivalens præbere. Cum ergo ii vere pauperes sint, ac etiam cum his servari debeat illud Christi mandatum, *Mutuum date, nihil inde sperantes*, manifestum est nil supra sortem recipere homines posse, dum hominibus hujusmodi mutuantur. Periculum ergo istud sufficiens titulus non est recipiendi aliquid supra sortem; nam hujusmodi lucrum manifeste in pauperum oppressionem cederet. Deinde non licet aliquid supra sortem accipere ratione periculi, quod in omni mutuo secundum se spectato reperitur; tum quia non licet aliquid accipere supra sortem pro eo, quod est de ratione intrinseca mutui; alioqui vi mutui præcise liceret aliquid supra sortem accipere : atqui periculum generale est de intrinseca ratione mutui, ut ex ipsa definitione patet; tum etiam, quia mutuantis conditio melior esse non debet conditione mutuatarii, plena enim esse debet in omni contractu æqualitas : atqui longe melior esset mutuatarii conditio, si posset mutuans aliquid supra sortem exigere ratione periculi intrinseci secundum se spectati; hoc enim periculum subiret ipse mutuans, etiamsi rem suam mutuo non daret; potest enim ea apud illum sicut et apud mutuatarium innumeris casibus fortuitis absorberi. Denique « ut mutuator, inquit Pater Concina, pro periculo pretium exigat, in se periculum suscipere, et mutuatarium a periculo liberare debet. Cur enim mutuatarius ad solvendum pro hoc periculo pretium astringitur, si a periculo non liberatur? Quid emit, quid accipit mutuatarius; ob quod solvere pretium teneatur? Mutuator quid beneficii confert mutuatario præter mutuum? Nihil accipi posse fatentur adversarii præter sortem. Pretium ergo exigit, quin mercem ullam tradat mutuatario. Iniquum ergo est pretium istud pro nihilo solutum. Urgeo sub alio aspectu hanc rationem. Si mutuatarius reipsa jacturam pecuniæ mutuo acceptæ patiatur, nonne, si solvendo sit, tenetur integram pecuniæ sortem restituere? Dubio procul. Solvit ergo periculi pretium. Nam periculum istud unice spectat sortis jacturam. Ergo quoties mutuatarius capitale reddit, totum periculi pretium solvit. Quid plura? Nonne mutuatarius in ipsa mutui acceptatione suscepit periculum restituendæ sortis? Nonne si capitale mutualitium, vel furto sublatum mutuatario sit, vel negotiationi expositum, vel quocunque alio eventu perierit, ad restitutionem integri capitalis astringitur? Solvit ergo periculi pretium integrum. Pretium enim periculi excedere sortis pretium nequit; cum periculum circa sortem non sit damnum diversum ab ipsa sorte. Credo : potestne mutuatarius cogi ad certum pretium solvendum pro damno emergente, quando ipse se velit obstringere ad cujusque futuri damni compensationem? Negant omnes. Atqui mutuatarius reipsa suscipit periculum compensandi omne damnum, quod ex sortis jactura oriri posset; cum se obliget ad restituendam sortem in omni eventu; ergo, dum sortem restituit, plene compensat omne damnum; cum damnum sortis non superet sortis pretium, ut dictum est. Quid infelix mutuatarius, si sortem, vel fortuna adversa, vel iniquis prædonibus rapientibus, amiserit, eam integram reddere debebit; et tenebitur insuper pretium solvere, quod has calamitates passus sit, vel pati potuerit? Hæcne evangelica doctrina? hæcne Christi charitas?

« Confirmo rationem adductam furis paritate. Fur subripit centum aureos. Pœnitentia ductus eosdem restituit. Nunquid pretium periculi solvere tenetur creditori? Negant omnes ad unum theologi. Et tamen majus est periculum pecuniæ raptæ, quam pecuniæ mutuatitiæ. Respondent juniores, paritatem hanc nullius esse roboris. Quoniam ideo fur non tenetur solvere periculi pretium, quia nulla pacta inter furem, et dominum conventio fuit periculi istius solvendi; contra inter mutuatorem, et mutuatarium hæc præcessit conventio. Lepidum profecto effugium. Quid nunc in disputationem vocatur? Nonne utrum sit periculum, istud pretio æstimabile? An sit titulus verus pretio compensandus? Quid respondes? Negas? Usura ergo est pro illo pretium exigere. Ais? Ergo potiore jure fur, quam mutuatarius illius solvere pretium tenetur. Insistis : Nulla inter furem et dominum conventio præcessit. Opponine hæc possunt absque communis sensus præjudicio? Ut conventio justa sit, justo niti titulo debet. Titulus ergo istius mutuæ pactæ conventionis ostendi, et evinci debet. Et cum titulus a mutuo distinctus, chimericus a me probatus sit, commentitia quoque, et fœneratitia conventio est. Cæterum quomodo præcedere inter latronem, et dominum conventio poterat, si fur, inscio domino, rem surripit? Neque de damno emergente conventio præcessit. Ergo fur compensare damnum emergens non astringitur, si illud passus dominus est. Neque præcessit pactum de restituenda re rapta. Ergo ad restitutionem fur non tenetur? Sed quid in convellendo vanissimo effugio tempus tero; cum hæc inepta sophismata evidentissimam patefaciant conclusionem nostram? Paucis rem hanc perstringo. Titulus suapte natura justus, et pretio æstimabilis in mutuo, hoc suum pretium non amittit in furto. Et titulus, qui in furto pretio æstimabilis non est, neque in mutuo pretio dignus esse potest. Alioquin melior esset conditio furis, quam mutuatarii. Hoc solum inter mutuatarium, et furem discrimen est, quod mutuatarius neque pretium justi tituli, puta damni emergentis, solvere tenetur, nisi præcedat conventio : quia in quolibet contractu libere convenire partes debent. Et quoties mutuator damnum, quod ratione mutui patitur, non manifestat, et de eo, cum possit, non paciscitur, præsumitur illud mutuatario donare. Hæc pacta cum fure iniri nequeunt. Ideo fur ultra restitutionem sortis compensare ea omnia damna tenetur, quæ ob furtum passus fuerit dominus, licet nullum præcesserit pactum. Juxta omnes ad unum theologos fur non tenetur compensare periculum amittendæ sortis. Ergo juxta omnes periculum amittendæ sortis, neque in furto, neque in mutuo est pretio æstimabile.

« Verum ratione adhuc evidentiori, et causæ nostræ intimiori confirmo propositionem meam. Finge aliquem per vim, aut fraudem cogi ad mutuandum cum periculo sortis amittendæ. Is violentus, vel fraudulentus mutuatarius ad quid esset astrictus? Ad restituendam sortem, et omnia damna, quæ tali occasione passus fuisset mutuator coactus, quamvis nullum de his damnis pactum præcessisset. Quid ratione periculi sortis amittendæ? Nihil omnino compensare teneretur, ut omnes fatentur, sicut dictum est de fure. Ergo evidens est periculum non esse a sorte diversum, sicut diversa sunt cætera damna. »

Digitized by Google

id non exigitur præcise ratione mutui, sed ratione culpabilis moræ solvendi mutuum ultra tempus conventum, seu præfixum: debitor enim, qui est in mora culpabili, peccat contra justitiam retinendo alienum invito domino, adeoque juste punitur pœna conventionali mutuo paciscentium consensu conventa, l. *Stipulationum* 2, § final., l. *Item juris* 3, l. *Stipulatio ista* 38, § 17, *De verborum obligationibus*; cap. *Contractus* 85, De reg. jur., in 6, ibi: « Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur. » Et sic tenet Scotus in 4; dist. 15, qu. 2, art. 2, n. 18; Mastrius, Laym., Molina, Lugo, Sporer, Reinffest., Lessius, Tamburin., et alii communiter.

(39. Mutuatarius qui non pecuniam, sed alias res, v. g. triticum, vinum et hujusmodi mutuatus est, et eas quales esse debent non reddit, aut eas non reddit in tempore seu loco convento, tenetur solvere justam earumdem rerum æstimationem pro tempore et loco in quo eas reddere debebat. (40. Si autem non convenit cum mutuante nec de tempore nec de loco in quo eas reddere deberet, tunc reddere eas debet secundum æstimationem, quam habent in tempore et loco in quo petuntur et restituuntur, textu expresso in l. *Si merx aliqua* 4, ff. *De condict. tritic.*, ibi: « Si merx aliqua quæ certo die dari debebat, petita sit, veluti vinum, oleum, frumentum, tanti litem æstimandam Cassius ait, quanti fuisset eo die, quo dari debuit; si de die nihil convenit, quanti tunc cum judicium acciperetur. Idemque juris in loco esse, ut primum æstimatio sumatur ejus loci quo dari debuit. Si de loco nihil convenit, is locus spectetur quo peteretur. Quod et de cæteris rebus juris est. » (41. Si vero res fuerunt mutuo acceptæ secundum æstimationem factam in tempore et loco mutui accepti, tunc mutuatarius eas reddere debet secundum talem æstimationem, licet in tempore et loco restitutionis chariores, seu viliores evaserint, l. *Æstimatis rebus* 50, l. *Æstimatæ res* 90 ff. *Soluto matrimonio* cum similibus. (42. Si tamen æstimatio facta non fuerit in ipso mutui tempore et loco, tunc res reddi debent secundum æstimationem, quam habent in tempore et loco quo restituendæ sunt. (43. Et si non facta æstimatione, neque de tempore, neque de loco fuerit conventum, tunc debent restitui secundum æstimationem quam habent in loco et tempore quo petuntur et restituuntur, textu expresso in leg. *Vinum* 22, *ff.* lib. XII, tit. 1, *De rebus creditis*, ibi: « Vinum quod mutuum datum erat per judicem petitum est, quæsitum est, cujus temporis æstimatio fieret; utrum cum datum esset, aut cum litem contestatus fuisset, an cum res judicaretur? Sabinus respondit, si dictum esset, quo tempore redderetur, quanti tunc fuisset; si non, quanti tunc, cum petitum esset. Interrogavi cujus loci pretium sequi oporteat? Respondit, si convenisset, ut certo loco redderetur, quanti eo loco esset. Si dictum non esset, quanti, ubi esset petitum. » Sic quoad omnes has conclusiones passim doctores. Cum enim jus canonicum nihil statuerit contra dictas leges civiles, eas sequi possumus et debemus pro utroque foro, tum exteriori, tum interiori.

(44. Mutuans, accepto pignore a mutuatario, cum pacto, ut interim fructus pignoris lucretur, nisi adsit alius justus titulus, committit usuram, et tenetur tales fructus perceptos ex pignore computare in sortem. *Communis*, claris textibus in l. *Ex pignore* 1 l. *Quod ex operis* 2, cod. *De pignoratitia actione*, l. *Fundum pignori* 1, cod. *De distract. pignor.*, cap. *Cum contra* 6, et cap. *Significante* 7, De pignoribus; cap. *Quoniam* 2, et cap. *Conquestus* 8, De usuris. Et ratio est, quia omnis res domino suo fructificat, dominus autem pignoris non est mutuans, sed mutuatarius, adeoque pignus debet fructificare mutuatario, et non mutuanti, et consequenter pactum illud est usurarium.

(45. Notanter autem dicitur: « Nisi adsit

Vide, mi Luci, num jure Romani censores improbaverint assertionem n. 37 expositam? Non te, frater charissime, quem summopere diligunt, atque ob morum innocentiam, et probitatem, nec non assiduum litterarum studium, venerantur et colunt, sed opiniones illorum auctorum reprehendunt, quibus usus es in tua consarcinanda *Bibliotheca*; norunt enim ex indole tua, te sententiam mutaturum fuisse, si meliores adhibuisses libros et auctores. Sed age. Sit periculum aliquod sufficiens titulus ineundi pacti, pro assecuranda sorte, quidpiam lucri percipiendi. Nunquid omne periculum sufficiens titulus erit? Nunquid periculum, quod ex inopia et paupertate mutuatario oritur? Absit. Ergo solum periculum, quod vere fundatum sit, quod peculiare sit, quodque ita in pactionem venire possit, ut ob istud decerni auctarium possit, quin vel minima suspicio adsit, lucrari hominem ex mutuo. Difficile vero est, ac vix dari casus potest, ut usura vacet mutuum illud, in quo, ratione periculi, quod externum mutuo existimatur, quidpiam supra sortem recipitur; ut vel auctores ipsi asserunt, qui hanc opinionem tuentur. Ratio præsto est, quia, ut licite ob tale periculum quidpiam ultra sortem recipiatur, nonnullæ servandæ sunt conditiones, quæ raro, ac vix unquam servantur. Primo enim necesse est, ut voluntas absit lucrandi ex mutuo, quia secus, excluso quoque pacto, usura mentalis erit. Secundo, periculum debet esse verum, probabilibusque fundatum conjecturis; non autem, fictum, prout facile fingitur ab iis, qui lucrari amant. Tertio mutuatario liberum esse debet, fidejussorem, aut pignus pro assecuratione sortis mutuantis præstare, nec debet cogi ad paciscendum de isto periculo. Quarto, ut mutuans non plus pro isto periculo exigat quam vel ipse, vel mutuatarius alteri dare vellet pro hujusce periculi assecuratione. Quinto, ita servandæ sunt justitiæ leges, ut non violentur eæ, quæ sunt charitatis: atqui conditiones illas pauci eorum norunt, qui mutuo dant, pauciores ad praxim redigunt; ita enim plerique lucro inhiant, ut, seclusa ejus spe, mutuo non darent; cum probabile periculum sentiunt, mutuo non dant: inter periculi qualitatem non distingunt; sed ab omnibus æqualiter exigunt; fidejussores, aut pignora recusant, ut quocunque tandem modo aliquid supra sortem recipiant, etc., ergo rarum est ut in rationem non irrepat usuræ fuligo. *Vide* Continuat. Tournely, et P. Danielem Concina.

Digitized by Google

alius justus titulus, » qui potest esse quadruplex. Primus igitur justus titulus percipiendi fructus ex pignore sine diminutione sortis, est, si creditor fundum oppignorandum, seu oppignoratum justo pretio emat cum pacto retrovendendi, quoties debitor voluerit pretium refundere; tunc enim fundus, seu alia res pignoris naturam amittit, adeoque non ut pignus priori domino, sed ut res empta emptori, et possessori, tanquam novo domino licite fructificat, ejusque damno perit, donec reddito pretio redimatur. Venditio enim cum pacto redemptionis valida est, et licita, textu expresso in l. *Si fundum* 2.cod. *De pactis inter emptor. et venditor.* Communis doctorum cum Cajet. 2-2, q. 78, art. 2, ad 6; Lugo, cit. disput. 25, sect. 8, num. 132; Layman, lib. 3, tract. 4, c. 16, n. 17; Sporer, tom. II, tr. 6, sect. 3, n. 102; Reiffenstuel, lib. v *Decretal.*, tit. 19, n. 111.

(46. Secundus justus titulus percipiendi fructus ex pignore, est, si fundus fructiferus acceptetur in pignus, adjecto contractu censuali, per quem subministrans pecuniam ex fructibus talis fundi percipiat quantitatem pensionis jure census percipi solitam juxta morem patriæ, donec sors, seu pecunia subministrata restituatur : Reiffenst., *loc. cit.*, n. 110; Sporer, *loc. cit.*, n. 102; Layman, *loc. cit.*, n. 17, cum pluribus ibi citatis, Lugo et alii passim.

(47. Tertius justus titulus percipiendi fructus ex pignore, est, si pignus sit datum marito, donec ei solvatur dos promissa; tunc enim maritus, ut habeat unde onera matrimonii sustinere valeat, potest licite fructus percipere ex tali pignore sine diminutione sortis, donec ei dos promissa solvatur; textu expresso in cap. *Salubriter* 10, De usuris, ibi : « Sane generum ad fructus possessionum, quæ sibi a socero sunt pro numerata dote pignori obligatæ, computandos in sortem non credimus compellendum, cum frequenter dotis fructus non sufficiant ad onera matrimonii supportanda. » Et sic doctores citati, et alii communiter.

(48. Quartus justus titulus percipiendi fructus ex pignore, est, si feudum, vel res emphyteutica detur in pignus domino ejusdem directo; tunc enim dominus directus potest licite sine diminutione sortis recipere fructus talis feudi sibi a vassallo oppignorato, dummodo, interim ab ipsius servitiis abstineat, cap. 1, De feudis, et cap. *Conquestus* 8, De usuris; quia, ut recte notat Fagnanus in d. cap. 1, De feudis, n. 3; cum vassallus interim non præstet conventa servitia domino directo feudi, suspenditur obligatio contractus inter dominum et vassallum, et sic res feudalis redit ad primævam suam naturam, adeoque dominus directus licite percipit ejus fructus, ac si feudalis non esset, coalescente directo, ac utili dominio; et sic pariformiter est dicendum de re emphyteutica. Sic Layman, *loc. cit.*, n. 20, cum pluribus ibi citatis; Lugo, *loc. cit.*, num. 147; Sporer, *loc. cit.*, num. 102; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 114, et communis aliorum.

(49. Contractus ille, qui vulgo dicitur *a godere*, quo scilicet aliquis dat sufficientem pecuniam alteri, ut ipse, quandiu utitur dicta pecunia, cedat illi domum, vel aliam fructiferam rem interim fruendam, est licitus, si interveniat titulus lucri cessantis ex parte illius, qui pecuniam dat. Azorius, part. III, lib. IX, cap. 20; Silvester, in *Rosa aurea*, tract. 3, cas. 65; Lugo, *loc. cit.*, n. 136, et alii communiter; cum illa enim pecunia posset emere, v. g. tot loca montium, ex quorum fructibus posset solvere pensionem domus, seu rei fructiferæ, quam accipit. Unde, qui pecuniam dat, relinquit mutuatario interesse illud lucri cessantis pro pensione, quam pro domo, seu re fructifera ab ipso accepta deberet illi solvere singulis annis. Si autem desit titulus lucri cessantis, et qui dat domum, vel rem fructiferam interim fruendam, sit capax alienandi, seu vendendi, tunc contractus ille potest esse licitus, si dans pecuniam illam emat justo pretio dictam domum, vel rem fructiferam cum pacto illam retrovendendi, quoties debitor voluerit pretium refundere juxta dicta *supra* sub n. 45.

(50. Si quis alicui petenti mutuos, v. g. centum aureos, respondeat, non do tibi mutuos istos centum aureos, sed istis emo a te decem tuas vaccas, quas tibi loco pro tali annua pensione mihi solvenda, excusatur communiter ab usura, si ille alter de facto vaccas utiles habeat proportionate ad talem conventam pensionem, et serventur conditiones requisitæ ad contractum justæ locationis, et præsertim hæc, ut periculum vaccarum spectet ad locantem tanquam emptorem, et earum dominum. Si vero ille alter revera dictas vaccas non habeat, nec habiturus sit, est merissima usura sub licto emptionis, et locationis nomine palliata. Sic Major, in 4, d. 15, q. 46, causa secunda; Layman lib. III, tract. 4, c. 16, n. 15, vers. *Quæstio quarta*; La Croix, lib. III, p. II, n. 899; Sporer, tom. II, tract. 6, sect. 3, num. 97, ubi testatur de communi (118).

(51. Ab usura excusatur, qui mutuum a

(118) *Nota Romani theologi.* — Animadvertas velim, mutuantem animo lucrandi fœneratorem esse, ut ex dictis liquet. Cavendum itaque est in eo, qui petenti mutuum illum contractum offert emptionis, et locationis, cavendum, inquam, in eo homine est, ne spe lucri incitatus, avaritiam foveat, et mentalem saltem usuram committat; quamobrem periculi plenus habetur hujusmodi contractus a nostris censoribus. Periculum quoque agnoscunt usuræ in alio contractu, de quo n. 51 quia dives cogit pauperem et inopem mutuo ob indigentiam petentem ad locandam operam suam tempore messis, etc., atque hac via palliare usuram potest, vel mentalem fovere. Hæc vero notanda duxi, ut Christiani homines periculum agnoscant, in quo se exponunt peccandi, avaritiæ, et contra Christi mandatum « mutuum date nihil inde sperantes. » Idem dicito de contractu, qui vulgo dicitur, *a godere*, de quo n. 49. Nam quoties tradens pecuniam, jus sibi reservat ad eam repetendam, purum, putumque mutui contractum

Digitized by Google

se petenti respondet : « nolo tibi mutuare, sed hac anticipata pecunia conduco operas tuas ad futuram messem, seu vindemiam, dummodo tamen talis pecunia sit sufficiens, et proportionata merces ad dictas operas juxta consuetudinem regionis. » Sic supracitati doctores, Molina, et alii.

(52. Regulares non possunt accipere pecunias mutuo, vel ad cambium cum solutione alicujus lucri, vel cum obligatione bonorum. *Vid.* verb. ALIENATIO, art. 4, n. 35.

(53. Mutui contractus lucrum supra sortem de sui natura non recipit Bened. XIV, tom. I, constit. 142, incip. *Vix pervenit*, § 3. (54. Nec quantitas moderata lucri, aut qualitas mutuatarii hujusmodi lucrum ab usuræ labe justificant. Idem. *ibid.* (55. Nihilominus quidam tituli ipsi mutuo extrinseci, aliique contractus a mutuo diversi justum reddere possunt proventum ultra sortem. Idem, *ibid.* (56. Sed non semper suppetere credendum est legitimos cum mutuo titulos, aut justas causas ineundi contractus a mutuo diversos. Idem, *ibid.* (57. Mutuum dare indigenti aliquando est de præcepto, juxta illud Christi Domini, *Matthæi* v, 42 : *Volenti mutuare a te, ne avertaris.* Idem, *ibid.* (58. *Vide* tom. VII, verb. USURA, ubi in fine affertur dicta constitutio.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(59. Quod ait auctor n. 4 civitatem ex mutuo non teneri, si non probetur, pecuniam mutuo datam in rem ejus versam esse, id non est indistincte verum. Primo enim tenetur, etiam non probata hac versione, si mutuum datum sit omnibus civibus simul convocatis. Coler., *De process. exsecutiv.* part. II, c. 3, n. 336 et seq.; Bachov., *ad Treutler*, vol. I, disput. 20, n. 5, litt. *A.* §

(60. Secundo, idem est, si mutuum contractum sit ab illis, quibus civitas omnem in se potestatem dedit, ita ut penes illos omne imperium sit, populumque universum repræsentent. Stryck., *Juridic. dissert.*, vol. IV, disput. 18, cap. 5, n. 34; Coler, *loc. cit.*, n 361.

(61. Tertio, idem quoque est, si administrator vel etiam syndicus habeat speciale mandatum a civitate ad accipiendam pecuniam mutuo in certam causam, modo non appareat eum legibus civitatis, fini, et menti eorum, qui illum constituerunt, contrarium fecisse. Stryck., *ubi supra*, n. 36 et seq.; Losæus, *De jur. universit.*, part. III, cap. 4. (62. Num vero id ipsum obtineat, quando administrator habet mandatum speciale mutuo accipiendi in genere, et non in certam causam? Affirmat autem Losæus, alleg., *l. c.*, ne contrahentes confisi de mandato decipiantur; confer et Strick, *loc. mox cit.*

(63. Patet itaque ex his, tunc non teneri civitatem ex mutuo, non probata versione, quando ipsum mutuum fuit contractum nudo administratore, qui nec speciale mandatum ad illud contrahendum habebat. (64. Cæterum et hic, si « ex necessitate officii, quod gerit, » mutuo accipit pecuniam, tenetur civitas, etiam non probata versione, cum hoc in casu sit præsumendum mandatum civium. Stryck. eodem *loc. cit.*, n. 39.

(65. Quod de civitate dictum est, id ipsum intelligas de ecclesia, et alia quavis universitate.

(66. An in casibus illis, in quibus civitas vel ecclesia tenetur ex mutuo, non probata versione, habeat beneficium restitutionis in integrum, si revera pecunia illa in rem ejus non sit versa? affirmant Hartman. Pistor., lib. I, quæst. 37; n. 61 et sequent.; Stryck., *Juridic. dissert.*, vol. XIII, sect. 2, cap. 1, § 12. (67. At dubito, num amplecti hæc opinio possit in casu in quo pecunia mutuo data sit civibus omnibus simul convocatis.

(68. Opinio auctoris n. 18. quod nec jurato filiusfamilias renuntiare valeat *Sen. conf. Macedoniano*, de jure canonico difficultatem patitur, modo non expresse ad turpem causam credita ipsi sit pecunia, desuper dolose exactum juramentum; Stryck., *loc. mox. cit.*, § 15. et ex professo Gothofred. de Jena, *De Sen. conf. Macedoniano*, sect. 8, aphoris. 8.

(69. De mutuo publico, quod ex publica necessitate exigit princeps a civibus, reluctantes ad ipsum compellendo, *vide* Martin. Dautell. *De mutuo publico.*

MONITUM EDITORUM CASINENSIUM.

Mutuum quod attinet, et quid tenendum quantum ad illos, qui capitalia sua tradunt, ut inde fructus percipiant juxta taxam a lege civili præscriptam, et quid amplius quoad confessarios sit in hac re attendendum, videre est in decretis, quæ a S. Sede Organo S. Pœnitentiariæ, ac supremæ congr. S. Officii edita sunt ab an. 1822 ad an. 1833 ac deinceps, quæ per extensum referemus ad calcem hujus tomi, sub v. MUTUUM, cum propriis considerationibus ibi adjiciendis.

N

NATALIS, NATALE.

SUMMARIUM.

1. Hoc nomen anniversariæ quarumcunque rerum, seu lætarum, seu tristium commemorationi olim tributum. — 2. Lætis deinceps festis datum. — 3. Hinc natalis Calicis. — 4. Papæ. — 5. Episcoporum. — 6. Quorum uterque etiam natalis ce-

celebrat, ut, si ultra sortem quidpiam percipit, usura est, ac fructus, qui ex domo, vel re fructifera percepit, restituere tenetur : acllucrum cessans, in eo, qui pecunias dedit, sufficiens titulus non est, nisi omnes conditiones occurrant supra recensitæ.

Digitized by Google

thedræ dicitur. — 7. Natalis basilicæ. — 8. Natalis sanctorum, scilicet obitus. — 9. Eorumdem natale genuinum. — 10. Natalis depositionis. — 11. Natalis illorum pro dedicatione templi Deo eorumdem nomine erecti. — 12. Ubi ergo natalis sanctorum occurrat, sedulo videndum, quid eo nomine significetur.

(1. Antiqui quasvis insignium rerum anniversarias memorias natales vocabant. Ita Alexandrinos natalitia magni terræmotus sub Valentiniano quotannis recoluisse, Sozomenus narrat, lib. VI, cap. 2.

(2. Cæterum quod natalis cujusque dies antiquis lætus erat, adhiberi passim natalis nomen cœptum est, præsertim ad lætos alios, qui singulis annis recurrunt, significandos. Hinc :

(3. Ante medium quinti sæculi feria V in cœna Domini denominabatur natalis calicis, ut ex Kalendario apud Bollandianos t. VII, *Junii*, pag. 178, habemus. Rationem reddit S. Eligius Noviomensis, aut alius sub ejus nomine ***Bibl. Patr. Colon.*** t. VII, editus hom. 10. ***De cœna Domini***, ubi ait : « Vocatur enim hæc dies cœna Domini ; vocatur et natalis calicis : et merito, quia hac die mysticum Pascha Dominus cum discipulis suis celebrans, sacramenta corporis et sanguinis sui illis, atque per illos nobis tradidit, et ipse celebrationis INITIUM fecit. »

(4. Natalis quoque Papæ dicebatur annua susceptæ a Summis Pontificibus ordinationis memoria. Nimirum, inquit doctissimus Rosweidus in epistolam 16 S. Paulini Nolani, ut olim imperatores Imperii sui ortum, seu Natalem celebrabant (quare in Silvii Laterculo XI Kal. Nov. ascribitur natalis Valentiniani Purpuræ, et in Bucheriano Kalendario 6 Idus Novembr. notatur natalis Constantii, scilicet, ut est in Idacii Fastis, dies, quo levatus est Constantius Cæsar), ita Romani Pontifices Episcopatus sui natalem celebrare sunt soliti. Sixtus III, Pontifex ad Cyrillum ep. Alexandrinum a. Christi 432 : « Ad Beat. apostolum Petrum ait, fraternitas universa convenit : ecce auditorium congruens auditoribus, conveniens audiendis. Habuerint coepiscopi nostri illum gratulationis testem, quem habemus honoris exordium. Sanctæ namque, et venerabili synodo, quam natalis mihi dies, favente Domino, congregarat, quia sic credendum est, ipse præsedit. » Idem epistola ad Joannem episcopum Antiochenum : « Audivit universa fraternitas, quæ ad natalis mei convenerat diem, qualiter bono humani generis Apostolicæ Sedis, me præside, gratulentur. » Hilarius Papa in epistola ad episcopos Tarraconensis provinciæ : « Lectis ergo in conventu fratrum, quos natalis mei festivitas congregarat, litteris vestris. » Ea festivitas inter solemnia connumerabatur, veluti illa indicant, quæ profert Anastasius Bibliothecarius in Vita Adriani primi : « Denique ejus beatitudo fecit et pharum majorem in eadem B. Petri Ecclesia in typum crucis, qui pendet ante præsbyterium, habentem candelas mille trecentas, et septuaginta. Et constituit, ut quatuor vicibus in anno ipsum pharum accenderent, id est, in Nativitate Domini, in Pascha, in Natali Apostolorum, et in NATALI PONTIFICIS. »

(5. Neque id e more fuit tantummodo Romanorum Pontificum sed et cæterorum episcoporum. Sic S. Augustinus ep. 108, n. 5, et lib. II ***contr. Lit.***; Petil., cap. 23, frequentissima numerositate Thamagudensis Optati natalitia celebrata perhibet, anniversarium nempe suscepti episcopatus diem. Gregorius quoque Turonensis hoc sensu « natale episcopatus S. Martini » appellat in lib. I ***De miraculis*** ejusdem S. Martini cap. 6, « sciatis, quia post hoc triduum natalis episcopatus ejus esse consueverat. » Hujusce rei locuples quoque testis est S. Ambrosius lib. VIII, ep. 60, ***ad Felicem***. Tandem, ne in re notissima longior sim, in Lectionarii Luxoviensis a Mabillonio vulgati legenda 71 exstat lectio ***in Natale episcopi***.

(6. Utrumque natale cum Romanorum Pontificum, tum episcoporum vocabatur etiam natale cathedræ. Quare in pervetusto Bucherii Kalendario VIII Kal. Martii occurrit natale Petri de Cathedra. Augustinus quoque, aut alius antiquus auctor serm. 15. ***De sanctis*** in festo Cathedræ S. Petri ait : « Institutio solemnitatis hodiernæ a Senioribus nostris cathedræ nomen accepit, ideo quod primus apostolorum Petrus hodie episcopatus cathedram suscepisse referatur. » Anniversario cathedræ die concionem habebant episcopi. ***Vide*** S. Leonem M., serm. 1, 11 et 111, et Augustinum, hom. 24 et 25, ex libro I ***Homiliarum***. Aliquando eo die aliorum panegyricis laudabantur episcopi ; ita Petrus episcopus panegyrico sermone ornatus fuit a Chrysologo serm. 107, et Laurentius Mediolanensis episcopus ab Eunodio sacra dictione prima.

(7. Natalem quoque basilicæ sæpe in veterum monumentis offendes. Anniversarius dies est, quo basilica solemnibus ecclesiæ catholicæ ritibus fuerat dedicata.

(8. Natalis sanctorum plerumque dies est, quo ex misera hac lacrymarum valle ad cœlestia gaudia evolarunt. « Natalem, inquit Augustinus ***in natali Cypriani martyris***, hodie sicut nostis, celebramus. Quod nomen sic frequentat Ecclesia, id est natales, ut natales vocet pretiosas martyrum mortes. » Et paulo post : « Quid est hoc, fratres? Quando natus sit, ignoramus ; et quia hodie passus est, natalem ejus hodie celebramus. » Huc spectat natalis martyrii in Actis S. Polycarpi, et natale S. Agnetis de passione in Sacramentario Gelasiano. Tertullianus quoque, ***Lib. de corona milit.***, n. 36, martyrii solemnia natalitia appellat. Sed de his audiatur etiam S. Nicolaus I Pontifex, in celebri epistola ***ad consulta Bulgarorum*** cap. 5 : « Consuetudinem, inquit, tenet Ecclesia, ut solemnes beatorum martyrum, vel confessorum Christi dies, quibus ex hoc mundo ad regionem migraverunt vivorum nuncupentur NATALES ; sed et eorum so-

Digitized by Google

lemnia non funebria tanquam morientium, sed utpote in vera vita nascentium natalitia vocitentur » In eamdem sententiam loquitur Carolus rex epistola 2 *ad Albinum abbatem*, ex qua in ms. collectione canonum cardinalis Laborantis, tit, 19 primæ partis libri VI, *De octavis diebus festivitatum* hæc afferuntur, Cl. Præsule Antonellio teste *in Miss. Vetus Rom.*, p. 24. « Duas stolas sunt habituri sancti, glorificationem scilicet corporis et glorificationem animæ. Altera præcedit alteram, stola videlicet animæ. Hæc enim in die positionis carneæ gravitatis, et sarcinæ corporalis accipitur; qui dies *natalis, seu natalitium hujus illiusve sancti vocatur*. Tunc quippe vir sanctus, cum præsenti miseriæ moritur, nascitur æternæ felicitati : Dies, inquit, mortis dies nativitatis, et sociatur angelicis choris, et ut pro nascente puero fieri solebat antiquitus, pro eo natalitium celebratur in terris, de cujus assumptione gaudium fit in cœlis, et cui veluti concorporali membro cætera membra congaudent ». Certe isthæc natalitia, sive anniversariæ martyrum commemorationes Eucharistiæ, hoc est gratulatoriæ et lætitiæ testes erant, ut animadvertit cl. Muratorius in opere *De paradiso*, cap. 10, p. 87. Conferri etiam poterit Baronius in Adnotationibus ad Martyrologium XI, *Non. Januar.*

(9. Si quando tamen ipsa alicujus sancti in terris nativitas celebranda videretur, ea natalis genuini et ingenuini nomine designabatur. In missali Gelasiano exstant orationes missæ in natale genuinum, nempe in diem, quo quis ex matris utero emersit in lucem. *Vide* Thomasium in *Orationali*, tom. II, pag. 552. Hinc apud Rhabanum ad. d. 28 Januarii ; « Romæ S. Agnetis genuinum ; » suppl. natale, quod antiquiores dixere: « Nativitas S. Agnetis virginis, » vel etiam, ut in eodem Gelasiano Sacramentario, « natale ejusdem de nativitate. » *Vide* Mazochium tom. I, *Kalend. Neapol.*, p. 17, et equitem Victorium, *Dissert. philolog.*, p. 20.

(10. Ipsa quoque dies depositionis, seu sepulturæ sanctorum *natalis* nomen non raro obtinet; imo et ipsa translationis reliquiarum dies eodem nomine prænotatur; sic natalis reliquiarum Stephani protomartyris in Martyrologio Hieronymiano IV Nonas Augusti recolitur.

(11. Tandem alicujus sancti natalis dies quoque appellabatur ex ipso ethnicorum more dies, quo fuerat Deo templum aliquod sub ejus nomine dedicatum. « Natalis Nicomedis martyris » pro dedicatione Ecclesiæ ejusdem Nicomedis legitur in genuino Bedæ Martyrologio, et in Martyrologiis reginæ Suevorum, et Othoboniano. « Natalem quoque sanctæ Mariæ ad Martyres » duo Bedæ apographa optimæ notæ in codicibus Palat. Vatic.. 833 et 834. Ado, Usuardus, Notkerus, aliique exhibent, utque in cæteris Martyrologiis « dedicatio ecclesiæ Sanctæ Mariæ ad Martyres. » Habetur quoque in vetustissimo Leoniano Sacramentario pro dedicatione Ecclesiæ S. Michaelis archangeli « natale basilicæ Angeli in Salaria. » Dixi id factum « ex ipso ethnicorum more. » Romani enim ethnici, ut animadvertit Cl. Althanus p. 65. Natalis nomine eodem plane sensu usi sunt; sic apud Ciceronem lib. IV *ad Attic.*, ep. 1, « Natalis salutis » dies vocatur, quo templum fuerat saluti inscriptum.

(12. Cavebis igitur ne ubi sancti cujuspiam natalis occurrat, statim credas diem mortis designari. Multa antequam hac de re judicium feras, consideranda erunt, ducibus Baronio, Sollerio, Georgio et Mazochio ad Kalendarium Neapolitanum.*

NAUFRAGIUM, NAUFRAGANTES.

SUMMARIUM.

1. Per naufragium quid intelligatur? — 2. Naufragantium bona remanent adhuc de jure suorum dominorum. — 3. Sic etiam de jure suorum dominorum remanent adhuc bona illa, quæ in naufragii periculo conjiciuntur in mare. — 4. Hinc talia bona post naufragium reperientes in littore maris, aut fluminis, seu ea piscantes in mari, vel flumine tenentur restituere domino. — 5. Imo qui talia bona non restituit domino, quadruplo tenetur. — 6. Quinimo ea ratione retinens, et non restituens publicatione bonorum mulctatur. — 7. Unde si quæ esset alia lex, aut consuetudo talia bona non restituendi, tanquam injusta esset deserenda et abroganda. — 8. Hinc naufragantium bona inventa sibi assumentes, excommunicati sunt. — 9. Excommunicationem etiam incurrunt accipientes scienter bona ab iis, qui naufragantium bona acceperunt. — 10. Nec refert, quod ea bona dominus nunquam forsan recuperaturus fuisset, nisi talis piscator v. g. aut ereptor magna industria, labore et periculo vitæ, ea recuperasset. — 11. Potest tamen talis piscator, aut ereptor compensationem laboris ac periculi sui debite æstimatum jure exigere. — 12. Unde naufragii tempore, qui vocati a patronis navium, seu barcharum, auxilium eis ad bonorum præservationem præstiterint in portubus et ripis ditioni Papæ subjectis, lucrantur quartam partem bonorum præservatorum, aut acceptorum. — 13. Et insuper consequuntur indulgentiam decem annorum et totidem quadragenarum. — 14. Et e contra non dantes auxilium naufragantibus incurrunt crimen læsæ majestatis. — 15. Qui Christianos naufragia patientes rebus suis spoliare præsumunt, incurrunt excommunicationem. — 16. Item excommunicationem incurrunt, qui Christianos navigantes rebus suis spoliant. — 17. Si, ut a periculo naufragii liberetur navis onusta mercibus plurium mercatorum, projectæ sint in mare merces aliquorum duntaxat ex illis, tenentur omnes pro sua parte æque reparare, vel compensare judicio viri periti damna eorum. — 18. Mercatores, quorum merces præservatæ sunt a naufragio ob exonerationem navis factam per projectionem mercium aliorum in mare, debent contribuere juxta valorem, et pretium suarum mercium sine respectu, aut ad gravitatem, aut ad majus, vel minus spatium, quod occupant. — 19. Si autem dominus navis, sæviente tempestate, anchoras, aut alias navis partes amiserit, non tenentur mercatores talem jacturam ei compensare. — 20. Si vero vectorum voluntate, et utilitate ad evitandum naufragium talis navis partes projectæ

Digitized by Google

sint in mare, tunc a dictis vectoribus, seu mercatoribus debet ei fieri compensatio. — 21. Item compensatio fieri debet etiam mercatori illi, cujus merces ratione jactus aliarum in mare deteriores factæ sunt. — 22. Si autem damnum secutum in suis mercibus propter talem jactum sit minus ea portione, quam pro sua parte conferre minus deberet, debet reliquum conferre, et ita e contra. — 23. Si tamen damnum in suis mercibus non sit secutum propter talem jactum, sed ex alia causa, tunc debet conferre secundum pretium præsens suarum mercium. — 24. Si navis a pirata capta magna aliqua pretii summa redimatur, tenentur omnes concurrere ad solvendam illam summam pro ratione rerum, quas servaverunt. — 25. Si autem pirata, seu prædo a dicta navi abstulerit solas merces unius ex dictis mercatoribus, ipse solus damnum sustinere tenetur.

(1. Per naufragium intelligitur navis aut cujuslibet navigii, maria seu alia flumina emetientis, jactura, sive in rupes elidat, sive aquis absorbeatur cum nautis ac mercibus omnibus, aut sola parte illarum.

(2. Naufragantium bona remanent adhuc de jure suorum dominorum; l. *Pomponius* 44, *De acquirendo rerum dominio*, ubi expresse dicitur: « Si naufragio quid amissum sit, non statim nostrum esse desinere. »

(3. Sic etiam de jure suorum dominorum adhuc remanent bona illa, quæ in naufragii periculo conjiciuntur in mare. *Institut.*, lib. II, tit. 1, § 48, ibi: « Alia sane causa est aliarum rerum, quæ in tempestate levandæ navis causa ejiciuntur; hæc enim dominorum permanent; quia palam est eas non eo animo ejici, quod quis eas habere nolit, sed quo magis cum ipsa navi maris periculum effugiat. Qua de causa, si quis eas fluctibus expulsas, vel etiam in ipso mari lucrandi animo abstulerit, furtum committit. » L. *Interdum* 21, ff. *De acquirenda vel amittenda possessione*, § 1, ibi: « Quod ex naufragio expulsum est, usucapi non potest, quoniam non est in derelicto, sed in deperdito; » et *ibidem* § 2: « Idem juris esse existimo in his rebus quæ jactæ sunt: quoniam non potest videri id pro derelicto habitum, quod salutis causa interim dimissum est. » L. *Si laborante* 2, § 8, ff. *De lege Rhodia*, et l. *Qui levandæ* 8, ff. eodem.

(4. Hinc talia bona post naufragium reperientes in littore maris, aut fluminis, seu ea piscantes in mari, vel flumine, tenentur restituere domino. L. *Navigia*, cod. *De furtis*, et sanctus Pius V, constitut. 7 incip. *Cum nobis*. (5. Imo, qui dicta bona non restituit domino, quadruplo tenetur. L. *Pomponius* 44, ff. *De acquirendo rerum dominio*.

(6. Quinimo ea retinens et non restituens, publicatione omnium bonorum muletatur, cit. l. *Navigia*, cod. *De furtis*, et expresse Julius II, constit. 20 incip. *Romanus Pontifex*. (7. Unde, si quæ esset alia lex, aut consuetudo talia bona non restituendi, tanquam injusta esset deserenda et abroganda, cit. l. *Navigia*, cod. *De furtis*, et Julius II cit. constit. 20 incip. *Romanus Pontifex*, ibi: « Nos considerantes, tam civili quam canonica lege licere unicuique naufragium suum impune colligere, ac jacta in mari, alleviandi oneris causa recuperare, illaque diripientes furtum committere, ac graviter delinquere, ac Christianos naufragium patientes rebus suis spoliantes diversis pœnis puniri; et propterea consuetudinem prædictam, tanquam contra regulam fidei, qua unus alteri auxilio esse tenetur, merito corruptelam appellari, neminique suffragari debere cujuscunque temporis cursu munitam consuetudinem capiendi et retinendi bona per naufragium, vel jactum, levandæ navis gratia, aut alia urgente necessitate factum, nulli in judicio, vel extra illud suffragari debere, auctoritate Apostolica tenore præsentium decernimus et declaramus. » Quod et confirmavit Paulus III const. 42, inc. *Accepimus*.

(8. Hinc naufragantium bona inventa sibi assumentes excommunicati sunt in Bulla Cœnæ. *Vide* verb. EXCOMMUNICATIO, art. 3, § 4. (9. Excommunicationem etiam incurrunt accipientes scienter bona ab iis, qui naufragantium bona acceperunt. Gregorius XIII constitut. 81 incip. *Consueverunt*.

(10. Nec refert, quod ea bona dominus nunquam forsan recuperaturus fuisset, nisi talis v. g. piscator, aut ereptor magna industria, labore et periculo vitæ ea piscasset, aut eripuisset. L. *Pomponius* 44, ff. *De acquirendo rerum dominio*; ubi dicitur, quod quælibet res nostra, quantumcunque periclitetur, manet nostra, quandiu non est consumpta. (11. Et sic tenet quoad omnes supraposita conclusiones communis doctorum; qui tamen dicunt quoad hanc ultimam, posse talem piscatorem, seu ereptorem compensationem laboris ac periculi sui debite æstimatum jure exigere, quia domini negotium utilissime gesserunt. L. *Navis* 4, ff. *De lege Rhodia*. (12. Unde naufragii tempore, qui vocati a patronis navium, vel barcarum, auxilium eis ad bonorum præservationem, vel recuperationem præstiterint in portubus et ripis ditioni Papæ subjectis, lucrantur quartam partem bonorum præservatorum, aut acceptorum. Paulus III, constitut. 42, incip. *Accepimus*. (13. Et insuper consequuntur Indulgentiam decem annorum et totidem quadragenarum. Julius II, constit. 20 incip. *Romanus Pontifex*, et S. Pius V, constit. 7 incip. *Cum nobis*. (14. Et e contra non dantes auxilium naufragantibus in statu Ecclesiæ incurrunt crimen læsæ majestatis. S. Pius V, cit. constit. 7 incip. *Cum nobis*. (15. Illi etiam, qui Christianos naufragia patientes, quibus secundum regulam fidei auxilio esse tenentur, damnata cupiditate rebus suis spoliare præsumunt, nisi ablata reddiderint, excommunicationi se noverint subjacere. Sic expresse habetur in cap. *Excommunicationi* 3, De raptoribus.

(16. Ubi etiam statuitur, quod excommunicationi subdantur, qui Romanos, aut alios Christianos pro negotiatione, vel aliis honestis causis navigio vectos aut capere, aut rebus suis spoliare præsumunt. Sic *ibi*.

(17. Si, ut a periculo naufragii liberetur navis onusta mercibus plurium mercatorum,

Digitized by Google

projectæ sint in mare merces trium ex dictis mercatoribus, et sic præservata sit navis cum mercibus aliorum, tenentur omnes pro sua parte æque reparare et compensare judicio viri periti jacturam et damna eorum trium, quorum merces pro communi omnium utilitate in mare projectæ sunt, textu expresso in lege *Rhodia*, ff. *De lege Rhodia*, ibi: « Lege Rhodia cavetur, ut, si servandæ navis gratia, jactus mercium factus est, omnium contributione sarciatur, quod pro omnibus datum est; » et l. *Si laborante* 2, ff. eodem, ibi: Æquissimum enim est, commune detrimentum fieri eorum, qui propter amissas res aliorum, consecuti sunt ut merces suas salvas haberent. »

(18. Mercatores, quorum merces præservatæ sunt a naufragio ob exonerationem navis factam per projectionem mercium aliorum in mare, debent contribuere juxta valorem et pretium suarum mercium sine respectu, aut ad gravitatem, aut ad majus, vel minus spatium, quod occupant, sive sint gemmæ, aut margaritæ et hujusmodi; nam ad pretium, quod in pereundi periculo fuit, et quod servatum fuit, omnino attendendum est, ut expresse statuitur in L. *Si laborante* 2, ff. *De lege Rhodia*, § 2, ibi: « Cum in eadem nave varia mercium genera complures mercatores coegissent, præteroaque multi vectores servi, liberique in ea navigarent, tempestate gravi orta, necessario jactura facta erat; quæsita deinde sunt hæc, an omnes jacturam præstare oporteat, et si qui tales merces imposuissent, quibus navis non oneraretur, veluti gemmas, margaritas, et quæ portio præstanda est? et an etiam pro liberis capitibus dari oporteat? et qua actione ea res expediri possit? Placuit, omnes, quorum interfuisset jacturam fieri, conferre oportere, quia id tributum conservatæ res deberent; itaque dominum etiam navis pro portione obligatum esse; jacturæ summam pro rerum pretio distribui oportet; corporum liberorum æstimationem nullam fieri posse. Ex conducto dominos rerum amissarum cum nauta, id est cum magistro acturos. »

(19. Si autem dominus navis, sæviente tempestate, anchoras aut alias navis partes amiserit, non tenentur mercatores domini mercium inibi existentium talem jacturam ei compensare, textu expresso in cit. l. *Si laborante*, § 1, ibi: « Si conservatis mercibus deterior facta sit navis, aut si aliquid exarmaverit, nulla facienda est collatio; quia dissimilis earum rerum causa sit, quæ navis gratia parentur, et earum, pro quibus mercedem aliquis acceperit; nam etsi faber incudem, aut malleum fregerit, non imputaretur ei, qui locaverit opus. » (20. Si vero vectorum voluntate et utilitate ad evitandum naufragium tales navis partes projectæ sint in mare, tunc a dictis vectoribus debet ei fieri compensatio, textu expresso in cit. l. *Si laborante*, § 1, in fine, ibi: « Sed si voluntate vectorum, vel propter aliquem metum id detrimentum factum sit, hoc ipsum sarciri oportet, » et l. *Cum arbor* 3, ff. eodem, *De lege Rhodia*, ibi: « Cum arbor, aut aliquod navis instrumentum, removendi communis periculi causa dejectum est, contributio debetur; » et l. *Amissæ navis* 5, § 1, ff. eod., ibi: « Arbore cæsa, ut navis cum mercibus liberari possit, æquitas contributionis habebit locum. »

(21. Item compensatio fieri debet etiam mercatori illi, cujus merces, ratione jactus aliarum in mare, deteriores factæ sunt, verb. grat. quia propter jactum, nudatis suis mercibus, damnum secutum est. Sic expresse habetur in l. *Navis* 4, ff. *De lege Rhodia*, in fine, ibi: « Sed hic videamus, num et ipsi conferre oporteat, quid enim interest jactatas res meas amiserim, an nudatas deteriores habere cœperim? Nam sicut ei qui perdiderit subvenitur, ita ei subveniri oportet qui deteriores propter jactum res habere cœperit. Hæc ita Papirius Fronto respondit. »

(22. Si autem damnum secutum in suis mercibus propter talem jactum sit minus ea portione, quam pro sua parte aliis conferre deberet, debet reliquum conferre, et ita contra, ut si non sit melioris, nec deterioris, sed æqualis conditionis cum aliis. Sic expresse in cit. l. *Navis*, § 2, circa medium, ibi: « Adhuc nunquid etsi aspergine propter jactum res deteriores factæ sunt? sed distinctio subtilior adhibenda est, quid plus sit, in damno, an in collatione, si v. grat. hæ res viginti fuerunt, et collatio quidem facit decem, damnum autem duo; deducto hoc, quod damnum passus est, reliquum conferre debeat. Quid ergo, si plus in damno erit quam in collatione? Ut puta decem aureis res deteriores factæ sunt, duo autem collationis sunt? Indubitate utrumque onus pati non debet. » (23. Si tamen damnum in suis mercibus non sit secutum propter talem jactum, sed ex alia causa, verb. grat. quia merces jacebant in angulo aliquo, ubi aqua penetravit, tunc debet conferre secundum pretium præsens suarum mercium, textu expresso in cit. l. *Navis*, § 2, ibi: « Cum autem jactus de nave factus est, et alicujus res, quæ in navi remanserunt, deteriores factæ sunt, videndum, an conferre cogendus sit? Quia non debet duplici damno onerari, et collationis, et quod res deteriores factæ sunt. Sed defendendum est, hunc conferre debere pretio præsente rerum. Itaque v. g. si vicenum merces duorum fuerunt, et alterius aspergine decem esse cœperunt, ille, cujus res integræ sunt, pro viginti conferat, hic pro decem.... tunc enim conferre debebit. »

(24. Si navis a pirata capta, magna aliqua pretii summa redimatur ab uno, vel duobus ex pluribus mercatoribus, qui in ea merces habent, tenentur omnes concurrere ad solvendam illam summam pro ratione rerum, quas servaverunt, textu expresso in cit. l. *Si laborante* 2, ff. *De lege Rhodia*, § 3, ibi: « Si navis a piratis redempta sit, Servius, Ofilius, Labeo omnes conferre debere aiunt. » Si autem pirata, seu prædo a dicta navi abstulerit solas merces unius ex dictis mercatoribus ipse solus damnum sustinere tenetur, nec alii concurrere debent ad sol-

Digitized by Google

vendam summam ab ipso expensam pro earumdem suarum mercium redemptione, textu expresso in cit. l. *Si laborante*, § 3, ibi: « Quod vero prædones abstulerint, eum perdere, cujus fuerit, nec conferendum ei, qui suas merces redemerit. »

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(25. Pertinet huc lex Rhodia de jactu, qua, uti æquissima, Romani usi sunt, et utuntur etiamnum omnes populi, quatenus legibus particularibus non sit ei derogatum.

(26. In specie hac lege cautum est: « Ut si, naufragio imminente, merces, levandæ navis gratia, jactæ sint, reliqui socii periculi, quorum res sunt servatæ, in tributum veniant. » Hoc porro congruit juri naturæ, quod dictat, ut omnium contributione, sarciatur, quod pro omnibus datum est.

(27. Ut autem vectores reliqui teneantur ad contributionem, requiritur: I. Ut jactus sit factus, et quidem ob justum metum naufragii, de consensu majoris saltem partis navigantium. L. 2, princip., et § 2, ff. *Ad leg. Rhod.*, De jact.

(28. Damnum autem, quod culpa existit, ab auctore damni est resarciendum, in subsidium tamen, si naufragii avertendi causa factus est jactus, locum habet contributio, quatenus damnum passi suum ab auctore damni servare nequeunt. Arg. l. 29, § 3, ff. *Ad leg. Aquil.*

(29. II. Ut res jactæ sint amissæ, vel deterioratæ. L. 4, in fin., ff. *Ad leg. Rhod.*, De jact. Si recuperatæ, cessat æquitas contributionis. L. 2, § 7, ff. dict. tit. Imo, si post contributionem jam factam salvæ fuerunt recuperatæ, condici potest quod tributum est. Arg. l. 2, § 1, *De condict. sine causa.*

(30. Manet enim domini res jacta, quia reprobatum est jus occupandi bona naufragorum, ita ut furti teneatur qui tales res haud restituit. Authent. *Navigia*, c. *De furtis.*

(31. III. Ut per jactum navis, res cæterorum vectorum sint servatæ, inde nascitur obligatio ad contributionem quoad omnes res servatas, etiam non multum onerantes navim, imo quoad ipsam navim servatam, non quoad cibaria. L. 2, § 2, ff. *Ad leg. Rhod.*, De jactu. Quod si, facto jactu, nihilosecius periit navis, nulla fit contributio, sed quod quisque servat, hoc sibi servat quasi, ex incendio. L. 5, princ., et l. 7, dict. tit. Cæterum sufficit ad obligationem hac vice navim esse servatam, licet postea alibi submergat. L. 4, § 1, ff. dict. tit.

(32. Concurrentibus hisce, omnes contribuunt, quorum interfuit jactum factum fuisse. L. 2, § 2, dict. titul., adeoque etiam assecuratores, dominus navis, et quorum res amissæ. Contributio autem fit secundum proportionem respectivam, ita tamen, ut amissarum, quatenus indicatæ sunt, æstimatio computetur, « quanti emptæ sunt, » servatarum vero quanti « venire possunt. » L. 2, § 4, ff. dict. tit. Alicubi vero mores variant. Confer Loccen., *De jur. maritim.*, lib. II, cap. 8.

(33. Quod autem mirum est, Romani, qui agnoscunt æquitatem contributionis, minime tamen suppeditant formulam agendi, qua damnum passus directo agere queat, sed contra magistrum navis potius agere jubent ex locato, ut is cum reliquis agat ex conducto. L. 2, princ., ff. dict. tit., eorumque res, donec solverint, retineat. (34. Moribus vero directo agi potest cum convectoribus. Adest enim obligatio perfecta ad contribuendum, quod sufficit, cum ad formulas actionum non simus astricti. Non tamen magister navis convectorum res dimittere debet, priusquam facta sit contributio, alioquin tenetur ipse in solidum. Confer Huber. in *Prælect.*, hoc titul., § 7.

(35. Lex Rhodia de jactu ob simile damnum extenditur. I. Ad res in navi per jactum deteriores redditas. Arg. l. 4, ff. h. t. tit. Item repositas in scapham levandæ navis ergo, si perierint in ea. Arg. dict. leg. 4, ff. eod. Quod secus est, quando navis periit, scapha incolumi. Arg. dict. leg. II. Ad solutionem factam piratis, a quibus navis redempta est; item hostibus pro evitando urbis incendio. Arg. leg. 2, § 3, ff. dict. tit. III. Ad domum publica auctoritate combustam, ut vis hostilis arceretur; læso enim satisfaciendum est ex publico. Arg. leg. 1, ff. dict. tit. IV. Si, incendio urgente, dirutum sit ædificium ad servanda vicina ædificia, quatenus servata eadem sunt, sive certum, sive incertum fuerit, perituram fuisse domum dirutam. Arg. l. 4, § final., ff. dict. tit., modo deficiat alia actio E. G. legis Aquiliæ adversus eum, qui causam culpa sua dedit incendio. (36. In his, similibusque casibus, modo de recepta hujusmodi extensione constet, locum habet imploratio officii judicis. Adi. Lautherbac., *De æquitat. et extension. leg. Rhod.*

NAUTICUM FENUS.

SUMMARIUM.

1. Nauticum fenus quid sit, quæque hujus contractus natura; ad n. 12. — 13. Quæ ad hujusmodi contractus validitatem requirantur? — 14. In quot species dividatur; ad num. 15. — 16. Justiniani leges de maritimis usuris intra certos limites cohibendis, ad num. 20. — 21. Quid de hac re ex temperamento DD. ad num. 22. — 23. An sit usura; ad num 39. — 40. Quænam contractus huic affines, necne; ad num. 42.

(1. Inter contractus, qui aleam continere dicuntur, et in quibus jus ad rem quamcunque non certo exstituram cum re certa, vel pecunia permutatur (ut in l. 11, § ult., in fin., et l. 12, ff. *De act. empt. et vendit.*), commode etiam referri potest nauticum fenus, sive, ut alii dicunt, *mutuum*, vel *creditum marinum*, quemadmodum legitur in

Digitized by Google

Præfat. Novell. 106. Antiquissima præ cæteris exstant apud Græcos scriptores hujus negotiationis testimonia. Legimus enim apud Polluc., lib. III, c. 9, et lib. VIII, cap. 12. Ναυτικὴν Συγγράφην scilicet *nauticam syngraphem*, quæ videlicet de nautico fenore scripta erat. Idem pluribus in locis occurrit apud Demosthenem Ναυτικῶς ἐργάζεσθαι, nempe maritimis usuris quæstum facere. Habemus pariter ex Diogene Laertio, Zenonem, et Menippum solitos fuisse Ναυτικῷ τοκῷ δανείζειν, id est *credere sub nautico fenore*. His omnibus accedit doctissimi Gothofredi testimonium in l. 122, § 1, ff. *De verbor obligat.*, lit. t., quo confirmatur, Græcis revera nauticum hoc fenus cognitum fuisse in eo, quod respicit illas nautici fenoris species, de quibus infra, nempe Ἑτερόπλοιας, vel Καὶ ἀμφοτερόπλοιας videlicet *in itum tantum*, vel *in itum et reditum*.

(2. Juxta varias temporum circumstantias, majoresque, aut minores locorum distantias, modo majores, modo minores exigebantur usuræ, ideo nimirum, quia apud ipsos, teste Stypman., *De jur. marit.*, art. 4, c. 2, n. 126, non semper idem fenerandi modus asservabatur. Interdum enim maritimas usuras stipulabantur in octava parte sortis, modo eædem usuræ ipsam sortem æquabant, modo quintam ejusdem sortis partem non excedebant, quæ a Græcis dicitur Ἐπίπεμπτος, seu usura epipemptica, cujus exemplum videre est apud Demosthenem ἐν τῷ πρὸς τὴν Ἀπαθουρίου παραγραφήν in epistola ad Apaturium.

(3. Romani, qui usque ab initio quamplures a Græcis mutuaverant mores, hunc quoque fenerandi modum secuti fuerunt quoad substantiam, accommodantes incidentia majori civium commoditati. Hanc negotiationem apud Romanos revera antiquitus in usu fuisse colligitur ex Livio, *Histor.*, lib. XXXIII, cap. 49 : « Ut quæ in naves imposuissent, ab hostium tempestatisque vi publico periculo essent. » Clarius idem affirmat Sueton., *in Claud.*, c. 18 : « Negotiatoribus comeatus hibernos invecturis certa lucra proposuit, suscepto in se damno, si cui quid per tempestates accidisset; » et Cicero, *Epistol. famil.*, 17, lib. II. Hæc proprie de assecuratoribus loquuntur, sed cum vel maxime cambio maritimo affinis sit assecuratio, ita esse nequit, ut Romani perspectum haberent assecurationis contractum eodemque tempore nauticum fenus ignorarent.

(4. Non æque ab omnibus hoc negotiandi genus definitur. Aliis quippe placuit, ut « sit mistum ex contractu mutui, et contractu periculi aversi, directe respiciens pecunias mutuas, et usuram propter usum earum solvendam, in majore tamen quantitate ob conjunctum periculum. » Ita Zecch., *Rigor. moderat. circa usuras*, dissert. 3, cap. 2, sect. 4, *De contract. assecurat.*, § 115, qui in hoc sequitur, Grot., *De jur. bell. et pac.*, lib. II, cap. 12, § 5, in fin. Eumdem tamen refellit, vel saltem declarat Henric. Coccei., in ipsius *Comment.* ad dict. § 5, in fin. : « Fenus nauticum est, quando quis alii credit pecuniam mari transvehendam, ea lege, ut periculum sit penes creditorem; unde differt a mutuo, quia natura mutui in eo consistit, ut periculum sit debitoris, qui dominus est pecuniæ, nec est contractus innominatus *do ut des*, quia proprium nomen huic negotio datum est. Jure naturæ hic unum negotium est, adeoque nulla compositio hic obtinet. Inter paciscentes enim convenit, ut certa pecunia alicui solvatur ea lege, ut reddat eam cum usuris centesimis, si salva fuerit navis. » Quare alii fortasse rectius simpliciorem hujus contractus definitionem tradunt, quod nempe sit « illud, quod ex mutua pecunia trans mare vehenda periculo creditoris ipsi creditori a recipiente solvitur. » Hanc veriorem hujus contractus definitionem esse arbitror, eamque videtur etiam sequi Heinec. *in Pandect.*, part. IV, § 106, vide tamen etiam Samuel Coccei, *De nautic. fenor.*, lib. XXII, tit. 2, quæst. 1, et Voet, *in Pandect*, eod. tit., in princ.

(5. Nihilominus plerisque forensibus placuit diversam omnino a præcedentibus tradere hujus contractus definitionem. Ita quippe docent : « Cambia maritima trinum continent contractum : primum nempe societatis lucrorum inter dantem et accipientem : alterum venditionis eorumdem lucrorum a commercio maritimo pariendorum; ac tertium susceptionis periculi. » Per., in *Tractat. de negotiat.* Italice scripto, part. III, cap. 10, vers. *Ridicolo dunque*, et vers. *All' incontro;* Targa, *Ponderat. maritim.*, cap. 32, n. 13 et seq.; Casareg., *De commerc. et consulat. maris*, tom. I, dis. 14, sub n. 4, § *Nostrates*, et tom. II, disc. 62, n. 1. Super his, nostra servata methodo, propositam non pigeat expendere definitionem. Primo sane non satis liquet cur in nautico fenore tres enuntiati contractus debeant induci.

(6. Nauticum quippe fenus, ut recte advertit Cocceius *loc. sup. cit.*, est contractus nominatus, suasque peculiares habet leges, quibus nititur, quin ipsius validitatem et existentiam ab aliis multiplicibus contractibus suscipiat. Ut in nautico fenore tres isti contractus inducantur, ad præsumptiones, et conjecturas confugiendum est. Porro contractus societatis a quacunque abhorret præsumptione, adeo ut, nisi evidentissime probetur, nunquam inesse censetur, ut de societate fusius probatum est. Præterea, si natura enuntiatorum contractuum expendatur, manifestum erit, non separatos esse contractus, sed unicum contractum societatis, « Societas quippe est contractum qui ex consensu duorum, pluriumve communionem inducit inter eos : vel communio pro indiviso consensu contracta; vel communionis consensio inter aliquos : vel damni et lucri ex consensu facta communicatio honesta, et justa. » Ita Cujacius in *Paratit. Digestorum*, lib. XVII, tit. 2, lit. *C.*, et Voet., in *Pandect.*, lib. XVII, tit. 2, n. 1. Vel igitur nullum societatem inter et nauticum fenus constitui discrimen debet, vel, si nomine et qualitatibus distinguendum est a societate nauticum

Digitized by Google

fenus, frustra in hoc posteriori contractu inseritur societas, quæ omnes suapte natura complectitur contractus, qui in solo nautico fenore admittuntur. Etenim si societas secum fert ut commune sit lucrum et damnum, inutilis remanet distinctio contractus societatis, et contractus emptionis, venditionis lucrorum, cum certi determinati lucri conventio respectu dantis pecuniam respiciat potius modificationem et restrictionem contractus societatis, quam novum emptionis venditionis contractum. In societate non prohibentur contrahentes pacisci certum lucrum et damnum, quod quamvis in ea certum non sit, eo quia versetur ex. gr. in tertia parte lucri percipienda, in tertia parte damni avertenda, quæ tertiæ partes modo majores, modo minores ex diversis circumstantiis fiunt, licet ex natura societatis æquale esse deberet lucrum et damnum, spectata quantitate pecuniæ, vel mercis, aut operarum, quæ in societatem conferuntur; ita in cambio maritimo hæc vaga lucri, et damni communicatio ad certam determinatamque quantitatem cohibetur, quod societatis naturam non mutat, sed eo maxime eamdem modificat, vel restringit. Non desunt contractus, qui nonnulla cum aliis contractibus communia habent; nemo tamen dixerit in illis plures immisceri contractus. Nundinalia cambia in eo pariter versantur, ut inter contrahentes dividantur lucra, et, loco incerti lucri, in illis certæ et determinatæ usuræ favore creditoris conveniuntur, quin in his quoque inducantur contractus societatis et emptionis venditionis lucri. Idem quoque affirmari posset de contractu locationis prædiorum rusticorum, in quo plurimum communicantur lucra et damna, sed, loco incerti lucri, annua convenitur pensio, nec tamen in hoc quis societatem admiserit. Suas igitur unusquisque retineat nomina et qualitates, quin alter cum altero absque necessitate confundatur. Quid vero de tertio contractu dicendum, quod pariter a forensibus nautico fenori adnectitur, de contractu nempe assecurationis? Vel sermo est de vera et propria assecuratione, et hæc quidem nihil confert ad perfectionem contractus nautici fenoris, ut infra breviter attingemus. Vel intelligitur pactum avertendi periculi, quod creditor suscipit, et hoc casu hujusmodi pactum ad instar separati contractus nequit considerari, sed ipsa societas. Dum enim quis de damno et lucro communicando convenit, idem est ac si conveniat de avertendo damno; non potest enim ex se damnum communicari, nisi vel tacite, vel expresse, vel ex natura contractus periculum suscipiat, ideoque de damno avertendo paciscatur. Quin imo si creditor, vel socius, qui tradidit pecuniam, vel merces, ita caveat, ut totum damnum ad debitorem pertineat, nullumque lucrum sentiat, injustum ac illicitum hujusmodi pactum reputatur, eo usque, ut, si conveniatur, ut, integra restituta sorte, lucra tantum dividantur, talis conventio non sustineatur, ut late probat Molin., *De contract.*, disput. 416, n. 1 et seq. Profecto pactum avertendi periculi eamdem esse societatem, non vero contractum mistum, docet, contra Grotium, Cocceius in suis *Comment.*, lib. II, cap. 11, § 24, verb. *Fiet enim mistus.* « Imo unum hic est negotium, scilicet societas, ad cujus essentiam sufficit communio lucri, id est ejus, quod superest, deducto damno. »

(7. His contractibus sicuti diversum nomen, ita et diversæ qualitates tributæ sunt. Societas morte unius socii dissolvitur; nauticum vero fenus nequaquam, nisi prius navis appulerit ad portum, ad quem ex conventione debuit appellere. Aliud igitur est, quod aliquam similitudinem habeat cum societate, aliud vero, et longe diversum, quod ad ipsius essentiam in eodem concurrat. Profecto utrumque contractum a veteribus Romanis accepimus cum iisdem legibus et qualitatibus. Porro societas ab initio, in qua alter contrahentium pecuniam, alter operam poneret, non ab omnibus jurisconsultis admissa erat, ut recte ex Diocletiani et Maximiani constitutione in l. 1 Cod. *Pro socio*, colligit Schultingius, *Jurisp. vet. ante Justin. ad Gaii Instit.*, lib. II, cap. 9, n. 95. Si enim super hujus societatis natura nulla excidisset inter illos controversia, non equidem laudati imperatores asseruissent loco citato. « Societatem uno pecuniam conferente, alio operam, posse contrahi, magis obtinuit. » Sed de hoc amplius post Justinianum non ambigitur. Verum, si admitti debet, a societate partem nautici fenoris contractus fuisse ab initio constitutam, affirmari quoque oporteret, antea nauticum quoque fenus contrahi non potuisse, nisi unusquisque contrahentium tum operam, tum pecuniam contulisset, quod tamen falsum est. Ita enim nauticum fenus comparatum fuit, alter operam, ut alter vero pecuniam pecuniæque periculum conferret. Imo ex hoc deduci posse arbitror, ideo nauticum fenus inventum fuisse, quia societas cum hoc non poterat conciliari. Cum antiquitus in usu esset societas, nil opus erat, ut novus, mutato tantum nomine, societatis contractus inveniretur, si natura societatis nautico fenori non repugnabat. Sicuti vero a societate proprie dicta alienum esse arbitrantes jurisconsulti contractum, in quo alter pecuniam, alter operam conferebat, hujusmodi contractum cum legibus societatis metiri nonnulli saltem recusabant, ita compertum fit, etiam tunc distinctum a societate ipsos voluisse nauticum fenus, quod non modo in hoc, sed etiam in aliis qualitatibus dissimile a societate videtur. Quare, ubi quæstio erat de hujusmodi contractibus, non abs re est, veteres jurisconsultos censuisse, ad instar nautici fenoris potius ipsos contractus esse reputandos, quam ad instar societatis, ideoque leges nautici fenoris, non societatis servandas. Ad summum, si cum nautico fenore societas convenisset, distinxissent tantummodo societatem in genere, et societatem navalem, de qua fit mentio a Grot., *De jur. bell. et pac.*,

Digitized by Google

lib. II, cap. 12, § 25, ibique Cocceius. Sunt quidem contractus complicati, sed nihil commune habent cum nautico fenore, ut fusius infra demonstrabimus, ubi de trino contractu sermo erit. Quidquid tamen sit de hujus forensis doctrinæ veritate, si quis ipsius sectatores, plerosque saltem adire velit, consulat Rot., cor. Olivat., decis. 457, num. 23 et 49, et decis. 534, n. 33, *in Romana Societatis* 4 Junii 1744, cor. Bussio, § 3.

(8. Sit itaque firmum immotumque nauticum fenus natura sua esse contractum a societate distinctum, nec ad propriam essentiam eadem societate indigere. Quare non temere hoc definiendum opinamur, quod « sit legitima, et justa pecuniæ, vel mercis periculo creditoris trans mare vehendæ accessio præmium suscepti periculi, creditori debita juxta modum a contrahentium pacto ad juris tramites præfinitum. » Dicimus *legitima et justa*, quia neque civili neque naturali juri ipsius perceptio repugnat. Addimus *in præmium suscepti periculi*, quia non alia de causa hæc accessio debet admitti, nisi propter periculum a creditore susceptum. Hinc, si contingeret ut quis pecuniam crederet trans mare vehendam ad portum, ad quem jam salva navis, ipso sciente, pervenerat, nulla poterit conveniri pecuniæ creditæ accessio. Ideo enim debitor convenit de accessione, quia in maritimo itinere potest naufragio navis perire, atque ita pecunia sibi credita damno cedere creditoris; propterea, hoc remoto periculo, cessat causa finalis contractus, et conventæ accessionis, ut mirifice idem Grot., *loc. sup. cit.*, § 23. « Contractus omnino nullus erit, si contrahentium alter rem, de qua agitur aut salvam, quo destinabatur, pervenisse, aut periisse sciverit, quia propria materia hujus contractus est damnum sub ratione incerti. » Et clarius ibidem Coccei. in *Comment.*, verb. *Omnino nullus :* « Solvitur enim pecunia hæc pro periculo; non autem est periculum, si navis jam in portum delata et salva est. Dolose igitur stipulatur tales usuras, qui scit, periculum non esse. » Cave autem credas, quodlibet periculum cedere creditoris detrimento debere, sed illud tantum, quod a periculo maris et dubio rerum eventu proficiscitur. Sed si « per vitium debitoris, nec quidem loco navigii servato, illicitis comparatis mercibus, ea, quæ navis continebat, fiscum occupasse contingat, amissarum mercium detrimentum, quod non ex marinæ tempestatis discrimine, sed ex præcipiti avaritia et incivili debitoris audacia accidisse adseveratur, adscribi tibi juris publici ratio non permittit. » Ita imperatores Diocletianus et Maximianus rescripserunt in l. 3 Cod. hoc tit.

(9. Locum navigii non fuisse servatum tunc dicitur, cum magister navis a suscepto itinere adeo divertit, ut in aliam proficiscatur provinciam ab ea prorsus diversam, quam petiturus pacto promiserat, si modo pactum intercessit. L. unic., cod. *De littor. et itiner. custod.*; Strychius, *De cautel. de jur. marit.*, part. 4, cap. 7, n. 360; Rot. Januen., *De mercat.*, decis. 25, et decis. 63, utrobique præsertim n. 4; Rot., cor. Olivatio, decis. 457, n. 12, 15, et decis. 534, n. 28. Servatum vero navigii locum dicetur, dum, retento proposito progrediendi ad metam, in aliquo portu consideat, qui forte in itinere occurrat, ibique merces exoneret, permutet, aut vendat, ut distinguendo tenet Casareg., *De commerc.*, disc. 1, n. 129 et seq., et disc. 67, n. 24 et 25; Targa, *De ponderat. maritim.*, cap. 52, n. 13 et seq.; Strach., *De assecurat.*, gloss. 14, n. 5; Rot., apud Balduc, tit. *De assecurat.*, decis. 8, n. 17, post Albic., *De inconst. in judic.*, decis. 64, n. 17, in recent. part. XIV, decis. 54, n. 17, decis. 120, n. 2 et 3, cor. Olivat., decis. 457, n. 13 et 14, præsertim si pactum *di toccare tutte le scale* favore nauclerii accedat, dicta dec. 457, n. 16, et decis. 534, n. 29 cor. Olivat. Nec refert, quod necessitate adactus nauclerius ad portum appulerit, vel tantum ex arbitrio. Cum navium magistris hæc consistendi facultas competat, satis est, portus, in quibus detinetur, intra lineam reperiri, ad hoc, ut quodlibet infortunium propter hanc moram contingens ipsius nauclerii vitio non vertatur, sed creditoris damno adscribatur. Neque hæc ipsis minuitur facultas ex pacto in certis tantummodo locis consistendi, quia hujusmodi facultas nullo potest contrahentium pacto cohiberi l. 1, cod. *De nautic. fenore;* Targa, *Ponderat. maritim.*, cap. 32, n. 13, 14; Casareg., *De commerc.*, tom. I, disc. 1, n. 129, 132; et disc. 14, sub n. 4, et tom. II, disc. 62, n. 1, 2; Coccei., ad Grot., *De jur. bell. et pac.*, lib. II, cap. 12, ad § 23, vers. *Fieri autem*; Rot., cor. Olivat., dec. 457, n. 17, 18, 19, 28, 29.

(10. Diximus *pecuniæ, vel mercis accessio*. Quamvis enim in dubium nequeat verti, quin ad probandum cambium maritimum sola receptæ pecuniæ confessio exuberet, Targa, *Ponderat. maritim.*, cap. 33, n. 19, et Rot., *loc. cit.*, n. 39 : nihilominus non semper requiritur, ut in nautici fenoris contractu de pecunia numerata constet. Potest enim in mercibus versari, dummodo creditoris periculo ipsæ quoque merces trans mare vehantur. Casareg., *De commerc.*, dis. 63, numer. 1 et seq., disc. 73, n. 3 et seq.; Rot. cor. Olivat., decis. 457, n. 39, et a n. 41 ad n. 44., dec. 534, n. 9, cor. eod. ; dec. 346, n. 6, seq., et decis. 368, n. 3, cor. Caprara *et in Mantiss.*, ad card. de Luca, lib. VIII, *De credit.*, decis. 8, n. 9 ; *Senogallien. cambii* 5, *Julii* 1756, § 4, cor. Borull. Hoc tamen in cambiis maritimis speciale arbitror esse. Cum enim res sit inter mercatores, inter quos juxta apices juris non proceditur, nimiæ legum subtilitates vitandæ sunt, a quibus publici commercii favor et mercatorum fides abhorret. Santern., *De assecurat.*, part. II, n. 22, et part. III, n. 1 et seq.; Giballin., *De univers. rer. human. negotiat.*, l. IV, cap. 11, art. 2, n. 3; Thesaur., quæst. 77, n. 10, card. de Luc., *De credit.*, disc. 23, n. 7, 8, dis. 109, n. 6;

Digitized by Google

Ansald., *De commerc.*, disc. 7, n. 7; Casareg., dis. 1, n. 4, 5; *De comitib.*, *Decis. Florent.* 22, part. II; Rot., cor. Gregor., decis. 126, n. 3, in recent. decis. 47, n. 3, 4, part. VII, cor. Olivat., dec. 457, n. 9, 10, et dec. 534, n. 31.

(11. Quanquam nec desunt, qui hoc idem affirment etiam in cambiis nundinalibus, ut præ cæteris card. de Luc., *De camb.*, dis. 3, n. 4, et disc. 7, n. 7; Urceol., *Decis. Florent.* 44, n. 7; Rot., cor. Molines, decis. 545, n. 17, et seq., cor. Lancet, dec. 1007, n. 11, *in Eugubina Cambiorum sup. reservat.* 7 Junii 1754, § 2, cor. Elephantutio, et *in Senogallien. Cambii* 5 Julii 1759, § 3, cor. Borull. Hæc tamen sententia non modo quamplures habet contradictores, sed insuper ipsis Pontificiis constitutionibus adversatur, ut supra notavimus litt. *C*, v. CAMBIUM, artic. 2, n. 16, et plur. seq., eamque ideo neque in agendo, neque in judicando sequerer. Alia enim, et longe potior ratio in fenore nautico occurrit, qua accessio etiam mercis licet per se infructuosæ, permittitur. In hoc enim nulla alia de causa permittitur usura, nisi quia creditor maris periculum suscipit, ideoque potius periculi pretium, quam usura meretur appellari in l. 5, ff. *De nautico. fenor. princ.*, et remoto periculo, non debetur usura l. 4, ff. eod. Contra vero in cambiis nundinalibus est accessio pecuniæ, quæ parere fructus per se apta non est. Loquor tamen de cambiis, quæ nundinalia finguntur inter privatas personas mercaturam non exercentes. Quod in cambiis maritimis debeatur accessio, quæ loco præmii succedat ob susceptum periculum, rationi et æquitati consonum est, ut in aliis cambiis, in quibus ut plurimum nullum creditori imminet periculum, cum nullum in se suscipiat periculum, et suam creditor in vim hypothecæ rem salvam faciat, nullo jure potest accessiones consequi, nisi ob usum pecuniæ debitori concessum. Ab usu autem simplici pecuniæ accessiones non posse consequi, tum sacræ litteræ, tum canonica jura passim monent, ideoque usuræ, quæ in cambiis maritimis permittuntur, nequeunt in nundinalibus impropriè dictis permitti, licet in longe minori summa conveniantur, cum usurarum natura a majori, vel minori quantitate nequeat metiri, sed, si ex pecunia posteriori casu non debetur usura, multo rectius eadem debet denegari, ubi loco pecuniæ succedunt merces.

Non denique casu posteriora definitionis verba apposuimus *debita juxta modum a contrahentium pacto ad tramites juris præfinitum.* Nam licet in jure permissa sit hæc accessionis conventio, non tamen illimitata est, a sola creditorum avaritia dependens. Quapropter modo major, modo minor conveniri potest accessio, sed modum a jure præscriptum prætergredi non debet, ideo dicitur *pacto ad tramites juris præstitutum.* In statuendis usuris jus civile prospexit maximo periculo, quod interdum subire cogitur creditor ob longas navigationes, relicta tamen contrahentibus facultate modo augendi, modo minuendi accessiones, spectato majori, vel minori periculo, dummodo semper inter limites a jure præscriptos contineantur. Quinam autem sint hujusmodi limites, suo loco videbimus.

(13. Ex hactenus dictis, sive superius allatas definitiones sequi velimus, sive eam, quam nos ipsi ultimo loco proposuimus, certum est, ad nautici fenoris contractus validitatem omnino requiri, ut duo præsertim eodem contextu concurrant, quorum utrumque creditoris respicit personam, relicto debitori onere tantum navigandi. Ex his alterum in eo versatur, ut revera tradatur pecunia trans mare vehenda, et vere, et non simulate trans mare vehatur. Alterum vero respicit periculum ejusdem transvehendæ, quod ipse creditor cogitur suscipere. Stypman., *De jur. naut. et marit.*, part. IV, cap. 3, sub n. 4 et seq. Cum enim hoc casu ideo usurarum conventio, perceptio, et retentio permittatur, quia plena periculis est navigatio, propterea opus est ut pecunia revera trans mare vehenda sit, ut verificari possit periculum. Debet vero a creditore suscipi, quia, existente periculo, si periculi damnum debitoris incommodo cedere deberet, jam tradita pecunia in dominium transiret debitoris, atque ita potius versaremur in contractu mutui, quam cambii maritimi. Quare cum in mutuo nequeant usuræ in pactum deduci, neque in cambio maritimo possent pacisci, si periculi damnum ad debitorem pertineret. Nec ulla profecto occurrit ratio, ob quam debeat præmium, nullo existente periculo concedi creditori; ideoque ut illud jure possit retinere, concurrat oportet navigationis periculum, utque creditor illud suscipiat. Hinc non immerito in lege Rhodia, *De jactu*, statutum legimus, cambium maritimum corruere, si alterutrum ex his requisitis deficiat. Hæc præcipua sunt cambii maritimi: sed aliud etiam requiritur, quod commune est cum aliis quoque contractibus. Etenim in nautico fenore, ut in cæteris contractibus, ea debet servari æqualitas, quæ tum suscepto damni periculo, tum traditæ pecuniæ conveniat. Licite quidem conveniri possunt usuræ, sed si periculum damni, quod alter in se suscipit, æstimabilius sit, quam pretium certum ab altero persolutum, et vice versa, stricto quidem jure validus erit contractus, sed tamen reipsa injustus, non ex natura ipsius contractus, sed ex inæqualitate. Ita etiam in contractu emptionis, venditionis, locationis, permutationis et similibus, in quibus vel res æstimabilior pretio, vel pretium æstimabilius ipsa re concurrat, contractus illico corruit ex capite læsionis, ideoque non ex natura contractus, qui licitus est, sed ob non servatam æqualitatem. Zecch., *Rigor. moderat. doctrin. Pontificiæ circa usuras*, dissert. 3, cap. 2, sect. 4, *De contract. assecurat.*, § 118; Lampred., *Jus public. univers.*, part. I, cap. 1, *De act. benefic.*, § 24, in fin. vers. *Quamvis*,

Digitized by Google

(14. Hoc nauticum fenus in duas dividitur species. Altera cum debitor sortis, et usurarum solutionem in id tempus differt, quo, navigatione confecta, navis salva portum intraverit. Altera vero cum certi præfiniuntur dies, intra quos, si navis salva portum subierit, pecuniæ trajectitiæ petitio competit creditori, secus vero suum amittit, si navis fuerit amissa. De hac diei præfinitione habetur mentio in l. 4, l. 6, ff. hoc tit., et in novell. 106. Verum cum non semper pecunia trajectitia acciperetur, et respective traderetur in utramque navigationis partem, quam navis perficere poterat eundo et redeundo ad eumdem portum, sed modo in alteram partem modo in utramque, hinc prima nautici fenoris species dupliciter subdividebatur. Vel tradebatur pecunia ad certum portum transvehenda simpliciter et vocabatur nauticum fenus *in itum;* aut tradebatur ad certum portum vehenda, sed iterum ad eumdem portum reportanda, a quo profecta navis erat, et tunc fenus vocabatur *in itum et reditum.* Prima species definiri potest : « illud a creditore susceptum pecuniæ trajectitiæ periculum, quod navis subire poterat, donec hunc, vel illum portum attigisset l. 3, cod. *De nautic. fenor.* » Altera vero in eo versabatur periculo, quod creditor suscipiebat, donec navis portum, ex quo profecta foret, rursus appelleret, et sic itus et reditus. L. 1, cod. eod. Si quis tamen de utraque nautici fenoris specie curiosius velit inquirere, adeat Stypman., *De jur. nautic. et marit.*, part. IV, cap. 2, n. 3, cum plur. seq. Quas etiam species leviter attingit Gerard. Nood., lib. II, cap. 7, *De nautic. fenor.*, in princ.

(15. Eos nauticum fenus limites in conveniendis, et percipiendis maritimis usuris non cognovit apud Romanos, inter quos a Græcorum legibus, vel consuetudine coercebatur, sed « trajectitia pecunia propter periculum creditoris, quandiu navigat navis, infinitas usuras capere potest, » ut testatur Paulus, *Recept. sentent.*, lib. II, tit. *De usuris*, et late observat Duaren., *Disput.*, lib. II, cap. 3, tom. IV. Huic illimitatæ usurarum licentiæ in maritimis negotiationibus nulla lex, nullusque modus usque ad Justiniani tempora præfinitus fuit, quidquid autument nonnulli imprimis auctoritati textus in l. 4, § 1, ff. *De nautico fenor.*, et l. 26, § 1, ff. *De condict. indebit.* In lege quidem primo loco citata usuræ centesimæ fit mentio a Papiniano, sed ea verba non ex Papiniani sententia esse, sed potius a Triboniano addita, ut Justinianæo juri jus antiquum accomodaret, tenet in commentariis ad hanc legem Cujacius, et post eum Scultingius *Jurisprud. vetus Ante Justinianæa ad Paul. Recept. sentent.*, lib. II, cap. 14, § 3, not. 11. Centesima usura incognita quidem Romanis non fuit etiam ante Justinianum, sed ibi de usuris terrestribus, et nundinalibus agebatur, de quibus loquitur lex 26, § 1, ff. *De condict. indebit.*, prohibens hujusmodi usurarum conventionem ultra duplum. Nec est credendum, a Paulo dissensisse Papinianum quoad usuras maritimas; æquales enim fuerunt, et uterque, imperantibus Severo et Caracalla, floruit, a quibus æque uterque honoribus et dignitatibus amplis auctus fuit, ut colligitur ex l. ult. ff. *De jur. fisci;* l. 79, ff. *De acquir. hæred.*, l. 38, ff. *De minor.* Imo Paulum inter Papiniani assessores fuisse constat. ex l. 40, *De reb. dub.* Omnem denique adimit difficultatem rescriptum Diocletiani et Maximiani in l. 1, cod. *De nautic. fenor.* et distinctio, quæ legitur in eodem Paulo, *loc. sup. cit.*, § 2 et 4. « Usuræ supra centesimam solutæ sortem minuunt, consumpta sorte repeti possunt. Usuræ, quæ centesimam excedunt, per errorem solutæ repeti possunt. » Cur vero idem nullis circumscribendas limitibus censuit maritimas usuras, ubi de his sermonem habuit? Nulla profecto alia ratione, nisi quia illis temporibus obtinebat, ut usuræ communes ultra centesimam in stipulatum deduci non possent, et si per errorem solverentur, possent repeti. Sed de his fusius Chr. ab Hag., cap. 5, num. 15; Duaren., *Oper.* tom. IV, *Disput.* lib. II, cap. 3.

(16. Inter Romanos legislatores novissimus denique Justinianus marit. quoque usuras inter certos limites cohibuit, jussitque ut « in trajectitiis contractibus... usque ad centesimam tantummodo liceret stipulari, nec eam excederet, licet veteribus hoc esset concessum. L. *Eos qui*, § *In trajectitiis* 26, Cod. *De usur.* Hæc autem centesima usura erat « cum duodecim aurei post annum ob centenos dantur, propterea quod ex centum singulis mensibus unus datur, qui, si ad universa centum respexeris, centesimus est, jure igitur centesima ea usura dicitur; » quemadmodum explicat Harmenopul., *Epitom.*, lib. III, tit. 7, et ulterius consuli possunt Joan. Frid. Gronovius, *De pecun. veter.* lib. III, cap. 13, et *De centes. usur.*; Gerard. Nood, *De fenor. et usur.*, lib. XI, cap. 3 et 4; Duaren., *loc. sup. cit.* Inde liquet quod ubi in Justinianæis libris occurrit usura centesima, intelligendum est de uno nummo singulis mensibus pro centum nummis persolvendo, usque dum centum menses laberentur, quibus peractis, usurarum cursus desinebat, cum jam impleta esset centesima, et quod ulterius solvebatur, in sortem imputabatur. L. 26, § 1, d. *De condict. indebit.* Et hoc inde profectum est, quod vetus apud Romanos contrahendi modus ferebat, ut usuræ convenirentur non in singulos annos, sed in singulos menses; quo fit ut in nonnullis legibus non usura centesima legatur, sed menstrui nummi. L. 40, ff. *De reb. cred.*, et hæc erat usura centesima. Heinec. in *Pandect.*, part. IV., § 93, in not. Apud nos hæc usura æquipollet 12. pro centum, quam etiam circa tempora Justiniani in usu fuisse ex eo maxime colligitur, quod in concilio Tarraconensi centesimæ usuræ reiterata fuit clericis prohibitio, ut videre est in cap. 4,

Digitized by Google

quæst. 4, causa 14, quas iisdem jam antea interdixerat concilium Nicænum, cujus verba habes in distinct. 47, cap. 2, et causa 14, quæst. 4. cap. 8. Cum in laudatis textibus centesimæ usuræ tantum fiat mentio, non satis liquet utrum centesima tantum, an quælibet usura interdicta censeretur, sed probabilius est, de qualibet usura utrumque Concilium sensisse, ut notat Bynckerschoeckius, lib. singul. *ad l.*, lect. 40, ff. *De reb. cred.*, cap. 7. Sculthing. ad lib. II, tit. 14, Paul. *Recept. sentent.* not. 6.

(17. Cavit itaque Justinianus in prænotata leg. *Eos qui*, § 7, Cod. *De usuris*, ne usuræ maritimæ centesimam excederent, sed depravati avidorum negotiatorum mores hanc cito legem irritam prorsus reddiderunt, adeo ut ipse Justinianus ab iisdem tolerandis moribus vacare non potuerit. Quapropter in novella 106 post diversas recensitas consuetudines, quæ prorsus sancitæ legi adversabantur, et quamlibet in pecuniis trajectitiis permittebant usuram juxta varias locorum et temporum circumstantias, mandavit, ut quod antea inter maritimos negotiatores fieri consueverat, deinceps quoque servaretur, « et quod neque jam positis repugnaret legibus. » Positis nempe legibus non repugnabat, quia in ipsis nulla facta fuerat mentio consuetudinis tollendæ quoad pecuniam trajectitiam, quæ inter maritimos negotiatores viguisset: ideoque quod longis ita est servatum temporibus, et tenuit immutabiliter,... quomodo non est justum et in omnibus aliis valere, quæ postea erunt, et esse hanc eis rerum transactionem ex propria lege valentem, et altera quadam dispositione non egentem; sed in naucleriis, seu negotiatoriis occasionibus in omne tempus valentem, ut puta generalem existentem legislationem, et naucleriis, seu negotiatoribus et eorum contractibus impositam? Quæ debet etiam pars fieri jam a nobis positarum legum, et judicantes ad hanc respicientes proferre sententiam. Dicta novell. 106. » Non multo tamen post, hanc ipsam novellam idem Justinianus posteriori sustulit novella 110 et spreta qualibet contraria consuetudine, primævæ observantiæ restituit l. 26 Cod. *De usuris.* Sed non satis inter se conveniunt juris interpretes in decernendo, quo dicta abrogatio respexerit, an scilicet centesimam, vel antiquam nullis circumscriptam limitibus fenerandi licentiam confirmaverit. Vix mihi quidem de hoc dubitandum videtur. Præfatio posterioris novellæ 110, omnem dirimit controversiam. Ibi siquidem expresse meminit legis super trajectitiis pecuniis, nec aliam sane super illis antea sanxerat legem præter novell. 106, quæ tota super trajectitiis pecuniis versatur, et de usuris nauticis inscribitur. De hac igitur sola intellexit Justinianus, non de leg. 26 Cod. *De usuris*, quæ, nullo facto discrimine, omnes complectitur usuras, nec de trajectitiis pecuniis, nisi incidenter et breviter agit, nec de nauticis usuris inscribitur. Quare, ut dicta lex 26 dici possit comprehensa in abrogatione, de qua in novella 110 non satis est, ut in hac simpliciter mentio fiat legis super trajectitiis pecuniis, nisi saltem de legibus loquatur, quæ super iisdem pecuniis versentur, cum, abrogata lege de trajectitiis pecuniis, de ea tantum novell. 106 possit intelligi, quæ de nauticis usuris inscribitur, non de alia lege 26, cujus, si paucos demas versus, ne verbum quidem de trajectitiis pecuniis invenies. Propterea non temere hæc eadem nostra opinio placuit Molineo in d. l 26, § 7, cod. *De usuris*, et Cujacio. *Comment. ad novell.* 110. Hoc unice nonnullos in contrariam trahit sententiam, quod nauticum fenus ex quantitate periculi æstimandum sit, ideoque cum contingere interdum possit ut periculi æstimatio major centesima usura sit, propterea inverisimile sit imperatorem ad centesimam tantum coercere voluisse nauticam usuram. Lampred., *Jus. publ. univers.. edit. prim.*, part. I, cap. 11, § 24, *De pecun. traject.*, vers. *Quamvis:* Claud. Salmas., *lib. De mod. usur.*, cap. 9, pag. 377; Stypman., *De jure nautic. et marit.*, part IV, cap. 2, n. 267; Grænovegen., *De leg. abrog. ad tit.*, Cod. *De nautic. fenor.* Hæc mihi tamen sufficiens ratio non videtur ad nautici fenoris licentiam in infinitum protrahendam. Periculi æstimatio in maritimis negotiationibus non semper centesimam exæquat, sed modo major, modo minor est. Quare, cum lex inter utrumque extremum consistere debeat, nil refert interdum periculi æstimationem non æquare, aliquando excedere centesimam, dummodo constet sæpissime inter centesimam contineri, quinimo nec ipsam attingere. Sicuti vero non satis justa dici posset lex, si minimo periculo consuluisset, ita justa dici non deberet, si remotissimo tantum periculo, quod raro contingit, prospexisset, quod tamen semper judicis arbitrio relinquitur.

(18. Hac de re non satis mirari possum, virum cæteroquin summum et doctissimum Ger. Nood. *De fenor. et usur.*, lib. II, cap. 7, in maximum irrepsisse errorem, ut superiorem, quam rejecimus, opinionem tueretur. Ideo enim arbitratur ex Justiniani novella constitutione 110, licitam esse quamlibet illimitatam in trajectitiis pecuniis usuram, eo quia usura communis sit centesima. Quod si ita esset, sicuti ob mutuatam simpliciter pecuniam, et propter ipsius usum, nullo vel minimo existente periculo, centesima usura mutuanti conceditur, multo rectius usura ultra centesimam concedi debet pecuniam trajectitiam cedenti. Sed tanti viri pace dicam, id omnino falsum est. Non inficior ex veterum jurisconsultorum sententia usque ad centesimam usuram potuisse stipulationes interponi, ut satis liquet ex Pauli *Recept. sentent.*, lib. II, cap. 14, § 1 et 2. Sed quæstio, quæ nos exercet, non in veteribus interpretandis jurisconsultorum libris versatur, verum super cognoscenda imperatoris mente. Fuerint utique centesimæ usuræ antiquitus usuræ communes, has tamen communes esse vetuit Justi-

Digitized by Google

nianus. Nam « veterem duram, et gravissimam usurarum molem ad mediocritatem deducens, jussit, illustribus quidem personis, sive eas præcedentibus minime licere ultra tertiam partem centesimæ usurarum nomine in quocunque contractu vili, vel maximo stipulari. Illos vero, qui ergasteriis præsunt, vel aliquam licitam negotiationem gerunt, usque ad bessem centesimæ usurarum nomine in quocunque contractu suam stipulationem moderari. » Ita Justinianus de usura communi legem ponens jussit in l. *Eos qui* 26, § 1 Cod. *De usuris*, cujus quidem derogationis nullibi apparet vestigium in Novella 110. Post usuras communes, cujus modum confirmavit etiam novell. 136, capit. 4. ad nauticas usuras ipse imperator gressum facit, easque usque ad centesimam protrahi sinit. Majoris itaque periculi rationem habuit in trajectitiis pecuniis, illudque inter has et illas constituit discrimen, ut in quolibet contractu usura bessem centesimæ non excederet, in maritimis vero negotiationibus integram centesimam permitteret. Quid igitur opus est ut ad argumenta confugiamus, dum rei veritas opponitur? Quare laudati auctoris opinio falso laborat supposito, quod æquale lucrum permittatur, tum nullum, vel minimum, tum maximum subeunti periculum, statim ac ex ipsis Justinianæis constitutionibus usuræ communes coercitæ sunt. Quod cum ita sit, Justinianus in novell. 110 ad proprias constitutiones respiciens, debuit revocans novellam 106 primævæ observantiæ legem 26 restituere.

(19. Hoc idem mihi videtur demonstrare ratio, ob quam novella 106 abrogata fuit. Hæc quidem, ni fallor, particularis fuit, in eaque certis, determinatisque personis, vel ad summum certæ provinciæ concedebatur privilegium, forte ob peculiares ipsius loci et personarum circumstantias. Id non modo ex contextu ipsius constitutionis eruitur, sed insuper et quidem clarius, ex novella 110 in qua nulla alia abrogationis adducitur causa, nisi quia « cognovit, eam in quibuslibet provinciis jam insinuatam, propterea sanxit talem legem omnino vacare, et si contigerit etiam per provincias eam destinari, nec ibi valere, sed invalidam esse. » Si igitur in quibuslibet provinciis paulatim *insinuata fuerat*, manifestum est hanc legem propter particularem provinciam fuisse latam, sed deinde in reliquis etiam provinciis *insinuatam fuisse*, non ex mente imperatoris, sed provincialium consensu. Quare idem imperator, ne in hujusmodi provinciis ulla dubitatio superesset, utrum comprehensæ in posteriori lege censerentur, illico subdit « et si contigerit etiam per provincias eam destinari, nec ibi valere, sed invalidam esse. » Igitur in aliquibus provinciis destinata, non a principe, in aliquibus vero ex se insinuata fuerat. Hac vero lege peculiares provincias respiciente abrogata, jussit ut « secundum de talibus positas leges a nobis negotia, et æstimatione, et sententia potiantur. » Sed quasnam antea de *talibus posuerat leges*? Nullam profecto aliam, quæ generalis possit appellari, nisi legem 26 usque ad legem 30 Cod. *De usuris*. Quod si hujusmodi leges generales sunt, si in novella 110 particularis legis abrogationi respexit, necessario sequitur, per hanc abrogatam fuisse novell. 106 quæ utique illimitatas permittebat usuras, non vero legem 26 quæ certos constituerat limites usuris, et non particulariter quoad certas personas, et loca, ut ex allat. novella 106, sed generaliter nulla persona nulloque excepto loco.

(20. Inter hos quidem limites, ni fallimur, circumscriptæ a Justiniano fuerunt usuræ, quæ antiquitus propter trajectitias pecunias conveniri solebant. Sed inde, vel quod commercii necessitas id expostularet, vel quod in dies magis corrumperentur mores, vel alia quacunque de causa, oblitteratis Justinianæis legibus, paulatim antiquior consuetudo prævaluit, ut non amplius usuræ in his contractibus modum susciperent a legibus, sed a majori, vel minori periculi æstimatione, ut testantur Gratian., *Discept forens.*, 589, n. 3 et 4; Ansald. *De commerc. et mercat.*, disc. 70, sub. n. 4; Marquardus, *De jur. mercat.*, lib. II, cap. 13, n. 70; Cocceius in *Disput. de assecurat*, § *Præmium. et* § *Cæterum*, impress. in *Comment. ad Grot.*, *De jur. bell. et pac.*, lib. II, c. 12, § 23; Stypman. *De jur. marit.*, p. IV, cap. 2, a. n. 242; Voet, in *Pandect.*, lib. XXII, tit. 2, n. 3 et 4; Grot., *Manuduct. ad jurisp. Holland.*, lib. III, c. 11; Groenewegen, *De legib. abrog.*, ad tit. *C. De naut fenor.*, et in *Comment. ad l.* 6 *Cod. De usuris*, n. 3; Roseboom, *Costumen. van Amsterdam.*, cap, 52; Rota *in Fulginaten., seu Londinen. Pecuniaria* 21 Februarii 1732, § 17, *et in confirmat.* 26 Junii ejusd. anni § 15, cor. vicecomite, et decis. 451 a n. 54 ad fin., cor. Olivatio. Quinimo, si accurate res posset expendi, usura, quæ antea conveniri in trajectitiis pecuniis solebat, fortasse centesimam non excedebat, postea vero, nostrisque temporibus longe ultra centesimam convenitur. Ita enim fit, ut dum ad antiquiores consuetudines, et jura revertimur, posteriora jura latiorem et laxiorem admittunt interpretationem, ut recte advertit Viglius Zuichemus *Instit.*, tit. *De testam.*, § *Sed ut nihil.* « Jam et novæ leges per antiquas distinguuntur, et municipiorum institutis plerumque ea, quæ in jure civili correcta fuere, iterum sunt recepta, et ipsa correctoria jura latiorem interpretationem accipiunt, quoties ad antiquum aliquod jus redimus. »

(21. Nostris enim temporibus nil aliud videtur requiri ad validam reddendam in cambiis maritimis usurarum conventionem, nisi quod creditori pecuniæ trajectitiæ amittendæ periculum immineat: Navarra in *Manual.*, cap. 17, n. 254 et cap. 51, *Feneraberis*, 14 notabil., num. 52 et seq.; Less., *De just. et jur.*, part. II, cap. 25, n. 22 et seq.; Carleval., *De judic.*, tom. II, disput. 2, n. 17; Giballin., *De usur.*, lib. III, cap. 3 et seq., Mantic., *De tacit.*, lib. VI, tit 6, tom. I; Leotard., *De usur.*, quæst. 31, n. 13;

Digitized by Google

Scaccia, *De commerc.*, § 3; Gloss., 3, n. 36 et seq.; Rot. cor. Olivatio, decis. 457, n. 48. Quare in creditore, hoc periculo concurrente, quæcunque sit accessionum conventio, in cambiis maritimis quælibet usurariæ pravitatis suspicio abesse traditur a Molin., *De contract.*, disput. 318, n. 3; Rocco, *De assecurat.*, notabil. 17, n. 18 et seq., et notabil. 78, n. 281; Gratian., *De univers. rer. human. negotiat*, lib. IV, cap. 11, art. 1, confect. 2, vers. sexto quæritur. Altimar, *De nullit. contract.*, rubric. 1, § 2, q. 26, n. 115; card. de Luca, disc. 111, n. 9, 10, et disc. 167, n. 6, *De credit.*; Casareg., *De commerc.*, tom. II, disc. 70, num 5; Rot. post. Urceol., *De transact.*, decis. 53, et decis. 56, confirmat. cor. Ubago, decis. 99; cor. Emerix, fun. decis. 439, 482, 515, et cor. Olivat., dicta decis. 457, n. 5. Hoc vero periculum ex ea die ad creditorem spectat, qua navem navigare convenit, usque dum navis eadem ad destinatum portum appulerit. L. 3, ff. *De nautic. fenor*, l. 1 et ultim. cod., eod. tit. Nisi certum tempus expressum sit quousque periculum creditoris esse debeat. L. 4, *in princ.*, l. 6, ff. eod. Jo. Ortwini Westembergii *Princ. jur.*, lib. XXII, tit, 2, § 3 et 4; Corvin., *in Cod.*, lib. IV, tit. 33. Quod si navis incendio aut alio casu pereat antequam ad destinatum portum perveniat, ad creditorem pertinet damnum, dummodo nulla accesserit debitoris culpa, ut supra monuimus et docet Corvin., *loc. cit.*, Ex eadem die, qua periculum ad creditorem pertinet, ipse jus habet ad consequendas usuras, quæ etiam ex nudo pacto eidem debentur, cum ad instar accessionum pecuniæ non reputentur, sed tanquam periculi pretium, quod in se suscipit creditor. L. 5, fin.; l. 7, ff. *De nautic. fenor.*; l. 3 Cod. *De usuris*; Duaren., *De nautic. fenor.*, cap. 2, p. 149, col. 1; Jo. Ortwini Westemberg., *loc. sup. cit.*, § 5; Corvin., *in Cod.*, lib. IV, tit. 33. In hoc ideo minus recte videtur sentire doctissimus Zecch., *Rigor. moderat. doctrin. Pontific. circa usur.*, dissert. 3, sect. 4, capit. 2, § 115, ubi firmat Romanorum legibus in nautico fenore « usuram propter usum pecuniæ, solvendam, in majori tamen quantitate ob conjunctum periculum. » Nullibi sane legitur, quod Romanæ leges in maritimis contractibus usuras permiserint propter usum pecuniæ, sed constanter, ut usuræ peti possent, requisiverunt periculum. Si vero ob solum pecuniæ usum licita fuisset usura, nullum de periculo verbum fecissent. Imo si usuræ debitæ fuissent partim propter usum pecuniæ, partim ob junctum periculum, ut censet laudatus Zecch. sublato periculo, aliqua adhuc deberetur usura propter usum pecuniæ. Sed sic est, quod in trajectitiis pecuniis, cessante periculo, non amplius peti poterant usuræ. L. 4, ff. *De nautic. fenor.*; Corvin., in *Cod.*, lib. IV, tit. 33; Henric. Coccei., in *Comment. ad Grot.*, *De jur. bell. et pac.*, lib II, cap. 12, § 23, et ipse Grotius, *ibidem*. Igitur non propter usum simul et periculum concedebantur usuræ; sed tantummodo propter periculum. In communibus quidem contractibus obtinebat, ut propter usum pecuniæ deberentur usuræ, non item in trajectitiis. Hinc propter simplicem pecuniæ usum percipiebantur usuræ in mutuo; sed peculiares de mutuo statutæ fuerunt leges. Ubi vero de trajectitiis pecuniis in aliis legibus factus est sermo, diversimode prorsus cautum fuit. Quare cum veteres Romani legislatores hos contractus tum quoad nomen, tum quoad qualitates distinxerint, non ita facile statui possunt eadem in utroque contractu principia, secus non fenus nauticum, sed mutuum appellassent utrumque contractum, quod omnino repugnat. In mutuo enim dominium rei mutuatæ in mutuatarium transfertur; in trajectitiis vero pecuniis, vel mercibus dominium rerum trajiciendarum remanet penes creditorem, cujus ideo pecuniæ, vel merces percunt, cum res domino pereat.

(22. Tota igitur hujus contractus de jure civili justitia in suscepto periculo posita est, nec aliæ requiruntur solemnitates, quæ aliorum contractuum constituunt essentiam. Cum vero quoad contractus, præcipue qui usuram involvere possunt, a canonico jure regamur, neque canonicæ sanctiones ullam eidem contractui autoritatem addant, sed potius (spectato saltem materiali verborum sono), illum reprobent, ut infra notabimus, ita aliis principiis, quæ Pontificiis legibus non repugnent, confirmandum et ad eorum tramites dirigendum arbitramur nauticum fenus. Quapropter distinctionem præmittimus periculi, quod aliud statuimus reparabile, aliud vero irreparabile. Reparari potest periculum amittendæ sortis vel fidejussionibus, vel pignoribus, vel hypothecis, vel aliis similibus remediis. Irreparabile vero dici potest periculum, ubi non ita facile caveri potest indemnitati creditoris, ut omnino tutus sit in iis casibus, in quibus valde probabilis metus occurrit ejusdem amittendæ sortis et difficillime creditor fidejussionum, pignorum et hypothecarum præsidio se potest tueri. Primo casu sibi imputet creditor, qui dum potuit rem suam salvam facere, id neglexit, ut ita huic prætextui fretus præmium exigeret ex contractu, cujus natura nullum ei debebatur præmium nec inter illos recensetur, quos aliquo dignos auctario Ecclesiastica jura statuerunt. Susceptio periculi tunc justum titulum præbere potest, cum alio modo evitari nequit, non vero dum facilis est ejusdem reparatio, et mutato contractu, accessiones etiam percipi possunt. Cum vero periculum amittendæ sortis sit annexum quidem contractui, sed non essentiale, ita, si periculum sit irreparabile, vel saltem difficillime possit reparari, ratione illius poterit licite de præmio convenire creditor cum debitore. Ita sentiunt Giballin., *De usur.*, lib. II, cap. 4, artic. 1; Henric., a S. Ignatio, *Ethic. amor.*,

Digitized by Google

tom. II, lib. IX, cap. 31, 32; Steyærot., *Theolog. pract. aphorism.*, part. III, disput. 42, n. 10; idem in *Appendic. ad* Wiggers, controv. 7, quæst. 2; Boudart., *Manual. theolog.*, tom. IV, tract. 6; Hieron. Nicolius, *Lucubrat. utriusq. jur.*, lib. III, tit. 15, n. 12; Philippus a SS. Trinitate, in 2-2, *De jur. et just.*, disput. 8, quæst. 78, vers. *Dubitatur* septimo; Zecch., *Rigor. moder. circ. usur.*, dissert. 2, a n. 30 ad n. 38.

(23. Sed nec sola periculi existentia licet irreparabilis mihi sufficiens stricto jure videtur juxta canones. Hic agitur de periculo amittendæ sortis, nec specialiter in canonico jure cautum quidquam, apparet de nautico fenore. In hoc igitur contractu easdem leges requiri arbitrarer, quas doctores supra laudati requirunt in iis casibus, in quibus de irreparabili sortis amittendæ periculo agitur. Et quidem, I. Vellem ut accessio ratione hujus periculi ultra sortem exigendam in pactum deduceretur. II. Ut periculum esset verum et in probabilibus conjecturis fundatum; conjecturas autem satis probabiles eas habeo, si passim, videamus sortem periclitari apud hujusmodi conditionis homines. III. Ut ratione suscepti periculi non exigatur plus, quam illud a prudentibus communiter existimetur. IV. Mutuatarius non compellatur ad paciscendum cum creditore de periculo, sed plena ipsi libertas relinquatur, vel ad aliter paciscendum vel ad pignus pro sortis securitate exhibendum. V. Demum, ut auctarium non exigatur contra debitum charitatis et eleemosynæ. Zecch., *loc. supr. cit.*, § 39. His præcipue servatis conditionibus, quælibet usurariæ pravitatis suspicio ab hoc contractu recedit, sicuti abest etiam ab aliis contractibus, in quibus probabile amittendæ sortis periculum concurrit. Hoc enim periculum est contractui non de essentia, sed annexum; et licet ex sacris litteris habeamus *mutuum date, nihil inde sperantes*, nihilominus S. Lucas ibidem loquitur de accessionibus, non de sorte, quæ salva debet creditori superesse. Revera si pecuniæ creditæ periculum insitum esset contractibus, et ex eorumdem natura cedere deberet damno creditoris, non hic posset de ejusdem securitate cavere per pignora, hypothecas, fidejussiones et similia. Quemadmodum vero prorsus contractui extrinsecum est, ita et pretio æstimabile est, propterea pro eodem in se suscepto a creditore licebit aliquid ex pacto petere. Profecto creditor in se suscipiens periculum amittendæ sortis, a propria contractus natura recedit, quæ secum fert, ut dominium rei, vel pecuniæ creditæ transeat in debitorem. Ob hanc dominii translationem res ipsa debitori, uti domino, perire debet. Sed si creditor in se suscipit periculum, ideoque amittendæ sortis periculum ipsius damno cedere debet, jam non desinit esse dominus rei creditæ. Quemadmodum vero rei propriæ amissæ, vel in deterius lapsæ solus dominus damnum sentit, ita et æquum est ut utilitatem quoque percipiat. Profecto in aliis quoque contractibus, ultra obligationem illorum propriam et ex majori, vel minori periculo regulatur præmium; ut in locatione equi, currus et similium, in emptione nominum debitorum, quorum exactio exceptionibus subjiciatur. Sotus, *De just. et jur.*, lib. VI, quæst, 4, artic. 1, ad. 3, in fidejussione, lib. VI, § fin., ff. *Mandati.*, l. 19, § 1, ff. *De donationibus*, l. 23 Cod. *ad SC.* Vellejan. et in contractibus hujus generis aliis. Sicuti vero in recensitis contractibus ob probabile incertum damnum certa determinata quantitas potest percipi, ita etiam idem licebit, ubi adsit periculum probabile amittendæ sortis. Magis enim naturæ contractuum adversatur amissio sortis, quam damnum inde emergens, cum omnia jura exigant, ut sors restituatur, nec prohibere valent, ne damnum sequatur. Quemadmodum vero periculum damni ab ipso damno distinguitur et licite potest de compensando damno pactum iniri, dummodo absit utriusque vis et dolus, etiamsi damnum forte non sequatur, ita etiam periculum amittendæ sortis ab ipsa sorte distinctum esse debet et de illius periculi pretio pacisci, licet inde sors ipsa non amittatur. Revera periculum damni ab ipso damno distingui ex eo patet, quod in allatis exemplis modo major, modo minor requiritur ipsius damni compensatio, pro majori, vel minori periculo. Hinc a conducente equum ad peragendum iter per loca inhospita, montuosa, multo major quantitas exigitur, quam ab eo qui iturus est per viam planam et facilem. Sed si damnum a periculo damni disjunctum non esset, semper æqualis esset compensatio, non vero modo major, modo minor. Ita fere ratiocinatur Zecch., *Rig. moder. doct. pontif. circ. usur.* dissert. 2, § 41. Omnem denique adimeret dubitandi locum, si vera esset, quæ fertur, resolutio capta a S. congregatione de Propaganda Fide confirmata ab Innocentio X Pontifice 12 Septembris 1645. Missionarii Sinenses quærebant an liceret percipere 30 pro 100, licet realiter nullum damnum emergens, aut lucrum cessans contigerit, sed tantummodo ob periculum recuperandæ sortis; ut si debitor fugam arriperet, moram in solvendo committeret, vel necesse sit eum coram judice convenire et similia. Hujusmodi quæsito S. congregatio respondit, « ob mutuum nihil deberi, sed ratione periculi probabiliter imminentis aliquid posse percipi, habita tantum ratione qualitatis periculi, probabilitatis ejusdem et servata proportione inter periculum et id quod accipitur. » Hujus responsi exemplum habes apud Thomam Hurtado, in calce resol. *De martyrio fidei*, ejusque veritatem in publica disputatione acriter defendit Henricus a S. Ignatio ut ipse testatur, *Ethic. amor.*, tom. II, lib. IX, cap. 31, 32, eamque disputationem inseruit Platelius suæ *Sinopsi*, part. III, cap. 4, § 5, n. 637. Dictam tamen sac.

Digitized by Google

congr. responsionem fictitiam esse plures contendunt, inter quos P. Daniel Concina.

(24. Et quidem non mihi satis suadet eorum opinio, qui nauticum fenus contrahenti usuræ notam inurunt, eo quia non satis contractus hic valeat concipi, nisi simul concurrat mutuum. Esto, quod mutui contractus a nautico fenore non absit, non ea tamen erit mutui causa, quæ per canonicas sanctiones mereatur reprobari. Primo enim, ut supra notatum est, a natura mutui non minus abhorret accessionis perceptio, quam periculum amittendæ sortis, ideoque sicuti hoc a mutuo distinctum, imo eidem reputatur contrarium, ita nequit repugnare, ut, hoc concurrente periculo, nova inducantur pacta. Deinde, dato etiam, quod in simplici mutuo versemur, statim ac mutuans in se suscipit periculum amittendæ sortis, a nulla lege poterit prohiberi, quominus auctarium recipiat. Finge, quod non mutuans, sed tertius quilibet fidejubendo caveat de indemnitate mutuantis; hic procul dubio fidejussionis pretium exiget ob periculum, quo ipsi imminet de alieno debito solvendo quoties mutuatarius quacunque de causa solvendo desierit. Censuit enim Ulpianus, « extra causam donationum esse talium officiorum mercedes, » l. *Hoc jure utimur* 10, § 1, ff. *De donat.*, et l. *Si remunerandi gratia*, § 7, ff. *Mandati*. Sed si tertius, cur non item ipse creditor, qui dominus rei creditæ adhuc meretur reputari, dum ipsius rei periculum, quod solo domino convenit, in se suscipit? Jam vero si contra naturam mutui, amittendæ sortis periculum in se suscipit creditor, atque ita rei creditæ non desinit esse dominus, æquum est, ut sicuti domini commodo cedit quodlibet lucrum, quod a re propria percipitur, ita etiam creditor lucri saltem portionem, si non integrum lucrum, a re credita consequatur.

(25. Sit itaque firmum, quod nauticum fenus non pro mutuo, vel pro pecuniæ usu datur, sed pro periculo, quod lubens, volensque, consentiente, imo offerente mutuatario, in se suscipit creditor, quod in pecunia trajectitia maxime metuendum est. *Vide* Samuel Coccei., *Jus civil. controv.* h. t., quæst. 1, in princ. Profecto si quis centum aureos alicui mutuet, ex ipsius mutui natura tunc mutuata pecunia fit accipientis. L. 1, § 2, *De obl. et act.*, et periculum omne ad mutuarium pertinebit. L. *Secundum naturam* 10, ff. *De reg. jur.*; l. *Certi*, 9, in fin., ff. *De reb. cred.*, et l. ult., ff. *De naut. fenor.*, et l. *Incendium* 11 Cod. *Si certum petatur*, etc. Sed si debitor mutuam accipiat pecuniam animo navigandi et navigationis periculum metuens idem periculum velit in creditorem transferre, illudque creditor sponte suscipiat, hic dum ob talem periculi susceptionem, quod pretio æstimabile est. L. 1 et seq.. ff. *De nautic. fenor.*, de aliqua mercede ultra sortem exigenda paciscitur, causa hujus pacti non a mutui præstatione, sed a periculi susceptione desumenda est. Duo enim hic actus fiunt, unus est contractus mutui, vi cujus mutuans nil exigit præter sortem, cui tamen ex post alter superadditur a priore prorsus distinctus, in quo mutuatarius de periculo sortis suscipiendo aliquod auctarium cum ipso paciscitur creditore. Quamobrem, si tale pactum in se illicitum esse nequit, sique illud cum tertio quolibet licite iniri potest, nullam redolebit injustitiam, si illud mutuo addatur, sique cum ipso creditore ineatur. Pirhing., in *Jus can.*, lib. v, tit. 19, sect. 2, *De usus*, § 4, etc.

(26. Contra hæc objiciunt : Obj. 1. Quidquam exigi nequit, nisi compensationis nomine; compensatio autem supponit non merum periculum, sed damnum reale; ulterius damnum hoc ab iis compensandum, qui illud intulerunt, illudque æstimandum, quanti revera interest damnum tulisse; at cum in præsenti casu neque damnum reale verificetur, sed solum damni periculum, quod contra omnem æquitatem ab illis, qui nullum damnum intulere, compensari expostuletur, recte concludi potest, quod sub ementito reparationis damni colore mere usurarium a mutuatariis sibi lucrum quærant ii, qui trajectitiæ pecuniæ in se periculum suscipiunt. *Vide* super his Natal. Alexandr., *Theol. dogmat.*, lib. III, cap. 7, art. 5, reg. 3; Petr. Ballerini, *De j. div. et nat. circa usuras*, lib. VI, cap. 3, etc.

(27. Primo falsum est, quod, ut aliquid licite exigi queat, requiratur damnum reale, neque damni periculum sufficiat. L. 8, § 1, ff. *De contrah. empt.*, non lucrum solum reale, sed etiam probabilis spes lucri licite potest in contractum deduci, pretioque æstimari; ideo non damnum duntaxat reale, sed et probabile damni periculum æstimationem recipit, et compensationem admittit. Bruneman., in *Pand.*, lib. XVIII, tit. 1, in l. 8, ad § 1, n. 4; Donell., et *ibi* Hillig., lib. XIII, cap. 1, litt. *G.* Ex his itaque habentur requisitæ conditiones ad aliquid ultra sortem exigendum; habetur siquidem probabile amittendæ sortis periculum, quod æstimationem recipit; ipsius pretium ab iis exigitur, a quibus ex pacto illud imminet, tantumque exigitur, quanti ex communi hominum sensu periculum ipsum æstimatur.

(28. Obj. 2. Per obligationem lucri non redimitur periculum sortis amittendæ, sed huic per idoneas sponsiones, pignora et hypothecas obviari potest; patet itaque, cum per ista remedia sibi caveri non curet mutuatarius, etiamsi de damno vere metuat, se nolle cavere de damno, quod timet, sed hoc nomine supra æstimationem damni velle lucrari.

(29. Quod per obligationem lucri non redimatur periculum amittendæ sortis, quod huic periculo per idoneas sponsiones, pignora et hypothecas obviari possit, utrumque concedimus; habet itaque ex his creditor, quomodo suæ consulat indemnitati et securitati; at animadvertendum quod non sine magno debitoris periculo per ista sibi

Digitized by Google

cavit creditor remedia. Non enim res adeo expedita est, ut statim possit inveniri fidejussor, præsertim respectu eorum, qui nihil in bonis habentes, pignus tradere, vel hypothecam constituere in bonis propriis nequeunt. Quo fit ut dum pignora, hypothecas et fidejussiones quæritant indigentes pecuniis, isti amittunt opportunitatem lucrandi, quæ in negotiationibus maritimis statim occurrit, et statim fugit, et inania redduntur proposita remedia. Quamobrem si debitor, ut partam sibi occasionem captandi lucri accipiat, ultro pactum inire velit cum ipso venditore, ut pro eo, quod fidejussione, vel pignore de periculo sortis sibi caveat, periculum ipsum in se suscipiat, nullis justitiæ regulis pugnat, si creditor propter hanc periculi susceptionem aliquid sibi a debitore stipulatur; supra enim visum fuit mutuatæ pecuniæ periculum omne ad mutuatarium pertinere, illudque pretio esse æstimabile. Præterea cum pro fidejussione ex supra notatis licite possit pacisci pretium, non repugnat, ob remissam fidejussionem et pignora, illud idem concedi creditori, quod fidejussori exsolvendum esset. Hoc quippe casu, quod suscepturus erat periculum fidejussor, in semetipsum suscipit mutuatarius.

(30. Obj. 3. Ut quis juste periculi pretium exigat, necesse est ut periculum in se suscipiat, et alterum a periculo liberet; at cum mutuatarius a nullo liberetur periculo, ita ad illius pretium persolvendum nequit obligari. Sed notandum est quod periculum consistit in casu fortuito, quo res perit, casus autem est, adversus quem caveri non potest. L. 33, in fin., ff. *De reg. jur.*; l. 9, cod. *De pericul. tut.*; l. 2, ff. *Quod met. caus. gest.* Quod si casum hunc fortuitum, quo pecunia trajectitia perire potuisset ipsius mutuatarii damno, in se suscipit creditor, nemini dubium superesse potest, quin mutuans mutuatarium a periculo liberet sortis restituendæ, etiamsi aliquo adverso casu eadem pereat. Neque obstat, quod a nullo debitor sit liberatus periculo, si quando accidat, ut nil adversi contingat; ut enim contractus hic subsistat, non requiritur damnum reale, sed, uti supra visum fuit, sufficit metus damni saltem probabilis.

(31. Obj. 6. Majus est pecuniæ periculum furto ablatæ, quam mutuo datæ, fur autem, præter summam furto ablatam, nil tenetur restituere ratione periculi, in quod pecuniæ dominum ex culpa conjiciet; multo itaque minus ad hoc teneri mutuatarium dicendum erit. Contra habetur in l. final., § 3 Cod. *De furtis, et servo corrupto;* ibi siquidem, cum contentio orta esset inter dominum, et commodatarium rei furto ablatæ super pertinentia pœnæ occasione ejusdem rei a fure persolutæ, imperator respondit hanc pœnam non domino, sed commodatario esse tradendam, rationem subdens, quod ubi periculum; « ibi et lucrum collocetur, ne sit damno tantum obnoxius, qui rem commodatam accepit, sed liceat etiam lucrum sperare. » *Vid.* cit. l., d. § etc. Patet itaque ex his, quod etiam in furto periculi ratio habetur, et pœna furibus inflicta lucro cedit illius, qui periculum subiit. Cujac., in *Paratitl.* adh. t.; Bruneman. in Cod., lib. VI, tit. 2, l. 22, in § 3, n. 9. Verum aliter respondet allatæ objectioni Zecch., *De usur.*, dissert. 2, cap. 1, sec. 3, *De periculo sortis*, § 59.

(32. Obj. 7. Per leges civiles, uti est in l. *Periculi pretium*, ff. *De naut. fenor.* de periculi pretio pacisci licet, si modo contractus « in aleæ speciem cadat; » id est si periculum utrinque sit, utrinque sit lucri species; in nostro autem casu hoc non verificatur, siquidem mutuatarius nunquam lucratur, quoniam ab obligatione restitutionis nunquam liberatur, et periculi pretium semper cogitur solvere.

(33. Primo notandum est quod ista lex diversimode legitur apud interpretes, ac præcipue in illis verbis : *Si modo in aleæ speciem cadat*, et in *Pandectis Florentinis* relatis verbis adjicitur negativa : *Si modo in aleæ speciem non cadat*, quam lectionem tenent Gothofred. in not. ad eamd. L. Uldradt., eod. tit.; Tinzerling., singulari disputatione in hanc l., inter *Basilienses*, vol. I. Demum in Basilienses eadem retinetur lectio ex Greca versione, quam nobis exhibet Cujacius, obs., 9, n. 8, ea, quam maxime ratione, quia verisimile non est, jurisconsultum approbare voluisse contractum, qui in aleæ speciem caderet, cum alea jamdiu fuerit legibus reprobata. At quidquid sit de hujus legis lectione, ex ea profecto non evincitur, quod omne periculi pretium requirat aleæ speciem ex utraque parte; satis namque est in nostro casu, si aleæ species cadat ex parte creditoris, qui vel sortem cum convento auctario habebit, vel facto casu nil erit recuperaturus. *Vid.* l. 8, ff. *De contractu empt.*, l. 11, ff. *De hæred. vel. act. vend.*, etc. Insuper falsum est, quod mutuatarius ex mutuata pecunia nihil lucretur. Etenim, ut lucrum sentiat, non requiritur mutuatæ pecuniæ imminutio, sed satis est, si, occasione ejusdem, aliquod commodum sentiat. Nec mutuatarius adeo fatuus credendus est, ut universos quæstus, quos ex pecunia mutuata consecuturus est, velit mutuanti concedere, sed spe majoris lucri, minores paciscitur usuras favore mutuantis. Quod itaque ratione mutuatæ pecuniæ mutuatarius percipit, quod conventas excedit usuras, id omne ipsius mutuatarii commodo cedit, quod satis est, ut erronea adversariorum sententia detegatur, mutuatarium nempe lucro semper carere, cum a solutione mutuatæ pecuniæ nunquam liberetur.

(34. Obj. 8. In mutuo centum aureorum periculum perdendi centum aureos nequit magis æstimari, quam ipsum centum aureorum damnum : totum autem damnum hujus capitalis posset compensari per centum aureos : ergo etiam periculum hujus capitalis magis æstimari non poterit; adeoque, qui

Digitized by Google

ultra centum aureos ratione periculi aliquid exigit, injuste gravat debitorem.

(35. In hoc argumento distinguendum est periculum centum aureorum, a damno centum aureorum, nam si utrumque indiscriminatim accipias, ad avertendum amittendæ sortis periculum injuste retinerentur pignora, injuste pignoratitia ageretur actione, ut in l. *Tutor.* 16, § 1, ff. *De act. pignorat.* Cum enim actiones istæ, et jura sint valde æstimabilia, retento pignore ratione mutui, aliquid ultra sortem pretio æstimabile injuste retineretur. Revera, dum quis ex causa cambii maritimi mutuat centum, periculum cum sit pretio æstimabile, iniquum non est, ut ipsius ratio habeatur in constituendo cambio maritimo. Non inficior periculum perdendi centum aureos non esse æstimabilius damno centum aureorum, quapropter pro periculo centum aureorum de centum aureis licite non pacisci; non repugnat tamen, quod de certa proportionata quantitate pacisci quis possit. Nam ob periculum damnumque centum aureorum conveniuntur usuræ. Profecto, si mutuatæ tantummodo pecuniæ licita esset conventio, nulla mutuanti concederetur compensatio ob periculum ejusdem amittendæ pecuniæ. Re enim eveniente, mutuanti eadem restituitur pecunia, omneque lucrum mutuatario tribuitur : si vero navis naufragio pereat, mutuatæ pecuniæ damnum incommodo tantum cedit mutuantis, quin illius particeps sit mutuatarius, adeoque hic in lucro semper est, solusque mutuans usque subjicitur damno, quin ullum unquam commodum sentiat. Cum vero tritum ac vulgare sit, eum sentire commodum debere, qui incommodum sentit, ideo hoc casu etiam mutuanti poterit ob hoc periculum aliquod præmium concedi, ut ei in prospero rei eventu aliqua tribuatur compensatio damni, quod ferre in adverso potest. Non aliter statutum est de fidejussione, per quam aliquid non interdicitur exigere pro periculo, cui se subjicit ad implendam alienam obligationem, etiamsi ex sua fidejussione non solvat; idem dicas de eo, qui pecuniæ trajectitiæ periculum suscipit.

(36. Obj. 9. Dictum illud evangelicum Lucæ cap. VI, quo usuræ reprobantur, scilicet : *Mutuum date nihil inde sperantes.* Verum præceptum hoc evangelicum (cujus verba refert Urbanus III in cap. *Consuluit* 10, De usuris, ad probandum, jure divino usuras esse prohibitas) quodcunque lucrum, aut usuram non reprobat, sed illam ratione mutui, ac directe et immediate propter mutuum acceptam. Nos autem de auctario ultra sortem quempiam pacisci contendimus, non propter mutuum, sed ratione periculi, quod in se creditor suscipit; proinde ad hunc casum traducenda non sunt præcitata verba, uti habet Zoes., *Comment. in jus canonic.*, lib. v *Decretal.*, tit. 19, *De usur.*, § 4, etc. Revera in mutuo proprie dicto nullum mutuatæ pecuniæ periculum afficit, mutuantem. Cum enim eadem pecunia illico in mutuatarii dominium transeat, ad ipsum ideo cum pertineat tum pecunia, tum ipsius periculum, æquum est, ut lucrum omne ipsius commodo cedat. Cæterum de his fusius actum est in verbo Mutuum, et quod talis receptio auctarii ex parte periculum suscipientis nullam in se contineat usurariam pravitatem, monet Azor., cap. 6, q. 1; Lugo., c. 1, n. 77; Piringh., *loc cit.*, § 4, etc.

(37. Negotium tamen maximopere facessit celeberrima Decretalis Gregorii IX, in cap. *Naviganti*, ult. De usur., in qua fenus hoc nauticum manifestissime reprobari videtur. Ita enim, *c. l.*, rescripsit Pontifex : « Naviganti, vel eunti ad nundinas, certam mutuans pecuniæ quantitatem eo quod suscipit in se periculum, recepturus aliquid ultra sortem, usurarius est censendus. » Super hoc Gregoriano rescripto varia a variis afferuntur. Maritimas hasce usuras hac Decretali penitus reprobari putant nonnulli doctorum; sic cum *Glos.* Panormitanus, Hostiensis; Fagnan., Navar., initio *Comm. de cambiis*, et Leotard., *De usuris*, quæst. 23, n. 3 et 19; quorum opinionem refellit Zoesius, *Comment. in jus can.*, in lib. v Decret., tit. 19, *De usur.* sub n. 4. Alii opinantur a Gregorio IX usuram maritimam tunc solum prædicto capite fuisse damnatam, cum vel nullum, vel fictitium subsit amittendæ sortis periculum, ut hac sub ementita periculi specie sibi lucrum quærant feneratores : sic Molineus in tract. *De usuris*, quæst. 3, n. 95, refellitur tamen a Covarruv., lib. III *Var. resol.*, cap. 2, n. 5, et Piringh., *eod. loc. cit.*, § 4, sub. n. 47. Alii tenent, quod hujus capitis dispositio locum habeat, quando periculi pretium sit injustum et excessivum, secus si sit justum et legitimum; verum huic interpretationi repugnat littera textus, uti notat idem Piringh., *loc. cit.* Alii cum Barbosa, Laiman., Stypman., *De jur. marit.*, et quibusdam aliis negativam interponunt, subtiliter quidem, qui concordes exhibent omnes, « Usurarius est censendus, non secus. » *Vid.* Joan. Bernatt., *De util. legendæ hist.*, l. II, in princ., Navar. ad d. c. ult. h. t., et in *Manuali*, c. 17, n. 284 et seq.; Binff., ad d. c. ult., q. 1 et 2; Can., *ib.* 4; Scac., *De commerc.*, § 3. Gloss., 3, n. 37. Quo autem argumento de omissa negatione innitantur, videre est apud Gagliardi, *Inst. jur. can.*, lib. IV, tit. 17, in not. loc. d., ad § 78, apud Zecch., *De usur.*, dissert. 11, cap. 1, sect. 3, *De periculo sortis*, § 53.

(38. Verum opinionem de omissa negativa optime arguendo refellit Zecch., *loc. cit.*, cujus argumentum cum non sit, ut ipse protestatur, a nullis viris de canonico jure optime meritis adhuc animadversum, ex integro referre non piget. « Is itaque, inquit, Raymundus de Pennafort fuit compilator *Decretalium* Gregorii IX uti videre est apud Florent. in suam præfat. ad tract. 9 in 9 priores tit. lib. I, *Decret.* Gregorii IX. (Et Martinus Polonus, qui et Innocentii III et Honorii compilationum meminit, de Gregoriana sic loquitur : « Hic Papa per fratrem Raymundum pœnitentiarum et capellanum

Digitized by Google

ex pluribus voluminibus Decretalium compilavit unum volumen, mandans ubique doctoribus illo uti). Fuit, inquam, Decretalium compilator Raymundus de Pennafort, iisque hoc ipsum capitulum inseruit: scripsit quoque *Summam de pœnitentia*. Quam licet ante Decretalium collectionem inchoaverit, eam tamen post ipsorum collectionem magis expolivit, atque perfecit. In hac vero summa decretalem Gregorii IX iisdem refert verbis, ac modo legitur in corpore *Decretalium*; quapropter nemini dubium esse potest quin prædicta decisio vel ex *Summa Raymundiana in Decretales Gregorii IX*, vel ex his in illam fuerit translata. In utroque autem casu actum esse videtur de omni controversia super lectione prædictæ decretalis, quæ nulla interposita negativa accipi debet. »

(39. Hac itaque epistolæ Gregorianæ affirmativa lectione retenta, plures alias doctorum interpretationes referre piget; eæ siquidem tales sunt, ut nullo in pretio haberi debeant; videri tamen possunt apud Gregor. Tholosan. *De usur.* lib., II, cap. 5, n. 9; Franc. de Arauxo, *Decis. moral. de stat. civil.*, disput. 5, q. 1; Velasquez. de Avendanno, *Tr. de censib. Hispan.*, c. n. 1; Petr. Santerna *De assecurat.*, p. I, n. 10, seqq.; Navar., *Manual. confess.*, c. 17, n. 284. Ex omittendis autem excipienda opinio, quam præclarissimi viri amplectuntur Piringh., *loc. cit.*, § 48; Vallens., *Paratitl. jur. canon.*, lib. V, tit. 19; *De usur.*, § 3, n. 7; Gagliardi, *Inst. canonic.*, lib. IV, tit. 17, n. 79 et alii, non ut cæteræ, despicienda. Inquiunt hi prædictum capitulum de mutuante intelligendum, qui invitum traxit mutuatarium ad secum paciscendum de suscipiendo periculo pecuniæ trajectitiæ, aliter non mutuaturus; hic enim, etsi revera suscipiat aliquod periculum, quamdam tamen mutuatario imponit obligationem ita secum paciscendi, quod est contra naturam mutui, quod gratuitum esse debet. Quam interpretationem prædocuit; S. Antonin., par. II, tit. 10, cap. 7, § 21, quem plurimi secuti sunt theologi et canonistæ; quæ quidem sententia mihi valde probabilis videtur. Nihilominus aliam hujus decretalis interpretationem habemus apud. Zecch., *De usur.*, dissert. 2, cap. 1, sect. 3, § 65, et dissert. 3, cap. 2, sect. 4, § 131. Laudatus auctor, *loc. cit.*, affirmat decretalem intelligendam de periculo juris, non facti: proposita tamen hujusmodi distinctione, non satis constat de solutione quæstionis. Periculum juris pretio æstimabile esse, etiam ii, qui rigorem doctrinæ profitentur, concedunt; inter quos præcipue Ballarinus, *De jur. divin. et natur. circ. usur.*, tom. I, lib. VI, c. 3, § 1, n. 4. « Hoc periculum (periculum nempe perdendi ipsum jus ad repetendam sortem, ut nempe mutuatarius non teneatur creditori etiam de sorte, si hæc casu pereat), quod periculum juris quidam appellant, si in omni mutuo intercederet, justum esset in omni mutuo suscepti periculi pretium. » Sed si hoc periculum justum præbet auctario titulum, et de hoc loquitur decretalis, non de periculo facti, cur in eadem decretali statuitur, hujusmodi contractum usurarium censendum esse? Hac fortasse de causa nonnulli contra Ballarinum tenent susceptum juris periculum per se ab usuraria pravitate non excusare, inter quos Fagnan. ad cap. *Naviganti*, De usur., card. de Luca, *De usur.*, disc. 3; Leotard., *De usur.*, quæst, 23. Ut igitur periculum amittendæ sortis ab usura immunem reddat contractum, necessario concurrant oportet qualitates, de quibus supra est sermo, quod nempe periculum hoc irreparabile sit, vel saltem difficillime possit reparari, quod sponte a creditore suscipiatur, et similia.

Nec facile assentiri possum laudato Zecch., diss. 3, capit. 2, sect. 4, § 132, ubi tenet decretalem respexisse ad fenus nauticum Romanorum, eo quia leges civiles in pecuniis trajectitiis permitterent usuras ratione metus, sive propter usum pecuniæ, vehementer tamen auctas ob susceptum periculum. De hoc satis supra actum est, et ostensum in aliis quidem contractibus propter usum pecuniæ permissas fuisse usuras a Romanorum legibus, non tamen in nautico fenore, in quo unice ad periculi susceptionem respexerunt, non ad usum pecuniæ, adeo ut, remoto periculo, in legibus de nautico fenore cautum habemus nullas potuisse percipi usuras. Demum super hac decretali videri possunt Gregor. Tholos., *De usur.*, lib. II, cap. 5, n. 9; Franc. de Arauxo, *Decis. moral. de stat. civil.*, disput. 1, qu. 1; Velasquez de Avendanno, *Tract. de censib. Hispan.*, cap. 21; Giballin., *De usur.*, lib. II, c. 4, art. 3, num 2 seq.; Petrus Santerna, *De assecurat.*, part. I, num. 10 seq.; Navar., *Manual. confess.*, cap. 17, n. 284; Scaccia, *De commerc.*, § 1, quæst 1, num. 498 seq.; Lupus, *De usuris*, comment. 3, § 1, et cæteri omnes qui commentariis illustrarunt titulum juris canonici *De usuris*, quorum tamen opiniones parvi existimat, et ab illis se breviter expedit Zypæus, *Jur. pontific. nov.*, lib. V, tit. *De usur.*, n. 4, cum Paulo Bussio, ad tit. Digestorum *De nautico fenore*, n. 4, qui docent immerito, dictam decretalem nullibi gentium esse receptam. Lupus autem, *De usuris*, comment. 3, præfat., vocat nimis temere hanc constitutionem « duram, atque asperam, quæ redditur molesta non tam usurariis in fenore exercendo, quam interpretibus in eam exponendo ». Sed omnium novissimus negotiationem sollibisticam, et fenus nauticum docte, non minus quam erudite pertractavit Baldasseronus nuper in lucem editus.

(41. Quamplures sunt huic nautico fenori affines contractus, inter quos primo occurrit *fenus quasi nauticum*, quod definitur « usura, seu accessio pecuniæ non per mare, ut in nautico fenore, sed per alia loca, etiam terrestria periculosa transferendæ. » Zecch., *De usur.*, dissert. 3, cap. 2, sect. 4, § 115. Verum, tesseris collibisticis, seu litteris cambialibus inventis, hoc contrahendi genus ab usu hominum re-

Digitized by Google

cessit. De tesseris autem collibisticis satis actum est supra lit. *C*, verb. CONTRACTUS CAMBIALIS, art. 1 et 2., et nonnulla infra erunt attingenda de societate, ubi de contractu trino agendum erit, qui temere a nonnullis cum nautico fenore confunditur.

(42. Ab eodem fenore nautico pariter distinguenda est assecuratio, seu contractus periculi avertendi «quo quis, certa mercede accepta, in se suscipit, et præstiturus pollicetur pericula a mercibus trans mare, vel alia loca vehendis subitura.» Puffendorf, *De jur. natur.*, lib. v, c. 9, § 8. Hic contractus, licet nonnullas leges cum nautico fenore communes habeat, nautico tamen fenori extraneus prorsus est. Diversæ enim ut plurimum concurrunt personæ, et sæpissime in actu prorsus separato uterque perficitur. Persona quippe assecurantis accedit post perfectum cambium marinum, quod perfectum fuerat inter creditorem et debitorem. Obligatio debitoris in cambio marino respicit personam creditoris; assecurator vero, minime spectata persona debitoris, obligationem suscipit favore ejusdem creditoris, adeo ut merito a plerisque assecuratio consideretur adinstar fidejussionis. De hoc vide doctores allegatos a Rot., decis. 457, num. 27, cor. Olivatio. A nautico fenore dissimilis non minus est contractus a Germanicis dictus *bodemeria* ex vocabulis Schiff-Boden, sive *carina maris*. Contractus hic apud nos dicitur *Imprestito sul corpo e noli*, in quo magister navis, vel exercitor necessitate coactus mutuam accipit ab altero pecuniam, ut navem servet, eamque mutuanti oppignorat navigaturam deinceps ipsius mutuantis periculo. De hoc posteriori contractu proprie agunt decisiones coram Olivatio, quarum meminimus supra, sed utrique a nautico *fenore* differunt. Quamvis enim omnes in lucri spe et periculo versentur, in eo tamen fenus nauticum differt ab assecuratione, quod in hac non pecuniæ numeratæ, sed mercium alio transportandarum quispiam suscipit periculum. Differt autem a *bodomeria*, eo quod navis in specie creditori oppignoratur. De his fusius Samuel Cocceius, *Jus civil. controv.*, l. XXIII, tit. 2, quæst. 1, per tot.; Henric. Coccei., *Exercit. curios.*, disp. 68., et uterque Coccei. in *Commentar. ad Grot. De jur. bell. et pac.*; Stypman., *Jus maritim.*, part. IV, cap. 5, n. 136, et alia quamplura attulimus supra lit. *A*, verb. ASSECURATIO.

(43. His omnibus proxime accedere videntur conventiones, quas memorat lex 5, ff. *De nautic. fenor.*, quæque periculi pretium, et aleam continent, veluti si quis piscaturo in piscationis apparatum plurimum pecuniæ dederit, aut athletæ in exhibitionem, id est victum, uti explicat Ger. Nood, lib. II, c. 7, *De fenor. et usur.*, in fin.; Quintilian., in l. XII *Inst. orat.*, c. 10, p. 1096, in fin. In exhibitionem, inquam, et exercitationem, ea tamen adjecta lege, ut ille si cepisset, si vicisset, alter redderet cum usuris; contra vero nil redderet ille, si nihil cepisset, nil alter, si victus a prælio discessisset. Inter has contrahendi species, et nauticum fenus quod discrimen intercedat, ex eo maxime liquet, quod in illis ne verbum quidem de pecunia trajectitia occurrat, nauticum vero fenus super pecunia trajectitia unice, et principaliter versetur. De his propterea pauca delibasse sufficiat, cum, qui majora curiosus inquirere cupiat, possit commode adire scriptores supra laudatos, et præsertim eos qui allegantur in decisionibus cor. Olivatio.

NECESSITAS.

SUMMARIUM.

1. Necessitas alia est medii, alia præcepti, et alia medii, et præcepti simul. — 2. Necessitas medii quæ sit? — 3. Necessitas præcepti quæ sit? — 4. Necessitas medii et præcepti simul quæ sit? — 5. Necessitas proximi, sive spiritualis, sive corporalis est triplex, scilicet extrema, gravis et communis. — 6. Necessitas spiritualis extrema quæ sit? — 7. Necessitas spiritualis gravis quæ sit? — 8. Necessitas spiritualis communis quæ sit? — 9. Necessitas corporalis extrema quæ sit? — 10 Necessitas corporalis gravis quæ sit? — 11. Necessitas corporalis communis quæ sit? — 12. Alia hujus triplicis necessitatis clarior descriptio, *remissive*. — 13. In extrema necessitate est obligatio sub mortali succurrendi proximo etiam ex necessariis aliquo modo ad statum proprium. — 14. Hinc pauper in extrema necessitate jure naturæ potest tollere sibi necessaria sufficientia ad sublevandam talem suam necessitatem a quolibet simili necessitatem non patiente, nec postea ad pinguiorem fortunam deveniens tenetur restituere quidquam. — 15. Sic etiam non tenetur restituere, qui in extrema necessitate consumpsit id quod antea acceperat commodatum, vel mutuum, vel emptum nondum solutum, imo quod antea furatus fuerat. — 16. In gravi necessitate est obligatio sub mortali succurrendi proximo ex bonis superfluis propriæ vitæ, et statui, quamvis sint aliquo modo necessaria ad splendorem, et decentiam proprii status. — 17. Imo in gravi necessitate secundum multos est obligatio succurrendi proximo etiam ex bonis aliquibus suo statui necessariis, sed non valde necessariis. — 18. Constitutus in gravi necessitate nequit licite auferre ab aliis sibi necessaria ad sublevandam talem suam necessitatem. — 19. In gravi tamen necessitate reipublicæ licitum est auferre a divitibus superflua, quæ necessaria sunt ad sublevandam rempublicam. — 20. Necessitas gravis reipublicæ v. g. propter famem, communiter æquivalet necessitati extremæ particularium, adeoque est obligatio sub mortali illi succurrendi in tali gravi necessitate. — 21. Imo licitum est subvenire reipublicæ in gravi necessitate etiam ex illis quæ ad usus pios etiam per ultimas voluntates sunt destinata. — 22. In communi necessitate adest obligatio sub gravi succurrendi quandoque per eleemosynam proximo pauperi ex bonis simpliciter superfluis vitæ et statui, et a fortiori ex superfluis decentiæ status. — 23. Pauperes autem laborantes solum necessitate communi nequeunt licite auferre ab aliis sibi necessaria ad sublevandam talem necessitatem communem. — 24. In quacunque pari necessitate potest quis sibi prius providere, quam quibuscunque aliis, etiam parentibus. — 25. In quacunque pari necessitate debet quis prius subvenire parentibus, filiis, et uxori, quam fratribus, vel sororibus. — 26. In quacunque pari necessitate debet quis prius succurrere sanguine junctis, licet improbis,

Digitized by Google

quam non junctis sanguine, et probis. — 27. In quacunque pari necessitate debet quis prius subvenire parentibus naturalibus quam spiritualibus. — 28. In extrema necessitate debet quis prius subvenire patri, matri, uxori, filiis, fratribus et sororibus, quam creditoribus.—29. In extrema, vel gravi necessitate debet quis prius subvenire proprio patri et matri, quam proprio filio. — 30. In extrema necessitate debet quis potius subvenire patri et matri, quam uxori, filiis, vel cuicunque alteri, et hoc aliqui extendunt etiam ad necessitatem gravem. — 31. In extrema vel gravi necessitate debet quis potius subvenire patri quam matri. — 32. In extrema necessitate debet quis potius subvenire filiis quam uxori. — 33. In extrema vel gravi necessitate maritus debet potius subvenire uxori quam aliis suis propinquis, et ita uxor debet prius subvenire marito. — 34. In extrema necessitate si sit filius, tenetur pater ipsi succurrere prius quam uxori ipsius. — 35. In communi necessitate debet quis potius prolibus suis succurrere, quam suis parentibus. — 36. In communi necessitate debet maritus præferre uxorem, et uxor maritum propriis parentibus et prolibus. — 37. In communi necessitate tenetur uxor prius succurrere marito, et maritus prius succurrere uxori quam pater vel filius.

(1. Necessitas alia est medii, alia præcepti, et alia medii et præcepti simul. Sic in re communis doctorum. (2. Necessitas *medii*, seu finis, est illa qua aliquid est ita necessarium ad finem, v. g. ad salutem animæ consequendam ut sine eo, quamvis inculpabiliter omittatur, finis, id est animæ salus, obtineri non possit de lege Dei ordinaria : et sic est necessaria gratia sanctificans respectu omnium, baptismus in re respectu infantium, in re, aut in voto respectu adultorum. *Communis.* (3. Necessitas præcepti est illa qua aliquid sub obligatione præcepti necessario præstandum est, v. gr. ad consequendam salutem æternam, eo quod alias quis, transgrediendo præceptum, mortaliter peccaret, sicque æternam salutem amitteret, quamvis tamen si ex ignorantia, vel impotentia, aut oblivione inculpabili id forte prætermittatur, non impediat salutis æternæ consecutionem, et sic est necessaria ad salutem observantia mandatorum. *Communis.* (4. Necessitas medii et præcepti simul est illa qua aliquid est ita necessarium ad salutem æternam consequendam, ut non solum sine illo non possit quis salutem æternam consequi, sed insuper, si illud culpabiliter omittat, tanquam præcepti divini transgressor fiat reus perditionis æternæ. Sic adultis hominibus necessarius est baptismus ad salutem æternam casu quo possint eum in re suscipere. *Communis.*

(5. Necessitas proximi, sive spiritualis, sive corporalis est triplex, scilicet extrema, gravis et communis. Omnes. (6. Necessitas spiritualis extrema est, cum proximus versatur in periculo proximo damnationis æternæ, et quandoque si sit in periculo proximo peccandi mortaliter. *Communis.* (7. Necessitas spiritualis gravis est, cum proximus licet non versetur in periculo proximo damnationis æternæ, reperitur tamen in talibus circumstantiis, quæ ejus salutem æternam reddunt difficilem. *Communis.*

(8. Necessitas spiritualis communis est illa, in qua reperiuntur communiter peccatores in mortali constituti. *Communis.*

(9. Necessitas corporalis extrema est illa, cui si non succurratur, egentis proximi vita certo, vel probabiliter periclitabitur. *Communis.* (10. Necessitas corporalis gravis est illa cui, si non succurratur, imminet proximo periculum gravis mali, ut captivitatis, notabilis jacturæ bonorum, vel status, et hujusmodi, ratione quorum proximus vitam nonnisi ægre et difficulter potest conservare. *Communis.* (11. Necessitas corporalis communis, seu ordinaria est illa qua laborant pauperes triviales, qui ostiatim, communiter et ordinarie mendicare solent. *Communis.* (12. *Vide* sub verb. ELEEMOSYNA, a n. 9 ad 12, aliam hujus triplicis necessitatis clariorem descriptionem.

(13. In extrema necessitate est obligatio sub mortali succurrendi proximo etiam ex necessariis aliquo modo ad statum proprium. *Communis.* (14. *Vide* dict. verb. ELEEMOSYNA, num. 13. Hinc pauper in extrema necessitate jure naturæ potest tollere sibi necessaria sufficientia ad subleyandam talem suam necessitatem a quolibet similem necessitatem non patiente; nec postea ad pinguiorem fortunam deveniens tenetur restituere quidquam. *Communis.*

(15. *Vide ibidem*, num. 14. Sic etiam non tenetur restituere, qui in extrema necessitate consumpsit id quod antea acceperat commodatum, vel mutuum, vel emptum nondum solutum, imo quod ante furatus fuerat. Sic ex communi Lessius, et alii. *Vide ibidem*, num. 15 (119).

(16. In gravi necessitate est obligatio sub

(119) *Notæ Romani theologi.* — Continuator Tournely, part. III *De rest. in partic.*, cap. 2, quæres 11, aperte asserit « hominem, qui, transacta necessitate, ob quam omissa fuit restitutio, in pinguiorem fortunam venit, urgeri obligatione restituendi hac de causa, quia tandiu remanet restituendæ rei alicujus obligatio, quandiu dominus exigit rationabiliter, ut res illa sibi restituatur, ejusque dominium in alium non transfert : atqui, transacta extrema sua necessitate, rationabiliter exigit dominus ut res sua sibi restituatur; potuit enim legitime ejus usum concedere ea lege, ut ipsius restitutio sibi fieret statim ac fieri posset. Possent quidem homines consentire, ut quoties aliquis in extrema necessitate constitutus foret, is rem alienam, absque restituendi onere, tanquam pauper acciperet, sed in his de facto consensisse non videntur. » Atque hinc facile patet hominem, qui dum in extrema necessitate esset, mutuo atque commodato rem alienam accepit, atque consumpsit, teneri ad restitutionem, dum in pinguiorem fortunam veniat : tum quia hac lege præsumitur rei dominum commodasse, vel mutuasse; tum etiam, quia vel homo ipse miser, qui mutuum, vel commodatum accepit, sese obligasse videtur ad restituendum, cum posset. Imo et idem dicendum videtur de furto. Ideo enim in extrema necessitate omnia communia dicuntur, quia hoc in casu dominus rei non censetur rationabiliter invitus, dum quidpiam ipsius rei ab extrema necessitate laborante subripiatur; ergo qua ratione dominus rationabiliter invitus non est, eadem ratione excusabitur miser a restitutione; atqui, transacta ne-

Digitized by Google

mortali succurrendi proximo ex bonis superfluis propriæ vitæ, et statui, quamvis sint aliquo modo necessaria ad splendorem et decentiam proprii status. *Communis. Vide ibidem*, num. 16. (17. Imo in gravi necessitate, secundum multos, est obligatio succurrendi proximo etiam ex bonis aliquibus suo statui necessariis, sed non valde necessariis. *Vide ibid.*, num. 17. (18. Constitutus in gravi necessitate nequit licite auferre ab aliis sibi necessaria ad sublevandam talem gravem necessitatem. *Communis. Vid. ibidem*, n. 18. (19. In gravi tamen necessitate reipublicæ licitum est auferre a divitibus superflua, quæ necessaria sunt ad sublevandam rempublicam, quia necessitas gravis reipublicæ æquivalet, imo superat necessitatem quam habet unus privatus; sic cum S. Thoma et aliis, Cardenas, in 2 crisi, d. 23, cap. 1, art. 1, num. 16; La Croix, lib. III, part. I, n. 956, et alii passim.

(20. Necessitas gravis reipublicæ, v. gr. propter famem, communiter æquivalet necessitati extremæ particularium, ut docent Cajetanus, Suarez, Tappia, Cardenas in 1 crisi d. 80, a n. 15; La Croix, lib. III, part. II, num. 1146, et alii communiter, adeoque est obligatio sub mortali illi succurrendi in tali gravi necessitate, ut docet communis doctorum cum S. Thoma 2-2, quæst. 3, art. 6, quia commune bonum debet præferri bono proprio particulari in temporalibus, et debet quilibet privatus etiam vitam perdere, si necesse sit, pro tuenda vita reipublicæ. *Vide* verb. HOMICIDIUM, n. 37.

(21. Imo licitum est subvenire reipublicæ in gravi necessitate, etiam ex illis quæ ad usus pios etiam per ultimas voluntates sunt destinata, quia bona exteriora ex Dei institutione destinata sunt ad sublevandam necessitatem indigentium, saltem extremam, aut illi æquivalentem, uti est necessitas gravis reipublicæ. Sic communis doctorum, teste La Croix, *loc. cit.*, n. 1148, arg. cap. *Aurum* 70, et cap. *Gloria episcop*, 17, caus. 12, quæst. 2.

(22. In communi necessitate adest obligatio sub gravi succurrendi aliquando per eleemosynam proximo pauperi ex bonis simpliciter superfluis vitæ, et statui, et a fortiori ex superfluis decentiæ status. Sic communior et tutior doctorum sententia. *Vide* verb. ELEEMOSYNA, num. 19. (23. Pauperes autem laborantes solum necessitate communi nequeunt licite auferre ab aliis sibi necessaria ad sublevandam talem necessitatem. *Communis. Vide ibid.*, num. 20.

(24. In quacunque pari necessitate potest quis prius sibi providere quam quibuscunque aliis, etiam parentibus; quia ordinata charitas incipit a seipso, cum sibi ipsi sit conjunctior. *Communis.* (25. In quacunque pari necessitate debet quis prius subvenire parentibus, filiis et uxori quam fratribus, vel sororibus, quia illis est conjunctior, adeoque ad illos est major obligatio. *Communis.* (26. In quacunque pari necessitate debet quis prius succurrere sanguine junctis, licet improbis, quam non junctis sanguine, et probis, quia conjunctio sanguinis inducit naturalem obligationem, non autem probitas vitæ. *Communis.* (27. In quacunque pari necessitate debet quis prius subvenire parentibus naturalibus quam spiritualibus, prius amicis et domesticis quam aliis, prius indigenis quam alienigenis, et sic de similibus. *Communis.*

(28. In extrema necessitate debet quis prius subvenire patri, matri, uxori, filiis, fratribus et sororibus quam creditoribus, quia in extrema necessitate cessat obligatio solvendi debita, et urget sola obligatio alterius virtutis, v. g., charitatis. Charitas autem magis urget erga magis conjunctos: Bonacina, Lessius, Coninch, Diana, et alii citati et secuti a La Croix, lib. III, par. I, n. 728.

(29. In extrema vel gravi necessitate debet quis prius subvenire proprio patri et matri quam proprio filio, quia licet sit æque vicina connexio naturalis patris et matris ad suum filium ac filii ad suum patrem et matrem, filius tamen plus habet a patre suo et matre quam pater et mater a filio, adeoque est major obligatio naturalis filii erga patrem et matrem quam patris et matris erga filium. *Vide* verb. FILIUS, a num. 91 ad 94.

(30. In extrema necessitate debet quis potius subvenire patri et matri quam uxori, filiis, vel cuicunque alteri, quia plus habet a patre et matre quam ab ullo alio, nempe primum esse, quod est fundamentum ad recipienda ab alio beneficia. *Communis. Vide* verb. ELEEMOSYNA, n. 22, et verb. FILIUS, num. 95, et num. 98, ubi aliqui extendunt hoc etiam ad necessitatem gravem. (31. In extrema vel gravi necessitate debet quis potius subvenire patri quam matri, quia licet mater plus passa sit, tamen absolute loquendo pater est principalior et nobilior origo totius esse quod est in filio. *Communis. Vide ibidem*, num. 22. (32. In extrema necessitate debet quis potius subvenire filiis quam uxori, quia de jure naturæ strictior est conjunctio patris ad filium, quam mariti ad uxorem, adeoque de jure naturæ tenetur pater in extrema vel gravi necessitate potius succurrere filiis quam uxori, cum qui genuit filium de jure na-

cessitate, dominus rationabiliter petit rem suam, cum homo jam restitutionis capax evaserit. Quid vero, si statuatur hominem mutuum, et commodatum accepisse, aut furatum quidpiam fuisse, antequam in extremam incideret necessitatem? Nunquid a restitutionis onere absolutus esset, etiam dum dives evaserit? Ita sane Lucius noster, sive potius auctores, quos ipse sequitur, contendere videntur; at Romanis censoribus id minime placet, et quidem jure, meritoque; nam dum mutuum, dum commodatum, dum furtum homo ille accepit, onus in se restitutionis suscepit, quod suspensum mansit, extrema superveniente necessitate, neutiquam tamen exstinctum. Quamobrem, transacta necessitate, atque accedentibus divitiis, suspensio illa restitutionis cessat, ac virtute obligationis initio contractæ debitum solvere tenetur. Confer *Addit.* ad verb. ELEEMOSYNA, num. 18.

Digitized by Google

turæ teneatur eum alere. *Communis. Vide* verb. Filius, n. 96 et seq. (33. In extrema vel gravi necessitate maritus debet potius subvenire uxori quam aliis suis propinquis, et ita uxor debet potius subvenire marito. *Communis. Vide* verb. Eleemosyna, num. 22. (34. In extrema necessitate si sit filius, tenetur Pater ipsi succurrere prius quam uxori ipsius, quia conjunctio naturalis, quæ est inter patrem et filium, est magis intrinseca quam conjunctio civilis tantum et extrinseca, quæ est inter maritum et uxorem; pater enim genuit esse filii, uxor autem non genuit esse mariti, adeoque majorem obligationem habet pater ad conservandum esse filii, quam habeat uxor ad conservandum esse mariti in tali extrema necessitate. *Communis.*

(35. In communi necessitate debet quis potius prolibus suis succurrere quam suis parentibus, quia proles sunt sub cura parentum, et ab illis etiam extra gravem necessitatem jure postulant alimenta : non item parentes. *Communis. Vide* verb. Eleemosyna, n. 22, et verb. Filius, n. 99. (36. In communi necessitate debet maritus præferre uxorem, et uxor maritum propriis parentibus et prolibus. *Vide* verb. Eleemosyna, n. 22. (37. In communi necessitate debet uxor prius succurrere marito, et maritus prius succurrere uxori quam pater vel filius, quia in communi vita maritus et uxor sunt unum, et tanta est inter eos conjunctio, ut debeant se semper comitari et sibi invicem adhærere, juxta illud *Genes* II, 24 : *Propter hoc relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ*, adeoque ad ipsos prius quam ad suos parentes et filios spectat ad invicem sibi succurrere in communibus necessitatibus in dies occurrentibus. *Communis.*

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(38. Necessitatis nomine intelligi debet status hominis, in quo parere legi haud potest absque periculo suo. (39. Periculum autem, si ad vitam pertineat, necessitas dicitur extrema; sin ipsi vitæ non immineat, pro magnitudine periculi major vel minor appellatur. (40. Atque necessitas absoluta, si periculum nullo alio modo evitari potest, quam lege violata, et respective, si alius quidem homo, at non hic homo qui in illo versatur, declinare queat

His notatis, videndum nunc quinam sit favor necessitatis.

(41. Leges vel sunt divinæ, vel humanæ, eæque vel aientes, vel negantes. Porro leges humanæ regulariter intelligendæ sunt cum exceptione necessitatis.

(42. Idemque dici debet de legibus divinis aientibus, nisi forte intermissio actionis ita sit comparata, ut tendat in injuriam summi Numinis; tunc enim simul concurrit lex negans quod nihil in Dei ignominiam sit faciendum. Quo refertur factum Danielis. *Dan.* VI, 10.

(43. Leges divinæ negantes, vel respiciunt ipsum Deum, vel nos ipsos, vel alios homines. Exceptionem necessitatis minime admittunt leges negantes, quæ Deum respiciunt; nec aliud dicendum de legibus negantibus, quæ respiciunt nosmetipsos. (44. Quod vero attinet ad leges negantes, quæ alios homines respiciunt, si necessitas sit a Deo, admittunt eæ exceptionem necessitatis si de conservatione nostri ipsius agatur, non item si de perfectione nostra ac felicitate tuenda et amplificanda. (46. Sin autem necessitas sit a malitia hominum, aut id illi agunt, ut pareamus, aut ut necessitatem peccandi nobis imponant, priori casu locus est favori necessitatis, nequaquam vero posteriori.

(46. His perpensis regulis facile erit judicare de favore necessitatis in casibus particularibus. *Vide* tamen, qui de iis latius agunt, Thomasium, *Jurisprud. divin.*, lib. II, cap. 2, § 130 et seq. tit.; Puffendorf., *De offic. hom. et civ.*, observat 141; Barbeyrac *ad eumdem Puffendorf.*, *De jur. natur. et gent.*, not. 5, et plur. sequent., aliosque; sed caute simul legito.

NECROMANTIA.

Vid. verb. Superstitio, *n.* 15.

NEGOTIATIO.

PROUT EST CLERICIS INTERDICTA.

SUMMARIUM.

1. Negotiatio an, quomodo et quando sit, vel non, prohibita clericis et religiosis; ad num. 8. — 9. Non est tamen clericis interdicta negotiatio impropria, ad num. 13. — Alia ad rem ibi.

(1. Negotiatio an, quomodo et quando sit prohibita vel, non, clericis et religiosis? *Vide* verb. Clericus, art. 3, per totum, ubi late de omnibus.

(2. Negotiatio clericis interdicitur, etiam sub alieno nomine. Benedict. XIV, tom. I, constit. 13, incip. *Apostolicæ*. (3. Et ubi hæreditario jure, aut alias ad eos delata fuerit, dimitti debet. Idem, *ibid.*, § 2. (4. Quatenus continuari possit ad tempus. *Vide* tom. II, verb. Clericus, art 3, in fine, ubi datur summarium dictæ constitutionis.

(5. * Constitutiones adversus clericos negotiatores innovantur, et extenduntur ad clericos etiam sub laici nomine quibuslibet negotiantes. Benedictus XIV, const. incip. *Apostolicæ servitutis*, tom. I *Bullar.*, n. 18.

(6. Extenduntur item ad negotia a laicis inchoata, dein ad clericos devoluta, sive hæreditario jure, sive quocunque alio titulo, sive singulariter, sive communiter,

Digitized by Google

sive separatim, sive conjunctim cum aliis bonis, cohæredibus vel sociis laicis existentibus.

(7. Comprehendi etiam censentur illi clerici, qui per seipsos eorumque nomine proprio, vel per alios, aut alieno nomine etiam per suos cohæredes ac socios negotium exercent.

(8. Hos omnes subjicit Pontifex quoad bona sic ab eis acquisita pœnis in constitutione Pii IV quæ incip. *Decens esse*, quæ est 19 inter bullas ejusd. Pontificis. Pœnæ illæ sunt, ut bona sic acquisita sub spoliis debitis Cameræ Apostolicæ comprehendantur.

(9. Si qui vero exempti sunt a pœna spoliorum ex constitutionibus Pii IV, *Romanus Pontifex*, et Pauli V, *In eminenti*, illos pariter non exemptos quoad bona ex negotiatione provenientia decernit atque declarat cit. constitutio *Apostolicæ servitutis*.

(10. Negotiatio tamen impropria non est clericis interdicta, ut ex. gr. manuum suarum labore, et honesto artificio victum sibi comparare, quod et Apostolus Paulus suo exemplo docuit, et a SS. etiam monachis præstitum est. *De synodo diœc.*, lib. VII, cap. 49, § 2.

(11. Licitum est etiam clericis vendere res collectas ex propriis prædiis, sicut et eas quas coemerunt ad familiæ suæ sustentationem, quæ, si superfuerint, vendere possunt carius quam emerint, intra limites tamen justi pretii. *Ibid.*

(12. Plura si cupis, *vide* tom II, verb. CLERICUS, art. 3, ubi fuse de hac re tractatum est, atque sub n. 91, adducitur novissima constit. Clementis XIII merito observanda

(13. In ditione Pontificia pro negotiis ad ecclesiasticos pertinentibus in publicis consiliis quorumcunque locorum, deputandi sunt duo ecclesiastici, unus ex clero sæculari, alter ex regulari, et ambo ex sæculari, si desint regulares, interpellandi toties quoties pertractandum est aliquid ad ipsos pertinens, ut intersint in iisdem consiliis cum suffragio consultivo duntaxat: cum facultate tamen recurrendi, si laici contrarium resolverint. Si vero neglexerint interesse, non inde invalidum erit quidquid in dictis consiliis decretum fuerit. Vocandi sunt etiam, quando redditur ratio expensarum quæ ab iisdem ecclesiasticis tolerantur, eisque communicandi in loco designato a gubernatoribus, non vero tradendi libri computorum, cum facultate pariter recurrendi ad superiores, si quid injustum in illis deprehenderint. Sic statuit Benedict. XIV, 29 Julii 1752, const. incip. *Quamvis*.

NEOPHYTI.

(1. Neophyti ad sacros ordines non sunt promovendi, nisi prius de eorum constantia in vera nostra fide constiterit. Concil. Nicænum, canon. 2 ibi: « Nam et tempore opus est ei qui cathechizatur, et post baptisma probatione quamplurima.» Et in canone 3, Arabico, ab Echeliensi edito, ibi: « Quicunque recens baptizatus fuerit, cujus fidei adhuc non dignoscitur experimento certitudo, ne episcopus, aut presbyter, aut diaconus ordinetur. » Bened. XIV, *De synodo diœcesana*, lib. VII, cap. 65, num. 6, ubi subjungit quod ad id dignoscendum quantum temporis requiratur, est incertum, cum nullum de hac re sit certum tempus a jure definitum, adeoque, ut volunt Covarruvias et Gibalinus, *De irregularitate*, cap. 3, q. 3, et alii, videtur id relinqui arbitrio et prudentiæ episcopi serio expendentis mores, et constantiam in fide cujusque neophyti.

NOVUS ARTICULUS DE NEOPHYTIS.

EX ALIENA MANU.

SUMMARIUM.

1. De origine et explicatione hujus vocabuli, ad n. 2. — 3. Quænam privilegia neophytor. — 4. Quisnam collegium ecclesiasticum adolescentium neophytorum instituit. — 6. Retunditur in hoc quorumdam protestantium scriptorum audacia. — 6. De matrimonio neophytorum ad fidem conversorum non pauca adducuntur, ad num. 36. — 37. Alia quoque ad rem *remissive*.

(1. Nihil habet *Ferrariana Bibliotheca* in articulo NEOPHYTI, præter duo, eaque sane non magni momenti, ab opere *De synodo diœcesana* Benedicti XIV excerpta, etsi multa ad neophytos spectantia, notatu dignissima occurrant, quæ suum pluteum in hac refertissima Bibliotheca occupare merentur. Quapropter integrum articulum adlaborare statui, in quo nonnulla haud contemnenda indigitare pergam.

(2. *Neophytus* a duplici Græca dictione νέος et φυτόν, *nova planta*, idem est ac *recens consitus*, sumitur pro eo qui nuper ecclesiasticum statum amplexus est, vel religionem est ingressus. Communius tamen per neophytum intelligitur ille qui recens ab infidelitatis statu egressus, sacris baptismatis undis est regeneratus.

Isti sunt novellæ plantationes in domo Domini, quas semper maximi fecit Ecclesia, nunc vero, proh dolor! illi qui olim vocabantur (ut verbis utar auctoris sermonis, olim inter Augustinianos 157, *De tempore*, nunc 172 in *Appendice*) « novella germina, sanctitas regenerata ex aqua et Spiritu, germen pium, examen novellum, flos nostri honoris, et fructus laboris, gaudium et corona mea, » adeo sunt vulgo despecti et abjecti, ut fortasse inter maximas reputetur injurias neophytum quemquam vocitare,

Digitized by Google

iique, qui Dei gratia illuminati, superstitione relicta, Christianæ religioni nomen dedere, Dei donum occultare cogantur.»

(3. Privilegia neophytis concessa a Paulo III et a Clem. XI confirmata, *vide* sub verb. HEBRÆUS, tom. III, pag. 312.

Hæc porro, cæteraque omnia privilegia in favorem neophytorum alias a Sancta Sede emanata, sanctissimus Dominus noster Clemens Papa XIII probe sciens infidelium conversionem inter Apostolatus instituta primum obtinere locum, novissime confirmavit suo chirographo ad eminentissimum dominum cardinalem Nigronum proauditorem dato die 26 Oct. 1766, in quo, inter multa, hæc statuit: « I. Quod in futurum, ac perpetuis futuris temporibus neophytorum judex, eorumque receptoriæ domus, Ecclesiæ, et universitatis, ac locorum piorum annexorum in causis civilibus passivis motis et movendis, sit illustrissimus et reverendissimus D. Almæ Urbis pro tempore vices gerens. III. Quod neophyti a quibuscunque censibus taxisque ab artium statutis præscriptis sint exempti, earumque artium ac universitatum onera atque munera subire minime teneantur, eisque solitæ litteræ patentales gratis concedantur. V. Quod sint immunes a taxis et licentiis tribunalis viarum cum illa amplitudine, et respectiva limitatione exemptionis, quæ fuit jam declarata in decretis congregationis particularis deputatæ a san. mem. Clemente Papa XI. VII. Quod dictum est pro neophytis, intelligatur constitutum etiam pro neophytorum filiis primi gradus, et pro maritis neophytarum, filiarumque primi gradus neophytorum. »

(4. Collegium ecclesiasticum adolescentium neophytorum instituit Greg. XIII. Causam erectionis hujus collegii explicat S. Pont. in bulla incip. *Vices ejus*, quæ ejus est 73. tom. IV, p. III *Bullarii*, pag. 346, his verbis: « Ut non modo hæreticorum, sed eorum etiam qui in infidelitatis tenebris ambulantes misere pereunt, præsertim Judæorum conversionem, veramque salutem exoptare, ac totis viribus quærere non cessemus.

« Proinde fidei Christianæ propagationi, et incremento hujusmodi, quantum possumus, incumbentes, atque tam saluti et eruditioni eorum puerorum et adolescentum, qui ex Judæorum, Turcarum et Maurorum, similiumque Mahumedanorum genere nuper ad Christi fidem conversi sunt.... providere volentes, UT EX EIS PRODEANT OPERARII AD OPUS EVANGELII IDONEI, QUI IN IPSA URBE CÆTERISQUE ITALIÆ LOCIS, ATQUE ADEO IN OMNIBUS TERRARUM ORBIS PARTIBUS, IN QUIBUS JUDÆI ET INFIDELES DEGUNT, CHRISTIANÆ FIDEI MYSTERIA, ETIAM PROPRIA ILLORUM LINGUA, SIVE HEBRÆA, SIVE ARABICA EXPLICARE, DOCERE ET PRÆDICARE POSSINT, ET VALEANT, *nihil opportunius esse censuimus, quam proprium collegium ad eosdem instituendos erigere.* »

Concedit deinde privilegia amplissima ad instar studii generalis Almæ Urbis.

(5. Hinc audacia retunditur duorum protestantium scriptorum, scilicet Jo. Christophori Wagenseilii, et Jacobi Basnagii, virorum cæteroquin doctorum, qui, Ecclesiæ Romanæ impetendæ pruritu nunquam non excitati, Apostolicam Sedem calumniantur, ac si Judæorum conversionem omnino posthaberet. Primus in præfatione ad opus cui titulus *Tela ignea Satanæ*; Altorfii, 1681, pag. 89, hæc contumeliose eructat: « Videram Romæ illas magnificas augustasque ædes, quibus collegium Propagandæ Fidei nomen, unde tanquam ex alveari quocunque terrarum provolant..... pag. 91. An non per omne Turcicum imperium, per Persiam, totamque Africam dispersi agunt infiniti Judæi imformationis indigi? Sed horum quoque in gratiam quemquam missionariorum iter aliquando ingressum esse, nunquam fando accepimus..... Certum tamen est nihil frigidius et negligentius Romanum clerum tractare, quam Judæorum conversionis negotium. » Alter vero *Histoire des Juifs, all' Haje*, 1716, tom. IX, par. II, vol. XIV, p. 546, non minus audacter Romanam Sedem impetit:

« Quoique saint Pierre ait été l'apôtre des Juifs, et que ses successeurs, marchant sur les traces de cet apôtre, dussent donner tous leurs soins a la conversion de ce peuple, ils ne laissent pas de les négliger beaucoup. » Hæc illi non minus impudenter quam falso.

(6. Faxit Deus ut ecclesiasticum neophytorum collegium e pulvere reviviscens juxta Pontificis institutoris mentem, fructus uberes in Judæorum Mahumedanorumque gente producat, ut os iniqua loquentium obstruatur.

(7. Neophytis ad fidem conversis Venetiis in loco pio catechumenorum permittitur matrimonium contrahere cum fideli, absque interpellatione prioris conjugis in infidelitate relicti, arbitrio nuntii Apostolici Venetiis existentis. Benedictus XIV, constit. 117 incipient. *In suprema*, tom. I *Bullarii* sui, p. 483 dummodo præfato. (8. Nuntio summarie et extrajudicialiter constet, conjugem absentem moneri legitime non posse, aut monitum, intra tempus in monitione præfixum suam voluntatem significare neglexisse.

Libellum repudii non licet Judæis ad fidem conversis dare uxoribus in judaismo remanentibus. Bened. XIV, in constit. incip. *Apostolici* 38, t. II. Bullar., p. 330.

Neophytus, si repudii libellum rabbinicis superstitionibus inveniatur dedisse uxori nolenti se convertere, in eum, tanquam *Judaizantem*, animadvertendum esse statuitur: *Ibidem*, p. 331.

Si autem id fecerit coram notario et testibus Christianis, minori pœna plectendus erit. *Ibidem*.

(9. Contingit sæpenumero ut ex conjugibus infidelibus, vir catholicam fidem amplectatur, uxore in sua infidelitate remanente. Disputatum non minus frequenter fuit an uxori volenti in sua perseverare infidelitate, cogendus sit vir ad dotis mu-

Digitized by Google

nerumque nuptialium restitutionem. Nulla hucusque prodiit, quod sciam, aliqua authentica hujusce controversiæ definitio. Quamobrem non abs re fore confido, si hic eam breviter ventilandam aggrediar, ut morem geram viro mihi necessitudine conjunctissimo, qui eamdem profunde examinavit, mihique disquisitiones suas benigne suppeditavit.

(10. Primus qui in præjudicium viri conversi quæstionem determinavit, seu potius dubitare cœpit circa contrariam sententiam, videtur fuisse Baldus junior in suo opere *De dote*, dissert. 21, num. 47: « Sed vidi, inquit, alias dubitatum, si infidelis, puta Judæus uxoratus conversus est ad fidem, uxore remanente in Judaismo.... debet rehabere dotem suam. »

(11. Eum secutus est Everhardus junior, tom. I, cons. 36, num. 3, ubi relata Baldi opinione, concludit : « Quam sententiam probo. » Alios fortasse, qui eidem opinioni subscripserint, recensere non erit difficile. At cum non quæramus quid hic aut ille senserit, siquidem summo juri adhærere, quantum fieri potest, intendimus, hinc supervacaneum esse arbitror in aliis auctoribus perquirendis tempus insumere.

(12. Oppositam nunc sententiam perscrutandam assumo, de cujus certitudine dubitari non posse existimo. Dico itaque, si casus contingat, virum infidelem Christianam religionem amplecti, et uxorem in sua infidelitate persistere, nullatenus posse primum obligari ad dotis munerumque dotalium restitutionem. Quam quidem assertionem ita probo.

(13. Ex jure canonico firmum statutumque manet sequens principium, scilicet exposito in casu infidelem uxorem censeri repudiare maritum. C. *Si Infidelis*, 28, q. 2: « Si infidelis (inquit) discedit odio Christianæ religionis, discedat. Non est enim frater aut soror (fidelis) subjectus servituti. Non est enim dimissio peccatum propter Deum, si alii se copulaverit. Contumelia quippe Creatoris solvit jus matrimonii circa eum qui relinquitur. Infidelis autem discedens, et in Deum peccat, et in matrimonium, nec est ei fides servanda conjugii, qui propterea discedit, ne audiret Christum Deum esse Christianorum conjugiorum. » Vides ergo ex hoc canone, uxorem infidelem illam esse quæ *discedit*, et virum fidelem ab ea *dimissum*.

(14. Totidem fere habet S. Ambros. tom. III, edit. Paris., 1603, col. 366, a quo videtur canon. præfatus desumptus, etsi a Gratiano Gregorio tribuatur. (15. Et ne quis putet canonem hujusmodi nulla pollere auctoritate, utpote qui a Gratiano duntaxat referatur, sciat ipse velim eumdem approbatum fuisse ab Innoc. III, c, *Quanto*, De divortiis, ubi episcopo Ferrariensi ita scribit : « Si enim alter infidelium conjugum ad fidem catholicam convertatur, altero vel nullo modo, vel non sine blasphemia divini nominis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente : qui relinquitur, ad secunde, si voluerit, vota transibit : et in hoc casu intelligimus quod ait Apostolus: *Si infidelis discedit, discedat*.... et canonem etiam, in quo dicitur : Contumelia Creatoris solvit jus matrimonii circa eum qui relinquitur. »

(16. Unde merito notat Van-Espen, tom. III, part. V, *Comment. ad part.* II *Gratiani*, pag. 306. « Sententiam Gratiani secuti sunt uno consensu theologi et canonistæ : quin et ipsi Romani Pontifices eam in omnibus adoptarunt, uti videre est in decretalibus Clem. III et Cœlest. III.... similiter et Innocent. III sententiam Gratiani quoad utrumque distinctionis membrum adoptavit in cap. 7, *Extra*, De divortiis.

(17. Hinc patet Romanæ Ecclesiæ sententiam esse, infidelem uxorem nolentem converti, aut marito cohabitare sine Creatoris contumelia, censeri eum repudiare. Tota ratio innititur in illo Apostoli verbo, *I ad Cor.* VII, 15, *discedit*, ex quo concluditur matrimonii vinculum solutum iri ; verum respective solum ad fidelem qui ab uxore infideli dimittitur.

(18. Quare S. Thom., in 4, dist. 37, q. 2, art. 5, ad 3, eam perpetuo cælibatui servando adstringi merito docet, « unde in pœnam uxoris infidelis, ei indicitur, quod non possit cum alio contrahere magis quam ex virtute matrimonii præcedentis. » Quam sententiam secuti sunt S. Bonav. in 4, dist. 37, art. 2, q. 2 ; Turrecremata in *c. Simili modo*, 28, q. 2, ad 3 argum. ; Basil. Pont., *De matrim.*, lib. VII, c. 48, n. 26.

Jam vero, cum ex dictis clare aperteque constet, uxorem infidelem in nostro casu repudiare fidelem maritum, de qua re nemo ambigere potest, quærendum est utrum mulier illa jus habeat ad dotem atque ad nuptialia munera repetenda. Quod si hujusmodi jus, nedum ei denegetur, quinimo ad dotis munerumque nuptialium amissionem legibus damnetur, omnino certum atque exploratum erit sæpe a nobis laudatam infidelem uxorem maritum conversum adstringere nequaquam posse ad dotis ac donationum restitutionem. Quod autem tali pœnæ uxor virum suum repudians legibus subjiciatur, nemo, nisi sit in jurisprudentia prorsus novus, ignorat.

(20. In Codice Theodosiano, edit. Gottofr., Lipsiæ 1736, lib. III, tit. 16, l. II, *De repudiis*, pag. 355, aperte statuitur : « Mulier quæ, repudii a se dati oblatione, discesserit, si nullas probaverit divortii sui causas, ABOLITIS DONATIONIBUS quas sponsa perceperat, etiam dote privetur. » Paria leguntur l. 8, § 4, Cod. Justin., *De repudiis*, tit. 17 : « Mulier si, contempta lege, repudium mittendum esse tentaverit, suam dotem et ante nuptias donationem amittat. » *Vide* et in Authent. collat. 4, cap. 15.

(21. Neque ullum futurum fore arbitror, qui ita desipiat, ut hasce leges antiquatas esse affirmet. « Inepta est (inquit clar. Gottof., *Comm. in Cod. Theod.*, lib. III, *De repud.*, p. 314) eorum sententia, qui hanc legem una cum superiore abrogatam tradunt novella Theodosi 17, *De repudiis* ; est enim ea novella non de pœnis injusti repudii, ut hæc

Digitized by Google

lex, verum contra de pœnis conjugum qui divortio causam dedere. »

(22. Consonant dispositionibus Romani juris ipsa Judæorum jura, in *Misna*, seu *Jure civili-canonico* Hebræorum, edit. Gulielmi Surenhusii, Amstelodami, an. 1700, part. III, p. 74, ubi in Tractatu *Chotuboth*, hoc est *De dotibus et litteris matrimonialibus*, cap. 5, num. 7, sequens exstat statutum; « Si quæ rebellaverit contra maritum suum, ei diminuunt dotem suam matrimonialem, septem denarios qualibet septimana..... Quousque diminuet? usque ad quantitatem dotis matrimonialis. »

(23. Est igitur Romanis Judæorumque legibus cautum, ut quotiescunque mulier absque legitima causa a viro suo discedit, repudium ei offerendo, dotem cæteraque dotalia munera amittat. Quo posito, ea quæ hucusque dicta sunt, sequenti ratiocinio colligo. Jure canonico decernitur ut, si quæ mulier infidelis, viro ad fidem converso, in sua infidelitate persistat, aut ei conjungi nolit sine Creatoris contumelia, censeatur ei repudium impertiri, et quidem injuste; quare enim vir duntaxat a matrimonii vinculo liberatur. At vero jure civili non absimili modo cavetur, ut uxor, repudium marito suo injuste mittens, dotem et ante nuptias donationem amittat. Ergo præfata mulier infidelis renuens fidem amplecti, et marito cohabitare sine Creatoris contumelia, tum dotem, tum munera nuptialia amittit.

(24. Duo huic doctrinæ opponi possent. Primum, cui Baldi et Everhardi conclusio innitur, ex eo petitur, quod Judæi ad fidem amplectendam nequaquam sint cogendi. Ita Baldus loco citato: « Quia propter hoc quod non velit converti, non debet perdere dotem, quia nullus cogitur accipere fidem. » Cujus vestigia secutus Everhardus, et ipse laudato loco eamdem affert suæ sententiæ rationem his verbis: « Præsupposito quod Judæus nullo modo ad Christi fidem... cogi, aut compelli potest.... nec metu amissionis bonorum, vel dotis, ad fidem sunt cogendi... ut bene facit text., in cap. *Qui sincera* 3, dist. 45, ubi divus Gregorius rescribit « Judæos « non molestiis, aut vexationibus ullis, sed « mansuetudine ac blandimentis ad fidem « Christianam permovendos esse. »

(25. At fallitur uterque. Quis unquam somniavit infidelem uxorem dotis amissione cogendam esse ad fidem amplectendam, quasi dotis amissio eo tenderet, ut compelleretur judaismum ejurare; non vero justa esset pœna a legibus inflicta ob denegatam viro cohabitationem? Duo namque illa in femina sunt spectanda, ideoque nunquam confundenda: perseverantia scilicet in sua infidelitate, et denegatio cohabitationis facta viro suo sine Creatoris contumelia; primum crimen Dei vindicis Tribunali puniendum relinquitur; alterum vero, quod verum repudium a jure canonico reputatur, dotis aliorumque munerum amissione civilibus legibus plectitur.

(26. Porro S. Gregorii textus tantum abest ut adversantium opinioni quidquam momenti superaddat, quin potius eam recta confodit. Sane S. Pontifex, tum in epistola ad Petrum episcopum Terracinensem quæ est 35, lib. I *Regesti*, tom. XI edit. Benedict., col. 524, tum in altera ad Cyprianum diaconum rectorem patrimonii Siciliæ data, quæ est 8, *l. c.*, col. 733, aperte dicit non esse Judæos ad fidem perducendos minis et terroribus, sed alliciendos esse « mansuetudine, benignitate, admonendo, suadendo, » et etiam temporalium beneficiorum oblectamento. At addit non esse a fide repellendos « minis et terroribus. »

(27. Quæro nunc in quanam sententia sanctissimi Pontificis statutum plenum suum sortiatur effectum? Siquidem, si contrariæ doctrinæ standum sit, nedum Judæus ad fidem catholicam ejurandam non allicitur mansuetudine, benignitate, atque temporalium beneficiorum oblectamento; verum etiam ab ejuranda sua perfidia depellitur. Quis enim nesciat quam facile sit virum infidelem, ac præsertim Judæum, cujus in mente vix evangelici luminis splendor infidelitatis tenebras repellere cœpit, a fide amplectenda deterreri, si animadvertat fructum conversionis suæ esse restitutionem dotis cæterorumque munerum? Adde usum obtinere apud Judæos hodiernos, ut via repudiis a lege permissis præcludatur, dotes præter modum augeri, ultra rei veritatem. Quin et ipsa mulier, quæ fortassis ex metu amittendæ dotis ad fidem alliceretur, si certa sit, ex viri conversione futurum fore ut dos ei restituatur, in infidelitate magis magisque confirmabitur.

(28. Ad rem afferre juvat verba Julii Morosini neophyti doctrina et pietate insignis in opere, cui titulus: *Via della fede*, Romæ, typis S. congregationis de Propaganda Fide, edito ann. 1684, ubi quæstione hac exagitata tom. II, pag. 1011, tandem pag. 1018; concludit: « Confido pure, che la Santa Sede Apostolica, nè qualsivoglia altro tribunale vedendo scoperti gl' inganni de' nostri avversarj, e i pregiudizj alla santissima religione, che professiamo, permetterà, che la Sinagoga si vanti de' suoi artifizj, e ponga impedimenti efficaci alla conversione degli Ebrei, molti dei quali per quella pretensione de' capi loro (su i donativi nuzziali) temendo di perder i beni temporali, s'astengono di lasciar l'Ebraismo. »

(29. Prima difficultate soluta, ad secundam convellendam jam propero. Ea autem desumi ex eo potest, quod supremæ Inquisitionis tribunal facile sese præbeat in concedendis dispensationibus, ut vir conversus ad secundas transeat nuptias absque interpellatione conjugis in infidelitate permanentis, num viro suo copulari velit absque Creatoris contumelia. (30. Quod quidem argumentum ex eo incrementum sumit, quod auctoritate roboretur celebris Ritualis sacramentorum a cardinali Sanctorio jussu Gregorii XIII evulgati, cujus sæpe meminit Benedict. XIV in opere *De synodo diœcesana*, alias typis Vaticanis impressi, ubi titulo, *De recipiendis et instruendis catechumenis*,

Digitized by Google

pag. 127, hæc leguntur : « Uxor conversi, si post omnem adhibitam diligentiam ad fidem venire noluerit, sed obdurata in infidelitate permanserit, dimittatur :... Neque cum ea cohabitet, propter periculum subversionis fidei, et blasphemiæ, et contumeliæ in Creatorem ; nisi propter spem, et certa indicia futuræ conversionis uxoris, et prælatus sincera mariti fide, et stabilitate confisus, id ei ad tempus judicaverit permittendum. » Hinc si sancti Officii tribunal dispensat, ne uxor interpelletur ; si de facili non est permittenda cohabitatio virum conversum inter et uxorem infidelem ; ut quid pœna plectenda est uxor in dotis amissione, quæ neque interpellatur ; vel si interpellatur, et si promittat se vivere velle absque Creatoris contumelia, non de facili ei cohabitatio cum viro suo conceditur ?

(31. Enimvero tota hæc difficultas, ut plausibilis videatur, oculi ictu evanescit. Atque in primis, dum ego in ea sum sententia, ut sæpepræfata uxor omne jus ad dotis munerumque nuptialium repetitionem amittat, eam suppono jure interpellatam fuisse super cohabitatione, atque eam hanc denegasse, vel si in eam inclinaverit sarta tecta, haud servaretur debita in Creatorem reverentia ; tunc enim ipsa est in culpa ; ipsa divertit a marito innoxio ; ac proinde ipsa de sua pertinacia debitas pœnas per dotis amissionem luere debet. Quod si sine ulla ejus noxa vir eam relinqueret, tunc quæstio pristinum suum mutat aspectum, atque alia evadit. Restat igitur inquirendum utrum dispensatio frequens a S. Officio impertita, aut difficultas in concedenda cohabitandi licentia innocuam reddat uxorem. Si res ita se habeat, status quæstionis nostræ iterum mutatur. Quod si ipsa semper culpabilis perseveret, a justa animadversione a legibus inflicta liberari neutiquam poterit.

(32. Quænam porro causa est cur dispensationes hujusmodi facili negotio conceduntur ; et econtra cohabitatio ex se licita, et debita aliquando interdicitur ? Haud multum insudandum nobis est ut eam assequamur. Etsi enim, si theorice res spectetur, nullatenus repugnet ut alter conjugum falsæ addictus sit religioni, altero inter Christianos coadunato, attamen in praxi res semper periculi plena visa est, ut Christianus vir cum femina infideli, ac præsertim Judæa cohabitet. Promittet fortasse illa se quidquam nunquam molituram fore, quod in Creatoris contumeliam vergere possit. At nunquid stabit promissis ? Quis cautam fidejussionem exhibebit ? Si de hæreticis Apostolus dicit *II ad Timoth.* II, 17 : *Et sermo eorum ut cancer serpit* ; quid dicendum erit de femina erga maritum tenellæ adhuc fidei, veluti modo genitum infantem ? Nonne universam dabit operam blanditiis, precibus, lacrymis, ut in animæ perniciem, Deique contumeliam, fidem, quam amplexus est, ejuret, et ad pristinum votum revertatur ? Hæc quotidie vidimus, et utinam non videremus, etiam tunc, cum uxor maritum in sua conversione comitatur !

(33. Demus autem et in praxi, uxorem Judæam viro converso copulari posse, si merum Judaismum profiteatur, legem scilicet Mosaicam. At si præter legem Moysis, rabbinismum sequatur, talmudistarum instituta veneretur, qui fieri potest, ut ei cum viro cohabitare indulgeamus ? Nemo in talmudistarum theologia, nisi sit jejunus, ignorat sanguinariam, virulentam atque detestandam legem, qua tenetur unusquisque Judæus interimere quemcunque, qui Judaicæ superstitioni valedicens, Jesu Christo vero Deo nomen dederit. Huic legi præcipue uxor astringitur. Et ne quis me sycophantam arbitretur, nefarias eorum decisiones, prout in eorum libris, jacent, hic accipiat : Talmud, tractatu *Avodà Zarà*, fol. 26, lin. ult., hæc habet : « Gentiles, pastores animalium minutorum, non sunt extrahendi de puteo (si in illum inciderint) nec præcipitandi ; at hæretici, et calumniatores, et amesciumadim (id est apostatæ, seu neophyti) sunt præcipitandi, et non extrahendi. » Hinc Maimonides, c. 4, num. 10. Halachoth Rozeach, hujusmodi præceptum inhumanum tradit : « Præceptum est occidere Israelitas illos qui legem abnegant et prophetiam. Si est in manu ejus vis ad occidendum eos in gladio, publice occidet, alias veniat super eos prætextibus, donec occisionis eorum causam quæsierit, » etc. Vis plura ? Eia alter rabbinus non minus Maimonide celebris. Is est Isaac Abravanel c. 5, libri *De capite fidei*, p. 22 versionis cl. Vorstii, edit. Amst., 1638.

« Vide, inquit, verba Rab, quæ scribit sub finem articulorum his verbis, etc. Qui non credit cuilibet istorum articulorum, prout æquum est, et jam exclusus est a communione Israelis, atque negat radicem (hoc est fidei fundamentum), et vocatur hæreticus, atque Epicureus, atque excisor plantarum (id est Judaismi abnegator), ac tenetur homo hujusmodi odio prosequi, ac abominari, atque perdere istum. » Et juxta hoc dicitur *Psal.* CXXXIX, 21. *Nonne osores tuos odi, Domine ?* Et ne mulierculæ ipsæ mandatum hoc satanicum ignorarent, anno 1654 seu potius ann. 1672 editus est Venetiis libellus inscriptus : *Sepher Emeth Veemunah* a R. Isaac Aruvas, Hebraice atque Italice editus, in quo eadem venefica doctrina, idemque homicidiale præceptum neophytos interimendi clare enucleateque firmatur. Ita enim habet p. 127. post relata Abravanelis verba : « È precetto di odiarlo, e di perderlo, e su lui fù detto già : *Quei che odiano te, o Signore, odierò.* » Hebraice testimonia darem, si id necessitas exposceret.

(35. Præmissa hujusmodi lege nunquam satis horrenda, quis non laudet œconomiam hodiernæ disciplinæ, qua facilis redditur dispensationis assecutio circa mentem uxoris, an convivere velit cum marito sine Creatoris contumelia ? Quis non extollat monitum illud a prudentia dictatum, ne faciles se exhibeant prælati in concedenda cohabitatione viri cum uxore infideli ? Unum forte medium superesset : cogere videlicet mu-

Digitized by Google

lierem ad ejurandam legem rabbinicam, ei interdicendo quamvis cum Judæis cæteris communicationem, accessum ad Synagogas, et quemcunque actum, qui inter legis Mosaicæ limites non contineatur. Verum cum huic durissimæ conditioni impossibile sit ut hodiernus Judæus subscribat, hinc optima est consuetudo dispensandi super interpellatione.

(36. Concludo igitur, et dispensationem, et difficultatem assensus ad cohabitandum, nihil obstare justæ pœnæ a legibus impositæ mulieri, quæ virum suum relinquit. Hujusce enim tum dispensationis, tum difficultatis causa est ipsa uxor, quæ præsumitur nunquam cohabitatura sine Creatoris contumelia. Hæc præsumptio fundatur in facto et in jure. Factum ex praxi constat; jus ex ipsa Judæorum doctrina. Hinc certo certius est uxorem infidelem, si converti renuat post conversionem mariti, omne jus amittere ad dotis et ante nuptias donationum repetitionem.

(37. Cæterum, si quæ contra hanc conclusionem exstet definitio, omnia pro non dictis haberi volo.

Addenda et notanda ex Benedicto XIV ad n. 7 h. art.

In edit. Casin.

Iis quæ sub verb. MATRIMONIUM art. 5 post n. 114 addita per nos fuerunt, duce ac magistro Benedicto XIV circa matrimonia in infidelitate contracta, ab iis qui postea ad Christianam religionem convertuntur, non alienum putamus sequentia subnectere desumpta ex prælaud. Summo Pontifice *De synodo diœces.*, in hæc sane verba :

« Matrimonii inter infideles contracti vinculum solvitur, ubi alter ex conjugibus ad Christi fidem convertitur, alter vero requisitus, ut vel eamdem fidem amplectatur, vel tori societatem sine contumelia Creatoris servare consentiat, utramque conditionem obfirmate recusat. De hac materia actum a nobis est superiore lib. VI, cap. 4, n. 3. Nec omittendum hic esse ducimus id quod, die 23 Januarii 1603, responsum fuit episcopo hac ipsa de re sciscitanti; sicuti videri potest lib. X *Decret.*, pag. 55 : « Sacra « Congregatio censuit ita respondendum, « minime posse prædictos ad veram fidem « conversos accipere alias fideles uxores, « nisi prius constiterit utrum primæ voluerint cum eis permanere, vel non. Quod si « noluerint cohabitare, vel si voluerint, « non tamen absque contumelia Creatoris, « vel ut conversos ad mortale peccatum « pertrahant, tunc posse eos alias fideles « accipere uxores. Si cohabitare absque « Creatoris contumelia velint et absque « eo quod conversos ad mortale peccatum « pertrahant, quamvis veram agnoscere « fidem noluerunt, non posse conversos « alias fideles accipere uxores. Non sufficere « ea quæ proponuntur, nempe loci distantiam, difficultatem ac præsumptionem, « cum constare debeat de voluntate ipsarum uxorum infidelium ». Neque aliud hac in re addendum remanet, nisi quod superiori ecclesiastico onus incumbit adhibendi vigilem curam, ne infideli conjuge in societatem tori consentiente, id mali sequatur, ut neophytus ad vomitum redeat, et in pristinas infidelitatis tenebras prolabatur. Cohabitatio cum infideli conjuge, etiam remota Creatoris contumelia, videtur vetita a concilio Toletano IV in can. *Judæi qui Christianas*, 28, quæst. 1. Eadem tamen expresse permittitur cap. *Quanto*, et cap. *Gaudemus*, De divortiis, quæ multo tempore post Toletanum canonem edita fuisse constat. Non desunt tamen theologi clari nominis, qui, gravi spectato periculo, cui ex societate cum infideli conjux fidelis exponitur, etiamsi ille sine Creatoris contumelia se cohabitaturum polliceatur, adhuc tamen societatem hujusmodi illicitam esse contendant, Videri hac de re possunt Pontius, *De matrim.*, lib. VII, cap. 48, n. 8 et seq., a Breno, in *Manual. missionarior. oriental.*, tom. II, lib. III, cap. 5, quæst. 1, n. 16. At satis recte sentire videtur Cabassutius, qui, in *Theor. et prax. jur. canon.*, lib. III, cap. 23, n. 10 et 11 hujus dubii resolutionem pendere affirmat a casuum circumstantiis et moribus regionum (Deinde hoc pacto prosequitur) :

« In relationibus episcoporum atque mis- « sionariorum, sequentes duo casus sæpe « reperti sunt occasionem præbuisse, ut « postulata proponerentur congregationi « de Propaganda Fide, et ab hac deinde, « ut moris est, ad congregationem Concilii, « vel ad alteram universalis Inquisitionis « transmitterentur. Primus videlicet de infideli aliquo ad Christi fidem converso, « qui propriæ sectæ errorem sequendo, « plures duxit, et habet adhuc uxores; « cumque ignoretur an prima ex istis Christianam religionem amplecti velit, secunda « vero aut tertia ad id promptam se exhibeat, « dubitatur an permitti possit marito, ut, « priore illa relicta, posteriori, de cujus « animo ad conversionem parato satis constat, deinceps adhæreat, etiamsi prima « duntaxat justa uxor ex omnibus censeri « debeat, uti docet sanctus Thomas in 4, « *Sentent.*, dist. 39, quæst. unic., art. 3 ad « 4, quem passim sequuntur alii theologi, « sicuti videre est apud Sanchez, *De matrim.*, « lib. II, disput. 73, n. 4 et 5. Alter casus « est, cum aliqui, qui in statu infidelitatis « matrimonio juncti erant, Christianam re- « ligionem amplexi, Christianum conjugem « accipere cupiunt, sed penitus ignorant « ubinam gentium sit primus conjux, et « utrum adhuc sit inter vivos, cum in captivitatem inciderit a multo tempore, et in « longinquas remotasque regiones abductus fuerit. His itaque evenientibus casi- « bus, incerti quid consilii caperent, « quamque agendi rationem et regulam « sequerentur, tum ordinarii præsules, tum « missionarii prædictæ congregationis et Se- « dis Apostolicæ sententiam exquisierunt. »

« Duo summi Pontifices, S. Pius V et Gregorius XIII, opportunas hoc in genere agendi regulas statuere non omiserunt,

Digitized by Google

juxta quas efformatæ semper exinde sunt responsiones ad ejusmodi postulata, quoties ab iis regionibus transmissa fuerunt, de quibus in Apostolicis dictorum Pontificum litteris actum fuit. Cum enim hæ certas quasdam regiones unice respiciant, minime possunt ad alias extendi, quantumvis id suadere videretur identitas, aut paritas rationis, (* id quod lector perpendat necesse est *). Et quidem S. Pius V in Apostolicis suis litteris, quarum initium est *Romani Pontificis*, impressis in v part. *Constitutionum Apostolicarum pro Missionibus Sinarum et Tunkini*, etc., edit. Paris., 1676, expotuit quod Indis, qui plures in infidelitate uxores habuerant, si quando ad fidem convertebantur, in more positum erat ut eam quisque uxorem retineret, quæ secum una Christum Deum agnoscere, ejusque fidem amplecti consentiebat. Id vero magnas secum ferebat difficultates; cum et sæpissime contingeret ut illæ quæ cum maritis Christianam religionem amplectabantur, uxores primæ non essent; et aliunde arduum nimis esset eosdem Indos ab iis mulieribus divellere, quæ una cum ipsis ad baptismum sese offerebant. Itaque ut his difficultatibus, malisque occurreret, Sanctus Pontifex sequentem edidit declarationem: « Ideo Nos, « statui dictorum Indorum paterno affectu « benigne consulere, atque ipsos episcopos « et ministros hujusmodi scrupulis eximere « volentes, motu proprio, et ex certa scien- « tia, ac de Apostolicæ potestatis plenitu- « dine, ut Indi, sicut præfertur, baptizati, « et in futurum baptizandi, cum uxore, « quæ cum ipsis fuerit baptizata; et bapti- « zabitur, remanere valeant, tanquam cum « uxore legitima, aliis dimissis, Apostolica « auctoritate, tenore præsentium declara- « mus matrimonium hujusmodi inter eos « consistere. » Gregorius XIII in suis litteris incipientibus *Quoniam sæpe contingit*, quæ impressæ habentur apud Pontium, *De matrim.*, lib. VII, cap. 48, n. 23, cum exposuisset persæpe contingere ut ab Angola et Æthiopia, ac Brasilia in captivitatem abducerentur, et in remotas longe regiones deferrentur homines uxorem habentes, feminæque conjugali nexu conjunctæ; qui autem, vel quæ in propriis regionibus remanebant, sese dispositos, vel dispositas exhiberent, ut Christianæ religioni nomen darent, et Christifidelem conjugem accipere se velle ostenderent, magnas illico excitari solere difficultates, utrum matrimonium, sine quo baptismum fortasse non sumerent, inire possent; propterea quod ignoraretur num primus conjux, cum quo in infidelitatis statu matrimonium contraxerant, adhuc in vivis esset: his omnibus expositis opportunum comparare volens remedium, episcopis, parochis et Societatis Jesu presbyteris ad excipiendas sacramentales confessiones approbatis, qui in iis regionibus degerent, facultatem et auctoritatem concessit « dis- « pensandi cum quibuscunque utriusque « sexus Christifidelibus incolis dictarum re- « gionum, et servis ad fidem conversis, qui « ante baptismum matrimonia contraxerant, « ut eorum quilibet, etiam superstite con- « juge infideli, et ejus consensu minime re- « quisito, responso non exspectato, matri- « monia cum quovis fideli, alias tamen rite, « contrahere, et in eis postea carnali copula « consummatis, quoad vixerint, remanere « valeant. » Cumque idem Pontifex animadvertisset fieri posse ut post secundum initum matrimonium primus conjux repente prodiret, affirmans se præpeditum fuisse quominus voluntatem suam de amplectenda religione Christiana manifestaret, vel etiam se jampridem Christianos ritus amplexum fuisse antequam secundum illud matrimonium celebraretur, idcirco in iisdem litteris hoc additum expressumque voluit, ut, his non obstantibus, secundum matrimonium validum et firmum haberetur: « Quæ qui- « dem matrimonia, etiamsi postea innotue- « rit conjuges priores infideles suam vo- « luntatem juste impeditos declarare non « potuisse, et ad fidem etiam, tempore « contracti secundi matrimonii, conversos « fuisse, nihilominus rescindi nunquam « debere, sed valida et firma esse. »

« Apost. hujusm. constitutionum tenorem (proseq. Ben. XIV) perpendentes nonnulli, arbitrati sunt prædictos Rom. Pontifices, in favorem fidei, extraordinaria sua auctoritate uti voluisse, qua matrimonium in infidelitate consummatum dissolvere valebant. Sunt enim theologi, et quidem magni nominis, qui in Romano Pontifice hujusmodi potestatem agnoscunt, ea potissimum adducti ratione, quod vinculum matrimonii rati inter fideles, multo fortius sit matrimonio inter infideles cosummato; unde, cum Pontifex illud auctoritate sua dirimere posset, multo magis hoc alterum dissolvere valebit. Ita ratiocinatur Navarrus, concil. 3, lib III, tit. *De conversione infidelium*, quem sequuntur Sanchez, *De matrimonio*, lib. II, disp. 17, per tot., et Layman, *Theol. moral.*, tom. II, lib. V, tract. 10, part. II, cap. 3, sub. num. 2. Verum negari nequit complures alios esse huic opinioni contrarios, qui scilicet negant matrimonii rati vinculum inter fideles fortius esse vinculo matrimonii quod inter infideles fuerit consummatum, matrimonium enim ratum eam Christi Domini unionem significat, qua se per gratiam animabus justorum communicat; matrimonium vero consummatum eam repræsentat unionem qua idem Dominus noster per Incarnationem cum Ecclesia sese conjunxit, juxta Innocentii III responsum in cap. *Debitum*, De bigamis; ex quo sequitur minime certum esse principium illud, quod scilicet matrimonium inter fideles ratum fortius sit vinculo matrimonii inter infideles consummati. Legi potest ven. cardinalis Bellarminus, *Controv.* tom. II, lib. II, *De monachis*, cap. 38, § *Ad primam rationem*, et tom. III, lib. I *De sacramento matrimonii*, cap. 4, § 1, et seq. Et quidem matrimonium etiam inter infideles consummatum unionem illam significat Christi cum Ecclesia per Incarnationem, sicuti egregie advertit cardinalis de

Digitized by Google

Laureæa, *De matrimon.*, disput. 16, art. 11, §. 6, n. 231. Quod adeo veritati conforme censuit Vasquez in III part. D. Thomæ, tom. IV, disput. 2, sub n. 57, ut absque erroris nota id negari non posse docuerit: « Habet ergo hujusmodi infidelium matri- « monium quidquid necessarium est, ut sit « signum conjunctionis Christi et Eccle- « siæ: idque usque adeo verum est, ut sine « nota aliqua negari non posse censeam. » De hac materia fuse nos ipsi egimus, cum in minoribus officio secretarii congregationis Concilii fungeremur, in discursu quem exaravimus in elucidationem cujusdam causæ *Florentinæ* propositæ die 29 Martii 1727, quique editus legitur tom. IV *Thesauri resolutionum.* (* *V. Addit. Cas.*, sub. verb. MATRIMONIUM, art. 5, post num. 114.*) Itaque ad ea quæ ibi diximus, hic nihil addemus; sententiam vero nostram de præmissis constitutionibus declarantes, dicimus duos illos Summos Pontifices, expositis sibi difficultatibus consulturos, nihil aliud egisse quam canonicarum legum rigorem temperare in eo quod pertinet ad judicialem interpellationem, quæ infideli conjugi facienda esset, utrum velit ad fidem converti, illius mentis declarationem exspectando per congruum tempus ab ipsa lege, aut a superiore ecclesiastico constitutum; id satis aperte colligitur ex ipso brevi S. Pii Papæ V, ubi leguntur hæc verba: « Maxime, quia difficillimum foret primum « conjugem reperire. » Idemque clare etiam infertur ex aliis Gregorii XIII litteris, in quibus inter cætera hæc habentur: « Dum- « modo constet, etiam summarie et extra- « judicialiter, conjugem absentem moneri « legitime non posse, aut monitum, intra « tempus eidem monitioni præfixum, suam « voluntatem non significasse. » (Quippe) matrim. ab infidelibus in statu infidelitatis initum et consummatum divina lex solvit, cum altero conjugum ad fidem converso, alter neque converti vult, neque sine contumelia Creatoris cohabitare consentit; juxta præceptum Apostoli *in Epistola I ad Corinthios*, cap. 7. Ex hoc principio alterum veluti consequens deductum fuit, ut conjux conversus conjugem infidelem requirere ac interpellare debeat, ut mentem suam super ea re aperte declaret. Verum si aut ignoretur ubinam infidelis degat, ac moraliter impossibile judicetur in hujusmodi cognitionem venire, aut si, ejusdem habita notitia, legitima interpellatio eidem fieri non posse dignoscatur; cum in hisce circumstantiis aliqui magnæ æstimationis auctores interpellationem omitti posse censeant, plenamque fideli conjugi libertatem esse dicant, ut novas nuptias, dummodo cum persona catholica, contrahat, nemo non videt, quanto majori jure, iisdem urgentibus circumstantiis, Summus Pontifex ab ea interpellatione facienda eximere possit fidelem recens conversum, eique liberas nuptias cum alio fideli permittere. Id autem est, quod in Apostolicis suis litteris duo illi Romani Pontifices præstiterunt, admittendo scilicet, in favorem fidei, loco formalis et rigorosæ interpellationis, extra judicialem illam notitiam, quod vel omnino ignoretur ubinam gentium degat infidelis conjux, vel saltem ratio non suppetat eumdem judicialiter interpellandi, atque huic interpellationi præfatam notitiam subrogando. In quo profecto nullus extraordinariæ illius potestatis usus apparet, qua vinculum matrimonii in infideli statu consummati dissolvere in animo habuerint: sicuti egregie animadvertit Pontius, *De matrim.*, lib. VII, cap. 48, n. 22. Dispensavit certe, ac supplevit (loquitur de S. Pio V) monitionem jure præscriptam. Similem etiam dispensationem concessit Gregorius XIII, etc. Nec vero ex ea dispensatione colligitur dissolvisse Pontificem matrimonium consummatum infidelium; sed cum Pontifex possit jus divinum interpretari, et ex divino privilegio dissolvatur matrimonium in favorem fidei, cum infidelis non vult cohabitare cum fideli, declarat Pontifex eum casum verificari, quando tanto tempore fidelis non requiritur ab infidelis, et tanta terrarum spatia impediunt, atque adeo jam tunc posse uti divina concessione, et ad secundas transire nuptias.

« Verricellus (sic id. Ben. XIV) in suo tract. *De Apost. mission.*, tit. 4, *De privilegiis regular.*, quæst. 98, dub. 16, diversæ videtur esse sententiæ, et in eam propendere, ut prædictæ Apostolicæ constitutiones solutionem vinculi matrimonii in infidelitate consummati revera importent; etenim animadvertit Gregorium XIII in suis litteris usum esse sequentibus verbis: « Nos atten- « dentes hujusmodi connubia inter infide- « les contracta, vera quidem, non tamen « adeo rata censeri, ut necessitate sua- « dente, dissolvi non possint: » præterea eumdem concessisse episcopis parochis et missionariis facultatem dispensandi cum neophytis, ut cum fideli possint matrimonio conjungi, « etiam superstite conjuge « infideli, et ejus consensu minime requi- « sito, responso non exspectato. » Verum ex his inferri recte non potest voluisse Pontificem matrimonia in infidelitate contracta et consummata, Apostolicæ auctoritatis plenitudine, dirimere. Si quidem in iisdem Gregorii litteris expressa mentio fit juris divini, quo matrimonii vinculum tollitur, si conjux infidelis ad viam veritatis venire renuat: nec alia episcopis, parochis et missionariis dispensandi facultas conceditur, quam super judicialis interpellationis rigore, ut supra observavimus. Quod majorem videtur involvere difficultatem, illud est, quod ex Gregorii Pontificis definitione, conjux ille, qui post fidem susceptam novo se connubio cum fideli sociavit, jubetur in eo perseverare, etiamsi primus ille infidelis repente compareat, ostendatque se justis ex causis præpeditum fuisse, quominus voluntatem suam de eadem fide amplectenda manifestaret, et quod magis est, etiamsi affirmet et probet se jam fuisse Christianis sacris initiatum,

Digitized by Google

quo tempore alter conjux, se absente et ignorante, secundum matrimonium contraxit: quod quidem non videtur fieri aliter posse, nisi vinculum matrimonii in infidelitate initi et consummati dissolvatur et auferatur. Sed eadem semper recurrit superius allata responsio: primum scilicet matrimonium nequaquam dici posse solutum a Summo Pontifice, bene vero a jure divino; nihilque in hac re a Pontifice fieri, quam, peculiaribus ita suadentibus circumstantiis, rigorem judicialis interpellationis auferre. Non inficiamur, soluto matrimonio ex capite impotentiæ, quæ judicetur esse perpetua, si forte contingat, ut post novas nuptias a non impedito conjuge celebratas, conjux ille, qui perpetuo impotens credebatur, subeundis matrimonii oneribus reddatur idoneus, debere alterum illum conjugem, secundo toro relicto, ad primi jura redire, juxta sanctiones canonicas in cap. *Laudabilem*, et cap. *Fraternitatis*, De frigidis et maleficiatis, et can. *Requisivisti*, 33, quæst. 1, præter alia plura quæ legi possunt apud S. Thomam in 4, *Sent.*, dist. 34, quæst. 1, art. 2. Sed hoc ad rem nostram non facit. Matrimonium enim ab impotente, impeditoque contractum, non alia de causa dirimitur, nisi ratione impotentiæ impedimentique perpetui; nam si hæc perpetua non essent, sed temporaria, nullus profecto fuisset locus matrimonii vinculo dissolvendo: itaque, impotentia impedimentoque cessantibus, secundi matrimonii nullitas detegitur, et primi stabilitas reviviscit. Contra vero, cum dirimitur matrimonium, vel quia judicialiter interpellatus primus conjux actu recusavit Christianam fidem amplecti, aut saltem sine contumelia Creatoris cohabitare, vel quia hujusmodi judiciali interpellationi. Apostolica auctoritate, et ratione circumstantiarum, subrogatæ fuerunt ad eumdem effectum extrajudiciales notitiæ, de quibus supra: in hisce casibus, si conversus alteri nubat, secundum hoc matrimonium ita validum et firmum est, ut et ipse ad priorem conjugem amplius reverti nequeat, et primus conjux jus illud omne perdiderit, quod in contrahendo priore matrimonio acquisierat. Primum enim matrimonium eo ipso momento, et quidem irrevocabiliter, solutum remanet, quo conjux conversus ad alias nuptias cum fideli transivit; sive quia in hanc libertatem vindicatus fuerit jure divino, propterea quod infidelis conjux, judicialiter interpellatus, evangelicæ veritati, aut innocuæ cohabitationi se denegaverit; sive quia peculiares rerum circumstantiæ viam aperuerint indulto Apostolico, quo sublata fuit interpellandi necessitas: quod quidem indultum, cum nulli conditioni sit alligatum, secundi matrimonii validitatem et firmitatem perpetuo asserit, et reditum intercludit ad prima connubia, etiamsi quis probare contenderet, primo conjugi interpellato non fuisse liberum respondere, vel eum jam tunc Christianæ religioni amplectendæ paratum fuisse, imo ante illam diem qua secundum matrimonium a conjuge converso celebratum fuit, ipsum quoque Christo nomen dedisse, et baptismum suscepisse. » Cit. *Synod. diœces.*, lib. XIII, cap. 11, n. 2 et seqq.

NOMINA AFFINITATIS ET CONSANGUINITATIS

Vid. verb. AFFINITAS, *art.* 1, *num.* 15 *et* 16.

NOTARIUS.

SUMMARIUM.

1. Notarius cum creatur, quid jurare soleat? — 2. Notarii quicunque possunt ab episcopo, ut delegato Papæ, examinari, et si non reperti idonei, vel inventi delinquentes, suspendi ab exercitio officii in causis ecclesiasticis ac spiritualibus. — 3. Talis facultas examinandi notarios competit etiam prælatis inferioribus, quasi episcopalem jurisdictionem habentibus. — 4. Notarii intra mensem tenentur referre episc. legata testamentor. ad pias causas sub pœna excommunicationis. Unde in *Synod. Diœc.* solet reponi inter casus reservatos legatorum piorum a notariis ultra mensem dilata revelatio. — 5. Quid circa hoc disponat concilium Mediolanense? — 6. Notarii tenentur ex officio, etiam nemine requirente, revelare legata pia, alias peccant mortaliter. — 7. Notarii fori ecclesiastici tenentur intra mensem dare copiam appellanti, si petit, soluta mercede congrua; si differunt, privandi sunt officio, et condemnandi ad pœnam duplicis valoris litis dandi pauperibus. — 8. Notarii tenentur intra mensem revelare legata facta fabricæ S. Petri. — 9. Notarii possunt a fabrica S. Petri cogi ad dandum instrumentum legali post obitum testatoris, etiamsi clausum fuerit, data debita mercede. — 10. Notarii quorumcunque locorum tenentur in virtute S. obedientiæ, et sub pœna privationis officiorum, ac solutione dupli, revelare omnes dispositiones in favorem sacræ domus Lauretanæ factas, vel faciendas intra octo menses a die mortis disponentis extra Italiam; intra vero, infra tres menses. — 11. Notarii facientes instrumenta usurariorum, seu quorumcunque tales illiçitos contractus celebrantium, subjacent pœnis usurariorum ipso facto. — 12. Notarii facientes instrumenta contractuum illicitorum puniuntur exsilio perpetuo. — 13. Laici possunt esse notarii in negotiis, litibus et causis ecclesiasticis ac spiritualibus. — 14. Notarii seu cancellarii episcopi, licet sint laici, gaudent privilegio fori aliisque exemptionibus. — 15. Episcopus prohibere non potest notariis laicis exercendi officii usum in negotiis et litibus profanis coram judice laico, neque in ditione temporali Ecclesiæ. — 16. Potest tamen quoad negotia et lites locorum piorum a laicis administratorum. — 17. Item potest quoad contractus personarum ecclesiasticarum super earum bonis patrimonialibus. — 18. Notarii seu cancellarii curiæ episcopalis quam mercedem recipere possint pro scripturis et instrumentis, ad quæ tenentur, et quibus exemptionibus gaudeant? *Remissive.* — 19. Notarius proprius assumendus est ab episcopo in visitatione personarum cathedralis ecclesiæ, non illi tamen capitulo suspectus. — 20. Episcopus uti potest notar. criminali civitatis, si

Digitized by Google

sit vir probus. — 21. Generales et provinciales religionum creare possunt notarios intra suum ordinem pro causis criminalibus religiosorum. — 22. Insuper et concessione S. Pii V, facta superioribus ordinis Prædicatorum possunt in unaquaque provincia constituere etiam plures fratres sui ordinis ab eis approbatos in notarios publicos pro intimandis mandatis et rescriptis Apostolicis, et datur formula eos creandi. — 23. Inquisitores hæreticæ pravitatis possunt creare clericos sæculares et regulares in notarios sanctæ Inquisitionis. — 24. Notarii omnes omnia gratis pro officio sanctæ Inquisitionis expedire tenentur. — 25. Clerici tum sæculares tum regulares an, et quando, et pro quibus possint esse notarii, vel non? *Remissive.* — 26. Notarii seu tabelliones peccant in pluribus casibus, qui assignantur. — 27. Notarius officium esse vile multi tenuerunt. — 28. Contrarium tamen alii sentiunt, et sustinent notariatum esse officium nobile. — 29. Unde attendenda est loci consuetudo; quicunque enim notarii sunt nobiles, quando loci consuetudo eos non reputat viles. — 30. Talis consuetudo eos non reputandi notarios nobiles viget in civitatibus ditionis Mediolanensis. — 31. Quod etiam procedit in civitate Veronæ. — 32. Dicta tamen consuetudo videtur non posse extendi extra locum aut civitatem, nec ad diversos honores. — 33. Ideoque non venit admittenda ad effectum assumendi habitum religionis Hierosolymitanæ. — 34. Intellige tamen, nisi aliunde probetur nobilitas secundum statuta ejusdem religionis, quo casu officium notariatus non derogat. — 35. Notario sibi obviam venienti Carolus V caput inclinavit, et quare? — 36. Notariatus apostolicus conceditur quibuscunque etiam non nobilibus, graduatis, neque constitutis in aliqua dignitate; assignatur taxa, et modus pro illo petendo et obtinendo. — 37. Protonotariatus apostolicus, ut impetretur a Papa, debet persona, pro qua petitur, aut esse nobilis, aut graduata in alia scientia theologica, juridica, aut philosophica, vel esse in dignitate aliqua ecclesiastica; assignatur taxa. Ejusmodi protonotariatum dat etiam dux Sforzia, aut alius; assignatur taxa apud hunc, et modus pro illo petendo et obtinendo. — 38. Protonotarii, an et quando exempti sint a jurisdictione ordinarii, et quibus privilegiis gaudeant? *Remissive.* — 39. Notarii totius status Mediolanensis tenentur serio admonere ac exhortari omnes testatores, ut aliquam legent eleemosynam locis terræ sanctæ. — 40. Et sic notarii totius ditionis regis Sardiniæ pro hospitalibus charitatis, seu respectivæ provinciæ, ac pro hospitali SS. Mauritii et Lazari. — 41. Et ipsi aliique omnes notarii, sub pœna excommunicationis intra tempus præfixum, tenentur revelare relicta. — 42. Sicut etiam sub eadem pœna excommunicationis, revelare tenentur intra duos menses omnia relicta pro redemptione captivorum. — 43. Alia ad rem, ad num. 55. — 56. Subnectuntur *Addit. ex aliena manu*, ad n. 66.

(1. Notarius, cum creatur, jurare solet: I. Quod conficiet instrumenta et testamenta de quibus fuerit rogatus, nil veritatis tacendo, vel falsitatis miscendo. II. Quod non revelabit quod sibi secreto commissum fuerit, nisi justa de causa. III. Quod non conficiet scienter aliquod instrumentum de contractu usurario, nec de alio quovis illicito. IV. Quod retinebit de omnibus instrumentis et testamentis, quæ dederit, regestum, seu protocollum. V. Quod erit fidelis ei a quo fuit creatus notarius, et admonebit eum de iis quæ sciverit in ejus damnum vergere. VI. Quod nullo odio, vel amore, spe, vel timore officio suo abutetur. Navarr., cap. 25, num. 52; Nicol., in *Floscul.*, verb. *Notarius*, num. 3; Fagnan., in cap. *Sicut te* 8, Ne clerici vel monachi, n. 1.

(2. Notarii quicunque, etiamsi Apostolica, imperiali, aut regia auctoritate creati, possunt ab episcopo ut delegato Papæ examinari, et si non reperti idonei, vel inventi delinquentes, suspendi ab officio, vel perpetuo, vel ad tempus in causis ecclesiasticis ac spiritualibus. Concil. Trid., sess. XXII, *De reformat.*, cap. 10. (3. Talis facultas examinandi notarios competit etiam prælatis inferioribus quasi episcopalem jurisdictionem habentibus. Sic decisum fuisse referunt Sellius, in *Selectis canonicis*, cap. 15, num. 16, et Barbosa ad d. sess. XXII, *De reformat.*, cap. 10, num. 2.

(4. Notarii intra mensem tenentur referre episcopo legata testamentorum ad pias causas sub pœna excommunicationis, et deinceps eorum instrumenta careant fide, si non exsequuntur. Concil. Ravennat. II, sub Clement. V, cap. 31. Unde in synodis diœcesanis solet reponi inter casus reservatos, « Legatorum piorum a notariis ultra mensem dilata revelatio, » uti de facto reperitur in synodo Æsina acta anno 1683, et in Albanensi edita anno 1689.

(5. Concilium autem Mediolanense I, part. III, tit. *De piorum locorum administratione* statuit quod notarii intra tres menses a die mortis testatoris sub pœna excommunicationis teneantur manifestare episcopo legata et codicilla facta ad pias causas, et debita mercede accepta, teneantur particulam illam legati descriptam, et sigillo munitam tradere episcopo.

(6. Unde notarii tenentur ex officio, etiam nemine requirente, revelare legata pia: alias peccant mortaliter. Navarr., in *Manual.*, cap. 25, num. 53; Lazar., *Quæst. canonic.*, sect. 3, q. 1, num. 5; Vidal., *De legat.*, inquisit. 1, num. 64; Felix Potestas, tom. I, n. 2547; Monacell., tom. I, tit. 6, formul. 15; n. 8, et tom. II, tit. 14, formul. 1, num. 16, cum pluribus aliis a se citatis; Graffius, *Decis. aur.*, part. I, lib. II, cap. 127, ubi insuper dicit quod notarii non revelantes legata pia teneantur ad restitutionem.

(7. Notarii fori ecclesiastici tenentur intra mensem dare copiam appellanti, si petit soluta mercede congrua; si differant, privandi sunt officio, et condemnandi ad pœnam dupli valoris litis dandi pauperibus. Concil. Trident., sess. XXIV, *De reformat.*, cap. 20.

(8. Notarii tenentur intra mensem revelare legata facta fabricæ S. Petri. Clemens VII, constit. 8, incip. *Admonet.* (9. Notarii possunt a fabrica S. Petri cogi ad dandum instrumentum legati post obitum testatoris, etiamsi clausum fuerit, data debita mercede. Pius IV, constitut. 6 incip. *Etsi.* (10. Notarii quorumcunque locorum tenentur in virtute S. obedientiæ, et sub pœna privationis officiorum, ac solutione dupli, revelare omnes

Digitized by Google

dispositiones in favorem sacræ domus Lauretanæ factas, vel faciendas intra octo menses a die mortis disponentis extra Italiam, intra vero, infra tres menses. S. Pius V, constitut. 56 incip. *Ad Romani*.

(11. Notarii facientes instrumenta usurariorum, seu quorumcunque tales illicitos contractus celebrantium subjacent pœnis usurariorum ipso facto. Concil. Ravennat, IV, sub Joan. XXII, cap. 15. (12. Et concordat l. *Jubemus* 14, § 3, cod. *De sacrosanctis ecclesiis*, ubi statuitur, quod perpetuo puniantur exsilio notarii qui contractus illicitos ausi fuerint conscribere, ibi : « His tabellionibus, qui hujusmodi contractuum vetitorum ausi fuerint instrumenta conscribere, irrevocabilis exsilii animadversione plectendis. »

(13. Laici possunt esse notarii in negotiis, litibus et causis ecclesiasticis ac spiritualibus. *Communis*, et patet experientia ; pluribus enim in locis actuarii seu cancellarii episcopi sunt laici. (14. Et sacra congregatio Immunitatis pluries decrevit cancellarios seu notarios episcopi, licet sint laici, gaudere privilegio fori, aliisque exemptionibus. *Vide* verb. CANCELLARIUS, a n. 22.

(15. Episcopus prohibere non potest notariis laicis exercendi officii usum in negotiis et litibus profanis coram judice laico, neque in territorio seu ditione temporali Ecclesiæ, quia concilium Tridentinum sess. XXII, cap. 10, *De reformat.*, loquitur solum « de negotiis, litibus et causis ecclesiasticis ac spiritualibus ; » adeoque non intellexit de litibus profanis, neque coram laico. Sic respondit sacr. congr. episcopo Recanatensi, teste Fagnano, in cap. *Sicut te* 8, Ne clerici vel monachi, num. 66.

(16. Potest tamen episcopus vigore facultatis sibi a concil. Trid., *loc. cit.*, concessæ prohibendi notariis minus idoneis repertis, ne in negotiis et causis ecclesiasticis ac spiritualibus suum exerceant officium, ipsis prohibere ne illud exerceant quoad negotia et lites locorum piorum a laicis administratorum. Item ipsis prohibere etiam potest ne illud exerceant quoad contractus personarum ecclesiasticarum super earum bonis patrimonialibus. (17. Sic quoad utrumque censuit sacra congreg. Concilii die 1 Decemb. 1588, apud Fagnan., *l. c.*, num. 67.

(18. Notarii seu cancellarii episcopi, seu curiæ episcopalis quam mercedem recipere possint pro scripturis et instrumentis, ad quæ teneantur, et quibus exemptionibus gaudeant ? *Vide* verb. CANCELLARIUS per tot.

(19. Notarius proprius ab episcopo assumendus est in visitatione personarum cathedralis ecclesiæ, non illi tamen capitulo suspectus. Sic decrevit sacra congr. Concilii apud Barbosam, in *Summa apostolic. dec.*, verb. *Notarius*, num. 7, et *De offic. et potest. episc.*, part. III, allegat. 73, num. 8. (20. Episcopus uti potest notario criminali civitatis, si sit vir probus, et advena, et sub quovis prætextu taxam non excedat. Sac. congr. episcop. *in una Civitatis Castelli* 14 Aprilis 1615.

(21. Generales et provinciales religionum creare possunt notarios intra suum ordinem pro causis criminalibus religiosorum, ita ut illis tanta fides adhibeatur, quanta notario sæculari. *Communis* cum Barbosa *supra conc. Trid.*, sess. XXII, cap. 10, *De reformat.*, num. 4; Portell., in *Dubiis regular.*, verb. *Notarius*, a num. 1 ; Roderic., in *Compend. quæst. regular.*, resolut. 100, num. 1. Insuper S. Pius V, constit. 124, incip. *Debitum pastoralis*, concessit, quod superiores ordinis Prædicatorum, et consequenter etiam alii communicantes in privilegiis cum ipsis, ut notat Ameno, *De pœn.*, tit. 1, quæst. 16, n. 135; Matthæucc., *Officialis curiæ quoad prælatum regularem*, cap. 18, num. 38, et alii in unaquaque provincia possint constituere etiam plures sui ordinis fratres ab eis approbatos in notarios publicos pro intimandis mandatis et rescriptis Apostolicis, faciendis instrumentis, et authenticandis transumptis publicam, vel privatam dicti ordinis utilitatem concernentibus. Unde pro talibus notariis creandis datur hic modus et formula. Selectis igitur a prælato religiosis moribus, fide, doctrina et peritia idoneis, ipsi coram eo genuflexi, tactis sacris Evangeliis coram duobus vel tribus testibus debent juramentum præstare de fideliter et cum omni integritate dicto officio exercendo, ut infra : « Ego N. promitto et juro Deo omnipotenti, et SS. D. N. Papæ N. et tibi Patri, quod meum fideliter exercebo officium in omnibus, et per omnia. Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia. » Sic tradit Peyrin. *ad constitut.* 8 *S. Pii V*, num. 9; Matthæucc., *loc. cit.*, num. 35. Prælatus autem, recepto a notario tali juramento, tradit ei calamum et atramentum dicens : « Accipe potestatem notificandi et intimandi pro ista provincia quibuscunque personis, etiam regibus mandata, indulta ac privilegia Apostolica juxta privilegia ordinis concessa, faciendique publicos actus et instrumenta, etc., in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen. »

(22. Testimoniales postea creationis in notarium poterunt dari sub his terminis : « Nos Frater N. Minister provincialis, (si creatio fit a generali, varietur nomen) vigore privilegiorum Apostolicorum, creavimus, et constituimus, ac deputavimus in notarium pro hac nostra provincia R. P. F. N. virum moribus probatum, fide et virtute idoneum ad intimanda, et notificanda quæcunque indulta, etc., facienda quæcunque instrumenta, et authenticanda transumpta, etc., recepto prius ab eo coram nobis genuflexo corporali juramento fidelitatis, tactis sacris Evangeliis coram infrascribendis testibus. In quorum, etc. Dat., etc. » Deinde fiant subscriptiones, et juxta hanc formulam, variatis variandis, dari poterunt litteræ patentales. Sic apud Matthæucc., *loc. cit.*, n. 35 ad 37.

(23. Inquisitores hæreticæ pravitatis possunt creare clericos sæculares et regulares

Digitized by Google

in notarios sanctæ Inquisitionis pro causis ad eam spectantibus. Alexander IV, const. 22, incipient. *Ne commissæ*. (24. Notarii omnes omnia gratis pro officio S. Inquisitionis expedire tenentur. Clemens VIII, constit. incip. *Sanctissimus*.

(25. Clerici tum sæculares, tum regulares, an et quando et pro quibus possint esse notarii vel non? *Vide* verb. CLERICUS, art. 3, n. 64.

(26. Notarii seu tabelliones in pluribus peccant. 1° Si sine sufficienti peritia suscipiant officium. 2° Si juramentum violent. 3° Si in depositione testium aliquid notabile, et momentosum addant, vel detrahant. 4° Si ministro transcriptori (cum erroris periculo) examen committant. 5° Si protocolla, et acta negligenter custodiant cum damno partium. 6° Si differant causarum expeditionem, ut pecuniam extorqueant. 7° Si testamentum scribant hominis ratione destituti. 8° Si testes falsos admittant. 9° Si solemnitates necessarias ex ignorantia culpabili, vel malitia prætermittant. 10° Si testimonium aliquod necessarium unius rogatu, et alterius damno non exhibeant. Si conficiant instrumentum usurarium, vel falsum, præsertim in damnum tertii. Si faciant, ut processus et causæ veniant ad alios judices, vel referentes, etc. quam ordo illius tribunalis postulat, quia multum interest habere hunc, vel illum judicem. 11° Si secretum violent v. gr. aperiendo parti adversæ dicta testium ante eorum publicationem. 12° Si parti petenti instrumenta occultent, præsertim, quæ continent legata. 13° Si acta occultent, vel parti petenti transumptum processus negent. 14° Peccant graviter, si, amisso instrumento antiquo publico, vel testamento, aliud simile confingant. Sic litteraliter Busemb., lib. IV, cap. 3, art. 4, dub. 4, n. 4, et concordant alii communiter.

(27. Notariatus officium esse vile multi doctores tenuerunt, et multis annis fuit administratum per servos publicos, donec prohibitum fuit; unde notarii appellati fuerunt ab aliquibus personæ viles, et abjectæ. Rota, par. I *Recent. decis.*, dec. 504, num. 3; Fagnan., in cap. *Sicut te*, 8. Ne clerici vel monachi, num. 14, cum aliis ibi citatis. (28. Contrarium tamen alii sentiunt, et sustinent notariatum esse officium nobile. Rota, part. I, *Recent. dec.*, dec. 297, n. 4, et dec. 504, n. 4, et part. VII, dec. 258, n. 6. (29. Unde attendendam esse loci consuetudinem, et quoslibet notarios esse nobiles, quando loci consuetudo eos non reputat viles, censuit Rota, part. *Recent. dec.*, dec. 504, num. 6. (30. Talis autem consuetudo viget in civitatibus ditionis Mediolanensis ubi notarii admittuntur ad decurionatus et collegia, atque ad alios honores. Rota, part. I *Recent. dec.*, dec. 297, n. 5, et dec. 504, n. 6 et seqq. (31. Quod etiam procedit in civitate Veronæ. Rota part. XIII *Recent. dec.*, dec. 213, num. 13. (32. Dicta tamen consuetudo non videtur posse extendi extra locum, aut civitatem, nec ad diversos honores. Rota, part. I *Recent. dec.*, dec. 297, num. 6, et dec. 504, num. 7. (33. Ideoque non venit admittenda ad effectum assumendi habitum religionis Hieroselymitanæ. Rota, *ibid.* (34. Intellige tamen, nisi aliunde probetur nobilitas secundum statuta ejusdem religionis, quo casu officium notariatus non derogat. Rota, *ibid.*, et n. 8, et par. XIII, dec. 213, n. 12.

(35. Notario sibi obviam venienti Carolus V caput inclinavit, asserens posse illum renuntiationem sui imperii rogare, testibus Cotta, in *Memorabil.*, verb. *Notarius;* Fontanell., *De pact. nupt.*, claus. 5, gloss. 10, part. 1, n. 65; Arbusc., in suis *Facibus*, fol. 75, n. 50, et Ursaya, in *Miscellan. sacro et profano*, litt. *N*, n. 16.

(36. Notariatus Apostolicus conceditur quibuscunque etiam non nobilibus graduatis, neque constitutis in aliqua dignitate. Taxa cum Agentia sunt 4 scuta 50 bajocchi. Romæ petitur hoc modo : « Petitur notariatus Apostolicus pro N. N. diœcesis N. presbytero, vel canonico, etc. »

(37. Protonotariatus Apostolicus, ut impetretur a Papa, debet persona pro qua petitur aut esse nobilis, aut graduata in aliqua scientia theologica, juridica, aut philosophica, vel esse in dignitate aliqua ecclesiastica. Taxa sunt 24 scuta. Ejusmodi protonotariatum dat etiam dux Sforzia, aut alius. Taxa apud hunc sunt 6 aut 7 scuta, et 50 bajocchi. Modus petendi est iste : Petitur protonotariatus Pontificius (vel ducis Sforziæ) pro N. N. diœcesis N. canonico ibidem, vel nobili, vel magistro philosophiæ, etc. Sic tradit La Croix, lib. VI, part. III, sub n. 931.

(38. Protonotarii, an et quando exempti sint a jurisdictione ordinarii, et quibus privilegiis gaudeant? *Vide* verb. PROTONOTARIUS.

(39. Notarii totius status Mediolanensis juxta ordines regis catholici ad decretum renovatum sub die 22 Julii 1679 et mandato excellentissimi illius gubernatoris denuo promulgatum sub die 18 Augusti 1695 in omnibus testamentis, ac illis ultimis voluntatibus, de quibus rogati fuerint, tenentur serio admonere, et exhortari testatores, ut aliquam legent seu relinquant eleemosynam pro conservatione, et manutentione sanctorum nostræ redemptionis locorum Jerusalem. (40. Et notarii totius ditionis regis Sardiniæ, ut ex ejus regiis constitutionibus tit. *De notariis*, cap. 5, n. 2, jubentur similiter serio admonere, et exhortari dictos testatores, ut aliquam legent eleemosynam hospitalibus congregationum charitatis loci, aut provinciæ, ubi reperientur, ac hospitali SS. Mauritii et Lazari. (41. Et ipsi, aliique omnes notarii, sub pœna excommunicationis intra tempus supra n. 4, 5, 8 et 10 assignatum, tenentur revelare episcopo, seu aliis ad id deputatis, dicta, aliaque omnia pia legata.

(42. Sicuti etiam sub eadem excommunicationis pœna revelare tenentur intra duos menses a die rogationis, aut obitus testatoris omnia relicta pro redemptione captivorum,

Digitized by Google

ex constitutione Clementis VII incip. *Exponi.*

(43. Notarii exsequentes litteras Apostolicas offendi prohibentur, sub pœna excommunicationis in bulla Cœnæ. Benedict. XIV, tom. I, constitut. 14, incip. *Pastoralis*, § 13. (44. Notarii expedientes inhibitiones vigore appellationis in casibus non permissis, infamiam, et inhabilitationem incurrunt et pœnas pecuniarias. Idem const. 48, incip. *Ad militantis*, § 40. (45. Item expedientes monitoria in causis ultra montes absque speciali judicis rescripto. Idem, *ibid.*, § 47.

(46. Item recusantes exsequi citationes, et mandata Sedis Apostolicæ, et curiæ Romanæ, vel alias exsecutiones impedientes. Idem, constit. 42, incip. *Pastoralis regimin.*, § 8.

(47. Notarii, quorum opera, et scientia Judæi conversi libellum repudii dederint conjugibus in Judaismo remanentibus, puniantur pœnis pecuniariis, et etiam aliis. Idem, tom. II, constit. 38, incip. *Apostolici ministerii.*

(48. Terminus mensis a concil. Trident., sess. 24, c. 20, vers. *Præterea*, præfixus notario suffraganei ad dandum acta, potest a metropolitano abbreviari. S. congreg. Concil. *in Castren.* 31 Augusti 1605, apud Nicol., *in Lucubrat.*, tom. II, lib. II, tit. 28, n. 82, et apud Joann. Baptistam Pittonum *Constitut. et decision. ad episcopos*, tom. I, n. 635.

(49. Non potest episcopus præcipere, ut Judices synodales in causis sibi delegatis uti tantum debeant opera notariorum curiæ episcopalis. Sac. cong. Concil. *in Pistorien.* 13 Novembr. 1627, apud Nicol., in *Floscul.* verb. *Judex*, n. 25, et in *Lucubrat.*, t. II, lib. I, tit. 29, n. 13, et apud Pittonum, *loc. cit.* n. 982.

(51. Instrumentum depositi rogari potest a quolibet notario ad arbitrium monialium, dummodo exhibeatur copia authentica in cancella episcopali. Sacr. congreg. Episcopor. *in Aquilana* 8 Novembr. 1612. *Vid. supra* verb. MONIALES, artic. 2, num. 21 et 22.

(51. Notarius exsul ab urbe ob defectus in officio commissos, non debet admitti in tribunalibus ordinariorum. Sac. congr. Episc. *in Interamnen.* 6 Septembr. 1613, apud Nicol. in *Floscul.*, verb. *Notarius*, n. 18, et apud Pittonum, *loc. cit.*, in. 133.

(52. Non potest episcopus prohibere, ne cæteri notarii, præter solum cancellarium episcopalem possint rogari de instrumentis, quæ commodum locorum piorum concernunt. Sac. congr. Immunit., *in Tudertina* 20 Decemb. 1667, apud Pascuc., in *Compend. ad consulat.*; Pignatell., part. I, tit. *De immunitat. eccles.* pag. 442, et apud Pittonum, *loc. cit.*, n. 1588.

(53. Notarius episcopi non potest assistere simul cum eo electioni abbatissæ in monasteriis subjectis regularibus, nec, durante scrutinio, permanere intra ecclesiam : Sacr. congreg. Conc. *in Tiburtina* 26 April. 1727, ad 2 et 3 dub. *Vid.* tom. III, verb. ELECTIO, art. 4, n. 100.

(54. Notario curiæ episcopalis non tenentur uti conservatores regularium, sed possunt assumere quemcunque sibi bene visum. Sac. cong. Concil. *in Ferentina* 17 Decemb. 1667. *Vid.* tom. II, verb. CONSERVATORES, artic. 2, n. 22.

(55. Notarius, seu cancellarius curiæ episcopalis non debet admitti ad conscribendum actum electionis abbatissæ monasterii subjecti regularibus, seu notarius, seu secretarius superioris regularis tantum. Sacr. congr. Concil. *in Wormatien.* 17 Septembr. 1746, ad 3 dub.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(56. De attestatione notarii circa rasuram instrumenti non inutile est hic agere.

Rasura instrumenti regulariter suspectum illud reddit. At, si notarius attestetur se fecisse illam abrasionem, cancellationem, et interlineationem, cessat suspicio. Borel, consil. 22, n. 21 ; Stryk., *Juridic. dissert.*, vol. I, disput. 6, cap. 3, n. 1.

(57. Nota vero, notarium attestationem hanc facere debere *incontinenti*, et ante appositionem signi, non post subscriptionem, nec in margine, quia tunc die, et testibus careret, sed in fine et in corpore instrumenti, quando scilicet illi subscribit, illudque publicat. Stryk., *ubi supra*, num. 2.

(58. Quæstionis vero est, num sufficiat generalis attestatio notarii, an vero opus sit, ut accedat specialis? (59. Placuit autem hæc distinctio, ut si plures in instrumento reperiantur rasuræ, generalis attestatio haud sufficiat, sed exprimi in specie debeat locus particularis factæ rasuræ, cancellationis, vel additionis, in qua videlicet sit linea, in quo verbo. (60. Sin autem unica tantum in scriptura sit rasura, vel cancellatio, satis superque sit generalis notarii attestatio.

(61. Quinimo non desunt qui tenent eam satis esse, si duobus in locis ejusdem instrumenti facta sit rasura. Stryk., *loc. cit.*, num. 4.

(62. De eo etiam hic agendum, an et quando notarius possit corrigere errorem? Porro ex intervallo postquam dedit instrumentum partibus, nequit notarius errorem corrigere propria auctoritate sine judicis mandato, maxime si ipsæ partes contradicant; idque quia functus jam est officio suo : incontinenti vero posse, non dubitatur. Sed dubium est quando dicatur corrigere incontinenti. (63. Hoc enim in jure sumitur, interdum pro sex diebus, interdum pro tribus, et interdum pro momento. Stryk., *eod. loc.*, n. 2 et 3. Confer. et Bartol, in leg. *Imperator*, ff. *De stat. homin.*, qui latius an et quando notarius errorem corrigere valeat discutit.

(64. Nec incongrue paucis hic disserendum de instrumentis confectis a notario falsi damnato. Juris autem est compertissimi, notarium post condemnationem nequire conficere instrumenta, et confecta nihil valere, licet facta ad pias causas.

Digitized by Google

Stryk., *loc. cit.*, cap. 5, n. 7; Farinac., *De falsitat.*, quæst. 155, n. 4.

(65. Limitat vero Stryk. conclusionem hanc pluribus in casibus : « Nisi (inquit loco allegato) condemnatio de falso fuerit facta per sententiam publice lectam, sed occulte, et secrete, etc. et nisi extra officium notariatus commiserit falsitatem, etc. vel perfecit si non privatus exercitio Tabellionatus, etc., vel tantum quoad certam speciem ipsi prohibitum exercitium notariatus E. G. in palatio, vel in gabella, etc., vel nisi porro conficiatur inter volentes instrumentum, etc., vel si per principem ad honores, et famam restituatur. »

(66. Illud haud est omittendum, quod notarius instrumentum, quod ante condemnationem celebravit, et nondum publicavit, post condemnationem potest publicare. Stryk.

NOTORIUM.

SUMMARIUM.

1. Notorium quid sit? — 2. Notorium quare dictum? — 3. Manifestum prout distinguitur a notorio, quid sit? — 4. Publicum quid sit, et quando differat a manifesto? — 5. Manifestum quomodo differat a famoso, et rumore? — 6. Fama est duplex, scilicet fama de homine, et fama inter homines, et quæ sit utraque? — 7. Rumor quid sit? — 8. Assignatur differentia inter famam et rumorem? — 9. Rumor est quid minus, quam fama. — 10. Similiter publicum est quid minus, quam manifestum. — 11. Item manifestum est quid minus, quam notorium. — 12. Occultum est duplex, scilicet proprie occultum, et pene occultum, et quid sit utrumque. — 13. Notorium est triplex, scilicet notorium juris, notorium facti, et notorium præsumptionis. — 14. Notorium juris quid sit? — 15. Notorium facti quid sit? — 16. Notorium præsumptionis quid sit? — 17. Notorium facti adhuc est triplex, scilicet notorium facti permanentis, notorium facti transeuntis, et notorium facti interpolati. — 18. Notorium facti permanentis quid sit? — 19. Notorium facti transeuntis quid sit? — 20. Notorium facti interpolati quid sit? — 21. Ad hoc, ut aliquod factum dicatur vere, et propria notorium notoritate facti, sufficit esse factum in præsentia majoris partis populi, seu communitatis, dummodo in tali communitate non sint pauciores homines, quam decem. — 22. Quot requirantur ad constituendum collegium, universitatem, congregationem, familiam, parochiam, turbam, et hujusmodi, *remissive*. — 23. Ad hoc autem, ut aliquod factum dicatur notorium *notorietate facti*, non requiritur quod sit factum in præsentia majoris partis populi, quando populus in aliquo loco, vel civitate est valde numerosus, sed sufficit, quod sit factum in præsentia majoris partis viciniæ, parochiæ, collegii, aut communitatis; respectu cujus dicitur notorium, et in similibus casibus spectat ad discretum judicem declarare, an tale factum sit notorium, vel non. — 24. In factis vere notoriis potest judex procedere non servato juris ordine, et ea absque alia probatione punire. — 25. Unde ad punienda delicta notoria non requiritur accusator, vel denuntiator, nec libellus, sed potest judex absque his ex officio procedere contra notorie delinquentem. — 26. Nec requiritur productio, aut examinatio testium. — 27. In veris notoriis nulla datur appellatio.

(1. Notorium est jus, vel factum transiens in notionem omnium, vel majoris partis eorum. Est in re communis apud Fagnan., in capit. *Vestra* 7, de cohabit. clericor., num. 68 et colligitur aperte ex cap. *Quæsitum est*, 10, de cohabit. clericorum, ibi : « Notorium per sententiam seu confessionem factam in jure, aut per evidentiam rei, quæ tergiversatione aliqua celari non possit, » et concordat cap. *Cum olim* 25, De verb. significatione. (2. Dicitur autem notorium, quia transit in cognitionem omnium, ut ex Sanceto notat Fagnanus *loc. cit.*; nam per majorem partem totus populus repræsentatur, l. *Nulli* 3, l. *Plane* 4, ff. *De regul. juris*, ibi : « Refertur ad universos, quod publice fit per majorem partem. »

(3. Manifestum autem prout distinguitur a notorio, « est publica seu famosa insinuatio, vel proclamatio ex certa scientia, et certis auctoribus proveniens. » Ita in re communis apud Fagnan. *loc. cit.*, num. 55. Dicitur famosa insinuatio, vel proclamatio, quia, ut quid vere dicatur *manifestum*, debet concurrere fama cum veritate. (4. Et ex hoc patet differentia inter *publicum* et *manifestum*, quod scilicet illud dicatur publicum, quod est factum præsentibus multis, sed non est famosum; manifestum vero, quod secum habet famam : arg. cap. 1, *De postulat. prælator.*; Fagnanus, *loc. cit.*, num. 56, et alii. Dicitur ex certa scientia, et certis auctoribus proveniens, ut sic pateat sua differentia a famoso et rumore : nam *fama* non requirit certam scientiam, sed provenit ex sola suspicione. (5. Nec *rumor* requirit certum auctorem, sed provenit ex incerto auctore, ut patet ex suis definitionibus mox dandis. Manifestum autem certam requirit scientiam, et certos auctores, qui per certam cognitionem habitam medio sensu corporeo verum testimonium dare possint. Fagn. *loc. cit.*, n. 63; Butrius, et alii ibi citati.

(6. Fama est duplex, scilicet, fama de homine, et fama inter homines. Fama de homine, scilicet bona, « est illæsæ dignitatis status, vita, et moribus comprobatus; » l. *Cognitionum* 5, § 1, *De extraordinariis cognitionib.*, prout originaliter descripsit Gloss. in cap. *Infames*, verb. *Infamia* 3, qu. 47. Fama inter homines, de qua ad præsens, « est publica, seu famosa, et communis insinuatio, vel proclamatio ex sola suspicione, et certo auctore proveniens. » Ita in re communis apud Fagnan. *loc. cit.* num. 38, per text., in cap. *Sicut nonnulli*, dist. 46, et c. *Sanctum*, in fine, De consecrat., dist. 4; cap. *Cum insinuante*, De purgation. Canonic.

(7. Rumor est « particularis insinuatio, vel proclamatio ex sola suspicione, et incerto auctore proveniens. » Ita in re communis, apud Fagnan, *loc. cit.*, num. 44., per text. in cap. *Super eo* 5, De eo qui cognovit consanguin. uxoris suæ; cap. *Ostius*, De

Digitized by Google

election., et cap. *Veniens*, circa princip., De regular.

(8. Unde patet in quo differant fama et rumor : fama enim a certo auctore procedit, et rumor ab incerto, et insuper fama est majoris partis viciniæ; rumor vero minoris partis, ut tertiæ, vel quartæ partis. Fagnan., *l. cit.*, n. 44, cum aliis ibi citatis. (9. Et sic rumor est quid minus, quam fama. *Gloss.*, in cap. *Super eo* 5, De eo qui cognovit consanguin. uxoris suæ; Abbas, in cap. *Vestra* 7., De cohabitat. clericor. et mulierum, num. 12 in fine, vers. *Rumor vero;* Fagnan., *ibid.*, num. 44, et alii.

(10. Similiter publicum est quid minus, quam manifestum, cum ad manifestum requiratur fama, non vero ad publicum, et omne, quod est manifestum, sit etiam publicum, sed non econtra; arg. cap. 1, de postulat. prælator.; Fagnan., *loc. cit.*, n. 56. Butrius et alii. (11. Item manifestum, proprie loquendo, est quid minus, quam notorium : omne enim, quod est notorium, est etiam manifestum, sed non econtra, arg. cap. *De hoc* 13, De Simonia; Abbas, *loc. cit.*, num. 12; Fagnan., *loc. cit.*, num, 54, et alii.

(12. Occultum quamvis varie sumatur, præcipue tamen duplici modo aliquid dicitur occultum, scilicet proprie occultum et pene occultum. Proprie occultum dicitur illud, quod nulla ratione probari potest. Fagnan., *loc. cit.*, num. 45, ubi testatur de communi, arg. capit. unico, *Ut beneficia ecclesiastica sine diminutione conferantur*. Pene, vel quasi occultum est, quod probari quidem potest sed solum difficulter, et per paucos v. g. per duos, vel tres, aut quinque. Nam secretum adhuc dicitur etiam illud, quod fit in præsentia quinque personarum, antequam judicialiter sit discussum, c. *Quis aliquando* 87; De pœnit., dist. 1, § *Hæc ergo secreta*, verb. *Filiam archisynagogi*, et notat ibi Gloss., verb. *Secreta*, observans, « esse secreta, quæ fiunt sub præsentia quinque personarum; » et ideo donec clare fiat fides in judicio, ab Ecclesia toleratur, cap. *Vestra* 7, De cohabitat. clericor. et mulierum, ibi : « Aliud est pene occultum, quod ab Ecclesia toleratur,» et *Glossa, ibid.*, verb. *Occultum*, ibi : « Tandiu reputatur occultum, licet plures sciant, quandiu ab Ecclesia toleratur, » utpote ad judicium nondum deductum.

13. Notorium est triplex, scilicet notorium juris, notorium facti, et notorium præsumptionis : Glossa communiter recepta in cit. c. *Vestra*, verb. *Notorium*. 14. Notorium juris est, de quo aliquis in Judicio condemnatus, aut in jure confessus est. Ita in re communis per textum in cap. *Quæsitum est* 10, De cohabitat clericor. et mulierum, ibi; « Notorium per sententiam, seu per confessionem factam in jure. » (16. Notorium facti est factum ita evidenter exhibitum conspectui hominum, ut nulla possit tergiversatione celari. Ita in re communis, per textum in cit. cap. *Quæsitum*, ibi : « Aut per evidentiam rei, quæ tergiversatione aliqua celari non possit; » et c. *Cum olim* 24, De verb. signif., ibi : « Aut evidentia rei, quæ nulla possit tergiversatione celari. » (16. Notorium præsumptionis, seu notorium præsumptum, est dictum, vel factum ex publicis circumstantiis a jure pro veritate acceptum, seu est evidentia juris vehementer præsumpta. Ita in re communis apud Fagn., *l. c.*, n. 84 et seq. Exempla notoriæ præsumptionis sunt paternitas et filiatio; nam quod aliquis sit alterius pater, vel filius, non potest vere probari, l. *Lucianus* 83, ff. *De conditionibus et demonstrationibus*. Sed jus præsumit vehementer esse filium, qui natus est de nuptiis, l. *Filium* 6, ff. *De his qui sui vel alieni juris sunt*, ibi : « Filium enim definimus, qui ex viro, et uxore ejus nascitur; » et concordat l. *Quia* 5, *De in jus vocando*, ibi : « Pater vero is est quem nuptiæ demonstrant. » Vel quia publice pro filio habitus, et nominatus, atque altus fuit. Glossa communiter recepta in cap. *Michael* 13, De filiis presbyterorum, verb. *Constiterit*. Idem solet exemplificari in infamato, cui indicta est purgatio canonica, et deficit, tunc enim is præsumitur esse reus criminis : cap. *Tua* 8, De cohabitat. cleric. et mulier., cap. *Insinuatum* 23, De Simonia; Fagnan., *loc cit.*, n. 86, et alii.

(17. Notorium facti adhuc est triplex, sicut et factum, scil. notorium facti permanentis, notorium facti transeuntis, et notorium facti interpolati : *Glossa* communiter recepta in cap. *Manifesta* 15, caus. 2, quæst. 1; Fagnan., *loc. cit.*, n. 78, et alii passim. (18. Notorium facti permanentis est, quod continuo sic se exhibet conspectui hominum, ut nulla possit tergiversatione celari, unde non indiget aliqua probatione, nisi inspectione oculari. Exemplum est de eo, qui detinet in domo, mensa, et lecto concubinam, omnibus scientibus, et videntibus filios natos, et nascentes, qui reddunt notoriam incontinentiam continuam; arg. cap. *Priusquam*, dist. 29; cap. *Proposuisti*, dist. 82, cap. *Consuluit* 14, De appellationibus, cap. *Tua* 8, De cohabitat. clericor. et mulierum; l. *Si vicinis* 9; cod. *De nuptiis*, cum similibus; Fagnan., *loc. cit.*, n. 79 et seq., cum aliis ibi citatis. (19. Notorium facti transeuntis est, quod transeunter sic se exhibet conspectui hominum, ut nulla possit tergiversatione celari, ut cum quis in publica platea, seu via in conspectu totius populi aliquem occidit, et hujusmodi. Cap. *Deus omnipotens* 20, § *Quando autem*, caus. 82, quæst. 1; Fagnan., *loc. cit.*, n. 2, et alii passim. (20. Notorium facti interpolati est, quod non continuo, sed sæpius per intervalla, seu interpolate sic se exhibet conspectui hominum, ut nulla possit tergiversatione celari, ut patet de usurario publico, qui non continuo, sed interpolate mutuat ad usuras. Cap. *Cum tu* 5, De usuris; et sic de meretrice notoria, quæ non peccat continuo, sed interpolatim et de similibus. (21. Et hujusmodi notorium facti interpolati, sicuti et notorium facti transeuntis cum non habeat facti permanentiam, si subesse negetur, indiget probatione., arg. cap. *Consuluit*

Digitized by Google

14, De appellat., ubi notatur quod multa dicuntur notoria, quæ talia non sunt, adeoque ubi negentur, probari debent.

(22. Ad hoc, ut aliquod factum dicatur vere et proprie notorium notorietate facti, sufficit esse factum in præsentia majoris partis populi, viciniæ, parochiæ, collegii, communitatis, etc. dummodo tamen in tali communitate non sint pauciores homines, quam decem. Quia decem constituunt populum; arg. cap. unic. 3, caus. 10, q. 3; Glossa, *ibidem*, *verb.* Mancipia, et jam fuit dictum sub verb. Collegium, a num. 5 ad 17 ubi fuit assignatum quot requirantur ad constituendum collegium, universitatem, congregationem, familiam, parochiam, populum, Turbam, etc., adeoque, cum excitatis juribus *supra*, n. 2, per majorem partem totus populus repræsentetur, id quod fit coram majori parte communitatis, coram omnibus ejusdem, et sic *notorie*, fieri censetur. Abbas, in cap. *Vestra* 7, De cohabitat. cleric. et mulierum, n. 16; Silvester, verb. *Notorium*, qu. 4; Navarr., in *Manual.*, cap. 27, n. 55; Salicet., in l. *Ea quidem* 7, cod. *De accusation.*, n. 58, et alii passim, arg. cap. *De manifesta* 16, caus. 2; quæst. 1, et *Glossa ibidem*, verb. *Plurimis*.

(23. Ad hoc autem, ut aliquid factum dicatur notorium *notorietate facti*, non requiritur, quod sit factum in præsentia majoris partis populi, quando populus in aliquo loco, vel civitate est valde numerosus, quia nemo audebit dicere, quod in civitate 600 mille hominum, ad hoc, ut aliquod factum dicatur notorium, requiratur quod sit factum in præsentia 300 mille hominum, sed sufficit, quod sit factum in præsentia majoris partis viciniæ, parochiæ, collegii, aut communitatis, respectu cujus dicitur *notorium*; et in similibus spectat ad prudentem, et discretum judicem declarare ex circumstantiis, et qualitate actus, loci, temporis, et personarum, an tale factum sit notorium, vel non, cum circa hoc nihil habeatur in Jure definitum; arg. l. 1, § 2, *De jure deliberand.*; l. *Continuis* 137, ff. *De verbor. obligat.*, et cap. *De causis* 5, De offic. delegati. Sic Abbas, in cit. cap. *Vestra*, n. 16; Fagnan., *ibidem*, n. 92, cum pluribus ibi citatis, Reiffenstuel, lib. v *Secr.*, tit. 1, a num. 250, et alii.

(24. In factis vere notoriis potest judex procedere, non servato juris ordine, et ea absque alia probatione punire. *Communis*, per clarissimos textus in cap. *Prohibentur* 14, § *His omnibus caus.* 2, qu. 1, ibi : « Quæ manifesta (id est notoria) sunt, judiciarium ordinem non requirunt, » cap. *Quæ Lotharius* 16, ead. caus. 2, quæst. 1, ibi : « In talibus (scilicet notoriis) judiciarius ordo non requiritur; cap. *Super eo* 3, De testibus cogendis, ibi : « Si factum est notorium, non eget testium depositionibus declarari, cum talia probationem, vel ordinem judiciarium non requirant. »

(25. Unde ad punienda delicta notoria non requiritur accusator, denuntiator, nec libellus, sed potest judex absque his ex officio procedere contra notorie delinquentem. *Communis* textu expresso in c. *Evidentia* 9, De accusationibus, ibi : « Evidentia patrati sceleris non indiget clamore accusatoris; » cap. *Manifesta* 15, caus. 2, q. 1, ibi : « Manifesta accusatione non indigent. » Clementin. *Sæpe* 2, De verb. significat., verb. *Nos autem*, cum similibus. (26. Nec requiritur productio, aut examinatio testium; *Communis*, textu expresso in cap. *De manifesta* 17, caus. 2, qu. 1, ibi : « De manifesta et nota pluribus causa, non sunt quærendi testes; » cap. *Super eo* 3, De testibus cogendis, ibi : « Si factum est notorium, non eget testium depositionibus declarari. » Cum enim judex jam certus sit ex facto vere notorio, non indiget per testes ulterius certiorari, arg. cap. *Eum qui* 31, De regul. juris, in 6, ibi : « Eum, qui certus est, certiorari ulterius non oportet. »

(27. In vere notoriis nulla datur appellatio : et si appelletur, potest judex procedere ad exsecutionem pœnæ, non obstante tali appellatione. *Communis*, textu expresso in cap. *Cum sit Romana* 5, De appellationibus, ibi : « Qui de crimine impetitur, appellare potest, nisi sit notorium; » cap. *Pervenit* 13, tit. eod., ibi : « Si vero publicus est, et notorius, appellationis obtentu, non prætermittas, quin eos excommunicatos denunties, ipsosque facias, sicut excommunicatos, cautius evitari, » et concordant cap. *Consuluit* 14, et cap. *Proposuit* 24, tit. eodem.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(28. Recte ait *Gloss.* in c. *Manifesta*, caus. 2, qu. 1, « quotidie de notorio loquimur, quid autem sit ignoramus. »

(29. Non male autem describitur notorium : « id, quod omnibus, vel plerisque, ita manifestum, evidens, publicum, cognitumque est, ut nullo modo a quovis in dubium vocari possit, sed de quo omnes, vel plerique certam notitiam, et indubitatam fidem habent.

(30. Itaque *manifestum*, *evidens*, *notum*, *et cognitum* esse, per se non facit *notorium*, nisi item sit et *omnibus*, vel *plerisque* manifestum, evidens, notum cognitumque, *ut nihil amplius dubii remaneat.*

(31. Patet autem hinc, non omne *manifestum* esse *notorium*. Potest enim quid esse *manifestum*, quod tamen non omnibus, vel plerisque notum sit, et ita nec *notorium*. Idemque dici potest de *evidenti*. Quinimo nec omne *publicum* dici potest notorium. Aliquando enim dicitur publicum id de quo per famam constat. Hoc vero dici nequit notorium, quum tergiversatione, seu exceptione quadam possit celari, et elidi.

(32. Utile autem est hæc observasse; nam ex confusione *notorii*, cum *manifesto*, *evidenti*, *et publico* nonnulli errores nati sunt. Huc pertinet, quod dicitur communiter, *acta judicii facere notorium*. (33. Quot, quæso, negotia et lites paraguntur, et deciduntur in judicio, quæ tamen in paucissimorum hominum notitiam veniunt? Per-

Digitized by Google

ro *notoria* hæc esse nemo, qui ob oculos habeat veram descriptionem *notorii*, affirmare potest. *Vide* et alios errores notatos a Stryk., *Juridic. dissert.*, vol. XII, disp. 4, capit. 1, § 16 et plur. seq., qui una ex justa idea notorii rejicit divisionem, quam vulgo tradunt doctores » notorii *in* notorium juris, *et* notorium facti, *et* notorii juris *in* notorium dispositionis, notorium præsumptionis, *et* notorium probationis. »

(34. De notorio, an, et quomodo probationem in judicio admittere possit, necne, *vide* Stryk., *ubi sup.*, cap. 2, per tot.

(35. Effectus notorii plures vulgo tradi solent. Prior est, quod « in notoriis juris ordo non sit servandus. » At effectum hunc aliqui admittunt tantum in criminalibus, non item in civilibus. Sunt qui et in criminalibus hunc ipsum effectum admittunt, si agatur de « notorio facti permanentis, » nequaquam vero de « notorio facti transeuntis. »

(36. Mihi vero eorum arridet sententia, qui tenent in notorio non esse causam ordinario modo discutiendam, sed summarie absque strepitu, et figura judicii discuti omnino debere, et sic omitti haud posse essentialia processus, aliqualem scilicet citationem, responsionem rei, demonstrationem rei, et sententiam. Et hoc intellexit Summus Pontifex dum in cap. 2, *De jurejurando*, inquit, « ordinem judiciarium non esse observandum » in notorio, ut observant Gonzalez, *ibidem*, n. 1; Stryk., *loc. cit.*, capit. 3, § 5 et plur. seq., qui confutat alios effectus, quos, quasi rivulos, ex hoc primo falso derivare solent DD. scilicet in « notoriis citatione opus non esse, nec libello: cessare litis contestationem : causæ cognitionem a parte judicis non esse necessariam: nulli defensioni locum esse : nullam requiri sententiam : non esse admittendam appellationem, etc.

(37. Alii *notorii* effectus tradi solent, videlicet quod « illud, tametsi non allegatum, judex ex officio supplere valeat, *quod* tollat ignorantiæ præsumptionem, *quod* aliquando possit limitare leges, statuta, et rescripta, *quod* ferri super eo possit sententia die feriata, quod sententia valeat etiam sine scriptura. » At consule de iis animadversationes Strik. *eodem loco*, cap. 4, a § 24 ad finem.

Confer etiam, ubi de notorio disserere occurrit, dissertationes Strauch., Eberhard. et Orthii.

NOVITIATUS, NOVITIUS, NOVITIA.

SUMMARIUM.

1. Novitiatus annus ad quid institutus? — 2. Novitiatus annus quando incipiat? — 3. Alia plurima quoad novitiatus annum, *remissive*. — 4. Novitiatus de licentia superioris, et ex justa causa, potest fieri partim in uno conventu designato, et partim in alio item designato. — 5. Novitios ad habitum recipere de jure communi pertinet ad prælatum et conventum simul. — 6. Regulariter tamen debet attendi constitutiones, consuetudines et privilegia cujuscunque religionis pro receptione suorum respective novitiorum. — 7. Si novitius in aliqua religione recipiatur a non habente auctoritatem secundum suas peculiares leges, seu constitutiones, talis receptio est nulla; et ipse novitius potest a superioribus spoliari, et a religione dimitti. — 8. Novitii in ordine Fratrum minorum de observantia quomodo ad professionem debeant admitti? — 9. In paritate votorum debent vota ferri usque ad tertiam vicem, et si semper fuerint paria, debet novitius expelli absque ulteriori computatione, nisi aliter in Domino censuerit P. provincialis, qui in hoc votum decisivum ferre, vel aliam computationem imponere potest. — 10. Religiosi consentientes, et concurrentes ad expulsionem novitii habilis per denegationem suffragii absque legitima causa, peccant mortaliter, sicuti etiam mortaliter peccant, si admittant per sua favorabilia suffragia ad religionem novitios certo cognitos inhabiles. — 11. Novitii non tenentur ad statuta et præcepta regulæ ex debito justitiæ. — 12. Tenentur tamen ad ea ex quadam decentia. — 13. Novitii non subjiciuntur casibus reservatis a superioribus suæ religionis, nec casibus reservatis ab episcopo loci, unde non possunt innodari censuris nec ab episcopo, nec a superiore religionis. — 14. Hinc novitii possunt sine alia licentia absolvi a quolibet confessario approbato pro fratribus sine expressa exclusione novitiorum. — 15. Insuper novitii absque licentia prælatorum ordinis possunt valide confiteri, et absolvi a peccatis etiam in religione reservatis per quemcunque confessarium, sive sæcularem, sive regularem ab ordinario loci pro sæcularibus approbatum. — 16. Novitii, seu sæculares nondum induti, de brevi tamen induendi, et jam in novitiatum admissi; possunt a confessariis etiam a solo prælato regulari approbatis absolvi ab omni excommunicatione et censura etiam ab homine generaliter lata. — 17. Imo, si dicti juvenes, dum sic sunt in monasterio, infirmentur, possunt omnia sacramenta recipere a regularibus dicti monasterii; et, si decedant, possunt in eorum ecclesia tumulari inconsulto parocho, et quarta funeris non soluta. — 18. Novitii et novitiæ in articulo mortis existentes, etiam anno novitiatus non completo, si sint in ætate legitima, possunt professionem emittere. — 19. Si tamen hujusmodi novitii et novitiæ convaluerint, debent, suo novitiatus tempore completo, iterum profiteri. — 20. Novitii et novitiæ gaudent omnibus privilegiis suæ respectivæ religionis, adeoque gaudent etiam privilegio fori et canonis. — 21. Insuper specialiter lucrantur indulgentiam plenariam diebus suæ vestitionis et professionis. — 22. Novitii soli de more recitantes in choro horas canonicas satisfaciunt præcepto loco professorum. — 23. Beneficium clerici ingredientis religionem non potest ab episcopo alteri conferri infra annum novitiatus ipsius. — 24. Et interim, durante tempore novitiatus, per alium beneficii functiones, et sacra præstari debent, assignata ei congrua sustentatione ex redditibus ipsius beneficii. — 25. Talis congrua quantitas determinari debet ab episcopo loci. — 26. Residui autem fructus reservandi sunt, atque restituendi novitio tanquam vero beneficiato, si exeat. — 27. Si vero novitius beneficiatus professionem emittat, restituendi sunt monasterio. — 28. Si novitii beneficium habeat annexum jus eligendi, si ipse velit electioni interesse, excludi non potest. — 29. Non est tamen necessario vocandus. — 30. Novitii, ut valide renuntiationem, seu obligationem irrevocabilem faciant de suis bonis, et juribus temporalibus, ultra solemnitates juris communis, debent necessario observare alias duas specialiter statutas a concilio Tridentino, videlicet quod talis renuntiatio fiat cum licentia episcopi, et intra duos menses proximos ante professionem. — 31. Vi hujus decreti concilii Tridentini prohibeantur et irritantur omnes tam lucrativi, quam onerosi in-

Digitized by Google

er vivos contractus, quibus novitii libertas deferendi religionem possit aliqualiter impediri. — 32. Item prohibentur, et irritantur omnes donationes notabiles, seu magni momenti. — 33. Item prohibentur, et irritantur omnes remissiones debitorum notabilium. — 34. Item prohibentur, et irritantur renuntiationes, et donationes etiam jurium ad futuras hæreditates. — 35. Vi dicti decreti concilii Tridentini non prohibentur, nec irritantur testamenta, et aliæ dispositiones mortis causa factæ a novitiis. — 36. Item non prohibentur, nec irritantur illi contractus onerosi, quorum novitius tantum recipit, quantum dat. — 37. Item non prohibentur, nec irritantur renuntiationes, et obligationes, quæ fiunt ante ingressum, et absque intuitu ingressus in religionem. — 38. Item neque prohibentur, nec irritantur renuntiationes, donationes, et obligationes factæ ante ingressum religionis etiam intuitu, et causa ipsius ingressus religionis, ad n. 41. — 42. Novitii sine solemnitatibus a Tridentino requisitis possunt valide, et licite facere modicas eleemosynas et modicas donationes Deo, seu beatæ Mariæ, vel sanctis. — 43. Renuntiatio facta ad favorem Patrum Societatis Jesu per novitium inter Patres dictæ Societatis est valida, non obstante, quod non fuerit facta cum licentia episcopi. — 44. Imo novitii societatis Jesu possunt renuntiare bonis in favorem Societatis, vel cujuscunque, non servata forma concilii, nec expectato bimestri proximo ante professionem. — 45. Novitiis Societatis Jesu, qui post vota simplicia, ante tamen solemnem professionem, a dicta Societate ab ejusdem præposito generali dimittuntur, nulla ab eadem Societate debentur alimenta. — 46. Novitius habens beneficium ecclesiasticum nequit illud renuntiare, non servata solemnitate a concilio requisita. — 47. Donatio facta a novitio cum solemnitate a concilio requisita, ad hoc, ut sit firma, requiritur, ut professio sit valida. — 48. Ratificata vero professione, si illa nulliter emissa fuerit, censetur quoque renuntiatio ratificata, et valida; dummodo in ratificatione expresse non declaret nolle denuo bonis renuntiare. — 49. Novitius, si, servata solemnitate concilii, renuntiaverit legitimam, et emissa professione, sit factus episcopus; recuperat jus succedendi in dicta legitima etiam quoad renuntiata, ad favorem tamen suæ Ecclesiæ. — 50. Novitius potest revocare testamentum a se factum, sive ante, sive post ingressum religionis, et durante novitiatu aliud concedere. — 51. Novitius in testamento nihil potest sibi reservare ad effectum testandi de illo post professionem. — 52. Potest tamen novitius in suo testamento præcipere, ut aliquid ex ejus bonis etiam post suam professionem quotannis expendatur in pios usus, seu quod alicui solvatur annum legatum, vel ne quid de eis alienetur, et hujusmodi. — 53. Novitius, si ante professionem testari omittat, succedit in ejus bona, actiones et jura monasterium, si sit capax bonorum; si autem monasterium sit incapax, succedunt consanguinei ab intestato. — 54. Post professionem emissam non potest religiosus testamentum ante professionem factum revocare. — 55. Potest tamen testamentum suum ante professionem factum declarare. — 56. Monasterio nihil, excepto victu et vestitu, potest tribui a parentibus, vel propinquis, aut curatoribus novitii, ex bonis ejusdem novitii, sub pœna excommunicationis incurrendæ a dantibus, et accipientibus. — 57. Imo sub eadem pœna neque potest aliquid dari, et recipi ex bonis propriis parentum, vel consanguineorum. — 58. Unde pater nequit dare paramentum altaris religioni, ubi ejus filius est in novitiatu. — 59. Insuper neque novitius potest in ingressu aliquid donare monasterio, etiamsi sit sui juris, et non habeat parentes. — 60. Excommunicatio lata a Tridentino in dantes, et accipientes aliquid ante professionem novitii non incurritur ipso facto, nec est Sedi Apostolicæ reservata. — 61. Pacta, seu conventiones, quibus regulares utriusque sexus exigunt a parentibus novitii, seu novitiæ aliquam pecuniæ summam convivii causa tempore ejus vestitionis, vel professionis, prohibentur sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, et papæ reservatæ. — 62. An hujusmodi pacta sint etiam comprehensa in d. cap. 16 Concilii Tridentini? — 63. De hoc *remissive*. — 64. Monialibus prohibitum est dotes accipere ante professionem novitiarum etiam sub nomine depositi, quamvis præstetur cautio de illis restituendis professione non secuta. — 65. Hinc improbatur cautela, ut depositarius totum, quod in depositum recipit, monasterio consignet ante novitiarum professionem. — 66. Novitio egredienti, vel ejecto restitui debent omnia bona, quæ secum tulit, nec quid minimum ex eis retinere possunt superiores regulares, quod ut recte fiat, episcopus potest per censuras ecclesiasticas, si opus fuerit, eos ad id compellere. — 67. Imo novitio exeunte, aut decedente ante sequutam professionem, nec retineri possunt per monasterium bona ipsi donata, etiam servata solemnitate, et forma concilii. — 68. Habitus tamen religionis non est restituendus novitio, sed illius pretium. — 69. Novitius sponte, vel coacte egrediens tenetur solvere expensas in sui victum, et vestitum, et in alia necessaria, et consueta a monasterio factas, si de eorum solutione pactum intercesserit inter novitium et monasterium, aut exstet legitima consuetudo eas solvendi. — 70. Non tenetur tamen novitius solvere dictas expensas, ubi non intercesserit tale pactum, aut non exstet talis legitima consuetudo, ut in nostra religione de corpore Observantiæ et Capuccinorum. — 71. Dos novitiæ decedentis ante professionem debet hæredibus restitui una cum fructibus, deducto tamen illius victu, et vestitu. — 72. Imo hoc etiam procedit, non obstante pacto, ut si puella post annum decesserit, facta, vel non facta professione, dos monasterio acquiratur. — 73. Licentia episcopi, seu ejus vicarii requisita pro renuntiatione facienda a novitio intra duos menses proximos ante professionem debet intervenire in ipso actu renuntiationis. — 74. Episcopus confirmatus, nondum consecratus potest concedere in sua diœcesi novitio talem licentiam ad renunciandum. — 75. Archiepisc., licet pallium nondum receperit, potest hujusmodi licentiam in sua diœcesi concedere. — 76. Capitulum sede vacante, seu vicarius capitularis potest concedere eamdem licentiam. — 77. Abbates, et alii prælati habentes jurisdictionem quasi episcopalem, nullique episcopo subjecti possunt in suis diœcesibus hanc licentiam concedere. — 78. Prælati regulares non possunt hanc licentiam concedere etiam in monasteriis exemptis, et sibi subjectis. — 79. Formam laicorum statuto prescriptam nequaquam oportet servare in renuntiationibus, quæ fiunt a novitiis intra probationis annum. — 80. Non est necesse quod renuntiatio bonorum, ut sit valida, fiat a novitio integro bimestri ante professionem, sed satis est, ut fiat intra totum bimestre ante professionem, quamvis immediate ante ipsam. — 81. Bimestre hoc computandum est de momento in momentum, et secundum quod occurrit mensis in Kalendario. — 82. Renuntiatio facta a novitio per duos menses ante professionem tenet, licet ante expletum decimum sextum annum. — 83. Ex quacunque causa contingat professionem protrahi ultra annum, valet renuntiatio facta a novitio post decimum novitiatus mensem. — 84. Renuntiatio a novitio excedente ætatem 16 annorum facta absque solemnitate requisita a concilio, est invalida. — 85. Renuntiatio facta per eum, qui nulliter emisit professionem, si postea, cognita invaliditate, iterum valide professus sit, declarans nolle denuo bonis renuntiare, quatenus prior renuntiatio non sustineatur, est nulla. — 86. Deferre habitum novitiorum non est de essentia, et necessitate anni probationis ad validitatem professionis, sed sufficit deferre habitum religionis, seu professorum. — 87. Novitius deferens per annum

Digitized by Google

habitum religionis, completo integro anno probationis, censetur tacite professus, si habitus, quem defert, sit patenter indistinctus ab habitu professorum, et aliunde concurrant aliæ qualitates requisitæ. — 88. Secus autem, si habitus novitiorum sit patenti distinctione distinctus ab habitu professorum. — 89. Novitii sine titulo beneficii, vel patrimonii, aut pensionis nequeunt promoveri ad sacros ordines. — 90. Et hoc ipsum habet locum non solum in novitiis, seu non professis, sed etiam in nulliter professis. — 91. Patres autem Societatis Jesu, qui tria vota paupertatis, castitatis et obedientiæ in Societate emiserunt, de licentia præpositi generalis possunt promoveri ad sacros ordines absque titulo, etiam ante solemnem professionem. — 92. Patribus Societatis Jesu sic ordinatis nulla debentur alimenta a dicta Societate, si contingat eos ante solemnem professionem a præposito generali a dicta Societate dimitti. — 93. Novitii non possunt promoveri ad ordines minores a suis superioribus abbatibus regula-

ribus. — 94. Unde novitii respectu minorum ordinum ordinandi sunt a proprio episcopo. — 95. Episcopus proprius est episcopus loci monasterii, in quo novitius agit novitiatum. — 96. Novitii post professionem collocandi sunt in professorio, seu conventu secundi novitiatus. — 97. In novitiatibus et professoriis est exacte observanda vita communis. — 98. Adducuntur decreta super receptione et educatione novitiorum a Clemente VIII edita. — 99. Adducitur insuper decretum Innocentii XI super conventibus novitiatus et recollectionis minorum de Observantia, et super iis, quæ in eisdem conventibus servari debent. — 100. Alia *remissive*. — 101. Receptus pro laico seu converso an possit transire ad statum clericalem? *remissive*. — 102. Novitii in quibus instruendi? — 103. Ex quodam nostri ordinis novitio originem habuit devotio Coronæ beatissimæ V. M. septem decadum in honorem suorum septem gaudiorum. — 104. Alia ad rem ad n. 105. — 106. Subnect. *Addit. ex aliena manu* ad n. 115.

(1. Novitiatus annus institutus est, ut religio probet mores novitii et novitius austeritatem religionis; textu expresso in cap. *Ad Apostolicam* 16, De regularibus, et cap. *Is*, qu. 1, et cap. *Non solum* 2, De regularibus, in 6. (2. Novitiatus annus, sive in masculis, sive in feminis, incipit solum a die susceptionis habitus, sive ab eo die, quo in habitu religionis novitii, seu novitiæ incipiunt sequi communem aliorum religiosorum, seu religiosarum vitam. Sic expresse statuit concilium Tridentinum cap. 15, sess. XXV, *De regular.*

(3. Alia plurima quoad novitiatus annum, *vide* verb. ANNUS PROBATIONIS, seu NOVITIATUS, a num. 3, ad 44 usque in finem, ne inutilis fiat repetitio.

(4. Novitiatus de licentia superioris, et ex justa causa potest fieri partim in uno conventu designato, et partim in alio item designato; Sic declarasse sacram congr. Concil. referunt Passerinus, *De statu homin.*, tom. III, qu. 189, et Matthæc., *Officialis curiæ quoad novitios*, cap. 34.

(5. Novitios ad habitum recipere de jure communi pertinet ad prælatum et conventum simul, ita ut nec conventus sine prælato nec prælatus sine conventu possit ad religionem aliquem recipere, ut habetur expresse in c. *Novit.* 4, De his quæ fiunt a prælato sine consensu capituli, et concordant cap. *Quanto* 5, et cap. *Ea noscitur* 6, eodem titul., et capit. *Congregatio* ultim., caus. 16, quæst. 7.

(6. Regulariter tamen debent attendi constitutiones, consuetudines et privilegia cujuscunque religionis pro receptione suorum respective novitiorum, prout aperte habetur in cap. final. *De regular.*, in 6, ibi : « Si ad solum abbatem pertineat creatio monachorum, eo defuncto, nequibit novus monachus a conventu creari; alias poterit, si eorum creatio spectat ad utrumque insimul. »

(7. Unde, si novitius in aliqua religione recipiatur a non habente auctoritatem secundum suas peculiares leges, seu constitutiones, talis receptio est nulla, et ipse Novitius potest a legitimis superioribus spoliari, et a religione dimitti; arg. cit. *Jurib.*, sup. n. 5; quia ex defectu potestatis, seu auctoritatis corruit actus; non enim valet, quod ab aliquo fit, quando id ab eo solo fieri non potest sine interventu, seu consensu, vel licentia alterius: l. *Titium* 47, ff. *De administr. tutor.*, adeoque talis receptio ipso jure est nulla, ex quo facta sit contra jus, quod irritat, et annullat contrarium factum; l. *Non dubium* 5, cod. *De legibus et constitutionibus*; Donat., *Prax. rer. regular.* t. II, part. II, tract. 1, q. 4, cum pluribus ibi citatis.

(8. Novitii in ordine Fratrum Minorum de Observantia non possunt admitti ad professionem, nisi ter in anno novitiatus, hoc est, quarto quoque mense per vota secreta a majori parte fratrum in eo conventu a duobus mensibus actu ibi de familia existentium, habiles fuerint inventi; sic expresse statuit Innocentius X constitut. incip. *Ad propagandam.* (9. In paritate votorum debent vota ferri usque ad tertiam vicem, et si semper fuerint paria, debet novitius expelli absque ulteriore computatione, nisi aliter in Domino censuerit Pater provincialis, qui in hoc votum decisivum ferre, vel aliam computationem imponere potest, ut expresse fuit sancitum in novissimo capitulo generali Mediolani in conventu S. Angeli celebrato die 4 Julii 1729, cui et ipse interfui, dum, licet immerito, ministrum agerem provincialem. Ibi enim in constitutionibus pro Cismontana familia n. 48 statutum fuit præcise, ut sequitur : « In paritate votorum, dum tertia vice feruntur pro novitiis ad professionem admittendis, statuitur, ut absque ulla ulteriori computatione novitius expellatur, nisi aliter in Domino censuerit P. provincialis, qui in hoc votum decisivum habere, vel aliam computationem imponere valeat. »

(10. Religiosi consentientes, et concurrentes ad expulsionem novitii habilis per denegationem suffragii absque legitima causa, peccant mortaliter, quia gravem injuriam faciunt religioni, eam privando idoneo religioso et etiam novitio qui, peracto probationis anno, et habilis repertus jus habet ad religionem, et insuper contrafaciunt in re gravi concil. Tridentino, quod

Digitized by Google

cap. 16, sess. XXV, *De regularibus*, præcipit ut novitii reperti habiles, finito anno Novitiatus ad professionem admittantur; sic etiam peccant mortaliter religiosi admittentes per sua favorabilia suffragia ad religionem novitios certo cognitos inhabiles, quia per admissionem talium inhabilium novitiorum grave damnum, et deplorabile præjudicium infertur religioni. *Communis.*

(11. Novitii non tenentur ad statuta, et præcepta regulæ ex debito justitiæ, quia nondum sunt proprie religiosi, nec perfecte partes illius religionis, ut dicitur expresse in cap. *Religioso* 21, De sentent. excommun., in 6, et obligatio observandi regulam ex debito justitiæ nascitur ex voto, et promissione professorum. *Communis.* (12. Tenentur tamen ad ea ex quadam decentia, « quia dignum est, ut qui similem cum aliis vitam suscipiunt, similem sentiant in legibus disciplinam, » ut expresse dicitur in cap. *Recolentes* 3, vers. *Si enim*, De statu monachor. Tum quia eorum probatio id exigit, ut probentur in spiritu quo venerunt. *Communis.*

(13. Novitii non subjiciuntur casibus reservatis a superioribus suæ religionis, nec casibus reservatis ab episcopo loci, unde non possunt innodari censuris, nec ab episcopo, nec a superiore religionis, quia sunt in statu neutro, id est nec vere subditi episcopi, nec superioris religionis, sed sunt in statu medio per abnegationem extremorum in odiosis; arg. cap. *Odia* 15. De regul. juris, in 6, ibi : « Odia restringi, et favores convenit ampliari; » Alphons. de Leone, *De potest. confessarii*, part. II, recollect. 11, num. 137, et *De censuris*, recollect. 2, num. 265, in fine; Graff., in *Append.*, lib. I, cap. 7, num. 69; Nald., in *Summa*, verb. *Novitius*; Donat., *Prax. rerum regular.*, t. II, part. II, tract. 6, q. 2, n. 4 et 5, cum aliis ibi citatis, et *ibid.*, q. 15, n. 2 et 5; Tamburin., *De jure abbat.*, disp. 15, quæst. 6, et alii.

(14. Hinc novitii possunt sine alia licentia absolvi a quolibet confessario approbato pro fratrib. sine expressa exclusione novitiorum. *Vide* verb. APPROBATIO, art. 2, n. 2 et seq. (15. Insuper novitii absque licentia prælatorum ordinis possunt valide confiteri, et absolvi a peccatis etiam in religione reservatis per quemcunque confessarium, sive sæcularem, sive regularem ab ordinario loci pro sæcularibus approbatum. *Vide* d. verb. APPROBATIO, art. 2, num. 5 et seq.

(16. Novitii seu sæculares nondum induti, de brevi tamen induendi, et jam in novitiatum admissi, ut sic sub obedientia prælati et disciplina magistri novitiorum per aliquot dies incipiant experiri religionis austeritates, possunt a confessariis, etiam a solo prælato regulari approbatis, absolvi ab omni excommunicatione, et censura, etiam ab homine generaliter lata; D. Antoninus, III part., tit. 24, cap. 77, § 1; Corduba. lib. I, quæst, 30 : Rodriq., tom. I *Quæstion. regular.*, quæst. 20, art. 21, et communis alio-

rum per plurima privilegia ad id a Summis Pontificib. regularibus concessa. (17. Imo. si dicti juvenes, dum sic sunt in monasterio, infirmentur, possunt omnia sacramenta recipere a regularibus dicti monasterii, et si decedant, possunt in eorum ecclesia tumulari, inconsulto parocho, et quarta funeris non soluta; tales enim gaudent omnibus fratrum et novitiorum privilegiis, quia de proximo accingendus in favorabilibus habetur pro accincto; l. penult., ff. *De milit. testam.*, et l. *Item legato* 47, § 1, ff. *De leg.* 3, et partus conceptus (ut sunt tales Juvenes de proximo induendi, et jam stantes in utero religionis) in his quæ concernunt præservationem, ut producatur ad esse, gaudet privilegio natorum, prout aperte colligitur ex l. *Prægnantis*, ff. *De pœnis*, et l. *Qui in utero*, ff. *De stat. homin.*; Donat., *loc. cit.*, tract. 1, quæst. 18, per tot.; cum aliis ibi citatis. *Vide* verb. MONIALES, art. 1, num. 61, et verb. SEPULTURA, num. 31.

(18. Novitii et novitiæ in articulo mortis existentes, etiam anno novitiatus non completo, si sint in ætate legitima, possunt professionem emittere. Sic expresse concessit S. Pius V novitiis monialibus S. P. Dominici const. incip. *Summi sacerdotis cura*; qua concessione gaudent per communicationem etiam novitii et novitiæ aliarum religionum. (19. Si tamen hujusmodi novitii et novitiæ convaluerint, debent, suo novitiatus tempore completo, iterum profiteri. Sic censuit sac. congr. Concil. *in una Ordinis S. P. Francisci Min. de Observantia*, die 20 Mart. 1649, ad cap. 15, sess. XXV, *De regularibus*, apud Pignatell, tom. II, consult. 336.

(20. Novitii et novitiæ gaudent omnibus privilegiis suæ respectivæ religionis, adeoque gaudent etiam privilegio fori et canonis; cap. *Religioso* 20, § *Quamvis*, De sentent. excommun., in 6, et gaudent etiam indulgentiis, quibus gaudent professi; Pellizar., in *Manual. regular.*, tom. I, tract. 2, c. 7, n. 1; Portell., *De dub. regular.*, verb. *Novitius*, n. 54; Reiffenstuel, lib. III *Decr.*, tit. 31, n. 115, et alii communiter. (21. Insuper specialiter lucrantur indulgentiam plenariam diebus, quibus sacrum induunt habitum et professionem emittunt, si confessi SS. Eucharistiæ sacramentum sumpserint. Paulus V, constit. incip. *Romanus Pontifex.*

(22. Novitii soli de more recitantes in choro horas canonicas satisfaciunt præcepto loco professorum, dummodo tot numero adsint, quot requiruntur ad constituendum corpus communitatis, sive collegium, scilicet saltem tres, quia tres faciunt collegium, l. *Neratius* 85, ff. *De verb. significat.*, ibi : « Neratius Priscus tres facere existimat collegium, et hoc magis sequendum est, » et sic tenent Donat., tom. II, tr. 6, q. 22; Reiffenstuel, lib. III *Decret.*, tit. 31, n. 116, et alii. *Vide* verb. OFFICIUM DIVINUM, art. 1, n. 43 et 44.

(23. Beneficium clerici ingredientis religionem non potest ab episcopo alteri con-

Digitized by Google

ferri intra annum novitiatus ipsius. *Communis* textu expresso in cap. *Beneficium* 4, De regularib., in 6, ibi : « Beneficium illius qui religionem ingreditur non est infra probationis annum alicui conferendum. » 24. Et interim, durante tempore novitiatus, per alium beneficii functiones, et onera præstari debent, assignata ei congrua sustentatione de redditibus ipsius beneficii. *Communis* textu expresso in cit. cap. *Beneficium*, ibi : « Sed interim eidem beneficio per alium deserviri debebit, assignata sibi congrua de ipsius proventibus portione. »

(25. Talis congrua quantitas determinari debet ab episcopo loci. *Glossa, ibidem*, verb. *Sed interim;* Barbosa, in d. cap. *Beneficium*, n. 8; Sanchez, lib. VII *Moral.*, cap. 4, n. 14; Pirhing, lib III *Decr.*, tit. 31, n. 76; Reiffenstuel, *ibid.*, n. 119, et alii communiter. (26. Residui autem fructus reservandi sunt, atque restituendi novitio, tanquam vero beneficiato, si exeat, Sanchez, *loc. cit.*, n. 19; Pirhing, *loc. cit.*, n. 76; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 119, et alii passim. (27. Si vero novitius beneficiatus professionem emittat, restituendi sunt monasterio; in illis enim succedit monasterium, si successionis sit capax sicut in aliis bonis professi, nisi hic ante professionem aliter de illis disposuerit. Sanchez, *loc. cit.*, n. 19; Pirhing, *loc. cit.*, n. 76, et alii; Reiffenstuel tamen, *loc. cit.*, vult restituendos esse non monasterio, sed ecclesiæ, seu ad causas pias applicandos tanquam fructus mere ecclesiasticos superfluos.

(28. Si novitii beneficium habeat annexum jus eligendi, seu suffragandi in electionibus, ut si novitius erat canonicus alicujus cathedralis, vacante intra annum sui novitiatus prælatura, si ipse velit electioni interesse, excludi non potest; quia retinet adhuc verum suum jus ad talem electionem, cum nec beneficio, nec fructibus, et effectibus ejus sit privatus. Sanchez, *loc. cit.*, num. 10; Pirhing, *loc. c.*, n. 118; Suarez, tom. V, cap. 16, n. 16, et alii. (29. Non est tamen necessario vocandus, et ipso non reclamante, possunt alii ad electionem libere et valide procedere, quia, cum se ipsum sponte a sæculo segregaverit, merito reputatur inter absentes et remotos, qui nec solent, nec debent vocari. *Glossa* in cit. cap. *Beneficium*, verb. *Conferendum in fine;* Joann. Andr. et Fran., *ibid.*, n. 2; Barbosa, *ibidem*, n. 13; Sanchez, *loc. cit.*, n. 10; Pirhing, *loc. cit.*, n. 75; Reiffenstuel, *loc. cit.* n. 118; Silvester, verb. *Religio*, 6, quæst. 11; Suarez, *loc. cit.*, n. 16, et alii.

(30. Novitii ut valide renuntiationem, seu obligationem irrevocabilem faciant de suis bonis et juribus temporalibus, ultra solemnitates juris communis, debent necessario observare alias duas specialiter statutas a concilio Trident., sess. XXV, *De regularib.*, cap. 16, videlicet; quod talis renuntiatio fiat cum licentia episcopi, vel ejus vicarii, et intra duos menses proximos ante professionem, ibi : « Nulla quoque renuntiatio, aut obligatio antea facta etiam cum juramento, vel in favorem cujuscunque causæ piæ valeat, nisi cum licentia episcopi, sive ejus vicarii fiat intra duos menses proximos ante professionem; ac non alias intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione, aliter vero facta, etiamsi cum hujus favoris expressa renuntiatione, etiam jurata, sit irrita, et nullius effectus. »

(31. Vi hujus Tridentini concilii decreti prohibentur et irritantur omnes tam lucrativi, quam onerosi inter vivos contractus, quibus novitii libertas deserendi religionem possit aliqualiter impediri. *Communis*, arg. textus ipsius concilii, ibi : « Ne hac occasione discedere nequeat, quod totam, vel majorem partem substantiæ suæ monasterium (si huic renuntiavit) possideat (seu alii possideant); nec facile, si discesserit, id recuperare possit. » Et revera, quod prohibeantur et irritentur omnes tales contractus, aperte demonstrat Concilium per ly *nulla.... obligatio*, nomine cujus veniunt omnes contractus, arg. l. *Omnes* 1, ff. *De novationibus;* l. *Veluti* 25, ff. *De verbor. obligation.*, sicut econtra contractuum appellatione veniunt obligationes; l. *Labeo* 19, ff. *De verbor. signification.*

(32. Item prohibentur, et irritantur omnes donationes notabiles, seu magni momenti, quia per ipsas recurrit finis concilii : « Ne hac occasione discedere nequeat, » etc. Donatio enim est vera species renuntiationis et obligationis. *Communis*, argum. citatis juribus. (33. Item prohibentur et irritantur omnes remissiones debitorum notabilium, quia tales remissiones sunt quædam species donationis et renuntiationis, quæ possunt minuere novitii libertatem ad egrediendum, contra finem expressum concilii Tridentini. *Communis.* (34. Item prohibentur et irritantur renuntiationes et donationes etiam jurium ad futuras hæreditates. Quælibet enim renuntiatio potens minuere libertatem egrediendi declaratur a concilio irrita, ibi : « Nulla quoque renuntiatio. » Tales autem sunt dictæ renuntiationes, et donationes etiam jurium ad futuras hæreditates, adeoque, » etc. *Communis.*

(35. Vi dicti concilii Tridentini non prohibentur, nec irritantur testamenta, et aliæ dispositiones mortis causa factæ, adeoque semper valent, sive fiant ante ingressum religionis, sive post ingressum quocunque die intra annum novitiatus sine licentia episcopi aut ejus vicarii, et etiam ante dictos duos menses proximos ante professionem, dummodo habeant cætera alia juris requisita, quia testamenta, et aliæ dispositiones mortis causa factæ, ut codicilli, donationes mortis causa, etc., nec renuntiationes, nec obligationes irrevocabiles sunt cum toties, quoties voluerit novitius, ante professionem possit pro libitu suo ea revocare, adeoque cum sic nec in minimo lædant libertatem novitii egrediendi a religione, non prohibentur, nec irritantur a concilio in dicto decreto, quod pro unico fine prohibitionis, et irritationis respicit conservationem talis libertatis novitii egrediendi a reli-

Digitized by Google

gione, ibi : « Ne hac occasione discedere nequeat, etc. Sic tenent doctores communiter, et sic expresse declaravit sacr. congr. Concil., teste Fagnano, lib. II *Decret.*, cap. *In præsentia* 8, De probationibus, n. 50.

(36. Item non prohibentur, nec irritantur illi contractus onerosi, vi quorum novitius tantum recipit, quantum dat, ut sunt emptiones, locationes, et hujusmodi; in his enim contractibus, nec in minimo læditur libertas novitii exeundi a religione, cum tantum recipiendo quantum dat, nihil a parte rei perdat. *Communis.*

(37. Item non prohibentur, nec irritantur renuntiationes, et obligationes, quæ fiunt ante ingressum, et absque intuitu ingressus in religionem, seu sine animo eam ingrediendi, quamvis postea progressu temporis ingressus contingeret, quia intentio concilii sola fuit prohibere illas renuntiationes, et obligationes, quæ fiunt intuitu religionis, et liberum impediunt egressum, ibi : « Ne hac occasione discedere nequeat, » etc.

(38. Imo neque prohibentur, neque irritantur renuntiationes, donationes, et obligationes factæ ante ingressum religionis, etiam intuitu et causa ipsius ingressus religionis. Sic expresse Rota part. V, t. I *Recent. decis.*, dec. 125, n. 24, ubi dicit sic declarasse sacram congr. Concilii, et part. XII, decis. 245, n. 6, et quod late discusso hoc articulo, sic fuit responsum *in Romana donationis* 1 Februar. 1640, coram reverendiss. Tarraconen. et *in Romana successionis de comitibus* 12 Januar. 1642, coram reverendissimo decano, cum aliis pluribus congestis per Alden., ad decis. 586, n. 2, part. V, t. II *Recent.* Quamvis enim adsint declarationes sacræ congregationis Concilii, in quibus declaratum fuit Tridentinum comprehendere non solum donationes, et renuntiationes factas a novitiis intra duos menses proximos ante professionem, sed etiam illas quæ fiunt ante ingressum religionis cum narrativa, et mentione expressi ipsius ingressus, vel cum conditione quatenus donans profiteatur. Rota, part. V, t. II, decis. 586, n. 17. Quæ fundatur in ea ratione, quod cum concilium reprobaverit donationes a novitiis non factas intra duos menses ante professionem, ne ob timorem non recuperandi bona donata adimeretur novitiis libertas egrediendi, ita ex eadem ratione censendas esse prohibitas donationes factas ante ingressum. Rota, *ibidem*, n. 18 et 19. Unde inferebatur, contrarium tenentes intelligendos esse de donationibus simpliciter, et sine mentione, neque intuitu ingressus factis. Rota, *ibid.*, n. 30.

(39. Verum revocatis antiquis declarationibus, ead. sacra congr. Concilii declaravit, et per plura alia tribunalia definitum fuit, dictum concil. Trident. sess. XXV, cap. 16 *De regularibus* non habere locum, quando donatio, vel renuntiatio fit ante ingressum intuitu ingressus religionis, *Adnotat. ad decis.* 586, n. 22, ubi pro hac opinione referuntur 38 auctores, et inter alios Passarell., *De privileg. minorum*, cap. 37, ubi refert quod pro hac opinione fuit judicatum; Menochius in *Addit.* ad lib. II, cap. 430, n. 3, ubi miratur de Navarr. et Molina, qui tenuerunt contrarium; Roderic., *Qq. regul.* t. II, quæst. 47, art. 8, ubi dicit, quod pro hac opinione fuit judicatum, et refert quod pro ea consuluerunt quamplures ibi nominati; Hector Capycius Latro, decis. 31, n. 7, ubi dicit, quod hæc opinio frequentiori DD. calculo est approbata, decisionibus supremorum tribunalium roborata, et declarationibus eminentissimorum cardin. sacr. congr. Concil. sic est interpretata. Rota *in Turentina donationis* 3 Februar. 1607, coram sacrato, et *in Parmen. transactionis* coram Durand., decis. 121, n. 39, *in impressis in Perusina hæreditatis* 10 Decembr. 1620, coram bonæ memor. card. virili; Diana, *Resolut. moral.*, tom. III, tract. 2, *De dub. regular.*, cap. 55, ubi pro hac opinione refert de verbo ad verbum declarationem sacræ congr. Conc. Et hanc opinionem tenent Fagnanus, lib. IV *Decretal.*, in cap. *Statuimus* 23, De regularibus, a n. 42; Sanchez, lib. I *Moral.*, cap. 5, n. 4; Donatus, *Prax. rerum regul.*, tom. II, tract. 7, q. 20, qui omnes referunt ita declarasse sacram congreg. Concilii, et Barbosa in *Summa Apostol. decis.*, verb. *Renuntiatio novitii*, n. 1, ubi cum pluribus aliis refert sic fuisse decisum a sacra congr. Concilii, et Collectan. *in concil. Trid.*, cit. sess. XXV, cap. 16, *De regul.*, n. 18, ubi dicit quod illa verba concilii *antea facta* intelligi debeant de renuntiatione tantum facta post ingressum religionis, ac proinde, quod sæcularis ante habitus susceptionem, et Novitiatus ingressum, possit etiam intuitu ejusdem ingressus valide de suis bonis disponere, illa renuntiando, donando, seu obligando absque solemnitate requisita a concilio in d. cap. 16, sess. XXV, *De regularibus*, et ibi citat Rotam, et 35 auctores, et in fine addit, quod ideo donationem factam per filium patri per paucos dies ante ingressum religionis, seu habitus susceptionem, intuitu et contemplatione ejusdem religionis, esse validam tuetur expresse Aldan in *Compend. canonicar. resolut.*, lib. II, tit. 8, n. 15, ubi refert sic fuisse decisum sub die 13 Aprilis 1630. Et hanc sententiam probabilem censent Layman, lib. III, tract. 5, c. 7, n. 7; Pirhing, lib. III *Decr.*, tit. 31, n. 81, et alii plures; Reiffenstuel, lib. III *Decret.*, tit. 31, n. 142, quamvis ipse, *ibidem*, a n. 145 ad 152, cum pluribus aliis defendat contrarium, uti etiam defendunt 15 doctores apud Barbosam, *loc. cit.*, n. 18 in fine, existimantes renuntiationem seu donationem, factam ab existente adhuc in sæculo prætextu et intuitu ingressus religionis, nullam et invalidam esse sine solemnitate requisita a concilio *loco citato*.

(40. Ratio autem nostræ sententiæ est, quia, cum dictum decretum concilii sit correctorium juris communis, non debet intelligi, nisi in casu suo, nec est extendendum ad alios, quamvis paritas urgeret rationis, *Adnot. ad decis.* 486, n. 23, part. V, tom. II;

Digitized by Google

Rot., *Recent.*, arg. cap. *Quæ a jure* 28, De reg. jur., in 6, ibi : « Quæ a jure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda. » Tum quia in dubio textus est intelligendus juxta rubricam, sub qua existit, cum unusquisque textus congruis subdatur titulis; arg. l. *Dedit nobis* 3, § 13, *Si quid autem*, et § 18, *Si vero*, cum similibus : « Rubrica autem concilii est *De regular.*, qualis non est, qui adhuc existit in sæculo, quamvis religionem ingredi intendat, adeoque, » etc. Tum etiam quia dictum c. 16, sess. XXV, est continuativum cap. 15 immediate antecedentis, ut patet ex illa particula *quoque* sub initio posita, ibi : « Nulla quoque renuntiatio, » cujus dictionis natura est copulare sequentiam antecedentibus; arg. § 7, *Prætorum quoque*, tit. 2 *Institutionum de jure naturali*. Cap. autem 15 immediate præcedens expresse agit de solis novitiis, ut clare patet ex textu, adeoque etiam de solis novitiis est intelligendum dict. cap. 16 immediate sequens, per illam particulam *quoque* cum antecedenti copulatum.

(41. Unde hanc sententiam mordicus tuetur Fagnan. in cit. cap. *Statuimus* 23, De regularib., a n. 42 ad 47, ubi testatur eam contra Navarr. sæpius probasse sacram congregat. Concilii; aliquando enim, dicit ipse, censuit d. cap. 16, sess. XXV, *De regularibus*, sibi locum non vindicare in donationibus factis ante susceptum habitum probationis, sicuti etiam reperitur adnotatum in calce prædictorum *Consil.* Navarr. 81 et 82; et alias consulta : « An illud caput comprehendat renuntiationes factas ante ingressum, illius tamen contemplatione. » Respondit : « Non comprehendere renuntiationes factas ante ingressum, hoc est ante habitus susceptionem. » Quinimo præsuppositis duabus congregationis declarationibus super dict. cap. 16, altera, quod minime infringantur renuntiationes factæ ante ingressum religionis, altera, quod ex eo decreto renuntiationes factæ in ipso ingressu non valeant; quæsitum est : « An, cum Clarix Buccapadulia renuntiaverit bonis tam paternis, quam maternis eadem die, qua ingressa fuit monasterium, prædicta ejus renuntiatio sufficiat, an nova requiratur ante professionem, juxta formam a concilio præscriptam ? » Die 22 Junii 1613, sacr. congr. censuit Decretum d. cap. 16 : « Non vindicare sibi locum in renuntiationibus factis ante actum, seu momentum susceptionis habitus, ac propterea ex eo decreto suprascriptam renunciationem non esse nullam. » Sic ad litteram refert Fagnan., *loc. cit.*, n. 47.

(42. Novitii sine solemnitatibus a concilio in d. cap. 16 requisitis, possunt valide et licite facere modicas eleemosynas, et modicas donationes Deo, seu B. Mariæ, vel sanctis, quia in similibus modicis eleemosynis et donationibus, respectu honorum, et facultatum novitii, cessat finis prohibitionis concilii, nempe : « Ne hac occasione discedere nequeat. » Garcias, Azorius, Lezana, Tamburin. Sanchez, Peregrin., et alii citati, et secuti a Barboza *supra d. sess.* II, cap. 16, n., et 8.

(43. Renuntiatio facta ad favorem Patrum societatis Jesu per novitium inter Patres dictæ Societatis est valida, non obstante, quod non fuerit facta cum licentia episcopi. Sic decisum fuisse in *Neapolitana* 20 Martii 1621, referunt Sellius in *Selectis canonic.*, cap. 19, n. 15, et Barbosa, *super Trident.*, d. sess. XXV, cap. 16, n. 19.

(44. Imo novitii Societatis Jesu possunt renuntiare bonis in favorem societatis, vel cujuscunque, non servata forma concilii, vel exspectato bimestri proximo ante professionem. Aldanus enim in *Compend. canonic. resolut.*, lib. I, tit. 16, n. 10, et Barbosa, *loc. cit.*, n. 41, referunt fuisse decisum, quod Patres Societatis Jesu dicto decreto concilii non solum excepti sunt quoad emittendam professionem, sed etiam quoad obligationes, et renuntiationes, adeo ut hæ etiam ab eorum novitiis quandocunque, et sine cujusvis licentia factæ, nullitati dicti decreti minime subjaceant.

(45. Novitiis Societatis Jesu, qui post vota simplicia, ante tamen solemnem professionem, a dicta Societate ab ejusdem præposito generali, juxta facultatem sibi a Sede Apostolica concessam, dimittuntur, nulla ab eadem Societate debentur alimenta, aut congrua substentatio, licet, dum in ea viverent, titulo religiosæ paupertatis ad sacros etiam presbyteratus ordines promoti fuerint. Sic novissime statuit Benedictus XIII, constit. 45, incip. *Injuncti Nobis*.

(46. Novitius habens beneficium ecclesiasticum, nequit illud renuntiare, non servata solemnitate a concilio requisita. Sic declaravit sac. congr. Concilii apud Fagnan., in c. *Statuimus* 23, De regularib., n. 19, et Matthæuc., *Officialis curiæ*, cap. 43, n. 31, et tenent Flaminius, *De resignat. benefic.*, lib. III, q. 13, a n. 4; Sperell., dec. 17, n. 49; Novar., in *Lucerna regular.*, verb. *Renuntiatio bonorum*, n. 4; Tamburin., *De jure abbatum*, tom. III, disput. 6, q. 10, n. 3; Suarez, tom. III *De religion.*, lib. V, cap. 16, n. 12; Sanchez, *Lib. moral.*, cap. 5, n. 38; Majol., Campanil., Azorius, Molfesius, Caval., Miranda, et alii plures apud Barbosam *super Tridentin.*, *loc. cit.*, n. 13, quamvis ipse cum Garcia teneat contrarium.

(47. Donatio facta a novitio cum solemnitate a concilio requisita, ad hoc, ut si firma, requiritur, ut professio sit valida; Sanchez, lib. VII *Moral.*, c. V, n. 55; Lezana, Tamburin., Peregrin. Bartholomæus a S. Fausto, Peyrin. citati, et secuti a Barbosa, *loc. cit.*, n. 15. Unde, si novitius ad sæculum redeat, vel forte moriatur ante factam validam professionem, donatio irrita est. Barbosa, *De offic. et potest. episcop.*, part. III, allegat. 99, n. 11, et *loc. cit.*, n. 15, cum Navarr. Sanchez, Passarel. Bartholomæo a S. Fausto, Honded. Fr. Emman., Peyrin., Bartholom. de Vecchis, Peregrin., ibi citatis, Fagnan., in cit. cap. *Statuimus*, n. 35 et 36, ubi refert sic fuisse decisum a sacra congregatione Concilii.

Digitized by Google

(48. Ratificata vero professione, si illa nulliter emissa fuerit, censetur quoque renuntiatio ratificata, et valida, dummodo in ratificatione expresse non declaret, se nolle denuo bonis renuntiare. *Vide infra* n. 65; Barbosa, *loc. cit.*, n. 16, cum Aloysio Riccio, Tamburin., Sanchez, Peregrin., ibi citatis.

(49. Novitius, si, servata solemnitate concilii, renuntiaverit legitimam, et, emissa professione, sit factus episcopus, recuperat jus succedendi in d. legitima etiam quoad renunciata, ad favorem tamen suæ Ecclesiæ. Sic decisum fuisse sub die 11 Januar. 1631, referunt Aldan. in *Compendio canonic. resolut.*, lib. II, tit. 9, n. 10, et Barbosa *supra concil.*, loc. cit., n. 17.

(50. Novitius potest revocare testamentum a se factum, sive ante, sive post ingressum religionis, et durante novitiatu aliud condere. *Communis.* (51. Novitius in testamentum nihil potest sibi reservare ad effectum testandi de illo post professionem, quia per professionem sibi adimit omnem facultatem testandi. *Communis*, et sic expresse statuit sac. cong. Concilii *in Neapolitana* 5 Julii 1628, respondens non sustineri reservationem de aliquibus bonis sibi factam a quodam milite Hierosolymitano in renuntiatione facta bonorum ante professionem, sub prætextu, ut de reservatis testari posset; apud Barbos., *super Trident.*, *loc. cit.*, num. 22. (52. Potest tamen novitius in suo testamento præcipere, ut aliquid ex ejus bonis, etiam post suam professionem, quotannis expendatur in pios usus, seu quod alicui solvatur annuum legatum, vel ne quid de eis alienetur, et hujusmodi; talis enim dispositio, cum sit facta in tempore, quo ipse libere poterat disponere de suis bonis, valet pro semper quod licite in ea disposita. *Communis* cum Fagnan., lib. II *Decretal.*, cap. *In præsentia* 8, De probationibus, n. 13.

(53. Novitius, si ante professionem testari omittat, succedit in ejus bona, actiones, et jura monasterium, si sit capax bonorum. Authent. *De monachis*, § *Illud quoque*, Authent. *Ingressi*, Cod. *De sacrosanctis eccles.*; cap. *Quia ingredientibus* 7, cap. *Perlatum est* 8, cap. *Si qua mulier* 9, caus. 19, qu. 3; cap. *In præsentia* 6, De probationibus, cum similibus; si autem monasterium sit incapax successionis, uti religio nostra seraphica, succedunt consanguinei ab intestato. *Communis.*

(54. Post professionem emissam non potest religiosus testamentum ante professionem factum revocare. *Communis*, arg. c. *Quia ingredientibus* 2, De testam., c. *Non dicatis* 11, caus. 19, q. 1, cap. *Quia ingredientibus* 7, caus. 26, q. 3; Authent. *Ingressi*, Cod. *De S. S. Eccl.*, cum similibus. (55. Potest tamen testamentum suum ante professionem factum declarare, præcipue si testamentum dubiæ et obscuræ voluntatis interpretatione indigeat, ipseque religiosus declarationem verbis convenientem proferat. Sanchez, lib. VII *Moral.*, c. 11, n. 16; Gozzadin., consil. 41, n. 15, 16, 17; Fr. Emmanuel, t. III, qu.

69, art. 3; Reginald., lib. XVIII, c. 27, n. 397; Moneta, *De commut. ultim. volunt.*, c. 5, q. 1, n. 14; Barbosa, *sup. Trid.*, *loc. cit.*, n. 12; cum aliis ibi citatis contra Covarruv., in cap. 2, *De testam.*, n. 5, et 9; Mirandam., in *Manual. prælator.*, tom. I; q. 23, art. 10; Navarr., in c. *Non dicatis* 11, caus. 12, q. 1, existimantes, non posse religiosum professum testamentum ante professionem a se factum post professionem declarare.

(56. Monasterio nihil, exceptis victu et vestitu, potest tribui a parentibus vel propinquis, aut curatoribus novitii ex bonis ejusdem novitii, sub pœna excommunicationis incurrendæ a dantibus, et accipientibus, textu expresso in concilio Tridentino cit. sess. XXV, *De regularibus*, c. 16, ibi: « Sed neque ante professionem, excepto victu, et vestitu novitii, vel novitiæ illius temporis, quo in probatione est, quocunque prætextu a parentibus, vel propinquis, aut curatoribus ejus monasterio aliquid ex bonis ejusdem tribuatur; ne hac occasione discedere nequeat, quod totam, vel majorem partem substantiæ suæ monasterium possideat; nec facile, si discesserit, id recuperare possit: quin potius præcipit sancta synodus sub anathematis pœna dantibus, et recipientibus, ne hoc ullo modo fiat; et ut abeuntibus ante professionem omnia restituantur, quæ sua erant. » Fagnan., in cit. cap. *Statuimus*, n. 49 et 50, et alii communiter.

(57. Imo sub eadem pœna neque potest aliquid dari, et recipi ex bonis propriis parentum vel consanguineorum. Quamvis enim concilii verba videantur restricta ad bona ipsius novitii, tamen proposito dubio: « An, quod disponitur cap. 16, sess. XXV, *De regularibus*, ne de bonis puellæ aliquid monasterio ante professionem tribuatur sub pœna anathematis, habeat locum, etiamsi aliquid tribuatur non ex puellæ propriis bonis, sed parentum, vel consanguineorum? » Sacra congreg. censuit « habere locum. » (58. Sic refert Fagnan., *loc. c.*, n. 55. Unde pater nequit dare paramentum altaris religioni, ubi ejus filius est in novitiatu; sic fuisse decisum 22 Aug. 1617, refert ex Sellio Barbosa, *loc. cit.*, n. 45. (59. Insuper neque novitius potest in ingressu aliquid donare monasterio, etiamsi sit sui juris, et non habeat parentes; proposito enim dubio: An, si novitius sit sui juris, et non habeat parentes, possit in ingressu religionis præter victum aliquid donare religioni amore Dei? » Sacr. congr. censuit « non posse, ex verbis expressis » D. cap. 16, ita refert Fagnan., *loc. cit.*, n. 56.

(60. Excommunicatio lata a concilio Tridentino in dantes, et accipientes aliquid ante professionem Novitii non incurritur ipso facto, nec est Sedi Apostolicæ reservata. Sic declaravit sac. congr. Concil., teste Fagnano, *loc. cit.*, num. 59.

(61. Pacta seu conventiones, quibus regulares utriusque sexus exigunt a parentibus novitii seu novitiæ aliquam pecuniæ summam convivii causa, tempore ejus vestitionis vel professionis, prohibentur sub

Digitized by Google

pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, et Papæ reservatæ, textu expresso in Extravag. *Sane* 1, *De Simonia*. (62. An autem hujusmodi pacta sint etiam comprehensa in d. cap. 16 concilii Tridentini? « Sacra congr. censuit decretum d. cap. 16 ad hunc casum non pertinere, sed id prohiberi constitut. Urbani IV quæ incipit: *Sane*. Cæterum, quia ex consuetudine Mediolanensi recepta, et a bonæ mem. cardinali S. Praxedis tolerata, passim hujusmodi convivia exhibentur, consultius putavit, nihil responderi. » Sic refert Fagn., *loc. cit.*, num. 58. (63. Ast *vide* verb. Moniales, art. 2, a n. 52 ad 63; verb. Simonia art. 1, a n. 20 ad 27.

(64. Monialibus prohibitum est dotes accipere ante professionem novitiarum, etiam sub nomine depositi, quamvis præstetur cautio de illis restituendis, professione non secuta. Sic colligitur ex cit. cap. 16 Tridentini, et expresse declaravit sac. congr. apud Fagnan., *loc. cit.*, num. 15.

(65. Hinc improbatur cautela, ut depositarius totum, quod in depositum recipit, monasterio consignet ante novitiarum professionem; orta enim dubitatione, an cautela adinventa a monialibus civitatis Alexandrinæ, ut quando aliqua puella monasterium ingreditur, depositum dotis prius fiat, et deinde omne id, quod in depositum recipitur, totum depositarius ipsi monasterio ante professionem consignet, sit contra dispositionem concilii Tridentini cap. 16, sess. xxv, *De regularibus*, vers. *Neque ante professionem?* Sacr. congregat. censuit « decretum concilii dict. cap. 16 non prohibuisse quidem hujusmodi depositum, sed quod pecuniæ sic depositæ dentur monasterio directe, vel indirecte, et in specie modo hic descripto, videri omnino prohibuisse. Et licet alias sacra congregatio in casu Neapolitano visa fuisset sentire posse dari, præstita idonea cautione bancaria, tamen nunc censuit non scribendum amplius in futurum secundum illam sententiam, sed secundum istam posteriorem, ut nullo modo detur monasterio, nec cum deposito, nec sine. » Sic refert Fagnan., *loc. cit.*, n. 53.

(66. Novitio egredienti, vel ejecto restitui debent omnia bona, quæ secum tulit, nec quid minimum ex eis retinere possunt superiores regulares: quod, ut recte fiat, episcopus potest etiam per censuras ecclesiasticas, si opus fuerit, eos ad id compellere; textu expresso in concilio Tridentino, d. cap. 16, ibi: « Abeuntibus ante professionem omnia restituantur, quæ sua erant; quod ut fiat, episcopus, etiam per censuras ecclesiasticas, si opus fuerit, compellat. »

(67. Imo novitio exeunte, aut decedente ante secutam professionem, nec retineri possunt per monasterium bona ipsi donata, etiam servata solemnitate, et forma concilii. Cum enim duo novitii religionem ingressi, bona suo monasterio servata forma concilii, donassent posteaque uterque decessisset, sed alter revocata, alter vero non revocata donatione. Fuit dubitatum an monasterium posset retinere bona saltem illius qui do-

nationem non revocavit? Sacra congregatio Cardinalium concilii Tridentini interpretum censuit « neutrius bona posse retineri per monasterium, cum, non secuta professione, nulla fuerit renuntiatio. » Sic refert Fagn., in cit. cap. *Statuimus* 23, De regularibus, n. 36.

(68. Habitus tamen religionis non est restituendus novitio exeunti, sed illius pretium. Sic decisum fuisse a sac. cong. Concil. referunt Novarius, in *Lucerna regular.*, verb. *Habitus*, n. 6; Lezana in *Summa qq. regular.*, tom. I, cap. 25, n. 38; Barbosa, *super Trid., loc. cit.*, n. 51, in *Summa Apostolic. decis.*, verb. *Habitus*, n. 9, et *De officio et potest. episc.*, allegat. 101, n. 93.

(69. Novitius sponte, vel coacte egrediens tenetur solvere expensas in sui victum, vestitum, et in alia necessaria, ac consueta a monasterio factas, si de earum solutione pactum intercesserit inter novitium et monasterium, aut exstet legitima consuetudo eas solvendi. *Communis*, arg. concil. Trid., cit. sess. xxv, cap. 16, *De regularibus*, ubi prohibetur aliquid dare, vel accipere de bonis novitii, « excepto victu et vestitu, » adeoque cum ex concilio liceat aliquid dare, et accipere pro victu, et vestitu, potissimum erit obligatio dandi, ubi intercesserit pactum; argum. cap. *Antigonus* 1, et cap. *Qualiter* 3, De pactis, et ubi adsit legitima consuetudo, arg. cap. *Cum tanto* II, De consuetudine. (70. Non tenetur tamen novitius solvere dictas expensas, ubi non intercesserit tale pactum, aut non exstet talis legitima consuetudo, ut in nostra religione de corpore observantiæ et Capuccinorum, ubi nihil recipitur, nec potest recipi pro alimentis, et similibus a novitiis, ut recte observat Matthæucc., *Officialis curiæ* cap. 34, n. 30, et alii passim.

(71. Dos novitiæ decedentis ante professionem debet hæredibus restitui una cum fructibus, deducto tamen illius victu, et vestitu. Cum enim dubitatum fuerit: « An si mulier ingressa monasterium intra tempus probationis decedat, dos soluta, ejus hæredibus una cum fructibus, si quos Monasterium percepisset, restitui debeat? » Sacr. cong. censuit, « ita debere, deducto tamen victu et vestitu novitiæ. » Sic refert Fagnan., *loc. cit.*, n. 38.

(72. Imo hoc etiam procedit, non obstante pacto, ut, si puella post annum decesserit, facta, vel non facta professione, dos monasterio acquiratur. Proposito enim dubio de quadam puella, quæ monasterium ingressa est cum pacto, ut, si infra annum moreretur, dos restitueretur dotantibus, si vero post annum, facta, vel non facta professione, acquireretur monasterio, stetit ibi per annum, et menses cum velo albo, in quo incedunt novitiæ, cum tamen professæ incedant cum nigro, et nulla facta expressa professione, postea decessit. Sacr. congr. censuit, « secundum ea quæ proponuntur, dotem esse restituendam hæredibus defunctæ. » Sic refert Fagnan., *loc.*

Digitized by Google

cit., sub num. 38. *Vide* verb. Moniales, art. 1, a num. 98 ad 100.

(73. Licentia episcopi, seu ejus vicarii requisita pro renuntiatione facienda a novitio intra duos menses proximos ante professionem debet intervenire in ipso actu renuntiationis. Rota *in Romana Fideicommissi* 15 Novembris 1624, coram Reumboldo; Barbosa *supra concilium Trident.*, cit. sess. xxv, cap. 16, *De regularib.*, num. 33, et alii communiter.

(75. Archiepiscopus, licet pallium nondum receperit, potest hujusmodi licentiam in sua diœcesi concedere. Barbosa, *l. c.*, num. 25, et cit. allegat. 99, num. 5; Peregrin., *l. c.*, § 26; Sanchez, *l. c.*, num. 66, et alii communiter.

(74. Episcopus confirmatus nondum consecratus potest concedere in sua diœcesi novitio talem licentiam ad renuntiandum. Barbosa, *l. c.*, n. 24, et *De offic. et potest. episc.*, part. III, allegat. 99, n. 3; Peregrin., in *Constit. cleric. regul.*, part. II, c. 1, lit. *C*, § 25; Sanchez, lib. VII *Moral.*, cap. 5, n. 66, et alii passim.

(76. Capitulum, sede vacante seu vicarius capitularis potest eamdem licentiam concedere. Barbosa, *l. c.*, num. 26; Sanchez, *l. c.*, n. 67; Tamburin., *De jure abbat.*, tom. III, disp. 6, q. 10, n. 3; Bartholom. a S. Fausto, in *Thesauro religiosorum* lib. v, quæst. 195; Peregr., *l. c.*, et alii.

(77. Abbates et alii prælati habentes jurisdictionem quasi episcopalem, nullique episcopo subjecti, possunt in suis diœcesibus hanc licentiam concedere. Barbosa, *loco citato*, num. 27; Sanchez, *loco citato*, num. 68; Bartholomæus a S. Fausto, *loco citato*, quæst. 196; Bartholomæus de Vecchis, in *Praxi observanda in admittendis ad religionis statum novitiis*, disputat. 8, dub. 2, num. 2; Peregrin., *loco citato*, § 27, et alii passim.

(78. Prælati regulares non possunt hanc licentiam concedere etiam in monasteriis exemptis et sibi subjectis quia concilium Tridentinum, *l. c.*, solum episcopi licentiam ad hanc renuntiationem requirit. Barbosa, *l. cit.*, num. 28; Miranda, in *Manual. prælator.*, tom. I, qu. 23, art. 6, concl. 2; Bartholom. de Vecchis, *l. c.*, dub. 9, num. 2; Sanchez, *l. c.*, num. 74; Peregrin., *l. c.*, § 30, et alii communiter.

(79. Formam laicorum statuto præscriptam nequaquam oportet servare in renuntiationibus, quæ fiunt a novitiis intra probationis annum nec hujusmodi statuti omissio tales renuntiationes invalidat, utpote factas a personis quæ secundum præsentem statum novitiatus censentur tanquam ecclesiasticæ ac proinde legibus laicalibus solemnitatem inducentibus subjacere non debent, ut decisum fuisse referunt Aldan., in *Compend. canon. resolut.*, lib. II, tit. 9, num. 11, et Barbosa, *Super Trident.*, d. sess. xxv, c. 16, *De regularibus*, n. 31, et idem tenuit Rota *in Parmen. transactionis* 20 Decemb. 1627, coram Durano.

(80. Non est necesse quod renuntiatio bonorum ut sit valida fiat a novitio integro bimestri ante professionem, sed satis est ut fiat intra totum bimestre ante professionem, quamvis immediate ante ipsam. Barbosa, *loc. cit.*, num. 35; Sanchez, *loc. cit.*, cap. 5, num. 89; Peregrin., *loc. cit.*, § 20; Bartholom. a S. Fausto, *loc. cit.*, lib. v, qu. 192, et alii communiter.

(81. Bimestre hoc computandum est de momento in momentum et secundum quod occurrit mensis in Kalendario. Barbosa, *loc. cit.*, n. 37; Sanchez, *l. c.*, n. 81; Bartholom. a S. Fausto, *l. c.*, qu. 193; Sperell., dec. 16, n. 54; Tamburin., *l. c.*, qu. 10, n. 4; Bartholomæus de Vecchis, *l. c.*, disp. 8, dub. 9, n. 5. Unde sac. congr. Concil. sub die 21 Januar. 1617 expresse decrevit « non valere renuntiationem factam a moniali ante duos menses præfixos in d. decreto concilii, » ut ex Aldan. refert Barbosa, *loco cit.*, num. 36.

(82. Renuntiatio facta a novitio per duos menses ante professionem tenet licet ante expletum decimum sextum annum. Sic decisum fuisse a sacr. cong. Conc. refert ex Armendar. Barbosa, *loc. cit.*, num. 37, et in *Summa Apost. decis.*, verb. *Renuntiatio novitii*, num. 3.

(83. Ex quacunque causa contingat professionem protrahi ultra annum, valet renuntiatio facta a novitio post decimum novitiatus mensem. Sic decisum fuisse a sacr. congreg. Conc. referunt Bartholom. de Vecchis, *l. c.*, disp. 8, dub. 9, n. 5, in fine, et Barbosa, in dict. c. 16, n. 37.

(84. Renuntiatio, a novitio, excedente ætatem 16 annorum facta absque solemnitate decreti concilii Trident. *l. c.*, est invalida, ita ut concilium locum habeat etiam in iis, qui excedunt annum decimum sextum. Sac. congreg. Conc. 15 Januar. 1601, apud Barbosam, in *Summa Apostolic. decis.*, d. verb. *Renuntiatio novitii*, n. 2.

(85. Renuntiatio facta per eum qui nulliter emisit professionem, si postea, cognita invaliditate, iterum valide professus sit, declarans nolle denuo bonis renuntiare, quatenus prior renuntiatio non sustineatur, est nulla. Sac. congreg. 3 Decemb. 1632, apud Barbosam, in cit. *Summa Apostolic. decis.* num. 7.

(86. Deferre habitum novitiorum non est de essentia et necessitate anni probationis ad validitatem professionis, sed sufficit deferre habitum religionis seu professorum. *Vide* verb. Habitus, num. 5.

(87. Novitius deferens per annum habitum religionis, completo integro anno probationis, censetur tacite professus, si habitus quem defert non sit patenter distinctus ab habitu professorum, et aliunde concurrant aliæ qualitates requisitæ. *Vide* d. verb. Habitus, n. 6.

(88. Secus autem si habitus novitiorum sit patenti distinctione distinctus ab habitu professorum. *Vide* d. verb. Habitus, num. 7.

(89. Novitii sine titulo beneficii vel patrimonii aut pensionis nequeunt promoveri

Digitized by Google

ad sacros ordines; arg. conc. Trident. sess. XXI, cap. 2, et expresse S. Pius V, constitut. 75, incipit *Romanus Pontifex*, ubi dictum concilii decretum extendit ad omnes et singulos cujuscunque ordinis clericos, religiosos non professos, prohibens ipsos sicuti alios clericos sæculares promoveri ad sacros ordines sine dicto titulo. (90. Et hoc ipsum habet locum non solum in novitiis seu non professis, sed etiam in nulliter professis. Sic Rota *in Urgellen. canonicatus* 3 Martii 1595, coram Blanchetto, et sæpe alibi et tenent communiter doctores cum Barbosa *in Conc. Trident.*, d. sess. XXIII, c. 2, et *De offic. et potest. episcop.*, part. II, alleg. 19, n. 5; Garcia, *De Benefic.*, part. II, cap. 5, n. 11 et 12; Reiffenst., lib. I *Decr.*, tit. 11, n. 74. (91. Patres autem Societatis Jesu, qui tria vota paupertatis, castitatis et obedientiæ in Societate emiserunt de licentia præpositi generalis, possunt promoveri ad sacros ordines absque titulo, etiam ante solemnem professionem emissam, non obstante d. constitutione S. Pii V. Sic eis specialiter concessit Gregorius XIII const. incip. *Ascendente*, et etiam alii Pontifices. (92. Et novissime Benedictus XIII, constit. incip. *Injuncti Nobis*, statuit nulla ab eadem Societate deberi sic ordinatis alimenta aut congruam sustentationem, si contingat eos ante solemnem professionem a præposito generali a dicta Societate dimitti; quidquid in contrarium scripserint alii, *Vide supra* num. 45.

(93. Novitii non possunt promoveri ad ordines minores a suis superiorib. abbatib. regularibus, quia pendente an. probationis non habentur quoad ordines suscipiendos pro subditis horum superiorum religionis. Barbosa, *supra concil. Trident.*, sess. XXIII, cap. 10, et *De offic. et potest. episcop.*, part. II, alleg. 3, n. 8; Naldus, in *Summa*, verb. *Novitius*, n. 8; Marchin., *De sacram. ordinis*, tract. 1, part. II, c. 10, cum seq.; Tambur., *De jure abbat.*, tom. II, disp. 2, qu. 27; Ugolin., *De offic. episc.*, cap. 26, § 20, num. 7; Roderic., in *Compend. resol.* 106, num. 2; Miranda, in *Manual. prælator.*, t. I, q. 38, art. 9, concl. 2, in fine, et alii passim, arg. conc. Trident., cit. sess. XXIII, cap. 10, *De reformat.* (94. Unde novitii respectu minorum ordinum ordinandi sunt a proprio episcopo, ut ex cap. *Cum nullus*, De temporibus ordin., in 6. (95. Episcopus autem proprius est episcopus loci monasterii in quo novitius agit novitiatum, cum novitius contrahat domicilium in loco in quo agit annum probationis, ex notatis communiter per Doctores in dicto cap. *Cum nullus*, § final., ut tenet et observat Fagnan., lib. II *Decret.*, c. *Cum inter* 13, De sentent. et re judicata; Donat., *Prax. rer. reg.*, t. II, tract. 7, q. 25, n. 4 et 5.

(96. Novitii post professionem in professorio seu in conventu secundi novitiatus sunt collocandi, ut patet ex decretis Clementis VIII adductis a Fagnan., lib. III *Decret.*, cap. *Relatum* 7, n. 82, Ne clerici vel monachi. (97. In novitiatibus et professoriis est

exacte observanda vita communis. Citat. decret. Clement. VIII, apud Fagnan., *l. c.*, num. 48, quæ decreta super receptione et educatione novitiorum a d. Clemente VIII edita, ut ab omnibus præ oculis habeantur, hic ad litteram dantur.

« CLEMENS PAPA VIII.

(98. « § 1. Cum ad regularem disciplinam in singulis religiosorum monasteriis propagandam, novitiorum institutio maxime utilis sit ac necessaria, et nihil ad gravem illam ac laudatissimam priscorum Patrum vivendi rationem relaxandam, majorem vim habuisse compertum sit quam vel nimiam in recipiendis novitiis facilitatem supra numerum quem capere atque alere monasteria ipsa possent, vel negligendam in probando et examinando eorum spiritu, an vere esset ex Deo atque ex præcipuo desiderio illi inserviendi, vel denique incuriam in eis educandis atque instituendis; idcirco, ut hujusmodi incommodo deinceps occurratur, præcipitur omnibus et singulis, ad quos spectat ut in recipiendis novitiis et in eorum institutione atque educatione, nec non in magistri et aliorum ministrorum electione, præter alia quæ in sacris canonibus et decretis præsertim concilii Tridentini, Pontificiis et cujuscunque ordinis aut instituti constitutionibus continentur, tam in alias designatis quam nunc, et in posterum ad hoc designandis monasteriis et conventibus, hæc, quæ sequuntur, inviolate observari et exsequi perpetuo curent.

« § 2. Primum, quod attinet ad novitiorum recipiendorum formam, ultra diligentem perquisitionem, quæ habenda erit de uniuscujusque natalibus, corporis habitudine, moribus et vita anteacta, ac præcipue eorum qui sextum decimum ætatis suæ annum excedent, an criminosi, an ære alieno gravati, vel reddendæ alicujus administrationis rationi obnoxii sint, juxta formam constitut. fel. record. Sixti V et moderationum subsecutarum; illud etiam superiores, ad quos spectabit, sedulo perquirant, ut quibus in monasteriis et conventibus, ex Apostolica facultate novitiatus fuerint instituti, in iis ad religionem nullus in posterum admittatur, qui et ex honestis parentibus natus non sit, et conditiones a sacris canonibus Summorumque Pontificum constitutionibus præscriptas non habeat, juxta decretum super forma de recipiendis novitiis die 19 Maii 1602 editum.

« § 3. Quisque recipiendus in aliquo ordine regulari, etiam mendicantium in ea sit ætate constitutus, quam ejus ordinis in quo recipietur, regularia instituta et ordinationes requirunt; eam vero litterarum scientiam calleat, aut illius addiscendæ spem indubiam præ se ferat ut minores et suis temporibus majores ordines, juxta decreta sacri concilii Tridentini suscipere valeat. Sed, si quis annum vigesimum quintum excedens ad habitum regularem admitti postulaverit, et talis eruditionis expers inventus fuerit, in conversorum tantum, qui-

Digitized by Google

bus litterarum scientia non est necessaria, numerum referatur : ipsi autem conversi non recipiantur ante vigesimum ætatis suæ annum, et nisi saltem præcipua doctrinæ christianæ capita noverint.

« § 4. Demum superiores diligenter exquirant quo spiritu, qua mente ac voluntate id regularis vitæ genus elegerint, quem sibi finem proposuerint, num zelo melioris frugis, ac perfectioris vitæ, et ut Deo liberius famulari possint, an potius levitate, vel humano aliquo affectu, aut inordinato animo ducantur, et an eorum parentes ope, et subsidio ipsorum indigentes, destituantur.

« § 5. Provideant quoque ut omnes etiam conversi recipiendi, priusquam ad habitum regularem admittantur, ab iis quibus munus hoc incumbit, de regula, quam professuri sunt, tribus votis essentialibus, statuque regulari, et aliis cujusque ordinis peculiaribus institutis et constitutionibus diligenter instruantur; et quia quarumdam religionum mos est, ne dum conversos ad professionem admittendos, verum et oblatos, ut vocant, recipere, circa ipsorum oblatorum receptionem, unaquæque religio suas peculiares constitutiones, specialiaque instituta observare teneatur.

« § 6. Statim atque novitii ad habitum recepti, et in locum novitiatus introducti fuerint, per generalem omnium peccatorum confessionem totius anteactæ vitæ conscientiam discutiant et expurgent.

« § 7. Quod vero ad loci qualitatem uniuscujusque novitiatus spectat, locus hujusmodi propria clausura ab ea parte conventus et monasterii, in qua degunt professi, segregatus sit, atque distinctus, habeatque tot ad dormiendum cellulas separatas, quot erunt numero novitii, vel dormitorium ita capax, ut pro singulis singuli lectuli commode sterni possint, in quo etiam cellula, vel certus, ac determinatus locus pro magistro, ejusque socio reperiatur.

« § 8. In eo etiam, præter alias communes commoditates aptus locus adsit ad spirituales collationes, seu conferentias faciendas, ac lectiones, instructionesque magistri audiendas, et in quem hyemis tempore ad calefaciendum se igne communi recipiant.

« § 9. Oratorium insuper, seu capella, si commode fieri poterit, ad novitios in spiritualibus, præsertim in cæremoniis, ecclesiasticisque functionibus exercendos.

« § 10. Hortus quoque peculiaris ad honestam recreationem, bene conclusus, atque munitus adsit; sin minus, hortum cæteris fratribus communem, recreationis tempore, ingrediantur; ipsis vero novitiis ibi commorantibus curabit magister, cum loci superioris auctoritate, si opus fuerit, ne in eumdem quisquam alius ingrediatur.

« § 11. Ad hujusmodi locum novitiatus nemini ejusdem, vel alterius ordinis regularis, etiam conventus, aut monasterii officiali, ullo unquam tempore, sub quovis prætextu, aditus pateat, præterquam magistro, ejusque socio, ac etiam monasterii, aut conventus superiori, si quandocunque ingrediendum sibi necessario existimaverit, quo tamen casu, aliquem semper ex senioribus conventus, vel monasterii patribus socium assumat.

« § 12. Hujus loci clausuræ clavis apud magistrum semper asservetur, illique soli liceat ex gravi tantum causa ingressum illuc alicui permittere : si quis autem novitiorum quempiam alloqui voluerit, magistro præsente, et non aliter alloquatur.

« § 13. Novitiorum magistro socius si per novitiorum instruendorum multitudinem necessarius fuerit, vita, et moribus quoad fieri poterit, consimilis deputetur, qui in his, quæ ad novitiatus regimen spectant, dicto magistro immediate subjectus existat; eliganturque tam magister quam socius per provinciale capitulum, per triennium ad minus onus hujusmodi subituri; quod si aliquo casu, extra tempus capitulare, nova loca novitiatus concedi contingat, tunc electionem magistri novitiorum, et socii hujusmodi, in his novis locis, per generalem, vel provincialem, seu ministrum, aut eorum visitatores, seu vicarios, de definitorum tamen, vel graviorum aliorum Patrum consensu, fieri permittatur; idemque servetur, si intra triennium alterum, vel utramque, urgenti aliqua de causa ex illis locis amoveri, vel mori contigerit, in cujus, vel quorum locum alii consimiles subrogari debeant.

« § 14. Tam novitiorum magister, quam socius ab iis omnibus officiis, oneribusque vocationem habeant, quæ novitiorum curam, et regimen impedire valeant. Ipse magister sacerdotali ordine sit initiatus, ac in quinto saltem supra trigesimum ætatis suæ anno constitutus, et per decennium a professione emissa in religione perstiterit. Socius vero trigesimum annum excedat, sintque ambo doctrina, et quantum per superiorum diligentiam, et vires fieri poterit, vitæ etiam anteactæ exemplo præstantes, orationis præterea, et mortificationis operibus addicti, prudentia charitateque referti, non sine affabilitate graves, zelum Dei cum mansuetudine præ se ferentes, ab omni cordis, ac animi perturbatione, ira præsertim, et indignatione, quæ in se, et erga alios, charitatem impedire consueverunt, quam longissime alieni, et tales demum, qui in omnibus seipsos bonorum operum exemplum præbeant, ut ii qui eorum curæ subsunt, illos non tam metuant, quam revereantur, nec illis unquam detrahere quidquam possint.

« § 15. Habeat etiam magister plenam, et absolutam potestatem circa novitiorum institutionem, ac novitiatus regimen, ita ut in illis nemini (visitatoribus ac superioribus majoribus, vel etiam localibus exceptis) quovis colore se ingerere liceat.

« § 16. Curam adhibeat diligentem, ut novitii omnes in regulari disciplina sedulo

Digitized by Google

exerceantur, agnoscantque præcipue divinæ, qua digni facti sunt, vocationis præstantiam, et excellentiam, quæ vera sit, atque perfecta votorum solemnium, et quam necessaria ordinis constitutionum observantia; modum in oratione tum vocali, tum mentali fructuose persistendi, illicitas passiones, et vitia (ad quæ natura per peccatum labefactata omni tempore prona est, atque proclivis), per sensuum custodiam, et mortificationem cohibendi, austeritatem, jejunia, cilicia, disciplinas, conscientiæ puritatem, crebram illius discussionem, sacramentorum frequentiam, confessionis præsertim, quæ bis saltem singulis mensibus fiat, per aperitionem quotidianam motuum internorum cordis, et tentationum manifestationem, per exercitium humilitatis circa viliora ministeria, per modestiam in omnibus actionibus, diuturnumque silentium.

« § 17. Quilibet novitius bis quotidie orationi mentali, et vocali incumbat, unusquisque secundum propriam capacitatem, et ordinem sibi a magistro præscriptum, ac pluries in die propriam conscientiam unusquisque examinare contendat, ipsi autem magistro soli novitiorum confessiones audiendi cura committatur. Liceat tamen superiori etiam locali, si ita expedire judicaverit, vel per se ipsum, vel per alium ab eo deputandum, semel, aut bis in anno eorumdem novitiorum confessiones audire. » (Istæ ordinationes non sunt per modum præcepti, sed solum per modum regulæ, et consilii, unde statutis regularibus non derogant, nec minus irritant confessiones aliter factas; sic in illis terminis tenet Molfes. part. 1 *Summ.*, tract. 7, cap. 14, num. 83, ex Peyr., pag. 298.)

« § 18. Quotidie missæ sacrificio intersint, statutis horis in choro, nocturnisque divinis officiis assistant.

« § 19. Exercitationibus etiam corporalibus vacent, legant, vel scribant res spirituales, modestam animi recreationem interponant; quæ in solitario loco, et commodo extra novitiatum, semel in hebdomada, vel in alternis saltem hebdomadibus longior statuatur, fiatque semper magistro præsente, vel socio, qui multum invigilent, ne duo ab aliis commorentur disjuncti, atque eo tempore, cujusque, in quam natura feratur, propensionem scrutentur.

« § 20. Non liceat eis, durante novitiatus et probationis tempore, una cum professis, nisi in choro, in ecclesia tempore officiorum, in processionibus, aut in cœnaculo causa refectionis commorari, nec permittatur eis professos domo exeuntes comitari.

« § 21. Pro communibus, et propriis cujusque necessitatibus, quæ accidere possunt, unus ex novitiis ipsis, ætate, moribusque provectior deputetur, qui, absente socio, magistro permittente, omnia, prout opus fuerit, agat, cui etiam januæ custodia, et rerum levioris momenti provisio intra novitiatum committi poterit.

« § 22. Cum autem licet clericorum bene instituendorum cura debeat esse præcipua, conversorum tamen religiosa instructio non sit prætermittenda, quin potius æquanimiter amplexanda, quandoquidem satis exploratum est, istorum etiam, cum regulam profiteantur eamdem, perfectam educationem, tum religioni decorem, et ornamentum, tum aliis Christifidelibus ædificationem, exemplum, atque utilitatem afferre: conversis ipsis a clericorum novitiatu separatus ad dormiendum locus, quantum commode fieri poterit, assignari præcipitur; illi tamen, hac separatione non obstante, magistro novitiorum, seu superioribus monasteriorum et conventuum, juxta cujusque ordinis statuta et constitutiones subditi esse, et obedientiam præstare debebunt, a quo non tantum circa corporalia obsequia probandi, et exercendi, verum etiam pro eorum capacitate, et commoditate de spiritualibus, præsertim de modo mentaliter orandi, diligenter instruendi erunt, quod ut commodius fiat, ad capitula et spirituales conciones, quæ per magistros novitiis fieri solent, accersiri debeant, et in ecclesiis, statutis horis conveniant, nisi tunc in suis officiis actualibus occupati fuerint.

« § 23. Tempore vero probationis elapso, ii tantum, qui non solum religiosæ perfectionis capaces, sed ad laborem corporalem apti novo, ac diligenti examine reperti fuerint, dummodo ætatis suæ annum quoad clericos decimum sextum, quo vero ad conversos vigesimum primum excesserint, ad professionem admittantur, sed qui ad conversorum habitum recepti fuerint, ad clericorum statum transire, etiam durante tempore probationis, non possint.

« § 24. Superior cujuslibet conventus, in quo novitiatus fuerit constitutus, particularem librum habeat, in quo uniuscujusque novitii professio registretur, illumque novitius professus propria manu, et duo testes, qui præsentes fuerint, subscribant.

« § 25. Conversus vero litterarum ignarus professus in eorumdem testium, qui se subscripserint, præsentia, propria manu signum crucis apponat, asserveturque liber, et custodiatur in archivio, ubi scripturæ ad monasterium, seu conventum pertinentes reponi consueverunt.

« § 26. Quia vero in quibusdam ordinibus filiationis usus est receptus, declaratur, quod licet decretum sit, ut novitiis educandis certa monasteria, aut conventus, designata quilibet ordo habere debeat, licitum tamen sit superioribus monasteriorum, et conventuum hujusmodi ordinum, in quibus filiationis usus receptus est, eos, quos prænarratis qualitatibus suffultos repererint, in suorum locorum filios juxta cujusque ordinis constitutiones ascribere, sicque ascriptos, cum juxta præsentes institutiones, et alias servatis servandis ad ordinem recepti fuerint, ad loca novitiatuum cum testimonialibus litteris transmit-

Digitized by Google

tere, ubi tanquam dictorum conventuum, seu monasteriorum filii, eorumdem nomine, et instantia recipi, ac in novitiatu probari, et deinde antequam ad eadem monasteria, seu conventus filiationis hujusmodi remittantur, in professorio ad perfectionem, ut præmissum est, exerceri debebunt.

« § 27. Porro, ne loca unius monasterii, seu conventus ab alio præoccupentur, capituli generalis, aut provincialis partes erunt numerum præscribere pro omnibus, et eam similiter rationem circa alimentorum contributionem, si opus fuerit, inire, ac singulis conventibus et monasteriis præscribere, quæ magis expedire videbitur.

« § 28. Ut autem novitii jam in professorum numerum, sicut præmittitur, recepti, melius in bono spiritu regularisque disciplinæ observantia, stabiliantur, et confirmentur, mandatur ut statim post professionem emissam, si in conventibus aut monasteriis pro novitiatibus assignatis, locus aderit secundi novitiatus, sive professorii, ab ea quæ novitiorum est, atque antiquorum professorum habitatione, distinctus, et segregatus, ibi collocentur, si monasterium aut conventus eos alere queat; sin minus, in alium commodiorem conventum, aut monasterium transferantur, in quo eis locus cum requisitis ad novitiatum supranarratis reperiatur, vel accommodetur, aut de novo construatur.

« § 29. Ab hoc tamen illæ religiones excipiuntur, quæ suarum constitutionum, seu institutorum vigore majoris temporis cursu novos professos intra novitiatum detinere consuescunt, quibus in hac parte non derogatur, illis tamen permittitur, ut prædictis earum constitutionibus non obstantibus, idipsum facere possint, si id rationi ac religioni magis expedire dijudicaverint, quibus in locis degant sub regulis, et modo vivendi adhuc arctiori, quam servent antiquiores professi, ita quod in negotiis monasteriorum, aut conventuum non se intromittere, nec communibus tractatibus interesse, neque alicujus exterioris obedientiæ officium exercere debeant, ibique permaneant, quousque ad ætatem sacris ordinibus suscipiendis sufficientem devenerint, vel saltem per triennium post professionem, quo etiam tempore poterunt, quinimo, et debebunt, litterarum studiis operam navare, sub directione, ac regimine superioris, qui eas qualitates habeat, quibus novitiorum magistrum præditum esse oportere dictum est.

« § 30. Declaratur tamen, quod propter præmissa non censeatur concessa licentia recipiendi novitios, nisi in locis pro novitiatu designatis, aut in posterum designandis, et pro numero duntaxat in eorum singulis præscripto, vel præscribendo.

« § 31. Denique si illi, qui inter religiosos gradu et ordine superiores sunt, et alii ad quos spectat, in prædictis omnibus, vel eorum aliquo deliquerint, seu quovis modo contrafecerint, officiorum omnium, quæ tunc obtinebunt privationem, gravioresque, pro modo admissæ culpæ pœnas se subituros certo sciant.

« Datum, Romæ apud S. Petrum, die 19 Martii 1603. Ant. Seneca Reform. Apost., secr., anno 1624, indictione 7, pontificatus autem S. D. N. D. Urbani divina providentia Papæ VIII anno ejus 2, die vero 26, mensis Octobris, supradicta decreta, tam sacræ congreg. Concil. quam S. M. Clem. VIII affixa, et publicata fuerunt ad valvas basilicarum S. Joann. Lateran. et Principis Apostolorum, nec non in acie Campi Floræ, ut moris est, per nos Camillum Fundatum, et Julium Marzitellum cursores Sanctissimi. Brandimartes Latinus pro magistro dictor. curs. »

(99 Datur insuper decretum Innocentii XI super conventibus novitiatus et recollectionis Minorum de observantia, et super iis, quæ in eisdem conventibus servari debent.

« INNOCENTIUS PAPA XI.

« Pro meliori novitiorum, et recenter professorum educatione, et ut fratres illi, qui majori spiritus quieti, et strictiori Regulæ nostræ observantiæ incumbere desiderant, id præstare possint in propriis provinciis, absque eo, quod hujus studii prætextu, aut ad alias transire, aut novas reformationes, et scissuras in ordinem invehere moliantur, statuitur, quod in singulis hujus familiæ provinciis de observantia instituantur tres, aut quatuor conventus recollectionis, qui sint primi et secundi novitiatus, ut simul, et loca spiritualis quietis, et perfectionis seminaria pro tota provincia esse valeant.

« Ad hunc finem eligi, et deputari debent conventus commodiores pro regulæ observantia, et novitiorum educatione, quorum designatio committitur commissario generali familiæ cum consilio definitorii cujuscunque provinciæ respective, cui generali commissario etiam committitur prima guardianorum et magistrorum eorumdem conventuum institutio cum facultate, ut si in provincia aliqua non fuerint religiosi pro his officiis in nova recollectionis erectione idonei, ex aliis provinciis, vel observantibus, vel reformatis, imo et ex alia familia possit eos adducere. Et insuper eidem committitur prima in eisdem conventibus eorum fratrum collocatio, qui ad formationem prædictæ recollectionis fuerint necessarii.

« § 1. Et ut incommoda ex multiplicitate horum conventuum alias experta evitentur, omnino interdicitur ne in qualibet provincia plures quam quatuor, paucioresve quam tres, recollectionis conventus esse possint, sublata facultate cuilibet superiori ordinis super hoc statu dispensandi; et ut nunquam separari a provincia possint, decernitur, ut in nullo conventu provinciæ, qui hujusmodi recollectionis non fuerint, possint indui novitii, nec probationis annum agere. Atque ita provinciæ inseparabiliter sint incorporati, ut sine ipsis utpote domus

Digitized by Google

receptionis, provincia ipsa subsistere non possit.

« § 2. Conventus autem prædicti distribuentur sic, ut in provinciis magnis duo illorum sint primi novitiatus, duo vero professorii, seu novitiatus secundi : in minoribus autem, aut unus erit primi novitiatus, et duo secundi, aut e converso, pro commoditate conventuum aut provinciæ : et quia in nullo prædictorum conventuum studium facultatis litterariæ collocandum est, aut permittendum, statuitur quod professi, antequam ad professoria, in quibus sunt artium litterariarum studia, transmittantur, in conventu recollectionis secundi novitiatus ad minus per annum integrum collocentur, ut in spiritu in novitiatu concepto, antequam ad studia transeant, confirmentur et roborentur.

« Forma autem vivendi in prædictis recollectionis conventibus sequens erit :

« Primo. Officium divinum statutis indispensabiliter horis, graviter et devote persolvatur, et orationi mentali duabus horis cum dimidia omnino vacetur, ita ut post matutinum (quod indispensabiliter media nocte persolvendum est) una hora, post primam dimidia, post completorium hora altera, in oratione mentali persistant. Sed a Resurrectione usque ad Exaltationem sanctæ crucis propter noctium brevitatem, hora post Matutinum orationis in horam ejusdem post sextam, et ante prandium habendam, commutetur.

« Secundo. Silentium, ac lectio spiritualis in refectorio nulla causa dispensetur. In dormitoriis autem, claustris et sacristia ita silentium observetur, ut tantum omnino necessaria, et submissa voce fratres loquantur.

« Tertio. Sæculares, nisi officiales conventus sint, ad interiora conventus non admittantur, sed pro rebus necessariis cum ipsis tractandis in claustro inferiori, camera honesta disponatur, in qua prædicta præstari possint.

« Quarto. Communitates chori et refectorii omnes fratres sequantur, nec ullus ab aliqua, sine expressa guardiani licentia, excusetur.

« Quinto. Tribus diebus in hebdomada, nempe feria secunda, quarta et sabbato post vesperas immediate, assistentibus prælato, et omnibus fratribus, lectio expositionis Regulæ, aut theologiæ mysticæ habeatur; ita ut duobus ex prædictis diebus exponatur regula, altero vero de theologia mystica, seu de vita spirituali tractetur; ad hoc instituatur unus lector, qui sit in theologia morali, et mystica versatus, cui, ut tempus pro lectionibus conficiendis habeat, conceditur ut a prima et oratione post ipsam excusetur. Qui post expletam expositionem Regulæ poterit Decalogum clare et breviter, pro instructione juvenum explicare.

« Sexto. Guardianus ad minus semel in mense feria sexta post completorium celebrabit capitulum culparum, eo modo quo in constitutionibus generalibus præscribitur, habita ad fratres spirituali collatione, in qua ad perfectionem, et spiritualem profectum excitentur, et animentur.

« Septimo. Paupertas nostri status, quantum fieri potest, stricte in communi observetur; et ut ita etiam fiat in particulari, guardiani de omnibus necessariis ad usum strictum seraphicæ paupertati congruum, fratribus provideant, ita ut recursus particularium ad benefactores, aut amicos spirituales via omnino præcludatur, nullusque quidquam ad usum suum habeat sine expressa licentia guardiani, qui usum rei, et supellectilis non necessariæ nulli concedat, aut permittat; quod ut exactius observetur, nullus quidquam ad proprium usum clausum habeat, et ad cujuscunque cellam semper aditus superiori pateat; et tam novitiis, quam cæteris religiosis usus duarum tunicarum talarium, quarum una erit cum caputio, et alia sine caputio, juxta Regulæ præscriptum, concedatur, nec cuiquam permittatur, ut sudaria, sachetos, aut alia quævis non concessa in Regula sub prætextu portationis solius habitus, deferat.

« Octavo. Postquam præf. recollectio per triennium firmata fuerit, nullus possit institui guardianus in prædictis conventibus, qui in aliquo illorum per biennium immediate vitam communem recollectionis sequens commoratus non fuerit.

« Nono. Nullus religiosus, cujuscunque qualitatis sit, in conventu recollectionis de familia collocari possit, aut in eo commorari, in quo Regulæ præcepta observare non possit; nempe jejunia, excalceationem, duarum tantum tunicarum usum, peditationem, chori die, noctuque communitatum sequelam; cum pro non valentibus adeo stricte vivere, cæteri provinciæ conventus expediti maneant, et tam guardianus ipse, quam cæteri omnes fratres hebdomadam sine exceptione suo ordine faciant.

« Decimo. In præfatis conventibus nullus frater criminosus, aut pro luenda pœna collocari possit, nec quisquam a quocunque prælato missus recipi debeat, nisi de consensu guardiani, et majoris partis discretorum conventus, admittendus judicetur.

« Undecimo. Nullus religiosus, cujuscunque qualitatis sit, possit recreationis, aut alterius cujusque negotii causa ad prædictos conventus divertere, nisi quis ad exercitia spiritualia per aliquos dies facienda cum sequela omnium communitatum, et rigoris vitæ recollectæ, admitti voluerit, nec minister provincialis, quando ad præfatos conventus, causa visitationis, vel alias accesserit, possit sub pœna suspensionis sui officii per bimestre, sæculares, aut alios fratres secum ferre, præter suum secretarium et socium, cui provinciali plurimum in Domino commendatur, ut in conventibus recollectionis omnibus seipsum præbeat exemplum bonorum operum et regularis disciplinæ.

« Duodecimo. Discursus fratrum extra conventum, quantum fieri possit, evitentur, et ut fratres addicti choro, extra conventum non vagentur, statuitur ut in quolibet prædictorum conventuum, præter officiales pro

Digitized by Google

interiori gubernio necessarios, collocentur fratres laici spirituales, et devoti, qui continuo, et extra conventum, eleemosynas pro necessitatibus fratrum temporibus opportunis petant, et spiritualis vitæ quieti incumbant; fratribus autem choro addictis raro exeundi extra conventum licentia concedatur, nec unquam, nisi duo extra ipsum esse possint; novitiis autem, et clericis in nullo casu, nisi in communitate exeundi a claustro licentia concedi possit, sub pœna privationis officii eam concedenti.

« Ultimo. In prædictis conventibus quoad reliqua ad vitam monasticam spectantia, constitutiones generales exacte ab omnibus observentur, ut cæteris exemplo, et ædificationi in pura observantia sint.

« Curent itaque commissarius generalis et provinciarum diffinitoria, ut prædicti recollectionis conventus in prædicta vivendi forma erigantur, et componantur; dum enim per attestationem prædicti commissarii generalis, et diffinitorii provinciæ, et discretorum illorum conventuum juramento firmatam de tali erectione, et compositione constiterit; sanctissimus dominus noster pro sua benignitate licentiam induendi novitios in illis conventibus sic efformatis concedet; quod si post primam concessionem prædicta vivendi forma in ipsis recollectionis conventibus exacte, et rigorose non observetur, licentia ulterius induendi in illa provincia non concedetur; unde provinciæ ipsæ sibi consulant, nam si medio adeo ad bonum, et stabilitatem religionis conducente non utantur, omnino successu temporis exstinguentur. »

(100. Alia *vide* verb. Approbatio, art. 2, a n. 2; verb. Annus probationis, seu Novitiatus; verb. Habitus, verb. Professio.

(101. Receptus pro laico seu converso, an possit transire ad statum clericalem? *Vide* verb. Professio, num. 88, et numer. 89; et verb. Transitus, num. 1.

(102. Novitii in quibus edocendi, atque instruendi, habebis, benevole lector, vel in indice ad calcem indicis tituli hujus, vel in aliquo ex tenuibus aliis nostris operibus, quæ, Deo dante, post promptam bibliothecam in lucem insuper daturi sumus: ob gravem enim adversum casum, ea quæ novissime de re jam meditata erant, non poterunt hic apponi.

(103. Ad complementum hujus tituli, præstat addere, quod per unum novitium mei seraphici ordinis Minorum de observantia habuit originem devotio Coronæ beatissimæ V. M. septem decadum in honorem suorum septem gaudiorum, modo, qui sequitur, prout refertur ad litteram in Annalibus Waddinganis tom. X, ad annum 1422; a num. 8 ad 18, ultimæ Romanæ impressionis typis Rochi Bernabo, 1734.

Sub hoc tempus, id est anno Christi 1422, associatus est minoribus adolescens quidam, Beatæ Virgini Mariæ reverenter addictus, qui, contexta ex floribus corolla, simulacrum ejusdem decorabat. Dum legendis floribus, et huic prosequendæ pietati non adeo liceret in tyrocinio intendere, juvenili levitate constituit ad sæculum redire. Discessurus Virginem salutavit, et patrocinium poposcit. Cui illa apparens dixit: « Noli contristari ob dimissum, vel impeditum, quod mihi præstabas, florum obsequium; docebo quomodo in aliud præclarius convertas, et coronam mihi compingas serto illo rosarum valde pulchriorem. Singulis diebus coronam mihi contexe, non ex floribus, qui cito marcescunt, neque semper haberi possunt, sed ex piis precibus, quas tu potes, et angelus docuit recitare. Profer decies Salutationem angelicam, et semel Orationem Dominicam, in memoriam gaudii, quo ego exsultavi de concepto Verbo æterno. Secundo, eadem repete, propter illud, quo perrexi cum festinatione in montana Judææ cognatam Elisabetham invisura. Tertio, propter summam lætitiam, qua Christum Dominum absque dolore, integro pudore sum enixa: quarto, propter eam, qua magos infantulum adoraturos excepi. Quinto, ob repertum in templo Filium, quem prius deflebam amissum. Sexto, ob gloriosam ejus resurrectionem. Septimo, ob meam in cœlos assumptionem. Hæc si singulis diebus dixeris, certo scias sertum mihi gratum, et tibi meritorium te compacturum. » Obsecutus adolescens, qua potuit devotione, recitare cœpit præscriptam precum formulam, et accedens caute tyronum magister, ut exploraret quid in cubiculo ageret, vidit angelum rosas filo paulatim inserentem, et singulis denis aureum lilium connectentem, mox coronam ex omnibus composuisse, et tyronis genuflexi capiti imposuisse. Paulo post præceptor imperavit, ut quæ tunc faciebat, enarraret, dixitque eo se modo preces illas obtulisse, quo a Beata Virgine instructus fuerat, unde visionis arcanum magister percepit.

Confirmatur miraculis.

1. Prosecutus ille quotidie per omnem vitam devotionem hanc, accidit ut cum socio alternatim repetens, per nemus quoddam, prædonum latibulum, transiret. Prodeuntes ex latebris nebulones irruerunt in fratres, sciscitantes quoniam dilapsa fuerit speciosa puella, quam secum in nemoris aditu ducebant. Illi negare et abjurare se nullum duxisse, neque vidisse; hi urgere, in comitatu fuisse, precariis orbiculis rosas alligasse, et ultima minari tormenta, nisi revelent ubi dimiserint, aut absconderint. Dum nihil extorquere potuerunt a nihil scientibus, ad arbores alligatos vexare tentarunt. Illi e contra agonem suum Deo et sacratissimæ Virgini commendantes, rogarunt, ut invocantibus opem ferrent. Adfuit beata Virgo, et latrones increpavit, quod ita inhumane suos servos tractaverint, seque ipsam esse dixit, quæ associabat coronæ pensum devote solventes. Hac visione territi, increpatione compuncti latrones, a viis suis pessimis recedentes, Fratrum Minorum institutum subierunt, et ubique

Digitized by Google

retulerunt quæ propriis oculis conspexerunt.

2. Hinc invaluit mos in ordine Minorum, transivitque ad alios, coronam Beatæ Virginis recitandi, quam Oratione Dominica septies, et Salutatione angelica septuagies, et bis repetita, in honorem septuaginta duorum annorum, quibus sacratissima Virgo, juxta probabiliorem sententiam vixit, et gaudiorum septem ap ipsa complendam pii viri asseverant. Ut vero amplius hæc crescerent pietas, crebra fecerunt miracula. Etenim post paucos annos ipse adolescens decedens, visus est in cœlum efferri, rosis et liliis circumdatus, atque inter brachia sacratissimæ Virginis exceptus, floribus coronari.

3. Consodalis alter firmiter constituit, quotidie coronam hanc recitare ante prandium, sed semel oblitus, dum manducare incepit, recordatus est omissionis. Petiit licentiam abeundi, recessit in templum, ubi coram beatæ Virginis altari, quod solebat, pensum solvebat. Dum his immoraretur, misit guardianus exploratum quid ageret, aut quo abierit. Visus est genuflexus orans, et angelos duos per brevia intervalla excipere ex ore ejus rosas, et post decimam quamque, lapidem pretiosum, et ex his contextam coronam imposuisse capiti beatæ Virginis astantis. Retulit omnia explorator præfecto; hic vero obedientiæ præcepto ab orante confessionem omnium extorsit,

4. Simile quid accidit Ancopæ in Marchia. Beatus Gabriel Anconitanus guardianus, admirandæ pietatis vir, præcepit Ludovico Albanensi tyroni, ut singulis diebus, antequam manducaret, obsequium istud beatæ Virgini præstaret. Quodam die toto tempore ante meridiano domesticis ministeriis implicitus, non potuit. Dum mensæ assideret, interrogatus a superiore an pensum hoc Beatæ Virgini illo die persolverit, et fassus non fecisse, jussus est in ecclesiam abire, atque omissionem compensare. Abiit, fecit, oravit, coram altari præcipue hanc noxam sibi dimitti. Submisit postea superior, qui investigaret an vere obedierit? visus est ferme eodem modo quo alter, orare, atque ex ejus precibus aptatam coronam beatæ Virginis capiti circumduci. Retulit hic quæ vidit; missi deinde alii, qui etiam idipsum perspexerunt: accessit demum ipse guardianus, et quæ reliqui, conspexit. Hinc amplius devotionem novitio commendavit, et cæteris fratribus imitandum proposuit, et diuturno tempore illo in loco, quo novitius orabat, perseveravit suavissimus odor rosarum et liliorum.

5. Frater Petrus e civitate Pennensi oriundus, socius B. Thomæ Florentini, et primus inter observantes provinciæ Sancti Bernardini laicus, vir miræ perfectionis, et assiduæ orationis, qui aliquoties visus est per horas quinque immobilis, brachiis in crucis modum protensis hæsisse, facie interim solis instar resplendente: aliquoties etiam a terra in altum elevatus, hac etiam ferebatur devotione, ut quotidie his precandi formulis beatam Virginem salutaret. Semel accidit, dum construendo cœnobio Sanctæ Mariæ Podii Orsonæ adlaboraret, ut diurno labore fessus obliviscetur coronam recitare. Dum iret cubitum, meminit omissi pensi Mariani, statimque recessit ad oratorium, dicturus quæ solebat. Ab incœpta corona paulo post somno correptus, absolvere non potuit. Dormitanti apparens beata Virgo angelis duobus associata dixit: « Dormi, et requiesce dilecte fili, satis orasti laboribus fessus, obedientiæ, et charitatis operibus addictus, » et afferri fecit per angelos in lectum. Ad matutinas preces expergefactus, comperit visionem, quam habuit, veram fuisse, non imaginariam.

6. Simile ferme per omnia accidit cuidam fratri adolescenti in provincia Romana, dio quodam distracto in hospitibus recipiendis. Rem omnem deprædicabat frater Laurentius de Monte Calerio, vicarius ejusdem provinciæ vir probatissimæ vitæ, beatæ Virginis cultor studiosissimus, qui de hac re scribunt, suspicantur ista eidem Laurentio in juventute accidisse.

7. In provincia Sancti Francisci, et comitatu Assisii, fuit quidam vir religiosissimus, pietate, et prophetiæ dono insignis, qui devotionem hanc omni hominum generi magnis, et parvis, nobilibus, et infimis, et senibus, et junioribus perpetuo inculcabat, propterea *Frater Jacobus de Corona* nuncupatus. In omnibus tribulationibus, et necessitatibus ad has preces recurrebat, et opem reportabat, rebusque dubiis dabat responsa. In burgo Sancti Sepulcri, dum ageretur de destruendo conventu Minorum extra mœnia posito, ne hostibus Neapolitanis cito adventuris, foret præsidio, rogavit Jacobus commissarium, a senatu Florentino in hanc rem amandatum, ut a ruina paululum supersederet, donec ille beatæ Virginis imploraret auxilium. Assueto suo precum genere salutavit, rogavitque, ut domum, in qua tot ei coronæ quotidie tam a se, quam a reliquis fratribus offerebantur, servaret indemnem. Responsum accepit, non accessuros hostes, sed ab omnibus Florentinorum terminis brevi discessuros; quod post paucos dies ipse probavit eventus. Eo in loco, postquam varia patrarat miracula, et sacrosancta susceperat Ecclesiæ sacramenta, migravit ad Dominum. Animam ad cœlos evehi inter multitudinem angelorum visum est, et exsequiis interfuit populus universus.

(8, 9, 10. Bernardinus Feltrensis Veronæ, in eremitorio Pescariæ, provinciæ Sancti Antonii, narrabat ea in urbe accidisse, ut frater quidam pius in quodam Ecclesiæ angulo formula hac orandi devote uteretur, et ab alio viderentur ei astitisse angeli, qui ad singulas salutationes angelicas corona aurea Virginem redimirent, et rosam, aut lilium porrigerent. Referebat etiam, in eadem provincia Antonium Rubeum Foro Juliensem, huic pietatis generi addictissimum, dum comitaretur senem quemdam provinciæ vicarium in civitatem Vicentiæ, sub

Digitized by Google

continuo aquarum diluvio, invocata B. Virgine, et positis precariis orbiculis in capite, neque una guttula madefactum, sed sicca veste in urbem omnibus admirantibus pervenisse. Frater Franciscus Sulmonensis provinciæ Sancti Bernardini, vir laudabilis, et pius, retulit, adolescentem quemdam initiandum apud Minoritas, toties quoties accelebat ut religiosa veste indueretur, revocatum variis tentationibus, quas demum nullo negotio superavit, recitata corona aliquoties coram B. Virginis effigie.

(11, 12, 13, 14. Prædictus Feltrensis publice prædicavit, scholarem Perusinum, nobilis adolescentulæ amore insanientem, magicis incantationibus usum, ut potiretur, sed omnes elusas, etiam ipsius dæmonis confessione, quod singulis diebus coronam hanc beatæ Virgini puella consecraret. Improbæ etiam vitæ hominem, qui ex summa desperatione dæmones in suum convocavit interitum, ab eisdem sibi apparentibus responsum accepisse, nocere non posse quotidie has preces recitanti. Ticini dixit ex suggesto, nobilem quamdam matronam docuisse hunc Virginis cultum suos filios puerulos, summo mane singulis diebus exhibendum, atque ex his unum in flumen decidisse: matri demum, et multis corpus quærentibus super aquas incolumen apparuisse, et dixisse se beneficio illius Virginis servatum, cui ex matris disciplina matutinas adaptabat coronas. Pellicem etiam, propter quam multa orta erant scandala et homicidia, demum lethaliter sauciatam, et in foveam projectam, apparente et protegente B. Virgine, propter hanc quotidianam devotionem, eo usque vixisse, donec advenerit confessarius, et rite se accusanti reatuum impenderit absolutionem, statimque exspirasse.

(15. 16. Volaterris anno 1454, devota femina, antequam iret cubitum cum suis filiis, hac formula oravit. Accidit, ut illa nocte tectum oppressum nimio pondere nivis corrueret, sed nihil nocuit, paucis arundinibus circa lectum compositis, totam molem cum omnium admiratione sustinentibus. In oppido Sartiani in eadem provincia Etruriæ, et ecclesia Minorum irruentes duo sicarii in duos incolas castri plebis, hujus cultus Mariani perpetuos observatores, uni nocere non poterant, alteri licet vulnera multa inflixerint, vivus et sanus præter omnium exspectationem apparuit. Hæc, et alia multa collegerunt, qui de recitanda Virginis corona, ejusque virtute pie scripserunt.

Ob hæc, et alia miracula cœpit a nostris religiosis de observantia promulgari in tota seraphica religione, et in universo orbe hic sanctus usus, et singularis devotio coronæ beatissimæ Virginis Mariæ, omnes fervide exhortando ad frequentandam hanc tam acceptam B. M. Virgini, et fidelibus sic proficuam devotionem; ita ut brevi intervallo temporis fuerit ab omnibus Mariæ devotis in praxim deducta, et a Romanis Summis Pontificibus approbata, valde commendata, et Indulgentiis ditata, ac decorata, et signanter a Leone X, brevi incip. *Exponi Nobis*, et alio incip. *Dum præexcelsa*, in qua concessit indulgentiam plenariam fratribus et sororibus ordinis Fratrum minorum et consequenter Tertiariis, et Cordigeris recitantibus, dictam Coronam B. M. V,. ex 72 *Ave, Maria*, et 7 *Pater noster*, cum adhuc uno *Pater* et *Ave* pro Summo Pontifice; quam Paulus V, post generalem indulgentiarum regularibus concessarum revocationem, de novo concessit 8 Julii 1608, ad instantiam Patris Ludovici a S. Joanne evangelista commissarii generalis Ultramontanæ familiæ Minorum de Observantia, ut refert Lantusca in *Theatro regularium*, verb. *Indulgentia*, n. 3, et Innocentius XI, brevi incip. *Exponi Nobis*, firmam esse voluit, atque sancivit, ut patet in *Rubricis novi Breviarii nostri Franciscani confirmatis ab Innocentio XII*, n. 90. Et hanc indulgentiam applicabilem esse etiam defunctis expresse docent Candidus Brugnolus in *Speculo clericorum*, tract. 3, cap. 15, resolut. 10; Petrus Antonius de Venetiis, in *Viridario seraphico*, italice impresso, tom. II, part. VII, cap. 10, in fine, et alii passim innixi etiam speciali brevi Gregorii XV, edito sub die 10 Novembr. 1622, in quo concessit quod fratres Minores, Clarissæ, et Tertiarii, quibus additi sunt Cordigeri, possint applicare per modum suffragii omnes indulgentias, et opera meritoria animabus purgatorii. *Vide* verb. INDULGENTIA, art. 5, n. 10 et 12.

(104. Novitii regulares admitti debent juxta formam decretorum Clementis VIII et constitutionum ordinum pecularium, nec sine gravi causa minuendum est ipsis probationis tempus. Benedictus XIV, tom. II, constitut. 47, incip. *Si datam hominibus*.

(105. Novitiatus expleri debet in cœnobio ad institutionem novitiorum designato, sub pœna nullitatis professionis. Idem, *ibidem*.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(106. Magna inter doctores quæstio est, an abbates, quibus jus est conferendi primam tonsuram, et minores ordines subditis suis regularibus, possint eos conferre novitiis. Resolutio autem hujus quæstionis inde pendet, an novitii accenseri possint subditis regularibus, quibus tantum possunt abbates primam tonsuram et minores ordines conferre.

(107. Affirmant autem Pirhing ad tit. *Decr. de Tempor. ordin.*, num. 55; Krimer, ad eumdem titulum, num. 2117; Engel, *De privil. monast.*, priv. 49; Schmier, *Jurisprud. canon. civil.*, lib. I, tract. 4, capit. 2, sect. 2. § 1. Negant vero clar. memor. Cardin. Petra, *In commentar. ad constit. Apostol.*, constit. unic. Urban. II, sect. 2, n. 20; Mirand., in *Manual. prælator.*, tom. I, quæst 83, art. 9; Pax Jordan., *Diversar. lucubrat.*, tom. I, lib. V, tit. 3, num. 60; Tambur., *De jur. abbat.*, tom. II, disput. 10, quæsit. 10, num. 4.

(108. At amplectenda omnino est negativa sententia, quam tenuit sacra congr.

Digitized by Google

Concil. Trid. interpret. *in Mutinen. ordinationis* 14 Maii 1689. In hac causa enim, tametsi definitum fuerit abbatem Casinensem haud potuisse primam tonsuram conferre oblato; idem tamen dicendum est de novitio, quippe qui non secus ac oblatus, subditus regularis dici nequit.

(109. Utrum autem collatio primæ tonsuræ, et ordinum minorum facta novitio sit tantum illicita, an etiam invalida, vide apud Gruber., *Deprivileg.*, disput. 7, sect. 2, num. 18 et seq.

(110. De ordinarii licentia ex concil. Trid., sess. XXV, cap. 16, *De regular.*, in renuntiationibus novitiorum intra duos menses ante professionem requisita, de qua agit Auctor a n. 30 ad plur. sequent. quæri solet, et quidem maximo animorum contentione, utrum requisita ea sit pro extrinseca solemnitate, an pro forma. In varias doctores abierunt opiniones. (111. At Rota tenet eam pro formam requisitam esse, ut novissime *in Romana, seu Januen. successionis* 9 Decembris 1746, § 1, cor. clar. mem. Millin., et 26 Jun. 1747, § 8, cor. reverend. Cortada.

(112. Valde autem utilis est hæc observatio; eo enim ipso quod hæc licentia non pro solemnitate extrinseca sed pro forma est requisita, sequitur hinc, quod si ea haud interveniat in ipso actu renuntiationis, præsumi haud possit, ex observantia licet triginta annorum. Ex hac enim observantia præsumi potest solemnitas extrinseca actus, non item forma ejusdem actus, ut confutatis omnibus contrariis, respondit idem sacrum tribunal Rotæ, *in d. Romana*, seu *Januen. successionis* 9 Decembris 1746, § 7 et seq., coram clar. mem. Millin., et 26 Junii 1747, § 8, et plur. seq., cor. reverendiss. Cortada.

(113. Quid, si ipsa licentia enunciata in instrumento renuntiationis, minime tamen reperiatur? Hoc in casu posse eam præsumi ex observantia triginta annorum placuit eidem supremo auditorio Rotæ in dict. *Decisionibus* mox citatis. (114. At si ipsa nec enuntiata in instrumento renuntiationis sit, præsumi haud potest ex dicta observantia triginta annorum.

(115. Nec illud est hic reticendum, quod ex eo, quod hæc licentia requisita est pro forma actus, nec juramento renuntiare ei valet novitius. Rota *in dict. Romana*, seu *Januen. successionis* 9 Decembris 1746, § 8, coram clar. mem. Millin., et 26 Junii 1747, § 8, coram reverendiss. Cortada.

NUMMUS.

Vid. verb. EMPTIO, *art.* 1, *n.* 7 *et* 8.

NUNTIUS.

(1. Nuntii Sedis Apostolicæ offendi prohibentur sub pœna excommunicationis in bulla *Cœnæ*. Benedict. XIV, t. I, constitut. 14, incip. *Pastoralis*, § 11. (2. Nuntiis Apostolicæ Sedis adimitur facultas dispensandi quoad clausuram. Idem, constit. 39, incip. *Regularis disciplinæ*, § 4, et constitut. 4, incip. *Salutare*, § 3. (3. Nuntio Poloniæ adimitur facultas dispensandi quoad formalitates præscriptas in celebratione matrimonii. Idem, constitut. 85, incip. *Nimiam*, § 16. (4. Arbitrio nuntii Apostolici Venetiis existentis permittitur neophytis ad fidem conversis Venetiis in loco pio catechumenorum matrimonium contrahere cum fideli absque interpellatione prioris conjugis in infidelitate relicti. Idem, constitutione 117 incip. *In suprema*. (5. Nuntii Apostolici in Computesteria camerali rationes exhibere tenentur de pecuniis cameræ a se administratis. Idem, tom. VII, constitut. incip. *Apostolicæ Sedis*, num. 26. (6. Nuntiis Sedis Apostolicæ injungitur, ut super episcopor. residentia invigilent. Idem, constitut. 18, incip. *Ad universæ*.

Alia ad rem *vid.* verb. LEGATUS.

* Nuntiorum Apostolicorum, qui stabilem apud aliquem principem, aut in aliqua urbe sedem habeant, origo vetustissima est, et ab apocrisariis, qui saltem a S. Leonis M. temporibus ad Constantini Pogonati imperium in Constantinopolitana urbe apud Orientis imperatores, et in ipsa imperatorum aula residebant, repetenda. Duo autem sunt hujusmodi nuntiorum genera. Alii enim *primi ordinis* sunt, qui scilicet non ante suo munere defunguntur, quam cardinales renuntientur; alii *secundi ordinis*, quibus non statim a suæ legationis exitu, sacræ purpuræ honor deferri consuevit. Sunt illi nuntii, qui Vindobonæ apud imperatorem commorantur, et apud reges Galliarum, Hispaniæ ac Lusitaniæ; hi vero nuntii Poloniæ, Venetiarum, Lucernæ apud Elvetos, Monachii in Bavaria, Neapolis, Florentinæ, et qui seu ad tractum Rheni mittuntur, et coloniæ Agrippinæ resident, seu missionibus Hollandiæ et Angliæ præsunt, et Bruxellis consistunt. Omnibus hisce nuntiis antiquitate præstat Viennensis; licet enim, Neapoli jam XIV sæculo fuerint hujusmodi nuntii, ita tamen eorum series interrupta fuit, ut si illorum instaurationem attendimus, Viennensibus, qui sub ipsa XVI sæculi initia statuti sunt, posteriores haberi debeant. Coloniensis, seu ad tractum Rheni primum constitutus a Gregorio XIII fuit, qui illuc Magni Caroli Borromæi familiarem Franciscum Bonomium episcopum Vercellensem Coloniam misit, ut Gerardo Truchsessio archiepiscopo Coloniensi, qui cum sanctimoniali Agnete Mansfeldia sacrilegum connubium inierat exauctorato, domicilium ibi figeret, suaque præsentia et auctoritate aut mala præcaveret, aut certe nulla interposita mora repararet. Clemens deinde VIII avulsis a Coloniensis nuntii jurisdictione Hollandis, aliisque qui in Belgii missioni-

Digitized by Google

bus degunt catholicis, novum nuntium Bruxellis residere jussit, qui et Anglorum missionibus præesset. Novissimus internuntios Monacensis est, quem Pius VI P. M, urgente religionis catholicæ studiosissimo Bavariæ duce atque electore, instituit, non tamen sine exemplo, ut non tam creasse, quam intermissam legationem illam revocasse, et confirmasse videatur.

Ad nuntiorum jurisdictionem quod attinet, ea ex illos mittentis auctoritate, et potestate accersenda est. Vere enim quotquot Romani Pontifices nuntios legant, illud Gregorii M., lib. I, ep. 1 *ad episcopos Siciliæ* usurpare possunt : « valde necessarium perspeximus, ut sicut prædecessorum nostrorum fuit judicium, ita uni eidemque personæ omnia committamus, ut ubi nos præsentes esse non possumus, nostra per eum, cui præcipimus, repræsentetur auctoritas. » Sed cum a paucis annis hac de re in Germania contentio aliqua exorta sit, ac tenebricosi quidam scriptores impudentissimis libellis Nuntiorum jurisdictionem oppugnare ausi sint, brevi liber prodibit ad ipsis Germanis expetitus (cujus etiam specimen quoddam germanice nuper exiit) ad tantam comprimendam temeritatem atque audaciam. * Transumpta jam h. libri editi sub v. Vic. apost. inseremus. *

NUNDINÆ

1. Nundinæ sunt de rebus majoribus semel in anno, vel saltem raro in eodem loco, negotiatoribus de longinquo convenientibus. Benedict. XIV, tom I, constit. 44, incip. *Ab eo tempore*, § 16. (2. Nundinæ ecclesiasticis legibus sæpe interdictæ fuerunt diebus festis. Idem, *ib.*, § 18. (3. Sed ob generalem consuetudinem, et necessitatem hominum tolerandæ sunt. Idem, *ib.*, § 25. (4. Prohibentur tamen agitari commercia certis per diem festum horis, quibus divina officia celebrantur. Idem, *ib.*, § 30, et constit. 105, incip. *Paternæ charitatis*, § 2, et prorogatis diebus nundinarum et indultorum ad eas celebrandas concessorum. (5. Idem, *ibid.* (6. Nundinæ in civitate Senogalliensi celebrari jubentur per septemdecim postremos dies mensis Julii, cum privativa, exemptionibus et privilegiis. Idem, cit. constit. 105, incip. *Paternæ*. *Vide* tom. III, verb. Festa, num. 120, 121.

NUPTIÆ.

SUMMARIUM.

1. Nuptiæ unde dictæ? — 2. Feminæ dum maritantur, cur velentur? — 3. In nuptiis quare a sponso detur annulus sponsæ, et inseratur in quarto digito? — 4. Veritas nuptiarum non consistit in sola commistione maris et feminæ, sed principaliter in tori conjugalis fide, et cura ordinata filios procreandi. — 5. Qui non filios procreandi, sed explendæ libidinis causa sibi invicem copulantur, non tam conjuges quam fornicarii videntur. — 6. Nuptiæ terram replent, virginitas paradisum. — 7. Nuptiæ secundæ permittuntur ut licitæ. — 8. In nuptiis non debent Christiani saltare, et alia similia facere. — 9. Nuptiarum solemnitas quibus temporibus fuerit prohibita jure veteri. — 10. Et quibus temporibus sit prohibita jure novo concilii Tridentini. — 11. Tempus Adventus in hac prohibitione incipit a primis vesperis sabbati præcedentis, in feria autem quarta Cinerum a media nocte illius feriæ. — 12. Terminat autem tempus dictæ prohibitionis in die Epiphaniæ, et in die octavæ Paschatis inclusive. — 13. Nuptiarum solemnitas pro certis anni temporibus potuit, et potest licite prohiberi ab Ecclesia, et contrarium asserens est anathema. — 14. Omnia ea, quæ concernunt nuptiarum benedictionem, *remissive*. — 15. Traductio uxoris ad domum viri privata, et sine solemnitate, et consummatio matrimonii, seu carnalis copula, an sit prohibita in supradictis anni temporibus? — 16. Denuntiationes matrimonii fieri possunt temporibus prohibitis nuptias celebrare. — 17. Per nuptias prohibitas proprie intelligitur ipsamet solemnitas, seu pompa exterior, quæ in contractu matrimoniali adhiberi solet. — 18. Advertenda sunt hic aliqua notabilia ad n. 19. — 20. Mater transiens ad secundas nuptias privatur tutela filiorum prioris matrimonii. — 21. Item perdit etiam curatelam eorum. — 22. Dicta tamen pœna non afficit patrem transeuntem ad secundas nuptias. — 23. Alia ad rem, ad n. 28. — 29. Subnectuntur *Addit. ex aliena manu* ad n. 58.

(1. Nuptiæ dicuntur ab obnubendo, quia feminæ in nuptiis caput suum obnubere solebant; textu expresso in cap. *Nec illud* 8, caus. 30, qu. 2, ibi : « Inde enim et nuptiæ dictæ, quod pudoris gratia se puellæ obnuberent. » Sic etiam fecit Rebecca videns Isaac sponsum venire in occursum sibi : *Gen.* XXIV, 64, 65, ibi : *Rebecca quoque, conspecto Isaac, descendit de camelo. Et ait ad puerum : Quis est ille homo, qui venit per agrum in occursum nobis? Dixitque ei : Ipse est dominus meus. At illa tollens cito pallium, operuit se.*

(2. Feminæ, dum maritantur, ideo velantur, ut cognoscant se semper maritis suis subditas esse, et humiles, textu expresso in cap. *Feminæ* 7, caus. 30, qu. 5, ibi : « Feminæ, dum maritantur, ideo velantur ut noverint se semper maritis suis subditas esse humiles. » * Olim erat purpurei coloris, quod propterea *flammeum nuptiale* vocat S. Ambrosius *De virgin.*, cap. 15, ad denotandum fortasse pudorem, quem in conjugio servari oportet. *

(3. In nuptiis annulus a sponso sponsæ datur, vel propter mutuæ fidei signum, vel propter id magis, ut eodem pignore eorum corda jungantur, et ideo quarto digito inseritur, textu expresso in d. cap. *Feminæ* 7, caus. 30, qu. 2, in fine, ibi : « In primis negotiis annulus a sponso sponsæ datur, fit hoc nimirum, vel propter mutuæ fidei signum, vel propter id magis, ut eodem pignore eorum corda jungantur. Unde et quarto digito annulus idem inseritur, quod in eo vena quædam, ut fertur, sanguinis ad cor usque

Digitized by Google

perveniat. » * Annulus ex veteri more ad sponsalia spectat, non ad nuptias. Quare Tertullianus, *Apolog.*, cap. 6, eum vocat *pronubum annulum*. Vide S. Nicolai I *Responsa ad consult. Bulgaror.*, ubi cæremonias in sponsalibus adhiberi solitas ab illis, quæ in nuptiis, aperte distinguens, annulum ad *arrhas* refert, quibus « sponsam sibi sponsus per digitum fidei annulo insignitum desponderit. * »

(4. Veritas nuptiarum non consistit in sola commistione maris et feminæ, sed principaliter in tori conjugalis fide, et cura ordinata filios procreandi, ut expresse cavetur in c. *Non enim*, caus. 32, q. 1. Unde qui non causa procreandi filios, sed explendæ libidinis sibi invicem copulantur, non tam conjuges, quam fornicarii videntur: Gratianus ad cap. *Pudor* 1, caus. 32, qu. 2', ibi: « Qui ergo non causa procreandæ sobolis, sed explendæ libidinis sibi invicem copulantur, non tam conjuges quam fornicarii videntur. »

(5. « Nuptiæ terram replent, virginitas paradisum; » sic expresse dicitur in cap. *Nuptiæ* 11, caus. 32, 1. Nuptiæ secundæ permittuntur ut licitæ; cap. *Hac ratione* 9, cap. *Quomodo* 10, c. *Aperiant* 11, cap. *Deus* 12, et cap. *Quod si dormierit* 13, caus. 31, q. 1, cum similibus.

(6. In nuptiis non debent Christiani saltare, et alia similia facere. Concil. Laodicens., cap. 53. ibi: « Non oportet Christianos ad nuptias euntes vel ballare, vel saltare, sed caste cœnare, vel prandere, sicuti competit Christianis. » Et hoc in secundis nuptiis prohibetur sub pœna excommunicationis, et alia arbitraria. Con. Turonen. IV, cap. 13, ibi: « Fieri omnino prohibemus sub excommunicationis sententia, et alia pœna arbitraria. »

(7. Nuptiarum solemnitas jure veteri prohibita erat a Septuagesima usque in octavam Paschæ, et tribus hebdomadis ante festivitatem Sancti Joannis Baptistæ, et ab Adventu usque in Epiphaniam: textu expresso in c. *Non oportet* 10, caus. 33, q. 4, ibi: « Non oportet a Septuagesima usque in octavas Paschæ, et tribus hebdomadis ante festivitatem sancti Joannis Baptistæ, et ab Adventu Domini usque post Epiphaniam nuptias celebrare, quod si factum fuerit, separentur; » et ex parte concordat cap. *Non oportet* 8, cap. *Non licet* 9, et cap. *Ne uxorem* 11, ead. caus. 33, et qu. 4, et de his sermo in cap. *Capellanus* 4, De feriis.

(8. Jure autem novissimo concilii Tridentini sess. XXIV, *De reformat. matrimonii*, cap. 10, nuptiarum solemnitas prohibetur solum ab adventu Domini usque in diem Epiphaniæ, et a feria quarta Cinerum usque in octavam Paschatis inclusive, ibi: « Ab adventu Domini nostri Jesu Christi usque in diem Epiphaniæ, et feria quarta Cinerum usque in octavam Paschatis inclusive, antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus observari sancta synodus præcipit. In aliis vero temporibus nuptias solemniter celebrari permittit: quas episcopi, ut ea qua decet modestia et honestate fiant, curabunt; sancta enim res est matrimonium, et sancte tractandum. »

(9. Tempus Adventus in hac prohibitione incipit a primis vesperis sabbati præcedentis: in feria autem quarta Cinerum a media nocte illius feriæ. Barbosa, in d. sess. XXIV concil. Trident., cap. 10, n. 2; Molfes., in *Summa theologiæ moralis*, tract. 4, cap. 11, n. 11, et alii passim. (10. Terminat autem tempus dictæ prohibitionis in die Epiphaniæ inclusive, et in die octavæ Paschatis etiam inclusive. Concilium enim, dum dicit, « usque in diem Epiphaniæ, » excludit ipsius octavam, et dum subjungit *inclusive*, comprehendit tam ipsam totam diem Epiphaniæ, quam totam diem octavæ Paschatis, quia illud verbum *inclusive* ad utrumque tempus est referendum, cum nulla subsit ratio diversitatis, ut recte notat Fagnan. in cit. cap. *Capellanus* 4, n. 5, De feriis, arg. l. *Plures* 29, ff. *De rebus dubiis*, et l. *Cum post omnes* 1, cod. *De liberis præteritis*.

(11. Nuptiarum solemnitas pro certis anni temporibus potuit, et potest licite prohiberi ab Ecclesia; et contrarium asserens est anathema. Concil. Trid., sess. XXIV, *Doctrina de sacramento matrimonii*, canon. 11, ibi: « Si quis dixerit, prohibitionem solemnitatis nuptiarum certis anni temporibus superstitionem esse tyrannicam, ab ethnicorum superstitione profectam, aut benedictiones, aut alias cæremonias, quibus Ecclesia in illis utitur, damnaverit, anathema sit. »

(12. Omnia ea, quæ concernunt nuptiarum benedictionem, *vide* verb. BENEDICTIO, art. 4, per totum.

(13. Traductionem uxoris ad domum viri etiam privatam, et sine solemnitate, item et carnalem copulam, seu consummationem matrimonii prohiberi in supradictis anni temporibus censet, et multis adductis, probat Fagnanus in cit. cap. *Capellanus* 4, De feriis, a n. 8 usque in finem. At solam traductionem, quæ fit cum solemnitate, esse interdictam tenet Hofredus, in *Summa*, tit. *De matrim. contrahend. contra interdict. eccles.*, n. 2; Tancred., et post eum Hostiens., in cit. cap. *Capellanus*, n. 2, in fine; Reiffenstuel, *Theolog. moral.*, dist. 14, qu. 2, n. 12; Sanchez, *De matrim.*, tom. II, l. VII, n. 16. Item et copulam carnalem, seu consummationem matrimonii esse licitam dictis temporibus tenent Sanchez, *l. c.*, n. 23; Navarr., in *Manual.*, cap. 22, n. 7; card. Bellarm., l. I *De matrim.*, c. 31, ad finem; Barbosa, in d. sess. 24, cap. 10, *De reformat. matrim.*, n. 5, et alii passim, et signanter Nicolius in *Flosculis*, verb. *Matrimon.*, n. 6, ubi expresse dicit, quod matrimonium contrahere, vel consummare absque nuptiis, et traductione sponsæ solemni, ac sine benedictione nuptiali nullo tempore prohibetur. Ex Rituali Rom., rubr. *De sacrament. matrim.*; Navarr., cap. 22, n. 71, et jam sic obtinuit praxis, ut quocunque tempore licite matrimonium contrahatur coram parocho, et testibus absque solemnitate, per

Digitized by Google

textum in cit. c. *Capellanus* 4, De feriis, ubi dicitur, quod « ea sit Romanæ Ecclesiæ consuetudo, ut quocunque tempore matrimonium contrahatur. » (14. Unde denuntiationes matrimonii fieri possunt temporibus prohibitis nuptias celebrare, ut expresse decrevit sac. congr. Ep. et Reg. 18 Dec. 1589, apud Barbosa in *Summa apost. dec.*, verb. *Denuntiationes matrimoniales*, n. 2, et *De offic. et potest. parochi*, cap. 21, n. 14. (15. Per nuptias enim prohibitas proprie intelligitur ipsamet solemnitas, seu pompa exterior, quæ in contractu matrimoniali communiter adhiberi solet; arg. concil. Trid., cit. sess. XXIV, canon. 11, ibi : « Prohibitionem solemnitatis nuptiarum ; » et cit. cap. 10 ejusdem sess. XXIV, ibi : « solemnium nuptiarum prohibitiones... nuptias solemniter celebrari ; » ut expresse docet Reiffenstuel, *loc. cit.*, dist. 12, n. 2, et alii passim.

(16. Attendenda sunt hic, quæ sapientissimo suo more tradit card. de Lambertinis, Ben. XIV, in suis eruditissimis *Notificationibus*, volumine IV, notification. 13, per tot., ubi plurimis solidissime ad rem adductis merito ibi videndis, docet, ad licite contrahenda matrimonia temporibus vetitis, seu feriatis requiri licentiam ordinarii in illis diœcesibus, ubi adest, vel legitima consuetudo, vel diœcesana dispositio ipsam petendi dictis temporibus, quia ibi obtenta, et licite contrahitur matrimonium, et sponsa absque solemnitatibus ad viri domum traducitur, juxta decretum sacræ congregationis Concilii sub die 10 Junii 1684, ab ipso allegatum his verbis :

DUBIUM TRADUCTIONIS SPONSÆ.

« *Nonnulli parochi pro sua et matrimonia contrahentium quiete supplicant declarari :*

« An concessa per episcopum licentia contrahendi matrimonium temporibus a sacro concilio vetitis, in iis locis in quibus dispositio ejusdem concilii ad ipsum quoque matrimonii contractum reperitur a consuetudine extensa, dicatur etiam permissa traductio sponsæ, seu uxoris ad domum viri? Die et anno, quo supra, Respondit : *Affirmative*, dummodo traductio fiat absque solemnitatibus. »

(17. Ac inde concludit sapientissimus Pontifex. : « Nemo ergo super hoc se, ac alios inquietet ; et si quis zelat evellere in hac materia abusus, curet potius eradicare a mente nubere volentium seperstitionem jam pene universaliter introductam nolendi uxorem ducere mense Maii, juxta sancita in concilio provinciali Burdigalensi de anno 1624, cap. VII, *De matrimonio*, n. 5, ibi : « Abolenda sane perversa illa, ac superstitiosa quorumdam opinio, mense scilicet Maio uxorem non ducendi, quasi aliud ex eo mali ominis emanans fidelitati contrahentium, ac prosperitati nuptiarum obstare possit. Doceatur igitur populus, et ab omnibus parochis sæpe instruatur, ut superstitiosis illis nugis fidem haudquaquam adhibeat, sed præter ea tempora in quibus ex præscripto Ecclesiæ a celebratione nuptiarum abstinendum, nullum esse, quo ipsæ jure, et canonice celebrari prohibeantur. »

(18. Mater transiens ad secundas nuptias privatur tutela filiorum prioris matrimonii, textu expresso in l. *Matres* 2, cod. *Quando mulier tutelæ officio fungi potest*, ibi : « Nam si malunt alia optare matrimonia, tutelam administrare non debent ; » et concordant Authen. *Sacramentum*, et l. *Si pater* 3, cod. eod. Item perdit etiam curatelam eorum. L. *Quod si nolit* 31, § 13, ff. *De ædilitio edictio*, Reiffenstuel, l. IV *Decr.*, tit. 21, n 39; Sanchez, *De matrimonio*, lib. VII, disp. 88, n. 4 et 11; Joannes Bossius, *De matrim. contract.*, cap. 11, n. 268 ; Rosignol., in alias *De matrimonio* controversias, contract. 15, *De matrimonio*, prænot. 6, n. 1 et 3, et alii passim. Et ratio est, quia vehemens, et efficacissima præsumptio est, quod femina transiens ad secundas nuptias, negligat filiorum præcedentis matrimonii curam, eorumque bona in commodum posterioris matrimonii cum illorum jactura disperdat.

(19. Dicta tamen pœna non afficit patrem transeuntem ad secundas nuptias. Baldus, authent. *Eisdem pœnis*, n. 8, cod. *De secundis nuptiis ;* Angelus, l. *Ex facto*, n. 4, ff. *De vulgari et pupillari substitutione ;* Pinellus, l. final., n. 15, cod. *De bonis maternis ;* Reiffenstuel, *l. c.*, n. 39; Rosignol, *l. c.*, n. 2 ; Sanchez, *l. c.*, n. 12, et alii. Imo, existente patre, non datur filiis tutor, nisi eosdem emancipet ; l. *Si infanti* 18, cod. *De jure deliberand.*, manetque pater legitimus administrator gaudens usufructu bonorum maternorum, filiis quoad proprietatem competentibus ; l. *Generaliter* 5, verb. *Negotia*, cod. *De secundis nuptiis*, et l. *Omnem* 4, cod. *De bonis maternis*, ibi : « Patres igitur usumfructum rerum maternarum, etiamsi ad secundas nuptias migraverint, sine dubio habere debebunt. » Supradicta enim lex cum præcise loquatur de matre binuba, et non de patre binubo, utpote pœnalis, est stricte interpretanda, nec est extendenda ultra expressa, arg. cap. *Odia* 15, De regul. juris in 6, cum similibus ; tum quia in patre binubo non currit illud tantum periculum in damnum filiorum prioris matrimonii, quod currit in matre binuba, ut de se patet, adeoque, etc.

Parentes transeuntes ad secundas nuptias, quando amittant hæreditatem, et legitimam filiorum præmortuorum, *vide* verb. LEGITIMA, a n. 33 ad 35.

(20. Alia ad rem, *vide* verb. BENEDICTIO, art. 4, per tot., et verb. UXOR, n. 42.

(21. Nuptiarum ritus superstitione infecti, fidelibus Indis prohibentur. Bened. XIV, t. I, constit. 107, incip. *Omnium sollicitudinum*, § 2 et 14. (22. Nuptiarum tempora ab Ecclesia præscripta, sunt observanda etiam in regno Serviæ, et finitimis regionibus. Idem, constitut. 89, incip. *Inter omni-*

Digitized by Google

gmas, § 16. (23. Nuptiis infidelium, quæ temporibus vetitis celebrantur, non prohibentur fideles assistere, dummodo fieri possint absque Creatoris injuria et offensione fidelium et Ecclesiæ Dei. Idem, *ibidem*.

(24. Secundæ, tertiæ et ulteriores nuptiæ sunt fidelibus permissæ (120). Idem constitut. 57, incip. *Etsi pastoralis*, § 8, et constitut. 129, incip. *Eo quamvis tempore*, § 29. (25. Attamen a presbyteris minime benedicendæ sunt. Idem, in cit. constit. *Etsi pastoralis*, § 8 (121). (26. Secundæ nuptiæ impedimento sunt, ne quis promoveri possit ad ordines sacros, etiam in Ecclesia Græca. Idem, *ib.* (122). (27. Secundæ nuptiæ prohibentur diaconis et præsbyteris Græcis, aliisque Orientalibus, sub pœna nullitatis, et depositionis ab ordine. Idem, in cit. constitut. *Etsi pastoralis*, § 7, et cit. constitut. *Eo quamvis tempore*, § 30.

(28. In nuptiis Canæ Galileæ, ad quas fuit Christus vocatus, quis fuerit sponsus, valde inter se dissident auctores. Plures enim volunt, quod sponsus fuerit S. Joannes evangelista, qui, viso miraculo conversionis aquæ in vinum, una cum sponsa de contrahendo matrimonio abjecit consilium. Auctores hujus sententiæ inter alios refert Tirinus in *Chronico sac.*, pag. 51, n. 67, præcisis his verbis : « Addit S. Hieronymus, Augustinus, Beda, Alcuinus, Lyranus, Vincentius, et nemo veterum refragatur (imo ipse Joannes revelavit S. Gertrudi) Joannem fuisse sponsum illum in nuptiis Canæ Galileæ. » Barradius dicit sponsam quoque Joannis se pariter consecrasse Christo, « et lateri B. Virginis adhæsisse. » Theophilus Raynaudus, tom. VIII, in opere *De titulis cultus specialis sanctorum*, punct. 14, pag. 574, inter virgines in conjugio recenset juxta aliquorum sensum (quem tamen ipse non amplectitur) S. Joannem evangelistam, quem volunt fuisse sponsum, id est absque conjugii usu jam virum, a nuptiis in Cana Galileæ a Christo abductum S. Augustinus in *Præfat. in Joan.* hæc habet : « Iste siquidem est Joannes, quem Dominus de fluctivaga nuptiarum tempestate vocavit, et cui matrem virginem virgini commendavit; » cui videtur subscribere S. Thomas, 2-2, quæst. 186, art. 4, in resp. ad 1, ibi : « Et ideo Petrum, quem invenit matrimonio junctum, non separavit ab uxore ; Joannem tamen volentem nubere a nuptiis revocavit. » Ast contrariam sententiam secutum fuisse S. Augustinum tradit Baronius ad *an. Christi* 31, n. 30 et seq., dicens, quod S. Augustinus asserit Joannem revocatum fuisse a nuptiis, non quod uxorem duxerit, eamque reliquerit, sed quod eam prorsus non acceperit, id colligens ex præcisis verbis ejusmet S. doctoris in fine citati operis, ibi : « Plus amatur, quod neque uxorem duxerit, et ab ineunte pueritia castissimus vixerit. » Sicque tenet etiam eruditissimus card. Lambertinus Benedictus XIV, lib. III *De canonizat. sanctor.*, c. 37, n. 1, ubi ex relatis dictis verbis S. Augustini sic concludit : « Adhærendum esse videtur communi veterum sententiæ, quæ eum cælibem fuisse affirmat. » Legi potest card. Baronius *ad ann. Christi* 31, n. 32 et seq., memoratamque sententiam amplectuntur ex Patribus Epiphanius, hæres. 58, § 4; Chrysostomus, *De virginitate*, cap. 82; Cassianus, collat. 16, cap. 14; Ambrosius, *De instit. virgin.*, cap. 7; Paulinus, epist. 43. Hæc ipse ad lit. qui idemque confirmat in opere *De festis J. C.*, n. 16, ubi insuper dicit, quod Baronius *ad ann. Christi* 31, n. 30, optimo jure reprehendit scriptores aliter sentientes, et potius Nicephoro tribuendam esse fidem, qui affirmat sponsum in illis nuptiis fuisse vel Simonem Cananæum, qui in duodecim apostolorum numerum ascriptus, Zelotes appellatus est, vel Natanaelem e Cana, oppido in Galilæa gentium. Et quod S. Joannes non fuerit talis sponsus in nuptiis Canæ Galileæ sustinet D. Calmet in *Dictionario*, verb. *Joannes evangelista*, expresse dicens : « Quæ utique de virginitate sententia validioribus rationum argumentis fulcitur, » quanquam Canæ sponsum fuisse tuetur.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

De secundis nuptiis non incongrue hic paucis disserendum.

(29. Nuptiæ secundæ bifariam accipiuntur. Nonnunquam non tantum a primis, sed etiam a tertiis, et ulterioribus distinguuntur; nonnunquam vero dicuntur quæcunque sunt post primas. De his agere intendimus.

(30. Secundæ nuptiæ a primis in eo differunt, quod legatum virgini, sub illa conditione relictum, si non nupserit, debetur licet nupserit. L. *Cum tale legatum* 72, § *Mœvius*, ff. *De condit. et demonstr.* At eadem sub conditione relictum viduæ, tametsi olim idem ex lege Julia observaretur. L. 62, § 2, et l. 63, princ., ff. eod. tit. Jure tamen novo a secundis nuptiis abstinere debet, vel legato carere. Novell. 22, cap. 43.

(120) Duriora quædam in secundas nuptias, multoque magis in tertias apud Athenagoram in *Legat. pro Christian.* Clementem Alexandrinum, lib. II *Strom.*, Theophilum Antiochenum, lib. III *contr. Anatolycum*, aliosque veteres, præsertim Græcos offendas, non quod matrimonio etiam iterato infensi essent, sed quod ab ethnicorum criminationibus non minus iniquis, quam turpibus Christianam religionem vindicaturi, multum in eo ponderis situm esse ducerent, quod plerique Christiani ab omni conjugio abstinerent, reliqui vero illius sanctitatem perinde colerent, atque unitatem servarent : quare qui secundas nuptias inirent, eos ipsi nihil de Ecclesiæ honore sollicitos veluti communis causæ proditores esse arbitrabantur.

(121) *Confer* Martenium, *De antiq. Eccles. ritib.*, p. II, lib. I.

(122) *Vide* Petavium in *Notis in Epiphanium*, p. 343, seq., et Cotelerium, t. I, *PP. Apostolici*, p. 90, seq.

Digitized by Google

(32. Differunt præterea, quod vidua unius matrimonii propter ingratitudinem revocare valet donationes liberis factas. L. 7, c. *De revoc. donat.* At quæ iterum nupsit, ob injuriam, quam vicissim facit liberis prioris matrimonii, non utique, nisi 1° filius aperte insidiatus fuerit vitæ matris : aut 2° impias manus ipsi intulerit : aut 3° circa totius substantiæ ablationem aliquid molitus fuerit. Novell. 22, cap. 35.

(34. Item differunt, quod ex communi juris canonici interpretatione secundis nuptiis benedictio adhiberi non debet, nisi primæ non fuerint benedictæ. Cap. 1 et 3 *De secund. nupt.*

(35. Sunt, qui et aliam differentiam addunt, quod scilicet nuptiæ simpliciter prolatæ de primis, non item de secundis intelligantur, favore primarum et odio secundarum. At hanc differentiam rejiciendam esse firmat Mæstert., *De secund. nupt.*, qu. 3, fere per tot., nisi intentio proferentis, vel subjecta materia, aliud evincant.

(37. Atque hinc legatum dotis relictum *mulieribus pauperibus*, debetur non solum puellis, quæ post legatum ad primum conjugium invitantur, sed et viduis, nisi tamen illud semel fuerint consecutæ. Mæstert., *De secund. nupt.*, quæst. 3, n. 8.

(38. In manifesto errore versantur, qui secundas nuptias odiosas esse credunt, et varias earum pœnas recensent. Causa erroris est, quod non distinguunt inter secundas nuptias, et id quod præter naturam secundarum nuptiarum evenire potest, cum contrahuntur, uti est ad eas nimia festinatio, et liberis prioris matrimonii quæsita injuria.

(39. Nimirum autem festinare dicuntur mulieres, quæ intra tempus (quod anni est) lugendis maritis præfixum, ad secunda vota transeunt. L. 1, c. *De secund. nupt.* Duplex autem hujus juris est ratio. (40. Prima ne fiat turbatio sanguinis, et incertitudo generationis. Nec cessat hæc incertitudo, licet constet mulierem ex primo marito gravidam esse propter metum superfœtationis, quod tamen derident saniores physici. (40. Altera, publica honestas, quod indecorum videatur, mulierem, statim a morte mariti, ad secunda vota transire, veluti quæ, adhuc vivente marito, pudicitiam violasset, vel de violanda cogitasset.

(42. Mulier, quæ intra annum a die defuncti mariti nubit, varias incurrit pœnas. L. 1 et 2, c. *De secund. nupt.* Prima, et præcipua est infamia ipso jure, ita ut nec requiratur quidem judicis sententia declaratoria. L. 1, c. *De secund. nupt.* Idque procedit, sive major, sive minor sit mulier; quinimo eam incurrunt maritus, qui eam ducit, sciens annum luctus nondum præteriisse, tametsi sit miles, et parentes, qui eum, eamve in potestate habent, quia prohibere potuerunt. Adi Mæstert, *De secund. nupt.*, quæst. 9, per tot.

(43. Secunda pœna est, quod non possit mulier nomine dotis, aliove quovis titulo plus in secundum maritum conferre, quam tertiam partem suorum bonorum. Leg. 1 *De secund. nupt.*

(44. Tertia pœna est, quod nihil ex ullius extranei testamento titulo hæreditatis, legati, fideicommissi, alteriusve ultimæ voluntatis capere possit. Dict. leg. 1, cod. *De secund. nupt.*

(45. Quarta pœna est, quod omnia amittat, quæ a defuncto marito ei obvenerunt. Dict. l. 1, cod. *De secundis nupt.* Prior autem maritus hic is intellegitur, quem non debito mulier eluget. Quocirca si hæres instituta a primo marito, post annum luctus secundo nupserit, ac etiam a secundo marito hæres scripta, ad tertia vota intra annum luctus transierit, non hæreditate primi, sed secundi privabitur.

(47. Quinta pœna est, quod ultra tertium gradum nulli consanguineo ab intestato succedere possit. Dict. leg. 1, cod. *De secund. nupt.*

(48. Suprascriptis pœnis Justinianus mulierem subjecit, quæ intra annum luctus non nupserit quidem, sed undecimo mense a morte mariti partum, quem ex inhonesta scortatione, et non ex defuncto marito conceperat, ediderit. Novell. 39, cap. 2. (49. Probe autem hic monet Mæstert., *De secund. nupt.*, quæst. 15, n. 7, totum hoc negotium reliquendum esse arbitrio judicis, qui, examinatis diligenter mulieris moribus, aliisque circumstantiis, dijudicabit, an partus undecimo mense natus marito sit tribuendus, nec ne.

(50. Mulierem vero, quæ intra annum luctus impudice vivit, nec tamen parit, aut parit, sed diu post annum luctus, præfatis pœnis haud subjici firmant. Scipio Gentilis, *De secund. nupt.*, cap. 7, per tot., et Mæstert., eod. tract., quæst. 16, pariter per tot.

(51. Quatuor tamen casibus prædictas pœnas mulier evitat. 1° Si a principe impetraverit, ut ipsi intra annum luctus nubere liceat. Leg. 10, ff. *De his qui notantur infamia.* 2° Si princeps mulierem, quæ intra annum luctus nupsit, a supradictis pœnis liberet. Sed vide distinctionem hic traditam a Mæstert., *De secund. nupt.*, quæst. 18, per tot. 3° Si mulier juste crediderit longo tempore exstinctum maritum fuisse. Arg. leg. 8, ff. *De his qui notantur infamia.* 4° Si intra annum luctus partum ediderit, quem ex marito conceperat, cui mortuo nullum debet luctum, ut est hostis patriæ damnatus perduellionis etc. Leg. 11, § 2, ff. *De his qui notantur infamia.*

(52. Hactenus de pœnis, quas mulier incurrit nimia festinatione, intra annum luctus nubens. Sunt et aliæ pœnæ, quas incurrit mulier, tametsi post annum luctus nubat, in favorem, et commiserationem filiorum, si quos superstites habet. (53. Prima est, quod omnia quæ quocunque titulo a priori marito percipit, solo usufructu excepto, ad liberos ipsius proprii mariti transmittere debeat, nec eorum alienandorum facultatem habeat. Leg. 3, cod. *De secund nupt.*

(54. Secunda est, quod quidquid perceperit ex successione liberorum, id quoad

Digitized by Google

proprietatem, solo in diem vitæ suæ deducto usufructu, reliquis ejusdem matrimonii liberis reservare debeat. Dict. leg. 3, cod. *De secund. nupt.* *Vide* tamen Mæstert., *De secund. nupt.*, quæst. 27, et plur. sequent., qui probe discutit, quid Justinianus circa duas hasce pœnas per Novellas suas immutaverit. (55. Vide quoque eumdem q. 44, et plur. sequent., qui de aliis pœnis disserit, tum examinat, an aliquibus in casibus eas evitet mulier.

(56. Nostrum autem est hic tantummodo examinare, an jure canonico in c. penult. et ult., *De secund. nupt.*, omnes pœnæ, de quibus hactenus locuti sumus, cessaverint?

(57. Non ignoro plures in ea esse sententia, ut omnes prædictæ pœnæ a jure canonico sublatæ sint. *Confer* Scipion. Gentil., *De secund. nupt.*, c. 18. Ex aliorum vero sententia sublatæ a jure canonico sunt pœnæ in odium tantummodo secundarum nuptiarum introductæ, non item illæ, quæ in favorem liberorum primi matrimonii sunt statutæ. Peregrin, *De jur. fisci*, l. III, tit. 15, n. 3; Anton. Matth. *De secund. nupt.*, disput. 6, per tot.

(58. At mihi semper arrisit opinio Hunnii *ad Treuttler. Selectar. disp.*, vol. I, disp. 8, thes. 5, litt. B., tenentis, solam infamiæ pœnam, non item cæteras pœnas jus canonicum sustulisse. Confer omnino tum loco citato, tum clarissimum P. Girald. in *Addit. ad Maschat. instit. canon.*, tom. II, pag. 677, vol. I.

O

OBEDIENTIA

Vid. verb. VOTUM, *art.* 2 *a n.* 10 *ad* 24.

OBLATI MONASTERIORUM.

* Oblati, et qui donati appellantur, quamvis non sint religiosi, si tamen bona sua, ne minima quidem parte excepta, quoad proprietatem, et usumfructum sibi non retinuerint, sed transtulerint in monasterium, sunt personæ ecclesiasticæ, gaudent privilegio fori, et immunitate ab exactionibus sæcularibus. Verum, ut subtrahantur ab jurisdictione episcopi, requiritur, ut actu inserviant suæ religioni, ut late docet Benedictus XIV, *De synodo diœces.*, lib. VI, c. 3.

OBLATIONES.

SUMMARIUM.

1. Oblationes dupliciter sumi possunt, scilicet large, seu improprie, et stricte, seu propric. — 2. Oblationes large, seu improprie sumptæ quæ sint? — 3. Oblationes stricte, et proprie sumptæ quæ sint? — 4. Harum oblationum tres sunt species et assignantur. — 5. Oblationum usus cœpit ab origine mundi, et semper duravit. — 6. Oblationes non debentur ex præcepto, nisi in quatuor casibus. — 7. Assignatur primus casus. — 8. Assignatur secundus casus. — 9. Assignatur tertius casus. — 10. Assignatur quartus casus. — 11. Ad hoc, ut consuetudo faciendi oblationes obliget, duo præcipue requiruntur, et assignantur. — 12. Si dictis duobus requisitis concurrentibus ad consuetudinem faciendi oblationes, populus ulterius eas facere recusaret, posset, et deberet per ordinarium loci ad eas continuandas compelli, etiam per excommunicationem, si opus foret. — 13. Oblationes omnes factæ intra ecclesiam parochialem, seu extra ipsam in quocunque loco sito intra limites parochiæ, de jure communi spectant ad parochum loci, nisi aliud habeat legitima loci consuetudo, aut aliter constet de offerentium intentione, aut voluntate. — 14. Unde si alicubi legitima consuetudo habeat, ut oblationes non ipsi parocho, sed ecclesiæ, vel alii pio loco, seu piæ causæ applicentur, tunc sunt applicandæ secundum talem consuetudinem. — 15. Item supradictis locis, et causis piis applicari debent oblationes, quando sufficienter constat talem esse intentionem, et voluntatem offerentium. — 16. Hinc oblationes, quæ fiunt oratoriis, capellis, aut aliis locis intra, vel extra ecclesiam, ubi aliquæ imagines miraculosæ depictæ, vel sculptæ existunt, non spectant ad parochum, ad quem hisce temporibus spectant solæ oblationes, quæ in ecclesia sub missis ad altare fiunt, et quæ pro administratione sacramentorum, pro benedicendis nuptiis aut mulieribus post partum, pro exsequiis et sepulturis, aut aliis similibus functionibus specialiter offeruntur, consuetudine, et intentione offerentium reliquas ferme alias oblationes ecclesiis ipsis, capellis, altaribus, aut aliis certis finibus applicante. — 17. Administratio tamen similium oblationum adhuc spectat ad parochum. — 18. Nisi tamen ex legitima consuetudine spectet ad laicos. — 19. Unde confraternitates laicorum ex consuetudine possunt recipere, et administrare oblationes, dummodo laici nihil sibi applicent, sed in pios usus totum convertant. — 20. Oblationes factæ imagini depictæ in pariete domus alicujus personæ privatæ, non spectant ad ipsam privatam personam, sed ad propriam parochiam. — 21. Nisi tamen offerens obtulisset contemplatione domini domus. — 22. Oblationes, quæ fiunt tempore jubilæi, vel anno sancto in ecclesia cathedrali, seu imaginibus intra ecclesiam et parochiam existentibus spectant ad archipresbyterum seu parochum ejusdem ecclesiæ, et non ad episcopum. — 23. Si autem loca, ubi sunt tales imagines, non sint intra fines alicujus parochiæ, spectant integre ad episcopum. — 24. Intellige tamen quoad omnia supradicta, nisi aliud habeat legitima loci consuetudo, aut aliter constet de offerentium intentione, et voluntate. — 25. Oblationes, quæ fiunt in ecclesiis regularium, acquiruntur monasterio pro religiosis ibi servientibus. — 26. Oblationes, et eleemosynæ possunt a regularibus recipi inter missarum solemnia. — 27. Parochi in diebus festis possunt post offertorium in medio altaris vertere se ad populum, et invitando ad oblationes, manipulum, vel aliud præbere deosculandum offerentibus; at aliis sacerdotibus id non licet. — 28. Parochi, stante consuetudine, possunt recedere ab altari post offertorium, et ad infimum locum ecclesiæ accedere ad recipiendas oblationes mulierum

Digitized by Google

inibi existentium, separatim a maribus. — 29. Sacerdotes novi non prohibentur in suis primis missis post offertorium in medio altaris ad populum se convertere, et oblationes accipere a sponte dantibus, dummodo non discedant ab altari. — 30. Tales oblationes factæ novis sacerdotibus quæruntur ipsis, et non parocho. — 31. In materia oblationum attendenda est semper legitima locorum consuetudo, et intentio, seu voluntas offerentium. — 32. Oblatio major in alienatione bonorum ecclesiasticorum semper recipitur, quando actus non est perfectus. — 33. Oblatio major habet locum in re vendita in concursu creditorum. — 34. Oblatio major in casu quo habet locum in venditionibus, non requiritur, ut sit in sexta parte, prout in terminis læsionis, sed sufficit, ut sit in aliqua quantitate excludente minimam. — 35. Oblatio major nunquam admittitur post perfectum actum venditionis. — 36. Et quando dicatur actus perfectus? — 37. Oblationis novæ privilegium post exstinctam candelam conceditur minori, eoque uti potest etiam Ecclesia. — 38. Oblatio major quando admittitur in venditionibus bonorum Ecclesiæ, semper prius emptor habet prælationem pro eodem pretio. — 39. Oblatio major admittitur, etiamsi fuerit initum instrumentum venditionis cum reservatione beneplaciti Apostolici, donec hoc subsequatur. — 40. Oblatio major admittitur, antequam exsecutioni demandet beneplacitum Apostolicum. — 41. Oblatio major habet locum obtento beneplacito Apostolico pro certo pretio ad favorem determinatæ personæ ante stipulationem instrumenti. — 42. Oblator secundus, quando præfertur in emptione rei ecclesiasticæ, tenetur reficere expensas primo emptori pro impetrato beneplacito, illiusque exsecutione. — 43. Quædam alia novissima referuntur ad n. 48. — 49. Subnect. *Addit. ex aliena manu* ad n. 51.)

(1. Oblationes dupliciter sumi possunt, scilicet large, seu improprie, et stricte, seu proprie. *Communis.* Oblationes large, seu improprie sumptæ important omnes actiones per quas quæcunque res ad divinum cultum exhibentur, seu offeruntur, ut explicant Sotus, *De justitia*, lib. IX, quæst. 3, art. 1; Barbosa, lib. III *Juris eccles. univers.*, cap. 23, n. 1; *De officio et potest. parochi*, part. III, cap. 24 et alii. (2. Et sic sub nomine *oblationum* veniunt etiam decimæ et primitiæ, ut in specie advertit Silvester in *Summa*, verb. *Decima*, n. 2, et Barbosa, *loc. cit.* Et de decimis patet ex *Genes.* XXVIII, ibi: *Decimas offeram tibi;* et *Numer.* XVIII, ibi: *Decimarum oblationem.* Et de primitiis patet *Exodi* XXXIV, ibi: *Primitias frugum terræ tuæ offeres;* et *Levitici* II, ibi: *Primitias tantum eorum offeretis.* (3. Oblationes stricte et proprie sumptæ dicuntur res illæ, quas fideles religionis intuitu immediate offerunt Deo, ut deserviant, vel ad usum Ecclesiæ, vel ad usum ministrorum, juxta illud *Matthæi* V, ibi: *Si ergo offers munus tuum ad altare;* et *Deuteronomii* XXIII, ibi: *Non offeres mercedem;* et *Malachiæ* I, ibi: *Si offeratis:* sive res sint mobiles, sive immobiles, sive testamento legentur, sive aliter donentur; arg. c. *Qui oblationes* 10, et c. *Clerici* 11, caus. 13, quæst. 2. Sic Marc. Socin., in *Tract. de oblationibus*, libel. 1; Troil. Malvet., in simili tractatu, fere per tot.; Monet., *De decimis*, cap. 2, n. 9; Galgan., *De jure publico*, lib. III, tit. 53, n. 1; Barbosa, *loc. cit.*, et alii passim.

(4. Unde harum oblationum tres sunt species. Prima dicitur donatio rei inter vivos facta Deo et Ecclesiæ; arg. cap. 1, *Indigne* 21, caus. 12, quæst. 2. Secunda dicitur donatio causa mortis, quæ fit in testamento pro animæ redemptione; arg. cit. cap. *Indigne.* Tertia dicitur usualis, et est illa quam faciunt fideles offerendo aliquas suas res in Ecclesia ad altare, aut in alio Ecclesiæ loco, aut etiam extra Ecclesiam ad imaginem miraculosam, vel devotam, et hujusmodi, prout ad longum refertur in cap. *Cum inter* 29, De verbor. significat., in cujus summario sic præcise habetur: « Oblationis nomine intelligitur, quidquid offertur Ecclesiæ, quocunque modo in missa, vel extra, et in ecclesia, vel extra. »

(5. Oblationum usus cœpit ab origine mundi, tempore Cain et Abel; *Genes.* IV, ibi: *Factum est autem post multos dies, ut offerret Cain de fructibus terræ munera Domino. Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, et de adipibus eorum.* Et deinde tempore Noe; *Genes.* VIII, ibi: *Ædificavit autem Noe altare Domino: et tollens de cunctis pecoribus et volucribus mundis, obtulit holocausta super altare.* Et postea tempore Moysis, *Numer.* VII, ibi: *Obtulerunt principes Israel, et capita familiarum, qui erant per singulas tribus, præfectique eorum, qui numerati fuerant, munera coram Domino*, etc., et sæpe sæpius aliis temporibus, ut patet in toto Veteri Testamento et etiam in Novo, ubi *Matth.* II, magi *obtulerunt ei munera aurum, thus et myrrham;* et sic in lege gratiæ adest antiquissimus usus offerendi in altari vel ecclesia tempore missæ panem, vinum (123), oleum, ceram et alia hujusmodi, ut constat ex canonibus sextæ synodi; et in canone 28 Trullano declaratur, qua ratione possint fructus aliqui offerri (124).

(6. Oblationes non debentur ex præcepto,

(123) Istæ potissimum oblationes sunt, quæ ab Ecclesiæ primordiis ad omnes gentes propagatæ sunt, panis, et vinum, quæ tantum elementa proprie ad sacrificium pertinebant. Hinc diaconi atque subdiaconi ubi ea collegerant, statim ad altare deferebant, Deo per episcopum offerenda; ita tamen ut panis, ac vini ea tantum pars ad eucharistiam asservaretur, quæ astantibus fidelibus communicandis satis foret; cætera vero de altari per eosdem diaconos auferrentur, fidelibus item, atque clero distribuenda.

(124) Inter veterum oblationes celebrantur præter oleum et ceram, mel, lac, thus, uvæ, frumenta, quæ tamen non ubique omnia, neque uno temporis vestigio, sed sensim, ut altari offerrentur, permissa. Sic nonnullæ harum oblationum canone Apost. 4, memorantur; contra can. 3, mellis, lactis, siceræ, volatilium, aut animalium quorumdam, sive leguminum oblationes vetitæ fuerant. Alia tamen super his disciplina utebantur Africani, alia Galli, ut notat Selvaggius, *Antiquit. Christian.*, lib. II, cap. 1, § 6. Sed de his oblationibus consule, si placet, Francisci Antonii Zaccaria nupperime vulgatum *Onomasticon rituale;* præsertim vero P. Francisci de Berleudis e Clericis Regularibus *De oblationibus ad altare communibus et peculiaribus* luculentissimam dissertationem historico-theologicam an. 1743, Venetiis e Balleoniano typographio emissam.

Digitized by Google

nisi in quatuor casibus enumeratis a S. Thoma 2-2, q. 36, art. 1; Barbosa, *loc. cit.*, n. 10; Reiffenstuel, lib. III, *Decret.*, tit. 30, a n. 183, et ab aliis passim. (7. Primus casus est, cum debentur per modum census, aut pensionis, seu conventionis antea factæ cum Ecclesia, seu ejus ministris, quia omne pactum servandum est; l. *Hujus edicti* 1, ff. *De pactis*, cap. *Antigonus* 1, et cap. *Qualiter* 3, De pactis, cum similibus. (8. Secundus casus est, cum debentur ex testamento, legato, voto, vel donatione inter vivos; vota enim realia et legata adimpleri debent etiam per successores; cap. *Licet* 6, De voto et voti redemptione; l. *Si quis* 2, *De pollicitationibus*, cum similibus, sicuti et omnino servari debent ultimæ testamentariæ voluntates; cap. *Ultima voluntas* 4, caus. 13, quæst. 2, cum concordantibus, nec revocari possunt donationes inter vivos sine legitima causa; l. *Si donationem* 5, et leg. *Generaliter sancimus* 10, De revocandis donationibus.

(9. Tertius casus est, cum ministri Ecclesiæ non habent congruam sustentationem: tenentur enim parochiani ex præcepto naturali, et divino ad exhibendas oblationes, quando presbyteri indigentes sunt, nec habent unde possint sibi necessaria ministrare: quia, ex quo ministrant populo spiritualia, merentur ab eo temporalia; cap. *Si Episcopus* 6, De offic. ordinar., in 6, et *Matth.* x, 10, dicitur expresse: *Dignus est enim operarius cibo suo;* et *Lucæ* x, 7: *Dignus est enim operarius mercede sua;* et *I Corinth.*, IX, 13, expresse habetur: *Qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt; et qui altari deserviunt, cum altari participant?* Unde cap. *Cum secundum* 16, De præbendis, expresse dicitur: « Cum secundum Apostolum, qui altari servit, vivere debeat de altari, et qui ad onus eligitur, repelli non debeat a mercede, patet a simili, ut clerici vivere debeant de patrimonio Jesu Christi, cujus obsequio deputantur, ut ipsa nominis ratio persuadet. » (10. Quartus casus est, cum alicubi longa consuetudine introductum habetur, quod certis anni temporibus et festivitatibus a populo oblationes fiant; cap. *Omnis Christianus* 69, dist. 1, De consecrat., ibi: « Omnis Christianus procuret ad missarum solemnia aliquid Deo offerre et ducere ad memoriam, quod Deus Moysi dixit: *non apparebis in conspectu meo vacuus;* etenim in collectis SS. Patrum liquido apparet, quod omnes Christiani offerre aliquid Deo ex usu SS. Patrum debent, » ex quibus ultimis verbis clare patet ex usu et consuetudine oriri talem obligationem, et cap. *Ad Apostolicam* 42, De Simonia, ubi *laudabiles consuetudines* aliquid dandi et offerendi *ex devotione fidelium introductæ*, præcipiuntur observari, et sic cum S. Thoma et aliis supracitatis, n. 6, tenent communiter doctores.

(11. Ad hoc autem, ut consuetudo faciendi oblationes obliget, duo præcipue requiruntur. Primo, ut longo tempore vigeat talis consuetudo, videlicet saltem per decem annos, arg. § 1, *Institut. de usu cap.* ubi decem anni longum tempus efficere dicuntur. Unde quando tanto tempore populus ex devotione perseveravit facere dictas oblationes, præsumitur ad eas se voluntarie obligasse: quamvis enim hæc consuetudo a principio fuerit voluntaria et minime obligatoria, elapso decennio, habet vim legis et obligat; quia acceptata est et præscripta ut obligatoria. Guttierez, *Canonicar. quæst.* lib. II, cap. 21, n. 140 et seq.; Reiffenstuel, lib. III *Decret.*, tit. 30, n. 185; Barbosa, *De offic. et potest. paroch.*, part. III, cap. 42, n. 12, et lib. II *Juris eccles. univers.*, cap. 23, n. 12, cum aliis ibi citatis, arg. cap. *Ad Apostolicam* 42, De simonia. Secundo requiritur, ut totus populus, vel saltem major pars observaverit dictam consuetudinem: Guttierez, *loc. cit.*, n. 150 et sequent.; Navarrus, in *Manual.*, cap. 13, n. 19; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 186; Barbosa, *loc. cit.*, et alii.

(12. Unde, si, dictis duobus requisitis concurrentibus ad consuetudinem faciendi oblationes, populus ulterius eas facere recusaret posset per ordinarium loci ad eas continuandas compelli, etiam per excommunicationem, si opus foret. Covarruvias, *Variar. resol.*, lib. I, cap. 17, n. 3; Guttierez, *loc. cit.*, Barbosa, *loc. cit.*, n. 10; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num 189, et alii communiter ita intelligentes glossam in c. *Statuimus* 55, caus. 16, qu. 1, ubi dicit populum via excommunicationis esse compellendum ad faciendas consuetas oblationes, arg. cit. c. *Ad Apostolicam* 42. De Simonia, et cap. *Omnis Christianus* 69, dist. 1, De consecrat.

(13. Oblationes omnes factæ intra Ecclesiam parochialem, seu extra ipsam in quocunque loco sito intra limites parochiæ, de jure communi spectant ad parochum loci, nisi aliud habeat loci legitima consuetudo, aut aliter constet de offerentium intentione, et voluntate. *Communis* cum Barbosa *locis citatis*, a n. 22; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 190; Fagnan., in c. *Pastoralis* 9, n. 16, De his quæ fiunt a prælatis; Rota, *Recent. dec.*, part. I, dec. 256, n. 1, et dec. 408, n. 1; part. V, tom. I, dec. 161, n. 9, et dec. 402, n. 10; part. XIX, tom. I, decis. 234, n. 2 et 3, et sæpe alibi, arg. cit. cap. *Pastoralis* 9, De his quæ fiunt a prælatis, ubi omnes parochianorum proventus parochiali Ecclesiæ, et ejus ministro attribuuntur; c. *Ex transmissa* 10, De præscrip.; cap. *Quia sacerdotes* 13, et c. *Sanctorum* 14, caus. 10, q. 2. Et ratio est, quia nisi aliter constet de voluntate, et intentione offerentis, oblationes fieri censentur parocho ratione curæ animarum, administrationis sacramentorum et aliorum divinorum; arg. cit. c. *Quia sacerdotes* 13, caus. 20, q. 2; Rota. *Rec. dec.*, part. VI, t. II, d. 402, n. 11.

(14. Notanter autem dicitur in conclusione: « Nisi aliud habeat legitima loci consuetudo, aut aliter constet de offerentium intentione, et voluntate; » quia si alicubi legitima consuetudo habeat ut oblationes non ipsi parocho, sed ecclesiæ, vel alii pio loco, seu causæ piæ applicentur, v. g. ad comparanda ecclesiastica ornamenta, si

Digitized by Google

construendam, vel reparandam fabricam ecclesiæ, seu capellæ, et hujusmodi, seu pro commodo alterius sacerdotis celebrantis, seu ministri, tunc oblationes sunt applicandæ juxta talem consuetudinem; argum. cap. *Cum tanto* 11, De consuetudine, et cap. *Cum inter* 29, De verb. significat. Et sic tenet communis doctorum, teste Fagnano, *loc. cit.*, n. 36. (15. Et a fortiori non parocho, sed supradictis locis, et causis piis applicari debent oblationes, quando sufficienter constat talem esse intentionem, et voluntatem offerentium; Rota, p. v, t. I, dec. 37, n. 8, ubi expresse dicit, oblationes, quæ præstantur a fidelibus ad certum finem, et usum, nullo modo spectare ad parochum, sed eorum voluntatem esse servandam; et sic tenet communissima doctorum, arg. l. *In re mandata* 21, cod. Mandati.

(16. Hinc oblationes quæ fiunt oratoriis, capellis, aut aliis locis intra, vel extra ecclesias, ubi aliquæ imagines miraculosæ depictæ, vel sculptæ existunt, non spectant ad parochum, sed ad oratorium ipsum, seu capellam pro construenda in honorem imaginis ampliori et splendidiori ecclesia, seu capella. Consuetudo enim pene universalis, et intentio, seu voluntas dantium, dicto fini, et non parocho tales oblationes attribuit, ut recte observant card. de Luca, *De decimis*, disc. 19, num. 11; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 193, et alii passim ex jam communi praxi docentes, quod hisce temporibus solæ oblationes, quæ in ecclesia sub missis ad altare fiunt, et quæ pro administratione sacramentorum, pro benedicendis nuptiis, aut mulieribus post partum, pro exsequiis, et sepulturis, aut aliis similibus functionibus specialiter offeruntur, ad parochum spectent, consuetudine, et intentione offerentium reliquas ferme omnes alias oblationes ecclesiis ipsis, capellis, altaribus, aut aliis certis finibus applicante, ut recte observant Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 193; Van-Espen, in *Jur. ecclesiast. univers.*, part. II, tit. 33, c. 10, cum aliis ibi citatis.

(17. Administratio tamen similium oblationum spectat ad parochum, ut scilicet eas ad debitum finem juxta consuetudinem loci, aut intentionem offerentium applicet. Rota, part. v, tom. I, decis. 37, num. 9 et seq.; Fagnan., in cit. cap. *Pastoralis*, num. 39, Abbas, *ibid.*, num. 2; Barbosa, *loc. cit.*, num. 194; Van-Espen., *loc. cit.*, num. 24, et alii passim.

(18. Nisi tamen ex longæva consuetudine talis administratio ad laicos ab initio legitima auctoritate ad id deputatos pertineat, quia in tali casu, uti de facto pluribus in locis id praxis docet, possunt laici, vel soli, vel una cum parocho, juxta consuetudinem, tales oblationes licite administrare, cum talis administratio non sit alicujus juris spiritualis, sed rei mere temporalis; sicut enim laici tales oblationes, ac reliquas ecclesiæ suppellectiles custodire, ita et easdem administrare, ac pro debito usu applicare possunt; Fagnan., in cit. cap. *Pastoralis*, num. 20 et seq.; Van-Espen, *loc. cit.*; Reiffenstuel, *loc. cit.*; card. de Luca., lib. XIV, part. IV *Miscellan. eccl.*, disc. 36, per tot., ubi pluribus adductis id ad longum demonstrat, et consuetudinem admittendam esse in materia oblationum docet de communi Barbosa, *loc. cit.*, num. 31. (19. Unde confraternitates laicorum ex consuetudine possunt recipere et administrare oblationes, dummodo laici nihil sibi applicent, sed in pios usus totum convertant. Amostaz., *De casibus piis*, tom. I, lib. IV, cap. 1, num. 11, cum aliis ibi citatis, card. de Luca, *loc. cit.*, num. 12; Fagnan., *loc. cit.*, num. 22. Decius, consil. 148, num. 3, vers. *Sed tamen in casu proposito;* Ferret., consil. 143, n. 6, et alii. *Vide* verb. CONFRATERNITAS, art. 3, num. 23 et 24.

(20. Oblationes factæ imagini depictæ in pariete domus alicujus personæ privatæ spectant ad parochialem, intra cujus fines situs est paries; non vero ad ipsam personam privatam dicti parietis dominam. Amostaz., *loc. cit.*, num. 11; Marescottus, *Variar.*, lib. II, cap., 42, num. 4; Barbosa, *loc. cit.*, num. 26; Hieronymus Carat., in *Opuscul. de jurib. parochi*, tit. 3, cap. 11; Fagnan., *loc. cit.*, n. 18, cum pluribus aliis. (21. Nisi tamen offerens obtulisset contemplatione domini domus, puta si talis esset pauper, vel offerens sciret dominum domus ex consuetudine convertere oblationes in suas necessitates, vel in pios usus, ut advertunt Hieronymus Carat. et Barbosa, *loc. cit.*, addentes non obstare cap. *Hanc consuetudinem* 15, caus. 10, qu. 1, quia loquitur de oblatis in ecclesia non in loco profano.

(22. Oblationes, quæ fiunt tempore jubilæi, vel anno sancto in ecclesia cathedrali, seu imaginibus intra ecclesiam et parochiam existentibus, spectant ad archipresbyterum ejusdem ecclesiæ, privative ad episcopum; cum enim archipresbyter habeat curam animarum et sacramentorum administrationem, habet per consequens de jure communi fundatam intentionem in omnibus oblationibus : Cap. *Pastoralis* 9, De his quæ fiunt a prælatis sine consensu capituli; cap. *Quoniam* 13, De decimis; cap. *Dilectus* 18, De offic. ordinar., cum concordantibus; adeoque oblationes ad ipsum archipresbyterum, seu parochum pertinent, et non ad episcopum. Sic tenent Amostaz., *loc. cit.*, n. 13, cum pluribus ibi citatis; Barbosa, *loc. cit.*, n. 27 et 29, cum aliis pluribus; Marian. Socin., in tract. *De oblat.*, libell. 18, num. 9, testans de communi, Fagnan., *loc. cit.*, n. 18, affirmans hanc sententiam esse receptissimam, et sic sæpius censuit Rota, et signanter part. I *Recentior. decis.*, dec. 256, et par. I, dec. 37 n. 2, ubi refertur ita etiam censuisse sacram congregationem Concilii *in una Cavensi*. (23 Si autem loca, ubi sunt depictæ imagines, non sunt intra fines alicujus parochiæ, aut incertum sit de cujus parochia existant, eo quod limites non sint distincti, tunc oblationes integre pertinent ad episcopum diœcesanum; per textum in cap. *Quoniam* 13, De decimis, uti ibi notant communiter doctores;

Digitized by Google

teste Fagnano, *ibid.*, n. 10, et in cit. c. *Pastoralis* 9, De his quæ fiunt a prælatis sine consensu capituli, n. 32, et sic expresse Rota, *Recent. decis.*, par. v, tom. I, decis. 37, n. 4. (24. Intellige tamen quoad omnia supradicta : « Nisi aliud habeat legitima loci consuetudo, aut aliter constet de offerentium intentione, et voluntate; » ut jam supra dictum est n. 14 et 15.

(25. Oblationes, quæ fiunt in ecclesiis regularium, quæruntur monasterio pro religiosis ibi servientibus. Rota, par. v *Recent. dec.*, tom. I, dec. 373, n. 11; Fagnan., *loc. cit.*, n. 34; Engel, lib. III *Decretal.*, tit. 30, n. 69; Reiffenstuel, *ibid.*, n. 195; Abbas, in cap. *Theodosius* 1, De statu monachorum, et alii communiter; arg. cit. cap. *Theodosius* 1, De statu monachorum, ibi : « Cum monachis ibi servientibus debeat proficere quidquid a fidelibus offerri contigerit. » (26. Unde oblationes, et eleemosynæ inter missarum solemnia possunt recipi a regularibus, qui possunt se vertere ad populum, et generalem confessionem pro eo facere, sistendo in medio altaris, non autem ab illo discedendo, et ecclesiam circumeundo. Sac. cong. Concil. *in Nullius Provinciæ Ravennaten.* 15 Septemb. 1629, apud Barbosam, in *Summa Apostol. decision.*, verb. Oblationes, n. 3; Aldan. et Novar. ibi citat.

(27. Parochi diebus festis possunt post offertorium in medio altaris vertere se ad populum, et invitando ad oblationes, manipulum, vel aliud præbere deosculandum offerentibus. At aliis sacerdotibus id non licet. Sic decrevisse sacram congregationem Concilii refert Fagnan., in cit. cap. *Pastoralis*, num. 40. (28. Parochi, stante consuetudine, possunt recedere ab altari post offertorium, et ad infimum locum ecclesiæ accedere ad recipiendas oblationes mulierum inibi existentium sejunctim a maribus. Sic declaratum fuisse a Sanctissimo refert Fagnan., *loc. cit.*, num. 14.

(29. Sacerdotes novi non prohibentur in suis primis missis post offertorium in medio altaris ad populum se convertere, et oblationes accipere a sponte dantibus, sed perambulationes per ecclesiam, et extorsiones prohibentur. Sic decrevisse sacram congregationem Concilii, approbante Sanctissimo, refert Fagnan., *loc. cit.*, num. 39, ubi subjungit, quod et sacra congregatio Episcop. et Regul. declaravit, sacerdoti missam novam celebranti licere oblationes accipere, modo non discedat ab altari, ut *in Januen.* 2 Octobris 1601, in registro originali, fol. 96. (30. Et tales oblationes factæ novis sacerdotibus, dum celebrant primas missas, quæruntur ipsis, et non parocho, quia sic habet ubique locorum consuetudo, et talis est mens et voluntas offerentium; Fagnan. *loc. cit.*, num. 37 et 38, cum pluribus ibi citatis, et alii passim sic docente praxi ubique recepta.

(31. De primo ad ultimum in materia oblationum attendenda est legitima locorum consuetudo, et mens, seu voluntas offerentium. Rota, part. v *dec. Rec.* t. I, dec. 37, n. 13; Barbosa, *De offic. et potestat. parochi*, part. III, c. 24, n. 31, et lib. III *Juris eccles. univers.*, cap. 23, num. 31, cum pluribus ibi citatis, Fagnan., *loc. cit.*, num. 24, 36, 37, 38 et seq., et alii communiter, et patet ex dictis *supra* num. 14 et 15.

(32. Oblatio major in alienatione bonorum ecclesiasticorum semper recipitur, quando actus non est perfectus, id est quando nondum est factum instrumentum alienationis cum beneplacito Apostolico jam obtento, et exsecuto ab exsecutore. Beneplacita enim apostolica conceduntur solum cum clausula : « Si in evidentem utilitatem Ecclesiæ. » Sic expresse eruditissime docet more suo eminentissimus cardin. Petra, tom. I *Commentar. ad constit. Apostolicas*, in constit. 1 divi Leonis Magni, sect. 3, num. 37, cum cardinal. de Luca, Salgad., Riccio, Del Bene, et aliis ibi citatis, Sabell., in *Repertorio*, vers. *Subhastatio*, num. 11, et plurimi alii ab ipso relati.

(33. Oblatio major habet locum in re vendita in concursu creditorum. Hoc enim privilegium majoris oblationis in tali concursu æque, et juste admittendum est ratione utilitatis deferendæ ipsis creditoribus, ut quantum fieri potest majori eorum indemnitati consulatur. Salgad., in *Labyrinth. credit.*, part. I, cap. 2, num. 12; Riccius, in *Collect.* 1726, vers. *Limita* 3; Ridolphin., in *Praxi*, par. I, cap. 15, num. 127 et seq.; Thor., in *Compend. decis. regni Neapol.*, verb. *Obligati;* ubi de judicato sacri concilii card. Petra, *loc. cit.*, n. 38, et alii.

(34. Oblatio major in casu, quo habet locum in venditionibus, non requiritur, ut sit in sexta parte, sed sufficit quæcunque, ad differentiam læsionis post contractum. Interveniente enim læsione in sexta parte, datur remedium restitutionis in integrum, quod non evenit in nostro casu, alias si oblatio deberet esse ad terminos læsionis, hoc non esset privilegium, quod tamen hic admittitur ab omnibus supracitatis communiter cum cardin. Petra, *loc. cit.*, num. 37 et 40.

(35. Oblatio major nunquam admittitur post perfectum actum venditionis; quia tunc jam contractus est completus, et effectuatus, nec res amplius est integra, ut possit admitti nova major oblatio. (36. Actus autem non dicitur plene perfectus, nisi sit factum alienationis instrumentum cum beneplacito Apostolico jam obtento, et ab exsecutore exsecuto, de consensu partium in actu stipulationis instrumenti. Cardinal. Petra, *loc. cit.*, num. 41 et 44, et alii passim.

(37. Oblationis novæ privilegium post exstinctam candelam conceditur minoribus; l. *Et sine dolo*, § *Quæsitam*, ff. *De minorib.* Ecclesia autem potest uti omnibus privilegiis minorum, adeoque potest etiam ipsa illo uti, vel post exstinctam candelam per tantum temporis, vel post 40 dies. Cardinal. Petra, *loc. cit.*, num. 36; Salgad., *loc. cit.*, num. 17; de Luca ad *Gratian.*, discept. 479, num. 3, et alii communiter.

Digitized by Google

(38. Oblatio major quando admittitur in venditionibus rerum ecclesiæ, semper primus emptor habet prælationem pro eodem pretio. Sic expresse sac. cong. Concil. in *Neapolitana pro PP. tertii ordinis S. P. Francisci*, die 17 Augusti 1697, in qua responsum fuit : « Ad mentem eminentiss. præfecti pro concessione domus majori oblatori, data tamen prælatione pro eodem pretio primo emptori. » Et idem confirmavit die 28 Septembris 1697, persistendo in dec., et 23 Novembris ejusdem anni 1697, teste card. Petra, *loc. cit.*, num. 42.

(39. Oblatio major admittitur, etiamsi fuerit initum instrumentum venditionis cum reservatione beneplaciti Apostolici, donec hoc subsequatur; quia licet fiat instrumentum venditionis, si reservetur beneplacitum Apostolicum, quoadusque hoc obtineatur, actus est nullus, et sinè vigore, adeoque interim sine difficultate est locus novæ majori oblationi. Card. Petra, *loc. cit.*, num. 42; cardin. de Luca, *De alienat.*, discurs. 12, et alii passim.

(40. Imo oblatio major admittitur, etiamsi sit jam expeditum beneplacitum Apostolicum in forma commissaria, et nondum ab executore sit executioni demandatum; quia donec ab executione non proferatur sententia, et executioni demandetur, res adhuc remanet integra, adeoque in majorem Ecclesiæ utilitatem potest et debet interim admitti nova major oblatio. Card. Petra, cit. n. 42, et card. de Luca, cit. discurs. 12, et alii.

(41. Insuper oblatio major habet locum etiamsi fuerit concessum beneplacitum Apostolicum, et executum, cum facultate vendendi pro certo pretio certæ et determinatæ personæ; quia semper est locus novæ majori oblationi, donec actus sit perfectus, et completus; ad perfectionem autem, et complementum actus requiritur consensus partium in actu stipulationis instrumenti. Card. Petra, *loc. cit.*, num. 44, et alii. Et ad id videtur facere resolutio S. congr. Concil. *in Urbinaten.* 8 Maii et 24 Julii 1734, apud *Thesaurum resolutionum sacræ congr. Concil.*, tom. VI, quæ resolutiones prostant Venetiis apud Joann. Baptistam Recurti.

(42. Oblator secundus, quando præfertur in emptione bonorum ecclesiasticorum, tenetur reficere expensas primo emptori pro beneplacito impetrato, illiusque executione. Cardin. de Luca, cit. discurs. 12; card. Petra, *loc. cit.*, num. 43, et alii.

(43. Oblationum, vel eleemosynarum in oratorio collectarum nequit parochus administrationem exercere, vel clavem capsulæ pro illis conservandis expositæ retinere. Sacr. cong. Concil, *in Novarien. aggregationis* 24 Sept. 1718, ad septimum dub., apud *Thesaurum resolutionum sacr. cong. Conc.*, tom. I.

(44. De oblationibus a fidelibus exteris, et non parochianis oratorio rurali B. M. V. relictis, nulla parocho portio debetur. Sac. cong. Concil. *in Tarantasien.* 22 April. 1719 ad 5 dub., apud dict. *Thesaurum*, tom. I.

(45. Oblationum ad imaginem spectantium administrationem spectare ad parochum una cum œconomo ecclesiastico ab ipso episcopo deputando, vel in casu vacationis episcopatus a metropolitano, rescripsit sac. cong. Conc. *in Portugallien.* 11 Januarii 1727, ad 3 dub., apud dict. *Thesaur.*, tom. IV.

(46. Oblationum factarum confraternitati administratio spectat non ad rectorem ecclesiæ, sed ad præfectum confraternitatis; ita tamen ut de eis rationem episcopo reddat. Sac. cong. Concil. *in Cusent. capellæ* 3 Decembr. 1729, ad 4 dub., apud dict. *Thesaur.*, tom. IV.

(47. Administrationem oblationum propriam esse rectoris Ecclesiæ, in qua illæ fiunt, excluso etiam parocho, fuse probat card. Petra, tom. II *ad constit.* 1 *Anastasii IV*, sect. 2, num. 20; et statuit sac. cong. Conc. *in Asculana jurium et functionum parochialium* 29 Augusti 1733, ubi ad 4 dub.: « An eidem rectori debeantur oblationes, seu eleemosynæ colligi solitæ in dicta villa Tini, seu in oratorio prædicto, et an valeat in illarum administrationem se ingerere absque licentia, et consensu dicti parochi? » Respondit : « Ad 4 : *Affirmative* quoad oblationes et eleemosynas in oratorio, ita tamen ut ratio reddatur episcopo, et dictæ eleemosynæ convertantur in usum et cultum illius ecclesiæ cum approbatione ejusd. episcopi. » Sic apud dict. *Thesaurum*, tom. VI.

(48. *In Hyeracen.*, ad dubium : « An, et ad quem spectet deputatio capellanorum et eremitarum pro servitio Ecclesiæ S. Mariæ de Popsis, et respective procuratoris pro administratione eleemosynarum, seu oblationum, de quibus agitur in casu? » Sacr. congr. Concil. 30 Maii *respondit* : « Spectare ad abbatem sub obligatione reddendi rationem episcopo, a quo visitari etiam possit ecclesia jure saltem delegato, et quoties id sibi in Domino videbitur expedire. » Sic apud dict. *Thesaurum*, tom. XII.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(49. Oblationes ex consuetudine quantumvis vetusta necessarias evadere haud posse, tenet Jacobus de Lalande, in *Prolegomen. ad tit. decretal. de decim.* relatus in vol. IV *Novi Thesauri Meermanni*, verbis hisce : « Verumtamen hic posterior casus mihi admittendus esse non videtur, quia oblationes sui natura voluntariam omnino præstationem continent, et in Christianismi cunabulis tales institutæ fuerunt, ut donantium arbitrio, et liberalitati relinquerentur, cujus rei probatio facilis, et expedita est. Justinus martyr de his sermonem faciens in apologia secunda ita loquitur : « Qui per facultates possunt, et volunt, pro « arbitrio quisque suo, quod lubet, donant. » Non minus expressa sunt verba Tertulliani in loco superius laudato, quæ propterea hic subjiciam : « Etiamsi quod archæ genus « est, non de honoraria summa quasi re« demptæ Religionis congregatur, modicam

Digitized by Google

« unusquisque stipem menstrua die, vel « cum velit et si modo velit et si modo « possit, apponit; nam nemo compellitur, « sed sponte confert. » Ibi narrat Tertullianus quæ pietatis opera suo tempore christiani in ecclesiis cœtus agentes exercerent et inter cætera oblationum meminit, quæ ex sola beneficentia proficisci manifeste declarat, consequenter temporis diuturnitate in necessitatem converti nequeunt. Et huic sententiæ convenit id, quod vulgo dicitur præscriptione non acquiri ea, quæ sunt meræ voluntatis, nec ex spontaneis actibus quasi possessionem induci.»

(50. At recedendum haud est a sententia illa communi, quod oblationes consuetudine legitime præscripta evadant necessariæ, quam, ultra doctores relatos ab auctore, num. 11, tenuit Rota *in Cracovien. præstationis lignorum* 30 Junii 1749, § 2, et 20 Aprilis 1750, § 1, coram illustriss. *Caprar. almæ Urbis gubernat.*, modo tamen eæ admistam habeant causam retributionis, ut sunt illæ, quæ fiunt parocho ecclesiæque parochiali, qualis erat casus mox allegatarum decisionum.

(51. Quæstionis vero est : « An oblationes difformiter præstitæ, consuetudine necessariæ evadere queant? » Hæc autem distinctio placuit Rotæ in mox allegata prima decisione § 7 : « Quod nimirum (sunt ejus verba) tum demum consuetudo vires exercere nequiret ad obligationem inducendam etiam in futurum, si difformitas annuæ præstationis consisteret in ipsa specie, ut puta, si uno anno datum fuisset oleum, alio vinum, alio frumentum et sic deinceps alia hujusmodi, et ratio est, quia ex actibus difformibus in specie et sic in ipsa substantia, nulla oriri valet obligatio, nullaque possessio efficax potest emergere; secus autem quando, prout hic, non agitur de difformitate in ipsa specie, sed solummodo de difformitate respectu quantitatis, etc., quibus in terminis difformitas nihil officit efficaciæ consuetudinis, ut obliget etiam pro tempore futuro eam ob prævalidam rationem, quia licet variatus fuerit modus, seu quantitas annuæ præstationis lignorum, species tamen semper fuit una et eadem. Unde sicuti quoad speciem, quam plus et minus non variant, consuetudo dubio procul uniformis deprehenditur: ita hoc sufficit, ut quilibet ex incolis villæ Podolsze, juxta propriam possibilitatem quotannis ligna proprio parocho in posterum tradat, prout antea per diuturnum temporis spatium tradere consuevit. » Confer etiam de hac distinctione de Marin., *Resolut. jur.*, lib. II, cap. 81, n. 21 et seq.; Lagun., *De fructib.*, cap. 33, n. 124 et sequent.

OBREPTIO.

Vid. verb. Rescriptum, *n.* 28 *et* 29.

OBSERVANTIA VANA.

Vid. verb. Superstitio, *a n.* 41 *ad* 64.

OBSTETRICES.

SUMMARIUM.

1. Obstetrices unde dicantur? — 2. Obstetrices ex officio tenentur sub mortali discere formulam, et modum baptizandi. — 3. Hinc in pluribus diœcesibus obstetrices, antequam admittantur ad hoc officium, præstant juramentum procurandi salutem spiritualem sobolis, et puerperæ. — 4. Et in aliis traditur obstetrices debere esse in primis ab ipsis parochis et potestate sæculari approbatas. — 5. Unde parochi tenentur ipsas obstetrices diligenter examinare : et si non sciant jam esse examinatas et approbatas ab aliquo bene perito, peccant graviter eas non examinando. — 6. Baptizati ab obstetricibus quando sint rebaptizandi, vel non, sub conditione? ad n. 7. — 8. Obstetrices, quæ aliquem infantem baptizaverint, sunt a parochis diligentissime examinandæ, an rite, vel non, ipsum baptizaverint; et si repererint ipsas rite baptismum contulisse, non debent, nec possunt ipsum repetere; si vero probabiliter dubitent, debent baptismum sub conditione repetere. — 9. Obstetrices Ægyptiæ in responsione data Pharaoni pro salvandis ab interfectione infantibus Hebræorum, non sunt culpabiliter mentitæ. — 10. Alia ad rem ibi. — 11. Subnect. *Addit. ex aliena manu*, ad n. 15.

(1. Obstetrix dicitur ex eo quod obsistat dolori; vel certe pignori, ne laxatis uteri genitalibus claustris, in terram defluat. Sanctus Ambrosius, *Oper. moral.*, epist. 46, *ad Siagrium* fol. 234, impressionis Romanæ anni 1585.

(2. Obstetrices, quæ obstetricantur ex officio, tenentur sub mortali discere formulam, et modum baptizandi, quia ex tacito pacto ad id obligantur; non enim admitterentur ad hoc officium obeundum, nisi tacite se obligarent ad baptismum rite ministrandum in tam frequentibus casibus necessitatis. Navarrus in *Manual.*, c. 22, n. 6, cum Paludano, et S. Antonino ibi citatis; Reginald., lib. xxvii, n. 45; Henriquez, lib. II, cap. 29, num. ultim.; Gobat, tom. I, tract. 2, cas. 5, n. 157; La Croix, lib. VI, part. I, n. 270. Aliique multi cum Aversa q. 67, sect. 2, § *Teneri*.

(3. Hinc in pluribus diœcesibus, et signanter in Leodiensi, et Trevirensi teste Chapeauville, *De modo administrandi sacramenta tempore pest.*, cap. 2, q. 2, et Gobat., *loc. cit.*, quando obstetrices admittuntur ad hoc munus, juramentum emittunt procurandi salutem spiritualem sobolis et puerperæ. (4. Et in Obsequiali Constantiensi, fol. 62, traditur, obstetrices debere esse in primis ab ipsis parochis et potestate sæculari approbatas.

(5. Unde parochi tenentur ipsas obste-

Digitized by Google

trices diligenter examinare, et si non sciant jam esse examinatas et approbatas ab aliquo bene perito, peccant graviter eas non examinando, quia cum obstetrices in tali casu sint vicariæ parochi, et quisque obligetur scire, utrum suum locum tenens sit peritus officii sui, nec ne? stat clarum maxime ad id sub gravi teneri parochum ad indagandam peritiam obstetricum pro officio tantæ necessitatis; Quintanadvenas, *Singular.*, tract. 1, singular. 6; Gobat., *loc. cit.*, n. 169; Layman, lib. v, tract. 2, c. 5, n. 3, cum aliis ibi citatis; et certe omnes fere constitutiones synodales sub gravi videntur id oneris parochis imponere, ut signanter novissime fuit recte impositum in hac synodo Alexandrina celebrata die 1, 2, 3 Maii 1732, ubi, tit. 6, *De baptismo*, sic præcise statuitur: « Oneratam parochorum conscientiam volumus, qui exactissime certo tempore obstetrices examinent, quæ perfecte callere debent, et mente retinere modum baptismum rite conferendi. »

(6. Baptizati ab obstetricibus sunt rebaptizandi sub conditione, si obstetrices sunt suspectæ de veneficiis, aut aliquando confessæ, se non rite baptizasse, vel si a parocho examinatæ, qua materia, forma, et quas corporis partes baptizaverint, non satis constanter respondeant, aut si aliunde oriatur probabile dubium de valore baptismi ab ipsis collati. *Communis*, argum. cap. *De quibus dubium est* 2, De baptismo, ubi sic expresse habetur: « De quibus dubium est, an baptizati fuerint, baptizantur his verbis præmissis: *Si baptizatus es, non te baptizo, sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo in nomine Patris*, etc. » (7. Sic enim et consulitur reverentiæ sacramenti, et saluti animarum. Si vero nullum sit dubium de valore baptismi ab ipsis collati, ex quo diligenter a parocho examinatæ, reperiantur bene peritæ, et rite adhibuisse debitam materiam, formam, et intentionem, non sunt rebaptizandi, ab ipsis obstetricibus sic rite baptizati, cum baptismus rite collatus, neque sub conditione debeat iterari, ex quo sit de sui natura irreiterabilis, ex cap. *Majores* 3, De baptismo, Concil. Florent. *in Litteris Unionis*, et Trident., sess. VI, can. 9, sic tenent doctores communiter.

(8. Hinc obstetrices, quæ infantem aliquem baptizaverint, sunt a parochis diligentissime examinandæ, an, et quomodo, quibus verbis, et forma, qua materia et aqua, et cum qua intentione baptizaverint; et si rite repererint fuisse a dictis obstetricibus collatum baptismum, non debent, nec possunt ipsum repetere; si vero probabiliter dubitent, debent baptismum sub conditione repetere: Catechism. Roman., part. II, cap. 2, § 43, et sic solent statuere constitutiones synodales, ut recte statuunt illæ diœcesis Constantiensis part. I, tit. 6, n. 4, ibi: « Examinent diligentissime parochi, aut eorum socii obstetrices, vel alios, qui infantem aliquem baptizarunt, an, et quomodo, quibus verbis et forma, qua materia et aqua, et cum qua intentione baptizaverint. Quod si debitam materiam, formam, et Ecclesiæ institutionem adfuisse cognoverint, parochi baptismum ab obstetricibus collatum minime repetant; si probabiliter dubitent, baptismum cum conditione conferant. »

(9. Obstetrices Ægyptiæ respondendo (*Exodi* I, 19) Pharaoni: *Non sunt Hebrææ sicut Ægyptiæ mulieres, ipsæ enim obstetricandi habent scientiam, et priusquam veniamus ad eas, pariunt*, non sunt culpabiliter mentitæ; *vide* verb. MENDACIUM, a n. 14 ad 18; ubi tamen etiam citatur S. Augustinus, qui eas peccasse censet, eique S. Thomas 2-2, quæst. 110, art. 3, ad 2, suscribit.

(10. Alia ad rem, confer, quæ cohærenter hic dictis habet Benedictus XIV, *De synodo diœces.*, lib. VII, cap. 6, n. 4, et *Instit. eccles.*, 8, § 6.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(11. In judicio nullitatis matrimonii ob impotentiam alterutrius conjugis, tum in illo dispensationis super matrimonio rato, et non consummato, disseri solet de viribus relationis obstetricum.

(12. Ex sententia autem multorum, si obstetrices referant de virginitate mulieris, adhibitis consuetis experimentis, probata remanet non consummatio matrimonii. At si referant de virginitatis defectu, minime consummatio matrimonii remanet probata, quum virginitas amitti ex aliis causis possit, quam ex matrimonii consummatione. Confer Bohemer., in *Decretal.*, lib. IV, tit. 15, § 26 et plur. sequent.; Sanchez, *De matrim.*, lib. VII, disput. 9, n. 16; Pacian, *De probat.*, lib. II, cap. 2, num. 22, ad plur. sequent.; Sperel., dec. 141, n. 37.

(13. Falluntur ergo, qui septem obstetrices requirunt. Licet enim in cap. 4, *De probat.*, habeatur septem obstetrices inspectioni adfuisse; hoc tamen tantummodo refertur, atque narratur, non item per modum necessitatis præscribitur, ut tradunt communiter canonistæ in dict. cap. 4, *De probat.*, Grananiet., n. 7; Gonzal., n. 4; Bohemer, in *Decretal.*, lib. IV, tit. 15, § 27; Pacian., *De probat.*, lib. II, cap. 2, n. 4; Sperel., decis. 4, n. 4.

OCCASIO PECCANDI.

SUMMARIUM.

1. Occasio peccandi est duplex, scilicet proxima et remota, et quæ sit utraque? — 2. Eadem occasio, quæ uni, attentis circumstantiis, est proxima, alteri, et etiam eidem ipsi, sine dictis circumstantiis est remota. — 3. Sicuti occasio, ita et periculum peccandi est duplex, scilicet proximum, et remotum, et quid sit utrumque? — 4. Periculum, seu occasio quare dicatur proxima? — 5. Periculum proximum aliud est formale, et aliud materiale, et quid sit utrumque? — 6. Idem periculum potest esse respectu unius formale, et respectu alterius solum

Digitized by Google

materiale. — 7. Periculum formale aliud est intrinsecum, et aliud extrinsecum, et quid sit utrumque? — 8. Qui est in occasione remota potest absolvi. — 9. Qui est in occasione proxima involuntaria, nec est in sui potestate eam removere, potest absolvi, dummodo tamen vitare conetur periculum formale peccandi per actus proprios. — 10. Absolvi tamen non potest, qui est in occasione proxima voluntaria, nec vult eam, cum possit, deserere, licet sub prætextu cujuscunque utilitatis, commodi, vel boni spiritualis, vel temporalis sui, vel proximi. — 11. Absolvi non potest consuetudinarius, seu recidivus, qui semper labitur in eisdem peccatis sine ulla spe emendationis, nec facit quantum in se est pro tali consuetudine peccaminosa deserenda. — 12. Si vero consuetudinarius, seu recidivus post ultimam suam confessionem se vel paululum emendavit, nec tot peccata, ut ordinarie solitus erat, commisit, et aliquem conatum ad se emendandum adhibuit, debet absolvi. — 13. Cum recidivæ peccati fiunt ex sola fragilitate intrinseca, potest pœnitens toties absolvi, quoties confessarius judicat eum serio dolere et proponere in posterum se emendare. — 14. An sint absolvendi, nec ne illi consuetudinarii, seu recidivi, qui in aliqua confessione minora afferunt peccata, et in alia majora, et sic vicissim longo tempore sua peccata continuant, et quomodo cum eis procedendum?

(1. Occasio peccandi est duplex, scilicet proxima et remota. Occasio proxima est illa, quæ frequenter et sæpe sæpius homines similis conditionis ad peccatum inducit, vel experientia constat eam in hoc homine, circumstantiis attentis, talem effectum causare. Est in re communis. Occasio remota est illa, quæ, quamvis aliquo modo inducat ad peccatum, tamen raro inducit ad illud homines similis conditionis, vel experientia constat, eam in hoc homine, circumstantiis attentis, talem effectum raro causare. Est in re communis. (2. Hinc maxime sunt attendendæ circumstantiæ loci, temporis, personarum, et hujusmodi, quia sæpe contingit quod eadem occasio, quæ uni, attentis circumstantiis loci, temporis et personæ, est occasio proxima, alteri, seu etiam eidem ipsi, in diversis circumstantiis, sit remota; sic sæpe, eadem occasio carnis, seu conversatio mulieris, quæ juveni est proxima, seni, aut juveni valde timorato est remota; ita etiam sæpe contingit, quod eidem juveni conversatio unius mulieris sit occasio proxima, et conversatio alterius mulieris sit ei solum occasio remota, et quod etiam conversatio ejusdem mulieris in uno tempore et loco sit ei occasio proxima, ut si in tempore magis periculoso reperiatur solus cum sola, et in alio tempore minus periculoso, aliis simul astantibus, sit ei tantum occasio remota.

(3. Sicut occasio est duplex, ita duplex est periculum peccandi, scilicet proximum et remotum. Proximum est illud, quod, attentis circumstantiis, habet frequentem conjunctionem cum peccato. Remotum autem est illud, quod, attentis circumstantiis, habet raram conjunctionem cum peccato. Sic in re communis doctorum. (4. Periculum autem, vel occasio, non ideo dicitur proxima, quod inter ipsam et peccatum nihil mediet; plerumque enim mediat aliquid, verb. grat. tentatio, aspectus, tactus, colloquium, et hujusmodi; sed ideo dicitur proxima, quia inter ipsam occasionem, et peccatum, communiter nihil intervenit, quod impediat peccatum. Card. de Lugo, *De pœnitentia*, disp. 14, n. 162; La Croix, lib. III, n. 251, et alii.

(5. Periculum proximum aliud est formale, et aliud materiale. Formale est illud, quod, attentis circumstantiis, ita inclinat, et movet ad peccandum, ut in persona similis conditionis soleat frequenter, et sæpe sæpius esse conjunctum cum peccato. Materiale vero est illud, quod de se secundum circumstantias suas extrinsecas solet esse conjunctum cum peccato, quamvis non conjungatur ob specialem conditionem subjecti. Unde materiale periculum est occasio externa, quæ secundum se solet frequenter esse conjuncta cum peccato; formale autem, præter occasionem externam, includit tales circumstantias, ut his omnibus attentis in persona similis conditionis existimetur hic, et nunc fore conjunctum cum peccato. Sic in re communis doctorum. (6. Hinc idem periculum potest esse respectu unius formale, et respectu alterius solum materiale, ut, salva proportione, dictum est *supra* sub n. 2 de occasione proxima, et remota. (7. Periculum formale aliud est intrinsecum, et aliud extrinsecum. Intrinsecum est illud, quod oritur ex propria et personali intrinseca prava conditione, seu natura ipsius talis personæ. Extrinsecum autem est quod non oritur ex intrinseca prava conditione ipsius personæ, sed ex aliqua occasione extrinseca: *Communis.*

(8. Qui est in occasione remota, potest absolvi, alioquin deberemus, ad evitandas occasiones remotas, exire de hoc mundo, ut inquit Apostolus *I ad Corinth.*, v, 10, ibi: *Alioquin debueratis de hoc mundo exiisse.* Cum etiam in ipsa solitudine, et in licitis commerciis humanis adsit occasio remota peccandi. *Communis.*

(9. Qui est in occasione proxima involuntarie, nec est in sui potestate eam removere, potest absolvi, dummodo tamen vitare conetur periculum formale peccandi per actus proprios. *Vide* verb. Absolutio, art. 2, n. 8, 9 et 10, ubi assignatur dicti actus proprii, affertur ratio conclusionis, et datur ad hoc monitio pro confessariis.

(10. Absolvi tamen non potest, qui est in occasione proxima voluntaria, nec vult eam, cum possit, deserere; licet sub prætextu cujuscunque utilitatis, commodi, vel boni spiritualis, vel temporalis sui, vel proximi. Habetur clare ex pluribus propositionibus damnatis relatis sub. dict. verb. Absolutio, art. 2, n. 12; *vide ibi* usque ad n. 13.

(11. Absolvi non potest consuetudinarius, et recidivus, qui semper labitur in eisdem peccatis sine ulla spe emendationis, nec facit quantum in se est pro tali consuetudine peccaminosa deserenda. *Vide* ib., a num. 14 ad. 16.

Digitized by Google

(12. Si vero consuetudinarius, seu recidivus post ultimam suam confession. se vel paululum emendavit, nec tot peccata, ut ordinarie solitus erat, commisit, et aliquem conatum ad se emendandum adhibuit, debet absolvi. *Vide* ib., n. 17 (125).

(13. Cum recidivæ peccati fiunt ex sola fragilitate intrinseca, potest pœnitens toties absolvi, quoties confessarius judicat eum serio dolere, et proponere in posterum se emendare. *Vide ibid.*, n. 18.

(14. An sint absolvendi, nec ne, illi consuetudinarii, seu recidivi, qui in aliqua confessione minora afferunt peccata, et in alia majora, et sic vicissim longo tempore sua peccata continuant, et quomodo cum eis procedendum? *Vide ibid.*, n. 19.

OCCISIO.

Vid. verb. Homicida, Homicidium.

OCCULTATIO.

(1. Occultatio fidei, cum simulatione Mahumetismi damnatur. (2. Bened. XIV, t. I, const. 89, incip. *Inter omnigenas*, § 3, præsertim in judicio. Idem, *ibid.*, § 4.

(3. Occultantes fidem tali simulatione excluduntur a sacramentis in vita, et a suffragiis in morte. Idem. *ib.*, § 6. (4. Ad occultandam fidem, non licet vitæ institutum amplecti omni religionis exercitio vacuam. Idem, *ib.*, § 7. (5. Nec Ecclesiæ præcepta infringere. Idem, *ib.*, § 3. (6. Occultantibus fidem cum dicta simulatione Mahumetismi nullæ dispensationes, aut gratiæ de Ecclesiæ thesauro sunt concedendæ. Idem, *ib.* § 14.

(7. Occultatio impedimenti, sive defectus, de quo quis in actu professionis interrogatus fuit, addita declaratione, quod religio ipsum cum eo impedimento, aut defectu admittere non intendebat, an allegari possit ab ipso professo ad obtinendam declarationem nullitatis professionis, est a Superiore regulari et ab ordinario loci simul mature discutiendum, donec a Sanctissimo, ut in præmissis, hæc cum aliis similibus quæstionibus explanetur et definiatur. Idem, tom. II, constit. 37, incip. *Si datam.*

OCCULTUM.

Vid. verb. Notorium, *num.* 12 *et per tot.*

OCCUPATIO PRO ACQUIRENDO RERUM DOMINIO.

Vid. verb. Dominium, *art.* 3, *a num.* 6 *ad* 35.

OCTAVÆ.

SUMMARIUM.

1. Octavarum usus est in Ecclesia antiquissimus. — 2. Octavæ introductæ fuerunt ad majorem solemnitatem præcipuarum festivitatum. — 3. Cur autem octo dies assignentur ad hunc effectum, spectat ad mysterium numeri octonarii. — 4. Assignatur primum mysterium in sensu mystico. — 5. Assignatur secundum mysterium in sensu anagogico. — 6. Assignatur tertium mysterium in sensu tropologico. — 7. Die octava etiam non privilegiata occurrente cum duplici majori per annum, transfertur duplex majus, et fit officium de ipsa octava; et octava cedit solis festis solemnibus primæ et secundæ classis, nisi sit privilegiata, ut octava Corporis Christi, de qua infra sub num. 15, et octavæ Nativitatis Domini et Epiphaniæ, de quibus infra sub n. 34. — 8. Infra octavam Paschæ et Pentecostes prohibetur officium de festo cujuscunque ritus et dignitatis; item prohibentur missæ votivæ et de Requiem. — 9. Infra octavam Epiphaniæ prohibetur quodcunque officium præter primæ classis, sed in die octavæ etiam officium primæ classis; item prohibentur missæ votivæ et de Requiem. — 10. Infra octavam Corporis Christi prohibetur officium de duplici translato, semiduplici occurrente; item prohibentur missæ votivæ et de Requiem. — 11. Infra octavam Nativitatis D. N. J. Christi prohibentur missæ votivæ et de Requiem. — 12. Infra octavas non privilegiatas, de quibus possit fieri officium, vel non? — 13. Occurrentibus in eadem die infra octavam Corporis Christi duobus festis duplicibus, alterum eorum est transferendum post octavam. — 14. Si octava Corporis Christi occurrat, vel concurrat cum die octava S. Joannis Baptistæ, seu sanctorum apostolorum Petri et Pauli, aut alterius sancti titularis vel patroni, aut dedicationis, fit totum officium de octava Corporis Christi, et sola commemoratio aliarum octavarum. — 15. In die octavæ Corporis Christi fit tantum de S. Joanne Baptista, de SS. apostolis Petro et Paulo, aut de alio ex solemnioribus eodem die occurrentibus cum commemoratione octavæ. — 16.

(125) *Nota Romani theologi.*—Non ita facile absolvi debet consuetudinarius, qui paululum duntaxat se emendavit, ac aliquem ad sui emendationem conatum adhibuit, ut auctor asserit. Etenim, ut fere omnes sanioris ethicæ theologi fatentur, iis impertienda est absolutio, qui efficacia adversus peccata remedia adhibent, qui sua crimina sincere plangunt, et detestantur supra quodcunque detestabile, adeo ut mori malint, quam in eadem relabi; uno verbo, qui idonea emendationis indicia præstant. Quæ indicia tunc manifestantur, quando pœnitens vitiosum habitum sic vincit, ut periculum proximum, seu probabile peccandi sustulerit, quando non adeo facile obliviscitur statim sui propositi, sed saltem per aliquod tempus perseverat, et difficilius, vel rarius cadit. Hæc autem non verificantur certe de pœnitente illo, qui paululum se emendavit ab ultima confessione, ac aliquem adhibuit conatum ad sui emendationem, loquendo præcipue de consuetudinario, qui pravi sui habitus radices omni, quo potest, conatu evellere debet.

Digitized by Google

Si festum S. Antonii de Padua, aut aliud festum secundæ classis occurrat in die Corporis Christi, transfertur post octavam. Observa tamen posterius decretum relatum numero sequenti. — 17. Si tamen tale festum esset titulare, sicuti est aliud quodlibet primæ classis, tunc fieret de eo officium infra octavam ; imo infra dict. octavam fieri potest etiam officium de duplicibus translatis secundæ classis, ex posteriori decreto 30 Maii 1699. — 18. Si festum habens octavam transferatur post dies octo a die festi, non celebratur illo anno cum octava ; si transferatur ad pauciores dies, octava non transfertur, sed numerari debet a die, quo festum incidebat; dies autem octavæ celebratur suo die, ac si festum non fuisset translatum. — 19. Si festum, quod celebrari solet cum octava, venerit paulo ante Quadragesimam, ante Pentecosten, et ante diem 17 Decembris, nihil amplius fit, nec commemoratio.—20. In Pascha Resurrectionis et Pentecostes officium Octavæ terminatus in Sabbato sequenti ad Nonam. — 21. In Quadragesima sine speciali privilegio non possunt celebrari octavæ. — 22. Si in Quadragesima occurrit officium infra octavam, qui ex speciali privilegio octavam celebrant, debent dicere missam conventualem de feria cum commemoratione octavæ, et missas privatas possunt dicere de octava cum commemoratione feriæ. — 23. De octava concurrente cum alia die octava fit a capitulo de sequenti cum commemoratione præcedentis, exceptis octavis privilegiatis, in quibus de aliis sequentibus non privilegiatis fit tantum commemoratio. — 24. Die octava concurrente cum sequenti duplici minori etiam translato fit a capitulo de sequenti cum commemoratione octavæ. — 25. Die octava concurrente cum sequenti duplici majori, etiam translato, totum officium fit de sequenti cum commemoratione octavæ; excepta die octava Epiphaniæ, Paschæ, Ascensionis et Corporis Christi, in quibus de sequenti, etiam duplici majori, fit tantum commemoratio. — 26. Die octava concurrente cum duplici secundæ classis, etiam translato, totum officium fit de sequenti cum commemoratione octavæ. — 27. Concurrente autem die octava cum duplici primæ classis, totum officium fit de sequenti sine commemoratione octavæ. — 28. Quæcunque dies octava B. M. V. debet habere integras utrasque vesperas in concurrentia cum festo duplici minori. — 29. Dies octava non privilegiata dimidiat vesperas in concurrentia cum duplici minori. — 30. Dedicatio Apostolorum et Salvatoris extra Urbem non habent integras vesperas, si die præcedenti, vel sequenti celebretur officium duplex minus. Idem dicendum est de die octava dedicationis. — 31. Si aliqua dies octava incidat in Dominicam privilegiatam, de qua debeat fieri officium, quomodo id regulandum ? — 32. Infra octavam officium fit semiduplex, in die octavæ fit duplex ; infra octavam omnia dicuntur sicut in secundis vesperis festi, et in primis vesperis diei octavæ, omnia sicut in primis vesperis festi, nisi aliter in propriis locis notetur. — 33. De octavis Nativitatis, Epiphaniæ et Corporis Christi fit semper commemoratio quocunque festo in illis occurrente. — 34. Si in die octava alicujus festi habentis octavam occurrat aliquod festum duplex primæ, vel secundæ classis, debet fieri officium de festo cum commemoratione diei octavæ, excepta die octavarum Nativitatis Domini et Epiphaniæ, in quibus non fit de aliquo festo, sed transfertur in primam diem non impeditam. — 35. Festum occurrens in Dominica in Albis, et Dominica Trinitatis, cujuscunque sit ritus et dignitatis, transfertur in sequentem diem non impeditam. — 36. Dies octavæ omnes (exceptis Christi et B. M. V.) sunt ejusdem solemnitatis. Octava autem dedicationis est dignior, quam patroni ; patroni, quam titularis ; assumptionis, quam dedicationis. Octava autem Omnium Sanctorum tanquam dignior præferenda est octavæ Dedicat. ecclesiæ ; ad n. 37. — 38. Infra octavas privilegiatas nequit cantari missa defunctorum in anniversario et officio solemni. — 39. Infra octavam Corporis Christi nequit cani missa defunctorum, nisi præsente cadavere. — 40. Non licet facere octavam pro defunctis sine speciali indulto S. Apost.

(1. Octavarum usus est in Ecclesia antiquissimus, de quo agit Durandus in suo *Rationali*, lib. VI, cap. 1, n. 45. (2. Et introductæ fuerunt ad majorem solemnitatem præcipuarum festivitatum. Hinc. Radulfus, propos. 19 ait : « Magnitudo festi a nobis exigit, ut prius illud incipiamus, et tardius terminemus; prævenimus vigilia, prorogamus, cum ad octavum diem festum protendimus : præveniamus ergo, et prorogemus, ut ardentius, quos debemus, recolamus; quæve uno die minus possumus, reliquis diebus compensemus. »

(3. Cur autem octo dies assignentur ad hunc effectum, spectat ad mysterium numeri octonarii. Quarti, *Comment. in rubric. Missal.*, part. I, tit. 2, ante dub. 1, et alii *ibi cit.* (4. In sensu igitur mystico primum octavæ mysterium consistit in expressione perfectionis omnimodæ et completæ illius sancti, cujus festum celebratur cum octava, vel sublimitatis mysterii, quod recolitur; eo quia octonario numero designatur justitia et perfectio, etiam apud gentiles pythagoricos; quippe justitia æqualitatem respicit, et servat, numerus autem octonarius primus omnium ita solvitur et dividitur in numeros pariter pares, hoc est in bis quaterna, ut nihilominus in numeros æque pariter pares divisio ipsa solvatur, hoc est in bis bina; hunc numerum appellarunt plenum. Hic enim numerus efficit cubum corporeæ soliditatis indicium. Insuper in Evangelio manifestum habemus ejusdem significationis exemplum in octo beatitudinibus, quibus Christianæ vitæ perfectio continetur et exprimitur, de quibus loquens divus Augustinus lib. I *De serm. Dom. in monte*, c. 3. « Octava, inquit, tanquam ad caput redit, quia consummatum, perfectum ostendit ac probat. Hinc perfectam justitiam sanctorum, vel consummatam sublimioris cujusque mysterii perfectionem, octo dierum numero sancta mater Ecclesia veneratur.

(5. Secundo, in sensu anagogico octava significat æternitatem gloriæ, qua fruuntur sancti et beati. Ubi adnotandum, septem dies hebdomadæ significare spatium hujus vitæ præsentis, qui in sanctis fuerunt pleni virtutibus, et donis Spiritus sancti, juxta illud Psalmistæ : *Dies pleni invenientur in eis.* Additur insuper dies octavæ in præmium virtutum et laborum, id est dies æternitatis, quæ una est, et illi nec succedit nox ulla, nec caligo, et consequitur vitam præsentem septem dierum. Ita Fortunatus, lib. IV, cap. 4 : « Celebretur, inquit, per septem dies opus septiformis Spiritus, et octava die consummatio et glorificatio ejusdem operis. »

Digitized by Google

(6. Tandem in sensu tropologico concludimus cum Hesychio lib. VI *in Levit.*, ubi sic ait : « Ut doceamur debere nos exempla sanctorum sequi, et tempore vitæ, quod septenario significatur, Deo placere, quousque ipso Deo octava demum die fruamur. » Hæc Hesychius, et ad litteram Paulus Maria Quarti, *Commentar. in rubricas Missalis*, part. I, tit. 2, ante dubium primum.

(7. Dies octava cujuslibet festi, quod cum hujusmodi solemnitate celebratur, quia non transfertur, excludit, et transferri facit quodlibet festum duplex in ea occurrens per annum, sive sit minus, sive majus; solisque cedit festis solemnibus 1 aut 2 classis, seu talium vim habentibus, nisi sit privilegiata, qualis est octava Epiphaniæ, de qua in rubricis generalibus : « Hinc ubi festum S. Elisabeth Hungariæ celebratur cum octava, festum B. Delphinæ occurrens in die octava, licet sit duplex majus, transferri debet in primam diem non impeditam. » Ex decreto sacræ Rit. congregationis 1 Martii 1681. Sic in rubricis particularibus nostris *Breviarii Franciscani*, n. 131.

(8. Infra octavam Paschæ et Pentecostes prohibetur officium de festo cujuscunque ritus et dignitatis. Item prohibentur missæ votivæ et de Requiem. Sacr. congreg. Rit. 28 Aug. 1627, et 23 Aug. 1704 et 1714, et 10 Decemb. 1718.

(9. Infra octavam Epiphaniæ prohibetur quodcunque officium præter primæ classis, sed in die octavæ etiam officium primæ classis. Item prohibentur missæ votivæ et de Requiem. Sacr. Rit. congr. 18 August. 1627. et 23 Aug. 1704, et 10 Decemb. 1718.

(10. Infra octavam Corporis Christi prohibetur officium de duplici translato, et semiduplici occurrente. Item prohibentur missæ votivæ et de Requiem. Sacra congreg. Rit. 21 Junii 1670, et 23 August. 1704 et 1714, et 10 Decemb. 1718.

(11. Infra octavam Nativitatis Domini nostri Jesu Christi prohibentur missæ votivæ et de Requiem. Sacr. Rit. congr. 27 Septembris 1707.

(12. Infra reliquas octavas non privilegiatas fit officium etiam de festis semiduplicibus, et de ipsis translatis, si incidant in Dominicam infra octavam, et haberi possint immediate die lunæ, seu incidant in festo duplici occurrente infra octavam, et dies immediate sequens non sit impedita alio festo duplici, vel semiduplici. Sacr. Rit. congreg. 30 Septemb. 1679, et 22 Decembr. 1696. Unde sequitur quod semiduplicia infra octavam die impedito occurrentia, si non possint haberi die immediate sequenti, debeant transferri post totam octavam, et post omnes octavas, si plures sibi immediate succedant, ex decreto sacræ Rit. cong. 11 Julii 1664, et ex rubricis anni 1656, ab eadem sacra congr. approbatis. Duplicia autem licet non possint haberi prima die immediate sequenti, possunt haberi aliis diebus sequentibus infra octavam. De semiduplicibus ad libitum non fit infra quamcunque octavam. Sacr. congreg. Rit. 24 Januar. 1682.

(13. Occurrentibus in eadem die infra octavam Corporis Christi duobus festis duplicibus, alterum est transferendum post octavam. Sac. Rit. congr. 7 Decemb. 1680. (14. Si octava Corporis Christi occurrat, vel concurrat cum die octava S. Joannis Baptistæ, seu SS. apostolorum Petri et Pauli, aut alterius S. titularis, vel patroni, aut dedicationis, fit totum officium de octava Corporis Christi, et sola commemoratio aliarum octavarum. *Rubric. gener. Breviar.*, tit. *De translatione fest.*, n. 1. (15. In dicta die octavæ Corporis Christi fit tantum de S. Joanne Baptista, si eodem die occurrat, vel de SS. Petro et Paulo, aut de alio ex solemnioribus cum commemoratione octavæ. Ex rubric. anni 1666, a sac. congr. Rit. approbatis, et ex rubricis generalibus *Breviarii*, tit. *De translatione festorum*, n. 1.

(16. Si festum sancti Antonii de Padua, aut aliud festum 2 classis occurrat in die Corporis Christi, transfertur post octavam. Sacra Rituum congregatio 12 Jul. 1664. Observa tamen posterius decretum in fine numeri sequentis. (17. Si tamen tale festum esset titulare, sicuti et aliud quodlibet primæ classis, tunc fieret de eo officium infra octavam, cum infra octavam Corporis Christi possit et debeat fieri officium de duplicibus primæ classis, etiam translatis ex cit. rubricis anni 1666, a sacra congr. Rit. approbatis, et ex rubricis generalibus *Breviarii*, tit. *De translatione festorum*, n. 1. Imo infra dictam octavam fieri potest etiam officium de duplicibus translatis 2 class. ex posteriori decreto 30 Maii 1699.

(18. Si festum habens octavam transferatur post dies octo a die festi, non celebratur illo anno cum octava. Si transferatur ad pauciores dies, octava non transferetur, sed numerari debet a die, quo festum incidebat, et celebrari debebat, si translatum non fuisset; dies autem octavæ celebratur suo die, ac si festum non fuisset translatum, etiamsi occurrat statim post festum ipsius. Ex cit. rubricis anni 1666, ut patet in rubricis particularibus nostri *Breviarii Franciscani*, n. 124.

(19. Si festum, quod celebrari solet cum octava, venerit paulo ante Quadragesimam, ante Pentecosten, et ante diem 17 Decembris, tunc de tali octava a feria 4 Cinerum, vigilia Pentecostes, et a die 17 Decembris, nihil amplius fit, nec commemoratio. Rubr. general. *Breviarii*, sub tit. *De octavis*, n. 1. Intellige tamen quod quando dies 17 Decembr. vel dies Cinerum occurrunt infra aliquam octavam, ipsa octava terminari debet ad nonam præcedentis diei, etiamsi vesperæ sequentes (nullo occurrente festo) recitari debeant de Psalterio. Sic expresse rubricæ particulares nostri *Breviarii Franciscani*, titul. *De commemor.*, n. 96, ex rubricis anni 1666. Et si ante vigilia Pentecostes, seu feria 6 post octavam Ascensionis occurrat infra aliquam octavam, ipsa octava desinit ad nonam inclusive dictæ feriæ 6 ita ut in vesperis illius diei nihil fiat, nec etiam commemoratio de dicta octava : sic expresse cit. rubricæ, n. 95; Merati post Gavant.,

Digitized by Google

t. II, sect. 6, cap. 17, n. 5; Bauldry, part. IV, cap. 3, n. 5, et alii rubricistæ passim. In ipsa autem feria 6 post octavam Ascensionis potest fieri de festo semiduplici etiam translato. Sacr. Rituum congr. *in Romana dubiorum* 11 Aug. 1691.

(20. In Pascha Resurrectionis et Pentecostes officium octavæ terminatur in Sabbato sequenti ad Nonam. Rubric. generales *Breviarii*, sub. tit. *De octavis*, num. 2.

(21. In Quadragesima sine speciali privilegio non possunt celebrari octavæ. Citat. rubr. gener., tit. *De octavis*, n. 1. (22. Si in Quadragesima occurrat officium infra octavam, qui ex speciali privilegio octavam celebrant, debent dicere missam conventualem de feria cum commemoratione octavæ, et missas privatas possunt dicere de octava cum commemoratione feriæ. Sacra congregatio Rit. 23 Januarii 1662.

(23. Die octava concurrente cum alia die octava fit a capitulo de sequenti cum commemoratione præcedentis, exceptis octavis privilegiatis, in quibus de aliis sequentibus non privilegiatis fit tantum commemoratio. Rubr. general. *Brev.*, tit. *De concurrentia officii*, n. 7. (24. Die octava concurrente cum sequenti duplici minori etiam translato fit a capitulo de sequenti cum commemoratione octavæ. Rubr. gener., *loc. cit.*, n. 7. (25. Die octava concurrente cum sequenti duplici majori etiam translato, totum officium fit de sequenti cum commemoratione octavæ, excepta die octava Epiphaniæ, Paschæ, Ascensionis, et Corporis Christi, in quibus de sequenti etiam duplici majori fit tantum commemoratio. Rubr. gener., *loc. cit.*, n. 7. (26. Die octava concurrente cum duplici secundæ classis etiam translato, totum officium fit de sequenti cum commemoratione octavæ. Rubr. general., *loc. cit.*, n. 7. (27. Concurrente autem die octava cum duplici primæ classis, totum officium fit de sequenti sine commemoratione octavæ; ex regula generali in tabula, quando concurrit sub n. 1.

(28. Quæcunque dies octava B. Mariæ Virginis debet habere integras utrasque vesperas in concurrentia cum festo duplici minori. Sacra congregat. Rit. 11 Augusti 1691. (29. Dies octava non privilegiata dimidiat vesperas in concurrentia cum duplici minori. Sac. Rit. congreg. 12 Jul. 1663. (30. Dedicatio Apostolorum et Salvatoris extra Urbem non habent integras vesperas, si die præcedenti, vel sequenti celebretur officium duplex minus. Idem dicendum est de die octava dedicationis. Sac. Rit. congr. 12 Jul. 1664.

(31. Si aliqua dies octava incidat in Dominicam privilegiatam, de qua debeat fieri officium, in primis vesperis dicuntur Psalmi Sabbati, capitulum de Dominica cum commemoratione octavæ, et si in Sabbato fuit festum semiduplex, de hoc sunt vesperæ, attamen a capitulo fit de Dominica, et prima commemoratio est de priori semiduplici, quia de eo fuit officium, secunda est de octava, quæ nec habuit, nec habebit officium. Sic ex Gavant., expresse La Croix, lib. IV, n. 1280.

(32. Infra octavam officium fit semiduplex, in octava fit duplex; infra octavam omnia dicuntur sicut in secundis vesperis festi, et in primis vesperis diei octavæ, omnia sicut in primis vesperis festi, nisi aliter in propriis locis notetur. Rubr. gener. *Breviarii*, tit. *De octavis*, n. 5. (33. De octavis Nativitatis, Epiphaniæ, et Corporis Christi fit semper commemoratio quocunque festo in illis occurrente. Rubr. gener., *loc. cit.*, n. 3.

(34. Si in die octava alicujus festi habentis octavam occurrat aliquod festum duplex 1 vel 2 classis, debet fieri officium de festo cum commemoratione diei octavæ, excepta die octava Nativitatis Domini et Epiphaniæ, in quibus non fit de aliquo festo, sed transfertur in primam diem non impeditam. Rubr. general. *Breviar.*, tit. *De translation. festor.*, n. 2. (35. Si autem non fuerit ex prædictis festis, debet fieri officium de octava, et festum transferri juxta dicta *supra* n. 7. Festum occurrens in Dominica in Albis, et Dominica Trinitatis, cujuscunque sit ritus et dignitatis, transfertur in sequentem diem non impeditam. Quamvis enim in Pascha resurrectionis et Pentecostes officium octavæ terminetur in Sabbato sequenti ad Nonam, juxta dicta *supra* n. 20 tamen dictæ duæ Dominicæ cum aliis sunt privilegiatæ, ut patet ex rubric. general., *tit. De commemorationibus*, n. 3, et tit. *De translation. festor.*, n. 1.

(36. Dies octavæ omnes (exceptis Christi et B. M. V.) ordinarie sunt ejusdem solemnitatis: hinc dividere debent vesperas juxta dicta *supra* sub n. 23 nisi aliter notetur. Octava autem dedicationis est dignior, quam patroni; patroni, quam titularis (nisi sit intra hos magna distantia dignitatis), assumptionis, quam dedicationis. La Croix, lib. IV, n. 1279. Octava autem Omnium Sanctorum tanquam dignior præferenda est octavæ Dedicationis eccles. Sac. Rit. congr. 5 Martii 1695.

(37. Proposito in. sac. Rit. congregat. a capitulo cathedralis Collensis, inter alia, nono dubio: « An infra octavas privilegiatas possit cantari missa defunctorum in anniversario et officio solemni? » Ead. sacr. Rit. congregat. *in Collen.*, die 5 Julii 1698, respondit « Ad 9, *Negative.* »

(38. Infra octavam Corporis Christi non sunt canendæ missæ mortuorum, nisi præsente corpore. Sacr. Rit. congreg. *in Nuscana* 12 Septembr. 1671. (39. Quod intelligendum est etiam de diebus infra omnes quinque octavas privilegiatas, nempe Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paschæ, Pentecostes, et dictæ Corporis Christi, ex alio supra allato decreto ejusdem sacr. Rit. congr. *in Collen.* die 5 Julii 1698, in responsione ad 9 dub.

(40. Nemini licet facere octavam pro defunctis sine speciali indulto Sedis Apostolicæ. S. R. C. 13 Augusti 1667 *in Romana.*

Digitized by Google

OCULUS

SUMMARIUM.

1. Oculo carens, si non sit valde deformis, non est irregularis, et consequenter ordinari potest. — 2. Impudicus oculus impudici cordis est nuntius. — 3. Oculi irritamenta sunt vitiorum. — 4. Oculos stibio depingere non licet. — 5. Oculis noxia assignantur. — 6. Oculos retro nulla lex, nulla appellatio, nullaque inhibitio habet. — 7. Oculorum officium durius est amisisse, quam linguæ. — 8. In missa quando sacerdos debeat oculos elevare? — 9. Et quando debeat eos demissos tenere?

(1. Oculo carens, si non sit valde deformis, non est irregularis, et consequenter ordinari potest. *Vide* verb. IRREGULARITAS, art. 1; n. 12, § *Secunda ex defectu corporis.*

(2. Impudicus oculus impudici cordis est nuntius. Cap. *Nec solo* 12, caus. 32, q. 5.

(3. Oculi irritamenta sunt vitiorum, ducesque scelerum. Seneca, *De remediis fortuit.* Unde S. Joannes Chrysostomus, in cit. cap. *Nec solo* 12, caus. 32, q. 5, sic ait: « Mulier, si se decoraverit, et vocaverit ad se oculos hominum, etiamsi plagam non intulerit, vindictam dabit extremam, venenum enim obtulit, etsi nullus, qui bibat, inventus sit. »

(4. Oculos stibio depingere non licet. Fagnan., lib. III *Decretal.*, in c. *Multa* 1, Ne clerici vel monachi, num. 66. Unde S. Augustinus, epist. 37, ante med., t. II, dicit.: « Fucari figmentis, quo rubicundior vel candidior appareat, adulterina fallacia est. » Sic impia Jezabel, introitu Jehu audito, depinxit oculos suos stibio, *IV Reg.* IX, 30, ibi: *Porro Jezabel, introitu ejus audito, depinxit oculos suos stibio, et ornavit caput suum.* Et sub figura multiplicium stuprorum duarum meretricum Oollæ et Oollibæ acriter reprehendit idololatriam Samariæ et Jerusalem *Ezechiel;* XXXIII, 40, ibi: *Circumlinisti stibio oculos tuos, et ornata es mundo muliebri.*

(5. Oculis noxia:

Allia, vina, venus, pulvis, ventus, faba, fumus.
Ista nocent oculis, sed vigilare magis.

Sic apud Ursayam in *Miscellaneo sacro et profano*, litt. *O*, n. 24 et 25.

(6. Oculus retro nulla lex, nulla appellatio, nulla inhibitio habet. Rota *in Illerden. Hæreditatis* 4 Februar. 1705, § *Quod sic*, coram Ansal., apud Ursayam, *loc. cit.*, n. 26.

(7. Oculorum officium amisisse durius est, quam linguæ. Fagnan., lib. II *Decretal.*, in cap. *Cum percussio* 1, De clerico ægrotante, n. 14; cap. *Causam quæ*, De election.; cap. 1, *De tregua et pace.* Cum similibus.

(8. In missa sacerdos elevat oculos, ad *Munda cor meum*, *Veni sanctificator*, Ad oblationem hostiæ et calicis, sed offerens hostiam, statim iterum deprimit in hostiam, offerens autem calicem tenet elevatos. Item oculos elevat ad *Suscipe sancta Trinitas, Te igitur clementissime, Gratias agamus*, dum dicit *Deo nostro, Qui pridie*, dum dicit *elevatis oculis*, quando hostiam et calicem elevat; hæc enim respicit, donec deponat, in fine ad *Benedicat vos omnipotens Deus.* Sic ex *Missali*, in ritu servando in celebratione missæ, per tot.

(9. In missa sacerdos oculos demissos tenet, dum accedit, vel recedit ab altari. Quandocunque se vertit ad populum. Sub utroque *Memento.* Post consecrationem plerumque conjiciuntur in hostiam, nisi occupentur in legendo. Sic et *Missali*, *loc. cit.*

ODIUM,

SUMMARIUM.

1. Odium opponitur directe amori, seu charitati. — 2. Sicut duplex est amor, scilicet unus amicitiæ, et alter concupiscentiæ, ita duplex quoque est odium, scilicet unum personæ, seu odium inimicitiæ, et alterum odium qualitatis, seu odium abominationis. — 3. Odium personæ seu odium inimicitiæ quid sit? — 4. Odium qualitatis, seu abominationis quid sit? — 5. Odium personæ, seu inimicitiæ non reperitur in Deo. — 6. Bene vero odium qualitatis, seu abominationis. — 7. In homine reperitur utrumque; scilicet, et odium inimicitiæ et odium abominationis. — 8. Odium inimicitiæ tum erga Deum, tum erga proximum est peccatum de genere suo gravissimum. — 9. Odium inimicitiæ erga Deum non potest esse veniale ob parvitatem materiæ, bene vero ob imperfectum animi consensum, seu indeliberationem actus; odium autem inimicitiæ erga proximum potest esse veniale, tum ob imperfectum animi consensum, seu indeliberationem actus, tum ob parvitatem materiæ. — 10. Odium abominationis erga Deum est de genere suo peccatum mortale; erga proximum autem interdum licitum est, et laude dignum. — 11. Affertur ratio primæ partis. — 12. Affertur ratio secundæ partis. — 13. Cavendum tamen est, ne fiat ex vindicta, aut inordinate contra ordinem charitatis. — 14. Afferuntur ad id propositiones damnatæ. — 15. Odium suscitat rixas, et universa delicta operit charitas. — 16. Odisse quem læseris proprium humani generis est. — 17. Alia ad rem *remissive.* Vide *Addit.* in fine.

(1. Odium opponitur directe amori, seu charitati. *Communis.*

(2. Unde sicut duplex est amor, scilicet unus amicitiæ, et alter concupiscentiæ, ita duplex quoque est odium, scilicet unum personæ, seu odium inimicitiæ, et alterum odium qualitatis, seu odium abominationis. *Communis.* (3. Odium personæ, seu odium inimicitiæ, est illud quo personæ alicui volumus malum, quatenus absolute illi malum est. Est in re communis. (4. Odium qualitatis, seu abominationis, est illud quo personam aversamur non secundum seipsam, sed secundum suam malam qualitatem, quatenus ipsa est nobis, vel alteri, aut commun. noxia. Est in re communis.

(5. Odium personæ seu inimicitiæ non repetitur formaliter in Deo, quia Deus non odio habet creaturam, ut creaturam, cum de illo dicatur *Sapient.* II: *Nihil odisti*

Digitized by Google

eorum quæ fecisti. (6. Reperitur autem in Deo odium qualitatis, seu abominationis, quatenus odio habet creaturam, ut peccatricem, juxta id quod dicitur *Psal.* v: *Odisti omnes qui operantur iniquitatem;* et inferius: *Virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus; Psal.* cxviii: *Iniquos odio habui;* et *ad Romanos* ix: *Esau odio habui*, cum similibus.

(7. In homine reperitur (et utinam non reperiretur) utrumque odium, scilicet et odium inimicitiæ, et odium abominationis. *Communis.*

(8. Odium inimicitiæ tum erga Deum, tum erga proximum, est peccatum de genere suo gravissimum. *Communis.* Et colligitur ex *Psal.* xxxvii, ibi: *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper;* et ex lib. *Num.*, xvii, ibi: *Dissipentur inimici tui, et fugiant qui oderunt te;* et ex *Joan.*, ii, ibi: *Qui odit fratrem suum in tenebris est;* cum similibus. Et probatur etiam ratione, quia odium inimicitiæ formaliter et directe opponitur charitati, quæ est maxima omnium virtutum, ex *I ad Corinth.* xii, ibi: *Major autem horum est charitas*, et de qua præcipuum mandatum habemus ex *Matth.* xii, 37 et seq. ibi: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua. Hoc est maximum et primum mandatum. Secundum autem simile est illi: diliges proximum tuum sicut te ipsum;* ex *Marc.* xii, 30 et seq., ibi.: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua, et ex tota virtute tua. Hoc est primum mandatum. Secundum autem simile est illi: diliges proximum tuum tanquam te ipsum. Majus horum aliud mandatum non est; Lucæ* x, 27, ibi: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex omnibus viribus tuis, et ex omni mente tua; et proximum tuum sicut te ipsum.* Adeoque odium inimicitiæ, tum erga Deum, tum erga proximum, est peccatum de genere suo gravissimum.

(9. Dicitur autem notanter *de genere suo*, quia licet odium inimicitiæ erga Deum non possit esse veniale ob parvitatem materiæ, cum quodlibet odium etiam in materia levi maxime repugnet summæ ejus bonitati, potest tamen esse veniale ob imperfectum animi consensum, seu indeliberationem actus. Et odium inimicitiæ erga proximum potest esse veniale, tum ob imperfectum animi consensum, seu indeliberationem actus, tum ob parvitatem materiæ, puta si levem aliquam displicentiam, seu modicam aversionem habeat quis erga proximum, aut leve malum illi optet, ut recte notant Reiffenstuel, *Theolog. moral.*, tract. 4, dist. 7, q. 1, n. 5; Layman, lib. ii, tract. 3, cap. num. 4; Turrianus, cap. 1, disput. 17, dub. 1, et alii passim.

(10. Odium abominationis erga Deum est de genere suo peccatum mortale: erga proximum autem interdum licitum est, et laude dignum. *Communis.* (11. Ratio primæ partis est, quia cum Deus sit infinite bonus, et in eum nulla malitia, sive defectus intrinsece vel extrinsece cadere possit, ob quam abominatione vel odio dignus sit, imo omnia, quæ in eo sunt, et ab ipso procedunt, pro nobis bona sint, quamvis cæcitati nostræ interdum mala videantur, ideo summa nostra deordinatio est Deum odisse, adeoque peccatum mortale est eum odio prosequi propter infirmitatem, paupertatem, afflictionem, et hujusmodi, etc., quibus ad nostrum spiritualem profectum et utilitatem in æternam nos interdum visitare dignatur. (12. Ratio autem secundæ partis est, quia odium abominationis, interdum fundatur in amore amicitiæ, seu charitatis erga Deum, vel nos ipsos, vel erga proximum ipsum, quem odio prosequimur, aut alterum proximum, ut proinde tale odium, si debito ordine et fine eliciatur, ex virtute charitatis proveniat, adeoque sit licitum et laude dignum; unde licitum est et laude dignum mortem optare (126), hæresiarchæ, vel publicæ pacis turbatori ob bonum commune, et multorum, juxta illud *ad Galatas* v: *Utinam abscindantur;* item mortem, egestatem, aut morbum alicujus desiderare, ut cesset a peccatis, et vitam in melius mutet; item tristari de eo, quod dignitates conferantur indignis, vel de sanitate, et prosperitate, seu fortuna ejus, qui ex illa sumit occasionem peccandi, et generatim ad bonum spirituale proprium, vel alienum licet mala pœnæ inefficaci affectu aliis velle: quia cum in hoc affectu bonum spirituale præferatur temporali, non est inordinatus.

(13. Cavendum tamen est, ne fiat ex vindicta, aut inordinate contra ordinem charitatis, quia quamvis licitum sit ordinate, et, salva charitate, inefficaci affectu optare alicui mortem, morbum, aut aliquod temporale infortunium ob bonum spirituale proprium, vel ipsius, aut alterius, aut propter bonum commune reipublicæ, quod alias obtineri non posset, ut notant communiter doctores cum S. Gregorio 22, *Moral.* 11; S. Thoma, 2-2, q. 76, art. 1, et in 3, dist. 30, art. 1 et Scoto in 3 dist. 30 q. unica, quia sic principalis intentio et finis non fertur ad malum, sed ad bonum spirituale ipsius, vel alterius, vel ad bonum communitatis, et ut alter graviter nocere desinat. Attamen illicitum est et charitati repugnans optare mortem proximo ob bonum temporale non necessarium, aut quodcunque etiam modicum temporale emolumentum, quia tale bonum et temporale emolumentum censetur esse levioris momenti, facta comparatione cum vita hominis, et ita illicitum est desiderium et gaudium de malo proximi, quod trahit secum nostrum, seu alterius, aut reipublicæ bonum, si tale bonum non sit, facta comparatione ad malum proximi, in ordine, et

(126) In utraque editione Romana ad hæc verba adnotatio ista apposita legitur: « Nunquam licet optare mortem alterius, sed ejus conversionem. » *Vide* tamen *Addit.* ad hunc articulum.

Digitized by Google

esse præstantius. Sic recte pluribus adductis notant Cardenas in *Crisi theologica*, ad propositionem 13, 14 et 15, ex merito damnatis ab Innocentio XI, die 2 Martii 1679. Viva ad easdem, et alii scribentes in ipsas; quæ propositiones hic ad litteram dantur, prout jacent.

Propositio XIII.

(14. « Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, et de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, et desiderare non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.

Propositio XIV.

« Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas.

Propositio XV.

« Licitum est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas. »

(15. Odium suscitat rixas, et universa delicta operit charitas : *Proverb.* x, 12.

(16. Odisse quem læseris proprium humani generis est. Tacit., in *Vita Agricolæ.*

(17. Alia ad rem *vide* verb. VIRTUS, a n. 34 ad 87.

* Ad ea, quæ auctor n. 12 et 13 constituit, declaranda, et illustranda, pertinent, quæ habet Antoine in tractatu *De virtutibus theologicis*, c. 5, quæst. 4, ubi, resp. 1 : « Nunquam, ait, licet optare et imprecari malum proximo, quatenus ejus malum est, vel gaudere de ejus malo, ut tali, vel dolere de ejus bono, ut ejus bonum est. Ita omnes. Quia hæc sunt actus odii, et inimicitiæ, et repugnant charitati; ideoque sunt mortalia ex genere suo, nec possunt esse venialia, nisi ob defectum sufficientis advertentiæ, vel ob levitatem mali optati. Item non licet optare etiam inefficienter malum proximi, quamvis non ut malum illius, aut gaudere de eo, etsi inculpate advenienti, vel dolere de ejus bono quamvis non ex displicentia personæ, sed præcise propter bonum minus nostrum, vel alterius proximi. Quia hi actus repugnant debito ordini charitatis, ex qua tenemur bonum proximi majus et altioris ordinis præferre nostro minori et inferioris ordinis. Idque constat ex his propositionibus ab Innocentio XI damnatis (illis nempe ipsis, quæ num. 14 a Lucio nostro descriptæ sunt. Deinde sic pergit); Resp. 2; ex S. Thom. in 3, part. XXX, quæst. 1, art. 1 ad 4 : « Quia charitas ordinem habet, et « plus debet diligere quisque se, quam « alium, et propinquos, quam extraneos, et « amicos quam inimicos, et bonum com- « mune multorum, quam bonum privatum « unius; potest aliquis, salva charitate, « optare malum temporale alicui, et gau- « dere si contingit, non in quantum est « malum illius, sed in quantum est impe- « dimentum malorum alterius, quem plus « tenetur diligere, vel communitatis aut « Ecclesiæ. Similiter de malo temporali « ejus, secundum quod per malum pœnæ « impeditur frequenter malum culpæ ejus. » Igitur, 1° Licet desiderare affectu inefficaci aliquod malum temporale alteri, v. gr. morbum, et de illo gaudere præcise propter ejus bonum spirituale, v. gr. ut peccare desinat, et resipiscat : quia secundum ordinem charitatis, bonum spirituale præfertur temporali. 2° Licet sic optare mortem juste obventuram hæresiarchæ, vel malefactori Reip. noxio, et de ea gaudere, non quatenus ipsius malum est, sed quatenus per illam mortem majora mala impediuntur, et ob multorum bonum, quod præferendum est bono unius privati. 3° Licite optas victoriam de hostibus in bello justo, vel Turcarum excidium, ob ingens bonum justum tuæ communitatis, vel Ecclesiæ. Quia bonum Ecclesiæ vel communitatis tuæ præferre debes bono alterius communitatis. 4° Licet optare malefactori pœnam meritam per judicem infligendam, vel ut ipse, aut alii coerceantur ab injuria inferenda tibi, aut aliis, nam hoc est consentaneum charitati; vel quia expedit reip. et bono communi, nam est actus pietatis erga remp.; vel ut jus læsum resarciatur, nam est actus justitiæ. Ast, ut dixi, nunquam licet optare aliis vel sibi majus malum ad vitandum minus; quia hoc est contra debitum ordinem charitatis. Hinc peccant mortaliter qui sibi mortem deliberate optant ex gravi impatientia, ad vitandas aliquas leves molestias. »

ÆCONOMI ECCLESIARUM.

SUMMARIUM.

1. Bona ecclesiastica nonnisi ad cathedrales ecclesias olim spectabant, a quibus alimenta percipiebant, qui clerici in aliis, seu civitatis, seu diœceseos ecclesiis ministrabant. — 2. Eorum cura episcopis commissa. — 3. Qui primum per archidiaconos. — 4. Deinde per œconomos ea administrabant, ac dispensabant; quos et ipsi eligebant. — 5. Licet alicubi ex communi universi cleri suffragio. — 6. Quibus de causis instituti œconomi. — 7. Presbyteri, aut diaconi; imo et laici. — 8. Eorum munera. — 9. Episcopo obnoxii fuere. — 10. 11. 12. Alia de illis. — 13. Quando desierint?

(1. Antequam de ecclesiarum œconomis dicere aggrediar, duo prænotare juvat. Primum est, nullos antiquitus presbyteros, aliosve clericos peculiaribus sive civitatis, sive diœceseos ecclesiis fuisse alligatos, sed uni ecclesiæ matrici, seu cathedrali, de qua ad cæterarum ministerium indiscriminatim adhibebantur. Neque id mirum, nam urbis ac diœceseos ecclesiæ, separatos non habebant redditus; sed clerici illis ministrantes,

Digitized by Google

alimenta accipiebant ex communi Ecclesiæ matris ærario, in quod omnes particularium Ecclesiarum oblationes inferebantur, ut ex eo clerici universi suas portiones acciperent.

(2. Alterum est, omnium ecclesiasticorum reddituum curam et distributionem ita episcopo fuisse commissam, ut, hæc magna pars fuerit ipsius muneris, atque officii. Id disertis verbis statutum videas cum in canonibus, quos *Apostolicos* dicimus can. 31 et 33, tum in *Constitutionibus Apostolicis*, lib. II, cap. 25. Satis sit duos Antiocheni concilii canones recitare, 24 et 25. In illo legimus : « Ea, quæ sunt Ecclesiæ, administrari convenit cum judicio et potestate episcopi, cui et omnis populus creditus, et eorum animæ, quæ in ecclesiam conveniunt ; » in hoc : « Episcopus habeat rerum ecclesiæ potestatem, ut eas in omnes egentes dispenset cum multa cautione, et Dei timore. » Hinc Gangrense concilium, can. 8, anathemate eum perculit, « qui vult fructus ecclesiæ datos accipere, vel dare extra ecclesiam, præter episcopi sententiam. »

(3. Primis Ecclesiæ sæculis episcopi in ecclesiasticorum reddituum administratione archipresbyteri, sed potissimum archidiaconi opera utebantur. Quare concilium Carthaginiense IV, can. 17, sancivit, « ut episcopus gubernationem viduarum, pupillorum ac peregrinorum non per se ipsum, sed per archipresbyterum, aut per archidiaconum agat. » Ejusmodi munere S. Laurentius, Romanæ Ecclesiæ archidiaconus, quanta fuerit fidelitate perfunctus, docent Prudentius in hymno de eodem S. Laurentio ; Ambrosius, lib. II, *De officiis*, cap. 28, et Augustinus serm. 121 *De diversis*, de Cæciliano autem idem Augustinus in *Brev.*, collat. 3, tradit eum a Donatistis fuisse accusatum inter cætera « quia, cum esset diaconus, victum afferri martyribus in custodia constitutis prohibuisset. »

(4. Quarto deinde, et quinto sæculo, cum ecclesiarum redditus augerentur in dies, episcopi vero et archidiaconi gravioribus negotiis implicarentur, placuit, ut ad eorumdem reddituum curam et dispensationem ministri instituerentur *œconomorum Ecclesiæ* nomine, quibus id officii demanderetur. Episcopi erat œconomum ex suo clero designare. Certe Ibam episcopum Edessenum œconomorum, quos ipse ordinaverat, cura sua Ecclesiæ bona administrasse, docet fragmentum concilii Tyrii a. 448 habiti, recitatum concilii Chalcedonensis, act. 9. Gennadius quoque Constantinopolitanæ Ecclesiæ episcopus, et Acacii successor Marcianum œconomum præfixit, ut Theodorus lector scribit lib. I, n. 13.

(5. Alicubi tamen œconomi ab universo clero communibus suffragiis statuebantur. Certe Theophilus Alexandrinus episcopus in epistolis suis canonicis apud Beveregium can. 9 statuit, « ut totius sacerdotalis ordinis sententia alius renuntietur œconomus, in quo Apollo episcopus consentiat, ut bona Ecclesiæ in ea, quæ oportet, impendantur. »

(6. Inter causas, ob quas œconomi constituti fuerunt, ea præcipua fuit recta reddituum dispensatio ; tum illa, ne episcopi eorumdem dissipatorum nomine a laicis, vel etiam a clericis accusarentur. Quare cum Ibas, de quo n. 4 fuisset a nonnullis dissipatorum Ecclesiæ Edessenæ reddituum insimulatus, « placuit illi in Tyria synodo ex propria voluntate promittere, quod de cætero secundum formam Antiochenæ maximæ civitatis gubernarentur res per œconomos ex clero ordinatos a sua religiositate. » Eadem de causa Chalcedonense concilium, can. 26, decrevit, « omnem Ecclesiam episcopum habentem ex proprio clero œconomum habere.. ut nec sine testibus sit Ecclesiæ administratio, nec ideo res ejus dissipentur, et probrum, et dedecus sacerdotio inuratur. »

(7. Presbyteri, ut plurimum, erant œconomi in Orientali Ecclesia. Sic Charisii presbyteri et œconomi Philadelphiæ mentio occurrit in Ephesino concilio, *act.* 1, uti et Proterii, qui Alexandriæ cum presbyter antea et œconomus fuisset, episcopus fuerat creatus. Chalcedonense quoque concilium de Dioscori depositione litteras dedit ad Charmosynum *presbyterum et œconomum*, ad Euthalium archidiaconum, et ad alios clericos Alexandrinos. Interdum tamen œconomi occurrunt nondum presbyteri, Liberatus certe diaconus *Breviar.*, cap. 16. Joannis Talajæ meminit, qui « ex œconomo presbyter factus erat Tabennæotis... factusque est iterum œconomus habens causas omnium Ecclesiarum. » Viguit hæc disciplina in Orientali Ecclesia ad sæculum XI. Tum etiam laicos constitutos œconomos legimus. Confer Thomassinum p. III, lib. II, cap. 10, n. 8. Apud Latinos vero diaconis hoc munus tribuebatur.

(8. Œconomi munera Theophilus Alexandrinus supra laudatus his verbis explicat ; « ut bona ecclesiæ, ut decet, insumantur ; viduæ, et pauperes, et peregrinantes hospites omni quiete fruantur, et nemo ea, quæ sunt Ecclesiæ, ut sua usurpet. » Plura addit S. Isidorus Hispalensis in epistola ad Laudefredum, quam tamen sunt, qui ei abjudicent. Neque omittendum quod ex concilio Chalcedonensi, can. 25, discimus, sede vacante œconomi partes fuisse reddituum Ecclesiæ curam gerere, ut episcopo eligendo integri reservarentur.

(9. Erant tamen œconomi episcopo ita subjecti, ut illi, tanquam supremo Ecclesiæ moderatori, rationem omnino reddere debuerint. Indicat id Hieronymus epist. 1 *ad Nepot.*, ubi ait : « Sciat episcopus, cui commissa est Ecclesia, quem dispensationi, curæque præficiat. » S. Augustinus certe, auctore in ejus Vita Possidio, omnes quidem suæ Ecclesiæ redditus per clericos administrabat, ne sigillo quidem, aut clavi, sibi reservato ; statis tamen temporibus obitæ administrationis rationes ab iisdem postulabat. *Vide*

Digitized by Google

eumdem Thomassinum p. III, lib. II, cap. 6, n. 14.

(10. Non perpetua fuit hæc œconomorum administratio. Quæ de Joanne Talajà ex Liberato n. 7 reddidimus, id palam faciunt. Ille enim dicitur *factus iterum œconomus*.

(11. Adde, in magnis Ecclesiis plures exstitisse œconomos. Hinc in Constantinopolitana Ecclesia *magnus œconomus*, summus scilicet inter œconomos, ex præcipuis erat dignitatibus, quem Simeon Thessalonicensis S. Stephani protomartyris et primævæ Ecclesiæ œconomi successorem vocat.

(12. Cum tamen VII concilii œcumenici tempore pigritarentur in Oriente episcopi in œconomis sibi eligendis, statuit concilium, ut si ab iis instituendis cessarent metropolitani, in eam curam Constantinopolitanus patriarcha succederet; si episcopi, suppleret metropolitanus; si abbates, episcopus.

(13. In Ecclesia Græca adhuc sæculo XIII residui erant œconomi, ut ex actis Lugdunensis concilii a. 1254 constat. Verum in Latina Ecclesia, postquam mensæ communis bonorum partitio facta est inter canonicos, œconomis nullus superfuit locus. His tamen thesaurarii, camerarii, vicedomini in canonicorum collegiis successerunt. Adi et hic Thomassinum p. I, lib. III, cap. 70, n. 6, seqq.

OFFICIALES BELLICI.

Vid. verb. BELLUM, *art.* 3, *per tot.*

OFFICIUM DIVINUM

ARTICULUS.

Quoad ea quæ concernunt ejus nomen, originem, divisionem et obligationem.

SUMMARIUM.

1. Officium modo appellatur divinum, et quare? — 2. Modo vocatur ecclesiasticum, et quare? — 3. Modo vocatur canonicum, seu horæ canonicæ, et quare? — 4. Modo vocatur breviarium, et quare? — 5. Modo vocatur orarium, et quare? — 6. Unde officium divinum seu ecclesiasticum, vel breviarium, aut orarium, seu horæ canonicæ definiri possunt officia quædam, etc. — 7. Usus divini officii, ac recitatio horarum canonicarum est antiquissimus in Ecclesia catholica, etiam a tempore apostolorum inchoatus, atque celebratus. — 8. Qui dicunt horas canonicas cœpisse a SS. Damaso, Gelasio et Gregorio primis, intelligendi sunt, quod a dictis Summis Pontificibus cœperint quoad novam et reformatam formam ipsas recitandi. — 9. Formula moderna recitandi horas canonicas, seu divinum officium, fuit potissimum tradita a nostris Franciscanis, et deinde a Sede Apostolica pro ipsa Ecclesia Romana suscepta. — 10. Affertur summarium constitutionis S. Pii V, incip. *Quod a nobis*, editæ pro reformatione et editione Breviarii Romani. — 11. Affertur ad id summarium constitutionis Clementis VIII, incip. *Cum in ecclesia*. — 12. Affertur ad id summarium constitutionis Urbani VIII, incip. *Divinam psalmodiam*. — 13. Officium divinum dividitur in nocturnum et diurnum. — 14. Per officium nocturnum quid intelligatur? — 15. Per officium diurnum quid intelligatur? — 16. Totum divinum officium dividitur in septem partes, seu septem horas canonicas, quæ enumerantur. — 17. Assignatur mystica ratio hujus septenarii numeri horarum canonicarum. — 18. Obligatio recitandi divinum officium seu horas canonicas oritur ex triplici titulo, scilicet sacri ordinis, beneficii ecclesiastici, et religionis choro adstrictæ. — 19. Titulo *sacri ordinis* obligantur sub mortali ad recitandum divinum officium omnes subdiaconi, diaconi et presbyteri, quamvis nullum habeant beneficium, nec aliquo voto ad id sint adstricti. — 20. Obligatio recitandi horas canonicas incipit a prima die, et hora suscepti subdiaconatus. — 21. Clerici in sacris constituti tenentur ad recitationem divini officii, etiamsi sint excommunicati, interdicti et suspensi. — 22. Idemque plurimi censent de degradatis. — 23. Quid sentiendum de damnatis ad triremes, incarceratis, et captivis apud infideles? — 24. Clericus in sacris, qui cum dispensatione Papæ duxit uxorem, tenetur adhuc probabilius ad recitationem divini officii, nisi quoad hoc etiam obtinuerit dispensationem pontificiam. — 25. Titulo beneficii ecclesiastici obligantur sub mortali ad recitandum divinum officium seu horas canonicas beneficiati omnes, sive habeant beneficium curatum, sive non curatum. — 26. Et quando incipiat dicta eorum obligatio. — 27. Imo tenentur beneficiati ad recitationem divini officii, etiamsi sum beneficium sit tenue, si scienter illud acceptarunt. — 28. Item tenentur ad recitationem divini officii habentes præstimonia et præstimoniales portiones. — 29. Clerici percipientes portionem ex beneficio ecclesiastico tenentur recitare officium B. M. V., nisi recitent ipsum officium divinum. — 30. Beneficiati, si post sex menses ab obtento beneficio, divinum officium sine impedimento et culpabiliter non recitaverint, tenentur ad restitutionem fructuum pro rata omissionis. — 31. Beneficiati tenentur in conscientia ad talem faciendam restitutionem ante omnem sententiam et declarationem judicis. — 32. Neque talem restitutionem compensare possunt beneficiati per eleemosynas ante neglectam recitationem datas ex fructibus beneficii, ob quod tenentur ad horas canonicas. — 33. Pro recitatione tamen ob neglectas horas satis est post illud tempus, a quo beneficiarii omiserint, dare eleemosynam, etiamsi non cogitent de debito, neque intendant dare in exsolutionem suæ obligationis. — 34. Possunt autem tales beneficiarii eleemosynas ob omissionem horarum debitas pauperibus, sibi applicare, si vere sint pauperes. — 35. Obtinentes beneficia, v. g. præposituras, personatus et hujusmodi, quibus ex speciali sua erectione solum annexa est obligatio recitandi officium parvum B. M. V. vel alia similis obligatio, cum expressa conditione quod capellanus ratione capellaniæ non sit obligatus ad horas canonicas, eximuntur ab onere recitandi divinum officium, et consequenter ab onere restitutionis fructuum ob omissionem recitationis. — 36. Item a tali onere eximuntur, qui titulum quidem beneficii obtinent, sed per se non stat, quominus de facto aliquos fructus percipere possint. — 37. Titulo *religionis professæ choro adstrictæ* obligantur sub mortali ad recitandum divinum officium, seu horas canonicas, sive publice in choro, sive privatim, omnes, ac singuli regulares (exceptis novitiis ac laicis seu conversis), qui profitentur religionem choro adstrictam et hoc ratione generalis consuetudinis in omnibus

Digitized by Google

religionibus choro addictis cum tali obligatione receptæ. — 38. Novitii et laici, seu conversi ad id non tenentur. — 39. In illis autem religionibus, ubi propria regula obligat laicos seu conversos ad consimilium precum recitationem et hujusmodi, ut in religione minorum, laici seu conversi ad illas tenentur, sicut ad alia præcepta propriæ regulæ. — 40. Item sub mortali obligantur ad recitationem divini officii, sive publice in choro, sive privatim omnes, ac singulæ moniales choro addictæ ratione consuetudinis obligantis sub mortali : quamvis ad id non sint obligatæ ex vi regulæ, aut voti. — 41. Excipiuntur tamen novitiæ et conversæ, de quibus discurrendum est, ac de novitiis et conversis regularium. — 42. Obligatio recitandi divinum officium in choro incumbit toti communitati, monasterio, capitulo, ita tamen ut primario, et ex officio incumbat prælato seu superiori, qui peccabit graviter, si ex ejus culpa officium vel omittatur, vel notabiliter negligatur, vel etiam indebite persolvatur. — 43. Secundario talis obligatio incumbit subditis, ita ut, deficiente suo muneri superiore, etiam peccent mortaliter subditi, si ex eorum negligentia divinum officium prætermittatur, aut indebite persolvatur. — 44. Novitii soli de more recitantes in choro horas canonicas satisfaciunt obligationi loco professorum, dummodo tot numero adsint, quot requiruntur ad constituendum corpus communitatis, aut collegium. — 45. Ad satisfaciendum obligationi recitandi officium in choro sufficiunt et requiruntur saltem tres. — 46. Obligati ad divinum officium, et choro addicti, licet extra chorum non teneantur diebus statutis recitare psalmos grad. nec pœnitentiales, neque, etc., tamen in choro ex præcepto recitare debent. — 47. Religiosi fugitivi, seu apostatæ, excommunicati, suspensi, et interdicti tenentur adhuc ad recitationem divini officii, licet non sint sacris initiati. — 48. Quid dicendum de religiosis condemnatis ad triremes, incarceratis, seu factis captivis ab infidelibus? — 49. Quid dicendum de religiosis degradatis? — 50. Quid de religiosis ejectis? — 51. Religiosus chorista nondum in sacris constitutus, si ex privilegio Papæ exeat a religione ad ducendam uxorem, non tenetur divinum officium recitare, nisi diploma aliud sonet. — 52. Idem probabiliter dicendum est de eo religioso nondum in sacris, qui obtinuit Pontificiam dispensationem perpetuo vivendi extra monasterium. — 53. Idem dicendum est de religioso nondum in sacris ex simili dispensatione Pontificia transeunte de clericatu ad statum conversorum, aut ad religionem, ubi religiosi non sint ad chorum professi, et obligati. — 54. Subnect. *Addit. ex aliena manu*, ad n. 55.

(1. Officium, modo appellatur divinum, ut cap. *Dolentes* 9, De celebratione missar., ibi : « Ut divinum officium, » et Clementin. 1, eod. tit., ibi : « Divinum diurnum et nocturnum officium ; » (2. quia ad Dei cultum est institutum (127) ; modo vocatur ecclesiasticum, ut cit. Clementin. 1, De celebratione missarum, ibi : « Ecclesiasticum..... Officium, » quia nomine Ecclesiæ persolvitur ; (3. modo vocatur canonicum, seu Horæ canonicæ, quia fit juxta regulas sacrorum canonum (128) ; (4. modo vocatur Breviarium, quia est breve et admirabile compendium Veteris et Novi Testamenti, Patrum sententiarum, et vitæ sanctorum (129) ; (5. modo vocatur Orarium ab orando, quia magna ejus pars constat variis precibus seu petitionibus fusis ad Deum, et potissimum Deum oramus, et precamur per ipsum.

(6. Unde officium divinum, seu ecclesiasticum, vel Breviarium, aut Orarium, seu Horæ canonicæ definiri possunt, « Officia quædam divina ex psalmis, hymnis, canticis, sac. Scriptura, et doctrina sanctorum Patrum constructa, atque ex sacrorum canonum decreto a personis ecclesiasticis Ecclesiæ nomine, certis diei noctisque horis persolvenda ad Deum, » prout tradit Sporer, tom. III *Theolog. sacrament.*, appendice *De obligatione recitandi horas canonicas* quæst. præambula num. 2. Vel ut brevius tradit Layman, lib. III, trac. 1, cap. 2 : « horæ canonicæ, ac statutæ preces ex sacror. Canonum decreto ab ecclesiasticis personis nomine Ecclesiæ ad Deum persolvendæ. »

(7. Usus divini officii ac recitatio horarum canonicarum est antiquissimus in Ecclesia catholica, et jam a tempore apostolorum inchoatus atque celebratus ; et colligitur ex illo *Actorum* VI, ibi : *Petrus et Joannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam ;* et *Actor.* X, ibi : *Ascendit Petrus in superiora, ut oraret circa horam sextam ;* et *Actor.* XVI, ibi : *Media nocte Paulus et Silas orantes laudabant Deum* (130) ; et probat etiam illud S. Clementis Papæ I, l. VIII, *Constit. Apostolicar.*, canon. 34, sic expresse dicentis : « Precationes facite mane, hora tertia, sexta, et nona, et vespere, atque ad galli cantum (131). »

(127) Seu potius, quia debitum est quoddam, atque officium, quod duo persolvimus, preces nostras die noctuque dicando. « Oremus, inquit in *Vita S. Pachomii* S. Hieronymus, psallamus, reddamus Deo officium. »

(128) Vel quia majores nostri tempus et horas, quibus officium persolvendum, ecclesiasticis canonibus definierunt.

(129) Malim ego sic dictum, sive quod vetus officium contractum fuerit, sive quod hæc collectio sit quædam omnium precum epitome, quasi *breve orarium*. Cæterum hoc Breviarii nomen adeo pervulgatum erat Micrologi ævo (Vivebat autem is circa annum 1180), ut non solum cum de divino suorum temporum officio ageret, sed et de antiquis Ecclesiæ libris, eos Breviarios, quemadmodum et nos hodie solemus, appellet.

(130) Antelucanos et vespertinos conventus celebrasse vel ab ipso apostolico ævo Christianos, in illisque psalmos, hymnos, precesque Deo obtulisse testatissima res est. Nec minus exploratum est, jam inde a primis Ecclesiæ sæculis fideles hora potissimum tertia, sexta et nona, seu statis precationum temporibus, ducto ab ipsis apostolis exemplo, privatim orare consuevisse. Eas sane precum horas commemorant Tertullianus, *De jejuniis*, cap. 3, et S. Cyprianus, *De orat. Dominica*. Nondum tamen, inquit Selvaggius *Antiquit. Christian.*, lib. II, c. 9, p. 183, his horis publici in Ecclesia cœtus habebantur ; præsertim cum Epiphanius et Chrysostomus matutini, ac vespertini ecclesiastici ministerii quam sæpissime meminerint, nunquam vero illas canonicas horas meminerint, nisi duntaxat cum de monachis, eorumque institutis loquuntur.

(131) Ex his constitutionum Apostolicarum verbis id solum argui potest, quarto jam sæculo, quo fuere primum illæ sub apostolorum, vel Clementis I, nomine procusæ, in Oriente, saltem in quibusdam ecclesiis, horas illas canonicas fuisse usitatas.

Digitized by Google

(8. Cum autem aliqui dicunt a S. Damaso, Gelasio, et Gregorio primis horas canonicas cœpisse, intelligendi sunt, horas canonicas a dictis summis Pontificibus cœpisse quoad novam et reformatam formam, ipsas recitandi, prout notant passim scriptores, et colligitur ex notatis in initio nostri Breviarii Franciscani post bullam Gregorii IX incip. *Pio vestro collegio*, ubi sic præcise habetur.

(9. Breviaria autem a Gregorio IX pro ordine nostro sic approbata, formulam divini officii continebant, quæ a SS. Damaso, Gelasio, et Gregorio primis pro S. Romana Ecclesia constituta, et a S. Gregorio VII reformata exstiterat, diuturnitate tamen temporis jam ab antiqua institutione deflexerat, et opera Haymonis Anglici generalis ministri ad præscriptum moderniorum decretorum S. Sedis tunc restituta fuerat (132).

(10. Eaque propter hujusmodi formula Deo persolvendi sacras preces, laudes, et gratias, sic restituta, officiisque Conceptionis B. M. Virginis, et aliorum sanctorum a S. Bonaventura subinde aucta, adeo Sedi Apostolicæ placuit, ut, testantibus Radulpho Tungrensi, Palmerio, Gavanto, et Card. Bona cum innumeris aliis sacris scriptoribus, a Nicolao III anno 1277 ad Pontificatum assumpto pro ipsa Ecclesia Romana postmodum suscepta, ac sancita comperiatur.

(11. Hanc deinde temporum injuria, aliisque de causis variatam, in pristinum statum ex decreto Tridentinæ synodi restituit S. Pius V sub rubricis præsertim, ac ritibus, regulisque pro ordine nostro a Romanis Pontificibus Nicolai III successoribus usque tunc approbatis, et contentis in directorio divini officii prius pro ordine nostro edito, in cujus commendationem id testatum idem Gavantus reliquit, quod innuunt ejus infrascripta verba: « Paucissimi tamen erant (inquit de rubricis appositis in reformatione Piana) earum tituli, nempe undecim tantum in prima editione jussu Pii V hausti e directorio divini officii, composito a Ludovico Ciconioliano regularis observantiæ, sub Paulo III qui et directorium approbavit. » Prædictæ tamen restitutioni, seu reformationi suam operam addidere impensissimam Clemens VIII et Urbanus VIII; prout ex eorumdem sequentibus bullarum summariis, et ipsius formulæ contextu luculentius apparebit.

(12. *Summa bullarum summorum Pontificum pro editione Breviarii Romani.*

Pius V bulla quæ incipit *Quod a nobis*, data Romæ septimo Idus Julii, anno 1568, significat causam edendi hujus Breviarii, nempe ad tollendam orandi varietatem.

Enarrat ea, quæ in hac re præstitere Paulus et Pius nomine quarti, et quam ipse adhiberi operam curavit ex decreto concilii Tridentini.

Tollit, et abolet omnino Breviarium a card. S. Crucis compositum, quod erat brevissimum (133). Item alia Breviaria Romana, et alia, quæ ex institutione, vel consuetudine legitima non superant ducentos annos (134).

Permittit tamen ut antiquiora ducentis annis possint mutari in hoc Breviarium, iis omissis, si episcopus et universum capitulum consentiant.

Revocat omnes permissiones, consuetudines, statuta, privilegia, licentias, et indulta precandi, et psallendi more, et ritu prædictorum Breviariorum suppressorum.

Præcipit observari hoc Breviarium in toto orbe, cum exceptione 200 annorum, de qua supra.

Statuit in eo nihil mutandum, addendum, et detrahendum.

Obligat quosque, qui tenentur horas canonicas recitare, ut hoc utantur Breviario, alias non satisfaciant muneri suo.

Jubet omnibus prælatis, ut hoc introducant, tam in choro quam extra chorum. Tollit peccati obligationem, quæ erat recitandi in choro officium parvum B. M. V. et defunctorum, psalmos pœnitentiales, et graduales, juxta rubricas Breviarii.

Hortatur, ut recitentur eadem, propositis indulgentiis dierum centum, recitantibus officium parvum B. M. V. et defunctorum; quinquaginta, recitantibus psalmos pœnitentiales, et graduales, quando rubricæ ea præscribant.

Non tamen tollit laudabilem consuetudinem, ubi est, recitandi officium parvum B. M. V. in choro; imo eamdem confirmat (135), et tandem tempus decernit obligationis ad usum Breviarii post ejusdem publicationem.

Clem. VII, constitutione cujus initium *Cum in Ecclesia*, data Romæ die 10 Maii 1602, declarat se per viros pios et eruditos Breviarium Romanum a pio V editum, et progressu temporis in multis depravatum examinasse, et in statum pristinum restituisse: illudque sic restitutum in typographia Vaticana imprimi, et divulgari jussisse. Prohibet, ne alibi imprimatur, nisi juxta exemplar Vaticanum, et habita ordinariorum licentia, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ (136). Interdicit usum Breviariorum impressorum absque tali ordinariorum licentia in scriptis, quæ fidem faciat de

(132) De Breviariorum restitutione ab Haymone facta, aliisque ad eorum historiam facientibus, consule Francisci Antonii Zacharia *Bibliothecam ritualem*, t. I.

(133) Breviarium scilicet cardinalis Francisci Quignonii, de quo multa idem Zacharia, multa Faustinus Arevalus in appendice ad præclaram, *De hymnodia ecclesiastica* dissertationem, p. 385, seqq.

(134) Aboleveritne Pius V isthæc Breviaria jure Pontificii primatus an patriarchali, inutilis quæstio est. Hoc firmum esto, potuisse utroque jure. *Vide* ejusdem Zachariæ dissertationem *De jure liturgico*, eidem tomo I *Bibl. ritual.* præmissam.

(135) De officio parvo B. M. V. egregie disserit Emmanuel de Azevedo v. cl., exercit. 71.

(136) Jure quidem. Sic etiam Missalis Piani omnia exemplaria post Edictum S. Pii *alterata*, inquit

Digitized by Google

collatione facta prædictorum Breviariorum cum originali Romano, cujus etiam licentiæ copia initio, vel in calce cujusque Breviarii semper imprimatur. Prædictis ordinariis prohibet, ne aliquid addi, vel detrahi permittant. Et hæc sub pœna excommunicationis, suspensionis a divinis, ac interdicti ab ingressu ecclesiæ; verumtamen in gratiam pauperum Breviaria hactenus impressa vendere; apud se retinere, ac illis uti permittit.

Urbanus VIII, constiutione quæ incipit *Divinam psalmodiam*, data Romæ die 25 Januarii 1631, declarat, se piorum doctorumque virorum adhibita cura, Breviarium a Pio V editum, et Clemente VIII recognitum a pluribus mendis expurgasse, hymnos ad metri, et latinitatis regulas revocasse (137). In psalmis, et canticis interpunctionem Editionis vulgatæ restituisse, sermones, homilias, et sanctorum historias, collatis veteribus manuscriptis, recognovisse. Quamobrem jubet, ut juxta hanc correctionem, Romæ imprimatur, alibi juxta Romanum exemplar excudatur, servatis conditionibus in suprascripta Clementis bulla enumeratis, quas fere iisdem verbis repetit. Adjungens easdem conditiones servandas in impressione eorum quæ a Breviario Romano ortum habent, cujusmodi sunt missalia, diurnalia, officia parva B. M. V. officia majoris hebdomadæ, et alia ejusdem generis.

(13. Officium divinum dividitur in nocturnum, et diurnum, prout expresse habetur ex cap. *Dolentes* 9, De celebratione missarum, ibi : « Ut divinum officium nocturnum pariter, et diurnum; » et ex Clement. 1, De celebratione missarum, ibi : « Et debite celebretur divinum diurnum et nocturnum officium. (14. Per *officium nocturnum* intelligitur id, quod de nocte celebrari consuevit, et adhuc apud plures religiones, et regiones celebratur; et vulgo nuncupatur *Matutinum*, cui juxta morem Ecclesiæ Romanæ adjunguntur *Laudes*. Quamvis istæ olim in multis Ecclesiis fuerint a matutino separatæ, et adhuc nunc apud nonnullos religiosos ordines separentur : et posse licite, imo laudabiliter separari, fuit dictum sub verb. MATUTINUM.

(15. Per *officium diurnum* intelliguntur omnes aliæ canonicæ Horæ quæ de die sunt persolvendæ.

(16. Totum divinum officium dividitur jam fere communiter contra Navarr. et nonnullos alios in septem partes, seu septem Horas canonicas, nempe Matutinum cum Laudibus, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperas, et Completorium (138), juxta illud Davidis *Psal.* CXVIII : *Septies in die laudem dixi tibi*. Qui septenarius numerus (subjungit concilium Agathense relatum in cap. 1, *De celebratione missarum*) a nobis impletur, si Matutini, Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Vesperæ, et Completorii tempore nostræ servitutis officia persolvamus; nam de nocturnis vigiliis idem ipse Propheta ait : *Media nocte surgebam ad confitendum tibi*. Ergo his temporibus laudes Creatori nostro super judicia justitiæ referamus. »

(17. Et hujus septenarii numeri Horarum canonicarum mysticam rationem assignat *Glossa* in cit. c. 1, De celebratione missar., verb. *Septenarius*, quia nempe septem sunt dies sæculi, id est quibus completa fuit creatio mundi, septem sunt ætates, quibus completis, finietur mundus, septem sunt petitiones in Oratione Dominica, septem sunt psalmi pœnitentiales, septem sunt diaconi, septem sunt candelabra, et præsertim septem sunt præcipuæ Dominicæ passionis mysteria, in quorum proinde commemorationem septem Horæ canonicæ recitantur, juxta illos vulgatos versiculos e *Glossa*, *loc. c.*, relatos,

Hæc sunt septenis propter quæ psallimus horis.
Matutina ligat Christum, qui crimina purgat.
Prima replet sputis, causam dat Tertia mortis.
Sexta cruci nectit, latus ejus Nona bipartit.
Vespera deponit, tumulo Completa reponit.

(18. Obligatio recitandi divinum officium, seu Horas canonicas oritur ex triplici titulo, scilicet ex titulo sacri ordinis, ex titulo beneficii ecclesiastici, et ex titulo religionis choro astrictæ. *Communis*. (19. Titulo sacri ordinis obligantur sub mortali ad recitandum divinum officium, seu Horas canonicas omnes majoribus ordinibus initiati, scilicet subdiaconi, diaconi et presbyteri, quamvis nullum habeant beneficium, nec aliquo voto ad id sint astricti. *Communis*. De sacerdotibus, et consequenter de episcopis habetur in c. *Presbyter* 1, et cap. *Dolentes* 9, De celebrat. missar. De diaconis colligitur, ex cap. *Si quis Presbyter*, ultim., dist. 92. De omnibus etiam subdiaconis habetur expresse in concilio Basileensi sess. XXI, § *Quoscunque*. Quia tamen cit. cap. *Præcipimus*, ultim., dist. 92, non satis convincit de diaconis, et cit. concil. Basileense fuit acephalum et sine capite, adeoque non satis ex ipso inducitur obligatio de omnibus constitutis in sacris ordinibus, dicendum est obligationem recitandi divinum officium respectu diaconorum et subdiaconorum fundari in communi et antiqua Ecclesiæ consuetudine, vim legis secundum omnes obtinente; cum consuetudo legitime præscripta habeat vim legis, simulque ea sit

Index librorum prohibitorum, *præsertim quæ* Venetiis *apud* Junctas, Sessas, Mysserinum, et ad signum Syrenæ, *atque* Europæ, *et quoscunque alios impressa sunt*, vetitæ lectionis fuerunt sub Clemente VIII declarata. *Vide* Francisci Antonii Mondellii opusculum alias a me laudatum *De legitima canonis pronuntiatione*.

(137) Confer et hic Zachariam t. I *Bibl. ritual.*, et jam laudatam Arevali *De hymnodia Hispanica* dissertationem pag. 134, seqq.

(138) Completorium primus Horis canonicis addidit S. Benedictus. *Vide* et hic Emmanuelem de Azevedo, exercit. 30, ubi recte a Bellarmino, et Gavanti sententia recedit, quorum ille Completorium a Basilio in *regulis fuse disputatis* memoratum credidit, hic ad Cassiani tempora hujus Horæ institutionem retraxit.

Digitized by Google

optima legum interpres, cap. *Cum dilectus* 8, De consuetudine.

(20. Obligatio recitandi Horas canonicas incipit a prima die, et hora suscepti subdiaconatus; ita ut ordinatus in subdiaconum teneatur recitare illas Horas, quæ correspondent horæ suæ ordinationis, sicque sua obligatio a Sexta, vel Nona, si illo tempore, et hora fuit in subdiaconum ordinatus. *Communis.*

(21. Clerici in sacris constituti tenentur ad recitationem divini officii, etiamsi sint excommunicati, suspensi et interdicti. *Communis.* Nemo enim debet ex propria culpa, et iniquitate commodum reportare; cap. *Intelleximus* 7, De judiciis, ibi : « Ne videatur de sua malitia commodum reportare ; » et l. *Nemo ex suo*, ff. *De regul. juris*, ibi : « Nemo ex suo delicto meliorem suam conditionem facere potest. » 22. Idemque propter eamdem rationem censent de degradatis, Navarrus, Sotus, Henno, Reiffenstuel, et alii contra alios volentes, clericos degradatos non obligari ad horas canonicas, ex quo ab Ecclesia spoliati sunt omni privilegio clericali, atque adeo ad statum mere sæcularem, seu laicalem, rejecti. (23. Idem pariter propter eamdem rationem de damnatis ad triremes, et de incarceratis docent Henno, tom. I, *Tract. in Decalogi præcepta*, disput. 1, quæst. 3, conclus. 1, et alii plures contra alios volentes, ipsos non teneri ad talem recitationem; quod revera multum probabile est de damnatis ad triremes, et a fortiori de captivis apud infideles; non tamen de incarceratis; ut cum Tamburin. et aliis recte docet Sporer, tom. III *Tract. append. de Horis canonicis*, cap. 1, num. 9. Unde sacra congregat. Concilii diebus 13 Augusti 1707 et 18 Aug. 1708, et 15 Decembris ejusdem anni et 1719, noluit decidere, utrum damnatus ad triremes teneatur recitare divinum officium. Imo neque Clem. XI cui congregatio Concilii dubium resolvendum reservarat. Sic refert Ursaya in I *Miscellaneo sacro et profano*, litt. *O*, num. 42.

NOTA ROMANI THEOLOGI.

Quamvis multum probabilis dici possit illorum theologorum opinio, quæ clericos ad triremes damnatos a recitatione divini officii eximit « quia, ut ait P. Concina, tom. II *Theol. Christ.*, diss. 2, q. 7, pag. 403, vix in tam misero statu implere hoc onus possunt, tum ob impedimenta continua, tum ob Breviarii privationem, tum etiam, quia Pontifex, dum eosdem tanto supplicio subjicit, videtur eosdem a recitando officio tacite quodammodo dispensare, ne status religiosus (idem dicendum de statu clericali) opprobrio exponatur : » isthæc tamen opinio penitus falsa est de clericis carceri mancipatis, qui certo certius recitare debent horas canonicas, ut omnes fatentur.

RESPONSIO AUCTORIS.

Falsam esse opinionem, quæ clericos carceri mancipatos eximit a recitando officio, fateor et ego ipsissimo *loc. cit.*, expresse dicens : « non tamen de incarceratis, ut cum Tamburin. et aliis recte docet Sporer, etc. »

(24. Clericus in sacris, qui cum dispensatione Papæ duxit uxorem, tenetur adhuc probabilius ad recitationem divini officii, nisi quoad hoc etiam obtinuerit dispensationem Pontificiam, quia dispensatio, utpote odiosa, stricte est explicanda, argum. cap. *Odia* 16, De regul. juris, in 6, et ipse adhuc characterem ordinis sacri retinet. Henno, *loc. cit.*; Busemb., lib. IV, dub. 2, *De Horis canonicis*, n. 1; La Croix, *ibidem*, num. 1186, cum Bonacina et Azorio ibi citatis, et alii plures contra Sporer, *loc. cit.*, et alios.

(25. Titulo beneficii ecclesiastici obligantur sub mortali ad recitandum divinum officium, seu Horas canonicas, beneficiati omnes, sive habeant beneficium curatum, ut episcopi, abbates, archipresbyteri, præpositi, decani, parochi, etc., sive habeant beneficium non curatum, ut canonici, vicarii, capellani, aliique beneficiarii simplices. *Communis*, per textum in cap. *Dolentes* 9, De celebratione missarum, et c. *Quia* 15, De rescriptis in 6, ubi expresse dicitur quod beneficium datur propter officium, ibi : « Officium... propter quod beneficium ecclesiasticum datur, » et constitut. 7 Leonis X, incip. *Supremæ dispositioni*, et const. 135 S. Pii V incip. *Ex proximo*, ubi expresse dicitur : « Item ille, qui primis sex mensibus officium non dixerit, nisi legitimum impedimentum ipsum excusaverit, grave peccatum intelligat admisisse. »

(26. Et hanc beneficiatorum obligationem recitandi divinum officium non incipere a die, qua beneficium ei collatum est, et ab ipso fuit acceptatum, sed solum a die obtentæ possessionis; dummodo per ipsos non stet, ne possessionem consequantur, sed bona fide illam habere conentur, tenent Flaminius Parisius, Rodriguez, Henriquez, Azorius, Lessius, Suarez citati, et secuti a Layman lib. IV, tract. 2, cap. 5, nu. 3, ubi dicit hanc opinionem esse in scholis, et praxi receptiorem, et ultra supradictos id defendunt Filliucius, Naldus, Molfesius, Menochius, Cajetanus, Philiarcus citati, et secuti a Bonacina, *De Horis canonicis*, disp. 1, qu. 2, punct. 2, n. 2, et card. de Lugo, *Respon. moral.*, lib. V, *dub.* 5, num. 1; ubi ex Gavanto, in *Rubricas Breviarii*, sect. 1, cap. 4, num. 5, testatur de praxi, et consuetudine Romanæ curiæ. Sic etiam Sporer, tom. III *Tract. Appendic. de Horis canon.*, cap. 1, num. 22; Felix Potestas, tom. I. part. II, c. 3, num. 490; Pontas, *Dictionar. cas. conscient.*, verb. *Offic. Breviarii*, casu 8, et alii plures, quos affert et sequitur Diana par. II *Tract. de horis canonicis*, resolut. 21. Et ratio est, quia solum tunc censetur quis proprie habere beneficium, cum ejus pacificam possessionem accepit, et habet : et colligitur ex constitut. Leonis X incip. *Supernæ*, et ex alia S. Pii V incip. *Ex proximo*, ubi imponitur beneficiatis obligatio restituendi fructus perceptos, si post sex menses ab obtento beneficio non recitaverint divinum officium. Fructus autem non recipiuntur ante

Digitized by Google

adeptam possessionem beneficii, et id etiam colligitur ex concil. Tridentin., sess. XXIV, cap 12, *De reform.*, ubi statuit quod provisi de beneficiis teneantur emittere professionem fidei intra duos menses a die *adeptæ possessionis*, non autem a die obtenti tituli; Quod est contra Navarrum, cap 7 *De orat.*, num. 29; et cap. 25 *Manual.*, num. 102, existimantem solum beneficii titulum sufficere post ejus acceptationem, et contra Henno, tom. 1 *Tract. in Decal.*, disp. 1, quæst. 5, art. 1., concl. 3, dicentem obligationem recitandi officium incipere ab eo tempore, quo fructus debentur beneficiato, sive interim possessionem acceperit, sive non; quia ratio dictat, ut quando quis incipit gaudere fructibus, incipiat et præstare id, propter quod sunt fructus, dicitque quod contraria praxis Romanæ curiæ respicit solum forum externum; quæ opinio est vere probabilis, ubi nullum adsit dubium, et periculum obtinendi pacificam possessionem beneficii, cum, ut dicit etiam Pontas, *l. cit.*, verb. *Observandum*, sit tutior, et justitiæ affinior.

(27. Imo tenentur beneficiati ad recitationem divini officii, etiamsi suum beneficium sit tenue, si scienter illud acceptarunt. *Vide* verb. BENEFICIATUS, artic. 1, num. 2 et seq. (28. Item tenentur ad recitationem divini officii habentes præstimonia, et præstimoniales portiones. *Vid.* d. verb. BENEFICIATUS, n. 3. (29. Clerici percipientes pensionem ex beneficio ecclesiastico ex dict. constit. S. Pii V, incip. *Ex proximo*, tenentur recitare officium B. M. V. nisi (ut limitant communiter doctores apud Tamburin., lib. II *Decalog.*, cap. 5, num. 22) recitent ipsum officium divinum, sive gratuito, sive ex alia obligatione, nempe vel ratione sacri ordinis, vel ratione religiosæ professionis; quia mens Pontificis solum fuit ut clerici pensionarii non essent omnino immunes ab orando; non autem alio superaddito onere eos aggravare, si aliunde jam inveniantur onerati divino officio.

(30. Beneficiati, si post sex menses ab obtento beneficio, divinum officium sine impedimento, et culpabiliter (secus si inculpabiliter, ob impotentiam, oblivionem etc.) non recitaverint, tenentur ad restitutionem fructuum pro rata omissionis, seu respondentium tempori, quo non recitarunt. *Communis. Vide* d. verb. BENEFICIATUS, art. 1., n. 5. (31. Beneficiati tenentur in conscientia ad talem faciendam restitutionem ante omnem sententiam, et declarationem judicis. *Vide ibid.*, num. 6. (32. Neque talem restitutionem compensare possunt beneficiati per eleemosynas ante neglectam recitationem datas ex fructibus beneficii, ob quod tenentur ad Horas canonicas. *Vide ib.*, num. 7. (33. Pro restitutione tamen ob neglectas Horas, satis est post illud tempus, a quo beneficiarii omiserunt, dare eleemosynam, etiamsi non cogitent de debito, neque intendant dare in exsolutionem suæ obligationis. *Vide ibid.*, n. 8. (34. Possunt tamen tales beneficiarii eleemosynas ob omissionem Horarum debitas pauperibus sibi applicare, si vere

sint pauperes, cum non sint pejoris conditionis ipsi quam alii, etiamsi olim deliquerint; quia pauperibus existentibus in mortali potest fieri hujusmodi eleemosyna. Sic Viva, ad propositionem 20 *De damnatis ab Alexandro VII*, num. 10, ubi testatur de communi aliorum. Cavendum tamen, ne interveniat fraus et dolus in beneficiatis non vere pauperibus.

NOTA ROMANI THEOLOGI

Beneficiarios omnes teneri fructus illos restituere, qui ex possesso beneficio percipiunt, in casu omissionis divini officii, tam certum est, quam quod maxime. Ita namque definitum perspicue est in Lateran. concilio, sub Leone X, sess. IX, ac a S. Pio V confirmatum in sua constitutione anno 1571 edita, cujus initium est : *Ex proximo Lateranensi concilio*. Onus istud restitutionis, pro rata omissionis officii, impositum est beneficiariis omnibus, saltem post sex menses a possessione pacifica beneficii, qui omnes, vel aliquos beneficii ejusdem fructus percipiunt, a S. Pio V in sua mox laudata constitutione. Huic oneri, seu obligationi non satisfieri per quascunque eleemosynas, quas beneficiarius sui beneficii fecerit, liquet ex propositione 33, ab Alexandro VIII damnata. Sed neque per eleemosynas illas, quas beneficiarius, post Horarum canonicarum omissionem pauperibus erogavit, nihil cogitans de suo debito, suaque obligatione, ut Lucius noster opinatur; nam beneficiarius elargiens eleemosynam, nullo habito respectu ad restitutionis suæ debitum, liberaliter donat. Liberali autem donatione non satisfit oneri, quod ex justitia debetur : « Quid quod, inquit P. Concina *loco supra citato*, quæst. 16 similibus eleemosynis beneficiarius forsitan intendit satisfacere præcepto erogandi superflua? »

Ad hanc porro fructuum restitutionem ob officii omissionem, nedum tenentur beneficiarii, qui omnes beneficii sui fructus percipiunt, sed illi quoque, qui aliquos quoquomodo percipiunt; etenim Piana constitutio indiscriminatim loquitur in casu omissi officii, quod nempe beneficiarius *non faciat fructus suos*, sive omnes, sive aliquos percipiat.

RESPONSIO AUCTORIS.

Asserit hic R. theologus, quod beneficiarius non satisfacit suæ obligationi restituendo fructus ob omissionem recitationis divini officii per eleemosynas factas post dictam omissionem, nihil cogitando de suo debito quia tunc, dicit ipse, liberaliter donat. At hoc nequaquam; quamvis enim beneficiarius tunc actualiter, et formaliter nihil cogitet de ipsa sua obligatione, habet tamen virtualem intentionem, ut dando eleemosynam, satisfaciat per illam omni suæ obligationi, ut cum pluribus aliis trado ego *loc. ibi cit.* Nemo enim rationabiliter præsumitur velle charitatem exercere, relicta sua obligatione ex justitia, adeoque nullo modo dicendum est, quod in casu liberaliter donet.

Digitized by Google

(35. Obtinentes beneficia, v. g. præposituras, personatus, et hujusmodi, quibus, ex speciali sua institutione et erectione, solum adnexa est obligatio recitandi officium parvum B. M. V. vel alia similis obligatio cum expressa conditione, quod capellanus, ratione capellaniæ, non sit obligatus ad Horas canonicas, eximuntur ab onere recitandi divinum officium, et consequenter ab onere restitutionis fructuum ob omissionem recitationis : Sporer, *loc. cit.*, num. 29; Reiffenstuel, *Theol. moral.*, tract. 6, quæst. 2, num. 26, et alii passim. (36. Item a tali onere eximuntur, qui titulum quidem beneficii obtinent, sed per se non stat quo minus de facto aliquos fructus percipere possint sive per se, sive per alios aut in aliis, substitutis. Nemo enim suis stipendiis militare cogitur; *I ad Corinth.*, IX 7, ibi : *Quis militat suis stipendiis unquam?* Sic tenent Navarr., cap. 7 *De orat.*, num. 28; Henricx, part. III, disp. 7, n. 58; Layman, lib. IV, tract 2, cap. 5., num. 3 et seq.; Sporer, *loc. cit.*, n. 22; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 26, ubi testatur de communi.

(37. Titulo *religionis professæ choro astrictæ* obligantur sub mortali ad recitandum divinum officium, seu Horas canonicas, sive publice in choro, sive privatim, omnes ac singuli regulares, (exceptis novitiis, et laicis seu conversis), qui profitentur religionem choro adstrictam, et hoc ratione generalis consuetudinis, quæ in omnibus religionibus choro addictis cum tali obligatione acceptata est, quamvis ad id non sint obligati, nec ex vi ordinis sacri nondum recepti, nec ex vi beneficii non habiti, nec ex vi regulæ aut voti. Sic, paucis exceptis, doctores communiter. Et ratio est, quia universalis consuetudo habet vim legis obligantis sub mortali, talis autem consuetudo in religionibus choro adstrictis est communiter recepta sub tali obligatione ex fere communi sensu doctorum, quibus in moralibus standum est; cum quis raro bene loquatur, cum contra omnes loquitur, ut dicit Baldus, consil. 112, in l. II, adeoque, etc.

(38. Dicitur « exceptis novitiis et laicis seu conversis, » quia novitii, ex quo necdum sint religionem professi, sed possint libere exire, ad onera religionis non tenentur sub obligatione. Laici autem conversi, licet sint religionem professi, tamen per professionem non ad chorum, sed ad exercitia corporalia monasterii recipiuntur, et deputantur. Unde si ex propria Regula non sint obligati ad recitationem aliquarum precum, seu auditionem missæ, vel hujusmodi loco officii, ad id non tenentur, ut tenent communiter doctores. (39. In illis autem religionibus, ubi propria Regula obligat laicos, seu conversos ad consimilium precum recitationem, vel hujusmodi, ut in religione minorum, laici, seu conversi ad illas tenentur, sicut ad alia præcepta propriæ Regulæ. *Communis.*

(40. Item sub mortali obligantur ad recitandum divinum officium, seu Horas canonicas, sive publice in choro sive privatim, omnes ac singulæ moniales choro addictæ ratione consuetudinis obligantis sub mortali, quamvis ad id non sint obligatæ ex vi regulæ, aut voti. *Vide* verb. MONIALES, art. 6, anum. 1 ad 3. (41. Excipiuntur tamen novitiæ et conversæ, de quibus discurrendum est, ut de novitiis, et laicis seu conversis regularium, uti *supra*, sub n. 37 et 38.

(42. Obligatio recitandi divinum officium in choro incumbit toti communitati, monasterio, capitulo; ita tamen, ut primario, et ex officio incumbat prælato seu superiori, qui peccabit graviter, si ex ejus culpa officium, vel omittatur, vel notabiliter negligatur, vel etiam indebite persolvatur. *Communis*, argum. Clement. 1, De celebrat. miss. (43. Secundario talis obligatio incumbit subditis, ita ut, deficiente suo muneri superiore, etiam peccent mortaliter subditi, si ex eorum negligentia divinum officium prætermittatur, aut indebite persolvatur. *Communis*, cum Donato, tom. IV *Prax. rer. regul.*, tr. 18, qu. 24; Sporer, *loc. cit.*, n. 16; Henno, *loc. cit.*, qu. 3, art. 1, concl. 2.

(44. Novitii soli de more recitantes in choro Horas canonicas, satisfaciunt obligationi loco professorum, dummodo tot numero adsint, quot requiruntur ad constituendum corpus communitatis, sive collegium. Diana, part. VII, tr. 11 *Miscellan.*, resol. 5, ex Caramuel., *in Reg. S. Benedicti*, disp. 101, dub. 6; Pellizzar., in *Manual.*, tract. 5, c. 8, sect. 1, q. 22, num. 49; Reiffenstuel, lib. III, *Decr.*, tit. 31, num. 116; Donat., tom. II *Prax. rerum regul.*, part. IV, tract. 6, q. 22, et alii. Et ratio est quia novitii in favorabilibus reputantur religiosi professi, adeo ut dici possint pars, et membrum communitatis, ac proinde possint satisfacere obligationi chori; tum quia sicut gaudent privilegiis professorum, ita possunt concurrere ad implenda illorum onera, cum per hoc non possint dici subesse oneribus professorum, sed posse implere illa loco professorum. Donatus autem, tom. IV *Prax. rer. regul.*, tr. 18, qu. 30, censet negativam, et contrariam sententiam esse tutiorem; quia servitium chori est onus personale professorum, quod nequit per non professos adimpleri, nisi ex causa justa, et necessaria, et secundum hoc vult intelligi, quod dixit tom. II, *loco supra cit.*

(45. Ad satisfaciendum obligationi persolvendi Horas canonicas in choro, sufficiunt, et requiruntur saltem tres, quia tres faciunt collegium, l. *Neratius* 85, ff. *De verbor. signif.*, ibi : « Neratius Priscus tres facere existimat collegium, et hoc magis sequendum est. » Reiffenstuel, lib. III *Decretal.*, tit. 31, n. 116; Donatus, t. II *Prax. rer. regular.*, part. IV, tract. 6, quæst. 22, et alii contra Sporer *loc. cit.*, num. 17, et alios volentes requiri saltem quatuor.

(46. Obligati ad divinum officium, et choro addicti, licet extra chorum non teneantur diebus statutis recitare psalm. grad. nec pœnitentiales, neque officium parvum B. M. V. nec defunctorum, tamen in choro ex præcepto recitare debent. Sic novissime sacr.

Digitized by Google

Rit. congreg. per sequens decretum : « Persolventes divinum officium extra chorum non tenentur ad psalmos graduales, nec pœnitentiales, neque ad officium parvum B. M. V., nec defunctorum; quæ quidem Officia, et Psalmi sunt onera tantummodo implenda in choro. » Sac. Rit. cong. 2 Sept. 1741, unde huic decreto accommodari, ac juxta idem moderari debent dicta in verb. CANONICATUS, CANONICUS, art. 5. *De canonicis.... quoad chorum*, a num. 51 ad 56. *Vide* etiam *infra*, art. 3, num. 107.

(47. Religiosi fugitivi, seu apostatæ, excommunicati, suspensi, et interdicti tenentur adhuc ad recitationem divini officii, licet non sint sacris initiati. Sic fere communis doctorum per dicta, et jura adducta *supra*, num. 21. (48. De religiosis condemnatis ad triremes, incarceratis, seu factis captivis ab infidelibus idem dicendum est, quod de clericis in sacris dictum est sup., num. 23. (49. De religiosis degradatis idem dicendum est quod sup., n. 22.

(50. Quid autem dicendum sit de religiosis ejectis, *vid.* verb. EJECTI A RELIGIONE, num. 51 et 52.

(51. Religiosus chorista nondum in sacris constitutus, si ex privilegio Papæ exeat a religione ad ducendam uxorem (nisi diploma aliud statuat, propter quod est diligenter attendendum et adimplendum), non tenetur divinum officium recitare, quia tunc Papa dispensans in professione, censetur et dispensare in eo, quod talem professionem sequitur; argum. l. *Cum principalis* 178, ff. *De regul. juris*, et cap. *Accessorium* 42, De regul. juris, in 6; Henno, *loc. cit.*, conclus. 2; Donatus tom. IV, tract. 18, quæst. 14; La Croix, lib. IV, n. 1191, et alii passim. (52. Idem probabiliter dicendum est de eo religioso nondum in sacris, qui obtinuit pontificiam dispensationem perpetuo vivendi extra monasterium, quia licet ipse maneat religiosus, non tamen regularis chorista. Unde cum obligatio recitandi officium private sit sequela obligationis illud recitandi in choro, ablata ab eo per Papam obligatione recitandi in choro, censetur ablata etiam obligatio recitandi privatim, utpote accessoria ad illam; argum. juribus cit. num. anteced. Sic Sotus, lib. X *De justitia*, q. 5, art. 3; Azorius, tom. I, lib. X, cap. 6, quæst. 8; Bonacina, *De Horis canonicis*, disp. 1, qu. 2, punct. 2, num. 4; Faustus, *De Horis*, lib. II, qu. 43; Donat. cit. tom. IV, tr. 18, quæst. 13, num. 2; Busemb., lib. IV, dub. 2, *De Horis canonicis*, art. 1, num. 2, cum aliis, contra Navarr. Suarez, et alios. (53. Idem dicendum est propter eamdem rationem de religioso nondum in sacris, ex simili dispensatione pontificia, transeunte de clericatu ad statum conversorum, aut ad religionem, ubi religiosi non sunt ad chorum professi, et obligati. Henno, *loc. cit.*, concl. 2; Donat., *loc. cit.*, q. 17; Sotus, *loc. cit.*, art. 3, post 2 conclusionem, in § *Dub. de relig.*, ad finem, et alii passim.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(54. Prioribus Ecclesiæ sæculis nulla clericos majores inter et minores fuit distinctio quoad obligationem recitandi Horas canonicas. Nullus enim tunc minoribus ordinibus initiabatur, quin una adscriberetur alicui ecclesiæ, cui deserviret tanquam minister. Nil igitur mirum, quod quicunque clericus Horas canonicas recitare tenebatur.

(55. Superioribus sæculis disciplina hæc mutationem accepit, et ordinari clerici cœperunt sine adscriptione Ecclesiæ alicui. Atque ab eo tempore ab onere recitandi horas canonicas se eximere cœperunt, qui clerici nondum sacris ordinibus initiati erant, neque beneficium possidebant. Consule Van-Espen, *De Hor. canonic.*, c. 1, § 1, qui § sequenti docet qua ratione clericis merito injungatur horarum canonicarum recitatio.

ARTICULUS II.

Quoad ea quæ concernunt intentionem, et attentionem requisitam ad recitationem divini officii.

SUMMARIUM.

1. Intentio quid sit? — 2. Intentio dividitur in actualem, virtualem, habitualem, et interpretativam. — 3. Quæ sint omnes istæ intentiones? *remissive*. — 4. Intentio alia explicita et quæ sit? — 5. Alia implicita, et quæ sit? — 6. Alia est directa, et quæ sit? — 7. Alia indirecta, et quæ sit? — 8. Alia est absoluta, et quæ sit? — 9. Alia est conditionata, et quæ sit? — 10. Ad recitandas Horas canonicas requiritur intentio aliqua formalis orandi Deum. — 11. Non requiritur tamen intentio actualis, et explicita, sed sufficit virtualis. — 12. Et etiam sufficit intentio implicita. — 13. Intentio autem mere habitualis, et interpretativa non sufficit. — 14. Non requiritur expressa intentio recitandi attente, et studiose. — 15. Intentio nova, vel primæ intentionis renovatio non requiritur, si plures Horæ consequenter recitentur, neque etiam ea requiritur, si fiat interruptio, et postea prosecutio Horæ. — 16. Intentio satisfaciendi non requiritur ad recitationem Horarum, sed sufficit intentio ponendi opus debitum. — 17. Imo satisfacit obligationi, qui recitans Horas expresse intendit per illam recitationem non satisfacere, quamvis dicat : « Nolo hac Horarum recitatione satisfacere præcepto Ecclesiæ; sed ut satisfaciam, decerno iterum has Horas recitare. » 18. Affertur, et solvitur instantia. — 19. Hinc, qui legit Horas, non ea devotione qua voluisset, ideoque proposuit (sine voto tamen) ad satisfaciendum præcepto repetere, etsi deinde non repetat, satisfecit tamen præcepto. — 20. Affertur ad id notabilis advertentia. — 21. Attentio quid sit, et per quid differat ab intentione? — 22. Attentio est duplex, interna et externa, et quæ sit utraque? — 23. Attentio interna circa recitationem Horarum est triplex, scilicet superficialis, litteralis et spiritualis. — 24. Attentio superficialis quæ sit? — 25. Attentio litteralis quæ sit? — 26. Attentio spiritualis quæ sit? — 27. Quælibet ex his tribus attentionibus adhuc est triplex, scilicet actualis, virtualis et habitualis. — 28. Attentio actualis quæ sit? — 29. Attentio virtualis quæ sit? — 30. Attentio habitualis quæ sit? — 31. Ad satisfaciendum obligationi de recitando divino officio, requiritur sub culpa mortali nedum attentio externa, sed etiam interna. — 32. Adducuntur ad id duo versiculi *Glossæ*. — 33. Adducuntur alii duo versiculi. — 34. Affertur efficax ratio. — 35. Adducitur, et solvitur duplex instantia. —

Digitized by Google

36. Ad satisfaciendum obligationi recitandi officium sufficit non attentio litteralis et spiritualis, sed etiam attentio superficialis. — 37. Ad satisfaciendum tali obligationi non solum sufficit attentio actualis, sed etiam virtualis, minime vero attentio habitualis. — 38. Ad peccatum mortale incurrendum, ob defectum debitæ attentionis internæ, non est necesse, ut mentis evagatio seu distractio sit deliberata, directeque volita, sed sufficit si sit volita indirecte. — 39. Si vero mentis evagatio, seu distractio non sit plene voluntaria, seu recitans inadvertenter aliud cogitet aut faciat, quousque advertat se distrahi, semper reputatur sufficienter attentus et per consequens satisfacit obligationi recitandi officium. — 40. Clerici beneficiati, qui cum voluntariis distractionibus recitant officium, licet mortaliter peccent, non tenentur tamen ad ullam fructuum restitutionem, dummodo tamen integre et cum intentione orandi et Deum colendi recitent. — 41. Ad satisfaciendum obligationi recitandi officium sufficit attentio tacita, vel implicita. — 42. Qui officium incipit recitare cum intentione recitandi debite, quoties dedita opera mentem non divertit, licet per totum officium distractus, non peccat mortaliter.—43. Quod licet Sanchez intelligat de omnibus, Gobat tamen merito intelligit de solis scrupulosis et solitis recitare pie et devote. — 44. Qui accedit ad ecclesiam de more ibi officium recitaturus, ut adimpleat munus suum, sufficientem habet intentionem ac proinde satisfacit, quamvis postea recitet involuntarie distractus. — 45. Dummodo quis adhibeat mediocrem diligentiam pro repellendis distractionibus se vexantibus et non supina et crassa negligentia se evagari sinat, satisfacit obligationi recitandi officium cum sufficienti attentione. — 46. Quinimo absque culpa poterit admitti aliqua brevis mentis evagatio ad refocillandum cerebrum, vel cor, et inter recitandum officium aliquid annotare, seu famulo mandare, aut aliquid alteri significare, ne interim memoria decidat aut evadat occasio. — 47. Quandiu scrupuloso evidenter non constat, quod mutaverit propositum recitandi attente, vel advertens, sciens, volens inhæserit cogitationibus plane alienis inter recitandum officium, credere potest se satisfecisse suæ obligationi.

(1. Intentio generatim sumpta est actus voluntatis volentis aliquid facere, vel fieri a se, vel ab alio. Est in re communis. (2. Intentio dividitur in actualem, et habitualem, et interpretativam. (3. Quæ sint omnes istæ intentiones? *Vide* verb. INTENTIO a num. 3 ad 7.

(4. Intentio alia est explicita, et quæ sit? *Vide* d. verb. INTENTIO, n. 8.

(5. Alia est implicita, et quæ sit? *Vide ibid.*, n. 9.

(6. Alia est directa, et quæ sit? *Vide ibid.*, n. 10.

(7. Alia est indirecta, et quæ sit? *Vide ibid.*, n. 11.

(8. Alia est absoluta, et quæ sit? *Vide ibid.*, n. 12.

(9. Alia est conditionata, et quæ sit? *Vide ibidem*, num. 13.

(10. Ad recitandas Horas canonicas, seu divinum officium requiritur intentio aliqua formalis orandi Deum. *Vide ibid.*, n. 44.

(11. Non requiritur tamen intentio actualis, et explicita, sed sufficit virtualis. *Vide ibid.*, num. 45.

(12. Et etiam sufficit intentio implicita. *Vide ibid.*, num. 46.

(13. Intentio autem mere habitualis, et interpretativa non sufficit. *Vide ibid.*, num 47.

(14. Non requiritur expressa intentio recitandi attente, et studiose. *Vide ibid.*, num. 48.

(15. Intentio nova, vel primæ intentionis renovatio non requiritur, si plures Horæ consequenter recitentur, neque etiam ea requiritur, si fiat interruptio, et postea prosecutio Horæ. *Vide ibid.*, n. 49.

(16. Intentio satisfaciendi non requiritur ad recitationem Horarum, sed sufficit intentio ponendi opus debitum. *Vide ibid.*, num. 50.

(17. Imo satisfacit præcepto, qui recitans Horas expresse intendit per illam recitationem non satisfacere, quamvis dicat: « Nolo Hac Horarum recitatione satisfacere præcepto Ecclesiæ, sed ut satisfaciam, decerno iterum has Horas recitare. » *Vide ibid.*, n. 52, et nostras *Addit.*, ad num. 55.

(18. Affertur et solvitur instantia. *Vide ibid.*, n. 53.

(19. Hinc, qui legit Horas non ea devotione, qua voluisset, ideoque proposuit (sine voto tamen) ad satisfaciendum præcepto repetere, etsi deinde non repetat, satisfecit tamen præcepto. *Vide ibid.*, num. 54.

(20. Affertur ad id notabilis advertentia. *Vide ibid.*, num. 55.

(21. Attentio est actus intellectus, per quem homo considerat ea quæ facit; et differt ab intentione, quia intentio non est actus intellectus, sed actus voluntatis circa finem. Sic doctores communiter.

(22. Attentio est duplex, interna et externa, et quæ sit utraque? *Vide* verb. ATTENTIO, num. 2, 3 et 4.

(23. Attentio interna circa recitationem horarum est triplex, scilicet superficialis, litteralis et spiritualis. *Vide* d. verb. ATTENTIO, num. 5.

(24. Attentio superficialis quæ sit? *Vide ibid.*, n. 6.

(25. Attentio litteralis quæ sit? *Vide ib.*, num. 7.

(26. Attentio spiritualis quæ sit? *Vide ibid.*, n. 8.

(27. Quælibet ex his tribus attentionibus adhuc est triplex, scilicet actualis, virtualis, et habitualis? *Vide ibid.*, num. 9.

(28. Attentio actualis quæ sit? *Vide ibid.*, n. 10.

(29. Attentio virtualis quæ sit? *Vide ib.*, n. 11.

(30. Attentio habitualis quæ sit? *Vide ib.*, n. 12.

(31. Ad satisfaciendum obligationi de recitando divino officio requiritur, sub culpa mortali, nedum attentio externa sed etiam interna. *Vide ibidem*, num. 13.

(32. Adducuntur ad id duo versiculi *Glossæ*. *Vide ibid.*, num. 14.

(33. Adducuntur alii duo versiculi. *Vide ibid.*, n. 15.

(34. Affertur efficax ratio. *Vide ibid.*, n. 16, et 17.

(35. Adducitur et solvitur duplex instantia. *Vide ibid.*, a num. 18 ad 23.

Digitized by Google

(36. Ad satisfaciendum obligationi recitandi divinum officium sufficit non solum attentio litteralis et spiritualis, sed etiam attentio superficialis ad verba cum pia intentione orandi, et colendi Deum prolata. *Communis. Vide ibidem*, num. 22 et 23.

NOTÆ ROMANI THEOLOGI.

Horæ canonicæ recitari debent secundum concilium Tridentinum, sess. XXIV, cap. 12, « reverenter, distincte, devote, » ac ea animi attentione, quæ illi convenit, qui Deum suum præsentem considerat, qui in ipsum Creatorem omnium pio humilique affectu fertur, quique ipsum laudare intendit. Ex quibus infertur, quam longissime a vero aberrare auctores illos, qui asserunt nullam requiri interiorem attentionem in recitatione divini officii, sed sufficere superficialem quamdam attentionem ad verba, ut nempe ista integre distincteque pronuncientur; quam opinionem sequitur etiam Lucius noster. Verum qui sic opinantur, meminisse deberent quod qui absque ulla interiori attentione Deum precatur, non orat, sed simulat orare; vera namque oratio est ascensus mentis in Deum, secundum Damascenum, est actus religionis Deo gratus, ac Ecclesiæ utilis; at oratio illa quæ sine interiori attentione fit, non est verus Dei cultus, qui fieri debet in spiritu et veritate; sed est species quædam hypocrisis, ac simulatio orationis. Orandum est igitur non solum corpore, sed in spiritu et veritate; non superficiali duntaxat attentione, sed mente ad Deum elevata.

RESPONSIO AUCTORIS.

Fallitur hic theologus dicendo, quod ego sequor opinionem illorum qui asserunt nullam requiri interiorem attentionem in recitatione divini officii, cum ego expresse contrarium sentiam; prout debebat ipse advertere ex iis, quæ trado num. 31. Quinimo opinionem talem ego oppugno in cit. verb. ATTENTIO, num. 22 et 23, ubi expresse trado, quod facillima est attentio interna superficialis ad verba, cum pia intentione orandi et colendi Deum, prolata, etc. *Vide ibi*, sub num. 22, ubi expresse concludo, quod ad satisfaciendum præcepto de recitando divino officio, et de audienda, vel celebranda missa, requiritur sub culpa mortali, nedum attentio externa, sed etiam interna; et num. seq. id efficaciter probo, et solvo objectiones; et num. 24 doceo quod ad peccatum mortale incurrendum « ob defectum debitæ attentionis internæ, » non est necesse, ut mentis evagatio sit deliberate, directeque volita, sed sufficit, quod sit volita indirecte. Quid clarius circa sententiam meam, contra falsam assertionem a theologo nostro mihi impactam?

(37. Ad satisfaciendum tali obligationi recitandi divinum officium, non solum sufficit attentio actualis, sed etiam virtualis, minime vero sufficit attentio solum habitualis. *Communis.*

(38. Ad peccatum mortale incurrendum

ob defectum debitæ attentionis internæ, non est necesse, ut mentis evagatio, seu distractio sit deliberata, directeque volita, sed sufficit, si sit volita indirecte. *Vide ibid.*, num. 24.

(39. Si vero mentis evagatio, seu distractio non sit plene voluntaria, seu recitans inadvertenter aliud cogitet, aut faciat, quousque advertat se distrahi, semper reputatur sufficienter attentus, et per consequens satisfacit obligationi recitandi officium. *Vide ibid.*, num. 25.

(40. Clerici beneficiati, qui cum voluntariis distractionibus recitant divinum officium, licet mortaliter peccent, non tenentur tamen ad ullam fructuum restitutionem, dummodo integre, et cum intentione orandi, et Deum colendi recitent. *Vide ibid.*, a num. 26 ad 29.

NOTA ROMANI THEOLOGI.

Auctor noster ratus sufficere superficialem tantummodo attentionem ad satisfaciendum obligationi divini officii, sustinet etiam propterea clericos beneficiarios, qui cum voluntariis distractionibus Horas canonicas recitant, non teneri ad ullam fructuum restitutionem, etsi mortaliter peccent. Verum opinio hæc pereruditis Romanis censoribus non placet, et merito id quidem: « Nam qui voluntarie, et data opera mentem alio distrahit, et positive atque animo deliberato persistit in hac distractione tempore recitationis, inquit P. Concina *loco superius citato*, q. 10, reipsa non implet præceptum, quemadmodum non impleret præceptum confessionis annuæ per confessionem sacrilegam. » Sicut enim qui confitetur sacrilege, facit confessionem voluntarie nullam, sic qui animo voluntarie distracto Horas canonicas recitat, suæ obligationi non satisfacit, præceptum de recitando divino officio non adimplet; ac proinde idem est, ac si prorsus actum non poneret. Hinc fit quod si clericus beneficiarius ita animo voluntarie distracto officium recitet, post primos sex menses a possessione beneficii, nedum mortaliter peccat, sed tenetur etiam ad restitutionem pro rata omissionis; ut S. Pius V, in supra laudata sua constitutione, præcipit. Quæ cum ita se habeant, conficitur sane, summam debere esse solertiam, diligentiamque clericorum, qui ecclesiastica præcipue possident beneficia, repellendi a se voluntarias hujusmodi distractiones, ne obnoxii fiant restitutioni ob non adimpletum præceptum recitationis divini officii.

RESPONSIO AUCTORIS.

Non ego reor sufficere superficialem tantummodo attentionem ad satisfaciendum obligationi divini officii. Debebat enim R. theologus fideliter referre integram meam conclusionem, nempe, « licet mortaliter peccent, non tenentur ad ullam fructuum restitutionem; dummodo tamen integre, et cum intentione orandi, et Deum colendi recitent. » Ad quod sustinendum adduco

Digitized by Google

loc. ibi *cit.* solida fundamenta, attente ibi perpendenda.

(41. Ad satisfaciendum obligationi recitandi divinum officium sufficit attentio tacita, vel implicita; non enim requiritur propositum expressum attente recitandi; unde intendens in genere recitare officium modo consueto, vel intendens Deum laudare, et debito suo satisfacere, sufficientem habet attentionem. *Vide ibid.*, num. 30.

(42. Qui officium incipit recitare cum intentione recitandi debite, quoties dedita opera mentem non divertit, licet per totum officium distractus, non peccat mortaliter. *Vide ibid.*, num. 31. Quod licet Sanchez intelligat de omnibus, Gobat tamen merito intelligit de solis scrupulosis, et solitis recitare pie et devote. *Vide ibid.*, num. 32.

(44. Qui accedit ad ecclesiam de more ibi officium recitaturus, ut adimpleat munus suum, sufficientem habet attentionem; ac proinde satisfacit, quamvis postea recitet involuntarie distractus. *Vide ibid.*, num. 33.

(45. Dummodo quis adhibeat mediocrem diligentiam pro repellendis distractionibus se vexantibus, et non supina et crassa negligentia se evagari sinat, satisfacit obligationi recitandi officium cum sufficienti attentione. *Vide ibid.*, num. 34.

(46. Quinimo absque culpa poterit admitti aliqua brevis mentis evagatio ad refocillandum cerebrum vel cor; et inter recitandum officium aliquid annotare, seu famulo mandare, aut aliquid alteri significare, ne interim memoria decipiat, aut evadat occasio. *Vide ibid.*, num. 35.

(47. Quandiu scrupuloso evidenter non constat quod mutaverit propositum recitandi attente vel advertens, sciens, volens inhæserit cogitationibus plane alienis inter recitandum officium, credere potest, se satisfecisse suæ obligationi, cum hoc sit privilegium scrupulosorum. *Vide ibid.*, n. 36.

ARTICULUS VI.

Quoad ea quæ concernunt integritatem, et continuationem, et formam recitandi divinum officium.

SUMMARIUM.

1. Omittens culpabiliter integrum divinum officium peccat mortaliter. — 2. An is committat tot numero peccata, quot omittit Horas? — 3. Probabilius tenetur in confessione explicare, quod omisit totum officium. — 4. Probabile est etiam, quod is non teneatur explicare in confessione, quod omisit totum officium, aut tales, et tot Horas. — 5. Peccat mortaliter, nedum omittens totum integrum officium, sed etiam omittens culpabiliter ejus partem notabilem. — 6. Notabilis pars est omissio unius integræ Horæ minoris. — 7. Sic etiam notabilis pars est omissio laudum, unius nocturni, aut alterius similis æquivalentis partis. — 8. Omittere minorem partem, quam totam parvam horam, aut simile æquivalens non est peccatum mortale. — 9. Probabile est esse tantum peccatum veniale omittere totas Vesperas Sabbati sancti. — 10. Alii tamen sentiunt contra. — 11. Omittere culpabiliter interruptim per totum officium quantitatem æquivalentem integræ parvæ Horæ, est peccatum mortale. — 12. Omittens ut supra notabilem partem officii probabilius committit unum solum peccatum mortale, quamvis simul sit sacerdos, parochus et monachus. — 13. Qui notabilem partem divini officii culpabiliter, seu etiam inculpabiliter ex oblivione omisit, si recordetur eadem die, tenetur sub mortali adhuc supplere. — 14. Si vero recordetur altera die, non tenetur supplere. — 15. Qui dubius, an recitaverit aliquam Horam, si nullam habeat rationem, aut conjecturam quod recitaverit, tenetur recitare seu repetere. — 16. Si vero habeat rationem aliquam, vel conjecturam quod recitaverit, non obligatur recitare seu repetere. — 17. Et a fortiori non tenetur repetere, qui certo scit se dixisse aliquam Horam, et solum dubitat, an integre eam dixerit, seu aliquid in ea omiserit. — 18. Qui inter publicam canonicarum Horarum recitationem ex officio, vel superioris mandato occupantur in parandis libris, in prævidendis antiphonis, in pulsandis organis, in sonandis campanis, et hujusmodi, non tenentur repetere quæ aliis, ipsis non audientibus nec recitantibus, canunt seu recitant. — 19. Quamvis aliqui probabile censeant eos satisfacere, qui cum sola attentione assistunt integræ horæ a musicis decantatæ; tamen oppositum est tenendum. — 20. Psalmi, hymni, antiphonæ, et hujusmodi, quæ solo organo, vel alio musico instrumento sine humana voce personantur, debent a religiosis in choro submissa voce recitando suppleri. — 21. Alii tamen docent oppositum, insuper docentes organædum, qui choro organis musicis alternis versibus respondit, non esse obligatum ut voce etiam proferat, ad n. 22. — 23. Integre recitatur divinum officium, quod etiam privatim recitatur cum socio, seu sociis alternatim versus recitando. — 24. Unde potest licite recitari divinum officium etiam privatim a quatuor, vel octo simul, dummodo non constituatur nisi duplex chorus. — 25. Integre et licite recitatur divinum officium cum socio etiam laico, non obligato, non attento, imo non audiente, dummodo ipse recte recitet alternatim versus et ab obligato ad officium attente audiatur. — 26. Qui in choro, vel cum socio divinum officium recitando nondum absolutis alterius chori, seu socii versibus, præproperat notabiliter incipere suos, peccat graviter, vel leviter juxta materiæ quantitatem. — 27. Item peccat graviter, vel leviter juxta materiæ quantitatem, qui recitat divinum officium syncopando, mutilando, glutiendo, seu absorbendo syllabas, seu medias, sive ultimas, nisi tamen id fieret involuntarie ex naturali linguæ defectu. — 28. Qui ob alterius chori defectum, vel ob strepitum aliqua ab altera parte prolata non percipit, adhuc satisfacit, nec est opus quidquam repetere. — 29. Et hoc est verum, etiamsi quis sit surdus, et inde alterius chori partem audire non valeat; quod tamen alii negant. — 30. Officium divinum nedum est recitandum integre, sed etiam continue, ita ut una Hora canonica cœpta, debeat tota dici usque in finem continue, nec possit licite interrumpi sine justa causa. — 31. Unde graves doctores dicunt quod si in eadem Hora, vel psalmo absque rationabili causa fiat magna et longa interruptio, sit peccatum mortale, nisi repetatur totum. — 32. At vero per se præscindendo a scandalo et contemptu non erit mortale, sed solum veniale, Horam canonicam cœptam absque omni rationabili causa interrumpere etiam notabiliter per multas horas. — 33. Imo, si justa, et rationabilis aliqua causa interveniat, nullum, nequidem veniale peccatum est, interrumpere paulisper recitationem divini officii. — 34. Quæ sint hujusmodi justæ causæ? — 35. Matutinum potest licite etiam sine ulla causa dividi tota nocte a Laudibus. — 36. Imo multi dicunt id esse etiam laudabile. Quando dividitur a Laudibus debet in fine addi *Pater noster*, et probabilius etiam addi debet oratio dici sine aliis commemorationibus. — 37. Probabilius est etiam, quod initio Laudum divisarum non debeat dici *Pater*

Digitized by Google

noster et Ave, quamvis consultum et laudabile sit illa dicere.—38. Probabilius etiam posse separari in Matutino Nocturnum a Nocturno, dummodo interruptio sit tantum dimidiæ, vel unius horæ; tenent varii doctores. — 39. Pro recitando divino officio ab omnibus Breviario Romano astrictis, servanda est omnino forma generalis Breviarii editi jussu S. Pii V et confirmati a Clemente VIII et correcti, novisque hymnis adornati ab Urbano VIII.—40. Qui autem a ducentis annis a dicta constitutione S. Pii V utebantur aliis Breviariis, possunt adhuc illis uti. — 41. Clerici et religiosi astricti Breviario Romano non satisfaciunt præcepto, sed mortaliter peccant, si recitant officium ex alio Breviario peculiari alicujus Ecclesiæ vel religionis. — 42. Econtra clerici et religiosi astricti Breviario propriæ Ecclesiæ vel religionis (nisi aliud specialiter pro ipsis post d. constit. S. Pii V a Sancta Sede sit cautum) non peccant, si in privata recitatione divini officii utantur Breviario Romano. — 43. Forma recitandi divinum officium nedum servanda est secundum dictum Breviarium, sed etiam secundum proprium Kalendarium, seu directorium, recitando qualibet die, prout ibi signatur. — 44. Unde peccat mortaliter, nec satisfacit præcepto, qui, data opera, mutat officium hujus diei in aliud officium notabiliter brevius. — 45. Imo peccat probabilius etiam mortaliter, qui, data opera, sine justa causa mutat officium hujus diei in aliud, licet æquivalens seu etiam longius. — 46. Qui culpabiliter recitavit officium de martyre, cum esset recitandum de confessore, non tenetur totum repetere, sed sufficit, si repetat illa, quæ sunt confessoris propria. — 47. Si autem inculpabiliter per inadvertentiam recitavit officium de martyre, cum esset recitandum de confessore, licet consultius, et laudabilius sit illa repetere, non est tamen obligatorium, neque sub veniali.—48. Qui per inadvertentiam, seu errorem incipit recitare officium non præscriptum et recitato jam Matutino, primum advertit errorem, si nolit ab initio repetere, uti esset consultum et laudabile, sufficit, quod ex tunc errorem corrigat et recitet officium præscriptum illius diei quoad reliquas horas. — 49. Qui per inadvertentiam, vel errorem hodie recitavit officium crastinum, debet cras iterum recitare illud officium jam hodie celebratum. — 50. Qui sic erravit, debet potius eo anno penitus illud officium omittere, quam Rubricas invertere illud in alium diem transferendo. — 51. Plura consimilia, *remissive*.— 52. Generaliter loquendo omnis clericus, sive sæcularis, sive regularis existens etiam pluribus annis extra suam diœcesim, aut monasterium, sed solum tanquam peregrinus et advena, potest recitare officium de sanctis, de quibus recitaret, sive ipse existeret in sua diœcesi aut in suo monasterio, ad num. 53.—54. Regulares vero choro addicti debent semper recitare officium, quod recitatur in illo conventu, in quo, sive ut moratores, sive ut hospites existunt. — 55. Forma recitandi divinum officium juxta Kalendarium et Breviarium Franciscanum servanda est ab omnibus religiosis et monialibus existentibus sub obedientia ministri generalis Ordinum Minorum. — 56. Etiam moniales tam S. Claræ, quam tertii ordinis, quamvis sint sub gubernio ordinariorum possunt uti nostro Breviario Franciscano. — 57. Etiam tertiarii nostri ordinis in sæculo degentes possunt uti nostro Breviario Franciscano.—58. Tam fratres, quam tertiarii in sæculo degentes, qui ratione episcopalis dignitatis, aut alterius muneris, sunt de gremio alicujus Ecclesiæ et ipsius choro intervenire debent, tenentur recitare officia, quæ sunt particularia illius Ecclesiæ, et diœcesis, secus vero si de gremio fuerint, choro tamen nullatenus sint obligati. — 59. Generaliter autem loquendo episcopus regularis debet officium recitare juxta ritum suæ diœcesis, non vero Regulæ et occurrente festo Regulæ in festo diœcesis, hoc erit præferendum. — 60. Communicatio etiam amplissima privilegiorum unius religionis alteri facta se minime extendit ad officia sanctorum. — 61. Facultas recitandi officium de aliquo sancto concessa uni ex ordinibus, seu congregationibus fratrum seu monialium S. Francisci, non extenditur ad fratres seu moniales alterius congregationis. — 62. Nec admitti debet mutua extensio inter aggregationes Observantium, Reformatorum, Discalceatorum et Recollectorum utriusque familiæ. — 63. Multo minus admitti potest eadem extensio de conventu ad alios conventus et de provincia ad alias provincias. — 64. Quamvis officia sanctorum, quæ alicubi supersunt de mense Decembri alias transferri possent in annum sequentem; nunc vero amplius transferri non possunt. — 65. Episcopi regulares, qui ex indulto Sedis Apostolicæ gaudent privilegio suæ religionis, non possunt de beatis suæ religionis recitare officium et in propriis cathedralibus missam celebrare et altare prædictis beatis erigere. — 66. Capellanus episcopi, qui cum eo recitat officium, debet se illi conformare. — 67. Non possunt locorum ordinarii, tam sæculares quam regulares addere Kalendariis, etiam propriis, sanctorum officia, nisi ea duntaxat, quæ Breviarii Romani rubricis, vel sacrorum Rituum congregationis, seu Sedis Apostolicæ licentia conceduntur.—68. Si festum S. confessoris transferatur in proxime sequentem diem, in hymno *Iste confessor* nulla fiat mutatio versiculi : sed dicatur *Meruit beatas*, dummodo primæ vesperæ non sint impeditæ. — 69. Translato festo S. confessoris ultra sequentem diem, in hymno *Iste Confessor* facienda est mutatio versiculi dicendo *Meruit supremos*. — 70. Et hoc, etiamsi tali confessori perpetuo translato sit fixa dies assignata. — 71. Officium seu festum translatum, quamvis posset in diem immediate sequentem transferri, seu reponi, non debet recitari, seu celebrari ante alia festa prius translata, quando sunt æqualis ritus. Aliter tamen hodie est servandum ob contraria posteriora decreta. — 72. Si occurrerint, vel fuerint transferenda duo festa ejusdem ritus, quæ unica die occurrebant, quorum unum sit universale et alterum particulare alicujus diœcesis, vel religionis, prius fiat de universali, deinde de particulari, nisi obstet ratio majoris dignitatis. Aliter tamen hodie est servandum ob contraria recentiora decreta. — 73. Si plura sint transferenda festa, quæ eadem die occurrunt et quibus non convenit ratio majoris dignitatis, attendatur in eorum repositione major apparatus, vel populi concursus, ex quo vocatur etiam major solemnitas; supposito tamen, quod sint ejusdem ritus. — 74. Si simul sint transferenda festa S. Marci evangelistæ, et SS. apostolorum Philippi et Jacobi, prius reponatur festum S. Marci, deinde festum apostolorum. — 75. Si vero simul sint transferenda festa S. Josephi et Annuntiationis, prius reponatur officium Annuntiationis et deinde S. Josephi. — 76. Confessarii et capellani monialium possunt missam celebrare de sancto cujus officium recitatur ab ipsis monialibus in choro, sed cum missali Romano et de communi, ad num. 77. — 78. Confessarii et capellani monialium possunt etiam recitare officium, quod recitatur ab ipsis monialibus, sed cum Breviario Romano et de communi. — 79. Regulares tenentur sub ritu duplici primæ classis cum octava ad officium tam dedicationis quam titularis ecclesiæ conventus, in quo morantur. — 80. Item sub eodem ritu, sed sine octava tenentur ad festa sanctorum, qui provinciis regularium præsunt tanquam earum patroni, seu titulares. — 81. Regulares tenentur celebrare festum de dedicatione ecclesiæ cathedralis, sed sub ritu duplici secundæ classis et sine octava. — 82. officia autem de patrono principali loci conventus, ac de patrono, seu protectore principali civitatis, regni aut provinciæ et de titulari ecclesiæ cathedralis tenentur regulares celebrare sub ritu duplici primæ

Digitized by Google

classis et sine octava. — 83. Ad officia vero de patronis minus principalibus, ac de sanctis diœcesum non tenentur, nisi sint descripta in Kalendario, et tunc non sub alio ritu, quam ibi assignato. — 84. Ad hoc autem, ut regulares teneantur ad officia patronorum principalium et clerici sæculares etiam ad officia patronorum minus principalium, debent esse electi in patronos, juxta conditiones præscriptas in decreto emanato de ordine Urbani VIII, quod hic ad uberiorem notitiam datur. — 85. Approbatio sancti patroni, seu protectoris principalis solet concedi pro unico solo. — 86. Regulares exempti utentes Breviario Romano an possint recitare officia de patronis minus principalibus et de S. diœcesum, seu solitis recitari a clero sæculari? — 87. Quando permittitur fieri officium aliquod per ditiones subjectas Cæsari, per has intelliguntur etiam urbes imperiales et omnes provinciæ, ditiones et loca quæ sunt feuda imperii. — 88. Locorum ordinarii, tam sæculares quam regulares, nequeunt propria auctoritate quovis prætextu mutare ritum, qui habetur in Kalendario Romano, seu rubricis Breviarii, in altiorem ritum, neque extendere concessa officia de loco ad locum. — 89. Officium recitatur sub ritu duplici minori de illo sancto cujus habetur reliquia insignis. — 90. Qui recitant officium de sancto de quo habent insignem reliquiam in propria ecclesia, si celebrent eo die in alia ecclesia, debent omittere *Credo*. — 91. De sancto, cujus habetur corpus, vel insignis reliquia, non potest fieri officium, nisi reperiatur in Martyrologio Romano. — 92. Dedicationis festum et officium extra actum consecrationis non potest amplius mutari ab episcopo inconsulta Sede Apostolica. — 93. Si in locis diœcesis nullus reperiatur electus patronus, tenetur diœcesis non solum ad festum de patrono civitatis, sed etiam ad octavam. — 94. In patronorum, seu protectorum præcedentia servandus est ordo hierarchiæ Ecclesiæ, et inter ordinem hierarchicum anterioritas in electione. — 95. Canonici, sub onere et obligatione restitutionis fructuum, tenentur psallere, seu canere in choro cum aliis, et non satisfaciunt si solum assistant et intersint Horis. — 96. Canonici ex decentia debent alta voce cantare in choro, et episcopus potest illos ad hoc hortari, sed non cogere. — 97. Extra chorum ipsi canonici et quicunque alii, quando soli recitant, non obligantur tam alte loqui, et recitare, ut circumstantes possint audire. — 98. Probabilius tamen privatim et soli recitantes, debent ita alte proferre verba, ut possint ipsimet ea audire. — 99. Multi autem tenent sufficere, quod quocunque minimo sono, seu voce absque syllabarum confusione verba distincte pronuntient. — 100. Et hoc maxime pro regularibus ob privilegium a Leone X concessum Fratribus Minoribus, ut possint Horas canonicas mentaliter persolvere, ad. n. 101. — 102. Litaniæ in festo S. Marci et tribus diebus Rogationum, sunt pars divini officii, adeoque recitandæ sunt de præcepto sub mortali. — 103. Et quidem recitandæ sunt proprio mane, nec possunt recitari vesperis pridie. — 104. Astricti Breviario Romano non tenentur, diebus in Breviario notatis, recitare officium B. M. V. officium defunctorum (excepto die Animarum) psalmos graduales et pœnitentiales. — 105. Excipiuntur tamen illæ ecclesiæ, in quibus adest consuetudo recitandi officium B. M. V., quæ adhuc est servanda. — 106. Canonici tenentur recitare in choro officium defunctorum, psalmos graduales et pœnitentiales solum juxta constitutionem S. Pii V et non alias. — 107. Et qui prædicta non recitant, non peccant; observanda tamen sunt novissima decreta, quæ adducuntur cum suis adnotationibus. — 108. Officium B. M. V. tenentur canonici adhuc recitare, ubi vigebat talis pia consuetudo. — 109. Imo officium B. M. V. debet dici in choro, etiam in Dominicis, si aderat consuetudo. — 110. Et tempore paschali recitari debet sine *Alleluia*. — 111. Habentes indultum recitandi aliqua officia singulis hebdomadibus, vel singulis mensibus in diebus non impeditis aliquo festo duplici, vel semiduplici, non possunt illa recitare in diebus Quadragesimæ, Adventus, Vigiliarum, Quatuor Temporum et Rogationum, etiamsi in indulto nulla sit facta de his diebus specialis mentio. — 112. Nec in diebus, in quibus ponendum sit officium de festo duplici, vel semiduplici translato. — 113. Habentes indultum recitandi officium de SS. Sacramento in feriis quintis per annum quomodo debeant illud recitare et de ipso missam celebrare? — 114. Ad Horas omnes, quæ recitantur in choro, debent ardere duæ saltem candelæ in altari. — 115. Assignantur officia B. M. V. in toto Statu Ecclesiastico ex obligatione celebranda ex novissimo decreto. — 116. Pro coronide feruntur varia a sac. cong. Rit. resoluta dubia.

(1. Omittens culpabiliter integrum divinum officium, peccat mortaliter. *Communissima*. An autem is committat tot numero peccata, quot omittit Horas? (2. Variant doctores. Cajetanus enim, Toletus, et alii cum Lessio l. II, c. 47, num. 53, dicunt, tot committere peccata, quot Horas omittit; et sic, si integrum omittit officium, septem distincta peccata in confessione numeranda committit, quia septem Horæ, ut dicunt ipsi, sunt septem distincta præcepta. Alii vero communius et verisimilius tenent, ipsum committere unum solum peccatum, gravius tamen, quia est unicum præceptum de recitando integro officio unius diei, cujus singulæ Horæ sunt pars: omnes enim Horæ unum complent officium, tanquam unum formale objectum unius debiti, et unius omissionis. Sic Navarrus, Silvester, Suarez, Vasquez, Bonacina, et alii passim cum Tamburin., l. II, *Decalog.*, cap. 5, § 2, num. 9; Sporer, tom. III Tract. *append. de Horis canonicis*, c. 2, num. 92; Henricx, disp. 2, *de Horis canonicis*, qu. 1, num. 8; Reiffenstuel, *Theol. moral.*, tr. 6, dist. 1, quæst. 3, num. 29; Gobat, tract. 5, *Theol. experiment.*, n. 617; Donat., tom. IV *Prax. rer. regul.*, tr. 18, qu. 38, ubi dicit, quod in hoc omnes consentiunt. (3. Ille tamen probabilius tenetur in confessione explicare quod omisit totum officium, quia, licet unicum peccatum commiserit, est tamen notabiliter gravius, et in communiori et veriori sententia, circumstantiæ notabiliter aggravantes sunt explicandæ in confessione, ut cum aliis notant Sporer, *loc. cit.*, num. 92; Henno, tom. I, tr. 1, *in Decal.*, disp. 1, art. 7, concl. 1, et alii plures; et hoc maxime ob efformandum justum judicium de statu pœnitentis, et ob imponendam ei debitam pœnitentiam, nam aliud judicium est de omissione totius integri officii, seu omnium septem Horarum, quam unius solius Horæ, majorque pœnitentia est injungenda pro omissione totius, quam pro omissione unius solius partis; sicut aliud judicium est de furto mille florenorum, quam decem, majorque pœnitentia est injungenda pro illo furto, quam pro hoc; adeoque semper in confessione debet quis explicare numerum, et qualitatem Horarum, quas omisit: maxime etiam, quia, ut fuit dictum *supra*

Digitized by Google

sub num. 2, plures doctores tenent, tot numero peccata distincta committi, quot horæ omittuntur. (4. Probabile autem est etiam, quod is non teneatur in confessione explicare quod omiserit totum integrum officium, aut tales et tot Horas, sed sufficiat quod dicat : « Peccavi mortaliter omissione divini officii., » Sic cum aliis notat Sporer, *loc. cit.*, n. 92, et alii plures tenentes istam sententiam, nedum probabilem, sed et probabiliorem, quia totalitas est tantum circumstantia aggravans intra eamdem speciem.

NOTA ROMANI THEOLOGI.

Quamplurima sunt, quæ in hoc auctoris nostri articulo Romanis censoribus minime arridenl. Et sane quis ferre posset opinionem illam esse probabiliorem, quæ negat in confessione exprimendum esse numerum et qualitatem Horarum, quas clericus omisit? Hæc namque opinio, nedum probabilior, sed omni etiam probabilitate caret. Etenim si clericus confiteretur duntaxat generice : « Peccavi mortaliter omissione divini officii : » quodnam esse posset confessarii judicium? Quonam pacto pœnitens suum, uti revera est, fateretur peccatum? Certe majus ac gravius peccatum committit, qui totum integrum officium divinum omittit, quam qui unam vel alteram Horam : magis obnoxius est restitutioni, qui quinque horas omisit, quam qui duas tantummodo, uti recte advertit etiam Lucius noster. Ipse itaque recte se gessisset, si opinionem hanc veluti improbabilem, nulloque solido suffultam fundamento rejecisset.

Verum Lucio nostro placent omnino, nisi me fallit animus, sententiæ illæ, quæ magis magisque benignitatem redolent, quæque obligationem minuunt. At non recte id quidem. Hinc falsum omnino est, esse tantum peccatum veniale omittere minorem partem, quam totam parvam Horam, si per *minorem partem* intelligat auctor noster, uti reapse intelligit, ultra dimidiam horam; Nam, admissa hac opinione, si quis tres unius Horæ psalmos omitteret, et reliqua recitaret, non peccaret mortaliter, quod nemo sanæ mentis dixerit : nam omitteret minorem partem, quam totam parvam horam.

Falsa quoque est opinio illa, quæ adstruit, peccatum tantummodo esse veniale, omittere Vesperas Sabbati sancti, quamque Lucius noster obviis ulnis amplexatur. Nam Vesperæ Sabbati sancti integram constituunt officii Horam; qui autem integram horam omittit, lethaliter peccat; quia materiam gravem, notabilemque partem omittit, ut fere omnes fatentur theologi.

Ex his sequitur quod si omittens notabilem officii partem, sit beneficiarius et sacerdos, duplex committit peccatum, contra duplicem virtutem, religionem scilicet et justitiam, ut recte P. Concina cum innumeris pene aliis defendit, qui etiam contrariam sententiam laxam vocat. Et sane quod peccet etiam contra justitiam, evidens est;

nam ut bene sciteque advertit Continuator Tournely : « Obligatio recitandi divinum officium in beneficiario, est juris naturalis præcipue nunc, cum beneficia præcise propter Horarum recitationem fundata sint. Hinc inter fundatorem et beneficiarium pactum quoddam de recitando officio intercedit; quod est contractus quidam, *Do ut facias*, et beneficium datur propter officium. Porro pacta et conventiones jure naturali servari debent; igitur beneficiarii, non solum ex religionis virtute, sed etiam ex justitia commutativa restituere tenentur, saltem post sex menses, secundum Pii Quinti mentem, sub hoc onere beneficium, quod eis collatum est, et ab eis acceptatum. »

Curare debent itaque omnes illi, qui officium divinum recitare tenentur, ut ipsum recitent integre, et perfecte, absque præcipitantia, atque syllabarum contractione. Integre nimirum, id est voce, et pronuntiatione articulata et sensibili, nisi impotentia excuset.

Et sic, qui in pulsandis organis longo tempore occupatur, dum in choro Horæ canonicæ persolvuntur, debet submissa voce, et per se illa recitare, quæ ipse non audit. Sic etiam clericus, qui ob strepitum, aut alia de causa, ut si surdaster sit, partem alteram recitantem nullo modo percipit, nec verba audit, tenetur ex se repetere; alioqui non satisfaceret præcepto, quia omitteret notabilem officii partem, si nihil perciperet. At si isti attenderent quantum possent ad aliam partem psallentem, et per eos non staret quin conarentur percipere et audire quæ dicuntur, tunc suæ obligationi satisfacerent, nec tenerentur postea privatim recitare.

RESPONSIO AUCTORIS

« Quis ferre posset (ait hic R. theologus) opinionem illam esse probabiliorem, quæ negat in confessione exprimendum esse numerum et qualitatem Horarum, quas clericus omisit? » Hæc opinio nedum probabilior, sed omni etiam probabilitate caret. Ast debebat advertere theologus, quod ego ibi, sub num. 3, concludo probabilius contrarium. Quod autem subjicio, num 4, est ad eruditionem, ut legentes percipiant etiam, quid sentiant alii. Sicuti etiam, quamvis ex opinione auctorem ibi allegatorum sub num. 9, firmo probabile esse, peccare tantum venialiter omittentem totas Vesperas Sabbati sancti, subjungo tamen num. 10. La Croix autem dicit, omittere Vesperas Sabbati sancti « communiter censetur mortale, » etc.

(5. Peccat mortaliter nedum omittens totum integrum officium, sed etiam omittens culpabiliter ejus partem notabilem. *Communis.* (6. Notabilis autem pars sufficiens ad constituendum peccatum mortale est omissio integræ unius Horæ minoris, v. gr. Tertiæ, Sextæ, aut Nonæ. Sic fere communis doctorum, cum Donato, *Prax. rer. regul.*, t. IV, quæst. 39; Verricell., 1, par. *Moral.*, tract. 8, *Miscellan.*, q. 58; Stoz, lib. 1, part.

Digitized by Google

III, num. 380; La Croix, lib. IV, n. 1202, qui omnes referunt sic etiam declarasse sac. congregationem cardinalium. Sic etiam notabilis pars sufficiens ad mortale est omissio laudum, unius nocturni, aut alterius similis æquivalentis partis. Sic Suarez, lib. IV *De oratione*, cap, 25, n. 15; Henno, *loc. cit.*, art. 7, conclus. 1; Illsung, tom. V, n. 39; Sporer, *loc. cit.*, num. 39, cum pluribus ibi citatis.

(8. Omittere minorem partem, quam totam parvam Horam, aut simile æquivalens, non est peccatum mortale. Sic Lessius, Bonacina, Layman, Garcias, Bonartius, Tambur. Gobat cum La Croix, lib. IV, num. 1202, et alii multi cum Stoz, lib. I, part. III, num. 381, contra Suarez, Sanchez, Escobar, Reginald. Dianam volentes, omissionem mediæ partis unius parvæ Horæ esse mortalem. Imo probabile est esse tantum peccatum veniale omittere totas Vesperas Sabbati sancti, cum sit tam exiguæ partis omissio, et quidem in die tam læto, in quo jam præcessit tam longum officium : Tamburin., in *Decal.*, lib. II, cap. 5, § 2, num. 11; Pelliz., tom. I, tract. 5, cap. 8, num. 93; Sporer, *loc. cit.*, num. 93; Gobat, *loc. cit.*, num. 690. Marchant. Franciscus Bonæ Spei, et alii. La Croix autem, *loc. cit.*, num. 1204, dicit quod omittere totas vesperas Sabbato sancto communiter censetur mortale, non ob quantitatem, sed qualitatem quia nempe sunt integra Hora, et continent magnum mysterium.

(11. Omittere culpabiliter interruptim per totum officium quantitatem æquivalentem integræ parvæ Horæ, est peccatum mortale : qui enim per plures diversas Horas psalmum, vel partem aliquam hinc inde omittit, iste censetur omittere notabilem quantitatem officii, quia licet secundum se seorsim sumptæ non sint partes notabiles, simul tamen aggregatæ notabilem divini officii partem constituunt; partes enim spectantes ad unum totius diei officium coalescunt in unum et omissio expendi debet ex respectu ad totum officium, circa quod illæ partes conficiunt notabilem quantitatem. Sporer, *l. c.*, n. 95; La Croix, *loc. cit.*, num. 1203, et alii contra alios sentientes contrarium.

(12. Omittens ut supra notabilem partem officii probabilius committit unum solum mortale peccatum, quamvis simul sit sacerdos, parochus et monachus. Sic Tamburin., in *Decalog.*, lib. II, cap. 5, § 1, n. 33; Reiffenstuel, *Theol. moral.*, tract. 6, dist 1, quæst. 3, num. 30; Henricx, disp. 2, *De Horis canonic.*, quæst. 1, num. 9; Diana, par. I, tract. 12, *De Horis canonic.*, resolut. 5; Burgh., centur. 3, cas. 81; Castropal., tract. 7, disp. 2, par. 1, § 2, num 29; Gobat, *Theolog. experim.*, tract. 5, num. 580; Pellizzar., tom. I, tract. 5, cap. 8, num. 96; La Croix, lib. VI, part. II, num. 1122, cum Sanchez, Henriq., Homobon., Filliuc., et aliis ibi citatis contra Suarez, Bonacinam, Fagundez, Lessium, Sanig, Layman et alios volentes quod duo specie peccata committat specialiter in confessione exprimenda, unum contra virtutem religionis, ratione ordinis, vel professionis religiosæ, alterum contra virtutem justitiæ, ratione beneficii, ratione cujus tenetur ex justitia ad restitutionem fructuum ad ratam omissionis; ast ad istorum rationem respondetur cum supradictis doctoribus quod beneficiarius omittens Horas non peccat contra justitiam, sed tantum contra religionem ac præceptum Ecclesiæ, quæ talem obligationem restitutionis beneficiariis imposuit, non tanquam debitam ob læsionem juris alieni, sed tantum velut pœnam delicti; cum, ut patet, tum ex concilio Lateranensi sub Leone X, sess. IX, tum ex constitutione 135 S. Pii V incip. *Ex proximo*, ubi imponitur talis restitutionis obligatio, imponatur solum facienda, si post sex menses a die beneficii obtenti beneficiatus divinum officium non dixerit. Quod si talis obligatio restitutionis esset debita ex justitia, oriretur statim a prima die obtenti beneficii.

(13. Qui notabilem partem divini officii culpabiliter, seu etiam inculpabiliter ex oblivione omisit, si recordetur eadem die, tenetur sub mortali adhuc supplere, cum pro tota die vigeat obligatio. (14. *Communis.* Si autem recordetur altera die, non tenetur supplere, quia, cum quodlibet officium sit affixum propriæ diei, ea die transacta, transit etiam obligatio; unde nec tenetur amplius supplere, quod inculpabiliter ex oblivione omisit, nec supplere potest, quod omisit culpabiliter, cum jam mortaliter violaverit obligationem de recitando illa die, pro qua culpabiliter omisit. *Communis.*

(15. Qui est dubius an recitaverit aliquam Horam, v. g. Primam, Tertiam et hujusmodi, si nullam habeat rationem, vel conjecturam, quod recitaverit, tenetur recitare, seu repetere; quia præceptum est in possessione, cum certa sit obligatio recitationis et dubia recitatio. *Communis.*

(16. Si vero habeat rationem aliquam, vel conjecturam, quod recitaverit, non obligatur recitare, seu repetere, ut tradit communis doctorum; imo male faceret, si in tali casu repeteret, ut docent Sanchez lib. VII *Consil. moral.*, cap. 2, dub. 34, et Sporer, *l. c.*, num. 97, et alii. (17. Et a fortiori non tenetur repetere, qui certo scit, se dixisse aliquam Horam et solum dubitat, an integre eam dixerit, seu aliquid in ea omiserit : quia, posito principali facto, in dubio præsumitur accessorium ex communiter contingentibus. Sanchez, *l. c.*; Sporer, *l. c.*; Layman, lib. IV, tract. 1, cap. 5, num. 11; Navarr., c. 13 *De oration.*, et alii passim.

(18. Qui inter publicam Horarum canonicarum recitationem ex officio, vel superioris mandato occupantur in parandis libris, in prævidendis antiphonis, seu lectionibus, in pulsandis organis, in thurificandis altaribus, in sonandis campanis et hujusmodi, non tenentur repetere ea, quæ

Digitized by Google

alii, ipsis non audientibus, nec recitantibus canunt, seu recitant, quia chorus, cui inserviunt, supplet pro ipsis. *Communis.*

(19. Quamvis aliqui apud Pellizzarium, *Manual. reg.*, tom. I, tract. 5, cap. 8, n. 42, et Tamburin., l. II, *Decalog.*, cap. 5, § 2, n. 11, probabile censeant eos satisfacere, qui cum sola attentione externa assistunt integræ Horæ a musicis decantatæ : tamen oppositum est tenendum, quia tales simpliciter audientes non orant vocaliter, nec orationem illam musicorum faciunt suam, cum non alternent cum ipsis. Sporer, *l. c.*, n. 99; Gobat, *l. c.*, n. 705; Sporer, *l. c.*, n. 1199, et alii.

(20. Psalmi, hymni, antiphonæ et hujusmodi, quæ solo organo, vel alio musico instrumento sine humana voce personant, debent a religiosis in choro submissa voce recitando suppleri, cum sola organi pulsatio non sit oratio, nec attendendo simpliciter ad organum, attendatur orationi. Sic passim doctores et praxis fere communis. (21. Quamvis tamen Sanchez, lib. VII *Consil. moral.*, cap. 2, dub. 26, aperte doceat oppositum et nec id improbabile censeat Sporer, *l. c.*, num. 99. Unde idem Sanchez, *ibidem*, aliis citatis, Sotus, Navarr. Arragon. Rodriquez apud Layman, lib. IV, tract. 1, cap. 5, n. 7, docent organædum, qui choro organis musicis, alternis versibus respondet, non esse obligatum, ut voce etiam proferat.

(23. Integre recitatur divinum officium, quod etiam privatim recitetur cum socio, seu sociis alternatim versus recitando. *Communis.* (24. Unde potest licite recitari divinum officium etiam privatim a quatuor, vel octo simul, dummodo non constituatur, nisi duplex chorus et alternis versibus recitentur psalmi et hymni; antiphonæ autem, responsoria, capitula, lectiones et orationes possunt licite recitari ab uno solo, vel a pluribus, omnibus aliis attente audientibus. At nequeunt duo, vel quatuor recitare totam primam mediam partem Matutini v. g. et alteram mediam audire a sociis; neque possunt duo recitare omnes psalmos et postea a tertio audire lectiones, quia hoc esset recitare per tres choros contra morem ecclesiasticum et communem consuetudinem Ecclesiæ, quæ non concedit recitari officium divinum cum socio, vel sociis, nisi alternatim in forma chori, alternis versibus recitando. Sporer, *l. c.*, num. 105, cum pluribus ibi citatis; La Croix, lib. IV, n. 1298, cum multis ibi citatis, et alii passim.

(25. Integre et licite recitatur divinum officium cum socio etiam laico non obligato, non attento, imo non audiente, dummodo ipse recte recitet alternatim versus, et ab obligato ad officium attente audiantur. Diana, p. VII., tract. 11, resolut. 6; Pellizzar, tom. I, tract. 5, cap. 8, num. 91; Stoz, lib. I, par. III, num. 454; Gobat, *Theolog. experiment.*, tract. 5, num. 691; La Croix, *l. c.*, n. 1295, et alii passim.

(26. Qui in choro, vel cum socio divinum officium recitando, nondum absolutis alterius chori, seu socii versibus, præproperat notabiliter incipere suos, peccat graviter, vel leviter juxta materiæ quantitatem, quia ultra quod partem anticipatam non communicat alteri choro seu socio, non percipit ipsemet versiculos a choro, vel socio recitatos. *Communis* cum Sporer, *l. c.*, n. 101; Henno, tom. I, *Tract. in Decalog.*, disp. 1, art. 7, conclus. 1, resolut. 4. (27. Item peccat graviter, vel leviter juxta materiæ quantitatem, qui recitat divinum officium syncopando, mutilando, truncando, glutiendo, seu absorbendo syllabas, sive medias, sive ultimas : nisi tamen id fieret involuntarie ex naturali linguæ præcipitantia, aut balbutie, quia tunc nullum esset peccatum. *Communis* cum Sporer, *loc. cit.*, num. 100, 102 et 103; Henno, *loc. cit.*, resolut. 3.

(28. Qui ob alterius chori defectum, vel ob strepitum aliqua ab altera parte prolata non percipit, adhuc satisfacit, nec opus est quidquam repetere, quia alioquin multi orirentur scrupuli, ad quos removendos habemus privilegium. Bonartius, lib. III, cap. 45, num. 4; Gobat. *Theolog. experiment.*, tract. 5, num. 692; Sporer, *loc. cit.*, num. 107; Tamburin., lib. II *Decalog.* cap. 5, § 4., num. 12; Felix Potestas. tom. I, part. II, num. 444, et alii. (Quinimo Tamburinus, quem sequitur Felix Potestas *loc. cit.*, dicit ipsum satisfaceret, quamvis ob socii, vel alterius chori defectum, nihil ex iis percipiat; habet enim Tamburinus, *loc. cit.*, hæc præcisa verba : « Sine hæsitatione pronuntio, te satisfacere, si attendas quantum moraliter vales, licet propter socii, vel alterius chori defectum nihil ex iis percipias; ratio est, quia hoc modo tu præstas id quod potes, nec per te stat quin audias atque per debitam recitationem tuæ partis, et attentionem ad alteram partem, ejus orationem vel recitationem satis tibi communem facis. » (29. Et hoc esse verum etiamsi quis sit surdus et inde alterius chori partem audire non valeat, docent Henno, tom. I, tract. 1, *Decalog.*, disp. 1, qu. 13, art. 3, conclus. 1; Leander, part. VI, tract. 8, disput. 6, quæst. 40, cum Paschal. et aliis apud Felicem Potestatem, *loc. cit.*, num. 444, quia ex una parte ad impossibile nemo tenetur; leg. *Impossibilium* 185, ff. *De regul. jur.*, et cap. *Nemo potest* 6, *De reg. juris*, in 6, et ex alia parte, quod recitatur in choro, est oratio totius chori, adeoque etiam ejus, qui non audit, non valens, dummodo choro assistat et attendat. Non enim est credibile, quod benigna mater Ecclesia voluerit illum obligare, vel ad repetendum privatim officium, vel ad omnia, quæ ab aliis dicuntur, submisse recitanda, alias vix posset inter cantandum respirare. Tamburinus autem, *loc. cit.*, num. 13, quamvis concedat satisfacere surdastrum, etsi nihil percipiat, dummodo quantum potest, attendat : negat tamen satisfacere

Digitized by Google

omnino surdum et ita etiam tenet Mendo, verb. *Horæ*, num. 33, ubi dicit quod surdus teneatur repetere. Sporer tamen, *loc. cit.*, n. 107, dicit se nihil hic definire audere.

(30. Officium divinum nedum est recitandum integre, sed etiam continue, ita ut, una Hora canonica cœpta, debeat tota dici usque in finem continue, nec possit licite interrumpi sine justa causa. *Communis*, arg. cap. *Nullus* 57, De consecration., dist. 1, c. *Presbyter* 1, et c. *Dolentes* 9, De celebratione missar., et Clementin. 1, De celebratione missarum. (31. Unde graves doctores, ut Navarrus, Medina, Azorius, Vasquez, Marchant. apud Sporer, *loc. cit.*, n. 135. Suarez, Baldell. Convarruv. et alii apud La Croix, lib. IV, num. 136, dicunt, quod si in eadem Hora, vel psalmo absque rationabili causa fiat magna et longa interruptio, sit peccatum mortale, nisi repetatur totum, quia sic tollitur, seu dissolvitur unitas et forma orationis ab Ecclesia instituta; estque species non parvæ irreverentiæ erga Deum, cœptum cum ipso colloquium sine justa causa, imo aliqua impertinente actione, seu vana locutione, notabiliter interrumpere, quod homo a servo vix toleraret.

(32. At vero per se, præscindendo a scandalo et contemptu, non erit peccatum mortale, sed solum veniale Horam canonicam cœptam absque omni rationabili causa interrumpere, etiam notabiliter per multas Horas, quia cum singulæ partes sint de per se quædam preces, vel laudes divinæ, nec habeant necessariam connexionem cum aliis, sed tantum accidentalem ex ordinatione Ecclesiæ, qui eas etiam per multas Horas notabiliter interrumpit, dummodo omnes absolvat intra eamdem diem, revera adhuc implet substantiam præcepti, quamvis in accidentali modo continuationis non servato peccet contra ordinationem Ecclesiæ, adeoque non mortaliter, sed solum venialiter : Sic Arragon. Layman, Sanchez, Bonacina, Quintanadven., Pellizzarius, Tannerus, Bassæus, Sporer, Tamburin. Lessius, Beja, Gobat, Illsung, aliique citati et secuti a La Croix, l. IV, n. 1306, Suarez, Diana et alii apud Sporer, *loc. cit.*, num. 136, ubi insuper dicit esse communem, Reiffenstuel., *Theol. moral.*, tract. 6, dist. 1, quæst. 5, num. 55; Henno, tom. V *Tract. in Decalog.*, disputat. 1, quæst. 3, conclus. 2 et alii passim.

(33. Imo, si justa et rationabilis aliqua causa interveniat, nullum, ne veniale quidem, peccatum est interrumpere paulisper recitationem divini officii. (34. Sic præcitati doctores. Tales autem justæ et rationabiles causæ variæ esse possunt, ut si in confessionali confessarius exspectet pœnitentes, quorum aliqui, dum recitat Horas, accedunt; si occurrat necessitas succurrendi proximo infirmo, vel aliter indigenti; si eveniat occasio amicum, vel alium salutandi, alloquendi, respondendi, etc. si quis interim aliquid faciat ad tollendam distractionem, aut aliquid in charta notet ad repellendam internam inquietudinem, seu sollicitudinem, et hujusmodi. Sic citati doctores.

(35. Matutinum autem potest licite etiam sine ulla causa dividi tota nocte a Laudibus. *Vide* verb. MATUTINUM, num. 15. (36. Imo multi dicunt, id esse etiam laudabile. *Vide ibidem*, num. 16. Quando Matutinum dividitur a Laudibus, debet in fine addi *Pater noster*, et probabilius etiam addi debet oratio diei, sine tamen aliis commemorationibus. *Vide ibidem* num. 17. (37. Probabilius est etiam, quod initio Laudum divisarum non debeat dici *Pater noster* et *Ave*, quamvis consultum, et laudabile sit illa dicere. *Vide ibidem*, num. 18. (38. Posse etiam separari in Matutino Nocturnum a Nocturno, dummodo interruptio sit tantum unius, aut alterius Horæ, tenet probabilius Henno, tom. I *Tract. in Decalog.*, disp. 1, art. 7, conclus. 2, in fine, quia, dicit, sic fiebat in primitiva Ecclesia, ubi Matutinum canebatur in tribus vigiliis noctis, Laudes in quarta vigilia; et idem censent Lezana, tom, I, cap. 12, n. 16; Gobat, tom. I, tract. 5, num. 67, et Sporer, *loc. cit.*, num. 138, ubi dicit, quod non exigitur gravis ratio ad tollendam omnem culpam ejusmodi separationis per dimidiam circiter horam, et postea dicturus aliud Nocturnum non præmittit necessario *Pater* et *Ave*, ut contra Reginaldum bene docent Azorius, tom. I, lib. X, cap. 8, q. 4; Gobat, *loc. cit.*, n. 675, et alii.

(39. Pro recitando divino officio ab omnibus Breviario Romano adstrictis servanda est omnino forma generalis Breviarii editi jussu S. Pii V constitut. incip. *Quod a Nobis*, et confirmati a Clemente VIII const. inc. *Cum in Ecclesia*, et ab Urbano VIII correcti, et novis hymnis adornati, constitut. incip. *Divinam psalmodiam;* quarum trium constitutionum summarium habes supra art. 1. num. 10, 11 et 12. (40. Dicitur autem notanter, *Ab omnibus Breviario Romano astrictis*, quia S. Pius V in cit. constitut. incip. *Quod a Nobis*, confirmata a dictis Clemente et Urbano octavis, excipit Ecclesias illas et religiones, quæ a ducentis annis fuerunt alio Breviario usæ illisque indulget servare suam antiquam formam, et uti dictis suis propriis Breviariis.

(41. Clerici et religiosi astricti Breviario Romano non satisfaciunt præcepto, sed mortaliter peccant, si recitent officium ex alio Breviario peculiari alicujus Ecclesiæ, vel religionis, v. g. Ambrosianæ, Dominicanæ, et hujusmodi. *Communis*, arg. cit. constitut. S. Pii V incip. *Quod a Nobis*, ubi expresse statuitur, eum, qui suæ Ecclesiæ vel religionis formam non custodit, præcepto non satisfacturum : præcepto autem non satisfacere, quamvis esset etiam per unicam diem, est materia gravis.

(42. E contra clerici et religiosi astricti Breviarii propriæ Ecclesiæ, vel religionis (nisi aliud specialiter pro ipsis post dictam constitutionem S. Pii V a S. Sede sit cautum non peccant, si in privata recitatione divini officii utantur Breviario Romano; quia tunc

Digitized by Google

conformes se reddunt Ecclesiæ Romanæ, quæ est mater omnium Ecclesiarum; unde merito præsumendum est, id non displicere Pontifici, maxime cum S. Pius V in d. constitutione loquatur de choro, et insuper de iis dicat. « Quibus inveteratum illud jus psallendi suum officium non adimimus, » quibus verbis, ut vides, illas Ecclesias et religiones ab hac nova lege eximit quasi privilegio; privilegio autem utimur, quando volumus; cum liberum sit unicuique juri suo renuntiare, cap. *Si de terra* 6, De privilegiis, et l. *Si quis in scribendo* 29, cod. *De pactis;* et sic expresse tenent Sà, verb. *Horæ;* Buzemb., lib. IV, cap. 2, dub. 33; Lessius, lib. II, *De Justit.*, cap. 37, num. 74; Portell:, verb. *Horæ*, Diana, part. II, tract. 12, resol. 10; Sporer, *loc. cit.*, num 114, et alii contra Suarez, *De oratione*, lib. IV, cap, 23, n. 6; Henricx, *De Horis canonicis*, disp. 2, quæst. 2, num. 11, et alios oppositum sentientes, præsertim de religiosis, qui vi professionis suæ non improbabiliter tenentur ad ritum sui ordinis, abstrahendo ab omni diœcesi.

* Quorum sententia omnino sequenda est, cum qui ordini vel Ecclesiæ proprio ritu in divini officii recitatione utenti ascripti sunt, eo ritu in canonicis Horis persolvendis uti teneantur. Itaque S. cong. Concilii (*Vid.* Cuniliati, tract. 4, *De primo Decalog. præcept.* cap. 11, § 4, num. 1) apud Garciam *De beneficiis*, p. III, c. 1, num. 155 de hoc consulta respondit : « Habentes Breviarium ante ducentos annos institutum, non satisfacere recitando, etiam extra chorum, juxta formam Breviarii novi Pii V, si hoc in sua Ecclesia non fuerit receptum de consensu episcopi et capituli. * »

(43. Forma recitandi divinum officium, nedum servanda est secundum dictum Breviarium, sed etiam secundum proprium Kalendarium, seu directorium recitando qualibet die, prout ibi signatur. *Communis.*

(44. Unde peccat mortaliter, nec satisfacit præcepto, qui, data opera, mutat officium hujus diei in aliud officium notabiliter brevius. *Communis.* arg. proposit. 34, ex merito damnatis ab Alexandro VIII die 18 Martii 1666, ibi : « In die Palmarum recitans officium Paschale, satisfacit præcepto. » Et ratio est, quia, ultra quam quod variatur hoc modo sine justa causa forma ab Ecclesia præscripta, omittitur etiam magna et notabilis pars officii diei, ideoque peccatur mortaliter. (45. Imo peccat probabilius etiam mortaliter, qui, data opera, sine justa causa mutat officium hujus diei in aliud licet æquivalens, et etiam longius; sic divus Antoninus, P. Marchantius, et Salmanticenses citantes pro se quatuordecim auctores, ut notat, et sequitur Henno tom. I *Tract. in Decalog.*, disp. 1, art. 5, concl. 2, et tenent alii plures cum Sporer, *loc. cit.*, num. 117, cum Castropal., tract. 7, disp. 2, num. 17, cum Stoz, lib. I, part. III, n. 388 et 397, contra multos alios; et ratio est, quia officium hac die ab Ecclesia præscriptum, sunt hi psalmi, hi hymni, hæ antiphonæ, hæ lectiones, etc. et forma tali die determinata a S. Pio V est præscripta veluti substantia rei præceptæ; sanctus enim ille Pontifex non præcipit officium divinum in genere, sed officium tale juxta occurrentiam festorum, faut dierum, ut patet ex ejus toties cit. Constitutione incip. *Quod a Nobis.* Dicere autem obligationem illam in re tanti momenti et ponderis, esse levem, videtur omnino sine fundamento.

(46. Qui culpabiliter recitavit officium de martyre, v. g. cum esset recitandum de confessore, non tenetur totum repetere, sed sufficit, si repetat illa quæ sunt confessoris propria, quia quælibet oratio, antiphona, lectio, capitulum, responsorium, etc., habet suam vim, efficaciam, et significationem independenter a psalmis, et aliis. Henno, t. I *Tr. in Decalog.*, disp. 1, art. 5, respons. ad primum quæsitum; Busemb., *loc. cit.*, cum pluribus ibi citatis; Lugo, *Respons. moral.*, l. V, dub. 8, et alii passim (139). (47. Si autem inculpabiliter per inadvertentiam recitavit offic. de martyre, cum esset recitandum de confessore: licet consultius, et laudabilius sit illa repetere, non esset tamen obligatorium, neque sub veniali, quia is præcepto Ecclesiæ jam satisfecit; neque præsumendum est quod Ecclesia velit ad duo officia obligare eum, qui sine culpa est. Henno, *loc. cit.;* Reiffenst., *loc. cit.*, num. 62, et communis aliorum, teste Viva ad propositionem 34, ex damnatis ab Alexand. VII, num. 16.

(48. Qui per inadvertentiam, seu errorem incepit recitare officium non præscriptum, et recitato jam Matutino, primum advertit errorem, si nolit ab initio repetere, uti esset consultum, et laudabile, sufficit, quod ex tunc errorem, corrigat, et recitet officium præscriptum illius diei quoad reliquas Horas: in tali enim casu eum excusat bona fides, et eo maxime, quod pensum quoad substantiam, et æquivalentem quantitatem jam persolverit. Viva, *loc. cit.*, num. 16, Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 68; Henricx, disp. 2, *De Horis canonicis*, q. 3, num. 19; Lugo,

(139) *Nota Romani theologi.* — Convenit penes omnes, quod si quis unum officium pro alio absque justa et urgenti necessitate recitaret, peccaret saltem venialiter. Quod si culpabiliter id faceret, certe majus peccatum committeret, et ex multorum non inferioris notæ theologorum sententia, lethale peccatum committeret, præcipue post bullam S. Pii V, et propositionem damnatam ab Alexand. VII. Pius quintus siquidem præcipit ne dum divini officii recitationem; verum et modum, formulamque designat, qua dicendum, recitandumque est divinum officium. Si quis itaque culpabiliter et data opera modum hunc, formulamque mutaret, recitando officium de martyre, quando recitandum erat de confessore; probabilius est quod totum de confessore officium repetere debeat; nec sufficeret, si ea tantum repetat, quæ sunt confessoris propria. Imo sententia opposita, quam Lucius noster defendit, ad laxitatem propendet, ratione propositionis damnatæ, ac bullæ Pianæ.

Digitized by Google

Respons. moral., lib. v, dub. 8; Sporer, *loc. cit.*, num. 128; Sanchez, Tamburin.; et alii ibi citati. Consultum tamen est, quod repetat saltem antiphonas, versus, collectam, et alia propria festi, de quo erat secundum rubricas recitandum matutinum, et hujusmodi.

(49. Qui per inadvertentiam, vel errorem hodie recitavit officium crastinum, aut lectiones Scripturæ diei crastinæ assignatas, debet cras iterum recitare illud officium jam hodie recitatum, aut lectiones Scripturæ jam hodie recitatas; quia pro tali die est præceptum obligans de persolvendo isto officio, cui heri, cum tempus præcepti necdum cucurrerit, non potuit satisfieri. Nec error, et inadvertentia dat jus invertendi rubricas; unde, si inadvertenter erravit heri, non debet advertenter errare hodie, non recitando officium hodiernæ diei assignatum per hoc, quod jam illud recitaverit heri; quia sic esset bis errare contra rubricas. Viva, *loc. cit.*, num. 16; Henno, *loc. cit.*, respons. 1, ad 2 quæsitum; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 64; Henricx, *loc. cit.*, num 20; Sanig, dist. 2, *De Horis canonicis*, qu. 3, num. 5; Sporer, *loc. cit.*, n. 127; Lugo, *Respons. moral.*, lib. v, dub. 8, ubi mordicus hanc sententiam propugnat, et plurima adducit.

(50. Unde sequitur, quod, qui sic erravit, debeat potius eo anno penitus illud officium omittere, quam rubricas invertere, illud in alium diem transferendo, cum non sit præceptum recitandi semel in anno de tali Sancto, sed recitandi tali die; sic Lugo, omnesque citati numero antecedenti, et alii. (51. Plura consimilia *vide* apud Sporer, *loc. citat.*, num. 129 et 130.

(52. Generaliter loquendo omnis clericus, sive sæcularis, sive regularis existens etiam pluribus annis extra suam diœcesim, aut monasterium, sed solum tanquam peregrinus, aut advena, potest recitare officium de Sanctis, de quibus recitaret, si existeret reipsa in sua diœcesi, aut in suo monasterio, adeoque de reliquiis, aut de Dedicatione, aut de Patronis suæ Ecclesiæ. Suarez, Quintanadven. citati, et secuti a Gobat, tom. I, tr. 5, num. 635; La Croix, lib. IV, n. 1144. (53. Unde sacra cong. Rit. die 8 Septemb. 1602 decrevit quod : «Qui sunt de gremio alicujus Ecclesiæ, debent recitare officium, quod in choro dicitur, et licet extra Ecclesiam, vel diœcesim morentur, decet eos recitare officium proprium Ecclesiæ ipsorum.»

(54. Regulares vero choro addicti debent semper recitare officium, quod recitatur in illo conventu in quo sive ut moratores, sive ut hospites, existunt, ut dicitur in rubricis particularib. *Breviarii* nostri *Franciscani*, n. 143 et 144, ibi : « Cum ex decreto sacræ Rit. congr. die 8 Sept. 1602 emanato, qui sunt de gremio alicujus Ecclesiæ, debeant recitare officium, quod in illius choro dicitur, et aliunde cum fratres re ipsa de gremio illius Ecclesiæ censeantur, cujus choro sive ut hospites, sive ut moratores, sunt obligati; hinc tanquam certum tenendum, ipsos, dum sunt præsentes, etiam ut hospites in aliquo conventu, ordinis facere officium, tam de festis, quam de oct. sicut fit in conventu illo, quamvis per ordinem generaliter de iis non fiat; postquam vero ab illo conventu recesserint, ad officium consuetum redeant. Ex rubr. a S. Sede pro nobis, ac fratribus Dominicanis et Carmelitanis approbatis. »

(55. Forma recitandi divinum officium juxta Kalendarium et *Breviarium Franciscanum* servanda est ab omnibus religiosis et monialibus existentibus sub obedientia ministri generalis Fratrum Minorum. Sac. cong. Rit. 7 Aug. 1664. *Vide* d. rubricas. Et sic sæpe alibi.

(56. Etiam moniales tam S. Claræ, quam tertii ordinis, quamvis sint sub gubernio ordinariorum, possunt uti nostro *Breviario Franciscano*, ut expresse cavetur de mente S. Sedis in rubricis, n. 141, ibi : « Eidemque conformari queunt moniales, tam S. Claræ, quam tertii ordinis, sive sint sub nostri ordinis, sive sub ordinariorum, aut aliorum religiosorum cura, et gubernio, quæ usum elegerint ejusdem Breviarii; sacra siquidem congregatio in decreto die 30 Aug. 1687 edito, consulto declaravit licere prædictis monialibus S. Claræ, et tertii ordinis uti Breviario vel Patrum conventualium, vel Patrum observantium.

(57. Etiam tertiarii nostri ordinis in sæculo degentes possunt uti nostro *Breviario Franciscano*, ut expresse cavetur de mente S. Sedis in dictis rubricis, n. 142, ibi : « Personæ tandem tertii status tertiarii ordinis prædicti (quæ quatenus vivendi formam ac regulam a S. Sede approbatam, opera nostra suscipiunt, quoad ejusdem regulæ observantiam, directioni nostri ordinis regulari ex Apostolico præscripto legitime subsunt), eodem poterunt uti Breviario, quia præter superius adductum decretum a sacra congr. die 7 Augusti 1694 editum, id pariter præscribunt tam rubr. num. 1, 2, 3, 4 et 21, ut num. 22 innuitur, approbatæ, quam bulla Pauli III, *ibid.*, apud directorium trium ordinum citata; in qua sub cap. 4 Regulæ hujus tertii status, sic adest sancitum : «Fratres litterati, seu beatæ litteratæ, si voluerint, persolvant divinum officium, ut fratres primi status hujus sacri ordinis de Pœnitentia. »

(58. Tam fratres, quam tertiarii in sæculo degentes, qui ratione episcopalis dignitatis, aut alterius muneris, sunt de gremio alicujus Ecclesiæ, et ipsius choro intervenire debent, tenentur recitare officia, quæ sunt particularia illius Ecclesiæ et diœcesis. Secus vero, si de gremio fuerint, choro tamen nullatenus sint obligati. Sic expresse ex decreto sacræ Congr. in dictis rubricis, num. 145, ibi : « Hinc tam fratres quam tertiarii tertii status in sæculo degentes, de quibus loquuntur rubr., num. 4 et 21, qui ratione episcopalis dignitatis, et alterius muneris, de gremio alicujus Ecclesiæ fuerint, et ipsius choro intervenire debuerint,

Digitized by Google

recitare tenebuntur officia, quæ sunt particularia illius Ecclesiæ et diœcesis; secus vero si de gremio fuerint, choro tamen nullatenus sint obligati. » Ex decreto dicta die 8 Septembris 1602 expedito.

(59. Generaliter autem loquendo episcopus regularis debet officium recitare juxta ritum suæ diœcesis, non vero regulæ, et occurrente festo regulæ in festo diœcesis, hoc est præferendum. S. cong. Rit. 11 Jun. 1605, apud La Croix, lib. VI, part. II, num. 2055, decret. 69.

(60. Communicatio etiam amplissima privilegiorum unius religionis alteri facta se minime extendit ad officia sanctorum. Sacr. congr. Rit. 16 Dec. 1679. *Vide* d. rubricas, num. 161.

(61. Facultas recitandi officium de aliquo sancto concessa uni ex ordinibus, seu congregationibus fratrum, seu monialium S. Francisci, non extenditur ad fratres, seu moniales alterius congregationis. Sic sac. Rit. cong. in cit. decreto, ut patet in dictis rubricis, num. 162, ibi : « Facultate recitandi officium de aliquo sancto concessa uni ex ordinibus, sive fratrum, sive monialium S. Francisci, seu uni ex congregationib. ad eosdem ordines spectantibus, uti nequeunt fratres, aut moniales alterius ordinis, seu congregationis, cui ea facultas expresse non fuerit impertita. » Ex eodem decreto.

(62. Nec admitti debet mutua extensio inter aggregationes, Observantium, Reformatorum, Discalceatorum et Recollectorum utriusque familiæ. Sacra Rit. cong. in cit. decreto, ut liquet in citatis rubricis, num. 163, ibi : « Nec admitti debet mutua extensio inter aggregationes Observantium, Reformatorum, Discalceatorum et Recollectorum utriusque familiæ, Ultramontanæ scilicet, et Cismontanæ, quoad prædictam facultatem, vigore solius præfatæ communicationis. » Ex ipsomet decreto.

(63. Multo minus admitti potest eadem extensio de conventu ad alios conventus, et de provincia ad alias provincias. Sacra Rit. congr. in cit. decreto, ut habetur in citatis rubricis, num. 164, ibi : « Multoque minus admitti poterit eadem extensio de uno conventu, seu de una provincia ad alios conventus, aut provincias ejusdem ordinis vel instituti : » Ex eodem decreto.

(64. Quamvis officia sanctorum, quæ alicubi supersunt de mense Decembri, alias transferri possent in annum sequentem, ex decreto sacr. congr. Rit. 7 Decemb. 1680, nunc vero amplius transferri non possunt, novissimo decreto ejusdem sacr. congr. Rit. 8 Mart. 1738, ut infra :

« Ex parte ministri provincialis ordinis Minorum S. Francisci Discalceatorum provinciæ S. Didaci in regno Mexicano sac. Rit. congregationi pro declaratione infrascripti dubii supplicatum fuit : »

« An sancti de quibus in toto anni decursu celebrari officium non potuit, transferendi sint ad annum sequentem, vel potius eo anno omittendi? »

Sac. eadem congr. inhærendo alteri resolutioni in similibus editæ ad instantiam reverendissimi archiepiscopi Hispalen. sub die 26 Novemb. 1735, rescribendum censuit :

« Sanctos, qui in fine anni supersunt, non esse ad annum sequentem transferendos, sed quoties toto anni decursu de illis celebrari non valeat, tunc in illo anno diebus eorum propriis considerandos esse tanquam simplices, faciendo illorum commemorationem, ut in semiduplicibus cum nona lectione ad matutinum composita ex eorum omnib. lectionib. propriis secundi nocturni ad modum unius, et ita declaravit die 8 Mart. 1738.

« Card. GUADAGNI, propræf. »

Vide Decr. S. R. C., in fin. h. tom. referenda.

(65. Episcopi regulares, qui ex indulto Sedis Apostolicæ gaudent privilegiis suæ religionis, de quibus sunt capaces pro eorum conditione, non possunt de beatis suæ religionis recitare officium, et in propriis cathedralibus missam celebrare, et altare prædictis beatis erigere. S. cong. Rit. 17 Aprilis 1660.

(66. Cappellanus episcopi, qui cum eo recitat officium, debet se illi conformare. Sac. Rit. congr. 11 Jun. 1605.

(67. Non possunt locorum ordinarii tam sæculares quam regulares addere Kalendariis, etiam propriis, sanctorum officia, nisi ea duntaxat, quæ breviarii Romani rubricis, vel sacrorum Rituum congregationis, seu Sedis Apostolicæ licentia conceduntur. Sac. Rituum congreg. 8 April. 1628, et 10 Jun. 1690.

(68. Si festum S. confessoris transferatur in proxime sequentem diem, in hymno *Iste confessor* nulla fiat mutatio versiculi, sed dicatur *Meruit beatas*, dummodo primæ vesperæ non sint impeditæ. Sac. Rit. cong. 13 Jan. 1683.

(69. Translato festo S. confessoris ultra sequentem diem, in hymno *Iste confessor* facienda est mutatio versiculi dicendo : *Meruit supremos*. Sacr. Rit. congr. 14 Jun. 1692.

(70. Et hoc, etiamsi tali confessori perpetuo translato sit fixa dies assignata. Eadem sac. congr. Rit. 11 Jun. 1701, in responsione ad 5.

(71. Officium, seu festum translatum, quamvis posset in diem immediate sequentem transferri, seu reponi, non debet recitari, seu celebrari ante alia festa prius translata, quando sunt æqualis ritus. Sic recedendo a decreto edito *in una ordinis Capucinorum* 30 Sept. 1679 statuit sac. congreg. Rit. *in Lycien.* 24 Novem. 1691; *in Suessana* 11 Jul. 1695, et 22 Decemb. 1696. Quando, proposito tali dubio, expresse respondit : « Officium celebrandum esse de primo translato. » Sic refert Monacell., t. III, tit. 13, form. 2, n. 21. Vide tamen resolutiones sacr. congr. in fin. h. tom. referenda,

(72. Si occurrerint, vel fuerint tran-fe-

Digitized by Google

renda duo festa ejusdem ritus, quæ unica die occurrebant, quorum unum sit universale, et alterum particulare alicujus diœcesis, vel religionis, prius fiat de universali, deinde de particulari, nisi obstet ratio majoris dignitatis. Sac. congr. Rit. die 13 Junii 1682 et 27 Sept. 1698. Item vide cit. resolutiones sacrar. congreg. ad calcem h. tom. referenda.

(73. Si plura sint transferenda festa, quæ eadem die occurrunt, et quibus non convenit ratio majoris dignitatis, attendatur in eorum repositione major apparatus, vel populi concursus, ex quo vocatur etiam major solemnitas, supposito tamen, quod sint ejusdem ritus. Sac. cong. Rit. 20 Jul. 1686.

(74. Si simul sint transferenda festa S. Marci evangelistæ, et SS. apostolorum Philippi et Jacobi, prius reponatur festum S. Marci, deinde festum Apostolorum. Sac. Rit. congreg, 18 Sept. 1666. *Vide* resolutiones sac. congreg. in fin. h. tom.

(75. Si vero simul sint transferenda festa S. Josephi, et Annuntiationis, prius reponatur officium Annuntiationis, deinde S. Josephi, non obstante decreto edito in contrarium sub die 12 Jan. 1682. Sic decrevit eadem sacr. congr. Rituum 14 Jun. 1692. *Vide* resolutiones sacr. congregat. in fine h. tomi.

(76. Capellanus monialium potest missam celebrare de sancto, cujus officium ab ipsis monialibus recitatur in choro, Missali tamen Romano, in quo, si missa particularis de eodem sancto non adest, sumitur de communi. Sac. Rit. cong. *in Austriæ Osciponti* 22 Dec. 1672, apud Barbosa, in *Summ. Apostolic. decis.*, verb. *Capellanus*, num. 4. Et eadem sacra cong. 20 Novemb. 1628 apud Nicol., *Lucubr. canonic.*, tit. 1, *De vita et honest. cleric.*, et Gavant. in *Manual. episcop.*, verb. *Monialium cura spiritualis*, n. 33, et Monacell., t. I, tit. 11, formul. 23, n. 6. (77. Et novissime eadem sac. cong. Rit. die 20 Novembris 1717 idem concessit confessariis et capellanis monialium, approbante et confirmante Clemente XI die 1 Decembris ejusd. anni 1717, ut apparet in ejus *Bullario*, decr. 28, sacræ congreg. Rit. *Vide* verb. MONIALES, art. 5, num. 48.

(78. Unde capellani et confessarii monialium, ad hoc, ut missa concordet cum officio, possunt etiam recitare officium, quod recitant moniales, sed cum breviario Romano, et de communi ad instar citati decreti de die 20 Novembris 1717, in quo statuitur, quod missas sanctorum, de quibus moniales recitant officium, confessarii et capellani ipsarum celebrent cum Missali Romano et de communi. Non vero missas proprias eorumdem sanctorum variis ordinibus a sacra congregatione concessas. Gobat, tom. I, tract. 5, num. 625; Henno, tom. I *Tract. in Decalog.*, disp. 1, art. 4, concl. 4; Quintanadven., *Singular.*, tract. 8; Tambur., in *Decal.*, lib. II, cap. 5, § 2, n. 32; Stoz, lib. I, par. III, n. 386; La Croix, lib. IV, num. 1254, et alii dicentes quod tales capellani, seu confessarii videantur æquiparari beneficiatis, qui possunt recitare officium Ecclesiæ cujuscunque, in qua habent beneficium (140).

(79. Regulares tenentur sub ritu duplici 1 classis cum octava ad officium tam dedicationis, quam titularis ecclesiæ conventus, in quo morantur. Sacr. Rit. congreg. 3 Junii 1682. (80. Item sub eodem ritu, sed sine octava, tenentur ad festa sanctorum, qui provinciis regularium præsunt, tanquam earum patroni, seu titulares. Rubr. partic. *Breviarii* nostri *Franciscani*, num. 77.

(81. Regulares tenentur celebrare festum de dedicatione Ecclesiæ cathedralis, sed sub ritu duplici 2 classis, et sine octava. Sacra congreg. Rit. 8 Aprilis 1632. (82. Officia autem de patrono principali loci conventus, ac de patrono, seu protectore principali civitatis, regni, aut provinciæ, et de titulari Ecclesiæ cathedralis tenentur regulares celebrare sub ritu duplici 1 classis, et sine octava. Sacra cong. Rit. 3 Junii 1682 et 20 Martii 1683, ut patet in dict. rubr. particularib. nostri *Breviarii Franciscani*, n. 78 et 80.

(83. Ad officia vero de patronis minus principalibus ac de sanctis diœcesum non tenentur nisi sint descripta in Kalendario, et tunc non sub alio ritu quam ibi assignato. Cit. rubr. particulares d. n. 78, ex decreto sacræ congregationis Rituum ibi adducto.

(84. Ad hoc autem, ut regulares teneantur ad officia patronorum principalium, et clerici sæculares etiam ad officia patronorum minus principalium, debent esse

(140) *Nota Romani theologi.* — Scio plurima ex sacra Rituum congregatione variis temporibus prodiisse decreta, quibus præcipitur, ut sacerdotes sæculares, etiam capellani, missas celebrent in ecclesiis monialium de sanctis illis, de quibus officium a monialibus celebratur, sed cum Missali Romano. At capellanos ipsos posse se conformare in officio quoque cum monialibus, falsum mihi omnino est. Nam si capellani, aut alicui ecclesiæ aut religioni sint addicti, certe recitare nequeunt officium monialium illarum, quarum ecclesiæ inserviunt. Si vero nulli religioni aut ecclesiæ sunt addicti, utpote ad solum patrimonii titulum ordinati, tunc officia illa recitare debent, et juxta illum ritum, quo recitantur in tota illa diœcesi, in qua sunt; sic videmus quotidie in praxi; et nullus monialium capellanus arbitratur se posse conformare in recitatione divini officii cum monialibus, quarum ecclesiæ inservit.

De monialium confessariis, qui missam conventualem, vel canere, vel quotidie legere debent; quæque, quoad fieri potest, concordare debet cum officio, nonnullorum est opinio, quos inter continuator Tournely, tom. I, part. 2, cap. 2, quæst. 3, eos posse convenire cum monialibus in recitatione divini officii; sed praxis confessariorum est in contrarium, etiamsi nulli ecclesiæ sint addicti: immo neque id facere posse existimant sine privilegio speciali.

Digitized by Google

electi in patronos juxta conditiones præscriptas in sequenti decret. emanat. de ordine SS. Domini Nostri Urbani Papæ VIII, die 25 Martii 1630.

« Sacra Rituum congregatio, annuente S. S. D. N. in electione patronorum mandavit, infrascripta imposterum servari debere, declarans, quod aliter facta electio nulla sit ipso jure.

« Primo, quod eligi possint in patronos ii solum, qui ab Ecclesia universali titulo sanctorum coluntur, non autem beatificatorum duntaxat.

« Secundo, quod de patrono civitatis electio fieri debeat per secreta suffragia a populo, mediante consilio generali illius civitatis, vel loci, non autem ab officialibus solum, et quod accedere debeat consensus episcopi et cleri illius loci.

« Idemque servari debeat in patrono regni, qui pariter eligi debeat per secreta suffragia populi singularum civitatum provinciæ.

« Et quod repræsentantibus regnum, civitatem, vel provinciam nulla competat facultas eligendi patronos, nisi ad hoc habeant speciale mandatum, et ulterius interveniat consensus episcopi et cleri dictarum civitatum.

« Et tertio, quod causæ electionis novorum patronorum debeant in sacr. congregat. deduci, et ab ea examinari, ac demum, causa cognita, ab eadem congregat. approbari et confirmari.

« Et ne præmissorum ignorantia ullo unquam tempore possit allegari, eadem sacr. Rit. congregatio supradictum decretum imprimi et publicari mandavit. »

(85. Approbatio S. patroni, seu protectoris principalis solet concedi pro unico solo eum hac clausula : « Dummodo alium principalem patronum, seu protectorem non habeant, ut *in una Mazzarien.* 30 Martii 1697, pro universitate Castri Veterani, et alia *Lycien.* 12 Julii 1699, *pro universitate Terræ Monteroni.* » Apud Monacell., tom. II, tit. 16, formul. 10, num. 11.

(86. Regulares exempti utentes Breviario Romano, quamvis ex dictis *supra* num. 83, non teneantur recitare officia de patronis minus principalibus, et de sanctis diœcesum, seu solitis recitari in diœcesibus, in quibus existunt, posse tamen illa licite recitare, si velint, expresse tenent Henno tom. I *Tract. in Decalog.*, disp. 1, art. 4, conclus. 3; La Croix, lib. IV, n. 1246; Sporer, tom. III *Theolog. sacramental.*, part. I, cap. 2, num. 122, et alii; et favent rubricæ particulares nostri *Breviarii Franciscani*, num. 84, ibi : « Ad alia tandem specialia locorum officia neutiquam tenemur, nisi expressa adsit mentio de regularibus in concessionibus, et tunc, deficiente præcepto, adhuc recitanda erunt ab libitum, prout superius in rubr. num. 11, manet præscriptum ; » et ratio conclusionis est, quia privilegium principis alicui provinciæ, aut civitati concessum, quando nemini nocet, est latissime interpretandum, cum sic habeat rationem beneficii, cap. *Olim* 16, De verbor. significat., ibi : « Cum beneficia principum sint interpretanda largissime. » Temerarium enim est, et perabsurdum liberalitatem principis non ad augmentum privilegiorum, sed ad diminutionem convertere, seu interpretari velle, ut expresse dicitur in l. *Hac saluberrima* 2, codic. *De præpositis agentium in rebus.* Ergo privilegium Apostolicum concessum alicui diœcesi, seu provinciæ, vel regno pro recitandis certis officiis particularibus potest ita late interpretari, ut etiam comprehendat regulares, ut eo uti possint, si velint, eo vel maxime, quod potissime in privilegiis concessis favore cultus divini sit late facienda interpretatio, ut notat Fagnan. in cit. cap. *Olim* 16, De privilegiis, num. 25, et Calderin., consil. 422, alias 6, De privilegiis, per clarum textum in capit., *In his* 30, De privilegiis, ibi : « In his quæ ad cultum divinum facere dignoscuntur, non maligna, sed benigna est potius interpretatio facienda. » Et concordat cap. *Odia* 15, De regul. juris, in 6, ibi : « Favores convenit ampliari ; » tum quia hoc conducit ad servandam uniformitatem divini officii. Non est tamen excedendum a decreto sacr. congregat. Rit. 19 Julii 1687, disponente contrarium, ut apparet in rubricis particularibus nostri *Breviarii Franciscani*, n. 78, in fine, ubi sic expresse habetur : « Imo nec possumus octavas prædictas, et patronorum minus principalium ac Sanctorum diœcesum festa cum officio celebrare vigore constitutionum a Sede Apostolica approbatarum, nisi de eisdem festis singularis ibi adsit mentio et particularis dispositio. » Ex decreto 18 Julii 1687. *Vide* ad id resolutiones sacrar. congreg. in fin. h. tom.

(87. Hinc, quando permittitur fieri officium aliquod per ditiones subjectas Cæsari, per has intelliguntur etiam urbes imperiales; in omnibus enim Cæsareis rescriptis, in quibus Cæsar de aliqua talium civitatum loquitur, semper dicit : « Nostra et sacri Romani imperii Urbs. » Item intelliguntur etiam omnes provinciæ, ditiones et loca, quæ de facto sunt proprie dicta feuda imperii, quia ejusmodi feuda sunt vere subjecta Cæsari, ut Cæsari, cum sit illorum dominus directus, ut liquet ex communi definitione feudi apud Schraderum, *Tractat. feudal.*, part. II, cap. 2. Sic Gobat, tom. I, tract. 5, numer. 650, append. 5, litt. N; La Croix, lib. IV, num. 1247 et alii.

(88. Locorum ordinarii tam sæculares, quam regulares nequeunt propria auctoritate, quovis prætextu, mutare ritum, qui habetur in Kalendario Romano, seu rubricis Breviarii in altiorem ritum, neque extendere concessa officia de loco ad locum. Sic expresse statuit sacra Rit. congregatio, approbante Urbano VIII qui insuper tale decretum cum aliis jussit apponi in novis breviariis, uti de facto in initio nostri *Breviarii Franciscani* reperitur, ut sequitur :

Digitized by Google

« Sacra Rit. cong. declaravit et decrevit, non potuisse post Bullam Pii V de Breviario Romano, neque posse locorum ordinarios, tam sæculares, quam regulares addere Kalendariis etiam propriis, sanctorum officia, nisi ea duntaxat, quæ *Breviarii Romani* rubricis, vel sac. Rit. congreg. seu Sedis Apostolicæ licentia conceduntur; neque propria auctoritate, quovis prætextu, mutare ritum, qui habetur in Kalendario Romano, seu rubricis Breviarii in altiorem ritum, neque extendere concessa officia de loco ad locum.

« Item vetuit et prohibuit celebrari per totam civitatem, vel diœcesim, etiam de cujuscunque ordinarii auctoritate, festum cum officio, eo quod in loco adsit ecclesia parochialis, vel regularis, vel abbatialis, aut aliqua reliquia; sed tantum in ipsius sancti ecclesia titulari, seu ubi asservatur corpus; aut insignis reliquia et non alibi.

« Insignes autem reliquias declaravit esse caput, brachium, crus, aut illam partem corporis, in qua passus est martyr, modo sit integra, et non parva, et legitime ab ordinariis approbata.

« De sanctis episcopis locorum, martyribus, civibus et aliis festis, de quibus in Kalendario Romano, seu rubricis Breviarii nihil habetur, uti etiam de beatis nondum canonizatis, nihil propria auctoritate constituatur, sed omnino consulatur sacra Rit. congregatio.

« Decretum quoque nuper editum super electione sanctorum in patronos, et impressum omnino servetur. Et hæc omnia decrevit, statuit et mandavit, innovando pœnas constitutionis Pii V respective.

« Facta demum relatione horum decretorum SS. Urbano Papæ VIII ea laudavit et approbavit, ac in omnibus ubique sub prædictis pœnis servari præcepit, necnon in novis Breviariis de mandato Sanctitatis suæ imprimendis apponi jussit. »

Loco ✠ sigilli.

T. Tegrimius, episcopus Assisien., secretarius.

(89. Officium recitatur sub ritu duplici minori de illo sancto, cujus habetur reliquia insignis, scilicet caput, brachium, crus, aut ea pars corporis, in qua passus est martyr, dummodo sit integra, et non parva, legitime ab ordinariis approbata, cujus ratione recitandum est symbolum in missa. Sac. Rit. cong. 8 Aprilis 1628. (90. Qui recitant officium de sancto, de quo habent insignem reliquiam in propria ecclesia, si celebrent eo die in alia ecclesia, debent omittere *Credo*. S. congr. Rit. 2 Decembris 1684.

(91. De sancto, cujus habetur corpus, vel insignis reliquia, non potest fieri officium, nisi constet de identitate, et nisi reperiatur in Martyrologio Romano; reliquiæ vero a locorum ordinariis approbatæ, possunt exponi ad fidelium venerationem. Sacra congr. Rit. 21 Aug. 1691, approbante S. S. die 19 Octobris ejusdem anni 1691; ut patet ex originali prout sequitur.

DECRETUM GENERALE.

« Cum sacror. Rituum congregationi innotuerit, quamplures abusus irrepsisse circa recitationem officii, sub prætextu decreti ab eadem congregatione evulgati de anno 1630 et in *Breviario Romano* impressi, in quo permittitur posse in ecclesia recitari officia et missas celebrari de illis sanctis, quorum corpora, aut reliquiæ insignes in ea asservantur; eminentissimi Patres eidem sacræ congregationi præpositi iisdem abusibus evellendis præcipue intenti, inhærendo decretis alias in similibus editis, declararunt, prædicta officia sanctorum ratione corporis, seu insignis reliquiæ recitanda, intelligi de sanctis duntaxat in Martyrologio Romano descriptis et dummodo constet de identitate corporis, seu reliquiæ insignis illiusmet sancti, qui reperitur in Martyrologio Romano descriptus; De cæteris autem sanctis in prædicto Martyrologio non descriptis, aut quibus a S. Sede non fuerit specialiter concessum, officia recitari, et missas celebrari vetuerunt, non obstante, quod ipsorum corpora, vel insignes reliquiæ in Ecclesiis asserventur. Quibus tamen ab ordinariis locorum approbatis debitam fidelium venerationem (prout hactenus servatum est) exhibendam esse censuerunt, sed absque officio, et missa, sub pœnis de non satisfaciendo præcepto recitandi officium, aliisque in constitutione B. Pii V contentis, die 11 Augusti 1691.

« Et facta de prædictis sanctissimo per me secretarium relatione, Sanctitas sua hujusmodi decretum approbavit, ac ut debitæ exsecutioni demandetur, locorum ordinariis injungendum esse præcepit, die 29 Oct. ejusdem anni 1691. »

(92. Dedicationis festum, et officium extra actum consecrationis non potest amplius mutari ab episcopo inconsulta Sede Apostolica. Sac Rit. congr. 16 Octob. 1604.

(93. Si in locis diœcesis nullus reperiatur electus patronus, tenetur diœcesis non solum ad festum de patrono civitatis, sed etiam ad octavam. Sac. Rit. congr. 29 Septemb. 1568. (94. In patronorum, sive protectorum præcedentia servandus est ordo hierarchiæ Ecclesiæ, et inter ordinem hierarchicum anterioritas in electione. Sac. Rit. cong. 11 Martii 1690.

(95. Canonici, sub onere, et obligatione restitutionis fructuum tenentur psallere, seu canere in choro cum aliis; et non satisfaciunt, si solum assistant, et intersint horis, et per capellanos et alios beneficiatos psallant, ipsi vero vel ibi, vel domi, privatim recitent horas, quia institutio canonicatuum est, non ut adsint tantum in choro, sed ut canendo assistant, et ob id eis dantur distributiones; colligitur ex concilio Tridentino, sess. XXIV, cap. 12, *De reform.*, ibi: « Omnes vero divina per se, et non per substitutos compellantur obire officia... atque in choro ad psallendum instituto hymnis, et canticis Dei nomen reverenter, distincte, devoteque laudare. » Et sic censuit sacra congr. Concilii; nam pro-

Digitized by Google

posito dubio : « An canonici et alii qui intersunt divinis officiis, satisfaciant eorum muneri exhibendo suam præsentiam in choro, etiam quod non cantent, neque psallant, maxime si allegarent se eo tempore meditari, vel submissa voce dicere, quæ ab aliis cantantur, vel alias preces tunc recitare ; an vero teneantur præcisa, alta, et consona voce divina officia, et horas canonicas recitare, cantare, et psallere, et aliter non satisfaciant muneri, et obligationi? » Eadem sacr. cong. sub die 20 Aprilis 1602, censuit « teneri omnino psallere, alioquin obligationi suæ non satisfacere. » *Vide* verb. Missa, art. 3. n. 11, ubi ad id affertur novissima dispositio Benedicti XIV. (96. Canonici ex decentia debent alta voce cantare in choro, et episcopus potest illos ad hoc hortari, sed non cogere. Sacra cong. Rit. *in Egitanensi* 23 Nov. 1602.

NOTA ROMANI THEOLOGI.

Quamvis concilium Tridentinum et concilia quam plurima provincialia a Sancta Sede approbata, quamvis Summus Pontifex Bened. XIV in sua constit. die 19 Augusti 1744, edita, præcipiant, ut Canonici omnes in choro cum aliis psallant, et canant, et Lucius noster asserat, quod ad id stricto jure tenentur; nihilo tamen minus ipse autumat, episcopum illos posse hortari, sed non cogere juxta sac. Rit. congreg. decretum. Verum auctor noster proprio se perimit gladio. Si canonici tenentur psallere, et canere, aliter non satisfaciunt suæ obligationi, episcopus itaque potest illos cogere ad psallendum, et canendum, si sola hortatio sufficiens non esset. Quod ut magis, magisque planum fiat, audiatur Benedict. XIV in suo brevi ad eminentissimum cardinalem Delphinum patriarcham Aquileiensem, dato die 10 Januarii 1748 in quo hæc habet verba : « Porro volumus inter tot tantaque privilegia eidem capitulo et canonicis concessa, numerandum esse illud, quod quemadmodum tibi, æque ac Nobis notum est, antiqua traditione contra sacrorum canonum sanctiones, ac nostram præsertim constitutionem, cujus initium est, *Cum super oblatas*, invectum ab ipsis canonicis, non modo contenditur, sed etiam servatur, interessendi duntaxat choro, et cum cæteris mansionariis, capellanis, acolythis et clericis canentibus, psallentibusve assistendi, nunquam vero cum iisdem canendi, psallendive; etsi nonnullos eorumdem esse accepimus, qui aliter sentientes a conscientiæ angoribus agitantur, ex eo quod ea propter se non fecisse fructus suos existiment. Itaque a te, dilecte fili noster, poscimus, et flagitamus, ut non solum hujusmodi ABUSUM, ET CORRUPTELAM ab ecclesiastica disciplina absonam, et canonicis ordinationibus, ac nostræ quoque constitutioni contrariam penitus evellere, et eradicare admitaris; verum etiam ipsos suaviter, fortiterque admoneas, et horteris, ut in posterum ea, qua decet, ac tenentur reverentia,

choro, intersint, adsistantque, nec non pari pietate, attentione, ac vigilantia omnino canere, vel psallere cum cæteris studeant, et contendant. Deinde iisdem edicas, et notum facias, Nos, quemadmodum per hasce nostras in forma brevis litteras tibi declaramus, et injungimus, decernere, atque statuere, sicut in eadem constitutione nostra innuimus, ipsos, suosque successores canonicos, choro quidem interessentes, assistentesque, minime vero canentes, psallentesve, NULLO PACTO ex præbendis, et distributionibus facere fructus suos, atque adeo RESTITUTIONI *obnoxios esse, ac fore*, etc. » Ex Summi itaque Pontificis maximi verbis evincitur, ut episcopi omni nisu, omnique conatu curent, non hortatione tantum, sed etiam coactione, ut canonici in choro cum cæteris canant, psallantve, et sic abusum illum, ac corruptelam penitus evellant, et eradicent, quæ multis in locis invaluit contra ecclesiasticas ordinationes.

Quid vero dicendum de privilegio a Leone X fratribus Minoribus concesso, quod Lucius noster obtrudit? Illud nempe, aut omnino commentitium esse, aut si verum, omnino revocatum censeri a Summis Pontificibus Gregorio XV et Urbano VIII qui illud et alia vivæ vocis oracula prædecessorum Pontificum revocarunt. Verum enim vero, quo authentico documento hoc probatur privilegium? Forsan authenticis litteris cardinalis Laurentii? At ubinam gentium sunt istiusmodi authenticæ litteræ? Ab auctoribus, qui privilegium hoc divendunt, non producuntur. Porro privilegium hoc omni caret verisimilitudine. Primo, quia in cap. *Dolentes* præcipitur distincta, ac devota officii divini recitatio, quæ in Deum dirigat non solum propriam, sed etiam aliorum mentem; tum quia præceptum recitandi divinum officium, ecclesiasticum est quod secundum omnes theologos directe pertinet ad exteriorem recitationem, quæ spectat immediate ad forum Ecclesiæ. Quonam pacto itaque poterat Pontifex Summus Leo X fratribus Minoribus concedere, ut totum divinum officium mente recitarent, etiam quando soli recitant, contra naturam, et institutionem ecclesiasticam ipsiusmet divini officii?

Quod si privilegium hoc vivæ vocis oraculo concessum velint, jam cum cæteris vivæ vocis oraculis revocatum censemus a Gregorio XV et Urbano VIII 20 Decembris 1631, qui « omnia, et singula privilegia, facultates, licentias, et gratias quascunque vivæ vocis oraculo a prædecessoribus suis concessas, » omnino revocat. Neque in mentem alicui veniat, privilegium recitandi mentaliter divinum officium esse declarationem juris communis, adeoque non revocatum a dictis Pontificibus; Nam jus commune ecclesiasticum conceptis verbis præcipit, ut divinum officium clara ac distincta voce persolvatur, ut omnes fatentur, non autem mente; unde tale privilegium non esset declaratorium juris communis, sed potius ipsi oppositum, uti est perspicuum.

Digitized by Google

RESPONSIO AUCTORIS.

Asserit hic R. theologus, quod « Lucius noster dicendo, quod canonici omnes in choro cum aliis debent canere, et psallere, et postea subdendo, quod ad id episcopus potest illos hortari, sed non cogere, proprio se perimit gladio; » ast vero ego Lucius nec proprio, nec alieno me perimo gladio. Ibi enim sub n. 95 assero, teneri canonicos cum aliis in choro canere, et psallere, et non satisfacere suæ obligationi, si solum assistant, et intersint horis, et per capellanos et alios beneficiatos psallant, ipsi vero, vel *ibi*, vel domi privatim recitent horas, et ad id adduco decretum sacr. congreg. Concil. quæ sub die 20 Apr. 1602, censuit, « teneri omnino psallere, alioquin obligationi suæ non satisfacere. » Et postea sub n. 96 subjungo, quod canonici ex decentia debent alta voce canere in choro, et episcopus potest illos ad hoc hortari, sed non cogere; ex decreto sac. congreg. Rit. *in Egitaniensi* 23 Novembris 1602, ubi, ut vides, nec duo hæc decreta pugnant inter se, nec, ipsa adducendo, ego meo me perimo gladio, ut argutatur theologus. In primo enim decreto sub die 30 Aprilis 1602, sac. congreg. Concil. inhærens ipsi concilio censuit, canonicos teneri omnino psallere. Et in secundo postea eodem anno 23 Novemb. S. R. Congreg. interrogata, « an canonici debeant alta voce cantare in choro » respondit, « quod episcopus potest illos ad hoc hortari, sed non cogere. » Aliud enim est, teneri canonicos psallere in choro, et aliud debere cantare alta voce, et ad illud posse ab episcopo cogi, quod negat secundum decretum de canendo alta voce. Sufficit enim, ut canonici suæ satisfaciant obligationi, quod in choro cum aliis psallant, ut ex primo decreto, sed non tenentur omnes horas alta voce cantare, nec ad id possunt ab episcopo cogi, ut ex secundo decreto, et docet quotidiana praxis cathedralium et collegiatarum. *Vide* ad id conc. Trident. sess. XXIV, cap. 12, et constitut. recol. memor. Bened. XIV, incip. *Cum semper*, § *Huic demum* per extensum allat. a me sub verb. MISSA, art. 4, n. 11. Et ecce duo gladii hic ad perimendam infirmam, et injustam theologi censuram, et ne unus quidem, qui possit perimere sanam, et justam meam assertionem.

(97. Extra chorum ipsi canonici et quicunque alii, quando soli recitant, non obligantur tam alte loqui et recitare ut circumstantes possint audire quia id nulla lex præcipit ut testibus Gobat, tom. I, tract. 6, n. 691; Sporer, *l. c.*, n. 110, docet Commun. doctorum. (98. Probabilius tamen privatim et soli recitantes debent ita alte proferre verba ut possint ipsimet ea audire, si non impediat propria surditas vel tumultus et strepitus aliorum, quia divinum officium est injunctum per modum orationis vocalis. Sic cum multis docet Suarez et Sporer, *l. c.*, n. 110; Monacell., tom. II, tit. 16, form. 1, n. 9, et alii. (99. Sufficere autem ut quocunque minimo sono seu voce absque syllabarum confusione verba distincte pronuntient docent Azorius, part. I, lib. X, cap. 11, qu. 4; Tannerus, *De Horis canonicis*, qu. 1, n. 110; Layman, lib. IV, tract. 1, cap. 5, n. 6; Busembaum, lib. IV, cap. 2, dub. 2, art. 4, n. 2, cum Bonacina, et aliis ibi citatis; item Caramuel, Bassæus, Baldellus apud Dian., p. X, tom. XI, resolut. 33, et alii, quia revera non potest exhiberi lex aliqua requirens clariorem pronuntiationem.

(100. Et hoc maxime pro regularibus ob privilegium a Leone X concessum fratribus Minoribus ut possint Horas canonicas mentaliter persolvere, ut patet ex infrascriptis verbis dictæ petitionis relatis a Rodriquez in *Bullario regularium inter vivæ vocis oraculo Leonis X*, et a Sporer, *l. c.*, n. 111, ibi: « Placeat Sanctitati vestræ, ut ne fratres mutuo se impediant in officio divino aut aliis sint fastidiosi, quod, quæ in ordinario jubentur dici secreto sub silentio tam in Horis canonicis quam etiam in missa non teneantur proferre vocaliter, sed satisfaciant dicendo mentaliter aut legendo intra se per librum quia aliqui devotius sic dicunt et absque impedimento et fastidio aliorum. Et eodem modo possit facere, quia dicit officium solus, cum prolatio verbalis sit præcipue ut, ab aliis intelligatur. » Cui postulationi cum aliis simul propositis annuit Leo Papa ut per suas litteras authenticas testatur eminentissimus Laurentius presbyter cardin. SS. Quatuor Coronatorum die 15 Aprilis anno 1516.

(101. An autem illa verba: « Et eodem modo possit facere qui dicit officium solus, » debeant referri solum ad præcedentia, nimirum illa quæ in ordinario jubentur dici: « secreto sub silentio, » ut *Pater*, *Ave*, *Credo*, et alia quædam; an vero sint extendenda ad totum divinum officium, ita ut solus extra chorum possit totum divinum officium dicere mentaliter absque ulla pronuntiatione seu expressione vel formatione verborum? Gravis est inter doctores controversia. Quidam enim ut Navarrus, *De oratione*, cap. 17, n. 88; Rodriquez, *Quæst. regular.*, tom. I, q. 2, art. 4, Casarubios, Corduba, Miranda, eosque citans Bruno Cassaing, *De privilegiis regular.*, part. II, tract. 8, c. 4, proposit. 5; Joannes Crucius, Sanctorius, Persicus, Tamburinus apud Dianam, part. X, tract. 11, resol. 1, et Sporer, *l. c.*, n. 111, tenent quod solus extra chorum possit totum divinum officium dicere mentaliter, quia id suadet ratio addita in petitione, « cum prolatio verbalis sit præcipue ut ab aliis intelligatur, » quæ ratio non tantum de illis paucis *Pater*, *Ave*, *Credo*, sed de toto officio a solo recitando militat; alii tamen ut post Garciam, et Pellizarium, Diana, part. X, tract. 20, resol. 2; Lugo, *Respons. moral.*, l. III, dub. 17; Henno, *loc. cit.*, art. 6, conclus. 4, et fere communiter de hoc scribentes tenent oppositum, teste Sporer, *loc. cit.*, conclus. 4, ubi dicit hoc privilegium utpote vivæ vocis oraculo concessum, fuisse ab Urbano VIII revocatum, sed de hoc infra sub verb. ORACULA VIVÆ VOCIS.

Digitized by Google

(102. Litaniæ in festo S. Marci et tribus diebus Rogationum sunt pars divini officii, adeoque recitandæ sunt de præcepto sub mortali. *Vide* verb. LITANIÆ, num. 16. (103. Et quidem recitandæ sunt proprio mane, nec possunt recitari vesperi pridie statim post Matutinum et Laudes ab illis, qui Matutinum et Laudes recitant vespere pridie. *Vide* d. verb. LITANIÆ, n. 17.

(104. Adstricti *Breviario Romano* non tenentur in diebus in Breviario notatis recitare officium B. M. Virginis, officium defunctorum (excepto die animarum), psalmos graduales et pœnitentiales, quia a tali obligatione ipsos expresse liberavit S. Pius V constitut. incip. *Quod a Nobis*, cujus summarium habes supra art. 2, num. 20, uti adest in initio *Breviarii Franciscani*. (105. Excipit tamen Summus Pontifex expresse illas Ecclesias, in quibus viget sancta consuetudo, et usus recitandi in choro officium B. M. V. ita ut in prædictis ecclesiis, sive sæcularibus, sive regularibus, debeat adhuc servari talis laudabilis et sancta consuetudo recitandi more solito prædictum officium; unde in prædictis Ecclesiis saltem dicta constitutione S. Pii V antiquioribus manet obligatio recitandi prædictum officium B. M. V. in choro, non tamen privatim extra chorum, ut notant Henricx, *De Horis canonicis*, disp. 2, qu. 2, num. 13, in fine; Sporer, *loc. cit.*, num. 115, et alii passim, sic servante communi praxi.

(106. Hinc canonici tenentur recitare in choro officium defunctorum, psalmos graduales et pœnitentiales solum juxta d. constitutionem S. Pii V, et non alias. Sac. congreg. Rit. *in Suessan.* 28 Januar. 1609. Et qui prædicta non recitant, minime peccant. Ead. sac. congreg. *in Barchionen.* 20 Januar. 1690. Observanda tamen sunt novissima sequentia decreta.

(107. Proposito enim dubio in sacra congregatione Concilii: « An in Ecclesia Suessana recitandi sint psalmi graduales, pœnitentiales, et officium B. M. V. et defunctorum in diebus assignatis a rubricis Breviarii? » Ead. sac. congregat. 28 August. 1708 respondit: « Ad formam bullæ Pii V. » Sic refert eruditissimus Scarfantonus ad Ceccoperium, part. II, l. III, in animadvers. ad tit. 10, sub num. 11. Et sac. Rit. congregat. 2 Septemb. 1741 sic expresse declaravit: « Persolventes divinum officium extra chorum non tenentur ad psalmos graduales nec pœnitentiales, neque ad officium parvum B. M. V. nec defunctorum; quæ quidem officia et psalmi sunt onera tantummodo ex præcepto implenda in choro. » Sic refert eruditissimus P. Cavalieri in suis egregiis *Commentar.*, tom. II, part. II, cap. 46, decret. 4, ubi post multa ad rem doctissime observata sub num. 3, hæc expresse habet: « Hæc indubia cum sint, iisdem conciliari debet decretum, ita ut dum extra chorum dictorum officiorum nullam obligationem agnoscit, veritatem undequaque habeat relate ad Romanum clerum: secus ad reliquum qui in obligatione suæ consuetudinis perstat. Dum vero eadem officia qualificat « onera ex præcepto adimplenda in choro, » id verum erit de officio Deiparæ pro iis Ecclesiis in quibus consuetudo aderat; secus de reliquis officiis in quorum omissione, uti et officii B. V. relate ad ecclesias, quæ ejusdem consuetudinem minime habebant, nonnisi concessas deperdunt indulgentias. Dicuntur autem adhuc « onera ex præcepto implenda in choro, » quatenus rubricæ eisdem præfixæ, disertis verbis choro demandent eadem: secus extra chorum: ubi « posse dici pro temporis opportunitate, » duntaxat asserunt. » Hæc ille qui sub num. 5 subjungit quod licet plurimi insignes auctores asserant, consuetudinem in favorem officii B. Mariæ in bulla S. Pii præservatam non obligare sub peccato, tamen loquendo de tali antiqua consuetudine ante S. Pium V, vult quod peccati periculo fuerit et adhuc reperiatur obnoxia; secus autem loquendo de consuetudine introducta post S. Pium V quia censetur potius inducta ex devotione, et causa lucrandi indulgentias, quam ex animo se sub peccato obligandi, ut recte concludit ipse sub num. 4.

(108. Officium B. M. V. tenentur canonici adhuc recitare, ubi vigebat talis pia consuetudo, quia S. Pius V in dicta constitutione ipsam non abstulit, sed jussit servari, ut observat Fagnanus, in cap. 1, num. 35, *De celebratione missar.* (109. Imo officium B. M. V. debet dici in choro etiam in Dominicis, si aderat consuetudo. Sac. Rit. congregat. 1 Septemb. 1607, apud Gavant., in *Manual. episcopor.*, verb. HORÆ CANONICÆ, num. 27. (110. Et tempore paschali recitantes officium parvum B. M. V. in choro debent recitare sine addito *Alleluia*. Eadem sacr. Rit. congregat. 28 Mart. 1626. Et sic expresse Breviarii rubrica 37 *De officio parvo B. Mariæ et aliis*, num. 2, ibi: « Tempore Paschali in officio parvo B. M. quod dicitur in choro, non additur *Alleluia* antiphonis, neque versibus, neque responsoriis; » et hoc ad distinctionem horarum majorum canonicarum; quod asserendum videtur etiam de aliis precibus, extra divinum officium, ut in versiculis sanctorum, v. g. *Ora pro nobis, B. P. Francisce, Ora pro nobis, B. Antoni, Ora pro nobis, B. Didace*, etc., qui cani solent in novendiis quæ fiunt ad eorum gloriam pro aliqua gratia impetranda sicque ipsis non est addendum *Alleluia*, ut etiam pro versiculo: *Panem de cœlo*, etc., statuerat sac. Rit. congregat. *in Collen.* 5 Jul. 1698 quæ ad dub. « An in expositione et depositione SS. Sacramenti etiam causa devotionis sit addendum *Alleluia* ad versiculum *Panem de cœlo*: » respondit, *Negative.* Cui tamen versiculo peculiari ratione addendum esse *Alleluia* tempore Paschali et in tota octava SS. corporis Christi mandavit Clement. XI die 20 Januar. 1705 et confirmavit ac innovavit Clement. XII die 1 Septembr. 1730, ut patet in verb. *Eucharistia in instructione pro expositione SS. Sacramenti*, § 21.

Et non esse addendum *Alleluia* versibus precum, etiam in officio, præscribit Breviarii

Digitized by Google

rubrica 24, *De versibus*, num. 4, ibi : « Versibus prædictis tempore Paschali semper additur *Alleluia;* non autem versibus precum; » ut *ibidem* recte notat Gavantus secutus a Merati, nam in his attenditur potius ratio humilitatis et mœroris quam lætitiæ.

(111. Congregationes, religiones, sive ecclesiæ, vel nationes habentes Apostolicum indultum semel vel pluries in singulis hebdomadibus vel mensibus celebrandi officium de sanctissimo Sacramento, vel de aliquibus sanctis in diebus non impeditis aliquo festo duplici vel semiduplici, non possunt hujusmodi officia facere in diebus Quadragesimæ, Adventus, Vigiliarum et quatuor temporum, etiamsi in indulto de his diebus nulla sit facta specialis mentio. (112. Nec in diebus in quibus ponendum sit officium de festo duplici, vel semiduplici translato, ut novissime declaravit sacra Rituum congregatio, ut sequitur :

DECRETA GENERALIA

Circa Rubricas.

« Cum sacrorum Rituum congregationi demisse suoplicatum fuerit sequentia dubia declarare,

« Primum : « An cum multis congregatio- « nibus, religionibus, sive ecclesiis, vel na- « tionibus concessum sit a sancta Sede « Apostolica, ut semel vel pluries in singu- « lis hebdomadibus, vel mensibus celebren- « tur varia officia per annum, v. g. de san- « ctissimo sacramento, vel de sanctis, in « diebus non impeditis aliquo festo duplici « vel semiduplici, liceat ejusmodi officia « facere etiam in diebus sanctæ Quadrage- « simæ, Adventus, Vigilarium et quatuor « temporum, etiamsi de his diebus nulla sit « facta specialis mentio in aliquibus officio- « rum concessionibus?

«Secundum : « An dies impeditus festo « duplici, vel semiduplici pro dictis officiis « recitandis, intelligantur etiam dies, in « quibus ponendum est officium de festo « duplici, vel semiduplici translato, quem- « admodum dicitur responsum fuisse olim « a sacra congregatione; Quod scilicet festum « duplex, vel semiduplex etiam translatum, « necnon dies Octavæ, sit dies impeditus « respectu talium officiorum?

« Tertium : « An regulares absque spe- « ciali privilegio, sed sola communicatione « privilegiorum aliarum religionum, possint « addere nomen S. fundatoris in litaniis et » *Confiteor*, itemque recitare officia et mis- « sas concessas aliis religionibus? »

« Sacrorum Rituum eadem congregatio, ad relationem eminentiss. et reverendiss. domini cardinalis Colloredo respondit :

« Ad primum *negative*, et hujusmodi indulta non habere locum in feriis Adventus, Quadragesimæ, quatuor temporum, Vigiliarum, sive cum jejunio, sive absque jejunio, nec in feria secunda Rogationum, nec in alia feria, in qua secundum rubricas sit reponendum officium Dominicæ.

« Ad secundum *affirmative*.

« Ad tertium *negative* in omnibus.

« Et ita declaravit ac servari voluit. Ac insuper ut declarationes, seu decreta prædicta omnibus innotescant, typis ea imprimi mandavit, die 20 Martii 1706.

« G. card. CARPINEUS.

« Loco ✠ sigilli.

« B. INGHIRAMI, sac. congr. secret. »

(113. Habentes indultum recitandi officium de Sanctissimo sacramento, debent illud recitare, uti recitatur in die ipsa Corporis Christi. Sac. cong. Rituum in *Aquen.* 18 Junii 1689, ubi inter alia quæsita adsunt sequentia cum dictæ sacræ congregationis responsione.

« Secundo, cum regulares varii sint in assignando quolibet mense lectiones secundi et tertii nocturni pro hujusmodi officio, quæritur : « An constet de decreto « ejusdem sacræ congregationis Rituum, « quo utuntur PP. Barnabitæ, quod nimi- « rum lectiones secundi et tertii nocturni « semper recitari debeant, prout in die « solemnitatis Corporis Christi? »

« Ad secundum *affirmative*, ex decreto pro ordine Minorum de Observantia emanato die 12 Julii 1664.

« Tertio quæritur : « An quando recitatur « officium prædictum, missa dici debeat, « prout in solemnitate Corporis Christi, et « cum sequentia *Lauda Sion*, etc., vel ut « missa votiva de SS. Sacramento in fine « Missalis, et an 2 et 3 oratio dici debeant, « ut infra octavam ejusdem solemnitatis, « vel 2, *A cunctis*, et 3, ad libitum? »

« Ad tertium, missa votiva celebranda est sine *Sequentia*, et cum orationibus tempori congruentibus ex eodem decreto. Et ita censuit, et servari mandavit sac. Rituum congr. hac die 18 Junii 1689.

« A. card. CIBO.

« Loco ✠ sigilli.

« BERNARDINUS CASALIUS, S. Rit. cong. « secret. »

Unde caute legenda est expositio dicti decreti de die 12 Julii 1664, facta in rubricis *Breviarii Franciscani*, sub num. 33, nempe recitandum esse supradictum officium, ut in die, id est cum *Alleluia*, quia in die dicitur *Alleluia;* cum ex supradictis clare, et expresse constet, diversam fuisse mentem, et concessionem dictæ sacræ congregationis; tum quia, si contingat recitari dictum officium inter Septuagesimam, et feriam 4 Cinerum, non potest congruere supradicta expositio, id est cum *Alleluia*, quia dicto tempore non dicitur *Alleluia*.

(114. Ad Horas omnes, quæ recitantur in choro, debent ardere duæ saltem candelæ in altari. Sac. R. congr. 7 August. 1594, apud La Croix, lib. VI, part. II, num. 2055, decret. 31.

(115. Assignantur officia beatissimæ Virginis Mariæ in toto statu ecclesiastico ex obligatione celebranda de mandato San-

Digitized by Google

tissimi Domini Nostri Benedicti XIII, sequenti decreto.

« Sanctissimus dominus noster Benedict. XIII benigne indulsit atque concessit ut in toto ecclesiastico statu ab omnibus utriusque sexus, tam sæcularibus, quam regularibus, qui ad horas canonicas tenentur, sequentia officia B. M. V. in ejus respective festivitatibus recitari, et missæ celebrari debeant; videlicet I. die 23 Januarii desponsationis B. M. V. cum S. Joseph. II, Feria 6 post Dominicam Passionis de septem Doloribus B. M. V. III, die 16 Julii B. M. V. de Monte Carmelo. IV, Dominica secunda Novembris patrocinii B. M. Virg. V, die 10 Decembris translationis sacræ domus Lauretanæ. VI, et die 18 Decembris exspectationis partus B. V. Et ita declaravit ac servari mandavit die 23 Augusti 1725.

« F. card. Paulutius, præfectus.
« Loco ✠ sigilli.
« Nicolaus Maria Tedeschi, archiepiscop. Apamen., S. R. C. secret. »

(116. Adducuntur ad rem varia dubia proposita in sacra Rituum congregatione a capitulo cathedralis Collensis, et resoluta ut infra :

« I. An recitatio officii beatissimæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo possit (ut pluribus in locis fit) transferri in Dominicam sequentem diem decimam sextam Julii?

« II. An cathedralis Collensis, quæ per triginta circiter annos recitavit officium S. Artemiæ virginis et martyris die secunda Junii, eo quod in ea asservetur corpus, possit talem recitationem continuare?

« III. An occurente in feria tertia Rogationum festo simplici in cathedrali et collegiata, sint cantandæ duæ missæ?

« IV. An in absolutionibus in die commemorationis omnium fidelium defunctorum, sit dicenda tota conclusio in oratione.

« V. An in expositione et depositione SS. Sacramenti, etiam causa devotionis, sit addendum *Alleluia* ad versiculum *Panem de cœlo*.

« VI. An parochus duarum Ecclesiarum unitarum debeat de ambarum patrono, et titulari recitare officia juxta rubricas?

« VII. An in anniversario occurrente in festo duplici secundæ classis possit cantari missa *de Requiem*?

« VIII. An in duplicibus primæ classis, præsente corpore, possit defunctorum missa cantari? Et an dici possit una missa privata deficientibus clericis in choro?

« IX. An infra octavas privilegiatas possit cantari missa defunctorum in anniversario, et officio solemni?

« X. An in die anniversarii et depositionis possit cantari defunctorum missa loco conventualis, ut rubrica innuere videtur?

« XI. Quando in mense Novembris sunt eadem die ponenda plura initia prophetarum, an sit tantum dicenda unica lectio?

« XII. An poni possint plura tribus initiis unica die.

« XIII. An ubi sunt plura officia habentia primas lectiones proprias, possint omitti aliqua ex dictis initiis?

« XIV. An in Dominicis Adventus et Quadragesimæ, in quibus fit de duplici primæ classis, sint cantandæ duæ missæ?

« XV. An quando ab aliqua congregatione dicitur totum officium defunctorum, dici debeat, ut secunda die Novembris, omittendo psalmos post Vesperas, et Matutinum positos?

« XVI. Si anniversarium anticipetur, aut postponatur per aliquot dies, an possit dici missa, ut in anniversario?

« XVII. An occurente festo S. Marci infra octavam Paschatis, in missa Rogationum sit dicendum *Credo*?

« XVIII. An deficiente subdiacono pro missa solemni possit per superiores substitui constitutus in minoribus ad cantandam Epistolam, paratus absque manipulo?

« XIX. An sacerdos missam celebraturus, transiens ante altare, ubi fit populi communio, debeat permanere genuflexus, donec, et quousque terminetur communio?

« XX. An officium defunctorum pro secunda die Novembris, possit recitari etiam præsente episcopo, ante completorium diei festi Omnium Sanctorum?

« XXI. An in cathedrali Collensi, quæ habet privilegium recitandi officium sanctæ Crucis qualibet sexta feria non impedita, possit cantari unica missa cum commemoratione sanctæ Crucis, quando in dicta feria sexta occurrit feria, quæ habet missam propriam?

« XXII. An sit toleranda consuetudo, quod hebdomadarius aut alius canonicus post processionem in festo S. Agathæ virginis et martyris, stans ad altare majus benedicat populum, habens tantum superpelliceum et stolam, sicut in aliis processionibus, in quibus circumferuntur aliquæ reliquiæ cum alba, stola et pluviali? »

Dicta sac. Rit. congregatio *in Collen.*, die 5 Julii 1698, respondit :

« Ad I. *Negative.*

« Ad II. Doceant, an sit descripta in Martyrologio, et de ejus identitate.

« Ad III. *Negative.*

« Ad IV. *Negative.*

« Ad V. *Negative.* Hæc resolutio non est intelligenda de tempore Paschali, nec de diebus infra octavam Corporis Christi. » Merati in 2 indice *Decretorum*, n. 20, ex decreto anni 1705, 20 Januarii et Septembris 1730.

« Ad VI. Pro utroque titulari *affirmative*, maxime si Ecclesiæ sint peræque unitæ.

« Ad VII. *Negative.*

« Ad VIII. *Negative* in omnibus.

« Ad IX. *Negative.*

« Ad X. *Negative.*

« Ad XI. *Affirmative,*

« Ad XII. *Negative.*

« Ad XIII. Occurrente legitima causa, *affirmative.*

« Ad XIV. *Negative.*

« Ad XV. *Negative.* » Hæc resolutio con-

Digitized by Google

firmata fuit 23 Junii 1736, 3 Aug. 1737, et 8 Maii 1738.

« Ad XVI. *Affirmative.*

« Ad XVII. *Negative.*

« Ad XVIII. Data necessitate, posse permitti.

« Ad XIX. *Negative.*

« Ad XX. *Affirmative.* » Hæc resolutio spectat ad cathedrales Ecclesias tantum. Merati in 2 *indice Decretorum*, num. 206 et 220, ex decret. 1 Septemb. 1607, et 22 Jan. 1701.

« Ad XXI. *Negative.*

« Ad XXII. Posse permitti. »

ARTICULUS IV.

Quoad ea quæ concernunt ordinem, tempus, locum, situm, et habitum recitandi divinum officium.

SUMMARIUM.

1. In recitandis Horis canonicis servandus est ordo ex præscripto Ecclesiæ in Breviario signatus. — 2. Ordo recitandi Horas canonicas publice in choro servandus est sub mortali. — 3. Extra chorum autem, et privatim solum sub veniali, secluso contemptu, vel scandalo. — 4. Imo, interveniente aliqua causa rationabili, neque erit peccatum veniale integras Horas transponere, et dictum ordinem invertere. — 5. Assignantur tales ustæ, et rationabiles causæ. — 6. Qui absque rationabili, et justa causa incipit officium sequentis diei, nondum finito officio diei præsentis, peccat venialiter. — 7. Si autem id fit ex rationabili, et justa causa, non peccatur, nequidem venialiter. — 8. An autem sit, et quod peccatum, Matutinum et Laudes non recitare ante celebrationem missæ? *remissive.* — 9. Tempus pro absolvendo toto divino officio a Matutino ad Completorium, ex primæva institutione incipit a media nocte præcedenti, usque ad mediam noctem sequentis diei. — 10. At vero ex communi praxi, et consuetudine potest nunc licite anticipari, et recitari Matutinum cum laudibus vesperi pridie. — 11. Quanam hora vesperi pridie inchoari possit Matutinum? — 12. Per unicam recitationem Matutini et Laudum non potest satisfieri obligationi pro hac die præsenti, et pro die sequenti. — 13. Tempus statutum, et habile pro implendo toto divino officio unius diei terminat in media nocte sequenti. — 14. Tali tempore elapso, cessat obligatio officii recitandi illa die; et si nondum fuerit ei integraliter satisfactum, non potest amplius statim transacta dicta media nocte fieri. — 15. Assignatur tempus proprium pro singulis Horis persolvendis juxta suam primam institutionem. — 16. Assignatur tempus proprium, et accuratum pro singulis Horis persolvendis juxta jam receptissimam consuetudinem. — 17. Vesperæ possunt licite sine ullo peccato privatim recitari post prandium, etiam in Quadragesima. — 18. Imo congruentius est nunc, secundum multos, Vesperas privatim recitari post prandium, etiam in Quadragesima. — 19. Pro publica recitatione Horarum in choro servanda sunt tempora consueta ecclesiarum etiam sub mortali, nisi interdum adsit justa, et rationabilis causa differendi, seu anticipandi. — 20. Pro privata tamen recitatione non sunt servanda sub mortali dicta tempora, sed erit solum veniale peccatum, quamvis notabiliter anticipetur, seu posticipetur etiam sine ulla causa. — 21. Imo, aliqua justa interveniente causa, neque veniale erit non servare statuta tempora in recitatione privata. — 22. Assignantur justæ, et rationabiles causæ, ob quas potest licite anticipari, vel posticipari privata Horarum recitatio. — 23. Aliqua justa interveniente causa non recitandi statuto tempore pro privata recitatione Horarum, melius, et consultius est anticipare, quam posticipare; pro majori autem securitate regulares utuntur privilegio Apostolico concesso Fratribus Minoribus. — 24. Qui non habent, nec participant simile privilegium, nec aliquam habent justam causam Horas anticipandi, vel posticipandi, debent pro viribus quaslibet Horas etiam privatim statis temporibus recitare, et refertur ad id memorabile exemplum de quodam eremita — 25. Insuper adducitur ad id aliud terribile exemplum de B. Peregrino archiepiscopo Coloniensi. — 26. Officium divinum in cathedralibus, collegiatis et ecclesiis regularibus choro addictis recitandum est publice in ecclesia seu choro. — 27. Quosnam autem concernat obligatio recitandi in choro seu ecclesia? *remissive.* — 28. Canonici tenentur recitare officium in choro, nec ipsis potest episcopus concedere, ut officient in sacristia. — 29. Potest tamen aliquando ex causa, veluti ob frigus, seu nimium calorem, extra chorum arbitrio episcopi recitari divinum officium in diebus ferialibus: in diebus vero festivis omnino recitandum est in choro. — 30. Hinc tolerandum est, quod canonici tribus mensibus anni frigidioribus recitent diebus ferialibus Matutinum in sacristia. — 31. Privata Horarum recitatio fieri potest in omni loco honesto. — 32. Et secundum multos etiam in locis sordidis, et immundis, etiam dum venter exoneratur; quod tamen extra casum necessitatis non caret culpa veniali. — 33. In choro, et publica recitatione divini officii servandus est situs, et habitus corporis, stando, sedendo, genuflectendo, præscriptus in rubricis, et hoc sub veniali. — 34. In privata tamen recitatione potest sine ullo peccato non servari talis situs, et habitus. — 35. Canonici in choro, vel in ecclesia divinis officiis interessentes sine habitu canonicali et superpelliceo debent punctari. — 36. Qui recitat Matutinum pro feria secunda sequenti ante solis occasum diei Dominicæ, non debet genuflectere ad antiphonam finalem B. M. V. debet tamen genuflectere, si illud recitet post occasum solis. — 37. Attendenda est ad rem Pontificia decisio, quæ affertur.

(1. In recitandis Horis canonicis servandus est ordo ex præscripto Ecclesiæ in Breviario signatus, ut videlicet recitetur primo Matutinum ante alias horas; prima ante tertiam, tertia ante sextam, et hujusmodi, nec invertatur talis ordo recitando v. g. primam ante Matutinum, tertiam ante primam, sextam ante tertiam, et hujusmodi. *Communissima.* (2. Ordo recitandi horas canonicas publice in choro servandus est sub mortali; sic expresse post Marchant. Sporer, t. III, *Tract. Append. De Horis canonicis*, cap. 2, sect. 4, § ante num. 131, et alii. (3. Extra chorum autem et privatim solum sub veniali, secluso contemptu, vel scandalo. *Communis* contra Vasquez, *De beneficiis*, cap. 4, § 1, art. 1, ubi dicit peccare mortaliter, qui sæpe talem ordinem invertit; at certe, secluso contemptu, vel scandalo, etiamsi sine causa invertatur talis ordo, recitando v. g. vesperas ante primam, sextam ante tertiam, et hujusmodi, est solum peccatum veniale, quia talis ordinis inversio nec gravem continet deformitatem, nec de substantia divini offici quidquam imminuit. Sic Sporer, *loc. cit.*, num. 131, testans esse communissimam doctorum sententiam.

(4. Imo, aliqua interveniente rationabili causa, neque erit peccatum veniale integras horas transportare, et dictum ordinem in-

Digitized by Google

vertere. *Communis.* (5. Causa autem rationabilis, et justa, seu sufficiens invertendi ordinem est, si quis sero veniat ad chorum, una hora jam integre finita, seu jam incœpta; iste enim licite, et laudabiliter pergit cum aliis in choro psallere, postea horam, seu partem horæ omissam recitaturus; laudabilius enim est, statim cum choro psallere et se illi conformare, quam velle prius supplere, et interim chorum obsequio suæ vocis defraudare. Navarrus, Toletus, Sa, et alii cum Layman, lib. IV, tract. 1, cap. 5, num. 7; Sporer, *loc. cit.*, n. 132 et seq.; La Croix, lib. IV, num. 1309. Item si quis non habeat lectiones ad manum, potest interim licite recitare psalmos Matutini et Laudum, et etiam reliqua, quæ habet, lectiones postea recitaturus. *Communis* cum supra citatis. Item si quis in itinere, vel alibi, ubi non potest commode exspectare, non habeat Breviarium, sed solum diurnale, potest licite sine omni scrupulo interim recitare horas minores, postea Matutinum recitaturus. *Communis* cum supradictis. Item si quis ab amico, vel alio alicujus auctoritatis invitetur ad secum recitandas Horas minores, cum ipse nedum recitarit Matutinum, tunc, si hoc negare non possit absque sui periculo, seu aliqua nota saltem inurbanitatis, poterit licite cum ipso minores Horas recitare, postea matutinum recitaturus. *Communis* cum supracitatis.

(6. Qui absque rationabili et justa causa incipit officium sequentis diei, nondum finito officio præsentis diei, v. g. nondum dictis vesperis et completorio, recitat Matutinum diei sequentis, peccat venialiter, quia licet ex illis non fiat unum officium, nec videantur inter se habere ordinem, tamen voluntas Ecclesiæ est, ut prius persolvatur obligatio hujus diei, quam inchoetur alterius. *Communis* cum Suarez, *De oratione*, lib. V, cap. 24, num. 3; Sporer, *loc. cit.*, num. 134. Si autem id fiat ex rationabili, et justa causa, non peccatur, nequidem venialiter. *Communis* cum supracitatis et aliis. (7. Hinc, si quis timeat sibi lucem diei defuturam pro Matutino, potest ipsum licite prius recitare, nondum persolutis horis præsentis diei, quas memoriter sine indigentia lucis potest recitare, dummodo non sibi suppetat modus habendi aliud lumen; et universaliter omnis causa sufficiens ad inversionem inter horas unius diei est sufficiens etiam hic. Gobat, t. I, tract. 5, num. 666; La Croix, *loc, cit.*, num. 234, et alii passim.

(8. An autem sit, et quod peccatum, Matutinum et Laudes non recitare ante celebrationem missæ? *Vide* verb. MATUTINUM a num. 19 ad 23.

(9. Tempus pro absolvendo toto divino officio a Matutino ad completorium, ex primæva institutione incipit a media nocte præcedenti, usque ad mediam noctem sequentis diei.

(10. At vero, ex communi, et jam recepta apud omnes consuetudine, potest nunc licite anticipari, et recitari Matutinum cum Laudibus vesperi pridie; sic docente praxi communi, et tenente Communissima doctorum cum S. Thoma, *Quodlibet* 5, c. 8; ubi hujus praxis, et introductæ consuetudinis congruam hanc reddit rationem : « Quia solemnitas diei sequentis a vesperis incipit, ideo merito casus obtinuit, ut post publicum officium, vesperas et completorium a meridie ordinarie in Ecclesiis jam persolutum ante horam quartam, deinceps preces nocturnas inchoare liceat. »

* Sive, ut ejus verbis in resp. ad 1, utar: « Quantum ad contractus, et alia, hujus- « modi dies incipit a media nocte ; sed « quantum ad ecclesiasticum officium, et « solemnitatum celebritates, incipit dies a « vesperis. Unde si aliquis post dictas ves- « peras et completorium dicat Matutinas, « jam hoc pertinet ad diem sequentem. »

(11. Quanam autem hora vesperi pridie inchoari possit Matutinum, habetur in tabella, quæ singulis annis in Kalendario, seu directorio dari solet, et ubi non detur, potest observari tabella, quæ anno 1706 prodiit Romæ typis Cameræ Apostolicæ, et traditur a La Croix, lib. IV, post n. 1314.

(12. Per unicam tamen recitationem Matutini, et Laudum non potest satisfieri obligationi pro hac die præsenti, et pro die sequenti, ut clare patet ex propositione 35 inter merito damnatas ab Alexandro VII die 18 Martii 1666, ibi : « Unico officio potest quis satisfacere duplici præcepto pro die præsenti, et crastina. »

(13. Tempus statutum, et habile pro implendo toto divino officio unius diei terminat in media nocte sequenti. *Communis.* (14. Hinc, tali tempore elapso, cessat obligatio officii recitandi illa die, et si nondum fuerit ei integraliter satisfactum, non potest amplius statim, transacta die, media nocte satisfieri : quia recitatio divini officii est pensum cujuslibet diei, et ideo terminus diei est, et terminus officii legendi pro illa die, alias non legeretur totum integrum officium eadem die. *Commun.* contra Leandrum docentem sufficere inchoare officium paulo ante mediam noctem diei sequentis, et sine interruptione prosequi post mediam noctem, eo quod omnes horæ sequentes efficiant unum totum integrale cum Matutino, jam tempore habili incœpto licet transacto.

(15. Tempus proprium pro singulis horis persolvendis juxta suam primævam institutionem, est illud, quod ipsis nominibus horarum præfertur, et in suis respective hymnis indicatur, videlicet Matutinum circa mediam noctem, Laudes sub auroram, prima ad ortum solis, tertia tempore medio inter ortum solis, et meridiem, sexta in ipso meridie, nona tempore medio inter meridiem, et solis occasum, vesperæ ad solis occasum, completorium sub crepusculum nocturnum. *Communis.*

(16. Cum autem hæc originaria distributio ob humanam fragilitatem, et multiplices occupationes jam dudum abierit in desuetudinem fere apud omnes (paucis rigidioribus, et observantioribus religiosis exceptis), jam

Digitized by Google

receptissima facta est consuetudo, ut tempus proprium, et accuratum habeatur, pro Matutino et Laudibus, a pridie vesperis usque ad horam post ortum mane solem; pro prima, a tempore auroræ usque ad II; pro tertia, ab ortu solis usque fere ad meridiem; pro sexta et nona, etiam fere usque ad meridiem; pro vesperis extra Quadragesimam, a meridie usque ad occasum solis; in Quadragesima autem (exceptis tribus primis diebus et Dominicis), ante meridiem, et prandium; pro completorio, a tertia hora post meridiem usque ad mediam noctem.

(17. Vespere tamen possunt licite sine ullo peccato privatim recitari post prandium, etiam in Quadragesima, quia rubrica, et c. *Solent* 49, dist. 1, De consecratione, si quod continent præceptum, obligant solum respectu officii publice recitandi in choro. Gobat, to. I, tract. 5, n. 688; Burg., Centur. 3, cas. 83; Lohn., part. IV, § 10, num. 4; La Croix, l. IV, num. 1316, cum Gavant., Sanchez, et Stoz, ibi citatis; Sporer, *loc. cit.*, nu. 144, cum Bonartio, et Escobar, *ibi citatis;* Reiffenstuel, *Theol. moral.*, tract. 6, dist. 1, qu. 6, num. 73, et alii. (18. Imo congruentius est nunc, secundum multos, vesperas privatim recitare etiam in Quadragesima post prandium, quia ideo primus recitabantur ante prandium, seu cœnam, ne nimis diu differrentur, cum tunc solum vesperi cœnaretur. c. *Solent* 49, dist. 1, De consecr., quæ ratio nunc amplius non militat, quia pia mater Ecclesia ob corporis, et naturæ semper magis declinantis infirmitatem, refectionem illam tanquam prandium sumi indulsit in meridie, retento nomine cœnæ, statuitque, ut in Quadragesima vesperæ dicantur ante ipsam refectionem meridianam, cœnam adhuc nuncupatam ob memoriam antiquitatis, et ordinavit, ut pro benedictione mensæ dicantur preces, ut in cœna. Unde cum ad conservandam dictam memoriam antiquitatis sufficiat publica recitatio vesperarum in choro, congruum, et congruentius erit privatim recitare vesperas suo congruo tempore, scilicet a meridie usque ad occasum solis, uti recitantur extra Quadragesimam. Sic ex Bellarmin., Tamburin., in *Decalog.*, l. IV, c. 5, § 4, num. 4; La Croix, lib. IV, num. 1316, et alii, quibus etiam favent Gobat, *loc. cit.*, num. 688; Sporer, *loc. cit.*, num. 144; Bonartius et Escobar apud ipsos, et alii docentes, nullam adesse obligationem recitandi vesperas privatim ante prandium, seu cœnam in Quadragesima.

(19. Pro publica recitatione Horarum in choro servanda sunt tempora consueta Ecclesiarum, etiam sub mortali, nisi interdum adsit justa et rationabilis causa differendi, seu anticipandi. Sporer, *loc. cit.*, n. 144, et alii passim. (20. Pro privata tamen recitatione non sunt servanda sub mortali tempora statuta singulis horis. Unde quamvis notabiliter etiam sine ulla causa anticipetur, vel posticipetur talis privata recitatio, secluso scandalo, et contemptu, non est peccatum mortale, sed solum veniale; dummodo totum officium quacunque hora diei recitatum, sit absolutum ante mediam noctem sequentem. *Communis.*

(21. Imo, aliqua justa et rationabili interveniente causa, neque veniale erit non servare statuta tempora in recitatione privata. *Communis.* (22. Causæ autem justæ et rationabiles, ob quas potest licite anticipari, vel posticipari privata Horarum recitatio, sunt v. g. concio, vel lectio paranda, major commoditas studendi, major devotio, periculum impedimenti obventuri, iter obeundum et hujusmodi. Sic doctores passim cum Gobat, *loc. cit*, n. 681; Sporer, *loc. cit.*, num. 146; La Croix, *loc. cit.*, num. 1313.

(23. Recte tamen monent doctores, quod aliqua justa et rationabili interveniente causa, non recitandi privatim horas statis temporibus, melius et consultius esset anticipare, quam posticipare, seu, postponere, nam, ut inquit Hugo a S. Victore apud Sporer, *loc. cit.*, num. 146: « Ante horam orare providentiæ est, post horam, negligentiæ, in hora, obedientiæ ». Pro majori vero securitate Patres undequaque præstantissimæ Societatis Jesu fruuntur privilegio Apostolico expresso his verbis apud Gobat, *loc. cit.*, num. 681, ibi : « Ratione itineris, aut alterius occupationis, quando creditur, quod cum majori devotione dicetur divinum officium, potest illud a nostris recitari mane totum usque ad completorium; uti concessum fuisse fratribus Minoribus, refert in *Compendio privilegiorum fratrum Minorum*, verb. OFFICIUM DIVINUM *tertio*, Capuccini annotatio, litt. B., ibi : « Possunt etiam fratres Minores, qui ad Horas canonicas tenentur, sine scrupulo ratione itineris, vel alterius honestæ occupationis, quando creditur, quod tunc majori devotioni officium recitabunt, dicere Matutinum vespere ante solis occasum, vel mane totum usque ad completorium inclusive. Ita concessum est per S. Pium V Minoribus, ut refertur in *Compendio Societatis Jesu* verb. HORÆ CANONICÆ, § 2, in manuscript. privileg. Minorum; fol. 79, pag. 2. »

(24. Qui tamen non habent, nec participant simile privilegium, nec aliquam habent justam et rationabilem causam Horas anticipandi, vel posticipandi, debent pro viribus quaslibet horas, etiam privatim, statis temporibus recitare, semper præ mente habendo, quod referunt Joannes Andreas, et abbas Panormitanus, in cap. 1, *De celebratione missarum*, et ex ipsis Gobat, *loc. cit.*, sub. n. 681, ibi : « Angelus Dei sanctum quemdam eremitam cibis deficientibus alebat, et tempore uvarum ipsi quandoque marcidas portabat. Interrogatus angelus, ab eremita, quæ sit tantæ diversitatis causa? Respondit angelus, quod bonas portabat, quando dicebat officium horis competentibus: agrestes vero, quando anticipabat horam dicendi officium; marcidas, quando differebat ultra debitam horam, et hoc ideo, quia eremita non occupatur aliis exterioribus ».

(25. Insuper attentius reflectere debent, quod ex Bzovio ad annum Christi 1062, re-

Digitized by Google

fert Monacell. tom. II, tit. 16, formul. 1, num. 6, de beato Peregrino archiepiscopo Coloniensi, qui post mortem cuidam clerico illius Ecclesiæ apparens, dataque manu, tantus eam ardor absorbuit, ut undique carnes ejus resolutæ dissuerentur, et ossa nuda vix hærentibus articulis remanerent. Ad quem clericus... « Cur te pestilens vorago constringit? » Respondit... « Nil in me remanet ultione plectendum, præter hoc tantum, quia dum in aula regia constitutus, imperialibus consiliis me vehementer applicavi, canonicæ synaxis officia per distincta horarum spatia non persolvi; mane quippe omnia coacervans, simul tota die, negotiis ingruentibus sæculari libertate vacabam: ob hanc itaque negligentiam, ardoris hujus fero supplicium (hoc est in purgatorio). » Hactenus Monacell., *ubi supra*.

(26. Officium divinum in cathedralibus, collegiatis et ecclesiis regularibus choro addictis recitandum est publice in ecclesia seu choro; cap. 1, De celebration. missarum, et Clement. 1, eod. tit. (27. Quosnam autem concernat obligatio recitandi in choro seu ecclesia? *Vide supra*, art. 1, n. 41 et 42.

(28. Canonici tenentur recitare officium in choro, nec ipsis potest episcopus concedere, ut officient in sacristia. Sac. congr. Episcop. *in Segnina* 12 Januarii 1604. (29. Potest tamen aliquando ex causa, veluti ob frigus, seu nimium calorem, extra chorum arbitrio episcopi recitari divinum officium in diebus ferialibus, in diebus vero festivis omnino recitandum est in choro. Sacra Rit. cong. *in Lunen. Sarzanen.* 5 Mart. 1633. (30. Hinc tolerandum est, quod canonici tribus mensibus anni frigidioribus recitent diebus ferialibus Matutinum in sacristia. Sacra congreg. Episcop. *in una S. Severini* 13 Septembris 1641. Apud Nicolium, in *Flosculis*, verb. Officium, num. 19.

(31. Privata horarum recitatio fieri potest in omni loco honesto, juxta illud psalmi CCII: *In omni loco dominationis ejus benedic anima mea Domino. Communissima.* Imo Sanchez, in *Consil.*, lib. VII, cap. 2, dub. 44. (32. Angles apud ipsum, Trullenchus, Caramuel, et alii apud Dianam, part. XX, tract. 11, resolut. 33; Sporer, *loc. cit.*, num. 148; La Croix, lib. IV, num. 1320, et alii contra Sotum, Navarr., Bonacin., Castropal., et alios excusant a peccato etiam veniali recitantes horas privatim, etiam in locis sordidis et immundis, etiam dum ventrem (141) seu naturam exonerant, quia, dicunt ipsi, potest ibi mente orari, ergo et voce, nec de se est irreverentia; Deus enim ubique a se ipso, et angelis laudatur et oratio dirigitur ad Deum sine ullo speciali respectu ad locum. Ego autem non auderem a veniali excusare eum, qui potens Horas canonicas recitare in loco honesto, sine necessitate eas recitaret in dictis locis sordidis et immundis. Unde Tamburinus, lib. II *Decalog.*, cap. 5, § 6, num. 2, refert ex Molfesio quemdam, qui in locis immundis orabat officium, in iisdem post mortem luisse pœnas. Audi ipsum Tamburin. sic ibi loquentem: « Si locus ejusmodi sordidus sine delectu eligatur ad Horas recitandas, aliasve preces, cum potest mundior eligi, aliquam irreverentiam committi probabile est; at si semel casu, vel ex aliqua occasione in loco immundo reperiaris, orato libenter, quia etiam in loco sordido orare est melius, quam otiosum esse. Molfesius refert quemdam, qui in locis immundis orabat officium; in iisdem post mortem luisse pœnas; merito: is enim non ex amore non cessandi a Dei laudibus in quocunque loco, sed fortasse temere, et sine delectu, cum alibi facile potuisset, in locis sordidis sacrum pensum persolvebat. »

(33. In choro, et publica recitatione divini officii servandus est situs, et habitus corporis, stando, sedendo, genuflectendo præscriptus in rubricis, et hoc sub veniali, propter uniformitatem, quam non servare in publica recitatione divini officii parit aliquale scandalum. Henno, tom. I *Tract.* in *Decalog.*, disput. 1, quæst. 3, art. 6, conclus. 1; Navarr., *De oratione*, cap. 4; Suarez, *De oratione*, lib. IV, cap. 27, num. 2, et alii, quibus consentire videtur La Croix, lib. IV, num. 1321, ubi ait, quod, quando Navarrus dicit peccari venialiter, si id non observetur, loquitur de oratione publica in choro, in quo peccatur venialiter potius ratione scandali, quam cæremoniæ prætermissæ; Unde ipse cum Tolet. Filliuc. Bonacin. Bass. Reginaldo, Castropalao, et aliis *ibi citatis* vult, quod sedere, cum standum, vel genuflectendum est, per se loquendo non sit peccatum, quia rubrica solum consilium dat (142) ad majorem devotionem et reverentiam habendam.

(34. In privata Horarum canonicar. recitatione, quamvis optimum et laudabilissimum sit se uniformare laudabilibus ritibus et consuetudinibus observatis in publica recitatione chori pro diversis divini officii partibus, stando, genuflectendo, sedendo; tamen absque ullo peccato potest quilibet divinum officium persolvere, sive ambulando, prout ei libuerit. *Commun.*

(35. Canonici in choro, vel in Ecclesia divinis officiis interessentes sine habitu canonicali et superpelliceo, debent punctari. Sacra Rit. congregatio *in Lunen. Sarzan.* 3 Mart. 1663, apud Sellium in *Selectis canonic.*, cap. 3, num. 107, et Barbos. *in Summ. Apostolic. dec.*, verb. *Canonici in choro*, num. 15.

(36. Qui recitat Matutinum pro feria secunda sequenti ante solis occasum diei Dominicæ, non debet genuflectere ad antiphonam finalem B. M. V.; Gavant., *De fin.*

(141) E. R. Potuisset L. Ferraris ab hac exagitanda controversia abstinere.

(142) Non consilium, sed præceptum illa rubricarum sanctio continet; itaque peccat, qui ipsam, etiam secluso scandalo, non servat.

Digitized by Google

officii, cap. 22, num. 18; debet tamen genuflectere, si illud recitet post occasum solis, quia ritus standi incipit a primis vesperis Dominicæ, non a media nocte, adeoque desinit in occasu solis ejusdem Dominicæ more indulgentiarum. Item, *ibidem*.

(37. Attendenda est decisio controversiæ inter episcopum, et capitulum cathedralis Papiensis edita a Benedicto XIII 8 Julii 1726. Prætendente enim dicto capitulo sine petitione necessariæ licentiæ episcopi uti indulto sacræ congregationis Concilii, quamvis remisso ad arbitrium episcopi, recitandi certis anni temporibus Matutinum post completorium, et contradicente episcopo, nunc archiepiscopo, tandem dicta controversia exstincta, et decisa fuit die, et anno, quo supra, a Benedicto XIII per suum speciale breve relatum a laudato card. de Lambertinis, postea felic. recordationis Summo Pontifice, *loc. cit.*, volumine V, notificatione 19, § 4, his verbis : « Quod igitur dignitates et canonicos illos primum a beneficio ad mensem, deinde a divinis suspenderis, eo quod Matutinum officium, te contradicente, ac vetante, recitare ausi fuerint post vespertinas horas antecedentis diei, obtentu interpositæ appellationis, et rescripti venerabilium fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium sacri concilii Tridentini interpretum, laudamus consilium, zelumque fraternitatis tuæ, etc. Propterea cum ex antedicta Matutini officii recitatione ansam repugnandi arripuerint canonici, per præsentes etiam litteras declaramus, tuæ auctoritatis hactenus fuisse, semperque fore decernimus, potestatem iisdem canonicis facere, sive licentiam impertiri, quoties, et quandiu tibi opportunum videbitur, antevertendi, statutis recitationis temporibus. »

ARTICULUS V.

Quoad ea quæ concernunt causas excusantes, vel non, a recitatione divini officii.

SUMMARIUM.

1. A recitatione divini officii excusat inprimis impotentia quæcunque physica, vel moralis. — 2. Qui inculpabiliter caret Breviario, excusatur a recitanda illa parte divini officii, quam sine Breviario recitare non potest. — 3. Non excusatur tamen a recitanda illa parte, quam recitare potest ex diurnali habito, vel memoriter tenet. — 4. Sic cæcus excusatur a legenda, seu recitanda illa parte officii, quam non potest, nec memoriter scit. — 5. At vero non excusatur ab illa parte, quam memoriter tenet. — 6. Qui ob cæcitatem vel aliam causam non potest officium recitare solus, tenetur ipsum recitare cum socio gratuito, sponte se seu offerente, sive antea solitus fuerit uti socio, sive non. — 7. Si autem sit beneficiatus, tenetur eo casu non solum recitare cum socio se ultro offerente, sed insuper ipsum quærere. — 8. Imo beneficiatus, si habeat beneficium satis pingue, tenetur eo casu non solum quærere socium, sed etiam ipsum pretio conducere. — 9. Qui Breviarium voluntarie, et sponte abjecit, vel combussit, vel alias culpabiliter eo caret, tandiu remanet obnoxius peccato mortali omissionis divini officii, quandiu de culpa commissa non pœnitet, nec propositum satisfaciendi suo officio concipit. — 10. — Postquam autem pœnituit, et propositum satisfaciendi quamprimum potuerit, concepit, tunc deinceps omissio divini officii non imputatur amplius ei ad culpam, quamdiu aliud Breviarium habere non potest. — 11. Infirmitas gravis, ob quam infirmus nequit recitare divinum officium sine læsione suæ valetudinis, vel sine incommodo, vel incremento morbi, excusat a recitatione totali. — 12. Non sic autem excusat infirmitas levis. — 13. Infirmitas impediens infirmum ad recitandum v. g. solum Matutinum, non excusat ipsum a recitatione aliarum Horarum — 14. In dubio an infirmitas sit gravis, vel levis, et an infirmus, seu convalescens possit sine gravi nocumento recitare totum officium, vel partem, standum est judicio medici vel superioris, aut viri prudentis, et interdum etiam proprio. — 15. Si autem nec supradicti, nec infirmus ipse possint solvere dubium, sed adhuc illud permaneat, tunc non tenetur infirmus tale officium recitare. — 16. Regulares infirmi, valetudinarii, senes, aut alias invalidi, quando non possunt, nec sciunt se determinare, an licite possint totum vel partem officii omittere, satisfaciunt præcepto, recitando psalmos, hymnos, Pater, et Ave, aut alia sibi a suis superioribus aut confessoribus assignata. — 17. Infirmi omnes, qui ex recitatione divini officii verisimiliter credunt aliquem dolorem capitis, aut aliquam eruditatem stomachi, vel virium lassitudinem, aut etiam febrim tardius remissuram, excusantur a præcepto illud recitandi. — 18. Imo, secundum multos, tales infirmi non tenentur adhuc ad recitationem officii, quamvis bonam diei partem confabulationibus expendant, atque etiam libros recreationis causa legant. — 19. Item dum tales infirmi convalescunt, possunt ad aliquos dies differre recitationem divini officii, et aliquando incipere prius celebrare, quam recitare illud. — 20. Qui ob infirmitatem non possunt Horas recitare debito tempore, possunt autem commode sine nocumento valetudinis recitare alio tempore, ante, vel post, non excusantur a præcepto. — 21. Alii autem sentiunt contrarium. — 22. A recitatione divini officii excusat omnis superveniens repentina, et improvisa occupatio gravis, et necessaria, seu multum utilis, quæ absque scandalo, aut suo, vel aliorum gravi detrimento omitti non possit, cum qua tamen recitatio officii in toto, vel in parte consistere non potest. — 23. Item a recitatione officii excusat charitas, tum propria sui, tum etiam proximi, quando nisi officium totaliter, vel partialiter quis omittat, cogitur aliquod grave incommodum adire, vel magnum opus charitatis proximo negare. — 24. Adducuntur hinc multa ad rem ex doctissimo Sanchez. — 25. A recitatione divini officii potest excusari concionator non satis paratus, qui debeat in Quadragesima quotidie conciones habere, cum crederet non quotidie obligandus. — 26. At vero universaliter recitationem officii esse fere semper incompossibilem cum onere concionandi quotidie, ac proinde communiter excusari tales concionatores, ut scripsit Leander, merito negatur. — 27. Adducitur ad id privilegium Apostolicum pro regularibus. — 28. A recitatione divini officii excusat metus gravis. — 29. A recitatione divini officii excusat legitima dispensatio seu privilegium. — 30. Privilegium et legitimam dispensationem non recitandi officium concedere potest omnibus, etiam beneficiatis, Summus Pontifex. — 31. Episcopus per se de jure ordinario nequit talem concedere dispensationem. — 32. Potest tamen eam concedere ex consuetudine jam ubique recepta. — 33. Et hoc etiam ejus vicarius generalis. — 34. Rationabilis causa eam concedendi est, si dubitetur de moralí impotentia recitandi. — 35. Superiores regulares etiam locales dispensare possunt valide, et licite ob justam causam cum suis subditis. — 36. Assignatur disparitas inter dispensationem concessam a Papa, et dispensationem concessam ab aliis. — 37. A recitatione divini officii excusatur etiam benefi-

Digitized by Google

clarius, qui sine sua culpa privatur ad tempus notabile fructibus sui beneficii; dummodo nec sit religiosus professus, nec sacris initiatus. — 38. Impeditus recitare officium statis horis, vel temporibus, tenetur anticipare, vel postea supplere. — 39. Hinc, qui mane prævidet, se ob aliquod impedimentum sibi superventurum non posse suo tempore recitare Horas postmeridianas, tenetur anticipare, et etiam mane eas persolvere. — 40. Item, qui ob aliquod impedimentum non potuit officium recitare suis propriis horis, et temporibus, tenetur postea recitare intra eamdem diem. — 41. Qui ob aliquod impedimentum non potest recitare totum officium, potest autem partem, tenetur ad illam. — 42. Qui per se ipsum non potest ex justa causa recitare officium, non tenetur illud recitare per alium. — 43. Qui uno die sive culpabiliter, sive inculpabiliter omisit recitare officium, non tenetur alio sequenti die supplere, seu recompensare. — 44. De causis excusantibus a recitatione publica in choro, *remissive*. — 45. Recitantes in fine Horarum canon. orationem *Sacrosanctæ*, quid consequantur. *remissive*. — 46. Alia ad rem ad n. 53.

(1. A recitatione divini officii excusat in primis impotentia quæcunque physica, vel moralis. *Communis*, arg. l. *Impossibilium* 185, ff. *De regul. juris*, cap. *Nemo potest* 6, De regul. juris, in 6.

(2. Hinc, qui inculpabiliter caret Breviario, vel quia ipsum in itinere perdidit, aut ei furto sublatum est, vel incendio, seu naufragio consumptum, excusatur a recitanda illa parte divini officii, quam sine Breviario recitare non potest. *Communis*.

(3. Non excusatur tamen a recitanda illa parte, quam recitare potest ex diurnali habito, vel memoriter tenet; unde tenetur ad recitandos psalmos, et alia, quæ memoriter scit, licet ignoret, aut non habeat lectiones, et similia; quia præceptum de recitandis horis Canonicis cum sit virtualiter multiplex, est divisibile, afficitque singulas partes. Henno, tom. 1, disp. 1, qu. 3, artic. 3, concl. 2; Sporer, *loc. cit.*, num. 152; La Croix, lib. IV, num. 1220; Cardenas, ad prop. 54 *ex damnatis ab Innocent. XI*, cap. 4, n. 39; Viva, ad eamdem proposit., num. 13, et alii communius, et probabilius, arg. cit. proposit. 54, *ex damnatis ab Innoc. XI*, die 2 Martii 1679, ibi: « Qui non potest recitare Matutinum et Laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem. »

NOTA ROMANI THEOLOGI.

Si damnata ab Innocentio XI est propositio, quæ asserit, non teneri ad recitandam partem, qui totum persolvere nequeat officium, non solum communior, et probabilior, sed omnino certa est sententia, quæ ait teneri virum ecclesiasticum ad recitandam partem, quam possit, dum nequeat integrum recitare. Atque hanc adnotationem subnectendam duximus, quia, secundum Luciana, et probabilistica principia, licitum est sequi opinionem minus probabilem, ut ex art. *De conscient.* liquet; ergo liceret etiam, ea stabilita hypothesi, opinionem illam sequi, quæ a recitanda officii parte hominem absolvit, non obstante Pontificia definitione; vides ergo consecutiones, quæ ex probabilistarum principiis oriuntur.

RESPONSIO AUCTORIS.

Nequaquam ego trado ut communius, et probabilius, quod est damnatum expresse ab Innocentio XI, in propositione 54, ex damnatis ab ipsa; sed contra assero, quod sit communior, et probabilior opinio illorum, qui docent teneri ad recitationem minoris partis divini officii eum, qui non potest recitare majorem, contra eos, qui adhuc post damnatam propositionem defendunt contrarium, sustinentes, suam assertionem non contineri neque virtualiter in dicta damnata propositione; nam dicunt ipsi, ut propositio maneat virtualiter damnata ex illatione, debet illatio esse evidens: ex hac autem sententia non infertur evidenter propositio damnata, quia auctores hujus sententiæ assignant manifestum discrimen; nam præceptum officii canonici continet materiam dividuam, quæ dividitur in septem Horas canonicas; at vero præceptum, ut terminatur ad unam horam, v. g. primam, cum terminatur ad primam, præceptum illud continet materiam individuam, et cum una pars primæ minor medietate non sit absolute prima, non censetur moraliter ea minor pars; adeoque, etc. Tum quia, dicunt dicti auctores, si v. g. ex prima Dominicæ essent lacerata duo folia, non esset obligatio illam exiguam partem recitandi; sic nec etiam, si quis in Matutino feriali haberet psalmos, sed non lectiones; item nec si haberet omnes psalmos omnium horarum, non autem hymnos, capitula, antiphona, et orationes; item nec si memoriter sciret omnes psalmos, et carens Breviario, et diurno nesciret hymnos, capitula et orationes, teneretur ad recitandos illos psalmos, quia ut sic, psalmi illi non sunt Matutinum, nec integra hora, cum hæc constet psalmis, antiphonis, versiculis, lectionibus, et responsoriis, quæ videntur indivisibiliter præcipi, ita ut præceptum respiciat omnia illa per modum unius, et sine illis, non videtur esse forma, et substantia talis horæ a S. Pio V præscripta; quas rationes, et alias etiam post damnatam propositionem ab Innocentio XI non pauci auctores, ut eruditis compertum, judicant adhuc probabiles. Ego vero assero, communius, et probabilius esse contrarium arg. cit. proposit. 54, *ex damnatis ab Innocentio XI*, non autem quod communius, et probabilius sit id, quod certissime damnatum est ab illo Pontifice; ut injuria mihi, atque falso appingitur.

(4. Sic cæcus excusatur a legenda, seu recitanda illa parte officii, quam non potest, nec memoriter scit. *Communis*. (5. At vero non excusatur a recitanda illa parte, quam memoriter tenet. Sic comm. et probab. sententia, cum supracitatis.

(6. Qui ob cæcitatem, vel aliam causam non potest officium recitare solus, tenetur ipsum recitare cum socio gratuito, vel sponte

Digitized by Google

se offerente, sive antea solitus fuerit uti socio, sive non; ita (contra Sanchez, et quosdam alios docentes nequidem teneri admittere socium sese ultro offerentem, et contra Lessium, et quosdam alios asserentes non obligari, nisi antea soleret uti socio) Henno, *loc. cit.*, conclus. 2; Sporer, *loc. cit.*, num. 181, ubi testatur, sic tenere omnes alios communiter, quia talis adhuc potest facile satisfacere suo officio; adeoque tenetur.

(7. Si autem sit beneficiatus, tenetur eo casu non solum recitare cum socio se ultro offerente, sed insuper ipsum quærere, quia beneficiatus, ratione beneficii, strictius obligatur ad recitationem officii, quam alii, cum obligetur ex justitia, ut possit percipere fructus beneficii, adeoque strictius, quam alii, obligatur adhibere media congrua, uti est socium quærere pro recitando officio; Navarr., *De oratione*, cap. 11, n. 13; Henno, *loc. cit.*; Suarez, Vasquez, Azorius, Reginald. Layman, et plures alii cum Bonacin., disp. 1, *De hor. canon.*, qu. 6, prop. 1, num. 8, et Sporer, *loc. cit.*, n. 182.

(8. Imo beneficiatus, si habeat beneficium satis pingue, tenetur eo casu, non solum quærere socium, sed etiam ipsum pretio conducere pro recitando officio, quia, ex quo obligatur ex justitia ad dictum officium, propter quod fructus pingues recipit, tenetur partem ipsorum expendere in conducendo socio pro adimplendo tali debito, cum sic commode possit habere medium ad suam obligationem adimplendam, a qua non excusatur, nisi ratione magni incommodi. Suarez, Molfesius, Castropal., citati, et secuti a Sporer, *loc. cit.*, num. 183; Bonacina, *loc. cit.*, cum pluribus aliis ibi adductis; Henno, *loc. c.*, et alii contra Sanchez, Dianam, Tamburinum, et Gobat, tom. I, tract. 5, n. 713, volentes beneficiatum non obligari socium pretio conducere, eo quod hoc medium sit nimis extraordinarium. (9. Qui Breviarium voluntarie et sponte abjecit, vel combussit, vel alias culpabiliter caret, tandiu remanet obnoxius peccato mortali omissionis divini officii, quandiu de culpa commissa non pœnitet, nec propositum satisfaciendi suo officio concipit. *Communis.* (10. Postquam autem pœnituit, et propositum satisfaciendi quamprimum poterit, concepit, tunc deinceps omissio divini officii non imputatur amplius ei ad culpam, quandiu aliud Breviarium habere non potest; quia ex tunc omissio cessat esse voluntaria, tam in se, quam in sua causa; et ipsi pro tunc est impossibilis recitatio; ad impossibile autem nemo obligatur, l. *Impossibilium* 185, ff. *De regul. juris*, et cap. *Nemo potest* 6, De regul. juris, in 6. Et sic tenet communis doctorum, teste Sporer, *loc. cit.*, num. 152.

(11. Infirmitas gravis, ob quam infirmus nequit recitare divinum officium sine læsione suæ valetudinis, vel sine incommodo, vel incremento morbi, excusat a recitatione totali. *Comm.*, arg. cap. *Clericus* 2, dist. 91. (12. Non sic autem excusat infirmitas levis. *Vide* verb. Infirmus, num. 5.

(13. Infirmitas impediens infirmum ad recitandum v. g. solum matutinum, non excusat ipsum a recitatione aliarum horarum. *Vide ibid.*, num. 6.

(14. In dubio, an infirmitas sit gravis, vel levis, et an infirmus, seu convalescens possit sine gravi nocumento recitare totum officium, vel partem, standum est judicio medici, vel superioris, aut viri prudentis, et interdum etiam proprio. *Vide ibid.*, num. 7.

(15. Si autem nec supradicti, nec infirmus ipse, possint solvere dubium, sed adhuc illud permaneat, tunc non tenetur infirmus, tale officium recitare. *Vide ibid.*, num. 8 et 9 (143).

(16. Regulares infirmi, valetudinarii, se-

(143) *Nota Romani theologi.* — Scimus universim theologos tradere, piam ac tenerrimam matrem Ecclesiam nolle filios suos notabili periculo exponere, ideoque obligare nolle ad officium, vel officii partem, si timeatur recitationem notabiliter nocituram. Ne vero tam facilés sint homines ad omittendum officium, infirmitatis prætextu, afferre hic placuit S. Caroli Borromæi verba, quæ in IV Mediolanensi concilio ab ipso celebrato, reperiuntur: « Meminerit, inquit, qui officio astrictus est, si febri, morbove aliquo, vel adversa valetudine aliquando laboraret, non justam propterea excusationem habere, quamobrem illud intermittat, omittatve. » Ex quibus colligunt eruditi theologi, tandiu infirmitatem, vel febrim non censeri dispensare ab officio, quandiu non impedit, ne homo alia sua negotia gravia atque molesta tractet. Expende itaque, num dispensari ab officio licite possit, qui magnam diei partem in confabulationibus, ac librorum lectione impendere soleat? Is enim facto probat suo se non ita esse ab infirmitate oppressum, ut recitare officium nequeat sine notabili damno. Atque hinc habes etiam, quam improbabilis sit altera opinio, quam Ferraris tuetur, de convalescente, qui ita officii recitationem differre possit, ut prius valeat incipere sacrum facere, quam officium recitare. In eo enim, qui celebrare possit, non ea virium debilitas esse potest, quæ a recitando officio, præsertim dum in varias illud horas distribuat, ac in distinctis diei horis absolvat, dispensare illum possit. Sed ut hæc clarius intelligantur, placet regulas nonnullas præscribere, quas Tournely continuator exponit. Primo itaque notat, eum, qui totum non posset officium persolvere, teneri ad eam partem, quam recitare potest: hinc damnata fuit ab Innoc. XI, anno 1679, hæc propositio, num. 54: « I. Qui non potest recitare matutinum et laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur; quia major pars trahit ad se minorem. II. Eum qui non potest horas legere ipsa accessus die, regulariter teneri ad recitationem aliis diebus, quibus febri non corripitur, quia tunc cessat, aut suspenditur causa non recitandi. III. Longe tutius esse, ut qui prævidet futurum ut propter febrim, aut aliquod impedimentum, die sequenti recitare non possit, pridie recitet matutinum et laudes: qui enim ad minus aliquod stricte obligatur, eo fungi debet, cum potest, atque hanc præveniendi obligationem timoratorum omnium sensus, et usus satis ostendit. Ita auctor *Ethicæ amoris*, lib. x, cap. 27, pro se adducens Lessium, Sanchesium imo, et Dianam. IV. Eum, qui non potest solus recitare, teneri socium sibi adsciscere, si commode possit. Quin et Suarez, Bonac. aliique, quibus adstipula-

Digitized by Google

nes, aut alias invalidi, quando non possunt, nec sciunt se determinare, an licite possint totum, vel partem officii divini omittere, satisfaciunt præcepto, recitando psalmos, hymnos, *Pater* et *Ave*, aut alia sibi a suis superioribus, aut confessoribus assignata. *Vide ibid.*, num. 10.

(17. Infirmi omnes qui ex recitatione divini officii verisimiliter credunt, aliquem dolorem capitis, aut aliquam cruditatem stomachi, vel virium lassitudinem, aut etiam febrim tardius remissuram, excusantur a præcepto illud recitandi. *Vide ibid.*, num. 14.

(18. Imo secundum multos, tales infirmi non tenentur adhuc ad recitationem officii, quamvis bonam diei partem confabulationibus expendant, atque etiam libros recreationis causa legant. *Vide ibid.*, num. 15.

(19. Item dum tales infirmi convalescunt, possunt ad aliquos dies differre recitationem divini officii, et aliquando incipere prius celebrare, quam recitare illud. *Vide ibid.*, num. 16.

(20. Qui ob infirmitatem non possunt horas recitare debito tempore, possunt autem commode sine nocumento valetudinis recitare alio tempore, ante, vel post, non excusantur a præcepto. *Vide ibid.*, num. 17. (21. Alii autem sentiunt contrarium. *Vide ibid.*, num. 18.

(22. A recitatione divini officii excusat omnis superveniens repentina, et improvisa occupatio gravis, et necessaria, seu multum utilis, quæ absque scandalo, aut suo, vel aliorum gravi detrimento omitti non possit, cum qua tamen recitatio officii in toto, vel parte consistere non potest. *Communis.* (23. Item a recitatione divini officii excusat charitas, tum propria sui, tum etiam proximi, quando, nisi officium totaliter, vel partialiter quis omittat, cogitur aliquod grave incommodum adire, vel magnum opus charitatis proximo negare; tunc enim ipse potest tuta conscientia omittere de officio tantum, quantum erit necesse ad illam. *Communis.* (24. Unde ad hoc juvat hic expresse adducere ad litteram, quæ habet doctissimus Sanch., l. VII *Cons. moral.*, cap. 2, dub. 52, et etiam ad litteram adducunt Gobat, tom. I, tr. 5, n. 727, et Sporer, *loc. cit.*, n. 161, ibi : « 1. Quando supervenit aliqua occupatio, quæ non potuit præveniri, et nequit prætermitti sine scandalo, aut gravi pœna, aut aliorum jactura, et non compatitur horas recitare, excusat; ut si quis esset per totum diem occupatus in audienda confessione existentis in articulo necessitatis, vel in vitando magno scandalo, vel in componendis gravibus inimicitiis, vel rixis ad arma currentium, ita ut tantum superesset tempus ad esum, et somnum. II. Sufficiens etiam causa est ad excusandum, si quis ita esset impeditus circa infirmos, vel aliter, ut nullatenus superesset tempus ad commode recitandum. III. Boni confessarii, quando magna est pœnitentium copia, vel instat dies ultimus jubilæi, vel præcepti Ecclesiæ, possunt licite omittere horas, si non possunt recitare, nisi omittendo confessiones quorumdam, qui non consequerentur jubilæum, vel non adimplerent præceptum Ecclesiæ. IV. Excusatur etiam, vel lecturus lectionem oppositionum, in qua re plurimum interest vel sua, vel reipublicæ, doctum se præbere, si simul recitare non possit. Probantur hæ omnes conclusiones, quia non obligat magis hoc præceptum, quam præceptum audiendi sacrum; sed hoc potest omitti propter prædictas causas; item quod pro charitate institutum est, non debet contra charitatem militare. » Hactenus Sanchez probans singula variis auctoritatibus.

(25. A recitatione divini officii potest excusari concionator non satis paratus, qui debeat in Quadragesima quotidie conciones habere, cum crederet se non quotidie ad ipsas obligandum. Sporer, *loc. cit.*, num. 262, attestans hunc casum inter excusantes communiter afferri; et expresse tenet Rossignolus, *De ordinibus ecclesiasticis*, part. II, q. 6, art. 28, num. 23 et sequentibus. (26. At vero universaliter recitationem Officii esse fere semper incompossibilem cum onere concionandi quotidie, ac proinde communiter excusari tales concionatores, ut scripsit Leander, q. 37, merito negant ipse Sporer, *loc. cit.*, et Gobat, *loc. cit.*, num. 627, in fine, asserentes, nihil de hac incompossibilitate sciri in Germania, multosque alios operarios in vinea Domini per Europam et maxime per Indias esse, ac fuisse dis-

mur, existimant, beneficiatum cæcum v. gr. teneri conducere socium, quo cum recitet, si sufficientes ad hoc fructus ex beneficio percipiat; quia fructus percipit, ut officium persolvat; et per illos sibi comparare potest medium persolvendi. »

At, inquiunt, aliqui cum Caramuele, posse officium anticipare, vel officium legere cum socio, gratia est, et privilegium; nemo autem privilegio uti tenetur. Sed quis non miretur futilibus hisce cavillis eludi graviora Ecclesiæ præcepta? Anticipatio itaque, et socii usus, sunt privilegia et gratiæ, eo sensu, quod, qui aliter facere possunt, ad hæc non teneantur: non autem eo sensu quod, qui nisi anticipet, aut socio utatur, recitare non poterit, vel ab anticipatione, vel a comparando sibi socio, si commode potest, abstinere possit. Idem sentiunt Navarrus, Pontas, verb. *Offic.*, cas. 16. Cæterum, qui socium habere non potest, eam debet partem recitare, quam memoriter tenet: quia præceptum, quod ex toto non potest, saltem ex parte impleri debet. Sic, qui tota Quadragesima jejunare non valet, aliquot saltem, si potest, diebus jejunare tenetur: qui ne una quidem die jejunare potest, a carnibus abstinere debet, vel ex toto, vel ex parte, prout sinunt vires. Ex hisce principiis colligunt aliqui, canonicum surdum, et cæcum adhuc teneri choro interesse, ibique mentaliter orare, aut ea, quæ memoriter tenet, secum recitare: quia licet cum aliis canere nequeat, cum aliis choro interesse potest, et magnum ædificationis exemplum præbere. *Vide* Navarr., *De orat.*, cap. 19; auctor. *Theor. et prax.*, tom. III, q. 151, qui *ibid.* docet eum qui breviario careret, nec sciret memoriter, debere id compensare oratione vocali, aut piis meditationibus: quisque enim, inquit, tenetur facere id quod potest ut Deo secundum Ecclesiæ intentionem servitium præstet.

Digitized by Google

tentos tantis laboribus ac curis quantis illi concionatores quadragesimales, et tamen nec suo, nec aliorum judicio, fuisse exemptos a persolutione divini officii; unde justissime ab Alexandro VII die 25 Septemb. 1665 fuit inter alias damnata sequens propositio 21 in ordine: « Habens capellaniam collativam, aut quodvis aliud beneficium ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si officium per alium recitet. »

(27. In *Compendio privilegiorum Fratrum Minorum et aliorum mendicantium et non mendicantium*, verb. *Officium divinum*, tertio, Cappuccini Annotatio, litt. *D*, refert ut sequitur : « Fratres Ordinis prædicationi verbi Dei, audientiæ confessionum et sacræ theologiæ, ac sacrorum canonum studiis insistentes ad suam et animarum fidelium utilitatem et qui occupantur infirmitate propria, aut infirmorum curatione, satisfaciunt pro Horis canonicis recitantes certum numerum psalmorum per priorem eis assignandorum, numero non minus septem, aut sex, cum devotione, aut Orationem Dominicam septies et Symbolum apostolorum bis; graviter autem ægrotantes orationem Dominicam septies in die recitando, septem Horis canonicis similiter satisfaciunt. Ita concessum est a Clemente VII societati Clericorum Sancti Sylvestri et S. Andreæ de Urbe alias Theatini nuncupatorum et refertur in compendio privilegiorum Sancti Hieronymi Hispan. collecto a Patre Garzia anno 1591, fol. 108, § 70. »

(28. A recitatione divini officii excusat metus gravis, ut quando versantes inter hæreticos, vel infideles, seu per eorum loca transeuntes, ex recitatione horarum prudenter timent grave malum, seu notabile damnum in propriis, vel alienis bonis, puta jacturam vitæ, vel fortunarum. Leges enim eccles. non obligant cum tanto periculo. *Comm.*

NOTA ROMANI THEOLOGI.

Non adeo facile probantur censoribus, quæ circa finem num. 24, 26, 27 et 28 confidenter a Lucio nostro efferuntur. Neque enim sufficiens esse videtur excusandi ab officii recitatione titulus *lectio oppositionum*, dum plurimum intersit homini se doctum præbere. Cavendum enim hic est, ne susceptum, aut privatæ utilitatis causa, aut captandæ apud homines gloriolæ studium, causa sufficiens habeatur, quæ a recitationis onere homines eximat; plus enim interest hominem Ecclesiæ parere, obligationibus proprii status satisfacere, ac per ea, quæ Ecclesiæ judicio præscripta sunt, ut apta media ad debitam proprii status perfectionem procurandam, ad hanc perfectionem tendere, quam se doctum ostendere; præsertim cum ostentatio hæc, aut vana gloria sit, aut inanis gloriolæ fomentum : quæ duæ res abesse omnino debent ab homine in Dei sortem vocato, Deoque consecrato. Ad concionatores quod attinet, primum non subsistit privilegium quod num. 27 decantatur : deinde etsi a Leandro, aliisque a Ferrario citatis, ii a recitatione excusentur, quibus felix saltem memoria concessa non sit; « tamen novum hoc dispensationis genus, inquit Tournely continuator, nescierunt apostolici viri, ut Franciscus Salesius et Franciscus Xaverius, qui nunquam uti voluit licentia sibi per Romanum Pontificem facta recitandi Breviarium solito brevius; nesciunt etiam hodie, qui Deum timent. Ex eo autem quod concionatorum quidam tardioris sint memoriæ, id unum sequitur eos ocius et diutius studium amplecti debere. » Affertur tamen casus, in quo possit aliquis studium officio præponere, puta si cras concionem habere debeas in die admodum solemni, eamque sine notabili cum tui infamia, tum affluentis populi murmure et scandalo omittere non possis et ipsam ob gravia, quibus obrutus es, negotia memoriæ mandare non potueris, nec mandaturus sis, si officium recites. Et is quidem casus satis est metaphysicus, cum vix concipi possit, quo pacto parum illud temporis, quod ad privatam officii lectionem sufficit, ita concionis studio sit necessarium, ut alioqui concio memoriæ committi nequeat. Numer. 28, dum excusantur ob metum gravem inter hæreticos degentes, addendum est : modo occulte, vel memoriter nequeant recitare. Nam ita recitando cessat periculum; ex quo metus ille ortus statuitur.

A recitatione divini officii excusat legitima dispensatio, seu privilegium. *Communis.*

(30. Privilegium et legitimam dispensationem non recitandi officium concedere potest omnibus, etiam beneficiatis Summus Pontifex. Gobat, t. I, tract. 5, num. 729; Sporer, *loc. cit.*, num. 166; La Croix, lib. v, n. 1233, et communis aliorum, arg. cap. *Proposuit* 4, De concessione præbendæ.

(31. Episcopus, quamvis per se jure ordinario nequeat talem concedere dispensationem, cum inferior nequeat per se loquendo relaxare legem superioris, c. *Inferior* 4, dist. 1, cap. *Cum inferior* 16, De majorit. et obedient., et Clement. *Ne Romani*, De election., (32. tamen, ex consuetudine jam ubique recepta, potest episcopus ob rationabilem causam valide et licite suis subditis dictam dispensationem ad breve tempus concedere. Tamburin., lib. II *Decalog.*, cap. 5, § 8, num. 24; Sporer, *loc. cit.*, num. 167; La Croix, *loc. cit.*; Gobat, *loc. cit.*, et alii passim.

(33. Quam licentiam concedere posse etiam vicarium episcopi tenent Gobat, *loc. cit.*, n. 714 et 729; La Croix, *loc. cit.*, et alii. (34. Rationabilis autem et justa causa est, si dubitetur de morali impotentia recitandi. *Id.*, *l. c.*, et alii passim.

(35. Superiores regulares, etiam locales, dispensare possunt valide et licite ob justam et rationabilem causam cum suis subditis. *Communis.* Sic enim habent ex variis Apostolicis privilegiis, ut patet in *Compendio privilegiorum Fratrum Minorum*, verb. *Officium divinum*, primo, num. 10, et verb. *Infirmi fratres*, n. 6, 8 et seq., et dictum

Digitized by Google

est *supra* num. 16 et 17, et habetur etiam in *Compendiis privilegiorum aliarum religionum.*

NOTA ROMANI THEOLOGI.

Falsum est, ex consuetudine ubique recepta, episcopos ab officio persolvendo dispensare homines solere; ac multo magis falsum est, posse id vicarios generales, vel regularium superiores; satis enim nota nobis res est, pro hujusmodi dispensationibus ad solum Romanum Pontificem recurrendum esse, ac recurri solere; Romanum vero Pontificem episcopi informationem exposcere, vel aliorum superiorum, ut petitioni indulgeat. Nec Romani et Itali tantum theologi ita sentiunt, sed etiam inter Gallos doctiores. Audiatur Cont. Tournely, qui laudat etiam Pontasium: « Episcopi, inquit, ab officii recitatione dispensare non possunt; quia inferior in lege superioris non dispensat, nisi de ejusdem consensu : porro Ecclesia, Romanusve Pontifex, nullibi leguntur hujusce dispensationis facultatem episcopis concessisse. »

RESPONSIO AUCTORIS.

« Falsum, hic pronuntiat R. Theologus, ex consuetudine ubique recepta, episcopos ab officio persolvendo dispensare homines solere; ac multo magis falsum, posse id vicarios generales, vel regularium superiores. » Et tamen ultra citatos a me auctores, id asserit etiam eruditissimus P. Antoine, *Tract. de virt. religion.*, cap. 1, n. 4, ubi hoc habet: « Aliqui docent, ex usu ubique recepto episcopos et superiores ordinum posse dispensare cum suis subditis ad breve tempus, in dubio de morali impotentia recitandi; » quibus ipse assentitur subdens: « Et hoc videtur necessarium ad tollendas perplexitates et impediendum grave nocumentum. » At tanto auctori theologus noster satis superque fidit; ipsiusque theologiam moralem, prout jacet cum dicta conclusione, tanquam suam jam bis Romæ typis tradidit.

(36. Disparitas autem est inter dispensationem concessam a Papa, et dispensationem concessam ab aliis, quod dispensatio concessa a Papa sine causa, sit valida, licet illicita (144); dispensatio autem concessa ab aliis sine causa, nec sit valida, nec licita; Henno, tom. I, tract. 1 in *Decalog.*, disput. 1, quæst. 3, art. 10, concl. 1, et alii communiter.

(37. A recitatione officii excusatur etiam beneficiarius, qui sine sua culpa privatur ad tempus notabile fructibus sui beneficii; dummodo nec sit Religiosus Professus, nec Sacris initiatus; arg. cap. *Quia* 15, De rescriptis, in 6. Cum enim ibi dicatur, quod propter officium datur beneficium, sequitur, quod, cessantibus sine culpa beneficiarii fructibus beneficii, non teneatur beneficiarius ad officium, cum, cessante causa, cesset effectus; cap. *Cum cessante* 60, De appellation. Tum quia, si justum est, ut ille, qui altari inservit, de altare vivat, ex cap. *Cum secundum Apostolum* 16, De præbendis; ita etiam justum est, ut qui de altari non potest vivere, altari non teneatur inservire; Henno, *loc. cit.*, conclus. 5, et alii passim.

(38. Impeditus recitare officium statis horis, vel temporibus tenetur anticipare, vel postea supplere, quia præceptum de officio persolvendo non urget solum suis correspondentibus horis, sed incipit a media nocte antecedenti, seu ex consuetudine a vesperis pridie et substantialiter durat tota die, usque ad mediam noctem sequentem, ut dictum est *supra* num. 9 et 10. Est enim unum præceptum totius diei, et accidentaliter tantum propter mysteria repræsentata, una hora obligat pro hac parte diei, et alia, pro alia parte, utique non ad finiendam, sed potius ad augendam obligationem, cum, transacta illa hora, adhuc perseveret substantialis obligatio pro tota die usque ad mediam noctem sequentem. *Communis.*

(39. Hinc, qui mane prævidet, se ob aliquod impedimentum sibi perventurum non posse suo tempore recitare horas pomeridianas, tenetur anticipare et etiam mane eas persolvere; sic jam communior, et sine dubio probabilior et tutior sententia doctorum cum Sporer, *loc. cit.*, num. 171; Bonacina, *De Horis canonic.*, quæst. 6, propos. 2, num. 2, et alii plurimi apud ipsum Gobat, *loc. cit.*, num. 711. Less., Sanchez, Tamburin., Diana, Suarez et Azorius, et alii apud Sporer, *loc. cit.* (40. Item, qui ob aliquod impedimentum non potuit officium recitare suis propriis horis, et temporibus, tenetur postea recitare intra eamdem diem; si enim, v. g. non potuit recitare ante meridiem matutinum et laudes, ac horas minores, tenetur postea recitare, quacunque hora potuerit ante mediam noctem. *Communis.*

(41. Qui ob aliquod impedimentum non potest recitare totum officium, potest autem partem, tenetur ad illam. *Communis*, argum. cit., propos. 54, *ex damnatis ab Innocentio XI*, adducta *supra*, num. 3. *Vide* ibi.

(42. Qui per seipsum non potest ex justa causa recitare officium divinum, non tenetur illud recitare per alium. *Communis.* Nullo enim jure constat talis obligatio recitandi per alium; tum quia obligatio recitandi officium est personalis, cui proinde per alium satisfieri nequit. Unde jure merito Alexand. VII damnavit inter alias proposit. 21, adductam *supra*, num. 26.

(43. Qui uno die, sive culpabiliter, sive inculpabiliter omisit recitare officium, non tenetur alio sequenti die supplere, seu recompensare. *Communis.* Cum enim onus recitandi officium qualibet die sit suæ culpæ diei alligatum, transeunte illa die, transit, et cessat etiam obligatio recitandi officium

(144) Cum Summus Pontifex nolle sine causa dispensare sit præsumendus; hinc dispensatio a recitatione officii ab ipso sine causa obtenta, censenda est subreptitia; et per consequens nedum illicita, verum etiam invalida.

Digitized by Google

illius diei, nec potest eidem altera die satisfieri.

(44. De causis excusantibus a recitatione publica in choro. *Vide* verb. CANONICUS, art. 5, a num. 33 ad 40, et verb. DISTRIBUTIONES, per tot., ubi abunde assignatur, quibus absentibus a choro debeantur, vel non, distributiones.

(45. Recitantes in fine Horarum canonicarum orationem *Sacrosanctæ*, etc., consequuntur remissionem culparum in recitatione commissarum, ex concessione Leonis X. *Vide* verb. INDULGENTIA, art. 6, num. 11.

(46. Officii divini recitatio imposita est presbyteris, diaconis et subdiaconis expressa lege Ecclesiæ occidentalis. Benedict. XIV, tom. I, constit. 129, incip. *Eo quamvis tempore*, § 43. (47. Similis consuetudo obtinet in Ecclesia orientali, eamque legis vim habere decretum est. Idem, *ibid.*, § 44.

(48. Officiorum divinorum ratio immutari non debet, ubi celebratio dierum festorum transfertur tantummodo pro commoditate populi. Idem, constitut. 138, incip. *Nuper*, § 3. (49. Officia divina in primitiva Ecclesia de nocte celebrari consueverunt. Idem, constit. 187, incip. *Singularem*, § 6. (50. Sed ea disciplina deinde fuit utiliter immutata. Idem, *ibid.* (51. Officia hebdomadæ majoris de die sunt celebranda. Idem, *ibid.*, § 1. (52. Officia propria sanctorum non conceduntur, nisi præcesserit saltem approbatio cultus. Item, si non habeantur gesta authentica. Idem, tom. II, constit. 29, incip. *Jampridem*.

(53. In officii divini recitatione pro aliqua morali difficultate dispensanda, commutare potest major pœnitentiarius. Idem, tom. I, const. 95, incip. *Pastor bonus*, § 30.

OFFICIUM DEFUNCTORUM.

SUMMARIUM.

1. Officium defunctorum non prima, sed secunda die Novembris celebrandum est, juxta consuetudinem universalis Ecclesiæ. — 2. Occurrente festo duplici minori, etiam translato, in die commemorationis omnium fidelium defunctorum, officium faciendum est de sancto, missæ vero celebrandæ sunt *de Requiem*. — 3. Idem dicendum est de die defunctorum ordinis minorum, et consequenter etiam aliorum ordinum. — 4. Officium, seu matutinum defunctorum die commemorationis omnium fidelium defunctorum non est recitandum vesperi pridie, sed mane ejusdem diei : vide tamen novissimum decretum. — 5. Officium defunctorum et missa potest cantari in die Dominico vel festivo, præsente cadavere, secus si jam sit sepultum. — 6. Non potest autem officium et missa cantari etiam præsente cadavere in solemnitatibus primæ classis, nempe Nativitatis D. N. J. C. Epiphaniæ, triduo ante, et biduo post Pascha, Ascension., Pentecostes cum duobus sequentibus diebus, Corporis Christi, etc. Et in die S. Paschæ prohibentur etiam exequiæ, et quodcunque signum defunctionis : vide tamen novissimum decretum. — 7. Anniversaria, et missæ *de Requiem* relicta ex dispositione testatorum (non autem ad placitum vivorum) cantari possunt, etiamsi occurrant in duplici majori.— 8. Officium et missa defunctorem cantari potest cum primum habita fuerit certa notitia de obitu alicujus religiosi ordinis, vel provinciæ, etiam in duplici majori ; secus vero in festo de præcepto. — 9. Officium anniversarium vel septenarium, vel tricenarium defunctorum post obitum, si cadat in die Dominico vel festivo, transfertur ad diem sequentem cum eadem solemnitate. — 10. Officium defunctorum ad consequendas indulgentias in constitutione S. Pii V concessas, debet recitari prima die cujuslibet mensis non impedita. — 11. Ad officium defunctorum non tenentur etiam in choro illi, qui utuntur Breviario Romano. — 12. Tenentur autem ad ipsum in die commemorationis omnium fidelium defunctorum. — 13. Non utentes Breviario Romano tenentur recitare officium defunctorum secundum suas consuetudines et peculiares constitutiones. — 14. Patres ordinis Prædicatorum tenentur sub mortali semel in hebdomada recitare officium defunctorum vel in choro, vel privatim. — 15. Ad dictum officium an teneantur sub mortali etiam moniales ejusdem ordinis. — 16. Alia ad rem ad n. 34.

(1. Officium defunctorum, non prima, sed secunda die Novembris celebrandum est, juxta consuetudinem universalis Ecclesiæ. Sacra Rit. congregat. *in Egitanien.* 23 Maii 1603, in respons. ad dubium 3.

(2. Occurrente festo duplici minori, etiam translato, in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum, officium faciendum est de sancto, missæ vero celebrandæ sunt *de Requiem*. Sacra Rit. congregat. 5 Octobris 1686. Officium enim defunctorum ea die etiam sub ritu duplici celebratur. (3. Sub eodemque ritu celebrabitur pariter officium generalissimum præscriptum in particularibus rubricis nostri *Breviarii Franciscani*, sub n. 9, pro defunctis fratribus, sororibus, patribus et matribus, ac benefactoribus, et illis omnibus, qui in nostris ecclesiis, seu cœmeteriis sunt sepulti ; pro quo insimul non erit dies impedita ea, in qua occurrat duplex minus etiam translatum, quia missæ pari ratione dici poterunt de Requiem, ob commemorationem amplissimam, quæ ibi adest sancita. Sic rubric. particul. nostri *Franciscani Breviarii*, n. 32. Sac. Rit. congregat. 5 Maii 1736. *Vide* decreta sac. congr. Rit. in fine huj. tom.

(4. Officium, seu matutinum defunctorum in festo Omnium Sanctorum post vesperas recitandum non est, sed ipsamet die Commemorationis omnium fidelium defunctorum mane recitari debet. Sac. Rit. congregat. sub die 1 Septembris 1607 et 22 Januar. 1701. At eadem sac. Rit. congregatio, sub die 4 Septembris 1745, declaravit privatam officii defunctorum recitationem pro generali eorum commemoratione absolvi licite posse post vesperas festi Omnium Sanctorum ; in choro autem juxta rubricas adimplendam esse mane die 2 Novembris, nisi, ut populi commodius, et frequentius illis

Digitized by Google

interesse possint, contraria jam faceret consuetudo. Decretum videsis inter decreta sac. Rit. congregationis n. 1201, in fine huj. tomi.

(5. Officium defunctorum et missa potest cantari in die Dominico vel festivo pro defunctis, quorum corpora sunt adhuc supra terram; secus, si jam sunt sepulta. Sac. Rit. congregat. *in Egitanien.* 23 Maii 1603, in respons. ad dub. 4, et sæpe alibi.

(6. Non potest autem officium et missa cantari, etiam præsente cadavere, in solemnitatibus primæ classis, nempe Nativitatis D. N. J. C., Epiphaniæ, triduo ante, et biduo post Pascha, Ascensionis, Pentecostes cum duobus sequentibus diebus, Corporis Christi, etc. Et in die S. Paschæ prohibentur etiam exsequiæ, et quodcunque signum defunctionis, ex decreto sac. congregationis Rituum 23 Augusti 1704 et 1714.

(7. Anniversaria, et missæ de Requiem relicta ex dispositione testatorum (non autem ad placitum vivorum) cantari possunt, etiamsi occurrant in duplici majori. Sac. Rit. congregat. 22 Novembr. 1664. (8. Officium et missa defunctorum cantari potest, cum primum habita fuerit certa notitia de obitu alicujus religiosi ordinis, vel provinciæ, etiam in duplici majori; secus vero in festo de præcepto, quia tunc differri debet ad aliam diem simili festo non impeditam. Sac. Rit. congregat. 4 Maii 1686. *Vide* rubr. particul. *Breviarii Franciscani*, n. 47.

(9. Officium anniversarium, vel septenarium, seu tricenarium defunctorum post obitum, si cadat in die Dominico, vel festivo, transfertur ad diem sequentem cum eadem solemnitate. Sacra Rituum congreg. *in Egitanien.* 23 Maii 1603, in respons. ad dub. 5.

(10. Officium defunctorum, ad consequendas indulgentias in constitutione S. Pii V concessas, debet recitari prima die cujuslibet mensis non impedita festo novem lectionum. Sac. Rituum congregatio *in Egitanien.* 6 Septembris 1606.

(11. Ad officium defunctorum non tenentur, etiam in choro, illi, qui utuntur Breviario Romano; talem enim obligationem ab eis abstulit S. Pius V et eis concessit indulgent. 100 dierum, si illud recitent; sic in sua constitutione incip. *Quod a Nobis*, cujus summarium habes *supra*, verb. OFFICIUM DIVINUM, art. 1, n. 10. (12. Tenentur autem ad ipsum officium defunctorum die Commemorationis omnium fidelium defunctorum, quia pro tali die est pars officii, adeoque cadit sub præcepto etiam privatim. *Communis.*

(13. Non utentes Breviario Romano, cum S. Pius V in dicta constitutione ipsos reliquerit propriis consuetudinibus et constitutionibus, tenentur solum officium defunctorum recitare ad præscriptum earum. (14. Unde in ordine Prædicatorum, dist. 1, *De officio Eccles.*, cap. 1, fol. 14, col. 3, in fine, adest præceptum recitandi officium defunctorum in choro semel in hebdomada, quo fit, ut omnes religiosi clerici teneantur illud sub mortali semel in septimana publice in choro recitare, vel privatim, si fuerint impediti choro interesse; sic expresse habet doctissimus P. Donatus ejusdem præstantissimæ religionis dignissimus filius, *Prax. rerum regular.*, tom. IV, tract. 18, part. XLV, n. 2. Ad dictum autem defunctorum officium non teneri sub mortali moniales ejusdem præclarissimi ordinis, ad longum, pluribus adductis, probat Felix Potestas, tom. I, part. II, a n. 469 ad 487.

(15. Addenda sunt sequentia decreta tradita, et scite commentata ab eruditissimo Cavalieri in agenda defunctorum.

(16. Officium defunctorum pro secunda die Novembris potest, etiam præsente episcopo, ante completorium diei festi Omnium Sanctorum recitari, Sacr. Rit. congreg. 5 Julii 1698, *in Collen.*

(17. Matutinum dici commemorationis omnium fidelium defunctorum non potest recitari in choro in die festivitatis Omnium Sanctorum post completorium, sed servandæ sunt rubricæ. Sac. Rit. cong. 22 Januar. 1701, *in una Camald. Montis Coronæ.*

(18. Vesperæ defunctorum pro prima die mensis dicuntur post vesperas, etiam Dominicæ vel festi de præcepto, si accidat. Sac. Rit. congregat. 24 Maii, *in Egitanien.*

(19. Officium defunctorum non potest dici in semiduplicibus et officiis novem lectionum, nisi ad effectum duntaxat satisfaciendi menti testatorum. Sac. Rit. congreg. 12 Julii 1628, *in Januensi.*

(28. Officium defunctorum dici potest in choro separatim ab officio diei in diebus exceptis a Breviario, pro adimplenda testatorum voluntate. Sac. Rit. congreg. 12 Augusti 1682, *in Tridentina.*

(21. Duplicatio antiphonarum præter diem commemorationis omnium fidelium defunctorum; et diem depositionis defuncti, fiat in diebus 3, 7, 30 et anniversario. Sac. Rit. congreg. 8 Mart. 1738.

(22. Quando ab aliqua congregatione dicitur totum officium defunctorum, non debet illud dici ut secunda die Novembris, omittendo psalmos post vesperas et matutinum positos in officio defunctorum. Sac. Rit. congreg. 1 Julii 1698, *in Collen.*

(23. In officio defunctorum in vesperis et laudibus dicendi semper sunt psalmi appositi *De profundis*, et *Lauda, anima mea, Dominum*, et post vesperas, et laudes omittantur iidem psalmi tantum in die commemorationis omnium fidelium defunctorum, et in die depositionis defuncti. Sac. Rit. congregr. 23 Junii 1736, *in Einsilden.*

(24. Psalmi *Lauda, anima mea, Dominum*, et *De profundis* omittantur in precibus post officium in die commemorationis omnium fidelium defunctorum, et in die obitus, seu depositionis defuncti duntaxat, cæteris autem diebus semper, et omnino dicantur. Sac. Rit. congreg. 3 Augusti 1737, *in Nolana.*

(25. Hujusmodi decreta *in Nolana* et *in Einsilden.* confirmata fuerunt a sac. Rit.

Digitized by Google

congreg. die 8 Martii 1738 et in una Eremitarum. ord. Camaldul. teste P. Merati, tom. II, sect. 9, cap. 2, num. 5, in fine, et in indice decretor., num. 339. *Vide* decreta sacræ congregat. in fine huj. tomi.

• (26. Commemoratio omnium fidelium defunctorum non est celebranda, nec facienda in die Dominico, sed transferri debet in feriam secundam sequentem. Sac. Rit. congreg. 24 Septemb. 1605, *in Augustan.*

(27. In commemoratione omnium fidelium defunctorum potest fieri officium de festo duplici minori, sed missæ sunt celebrandæ *de Requiem.* Sac. Rit. congregat. 5 Octob. 1686, *in una Urbis.*

(28. Occurrente duplici minori, seu translato in die commemorationis defunctorum, officium faciendum est de sancto, missæ vero celebrandæ sunt *de Requiem.* Sacra Rit. congreg. 19 Junii 1700, *in Curien.*

(29. In die commemorationis omnium defunctorum in ecclesiis cathedralibus vel collegiatis, ubi quotannis occurrit dies octava dedicationis ecclesiæ, missæ privatæ dicendæ sunt *de Requiem*, et cantandæ sunt duæ missæ conventuales, una scilicet de die octava post tertiam, et altera *de Requiem* post nonam juxta rubricas. Quando vero dies octavæ incidit in Dominicam, omnes missæ celebrandæ sunt de die octavæ, et commemoratio omnium fidelium defunctorum transferatur in diem sequentem. Sac. Rit. congreg. 17 Septemb. 1696, *in una S. Germani Montis Cassini.*

(30. Jam in omnibus congregationibus ordinis Benedictini post festum Omnium Sanctorum 14 Novembris celebratur solemnis commemoratio omnium defunctorum confratrum dicti ordinis; quid si illa die 14 Novembris alicubi adsit festum duplex translatum aut occurrens: « eritne ejusmodi duplex ulterius transferendum: vel duplex celebrandum, et tamen peragendum cum officio defunctorum, et dicendæ omnes missæ pro defunctis confratribus præter unam de festo; vel eritne officium alia die dicendum. Et tunc non amplius in celebrando convenient monasteria nostri ordinis. » Sacra vero Rituum congregatio die 1 Maii 1736 respondit: « Commemoratio omnium defunctorum non est transferenda, sed si die illa occurrat festum duplex minus, seu translatum, fiat officium de festo duplici cum missa solemni post tertiam; officium vero defunctorum recitandum erit post laudes, et omnes missæ privatæ dicentur pro defunctis in paramentis nigris. »

(31. Quando anniversarium, seu officium solemne pro animabus omnium defunctorum confratrum alicujus congregationis fit in festo ritus duplicis minoris, potest cantari missa *de Requiem;* secus, si occurrat in festo altioris ritus; sacra Rit. cong. 8 Martii 1738.

(32. In absolutione in die commemorationis omnium fidelium defunctorum non est dicenda tota conclusio in oratione. Sac. Rit. congregat. 5 Julii 1698, *in Collen.*

(33. Ubi ex dispositione testatorum singulis diebus canendum est in ecclesia responsorium pro defunctis, potest quotidie decantari, exceptis festis 1 et 2 classis, et octavis privilegiatis, necnon tota hebdomada majori; in prædictis autem festis 1 et 2 classis, et octavis privilegiatis, ac majori hebdomada, ne pia testatorum voluntas defraudetur, responsorium prædictum recitetur privatim in choro, absolutis horis canonicis. Sac. Rit. congr. 8 Julii 1741.

(34. Alia ad rem, *vide* verb. MATUTINUM, num. 14, et in fine hujus tomi decreta sac. Rit. congregationis.

OMEN.

Vid. verb. SUPERSTITIO, *num.* 30.

ONYROMANTIA.

Vid. ibid., num. 25.

OPINIO.

Vid. verb. CONSCIENTIA, *a num.* 68 *ad num.* 114.

OPINIO PROBABILIS.

SUMMARIUM.

1. De opinione probabili v. *Leges prudentiæ episcopalis a Josepho Maria Maraviglia episcopo Novariensi*, etc., ad num. 3. — 4. Circa licitum usum opinionis probabilis adest dissertatio D. Alphonsi de Ligorio, cui titulus: *De usu moderato opinionis probabilis*, inserta in opere theolog. ejusdem cl. scriptoris. — 5. Adducuntur ad rem tria decreta edita tenoris ut infra ad n. 7. — 8. Reliqua ad n. 14. — 15. Subnect. *Addit. Cassinenses* ad n. 35.

(1. An opinio recentiorum, cæteris paribus faciat majorem probabilitatem, quam antiquorum opinio; (2. an minus communis opinio, dummodo sit probabilis, possit episcopis legem prudenter, et rationabiliter agendi constituere; (3. et an unius opinio, dummodo sit optima ratione munita, possit communiori præferri. *Vide Leges prudentiæ episcopalis a Josepho Maria Maraviglia episcopo Novariensi indictas, atque Innocentio XI dicatas*, leg. 167, 312, 304.

(4. Circa usum licitum opinionis probabilis illustrissimus ac reverendissimus D. D. Alphonsus de Ligorio, episcopus S. Agathæ, peculiarem dissertationem lectu dignissimam *De usu moderato opinionis probabilis*, lib. I suæ *Theologiæ moralis*, tract. 1, num. 144 et seqq., inseruit. Alia deinde

Digitized by Google

sub eodem titulo, nec minoris pretii dissertatio simul cum responsione Apologetica « circa usum opinionis æque probabilis » ab eodem auctore vulgata, exstat in fine opusculi Venetiis editi ann. 1754, quod inscribitur : *Confessore diretto per le confessioni della gente di campagna.*

(5. Verum superioribus annis circa usum opinionis probabilis tria edita sunt decreta : primum ab episcopo Tridentino ; alterum a sacros. Rom. et universal. Inquisitionis congregatione ; utrumque occasione quarumdam thesium, quas publicæ, licet in ædibus parochialibus, concertationi quidam theologus exposuerat Avisii in Tridentina diœcesi. Tertium denique a capitulo generali Mantuano totius ordinis FF. Minorum sess. XV, habita die 6 Junii 1762. Ut votis aliquorum fieret satis, visum est præfata decreta hic adducere. Sunt autem tenoris ut sequitur :

(6. DECRETUM I.

« Franciscus Felix, Dei gratia episcopus, et S. R. I. princeps Tridenti, marchio Castellarii, sacris Cæsareis regiis majestatibus a consiliis secretis, ex comitibus de Albertis de Henno, etc.

« Perillustribus, nobilibus, admodum reverendis et veneralibus respective parochis et curatis nostræ Tridentinæ diœcesis salutem in Domino sempiternam.

« Dolenti equidem animo percepimus, proxime elapso mense Junio, in loco Avisii Tridentinæ hujusce nostræ diœceseos quosdam articulos, quos infra notabimus, manuscriptos ad disceptandum privatim domi fuisse propositos, ac discussos, ubi nullæ sunt scholæ; quod quidem tunc dissimulandum duximus, minime nescii, privatam ejusmodi exercitationem probro, dedecorique cessisse auctori, qui ab oppugnatoribus in arctum ita adductus est, ut causa illum palam cecidisse adstantes omnes facile intellexerint. Cum vero novissime harum thesium exemplar extra hanc diœcesim typis editum in manus nostras pervenerit, muneris nostri ratio flagitat, ut confestim gliscenti malo obviam eamus, ne populus nostræ curæ concreditus nimia opinandi licentia a recta salutis semita deducatur. Noveritis itaque, a nobis articulos, quos infra subjiciemus, acervatim sumptos omnino rejici, improbarique, prout harum litterarum tenore rejicimus, atque improbamus, prohibentes, ne, sub pœnis canonicis, ac aliis arbitrio nostro, iidem articuli acervatim sumpti in disceptationem, usumque deducantur. Officii porro vestri partes in eo esse debent, ut populum cum ex sacro suggestu, tum in pœnitentiæ tribunali dexterrime eo inducatis, ut ea sequatur dogmata, quibus tum ratio solidior, tum gravior auctoritas suffragatur, quod dum a vobis sancte observandum confidimus, episcopalem vobis benedictionem impertimur.

« Datum Tridenti, ex arce nostræ residentiæ hac die tertia Januarii 1761.

« Franciscus Felix, episcopus.

« Ad mandatum celsissimi et reverendissimi D. D. proprium presb. Joseph Antonius Bertinalli cancellarius. »

Hic recitantur theses damnatæ, quæ legi poterunt in sequenti decreto :

(7. DECRETUM II.

« S. Rom. et univers. Inquisitionis confirmatum a SS. D. N. Clemente Papa XIII quo prohibentur theses circa probabilismum expositæ publicæ disputationi anno 1760 Avisii in diœcesi Tridentina.

Feria V, die 26 *Februarii* 1761.

« Per suas litteras ad congregationem S. Romanæ, et universalis Inquisitionis, labente superiori anno datas, dolenter nimium conquestus est Antonius Ceschi Tridentinæ Ecclesiæ canonicus decanus, theses quasdam de probabilismo a parocho Avisiensi diœcesis Tridentinæ in ædibus canonicalibus jampridem propugnatas, postmodum, sine nota loci, et auctoris, obscuro prelo fuisse cusas, et vulgatas non sine religionis detrimento, et bonorum offensione, præsertim ecclesiasticorum, quorum pars suo est regimini, et vigilantiæ concredita. Postulante itaque eodem decano congruum adhiberi remedium ingruenti malo, ne latius serpat, theologicæ censuræ de more subjectæ fuerunt prædictæ theses unico contentæ folio impresso, cujus tenor ita se habet :

(8. PROBABILISMUS.

« Publicæ disputationi ven. clero Avi-
« siensi exercitii gratia expositus contra
« probabiliorismum stricte talem, utpote
« negotium perambulans in tenebris.

« Pro die 10 Junii 1760, in ædibus cano-
« nicalibus Avisii.

« Utinam observaremus mandata Domini
« certa. Quid nobis tanta sollicitudo de du-
« biis? Celeberrimus Pat. Constant. Ronca-
« glia, lib. II, cap. 3.

I.

« Probabilismus noster versatur circa hæc
« tria !

« Licet sequi probabiliorem pro libertate,
« relicta minus probabili pro lege.

« Licet sequi æque probabilem pro liber-
« tate, relicta æque probabili pro lege.

« Licet sequi minus probabilem pro li-
« bertate, relicta probabiliori pro lege.

« Ex iis deducuntur sequentia paradoxa.

II.

« Usus Probabilismi maxime tutus. Usus
« Probabiliorismi maxime periculosus.

III.

« Usus genuini Probabilismi minime in
« laxitatem degenerare potest.

« Usus Probabiliorismi stricte talis in ri-
« gorismum excurrere debet.

IV.

« Probabilioristas qua tales, qui ex con-
« silio probabiliora sequuntur, laudabilis-
« sime operari affirmamus

Digitized by Google

V.

« Probabilioristis stricte talibus, qui ex « præcepto, quod nunquam clare probant, « seipsos, et alios ad probabiliora impel- « lunt, merito rigoristarum nomen impo- « nimus.

VI.

« Qui nullatenus ad Christianam perfe- « ctionem tendere possunt, nisi sequendo « probabilissima.

VII.

« Abusus Probabiliorismi stricte talis non « solum licentiæ frenum, sed licentiæ cal- « car est; quod Gallorum testimonio com- « probamus.

VIII.

« Genuinus itaque noster Probabilismus, « qui nec morum corruptelam inducit, nec « a S. Sede unquam male fuit notatus, ori- « gine sua Thomisticus, progressu ætatis « Jesuiticus, utpote a quo arctatus, emen- « datus, et contra Jansenianos furores pro- « pugnatus fuit.

IX.

« Qui ergo habitat in adjutorio fundatis- « simi Probabilismi, sub protectione pluri- « morum ex omnibus orbis Christiani na- « tionibus præstantissimorum theologorum « commorabitur securus.

X.

Ex Historia critica.

« Hinc sine ulla laxismi nota Benignismum « etiam vocamus; sed legitimum, quem sua- « dent utraque lex Cæsarea et Pontificia; « sed Dominicanum, quem illustris Domi- « nicanorum ordo jam a primis temporibus « est amplexus; sed pium qui Christianam « pietatem fovet; sed Thomisticum, quem « S. Thomas in amoribus habuit, qui du- « centas, et plures opiniones libertati faven- « tes in suis sententiarum libris docet; sed « Christianum, qui Christo Domino summe « familiaris fuit.

O. A. M. D. et V. G.

« Pro coronide. Probabilismus noster stans « pro libertate, est notabilior ipso Probabi- « liorismo stante pro lege.

« Cum vero theses hujusmodi, notæque « theologicæ expensæ fuerint in congrega- « tione generali habita in palatio Apostolico « Quirinali coram sanctissimo domino no- « stro Clemente Papa XIII. Sanctitas sua, « auditis eminentissimorum dominorum S. « R. E. cardinalium in tota republica Chri- « stiana contra hæreticam pravitatem gene- « ralium inquisitorum a S. Sede Apostolica « specialiter deputatorum suffragiis, folium « prædictum, et theses in illo expositas pro- « hibendas, ac damnandas esse censuit, « prout præsenti decreto damnat et prohibet « tanquam continentia propositiones, qua- « rum aliquæ sunt respective falsæ, temera- « riæ, et piarum offensivæ. Illam vero ex- « cerptam a numero 10 nempe *Probabili- « smum, qui Christo Domino summe familiaris « fuit*, proscribendam ut erroneam, et hæ- « resi proximam. Præfatum itaque folium, « sive theses ut supra exscriptas sic damna- « tas et prohibitas sanctissimus dominus « noster vetat ne quis cujusque status, et « conditionis ullo modo sub quocunque « prætextu, quovis idiomate imprimere, « ac imprimi facere, vel transcribere, aut « jam impressum, sive impressas apud se « retinere, et legere, sive publice propu- « gnare audeat, sed illud, vel illas ordina- « riis locorum, vel hæreticæ privatis inqui- « sitoribus tradere, et consignare teneatur, « sub pœnis in indice librorum prohibito- « rum contentis.

« Benedictus Veterani, assessor. »

(9. Hinc auctor quidam pseudonymus in- fert, et demonstrare conatur « omnem om- nino usum opinionis probabilis » esse ma- nifeste prohibitum. Sed laudatus episcopus de Ligorio acriter ab auctore illo impetitus, modeste contrarium defendit apologiamque conscripsit, ex qua paragraphum quartum, utpote qui ad omnimodam, rectamque in- telligentiam decretorum allatorum valde conducit, operæ pretium est quo ad præci- pua ejus capita hic transcribere.

(10. « Così appunto (loquitur DD. de Li- gorio) ritrovo scritto il decreto (nempe S. R. Inquisitionis congr.) presso il Libro del P. Lettore (scilicet adversarii pseudonymi). Quindi egli prende a dirmi così « Che vi « sembra, Monsignore, di un decreto della « S. Congr. approvato, e confermato dal « vicario di Gesù Cristo? » Seguita poi a dire, che nel decreto è condannata espres- samente, almeno come « falsa e temeraria » la propos. da me difesa, cioè, « che licet « sequi opin. æque probabilem pro libertate, « relicta æque probabili pro lege. » Dice, che ora non posso io più allegare ignoranza, doppo ch' egli mi ha posto il decreto sotto gli occhi. Dice, che queste tesi, o proposi- zioni sono state dannate nel modo stesso, come furono dannate le proposizioni con- tenute ne'decreti di Alessandro VII e d'In- nocenzo XI fatti anche dalla S. inquisizione di Roma. Dice finalmente, che sopra delle altre tesi è compresa nelle censure la prima, in cui si contiene intieramente il sistema probabilistico, che nel decreto fu massima- mente preso di mira. « Laonde (conclude) « contenendo essa la medesima vostra sen- « tenza, questa pure per necessità dovrà « dirsi condannata; e voi non più potete « difenderla, ma anzi tenuto siete a ritrat- « tarla qual figlio ubbidiente a' decreti della « Chiesa.... » Si Signore, io mi professo, e vanto d' esser figlio ubbidiente alla S. Chiesa Cattolica Romana, e son pronto, non solo a ritrattarmi d' ogni mio sentimento, ma an- che a dar la vita per ubbidire ai decreti della Chiesa. E già mi sarei ritrattato della mia sentenza sin dal tempo, che uscì fuori, e mi capitò in mano il mentovato foglio del parroco di Trento insieme col decreto della Sagra Inquisizione, se fosse vero, che con

Digitized by Google

tal decreto fosse stato condannato ogni uso del probabile. Ma non posso, nè son tenuto a ritrattarmi per quel che scrive il P. Lettore. Si osservi, che il foglio contiene più cose distinte, contiene diverse tesi, e contiene diverse proposizioni, o sieno membri, o parti delle tesi. Or quando si sparse il foglio, e le tesi condannate nel decreto così in confuso, e come si dice *in globo*, due erano le difficoltà, che si facevano sovra d' una tal condanna. La prima era, se fossero condannate singolarmente, non solo tutte le tesi del foglio, ma anche tutte le parti, o sieno proposizioni delle tesi. Ma in quante a ciò si vide comunemente da' dotti, così probabilisti, come antiprobabilisti, che, quantunque si avesse per vero, che fossero state condannate tutte le tesi, certamente però non erano condannate tutte le proposizioni contenute in esse tesi, ma quelle sole proposizioni, che in se meritavano censura. Ed è chiaro, che affatto differisce (contra quel che suppone l' avversario) la condanna di queste tesi dalle condanne fatte di proposizioni da Alessandro VII e da Innocenzio XI poichè quelle proposizioni furono condannate ciascuna in singolare, e divisamente l'una dall'altra. Ecco il decreto d'Alessandro VII come parla: « Sanctissimus decrevit « prædictas propositiones, et UNAMQUAMQUE « ip-arum, ut minimum tanquam scandalo- « sas esse damnandas, sicut eas damnat ac « prohibet, ita ut quicunque illas aut CON- « JUNCTIM, AUT DIVISIM docuerit, et defende- « rit, publice, aut privatim, incidet, etc. » E dipoi si dice : « Insuper districte prohibet « omnibus, ne prædictas opiniones, aut ALI- « QUAM ipsarum ad praxim deducant, etc. » Lo stesso dicasi nel decreto d' Innocenzo XI. « Sanctissimus D. N. decrevit sequentes « propositiones, et UNAMQUAMQUE ipsarum, « sicut jacent, ut minimum tanquam scan- « dalosas esse damnandas, etc. » Ed indi : « Quicunque.... illas, vel illarum aliquam « CONJUNCTIM, AUT DIVISIM defenderit, etc. » Ed in fine : « Insuper prohibet omnibus, ne « prædictas propositiones, aut ALIQUAM ip- « sarum ad praxim deducant, etc. » E così anche sta nella condanna delle 31 proposizioni fatta da Alessandro VIII.

« Ma nel decreto riferito dal P. Lettore dicesi così : « Sanctitas sua (Clemens Papa « XIII), auditis, etc. Folium prædictum, et « theses in illo expositas, præsenti decreto « damnat, et prohibet, *tanquam continentia « propositiones, quarum aliquæ sunt respe- « ctive falsæ, temerariæ, et piarum aurium « offensivæ ; illam vero excerptam a num.* 10, « etc. » Sicchè non è dannato il foglio, e le tesi in quanto a tutte le loro parti, e proposizioni in quelle contenute, ma è dannato il foglio, e le tesi, *contenenti proposizioni, delle quali alcune sono*, etc. Non tutte dunque son condannate le proposizioni delle tesi, ma solamente quelle, che sono false, o temerarie ec. E che sia così, non si dice ivi. *Prohibet, ut quicunque illas, aut conjunctim, aut divisim docuerit, et defenderit*, etc., come sta ne' decreti di Alessandro VIII e d'Innocenzo XI ma si dice : *Præfatum itaque folium, sive theses, ut supra excriptas* sic *damnatas, et prohibitas SS. dominus N. vetat, ne quis imprimere, retinere, et legere, etc. audeat.* La parola sic dinota, che le tesi non erano intieramentè dannate in se, ma *come contenenti proposizioni, delle quali alcune*, etc. Dunque solo è proibito il difendere quelle tesi *conjunctim*, cioè in quanto a tutte le loro parti, o sieno proposizioni in esse tesi contenute, ma non già *divisim* in quanto a quelle proposizioni delle tesi, che non meritavano censura; altrimenti si sarebbe detto *conjunctim aut divisim*, come si era detto ne' decreti de' Pontefici mentovati di sopre. Ed in fatti così appunto furono queste tesi condannate dal vescovo di Trento nel suo decreto, ove si disse : *Noveritis ita a Nobis articulos, quos infra subjiciemus*, ACERVATIM *sumptos omnino rejici, prout rejicimus, prohibentes, ne iidem articuli*, ACERVATIM *sumpti, in disceptationem, usuque deducantur.* E certamente dee credersi, che la S. Congregazione abbia fatta la sua condanna uniforme a quella del vescovo di Trento, secondo la di lui richiesta.

« Non è dunque, come pensa il P. Lettore, che ogni minima parte del foglio, e delle tesi sia dannata; ond'egli giunge a metter fra le proposizioni dannate anche quel passo del P. Roncaglia, citato dall'autore del foglio, non già come tesi, o come parte di qualche tesi, ma solo per incidenza, e per introduzione alle sue tesi : *Utinam observaremus mandata Dei certa! Quid nobis tanta sollicitudo de dubiis?* Ma è dannato solamente il foglio, e le tesi, in quanto contengono proposizioni degne di censura. E parlando della prima tesi, non è già dannata la prima proposizione, o sia prima parte di quella, che dice esser lecito seguire la più probabile, lasciata la meno probabile per la legge; altrimenti sarebbe condannata anche la sentenza, che può dirsi essere stata comune tra gli Probabilioristi più antichi, di Gonet, di Silvestro, di Wigandt, di Cuniliati, e d'altri. Diciamo inoltre, che neppure vien condannata la seconda parte, che sia lecito servirsi dell' opinione egualmente probabile per la libertà, secondo la nostra sentenza. Solamente restava in dubbio, se fosse condannata almeno la terza parte, o sia membro di quella prima tesi, dove si dice esser lecito seguire anche la meno probabile, e meno tuta; e perchè la proposizione è generale, sì che comprende anche l'opinione certamente meno probabile, perciò dubitavasi ch' ella fosse stata condannata. E così anche dubitavasi, che fosse condannata l'ultima tesi, che dice : *Probabilismus noster stans pro libertate; est notabiliter probabilior ipso Probabiliorismo stante pro lege.* Questa tesi (dico) anche dubitavasi essere stata condannata, per ragion che, avendo l' autore della tesi dichiarato, che il suo Probabiliorismo concedeva esser

Digitized by Google

lecito seguire indistintamente la meno probabile, con quest' ultima sua proposizione veniva a difendere, che il sistema, il quale vuole esser lecito seguire qualunque opinione meno probabile, sia notabilmente più probabile del sistema, che vuole doversi seguire la più probabile per la legge.

« Posto ciò, restava dunque comunemente appurato, che sebbene fossero condannate tutte le tesi, non erano però condannate tutte le proposizioni, o sieno parti delle medesime. Restava solamente a sciogliersi il dubio, se, essendo condannato così *in globo*, ed in confuso il foglio, e le tesi, fossero condannate tutte le tesi in particolare, o solamente alcune di esse; poichè si considerava che nel decreto non dicevasi, *omnes theses* : e le parole *quarum aliquæ*, potea dubitarsi, se riferivansi alle tesi, o pure alle proposizioni contenute nelle tesi. Tanto più che alcuna tesi affatto non merita censura; e tanto più che, come si è detto di sopra, il Vescovo di Trento avea detto nel suo decreto : *Articulos, quos infra subjiciemus, improbamus, prohibentes ne iidem articuli acervatim sumpti in disceptationem usumque deducantur.* Ma sia come si voglia, questo dubbio è stato già dichiarato appresso dalla stessa sagra Inquisizione di Roma, poichè, essendo stata inserita la condanna del detto foglio nell' indice de libri proibiti per ordine della stessa S. congregazione, non si è detto (come si vede scritto nell' appendice nuovamente aggiunta all' indice) che si condannavano, *folium, et theses in illo expositæ;* ma si è detto semplicemente : *Plagula undecim thesium, cui titulus : Probabilismus disputationi*, etc. Sicchè al presente ha dichiarato la S. C. esser solamente condannata la detta *Plagula*, cioè la carta, o sia foglio delle undici tesi, e per conseguenza quelle solo tesi, che meritano censura, ma non tutte le tesi. Ed in fatti, avendone io scritto ultimanente per chiarirmi del tutto a due consultori (145) del S. Officio di Roma, cioè al reverendissimo P. M. Fra Tommaso Agostino Ricchini M. del Sagro Palazzo, ed al reverendiss. P. Fra Pio Tommaso Schiara segretario della S. C. dell' Indice, Soggetti di quella dottrina, ed intelligenza, che il mondo sà, mi han cortesemente risposto, e tolto di dubbio, e ne conservo le lettere. Il P. Maestro Ricchini mi risponde così :

(11. « Per ubbidire a' venerati comandi di « V. S. Illustriss. brevemente rispondo al « dubbio proposto, che la condanna, e proi« bizione fatta dal S. Officio cade sopra il « foglio intero delle proposizioni, non sovra « cadauna di esse in singolare, in quella « guisa che, quando vien proibito un libro « contenente proposizioni qualificabili di « proibizione, la proibizione cade bensì in « tutto ib libro, ma non sovra tutte le propo« sizioni in esso contenute. E perciò si è « posta così la proibizione nell' ultima ap« pendice dell' Indice, che le rimetto qui ac« chiusa com' ella potra osservare alla lettera « *P*, verbo *Plagula*. Da sciò ne siegue, che la « prima proposizione non è altrimenti con« dannata; nè potea riprovarsi senza adot« tare il Tuziorismo, e condannare il comune « de' theologi, che la sostengono. Ciò credo, « che basterà a V. S. Illustrissima per ac« quietare la sua, ed altrui coscienza; è potrà « fare di questa mia notizia quell' uso, che « stimerà più convenevole. Desidero altri « motivi di mostrare la mia venerazione, etc. « Quì il Reverendiss. P. maestro fa sola« mente menzione della prima proposizione, « perchè di quella fu da me specialmente « interrogato, cioè se mai dalla S. C. era « stata condannata anche la prima proposi« zione, che ametteva l' uso dell' opinione « più probabile; ancorchè fosse stata pro« babile l' opinione, che stava per la legge.

« La lettera del Reverendiss. P. Schiara « è più lunga, e più expressiva. Egli mi « scrive così :

(12. « Per meglio ubbidire ai comandi di « V. S. Illustriss, e più pienemente render la « informata intorno alla dimanda fattami, le « mando copia del foglio contenente le tesi « pubblicato in Trento appresso alla sua con« danna dal fu Mons. de Albertis vescovo di « quella città, et dipoi proibito dal Papa « nella congregrazione del S. Officio a 26 di « Febbrajo 1781. Monsignor de Albertis, « come vedrà dal suo decreto proibì gli ar« ticoli *acervatim sumptos* : ed il Papa pro« ibì il foglio, *tanquam continens propo« sitiones, quarum aliquæ sunt respective « falsæ, temerariæ*, etc. Perciò nell' interdice « de libri proibiti non si è posto, se non il « titolo del foglio. Veda l' ultima appendice « stampata in Gennajo dell'anno scorso 1763 « alla parola *Plagula*, dove sta inserito il « foglio ne suoi precisi termini così. Pro« babilismus disputationi vaner. clero Avi« siensi exercitii gratia exhibitus contra « probabiliorismum stricte talem, utpote « negocium perambulans in tenebris pro « die 10 Junii 1760 in ædibus canonicali« bus Avisii. Dal solo titolo del foglio con« dannato ognuno facilmente conosce non « essersi fatta condanna contro il probabi« lismo, e per conseguenza non essere stata « condannata la proposizione : *Licet sequi « probabiliorem pro libertate, relicta mi« nus probabili pro lege*, la quale è sentenza « comune de' probabilioristi moderati. Ben è « vero, che sebbene la condanna non favo« risca il probabilismo, non però può dirsi « da essa proibito il probabilismo, nè dell' « æque probabile, ne tampoco della meno « probabile favorevole alla libertà. E questo « è qui sentimento comune, e certo. Nè credo, « che quì i probalisti lascino perciò di se« guitare il loro sistema. Questo et quanto « posso, e debbo dire in riposta, etc. »

(145) Qui est a secretis sacræ congregationis Indicis, consultor congregationis Sancti Officii non est.

Digitized by Google

« Questi due reverendissimi Padri, essendo già consultori del S. Officio, e bene intesi della mente della congregazione, e del Papa, credo, che presso d' ognuno meritino tutta la fede.

« Di più io per meglio assicurarmi della verità, ne ho scritto ancora all' eminentissimo signor cardinal Galli, pregandolo instantemente a farne parola col nostro regnante Pontefice Clemente XIII per intendere la verità di questo punto propriamente dalla sua bocca; especialmente io volea sapere ; se era condannata la prima tesi dei foglio, in cui si contenea l'uso del probabile; e scrissi che Sua Santità, come dottore universale della Chiesa, trattandosi della condanna d'una dottrina sì controversa, e di tanta conseguenza, non potea negare la dichiarazione necessaria ad un vescovo, che la chiedeva. E l'eminentissimo signor cardinal Penitenziere mi ha risposto in breve sì, ma in poche parole con molta saviezza ha compresa tutta la sostanza del punto, e l'ha posto in luce con termini così propri, et chiari, che in questo genere meglio non potea desiderarsi. Ecco come mi scrive:

(13. « Più che a me, è noto alla profonda « dottrina di V. S. illustrissima e revendis- « sima, che nelle condanne, o prohibizioni « de' libri non s'intendono mai condannate « tutte le proposizioni, che in essi si conten- « gono; essendovene molte delle verissime « anche in Luthero, Calvino, ec. Ma perchè « altre ve ne s' incontrano cattive, e perni- « ciose, perciò colla condanna, o proibi- « zione avvisa la Chiesa i suoi figli, che deb- « bano astenersi dalla lettura de' medesimi, « acciò insieme col vero non s' imbevano « cora del falso. Posso assicurare V. S. il- « lustrissima e reverendiss. che nella con- « danna dell' accenato foglio, di cui mi « scrive, non si è inteso di condannare veru- « na delle proposizioni, che si controvertono « nelle scuolle cattoliche, e da molti cattoli- « camente si difendono; ma si è avuto il « motivo di proibirlo, per quelle proposi- « zioni, ch'ella medesima riconosce merite- « voli di censura. Ed in tanto offerendo- « mi, ec. »

« Posto tutto ciò, spero, che il P. Lettore ora mi conceda di potermi chiamare vero figlio della Chiesa, senza ritrattarmi a riguardo della mentovata condanna Pontificia, con tanta pompa, ed asseveranza da esso bandita, e publicata, come cosa indubitabile. Nel che ammiro poi lo spirito di questo buon religioso in mettersi ad ammonire con tanto calore in vescovo ad essere ubbidiente a' decreti della Chiesa, doppo che la Chiesa l' ha posto nel numero de vescovi, voglio dire nel numero di coloro, che son destinati ad esser giudici della dottrina. » Sic laudatus episcopus de Ligorio suam, atque Probabilismi causam probe defendens.

Hucusque porro de duobus decretis, Tridentino et Romano, deque exortis hinc inde eorum occasione controversiis: modo tandem tertium, quod sub initio num. 5, innuimus decretum, proferamus.

(14. DECRETUM III,

In capitulo generali Mantuano totius ordinis F. F. Minorum sess. XV *habita die* 6 *Junii* 1762 *promulgatum.*

« Cupiens generale capitulum ea scandala ab ordine removere, quæ ex nimia opinandi licentia, in doctrinis præcipue ad mores pertinentibus oriri, et suscitari possent; renovat, et confirmat eas omnes constitutiones, quæ in aliis præcedentibus generalibus capitulis de doctrinis in nostris scholis, et a nostratibus seligendis decreta sunt. Et ad hunc effectum mandat et præcipit sacræ theologiæ lectoribus, aliisque omnibus, quatenus doctrinas tutiores, et probabiliores semper doceant, et amplectantur. »

Hoc autem decretum, datis ad suos subditos encyclicis litteris, evulgarunt, et illius observantiam, quanta pollebant auctoritate, præceperunt revendissimus P. Petrus Joannetius de Molina generalis totius ordinis F. F. Minorum S. Francisci, iterato minister, die 4 Octob. 1762, Romæ ex Ara Cœli, necnon reverendissimus P. Pasqualis a Varisio commissarius generalis Cismontanus, ex Ara Cœli Romæ ad mensem Martium proxime superioris anni 1763.

Porro quanti faciendum sit hujusmodi decretum, vel inde licet arguere, quod a gravissimis Patribus longe amplissimi ordinis manarit, sitque oppido consentaneum aliis antiquioribus ejusdem ordinis constitutionibus, neque ullus illi ausus fuerit contraire, sed plenum, ut asserunt, deinceps in Franciscanorum scholis effectum habuerit; acta quoque prædicti capituli a Summo regnante Pontifice ultimum obtinuere roboris firmamentum. * Cætera, quæ de opinione probabili habet auctor noster P. Ferraris, *vide* verb. CONSCIENTIA, a num. 68 ad 114, in tomo secundo.

ADDITIONES CASSINENSES.

De opinione probabili, deque doctrina, ac laudibus S. Alphonsi de Ligorio.

Præstat hic de opinione probabili, et de probabilismo sequentia tradere. Opinio probabilis, D. de Ligorio docente, est, quæ gravi fundamento nititur, vel intrinseco rationis, vel extrinseco auctoritatis, quæ valet ad se trahere assensum viri prudentis, etsi cum formidine oppositi. *Theol. moral.*, l. 1, c. 3 (146).

(146) Opinio quælibet considerata in seipsa, et in sua probabilitate propria, duplici modo potest esse, et dici probabilis, nempe ab intrinseco, quando nititur argumentis desumptis ab ipsa rei natura, et ab extrinseco, quando nititur argumentis desumptis ab auctoritate, nempe a numero simul et pondere doctorum, qui opinionem defendunt.

Rursus opinio in se probabilis potest esse talis, vel *apparenter* tantummodo et *leviter;* vel *vere*, et *satis graviter*, prout nempe vel fundamento inniti-

Digitized by Google

Porro opinio probabilis *comparate ad opinionem aliam* potest esse : 1. *Minus probabilis, æque probabilis, probabilior, probabilissima, et moraliter certa.* — 2. *Minus communis, communior, et communissima.* — 3. *Minus tuta, tuta et tutior.*

(17. Primo, erit opinio *minus probabilis*, si nitatur levioribus rationum momentis, quam opinio opposita : (18. *æque probabilis*, si momentis æqualibus sit suffulta : (19. *probabilior*, si in sui favorem argumenta graviora habeat : *probabilissima* demum, si argumentis gravissimis nitatur, ita ut opposita censeatur dubie probabilis. Profecto in errore versantur, qui opinionem probabilissimam sumunt pro opinione *moraliter certa* : quippe postrema hæc prudentem errandi formidinem excludit. Quinimo *opinio moraliter certa* improprie nomine *opinionis* donatur ; hoc enim ipso, quo omnem errandi formidinem excludit, e finibus *opinionis* stricte talis egreditur, evaditque *scientia*. Cum ex opposito opinio *probabilissima*, etsi inter probabiles primum locum obtineat, fines tamen probabilitatis minime excedit, ac proinde omnem omnino errandi formidinem non excludit.

(20. Secundo, erit opinio communis, si multos ; communior, si multo plures ; minus communis, si pauciores ; denique communissima, si omnes moraliter pro se habeat auctores.

(21. Tertio, erit opinio *minus tuta*, quæ minus removet a dicto periculo peccandi ; *tuta*, quæ removet a dicto periculo ; *tutior*, quæ magis removet, etsi rationibus firmioribus haud innitatur. Hujusmodi opinio *tutior* dicitur *favere legi atque præcepto* ; quippe in dato casu tenet, exstare legem, aut præceptum, quo aliquid jubeatur, aut vetetur. *Minus tuta* vero dicitur *favere libertati hominis*, quia in casu ipso negat exstare legem, aut præceptum, sed tenet hominem libere posse pro suo arbitrio tunc agere. Et licet admittat, eumdem perfectius agere, si juxta illud præceptum, aut prohibitionem se gerat, perinde ac si revera exstaret, docet tamen minime ab eo peccari, si contra agat, utitur enim libertate propria.

(22. Quibus præmissis, hæc tria, quantum ad doctrinam morum spectat, possunt in conflictu duarum opinionum contingere : 1. ut una sit minus tuta, et minus probabilis, altera vero tutior et probabilior ; 2. ut una sit minus tuta, sed magis probabilis, altera tutior, sed minus probabilis ; 3. ut ambæ sint æque probabiles, sed una minus tuta, et favens *hominis libertati*, altera magis tuta et favens *legi*. De his breviter disserendum.

(23. Ad 1. Quæritur : « Utrum fas sit opinionem sequi minus tutam et minus probabilem, in concursu tutioris et simul etiam certe probabilioris ? » Affirmat. quidem plures XVI sæc. docuerunt, qui *probabilistæ* vulgo dicti sunt. (24. Primus hujusmodi doctrinæ patronus fuisse fertur P. Medina, Or-

tur apparenti et levi, adeo ut non valeat assensum viri prudentis ad se trahere, vel ex adverso suffulta est fundamento solido, et satis gravi, nimirum intrinseco rationis, vel extrinseco auctoritatis, ita ut bene valeat assensum prudentum sibi comparare.

Ut autem opinio censeri possit *vere*, et *satis graviter* probabilis, requiritur.

« I. Ut nihil certi adsit contra illam neque ex Scripturis, neque ex conciliis, neque ex definitionibus Summorum Pontificum, neque ex *ratione theologica*, ut vocant : quippe si in contrarium quid hujusmodi adesset, probabilitas quæ tunc jactaretur, poterit quidem aliquo modo apparere talis, sed in se nunquam talis revera erit, cum veritas nequeat esse contradictoria.

« II. Ut opinio contra omnia argumenta, quæ ei opponi possunt, talem adhuc in se vim retineat, ut viri prudentis assensum valeat sibi comparare. Hoc autem facile deduci poterit ex qualitate auctorum, qui eam tuentur, si gravitate, doctrina, experientia, ingenio, pietate, aliisque dotibus præstant insigniter. »

Jam vero nusquam licitus est in re morali opinionis illius usus, quam in scholis appellant *leviter*, et *tenuiter probabilem*, cum non valeat hujusmodi opinio viri prudentis assensum ad se pertrahere. Unde jure merito Innocentius XI, damnavit sequentem proposit. 3 in ordine : « Generatim dum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus. »

Quantum autem ad probabilitatem extrinsecam attinet, utique tenendum, hanc constituere opinionem vere, et satis graviter probabilem ; adest enim certa præsumptio, quod doctores, cum opinionem aliq. tradiderunt, bene, penitusq. perspexerint rei veritatem in se ; neq. illam tradere voluerint, nisi rationibus satis validis, et momentosis innixi. Unde *Prov.* XXII : *Inclina aurem tuam*, et *audi verba sapient.*

Hinc S. Pœnitentiaria interrogata an. 1831, an esset inquirendus confessarius, qui in pœnitentiæ tribunali sequitur doctrinam S. Alphonsi, non perpendens momenta et rationes, quibus nituntur variæ ipsius opiniones, sed ob solam tanti nominis auctoritatem, respondit *negative*. Quod responsum a Greg. XVI, fuit confirmatum.

Quod si quæras, an auctor unus, et solus sufficiat, ut aliqua opinio dicatur vere, et satis graviter probabilis probabilitate extrinseca : « Respond. cum distinctione : vel enim agitur de auctore quocunque et cujuscunque notæ ; vel de auctore gravi, magni in Ecclesia nominis, et omni exceptione majoris, uti essent v. g. SS. Thomas, Bonaventura, Antoninus, aliique. »

Si I. Non sufficit auctor ille, ut ejus opinio habeat gravem probabilitatem externam : quippe cum ab Alexandro VII, damnata sit sequens propositio, in ordine 27 : « Si liber sit alicujus junioris et moderni (quæ verba ex viva intelligi debent de auctore quocunque, et humilis cujuscunque notæ), debet opinio censeri probabilis, dum non constet rejectam esse a sede apostolica tanquam improbabilem. »

Si II. Dummodo nihil sit contra Scriptur. vel communem sensum Ecclesiæ, recte possumus sequi ejus auctoris gravis opinionem, sic docente Angelico : « Aliquis parvæ scientiæ magis certificatur de eo, quod audit ab aliquo scientifico, quam de eo, quod sibi secundum suam rationem videtur. »

« Cæterum regula generalis est, ut non unus, sed plures auctores volvantur æque graves, *qui inter cæteros magis prædicantur.* »

Digitized by Google

dinis Prædicatorum, an. 1577. Deinde anno 1584, P. Dominicus Bannez, ejusdem ordinis, S. Theresiæ confessor, id ipsum tenuit.

(25. Sed *negative* respondendum ex S. Script. Orac. *Ecclesiast.* XXXVII, 20, ubi hæc habentur : *Ante omnia opera verbum verax præcedat te, et ante omnem actum consilium stabile.* Unde ad bene agendum necessarium est determinatum judicium intellectus, quo prudenter quis putet licitum esse, quod hic et nunc agitur, vel omittitur. Porro tale judicium habere nequit, qui elegit opinionem minus *tutam*, et minus *probabilem*, in concursu *tutioris*, et simul etiam probabilioris. Hoc pacto Clem. III eam tenendam sententiam declarat, quæ *meliori, et subtiliori nititur ratione.* Cap. *Capellanus* 4, ex *De feriis.*

Id ipsum ex ratione theologica evincitur. Enimvero ad licite operandum, veritatem inquirere, eamque sequi oportet; et ubi de veritate clare non constet, tenemur saltem opinionem illam amplecti, quæ verisimilius ad veritatem accedit; quæque est *opinio certe probabilior.*

(26. Hinc contraria opinio, licet adhuc in scholis defendi possit, cum nullimode sit proscripta, minime tamen a nobis probatur. « Sane omnes fateri cogimur, ita Staps, § 81, naturam rationalem violari, atque impium esse, si quis, neglectis momentis gravioribus, illud sequitur, quod utpote rationibus levioribus nixum, divinæ legi minus congruit. »

(27. Ad 2. Quæres « an liceat sequi opinionem minus *tutam*, sed magis probabilem, in concursu *tutioris*, sed minus probabilis? » *Ordinarie* loquendo utique licet. Est contra Jansenistas, qui contrarium tenent, veterem Pharisæorum rigiditatem renovantes et importunum affectantes animarum, et evangelicæ veritatis studium. Quos porro vigesies, et amplius a S. Sede damnatos vivide etiam contundit feliciter regnans Pius Papa IX in sua prima Encyclica incip. *Qui pluribus*, anno 1846 ubi inter præcipuas inimicorum machinationes, a quibus sæculo nostro Dominicum gregem tueri oportet, recenset etiam tenebricosissimas eorum insidias « qui in vestibus ovium, cum intus sint lupi rapaces, mentita, ac fraudolenta purioris pietatis, et severioris virtutis, ac disciplinæ specie, humiliter irrepunt, blande capiunt, molliter ligant, latenter occidunt, hominesque ab omni religionis cultu absterrent, et Dominicas oves mactant, atque discerpunt. »

(29. Et revera qui in concursu opinionis *tutioris* quidem, sed minus probabilis, amplectitur opinionem minus tutam, sed probabiliorem, prudenter agit, quippe argumenta et motiva graviora argumentis, et motivis levioribus præfert.

(30. Diximus *ordinarie* loquendo; nam excipiendi sunt casus illi peculiares, in quibus non agitur jam de honestate actionis, aut de simplici jure, sed de *facto et veritate* rei alicujus, quam major probabilitas non valet resolvere, unde tunc, quod tutius, sequendum est. Sunt autem hi casus præcipui :

« 1. Quando agitur de periculo damni proximi; v. gr. venator, qui probabiliter judicat, objectum in sylva latens esse hominem, non potest ferire, licet probabilius putet esse feram. Nam ex una parte proximus habet jus certum vitæ suæ; ex altera major probabilitas non facit, quod si revera sit homo, non pereat, casu quo venator feriat.

« 2. Quando agitur de fine, quem absolute curare tenemur, et ad quem major probabilitas non conducit : ita est in iis, quæ sunt necessaria necessitate medii ad salutem, ubi factum unice attenditur.

« 3. Quando agitur de iis, quæ requiruntur ad valorem sacramentorum; quia sacramentum non haberetur, nisi reipsa ponerentur ea quæ Deus ad sacramentum præscripsit, nec enim ab hominis dictamine, et conscientia pendent. Id eruitur ex decreto Innocentii XI die 2 Martii 1679 quo sequentem, n. primam, damnavit propositionem : « Non est illicitum in sacramentis conficien-« dis sequi opinionem probabilem de valo-« re sacramentorum, relicta tutiore, nisi id « vetet lex, conventio, aut periculum gravis « damni incurrendi. »

« 4. Et quando agitur de illo qui ad tutiora adhibenda tenetur, vel ex conventione, vel ex voto, vel ex præcepto expresso superioris; quia omnia jura clamant servari pacta, promissiones et præcepta (147).»

(31. Ad 3. Quæritur an liceat sequi opinionem probabilem, minus tutam et hominis libertati faventem in concursu æque probabilis, sed tutioris atque faventis legi? Theologi duas in partes scinduntur. Alii volunt, partem tutiorem quæ scilicet favet legi, esse eligendam, quando adsit concursus alterius opinionis æque probabilis, quæ libertati hominum faveat : hi *probabilioristæ* dicuntur. Contendunt alii e contrario partem, etiam minus tutam, teneri posse in tali casu et faventem hominis libertati; et licet fateantur, perfectius se gerere, qui illam primam sequitur, tenent tamen nullatenus peccare, qui stant pro secunda. Doctrina hæc audit in scholis *Systema morale probabilismi moderati* (148).

(32. Probabilismi moderati usum tam fir-

(147) Quantum etiam ad judicem ac medicum in proprii muneris exercitio attinet, *vid.* v. JUDEX, n. 52 et v. MEDICUS, num. 22 et seqq.

(148) Ut autem omnis quæstio circa *probabile* plenius dignoscatur, diversas hac de re sententias Catholicorum ob oculos ponere operæ pretium est. Quatuor porro recensentur. Prima docet, in æquali opinionum probabilitate id est in dubio, eligendam esse, quæ stat pro lege : v. g. dubitas æque probabilibus hinc inde rationibus, num votum emiseris : teneris de voto; quia illud servare tutius est; ita Antoine. — Secunda sententia tenet, eo in casu eligi posse opinionem, quæ favet libertati, ideoq. nullam prædicti voti adesse obligationem : ita S. Alphonsus

Digitized by Google

miter constanterque, atque copiose S. Alphonsus de Ligorio propugnavit, ut ipse ejusdem quasi pater, et auctor habeatur, licet antea haud esset in scholis incognitus.

(33. Porro ut illius mentem rite assequamur, hic prænotanda veniunt, quæ is idem sanctus episcopus habet.

« Ipse enim 1 aperte negat, eas opiniones vere probabiles remanere, quæ concurrunt cum aliis probabilioribus et tutioribus; ideoque nefas esse illas in praxi tenere.

« Consentit 2 non licere sequi partem minus tutam, etiamsi probabiliorem, relicta tutiori, etiamsi minus probabili, in casibus ubi agitur *de rei veritate*, quam quidem major probabilitas non valet resolvere.

« Fatetur 3 in dubio practico de bonitate vel malitia actionis, aut ab actione esse prorsus abstinendum, aut tenendam partem tutiorem. »

(34. Hinc utique vides, quam immerito quidem ac per vetitum nefas sanctum nostrum quis tanquam de nimia indulgentia incusaret. Audiamus eumdem qui in dissertatione *De usu moderato opinionis probabilis*, hæc memorabilia habet : « Cæterum protestor quod sicut confessarios illos non approbo, qui nimiæ austeritati adhærentes facile damnant usum plurium opinionum, quæ gravi fundamento nituntur; ita contra neque approbare possum eos, qui de facili opiniones sine certo fundamento tanquam probabiles acclamant. Confessarius, antequam aliquam opinionem amplexetur, tenetur utique intrinsecas rationes perpendere et cum ei occurrit ratio aliqua convincens pro tutiori opinione, cui adæquatam responsion. suppetere non aspicit, tunc oppositam minus tutam amplecti non potest, quamvis plurimorum doctorum auctoritas ipsi faveat; modo auctoritas non sit tanti ponderis, ut videretur ei magis, quam rationi apparenti deferendum, juxta id quod docet S. Thomas : « Aliquis parvæ scientiæ magis certificatur de eo, quod audit ab aliquo scientifico, quam de eo quod sibi secundum « suam rationem videtur; » 2-2, qu. 9, art. 8 ad. 2. Sed iste casus prosequitur de Ligorio, valde rarus erit.

« Hoc pro theorica, sic idem D. de Ligorio; sed quantum ad praxim spectat deligendi opiniones, quæri solet, an expediat rigidas aut benignas præferre?

« Respondeo : ubi agitur de removendo pœnitente a periculo peccati formalis, confessarius debet, generaliter loquendo, et in quantum Christiana prudentia suggerit, benignis opinionibus uti : ubi vero opiniones benignæ proximius reddunt periculum formalis peccati, prout sunt nonnullæ auctorum opiniones v. gr. quoad vitandas occasiones proximas et aliæ id genus, tunc semper expedit ut confessarius utatur, imo dico, quod ipse, ut medicus animarum, tenetur uti opinionibus tutioribus, quæ pœnitentes ad se servandos in statu gratiæ conducunt. » *Theol. moral.*, De usu moderato opin. prob., n. 67, 68. »

(35. Atque ut de volum. D. de Ligorio speciatim dicamus, « licet copiosissime scripserit, ejusdem tamen opera inoffenso prorsus pede percurri a fidelibus posse post diligens institutum examen perspectum » est; sic est utique conceptum oraculum fel. record. Gregorii XVI in bulla canoniz. præd. sanctiss. episcopi, § 7. Et prout habet responsum S. Pœnitentiariæ ab eodem Summo Pontifice confirmatum 5 Jul. 1831 : Opiniones, quas in sua *Theologia morali* profitetur S. Alphonsus, sequi tuto possumus et profiteri.

Hinc illustre collegii Apostolici ornamentum doctissimus cardinalis Jacob. Monico patriarcha Venetus, de doctrina D. de Ligorio hæc ait : « Piacesse a Dio che questo fosse il punto di unione in cui si accordassero tutt'i direttori dell' anime; e cessassero così una volta per sempre tante controversie che non fanno altro, che dividere gli animi con pregiudizio del clero e del popolo. »

Sic pariter Joannes Negri, episcopus Derthonensis, in sua pastorali epistola 13 Decemb. 1846, clero « summopere gratulatur, quod in moralibus collationibus conspexerit, responsiones ad casus plerumque fuisse exaratas juxta doctrinam S. Alphonsi. » — « Quæ res prosequitur idem antistes solatii et gaudii non parvi ipsi fuit, *Qui censet*, in maximum spirituale commodum cessurum, ubi clerus diœcesis eamdem doctrinam concorditer retineat. » Demum hortatur suos, ut in sententiis (præd.) SS. episcopi insistant; ibi.

Ex hoc porro innumeri Eccles. prælati opera S. Alphonsi parochis, animarum rectoribus et confessariis propriæ diœcesis expresse proposuerunt et enixe commendarunt. Unde factum ut moralis ejusdem theologia cujus sine numero procusæ sunt editiones in Europa apud Italos, Gallos, Hispanos, Germanos, Polonos; in Asia apud Indos orientales; in America apud Mexicanos, ac per totum catholicum orbem evulgata maximi quidem habeatur, ac summopere prædicetur.

de Ligorio. — Tertia sententia probat, licitum esse sequi partem minus tutam, quæ scilicet stat pro libertate, modo tamen sit vere probabilis, licet contraria opinio pro lege sit æque probabilis, imo probabilior. Unde non teneris in allato exemplo ad votum, si satis, ac vere sit probabile, quod non voveris, licet appareat probabilius ex alia parte, quod voveris. — Quarta demum sententia distinguit inter legem positivam et naturalem; porro ubi agitur de malo intrinseco, si dubium hinc inde æquale versetur circa legem positivam, licet sequi secundam sententiam, quæ est D. de Ligorio dicentis, « lex dubia non obligat » secus si dubium sit de lege naturale. Hanc sententiam idem D. de Ligorio ita plenissime refutavit, ut cito perierit, neque unquam locum in scholis habuerit.

Digitized by Google

ORACULA VIVÆ VOCIS.

1. Oracula vivæ vocis quid sint? — 2. Oracula vivæ vocis alia sunt authentica, et alia non, et quæ sint utraque? — 3. Oracula vivæ vocis authentica quomodo secernantur a non authenticis? — 4. Gratiæ et privilegia vivæ vocis oraculo concesso quo ad substantiam pro foro interno, sive sint authentica, sive non, dummodo non sint revocata, sunt ejusdem valoris, quanti sunt privilegia in scriptis concessa. — 5. Ad essentiam, et substantiam privilegii non requiritur scriptura, sed etiam oretenus, seu vivæ vocis oraculo concessum subsistit. — 6. Ut oracula vivæ vocis practicari possint etiam pro foro externo, non sufficit illa esse concessa, sed insuper requiritur, ut illorum concessio probetur authentico testimonio. — 7. Omnia, et singula indulta, et privilegia quibuscunque vivæ vocis oraculo concessa a Summis Pontificibus ante Gregorium XV (exceptis concessis ad supplicationem regum, nec non illis manu cardinalium firmatis) revocavit pro utroque foro dictus Gregorius XV, et adducitur constitutio. — 8. Postea autem Urbanus VIII revocavit etiam omnia, et singula indulta et privilegia vivæ vocis oraculo concessa etiam ad instantiam imperatoris, et regum, et manu quorumcunque cardinalium firmata: et adducitur constitutio. — 9. Deinde idem Urbanus VIII justis de causis declaravit, prædictam suam revocationem non comprehendere illos officiales seu ministros, quibus rationem suorum officiorum, seu munerum de Summi Pontificis oraculis fides haberi solet, et debet. Et adducitur constitutio. — 10. Hinc omnia privilegia vivæ vocis oraculo a quocunque Pontifice concessa, et testificata per officiales, quibus vi sui officii de privilegiis et gratiis per Pontifices oretenus concessis, vel concedendis fides adhiberi solet, adhuc impræsentiarum valent pro utroque foro. — 11. Officiales seu ministri prædicti qui sint? — 12. Inter officiales seu ministros præfatos computantur, et revera sunt cardinales illi, qui ad id a Papa deputantur, vel protectores ordinum existunt. — 13. Hinc plurima adhuc impræsentiarum valent privilegia vivæ vocis oraculo concessa, utpote debite authenticata ab aliquo ex supradictis officialibus, vel S. R. E. cardinalibus, et qualia sint talia privilegia? — 14. Unde saltem pro foro interno valent adhuc hodie privilegia vivæ vocis oraculo concessa ante tempora Leonis X. — 15. Item eadem ratione adhuc hodie valent pro foro conscientiæ privilegia vivæ vocis oraculo concessa ante tempora, vel tempore S. Pii V. — 16. Adducitur, et solvitur instantia ex constitutione Gregorii XIII. — 17. Item adhuc hodie valent pro foro conscientiæ privilegia vivæ vocis oraculo concessa ante tempora, vel tempore Clementis VIII dummodo non adversentur concilio Trid. — 18. Item valent adhuc hodie omnia vivæ vocis oracula post Greg. XV et Urbanum VIII concessa. — 19. Ut autem vivæ vocis oracula post Urbanum VIII concessa valeant pro foro interno, quid requiratur? — 20. Apponitur Clementis XII const. quorumdam revocatoria. — 21. Alia ad rem, ad n. 54.

1. Oracula vivæ vocis sunt concessiones privilegiorum, seu gratiæ factæ a supremo principe v. g. Summo Pontifice *sola voce*, seu oretenus sine scriptura. Ita in re communis. Oracula vivæ vocis alia sunt authentica, et alia non. (2. Oracula authentica sunt illa, quæ ne memoria pereant, et ut etiam pro foro externo probari et practicari possint, subinde in scripturam rediguntur, et testimonio authentico ab iis, quibus ex officio incumbit, fide digna redduntur. Oracula autem non authentica sunt illa, quæ vel neglectu impetrantium, vel alia de causa non sunt tali forma in scripturam redacta. *Communis.* (30. Hinc oracula vivæ vocis authentica, ut secernantur a non authenticis, solent in collectionibus privilegiorum, et oraculorum vivæ vocis, distincto et diverso signo notari, ut patet in *Compendio privilegiorum Fratrum Minorum*, ubi oracula vivæ vocis authentica signantur *O* magno, et non authentica signantur *o* parvo, ut testatur auctor ipsius *Compendii* ad lectorem in declaratione abbreviaturarum allegationum.

(4. Gratiæ, et privilegia vivæ vocis oraculo concessa quoad substantiam pro foro interno, sive sint authentica, sive non, dummodo non sint revocata, sunt ejusdem valoris, quanti sunt privilegia in scriptis concessa. *Communis*, textu expresso in cap. *Institutionis* 7, *caus.* 25, qu. 2. Et sic expresse concessit nostro ordini Leo X, ut habetur in *Compendio privilegior. Fratrum Minorum* verb. *Oracula vivæ vocis*, num. 2, ibi: « Idem Leo concessit, quod non sint minoris efficaciæ et valoris vivæ vocis oracula, quam si per bullam, aut breve ad perpetuam rei memoriam essent concessa. »

(5. Ad essentiam enim, et substantiam privilegii non requiritur scriptura, sed etiam oretenus, seu vivæ vocis oraculo concessum subsistit. *Communis*, arg. cap. *Si quis cum clerico* 5, caus. 11, qu. 1, et cit. cap. *Institutionis* 7 caus. 25, q. 2; Clemen. *Dudum*, De sepulturis, et Extravag. *Etsi Dominici*, De pœnitent. et remission., ibi: « Considerans, quod plerumque contingit suam Sanctitatem hujusmodi facultates etiam oraculo vivæ vocis concedere, etc. »

(6. Notanter autem *supra* num. 4 dicitur pro foro interno, quia oracula vivæ vocis, ut practicari possint etiam pro foro externo, non sufficit illa esse concessa, sed insuper requiritur, ut illorum concessio probetur authentico testimonio, ut patet ex constitutione Julii II incip. *Romani Pontificis*, et ex regula 52 cancellariæ; et ratio est, quia, si sine testimonio authentico valerent etiam pro foro externo, posset quilibet asserere se habere privilegium vivæ vocis oraculo concessum, et sic prætextu oraculi vivæ vocis posset cum maxima perturbatione boni communis eludere leges, et canones in foro externo, quod nemo sanæ mentis audebit admittere. *Communis.*

(7. Omnia, et singula indulta, et privilegia quibuscunque vivæ vocis oraculo concessa a Summis Pontificibus ante Gregorium XV (exceptis concessis ad supplicationem regum; necnon illis manu cardinalium firmatis,) revocavit pro utroque foro, scilicet tam pro foro interno, quam pro externo dictus Gregorius XV die 2 Jul. 1622, const. incip. *Romanus Pontifex*, quæ ad uberiorem legentium notitiam hic ad litteram datur.

Digitized by Google

« GREGORIUS PAPA XV.

« *Ad perpetuam rei memoriam.*

« Romanus Pontifex in specula militantis Ecclesiæ divina Providentia constitutus, gratias, et indulta a se, et prædecessoribus suis concessa, justis interdum suadentibus causis, juxta creditum sibi pastoralis officii debitum moderatur, aut revocat, prout rerum et temporum qualitatibus debite pensatis, conspicit in Domino salubriter expedire.

« § 1. Itaque motu proprio, et ex certa scientia ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine omnia et singula indulta, facultates, privilegia, gratias et concessiones quascunque spirituales et Ecclesiasticas, tam ad forum interius, quam exterius spectantia, ac tam ad supplicationem partium, quam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus a Sede Apostolica, quæ tamen vivæ vocis oraculo hactenus quandocunque, et qualitercunque, et quavis etiam de necessitate exprimenda causa, quibusvis collegiis, capitulis, ordinibus, tam mendicantium quam non mendicantium societatibus, etiam Societatis Jesu, ac congregat. quibuslibet, sive eorum et earum respective præpositis, decanis, magistris, ministris, prælatis, prioribus, rectoribus, generalibus, vel provincialibus, quocunque nomine nuncupatis, superioribus, etiam quomodolibet exemptis ac sedi prædictæ immediate subjectis, cujuscunque dignitatis, præeminentiæ, aut quovis privilegio munitis, non tamen ad supplicationem regum concessas, in iis videlicet, quæ non sunt sortita effectum, tenore præsentium revocamus, cassamus, tollimus, abrogamus, et annullamus: ac revocata, cassata, sublata, abrogata, et annullata, viribusque et effectu vacua perpetuo fore, et esse, neque in posterum cuiquam suffragari posse, vel debere, neque aliquem iis de cætero uti ullo modo posse, etiamsi expressa, et specifica mentio, etiam de verbo ad verbum de iis facienda esset, decernimus, et declaramus.

« § 2. Firmis tamen, et in robore permanentibus omnibus indultis, et aliis concessionibus prædictis vivæ vocis oraculo S. R. E. cardinalibus, ad ipsorum, vel aliorum quorumcunque favorem propria sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium manu firmatis pro ipsis, vel aliis factis, et de quibus iidem S. R. E. cardinales testimonium in scriptis præbuerunt.

« § 3. Decernentes præsentes litteras, et in eis contenta quæcunque, etiam ex eo, quod quicunque in præmissis interesse habentes, seu habere prætendentes, ad hoc vocati, et auditi non fuerint de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, seu aliquo quocunque defectu notari, impugnari, redargui, in jus, vel in controversiam revocari, ad terminos juris reduci, aut adversus illas quodcunque juris, gratiæ, vel facti remedium impetrari nullatenus posse, sed illas semper validas et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere.

« § 4. Sicque per quoscunque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii Apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales etiam de latere legatos et nuntios, sublata eis, et eorum cuilibet, quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

« § 5. Non obstantibus præmissis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ordinibus, societatibus et congregationibus prædictis, eorumque præpositis, decanis, magistris, ministris, prælatis, prioribus, rectoribus et aliis superioribus prædictis, sub quibuscunque tenoribus et formis, et cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma, ad hoc servanda foret, tenore hujusmodi, præsentibus pro plene, et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

« § 6. Volumus autem, ut præsentium transumptis etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in judicio, et extra illud, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

« § 7. Quodque eædem præsentes litteræ, seu illarum exempla ad valvas basilicarum S. Joannis Lateranensis, ac Principis Apostolorum de Urbe, et in acie campi Floræ affixæ omnes ita arctent, et afficiant, ac si unicuique personaliter intimatæ fuissent.

« Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die secunda Julii MDCXXII, pontificatus nostri anno secundo. »

(8. Postea autem Urbanus VIII, die 20 Decembris 1631, Constit. incip. *Alias felicis recordationis Gregorius Papa XV* revocavit etiam omnia, et singula indulta, et privilegia vivæ vocis oraculo concessa, etiam ad instantiam imperatoris et regum, et manu quorumcunque cardinalium firmata. Quæ constitutio etiam hic pro omnium scitu ad litteram datur :

« URBANUS PAPA VIII.

« *Ad perpetuam rei memoriam.*

« § 1. Alias felicis recordationis Gregorius Papa XV prædecessor noster, ut subnascentibus jugiter variis difficultatibus, et abusibus ex privilegiis a Sede Apostolica

Digitized by Google

vivæ vocis oraculo sæpenumero concessis obviam iret, constitutionem edidit tenoris subsequentis, videlicet: « Gregorius Papa XV « ad perpetuam rei memoriam. Romanus « Pontifex in specula militantis Ecclesiæ, » etc., *ut supra*.

« § 2. Cum autem experientia rerum magistra compertum sit, concessiones, et gratias vivæ vocis oraculo, etiam a san. R. E. cardinalibus obtentas, et ipsorum manu firmatas, sæpe ab his, in quorum favorem emanarunt, minus canonica interpretatione extendi, et perperam in disciplinæ Ecclesiasticæ detrimentum exsecutioni demandari. Idcirco, quantum cum Domino possumus, his et aliis malis occurrere volentes, motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, et de consilio nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium, quibus negotium hujusmodi mature discutiendum commisimus, omnia, et singula privilegia, facultates, licentias, et gratias quascunque per Summos Pontifices prædecessores nostros, ac per Nos vivæ vocis oraculo, et S. R. E prædictæ cardinalium quorumcunque manu firmata, quibuscunque generalibus, provincialibus, cæterisque superioribus et personis cujusvis ordinis, congregationis, instituti et societatis, sive sæcularibus, sive regularibus, vel etiam ipsis ordininibus, congregationibus, institutis et societatibus, etiam Societati Jesu, aut ejus clericis seu presbyteris, aliisque personis prædictis, quacunque de causa, etiam de necessitate exprimenda, occasione, prætextu, vel colore, etiam intuitu, contemplatione, seu ad instantiam imperatoris, regum et principum quorumcunque, aut alias quomodolibet concessa, illorum tenores præsentibus pro expressis habentes, tenore præsentium revocamus, cassamus, tollimus, abrogamus et annullamus, ac de cætero revocata, cassata, abrogata, et annullata, viribusque et effectu vacua esse, et fore, nullique prorsus deinceps suffragari posse, nec debere declaramus.

« § 3. Præterea, ut præsentes litteræ omnibus, et singulis, ad quos spectat, et pro tempore spectabit, quanto citius innotescant, omnibus, et singulis generalibus, et aliis quocunque nomine nuncupatis superioribus quorumcunque ordinum, congregationum, societatum, etiam Societatis Jesu et institutorum, sub excommunicationis ac privationis officiorum et dignitatum, nec non vocis activæ et passivæ pœnis ipso facto incurrendis, præcipimus et mandamus, ut infra tres menses proximos a die publicationis præsentium computandos, omnes et singulos provinciales eorumdem suorum ordinum, congregationum, societatum, etiam Societatis Jesu, et institutorum, de eisdem præsentibus litteris certiores faciant, et earumdem præsentium exemplaria illis transmittant: qui quidem provinciales sub eisdem pœnis teneantur singulis superioribus monasteriorum, conventuum, collegiorum, domorum, et locorum regularium præcipere, ut easdem præsentes subditis suis, ut moris est, publicent.

« § 4. Decernentes præsentes litteras, etiam ex eo, quod quicunque in præmissis interesse habentes, vel habere prætendentes; ad hoc vocati et auditi non fuerint de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, seu alio quopiam defectu notari, impugnari, invalidari, redargui, in jus, vel controversiam vocari, aut ad viam et terminos juris reduci, sive adversus illas quodcunque juris, gratiæ, vel facti remedium impetrari nullatenus posse, sed illas semper validas, firmas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere.

« § 5. Sicque per quoscunque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores sublata eis, et eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si quid secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

« § 6. Non obstantibus præinsertis litteris hujusmodi, ac constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, et quatenus opus sit, etiam regula nostra de non tollendo jure quæsito, privilegiis quoque, indultis, et litteris Apostolicis, eisdem cardinalibus, ordinibus, congregationibus, institutis et societatibus, eorumque superioribus quocunque nomine nuncupatis, sub quibuscunque verborum formis, et tenoribus, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis, ac irritantibus, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, et expressa ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis habentes, specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

« § 7. Volumus autem, quod præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ, quodque eædem præsentes litteræ, sive illarum exempla ad valvas basilicarum prædictarum, et in acie campi Floræ hujusmodi similiter affixæ, omnes, quos concernunt, perinde arctent, ac si unicuique personaliter intimatæ fuissent.

« Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die 20 Decembris 1651, pontificatus nostri anno nono. »

(9. Deinde idem Urbanus VIII, die 11 April. 1635, constitut. etiam incip. *Alias felicis re-*

Digitized by Google

cordationis Gregorius Papa XV, justis de causis declaravit, prædictam suam revocationem non comprehendere illos officiales, seu ministros, quibus ratione suorum officiorum, seu munerum de Summi Pontificis oraculis fides haberi solet, et debet; quæ constitutio, utpote summe necessaria ad hujus notitiæ complementum, etiam hic ad litteram datur.

« URBANUS PAPA VIII.

« *Ad futuram rei memoriam.*

« Alias felicis recordationis Gregorius Papa XV, prædecessor noster, ut subnascentibus, jugiter variis difficultatibus, et abusibus ex privilegiis a Sede Apostolica vivæ vocis oraculo sæpenumero concessis obviam iret, constitutionem edidit tenoris subsequentis, videlicet : « Gregorius Papa « XV, ad perpetuam rei memoriam. Romanus « Pontifex in specula militantis Ecclesiæ, di« vina Providentia constitutus, gratias, et in« dulta a se, et prædecessoribus suis con« cessa, justis interdum suadentibus causis, « juxta creditum sibi pastoralis officii debi« tum moderatur, aut revocat, prout rerum, « et temporum qualitatibus debite pensatis, « conspicit in Domino salubriter expedire. « Itaque motu proprio, et ex certa scientia, « ac matura deliberatione nostris, deque « Apostolicæ potestatis plenitudine, omnia « et singula indulta, facultates, privilegia, « gratias, et concessiones quascunque spi« rituales et Ecclesiasticas, tam ad forum « interius, quam ad exterius spectantes, ac « tam ad supplicationem partium, quam mo« tu, scientia et potestatis plenitudine si« milibus a Sede Apostolica, quæ tamen vi« væ vocis oraculo, hactenus, quandocun« que, et qualitercunque, ex quavis etiam « necessitate exprimenda causa, quibusvis « collegiis, capitulis, ordinibus, tam mendi« cantium quam non mendicantium, societa« tibus, etiam Societati Jesu, ac congrega« tionibus quibuslibet, sive eorum et ea« rum respective præpositis, decanis, magi« stris, ministris, prælatis, prioribus, recto« ribus, generalibus, vel provincialibus « quocunque nomine nuncupatis, superio« ribus, quomodolibet exemptis, ac sedi « prædictæ immediate subjectis, cujuscun« que dignitatis, præeminentiæ, aut quovis « privilegio munitis : non tamen ad suppli« cationem regum concessas, in iis videlicet, « quæ non sunt sortita effectum, tenore « præsentium revocamus, cassamus, tolli« mus, abrogamus, et annullamus, ac revo« cata, cassata, sublata, abrogata, et annul« lata, viribusque et effectu vacua perpe« tuo fore, et esse, neque in posterum cui« quam suffragari posse, vel debere, neque « aliquem iis de cætero uti ullo modo posse, « etiamsi expressa et specifica mentio, « etiam de verbo ad verbum de iis facienda « esset, decernimus, et declaramus. Firmis « tamen, et in suo robore permanentibus « omnibus indultis, et aliis concessionibus « prædictis vivæ vocis oraculo S. R. E. car« dinalibus, ad ipsorum, vel aliorum quo« rumcunque favorem propria S. R. E. car« dinalium manu firmatis, vel aliis factis, et « de quibus iidem S. R. E. cardinales testi« monium in scriptis præbuerunt. Decer« nentes præsentes litteras, et in eis con« tenta quæcunque, etiam ex eo quod qui« cunque in præmissis interesse habentes, « seu habere prætendentes, ad hoc vocati, « et auditi non fuerint, de subreptionis, « vel obreptionis vitio, aut intentionis nos« træ, seu alio quocumque defectu notari, « impugnari, redargui, in jus, vel in contro« versiam vocari, ad terminos juris reduci, « aut adversus illas quodcunque juris, gra« tiæ, vel facti remedium impetrari nulla« tenus posse, sed illas semper validas, et « efficaces existere, et fore, suosque plena« rios, et integros effectus sortiri, et obtinere. « Sicque per quoscunque judices ordinarios, « et delegatos, etiam causarum Palatii Apo« stolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam « de latere legatos et nuntios, sublata eis, « et eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, « et interpretandi facultate, et auctoritate, « judicari, et definiri debere, ac irritum, et « inane, si secus super his a quoquam, « quavis auctoritate scienter, vel ignoran« ter contigerit attentari. Non obstantibus « præmissis, ac quibusvis constitutionibus « et ordinationibus Apostolicis, privilegiis « quoque indultis, et litteris Apostolicis, or« dinibus et societatibus, et congregationi« bus prædictis, eorumque præpositis, de« canis, magistris, ministris, prælatis, prio« ribus, rectoribus et aliis superioribus præ« dictis, sub quibuscunque tenoribus, et « formis, ac cum quibusvis etiam deroga« toriarum derogatoriis, aliisque efficaciori« bus et insolitis clausulis, ac irritantibus, « et aliis decretis in genere, vel in specie, « ac alias in contrarium præmissorum quo« modolibet concessis, confirmatis et inno« vatis. Quibus omnibus, et singulis, etiamsi « pro illorum sufficienti derogatione, de illis, « eorumque totis tenoribus, specialis, spe« cifica, expressa et individua, ac de verbo « ad verbum, non autem per clausulas ge« nerales idem importantes, mentio, seu « quævis alia expressio habenda, aut aliqua « alia exquisita forma ad hoc servanda foret, « tenores hujusmodi præsentibus pro plene, « et sufficienter expressis, et ad verbum in« sertis habentes, illis alias in suo robore « permansuris, hac vice duntaxat speciali« ter et expresse derogamus, cæterisque « contrariis quibuscunque. Volumus au« tem, ut præsentium transumptis etiam « impressis, et manu alicujus notarii publici « subscriptis, et sigillo personæ in dignitate « Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem « prorsus fides adhibeatur in judicio, et extra « illud, quæ præsentibus adhiberetur, si « forent exhibitæ, vel ostensæ quodque eæ« dem præsentes litteræ, seu illarum exempla « ad valvas basilicarum S. Joannis Latera« nensis, ac Principis apostolorum de Urbe, « et in acie campi Floræ affixæ, omnes ita « arctent, ac si unicuique personaliter inti« matæ fuissent.

Digitized by Google

« Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die secunda « Julii MDCXXII, pontificatus nostri anno secundo. »

« Et subinde per Nos accepto, quod experientia rerum magistra compertum erat, concessiones et gratias vivæ vocis oraculo, etiam a S. R. E. cardinalibus obtentas et ipsorum manu firmatas, sæpe ab his, in quorum favorem emanarunt, minus canonica interpretatatione extendi, et perperam in disciplinæ Ecclesiasticæ detrimentum exsecutioni demandari, idcirco, quantum cum Domino potuimus, his et aliis malis occurrere volentes, motu proprio, certaque scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, de consilio nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium, quibus negotium hujusmodi matura discutiendum commisimus, omnia, et singula privilegia, facultates, licentias, et gratias quascunque per Summos Pontifices prædecessores nostros, ac per Nos vivæ vocis oraculo, etiam S. R. E. prædictæ cardinalium quorumcunque generalibus, provincialibus, cæterisque superioribus, et personis cujusvis ordinis, congregationis, instituti et societatis, sive sæcularibus, sive regularibus, vel etiam ipsis ordinibus, congregationibus, institutis et societatibus, etiam Societati Jesu, aut ejus clericis, seu presbyteris, aliisque personis prædictis, quacunque de causa, etiam de necessitate exprimenda, occasione, prætextu, vel colore, etiam intuitu, et contemplatione, seu ad instantiam imperatoris, regum et principum quorumcunque, aut alias quomodolibet concessæ, illorum tenores præsentibus pro expressis habentes Apostolica auctoritate revocavimus, cassavimus, sustulimus, abrogavimus, et annullavimus, acde cætero, revocata, cassata, sublata, abrogata, et annullata, viribusque, et effectu vacua esse, et fore, nullique deinceps suffragari posse, nec debere declaravimus, prout in alias nostris desuper in simili forma brevis expeditis litteris, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur. Cum autem pro tempore existentibus nonnullis nostris, et Sedis Apostolicæ officialibus, seu ministris, qui eorum officiorum, seu munerum ratione de gratiis, concessionibus, et dispositionibus quibuscunque per Nos faciendis, mandatisque, et jussionibus nostris exsequendis, aliisque rebus et negotiis gerendis, Nobiscum diversa tractant per se, seu de eorum mandato facienda, gerenda, et exsecutioni demandanda, vivæ vocis oraculo commiserimus, et in dies circa ea, quæ ad cujuslibet eorum officium, seu munus, quo funguntur, pertinent, committamus. Nos firmiori gestorum de mandato nostro, per præsentes litteras, officialium seu ministrorum securitati consulere volentes, motu proprio, certaque scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, officiales, seu ministros prædictos, quibus alias ante emanatas prædictas constitutiones ex officiorum auctoritate, et

prærogativa de oraculo per eos a Romanis Pontificibus pro tempore existentibus habito, fides haberi solebat, quoad ea, quæ, ut præfertur, ad cujuslibet eorum officium, seu munus, quo funguntur, pertinent, in litteris etiam nostris prædictis super revocatione oraculorum hujusmodi emanatis, minime comprehensos fuisse, nec esse, nec comprehendi debere declaramus, et ad abundantiorem cautelam eosdem officiales, seu ministros adversus easdem constitutiones, quatenus opus sit, restituimus, et plenarie reintegramus in omnibus, et per omnia, perinde ac si quoad illos prædictæ constitutiones non emanassent; decernentes præsentes litteras validas, firmas, et efficaces existere, et fore, ac irritum et inane, si quid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus Gregorii prædecessoris hujusmodi, nostrisque litteris præfatis, ac omnibus quæ in dictis litteris concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscunque.

« Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die 11 Aprilis 1635, pontificatus nostri anno duodecimo. »

(10. Unde, ut vides, ex hac secunda constitutione Urbani VIII, § *Cum autem pro tempore existentibus*, clare patet, quod omnia illa indulta et privilegia vivæ vocis oraculo a quocunque Pontifice concessa, et testificata seu authenticata per officiales, et ministros, quibus vi sui officii, de privilegiis, et gratiis per Pontifices oretenus concessis, vel concedendis, fides adhiberi solet, et debet, adhuc impræsentiarum valent pro utroque foro, scilicet tam interno, quam externo, valideque et licite practicari possunt : communis ac certa, teste Reiffenstuel lib. v *Decretal.*, tit. 33, n. 155.

(11. Officiales autem, seu ministri prædicti sunt multi, et diversi, ut patet in Extravagant. commun. *Ad regimen* 13, De præbendis et dignitatibus, ibi : « Officialium dictæ Sedis, videlicet, camerarii, vicecancellarii, notariorum, auditorum, litterarum contradictarum, et Apostolici Palatii causarum auditorum, correctorum, et scriptorum litterarum Apostolicarum, ac pœnitentiarii præfatæ Sedis, ac abbreviatorum, nec non commensalium, et aliorum quorumlibet capellanorum Sedis ejusdem; et etiam quorumcunque legatorum, sive nuntiorum, ac in terris Ecclesiæ Romanæ rectorum, et thesaurariorum, etc. »

(12. Inter officiales, seu ministros præfatos computantur et revera sunt cardinales illi, qui ad id a Papa deputantur, vel protectores ordinum existunt; quia quamvis in d. cap. *Ad regimen* non numerentur inter officiales Papæ et Sedis Apostolicæ, tamen in religiones sibi commissas jurisdictionem, curam et vigilantiam exercent tanquam ministri Papæ, qui est omnium religionum generalissimus, et administrator, et gubernator, et rector; unde est ipsis omnino credendum in iis quæ testantur de religionibus, quas protegunt, ut recte ex cit. constitutione Urbani VIII, sub n. 9 allata colligunt, et do-

Digitized by Google

cent Peyrinus, in *Formul. prælator. regular.*, litt. *Z*, cap. 3, et Appendice *h* ad Urbanum VIII, num. 2, fol. 726; Donatus, *Prax. rer. regul.*, tom. I, tract. 16, qu. 12, num. 1; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 157, et alii passim.

(13. Hinc plurima adhuc in præsentiarum valent privilegia vivæ vocis oraculo concessa, utpote debite authenticata ab aliquo ex supradictis officialibus, seu ministris, vel sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus, juxta dictam constitutionem Urbani VIII. Et talia sunt omnia illa, quæ in *Compendio privilegiorum Fratrum Minorum* a Hieronymo a Sorbo juxta decreta concilii Tridentini, et alias constitutiones Pontificias reformata, comprehenduntur, et signantur *O* magno; quia privilegia tali *O* magno signata, ut fuit dictum supra sub n. 3, « sunt vivæ vocis oracula vere authentica, » sicut sunt illa signata æquivalenti signo in libris privilegiorum aliorum ordinum. Et vivæ vocis oracula authenticata per supradictos officiales et ministros Papæ et Sedis Apostolicæ non sunt revocata : ut expresse declarat Urbanus VIII in *supra* num. 9, adducta sua secunda constitutione, § *Cum autem pro tempore existentibus*.

(14. Unde saltem pro foro interno valent adhuc hodie privilegia vivæ vocis oraculo concessa ante tempora Leonis X, vel tempore, quia dictus Leo X concessit, quod « Fratres Minores regularis observantiæ secura conscientia possint uti omnibus a Sede Apostolica, sive per bullas, sive per brevia, sive vivæ vocis oraculo concessis privilegiis, prout ea in libris ordinis reperiuntur, ac si omnia specifice fuissent tunc expressa. Et quod hujusmodi vivæ vocis oracula non sint minoris efficaciæ ac valoris, quam si per bullam aut breve ad perpetuam rei memoriam essent concessa; » prout testatur Laurentius presbyter cardinalis tituli SS. Quatuor Coronatorum, et protector dicti ordinis Minorum, et habetur in I tom. *Collect. Bullar.* Rodriq., in fine Bull. Leonis X, fol. 1317 et in *Supplement. ejusdem ordinis concess. ibi*, fol. 58, de quo idem Rodriq., tom. I *Qq. regul.*, q. 7, art. 5, et tom. III, qu. 22, art. 1 et 2, et habetur etiam in *Compendio privilegior. ordinis Minor.*, verb. *Oracula vivæ vocis*, num. 1 et 2, ubi num. 1 insuper additur, quod « pro majori conscientiarum securitate omnia de novo concessit vivæ vocis oracula vere authentica. » Atqui vivæ vocis oracula vere authentica, (ut sunt ista, utpote testificata a supradicto eminentissimo cardinali Laurentio, tunc ordinis protectore) non sunt revocata, ut expresse declarat Urbanus VIII, in dicta sua secunda constitutione allata supra sub. n. 9, ergo adhuc hodie vigent.

(15. Item eadem ratione adhuc hodie valent pro foro conscientiæ privilegia vivæ vocis oraculo concessa ante tempora, vel tempore S. Pii V, quia d. S. Pius V, die 13 Martii 1566, vivæ vocis oraculo confirmavit privilegia ordinis Minorum pro foro conscientiæ, etiam illa, quæ sunt contra concilium Tridentinum, cujus copia authentica est in archivio conventus S. Joannis regum ordinis Prædicatorum, prout in *Compendio Societatis Jesu*, tit. *De concil. Trident.*, § 3, et Rodriq., tom. I *Qq. regular.*, q. 8, art. 8, et habetur in tom. II *Collect., Bull.*; Rodriq., in fine *Oraculorum S. Pii V*, fol. 428, num. 15, et sub anno 1567, const. incip. *Etsi mendicantium*; et alia incip. *Ad uberes* multa expresse concessit suo præclarissimo ordini prædicatorum, quæ decretis concilii Tridentini adversantur.

(16. Nec obstat quod Gregorius XIII immediatus successor S. Pii V, anno 1572, const. incip. *In tanta rerum et negotiorum mole* revocaverit expresse omnia privilegia a d. S. Pio V concessa contra concilium Tridentinum, et ad terminos ejusdem concilii Tridentini reduxerit, ibique statuerit, regulares teneri stare decretis conc. Tridentini et juri veteri, ac si dictæ concessiones, et constitutiones S. Pii V nunquam emanassent; non obstat, inquam, quia Gregorius XIII in d. sua constitutione non revocat privilegia concessa regularibus pro foro interno; revocat enim ibi sola illa privilegia regularibus concessa contra dispositionem concilii Tridentini; ex quibus perturbatio inter episcopos et mendicantes solet oriri; quandoquidem in proœmio dictæ constitutionis, ubi causa finalis exprimitur, sic præcise legitur : « Demum animadverto quod ea omnia multis dubitationibus involuta, magnisque difficultatibus obstructa, multas magnasque dissensiones, altercationes, et lites inter prædictos Locorum ordinarios, et Fratrum ipsorum ordines non sine gravi divini cultus, et animarum detrimento, ac populorum scandalo concitaverant. » Usus autem privilegiorum Mendicantium in foro conscientiæ exercitus, nec magnam, nec parvam litem inter prædictos poterit excitare; quod est mente valde tenendum, ut recte dicit Donatus infra citandus, quia causa finalis est illa, quæ stringit et ampliat privilegia, cum ratio legis sit anima legis : l. *Cum ratio*, ff. *De bonis damnatorum*; et cessante ratione et causa legis, cessat ipsa lex : l. *Adigere* 6, § 2, ff. *De jure patronat.*; et cessante causa cesset effectus : c. *Cum cessante* 60, De appellationibus. Sic sapientissimus Donatus, *Prax. rerum regular.*, tom. I, tract. 11, q. 17, num. 19, et alii plures; tum quia in d. constit. Greg. XIII, nullatenus nominantur oracula, unde ad ista non debet extendi, cum, uti pœnalis, non debeat extendi ad non expressa : quia, si voluisset, expressisset; quod enim voluit, expressit, arg. c. *Inter corporalia* 2. De translation. episcop. § *Sed neque istud*, et cap. *Quia circa* 22, De privilegiis; et cap. *ad Audientiam* 12, De decimis; et uti odiosa debet restringi, ne minus lædat, juxta regulam in cap. *Odia* 15, De regul. juris in 6, et cap. *Olim* 16, De verbor. significat.; et l. *Beneficium* 3, ff. *De constitutionibus principum*. Oracula enim favore animæ concessa, revocatis privilegiis, non intelliguntur revocata, nisi in specie, et expresse revocentur, prout docent Innocent. in cap. *Constitutus*,

Digitized by Google

n. 2, De rescriptis; Felin., in consil. 6, n. 1; Henriquez, lib. VII *De indulgent.*, cap. 24, num. 8; Donatus, *loc. cit.*, num. 17, et tract. 16, qu. 6, num. 5, cum Navarr., Rodriq., Faust., Peyrin., et Bordon., ibi citatis.

(17. Item adhuc hodie valent pro foro conscientiæ privilegia vivæ vocis oraculo concessa ante tempora, vel tempore Clementis VIII, dummodo non adversentur concilio Tridentino, quia dictus Clemens VIII, die 20 Decembris 1595, constit. incip. *Ratio pastoralis officii*, confirmavit, et innovavit « ex certa scientia, et de Apostolicæ potestatis plenitudine » omnia et singula privilegia Fratrum Minorum, etiam vivæ vocis oraculo concessa, ut patet ibi, § 3. Unde sane ob clausulam ex certa scientia, sub qua de novo concessit omnia Fratrum Minorum privilegia a quocunque Pontifice sive per bullam, sive vivæ vocis oraculo concessa, jam ipsa vivæ vocis oracula acquirunt novam naturam, et novum esse, et ex vivæ vocis oraculis evadunt privilegia scripta, seu bullata, eorumque naturam assumunt, ut recte observant Pellizzar., tract. 8, cap. 1, num. 132; Reiffenstuel, lib. V *Decretal.*, num. 161, et alii; adeoque non sunt revocata, saltem pro foro interno a Gregorio XV et Urbano VIII in supra adductis constitutionibus a n. 7 ad 9.

(18. Item valent adhuc hodie omnia vivæ vocis oracula post Gregorium XV et Urbanum VIII concessa, quia cum par in parem non habeat imperium, cap. *Innotuit* 20, De election., § *Quamvis*, etc. *Exiit* 3, De verbor. significat., in 6, § *Cæterum sanctæ memoriæ*, stat clarum, quod Gregorius XV et Urbanus VIII in dictis suis constitutionibus non ligaverint manus successorum Pontificum, adeoque vivæ vocis oracula ab istis ex post concessa valent adhuc hodie pro foro interno, etiamsi de iis testimonium authenticum ab officialibus, et ministris supradictis non habeatur, sed alii fide digni superiores, generales, provinciales, procuratores generales et hujusmodi, in quorum præsentia aliquis Papa Gregorii XV et Urbani VIII successor privilegium oretenus concessit, testimonium ferant; supradicti enim duo Pontifices loquuntur præcise de oraculis antea concessis, et probatio per testimonium dictorum officialium Papæ et Sedis Apostolicæ ab Urbano VIII præscripta se extendit solum ad probanda oracula præcedentia, non autem ad oracula in futurum concedenda (149).

(19. Ut autem vivæ vocis oracula post Urbanum VIII concessa valeant etiam pro foro externo, quamvis absolute non requiratur probatio concessionis per testificationem dictorum officialium propter dicta numero antecedenti; attamen requiritur tale fide dignum testimonium de eorum concessione, quale ad probandum in foro externo alias requiritur, et sufficit; arg. toto titulo 19, *De probationibus*. Sic Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 164, et alii passim.

(20. Hic juvat ad rem addere novissimam constitutionem Clementis XII revocatoriam diversarum facultatum, ut sequitur:

CLEMENTIS XII REVOCATIO DIVERSARUM FACULTATUM A ROMANIS PONTIFICIBUS PER EORUM VIVÆ VOCIS ORACULUM VEL RESCRIPTA CONCESSARUM.

« CLEMENS PAPA XII.

« *Ad perpetuam rei memoriam*

« Romanus Pontifex, gregis Dominici curæ sibi divinitus commissæ, more seduli pastoris jugiter advigilans, nonnulla, quæ a prædecessoribus suis concessa noscuntur, justis interdum suadentibus causis, quibus præsertim ecclesiasticæ disciplinæ conservationi, animarum Christifidelium saluti, ac recto rerum ordini consulitur, pro Apostolici muneris sui sollicitudine moderatur revocat, et immutat, sicuti omnibus debitæ considerationis turtina perpensis conspicit in Domino salubriter expedire.

« Itaque de nonnullorum venerabil. fratrum nostrorum S. R. E. [cardinalium consilio, ac etiam motu proprio, ex certa scientia, et matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnia et singula infrascripta indulta, facultates et gratias, quæ tam ad supplicationem partium, quam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus, a Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, vivæ eorum vocis oraculo, vel per rescripta propria illorum, aut de eorum mandato cujusvis S. R. E. præfatæ cardinalis, alteriusve ipsorum prædecessorum, vel Sedis Apostolicæ officialis et ministri manu signata, quibuscunque utriusque sexus personis sæcularibus vel regularibus, cujuslibet status, gradus, conditionis, præeminentiæ ac dignitatis, sive ecclesiasticæ, sive temporalis existentibus, etiamsi de iis specialis, ac individua mentio et expressio necessario facienda foret. Communitatibus quoque, universitatibus, capitulis, collegiis, confraternitatibus, conven-

(149) E. R. Multa profecto in hoc articulo occurrunt, quæ seria indigerent animadversione. Si stemus auctori, nullius sunt roboris constitutiones Greg. XV et Urbani VIII vivæ vocis oracula in tam ampla forma revocantes, saltem quantum ad forum internum. Hic nihil aliud agam, nisi subnectere verba P. Remigii Maschat, quæ veluti regula inconcussa mihi sunt, postquam ejus opus a Clar. Ubaldo Giraldi illustratum est. Is autem ita habet, l. v, tit. 33, r. 2: « Privilegia vivæ vocis oraculo concessa hodie revocata sunt per constit. Urbani VIII incipien. *Alias*, et Greg. XV incip. *Romanus*: quæ vero post dictas bullas viva voce concessa sunt, probabilius valent pro foro interno, cum ob substantiam privilegii scriptura non requiratur: et in foro externo non possunt, nisi fuerint authenticata per publicos officiales Papæ ad id constitutos, ut statuitur in cit. constit. Urbani VIII. » Confer, mi lector, æquam ac sobriam hanc doctrinam cum portentosa ostensione privilegiorum vivæ vocis oraculo concessorum, non obstantibus præfatis constitutionibus. Videnda tamen est constitutio Clementis XII ut infra.

Digitized by Google

tibus et monasteriis cujusvis ordinis, congregationis, militiæ, etiam S. Joannis Hierosolymitani, ac instituti et Societatis etiam Jesu, tam mendicantium quam non mendicantium, exemptorum et non exemptorum, ac quovis tandem privilegio suffultorum, nullis prorsus exceptis, quandocunque, et qualitercunque concessa fuerunt, tenore præsentium revocamus, cassamus, tollimus, abrogamus, irritamus, et annullamus, viribusque et effectu penitus et omnino vacuamus, ac revocata, cassata, sublata, abrogata, irritata, et annullata, viribusque et effectu vacua esse, ac perpetuo fore, neque de cætero cuiquam suffragari posse, vel debere decernimus et declaramus.

« Indulta autem, facultates et gratiæ hujusmodi sunt quæ sequuntur, videlicet :

« I. Excipiendi confessiones sive sæcularium, sive regularium, etiam monialium, aut aliarum quarumvis personarum in conventibus, monasteriis, seu conservatoriis degentium absque expressa ordinariorum ac superiorum illorum, ad quos pertinet, facultate : nec non eligendi sibi confessarium ab iis respective non approbatum.

« II. Absolvendi quoscunque, sive sæculares, sive regulares utriusque sexus a peccatis, pœnis, et censuris in litteris die cœnæ Domini quotannis legi et publicari consuetis, vel alias Sedi Apostolicæ, locorumve ordinariis, aut superioribus regularibus quoquo modo reservatis; prout quoque eligendi confessarium, etiam ex legitime ad audiendas confessiones approbatis, qui a peccatis, pœnis, ac censuris sic reservatis absolvat.

« III. Eximendi, seu absolvendi quemlibet ab obligatione denuntiandi in casibus, quibus denuntiatio juxta præscriptum constitutionum Apostolicarum, seu alias fieri debet.

« IV. Uttendi quibuscunque facultatibus, etiam generaliter concessis quoad alitercunque dictæ Sedi, vel etiam ipsi Romano Pontifici reservata, sive per eos, majori, vel minoribus pœnitentiariis attributis, durante jubilæo, vel missionum, exercitiorum spiritualium, Quadragesimæ, Adventus, aut alio quovis anni tempore; sicuti etiam utendi facultatibus, quæ ab officio Pœnitentiariæ Apostolicæ aliquando impertiri solent.

« V. Relaxandi juramenta quælibet, etiamsi de nullo cujusquam agatur damno, seu præjudicio.

« VI. Dispensandi, seu commutandi vota quæcunque, licet simplicia duntaxat, ac juramento minime confirmata.

« VII. Dispensandi cum quibusvis personis sæcularibus pariter vel regularibus super qualibet irregularitate, et inhabilitate quomodocunque ex delicto, vel defectu etiam prorsus occultis proveniente, tam pro exercendis susceptis quam pro suscipiendis quibusvis ordinibus, ac retinendis et assequendis quibuscunque beneficiis ecclesiasticis.

« VIII. Dispensandi super quocunque impedimento quantumvis occulto matrimonium dirimente, sive agatur de matrimonio contrahendo, sive de convalidando jam contracto.

« IX. Convalidandi titulos beneficiorum ecclesiasticorum simoniace, vel ex alio quovis capite invalide obtentorum, ac condonandi fructus qualitercunque indebite perceptos, aut componendi super iisdem fructibus.

« X. Celebrandi missam itinere, aliave occasione in quocunque loco super altari portatili, sive extra tempus ab Ecclesia definitum, vel non servandi omnia, et singula ab ipsa Ecclesia præcepta, et ordinata circa celebrationem missæ, et administrationem sanctissimi sacramenti Eucharistiæ.

« XI. Officium divinum absque legitima causa non recitandi, illudve commutandi in alias preces, vel opera pia; sive recitandi unum officium pro alio, aut extra tempus ab Ecclesia statutum, vel super præmissis cum aliis dispensandi.

« XII. Indulta quæcunque a regularibus utriusque itidem sexus obtenta, votum paupertatis, quomodolibet lædentia, aut regulari observantiæ, Apostolicis constitutionibus, propriique ordinis seu instituti statutis contraria, vel adversantia.

« XIII. Facultas regularibus alloquendi moniales, etiam consanguineas, aliasque personas intra clausuram degentes absque peculiari superiorum, ad quos quomodocunque spectat, licentia.

« XIV. Indulta, facultates, et gratias mox relata, eorumve aliqua in toto, vel in parte indefinite, vel ad tempus, et in casu particulari, seu alio quovis modo aliis communicandi.

« Quæ quidem omnia, et singula, etiamsi sub quibuslibet aliis quantumvis amplis verborum formis et tenoribus concessa et impetrata fuerint quoad utrumque forum ac generaliter, sive res sit de casu occulto, sive de publico, revocata, et abrogata esse, ac intelligi, et censeri debere statuimus.

« Districte propterea prohibemus ne quisquam deinceps indultis, facultatibus, et gratiis sic per Nos revocatis, et abrogatis ullatenus uti audeat, seu præsumat sub pœna excommunicationis ac privationis officiorum, dignitatum et quorumvis beneficiorum obtentorum, vocis activæ et passivæ, nec non inhabilitatis ad audiendas confessiones, et ad officia, dignitates, et beneficia hujusmodi in futurum obtinenda ipso facto absque ulla alia declaratione per transgressores respective incurrenda, a qua nonnisi a Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente, præterquam, quoad excommunicationem præfatam in mortis articulo constituti, absolutionis, dispensationis seu rehabilitationis beneficium valeant obtinere

« Noverint insuper pœnitentes, et alii fideles, absolutiones, dispensationes, relaxationes, commutationes, convalidationes,

Digitized by Google

compositiones et alia ejusmodi, si quæ in posterum contra hanc nostram prohibitionem obtinuerint, nulla fore, nulliusque roboris, ac momenti.

« Cæterum per præsentes non intendimus revocare supradicta indulta, facultates, et gratias, quæ per quasvis litteras Apostolicas, etiam in simili forma brevis expeditas, vel rescripta a S. R. E. præfatæ cardinalium, aut Romanæ Curiæ prælatorum, aliisve almæ Urbis congregationibus edita, et ab eisdem prædecessoribus approbata, nec non per dictum officium pœnitentiariæ Apostolicæ quandocunque concessa fuerint, seu emanaverint, quæ salva ac firma remanere volumus.

« Decernentes, easdem præsentes litteras, et in eis contenta, etiam ex eo, quod prædicti, et alii quicunque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, ad ea vocati et auditi non fuerint, de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, seu alio quocunque defectu notari, impugnari, redargui, in controversiam vocari, aut adversus illa quodcunque juris, gratiæ, vel facti remedium intentari, vel impetrari nullatenus posse, sed ipsas præsentes litteras semper firmas, validas, efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, et pro tempore spectabit, in omnibus, et per omnia inviolabiliter observari; sicque, et non aliter in præmissis per quoscunque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac ejusdem S. R. E. cardinales etiam de latere legatos, dictæque Sedis nuntios, et alios quoslibet, quavis præeminentia, et potestate fungentes et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contingerit attentari. Non obstantibus præmissis ac quibusvis constitut. et ordinationibus Apostolicis, necnon, quatenus opus sit, quarumlibet ecclesiarum, ordinum, congregationum, militiarum, etiam S. Joannis Hierosolymitani, institutorum, Societatum etiam Jesu, communitatum, universitatum, capitulorum, collegiorum, confraternitatum, conventuum et monasteriorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, usibus, et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque indultis, et litteris Apostolicis sub quibuscunque verborum tenoribus et formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis irritantibus et aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine paribus ac consistorialiter, et alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, et approbatis, ac pluries, et quantiscunque vicibus innovatis.

« Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata exprimerentur, et insererentur præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice duntaxat specialiter, et expresse, ac plenissime, et amplissime derogamus, et derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscunque.

« Ut autem eædem præsentes litteræ ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus illas, seu earum exempla ad valvas ecclesiæ Lateranensis, et basilicæ Principis Apostolorum, nec non cancellariæ Apostolicæ, Curiæque generalis in monte Citatorio, et acie campi Floræ de Urbe præfata, ut moris est, affigi, et publicari, sicque publicatas, et affixas, omnes et singulos, quos illæ concernunt, perinde arctare, et afficere, ac si unicuique eorum nominatim, et personaliter intimatæ fuissent. Utque ipsarum litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides, tam in judicio quam extra illud ubique adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

« Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die 12 Febr. MDCCXXXII, pontificatus nostri anno secundo. »

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(21. Non inutile est, hic accuratius inquirere, quænam vivæ vocis oracula fuerint revocata.

Illud principio monendum est, sub generali revocatione oraculorum vivæ vocis non venire privilegia oretenus omnibus fidelibus, aut omnibus ecclesiasticis, vel aliis quam regularibus concessa, quia in bullis revocatoriis exprimuntur duntaxat privilegia oretenus concessa regularibus ordinum (150), tum mendicantium, tum non mendicantium; Grueber, *De privileg.*, tract. 1, disput. 4, sect. 5, n. 48. De privilegiis itaque concessis oretenus regularibus erunt sequentes quæstiones.

(22. An sub generali revocatione venerint oracula illa vivæ vocis, quibus decla-

(150) In Brevi Clementis XII, § *Itaque*, generatim dicitur, « quibuscunque utriusque sexus personis sæcularibus, vel regularibus, cujuslibet status, gradus, conditionis, præeminentiæ, ac dignitatis, sive ecclesiasticæ, sive temporalis existentibus... communitatibus quoque, universitatibus, capitulis, collegiis, confraternitatibus, conventibus et monasteriis cujusvis ord. congr., militiæ etiam S. Joannis Hierosolymitani, ac instituti et societatis etiam Jesu etc. »

Digitized by Google

rantur privilegia regularium, aut constitutiones Pontificiæ, etc.? Negat Grueber, *De privileg.*, dic. tract. 1, disp. 4, sect. 5, n. 48. At recte Amort, in *Addit.* ad mox laudatum auctorem: « Inter declarationes, ait, alias esse authenticas, dispositivas, ac novæ legis constitutivas, alias vero tantum doctrinales, ac magistrales, quæ non habent vim legis. Itaque si ex circumstantiis constet, declarationem in re indeterminata per legem, esse novæ legis constitutivam, aut a lege generali non per epikiam, sed ex gratia exceptivam, eadem ratio erit de his oraculis declarativis, quæ de aliis. Intentio enim Pontificis privilegia revocantis talis esse præsumenda est, qualis esse debet. Talis autem esse debet, qualem exigit urgens ratio. »

(23. De indulgentiis quoque oretenus concessis quæritur, an eæ comprehendantur sub generali revocatione oraculorum vivæ vocis? Pariter negat Grueber *loc. cit.* Sed Amort, cum in *Addit.* ad ipsum, tum in *Tract. de indulgent.*, quæst. 56, nota 5, affirmativam sententiam tenent, et merito; quia etiam indulgentiæ sunt indulta, et gratiæ etc. quæ in bulla Urbani VIII revocantur, imo majus est confusionis, deceptionis, aut scandali ex hujusmodi incertis indulgentiis periculum, quam ex aliis privilegiis.

(24. Gravior quæstio est, an privilegia vivæ vocis oraculo concessa, quæ ante revocationem Gregorii XV sortita fuerunt effectum, qui tamen tractum habet successivum, dici debeant revocata? Fertur autem, P. Dominicum Molin procuratorem generalem ord. Prædicat. petiisse a S. congregatione episcoporum et regularium negotiis præposita declarari, « an stante præfata revocatoria Gregorii XV, gratiæ, et privilegia vivæ vocis oraculo concessa generalibus, vicariis generalibus et procuratoribus generalibus, ac eorum ordinibus, quæ sortita erant effectum ante revocatoriam, licet effectus tractum habeat successivum, vel alias respiceret personas particulares, ut sunt præsentaturæ, et magisteria, maneant in suo robore, et valida censeantur, ac si in dicta Constitutione revocatoria non essent comprehensa, an vero aliqua indigeant revalidatione, tam in temporalibus, quam in spiritualibus? » mox dictam sacram congregationem verbis hisce rescripsisse: « Sac. Congreg. etc. prædictas gratias, et privilegia in dicta revocatoria constitutione non comprehendi, nullaque revalidatione indigere, proindeque validas fore, et esse, eisdemque secure uti posse censuit, prout alias fuit responsum. » *Vide* Castellin., *De elect canonic.*, cap. 6, n. 37. Confer instrumentum editum *Bullar. ord. Prædic.*, tom. VI, pag. 9, seqq., not. 1, in quo pag. 12, col. 1, descripta S. congreg. declaratio refertur.

(25. Innixi autem huic rescripto complures negativam in hac quæstione opinionem tenent. Sed non conveniunt de intelligentia privilegii sortientis effectum, qui habeat tractum successivum. Confer Grueber, *loc. cit.*, n. 50 et 51. Non omittendum vero, quod Amort in *Addit.* ad n. 60. « Hanc conclusionem (inquit) admittendam esse quoad privilegia personalia, de quibus agit illa Molinæ interrogatio, et sac. Congregationis responsio. Non vero extendenda ultra personas actu gaudentes usu privilegii. Ratio est quia intentio illius clausulæ exceptivæ Pontificiæ præsumenda est esse, qualis debuit esse juxta leges prudentiæ. Cum ergo prudentia solum suadeat excipi personas, non successores, solum inter exceptos censendi sunt tempore Gregorii XV actu gaudentes usu privilegii. » (27. At verba *ac eorum ordinibus* pandunt actum haud fuisse solummodo de privilegiis concessis generalibus, etc. Quod si actum dicendum sit de privilegiis solummodo concessis generalibus et vicariis generalibus, nisi ea fuerint restricta ad eos, qui tunc munera illa obibant, non video, cur ad successores non sint transitura.

(28. Privilegia vivæ vocis oraculo concessa, de quibus testati sunt officiales Summi Pontificis, quibus vi officii de privilegiis Pontificiis oretenus concessis fides haberi solet, non esse revocata, communis sententia est innixa secundæ bullæ Urbani VIII incipienti *Alias felicis recordationis*. (29. Intellige tamen, modo non sint contraria decretis concilii Trident. vel Pontificiarum constitut. ut probe monet Amort, in *Addit. ad Grueber, dict. loc.*, n. 53.

(30. At magna est dissensio, quinam veniant nomine officialium, quorum facta attestatio de concessis viva voce privilegiis sufficit, ut non sint revocata. Adi Grueber, *dicto opere*, n. 54, et ibi Amort in *Addit.*

(31. Pariter in eam communiter eunt Doctores sententiam, privilegia oretenus primitus concessa, ac postea per constitutiones Pontificias, motu proprio, et ex certa scientia confirmata, non comprehendi in constitutionibus revocatoriis privilegiorum. *Vide* innumeros auctores relatos a Grueber *eodem loc.*, n. 55, tum rationes ab eo numeris sequentibus adductas. Sed Amort, in *Addit.*, hanc opinionem impugnat.

(32. Impugnat quoque idem Amort, in *Addit.*, ad n. 56, opinionem illam, quod privilegium primum per bullam concessum uni religioni, deinde vero alteri communicatum per oraculum tantum vivæ vocis, non veniat sub generali revocatione oraculorum vivæ vocis.

(33. Reliquum est ut duo adnotemus. Alterum est, quod revocata tantummodo dici debent privilegia oretenus concessa ante bullas revocatorias, non item post ipsas. Recte vero ait Amort in *Addit. ad Grueber., l. c.*, n. 63: « Non esse verisimile ullum Romanum Pontificem post ea tempora voluisse, aut velle integris communitatibus concedere privilegium notabile sine scriptura authentica. Solum enim privilegia personalia solent concedi aliquando sine forma probante non publica. » (34 Alterum est, quod si quæ post bullas revocatorias concessa sunt privilegia, vel concedentur vivæ vocis

Digitized by Google

oraculo, ea veniunt sub generali privilegiorum revocatione. Etenim si Papa, vel concilium intendit revocare privilegia omnia etiam scripta, adeoque matura deliberatione edita ; multo sane magis revocare intendit privilegia vivæ vocis oraculo concessa, ut contra Grueber, *dict. loc.*, n. 45, firmat Amort, in *Addit.*

ORACULUM SUPERSTITIOSUM.

Vid. verb. Superstitio, *n.* 32.

ORATIO.

SUMMARIUM.

1. Orationis nomen sumitur tripliciter, scilicet generalissime, generaliter, et specialiter. — 2. Quid significet oratio sumpta generalissime, quid sumpta generaliter, et quid sumpta specialiter? — 3. Oratio specialiter, seu proprie sumpta definitur. — 4. Oratio recte dividitur in mentalem, et vocalem, et quæ utraque sit? — 5. Oratio vocalis debet habere necessario adjunctam mentalem, seu internam. — 6. Oratio vocalis dividitur in privatam, et publicam, et quæ sit utraque? — 7. Oratio adultis usum rationis habentibus est necessaria necessitate præcepti divini positivi, et naturalis. — 8. Imo oratio secundum ordinarium Dei concursum salvandi adultos, est ipsis necessaria ad salutem, etiam necessitate medii. — 9. Quamvis tempus, quo urget obligatio orandi, per se loquendo, et ex virtute religionis determinari non possit, necessarium tamen est, ut non nimis diu ab oratione desistamus. — 10. Per accidens vero, et saltem ex lege charitatis tenetur quilibet homo orare in variis casibus, qui assignantur. — 11. Respectu autem aliquarum particularium personarum potest insuper adesse obligatio orandi in quatuor specialibus casibus, qui assignantur. — 12. Oratio fieri potest pro omnibus, qui necdum sint in termino. — 13. Non est orandum pro sanctis, qui sunt in cœlo, quamvis possit illis peti nova gloria accidentalis. — 14. Item nec est orandum pro damnatis. — 15. Orandum est tamen pro animabus purgatorii. — 16. Animæ in purgatorio probabilius orant pro nobis, et ad hoc recte invocantur. — 17. Animæ in purgatorio orant Deum pro se ipsis. — 18. Angeli et sancti in cœlo, et orant pro nobis, et a nobis recte, et salubriter invocantur tanquam intercessores apud Deum, ad n. 19. — 20. Homines sancti et justi in hoc mundo recte et salubriter orantur, et invocantur ut intercessores nostri apud Deum. — 21. Adducitur et solvitur instantia de invocatione sanctorum. — 22. Oratio ex Christi promissione habet infallibilem impetrandi vim, dummodo adsint conditiones requisitæ. — 23. Assignatur prima conditio requisita. — 24. Assignatur secunda. — 25. Assignatur tertia. — 26. Assignatur quarta. — 27. Supradictis quatuor conditionibus occurrentibus oratio semper infallibiter impetrat, et si non impetret, provenit ex defectu alicujus ex dictis conditionibus. — 28. Imo, supradictis quatuor conditionibus concurrentibus, exaudiuntur etiam peccatores. — 29. Adducitur et solvitur instantia ex dicto cæci nati. — 30. Oratio quotidiana fidelium, et præsertim *Pater noster*, delet peccata venialia, et quotidiana. — 31. Affertur brevis additio facta a Clemente XIII instructioni pro expositione SS. Sacram. occasione orationis 40 Horarum editæ a Clem. XI et a nobis allatæ sub verb. Eucharist. in fine. — 32. Refertur novissima concessio specialium indulgentiarum facta a Benedict. XIV tam docentibus et addiscentibus, quam peragentibus orationem mentalem. — 33. Alia ad rem ad n. 34. — 35. Assignatur modus, brevibus versiculis comprehensus, concludendi omnes orationes seu collectas. — 36. V. Cætera ibi.

(1. Orationis nomen sumitur tripliciter, scilicet generalissime, generaliter, et specialiter. Navarr., in cap. *Quando*, seu *Enchirid. de oration.* 3, et *Hor. canonic.*, prælud. 5, n. 8 et 9; Gobat, tom. I, tr. 5, n. 733, et alii passim. Oratio generalissime sumpta significat quamlibet sanctam operationem. (2. Oratio generaliter sumpta significat laudem Dei, gratiarumque actionem. Oratio specialiter sumpta significat petitionem rei alicujus decentis a Deo. Gobat, *loc. cit.*, n. 733; Navar., *loc. cit.*, et alii passim. (3. Et oratio hoc tertio modo sumpta, scilicet specialiter, seu proprie, recte definitur a D. Thoma 2-2, qu. 83, art. 1, his verbis : « Est petitio rerum decentium impetrandarum a Deo, immediate, vel mediate ad eum directa. » Et sic in re alii communiter.

(4. Oratio recte dividitur in mentalem, et vocalem. Oratio mentalis, seu interna est illa, quæ non voce, sed sola mente formatur, exercendo videlicet interiores animæ potentias circa Deum cum interna, pia et familiari ad eum directa collocutione, prout fit in meditatione, de qua S. Augustinus (sive auctor libri *De spiritu et anima* olim S. Augustino adscripti de quo vide Maurinos editores in Admonit. ad ipsum librum in *Append.* ad t. VI *Opp.* S. Augustini) cap. 50, dicit : « Meditatio parit scientiam, scientia compunctionem, compunctio devotionem, devotio perficit orationem. » (5. Oratio autem vocalis est illa, quæ formatur voce externa exprimente pium nostrum internum desiderium ad Deum. Et additur notanter « exprimente pium nostrum internum desiderium, » quia oratio vocalis ad hoc, ut habeat veram rationem orationis, necessario debet habere adjunctam orationem mentalem, seu internam, aliter sine interiori affectu, et attentione prolata non prodest, juxta illud vulgatum :

Si mens non orat, in vanum lingua laborat.

Et sic orantes, tanquam hypocritæ, merito reprehenduntur a Christo *Matth.* xv, 7 et 8, his verbis : *Hypocritæ, bene prophetavit de vobis Isaias dicens : Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longe est a me.*

(6. Oratio vocalis dividitur in privatam, et publicam. Oratio privata est illa, quam proprio suo motu, et nomine homo privatim quocunque decenti modo, et loco effundit ad Deum pro se, vel pro aliis. Oratio publica est illa, quæ auctoritate publica et nomine totius Ecclesiæ a ministris ad id deputatis Deo offertur, uti fit in missa et Horis canonicis.

Digitized by Google

(7. Oratio adultis usum rationis habentibus est necessaria necessitate præcepti divini, positivi, et naturalis. *Communis.* Et quod sit necessaria necessitate præcepti divini positivi, habetur expresse ex pluribus sacræ Scripturæ locis, ut *Luc.* XVIII : *Oportet semper orare; Colossens.* IV : *Orationi instate, vigilantes in ea; I Thessalonicens.* cap. ultim. : *Sine intermissione orate; Ephes.* VI : *Orantes omni tempore*, et sæpe alibi. Quod autem sit necessaria necessitate præcepti naturalis, clare de se patet, quia jus naturæ exigit ut Deum quandoque per actus religionis honoremus, et colamus; et hoc naturale præceptum est adeo naturæ rationali insitum, ut omnes gentes, etiam barbaræ, et infideles semper agnoverint : cum nunquam fuerit gens tam barbara, ac infidelis, quæ Deum aliquem, seu verum, seu falsum aliquo cultu non honoraret, et coleret, et signanter per orationem, quæ naturæ obvia maxime indigentiam nostram a Deo primo omnium principio declarat.

(8. Imo oratio secundum ordinarium Dei concursum salvandi adultos, est ipsis necessaria ad salutem, etiam necessitate medii. Ita Suarez, tom. II *De religion.*, lib. I *De oratione*, c. 28; Layman, lib. IV, tract. 1, *De oratione*, num. 2; Sporer, tom. I, tract. 2, in 1 *præcept. Decalog.*, cap. 7, num. 21, ubi dicit sic tenere omnes. Et hoc desumitur ex verbis Apostoli *ad Romanos* X, ibi : *Omnis qui invocaverit nomen Domini salvus erit.* Et mox addit : *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt?* indicans, non minus quam fidem, etiam invocationem divini nominis, seu orationem esse medium necessarium ad salutem. Item ex verbis Christi. *Luc.* XI, ibi : *Petite, et accipietis*, quasi dicat, nisi petieritis, non accipietis; adeoque petitionem, seu orationem ordinarie esse medium necessarium ad salutem. Quamvis enim divinum auxilium ad vincendas tentationes, et servanda Dei præcepta necessarium quandoque detur non petentibus, ordinarie tamen non datur, nisi petentibus, ut patet ex illo Jacobi apostoli, IV, 2 : *Non habetis, propter quod non postulatis.*

(9. Quamvis tempus, quo urget obligatio orandi per se loquendo, et ex virtute religionis, determinari non possit, necessarium tamen est, ut non nimis diu ab oratione desistamus, juxta illud *Lucæ* XVIII : *Oportet semper orare, et non deficere; I ad Thessalonicens.*, cap. ult. : *Sine intermissione orate*, et *ad Ephes.* VI : *Orantes omni tempore.* Unde sanctus Joannes Chrysostom. lib. II *De orando Deum*, sic dicit : « Si teipsum destitueris precatione, perinde feceris, ac si piscem ex aqua extraxeris, ut enim piscis vita est aqua, ita tibi deprecatio. » Et idipsum fortius inculcat sanctus Bonaventura, *De perfectione vitæ*, cap. 5, respectu religiosorum : « Revera religiosus non frequentans assidue orationem, non solum est miser, et inutilis, quinimo coram Deo fert animam mortuam in corpore vivo.... Non est mirum, si tentationibus succumbat frequenter miserabiliter, qui studium orationis non frequentat. »

(10. Per accidens vero, et saltem ex lege charitatis, tenetur quilibet homo orare in variis casibus. Primo, quando adest necessitas gratiam recuperandi. Secundo, quando adest periculum gratiam amittendi. Tertio, quando adest periculum grave propriæ mortis. Quarto, quando occurrit aliqua spiritualis necessitas proximi, cui aliter succurri non potest, nisi orando pro eo. Quinto, quando respublica, seu communitas adest in aliqua gravi necessitate, seu periculo, sive spirituali, sive temporali. In istis enim et similibus casibus tenetur quis ex populo orare sub gravi, vel levi culpa omnino æstimanda prudenti judicio, juxta gravem vel levem casus indigentiam et urgentiam. *Communis.*

(11. Respectu autem aliquarum particularium personarum potest insuper adesse obligatio orandi in quatuor specialibus casibus. Primo, quando adest specialis status, vel ordinis sacri, vel beneficii, vel religionis professæ. Secundo, quando adest speciale votum. Tertio, quando adest speciale pactum. Quarto, quando adest speciale præceptum impositum a superiore, vel in sacramento pœnitentiæ. *Communis.*

(12. Oratio fieri potest pro omnibus, qui necdum sunt in termino, adeoque non solum pro nobis, sed etiam pro quibuscunque aliis, etiam sceleratissimis peccatoribus, pro paganis, Turcis, Judæis, schismaticis, hæreticis et excommunicatis. *Communissima.* Et patet tum ex praxi Ecclesiæ, signanter in feria sexta majoris hebdomadæ, tum ex verbis Apostoli, *I Timoth.* II, ibi : *Obsecro vos primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus.*

(13. Dicitur notanter, *qui necdum sunt in termino*, quia non est orandum pro beatis in cœlo existentibus, cum ipsi orationibus non indigeant, sed nos potius eorum orationibus indigeamus, cap. *Cum Marthæ* 6, § *Tertio loco*, De celebratione missarum, ibi : « Respondemus, quod, cum sacræ Scripturæ dicat auctoritas, quod injuriam facit martyri, qui orat pro martyre, idem est ratione consimili de aliis sanctis sentiendum; quia orationibus nostris non indigent : pro eo quod, cum sint perfecte beati, omnia eis ad vota succedunt. Sed nos potius orationibus eorum indigemus. » Quamvis tamen varii doceant, posse illis peti novam gloriam accidentalem, ut videtur etiam concedi in cit. cap. *Cum Marthæ*, § *Tertio loco.* (14. Item nec orandum est pro damnatis, cum ipsi nec dilectionis Dei, nec hominum, nec ullius orationis effectus capaces sint. *Communis.*

(15. Orandum est tamen pro animabus purgatorii, quia licet ipsæ sint in termino merendi et demerendi, non tamen sunt in termino mansionis. Certa de fide, etiam in veteri Testamento, *Machabæor. II*, XII, 46 : *Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.* Quo in loco S. Augustinus lib. *De cura pro mor-*

Digitized by Google

tuis habenda, cap. 11, addit : « Etsi id nunquam in Scripturis veteribus omnino legeretur, tamen sufficere deberet universæ Ecclesiæ in hac consuetudine clara auctoritas. » Et *De verbis Apostoli*, cap. 32, ait : « Orationibus sanctæ Ecclesiæ, et sacrificio salutari, eleemosynis, quæ pro eorum spiritibus eroganlur, non est dubitandum mortuos adjuvari, ut cum eis misericordius agatur a Domino, quam eorum peccata meruerunt : hoc enim a PP. traditum universa observat Ecclesia. »

(15. Imo nedum est orandum pro animabus purgatorii, sed et ipsæ sunt probabilius orandæ, et invocandæ, ut orent pro nobis ; quia licet non sint in statu merendi, id tamen ad orandum et impetrandum non requiritur, ut testatur ipsemet S. Thomas 2-2, quæst. 83, art. 16, ad 2. Et de facto ex Scriptura sacra constat animas Patrum Veteris Testamenti, dum erant in limbo, fuisse solitas orare pro populo ; *Jeremiæ* XV, et *II Machabæor.*, cap. ultim., ubi de Jeremia defuncto dicitur : *Hic est, qui multum orat pro populo*. Sic tenent Bellarminus, lib. II *De purgatorio*, cap. 15 ; Joannes Medina, cap. *De orat.*, quæst. 4, verb. *De animabus ;* Gabriel, sect. 85, *in canone missæ*, prope finem ; Sporer, tom. I, tract. 2, *in 1 præcept. Decalog.*, cap. 7, num. 1 ; Layman, lib. IV, tract. 1, cap. 1, n. 5, cum Valentia, Suarez, et Less., ibi citatis, et plurimi alii passim : quamvis S. Thomas et alii senserint contrarium. *Vide* verb. ANIMA.

(17. Animæ in purgatorio orant etiam Deum pro se ipsis, quia cum pœnam et miseriam suam cognoscant, et intensissime desiderent, et sperent suam liberationem, nihil obstat, quo minus hoc suum desiderium, et spem, suamque indigentiam Deo humili petitione explicare possint, saltem ut excitet fideles viventes ad suffragia pro illis ferenda. Ita Alensis in IV part. quæst. 91, membr. 4 ; Valentia, tom. II, disp. 6, qu. 2, p. 6 ; Suarez, tom. II *De relig.*, lib. I, *De orat.*, cap. 11, § *Sed jam dicendum ;* Lessius, lib. II, cap. 37, dub. 5 ; Layman, *loc. cit.*, num. 5, ubi dicit hoc certum esse debere ; Sporer, tom. I, tract. 2 *in præcept. Decalog.*, c. 7, num. 17, ubi dicit hoc certum esse, et alii passim.

(18. Angeli et sancti in cœlo et orant pro nobis, et a nobis recte, et salubriter invocantur tanquam intercessores apud Deum. Est de fide quoad utramque partem contra hæreticos. Et prima pars, scilicet, quod angeli et sancti in cœlis orent pro nobis, clare patet ex sacra Scriptura, *Zachariæ* XI, ubi habetur quod angelus afflictionem populi miseratus ita Dominum deprecatus sit : *Domine exercituum, usquequo tu non misereberis Hierusalem et urbium Juda, quibus iratus es ?* Et *Tobiæ* XII, ubi angelus dixit ad Tobiam : *Quando orabas cum lacrymis... ego obtuli orationem tuam Domino ;* et *Jeremiæ*, ubi Deus ipse dixit : *Si steterint Moyses et Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum ;* per quod clare demonstrat, quod Moyses et Samuel jam defuncti poterant et solebant orare pro populo Judæorum ; alioquin si nunquam orassent, vel orare non potuissent, inepta fuisset talis Dei locutio. Et *Apocalyps.* V describuntur viginti quatuor seniores in cœlo procidisse coram Deo habentes *phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum ;* et *ibidem*, cap. VIII, dicitur quod *ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum de manu angeli coram Deo ;* et sæpe alibi in sacra Scriptura, tum Veteris, tum Novi Testamenti habentur consimiles textus probantes angelos et sanctos in cœlis orare pro nobis.

(19. Secunda etiam pars, scilicet quod angeli et sancti a nobis recte, et salubriter invocentur tanquam intercessores apud Deum, clare etiam patet ex pluribus textibus sacræ Scripturæ. *Genes.* XLVIII legitur, quod Jacob patriarcha angeli opem imploravit et sanctos posse invocari monstravit, ibi : *Angelus, qui eripuit me de cunctis malis, benedicat pueris istis, et invocetur super eos nomen meum, nomina quoque patrum meorum Abraham, et Isaac, et crescant in multitudinem super terram ;* et *Job* V, ibi : *Voca ergo, qui tibi respondeat, et ad aliquem sanctorum convertere ; Exodi* XXXII ita Moyses orabat Dominum : *Recordare Abraham, Isaac, et Jacob servorum tuorum ;* et *Psal.* CXIII, ibi : *Memento, Domine, David, et omnis mansuetudinis ejus... Propter David servum tuum non avertas faciem Christi tui ; Daniel.* III, ibi : *Ne auferas misericordiam tuam a nobis propter Abraham dilectum, et Isaac servum tuum, et Israel sanctum tuum.*

(20. Tum quia de fide est, homines sanctos et justos a viventibus recte utiliterque orari, seu invocari ut patroni, vel intercessores nostri apud Deum ; ergo multo magis eosdem sanctos nunc cum Christo regnantes in cœlis licebit orare, et invocare, ut patronos et intercessores nostros. Antecedens clare habetur ex variis sacræ Scripturæ textibus ; *I Reg.* VII, dicunt filii Israel ad Samuel : *Ne cesses clamare ad Dominum Deum nostrum, ut salvet nos de manu Philisthinorum ; Job* ultimo dicitur : *Ite ad servum meum Job ; Jeremiæ* XLII, habetur : *Dixeruntque ad Jeremiam prophetam : Cadat oratio nostra in conspectu tuo, et ora pro nobis Dominum Deum tuum ; Baruch* I, legitur : *Pro nobis ipsis orate ad Dominum Deum nostrum, quia peccavimus Deo nostro ; Rom.* XV, sic habet Apostolus : *Obsecro vos, fratres, per Dominum nostrum Jesum Christum, et per charitatem sancti Spiritus, ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum ;* et *Jacob.* V, dicitur : *Orate pro invicem, ut salvemini, multum etiam valet deprecatio justi assidua.*

(21. Nec valet dicere cum hæreticis, quod invocatio sanctorum cedit in injuriam Christi mediatoris, qui solus est mediator, et advocatus noster. *I Timoth.* II, ibi : *Unus est mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus.* Non valet, inquam, quia cum ibi Apostolus statim subjungat : *Qui dedit redemptionem semetipsum pro nobis*, aperte de-

Digitized by Google

monstrat quod non loquitur *de mediatore per intercessionem* ; sed solum *de mediatore per redemptionem*, quem solum esse Christum Jesum unicum nostrum Redemptorem de fide nos ipsi indubitanter tenemus ; quamvis plures mediatores per intercessionem (151) admittamus.

(22. Oratio ex Christi promissione habet infallibilem impetrandi vim, dummodo adsint conditiones requisitæ. *Communis.* Habetur enim clare ex pluribus Evangeliorum textibus, *Matthæi* VII dicitur : *Petite, et dabitur vobis ;* et *ibidem*, cap. 21, habetur : *Omnia quæcunque petieritis in oratione credentes, accipietis ;* et *Marc.* XI promittitur expresse : *Propterea dico vobis : Omnia quæcunque orantes petitis, credite, quia accipietis, et evenient vobis ; Luc* XI, absolute dicitur : *Omnis enim, qui petit, accipit ;* et *Joann.* XVI concludit suam infallibilem promissionem dicens : *Amen, amen, dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.*

(23. Prima conditio requisita ad efficaciam et infallibilem effectum orationis est, quod petantur necessaria, et utilia ad salutem ; cum enim ad infallibiliter obtinendum juxta textum mox allatum *Joan.* XVI debeamus petere in nomine Salvatoris, clare indicat, quod petenda sint necessaria, et utilia ad salutem ; quia ut optime ad eum locum exponit S. Augustinus tract. 102 *in Joannem* : « Non petitur in nomine Salvatoris quidquid petitur contra rationem salutis. »

(24. Secunda conditio est, quod oratio sit pia, scilicet cum devotione, et maxime cum firma fide obtinendi id, quod petitur ; quia supracitatæ promissiones Christi ad infallibilem effectum, seu impetrationem orationis exigunt fidem orantis. Unde *Jacobi* I dicitur : *Postulet autem in fide, nihil hæsitans ; qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui a vento movetur, et circumfertur ; non ergo æstimet homo ille, quod accipiat aliquid a Domino.*

(25. Tertia conditio est, quod oratio fiat pro se ipso, et non pro aliis. Ut enim optime observat S. Augustinus tract. 162 *in Joannem :* Exaudiuntur omnes pro seipsis, non autem pro omnibus ; unde non simpliciter dictum est, dabit, sed « dabit vobis. » Quamvis ex charitate orare possimus, ac debeamus etiam pro aliis, juxta illud *Jacobi* V : *Orate pro invicem, ut salvemini*, tamen multo difficilior censetur impetratio pro aliis quam pro seipso, cum alii possint obicem ponere ratione propriæ indispositionis quam indispositionem tollere, et dispositionem ponere pro aliis, non est in potestate orantis, sicuti est in sua potestate pro se ipso. Dato autem, quod alii, pro quibus oratur, sint debite dispositi, etiam oratio pro ipsis facta, et cæteris aliis conditionibus vestita, habebit suum infallibilem effectum, seu impetrationem ; ut recte docent Layman, *loc. cit.*, n. 10 ; Reiffentuel, tract. 5, dist. 1, quæst. 5, *De oratione*, n. 53, et alii.

(26. Quarta conditio orationis infallibiliter, et certo impetrantis est, quod fiat perseveranter, id est, si prima vice non obtineamus, iterum iterumque instemus. Unde Christus Dominus *Luc.* XVIII, dicit : *Oportet semper orare, et non deficere ;* et ex professo late id ostendit *Lucæ* XI de amico et tribus panibus dicens : *Et si ille perseveraverit pulsans : dico vobis, etsi non dabit illi surgens, eo quod amicus ejus sit ; propter improbitatem tamen ejus surget, et dabit illi quotquot habet necessarios. Et ego dico vobis : Petite, et dabitur vobis.*

(27. Supradictis quatuor conditionibus concurrentibus, oratio semper infallibiliter impetrat, et si non impetret, provenit ex defectu alicujus ex dictis conditionibus, ut omnes ipsas egregie complectens dicit S. Basilius *Serm. de orando Deum ;* ibi : « Ideo, quando petis, et non accipis, est, quia perperam postulasti, vel infideliter, vel leviter, vel non conferentia tibi, vel destitisti ; » et jam dixerat Jacobus Apost. in sua *Epist. can.*, cap. 4 : *Petitis, et non accipitis, eo quod male petatis.* (28. Imo, supradictis quatuor conditionibus concurrentibus, exaudiuntur etiam ipsimet peccatores, ut docet communis doctorum cum S. Thomas, 2-2, quæst. 83, art. 16. Et expresse S. August., tract. 44, *in Joannem*, dicens : « Si peccatores Deus non exaudiret, frustra ille publicanus oculos in terra demittens, et pectus suum percutiens diceret : Deus propitius esto mihi peccatori. » Et S. Joann. Chrysostom. explicans illa verba Christi *Matthæi* VII : *Omnis qui petit accipit* : addit, « sive justus sit, sive peccator, dum rite oret. » Et ratio est, quia orationis proprius effectus, seu impetratio non nititur justitia, seu statu gratiæ, sicut meritum solum, sed tantum gratia, misericordia, et liberali promissione Dei, qui dives est, ac pius in omnes justos, ac impios, Judæos et Græcos, qui invocant illum. *Non enim* (scribit Apostolus ad Romanos X, 12) *est distinctio Judæi et Græci : nam idem Dominus omnium, dives in omnes, qui invocant illum.*

(29. Nec valet objicere illud cæci nati *Joan.* IX : *Scimus, quia Deus peccatores non audit :* non valet, inquam, quia, ut respondet S. Augustinus, *loc. cit.*, illud est dictum nondum Spiritu sancto inuncti, seu perfecte illuminati, et ideo non est ratum, quamvis possit ratificari (ut dicit S. Thomas *loc. cit.*), si intelligatur de peccatore in quantum peccator est, utpote qui, vel cum actuali affectu peccati, vel pro ipso affectu peccati petat ; hunc enim Deus non exaudit ex mera misericordia, nisi quandoque ad vindictam, juxta illud S. Augustini trac. 73, *in Joann.* : « Deus quædam negat propitius, quæ concedit iratus ; » tum quia proprius sensus illius cæci videtur esse, quod Deus peccatores non exaudiat ad patrationem mi-

(151) E. R. Christus est etiam mediator per intercessionem, et diversimode a sanctis. Vide *Expositionem doctrinæ catholicæ Ecclesiæ* magni Bossuetii, *c.* 4.

Digitized by Google

raculorum in confirmationem falsæ fidei, et consequenter Christum non potuisse tunc facere miraculum, nisi ejus vita, et doctrina esset justa, et a Deo. Sic ad litteram Sporer, *loc. cit.*, num. 15.

(30. Oratio quotidiana fidelium, et præsertim *Pater noster*, etc., delet peccata venialia, et quotidiana : textu expresso in cap. *De quotidianis* 20, dist. 3, De pœnitentia, ibi : « De quotidianis, brevioribus, levibusque peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium satisfacit; eorum est enim dicere : *Pater noster, qui es in cœlis*, etc. » Delet omnino hæc oratio minima, et quotidiana peccata.

(31. Advertendum est, quod in instructione pro expositione SS. sacramenti occasione orationis 40 Horarum italice tradita de mandato Clementis XI et a nobis allata sub verb. EUCHARISTIA, in fine, non excipiuntur sub § 10, pro facultate canendi missam votivam de SS. Sacramento omnes dies, qui excipiuntur in posteriori, et novissima simili instructione italice pariter tradita de mandato Clementis XII. In hac enim sub dicto § 10 post verba : « Come anche, eccettuata la feria quarta delle ceneri, e le ferie seconda, terza, e quarta della settimana santa (excipiuntur etiam) li giorni dell' ottava di Pasqua, e di Pentecoste, le vigilie del S. Natale, e l'ottava dell'Epifania ; » qui non erant excepti in dicta instructione Clementis XI. Hinc, utpote posterior, attendenda est nunc instructio Clementis XII quoad exceptionem etiam supradictorum dierum. In reliquis autem est utraque eadem ad litteram; unde sufficit cum dictorum exceptorum dierum additione, attendere jam allatam *loc. cit.*, instructionem. *Vide ibid.*

(32. Orationes, præter eas quæ in Ecclesia receptæ sunt, in sacris ritibus non sunt admittendæ : Benedict. XIV, tom. I, constit. 86, incip. *Inter omnigenas*, § 18.

(33. Orationes, seu preces publicæ, earumque formulæ ab Ecclesiastica auctoritate indicendæ sunt et designandæ. Idem, constitut. 82, incip. *Quemadmodum preces.*

ADDITIONES CASINENSES.

Præstat hic cit. constitutionem per extensum referre, tenoris ut sequitur :

« Ecclesiastica auctoritas in designandis publicarum precationum formulis, et in eisdem indicendis asseritur.

« *Venerabilibus fratribus, patriarchis, primatibus, archiepiscopis et episcopis.*

« BENEDICTUS PAPA XIV.

« Venerabiles fratres, salutem, et Apostolicam benedictionem.

« Quemadmodum preces ad Deum pro principibus effundere, valde consentaneum est, ita convenit, ut precum ipsarum formulæ sint ex illis, quas Ecclesia usu recepit; maxime vero si ejusmodi preces in celebratione missarum adhibendæ sint. Præterea ad ecclesiasticam auctoritatem unice spectat preces illas statuere, atque indicere; cum nulli sæculari potestati fas sit decernere, præceptoque mandare, ut publicæ preces fiant, sive ad persolvendas Deo gratias pro beneficio aliquo accepto, sive ad illius opem in gravi aliqua necessitate implorandam

« § 1. Divus Paulus in *prima ad Timotheum* cap. II, ut vos bene nostis, ita loquitur : *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro hominibus, pro regibus, et omnibus qui in sublimitate sunt.* Quod si expediat hoc loco praxim ostendere, qua primæva Ecclesia utebatur in orationibus et precibus ad Deum pro principibus offerendis, eam satis patefacere poterunt sancti Dionysii episcopi Alexandrini ad præsidem Æmilianum epistola, Tertullianus in *lib. ad Scapulam*, et in *Apologetico;* sanctus Cyprianus in *Epistola ad Demetrianum;* Origenes in *Respons. ad Celsum*, et Athenagoras in sua *Legatione ad imperatores pro Christianis.*

« § 2. Multum quidem inter se conveniunt credendi et orandi ratio. Proinde in celebratissimis epistolæ S. Cœlestini ad Galliæ episcopos additionibus cap. 11, legitur : « Obsecrationum quoque sacerdotalium sa« cramenta respiciamus... ut legem [crc« dendi lex statuat supplicandi. » Atque hinc oritur, in publicis supplicationibus formulas ab Ecclesia præscriptas esse adhibendas; præsertim si res agatur de orationibus, quæ recitari debeant in missa, ut dictum est. Idcirco etiam a sacro Concilio Tridentino cavetur, ne preces in missarum celebratione adhibeantur, « præter eas quæ « ab Ecclesia probatæ, et frequenti ac lau« dabili usu receptæ fuerint. » Quamobrem in Missali Romano pro omni fere necessitate existunt piæ quidem ac religiosæ orationes e vetustis ac venerabilibus sacramentariis opportune depromptæ.

« § 3. Neque vero putamus nimium progredi, imo inter æquos auctoritatis nostræ limites Nos certe consistere credimus, cum asserimus ad ecclesiasticam quidem, non autem ad sæcularem potestatem pertinere, de ecclesiasticis ac spiritualibus rebus disponere. Magnus ille Osius episcopus Cordubensis apud sanctum Athanasium in *Epistola ad solitariam vitam agentes*, ecclesiastica sane libertate ad Constantium imperatorem hæc scripsit : « Ne te misceas « ecclesiasticis rebus, neque nobis in hoc « genere præcipe; sed potius ea a nobis « disce. Tibi Deus imperium commisit : « nobis, quæ sunt Ecclesiæ concredidit..... « Cave ne quæ sunt Ecclesiæ, ad te trahens, « magno crimini obnoxius tias. Scriptum « est : *Quæ sunt Cæsaris, Cæsari, et quæ « sunt Dei, Deo.* »

« § 4. Ad viciniora autem tempora, et ad rem, quæ epistolæ huic nostræ occasionem dedit, propius accedentes, dicimus, a laicorum ipsorum tribunali abrogata fuisse, atque rescissa sæcularis alicujus magistratus decreta, quibus publicæ pro principibus preces indictæ fuerant, quod ejusmodi de-

Digitized by Google

creta nullius auctoritatis, aut roboris esse per se innotesceret. Et non multis ab hinc annis sacra Concilii congregatio, prædecessoribus nostris annuentibus, publice abrogavit, irritumque fecit sæcularis potestatis edictum, quo illa, ob partam a principe victoriam, indixerat pro gratiarum actione, *Te Deum laudamus*, etiamsi protestationem inseruisset de præjudicio ecclesiastico juri non inferendo, quod nimirum facto protestatio ipsa adversaretur.

« § 5. Ut igitur æquitatis jure, rectoque ordine omnino procedatur, monemus vos, atque hortamur, ut tum vos, cum alii opera vestra, Deum sedulo rogent pro incolumitate, ac felicitate] vestrorum principum, quemadmodum et Nos pro principibus catholicis quotidie facimus. Æquo libentique animo accipite, quod potestates sæculares a vobis petant, ut pro se publicæ preces fiant; atque operam date, ut Ecclesiæ formulæ in illis usurpentur, neque novæ, aut inusitatæ orationes in missa recitentur.

« § 6. Si autem, quod Nobis persuadere non possumus, laicalis aliqua potestas, usu, vel consuetudine aliqua, (quæ abusus revera dici debet), præsumat auctoritatem vestram in hoc minime agnoscere, sed jure suo directe velit publicas preces indicere, imo et pœnam parere renuentibus statuere audeat; loquimini et vos, quemadmodum Osius ad imperatorem locutus est. Rationes adducite, quas, qui errant, fortasse ignorant, palam ipsis facite, hanc nullatenus esse rationem exorandi Deum, atque id, quod cupiunt, consequendi : ad vos confugere eos debere, cum vos sitis, qui, licet *ex hominibus assumpti*, tamen estis *pro hominibus constituti in iis quæ sunt ad Deum*, ut ad Hebræos Apostolus loquitur : nec, præter vos, posse aliquem opus hujusmodi suscipere, et hunc sumere sibi honorem, *sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron*.

« § 7. Quod si dictis non acquiescant, neque a vobis opportunum judicetur in eos ita procedere, ut Ecclesiasticæ disciplinæ jura exigerent, vobis stricte mandamus, ut Nos quamprimum certiores de iis faciatis, opportunis quoque transmissis ad manus nostras documentis : cum Nos parati simus ea omnia facere, quæ clarissimi prædecessores nostri in ejusmodi occasionibus facere consueverunt. Nolumus enim, ad supremum Dei tribunal vocati, de neglectis sanctuarii juribus sontes judicari. Interea vos paterno amore complectimur, vobisque Apostolicam benedictionem impertimur.

« Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem, die 23 Martii MDCCXLIII, pontificatus nostri anno tertio. »

(34. Oratio in communi suadetur, et laudatur : Orationum vocalium recitatio laudatur, et confirmantur indulgentiæ eas recitantibus concessæ : Orationis mentalis exercitium docentibus, illamque peragentibus novæ indulgentiæ conceduntur : Orationem mentalem per mensem peragentibus, et confessis, ac sacra communione refectis indulgentia plenaria conceditur. Hæc omnia ex constitutione 23 Bull., tom. II Benedicti XIV, quam hic per extensum adducimus :

« *Ven. fratribus patriarchis, primatibus, metropolitanis, archiepiscopis, episcopis et præsulibus locorum ordinariis universis gratiam, et communionem Sedis Apostolicæ habentibus.*

« BENEDICTUS PAPA XIV.

« Venerabiles fratres, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Quemadmodum nihil est hominibus a familiari Dei consortio et consuetudine avulsis et ejectis ad divinos hauriendos fulgores, ad æternam salutem procurandam et ad Deum quasi manu facta coeundum magis opportunum, salutare, ac necessarium oratione, quæ est veluti ascensio animæ de terrestribus ad cœlestia, inquisitio supernorum, invisibilium desiderium, conjunctio Spiritui sancto et ad Deum locutio; ita, ne desolatione desoletur universa terra ex eo quod nullus recogitet corde, omnes et singuli ubique et semper salutaribus præceptis monendi sunt, quod oporteat semper orare et nunquam deficere; ut in omni oratione et obsecratione, cum gratiarum actione, petitionibus nostris innotescentibus apud Deum, ipse, qui dives est in omnes eum invocantes, nec nostras abs se deprecationes, nec suas a nobis amoveat miserationes. Eapropter prædecessores nostri Romani Pontifices divina institutione formati, ut Christifideles ad orationis sive vocalis, sive mentalis, ut dicitur, illa sit, studium cum alacritate ineundum, et sine intermissione frequentandum incitarent, eosdem cum cohortationibus inflammare, tum cœlestium etiam munerum thesauris, quorum dispensationem ipsis crediderat Altissimus, allicere studuerunt. Indulgentias enim, peccatorum remissiones et de injunctis eis quomodolibet debitis pœnitentiis relaxationes elargiti sunt iis, qui sive vocales preces recitarent, sive per aliquod temporis spatium quotidie in lege Domini meditarentur. Nos autem laudatissimis eorumdem prædecessorum nostrorum exemplis incensi, non solum omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones et pœnitentiarum relaxationes per eosdem nostros prædecessores pro recitantibus quascunque vocales preces (dummodo nunquam revocatæ fuerint), aut quomodolibet orantibus quocunque modo, sive ad tempus, sive in perpetuum ad hanc usque diem concessas Apostolica auctoritate, tenore præsentium, sub iisdem prorsus modo ac forma confirmamus et quatenus opus sit de novo concedimus : verum etiam alias insuper iis præsertim, qui mentalis orationis, seu meditationis studio operam dederint ut infra, impertimur. Primum itaque omnibus et singulis, sive qui tam in Ecclesiis, quam alibi et ubicunque locorum publice et private quoscunque homines orandi, seu meditandi rudes quomodocunque orare et meditari docuerint, sive qui pie orandi

Digitized by Google

et meditandi institutioni hujusmodi, ut præmittitur, interfuerint, dummodo vere pœnitentes, ac sacra communione refecti, qua vice id egerint, septem annos et totidem quadragenas de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus. Iis vero tam docentibus, quam addiscentibus, qui assidue præmissa peregerint, ac similiter vere pœnitentes, ac sacra communione refecti, pro Christianorum principum concordia, hæresum exstirpatione, ac sanctæ matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint semel in mense pro uniuscujusque commodo et arbitrio, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, quam per modum suffragii animabus Christifidelium, quæ Deo in charitate conjunctæ ab hac luce migraverint, applicare possint, misericorditer in Domino concedimus. Insuper iis, qui per duos quadrantes continuatos, vel saltem per quadrantem horæ singulis diebus et per totum mensem orationi mentali dabunt operam, et vere pœnitentes et confessi, sanctissimum eucharistiæ sacramentum sumpserint; ac pro Christianorum principum corcordia, hæresum exstirpatione et sanctæ matris Ecclesiæ exaltatione pias apud Deum preces pariter effuderint, plenariam semel quolibet mense omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, quam itidem per modum suffragi; animabus Christifidelium, quæ Deo in charitate conjunctæ ab hac luce migraverint, applicare possint, auctoritate et tenore similibus misericorditer in Domino elargimur. Etsi autem, juxta divinum Domini Nostri Jesu Christi præceptum, oporteat ut quisquis oraturus, ne ad instar hypocritarum videatur ab hominibus, intret cubiculum suum et clauso ostio oret cœlestem Patrem in abscondito : tamen cum ipse Dominus dixerit quod *ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum;* et sanctus Joannes Chrysostomus prædicet esse in oratione cum fratribus plus aliquid, videlicet concordiam, conspirationem, amoris conjunctionem et charitatis clamorem felici societate, ex qua orationes infirmiores, se simul complexas, validiores in cœlum evehi; optimum esset, ubi commode fieri posset, ut quemadmodum in nonnullis institutum esse accepimus, ita in omnibus et singulis diœcesibus in more poneretur : nimirum, ut singulis diebus, dato certo campanarum signo, sive in ecclesiis, dummodo totius populi multitudo unum in locum, ubi oret, masculis a feminis seorsim collocatis, convenire facile possit et nulla suboriatur confusio et inordinatio; sive in propria domo patresfamilias, eo, aut alio opportuniori tempore ante imaginem sacram cum tota familia convenientes orent. Eapropter vos, venerabiles fratres, rogamus et in Domino hortamur, ut omnibus et singulis ecclesiarum piorumque locorum, in civitatibus quidem cathedralis, aliarumque præcipuarum ecclesiarum; in oppidis vero, parochialium ecclesiarum superioribus, ac rectoribus injungatis, ut, præmisso campanæ sonitu iis diebus, iisque horis, quibus vobis opportunius in Domino visum fuerit, dando, decernendoque omnes Christifideles uniuscujusque curæ commissos, quos in unum convenire contigerit, in mentalis orationis studio erudire, sive per alios peritos erudiri faciant, atque ad illam frequentandam accedere, necessitatem, utilitatemque proponere, indulgentiarum thesauros, quos de benignitate apostolica elargimur, explicare, et ad ipsos ea, qua decet, pietate, ac reverentia lucrandos inflammare studeant et enitantur; atque etiam, si commode, ut præmittitur, fieri poterit orationi mentali in communi practica, ut dicitur, vacare, in eaque exerceri faciant et curent. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut earumdem præsentium litterarum transumptis, seu exemplis manu alicujus notarii publici subscriptis et sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur eisdem præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Interim Apost. benedict. vobis, ven. fratres, peramanter impertimur.

« Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub annulo Piscatoris, die 10 Decemb. MDCCXLVI, pontificatus nostri anno sexto.

« CAJETANUS AMATUS. »

* Anno antecedenti super eodem argumento emanaverat hoc aliud decretum:

« Cum sacræ congregationi indulgentiis sacrisque reliquiis præpositæ humillime expositum fuerit, tribus diebus, scilicet feria v in Cœna Domini, ac Parasceves et Sabbati sancti, quibus incruenta sanctissimi corporis et sanguinis D. N. Jesu Christi sacrificia ex ecclesiasticæ disciplinæ instituto offerri minime possunt, quoddam pium exercitium in Urbe et in aliquibus Italiæ locis introductum inveniri sub hac lege, ut quisque, spatio saltem unius horæ omnibus ac singulis præfatis diebus orationi mentali vel vocali, in suffragium animarum in purgatorii pœnis degentium vacare debeat, ut quo tempore ipsæ fidelium defunctorum animæ suffragiis ex missarum celebratione provenientibus destituuntur, alia, qua potest ratione, valeant adjuvari; eadem sacra congregatio, die 6 Aprilis 1745, re mature perpensa, ad laudabile hujusmodi institutum confovendum, omnibus et singulis utriusque sexus in Urbe ac in Italia Christifidelibus, qui saltem corde contriti diebus in Cœna Domini, ac Parasceves et sabbati sancti orationi mentali, vel vocali in suffragium fidelium defunctorum unam saltem horam devote impenderint, indulgentiam septem annorum, totidemque quadragenarum animabus fidelium defunctorum applicabilem in perpetuum concedendam esse censuit. De quibus facta per me infrascriptum secretarium die 10 ejusdem mensis sanctissimo Domino

Digitized by Google

relatione, Sanctitas sua votum sacræ congregationis approbando benigne annuit.

« C , card. DE HIERONYMIS, præf.

« A. M. ERBA , protonotarius Apostoli-« cus, sec. »

V. Append. t. IV, v. INDULGENTIA, n. 26.

Eamdem indulgentiam confirmavit SS. D. Noster Papa Benedictus XIV, die 4 Mart. 1750 an. jubilæi. *Vide* verb. JUBILÆUM, art. 1, n. 47 *.

(35. Ut quisque sciat modum concludendi orationes, seu Collectas, tum in missa, tum in divino officio, quidam sacer poeta sequentibus versibus omnes, quotquot dari possunt, conclusiones univit, videlicet:

Per Dominum dicas, cum Patrem presbyter oras,
Cum Christum memoras *per eumdem* dicere debes,
Cum Christo loqueris, *qui vobis* dicere quæras,
Qui tecum, si sit Collectæ finis in illo,
Et si Spiritus almus, *ejusdem* dicere debes.

(36. * Peccatorum orantium tria sunt genera. Alii scilicet in statu peccati mortalis et se credunt contritos, quamvis non sint. Eorum oratio rite instituta a Deo exauditur. Alii dolent quidem de peccato, sed non ita, ut ab eo se expediant; hi vero, ut eniti ac se liberare valeant, si ideo Deum deprecentur, ea saltem impetrabunt, quæ ad æternam suam salutem pertinent. Sunt tandem, qui nec dolent de peccato, nec enituntur, ut e statu illo exeant; imo nec volunt; si quid illi petierint a Deo vel spirituale, vel temporale, raro exaudiuntur. Ita ex Suarez, *Instit. eccles.*, 62, § 10*.

ORATORIUM.

SUMMARIUM.

1. Oratorium, generice captum, quid sit?—2. Oratorium pro missis celebrandis aliud est publicum, et aliud est privatum. — 3. Oratorium publicum pro missis celebrandis quale sit, et debeat esse? — 4. Oratorium privatum pro missis celebrandis quale sit, et debeat esse? — 5. Affertur decretum Clementis XI de celebratione in oratoriis privatis. — 6. Affertur formula indulti pro oratorio privato. — 7. Affertur clausula, quæ solet poni pro infirmo, etiam nobili. — 8. Quadruplicis speciei solent oratoria privata concedi, et assignantur. — 9. Ad superiorem notitiam juvat expendere singulas clausulas supradictæ formulæ solitæ communiter dari in concessione oratorii privati. — 10. Expenditur prima clausula : *Qui, ut asseris de nobili genere*, etc., quæ importat veram nobilitatem ab ascendentibus derivatam, et sufficit sola nobilitas patris. — 11. An sufficiat sola nobilitas matris. — 12. Expenditur secunda clausula : *In privato domus tuæ*, etc., quæ non privat indultarium hoc privilegio, etiamsi mutet domicilium, et illud transferat etiam in aliam diœcesim. — 13. In tali casu debet approbari ab ordinario illius civitatis, seu diœcesis ad quam oratorium transfertur. — 14. Et probabilius debet iterum approbari, etiamsi transferatur de una in aliam domum intra eamdem civitatem, seu de uno loco ad alium intra eamdem domum. — 15. In casu vero, quod verba illa : *solitæ habitationis in diœcesi N. existentis, seu civitatis N. vel diœcesis N.* posita sint in indulto restrictive, et taxative, transferens habitationem ab una ad aliam diœcesim, non trahit secum privilegium oratorii privati.—16. Privilegiatus potest probabiliter tam in civitate quam ruri, dum ibi commoratur, uti oratorio privato, ita tamen, ut interim non utatur eo, quod est in civitate. — 17. Tertia clausula : *Decenter muro exstructo et ornato*, denotat quod locus, in quo vult erigi oratorium, debet esse decens, muro clausus, saltem a tribus lateribus, ornatus, et instructus omnibus supellectilibus necessariis ad sacrum faciendum, et ab omnibus domesticis usibus liber et segregatus. — 18. Unde supra cubiculum oratorii, seu supra capellam non debet retineri lectus ad dormiendum, aut alia res profana. — 19. Potest tamen privilegiatus, si nolit amplius uti privilegio, pro suo libito convertere oratorium in usus profanos. — 20. Si autem privilegiatus velit iterum tale oratorium profanatum remittere ad usum celebrandi sacrum, indiget nova approbatione ordinarii. — 21. Quarta clausula : *Per ordinarium loci prius visitando*, etc., indicat non posse valide oratorium constitui, nisi præcedat visitatio, et approbatio ordinarii, ejusque licentia.— 22. Sufficit tamen, si semel visitetur, et approbetur, et licentia obtineatur ab ordinario loci, vel ejus vicario, seu delegato, aut vicario capitulari. — 23. Ordinarius adinveniens oratorium præditum omnibus requisitis in indulto, tenetur approbationem, et licentiam concedere. — 24. Ex justa causa potest tamen eam non concedere, et concessam revocare, donec oratorium sit decenter instructum omnibus in indulto requisitis. — 25. Privata oratoria post primam visitationem non possunt amplius de jure visitari ab episcopo. — 26. Attamen episcopus per viam denuntiationis et inquisitionis potest accedere ad ipsa oratoria privata, ut videat quomodo se habeant, et an decenter retineantur et custodiantur. — 27. Episcopus non potest concedere licentiam celebrandi in oratoriis privatis. — 28. Imo episcopi neque possunt concedere licentiam domi celebrandi, ut infirmus pro viatico communicetur. — 29. Potest tamen episcopus concedere licentiam erigendi oratorium in domo privata, et inibi per modum habitus semper celebrandi, dummodo tale oratorium habeat publicum ingressum, et egressum. — 30. Privilegium oratorii durat, durante vita illius, cui facta est concessio, eoque mortuo, finitur, nec transit ad hæredes. — 31. Mortuo Summo Pontifice, qui concessit, et ordinario, qui approbavit oratorium, non perit oratorii concessio. — 32. Imo indultum oratorii non perit, mortuo Pontifice concedente, etiamsi ante ipsius mortem nondum fuerit ab ordinario approbatum, et executioni demandatum.— 33. Quinta clausula : *Unam missam pro unoquoque die*, clare demonstrat non posse ibi celebrari, nisi unicam missam pro qualibet die. — 34. Unde tam celebrans, quam celebrare faciens in dicto oratorio alteram missam et plures, peccant mortaliter. — 35. Sexta clausula : *Dummodo in eadem domo celebrandi licentia*, etc., aperte ostendit, quod in eadem domo nequeunt esse plura oratoria, et quod idem oratorium nequit suffragari quoad satisfaciendum præcepto audiendi missam pluribus dominis et familiis distinctis. — 36. Unde, si in eadem domo sint duo domini cum suis distinctis familiis, et uterque impetravit indultum oratorii, is qui posterius impetravit, non potest eo uti, durante indulto pro eadem domo prius impetrato.—37. Cessante autem primo indulto, incipit valere secundum posterius impetratum pro eadem domo. — 38. Si autem plures familiæ habitent in domo divisa in plures distinctas partes, potest pro qualibet habere locum privilegium oratorii privati. — 39. Item si domus pluribus solariis constet, et in ipsis constituantur diversæ habitationes, pro diversis familiis, erunt diversæ domus juxta diversitatem solariorum. — 40. Septima clausula: *Per quemcunque sacerdotem ab ordinario approbatum*, etc., indicat sacerdotem ibi celebraturum

Digitized by Google

debere habere a suo respective superiore approbationem saltem generalem, et licentiam saltem tacitam, seu non prohibitionem ibi celebrandi. — 41. Unde si quis ex rationabili causa positive inhiberetur a suo respective superiore, graviter peccaret ibi celebrando. — 42. Non requiritur tamen pro ibi celebrando licentia parochi. — 43. Octava clausula: *sine jurium parochialium præjudicio*, denotat quod in his privatis oratoriis non potest exerceri ullum munus parochiale sine licentia ordinarii vel parochi. — 44. Hinc non possunt ibi exigi decimæ, primitiæ, seu oblationes, quæ de jure dantur parocho; nec potest ministrari sacramentum Eucharistiæ tempore paschali sine licentia parochi aut ordinarii; nec denuntiari matrimonia, aut hujusmodi. — 45. In his privatis oratoriis potest ministrari sacramentum pœnitentiæ et eucharistiæ, si id non sit per specialem aliquam constitutionem expresse prohibitum. — 46. Imo plurimi doctores tenent posse regulares in oratoriis privatis Eucharistiam extra festum Paschatis ministrare, etiam episcopis contradicentibus. — 47. Consultius tamen est id non facere, episcopis contradicentibus. — 48. Sacerdotes autem sæculares non possunt ibi ministrare, nisi de licentia saltem præsumpta, et tacita episcopi vel parochi. — 49. Nona clausa: *Exceptis diebus Paschatis*, etc., excipit solemnioria quædam festa hic assignata, in quibus non licet in oratoriis privatis missam celebrare. — 50. Hinc, si quis in dictis Festis exceptis celebret, vel celebrari faciat in oratoriis privatis, graviter et dupliciter peccat. — 51. Decima clausula: *In tua et familiæ tuæ præsentia*, etc., designat personas, quæ in indulto comprehenduntur, et hic assignantur. — 52. Famuli et famulæ non veniunt hic nomine familiæ. — 53. Unde sequendi non sunt doctores tenentes posse famulos, et famulas, sibi celebrari facere missam, eamque audire, et satisfacere præcepto in oratorio privato sine præsentia personarum, quarum contemplatione concessum est Indultum. — 54. Possunt tamen missam sibi facere celebrari, et eam audiendo satisfacere præcepto in oratorio privato sine præsentia domini omnes illi, qui sunt de familia agnatitia et cognatitia indultarii; dummodo habitent cum ipso indultario, et ipsius sint commensales, ast nunc attendenda est novissima dispositio, quæ adducitur. — 55. Pater, mater, filii ac filiæ, fratres et sorores privilegiati, eorumque uxores ac viri non gaudent tali privilegio, si habitent in eadem domo, sed vivant suis expensis propriis. — 56. Undecima clausula: *Nec non in hospitum tuorum nobilium præsentia*, denotat quod duplex conditio debet concurrere, nempe quod sint hospites, et quod sint nobiles. — 57. Non requiritur tamen in ipsis nobilitas ex genere, sed sufficit quæcunque alia nobilitas. — 58. Hospitum appellatione qui veniant? — 59. Qui veri sunt hospites, si ex aliquo accidenti absit die festo indultarius, possunt sibi facere celebrari missam, eamque audiendo satisfacere præcepto in dicto oratorio absque præsentia domini. — 60. Duodecima clausula: *Volumus autem quod familiares servitiis tuis*, etc., aperte demonstrat quod illi familiares, qui non sunt actu necessarii servitiis domini tempore dictæ missæ, non satisfaciunt ibi præcepto, quamvis ejus expensis vivant et commensales sint. — 61. Necessitas servitii in dictis familiaribus requisita, qualis debeat esse. — 62. Affertur notabilis advertentia. — 63. An celebrans et minister satisfaciant in oratorio præcepto audiendi missam: ad num. 64. — 65. In oratorio privato, in quo ex justa causa ab Apostolica Sede conceditur facultas celebrandi missam in die Nativitatis Domini, possunt, et debent celebrari omnes tres missæ. — 66. Habens bullam Cruciatæ non satisfacit præcepto, audiendo missam in privato oratorio. — 67. Oratoria quæ sunt in aulis publici palatii civitatis, ubi senatores conveniunt, sunt privata, adeoque opus est indulto Summi Pontificis, ut ibi celebrari possit. — 68. In capellis carcerum publicorum potest quolibet die missa celebrari, et ab omnibus ibi missam audientibus satisfieri præcepto. — 69. Item potest satisfieri præcepto, audiendo missam in oratoriis privatis episcoporum. — 70. Etiamsi sint episcopi titulares. Non possunt autem episcopi uti oratorio privato extra domum propriæ habitationis; juxta tamen posteriorem Pontificum declarationem, seu explicationem. — 71. Item potest satisfieri præcepto, audiendo missam in oratoriis privatis cardinalium. — 72. Regulares possent in suis conventibus habere oratoria privata absque alio indulto. — 73. Quoad hæc oratoria non sunt revocata privilegia regularium a concilio Tridentino. — 74. Et dato etiam, quod essent revocata quoad hæc oratoria, fuerunt per posteriorem concessionem innovata. — 75. Nec etiam quoad hæc oratoria privata sunt revocata privilegia regularium in novissimo decreto Clementis XI, de celebratione in oratoriis privatis. — 76. In supradictis privatis regularium oratoriis possunt omnes fideles missam audire, et satisfacere præcepto. — 77. Quid circa hoc sentiant aliqui. — 78. An regulares possint habere oratoria privata etiam extra conventus in grangiis et domibus ruralibus utilitatis et recreationis causa acquisitis. — 79. Ut regularium privata oratoria legitime erigantur et deputentur, quid requiratur? — 80. Regulares nequeunt erigere altare portatile in domo privata consanguineorum, et ibi celebrare pro ministrando viatico regulari ibi existenti graviter infirmo. — 81. Non permittitur a sacra congregatione oratorium cum beneficio in domo privata; imo sacra congregatio Immunit. ad tollenda inconvenientia mandat capellam cum beneficio esse removendam a domo privati. — 82. Quoad oratoria privata attendenda nunc est novissima dispositio Benedicti XIV quæ assignatur. — 83. Oratorium publicum, facta prius legitima translatione onerum, potest, clausa janua viæ publicæ, reduci ad oratorium privatum. — 84. In oratorio privato, in quo adest Apostolica facultas celebrandi missam in die Nativitatis Domini, possunt celebrari ab eodem sacerdote omnes tres missæ. — 85. Oratoria privata non solent facile concedi in domibus mulierum in communi viventium. — 86. Oratorium esse publicum probatur ex multis, et ad Juconatur ad id plures resolutiones sacrarum congregationum, *ad num.* 91. — 92. Quamvis supra oratorium seu capellam aut ecclesiam nequeant esse cameræ, vel loca ad usum profanum: subtus tamen ipsa possunt esse horrea, cellæ vinariæ aut apothecæ. — 93. Oratorium permittitur in collegio, ut in eo valeant quolibet die, etiam festo solemni celebrari missæ et sacramenta administrari convictoribus, discipulis, aliisque ibi degentibus, excepta tamen communione paschali. — 94. Adducitur ultimo loco ad litteram noviss. const. Bened. XIV. — 95. Alia ad rem ad n. 100. — Subnect. *Addit. ex al. man.* ad n. 110.

(1. Oratorium, generice captum, est locus aptus ad orandum, precesque Deo offerendas. Barbosa, lib. II *Juris eccles. univers.*, cap. 8, num. 1, et alii communiter. (2. Oratorium pro missis celebrandis, aliud est publicum, et aliud est privatum. *Communis.* Oratorium publicum pro missis celebrandis est illud quod auctoritate episcopi est erectum, et ad Dei cultum tantummodo perpetuo dicatum habens aditum, et liberum ingressum per viam publicam, et pariter egressum in viam communem. Colligitur ex cap. *Oratorium* 6, et cap. *in Oratorio* 7, dist. 42; cap. *Quidam* 10, caus. 18, quæst.

Digitized by Google

2; cap. *Nemo* 7, distinct. 1, De consecrat., et authent. *Ut nullus fabricet oratorium.* (3. Et quod oratorium publicum debeat habere portam continuo apertam corresponden tem in publicum, declaravit sac. congregat. Episcop. 22 Septemb. 1719, apud Ursayam in *Miscellan. sacro et profano*, I, litt. *O*, num. 69, et sac. congregat. Concilii *in Savonen.* 18 Julii et 9 Septemb. 1734, et sæpe alibi. (4. Oratorium privatum pro missis celebrandis est illud quod, intra domesticos parietes, in angulis domus privatæ, non habens ingressum vel egressum in viam publicam, ex concessione Sedis Apostolicæ sub certis clausulis, et recognitione, et approbatione ordinarii, est ad id ad tempus destinatum, ut colligitur ex formula ordinaria indulti, et ex novissimo decreto Clementis XI, *De celebratione in oratoriis privatis*, edito die 15 Septemb. 1703, (5. quod decretum, et formula indulti, ut ab omnibus percipiantur, et plene observentur, hic ad litteram dantur.

DECRETUM CLEMENTIS XI.

De celebratione in oratoriis privatis.

« Quoniam *sancta sancte tractanda sunt*, ac præsertim tremendum incruenti sacrificii mysterium, quod omni religionis cultu et veneratione peragendum est; propterea super observandis et evitandis in celebratione missarum, in sacrosanctis œcumenicis conciliis, ac præsertim Tridentino, sub cap. unico, sess. XXII, inter cætera, statutum est, ut tantum sacrificium solummodo in ecclesiis aut oratoriis divino tantum cultui dictis celebraretur, præcipiendo episcopis, et locorum ordinariis, ne privatis in domibus, atque omnino extra ecclesiam peragi paterentur. Ac subinde sacra congregatio eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. cardinalium ipsius concilii Tridentini exsecutioni et interpretationi præpositorum, sæpe sæpius per opportuna decreta obrepentes abusus eliminavit; modernis tamen temporibus innotuit Sanctissimo domino nostro, quod nonnulli episcopi sub prætextu privilegiorum capellis episcopalibus competentium, et complures regulares, sub prætextu privilegiorum, quæ ipsis a Sancta Sede indulta noscuntur, per hujusmodi privilegiorum dilationem, seu potius excessum, et abusum in nonnullis diœcesibus, præsertim regni Neapolitani, ac in ipsa Neapolis civitate, ea sibi licere putant, quæ permissa non sunt, quinimo prohibita. Siquidem nonnulli episcopi, etiam in aliena diœcesi, *et extra domum propriæ habitationis*, in privatis laicorum domibus erigi faciunt altare, ibique per unum, aut plures ex suis capellanis vivificam Christi hostiam immolare; regulares vero in quibusdam magnatum, seu aliorum nobilium personarum privatis oratoriis, quæ certis quandoque ex causis a Sede Apostolica concedi solent, celebrare audent, vel plures missas, quam in ipsis celebrare sit indultum, vel *absque præsentia personarum, quarum contemplatione gratiosa concessio emanavit*. vel extra debitas horas, et post meridiem, vel illis etiam diebus, quibus per constit. diœcesanas, aut etiam per decreta sac. congreg. Conc. celebrari prohibetur, aut quæ in ipsismet indultis Apostolicis excipiuntur, quominus in iis celebrari possit: aut etiam altari portatili uti non verentur, in sanctarum sanctionum contemptum, ac S. sacrificii irreverentiam.

« Quamobrem ad abusus hujusmodi eliminandos, et ad instaurandam venerationem tremendo ministerio debitam, idem Sanctissimus dominus noster, ex unanimi voto sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium, concilii Trident. interpretum inhærendo declarationibus, alias hac de re editis, expresse declarat, episcopis, et his majoribus prælatis, etiamsi cardinalatus dignitate fulgentibus, neque sub prætextu privilegii clausi in corpore juris, nec alio quocunque titulo, ullo modo *licere extra domum propriæ habitationis* in domibus laicis, etiam in propria diœcesi, quod fortius intelligitur in aliena, etiamsi diœcesani consensus adhiberetur, erigere altare, ibique sacrosanctum missæ sacrificium celebrare, seu celebrari facere ac pari modo in oratoriis privatis, quæ per Sanctam Sedem concessa fuerint, non licere regularibus cujusvis ordinis, aut instituti, seu congregationis, etiam Societatis Jesu, aut etiam cujuscunque ordinis militaris, etiam Sancti Joannis Hierosolymitani, aut aliis quibuscunque sacerdotibus, etiamsi essent episcopi, in iis celebrare in diebus Paschatis sanctissimæ Resurrectionis, Pentecostes, Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, aliisque anni festis solemnioribus, ac diebus in indulto exceptis; in reliquis vero diebus prædictis regularibus seu sacerdotibus quibuscunque, etiam episcopis, in præfatis oratoriis celebrare non licere, ubi etiam unica missa, quæ in indulto conceditur, celebrata fuerit, super quo celebraturus teneatur diligenter inquirere, et de eo se optime informare: atque illa etiam in casibus permissis celebrari nequeat post meridiem; demandando propterea ulterius, ac declarando in omnibus hujusmodi casibus personas quascunque dictas missas audientes, nullatenus Ecclesiæ præcepto satisfacere; quo vero ad altare portatile, iterum inhærendo declarationibus supradictis, censuit, licentias, seu privilegia concessa nonnullis regularibus in cap. *In his*, De privileg., et per alios Summos Pontifices aliis regularibus communicata utendi dicto altari portatili, in eoque celebrandi absque ordinariorum licentia in locis, in quibus degunt, omnino revocata esse per idem sacrum concilium, et propterea eosdem regulares prohibendos ne illis utantur, ac mandandum, prout præsentis decreti tenore mandat episcopis aliisque ordinariis locorum, ut contra quoscunque contravenientes, quamvis regulares, procedant, etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegati, ad pœnas præscriptas per idem sacrum concilium in dicto decreto sess. XXII, usque ad censuras latæ sententiæ, tributa etiam eisdem facul-

Digitized by Google

tate per hoc decretum, ita procedendi perinde ac si per S. Sedem specialiter concessa fuisset. Et ita Sanctitas sua declarat, et servari mandat.

« Romæ, hac die 15 Decembris 1703.

« B. card. Panciaticus, præf.

« Joann. Dominicus Thomasus episcopus Cyrenen. S. C. C. secret.

(6. Forma indulti, ut, referunt Quarti, *commentar.* in *rubricas Missalis*, part. III, tit. 10, sect. 2; Gobat, tom. I, tract. 5, n. 347; Monacell., tom. IV *Supplement. ad II tom.*, n. 470, et alii, solet esse tenoris sequentis.

« Dilecte fili, etc., spirituali consolationi tuæ, quantum cum Domino possumus, benigne consulere, teque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, etc. supplicationibus tuo nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati; tibi, qui (ut asseris) nobili genere procreatus existis, ut in privato domus tuæ solitæ habitationis in diœcesi N. existentis oratorio ad hoc decenter muro exstructo, et ornato, seu exstruendo, et ornando ab omnibus domesticis usibus libero, per ordinarium loci prius visitando, et approbando, ac de ipsius ordinarii licentia, ejus arbitrio duratura, unam missam pro unoquoque die, dummodo in eadem domo celebrandi licentia, quæ adhuc duret, alteri concessa non fuerit, per quemcunque sacerdotem ab eodem ordinario approbatum sæcularem, seu regularem, sine tamen quorumcunque jurium parochialium præjudicio, ac Paschatis, Resurrectionis, Pentecostes, Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, aliisque solemnioribus anni festis diebus exceptis, in tua, ac familiæ, et hospitum nobilium tuorum præsentia celebrari facere libere, et licite possis, et valeas, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, et indulgemus, non obstantibus, etc. Volumus autem quod, familiares servitiis tuis tempore dictæ missæ actu non necessarii, ibidem missæ hujusmodi interessentes, ab obligatione audiendi missam in ecclesia diebus festis de præcepto minime liberi censeantur. Datum Romæ, etc.

(7. Pro infirmo autem etiam nobili solet poni sequens clausula :

« Tibi, ut etiam diebus, ut præfertur, exceptis, si in illis ob infirmitatem domo egredi non poteris, in dicto oratorio prædictam unicam missam celebrari facere, ac illam cum una persona servitiis tuis necessaria duntaxat, audire libere, et licite valeas. »

Vel:

« In tua, ac unius personæ servitutis tuis necessariæ duntaxat præsentia, celebrari facere libere, et licite possis, et valeas. Volumus autem, quod alii præter supradictam personam missæ hujusmodi ibidem interessentes ab obligatione audiendi missam in ecclesia diebus festis de præcepto minime liberi censeantur. » Sic refert Monacell, t. II, tit. 13, formul. 2, sub num. 32.

(8. Quadruplicis speciei solent oratoria privata concedi. Primo, pro civitate, et omnibus locis, sive ea sint oppida, sive villæ, sive dominia unius diœcesis; et indultum hujus oratorii conceditur solum personis nobilibus exercentibus jurisdictionem temporalem altam, vel bassam in aliquo loco, qui specificari debet; Et tale indultum solet concedi cum clausulis contentis in formula adducta sub num. 6. Secundo, pro rure tantum, sive pro locis, seu habitationibus extra urbem, vel oppidum sitis; et indultum hujus oratorii conceditur etiam iis personis quæ non sunt nobiles, et nullam exercent jurisdictionem temporalem in aliquo dominio. Tertio, pro infirmis nobilibus (sive jurisdictionem temporalem exerceant, sive non) quod convenit in omnibus cum oratorio primi generis, præterquam quod valeat tantum pro eo tempore, pro quo orator ob infirmitatem domo ad audiendam missam egredi nequit, et nulla anni festivitas, etiam solemnissima excipiatur, et una sola persona suis servitiis necessaria, præcepto audiendi missam satisfacere in illis possit, ut patet ex clausula adducta *supra* num. 7. Et hoc indultum potest etiam impetrari pro conjuge, patre, matre, filio, filia, fratre, et sorore infirmis, si simul habitent; tunc enim ad tenorem supplicationis in eodem brevi exprimuntur. Quarto, pro itinerantibus, et vocatur altare portatile, quod solet concedi cum sequentibus clausulis : 1° Ut persona sit nobilis, sive jurisdictionem temporalem exerceat, sive non. 2° Ut valeat tantum v. gr. per Italiam, Germaniam, Galliam, Hispaniam, et hujusmodi. 3° Ut valeat tantum in actuali itinere, et quidem, ubi missarum commoditas deest : cæterum ejusmodi missæ interesse possunt valide omnes comites itineris. Taxa pro dictis indultis obtinendis solent esse 12 scuta. Sic sapientissimus P. La Croix, lib. VI, part. III, n. 921, § *De oratoriis*, ubi dat etiam modum et formam ipsa indulta petendi.

(9. Hic ad uberiorem notitiam juvat expendere singulas clausulas supradictæ formulæ solitæ communiter dari in concessione oratorii privati, et adductæ sub. num. 6.

(10. Prima clausula : *Qui, ut asseris, de nobili genere procreatus existis;* importat veram nobilitatem ab ascendentibus derivatam; et sufficit sola nobilitas patris, ut tenet communis doctorum. (11. An autem sufficiat sola nobilitas matris, variant doctores. Monac. enim, t. IV *Suppl. ad t. II*, n. 476, et seq.; Quarti, *loc. cit.*, dub. 2, § *Colligitur primo;* cum Sanchez, et Tamburino ibi citatis negant sufficere solam nobilitatem ex parte matris, ex eo quod nobilitas absoluta solummodo a patre derivatur. Pignat. tamen, tom. I, consult. 98, n. 44; Amostaz, *De causis piis*, lib. V, c. 10, n. 37, cum seq.; card. Petra, tom. II *Commentar. ad const.* 8 *Honorii III*, n. 26 et seq., verius probant ex multis sufficere solam nobilitatem matris, dicentes, quod tunc solum exposcatur nobilitas absoluta, quando ipsa venit in stricta et propria significatione, non autem dum est causa favorabilis quemadmodum in præ-

Digitized by Google

senti, ubi expresse dicitur : « Te specialibus favoribus prosequi volentes. »

(12. Secunda clausula : *In privato domus tuæ solitæ habitationis in diœcesi N. existentis oratorio* » non privat indultarium hoc privilegio, etiamsi mutet domicilium, et illud transferat, etiam in aliam diœcesim, quia, cum hoc privilegium sit personale, immediate concessum personæ ratione sui, debet sequi personam quocunque se transferat, et figat habitationem. Illa enim clausula *In diœcesi N. existentis*, non apponitur restrictive, seu taxative, sed solum demonstrative in hunc sensum « solitæ tuæ habitationis, quæ nunc existit in diœcesi tali ; » eo vel maxime quod sæpe in indultis reperiatur duntaxat scriptum *Tibi diœcesis* N. Ita Angelus, Sylvester, Salas apud Bonacinam, *De dispensation.*, punct. 10, § 1 ; Quintanadven. Pellizzarius, Barbosa, Aversa, Tamburin., et alii, quos citant, et sequuntur Diana part. IX, tract. 1, resolut. 7; La Croix, lib. VI, part. II, num. 269; Quarti, *loc. cit.*, dub. 1, diffic. 2, et ita tenet etiam card. Petra, *loc. cit.*, num. 32 et seq. cum Navarr., Amostaz, Pasqualig. et aliis ibi citatis, ubi advertit quod, cum motivum concessionis hujus privilegii non sit locus, seu diœcesis, sed sola persona, locus, seu diœcesis in indulto non apponitur taxative, seu restrictive, sed solum demonstrative; et idem tenet Pignatell., *loc. cit.*, num. 51 et 59, ubi insuper ex duabus decisionibus Rotæ addit, quod in casu dubio : « an verba illa *civitatis N.* seu *diœcesis N.* stent demonstrative, an vero taxative? » censentur stare demonstrative. (13. In tali autem casu debet approbari ab ordinario illius civitatis, sive diœcesis, ad quam oratorium transfertur, ut tenent omnes supracitati doctores. (14. Et probabilius, imo absolute, debet iterum approbari, etiamsi transferatur solum de una in aliam domum intra eamdem civitatem, seu de uno loco ad alium intra eamdem domum, quia prima approbatio non extendebat se ad hunc locum : tum quia in hac mutatione irripere potest aliquod indecens contra tenorem indulti, adeoque necessaria est nova approbatio : Pignatell., *loc. cit.*, num. 57 et 59; Tamburin. Quarti, et La Croix, *locis citatis*, et alii contra Quintanadv., Dianam, et alios aliquos volentes, non esse opus nova approbatione, si fiat mutatio loci in eadem civitate, vel domo.

(15. In casu vero, quo verba illa, *solitæ habitationis in diœcesi N. existentis, seu civitatis N. vel diœcesis N;* aut hujusmodi, posita sint in indulto restrictive et taxative, quæ referant privilegium ad locum, ac proinde ipsum certe, et clare restringant ad locum, transferens habitationem ab una ad aliam diœcesim, non trahit secum privilegium oratorii privati, quia quamvis privilegium sit personale, et sequatur personam, potest tamen a concedente restringi ad certum locum, et operari, ut persona censeatur privilegiata tantum in illo loco, ita ut sequatur personam, quotiescunque exstiterit in tali loco, et tale esset privilegium oratorii privati, si haberet restrictionem ad locum. Sic expresse Pignatell., *loc. cit.*, num. 58; La Croix, lib. VI, part. III, num. 931, § *De oratoriis*, et alii.

(16. Privilegiatus potest probabiliter, tam in civitate, quam ruri, dum ibi commoratur, uti oratorio privato, ita tamen ut interim non utatur eo, quod est in civitate; quia sicuti illa verba *domus tuæ solitæ habitationis* excludunt omnem aliam domum, quæ non sit solita habitatio privilegiati, ita etiam includit omnem domum, quæ sit solita habitatio, et proinde extendunt concessionem ad ipsam. Pignatell., *loc. cit.*, num. 60; Pasqualigus in *Qq. canonicis*, cent. 1. qu. 84, num. 3, et alii. Probabilius tamen docent oppositum Quarti, *loc. cit.*, dub. 3, difficult. 1; La Croix, lib. VI, part. II, num. 1269; Diana, part. IX, tract. 1, resolut. 22, cum aliis ibi citatis, quia Summus Pontifex nunquam per unum breve concedit facultatem, ut possit celebrari missa in pluribus oratoriis privatis, sed in uno tantum, ut constat ex stylo curiæ; in modernioribus autem brevibus solet apponi facultas utendi oratorio privato, et in civitate et ruri: Unde est semper attendendus tenor indulti.

(17. Tertia clausula : *Decenter muro exstructo, et ornato, ab omnibus domesticis usibus libero*, denotat, quod locus in quo vult erigi oratorium debet esse decens, muro clausus saltem a tribus lateribus, ornatus et instructus omnibus supellectilibus necessariis ad sacrum faciendum, et ab omnibus domesticis usibus liber, et segregatus. (18. Unde supra cubiculum oratorii, seu supra capellam non debet retineri lectus ad dormiendum, aut alia res profana, ut monet S. Carolus *in quarto concilio provinciali*, quod refert Gavant., in *Manual.*, verb. *Ecclesiarum reverentia*, n. 14, et sacra cong. Immunit. *in Tridentina* 30 Sept. 1636, apud Ricc., in *Synops.*, verb, *Capella*, n. 7, et Monacell. tom. IV *Supplem. ad II tom.*, n. 481.

(19. Potest tamen privilegiatus, si nolit amplius uti privilegio, pro suo libito convertere oratorium in usus profanos, quia oratorium privatum non est locus sacer, nec immutabiliter dicatus divino cultui, adeoque nec gaudet immunitate ecclesiastica, ut decrevit s. c. Immunit. *in Perusina* 9 Dec. 1631, apud Barbos., in *Summa Apostolic. dec.*, verb. *Oratorium*, num. 10. Et sic tenet Quarti, *loc cit.*, dub. 4, difficult. 2; Tamburin., *Opuscul. de sacrific.*, lib. I, c. 4, num. 10, et alii passim. (20. Si autem privilegiatus velit iterum tale oratorium profanatum remittere ad usum celebrandi Sacrum, indigebit nova approbatione ordinarii. Citati supra doctores, et alii passim.

(21. Quarta clausula : *Per ordinarium loci prius visitando, et approbando, ac de ipsius ordinarii licentia, ejus arbitrio duratura;* indicat, non posse valide oratorium constitui, nisi præcedat visitatio et approbatio ordinarii, ejusque licentia, quia hæc omnia

Digitized by Google

requiruntur ut conditiones necessariæ ad hoc, ut valeat Papæ indultum. *Communis.* (22. Sufficit tamen, si semel visitetur, et approbetur, et licentia obtineatur ab ordinario loci, id est ab episcopo vel ejus vicario, seu delegato, seu a vicario capitulari, Sede vacante. *Communis.*

(23. Ordinarius adinveniens oratorium prædictum omnibus requisitis in indulto, tenetur approbationem, et licentiam concedere, quia non habet potestatem limitandi concessiones Summi Pontificis, Et si injuste deneget, vel semel concessam sine justa causa revocet, potest cogi ab archiepiscopo et aliis superioribus, ut eam concedat. *Communis.* (24. Ex justa tamen causa, ut si deficiant requisita, potest eam non concedere, et concessam revocare, donec oratorium sit decenter instructum omnibus in indulto requisitis. *Communis.*

(25. Privata oratoria post primam visitationem in concessione et approbatione, non possunt amplius de jure visitari ab episcopo, nec ab eis potest exigi procuratio, quia cum non sint loca sacra, aut religiosa, imo nec pia, ut censuit Abbas in cap. ultimo *De censibus*, num. 1, et Fagnan., *ibidem*, num. 2 et 29, et *ibid.*, in *Opusculo de grangiis* numer. 2, 9 et 25; card. Petra, *loc. cit.*, num. 58; Pignatell., tom. I, consult. 93, sub num. 24, circa medium, jam non videtur ex quo capite episcoporum visitationi subjaceant, ut notant Fagnan., *loc. cit.*, card. Petra, *loc. cit.*; Ventriglia in *Prax.*, tom. II, annot. 19, § unic., num. 19; Pignatell., *loc. cit.*, num. 24, circa medium, ubi expresse dicit; « Nam licet oratorium privatum visitetur, quando primo conceditur licentia', non tamen continuat jurisdictio episcopi ad illud visitandum, cum privatum sit; unde de facto non visitatur. » Cap. final. De censibus, juncto cap. 26. § *Deinde*, eodem tit., in 6.

(26. Tamen licet episcopus non possit tanquam visitator ad dicta oratoria privata accedere, permissum est ei nihilominus videre (saltem quando præcedit accusatio, vel denuntiatio, aut fama publica, quod oratorium indecenter teneatur, et in ipso non adsint, seu non serventur requisita in indulto), an revera indecenter teneatur, et non serventur dicta requisita. Tunc enim episcopus potest procedere super crimine in judicio actu visitationis, vel denuntiationis, aut inquisitionis, secundum ea quæ leguntur in cap. *Qualiter et quando* 24, De accusationibus. Et sic potest accedere ad oratoria privata, ut videat an constet de corpore delicti, scilicet, an vere inibi deficiant requisita in indulto, et sine debita reverentia sacrificium missæ celebretur; et sic providere, ut opus fuerit. Innocentius, in cit. cap, ultim. *De censibus*, post principium, Abbas antiquus, *ibidem*, num. 2, et Abbas Siculus, *ibidem*, in fine ubi sic ait: « Et credo, quod, licet episcopus non possit visitare hujusmodi oratoria, ut sic, tamen possit ad illa accedere, ut videat quomodo se habeant, et si præter formam juris constructa sint, et an honeste tractentur. » Pignatell., tom. I, cit. consult. 93, num. 24, circa medium, ubi sic dicit: « Cui, scilicet episcopo, non competit proprium jus visitandi oratoria privata, licet possit ad illa accedere, ut videat quomodo se habeant, et an bene tractentur; » ut pariter distinguit Fagnan. in d. cap. ult., num. 25, De censibus; Thomas del Bene, tom. II, cap. 16, sect. 12, dub. 11, num. 6; Castropal., et alii apud ipsum. Et idem Pignatell. tom. VI, consult. 98, num. 39., ubi sic habet: « Illudque visitare amplius potest ultra primam vicem, ut cognoscat, an manuteneatur in eo statu, in quo debet esse, ut in ipso possit celebrari. » Et sic concordat etiam Fagnan., in cit. cap. ultim., *De censibus*, disceptat. *De grangiis et eorum oratoriis*, num. 25.; card. Petra, *l. c.*, num. 60; Barbos., *De jur. eccles. univers.*, lib. II, cap, 8, num. 15; Ventriglia in *Praxi*, tom. II., annot. 19, § unic., num. 19, et alii.

(27. Episcopi non possunt concedere licentiam celebrandi in oratoriis privatis: ibi enim missæ non possunt celebrari, nisi de licentia Summi Pontificis, ut sac. congreg. Concil. respondit archiepiscopo Bononiensi, die 10 Mart. 1615. Et eadem sacra congregat. Concilii de mandato SS. D. Pauli V die 25 Octobr. 1615 irritavit licentias omnes celebrandi in oratoriis privatis ab episcopis concessas, et expresse prohibuit, ne hujusmodi licentias concedere auderent, et novissime in decreto Clementis XI, adducto *supra* sub n. 5, ubi prohibetur quod ne quidem ipsi episcopi possint celebrare in oratoriis privatis contra formam ibi præscriptam (152).

(28. Imo episcopi neque possunt concedere licentiam domi celebrandi, ut infirmus pro viatico communicetur. Sic expresse Fagnan., cap. *In his* 30, De privileg., n. 13, ubi refert sic declarasse sacr. congregationem Concilii respondendo eminentissimo cardinali Paleotto, et iterum respondendo eminentissimo cardinali legato Portugalliæ; et sic tenet eminentiss. cardinalis Petra, *loc. cit.*, n. 15, et alii.

(29. Potest tamen episcopus concedere licentiam erigendi oratorium in domo privata, et inibi per modum habitus semper celebrandi; dummodo tale oratorium habeat publicum ingressum et egressum, quia tunc, posito ingressu publico, et egressu patente in publicam viam, illud oratorium censetur publicum; adeoque propria auctoritate potest designari ab episcopo ad divinum cultum, et ad celebrationem sacrificii. Ita Aversa, *De sacrific.*, q. 11, sect. 14, § *Quinto poterant*; Naldus, Homobon. Pasqualig. et alii, quos citant, et sequuntur Diana part. IX, tract. 1, resolut. 21; Quarti, *loc. cit.*, dub. 5, difficult. 6, et alii passim.

(30. Privilegium oratorii durat, durante vita illius, cui facta est concessio, eoque mortuo, finitur, nec transit ad hæredes, quia

(152) Confer tamen decreti illius declarationem, quæ n. 70 affertur.

Digitized by Google

est privilegium personale, quod finitur morte personæ privilegiatæ; l. *In omnibus*, ff. *De regul. juris*, et cap. *Privilegium*, De regul. juris, in 6. Unde, mortuo privilegiato, nequidem familia ipsius agnatitia eo amplius uti potest, quia non conceditur personaliter familiæ, sed accessorie, quatenus trahit ad participandum in privilegio domini, et ideo eum cesset privilegium quoad dominum, cessabit etiam quoad familiam; cap. *Quælibet*, De election., et l. *Nihil dolo*, ff. *De regul. jur.* Et sic tenent doctores communiter, juxta praxim ac stylum curiæ Romanæ non permittentis hujusmodi privilegia transire ad successores, non obstante dicta clausula, *ac de ipsius ordinarii licentia, ejus arbitrio duratura.* Nam ista clausula ponitur, non ad extendendam concessionem, sed ad illam modificandam, quatenus sit duratura ejus arbitrio, intelligendo de arbitrio prudentis et boni viri, qui illam possit revocare ex justa causa, juxta dicta *supra* n. 24, et docent Sanchez lib. VII *Concilior.*, cap. 1, dub. 55, n. 7; Tamburin., *Opuscul de sacrif.*, lib. II, cap. 4, § 4, n. 16; Quarti, *l. c.*, dub. 5, difficult. 2; card. Petra *l. c.*, n. 31; Pignatell., cit. consult. 98, n. 52; Amostaz, *De causis piis*, lib. V, cap. 10; n. 83; Pasqualig., q. 626, n. 2, et alii passim.

(31. Mortuo Summo Pontifice, qui concessit, vel ordinario, qui oratorium semel approbavit, non perit oratorii concessio, quia est gratia facta, quæ non cessat, mortuo, vel amoto ab officio, qui eam concessit. Unde mortuo episcopo, non est opus alia licentia et approbatione novi ordinarii; Pignatell., t. VI, consult., 98, n. 53; Quarti, *loc. cit.*, dub. 5, difficult. 1, et alii communiter, arg. cap. *Si cui* 6, De præbend., in 6, ibi: « Hujusmodi concessio (quam cum specialem gratiam contineat, decet esse mansuram), non expirat, etiam re integra, per obitum concedentis. » (32. Imo indultum oratorii non perit, mortuo pontifice concedente, etiamsi ante ipsius mortem nondum fuerit ab ordinario approbatum, et exsecutioni demandatum; Pignatell., *loc. cit*, n, 54, et alii passim, arg. cap. *Si super gratia* 9, De offic. delegat, in 6, ibi: « Ipsa gratia, licet nondum sit in ejus exsecutionem processum, morte non perimitur concedentis; » et cit cap. *Si cui* 36, De præbent., in 6. « Non exspirat, etiam re integra, per obitum concedentis. »

(33. Quinta clausula: *Unam missam pro unoquoque die*, clare demonstrat non posse ibi celebrari, nisi unicam missam pro quolibet die, ut novissime fuit etiam declaratum in cit. decret. Clementis XI, adducto *supra*, n. 5, ubi prohibet omnibus sacerdotibus, et etiam episcopis, ne ibi celebrent, postquam fuerit jam celebrata illa unica missa, quæ in indulto conceditur, et obligat celebraturum diligenter inquirere, et se optime informare, an jam ibi celebrata fuerit dicta unica missa, quæ in indulto conceditur. (34. Unde tam celebrans, vel celebrare faciens in dicto oratorio alteram missam, et plures, peccat mortaliter; quia delinquit in re gravi contra expressam Summi Pontificis inhibitionem. Quarti, *loc. cit.*, dub. 6, et ipso teste, alii communiter.

(35. Sexta clausula: *Dummodo in eadem domo celebrandi licentia, quæ adhuc duret, alteri concessa non fuerit*, aperte ostendit quod in eadem domo nequeunt esse plura oratoria, et quod idem oratorium nequit suffragari quoad satisfaciendum præcepto audiendi missam pluribus dominis distinctis, ad invicem non subordinatis, aut pluribus familiis, si forte plures sint in eadem domo *Communis*. (36. Unde si in eadem domo sint duo domini cum suis distinctis familiis, et uterque impetraverit indultum oratorii, is, qui posterior impetravit, non potest eo uti, durante indulto prius pro eadem domo impetrato, ut constat ex relatis verbis, et notant Tamburin., *Opuscul. de sacrific.*, lib. I, cap. 4, § 4, num. 20; Quarti, *loc. cit.*, dub. 7, et alii communiter. (37. Cessante autem primo indulto, incipit valere secundum impetratum pro eadem domo; quia tunc tollitur impedimentum, quo ejus validitas impediebatur, et continuatur causa dans validitatem, nempe voluntas Pontificis ad totum tempus, pro quo datur privilegium, seu indultum, ita ut tunc incipiat privilegium, seu indultum tanquam tunc, et non antea concessum, juxta l. *Si incertus* 1, § 1, ff. *De legatis* 3, ibi: « Quasi nunc datum; » et juxta tradita per *Gloss.* in cap. *Non firmatur*, De regul. juris, in 6; Calderin. consil. 2., num. 3, *De constitut.*; Pignatell., tom. VI, cit. consult. 98, num 66, et alii.

(38. Si autem plures familiæ habitent in domo divisa in plures partes, potest pro qualibet habere locum privilegium, seu indultum oratorii; dummodo partes tales sint, quæ habeant cubicula, et alia loca pro officinis et aliis domesticis usibus sufficientia pro habitatione familiæ, ita ut in qualibet parte sint ea, quæ ordinarie requiruntur pro constituenda una domo, nihilque officiat, quod habeant ingressum communem, atrium commune, et aulam principalem communem; per textum in l. *Si quis duas* 6, § 1, ff. *Communia prædiorum*, ibi: « Quod et in ædibus potest dici, si dominus, pariete medio ædificato, unam domum in duas diviserit (ut plerique faciunt); nam et hic pro duabus domibus accipi debet. » Sic Pignatell., cit. consult. 98, num. 61, cum aliis ibi citatis.

(39. Item si domus pluribus solariis constet, nempe superiori, et inferiori, et in ipsis constituantur diversæ habitationes, in quibus habitent diversæ familiæ, erunt diversæ domus juxta diversitatem solariorum, sive domus superioris, sive inferioris, vulgo *appartamento di sopra e di sotto*, ut ponderant Castr. in cit. l. *Si quis duas* 6, § 1, in fine ff. *Communia prædiorum;* Cavalcan., decis. 19, num. 52, 54 et 61, p. 2; Carpan., *Ad stat. Mediolan.*, cap. 434, num. 32; Pignatell., loc. cit., n. 62, et Rota coram Merlino, decis. 411. n. 11. Et ratio est, quia in-

Digitized by Google

ter has portiones domus adest sufficiens divisio, nec est communicatio in actu inhabitandi inter familias inhabitantes, quod sufficit, ut censeantur domus diversæ in ordine ad fruendum multiplici privilegio oratorii privati.

(40. Septima clausula : « Per quemcunque sacerdotem ab ordinario approbatum sæcularem, seu de superiorum suorum licentia regularem », indicat, sacerdotem ibi celebraturum debere habere a suo respective superiore approbationem, saltem generalem, et licentiam saltem tacitam, seu non prohibitionem ibi celebrandi. *Communis.* Ut enim notat Pignatell., *loc. cit.*, num. 84, dicta clausula est apposita, ne privilegiati possint facere celebrare per quemcunque sacerdotem exterum, et qui non habeat licentiam celebrandi in diœcesi, ob vitanda ea inconvenientia, quæ sequerentur, si sacerdotes exteri absque licentia diœcesani celebrare possent in diœcesi. (41. Unde si quis ex rationabili causa positive inhiberetur a suo respective superiore, graviter peccaret ibi celebrando, quia tunc cum non verificaretur conditio exacta a Summo Pontifice, nec pariter suffragaretur indultum concessum sub tali conditione, et sic perinde esset ac celebrare in loco inepto contra voluntatem Pontificis, et sui respective superioris, quod est grave peccatum. Quarti, *loc. cit.*, dub. 8, et alii passim. (42. Non requiritur tamen pro ibi celebrando licentia parochi, quia parochus, nec est ordinarius, nec habet jus prohibendi. Quarti, *loc. cit.*, dub. 8; Diana, part. IX, tract. 1, resolut. 15; cum aliis ibi citatis.

(43. Octava clausula : *sine jurium parochialium præjudicio*, denotat, quod in his privatis oratoriis non potest exerceri ullum munus parochiale sine licentia ordinarii aut parochi. *Communis.* (44. Hinc non possunt ibi exigi decimæ, primitiæ, seu oblationes, quæ de jure debentur parocho; nec potest ministrari sacramentum Eucharistiæ tempore paschatis sine licentia parochi aut ordinarii, nec denuntiari matrimonia, aut benedici puerperæ, et alia hujusmodi ad parochum spectantia : et qui similia ibi perageret sine licentia saltem tacita, graviter peccaret, nisi excusaretur ratione parvitatis materiæ. Tamburin., *Opuscul. de sacrific.*, lib. I, cap. 4, § 4, num. 24 et seq.; Diana, part. IX, tract. 1, resolut. 15, cum aliis ibi citatis, Quarti, *loc. cit.*, dub. 9, cum Molfes, Pellizar. et Quintanadven. ibi citat.

(45. In his privatis oratoriis potest ministrari sacramentum pœnitentiæ et Eucharistiæ, si id non sit per specialem aliquam constitutionem expresse prohibitum. *Communis.* (46. Imo Diana, part. IV, tract. 4; Suarez, *De religion.*, tom. IV, lib. IX; Rodriquez, tom. I, quæst. 61, art. 3; Pellizar, part. III *Respons. moral.*, cap. 39; Quintanadv., in *Theol. moral.*, tom. I, tract. 7, singul. 33, num. 8, et alii, tenent posse regulares in oratoriis privatis eucharistiam extra festum Paschatis ministrare, etiam episcopis contradicentibus, et prohibentibus, eo quia habent privilegium Pauli IV de anno 1557, ad dandam Eucharistiam sæcularibus extra proprios conventus. (47. Recte tamen monent Diana *loc. cit.*; Lezana, in *Summa*, tom. III, verb. *Eucharistia*, num. 11 et alii, consultius esse, si regulares, contradicentibus episcopis, non ministrent, cum hoc etiam consulat Sixtus IV quoad usum amplissimi privilegii concessi ordini Prædicatorum ad administrandam Eucharistiam sæcularibus, ut patet in bulla incip. *Sedis Apostolicæ.* * Sed hæc corrige ex iis quæ adducuntur infra sub. num. 94 in novissima encyclica Benedicti XIV, præsertim a § 20.

(48. Sacerdotes autem sæculares non possunt ibi ministrare Eucharistiam, nisi de licentia saltem præsumpta, et tacita episcopi vel parochi, quæ licentia facile præsumi potest; præsertim cum communio eorum, qui missæ intersunt, pertineat ad idem sacrificium, et cum eo connexionem habeat; unde olim, qui missæ intererant, semper communicabant. Sic Tamburin., *Opuscul. de sacrific.*, lib. I, cap. 4, § 4, num. 34 et sequentibus, cum aliis ibi citatis, Quarti, *loc. cit.*, dub. 9, et alii.

(49. Nona clausula : *Exceptis diebus Paschatis, Resurrectionis, Pentecostes, et Nativitatis Domini nec non aliis solemnioribus festis diebus;* excipit quædam solemniora festa, in quibus non licet in oratoriis privatis missam celebrare. Et talia festa decreto sacr. cong. Rit. 17 Novemb. 1607 sunt : Nativitas D. N., Epiphania, Pascha, Pentecostes, Annuntiatio et Assumptio B. M. V. festum SS. Petri et Pauli; et ex dec. sac. congr. Concilii emanato *in Dertonen.* 17 Februarii 1685, lib. XXXIII, fol. 100, etiam festum S. titularis ecclesiæ loci. Sic apud Monacell., tom. II, tit. 13, formul. 1., n. 19 et 20; tom. IV *Supplemen. ad II tom.*, n. 485.

(50. Hinc, si quis in dictis festis exceptis celebret, vel celebrari faciat in oratoriis privatis, graviter et dupliciter peccat; primo, quia contra gravem prohibitionem summi Pontificis celebrat, vel celebrari facit in loco pro talibus festis excepto; secundo, quia non satisfecit præcepto audiendi missam, ut expresse declaratur in citato decreto Clementis XI adducto *supra* n. 5. Sic Diana, part. IX, tract. 1, resolut. 13, cum aliis ibi citatis, Quarti *loc. cit.*, dub. 10, et alii passim.

(51. Decima clausula : *In tua, et familiæ tuæ præsentia celebrari facere*, designat personas, quæ in indulto comprehenduntur, seu continentur, quæ sunt pater, mater, uxor privilegiati, filii, filiæ, nurus, gener, et nepotes, aliique agnati, et affines, dummodo habitent cum ipso indultario, seu privilegiato, et ipsius sint commensales. *Communis.* (52. Non autem famuli ac famulæ, quia nomine *familiæ suæ* veniunt solum agnati, ut dixit Rota *in Rom., seu Bononien. protectoriarum* 20 Aprilis 1671,

Digitized by Google

§ *Clarius*, et § *His tamen*, coram Albergato; aut ad summum cognati; card. de Luca *De jure patronatus*, discurs. 25, n. 2 et 3. Tum quia famuli et famulæ, qui sub nomine familiarium continentur, ex Barbosa allegat. 96, n. 1 et 4 expresse excluduntur, et exceptuantur a Papa in ipso indulto per clausulam separatam, et distinctam, ibi : « Volumus autem, quod familiares servitiis tuis tempore dictæ missæ actu non necessarii, ab obligatione audiendi missam in ecclesia diebus festis de præcepto minime liberi censeantur; » quæ alias frustranea, otiosa et illusoria esset, et illico inducerentur correctio, et contrarietas, quæ semper est vitanda, maxime quando verba sunt clara, ut hic, prout in terminis litterarum Papæ observat Rota coram Coccino, decis. 2338, n. 5 et 6. Si enim ipsi familiares servitiis indultarii tempore dictæ missæ actu non necessarii non liberantur ab obligatione audiendi missam in ecclesia diebus festis de præcepto, stat clarum, quod non comprehendantur in indulto; et familiares actu necessarii suis servitiis tempore dictæ missæ satisfaciant præcepto solum contemplatione ipsius indultarii. Sic expressæ tenet, et solide probat ex multis Monacell., tom. II, formul. 12, tit. 13, n. 32 et sequentibus, et tom. IV *Supplement. ad. II tom.*, n. 486 et seq.; Matthæucc., *Officialis curiæ* cap. 10, n. 75, et plures alii; tum etiam, quia in modernioribus brevibus solet poni hæc clausula : « In vestra, ac natorum, consanguineorum et affinium vestrorum præsentia ». Unde jam sic cessat difficultas, et stat clara responsio.

(53. Unde sequendi non sunt doctores contrarium scribentes et docentes, posse famulos et famulas sibi celebrari facere missam, eamque audire, et præcepto satisfacere in oratorio privato sine præsentia personarum, quarum contemplatione concessum est indultum; oppositum enim expresse declaratur in cit. decreto Clementis XI, ibi : « Vel absque præsentia personarum, quarum contemplatione gratiosa concessio emanavit. » Sic supracitati doctores, La Croix lib. VI, part. II, n. 272, et alii passim, qui post dictum decretum scripserunt. (54. Possunt tamen missam celebrari sibi facere, eamque audire, et præcepto satisfacere in oratorio privato sine præsentia domini omnes illi, qui sunt de familia agnatitia, et cognatitia indultarii, dummodo habitent cum ipso indultario, et ipsius sint commensales; et ratio est, quia in indulto non explicatur præsentiam domini esse necessariam, et illa verba *In tua*, *et familiæ tuæ præsentia* possunt reddere sensum disjunctivum, vel *in tua*, vel *familiæ tuæ præsentia*, seu non *solum in tua præsentia*, sed *etiam familiæ tuæ;* tum quia sicut dominus potest sibi celebrari facere sine familia, non obstante particula conjunctiva *et familiæ tuæ*, ita poterit familia sine domino. Et revera sic servat praxis communis, ut passim absente domino, qui sunt ex dicta ejus familia, audiant missam in oratoriis privatis. Sic tenent passim doctores, et a fortiori tenere debent Pellizzarius, Aversa, Castropal., Quintanadv., Pignatell., Diana, Quarti, et alii dicentes id posse etiam famulos et famulas sine præsentia domini. Nunc autem quoad supradicta, attendenda est novissima dispositio Benedicti XIV in constitution. incipient. *Cum duo*, ubi statuit, non licere celebrare missam in absentia domini, ac præsente sola familia, etiamsi præsens sit aliquis sive ex filiis, sive ex consanguineis, sive ex affinibus, sive ex familiaribus, sive demum ex hospitibus nobilibus, decernens non posse vigore similis indulti celebrari missam in privatis oratoriis, quando eidem missæ actu non intersit aliquis ex iis, quibus principaliter indultum concessum est. Indultum vero principaliter concessum intelligi debet iis tantum, quibus breve dirigitur, nimirum personis illis, quæ a tergo ejusdem brevis proprio nomine nuncupantur. Et de facto oratorium privatum, in quo missa celebrabatur absente domino, cui indultum principaliter fuerat concessum ab episcopo, fuisse valide suspensum rescripsit sac. congregat. Concil. *in Marsicen. oratorii* die 3 Decemb. 1740, ad dub. 2.

(55. Pater, mater, filii ac filiæ, fratres et sorores privilegiati, eorumque uxores, ac viri non gaudent tali privilegio, si habitent in eadem domo, sed vivant suis propriis expensis; quia nomine familiæ veniunt solum, qui sunt familiares; prædictæ autem personæ non sunt familiares, quia in ipsis deficit conditio necessaria ad constituendam familiaritatem, nempe commensalitas, juxta cap. *Sicut nobis*, De verbor. significat., in 6, sine qua destruitur familiaritas, quamvis habitent in eadem domo materiali; quia cum vivant propriis expensis, et habeant omnia servitia, et suos domesticos seorsim a familia privilegiati, non communicant in habitatione cum ipso, sed constituunt familiam et habitationem omnino distinctam a privilegiato; Pignatell. cit consult. 98, num. 95, et alii communiter.

(56. Undecima clausula : *Nec non hospitum tuorum nobilium præsentia;* denotat, quod duplex conditio debet concurrere, nempe quod sint hospites, et quod sint nobiles. *Communis.* (57. Non requiritur tamen in istis nobilitas ex genere, quia indultum dicit tantum nobilium, non autem ex nobili genere unde sufficit quæcunque nobilitas sive ex genere, sive ex privilegio, sive ratione matris tantum, sive ratione dignitatis, seu gradus, sive quocunque alio modo conveniat hospiti ad verificandam qualitatem nobilitatis requisitam, cum sufficiat, ut appellari possit aliquo modo nobilis. Pignatell., cit. consult. 98, num. 100; Tamburin., *Opuscul. de sacrificio missæ*, lib. I, cap. 4, § 4, num. 32; Monacell., tom. IV *Supplement. ad tom. II*, num. 492, et alii passim.

(58. Hospitum autem appellatione veniunt illi, qui domi commorantur tanquam extranei recepti a domino, qui quidem sunt commensales, sed ex occasione temporanea, et

Digitized by Google

ad certum tempus. An autem hoc privilegium extendatur ad hospites unius diei et ejusdem civitatis, seu loci, qui ab indultario invitantur ad prandium, vel ad spectaculum, et similia? Variant doctores. Affirmativam enim tenent Pignatell., cit. consult. 98, num. 101; Tamburin., *l. c.*, num. 33; Pellizzarius, in *Manual. regular.*, tom. II, tract. 8, cap. 2, sect. 2, qu. 12, num. 150, et alii, quia, dicunt ipsi, revera hi quoque sunt hospites; imo insuper addunt, posse virum nobilem de industria invitari ad hunc finem, ut possit in dicto oratorio audire missam, quia uterque, tam invitans, quam invitatus utitur jure suo, nec fraudem committit: quia sic solum redditur habilis vir nobilis, ut gaudere possit privilegio. Negativam tamen sententiam docent Quarti, *l. c.*, dub. 2; Diana, part. IX, tract. 1, resolut. 6, et alii plures apud ipsum volentes quod nomine hospitum non comprehendantur habitantes in eadem civitate, seu loco, sed aliunde advenientes, quia indultum oratorii, cum disponat contra jus commune, stricte, et non ample est interpretandum. (59. Qui veri sunt hospites, si ex aliquo accidenti absit die festo indultarius, possunt sibi facere celebrari missam, eamque audire, et præcepto satisfacere in dicto oratorio absque præsentia domini, propter dicta *supra* num. 54 (153). In modernioribus autem brevibus solet poni hæc clausula *In hospitum tuorum nobilium præsentia*, solum pro oratoriis ruri existentibus.

(60. Duodecima clausula: *Volumus autem, quod familiares servitii tui tempore dictæ missæ actu non necessarii, ibidem missæ hujusmodi interessentes, ab obligatione audiendi missam in ecclesia diebus festis de præcepto minime liberi censeantur;* aperte demonstrat quod illi familiares qui non sunt actu necessarii servitiis domini tempore dictæ missæ, non satisfaciant ibi præcepto, quamvis ejus expensis vivant et commensales sint. Necessitas autem servitii in dictis familiaribus requisita non debet esse physica, et quoad missam, quia certe privilegiatus tempore missæ nullo indiget, nisi sit infirmus graviter, sed respectu domini, et quidem spectata necessitate morali, considerando non solum decentiam, seu conditionem dominorum et dominarum, ne soli, vel solæ remaneant domi, et debito comitatu priventur, sed etiam domus, ne remaneat derelicta a domesticis. (61. Sic card. Petra, tom. II *Commentar. ad constit.* 8 *Honorii III*, n. 63; Pignatell., cit. consult. 93, n. 107 et 108, et alii.

(62. Advertendum tamen, quod cum die 30 Julii 1706 *in Auximana oratorii privati* transcripta fuisset in folio dicta clausula brevis nempe: « Volumus autem, quod familiares servitiis tuis, etc.; » et propositum fuisset in sacra congregratione Concilii sequens dubium: « An in vim dicti brevis satisfaciant præcepto missæ in diebus festis omnes famuli commensales, vel quinam in casu? » rescriptum fuit: « Dilata juxta mentem, et mens fuit, quod orator peteret declarationem a Papa » Sicque patet, sacram congregationem Concilii noluisse apponere manum propter satis claram mentem Papæ in dicta clausula expressam. Sic apud Monacell., t. IV *Supplement. ad II* t., num. 487.

(63. An capellanus seu sacerdos electus ad celebrandum in oratorio privato, et minister inserviens satisfaciant præcepto audiendi sacrum diebus festis ibi celebrando, et respective ministrando? Variant doctores. Pignatellus enim, tom. VI, cit. consult. 98, n. 97, sic præcise habet: « Quod autem ad capellanum, quando contingit in oratorio celebrare, non potest satisfacere præcepto audiendi missam in oratorio illius, cujus est capellanus, si salarium tantum percipiat pro celebrando, absque eo quod in celebratione inserviat domino, sed habet tantum onus celebrandi; potest autem, si sit addictus servitio domini, ita ut celebret, et dominus, aut familia habeat commoditatem audiendi missam. Tunc enim est in servitio domini, et cum recipiat salarium, vivit expensis ipsius, ac proinde concurrunt conditiones necessariæ, ut sit vere familiaris. » Rosignolus autem, *De eucharistia*, q. 8, art. 12, n. 16, absolute apponit quemlibet sacerdotem electum ad ibi celebrandum satisfacere præcepto, et utitur hoc fundamento ad probandum satisfacere etiam ministrum ei inservientem, quamvis talis minister non esset ex privilegiatis per diploma, et existerent alii privilegiati, qui possent et vellent sacro ministrare; quia dicit ipse, sicuti sacerdos electus ad ibi celebrandum satisfacit, non est cur non satisfaciat minister electus ad ministrandum; et sicuti potest eligi hic, vel ille sacerdos ad missam celebrandam, ita potest hic, vel ille minister eligi ad inserviendum; tum quia minister inserviens sacro sortitur privilegium, et conditionem celebrantis; sic ille citans pro se Dianam, lib. IX, tract. 1, resolut. 17.

(64. Ast tamen, quamvis sit verum quod satisfaciat sacerdos celebrans, et ministe inserviens, quando non adest inter privilegiatos qui possit et velit ministrare sacro, cum, concesso principali, intelligatur concessum et accessorium), quod ex dispositione juris, vel ex natura sua necessarium est ad ipsum principale consequendum, uti verificatur de sacerdote electo a privilegiato ad ibi celebrandum, et de ministro in casu quo non adsit privilegiatus, qui possit et velit ministrare sacro: non sic autem de ministro non privilegiato in casu, quo adsit inter privilegiatos, qui possit et velit ministrare sacro; quia ipse non est accessorius ad consequendum ipsum principale concessum, cum sine ipso possit æque bene ministrari sacro per alium privilegiatum, qui potest et vult, in nostra suppositione, sacro ministrare; tum quia, cum de jure com-

(153) Emendanda tamen ex illis quæ eodem num. ex Benedicti XIV constitutione tradita sunt.

Digitized by Google

muni, in cap. 1, cap. *Sicut*, et cap. *Unicuique*, dist. 1, De consecratione, et juxta mandatum concilii Tridentini, sess. XXII, decret. *De evitand. in celebratione missæ*, missa sit celebranda et audienda in ecclesia, indultum oratorii privati tanquam odiosum et præjudiciale cultui divino, est stricte et non late interpretandum. Fagnan., in cap. *Non licet*, n. 13 et 14, De præbend., arg. cap. *Odia* 15, De regul. juris, in 6, adeoque nequit extendi ad non privilegiatos, et ad ministros non necessarios.

(65. In oratorio privato, in quo ex justa causa ab Apostolica Sede conceditur facultas celebrandi missam in die Nativitatis Domini, tres missæ, non autem una duntaxat ab eodem sacerdote celebrari possunt. Sacr. cong. Conc. *in dubio oratorii privati*, 20 Jan. 1725.

(66. Habens bullam Cruciatæ non satisfacit præcepto audiendi missam in privato oratorio; per bullam enim Cruciatæ non conceditur facultas habendi tale oratorium privatum, neque commissarius bullæ potest eam licentiam concedere, sed solus Papa. *Communis*. Privilegium enim bullæ Cruciatæ circa oratoria privata fuit sublatum per concilium Tridentinum, sess. XXII, cap. 3, in decreto *De observandis et evitandis in celebratione missæ*, et per decretum congregationis jussu Pauli V editum die 25 Octob. 1613. Atque in hac specie declaravit sacr. congreg. Concilii die 14 Novembr. 1648 ad preces archiepiscopi Calaritani per hæc verba : « An privilegium bullæ Cruciatæ pro hujusmodi oratoriis, altaribus ac missarum celebratione in dicta diœcesi possit suffragari; item an quatenus dictæ capellæ sub decreto sacri concilii, nec non dicto decreto Pauli V et litterarum prohibitione comprehendantur, et bulla Cruciatæ non suffragetur, liceat archiepiscopo contra sacerdotes tam sæculares, quam regulares in iisdem capellis celebrare volentes post edictum archiepiscopi publicatum, seu intimatum, procedere, et quibus pœnis illos punire? » Sac. Congregatio respondit : « Privilegium bullæ Cruciatæ non suffragari. Item licere archiepiscopo contra sacerdotes tam sæculares, quam regulares, in iisdem capellis celebrare volentes post edictum archiepiscopi publicatum procedere etiam ad pœnas censurarum. » Sic refert ex Fagnan., Pignatell., t. VI, cit. consult. 98, n. 117.

(67. Oratoria, quæ sunt in aulis publici palatii civitatis, ubi senatores conveniunt, sunt privata, adeoque opus est indulto Summi Pontificis, ut ibi celebrari possit. Sic declarasse sacram congregationem Concilii refert Diana, part. IX, tract. 1, resol. 35, et ex ipso Quarti, *l. c.*, dub. 3, difficult. 2. (68. Non comprehenduntur autem in decreto tollente oratoria privata, capellæ carcerum publicorum. Unde potest in ipsis quolibet die celebrari, et ab omnibus ibi missam audientibus satisfieri præcepto audiendi missam diebus festis, cum ipsæ capellæ censeantur oratoria publica. Diana, *l. c.*; Quarti, *l. c.*; La Croix, lib. VI, par. II, n. 164, et alii. In decreto enim concilii Tridentini cit. sess. XXII, cap. 8, tollente oratoria privata, comprehenduntur duntaxat oratoria in particularibus domibus existentia. Sic declarasse sacram congregationem in *Florentina* 1 Septembr. 1615, et in *Conimbricen.* 1 Julii 1615, refert Barbosa in cit. cap. 8, sess. XXII, concilii Tridentini, n. 21, et in *Summa Apostolic. decis.*, verb. *Oratorium*, n. 2; et Sellius, in *Selectis canonic.*, cap. 18, n. 25.

(69. Item non comprehenduntur in decreto tollente oratoria privata, capellæ et oratoria existentia in propriis palatiis, et domibus propriæ habitationis episcoporum, sive sint in diœcesi, sive extra; et inibi missam audientes satisfaciunt præcepto de audienda missa diebus festivis, ut respondit sacra. congreg. Concil. 22 Septemb. 1640, *in Nullius*, lib. VI *Decret.*, pag. 421, et præcedenter 17 Aug. 1630, lib. XIV *Decret.*, pag. 147. (70. Etiam si sint episcopi titulares. Ead. sac. congreg. Concil. *in Valentina* 1616, apud Monacell., tom. II, tit. 13, formul. 2, in *Adnotat. ad decretum communionis quotidianæ*, n. 1, et *ibid.*, eod. tit. 13, formul. 2, n. 31, in princip., ubi dicit, quod hoc privilegio eis concesso in cap. final. *De privilegiis*, in 6, et non revocato ut supra, nequeunt uti extra domum propriæ habitationis ex decreto Clem. XI adducto *supra* n. 5. Quod tamen debet intelligi juxta novissimam declarationem Innoc. XIII constitut. incip. *Apostolici ministerii*, § 22, ibi : « Declaramus tamen quod cum in prædicto decreto statuatur non licere episcopis, extra domum propriæ habitationis, in domibus laicis erigere altare, ibique sacrosanctum missæ sacrificium celebrare, sive celebrari facere, hujusmodi prohibitio intelligenda non sit de domibus etiam laicis, in quibus ipsi episcopi forte occasione visitationis, vel itineris hospitio excipiantur, ut nec etiam quando episcopi in casibus a jure permissis, vel de speciali Sedis Apostolicæ licentia absentes a domo propriæ ordinariæ habitationis, moram idcirco faciant in aliena domo per modum similis habitationis, his enim casibus licita iis erit erectio altaris, ad effectum prædictæ celebrationis, non secus ac in domo propriæ ordinariæ habitationis. » Quæ quidem Innocentii XIII constitutio confirmata est quoad omnia, et singula, a felicis recordationis Benedicto XIII, in sua constitutione incipiente *In supremo*.

(71. Item non comprehenduntur in decreto tollente oratoria privata capellæ et oratoria cardinalium, qui statim ac sunt promoti ad hanc sublimem et eminentem dignitatem absque alia expeditione indulti, non per viam extensionis, sed comprehensionis includuntur in dispositione cap. final. De privilegiis, in 6, ut ad longum probat Fagnan. in cap. *Quod nonnullis*, a num. 6 usque in finem, De privilegiis; cardinales enim sunt dignitate et officio majores episcopis, ut expresse declaravit Eugenius IV constit. incip. *Non mediocri*, et Leo X constitut. in-

Digitized by Google

cip. *Supernæ*, et patet experientia, ac per consequens æquali ac majori titulo gaudent privilegio habendi oratorium privatum, sicut episcopi, et inibi missam audientes diebus festis satisfaciunt præcepto. *Communis.*

(72. Item non comprehenduntur in decreto tollente oratoria privata, capellæ et oratoria privata regularium. Possunt enim adhuc hodie generales et provinciales regularium in suis conventibus et collegiis erigere privata oratoria : dummodo ad divinum cultum tantum sint deputata, et in ipsis absque alia episcopi, vel Summi Pontificis facultate possunt legi eodem die plures missæ, nedum a regularibus, sed etiam a presbyteris sæcularibus; cum hoc privilegium non sit personale tantum, sed etiam locale, quo frui possunt omnes alii sacerdotes. Sic Aversa, Hieronymus Garcias, Lezana, Suarez, Lugo, Bassæus, Azorius, Fagundez, Marchinus, Reginaldus, Miranda, Tamburinus, Peyrinus, et alii innumeri citati, et secuti a doctissimo Patre Rosignolo, *De cucharistia*, q. 8, art. 14, num. 1. Et sic tenent etiam Diana part. IX, tract. 1, resolut. 32 et 34; Quarti, part. IV, tract. 10, dub. 9; La Croix, lib. VI, part. II, n. 27, et alii passim.

(73. Nec quoad hæc oratoria fuerunt revocata privilegia regularium a concilio Tridentino sess. XXII, in decreto *De observandis et evitandis in celebratione missæ*, quia ibi concilium revocavit solum privilegia celebrandi missam in *privatis domibus*. Unde in ipso decreto comprehenduntur duntaxat oratoria in particularium domibus existentia, ut sæpius declaravit sacra congr. per decreta allata *supra* num. 68. (74. Et dato etiam, quod per concilium fuissent revocata privilegia concessa antecedenter regularibus habendi in suis conventibus et collegiis oratoria privata, et ibi celebrandi, fuerunt tamen innovata per posteriorem concessionem factam post ipsum concilium Societati Jesu, et in virtute communicationis privilegiorum etiam aliis regularibus a Gregorio XIII, die 3 Maii 1575 per Breve incip. *Decet Romanum Pontificem*, in quo sic expresse habetur : « Volumus ut in oratoriis et capellis quæ ipsius Societatis provinciales per se in domibus, collegiis, et aliis locis, ubi aliqui Societatis residebunt, approbaverint, et ad divinum duntaxat cultum deputaverint, missæ, et alia divina officia, alterius licentia minime requisita, celebrari possint. » (75. Nec etiam quoad hæc oratoria privata sunt revocata privilegia regularium in novissimo decreto Clementis XI de celebratione in oratoriis privatis adducto *supra* num. 5, quia decretum, ut illud legenti patet, loquitur solum de altari portatili, ibi : « Quo vero altare portatile... Utendi dicto altari portatili. »

(76. In supradictis privatis regularium oratoriis, seu capellis possunt omnes fideles missam audire, et satisfacere præcepto audiendi sacrum diebus festis : quia ista oratoria gaudent privilegio oratorii publici, cum sint per modum habitus deputata duntaxat ad divinum cultum, et tale privilegium non sit personale tantum, sed etiam locale, quo frui possunt etiam omnes alii Christifideles. Sic Tamburin., *Opuscul. de sacrific.*, lib. I, cap. 4, § 3, num. 6, citans Azorium, Suarez, et Dianam, Quarti, *loc. cit.*, part. III, tit. 10, dub. 9, § *Colligitur* 3; Rosignolus, *loc. cit.*, num. 7, verb. *Secunda*, ubi expresse dicit, quod in dictis oratoriis « Omnes indifferenter, et libere audiunt sacrum, nec ullus est, qui dubitet quin præcepto satisfaciant. »

(77. Cardinalis Petra tamen tom. II *Commentar. ad constit.* 8 *Honorii III*, num. 48 et 49, sic præcise habet : « Illud autem, an sæculares ibi missam audientes satisfaciant præcepto? certum est regulariter non satisfacere, nisi speciale sit privilegium, quod debet in fonte revideri; prout an in illis oratoriis possint celebrare sacerdotes sæculares; » ut animadvertit Passerin., *De statib. homin.*, tit. 3, q. 186, art. 10, num. 982. »

(78. An autem regulares possint habere oratoria privata, etiam extra conventus in grangiis et domibus ruralibus utilitatis, et recreationis causa acquisitis? Variant doctores. Affirmativam enim tenent Lezana, Rodriquez, Peyrin., de la Crux, Henriquez, Leo, Quintanadven., Garcias, Pellizzarius, Diana, Aloysius de S. Joanne, et Miranda citati, et secuti a sapientissimo Patre Rosignolo, *loc. cit.*, num. 4 et seq., ubi id late probat, et ostendit non posse regulares in hoc impediri ab episcopis, concluditque omnes audientes missam in dictis oratoriis sitis in eorum grangiis et domibus ruralibus, satisfacere præcepto audiendi sacrum in diebus festis. *Vide* ipsum *loc. cit.*, et Quarti, *loc. cit.*, dub. 9, per totum. Negativam autem docent card. Petra, *loc. cit.*, num. 53; Matthæuc., *Officialis curiæ*, cap. 10, num. 83, ubi dicunt post concilium Tridentinum esse prohibitum; nam sacra cong. Concilii die 1 Martii 1687, ad dubium oratorii : « An sacerdos regularis absque peculiari Sedis Apostolicæ indulto possit in domo rurali monasterii celebrare; » respondit *negative*; unde recte monet dict. card. Petra in hac materia respicienda esse attente verba privilegiorum an etiam se extendant ad parvas domos recreationis (154).

(79. Ut regularium oratoria privata legitime erigantur, et deputentur, ex verbis allegati privilegii Gregorii XIII requiritur, ut provinciales per se ipsos locum observent, et designent; privilegium enim sic habet expresse : « Ut in oratoriis et capellis, quæ ipsius Societatis provinciales per se approbaverint, et ad divinum duntaxat cultum deputaverint. » Et per hoc card. de Lugo in *Responsis moralibus*, l. I, dub. 14, solide defendit, non posse superiores locales hujusmodi oratoria per se designare, et approbare, sed solum posse ex commissione

(154) *Vide* Benedicti XIV litteras in forma brevis relatas verb. Capella, ad num. 78.

Digitized by Google

provincialis judicare de decentia et idoneitate loci, et postea ipsum informare, ut juxta ipsam informationem provincialis per se approbet, et deputet locum in oratorium, quamvis sit absens, cum non magis requiratur hic præsentia approbantis, quam in absolutione a censura, quæ per omnes omnino ab absente dari potest; Quarti tamen, *loc. cit.*, dub. 8, in fine, et Diana, *loc. cit.*, censent posse superiores locales designare, et approbare locum saltem ex ratihabitione, aut commissione præsumpta provincialis.

(80. Hinc pro complemento juvat afferre sequentem resolutionem sacræ congregationis Concilii relatam ab eminentissimo Petra, tom. III *Commentar. ad constitut.* 11 *Alexandri IV*, n. 33, ibi: Sacra congreg. Conc. *in Messanen. Privilegii* 20 Septemb. 1698, lib. XLVIII *Decret.*, pag. 471, propositis dubiis :

« I. An regularis Theatinus potuerit licite erigere altare portatile, sacrum peragere, et sanctissimum viaticum ministrare alteri regulari infirmo in domo privata illius consanguineorum absque licentia ordinarii aut parochi?

« II. An possit ordinarius in hoc et similibus casibus procedere contra regulares etiam per censuras? » Respondit : « ad I. *Negative*; ad II. *Affirmative*, sed in præsenti non molestandum. »

(81. Non permittitur a sacra congregatione oratorium cum beneficio in domo privata. Imo sacr. congreg. Immunit. ad tollenda inconvenientia *in Neritonensi* 18 Januar. 1628, censuit, « capellam cum beneficio esse removendam a domo privati; » apud card. Petra, tom. I *Commentar. ad constit.* 2 *Paschal. II*, n. 80.

(82. Quo autem ad hæc oratoria privata attendenda nunc est novissima dispositio sac. congr. Concil. et Benedicti XIV, in sequenti decreto, quod hic ad litteram datur.

DECRETUM

JUSSU SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI BENEDICTI XIV

Editum circa celebrationem missæ in oratoriis privatis. Die septima Jan. MDCCXLI.

« Cum duo nobiles conjuges diœcesis Marsicen. obtinuissent a Sede Apostolica Indultum pro celebratione missæ in privato suæ domus oratorio, sic conceptum : « Dilecte fili et dilecta in Christo filia, salutem et Apostolicam benedictionem. Spirituali vestræ consolationi, quantum cum Domino possumus, benigne consulere, vosque favoribus spiritualibus et gratiis prosequi volentes, et vestrum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutas fore censentes; supplicationibus vestro nomine Nobis, super hoc humiliter porrectis inclinati, vobis, qui (ut asseritis) loco Gallichii, et Messanelli Marsicen. seu alterius diœcesis, jurisdictionem temporalem in illis, seu eorum altero exercendo, baro et baronissa respective existitis, ut in privatis domorum vestræ habitationis in civitate, et diœcesi Marsicen. existentib. oratoriis ad hoc decenter muro exstructis, et ornatis, seu exstruendis, et ornandis, ab omnibus domesticis usibus liberis per ordinarium loci prius visitandis et approbandis, ac ipsius ordinarii licentia ejus arbitrio duratura, unam missam pro unoquoque die, dummodo in eisdem domibus celebrandi licentia, quæ adhuc duret, alteri concessa non fuerit, per quemcunque sacerdotem ab eodem ordinario approbatum sæcularem, seu de superiorum suorum licentia regularem, sine tamen quorumcunque jurium parochialium præjudicio, ac Paschatis Resurrectionis, Pentecostes, et Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, aliisque solemnioribus anni festis diebus exceptis in vestra, et natorum, consanguineorum, et affinium in eadem domo, vobiscum insimul habitan. familiæque, et quoad oratoria, ruri existentia, etiam in hospitum nobilium vestrorum præsentia celebrari facere libere et licite possitis, et valeatis, ac vestrum quilibet possit, et valeat, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, et indulgemus, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem quod familiares servitiis vestris, tempore dictæ missæ, actu non necessarii, ibidem missæ hujusmodi interessentes ab obligatione audiendi missam in ecclesia diebus festis de præcepto minime liberi censeantur.

« Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem, sub annulo Piscatoris, die 12 Februar. 1739. »

« Cum exorta esset dubitatio, an ex vi hujusmodi indulti liceret missam celebrari in privato oratorio, etiam sinæ præsentia alterutrius ex dictis conjugibus, in quos indulti concessio directa erat, cui quidem dubitationi locum dedit opinio nonnullorum doctorum pro affirmativa, et negativa respective sententia inter se certantium, sacr. congregatio Concilii, ad quam hujus quæstionis resolutio delata fuit, die tertia Decembris 1750, censuit : « Non licere. » Deinde vero Sanctissimus Dominus Noster, reprobata contraria doctorum sententia, prædictam sacræ congregationis resolutionem nedum approbavit, verum præsenti decreto publice evulgando voluit omnibus notum fieri non posse vigore similis indulti celebrari missam in privatis oratoriis, quando eidem missæ actu non intersit aliquis ex iis quibus principaliter indultum concessum est; indultum vero principaliter concessum intelligi iis tantum, quibus breve dirigitur, nimirum personis illis, quæ a tergo ejusdem

Digitized by Google

brevis proprio nomine nuncupantur, adeo ut sine præsentia alicujus ex dictis personis, minime liceat missæ sacrificium peragi; etiamsi præsens sit aliquis, sive ex familiaribus, sive demum ex hospitibus nobilibus in eodem brevi memoratis, quippe quibus nil aliud per hujusmodi breve conceditur, quam quod unusquisque eorum, (dummodo, quod attinet ad familiares juxta clausulam in iisdem brevibus insertam, non sit ex illis actu non necessariis) assistens missæ, quæ celebratur in oratorio privato in præsentia alicujus ex personis a tergo brevis proprio nomine nuncupatis, satisfaciat obligationi audiendi missam diebus festis de præcepto. Sublata igitur, et proscripta quacunque minus germana interpretatione ejusmodi brevium et indultorum in contrarium hactenus facta, Sanctitas Sua ita declaravit, et servari omnino mandavit, districte præcipiens, ut omnes episcopi aliique locorum ordinarii, etiam tanquam a Sede Apostolica delegati exsecutioni, et observantiæ hujus decreti diligenter incumbant per canonicas pœnas contra inobedientes eorum arbitrio constituendas.

« A. card. Gentili præfectus.

« C. A., archiepiscopus Philippen. secr. »

(83. Oratorium publicum obtenta prius a sacra congregatione Concilii translatione onerum, potest, clausa janua viæ publicæ, reduci ad oratorium privatum. « Sacra congreg. Immunit. *in Lucana* 19 *August.* 1740; lib. I *Decret* Valleman., pag. 604. Capella erecta in privatis domibus cum dote, et titulo non cadit sub decreto prohibitionis de celebratione missarum in privatis oratoriis. Sac. congreg. Conc. *in Polignanen.* 23 August. 1653, lib. XIX *Decret.*, pag. 688, apud Ursayam, *Instit. crimin.*, lib. I, tit. 10, § 2, n. 85.

(84. In oratorio privato, in quo ex causa infirmitatis a Sede Apostolica conceditur facultas celebrandi missam in die Nativitatis Domini, tres missæ, non autem una duntaxat, ab eodem sacerdote celebrari possunt. Sacra congr. Concil. *in dubio oratorii privati* 20 Januarii 1725, apud *Thesaurum resolutionum sacræ congregat. Conc.*, tom. III.

(85. Oratoria privata non solent facile concedi in domibus mulierum in communi viventium, ut notant doctores passim, et præsertim Nicolius in *Flosculis*, verb. *Clausura*, n. 38, in fine; Ursaya, t. VIII, part. II, disc. 6, n. 8 et sequent., Monacell., t. II, tit. 6, formul. 19, n. 19 et 20, et patet ex pluribus sacrarum congregationum decretis, et signanter *in una Panormitana* 14 Februar. 1699, in qua sacr. congr. Conc. non obstante favorabili voto reverendissimi archiepiscopi, similem instantiam congregationis mulierum rejecit, quam refert, et sequitur Monacell., *loc. cit.*, n. 20, et *ibidem*, n. 19, referendo aliam resolutionem sacræ congr. Episcop. et Regul. *in Imolen.* 20 Februar. 1694, advertit sacras congregationes, non solum non esse faciles ad concedendas similes gratias, sed nec etiam approbare similia mulierum collegia, illa simpliciter tolerando ad custodiendam honestatem, et libero relinquendo sub ordinariorum cura, et jurisdictione. Et quidem merito denegantur similia indulta, quia hujusmodi congregationes mulierum sine clausura viventium sunt contra expressam dispositionem, et prohibitionem Pii V constitutione incipiente *Circa pastoralis officii* relat. a nobis sub. verb. Tertiariæ, n. 15, ubi quod tales mulieres possunt hoc tempore prohiberi, ne in communitate maneant, nisi professionem cum quarto voto de perpetua clausura emittant ad formam dictæ Pianæ constitutionis, ut de facto Urbanus VIII constit. incip. *Pastoralis Romani Pontificis*, suppressit et annullavit quamdam hujusmodi mulierum congregationem; unde similes congregationes mulierum, vel penitus dissolvuntur, vel si tolerentur, remanent sub omnimoda jurisdictione ordinariorum, ut pluries respondit sacra congregatio, cum Episcop. et Regul. tum sacra Concil. *Vide ibi* a n. 15, 16 et 17.

(86. Oratorium esse publicum per multa ostendit, et probat erudite de more D. Ursaya tom. I, part. II., discept. 23. Et signanter ab altari fixo, et stabili, *ib.* n. 95; ab admissione plurium personarum ad audiendas missas, *ib.*, n. 95; a campana, et campanili ibi existentibus, *ib.*, n. 91 et 99; a celebratione multarum missarum in illo secuta, *ibidem*, n. 94, a celebratione missarum per spatium decennii, *ib.*, n. 96; a celebratione festivitatis illius sancti, cui est dicatum, *ib.*, n. 97, a porta correspondente viæ publicæ, *ib.*, n. 92. Nec cessat esse publicum, etiamsi habeat januam in interiori atrio, seu cortili palatii, *ib.*, n. 29, ex decret. sac. congreg. Episcop. et Regul. *in Ostunen.* 20 Mart. 1698, et sacræ congregat. *Concil. in Compsana* 31 Maii 1704 et 8 August. 1705, ibique n. 30, affert exempla Urbis, et idem asserit sub. n. 60. adducens ad litteram cit. decret. *in Ostunen.* confirmat. 9 Mart. 1702. Nec publicitati oratorii detrahit, quod aditus ipsi detur per scalas, seu porticum per viculum, aut ædes privatorum, *ib.*, n. 27, adducens ad id etiam decisionem sacræ Rotæ. Et a fortiori non desit oratorium esse publicum, quando patronus cedit juri, quod habebat in situ ante illius portam, *ib.*, n. 25 et 26, referens per extensum magistralem decisionem sacræ congregat. Episcop. et Regul. *in Placentina* 14 Novemb. 1626, ac dicens, quod talis resolutio vim legis habeat, et tanquam talis servanda sit; et ibi per tot. dictam disceptationem 23 *Pisauren. oratorii*, sic docte et erudite scripsit, quod plurimis juribus, et decretis, ac innumeris doctoribus ad rem adductis, victoriam reportavit contra curiam episcopalem Pisauri in sacra congregatione Episcopor. et Regular. quæ ponente eminentissimo cardinali Rubino die 2 Jun. 1706, rescripsit: « Attenta refectione prætorii, vicarius Apostolicus permittat celebrationem missarum et festi Nativitatis B. V. M. circumscripto processu in curia episcopali fabricato super prætensa falsitate testium. »

(87. Et oratorium esse publicum, declaravit sacr. congregat. Concil. *in Savonen.*, in

Digitized by Google

qua, propositis binis hisce dubiis: « I. An ædes sacra S. Mariæ de Areneto sit ecclesia publica vel oratorium privatum in casu. II. An constet de nullitate, et injustitia interdicti, et respective suspensionis a divinis in casu, etc. » Die 28 Jul. 1724, prodiit rescriptum: « Dilata, et fiat planta judicialis, et addatur dubium juxta mentem. » Et reproposita causa sub dubio: « An sit standum, vel recedendum a decisis in casu, etc. » Die 9 Septembr. 1724 responsum fuit: « Prævio recessu a decisis; ecclesiam esse publicam, facta tamen per senatorem imperialem in publico instrumento declaratione, se nullum jus habere in area sita ante ecclesiam, necnon quod claves tam ecclesiæ, quam areæ prædictæ retineantur a capellano, et ad D. secretarium cum Sanctissimo pro declaratione, quod area non gaudeat immunitate. Et quoad secundum affirmative, et amplius. » Sic apud *Thesaurum resolutionum sacræ congreg. Conc.*, tom. III. Et *in Ruben.*, die 29 Jul. 1731, ad dubia: « I. An licita sit celebratio missarum in oratorio, de quo agitur; et quatenus negative. Et II. An, et quomodo sit providendum in casu etc. » Ead. sacr. congreg. Concil. respondit: « Ad I. *Affirmative*, et amplius. Ad II. Provisum in primo. » Apud d. *Thesaurum*, tom. V.

(88. Et *in Nitrien.*, die 2 Februar. 1735, ad dubia: « I. An constet de valida consecratione oratorii, de quo agitur in casu, etc. II. An idem oratorium sit publicum, seu potius privatum in casu, etc. » Ead. sacr. congregat. Conc. respondit: « Ad I. *Affirmative*. Ad II. *Affirmative* quoad primam partem, et *negative* quoad secundam; imposita tamen obligatione comiti Josepho retinendi apertas fores atrii de die, et constituendi capellam congrue dotatam. » Apud d. *Thesaurum*. tom. VII, ubi ab eminentissimo cardinali Cavalchini, tunc sacræ congregat. secretario in sua eruditissima causæ expositione adducuntur ad rem sequentia decreta.

(89. *In Nullius* die 13 Januar. 1626, eadem sacra congregatio censuit, « committendum esse ordinario, ut ubi orator publico instrumento se obligaverit, semitam, qua itur ad capellam, cuicunque liberam in perpetuum servare, atque illius situs dominio, ac juri efficaciter renuntiaverit, declaret, capellam ipsam non comprehendi in decreto a congregatione edito de privatis oratoriis, petitamque celebrandi licentiam pro suo arbitrio concedat; ubi tamen prius dictam capellam visitaverit, ac divino cultui peragendo aptam, ac decentem esse compererit, atque ita ut nullum hinc præjudicium inferatur juribus parochialis ecclesiæ; » ut in lib. XIX *Decret.*, pag. 316. *In Vercellen.*, ubi episcopus prohibuerat, ne diebus solemnioribus missa celebraretur in oratorio intra mœnia castri Catallengi existente; et comitibus de Catallengo exponentibus, idem oratorium esse sacra supellectili instructum, ab immemorabili tempore in eo nocte Nativitatis Domini pluries celebratam fuisse missam solemnem, episcopos antecessores illud visitasse, in eo administratum fuisse sacramentum confirmationis, et tandem publicum, et liberum ad illud haberi aditum, cum nocturno tantum tempore clauderetur janua prædicti castri: sac. congreg. die 3 Augusti 1675. respondit, « oratorium esse publicum, adeoque licitum esse ibi celebrare festis etiam solemnioribus, » ut in lib. XXIX *Decret.*, pag. 124.

(90. *In Compsana*, cum oratorium in aula palatii baronis Castri Novi situm, ecclesiastico interdicto fuisset suppositum, necnon prohibitum sacrosanctum missæ sacrificium ibi celebrari, nisi doceretur de legitima facultate Apostolica, eo sub fundamento, quod ad ipsum publicus non patebat accessus, ac intra septa palatii existebat, ita ut privatum, et non publicum dici deberet, memoratus baro, et Scipio ejus filius postulantes ab hac sacra congregatione prædictum oratorium publicum declarari, ostendere satagerunt, idem oratorium habere fixum altare marmoreum, et campanile cum campana pro convocatione populi ad audiendum sacrum, dicatum esse S. Joanni Baptistæ, festum ejusdem sancti titularis solemniter celebrari cum totius cleri assistentia, ibique erectum reperiri beneficium sub eodem titulo S. Joannis Baptistæ de jurepatronatus baronum dicti castri, necnon procurationem episcopo dictum oratorium visitanti persolutam fuisse, proposito inter cætera dubio, « An interdictum emanatum per visitatorem sub fundamento, quod oratorium sive capella, de qua agitur, sit privata, et non publica, sustineatur in casu etc. » Die 31 Maii 1704 responsum fuit *Negative*, ut in lib. LIV *Decret.*, pag. 216.

(91. Imo reproposita causa ad instantiam episcopi Compsani, existimantis non convenire, nec licere quod atrium palatii baronis pro libito claudi posset, quodque per palatium ad capellam haberetur aditus, discussa fuerunt duo hæc dubia: « I. An aperiendum sit ostium capellæ in via publica, vel potius removendæ sint valvæ impedientes ingressum in atrium? II. An liceat baroni per palatium ad ecclesiam descendere in casu, etc. » Et eadem sac. congreg. Concil. die 8 Augusti 1705, respondit: « Ad I. *Negative*. Ad II. *Affirmative*, in casu, de quo agitur, » ut in lib. LV *Decret.*, pag. 292. Sic ad litteram dict. eminentissimus Cavalchinus *in* citat. *Nitrien.* ubi refert etiam supradictas resolutiones *in Savonen.* sub die 28 Julii et 9 Septembris 1724.

(92. Quamvis supra oratorium, seu capellam, aut ecclesiam nequeant esse cameræ, vel loca ad habitandum, dormiendum, deambulandum, aut ad alium usum profanum, ex dictis et decretis allatis *supra* num. 18, et sub verb. ECCLESIA, art. 5, n. 5, subtus tamen ipsa possunt adesse horrea, cellæ vinariæ, aut apothecæ, ut plura adducens exempla Urbis de oratoriis, ac etiam de ipsismet ecclesiis parochialibus, ac pluribus ad id allegatis doctoribus defendit D. Ursaya tom. I, part. I, discept. 40, a n. 136 ad 138, ubi insuper refert, quod ita in terminis

Digitized by Google

respondit sacra congr. Episcop. et Regul. *in Reatina* 6 Jul. 1706, et S. cong. conc. *in Pisaur. Oratorii* 23 Februar. 1710.

(93. Oratorii erectioni locum esse in collegio, ut in eo valeant missæ quolibet die, et etiam festis solemnibus celebrari, et sacramenta administrari convictoribus, discipulis, atque domesticis in collegio actu degentibus, et illi inservientibus, excepta comm. Paschali, respondit sac. congr. Conc. *in Sutr. Oratorii* 11 Jun. 1718, apud d. *Thes.*, t. I.

(94. Sed præ omnibus attendenda est sequens novissima constitutio Benedicti XIV juxta quam sunt nunc moderanda varia ex supra traditis, quamque idcirco veluti normam, et regulam hac in re servandam, ad litteram subnectimus.

Epistola encyclica ad primatem, arch. et episc. regni Poloniæ.

« BENEDICTUS XIV.

« Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Magno cum animi nostri dolore a Nobis intellectum est nonnullas in diœcesibus vestris controversias, ac molesta dissidia, propter oratoria privata, insurrexisse, quibus præcidendis cum omnis per vos cura, ac diligentia adhibita fuerit, non modo optato fine frustrati sitis, sed in aliorum offensionem incurreritis, vobisque eam acquisiveritis reprehensionem et notam, quasi nimio rigore adhibendo modum excedatis: optari proinde a vobis, ut per hanc Sanctam Sedem certæ vobis regulæ indicentur, ad quarum normam, sublatis abusibus, privati oratorii privilegium exerceri debeat; idque ad eum finem, ut cum ordinationes vestræ Pontificia auctoritate nostra munitæ fuerint, non solum ab omni malevolorum censura immunes evadant, verum majus semper eisdem honoris, atque æstimationis pondus accedat. Licet autem vestræ hujuscemodi petitioni satisfacere facillime potuissemus, illos vobis libros indicando, tam in quibus de hujusmodi materia doctrina traditur prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum decretis conformis, quam alios etiam, quorum scriptores, dum de privatis oratoriis agunt, ea Sanctæ Sedis decreta vel dissimulant, vel ignorant, quæ assertionibus eorum omnino opponuntur; nihilominus, cum Nos venerabiles personas vestras præcipuo, ac speciali affectu prosequamur, per encyclicam hanc epistolam nostram, qua fieri poterit brevitate, tum eorumdem decessorum nostrorum, tum nostram hac super re mentem, sensusque aperiemus: quibus quidem, præter obedientiam, quæ eisdem debetur ratione auctoritatis, a qua, velut a fonte dimanant, aliud etiam nescio quid majoris ponderis inest, materiæ ipsius nomine, quæ eorum objectum est, quæque in quæstione versatur, cum omnis hujusmodi res ab Apostolicis privilegiis dependeat, quorum explicatio privativo jure Summis Pontificibus reservata est, cumque eadem præcipuam normam desumere debeat ex intentione illius, a quo concessio facta est, cujus sensus concedenti semper, quam alii cuilibet notior esse debet, adeo ut quidquid a vobis secundum ea, quæ in encyclica hac epistola nostra continentur, ordinabitur, et statuetur, id pro exsequendis Summorum Pontificum præscriptis præstitum esse dicendum sit; cujus rei gratia Apostolicorum delegatorum qualitatem, et auctoritatem fraternitatibus vestris additam esse censendum est; quam etiam, quatenus opus sit, nos ipsarum præsentium litterarum tenore vobis ad hujusmodi effectum concedimus, et impartimur.

« § 1. Nihil sane expositum Nobis est, quod ad ea pertineat sacella, quæ in episcopalibus palatiis vestris habetis, pro missa, vel per vos, vel per alios celebranda, aliave quapiam sacra functione, quæ officii ac dignitatis vestræ propria sit, obeunda, de quibus late disserere Nobis perfacile esset, nisi hoc a proposito nostro alienum foret: quare duo tantummodo vetusta sacellorum exempla indicabimus, quæ episcopi in proprio episcopio a publicis ecclesiis distincta, ac separata habebant, in quibus sanctum missæ sacrificium celebrabant. Horum primum sacellum est sancti Cassii episcopi Narniensis, de quo S. Gregorius in homilia 37 *super Evangelia* narrat quod, licet gravi morbo opprimeretur « in oratorio episcopii sui « missas fecit, » tam ut propriæ quam ut eorum, qui illum visitatum adveniebant, devotioni satisfaceret. Alterum exemplum est S. Joannis eleemosynarii ep. Alexandrini, qui, sicut in Actis ipsius a Leontio scriptis deprehenditur, illos coarguens, qui, missa nondum peracta, discedebant, quum ipse ad eamdem celebrandam in publicam ecclesiam se conferebat, dicere in more habebat: « Ego propter vos descendo in san« ctam ecclesiam, nam poteram mihimet « facere missas in episcopio. » Prædictum exemplum legere est apud Thomassinum *De veteri ac nova Ecclesiæ disciplina*, p. 1, lib. II, cap. 93, num. 5. Alia exempla in opere *De oratoriis privatis* inscripto cap. 6 collecta reperiuntur (quod opus novissime a Joanne Baptista Gattico canonico Lateranensi Romæ in lucem editum est), per quæ episcoporum jus circa sacella in propriis episcopalibus palatiis habenda validis fundamentis innixum comprobatur.

« § 2. Huic quidem juri sacrum Trident. concil. nulla ratione derogavit; quippe quod tantummodo, sess. XXII, *De observandis et evitandis in celebratione missæ*, propter multa, quæ parum decenter fieri identidem contingebat, episcopis præcepit, ne sæcularibus ac regularibus missam celebrare permitterent « privatis in domibus, » et extra ecclesias aut oratoria publica, quæ divino cultui destinata essent; quod nullum cum capellis, quæ in episcopalibus palatiis sunt, rationem habet, quum hæc sub privatarum domorum nomine nunquam censeri possint. Id pluries a congregatione venerabi-

Digitized by Google

lium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium ejusdem concilii Tridentini interpretum, in aliquot ejusdem resolutionibus, validis rationibus innixis, declaratum est, quas Nos in nostro *De sacrificio missæ* tractatu retulimus, sect. 2, § 45 et seq., latinæ edit. Patavinæ. Nos enim, tunc etiam cum in minoribus constituti opus aliquod scriberemus, illud præcipue Nobis gloriosum duximus, ut nulla in parte a Romanæ curiæ tribunalium sententiis recederemus, quibus ut plurimum a Pontificiis oraculis auctoritatis robur accedit.

« § 3. Illud tantummodo de hujusmodi episcoporum privilegio dici poterat, quod cum idem ad sacella, quæ in episcopiis sita sunt, restringeretur, nullo modo episcopis favere poterat, tum cum iidem extra proprias domos versarentur, cum visitationem obirent, sive cum iter haberent; adeo ut cum vel missam celebrare, vel eidem interesse vellent, ad publicas ecclesias se conferre cogerentur, vel a locorum ordinariis veniam petere, ut sibi liceret, vel missam celebrari facere, vel ipsis eamdem celebrare, in illa habitatione, in qua forte diversarentur.

« § 4. Verum recol. mem. prædecessor noster Bonifacius Papa VIII in decretali sua : *Quoniam episcopi*, De privilegiis, in sexto, male factum reputans episcopos sine rationabili causa missam quotidie non celebrare, aut eidem non interesse, eisdem concessit, ut etiam extra propriam diœcesim altari portatili, seu viatico uterentur : « Præsenti constitutione indulgemus iis- « dem, ut altare possint habere viaticum, « et in eo celebrare, aut facere celebrari, « ubicunque absque interdicti transgres- « sione illis permittitur celebrare, vel au- « dire divina. » Dignum animadversione verbum est *Ubicunque*, quod quidem procul dubio loca etiam, quæ extra diœcesim sita sunt, comprehendit.

« § 5. Præcipuam etiam animadversionem dictæ congregationis Concilii resolutiones merentur, cum ad quæsitum eidem propositum, num videlicet episcopus, qui extra propriam diœcesim est, ad utendum privilegio altaris viatici, petere ejus rei veniam ab episcopo locali teneatur; minime eum teneri respondit; alioqui frustratorium Bonifacii VIII privilegium fuisset; quoniam illius Pontificis ætate antiquum jus in suo vigore perstabat, cui, quemadmodum mox dicetur, a concilio Tridentino postea derogatum fuit, secundum quod episcopi facultatem concedebant missam in privatis domibus celebrandi. Similiter, cum eidem congregationi alterum quæsitum propositum fuisset : num privilegio per Bonifacium VIII episcopis concesso, vel Tridentinum concilium, vel Pontificis Pauli V decretum, de quo pariter mox dicetur, præjudicium ullum attulissent, nihil pariter privilegio illi detractum fuisse respondit : cum tam in concilio, quam in citato decreto, sublata quidem episcopis facultas fuerit, qua aliis licentiam in privatis domibus missam celebrandi concedere possent, verum nequaquam juribus illis exspoliati remanserint, quæ proprias personas respiciunt, quæque eorumdem dignitatis, atque characteris propria sunt. Prædictæ resolutiones a nobis referuntur in nostro tractatu *De sacrificio missæ* latine editionis Patavinæ, sect. 2, § 42, nec non in *Commentariis* bon. mem. cardinalis Petra *ad constitutiones Apostolicas*, tom. IV, super constitutione 2 Urbani V, n. 15 et seq., et a Gattico in recenti ejusdem tractatu *De oratoriis domesticis*, in tit. *De usu altaris portatilis*, cap. 12, n. 1 et seq.

« § 6. Tam verum est, quam quod verissimum, nullam rem majus præjudicium privilegiis afferre quam abusum eorumdem, quod quidem satis, superque pro vero comprobatum fuit, etiam in casu hujus privilegii altaris portatilis, quod concessum episcopis est, et quod post concilium Tridentinum, ac Paulinum decretum illæsum remansit. Certis indiciis compertum fuit, quosdam episcopos eodem abuti, qui, vel intra, vel extra diœcesim, ad laicorum se domos conferebant, atque in iis, vel ipsi missam celebrabant, vel, ut ibidem plures celebrarentur missæ, faciebant, idque nulla necessitate urgente, sed ad eum tantum finem, vel ut proprium privilegium ostentarent, vel ut laicorum petitioni satisfacerent. Cum hujusce inconvenientis notitia ad Concilii congregationem pervenisset, non prætermisit hujusmodi excessum prohibere, ejusdemque abusus corrigendi curam archiepiscopis committere, si quando factum in locis eorum jurisdictioni subjectis contigisset. In codicibus actorum, seu regestis congregationis prædictæ lib. XLVIII *Decretorum*, fol. 471, Resolutiones ipsæ referuntur. Quia tamen nihilominus malum invalescebat, a felicis recordationis prædecessore nostro Clemente Papa XI, die 15 Decembris 1703, sequens decretum publicatum fuit, in quo postquam inconveniens expositum fuit, nimirum : « Episcopi etiam in « aliena diœcesi extra domum propriæ ha- « bitationis in privatis laicorum domibus « erigi faciunt altare, ibique per unum, aut « per plures e suis capellanis vivificam « Christi hostiam immolant; *ad remedium « gradus fit* : ad abusus eliminandos, etc. « Sanctiss. dominus noster, etc., expresse « declarat, episcopis, et his majoribus præ- « latis, etiam cardinalatus honore fulgenti- « bus, neque sub prætextu privilegii clausi « in corpore juris, neque alio quocunque ti- « tulo, ullo modo licere extra domum pro- « priæ habitationis, in domibus laicis, etiam « in propria diœcesi; quod fortius intelligi- « tur in aliena, etiamsi diœcesani consensus « adhiberetur, erigere altare, ibique sacro- « sanctum sacrificium celebrare sive cele- « brari facere. »

« § 7. Magni hujus Pontificis menti ille tantummodo finis in hoc propositus fuit, ut abusus tollerentur; nunquam autem, ut recto privilegii usui quidquam detraheretur Et quia relata verba prohibitiva, utpote nimis ampla, et effrenata, cuiquam præbere

Digitized by Google

ansam poterant affirmandi, non licere episcopis uti privilegio altaris portatilis, tum cum vel diœcesim visitant, vel iter faciunt, aut alia justa de causa extra residentiam sunt, atque in laicorum domibus morantur; illato de hujusmodi re sermone in congregationibus, quæ sub Innocentio XIII immediato Clementis ejusdem successore, habitæ fuerunt, quarum Nos, tunc in minoribus existentes, a secretis fuimus, opportunum factu judicatum est, ut ea, quam mox subjicimus, declaratio fieret, quæ postea inserta fuit in ejusmodi litteris Innocentii incipientibus : *Apostolici ministerii*, quas idem Pontifex pro constituendo in Hispaniarum regnis bono ecclesiasticæ disciplinæ regimine condidit, quasque etiam ejusdem successor Benedictus XIII, *in forma specifica* confirmavit, et ut in omnibus locis pro regula ac norma haberentur, in *Appendice* concilii Romani a se celebrati voluit insertas; ipsam vero declarationem inter ejusdem concilii decreta retulit, tit. 15, cap. 3, in quo quidem concilio « Nos quoque ad sa- « crorum canonum interpretationem adhibiti « fuimus. Declarationis verba Nos etiam hic « libenter apponimus : declaramus, quod, « in prædicto decreto (de Clementis XI de- « creto sermo est), statuatur, non licere « episcopis extra domum propriæ habitatio- « nis, in domibus laicis erigere altare, ibi- « que sacrosanctum missæ sacrificium cele- « brare, sive celebrari facere; hujusmodi « prohibitio intelligenda non sit de domibus « etiam laicis, in quibus ipsi episcopi forte « occasione visitationis, vel itineris, hospi- « tio excipiantur ut nec etiam quando epi- « scopi in casibus a jure permissis, vel « de speciali Sedis Apostolicæ licentia ab- « sentes a domo propria ordinariæ habita- « tionis, moram idcirco faciant in aliena « domo per modum similis habitationis; « his enim casibus licita iis erit erectio « altaris ad effectum prædictæ celebratio- « nis, non secus ac in domo propriæ or- « dinariæ habitationis. »

« § 8. Optimum factu judicavimus in encyclica hac epistola nostra exponere vobis hæc, quæ ad fraternitates vestras præcipue pertinent, nimirum quantum vobis concessum est quoad sacella seu cappellas, quæ in episcopalibus palatiis vestris sunt; quantum item vobis in alienis domibus, et extra vestram diœcesim facere permissum est, causas etiam concessionum, ac privilegiorum indicavimus, nec non eorumdem abusus, atque abusuum prohibitiones apposuimus, tum ut vos discrimen agnoscatis, quod intercedit inter capellas episcopalium ædium vestrarum, in quibus aliquando vobis, pro præcipuo fine hujusmodi commodi, et consolationis vestræ, privilegio altaris erigendi, ac celebrandi, vel celebrari faciendi, uti licet tum vero etiam ne forte, cum vos contra abusus privatorum oratoriorum in domibus laicorum invigilare debeatis, redargutioni illi obnoxii sitis, quod alienos in aliorum domo defectus dum corrigitis, interim vestræ domi, atque in propria agendi ratione excessus adhibeatis. Ideoque ad privatorum oratoriorum propositum, quæ in domibus laicorum sunt, gradum facientes, aliqua præmittemus.

« § 9. Primum quidem est, privatorum oratorium in dictis domibus usum ab antiquo tempore repetendum esse; cum constet apostolos sacra mysteria privatis in domibus celebrasse, eumque morem persecutionum tempore servatum fuisse, quemadmodum Christianus Lupus in suis *Notis ad canones Trullanos* apposite animadvertit. Alterum autem, privata oratoria in domibus laicorum subsequentibus etiam sæculis fuisse, cum persecutiones jam cessassent; cum in sacramentario Gallicano, quod Mabillonius, tom. I *Musæi Italici* impressum edidit, *collecta* legatur, quæ recitanda erat in missa, quæ celebrabatur *in domo cujuslibet;* nec ad hujusmodi quidem assumptum aliæ deficiunt probationes, quas nos in tractatu nostro, *De sacrificio missæ*, sect. 1, § 10, cum cura colligere studuimus. Tertium porro est, de tollendis hujusmodi oratoriis privatis in domibus laicorum, seu potius facultatibus missas in ipsis celebrandi, pluries cogitatum esse. Nihil de Justiniani Novella 58 dicemus, in qua, ne in domesticis oratoriis celebraretur, interdixit, tantummodo permittens, ut in eisdem oraretur; nihil præterea de Novellis 4 et 15. Leonis Sapientis, qui prohibitionem sustulit, asserens, adeo tunc privata oratoria multiplicata fuisse, in quibus missæ celebrarentur, ut non solum optimates, sed mediocris etiam conditionis homines in suis domibus eadem haberent. Quod vero spectat ad ea monumenta, quæ proxima temporibus nostris sunt, satis erit illa indicasse, quæ in dicto tractatu *De sacrificio missæ* loco superius citato a nobis allata fuerunt.

« § 10. Quartum, quod licet fere semper in laicorum domibus privatorum oratorium usus habitus fuerit, in quibus missa celebrabatur; semper tamen episcoporum licentia necessaria fuit : Ad quam concedendam ipsi valde faciles plerumque erant : « Missa- « rum solemnia non ubique, sed in locis ab « episcopo consecratis, vel ubi ipse permi- « serit celebranda censemus. » Verba sunt can. *Missarum*, De consecrat., dist. 1. Hæc autem facilitas, propter quam interdum factum est, ut oratoria domestica, licet frustra, prohiberentur, multo magis in usu fuit in Ecclesia orientali, ob id potissimum, quod in Ecclesiis Græcorum non nisi unicum altare erat, et postquam una super ipso missa celebrata esset, altera per eumdem diem celebrari minime poterat. Balsamon in *Comment. ad canon. Trullanos* testatur, quod sine ulla alia formula, impertita ab episcopo censebatur sacerdoti licentia celebrandi missam in privatis laicorum oratoriis, quoties super mappis ab episcopo consecratis celebraret.

« § 11. Postremum autem, quod dicimus, illud est. Cum, post varios sermones in sacro concilio Tridentino hac de re habitos (quod concilium, tam magna cum Polonici

Digitized by Google

regni gloria, tanto plausu acceptatum fuit, opera cardinalis Osii et nuntii Commendonii, in magno conventu habito coram rege Sigismundo Augusto, quemadmodum in ipsius concilii *Historia* per cardinalem Pallavicinum conscripta lib. XXIV, c. 13, videre est), in sess. XXII, in decreto *De observandis et evitandis in celebratione missæ*, sequenti modo statutum, et ordinatum fuerit: « Neve patiantur (de episcopis sermo est) privatis in domibus, atque omnino extra ecclesiam, et ad divinum tantum cultum dedicata oratoria, ab iisdem ordinar. designanda, et visitanda, sanctum hoc sacrif. a sæcularibus aut regul. quibuscunq. peragi; » cum adjecta derogatione cuilibet privilegio, exemptioni, et consuetudini « non obstantibus privilegiis, exemptionibus, appellationibus, ac consuetudinibus quibuscunque; » ex eo factum esse, ut non amplius episcopis facultas sit concedendi usum oratoriorum privatorum in domibus laicorum, causa in iisdem missam celebrandi; cum licentia, quæ ab ipsis daretur, celebrandi missam in oratoriis privatis, neutiquam stare possit cum præcepto a concilio eisdem ipsis imposito, ne id permittere debeant; ac proinde prædictum jus ad Sanctam Sedem devolutum fuisse, quoniam circumstantiæ temporum, et oratoriorum privatorum in laicorum domibus dilatatio minime permittebant, ut eadem prorsus abolerentur. Atque hujusmodi semper fuit conciliaris textus intelligentia, quam tradidit congregatio Concilii, privativa ejusdem interpres; quæque etiam a fel. record. prædecessore nostro Paulo Papa V in epistola encyclica anno 1615, ad omnes episcopos expedita, approbata fuit; quæ quidem epistola tum apud varios auctores, tum etiam in citato tractatu nostro *De sacrificio missæ*, sect. 2, § 42, impressa reperitur. Et in ea quidem alia quæcunque verborum concilii intelligentia reprobatur, multaque de irreverentia erga missæ sacrificium dicuntur, cui nimia episcoporum facilitas in concedenda licentia sine ulla limitatione, aut cautela, non parum fomenti præbebat. Deinde in eadem ita concluditur: « Facultatem hujusmodi « licentias dandi, ipsius concilii decreto, « unicuique ademptam esse, solique beatis- « simo Romano Pontifici esse reservatam. »

« § 12. Postquam jus concedendi oratoria in privatis laicorum domibus Sedi Apostolicæ reservatum fuit, dici vix potest quantum curæ, ac diligentiæ adhibitum sit pro recto ejusdem moderamine. Qua de re in archivio congregationis Concilii, cujus olim secretarii munus Nos ipsi, antequam ad majores dignitates ascenderemus, plures per annos gessimus, authentica documenta reperiuntur. Hæc tandem pro lege statuta fuerunt, quemadmodum ex formulis litterarum in forma brevis, quæ conceduntur, colligere licet: oratorium scilicet parietibus, per quos ab omnibus aliis domesticis usibus segregetur, exstructum esse debere; idem prius, vel ab episcopo, vel ab alio, cui ipse vices suas delegaverit visitandum esse, inspiciendi gratia num decens et apte compositum sit, et num aliquid eorum, quæ necessaria sunt, in eodem desit; ut episcopus sit, qui celebrandi missam licentiam impertiatur, et quod licentia hujusmodi secundum rationabile illius arbitrium perduret; nec plures in die, sed unica tantum missa in oratorio celebretur a sacerdote vel sæculari, vel regulari, dummodo sæcularis ab episcopo approbatus sit, regularis autem licentiam habeat a suo regulari superiore; ne missa celebrari possit diebus solemnibus Paschatis, Resurrectionis, Pentecostes, Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, et aliis solemnioribus diebus, quos inter etiam enumerantur dies Epiphaniæ, et Ascensionis Domini, Annuntiationis, et Assumptionis beatæ Mariæ Virginis, omnium sanctorum, necnon sanctorum apostolorum Petri, et Pauli, ac titularis ecclesiæ loci: Exprimuntur personæ, quarum præsentia necessaria est, ut in privato oratorio missa celebrari possit; aliæ item, quæ, dum supradictis præsentibus missa celebratur, eidem interesse possunt, et ecclesiastico præcepto satisfacere; denique declaratur omnia sine parochialium jurium præjudicio fieri debere.

« § 13. Atque hæc sunt, quæ in consuetis privatorum oratoriorum brevibus continentur: quædam vero alia expediri contingit brevia, quæ extraordinaria sunt; ut cum, ex. gr. justis cuipiam de causis concessio fit, ut secundam missam celebrari facere possit, vel, ut eadem, aliquanto citius, aut aliquanto serius eo temporis limite, seu termino celebretur, qui in rubricis præfixus; vel etiam in diebus exceptis, et alia hujuscemodi. Cum autem interdum tam circa brevia privatorum oratoriorum prioris speciei, quam circa alia, ac generatim super omnibus controversiæ exortæ sint, Apostolica Sedes per hujusmodi occasiones opportunis rationibus super hoc providere non prætermisit.

« § 14. In ordinariis brevibus, ut plurimum, duobus conjugibus licentia conceditur faciendi, ut in privato oratorio missa celebretur; exprimiturque, ut missa celebrari possit, tum iisdem præsentibus, tum eorum filiis, consanguineis, atque affinibus, qui una cum ipsis in eadem domo habitationem habent. Nunquam exorta difficultas est, an, cum aut vir, aut uxor missæ intersunt, si consanguinei et affines qui in eadem domo habitant, præsentes pariter adsint, ecclesiastico præcepto diebus festis satisfaciant, id tanquam tutum, ac brevis litteræ cohærens habitum est. Summa autem difficultatis eo semper rediit, ut, dispiceretur, num, cum neuter conjugum adsit, sed unus ex consanguineis, aut affinibus in eadem domo habitantibus, posset, eo jubente, in privato oratorio missa celebrari; et num alii, qui in domo illa habitant, consanguinei, et affines, eamdem audientes festo die ecclesiastico præcepto audiendi missam satisfaciant. In hoc autem divisæ de more auctorum opiniones erant; verum

Digitized by Google

cum hujusce difficultatis punctum in congregatione Concilii die 3 Decembr. 1740, in causa cujus inscriptio erat *Marsicen. oratorii*, propositum ac discussum esset, decisum fuit, non posse in oratorio privato missam celebrari, nisi indultariorum præsentia ibidem haberetur; quod idem est, ac si dicatur, viri, vel uxoris, ad quos breve directum erat; quemadmodum in tom. IX. *Resolutionum sacræ congregationis Concilii* anni 1740, ad pag. 89 et sequent. videre est.

« § 15. Cum autem decreti hujusce facta Nobis relatio esset, idem per Nos sub die 7 Januar. 1741 confirmatum fuit; ac præterea demandatum, ut in hujusmodi brevibus, in quibus certis quibusdam, ac determinatis personis concessio fit, ut unam in privato oratorio missam celebrari facere possint, quæ missa pro filiis, consanguineis, affinibus valeat, majoris claritatis gratia, subjecta clausula adjungatur : « Volumus autem « quod nati, ac consanguinei, et affines « prædicti unicam dictam missam, vobis « quidem præsentibus, audire tantummodo, « nunquam vero celebrari facere audeant. » Ut autem quæ indultariæ personæ sint, facile agnosci posset, sine quarum præsentia missa celebrari non potest, neque, qui eamdem audit, præcepto satisfacit, adjunximus, ut pro indultariis personis illæ haberentur, quæ in fronte, seu inscriptione brevis nominatæ forent, cum ad easdem ipsas breve dirigatur.

« § 16. Nos ab hujusmodi norma minime recedimus : verum quia aliqua interdum in corpore brevis persona nominatur, qua præsente, conceditur, ut missa celebrari possit, et quod alii affines, consanguinei, vel familiares eamdem audientes, præcepto satisfaciant, etiamsi prædicta persona in fronte brevis minime nominetur; hinc est, quod, firma semper ea regula manente, ut possit in privato oratorio missa celebrari, dum aliqua ex indultariis personis assistit, quæ in fronte, seu inscriptione brevis nominatur; dicimus, posse missam celebrari, etiamsi nulla etiam personarum præsens adsit, quæ in fronte, seu inscriptione brevis nominantur, dummodo illa præsens sit, cui in brevis corpore nominatim, et expresse facultas tribuitur, ut possit in privato oratorio, tum cum ipsa assistat, facere, ut missa celebretur.

« § 17. Atque, ut res exemplo magis pateat, datur viro, et uxori facultas faciendi, ut in privato oratorio missa celebretur, atque ad hos breve dirigitur. Hic autem vir superstitem habet matrem; hæc vero in fronte, seu inscriptione brevis minime nominatur; verum cum in brevis corpore dicatur, quod ipsa quoque mater eamdem missam celebrari facere possit, et valeat, id sufficiens est, ut sola matris præsentia adhibita, missa in oratorio celebrari possit, etiamsi mater in fronte, seu inscriptione brevis nominata non sit. Quæ hactenus dicta sunt in hujusmodi generis brevibus indicantur : verum curæ Nobis erit, ut in posterum felicius etiam, et sine ulla confusione exprimantur.

« § 18. In consuetis, sive ordinariis brevibus solemnes, quemadmodum dictum est, dies excipiuntur, quos inter Natalis Christi Domini dies recensetur, in quo tres a quolibet sacerdote missæ celebrantur. Interdum illi, qui privati oratorii breve habet, extraordinarium breve conceditur, in quo eidem, valetudinis causa, missam domi audire diebus etiam exceptis permittitur. Cum autem in hujusmodi brevibus de unica tantum missa sermo sit; orta difficultas fuit num possint die natalitio a sacerdote, qui in ipso celebrabat, tres missæ celebrari. De quo cum Nos eo tempore, quo concili ejusdem a secretis eramus, peculiarem dissertationem conscripsissemus, atque in lucem edidissemus, sub die 13 Januarii anni 1725 resolutum a congregatione fuit, quod a sacerdote tres missæ celebrari possent, quemadmodum tom. III *Thesauri resolutionum*, pag. 109 et seq. et pag. 116 videre est.

« § 19. Reliquum est, ut de sacris functionibus dicatur, quæ in iis oratoriis fieri possunt, quæ in domibus privatorum sunt, et in quibus non plures, quam unicam tantum missam celebrari permissum est, nisi cum forte cuipiam ex speciali gratia concessa facultas esset faciendi, ut secunda celebretur. Quod ad baptismatis sacramentum attinet, jam in Viennensi concilio sub Pontifice Clemente V decretum fuit, ne baptismus in aliis locis conferri posset, præterquam in ecclesiis in quibus sacri hujus lavacri fontes reperiuntur, nisi cum casus necessitatis adesset, aut cum de regum, vel principum filiis ageretur, quemadmodum in Clementina unica *De baptismo*, et ejus effectu videre est.

« § 20. Quod autem sacramentum pœnitentiæ respicit, jam in Rituali Romano sub titulo *De sacramento pœnitentiæ*, cum de sacerdote sermo fit, qui confessiones audit, statutum fuit : « In Ecclesia non autem in « privatis ædibus, confessiones audiat, nisi « ex causa rationabili, quæ cum inciderit, « studeat tamen id decenti, ac patenti loco « præstare. » Rituale a Pontifice Paulo V confirmatum fuit. Et magnus Ecclesiasticæ disciplinæ instaurator sanctus Carolus Borromæus tum in instructione sacramenti pœnitentiæ, tum in monitis ad confessarios, atque in primo suo provinciali Mediolanensi concilio, id inculcare non prætermisit, quemadmodum in actis Ecclesiæ Mediolanensis, editionis civitatis ejusdem part. I, pag. 11; part. IV, pag. 520, eadem part. IV, pag. 761 et pag. 773. videre est, pag. autem 775. Superioribus regularium inculcat, ut id a subditis eorum exacte adimplendum curent. Cum autem a prædictis confessariis regularibus prolata in medium facultas esset audiendi ubique confessiones fidelium, quam sibi ea ratione asserebant, quod in Pontif. Clement. X bulla: *Superna*, nulla loci limitatio fieret, idem ipse Pontif. declaravit : « nullam facultatem « in prædicta constitutione sua) fuisse tri-

Digitized by Google

« butam regularibus audiendi confessiones « sacramentales in privatis domibus, ac « proinde minime licere eisdem regulari- « bus cujusvis ordinis, etc. sacramentum « pœnitentiæ administrare in domibus pri- vatis extra casus a jure permissos. » Quod decretum cum præsulis Fagnani subscri- ptione editum, variis in locis impressum est, ut in appendice ad synodum Fulgina- tensem, quæ a bon. mem. Josaphat Bapti- stelli civitatis ejusdem episcopo anno 1722 celebrata fuit.

« § 21. Quod pertinet ad communionem paschalem, quæ ab unoquoque catholico Paschatis tempore recipienda est, ex præ- scripto tum decreti concilii Lateranensis in c. *Omnis utriusque sexus*, De pœnitentiis et remissionibus, tum concilii Tridentini sess. XIV, cap. 8, can. 10, nemo est, qui ignoret, præceptum hoc in propria parochiali eccle- sia adimplendum esse, aut in alia ecclesia cum proprii episcopi, vel parochi licentia, secundum varias diœcesum consuetudines. Porro fel. record. prædecessor noster Pau- lus Papa IV Fratrib. Minoribus privilegium concessit, ut sacram eucharistiam omnibus Christifidelibus in eorum ecclesiis distri- buere possent, excepta tamen die Paschatis Resurrectionis; atque hoc privilegium a sanctæ memoriæ altero predecessore Pio Papa V *per communicationem*, ut dicitur, ad omnes regulares extensum fuit.

« § 22. Verum quia, secundum præceden- tem Eugenii IV constitutionem, paschale tempus, intra quod communionis præcep- tum adimplendum est, a Dominica Palma- rum initium habet, ac Dominica in Albis terminatur; cum exortum dubium fuisset, num licitum regularibus foret intra præ- scriptum eorumdem dierum terminum sa- cram Eucharistiam fidelibus in eorum ec- clesiis distribuere; resolutum fuit, die Pas- chatis nemini distribui posse, ne illis quidem qui intra sanctiorem hebdomadam paschali præcepto in propria parochiali ecclesia sa- tisfecissent; posse quidem regulares aliis paschalis temporis diebus fideles in eorum ecclesiis sacra Eucharistia reficere, hac ta- men conditione, ut communione refecti scirent, non ideo se a præcepto illo exem- ptos esse, ut paschalem in propria paro- chiali ecclesia communionem recipere de- berent. Illustria congregationis Concilii decreta sunt quibusdam in causis, Seno- nensi videlicet, Burdegalensi et Mechli- niensi, quæ a nobis in nostro *de Synodo diœcesana* tractatu lib. VII, cap. 42, num. 3, relata sunt.

« § 23. Extra Paschalem vero communio- nem, cum in sacro Tridentino concilio sess. XXII, c. 6, *De sacrif. missæ*, quæ subjici- mus, verba legantur : « Optaret quidem sa- crosancta synodus, ut in singulis missis fi- deles astantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ percep- tione communicarent, quo ad eos sanctissi- mi hujus sacrificii fructus uberior perveni- ret : » non defuit, qui ex iisdem verbis de- ducere, quod certe et clare inde consequa- tur, ut in privatis oratoriis, quando in ipsis celebrandi missam facultas est, distribui Eucharistia possit iis, qui missæ præsentes adsunt; neque ad hoc præstandum ullo par- ticulari indulto opus sit. Super hujusmodi quæstionis capite Nos in nostra Instit. 34, § 3, disseruimus, inter eas, quas tum, cum Bononiæ resideremus, Ecclesiæ illius archi- episcopatum gerentes, publicavimus : quas quidem institutiones cum italico sermone edidissemus, postea Romæ Latine redditæ atque impressæ sunt. Ibi autem expositam paulo ante opinionem retulimus : verum aliam esse subjunximus, quæ episcopi licen- tiam requirit, ut qui domesticum oratorium domi habet, dum missæ in eodem interest, communicare possit. Hujusmodi opinio tum bono rerum ordini, tum Romanæ etiam consuetudini, sive praxi cohærens Nobis visa est; ac proinde ordinavimus, ne in pri- vato oratorio recipi communio posset ab iis qui in eodem missæ intersunt, quam vel sæcularis sacerdos, vel sacerdos regularis celebraret, nisi vel nostram, vel generalis vicarii nostri licentiam obtinuissent.

« §. 24. Neque etiam in præsens voluntas Nobis, aut ratio est, cur ab hoc systemate recedamus. Siquidem, cum Nos in magna illa controversia super communione illis dis- tribuenda, qui missæ præsentes cum sint, eamdem petunt, quæ aliquot abhinc annis in Italia exorta fuit, postquam Tridentini concilii verba retulissemus, atque eorum zelum commendavissemus, qui inter sanctæ missæ celebrationem communionem reci- piunt, ecclesiasticos quoque pastores exci- tavissemus, ne eucharistico cibo illos frau- darent, qui ejusdem famelici forent; cum, inquam, animadvertissemus, ejusmodi cir- cumstantias dari posse, in quibus vel tem- poris, vel loci ratione, episcoporum pru- dentia opportunum factu existimet, sacram eucharistiam etiam illi, qui missæ interfuit, minime distribui; eo magis, quod, juxta præsentis temporis disciplinam, libera ei- dem facultas patet, ut eamdem alio loco, atque alio tempore recipere possit, ordina- vimus, ut in hoc debita proprii superioris præcepto obedientia præstari deberet; cui, qui morem gerere recusasset, nimis mani- festum indicium præbuisset, quam parum animo dispositus, ac paratus esset ad altaris sacramentum recipiendum; quemadmodum in litteris nostris quarum initium est : *Certiores effecti*, et quæ in Bullario nostro tom. I, num. 64, leguntur videre est.

« § 25. Atque hæc sunt, venerabiles fra- tres, quæcunque in encyclica hac epistola nostra vobis exponere opportunum existi- mavimus; a quo quidem satis intelligetis, quod, legendis, et considerandis Apostolicis litteris concessionum oratorii, decessorum nostrorum decretis, harum congregationum resolutionibus, quæ a Nobis etiam in præ- sentia confirmata sunt, nullus amplius liti- bus, et controversiis locus reliquus sit. Ve- rum quia vos illud fortasse Nobis responsu- ros arbitramur, optime quidem hæc omnia habere, verum eo difficultatem redire, quod

Digitized by Google

quæcunque decreta, atque ordinata sunt, minime observantur; ne grave vobis sit, hoc per Nos reponi, quod si inobservantia ex neglecta brevium lectione, et consideratione, aut ex ignoratione decretorum, ac Pontificiarium resolutionum originem habet, Nos quidem in hoc nunquam culpandi erimus; idque nunc maxime, postquam, ingravescente licet ætate nostra, et multis, ac difficillimis curis assidue Nos prementibus, in encyclicam hanc epistolam nostram, quidquid hac super re scire opus erat, inserere non detrectavimus.

« § 26. Quod si vos etiam id præstare curabitis ut in diœcesanis synodis vestris, in vestris item edictis, quæ a vobis pro bono diœcesis vestræ regimine publicantur, Pontificiorum decretorum, ac resolutionum desuper indicatarum observantiam inculcetis; duplex inde bonum exstabit, ut, et vivam in vobismetipsis eorumdem memoriam teneatis; atque ab aliis, aut ignorantiam expellatis, aut eamdem, utpote crassam deinceps, atque supinam, inexcusabilem reddatis. Hanc agendi rationem, ac normam tenuerunt, atque in præsentia tenent nostri Italiæ episcopi, qui aut Pontificiorum decretorum, quæ super privatis oratoriis condita sunt, summam in synodis suis inseruerunt, aut in appendice ad ipsas synodos eadem decreta *per extensum* adjunxerunt; quemadmodum in synodo anno 1724 a bon. mem. cardinali de Via, Arimini habita, in altera anno 1736, celebrata a bonæ memoriæ cardinali Pignatelli, archiepiscopo Neapolitano, atque etiam in ea, quæ anno 1736 habita fuit a venerabili fratre nostro Annibalo cardinale Albano, Sabinensi tunc temporis episcopo, atque in aliis multis, videre est.

« § 27. Non ex eorum numero Nos sumus, quibus persuasum sit, omnia in nostra tempora inconvenientia incidere, atque ea præsentibus diebus contingere scandala, quæ nunquam præteritis temporibus evenerint. Satis, superque pro certo habemus, ea, quæ hodie fiunt, alio tempore accidisse. Ac ne a proposita re longius recedamus, illud dicemus quod si hodie sacræ leges ad privata oratoria pertinentes a sacerdotibus violantur, propter præsidium, quo nituntur, magnatum sæculi, apud quos capellani munere inserviunt; idem nono etiam sæculo eveniebat, cum S. Agobardus tunc temporis archiepiscopus Lugdunensis de eadem re queratur in suo tractatu *De privilegio et jure sacerdotii*, cap. 11. Non tamen idcirco vobis sacerdotalis constantia, atque animus deponendus est. Pia, ac religiosa Polonorum natio est; et, si quando aliquis abusus in privatis ejusdem oratoriis contingat, cum id magnati, cujus in domo commissus, aut introductus est, notum fiat, rationes adducendo, et ostendendo, quod per abusus privilegium amittitur, sperare est, ipsum omne suum inobedienti capellano præsidium certo sublaturum. Et si quando infortunium accideret, ut hac ratione finis non obtineretur, præsto vobis semper spiritualia arma sunt, quibus contra capellanum uti potestis. Fortasse autem si hac ratione factum esset, quum primum de inconvenienti rescitum fuit; pace omnium dicemus, res non eo progressuras fuisse, in quo nunc statu sunt, sicut ex recursibus ad Nos delatis notum factum est, quorum causa ad encyclicam hanc epistolam nostram conscribendam animum adduximus.

« § 28. At enim inconvenientia a privilegiatis, et exemptis proficisci vos fortasse dicturos prævidemus, nimirum a regularibus, de quibus in prædicto recursu ad hanc Sanctam Sedem facto plura insinuantur. Nos autem id vobis dicimus, nulla privilegia nec exemptiones esse, quæ impedire possint quominus abusus exterminentur.

« § 29. Habebant sine dubio regulares privilegium altaris viatici, et ut super eodem altari missam ubicunque locorum forent, sine ulla episcoporum licentia, celebrare possent, quemadmodum in decretali Honorii III, in cap. *In his*, De privilegiis, videre est; a quo deinde privilegio fiebat, ut missam possent celebrare etiam in domibus laicorum, sive super altari viatico, sive super altari fixo, etiamsi laicus privilegium oratorii privati minime haberet; propter eam rationem quod privilegium celebrationis suum vigorem haberet, licet celebrationis locus minime privilegiatus foret. Verum cum sacrum Tridentinum concilium in citata sess. XXII, in decreto jam citato *De observandis et evitandis in celebratione missæ*, episcopis præcepisset, ne permittant, ut in privatorum domibus missæ celebrentur « a sæcularibus, aut a regularibus quibus« cunque, » eisdemque dedisset facultatem procedendi, tanquam Apostolicæ Sedis delegatis, contra refractarios, *Ut delegati Sedis Apostolicæ*; atque omnibus privilegiis, exemptionibus, et consuetudinibus contrariis, cujuscunque generis essent, derogasset: « non obstantibus privilegiis, exemp« tionibus, appellationibus, ac consuetudi« nibus quibuscunque: » hinc necessario consequitur, sacrum concilium Tridentinum tam præcedentibus altari viatici privilegiis derogasse, quam facultati missam in privatorum domibus, sine episcopi licentia celebrandi, atque ulterius episcopum tanquam Sedis Apostolicæ delegatum, contra inobedientes procedere posse, etiamsi exempti sint; nullum vero amplius esse privilegium, vel exemptionem, quæ obstet, quæque impediat, quo minus abusus tollantur.

« § 30. Nihil autem valet ea, quæ a quibusdam promovetur, assertio, videlicet concilium privilegio, de quo agitur, minime derogasse, eo quod illud in corpore juris inclusum sit; etenim sacrum concilium Tridentinum iis etiam derogare privilegiis consuevit, quæ in corpore juris inclusa sunt, nullam etiam de iis expressam mentionem faciendo, sed simpliciter aliquid contrarium ipsis determinando, generali objecta ad contraria privilegia derogatione, quemadmodum celebris præsul Fagnanus

Digitized by Google

in cap. *Nonnulli*, n. 42 et seq., sub tit. *De rescriptis*, ample demonstrat.

« § 31. Quod si forte quis hoc unquam objiceret, concessum sæpe ab Apostolica Sede fuisse, atque etiam nunc, post Tridentinum concilium, altaris viatici usum concedi, fraternitatibus vestris notum esse debet, hujusmodi privilegium in iis locis concedi, ubi Ecclesiæ non sunt, aut si sunt, talis hæreticorum potentia est, ut in easdem catholici non sine gravi periculo ad audiendam missam convenire possint. Uno verbo præcise necessitati providetur : quod quidem, ut optime perspicitis, ab eo, de quo agimus, casu plane diversum est.

« § 32. Gregorii XIII decessoris nostri privilegium legite, quod anno 1580 Fratribus ordinis Prædicatorum provinciæ Poloniæ concessit, quod Bullario religiosæ illius familiæ tom. VII, pag. 192, insertum est : « In quibusdam « civitatibus, oppidis, et locis provinciæ Polo- « niæ tanta hæreticorum potentia, et impietas « existit, ut Catholicos impune opprimant, nec « iisdem Catholicis missas in ecclesiis, qua- « rum raritas in illis partibus existit, audire « tuto liceat. Nos supplicationibus tuis in hac « parte inclinati, tibi ac pro tempore existenti « ordinis Fratrum Prædicatorum provinciæ « Poloniæ priori provinciali, ut licentiam, « et facultatem dictis professoribus altaria « portatilia habendi cum debitis reverentia, « et honore, super quibus in domibus nobi- » lium civium, incolarum civitatum, oppi- « dorum, et locorum dictæ provinciæ, in « quibus, vel Ecclesiæ desunt, vel tanta est « hæreticorum potentia, et impietas, ut impu- « ne opprimant, in locis ad hoc congruenti- « bus, et honestis, per se ipsos missas in « præsentia personarum catholicarum cele- « brare possint, in casibus necessitatis « tantum, ita quod eis ad culpam nequeat « imputari, concedere valeatis Apostolica « auctoritate tenore præsentium de speciali « gratia indulgemus. »

« § 33. Legite item jam superius citatum Clementis XI decretum, quod majoris etiam commoditatis vestræ gratia, hic adnexum vobis transmittimus; etiamsi, tum cum illud conditum fuit, præter publicationem ejusdem Romæ factam, ad ordinarios per loca, tam intra, quam extra Italiam transmissum fuisse sciamus. Ab ipso autem, absque eo quod nostris rationibus, et animadversionibus Nos idem roborandum suscipiamus (quod quidem facere Nobis in proclivi esset, cum præstantiorum, inter Pontificii juris peritos, auctorum assertiones ubique in promptu sint), manifeste cognoscere poteritis, subsistant nec ne, amplius portatilis altaris privilegia, quæ regularibus concessa fuerunt, et num a Tridentino concilio eisdem fuerit derogatum. Cognoscetis num permissum regularibus sit, secundam in privato oratorio cuipiam concesso missam celebrare, cum prima jam celebrata est, nec pro secunda hujusmodi missa peculiare indultum adest. Cognoscetis, num in prædictis privatis oratoriis licitum eisdem sit, vel ante auroram, vel post meridiem, missam celebrare ; num celebrare eamdem possint diebus iis, qui in indulto excipiuntur. Cognoscetis demum, num, exemptione non obstante, contra delinquentes procedendi potestas vobis sit. Licet autem nulla omnino hujusce rei necessitas sit, illud Nos in præsentia decretum confirmamus, ac fraternitatum vestrarum curæ committimus, ut pro exacta ejusdem observantia invigiletis ; cum minime commendatione dignum sit ad Sedem Apostolicam recurrere, inconvenientia exponendo, nisi prius adhibita cum vigore ea remedia sint, quæ ab ipsa Apostolica Sede contra hujusmodi inconvenientia subministrata fuerunt.

« § 34. In eo qui ad nos factus est recursu, alterius etiam inconvenientis mentio fit quod scilicet sine licentia vestra regulares exorcizent ; de hoc tamen nihil dicitur utrum per vos, aut in synodis vestris, aut in vestris edictis decretum fuerit, ne ullus sacerdos vel sæcularis vel regularis exorcizare audeat, sive in sua, sive in aliena ecclesia, sive intra, sive extra cœnobium quin prius a vobis approbatus sit, atque ita, quin ante licentiam a vobis obtinuerit. Hoc illud est quod præstari debet quodque ab episcopis præstari solet, quemadmodum apud clericatum, *De sacramento ordinis*, decis. 19, n. 42, ubi episcopales synodos affert, videre licet. Quod si nihilominus, postquam a vobis, tam in hac materia quam in alia oratoriorum privatorum, quantum in vobis est, præstitum fuerit, vestra nihilominus præcepta violabuntur, ac pœnæ a vobis impositæ et inflictæ negligentur, nequaquam certe Nos officio nostro deerimus, ut totam auctoritatem vestram in favorem vestrum interponamus cum nihil antiquius Nobis sit, quam ut episcoporum qui fratres nostri sunt, jura sarta tecta serventur. Interim tam fraternitatibus vestris quam populis curæ vestræ commissis Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

« Datum ex arce Gandulphi, die 2 Junii 1751, pontificatus nostri anno undecimo. »

(95. Oratorium domesticum conceditur advocatis consistorialibus. Bened. XIV, tom. I, constitut. 106, incip. *Inter conspicuos*, § 34. Item conceditur officialibus et militibus S. Januarii. (96. Idem constitut. 24, incip. *Romanæ Ecclesiæ*.

(97. Advertenda sunt ea, quæ recte tradit Benedictus XIV, *Instit. Eccles.* 34, § 4, n. 11 et 12 (de qua ipse mentionem ingerit in mox allata Encyclica § 23), ubi postquam scripsit, non posse vigore indulti, administrari in oratoriis privatis sacramentum pœnitentiæ ex quo Rituale Romanum tit. *De sacramento pœnitentiæ*, sic præcise habeat : « In Ecclesia, non autem in privatis ædibus confessiones audiat, nisi ex causa rationabili, quæ cùm inciderit, studeat tamen id decenti, ac patenti loco præstare. » Et dubium movit de sacramento Eucharistiæ, ex quo concilium Tridentinum, sess. XXII, cap. 6, *De sacrificio missæ*, sic se præcise exprimat : « Optaret quidem sacrosancta synodus ut in singulis missis fideles astantes, non

Digitized by Google

solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam eucharistiæ perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi hujus sacrificii fructus uberior proveniret.» Adducens inibi sententiam affirmativam Clericati *De sacramento Eucharistiæ*, decis. 8, ad mensem Februarii, casu primo a n. 34 usque ad finem, ubi fuse probat, posse in ipsis oratoriis eucharistiam ministrari; et alios doctores, inter quos Quarti, Dianam et Giribald. credentes ad id opportunam facultatem ordinarii, tam pro sacerdotibus regularibus quam sæcularibus ibi celebrantibus, cui opinioni asserens esse conformem Romæ praxim, testatur insuper quod cum de ordine sacræ congregationis Concilii, cujus erat secretarius, allocutus fuisset Summum Pontificem Innocent. XIII pro facultate recipiendi eucharistiam in suo privato oratorio a quadam nobilissima femina, quæ propter suas habituales indispositiones nequibat mane se ad ecclesiam conferre, noluit eam dictus Pontifex concedere, nisi limitatam ad tempus infirmitatis, visis prius et ponderatis juratis medicorum attestationibus. Quamobrem cum ipse esset archiepiscopus Bononiensis, statuit quod nullus sacerdos sive sæcularis, sive regularis, sine sua, aut sui vicarii generalis speciali facultate posset ullo modo in dictis privatis oratoriis eucharistiam ministrare.

(98.* Nullum jus assistit parocho, ne in oratoriis publicis intra suam parochiam, missa celebretur, ante absolutam missam, parochialem, ex decretis S. Congregationis. *Institut. Eccles.*, § 11. (99. Potest tamen id vetare ordinarius, « dummodo tamen missa in ecclesia parochiali hora opportuna celebratur.» Quæ verba sunt sac. congregationis. *Ibid.*, § 12.

(100. In archiepiscopatu tamen Bononiensi, si oratorium publicum distet a parochiali unum miliare, permittitur hæc anticipatio; onere tamen injuncto capellano annuntiandi festa de præcepto, Evangelium explicandi, sicut et catechismum, ac doctrinam christianam habendi, quod etiam mandatur a Clemente XII in encyclica ad episcopos Italiæ data ann. 1735. *Ibid.*, § 15*.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(101. Potissima differentia oratorium publicum inter et oratorium privatum in eo posita est, quod illud habere debet januam apertam in via omnium usui patenti et a privatorum hominum dominio exempta tantæque amplitudinis, quanta communiter ab interpretibus juris ad viæ publicæ denominationem desideratur. In hoc vero alius non patet aditus, nisi per locum privatum. Gattic., *De orator. domestic.*, cap. 3, num. 2, et plur. sequent.

(102. Cæterum si pateat aditus ad oratorium per domus atrium per prædium, aream, campumque de alicujus dominio, sed ab immemorabili tempore transitus ille liber fuerit, perinde ac si fuisset per viam publicam, ita ut nulla domino sit facultas transitum illum impediendi, non desinit oratorium illud esse publicum. (103. Idem dic, si in nova constructione oratorii, dominus se obligaverit, viam quæ ducit ad ipsum, cuique liberam in perpetuum servare. Fagnan., in cap. *In his*, n. 18, De privileg.; Gattic. *De orator. domestic.*, cap. 3, numer. 3, ubi numer. 6 agit de oratoriis, quæ intra domos erecta sunt et tamen tanquam publica habentur.

(104. In oratorio publico necessariam esse campanam vulgo traditur. At oratorium non desinere esse publicum, tametsi campana ipsum careat, firmat Gattico, *De orator. domestic.*, cap. 3, num. 13. « Quot, inquit, in villis præcipue et oppidis reperiuntur oratoria, in quibus publice sacrificium offertur, nec in illis suspensa reperitur ulla, vel minima campanula, quin propterea ab episcopis interdicantur? At vero hujusmodi defectum nequaquam episcopi tolerarent, si ex communi jure campana ad constituendum publicum oratorium requireretur. Mihi certe hæc multorum episcoporum tolerantia æquipollens invicto testimonio apparet, cum ex illa evidenter comprobetur, inter necessaria oratorii publici campanam non reputari. Quocirca non jam oratorium propter campanam publicum constituitur, sed ideo campana appenditur, quia jam supponit locum publicum, quo perfecto, signum illud collocatur. Signa etenim rerum, prius in se ipsis res constitutas supponunt, quas nisi perfectas præsupponerent, fallaciter demonstrarent. Si autem dicatur, male a quibusdam episcopis tolerari oratoria publica absque campana, statim reponere poterimus, non uniformem ubique regulam posse observari ob diversas circumstantias in diversitate locorum occurrentes. Addam pariter, nullam, quam sciam, ab Apostolica Sede legem latam esse, præcipientem, in oratoriis publicis appendi campanam ac proinde uniuscujusque episcopi prudentiæ relinqui pro opportunitate hanc, vel exigere, vel non concedere; ac abunde ad discrimen uberius inter ecclesias et oratoria conservandum, sufficere si quod olim jusserat Joannes XXII in Extrav. 2, *De offic. custodis*, renovaretur, quemadmodum expresse illud renovavit S. Carolus in concilio provinciali Mediolanensi IV, part. I, tit. *De campanis*, videlicet unam tantum campanam in oratoriis, plures solum in Ecclesiarum campanariis turribus appendi.»

(105. Qua posita opinione, non per hoc quod oratorium non habeat campanam concludi potest, quod non sit publicum, si januam habeat in via publica. Recte vero asseri potest publicum esse oratorium si campanam habeat, quia campana non appenditur, nisi oratorium sit publicum.

(106. De eo non levis est controversia, num oratorium publicum, præter ostium principale in via publica apertum, habere possit aliam minorem januam quæ privatæ domus atrium respiciens, ingressum non omnibus liberum præbeat, sed solis domesticis, in quorum unice gratiam aperitur? Tum etiam quæri-

Digitized by Google

tur num in oratorio publico fenestræ in parietibus effingi queant, ut e privatis cubiculis domestici in oratoria respicere, atque ita a reliquis omnibus separati, missæ ac orationi assistere et vacare possint? Negativam in utraque quæstione opinionem tenent Barbosa *ad Concil. Trident.*, sess. XXII, c. 8, num. 21, *De reform.*; Amostaz., *De causis piis*, lib. V, cap. 10, num. 15 et seq. At pro affirmativa sententia, in una, itemque altera quæstione est, concurrente, vel lege fundationis, vel privilegio Apostolico, vel usu immemorabili, Gattic., *De orator. domestic.*, cap. 3, n. 8 et 9, ubi inter alia in confirmationem hujus suæ affirmativæ sententiæ, affert synodum Beneventanam anni 1567, tit. 5, cap. 2, in quo habetur: « Ædificationem et usum oratoriorum ita episcopi, cum id illis justa de causa concedendum visum fuerit, concedant, ut præter fores per quas a privatis domibus ad ea itur, alias item habeant, quibus a via publica, omnibus etiam aditus pateat. »

(109. De oratoriis privatis consule, ubi res postulat pluries laudatum Gatticum, qui hoc argumentum illustravit. Illud vero hic prætereundum haud est quod S. M. Benedictus XIV in epistola data 2 Junii 1751 ad primatam, etc. Poloniæ a § 20 ad § 26 declaravit, in hisce privatis oratoriis administrari haud posse sacramenta pœnitentiæ et eucharistiæ etiam extra tempus Paschale, comprehensis etiam regularibus exemptis. Quocirca amplecti amplius nequit opinio, quam auctor n. 45 tenet, quod scilicet possint in iis dicta sacramenta administrari.

ORDO, ORDINARE.

ARTICULUS I.

Quoad ea quæ concernunt ordinis in genere, et in specie essentiam, numerum, institutionem, materiam et formam.

SUMMARIUM.

1. Ordo sumitur dupliciter, et quomodo? — 2. Ordo quid sit? — 3. Ordines secundum theologos magis communiter sunt septem, et enumerantur. 4. Ex dictis septem ordinibus quatuor primi nuncupantur minores, et non sacri, et tres ultimi nuncupantur majores, et sacri, et quare? — 5. Subdiaconatus in primitiva Ecclesia non connumerabatur inter ordines sacros, bene tamen nunc. — 6. Secundum autem canonistas magis communiter sunt novem, et assignantur. — 7. Et hoc non sine mysterio, sed ad formam cœlestis hierarchiæ, et juxta novem ordines, seu choros angelorum. — 8. Quod prima tonsura non sit ordo proprie dictus, neque sacramentum, qui doctores teneant? — 9. Adducitur pro hac sententia fortis textus ex cap. *Illud* 1, dist. 77. — 10. Adducuntur etiam ad id varii textus concilii Tridentini cum declaratione sacræ congregat. ejusdem Concilii. — 11. Oppositam sententiam, scilicet quod prima tonsura sit ordo proprie dictus, qui doctores teneant? — 12. Adducitur pro hac sententia satis validus textus ex cap. *Cum contingat* 11, De ætat. et qualit. — 13. Canonistarum sententiæ videtur clare adhæsisse Sixtum V in constitut. 91 incip. *Sanctum et salutare.* — 14. Et hanc canonistarum sententiam probavit etiam sacra congreg. Episcop. et Regular. — 15. Eamdem sententiam apertius probavit sacra congreg. Concilii. — 16. Quod episcopatus non sit ordo proprie dictus, simpliciter, et adæquate distinctus ab ordine presbyterali, qui doctores teneant, et quænam sit præcipua eorum ratio? — 17. At vero episcopatus probabilius est ordo sacramentalis ab ordine presbyterali, realiter, et adæquate distinctus. — 18. Respondetur ad rationem adversariorum. — 19. Omnes et singuli vero ordines sunt verum ac proprie dictum sacramentum. — 20. Per hoc tamen, quod singuli ordines sint sacramenta, non valet inferri, quod sacramenta sint plura, quam septem, quia omnes, et singuli ordines constituunt unum duntaxat sacramentum ordinis ut sic, unitate ordinationis, et finis. — 21. Ita etiam characteres particulares singulorum ordinum insimul constituunt unum duntaxat characterem totalem, et completum ordinis ut sic. — 22. Prima tonsura, quæ secundum theologos non est ordo, sed dispositio ad ordinem, definitur. — 23. Secundum canonistas, qui tenent primam tonsuram esse ordinem, aliter definitur. — 24. Quænam sit materia, et forma primæ tonsuræ secundum canonistas? — 25. Dicitur notanter secundum canonistas, quia secundum theologos, cum prima tonsura non sit ordo, non constat materia, et forma proprie dicta. — 26. Prima tonsura secundum canonistas est ex institutione Christi, tradente apostolo Petro, in Ecclesia derivata. — 27. Secundum theologos autem prima tonsura est ex institutione Ecclesiæ, et assignatur occasio, seu motivum hujus institutionis. — 28. Ostiariatus quid sit? — 29. Quæ ejus materia, et forma? — 30. Quando fuerit institutus? — 31. Lectoratus quid sit? — 32. Quæ ejus materia, et forma? — 33. Quando fuerit institutus? — 34. Exorcistatus quid sit? — 35. Quæ ejus materia, et forma? — 36. Quando fuerit institutus? — 37. Acolytatus quid sit? 38. Quæ ejus materia et forma? — 39. Quando fuerit institutus? — 40. Subdiaconatus quid sit? — 41. Quæ ejus materia, et forma? — 42. Quando fuerit institutus? — 43. Diaconatus quid sit? — 44. Quæ ejus materia, et forma? — 45. Quando fuerit institutus? — 46. Adducitur, et solvitur notabilis objectio de materia subdiaconatus et diaconatus, ad num. 47. — 48. Presbyteratus quid sit? — 49. Quæ ejus materia, et forma? — 50. Quando fuerit institutus? — 51. Episcopatus quid sit? — 52. Quæ ejus materia, et forma? — 53. Quando fuerit institutus? — 54. Contactus physicus materiæ remotæ cujusque respective ordinis est necessarius necessitate præcepti. — 55. An autem sit etiam necessarius ad valorem ordinis? concluditur affirmative, ad n. 56. — 57. Sufficit tamen contactus physicus mediatus. — 58. At non sufficit contactus moralis. — 59. Adducitur, et solvitur objectio. — 60. Affertur, et solvitur instantia, prima responsione, ad num. 61. — 62. Quoties rationabile dubium emergit de valore sacramenti, reiterandum est sub conditione. — 63. Affertur secunda responsio ad supradictam instantiam. — 64. An sit necesse ad valorem ordinis, ut contactus materiæ fiat simul physice cum prolatione formæ, ad num. 65. — 66. Episcopus ordinans debet per seipsum porrigere materiam tangendam ab ordinandis. — 67. Affertur compendiosa conclusio doctiss. P. La Croix. — 68. Alia ad rem, ad n. 75.

(1. Ordo sumitur dupliciter. Primo, velut *active*, sumitur ordo pro ipsa actuali ordinatione, seu actione, qua alicui confertur ordo, seu potestas aliqua spiritualis in Eccles. circa eucharistiam: et hoc modo acceptus ordo, est unum ex sacramentis novæ legis. Secundo, quasi *passive*, sumitur ordo pro statu, seu gradu potestatis, et ministerii sacri circa eucharistiam: et hoc modo ac

Digitized by Google

ceptus ordo, non est sacramentum, sed est effectus et res sacramenti, seu sacræ ordinationis. Sic v. g. presbyteratus sumitur, vel pro ipsa actuali ordinatione alicujus in presbyterum, et sic est sacramentum; vel pro gradu, seu potestate sacerdotali, quam quis acquisivit vi ordinationis suæ in presbyterum, et ratione cujus potest valide consecrare et absolvere, et hoc modo presbyteratus non est sacramentum, sed potius effectus, seu quid consequens ad sacramentum ordinis presbyteratus jam peractum, et sibi collatum. Unde, ut vides, gradus, status, seu potestas sacerdotalis est res permanens; sacramentum vero ordinis presbyteratus, seu ipsa actualis ordinatio in presbyterum est res transiens; et sic, salva proportione dic de aliis ordinibus.

(2. Ordo, seu sacra ordinatio est « Sacramentum novæ legis initerabile, quo subjecto capaci cum impressione characteris spiritualis potestas confertur ad sacramentum Eucharistiæ conficiendum, aut circa illud ministrandum. » Est in re communis. Et convenit cum illa longiore definitione, quam tradit Scotus in 4, dist. 24, qu. unic., § *De tertio* dicens : « Ordinatio est institutio alicujus in gradu Ecclesiæ præeminenti, cui convenit aliquod ministerium circa eucharistiam exhibendum, facta a ministro idoneo certa verba proferente, et simul cum intentione debita ministerium gradus illius aliquo signo visibili repræsentans, ex institutione divina efficaciter signans gratiam præeminentem, qua ordinatus digne aliquod ministerium exsequatur. »

(3. Ordines, secundum theologos magis communiter, sunt septem, scilicet ostiariatus, lectoratus, exorcistatus, subdiaconatus, diaconatus et presbyteratus, seu sacerdotium. Ita Magister sententiarum, in d. dist. 24, et alii passim (155).

(4. Et quamvis omnes dicti septem ordines sint aliquid sacrum, deputatumque ad cultum divinum ; tamen quatuor primi nuncupantur minores, et non sacri, et tres ultimi duntaxat dicuntur majores, et sacri, ut habetur in cap. *A multis* 9, De ætat. et qualitat. Primi quatuor dicuntur *minores* ob minus, et remotius officium, ad quod circa Eucharistiam exercendum deputantur; *et non sacri*, non per hoc, quod quasi nihil sacrum sint, aut contineant, sunt enim et ipsi verum sacramentum, prout colligitur ex concilio Florentino in decreto unionis, et Tridentino, sess. XXIII, cap. 2, et canon 2, et tenent omnes; sed dicuntur *non sacri*, ad differentiam ordinum majorum, qui per excellentiam, ob rationes mox afferendas, appellantur *sacri;* et ipsis ordinibus minoribus tales rationes non competunt. Tres autem ultimi dicuntur *majores*, *et sacri*. Primo ex eo, quod per eos ordinati ad majus, et proximius officium circa sacram Eucharistiam exercendum deputentur; sacerdos scilicet ad sacram eucharistiam conficiendam, diaconus ad eam dispensandam, et tractandam in vasis, et subdiaconus ad ejus materiam subministrandam. Scotus in 4, dist. 24, art. 2, lit. *D.*, ut ex ipso notat Mastrius, *Theol. moral.*, disp. 19, n. 5, et alii passim. Et secundo ex eo, quod in Ecclesia Latina dicti tres ordines sacri habent adnexum votum perpetuæ castitatis, et obligationem recitandi divinum officium, quibus homines specialiter Deo consecrantur. Sic doctores communiter.

(5. Fatendum tamen est quod subdiaconatus in primitiva Ecclesia non fuerit connumeratus inter ordines sacros, ut expresse habetur in cap. *Nullus in episcopum* 4, dist. 60, ubi dicit Urbanus I (156) : « Sacros autem ordines dicimus diaconatum, et presbyteratum. Hos siquidem solos primitiva legitur habuisse Ecclesia; » et refertur in cap. *A multis* 9, De ætat. et qualitat., ibi : « Siquidem Urbanus Papa primus decrevit ut nullus in episcopum, nisi in sacris ordinibus religiose vivens inventus fuerit, eligatur; sacros, inquit, ordines diaconatum dicimus et presbyteratum; hos siquidem solos primitiva Ecclesia legitur habuisse. » Et revera subdiaconis licuit habere uxores usque ad tempora Gregorii primi (157), ut patet in cap. *Ante triennium* 1, dist. 31, ubi cum olim promoverentur subdiaconi, non promissa continentia, et licite uterentur uxoribus et beneficiis; et Pelagius Papa postea edidisset constitutionem, in qua præcise prohibuit, ne subdiaconi suis uxoribus commiscerentur; Gregorius illius successor revocavit illam constitutionem, tanquam duram, et incompetentem, statuitque, ut subdiaconi, qui tunc erant, inviti non cogerentur; at in futurum nemo ad subdiaconatum promoveretur, nisi continentiam voveret, ut notat Fagnan., lib. I *Decretal.*, in cap. *Nuper* 4, De bigamis non ordinandis, n. 33. Hinc ex tunc subdiaconatus pro sacro ordine usque nunc fuit ab omnibus semper

(155) Animadverte hic primum, in Ecclesia Græca quinque tantum ordines in usu esse, nempe episcoporum, presbyterorum, diaconorum, hypodiaconorum, seu subdiaconorum, et lectorum. Audiatur S. Joannes Damascenus, qui *Dial. adv. Manich.* Principium, inquit, « de ordine quoque dicitur, in quo prima dignitas lector est, deinde subdiaconus, post diaconus, post presbyter, atque ita demum episcopus. » Neque alios ordines percenset Constantinopolitanum IV concilium, seu œcumenicum VIII anno 869 celebratum, can. 5. Equidem Innocentius IV *Ep. ad Othonem Tusculanum episcopum*, præcepit « ut episcopi Græci, secundum morem Ecclesiæ Romanæ de cætero conferrent. » Verum illud Innocentii præceptum nonnisi spectabat ad Græcos in Cypro tunc Venetis subdita, ubi Otho ejus legatione fungebatur, degentes. Cæterum neque in concilio Florentino hac de re lis mota est, neque Clemens VIII in sua super ritibus Græcorum instructione quidquam innovari jussit.

(156) Error facti est in hac Innocentii III decretali; neque enim caput illud *Nullus*, Urbani I est, sed II, in concilio Beneventano an. 1091.

(157) Varia in Occidente etiam ante M. Gregorii tempora super subdiaconorum cœlibatu disciplina fuit. Confer Francisci Antonii Zaccaria *Historiam polemicam cœlibatus*, Romæ 1774 editam, pag. 254 sequent.

Digitized by Google

habitus, ut expresse habetur in cap. *Miramur* 7, De servis non ordinandis, ibi : « Nam licet sacer ordo non reputaretur in Ecclesia primitiva; tamen a constitutione Gregorii, atque Urbani secundum moderna tempora sacer gradus minime dubitatur. » Et hoc etiam decisum habetur in cit. cap. *A multis* 9, De ætat. et qualit.

(6. Secundum autem canonistas magis communiter, ordines sunt novem, videlicet septem mox assignati, et prima tonsura ac episcopatus, de quibus omnibus fit mentio in cap. *Cleros* 1, dist. 21, sequentibus verbis : « Quorum (clericorum gradus, et nomina sunt hæc) ostiarius, psalmista (per hunc intelligendo cum *Glossa* ibidem initiatum prima tonsura), lector, exorcista, acolytus, subdiaconus, diaconus, presbyter, episcopus. » (7. Et hoc non sine mysterio, sed ad formam cœlestis hierarchiæ, et juxta novem ordines, seu choros angelorum (158).

(8. Quod prima tonsura non sit ordo proprie dictus, neque sacramentum, tenent expresse Magister sententiarum, S. Thomas, S. Bonaventura, et Scotus in 4, dist. 23, quæst. unic., in fine, et theologi fere communiter, et ex canonistis tenet archidiaconus in cap. *Cleros* 1, dist. 21, n. 16; Bellamera, *ibidem*, num. 4; Vincentius, c. *Cum contingat* 11, De ætat. et qualit. præficiend.; Pirhing, lib. I *Decretal.*, tit. 11, n. 1; Sanig., *ibid.*, cap. 1, n. 9; card. de Luca, t. II, disc. 60, *De regularibus*, n. 12; Aloysius Biccius, in *Praxi fori ecclesiast.*, part. III, resolut. 234, n. 7, et 235, n. 2; Pignatell., tom. II, consult. 66, n. 11, et tom. VIII, consult. 146, n. 7, cum aliis ibi citatis.

(9. Et pro fundamento adducitur satis validus textus in cap. *Illud* 1, dist. 77, ubi Caius Papa sic expresse habet : « Ad ordines ecclesiasticos sic ascendant in Ecclesia, qui ordinari merentur; id est si quis episcopus esse meretur, sit primum ostiarius, deinde lector, postea exorcista, inde sacretur acolyth. demum vero subdiac. deinde diaconatus et postea presbyter, et exinde, si meretur, episcopus ordinetur. » Unde si, ut vides, ostiariatus ponitur pro primo ordine, clarum stat quod nullus alius ordo antecedit; arg. cap. *Joseph.* 5, ex. *De verbor. significat.*, et l. *Proximus* 62, ff. eodem; adeoque prima tonsura, quæ antecedit ostiariatum, et est minor illo, non est ordo proprie dictus, nec sacramentum. Et concordat cap. *A subdiacono* 5, dist. 93, ubi distincte enumerantur singuli ordines et gradus Ecclesiæ, et tamen nulla fit mentio primæ tonsuræ seu psalmistatus, quod fieri non potuisset, si esset proprie ordo.

(10. Et omissis, brevitatis gratia, variis aliis sacris canonibus, qui videri possunt apud Fagnanum in cap. *Cum contingat* 11, De ætat. et qualit., a n. 13 ad 35, colligitur clare ex variis textibus concilii Tridentini, et signanter in cap. 2, sess. XXIII, *De sacramento ordinis*, ubi enumerat sigillatim omnes ordines, nec tamen inter eos reponit primam tonsuram. Imo non solum non reponit inter ordines ipsam primam tonsuram, sed insuper hanc aperte ab ordinibus secernit, separatim ipsam uti quid diversum ab illis, et tanquam quid prævium ad eos referendo, ibi : « ita distributi, ut qui jam clerici tonsura insigniti essent, per minores ad majores ascenderent. » Et similiter primam tonsuram tanquam quid diversum ab ordinibus secernit expressis verbis, cap. 2, sect. 14, *De reformat.*, ibi : « Ad aliquos sacros, aut minores ordines, vel primam tonsuram promovere, etc.; » et in cap. 6, sess. XXIII, *De reformat.*, ibi : « Nullus prima tonsura initiatus, aut etiam in minoribus ordinibus constitutus. » Ubi, ut vides, concilium utitur dictione alternativa *aut*, quæ ponitur inter diversa. Et quod talis fuerit mens ipsius concilii, scilicet primam tonsuram inter ordines non connumerari, pluries declaravit sacra congregatio dicti concilii interpres, ut refert Fagnanus in cit. cap. *Cum contingat*, num. 37 et 38, De ætat. et qualitate præficiend.

(11. Oppositam tamen sententiam, scilicet quod prima tonsura sit ordo proprie dictus, tenet expresse *Glossa* in cit. cap. *Cleros* 1, dist. 21, verb. *Psalmista*, et in cit. cap. *Cum contingat* 11, De ætat. et qualitate, verb. *Abbati;* et Abbas, *ibid.*, num. 1; Joann. Andreas, num. 12; Hostiens., num. 2; Butrius, num. 6, et latissime Fagnanus, num. 45 et sequentibus, dicens hanc esse communem canonistarum; et ex theologis eidem astipulari majorem in 4, dist. 24, qu. 1, col. 2; Joann. Echium in *Homilia de ordinibus;* Angelum in verb. *Ordo primo*, n. 1, clericalem tonsuram vocantes ordinem, Alcuinum, lib. *De divinis officiis*, cap. 33, in III tom. *Bibliothecæ sacræ*. Quam etiam (inquit Fagnanus ibidem) secuta est Rota multoties, et præsertim dec. 731, num. 5 et 6, part. I, divers. et decis. 50, part. V *Recent. dec.*, num. 5

(12. Et pro fundamento hujus sententiæ adducuntur plurimi sacri canones, variæque non spernendæ rationes, quarum universi viginti duas affert Fagnanus, *loc. cit.*, a n. 46 ad 118, et deinde a num. 119 ad 135 respondens ad fundamenta adversariorum. Præcipuum autem, et satis validum fundamentum desumitur ex cit. cap. *Cum contingat* 11, De ætat. et qualitat. præficiend., ubi expresse legitur definitum, quod « per primam tonsuram juxta formam Ecclesiæ datam, clericalis ordo confertur, » adeoque cum clara habeatur decisio juris pro sententia canonistarum, standum est litteræ canonis, et non expositioni, et interpretationi theologorum dicentium, quod ibi, et alibi sumatur ordo solum large, et impro-

(158) Si Psalmista inter ordines numeratur, quidni et catechistæ, fossores, parabolani, idque genus alii, veluti ordinum gradus in veterum scriptis indicati ordinibus ascribantur? Dicendum igitur ea fuisse officiorum nomina, non ordinum, ne admittere cogamur in antiqua Ecclesia ordines fere innumeros : « quod, inquit Benedictus XIV, *De syn. diœces.*, l. VIII, c. 9, nemo facile credet. »

Digitized by Google

prie : nam verba, cum possunt, debent intelligi secundum suam propriam significationem; l. *Non aliter* 69, ff. *De legatis* 3. Tum quia Papa Innocentius III fuit specialiter ibi interrogatus a Rothomagensi archiepiscopo : « An clericatus ordo in tonsura hujusmodi (id est per abbates Benedictinos suis regularibus collata) conferatur? » et ad hanc interrogationem ipse Pontifex respondit sine alia limitatione affirmative, nempe quod « per primam tonsuram juxta formam Ecclesiæ datam a talibus clericalis ordo confertur. » Atqui hæc responsio simul, et decisio Apostolica fuisset inepta, si nomine *clericalis ordinis* voluisset intelligi duntaxat *ordinem* large, et improprie dictum, cum responsio debeat correspondere interrogationi; l. *Stipulatio* 1, § 1 et 2, ff. *De verborum obligationibus*, leg. *Is qui* 12, § 10, ff. *Quod vi, aut clam;* cap. *Inter dilectos*, juncta *Glossa*, verb. *Petitionis*, De fide instrument.

(13. Canonistarum sententiæ videtur clare adhæsisse Sixtum V in constit. 91 incip. *Sanctum et salutare;* ubi primam tonsuram appellat clericalem characterem, ibi : « Ad suscipiendum clericalem characterem, aliosque ordines. » Si enim per primam tonsuram insignitur quis clericali charactere, stat clarum, quod prima tonsura est ordo sacramentalis, ut aperte indicat illa dictio *aliosque*, cum ex propria vocabuli significatione dictio *alius* stet implicative, et sic repetitiva similium; Clement. 2, *De celebrat. missar.*, et *Glossa* in *Hinc etenim*, verb. *Aliarum*, 49 dist. Idipsum etiam videtur innuere concil. Trident., sess. XXIII, cap. 2, *De sacramento ordinis*, illis verbis : « Qui jam clericali tonsura insigniti essent, » ubi per ly *insigniti*, designatur impressio characteris in anima recipientis tonsuram, et suadent similia verba Apostoli impressionem characteris denotantia; *II Corinth.* I, ibi : *Qui unxit nos Deus, qui et signavit nos;* et *ad Ephes.* I, ibi : *In quo signati estis Spiritu promissionis sancto.* Unde etiam prima tonsura, ad instar cæterorum ordinum, est initerabilis, ut censuit sacra congr. Conc. apud Fagnan., *loc. cit.*, num. 118, et tenent etiam theologi; tum qui nullum sacramentum prærequirit de necessitate præcepti characterem confirmationis, nisi sacramentum ordinis S. Thomas in 4, dist. 34, q. 1, art. 2, q. 8, et alii; sed prima tonsura requirit characterem confirmationis, ut statuit Tridentinum, sess. XXIII, cap. 4, *De reformat.* Ergo tonsura est ordo sacramentalis.

(14. Et hanc canonistarum sententiam probavit etiam sacr. congr. Episcopor. et Regul. Nam, ut refert Fagnanus, *loc. cit.*, n. 117, cum ei relatum fuisset episcopum Cavensem declarasse quemdam clericum primæ tonsuræ fori privilegio privatum, eo quod tonsura non imprimeret characterem, sacra congregatio binis litteris videlicet 12 Maii 1620 et 16 Novembr. 1621 eidem episcopo injunxit, ut decretum illud révocaret, et obliteraret, si in eo contineretur declaratio, quod prima tonsura characterem non imprimeret, et in posterum a similibus declarationibus abstineret.

(15. Eamdem sententiam apertius probavit sac. congreg. Concilii. Siquidem consulta : « An abbas habens jurisdictionem quasi episcopalem, si aliis, quam regularibus sibi subditis, primam tonsuram conferret, censeretur saltem impressisse characterem; adeo ut taliter tonsuratus, non iterum tonsurari deberet? » Respondit : « impressum esse characterem, et ita tonsuratum, tonsurari iterum non debere. » Hactenus Fagnan., *loc. cit.*, num. 117 et 118, qui postea sub num. 132 subjungit, quod cum sacra congreg. dixit, tonsuram a concilio non haberi pro ordine, seu concilium primam tonsuram non connumerare inter ordines, juxta notata *supra*, num. 8, in fine, voluit dicere concilium non definivisse tonsuram esse ordinem, et ideo illam non comprehendisse explicite minorum ordinum appellatione : et certe si concilium hoc definivisset, congregatio ejusdem Concilii interpres non declarasset in clericali tonsura imprimi characterem, prout declaravit apud ipsum Fagnanum, *loc. cit.*, num. 118, et patet ex adductis hic in principio hujus num. 13.

(16. Quod episcopatus non sit ordo proprie dictus simpliciter, et adæquate distinctus ab ordine presbyterali, docent omnes illi theologi, qui tenent ordines esse tantum septem. Et fundamentum præcipuum, et ratio hujus sententiæ est, quia per omnem ordinem confertur potestas in corpus Christi verum, et ordines distinguuntur per diversas potestates, et ministeria in ordine ad sacramentum et sacrificium corporis et sanguinis Christi; atqui per episcopatum non confertur ulla specialis, et distincta potestas in corpus Christi verum, cum episcopus nullam habeat potestatem in corpus et sanguinem Christi, quam non habeat quilibet presbyter seu sacerdos : ergo episcopatus non est ordo proprie dictus simpliciter, et adæquate distinctus ab ordine presbyterali.

(17. At vero episcopatus probabilius est ordo sacramentalis, ab ordine presbyterali realiter, et adæquate distinctus. Sic Hostiens., in cit. cap. *Cum contingat*, num. 6, De ætate et qualitate, quem ibi sequuntur Joann. Andr. Butrius, card. Ancharanus, Abbas, et cæteri omnes canonistæ; *Gloss.* in proœm. sexti decretal., verb. *Episcopus; Gloss.*, unic. in cap. *Sollicitudo*, et ibi etiam Præposit., n. 4, dist. 12; *Gloss.* in Clementin. *In plerisque*, verb. *Aliquid*, De election.; Præpositus in cap. *Cleros* 1, dist. 21, num. 9; Fagnan. in cap. *Requisivit* 1, De ordinatis ab episcopo qui renuntiavit episcopatui, et ibi canonistæ communiter, teste card., *ibid.*, n. 1; Barbos., *De offic. et potest. episcop.*, part. II, allegat. 1, n. 18, ubi pro hac sententia citat plusquam 18, etiam ex theologis quos sequuntur alii moderniores cum La Croix, lib. VI, part. II, n. 2209; Sporer, tom. III, part. I, cap. 5, sect. 2, n. 27; Henno, tom. II, tract. 7, *De sacramento ordinis*, qu. 3, conclus. 2; Aversa,

Digitized by Google

qu. 2, sect. 7; Ilsung, n. 18, aliique plures contra torrentem aliorum theologorum, *vide* verb. Episcopatus, a n. 1 ad 5, ubi late probatur hæc sententia (159).

(18. Ad rationem autem adversariorum, quando dicunt, quod per episcopatum non confertur ulla specialis, et distincta potestas in corpus Christi verum, cum episcopus nullam habeat potestatem in corpus et sanguinem Christi, quam non habeat quilibet presbyter seu sacerdos; respondetur, negando totum id absolute, quia episcopatus mediate saltem dicit specialem, et distinctam potestatem in corpus Christi verum, quatenus constituit legitimos eucharistiæ ministros ipsos presbyteros, seu sacerdotes; si enim diaconatus est ordo, quia continet potestatem serviendi sacerdoti, quare non erit ordo episcopatus, qui continet potestatem ordinandi sacerdotem? Tum quia episcopatus continet specialem, et distinctam eminentiorem potestatem ad exercendas actiones sacramentales, quas simplex sacerdos exercere non potest, nimirum conferendi sacramenta confirmationis et ordinis.

(19. Ordines et singuli veri ordines sunt verum ac proprie dictum sacramentum. *Communis* inter Catholicos. Et quidem quod presbyteratus sit verum sacramentum novæ legis a Christo Domino institutum, est de fide in concil. Trident., sess. xxiii, canon. 3, ibi : « Si quis dixerit, ordinem, sive sacram ordinationem non esse vere, et proprie sacramentum a Christo Domino institutum... anathema sit. » Quod autem cæteri alii veri ordines sint vere, et proprie sacramenta novæ legis, colligitur ex concilio Florentino in decreto unionis, ubi postquam dixit, ordinem in genere esse sacramentum, ponit sub ordine, tanquam speciem sub genere, diaconatum, subdiaconatum et reliquos; quod autem convenit generi, convenit et speciei, adeoque si ratio sacramenti competit ordini ut sic, competit etiam diaconatui, subdiaconatui et reliquis veris ordinibus. Quod et clarius desumitur ex concilio Tridentino, cit. sess. xxiii, canon. 3, ubi, ut patet ex propriis verbis supra adductis, tradit indefinite, ordinem esse verum sacramentum, ibi : « Si quis dixerit ordinem, sive sacram ordinationem, non esse vere, et proprie sacramentum, etc., » adeoque omnis verus ordo est sacramentum; dicendo enim « Ordo est sacramentum, » censetur dicere, « Omnis ordo est sacramentum, » cum propositio indefinita æquivaleat universali; tum quia singuli ordines habent suam propriam materiam, et formam, imprimuntque suum specialem, ac diversum characterem ab aliis, ac sunt omnes irreiterabiles, quod aperte demonstrat omnes et singulos esse vere, et proprie sacramenta.

(20. Per hoc tamen, quod singuli ordines sint sacramenta, non valet inferri, quod sacramenta sint plura, quam septem, per illam vulgarem argumentationem, quod si singuli ordines sunt sacramenta, ergo universim sunt plura sacramenta, quam septem, nempe tredecim in sensu theologorum admittentium septem ordines, et quindecim in sensu canonistarum admittentium novem ordines. Non valet, inquam, sic inferre : quia quando dicitur « ergo universim sunt plura sacramenta, quam septem, » distinguitur consequens: sunt plura, quam septem quoad speciem infimam, conceditur consequentia, et negatur absurditas; sunt plura, quam septem quoad speciem subalternam, seu genus proximum, negatur consequentia; quia omnes ordines constituunt unam solam speciem subalternam sacramenti in genere; et in ordinaria sacramentorum divisione, et numero, omnes, et singuli ordines continentur sub unico membro, seu sub unica ratione sacramenti ordinis ut sic, tanquam in sua specie subalterna sacramenti in genere continente sub se species infimas, sic inter se ordinatas, ut omnes reliqui ordines referantur, seu ordinentur ad unum presbyteratum, tanquam complementum, et ad SS. eucharistiam, velut finem principalem, et sic omnes, et singuli ordines constituunt unum duntaxat sacramentum ordinis ut sic, unitate ordinationis, et finis, in quantum omnes ordinantur ad unum sacerdotium et SS. eucharistiam.

(21. Et hac eadem ipsissima ratione characteres particulares singulorum ordinum insimul constituunt unum duntaxat characterem totalem, et completum ordinis ut sic. Ita doctores communiter.

(22. Prima tonsura, quæ secundum theologos non est ordo, sed dispositio ad ordines, definitur, « quod sit signum distinctivum ministrorum Ecclesiæ a plebe communi. » Sic in re communis theologorum. (23. Secundum canonistas autem, qui tenent primam tonsuram esse ordinem, definitur, quod sit « potestas, per quam tonsuratus potest officium canere in Ecclesia Dei, et redditur capax beneficii ecclesiastici, et privilegiorum clericalium. » Sic in re communis canonistarum, arg. c. *Psalmista* 20, dist. 23, et Pontifical. Roman., tit. *De degradatione*, ubi cavetur, quod episcopus dicat clerico degradando : « Quod ore cantasti, corde non credidisti, nec opere complevisti; ideo officium cantandi in ecclesia Dei a te amovemus. »

(24. Materia remota primæ tonsuræ secundum canonistas est superpelliceum; proxima autem est traditio, et acceptatio ipsius superpellicei. « Forma sunt illa verba prolata ab ordinante : « Induat te Deus novum ho« minem, qui secundum Deum creatus est « in justitia, et sanctitate veritatis. » Sic Fagnanus, lib. 1 *Decretal.*, in cap. *Cum contingat* 11, De ætat. et qualitat., num. 87; Reiffenstuel, lib. 1 *Decretal.*, tit. 11, n. 20, et alii passim. Seu secundum abbatem et Hostiensem, in cit. c. *Cum contigat*, sunt

(159) E. R. Quinimo nullus fere hodie inter theologos reperitur, qui episcopatum verum esse ordinem, eumque a presbyteratu distinctum, inficietur.

Digitized by Google

illa verba desumpta ex cit. cap. *Psalmista*, ibi : « Vide, ut quod ore cantas, corde credas, et quod corde credideris, operibus compleas. » (25. Dicitur autem *secundum canonistas*, quia secundum theologos, cum prima tonsura non sit ordo, non constat materia, et forma proprie dicta, et secundum ipsos abscissio capillorum stat loco materiæ, et loco formæ stant verba illa a prælato tonsurante, et a tonsurando simul prolata : « Dominus pars hæreditatis meæ et calicis mei ; tu es qui restitues hæreditatem meam mihi. »

(26. Prima tonsura secundum canonistas est ex institutione Christi, tradente apostolo Petro, in Ecclesia derivata. Colligitur ex concilio Triburiensi cap. 2, tom. VII *Concil.*, pag. 151, col. 2, in impressione Parisien., ubi sic legitur : « Si quis irreverens timorem Domini postponens in servos ejus sævire præsumpserit, quos ipse præ cæteris sibi segregavit, et coronæ suæ similitudinem tradente Apostolorum principe gestare fecit, sortemque illorum se constituit, sicut de iis scriptum est : *Ego hæreditas eorum, et Dominus hæreditas mea est.* Cujus rei etiam fit mentio in Epistola Aniceti Papæ relata in cap. *Prohibete* 21, dist. 23; et S. Isidorus lib. II *De offic. Ecclesiæ*, cap. 4, scribit hunc usum tonsuræ in Ecclesiam evangelicam, et personas ecclesiasticas fuisse derivatum ex tonsura Nazaræorum, qui in lege veteri radebantur in signum cujusdam devotionis, et hoc ritu fuisse tonsos Ezechielem, ut dicitur c. 5, suæ prophetiæ, et Priscillam, Aquilam, et Paulum in *Actibus apostolorum*, c. XVIII, ut quemadmodum Nazaræi in veteri lege divino cultui mancipati crine præciso innovabantur, sic etiam clerici eorum ritu suam innovationem denotent. Unde ex hujusmodi antiquitate colligunt canonistæ, primam tonsuram, non ex institutione Ecclesiæ, sed divina traditione ad nos pervenisse ; ac proinde sacramentum esse. Fagnan., *loc. cit.*, n. 84, et alii canonistæ passim.

(27. Secundum theologos autem prima tonsura est ex institutione Ecclesiæ, et occasionem hujus institutionis refert S. Germanus in *Theorica rer. Eccl.*, prout habetur in tom. IV *Bibliothecæ antiquorum PP.*, quod cum divus Petrus Antiochiæ Christum crucifixum maximo cum ardore prædicaret, quidam perversi hostes nominis Christiani in ignominiam ejusdem caput illi abraserunt, ut in signum opprobrii abradi solebant rei publici criminis ; unde postea factum est ut illud, quod fuit factum in opprobrium, verteretur in gloriam, juxta illud S. Leonis Papæ sermone *in Natali S. Laurentii*, ibi : « In honorem transierunt triumphi etiam instrumenta supplicii. » Et ideo Ecclesia tantam cœpit habere venerationem huic mysteriosæ tonsuræ, ut, quamvis non desint aliæ piæ considerationes, ipsam receperit tanquam insigne proprium clericatus. Sic Petrus patriarcha Antiochenus in *Epistola ad Cerularium*, quam refert Baronius anno 1053, num. 41, et Berninus, tom. I *Histor. omnium hæresum*, fol. 24, his verbis : « Nos coronam in capite gestamus pro veneratione principis Apostolorum Petri, super quem Dei Ecclesia est superædificata. Quod enim impii illi ad contumeliam illius sancti excogitaverunt, hoc nos pie ad gloriam, et honorem ipsius facimus. »

(28. Ostiariatus est « potestas, per quam ordinatus in ostiarium, potest recipere dignos, et excludere indignos ab Ecclesia, et eam custodire. » Sic in re communis. (29. Materia remota sunt claves Ecclesiæ, materia proxima est traditio, et acceptatio dictarum clavium. Forma sunt verba prolata ab episcopo : « Sic age quasi rationem Deo redditurus pro his rebus, quæ his clavibus recluduntur. » *Communis.* (30. Ostiariatus fuit institutus a Christo inchoative, et denotative quando ementes et vendentes ejecit de templo ; et completive quando in ultima cœna dedit discipulis suis primam potestatem sacerdotii.

(31. Lectoratus est « potestas, per quam ordinatus in lectorem potest legere lectiones, et prophetias. » Est in re communis. (32. Materia remota est liber sacras lectiones, et prophetias continens ; materia proxima est ejusdem libri traditio, et acceptatio. Forma sunt verba illa ab episcopo prolata : « Accipe potestatem, et esto verbi Dei relator, etc. » *Communis.* (33. Lectoratus fuit institutus a Christo inchoative, et denotative, quando in medio seniorum librum Isaiæ prophetæ aperuit, et completa lectione prophetiæ, clausit, et dedit ministro, et completive in ultima cœna, quando dedit apostolis suis primam potestatem sacerdotii.

(34. Exorcistatus « est potestas, per quam ordinatus in exorcistam potest expellere diabolum, ne impediat aliquem a sumptione Eucharistiæ. » Est in re communis. (35. Materia remota est liber exorcismorum ; materia proxima est ejusdem libri traditio, et acceptatio. Forma sunt verba illa ab episcopo prolata : « Accipe, et commenda memoriæ, et habe potestatem imponendi manus super energumenos, sive baptizatos, sive catechumenos. » (36. Exorcistatus fuit institutus a Christo inchoative et denotative, quando tetigit aures surdi, et muti dicens : *Ephphetha, quod est adaperire*, et quando ejecit septem dæmonia de Maria Magdalena, et completive in d. ultima cœna.

(37. Acolythatus est « potestas, per quam ordinatus in acolythum potest accendere lumina, et portare urceolos cum vino et aqua. » Sic in re communis. (38. Materia remota est duplex partialis, una est candelabrum cum cereo distincto, alia sunt urceoli vacui. (39. Materia proxima est horum traditio, et acceptatio. Forma etiam est duplex partialis, una sunt illa verba prolata ab episcopo : « Accipe ceroferarium cum cereo, ut scias te ad accendenda Ecclesiæ lumina mancipatum in nomine Domini ; » alia partialis forma sunt illa verba : « Accipe urceolos ad suggerendum vinum, et aquam in Eucharistiam sanguinis Christi in nomine Domini. » Acolythatus fuit institutus a Christo inchoative, et denotative,

Digitized by Google

quando dixit: *Ego sum lux mundi; qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ;* et completive ind. ultima cœna.

(40. Subdiaconatus est « potestas, per quam ordinatus in subdiaconum potest portare calicem cum vino ad altare, præparare necessaria ad eucharistiam, et legere Epistolam. » Est in re communis. (41. Materia remota est duplex partialis, una est calix vacuus sine vino, et patena vacua sine hostia, alia est liber Epistolarum; materia proxima est horum traditio, et acceptatio. Forma etiam est duplex partialis, una sunt illa prima verba prolata ab episcopo: « Vide cujus ministerium tibi traditur; ideo te admoneo, ut ita te exhibeas, quod Deo placere possis; » alia sunt hæc secunda verba: « Accipe librum Epistolarum, et habe potestatem legendi eas in ecclesia sancta Dei, tam pro vivis, quam pro defunctis in nomine Domini. » (42. Subdiaconatus fuit institutus a Christo, quando in ultima cœna dedit Apostolis primo potestatem sacerdotii; et completive, quando post cœnam linteo se præcinxit, et missa aqua in pelvim pedes discipulorum lavit.

(43. Diaconatus est « potestas, per quam ordinatus in diaconum potest proxime sacerdoti in ministerio altaris assistere, et Evangelium legere: » Sic in re communis. (44. Materia remota est duplex partialis, una est manus dextera episcopi imponenda super caput ordinandi, alia est liber Evangeliorum. Proxima autem est duplex partialis, una est impositio ipsius manus dexteræ facta ab episcopo supra caput ordinandi, alia est traditio, et acceptatio libri Evangeliorum. Forma autem est duplex partialis; una sunt prima illa verba prolata ab episcopo: « Accipe Spiritum sanctum ad robur, et ad resistendum diabolo, et tentationibus ejus in nomine Domini: » alia sunt hæc secunda verba: « Accipe potestatem legendi Evangelium in ecclesia Dei, tam pro vivis, quam pro defunctis in nomine Domini. » (45. Diaconatus fuit institutus a Christo, quando in ultima cœna corpus et sanguinem suum dispensavit discipulis, et completive, quando post cœnam suos apostolos dormientes excitavit dicens: *Vigilate, et orate.*

(46. Hic occurrendum venit vulgari objectioni, quæ solet afferri contra assignatam materiam pro subdiaconatu et diaconatu; solet enim objici, quod liber Epistolarum et liber Evangeliorum non erant in primordio Ecclesiæ, et tamen ordinabantur subdiaconi et diaconi, ergo nec liber Epistolarum est materia necessaria subdiaconatus, nec liber Evangeliorum materia necessaria diaconatus, quia, si talis materia esset nunc necessaria et essentialis pro dictis ordinibus, fuisset etiam necessaria, et essentialis tunc, cum materia necessaria et essentialis pro sacramento ordinis fuerit a Christo instituta, adeoque sit quoad substantiam invariabilis ab Ecclesia.

(47. Ast respondetur, quod licet in primordio Ecclesiæ libri Epistolarum et Evangeliorum non essent materia necessaria, et essentialis dictorum ordinum, cum tunc necdum exstarent, tamen ex post fuerunt ab Ecclesia determinati pro materia necessaria. Nec in hoc potest dici Ecclesiam mutasse, et variasse materiam a Christo institutam, sed solum determinasse in specie materiam a Christo in genere duntaxat designatam; Christus enim instituit solum materiam in genere, id est positionem, seu traditionem alicujus rei sensibilis aptæ ad exprimendum ordinem, qui confertur; at specialem ejus rei, seu signi sensibilis determinationem reliquit Ecclesiæ, quæ ad impositionem manuum, seu aliam materiam, qua utebantur apostoli in primordio Ecclesiæ, potuit addere, et decernere librum Epistolarum pro materia subdiaconatus, et librum Evangeliorum pro materia diaconatus, utpote magis apte, et clare exprimentes potestatem, et officium dictorum respective ordinum. Sic Bellarminus, *De ordine*, cap. 9, in fine; Comitolus, lib. 1 *Respons. moral.*, qu. 52; card. de Lugo, disp. 2, *De sacrament.*, sect. 5; Gobat., tom. 1, tract. 7, num. 51; Sporer, *loc. cit.*, num. 18; Petr. Merchantius, in *Tribunal.*, tom. I, tract. 9, tit. 5, q. 2; Diana, part. x, tract. 11, resolut. 65, cum S. Bonaventura, et aliis triginta ibi citatis, et sic plurimi alii.

(48. Presbyteratus est « potestas, per quam ordinatus in presbyterum potest consecrare corpus et sanguinem Christi, et remittere peccata fidelibus: » Est in re communis. (49. Materia remota est duplex partialis, una est calix cum vino, et patena cum hostia; alia sunt manus episcopi imponendæ supra caput sacerdotis. Proxima etiam est duplex partialis, una est traditio, et acceptatio ipsius calicis cum vino, et patenæ cum hostia; alia est ipsa ultima impositio manuum facta ab episcopo super caput sacerdotis. Forma etiam est duplex partialis, una sunt illa prima verba prolata ab episcopo: « Accipe potestatem offerendi sacrificium Deo, missasque celebrandi, tam pro vivis, quam pro defunctis in nomine Domini; » alia sunt verba hæc: « Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis, et quorum retinueris, retenta sunt. » Presbyteratus in ordine ad conficiendum corpus et sanguinem Christi fuit institutus a Christo, quando in ultima cœna panem, et vinum convertit in suum corpus et sanguinem dicens Apostolis: *Accipite, et comedite, hoc est corpus meum; hoc facite in meam commemorationem.* In ordine vero ad absolvendum fideles a peccatis, quando post Resurrectionem dixit: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, etc.

(51. Episcopatus, qui ex dictis supra, n. 15, probabilius est ordo sacramentalis ab ordine presbyterali realiter, et adæquate distinctus secundum communem canonistarum et plurimorum theologorum, « Est potestas, per quam ordinatus in episcopum potest conferre sacramenta confirmationis et ordinis; » id est potest conficere sacramentum, chrisma et oleum sanctum, etc., et or-

Digitized by Google

dinare sacerdotes et episcopos. Est in re communis. Materia remota est duplex partialis, una est liber Evangeliorum imponendus super cervicem, et scapulas consecrandi, alia sunt manus consecratoris, et duorum assistentium episcoporum imponendæ super caput consecrandi. Proxima etiam est duplex partialis, una est ipsa libri Evangeliorum impositio super cervicem, et scapulas consecrandi, alia est ipsa impositio manuum consecratoris, et duorum episcoporum assistentium super caput consecrandi. Forma sunt illa verba, quæ dum ipsum electum episcopum consecrant, proferunt consecrator, et duo episcopi assistentes, videlicet : *Accipe Spiritum*, etc. Fagnan, l. I *Decretal.*, in cap. *Requisivit* 1, De ordinatis ab episcopo qui renuntiavit episcopatui, n. 59, et alii. (53. Episcopatus probabilius institutus fuit a Christo, quando *Joan.* XXI, 18, dixit Petro : *Pasce oves meas.* Fuit enim Petrus primus episcopus a Domino institutus, et quidem episcopus universalis Ecclesiæ per dicta verba : *Pasce oves meas*, ut scribit Fagnanus, *loc. cit.*, n. 85, adducens cap. *Considerandum* 53, et cap. *Fidelior factus* 54, dist. 50, cap. *Significasti* 4, De electione, et *Glossam* in cap. *In Novo Testamento* 2; dist. 21; Aversa tamen, quæst. 2, sect. 10, probabiliter dicit institutum fuisse cum sacerdotio. *Vide* La Croix, lib. VI, part. II, n. 2207, ubi concludit, quod dicendum videtur, ordines alios, utpote tendentes ad sacerdotium, esse institutos, quando data est prima potestas sacerdotii (160).

(54. Contactum realem, et physicum materiæ remotæ cujusque respective ordinis esse necessarium necessitate præcepti ecclesiastici, adeo ut sine dubio peccaret mortaliter, qui advertenter, et deliberate illum omitteret; est certissima et communissima omnium doctorum tam canonistarum quam theologorum sententia, quia graviter delinqueret contra præceptum, ac morem universalis Ecclesiæ, et rubricas Pontificalis id præscribentes et redderet, ac susciperet sacramentum dubium.

(55. An autem contactus realis, et physicus sit etiam necessarius ad valorem, et essentiam ordinis, adeo ut sine ipso sit invalida ordinatio, et non recipiatur sacramentum ? variant doctores. Negativam sententiam tuentur Albertus Magnus, n. 4, dist. 24, art. 34, ad 2; Vasp., disp. 248, n. 6, c. 2; Henriq., lib. I, cap. 9, n. 11; Victoria, Armilla, Zambran., et alii citati, et secuti a Layman, lib. V, tract. 9, cap. 5, n. 4; Reinffenstuel, *Theolog. moral.*, dist. 12, tr. 14, q. 5, n. 68; Sporer., tom. III, part. I, cap. 5, sect. 3, n. 35; Filiucius, Reginaldus, Dicastillus, et alii ab ipso allegati sub n. 34; Diana, part. III, tract. 3, resolut. 185, cum aliis ibi citatis, Molfesius, tract. 2, cap. n. 42, et alii. Imo aliqui ex ipsis, et signanter Vasquez, Layman, Gobat et Sporer *locis citatis* volunt, nullum nequidem contactum requiri ad essentiam, et valorem ordinis.

(56. At vero affirmativam, quam nos sequimur, sententiam, nempe contactum physicum, et realem, saltem mediatum, requiri ad essentiam, et valorem ordinis, et neque sufficere contactum moralem, defendunt S. Thom., in 4, dist. 24, q., art. 1, qu. 5, ad 3, expresse dicens : « Tamen ipsa verba formæ videntur ostendere, quod tactus materiæ sit de essentia sacramenti, quia dicitur : *Accipe hoc, vel illud.* » Pontas, tom. II, verb. *Ordines*, cas. 13, 14 et 15; Paludanus, q. 1, art. 1, in fine; Sylvester, verb. *Ordo*, 2, q. 5; Angelus, *ib.*, 1, § 7; Cajetanus, tom. I *Opuscul.*, tract. 26; Viguerus, in *Institut. theolog.*, cap. 16, § 16; Mastrius, *Theolog. moral.*, disp. 19, num. 26, cum aliis ibi citatis, Felix Potestas, tom. III, part. I, num. 136; Matthæuc., *Cautela confessarii*, lib. IV, cap. 4, n. 13; Coninch., disp. 20, dub. 7, num. 7; Valentia, tom. IV, disp. 9, q. 1, punct. 5; Busembaum, lib. VI, part. II, cap. 2, num. 2; La Croix, *ibid.*, n. 2148, cum aliis ibi citatis; Henno, tom. II, tract. 7, disp. unic. *De sacrament. ordinis*, q. 4, art. 5, concl. 1; Bonacina, *De sacramento ordinis*, disp. 8, qu. unic., part. III, num. 11, testans de communi contra supra citatos. Et ratio est, quia juxta communem, et usitatam significationem verborum formæ *Accipe*, etc., requiritur, ut is, qui dicitur accipere, ad minimum tangat rem oblatam; tum quia Pontificale Romanum in rubric. *De episcop. consecrante*, sic expresse habet : « Moneat ordinandos ut instrumenta in quibus character imprimitur tangant; » ut advertit Fagnanus, lib. I *Decretal.*, in c. *Cum venisset* 1, De sacra unction., n. 34, quod ex perpetua Ecclesiæ praxi ab omnibus episcopis observatur sollicite requirendo, ut ab omnibus ordinandis, vere, physice, et realiter tangatur materia tradita, quæ praxis per traditionem ex Christi institutione profecta esse videtur. Tum etiam, quia in quolibet sacramento habente materiam, necesse est, ut suscipiens contingat illam, sicuti patet in baptismo, confirmatione et aliis, adeoque, etc.

(57. Fuit dictum notanter requiri contactum physicum *saltem mediatum*, quia certum est non exigi contactum immediatum cujusque materiæ ad essentiam sacramenti requisitæ; presbyterandi enim nunquam tangunt immediate vinum contentum in calice, quod tamen spectat ad materiam essentialem sacramenti. Hinc, si quis claves, urceolos, librum Epistolarum et Evangeliorum, calicem, etc., tangeret manu obvoluta chiroteca, strophiolo, superpelliceo, etc., non

(160) E. R. Ea, quæ de ordinum hierarchicorum materia, et forma edisserit noster auctor, jam pene antiquata habentur a nostri temporis theologis. Plures viri eruditi ostenderunt eam in manuum impositione esse sitam, ut Morinus, Juvenin, Tournely, cæterique recentiores, qui hac de re scripsere. Conf. inter cæteros Hallier, *De sacris electionibus et ordinationibus*, part. II, sect. 2, cap. 2. Nisi ad praxim quod attinet, nihil immutandum sit ex iis, quæ a proprio uniuscujusque Ecclesiæ ritu præscribuntur.

Digitized by Google

ideo esset irritus ordo, quia communissime, et rectissime dicitur tangere, vel palpare hominem qui eum apprehendit manu, ut supra, obvoluta. Sic doctores communiter, tradentes insuper, non esse necesse ad valorem sacramenti, quod materia tangatur utraque manu, vel sufficere, si tangatur una tantum manu, vel uno tantum digito, quia sic adhuc verificatur tactus, et quælibet res sufficienter est, et dicitur tacta. Imo etiam, si solis manus unguibus, quia ipsi pars digiti censentur, ut tradunt in terminis card. de Lugo, *Resolut. moral.*, tit. 1, dub. 1, num. 8; Sporer, *loc. cit.*, num. 38; Gobat, *loc. cit.*, n. 62; La Croix, *loc. cit.*, num. 2155, et alii, quia, si solis unguibus quis laceret vultum alterius, vere dicitur eum tetigisse. Nulla enim lex exigit ut utraque manu tangatur materia. Unde non debemus dicere, quod id requiratur ad valorem sacramenti, cum sine ipso utriusque manus contactu salvetur forma sacramenti; et auctoritas Scripturæ, vel Ecclesiæ nos non cogat ad ipsum requirendum; in praxi tamen tenendum est, quod materia tangenda sit nuda, altera saltem manu. Insuper advertunt, et tradunt Filliucius, tract. 9, num. 29; Busembaum, *loc. cit.*, num. 2; La Croix, *loc. cit.*, n. 2155, et alii contactum faciendum esse utraque manu ex præcepto ad scrupulum vitandum.

(58. Etiam notanter fuit dictum, non sufficere *contactum moralem*, videlicet si quis manum extendat, et appropinquet materiæ, et non tangat illam, seu inclinatione capitis vel alio æquivalenti signo significet se materiam oblatam ab episcopo acceptare, quia cum sententia nostra requirens ad valorem sacramenti contactum physicum saltem mediatum, sit tutior sententia contraria docente sufficere contactum moralem, non videtur posse tute illam sequi post damnatam ab Innocentio XI propositionem primam, quæ dicebat, licitum esse in conferendis sacramentis sequi sententiam probabilem, relicta tutiori, etiam quando agitur de valore sacramenti. Unde ut refert Mastrius, dis. 19 *Theolog. mor.*, n. 26. Clemens VIII aliquos sic ordinatos ab episcopo Sagiensi sub conditione reordinari præcipit. Quod et docet Pontas, verb. *Ordines*. cas. 13, 14, 15, per text. in cap. *Pastoralis* 1, De sacrament. non iterand., ubi Innocentius III statuit, quod « caute supplendum (est), quod incaute fuerat prætermissum; » et in cap. *Presbyter* 3, eod. tit., ubi Gregorius IX decrevit, quod « statuto tempore ad hujusmodi ordines conferendos caute supplendum (est) : quod per errorem exstitit prætermissum.»

(59. Nec valet objicere, quod ex dictis duabus decretalibus colligitur potius, quod contactus physicus non sit de essentia sacramenti, quia licet in ordinatione subdiaconi fuerit omissa impositio manus, ut dicitur in cit. cap. *Pastoralis*, et etiam ut dicitur in cit. cap. *Presbyter*, fuerit omissa in ordinatione presbyteri et diaconi dicta manus impositio, quæ, ut ibi, fit tactu corporali, id est physico, adhuc in utroque loco statuitur, quod non sit sacramentum iterandum, sed solum esse supplendum, quod incaute exstitit prætermissum; quod claro indicat contactum physicum non requiri ad essentiam sacramenti, aliter si ita requireretur, fuisset iterandum sacramentum sine ipso collatum, utpote irritum, et invalidum. Non valet, inquam, quia ibi Pontifex accepit verbum *itero* in propria sua significatione, quatenus idem sonat, ac iterum conferre idem specie sacramentum jam semel rite collatum. Non autem iterum confertur, quod nunquam rite fuit collatum, juxta illud cap. *Veniens* 3, De presbytero non baptizato ibi : « Non intelligitur iteratum, quod ambigitur esse factum, » et illud cap. *Solemnitates* 16, De consecr., dist. 5, ibi : « Non monstratur esse iteratum, quod nescitur esse factum, » et illud cap. *Si nulla* 113, De consecr., dist. 4, ibi « Quod non ostenditur gestum, ratio non sinit, ut videatur iteratum. » Et non dicitur actum, cum aliquid superest ad agendum, ut dicit expresse *Glossa* in cit. c. *Pastoralis*, verb. *Permitti*, per text. l. penult. cod. *ad Syllanianum*, cap. *Illud* 15, et cap. *Nihil* 16, caus. 7, quæst. 1, etiamsi id quod superest ad agendum, seu supplendum, dubitetur esse de substantia, quia generaliter, quotiescunque dubitatur, an aliquid, quod omissum fuerit, sit de substantia ordinis necne, et tamen expressum est in jure, ut fieri debeat, æstimari debet de substantia, et tota ordinatio est repetenda, saltem sub conditione; cap. *Presbyteri* 2: cap. *Chorepiscopi* 5, dist. 68; cap. *Nihil* 16, caus. 17, qu. 1; cap. unic. De clerico per saltum promoto, et cap. *De quibus* 2, De baptismo, cum similibus. Sic expresse Fagnan., in cap. *Cum venisset* 1, De sacra unction., n. 54, cum Innocentio, Raymundo, Gottofred. Hostiens. Friburg. Archidiacon. Sanc. Antonin. Turrecremat. Angelo, Armilla, Pisanella, Joann. Andrea, Butrio, Cardinal. ibidem ab ipso allegatis, et, ipso teste, omnes alii in d. cap. *Cum venisset*. Unde dicendum est, Pontifices in dictis decretalibus cap. *Pastoralis*, et cap. *Presbyter*, solum velle nihil esse iterandum quoad ritus, et cæremonias, sed caute, id est secrete, et sine solemnitate ad vitandum scandalum, supplendum esse quod defuit, nempe essentiale sacramenti, quod non dicitur iterari, per jura supra adducta, ut etiam explicat Juenin, dissert. 9, quæst. 3, cap. 2, in respons. ad 4 objectionem, dicens, laudatos Pontifices ideo statuere ordinationem in proposito casu non debere iterari, quod supponat peractam non fuisse. Non enim dicitur iterari, quod ne semel quidem peractum est.

(60. Neque valet instare, quod Pontifex in cit. cap. *Pastoralis* pariformiter loquitur de manus impositione in ordinatione subdiaconi omissa, et de supplendo defectu balsami in confirmatione non adhibiti, adeoque cum balsamum non sit de essentia materiæ confirmationis, neque manuum impositio, et contactus physicus cujusvis respective mate-

Digitized by Google

riæ erit de essentia ordinationis. Non valet, inquam, instantia. Respondetur enim primo, quod secundum nonnullos classicos doctores, quos sequitur Barbosa in cit. cap. *Pastoralis*, n. 1; Engel, *ibid.*, n. 7; Reiffenstuel, lib. I *Decretal.*, tit. 16, num. 6, dictus textus incuria librariorum sit corruptus, et vera littera ibi habeat *diaconatus* pro ly *subdiaconatus*, ut advertit Innocentius, prout etiam duobus vetustioribus exemplaribus legi notat *Glossa* marginalis, *ibid.* Unde nec Papa, quando ordinat subdiaconum, manum imponit, ut testatur Abbas in cit. cap. *Pastoralis*, nec Pontificale Romanum auctoritate Gregorii XIII editum ullam in ordinatione subdiaconi manuum impositionem præscribit, et expresse dicitur in c. *Subdiaconus* 15, dist. 23, quod subdiaconus, cum ordinatur, non recipit manus impositionem, sed duntaxat diaconus, ut habetur in cap. *Diaconus* 11, ead dist. 23. Hinc tenendo per supra dicta, quod ibi legi debeat *diaconatus* pro verbo *subdiaconatus*, ne superflua videatur dispositio Pontificis, quod caute sit supplenda manuum impositio omissa in ordinatione subdiaconi, ubi nullimode requiritur, respondetur, quod æque, et juste loquitur Pontifex pariformiter de supplenda impositione manus in ordinatione diaconi omissa, et de supplendo defectu balsami in confirmatione non adhibiti, quia et impositio manus dexteræ episcopi cum illa verborum forma : « Accipe Spiritum sanctum, et robur, etc., » est materia partialis ordinis diaconatus, sicuti et impositio manuum episcopi sub illa verborum forma : « Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseris peccata, etc., » est materia partialis ordinis presbyteratus, caute supplenda procul dubio statutis temporibus, si fuerit prætermissa, ut disponitur in cit. cap. *Presbyter*, et admistio balsami est pars materiæ ad valorem confirmationis essentialiter requisitæ ; caute etiam supplenda, si fuerit omissa.

(61. Quod enim impositio manuum sit de essentia diaconatus et presbyteratus, colligitur etiam ex textu dicti cap. *Presbyter*, in quo supponitur, hos ordines, omissa manuum impositione, non fuisse revera collatos, sed postea primum fuisse conferendos, ut patet ex illis verbis : « statuto tempore ad hujusmodi ordines conferendos caute supplendum; » ut recte notant Pirhing, lib. I *Decretal.*, tit. 16, n. 5, § *Notandum tertio*, in fine ; Reiffenstuel, *ibid.*, n. 11 et seq.; Tanner, tom. IV, disp. 7, quæst. 2, dub. 3, num. 65, et alii. Et quod admistio balsami sit de essentia confirmationis, fuit probatum in verb. Confirmatio, art. 1, n. 8 et 10 per jura, concilia, decreta, et classicos Doctores ibi allegatos. Quibus adde Mastrium, *Theol. moral.*, disp. 17, num. 69, testantem ex declaratione Pauli III et Pii IV sufficere ad majorem commoditatem quodcunque balsamum, etiam Indicum, ubi nascitur in magna copia; Layman, lib. V *Theol. moral.*, cap. 2, num. 1; Henno, tom. II, tr. *De confirmat.*, disp. unica, quæst. 3, concl. 2; Henricx, disp. 9, *De sacram. confirmat.*, quæst. 2, num. 1; Frassen, *ibid.*, nu. 9; Piligianum. disp. 7, nu. 21, art. 3; Felic. Potest., tom. I, part. IV, qu. 3, num. 315; Bonac., *De confirmat.*, disput. 3, quæst. unic., punct. 3, n. 2; Rosign., *De confirm.*, quæst. 2, art. 2, concl. 3, cum multis ibi allegatis, Bosco, *De confirmatione*, num. 58, aliosque innumeros communiter explicantes text. in cit. cap. *Pastoralis*, nempe « quod in talibus non est aliquid iterandum, sed caute supplendum, quod incaute fuerat prætermissum, » respectu confirmationis collatæ cum simplici oleo sine admistione balsami, modo supra explicato respectu ordinationis factæ sine impositione manuum, id est quod non debeat tunc iterari sacramentum, eo quod supponatur sine parte suæ materiæ essentialis non fuisse collatum, et non dicatur iterari, quod nec semel quidem peractum est; sed caute esse supplendum defectum privatim adhibendo chrisma, eoque confirmandum in fronte rursus inungendo, cum debita verborum forma, et intentione. Ita tamen ut aliæ cæremoniæ accidentales, puta nova adhibitio patrini, alapæ, et hujusmodi semel solemniter adhibitæ, postmodum omittantur : sicque salvatur dispositio Innocentii III in cit. cap. *Pastoralis*, et praxis universalis Ecclesiæ sacramentum confirmationis per chrismatis unctionem in fronte factam solitæ conferre, et damnatio primæ propositionis ab Innocent. XI facta, et mens concilii Florentini, S. Thomæ, S. Bonav. Scoti, Alensis, ac aliorum, non aliter pro necessitate sacramenti confirmationis loquentium de balsamo, ac de oleo, teste Mastrio in 4 *Sentent.*, disp. 2, quæst. 8, num. 223, ubi, num. 225, advertit quod ipsemet Innocentius III jam dixerat in cap. *Veniens*, unic., De sac. unctione, chrisma quod ex oleo fit, de balsamo, esse hujus sacramenti materiam.

(62. Quotiescunque autem rationabile dubium emergat de valore sacramenti, id est an illud hic et nunc valide collatum fuerit, est reiterandum sub conditione, si fuerit invalidum, ut expresse statuitur in cap. *De quibus* 2, De baptismo, ibi : « De quibus dubium est, an baptizati fuerint, baptizatur his verbis præmissis : « Si baptizatus es, « non te baptizo, sed si nondum baptizatus « es, ego te baptizo, etc. » Ex appositione enim talis conditionis, et præcavetur omni injuriæ sacramenti, et omne præjudicium sacrilegæ reiterationis evitatur. Ad nostrum propositum attendendæ sunt tres aureæ illæ regulæ, quas universaliter in omnibus dubiis circa materiam et formam sacramentorum observandas esse tradit Scotus in 4, dist. 3, quæst. 2, § Tertio, *De forma*. « Prima est : Si possibilitas adest, via tutissima est eligenda. Secunda : Si non adest possibilitas, via tutissimæ proxima est tenenda. Tertia : Cessante impossibilitate, caute est supplendum, quod impossibilitas prohibebat. »

(63. Respondetur secundo ad instantiam,

Digitized by Google

quod, retinendo textum, prout jacet in cit. cap. *Pastoralis*, ne videatur privata auctoritate variari textus ibi litteralis sub verb. SUBDIACONATUS per tot sæcula ab ipsis summis Pontificibus toleratus, adhuc stat incorrussa nostra conclusio, dicendo quod textus ibi non loquitur de impositione manuum consecratoria, quæ non datur subdiacono ex cit. cap. *Subdiaconus*, sed duntaxat diacono ex cit. cap. *Diaconus*; sed loquitur solum de quadam manuum impositione deprecatoria, quæ est quædam benedictio, juxta *Glossam* in c. *Pastoralis*, verb. *Impositione*, et constat ex c. *Manus* 74, caus. 1, q. 1, quæ fit etiam in minoribus ordinibus constitutis, ut habetur in cap. *Quoniam* 1, dist. 69, prout docent Abbas in cit. cap. *Pastoralis*, §*Opponitur*; Pirhing, cit. tit. 16, n. 2; Reiffenstuel, *ibid.*, num. 7; Layman, *loc. cit.*, num. 1, et plures alii. Sic in utroque casu salvatur dispositio Innocenti III in d. cap. *Pastoralis*, quod sit « caute supplendum, quod incaute fuerat prætermissum, » nempe in casu ordinationis subdiaconi, supplendam esse dictam manuum impositionem deprecatoriam, seu benedictoriam omissam, et in casu collationis confirmationis, supplendam esse admistionem balsami cum oleo prætermissam cum debita verborum forma, et intentione modo supradicto. Unde, quia in casu ordinationis subdiaconi tantum defuerat quid accidentale, tantum accidentale supplendum erat, et quia in casu collationis confirmationis defuerat substantiale, ideo supplendum erat, et in neutro casu ob id iteratur sacramentum. Non in casu subdiaconi, quia ibi suppletur tantum quid accidentale non ingrediens essentiam ordinationis. Nec in casu dictæ confirmationis, quia cum ibi defuerit pars essentialis, non fuit tunc valide sacramentum collatum, adeoque non dicitur postea iterari, sed primo conferri, cum non dicatur iterari, quod ne semel quidem peractum est, per jura adducta *supra* num. 57.

(64. Non esse necesse ad valorem sacramenti ordinis, ut contractus materiæ fiat simul physice cum prolatione formæ, sed sufficere, si fiat simul moraliter, id est paulo ante, vel paulo post, defendunt Bonacina, *loc. cit.*, num. 12; Valentia, Emmanuel, Sa, Nugnus, Henriquez, Reginaldus, et alii ab ipso ibi allegati; Layman, *loc. cit.*, num. 3, in fine, cum Victoria, et aliis ibi citatis, card. de Lugo, *Respons. moral.*, lib. I, dub. 33, num. 1; Palaus, tract. 27, part. 4, num. 20; Sporer, *loc. cit.*, num. 37; Felix Potest., *loc. cit.*, num. 136; Rosignolus, *De sacramentis in genere*, par. I, quæst. 2, art. 3, num. 5 et seq., et alii, id probantes etiam ex praxi nonnullorum episcoporum, qui teste Marchino, *De ordine*, tract. 1, par. I, cap. 16, num. 13, quando plures sunt initiandi ordine sacerdotali, prolata semel forma in plurali «*Accipite potestatem*, etc., » præbent materiam pluribus successive tangendam, non repetita forma; atque validam esse talem ordinationem fuisse decisum Romæ in quadam congregatione, testatur Martinus Fornarius, *De ordinatione*, cap. 2, num. 5, apud Bonacinam, *loc. cit.*, num. 5, tunc enim habetur simultas moralis, nec tollitur proprie significatum illorum verborum « Accipite potestatem, etc., » quamvis in prolatione eorumdem non coexistat physice contactus, sed tantum moraliter, id est paulo post.

(65. Navarrus vero in *Manual.*, cap. 22, num. 17; Cajetan., in *Opuscul.*, tract. 26; Paludan., apud et cum Sylvestro, verb. *Unctio*, § 7; La Croix, lib. VI, part. II, num. 2148, cum Cajetan., Richard., Navarr., Granado, et aliis ibi citatis, Matthæuc., *Cautela confessarii*, lib. IV, cap. 7, num. 14, et alii plures sustinent, ad valorem sacramenti traditionem materiæ, et prolationem formæ debere esse simul, non tantum simultate morali, sed etiam physica, saltem in aliqua parte, adeo ut, si totaliter ponatur prolatio formæ ante, vel post contactum materiæ, nullo modo subsistat sacramentum. Hinc, quia hæc sententia est tutior prima, adeo ut Gobat, tract. 7, cas. 4, num. 114, licet primam defendat, non audet eam vocare moraliter certam, ut advertit etiam Sporer, *loc. cit.*, num. 37, quamvis ipsa non careat sua probabilitate; cum tamen agatur de valore sacramenti, ubi sequenda est tutior, ut ex propositione 1 inter damnatas ab Innocentio XI, die 2 Martii 1679, non est in praxi ab hac posteriori recedendum, nisi aliter constet esse vere a Sancta Sede decisum. Tum quia Scotus in 4, d. 6, qu. 3; Cajetan., Nav., et alii gravissimi doctores, teste Sporer, *loc. cit.*, cap. 1, num. 83, negant valere baptismum, si tota forma pronuntietur ante cœptam vel finitam ablutionem. Et Felix Potestas, *loc. cit.*, num. 137, expresse dicit : « Tutius autem est, ut saltem priusquam materiæ traditio finiatur, formæ prolatio incipiat, aut e converso, ut communiter doctores docent de baptismo. » Unde recte contra alios infert Gobat, tract. 1, num. 61, et tract. 2, num. 20, omnino repetendum esse baptismum taliter collatum, addens : « Idem omnino sentio de ordine presbyteratus et episcopatus, quippe ex quorum irrita collatione oriri possunt innumera mala. » Sicque in praxi est omnino sequenda nostra sententia, quia quamvis, juxta sententiam adversariorum, esset valida talis ordinatio, adhuc etiam secundum ipsos adversarios esset graviter illicita, ita ut peccaretur mortaliter, si sine gravi necessitate id fieret, ut cum aliis advertit Sporer citat. num. 37, et cit. cap. 1, n. 64, concludens in genere quoad praxim, consultissimum esse, ut minister sacramenti curet majorem, quam potest facere simultatem materiæ, et formæ, v. g. in baptismo, confirmatione, extrema unctione, ordinatione, dum abluit, inungit, instrumentum ordinis tradit, simul proferat formam.

(66. Episcopus ordinans, qui profert formam, debet etiam per se ipsum porrigere materiam tangendam ab ordinandis. Sic Suarez, tom. V, disp. 42, sect. 3, num. 12;

Digitized by Google

Martinus Fornarius, *De ordinatione*, cap. 2, num. 4; Bonacina, *loc. cit.*, num. 16, cum aliis ibi allegatis; La Croix, *loc. cit.*, num. 16, et alii passim, et Mastrius, *Theol. moral.*, disp. 10, num. 26, et expresse decrevit sacra congregatio S. Officii die 1 Augusti 1697, apud Pascuc. in *Compend.*; Pignat., *De ordine et ordinatione*, qua re mature perpensa statuit ordinatos ab episcopo, qui per alium fecerat porrigere materiam, esse reordinandos sub conditione ad formam Pontificalis Romani, non servatis tamen interstitiis, et extra tempora habilitando, et dispensando forsan inhabiles ad quæcunque beneficia, et dignitates, etiam curata, et absolvi mandavit eosdem ab irregularitate, et exercitio ordinum forsan contracta. Et sic ordinatos ab episcopo Sagiensi, qui non tradiderat per seipsum instrumenta ordinandis, reordinari, saltem sub conditione, mandavit Clemens VIII, teste Mastrio, citat. disp. 19, num. 26.

67. Hinc recte universim concludit doctissimus P. La Croix, *loc. cit.*, num. 2148, quod practice improbabiles sunt sequentes sententiæ. 1° Quod ad validam consecrationem episcopi sufficiat sola manuum impositio, et non requiratur traditio, nec baculi pastoralis, nec annuli, nec libri Evangeliorum : possuntque Dicast. a num. 110, et Illsung num. 25 de hoc videri. 2° Quod ad valorem diaconatus sufficiat vel sola impositio manuum, vel sola traditio libri Evangeliorum, et non requiratur utrumque simul; de quo videri possunt Avers., quæst. 2, § 6, et Dicast., a num. 164. 3° Quod sufficiat prius pot formam attingere vasa; ordinationem enim tunc esse invalidam docent Caj., Rich., Nav., Granado, et alii. 4° Quod ad valorem ordinum majorum non requiratur, ut ordinans ipse tradat materias. 5° Quod ad valorem ordinum non requiratur contactus physicus, saltem mediatus vasorum, seu instrumentorum, etc. Ratio horum omnium est, quia sententiæ negantes talia requiri ad valorem, non sunt moraliter certæ, sed tantum probabiles; oppositæ autem sunt tutiores; ergo non licet, his relictis, sequi illa. Carden. et alii, potestque videri etiam Aversa, s. 2, afferens auctores et rationes in utramque partem. Hactenus ille.

(68. Ordines quinam suppleri debeant a clericis Græcis, qui ritu Latino ad superiores ordines sint promovendi, declarat Benedictus XIV, tom. I, constitut. 57, incip. *Etsi pastoralis*, § 7. Ubi etiam quibus legibus, et ritibus fieri debeant ordinationes Græcorum, præscribitur. *Vide* tom. III, verb. GRÆCI.

(69. Ordinationes Græco Ruthenorum ad Ecclesiam catholicam redeuntium episcopo Auxerensi delegantur. Idem, constitut. 63, incip. *E sublimi*.

(70. * Ordinem verum esse novæ legis sacramentum ex consensu theologorum omnium et concilii Tridentini definitione sess. XXIII, cap. 3, certum est ut supra traditum. Id vero sacerdotio convenire una est omnium theologorum catholicorum vox, nec sine periculo gravis erroris id negaretur de episcopatu, quamvis diversum non esse ordinem a sacerdotio, sed ejus extensionem, perfectionem, complementum teneretur. De diaconatu, quanquam certum non sit de fide ex sensu quorumdam theologorum, attamen ex Tridentini definitione inferri posse videtur.

(71. De cæteris singularibus ordinibus disceptant theologi, quamvis de subdiaconatu aliquanto minor sit quæstio præ cæteris inferioribus. Hanc definiendam Pontifex nequaquam se assumpsisse profitetur. Quare vetat episcopis, ne sacrilegii criminis in suis synodis eos damnent, qui cum conscientia peccati lethalis ordines diaconatu inferiores susciperent. Quamvis alio nomine se sacrilegii gravis reos statuerent, cum sacra ordinatio fieri plerumque non soleat, nec possit extra missarum solemnia, in quibus recens initiati sacra Eucharist. participant, cui irreverentiam gravem irrogaret ille, qui cum conscientia gravis peccati ad eam suscipiendam accederet. *De synod. diœc.*, lib. VII, cap. 24, per totum.

(72. De materia hujus sacramenti dubietas intercedit (de episcopatu, sacerdotio et diaconatu res est) num in instrumentorum traditione, num vero in impositione manuum, num tandem in utraque simul consistat quin et de impositione manuum dubii hæremus; trina est enim. Ex quo fit ut si in aliquo rerum articulo omitti aliquid contigerit, ex responso sac. congregationis, censet Pontifex ut simul tota ordinatio sub conditione iteretur. *Ibidem*, cap. 25.

(73. Sacri vero ordines intra missarum solemnia nec ab alio, quam ab episcopo ordinante celebranda conferendi sunt, et reum se gravis culpæ episcopus constitueret, qui alio sacerdote celebrante, ipse interim sacræ ordinationis ministerium præstaret. Valet tamen ordinatio. *Ib.*, cap. 26, § 5 et 6 (161).

(161) Ut aliqua de ritibus ordinum conferendorum addamus, quæ ad Græcarum ordinationum ritus spectant, ex Goarii Euchologio, et Haberti Pontificali petenda sunt. Id generatim dico, Græcis nullum in ordinatione usum esse sive instrumentorum traditionis, sive etiam unctionis. An autem unctione antiquitus saltem usi fuerint, controvertitur. Atque id quidem nonnulli putant colligi posse ex veterum testimoniis, præsertim Gregorii Nazianzeni, orat. 5, et auctoris Vitæ Chrysostomi apud Metaphrastem, apud quos sacri antistites dicuntur *chrismate deliniti*. Aliis tamen non videtur id sufficiens fundamentum. Nempe in laudatis locis *chrismatis unctionem* mystico duntaxat sensu accipiendam esse contendunt Græcorum rituum periti, ut Arcudius lib. VI *De sacram.*, cap. 1, et Morinus in *Commentario de ord.*, p. III, exercit. 6. Nobis id insinuasse satis esto.

Latinorum in sacris ordinibus ritus habes in concilio Carthaginensi IV, anni 398, præsertim vero in Pontificali Romano, ad cujus illustrationem multa conferent Menardus ad S. Gregorii M. Sacramentarium, Martenius, *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, laudatus Morinus, et Catalanus in suo ad Pontificale commentario.

Digitized by Google

ADDITIONES EX ALIENA MANU

(74. Concilium Tridentinum', sess. XXII, canon. 2 et 3, ac sacrament. ordin. definiit dari in Ecclesia præter sacerdotium alios ordines majores, et minores, et ordinem esse verum sacramentum.

(75. Quod attinet ad minores ordines, semper in Ecclesia, tum Latina, tum Græca, diaconatus fuit major ordo. At subdiaconatus major utique ordo erat tempore concilii Tridentini, sed in ipsa Ecclesia Latina, non nisi exeunte sæculo decimo, inter ordines majores adnumeratus est; Rousseaud de la Combe in sua *Jurisprudentia canonica*, verbo *Ordo*, num. 1 et seq.

(76. Quod vero concernit minores ordines, dum concilium Tridentinum fuit conditum, erant in Ecclesia Latina quatuor minores ordines; at antea in ipsa Ecclesia Latina alicubi erant pauciores. Rousseaud de La Combe, in sua *Jurisprud. canon.*, verb. *Ordo*, d. num. 2; Morin. exercit. 15, cap. 1, ubi et de numero ordinum minorum in Ecclesia Græca.

(77. Patet ex his, minores ordines non esse a Christo, neque ab apostolis immediate institutos, sed ab Ecclesia, crescente fidelium multitudine, pro locorum, et temporum necessitate, et opportunitate. (78. Monet vero Morin., *ubi supra*, dici et eos posse juris divini, et institutionis apostolicæ, in quantum ipsi *eminenter et formaliter* in diaconatu continebantur, atque Ecclesiam postmodum, crescente fidelium, ac ministrorum numero, de diaconatu eduxisse. At locutio hæc scholasticis utique non item Morino castigatioris eruditionis viro convenit.

(79. Recte vero idem Morin. concludit minores ordines, utpote nec a Christo, nec ab apostolis institutos, rationem sacramenti haud habere. Neque id est contrarium canon. 3 mox citati concilii Tridentini. Subsistit enim veritas hujus canonis, licet solus presbyteratus sit sacramentum. Consule etiam Van-Espen., *Jur. Eccles. univ.*, part. II, tit. 9, cap. 1, § 6.

(80. De materia et forma sacramenti ordinis nil concilium Tridentinum definit. At Eugenius IV in decreto pro Armenis de hoc sacramento disserens : « Cujus, inquit, materia est illud, per cujus traditionem confertur ordo; sicut presbyteratus traditur per calicis cum vino, et patenæ cum pane porrectionem; diaconatus vero per libri Evangeliorum dationem; subdiaconatus vero per calicis vacui, cum patena vacua superposita traditionem : et similiter de aliis per rerum ad ministeria sua pertinentium assignationem. Forma sacerdotii talis est : « Accipe « potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia pro vivis, et mortuis, in nomine Patris, « et Filii, et Spiritus sancti : et sic de alio« rum ordinum formis, prout in Pontificali « Romano late continetur. »

(81. Non male autem Morinus, et Van-Esp., *l. c.*, tradunt, quod mens Eugenii IV in hoc decreto, seu instructione haud fuit, essentiales, et a Christo institutas materias, et formas sacramentorum assignare, sed ad summum usitatas tunc in Ecclesia Latina materias, et formas, ut hoc decreto redderentur Armeni de ritu Ecclesiæ instructi.

(82. Cæterum, quæ hodie pro forma et materia præscribuntur, exacte observari debent. Confer hic etiam Rousseaud de la Combe, in sua *Jurisprud. canon.*, verb. *Ordo*, n. 3, ubi quod unctio in ordinatione est tantum cæremonialis, nec semper fuit adhibita.

ARTICULUS II.

Quoad ea quæ concernunt tempora faciendarum ordinationum, et qualitates ordinandorum.

SUMMARIUM.

1. Prima tonsura quando, et ubi conferri possit? — 2. Ordines minores conferri possunt, non solum in generalibus ordinationibus, sed etiam singulis Dominicis, atque festivis diebus, etiam extra missam. — 3. Imo non solum unum, aut duo possunt episcopi promovere ad ordines minores dictis diebus Dominicis et festivis, sed etiam plures, dummodo non tot ordinentur, quod videatur esse generalis ordinatio. — 4. Dicti dies festivi, quibus ordines minores conferri possunt, sunt dies festi, qui a populo coluntur, et servantur. — 5. Ordines minores olim non solum dictis diebus festivis, sed etiam alio quocunque die, et loco beneviso episcopis poterant conferri. — 6. Hodie autem per generalem ordinationem non conferuntur, nisi in quatuor temporibus, aut sabbato sancto, vel sabbato ante Dominicam Passionis, et per specialem paucorum ordinationem, in Dominicis, et aliis festivis diebus. — 7. Ex consuetudine tamen plurium ecclesiarum ordines minores conferuntur, non in sabbato, sed in feria sexta, vel quarta quatuor temporum vespere. — 8. Hinc non est necesse, quod conferens, et recipiens ordines minores sint jejuni. — 9. Ordines majores de jure conferri possunt solummodo in sabbatis omnium quatuor temporum, in sabbato ante Dominicam Passionis, et in sabbato sancto tempore missæ. — 10. Nec potest induci consuetudo conferendi dictos ordines majores in aliis temporibus. — 11. Ex privilegio autem Summi Pontificis possunt valide, et licite conferri ordines majores extra dicta tempora. — 12. Et ad hoc validum, et stabile privilegium habent regulares omnes. — 13. Imo regulares habent Apostolicum privilegium recipiendi ordines sacros etiam tribus diebus festivis continuis. — 14. Episcopatus confertur die Dominico, vel natalitio apostolorum, nisi Summus Pontifex aliud specialiter indulserit. — 15. Supradicta tempora a jure statuta ad conferendos ordines, non sunt de substantia collationis illorum. Unde, si, illis non servatis, conferantur, imprimitur nihilominus character. — 16. Duo ordines sacri nequeunt conferri eadem die. — 17. Imo eodem die neque conferri debent ordines minores et subdiaconatus, nisi adsit consuetudo, quæ est probanda per episcopum. — 18. Potest tamen episcopus ordines minores ex consuetudine privatim aliquibus conferre die Veneris quatuor temporum, si sit dies festus, et in sabbato ad subdiaconatum eos promovere ob necessitatem, vel utilitatem Ecclesiæ. — 19. Affertur ad rem decretum sacræ congregationis. — 20. Imo plurimi volunt absolute, quod, dispensante episcopo, possint ordines minores die immediate præcedente sabbatum quatuor temporum conferri, et die sabbati subdiaconatus, ut asserunt illi usum obtinuisse in Hispaniis, Italia, et alibi. — 21. Quoad interstitia temporum ad ordinationem requisita, *remissive*. — 22. Ordinum sacrorum collationes publice in cathedr. eccles. vocatis, præsentibus ad id eccles. canonicis, celebrari debent. — 23.

Digitized by Google

Ordines autem minores potest episc. conferre in ejus domo episcopali. Imo in ejus domo, seu capella episcopali videntur passim conferri etiam ordines sacri, ut jam usus invaluit in plurib. diœcesib. — 24. Ad valide recipiendos ordines requiritur, quod ordinandi sint masculi. — 25. Feminæ sunt omnino incapaces recipiendi ordines. — 26. Adducitur, et solvitur duplicata instantia. — 27. An autem hermaphrodita sit capax recipiendi ordines? *remissive*. — 28. Item ad valide recipiendos ordines requiritur, quod ordinandi sint baptizati : et ad id affertur notabilis casus. — 29. Item ad valide recipiendos ordines requiritur, quod ordinandi adulti habeant debitam intentionem, et voluntatem ipsos recipiendi. — 30. Ad licite autem recipiendos ordines requiritur primo, quod ordinandi sint in statu gratiæ. — 31. Secundo requiritur, quod sint confirmati. — 32. Tertio, requiritur, quod ordinate, seu gradatim, et non per saltum ordines suscipiant. — 33. Quarto requiritur, quod non sint irregulares. — 34. Si furiosus, aut infans, vel dormiens hominem mutilet, seu occidat, non fit irregularis. — 35. An infans ante septennium completum habens plenum usum rationis, et occidat hominem, fiat irregularis? ad num. 37. — 38. Si dubitetur, an infans, cum homicidium commisit, habuerit sufficientem usum rationis ad peccandum mortaliter, probabilius censendus est irregularis. — 39. Et id certius tenendum est de puero decem circiter annorum, si non adhibuit debitam diligentiam ad evitandum homicidium, quamvis reputetur casuale. — 40. Affertur et solvitur objectio. — 41. Generaliter dicendum est, quod ob homicidium casuale incurritur irregularitas a dante operam rei illicitæ, quamvis adhibuerit debitam diligentiam ad evitandum homicidium. — 42. Hinc clericus, qui sese exercens cum scopeto, hominem, quem non videbat, occidit; seu venando telum in feram misit, et hominem occidit, irregularis est, etiamsi omnem adhibuerit diligentiam. — 43. Item irregularis evadit ex homicidio casuali, qui non adhibuit debitam diligentiam ad ipsum evitandum, quamvis daret operam rei licitæ. — 44. Secus tamen si adhibuerit debitam diligentiam. — 45. Neque evadit irregularis furiosus, si, durante furore, hominem occidat. — 46. Evadit tamen irregularis, si dilucida intervalla habeat, et hominem occidat, dum sanæ mentis est. — 47. Non est autem irregularis, licet gravi sua culpa in furorem, vel amentiam incideret. — 48. Item non evadit irregularis dormiens propter homicidium a se commissum in somnis. — 49. Esset tamen irregularis, si sciebat se ad id dormiendo solitum esse, et non adhibuit diligentiam debitam ad evitandum. — 50. Sic pariter dicendum est de ebrio, qui non adhibuit prius debitam diligentiam. — 51. Non esset tamen ebrius ob id irregularis, si inopinato, et ex improviso absque culpa hominem in ebrietate occideret. — 52. Irregularitas ob homicidium casuale saltem indirecte voluntarium incurritur ab homicida, quamvis ob id non fuerit a tribunali laicali condemnatus, ad num. 54. — 55. Pro dispensatione hujusmodi irregularitatis adeunda est Sedes Apostolica. — 56. Facilius dispensatur cum jam promoto, quam cum promovendo. — 57. Potest autem episcopus dispensare super irregularitate orta ex homicidio casuali occulto. — 58. Sic potest dispensare cum eo, qui hominem occidit, non intendens occidere, et cum eo, qui mandavit servo, ut alterum baculo percuteret, sine homicidio, si homicidium contra suam voluntatem sequatur. — 59. Item super irregularitate ex homicidio occulto causa defensionis facto, non servato moderamine inculpatæ tutelæ. — 60. Secus autem, si tale homicidium, vel aliud casuale sit notorium, et publicum, vel ad forum contentiosum deductum. — 61. Neque dispensare potest super irregularitate absque delicto orta, ex defectu perfectæ lenitatis. — 62. Potest tamen dispensare super irregularitate orta ex quacumque mutilatione, etiam voluntaria, si sit occulta. — 63. Item, dispensare potest super irregularitate orta ex homicidio casuali, seu indirecte tantum voluntario, quamvis notorio, ad ordines minores, et beneficium simplex. — 64. Papa est incapax irregularit. — 65. Ad eruditionem affertur curiosus casus. — 66. Potest episcopus dispensare super irregularitate contracta ab eo, qui duos sacros ordines eodem die suscepit, et in pluribus aliis similibus, quæ assignantur dummodo delictum sit occultum. — 67. Occultum autem quantum ad hoc non dicitur, si probari delictum possit per aliquos testes. — 68. In casibus quomodocunque occultis ex nova lege post conc. Trid. Sedis Apostolicæ reservatis, nequeunt episcopi dispensare. — 69. Cardinales in suis titulis, sicut abbates et prælati habentes jurisdictionem quasi episcopalem, et Sedis Apostolicæ immediate subjecti nequeunt uti dicta facultate dispensandi, et absolvendi in casibus occultis tributa a concilio Tridentino episcopis. — 70. Quinto, requiritur, quod nulla censura sint ligati. — 71. Sexto, requiritur, quod sint in ætate canonica constituti. — 72. Infantes tamen, quamvis illicite, valide ordinantur ad quemcunque ordinem, etiam presbyteratus. — 73. Imo infantes ordinantur valide etiam ad episcopatum. — 74. Ætas canonica pro prima tonsura, ostiariatu, lectoratu et exorcistatu sunt anni septem completi. — 75. Pro acolytatu sunt anni duodecim completi. — 76. Pro subdiaconatu sunt anni viginti duo. — 77. Pro diaconatu sunt anni viginti tres. — 78. Pro presbyteratu sunt anni viginti quinque. — 79. Qui anni requisiti a Tridentino pro his tribus sacris ordinibus sufficiunt incœpti. — 80. Pro episcopatu requiruntur anni triginta completi. — 81. Septimo, requiritur, quod sint scientia sufficienti instructi pro quolibet ordine suscipiendo. — 82. Octavo, requiritur, quod ordinentur a suis propriis respective episcopis, vel ab aliis de eorum licentia, et cum suis dimissoriis. — 83. Nono, requiritur, quod ordinandi in sacris habeant legitimum titulum sustentationis, scilicet aut beneficii ecclesiastici pacifice possessi, aut patrimonii sufficientis ad honestam sustentationem, aut paupertatis religiosæ. — 84. Ad titulum beneficii, ut quis licite ordinetur, requiritur, quod sit beneficium proprie dictum. — 85. Et quod tale beneficium sit sufficiens ad honestam ipsius sustentationem, et pacifice possessum. 86. Unde, qui non habet beneficium sufficiens, non debet ordinari cum supplemento patrimonii, nisi necessitas, aut utilitas Ecclesiæ id exigat. — 87. Et si beneficium, ad cujus titulum ordinatur ab episcopo non suo, non est sufficiens juxta taxam sui ordinarii, esset suspensus quoad exercitium ordinum. — 88. Imo nedum ipse ordinatus esset suspensus ab exercitio ordinum, quandiu proprio ordinario videbitur expedire; sed etiam episcopus ordinans esset suspensus per annum a collatione ordinum, et uterque subjaceret gravioribus pœnis pro modo culpæ. — 89. Et tale beneficium non potest ordinatus postmodum resignare, nisi facta mentione, quod ad illius beneficii titulum sit promotus, neque ea resignatio potest admitti, nisi constito, quod aliunde vivere commode possit; aliter autem facta resignatio nulla est. — 90. Ad titulum patrimonii, vel pensionis, ut quis licite ordinari possit, requiritur, quod episcopus judicet talem pro necessitate, vel commoditate suarum ecclesiarum esse assumendum, illudque patrimonium, vel pensionem, et ad vitam sustentandam sufficiens esse, et vere ab ipso obtineri. — 91. Unde clericus suscipiens ordines sacros cum patrimonio ficto, sicut etiam cum ficto beneficio, suspensionem incurrit. — 92. Non est tamen suspensus ipse ordinatus, si bona fide, et sine ulla sua fraude, et dolo absque legitimo titulo ordinaretur. — 93. Tale patrimonium, seu pensio posthac sine licentia episcopi alienari, aut exstingui, vel remitti nullatenus potest, donec ordinati beneficium

Digitized by Google

ecclesiasticum sufficiens suo statui sint adepti, vel alimde habeant, unde vivere possint. — 94. Unde patrimonii titulus non exstinguitur, etiamsi ordinatus acquirat alia bona, donec ab episcopo loco patrimonii subrogentur. — 95. Neque ordinatus potest absque expressa licentia episcopi donare patrimonium libere constitutum, reservato sibi usufructu ad vitam. — 96. Neque potest absque dicta licentia episcopi illud in emphyteusim concedere, reservato desuper annuo canone fructibus correspondente. — 97. Neque patrimonium potest sine licentia episcopi alienari etiamsi ordinatus consequatur beneficium. — 98. Prohibitio concilii Tridentini alienandi patrimonium extenditur ad fidejussionem ordinati, et quomodo in tali casu provideatur creditori. — 99. Patrimonium constitui potest etiam in censibus. — 100. Ordinibus sacris initiari non potest, qui bonis cessit. — 101. Ad titulum paupertatis, seu professionis religiosæ, ut quis licite ordinetur, requiritur, quod sit vere professus. — 102. Unde novitii sine titulo beneficii, vel patrimonii, aut pensionis nequeunt promoveri ad sacros ordines. — 103. Et hoc ipsum habet locum, non solum in novitiis, seu non professis, sed etiam in nulliter professis. — 104. Patres autem Societatis Jesu, qui tria vota paupertatis, castitatis et obedientiæ in Societate emiserunt, de licentia præpositi generalis possunt promoveri ad sacros ordines absque titulo, etiam ante solemnem professionem. — 105. Patribus Societ. Jesu sic ordinatis nulla debentur alimenta a dicta Societate, si contingat eos ante solemnem professionem a præposito generali a dicta Societate dimitti. — 106. In calculandis redditibus beneficii pro titulo ordinandi, an sint detrahenda onera missarum eidem beneficio adjecta; et an detrahendæ sint distributiones quotidianæ, si beneficium sit residentiale? — 110. Affertur decret. sac. cong. Conc. — 111. Alia ad rem ad n. 123. — 124. De denegat. ordin. ob crimen occult. ad n. 129. — 130. Alia ad rem cum addit. ex aliena manu ad n. 146.

(1. Prima tonsura conferri potest quocunque die, et hora, et loco. Ita expresse Pontificale Romanum, in Rubric. *De ordin. conferend.*, ibi: « Clericatus, seu prima tonsura quocunque die, et hora, et loco conferri potest. » Et sic tenet communis doctorum; non enim alicubi in jure reperitur quid aliud de ea constitutum.

(2. Ordines minores conferri possunt, non solum in generalibus ordinationibus, sed etiam singulis Dominicis, atque festivis diebus, etiam extra missam. Sic Pontificale Romanum, tit. *De minoribus ordinibus*, et habetur ex cap. *De eo* 3, De temporibus ordinationum, ibi: « Licitum est episcopis Dominicis, aut aliis festivis diebus unum, aut duos ad minores ordines promovere. » (3. Imo non solum unum, aut duos possunt episcopi promovere ad ordines minores dictis diebus, sed etiam plures, dummodo non tot ordinentur, quod videatur esse generalis ordinatio. *Glossa*, *ibid.*, verb. *Aut duos;* Sylvester, verb. *Ordo*, 2, q. 6; Gobat, tom. I, tract. 8, num. 453, cum aliis ibi citatis; Reiffenstuel., lib. I *Decr.*, tit. 1, num. 31; Rossignol., *De ordinibus ecclesiasticis*, part. 1, De ordinibus in communi, quæst. 2, art. 7, n. 4, ubi recte dicit, quod in citato textu cap. *De eo*, ly *unum, aut duos* non positum sit *restrictive*, *sed exemplificative*, et sic tenent alii passim, et servat praxis.

(4. Dicti dies festivi, quibus ordines minores conferri possunt, sunt dies festi, qui a populo coluntur et servantur. Sic expresse declaravit sacra congreg. Conc. apud Fagnan. in cit. cap. *De eo* 3, De temporibus ordination., n. 24. (5. Ordines minores olim non solum dictis diebus festivis, sed etiam alio quocunque die, et loco beneviso episcopis poterant conferri, ut patet ex cap. *Quando* 6, dist. 75, ibi: « Quando, ut ubi libitum fuerit, usque ad subdiaconatus officium clerici ordinentur. » (6. Hodie per generalem ordinationem non conferuntur, nisi in quatuor temporibus, aut sabbato sancto, vel sabbato ante Dominicam Passionis, et per specialem, et privatam paucorum ordinationem, in Dominicis, et aliis festivis diebus, juxta d. cap. *De eo* 3, De temporibus ordinationum, ut notat. Fagnan., *ibid.*, num. 30. (7. Ex consuetudine tamen plurium ecclesiarum ordines minores conferuntur, non in sabbato, sed in feria sexta, vel quarta quatuor temporum, quæ consuetudo, ut dicit Layman, in cit. cap. *De eo* 3, De temporibus ordination., reprehendi non potest. Et quidem, quod ordines minores conferantur pluribus in locis vespere illius feriæ 6 testantur passim doctores, et signantur Gobat, tom. I, tract. 8, num. 52; Escobar, in *Theolog. moral.*, l. XXIII, cap. 18, num. 430; Rosignol., *loc. c.*, n. 6; Quintanadven., *Singular.*, tract. 6, singular. 7, num. 1; Henriq., in *Summa*, lib. X, cap. 12, § 2; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 32, et alii plurimi. Imo hoc concedere consuetudinem ubique receptam testatur Fagnan. in cit. cap. *Ex eo*, num. 14, post Henriquez, *loc. cit.*, quamvis subjungat præstare, ut talis consuetudo tollatur, et ad rem facit dubium propositum in sacra congr. Concil. ab episcopo Portalegrensi: « An, supposita consuetudine immemorabili, licitum sit conferre primam tonsuram, et minores ordines feria sexta post prandium ante diem sabbati? » Ad quod præfata sac. congreg. Concil. die 13 April. 1720 respondit: « *Affirmative* quoad primam tonsuram, et quoad minores ordines consuetudinem immemorabilem tolerari posse, sed expedire ut episcopus se conformet Pontificali Romano tit. *De minoribus ordinibus.* » Sic refert Card. Petra, t. V. *Comment. ad constitut.* 7 *Pii II*, sub. n. 48, in fine.

(8. Hinc non est necesse, quod conferens, et recipiens ordines minores sint jejuni. Reiffenstuel, *l. cit.*, num. 32; Layman, in d. cap. *De eo* 3, De temporibus, ordination., cum aliis ibi citatis, et alii passim; cum enim possint conferri, et sæpe conferantur post prandium, stat clarum quod nec in conferente nec in recipiente requiritur jejunium.

(9. Ordines majores de jure conferri possunt solummodo in sabbatis omnium quatuor temporum, in sabbato ante Dominicam Passionis et in sabbato sancto tempore missæ, cap. *De eo* 3, De temporibus ordinationum, et cap. *Ordinatione* 7, dist. 75, cum similibus, in quibus licet dicatur « in quatuor temporibus, » et hujusmodi non debet intelligi, quod ordines majores possint de

Digitized by Google

jure conferri, die Mercurii, et Veneris, sed solum die sabbati earumdem hebdomadarum, Cap. *Ordinationes*, 3, cap. *Quod a Patribus* 4, dist. 75, cap. *Litteras* 13, De temporibus ordinat. Sic expresse Fagnan., lib. I *Decret.*, in cit. cap. *De eo* 3, De temporib. ordinat., num. 17 et 18, cum multis ibi citatis; Barbosa *De offic. et potest. episcop.*, part. II, alleg. 17, num. 1 et 3, cum pluribus ibi citatis, ubi reddit rationem, quare potius diebus sabbati Ecclesia constituerit sacros ordines esse conferendos; quia nempe sabbatum significat requiem; legitur enim *Genes.* II quod requievit Deus die septimo ab omni opere quod patrarat. Qui autem ad sacros ordines assumuntur, a sæculi laboribus ad requiem Domini, seu ecclesiasticam transeunt. *Glossa* in cit. cap. *Litteras*, verb. *Pertinere*, De tempor. ordinat., cum illis non amplius negotiari permittatur, cap. *Fornicari* 10, dist. 88, quem transitum non faciunt ordinati in minoribus, cum ad sæculum redire valeant, c. *Si qui* 2, dist 32; cap. *Joannes* 7, De cleric. conjungat., Card. Petra, tom. V *Comment. ad constit.* 7 *Pii II*, num. 7 et seq., et alii passim. (10. Nec potest induci consuetudo conferendi dictos ordines majores in aliis temporibus, textu expresso in cap. *Sane* 2, De temp. ordinat., Barbosa, citat. alleg. 17, num. 4, cum aliis ibi citatis.

(11. Dicitur autem notanter *de jure*, quia ex privilegio Summi Pontificis possunt valide, et licite conferri ordines majores extra dicta tempora; Papa enim secundum plenitudinem potestatis de jure potest supra jus dispensare, textu expresso in c. *Proposuit* 4, De concession. præbend. Et de facto sæpe sæpius dispensat cum pluribus.

(12. Et ad hoc validum, et stabile privilegium habent regulares omnes, ut novissime declaravit Benedict. XIII in conc. Romano celebrato an. 1725, tit. 5, *De temporibus ordinationum*, cap. 2, ibi: « Quo vero ad regulares privilegia a Summis Pontificibus habentes, sive expresse, sive per viam communicationis concessa sacros videlicet ordines extra tempora suscipiendi; cum privilegia ipsa in suo robore persistant, nec iis derogatum fuisse constet, decernimus proinde regulares eosdem absque novo indulto Apostolico tuto posse extra tempora ordinari. » (13. Imo regulares habent Apostolicum privilegium recipiendi ordines sacros, etiam tribus diebus festivis continuis, ut expresse concessit Societati Jesu cum prohibitione communicationis Gregorius XIII, constitut. incip. *Pium et utile*, et absolute sine prohibitione communicationis concessit congregationi reformatæ Sancti Bernardi Gregorius XIV, constitut. *Romanus Pontifex*, et Clemens VIII, die 13 Novembr. 1596 concessit congregationi S. Joannis Evangelistæ in Portugallia, ut possint ordinari extra tempora, et per quemcunque episcopum communionem Ecclesiæ catholicæ habentem tribus Dominicis, vel festivis diebus continuis, vel interpolatis, etiam non servatis interstitiis. Quod privilegium se se vidisse testatur Portell., *in dub. regular.*, verb. *Ordo*, num. 4, et ex ipso testantur Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 51; Sporer, tom. III, part. I, cap. 5, sect. 4, num. 121; Rosignol., *De ordinibus in communi*, part. I, qu. 2, art. 8, n. 3, et alii. Unde ex vi dictarum concessionum non solum noster ordo, seu religio minorum, sed etiam omnes aliæ religiones participant privilegia dictarum congregationum; tum quia post Gregorium XIII per alios Pontifices successores fuerunt concessa variis aliis religionibus privilegia Societatis Jesu absque ulla penitus restrictione, ac si eisdem concessa noviter essent, et primo; quibus stantibus in dies cernimus a doctissimis, et gravissimis episcopis regulares (ut de suis testatur sapientissimus P. Rosignolus, *loc. cit.*, n. 4) extra tempora tribus diebus festivis immediate subsequentibus sacris ordinibus initiari.

(14. Episcopatus confertur die Dominico, vel natalitio apostolorum, nisi Summus Pontifex aliud specialiter indulserit, cap. *Ordinationes episcoporum* 1, et c. *Quod Dominico* 5, dist. 75, et Pontif. Roman., tit. *De consecrat. electi in episcopum.*

(15. Supradicta tempora a Jure statuta ad conferendos ordines non sunt de substantia collationis illorum; unde, si, illis non servatis, conferantur, imprimitur nihilominus character. *Glossa* in cap. *Ordinationes* 1, dist. 75, et alia *Glossa* in cap. *Vel non est compos* 14, De temporibus ordination., verb. *Ætatem*; Barbosa, *De offic. et potest. episcop.*, part. II, allegat. 17, n. 8; Ugolin., *De potest. episcop.*, cap. 26, § 25, num. 1, in princip.; Fagnan., in cit. cap. *De eo* 3, De temporibus ordinat., n. 20, et in cap. *Vel non est compos* 14, eod. tit., n. 7, et alii passim.

(16. Duo ordines sacri nequeunt conferri eodem die: cap. *Litteras* 13, et cap. *Dilectus*, 15, De tempor. ordinat., et expresse concil. Trid., sess. XXIII, cap. 13, *De reformat.*, ibi: « Duo sacri ordines non eodem die, etiam regularibus, conferantur, privilegiis, ac indultis quibusvis concessis non obstantibus quibuscunque. » (17. Imo eodem die neque conferri debent ordines minores et subdiaconatus, nisi adsit consuetudo, quæ est probanda per episcopum, ut decrevit sacra congreg. Conc. *in Calaguritana ordinis* 28 April. 1694, teste cardin. Petra, tom. V *Commentar. ad const.* 7 *Pii II*, n. 46, qui insuper sub. n. 48 subdit, quod ad dubium in sacra congregatione Conc. propositum in una Bovensi: « An ordinatus eodem die ad minores et subdiaconatum, ille, nec non episcopus ordinans in pœnas, et quas incideriut? » Sacra congreg. die 7 Maii 1707 resolvit: « Quoad ordinatos dandam esse absolutionem, imposita pœnitentia salutari arbitrio episcopi vicinioris (quia episcopus fuerat particeps actionis prohibitæ), *quo vero ad ordinantem*, *ad mentem*, ut scilicet non solum acriter admoneatur, sed per litteras moneatur, quod licet gravior pœna ipsi esset infligenda, quia plus deliquit scienter conferendo his tribus clericis minores cum subdiaconatu eodem die; attamen ex benigni-

Digitized by Google

tate congregationis omnis pœna pro hac vice ei remittitur, quodque in posterum a similibus committendis omnino abstineat. » Atque hic attendenda est causa die 21 Februarii 1728 relata a D. cardin. de Lambertinis, vol. V, notification. 18, ut sequitur.

CALARITANA.

« In diœcesi Calaritana, et aliis regni Sardiniæ episcopatib. magnus est numerus clericor. conjugatorum, et ex his plerique aut facinora committunt, aut viles artes exercent, non tam in dedecus ordinis clericalis, quam in perturbationem jurisdictionis ecclesiasticæ, ut eorum immunitatem tueatur.

« Plerique ex episcopis regni Sardiniæ usum alias habuerunt conferendi una, eademque die ordines minores, et subdiaconatum eisdem personis. Cumque Calaritanus archiepiscopus putet, methodum hanc futuram esse aptam ad evellendos expositos abusus, ex quo videlicet, si statim ac eodem contextu, quo ordinandi primam tonsuram et minores ordines recipiunt, recipiant etiam subdiaconatum, non amplius ordinatis modus supererit reassumendi habitum laicalem, et se convertendi ad exercendas artes clericali charactere indignas; supplicat pro facultate conferendi primam tonsuram, minores ordines et subdiaconatum iisdem personis una die, hoc est in quatuor temporibus, in sabbato Sitientes, et in sabbato sancto.

« Secretarius ad calcem folii nonnulla adnotavit : quocirca onus erit EE. VV. decernere :

« Primo, an sit indulgendum petitioni in « casu? » et quatenus negative :

« Secundo, quid sit in casu statuendum « pro abusibus supradictis eradicandis? »

« Et dicta sacra congregat. respondit : « Ad primum *negative*. Ad secundum : ar« chiepiscopus utatur juris remediis et si« gnanter statutis in cap. 6. sess. XXIII, *De « ref. et aliis indicatis in constit.* 17, im« pressa post synodum Romanam incip. « *Apostolici ministerii*, edita ab Innocentio « XIII, et confirmata a Benedicto XIII, « const. incip. *In supremo.* »

(18. Potest tamen episcopus ordines minores ex consuetudine privatim aliquibus conferre die Veneris quatuor temporum, si sit dies festus, et in sabbato ad subdiaconatum eos promovere ob necessitatem, vel utilitatem Ecclesiæ, ut decrevit sacra congreg. Conc. ad quartum dubium ex eis propositis apud Fagnanum in cit. cap. *De eo* 3, De tempor. ordinat., num. 42, quæ hac occasione hic ad litteram dantur.

(19. Præsupposito, quod minores ordines possunt conferri diebus Dominicis, aut aliis festivis, dubitatur an appellatione diei festi comprehendatur festum, quod a populo colitur?

Secundo, idem est dubium quoad promovendos vigore dispositionum de promovendo extra tempora diebus festis.

Tertio, an ex consuetudine possit episcopus uno, et eodem die ad minores ordines aliquos promovere.

Quarto, an ubi consueverit, ordinatus ad quatuor minores ordines die Veneris, et in die sabbati sequentis ad ordinem subdiaconatus promoveri, id sit licitum propter consuetudinem?

Ad primum sacra congr. Conc. censuit comprehendi dies festos, qui a populo servantur toto tit. *De fer. de consecr.*, dist. 3, cap. 12, sess. XXV, *De regul.*

Ad secundum idem respondit.

Ad tertium, præsupposita consuetudine, posse.

Ad quartum licere episcopo, si dies Veneris sit dies festus, et si necessitas, aut utilitas Ecclesiæ, judicio episcopi, id exposcat, juxta decretum Concil. c. 11, sess. XXIII, non tamen in publicis ordinationibus, sed privatim, et aliquibus prædictos minores ordines conferre.

(20. Imo plurimi volunt absolute, quod, dispensante episcopo, possint ordines minores die immediate præcedente sabbatum quatuor temporum conferri, et die sabbati subdiaconatus, et ill. usum obtinuisse in Hispaniis asserunt Henriquez, lib. x, cap. 12, num. 12; Villalobos, in *Summa*, tom. I, tractat. 11, dub. 13, n. 4; Sayrus, lib. VII *De censuris*, c. 10, n. 26; Vasquez, tom. III, in tertia part., disp. 246, cap. 5, num. 48, et alii, et hoc etiam practicari in Italia referunt Molfesius in *Summa*, tract. 2, c. 14, n. 13; Reginald, tom. II, lib. XXX, tract. 1, cap. 5, num. 26; Diana, tom. I, tract. 26, resol. 28, et alii. *Vide* Rosignolum, *loc. cit.*, n. 18, ubi ad id multa adducit.

(21. Quoad interstitia temporum ad ordinationem requisita, *Vide* verb. INTERSTITIA, ubi late de omnibus.

(22. Ordinum sacrorum collationes publice in cathedrali ecclesia, vocatis, præsentibusque ad id Ecclesiæ canonicis, celebrari debent. Sic expresse concil. Trid, sess. XXV, cap. 8, *De reform.*, ibi : « Ordinationes sacrorum ordinum statutis a Jure temporibus, ac in cathedrali ecclesia, vocatis, præsentibusque ad id Ecclesiæ canonicis, publice celebrentur; si autem in alio diœcesis loco, præsente clero loci, dignior, quantum fieri poterit, ecclesia semper adeatur; » et sic decisum fuisse refert ex multis Barbosa in d. concil., *loc. c.*, num. 12, et novissime statuit Benedictus XIII, constit. incip. *In supremo*, § 15. (23. Ordines autem minores potest episcopus conferre in ejus domo episcopali. Barbosa, *ibidem*, num. 13, cum pluribus ibi citatis; imo in ejus domo, seu capella episcopali videntur passim conferri etiam ordines sacri, ut jam usus invaluit in pluribus diœcesibus. *Vide infra*, num. 121.

(24. Qualitates ordinandorum ad valide recipiendos ordines sunt, quod ordinandi sint masculi. Communissima omnium Catholicorum. (25. Feminæ enim sunt omnino incapaces recipiendi ordines, ut desumitur ex cap. *Mulieres* 19, dist. 32, et ex cap. *Nova* 10, De pœnit. et remiss., et tenent communissime omnes doctores catholici

Digitized by Google

docentes, hoc esse de jure divino, et ordinatione Christi, cum ipse nullam feminam, imo ne propriam quidem matrem ordinaverit, quamvis fuerit dignior, et excellentior universis apostolis. Unde Apostolus *I ad Corinth.* XIV, 34, sic præcipit : *Mulieres in ecclesiis taceant; non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut et lex dicit. Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent. Turpe est enim mulieri loqui in ecclesia.* Et *I Timoth.* II, 11, sic habet : *Mulier in silentio discat cum omni subjectione; docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum, sed esse in silentio;* adeoque cum feminis ex sacra Scriptura nequeat competere munus docendi in ecclesia, quod ex *Malachiæ* II, 7, est munus proprium sacerdotis, ibi : *Labia enim sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent de ore ejus,* nec eisdem potest competere ordo sacerdotalis.

(26. Nec officit, quod in jure fiat mentio diaconissæ, presbyterissæ et episcopissæ, ut in capit. *Diaconissam* 23, caus. 27, quæst. 1, et cap. *Mulieres* 19, dist. 32, et sæpe alibi. Non officit, inquam, quia, ut recte notant Baronius, ad annum Christi 34, num. 280; Campanil., in *Divers. juris canon.*, rubr. 11, cap. 2; Vasquez, tom. III, in III part., disp. 245, cap. 3; Rosignol., *De ordinib. in communi*, part. I, qu. 3, art. 1, n. 7, et alii, ipsæ feminæ tali nomine appellabantur, non quod sic essent ordinatæ, sed quia viri earum erant assumpti ad diaconatum, presbyteratum et episcopatum, et ideo uxores diaconorum diaconissæ, presbyterorum presbyterissæ, et episcoporum episcopissæ dicebantur denominatione desumpta ab earum maritis. Et si instetur dicendo, quod in cit. cap. *Diaconissam* sic expresse habetur : « Diaconissam non debere ante annos quadraginta ordinari statuimus, » sicque videtur sequi, quod post tale tempus possit ordinari; respondetur cum *Glossa ib.*, verb. *Ordinarib.*, Barb., *ib.*, n. 3 et seq., et Doctore subtili in 4, dist. 25, qu. 2, § *Ad secundum principale;* Reiffenst., lib. I *Decretal.*, tit. 11, n. 58 et aliis, id esse intelligendum non de vera ordinatione, sed quia super talem feminam fiebat aliqua benedictio, ex qua consequebatur aliquod officium speciale, ut puta, quia ex ordinatione abbatissæ, vel collegii, tunc competebat ei legere homilias, aut Evangelia in matutino, quod non licebat aliis, sed ille non erat actus alicujus ordinis. *Vide* verb. FEMINA, num. 1 (162).

(27. An autem hermaphrodita sit capax recipiendi ordines ? *Vide* verb. HERMAPHRODITUS, a n. 11.

(28. Item ad valide recipiendos ordines requiritur, quod ordinandi sint baptizati; baptismus enim est fundamentum, et janua omnium sacramentorum novæ legis; cap. *Cum itaque* 112, § final. De consecrat., dist. 4, et cap. *Veniens* 3, De presbytero non baptizato, ibi : « Cum baptismus sit fundamentum omnium sacramentorum; » adeoque sine baptismo non potest valide recipi sacramentum ordinis; c. *Si quis per ignorantiam* 59, caus. 1, q. 1. Unde in c. *Si quis presbyter.* 1, De presbytero non baptizato, expresse statuitur : « Si quis presbyter ordinatus deprehenderit, se non esse baptizatum, baptizetur, et iterum ordinetur »; et concordat cit. cap. *Veniens* 3, eodem titulo. Et casus hic nostro sæculo accidit in Calabria, ubi scelestus quidam parochus, cum aliter non posset hostili animo, quem habebat erga quemdam principem, satisfacere, ejus infantes, quos aqua baptismali abluebat, in peccato originali relinquebat; siquidem animum positivum habebat illos minime baptizandi, ut animæ illorum a gloria excluderentur, et hoc ad vindictam inimicitiæ, quam contra eorum patrem gerebat. Sub finem vitæ parochus pœnitentia ductus, crimen confessus est, unde filii principis superstites (nam nonnulli sine sacramento baptismi decesserant) iterum baptizati sint, inter quos unus erat ex ordine nostro sacerdos, concionator, et qui prælaturas plures locales, ac provinciales administraverat; et hic ad præscriptum dictorum sacrorum canonum, cap. *Si quis presbyter* 1, et cap. *Veniens* 3, De presbytero non baptizato, post baptismum iterum omnes sacros ordines suscepit. Sic ad litteram refert Amenus, *De delict. et pœnis*, tit. 8, § 1, verb. *Abusus in baptismo*, num. 3, et sequitur Ursaya, tom. I, part. II, disceptat. 2, n. 159.

(29. Item ad valide recipiendos ordines requiritur, quod ordinandi adulti habeant debitam intentionem virtualem saltem externam, et voluntatem ipsos recipiendi, unde invalide suscipiunt ordines omnes adulti inviti, vel non voluntarii, utpote vel animo repugnante, vel ficte, et simulate tantum ipsos recipientes. *Communis.* * Quod si quis coactus gravis mali metu animum intendat ad suscipiendos ordines, ut malum illud vitet, tunc utique ordinatio valet. Si vero recipiat absque intentione interna, profecto ordinatio non valet. Nec valet etiam, si habuerit animum indifferentem, id est nec voluntatem suscipiendi, et non suscipiendi ordines. Pro invaliditate hujus ordinationis refertur decretum sac. congregationis. Bened. XIV, *De sacrific. missæ*, lib. VII, cap. 10, § 12. * *Vide* verb. INTENTIO.

(30. Qualitates autem ordinandorum ad licite recipiendos ordines sunt multæ.

(162) E. R. Diaconissarum munus non erat legere homilias, aut evangelia in matutino. Ad eas enim pertinebat assistere episcopis in baptismo ministrando feminis, eas in fidei rudimentis instruere, eleemosynas distribuere, curam gerere viduarum, aliisque pietatis operibus sese exercere. Diaconissarum munus citius per Occidentem obsolevit, quam in Oriente. Concilium Epaonense in Galliis sæcul. VI vetavit imposterum diaconissas promovere. Sæcul. XIII adhuc Constantinopoli diaconissæ vigebant. Confer Macri *Hierolexicon*, necnon doctiss. Goarum in *Notis ad Euchologium Græcorum*, in ordinatione diaconissæ, pag. 219 et sequen.

Digitized by Google

Primo igitur requiritur, quod sint in statu gratiæ; status enim gratiæ requiritur ad licitam, et dignam receptionem cujusvis sacramenti novæ legis; unde si qui scienter existentes in peccato mortali reciperent aliquem ordinem, peccarent mortaliter. *Communis.*

(31. Secundo requiritur quod sint confirmati. *Communis*, et habetur aperte ex concilio Tridentino sess. XXIII, cap. 4, *De reformat.*, ubi dicit, quod confirmati debent esse etiam, qui volunt accipere primam tonsuram, ibi: « Prima tonsura non initientur, qui sacramentum confirmationis non susceperint. « Unde, si qui non confirmati scienter ad ordinationem accederent, peccarent, saltem venialiter, ut tenent communius doctores, vel etiam mortaliter, ut tenent Toletus, Bonacina, Nugnus, Tannerus, Castropalaus, et alii.

(32. Tertio, requiritur, quod ordinate, et gradatim et non per saltum ordines suscipiant. *Communis* per textum in cap. unico *De clerico per saltum promoto*, et in concil. Trident., sess. XXIII, cap. 2, *De sacramento ordinis.* Unde, si qui scienter per saltum ordinarentur, recipiendo v. g. presbyteratum, nondum suscepto diaconatu, graviter peccarent, quia agerent contra præceptum Ecclesiæ in re gravi. Et si quis sic ordinatus etiam ex bona fide, et ignorantia invincibili in susceptis ordinibus ministraret, indigeret absolutione, et respective dispensatione saltem ad cautelam; sicque quidam clericus Joseph Cajetanus Ghinettus per saltum ad exorcistarum et acolythorum ordines promotus, quique ex bona fide vel ex ignorantia invincibili in susceptis ordinibus ministraverat, absolutus, et respective dispensatus fuit ad cautelam, tum ad ordines omissos, tum ad alios, arbitrio archiepiscopi, ut mandavit sacra congregatio Concil. *in Florentina ordinum* 5 Decembris 1744, apud *Thesaurum resolutionum*, tom. XIII.

(33. Quarto, requiritur, quod non sint irregulares. *Communis.* Irregularitas enim est inhabilitas canonica ad ordines suscipiendos, et in susceptis ministrandum. Unde, durante irregularitate, nemo licite ordinari potest, nec in suscepto jam ordine ministrare, cap. *Sæpe contingit* 1, De temporibus ordinationum, in 6. Quot autem, et quales sint irregularitates, et a quibus dispensari possint? *Vid.* verb. IRREGULARITAS per tot.

(34. Hic adde, quod si furiosus, aut infans, vel dormiens hominem mutilet, seu occidat, non fit irregularis. *Communis* per textum expressum in Clementina *Si furiosus*, unic., De homicid., ibi: « Si furiosus, aut infans, seu dormiens hominem mutilet, vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit. »

(35. An autem si infans (id est minor septennio, ex l. *Si infanti* 18, cod. *De jure deliberandi*, ibi: « Si infanti, id est minori septem annis, ex cap. *Si infantes* unic., De desponsat. impuber., in 6, et *Glossa* in d. Clementin. *Si furiosus*, verb. *Infans*) ante septennium completum, plenum usum rationis habeat, ac sit capax, et occidat hominem, fiat irregularis? Negant Barbosa in citat. Clement. *Si furiosus*, num. 6; Sayrus, *De censura*, lib. VI, c. 17, num. 30; Avila in *Similib. tract.*, part. VII, disp. 6, sect. 1, dub. 13, concl. 1; Henriquez, lib. IV, cap. 3, num. 4; Layman, lib. I, tract. 4, cap. 10, n. 7; Pirhing, l. V *Decretal.*, tit. 11, num. 72. Et eorum ratio est, quia in d. Clementina *Si furiosus*, generaliter, et absque ulla distinctione, seu exceptione dicitur, infantem, si mutilet, aut occidat hominem, non fieri irregularem. Ubi autem lex non distinguit, neque nos distinguere debemus; l. *Non distinguemus* 32, ff. *De recept. arbitr.*; l. *Præses* 3, ff. *De offic. præsid.*, cap. *Quia circa* 22, De privileg. Præsertim cum irregularitas sit odiosa, adeoque potius sit restringenda, quam amplianda, ex cap. *Odia* 15, et cap. *In pœnis* 49, De reg. jur., in 6, cap. *Pœnæ* 18, De pœnitentia, dist. 1; c. *Statutum* 22, *De elect.*, in 6; l. *Factum* 155, § 2, ff. *De reg. jur.*; l. *Cum quidem* 19, *De liberis et posthum.*, cum similibus. Tum quia irregularitas non incurritur, nisi in casibus a jure expressis, cap. *Is qui* 18, De sentent. excommunicat., in 6. Nullibi autem in jure expressum invenitur, quod infans ante septennium, etsi doli capax sit, ac plenum usum rationis habeat, si occidat hominem, fiat irregularis, adeoque pro tali non est habendus; quæ utique negativa sententia est valde probabilis.

(36. At vero probabilior est sententia affirmativa, quam tuentur Abbas in cap. *Pueris* 1, *De delictis pueror.*; Hostiensis, *ibidem*; Covarruvias, part. III, Clemen., num. 5, § *De infante*; Emmam. Rodriq., part. I, *Summ.*, De irregularit., cap. 176, conclus. 1; Pontas, verb. *Irregularitas*, casu 46, et alii plures tenentes, infantem etiam ante septennium incurrere irregularitatem ob homicidium, si plenum usum rationis habeat, et doli sit capax, ita ut, ejus malitia supplente ætatem, mortaliter peccare possit. Et ratio est, quia motivum, ob quod infans occisor excusatur ab incursu irregularitatis in cit. Clement. *Si furiosus*, secundum *Glossam*, *ibid.*, verb. *Furiosus* et verb. *Infans*; est, quia occisio in ipso ob defectum pleni usus rationis non est voluntaria, cum nondum supponatur doli capax, et quid agat, ignoret. cap. *Aliquos* 5, causa 15, quæst. 1; l. *Quoniam* 1, codic. *De falsa moneta*; l. *Sed etsi infans*, ff. *ad Leg. Aquil.*; l. *Infans* 12, ff. *Ad leg. Cornel.*, De sicar., ubi dicitur quod si infans hominem occiderit, lege Cornelia non tenetur; quia ipsum innocentia consilii tuetur; ergo si ante septennium jam ipsum innocentia consilii non tuetur, ex quo jam plenum rationis usum sit consecutus, et ita doli sit capax, ut mortaliter peccare possit, jam ipsi ut culpabile imputabitur homicidium, ut ob ipsum evadat irregularis; cum, cessante causa, cesset effectus; cap. *Cum cessante* 60, De appellat.; l. *Cum ancillam* 6, ff. *De condit. ob causam*, et *Glossa* final., *ib.*, et, cessante ratione et causa legis, cesset ipsa lex; l. *Adigere* 6, §

Digitized by Google

2, ff. *De jurepatr.* Tum quia per ipsosmet adversarios, etiamsi sit major septennio, si necdum plenum usum rationis quis habeat, non fit ob commissum homicidium irregularis, quia cum excusetur a culpa, ob defectum sufficientis usus rationis ad peccandum mortaliter, excusari etiam debet a pœna irregularitatis : ergo a sensu contrario non excusabitur ab incursu irregularitatis ob commissum homicidium, si ante septennium sit jam doli capax, et habeat plenum usum rationis sufficientem ad peccandum mortaliter, cum contrariorum, et correlativorum eadem sit ratio, et disciplina ; l. *De jure personarum* 1, ff. *De his qui sui vel alieni juris sunt*, ne ad imparia judicentur, arg. leg. *Non debet* 41, ff. *De regul. juris* in 6, cum concordantibus apud Rotam, part. XIX, t. I *Recent. dec.*, dec. 2, n. 11. Ubi enim eadem est ratio, eadem debet esse legis dispositio ; l. *Ideo* 27, ff. *De leg.*, l. *Illud* 32, ff. *Ad leg. Aquil.*, etc. *Inter corporalia* 2, De translation. episcop. Cum ratio legis, sit anima legis, l. *Cum ratio*, 7, ff. *De bonis damnatorum.*

(37. Nec valet dicere, quod irregularitas non incurritur, nisi in casibus a jure expressis ex cit. cap. *Is qui* 18, De sentent. excommun., in 6, et cum nullibi reperiatur in jure, quod infans ante septennium, etsi doli capax, et plenum usum rationis habeat, ob commissum homicidium fiat irregularis, pro tali non sit habendus. Non valet, inquam, quia licet id non reperiatur in jure explicite, reperitur tamen implicite in cit. Clement. *Si furiosus*, ubi cum excipiatur infans, et furiosus ab incursu irregularitatis, ex quo secundum *Glossam, ib.*, et jura adducta num. antecedenti, occisio non sit in ipsis voluntaria ex defectu sufficientis usus rationis ad peccandum mortaliter, videtur in ipsis firmari incursus irregularitatis, si jam ante septennium sint doli capaces, et habeant plenum usum rationis sufficientem ad peccandum mortaliter, cum exceptio unius firmet regulam in contrarium in non exceptis ; l. *In his, quæ*, 15, ff. *De legib.*, l. *Quæsitum* 12, § 43, ff. *De instructo et instrumento legato*, cap. *Dominus* 6, caus. 32, quæst. 7, cap. *Quoniam* 2, De conjugio lepros., cum similibus. Taciti autem, et expressi idem est judicium ; cap. *Ex parte* 2 De rescript. ; l. *Cum quid* 3, ff. *De rebus credit.*, et frustra exprimitur quod jam intelligitur ; l. *Cornelius* 69, ff. *De hæredibus instituend.*, l. *Hæc verba* 3, ff. *De legatis* 1 ; l. *Fideicommissa* 11, § *Si filio*, ff. *De legatis* 3. Tum quia in d. Clementina videtur potius quam defectus ætatis, considerari defectus sufficientis usus rationis ; nam, ut supra dicebatur, etiam per ipsos adversarios, si major septennio necdum plenum usum rationis habeat, et hominem occidat, non fit irregularis, non obstante excessu ætatis supra septennium ; ergo ex ipsa Clementina colligitur, quod minor septennio, si jam plenum usum rationis sufficientem ad peccandum mortaliter habeat, fiat irregularis ob homicidium, non obstante defectu ætatis infra septennium ; in infantibus enim, seu pueris magis quo ad hoc est attendenda doli capacitas, quam ætatis quantitas, arg. cap. *Pueris* 1, De delictis pueror.

(38. Si autem legitime dubitetur, an infans, seu puer, cum homicidium commisit, fuerit doli capax nec ne, et habuerit usum rationis sufficientem ad peccandum mortaliter, probabilius censendus est irregularis ; « cum in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem, » ut ad rem statuit Clemens III, in cap. *Ad audientiam* 12, De homicidio, ac Innocentius III, in cap. *Significasti* 18, eod. ibi : « In dubio tanquam homicida debet haberi sacerdos, etsi forte homicida non sit, a sacerdotali officio abstinere debet, cum in hoc casu cessare sit tutius, quam temere celebrare. » Et concordat cap. *Ad aures* 7, De ætat. et qualitat. ordinandor., cum similibus, Pontas verb. *Irregularitas*, casu 6, n. 3, et alii plures citati, et secuti a Pirhing, *loc. cit.*, n. 59, in dubio juris et a Barbosa in cit. cap. *Ad audientiam* 12, De homicid., n. 2, ubi habet quod quando certum est irregularitatem esse jure inductam, et dubium est an hic in eum casum homicidii incident, in utroque foro censendus est quis irregularis, cum secus, in dubio juris.

(39. Et id certius tenendum est de puero ætatis decem, vel circiter annorum, si non adhibuit debitam diligentiam ad evitandum homicidium, quamvis reputetur casuale. Puer enim decem circiter annorum merito præsumendus est doli capax, et sufficientis usus rationis ad peccandum mortaliter, per text. cap. *Pueris grandiusculis* 1, De delictis pueror., ubi Gregorius IX sic expresse habet : « Pueris grandiuscolis peccatum nolunt attribuere quidam, nisi ab annis 14 cum pubescere cœperint : Quod merito crederemus, si nulla essent peccata, nisi quæ membris genitalibus admittuntur. Quis vero audeat affirmare furta, mendacia, et perjuria non esse peccata ? At his plena est puerilis ætas, quamvis in eis non ita ut in majoribus, punienda videantur. » Ubi, *Glossa* verb. *Grandiusculis*, sic exponit : « Grandiuscolis, id est doli capacibus, videlicet septem annorum. Tales enim et mentiri, et verum dicere, et confiteri, et negare possunt, ut dicit Augustinus in epistola ad Renatum episcopum, ut habetur in *Glossa* Augustini super cap. *De consecrat.*, dist. 14, *Parvuli.* » Et de puero decem annorum, qui alium puerum casu fortuito sagitta percussit, atque occidit, *Glossa*, in cap. *Referente* 2, De delictis pueror., verb. *Indultum*, expresse dicit : « Irregularis tamen fuit effectus, et pœna spirituali debet puniri, sive canonica, » quamvis de mandato Summi Pontificis fuerit absolutus a pœna pecuniaria sibi ob id ab abbate S. Remigii suo ordinario superiore imposita ; licet enim homicidium reputetur, et sit casuale, si non fuit adhibita debita diligentia ad ipsum evitandum, adhuc sufficiens est ad inducendam irregularitatem ; per text. in cap. *Continebatur* 8, De homicid., ubi ab Alexandro III declaratur irregularis quidam diaconus, qui in lusu

Digitized by Google

præter opinionem alium occiderat; et concordant cap. *Presbyterum* 7, et cap. *Ad audientiam* 12, De homic.; c. *Clerico jaciente* 37, et c. *Eos vero*, dist. 50, cum similibus, ubi statuitur, quod irregularitas incurritur etiam ob casuale homicidium, si homicida non satis, ut debuerat, præcavit periculum tertii, adhibendo debitam diligentiam ad ipsum homicidium evitandum, ut passim interpretantur celebriores canonistæ et theologi, et habetur in summario cit. cap. *Presbyterum* 7, De homicid., ubi expresse dicitur: « Homicidium casuale imputatur ei qui dabat operam rei licitæ, si non adhibuit diligentiam, quam debuit; » quod idem habetur etiam in summario citat. capit. *Continebatur* 8, eod.

(40. Nec obstat quod varii alii habeantur sacri canones, uti cap. *Lator* 9, c. *Dilectus* 13; c. *Ex litteris* 14; c. *Ex litteris* 15; cap. *Significasti* 16; c. *Exhibita* 22; c. *Joannes* 23, et cap. *Quidam* 24, De homicid,, ubi in variis hujusmodi casibus ob homicidium casuale declaratur nullam contractam fuisse irregularitatem. Non obstat, inquam, quia cum jura juribus, quantum fieri potest, sint concordanda, textu expresso in c. *Cum expediat concordare jura juribus*, et concordent textus in l. *Non est novum* 26 et sequent., ff. *De legibus*, et l. unic. *De inofficiosis dotib.*, cum similibus; ad illos canones responderetur, quod sic ibi declaratum fuit, quia nulla ibi intervenerat culpa neque juridica, ex quo ibi debita fuerit adhibita diligentia, ne homicidium sequeretur, ut notat *Glossa* in cit. cap. *Continebatur* 8, De homicid., verb. *Romani Pontifices*; et eruditissime advertit sapientissimus Pirhing, lib. 5, *Decretal.*, tit. 12. num. 57, assignando disparitatem inter casum relatum in cap. *Continebatur* 8, et casum relatum in c. *Lator*, De homicid., ubi cum Covarruv., Sylvestro, et Molina dicit secundum glossam, quod ideo Diaconus in c. *Continebatur*, declaratus fuit irregularis, quia in culpa fuit, ex quo debitam diligentiam ad impediendum homicidium non adhibuerit. At vero clericus in cap. *Lator* in nulla culpa fuit, cum passus tantum fuerit, et nihil alteri fecerit, nec potuerit prævidere, quod alter illum in terra projecturus esset. Unde cum nullam prævidere potuerit adhibendam diligentiam ad evitandum homicidium, cujus nullum, quantum in se erat, debuerat timeri periculum, ideo declaratum fuit, nullam ipsum incurrisse irregularitatem.

(41. Unde generaliter dicendum est quod ob homicidium casuale incurritur irregularitas a dante operam rei illicitæ, quamvis adhibuerit debitam diligentiam, ne homicidium sequeretur. Sic *Glossa* in cap. *Tua nos* 19, De homicid., verb. *Congruebat*, ex l. *Culpa est* 36, ff. *De regul. jur.*, ubi dicitur, « culpa est immisceri se rei ad se non pertinenti; » S. Thomas, in 2-2, qu. 64, art. 8, in corpor., ubi sic expresse concludit: « Et ideo secundum jura, si aliquis det operam rei licitæ debitam diligentiam adhibens, et ex hoc homicidium sequatur, non incurrit homicidii reatum; si vero det operam rei illicitæ, vel etiam det operam rei licitæ, non adhibens diligentiam debitam, non evadit homicidii reatum, si ex ejus opera mors hominis consequatur. » Et idem in 4, dist. 26, q. 2. art. 1, quæstiunc. 2, ad 4, sic habet: « Et ideo, qui ignoranter hominem occidit homicidio casuali, non dicitur homicida, nec irregularitatem incurrit, nisi dederit operam rei illicitæ; vel nisi omiserit debitam diligentiam, quia jam quodammodo effecit voluntarium, nec est propter hoc, quod culpa careat, quia etiam sine culpa incurritur irregularitas. » Scotus in 4, dist. 25, q. 1, lit. *E*; Innocentius in cap. *Tua nos*, De homicid.; Fagnan. in cap. *Ad audientiam* 12, n. 19, De homicid.; Navarr. in *Manual.*, cap. 27, n. 220 et sequent.; Layman. lib. III, part. III, n. 4; Faber, Blondus, Mastrius, Pontas, verb. *Irregularitas*, casu 47, cum Toleto, et aliis ibi citatis, et plures alii, præsertim antiquiores canonistæ, absolute, et universaliter volentes hominem illum, ex cujus opere illicito sequitur casuale homicidium, esse irregularem, quamvis ad illud evitandum omnem cautelam, et diligentiam adhibuerit, per textum in cap. *Presbyterum* 7, cap. *Continebatur* 8, cap. *Ad audientiam* 12, cap. *Dilectus* 3, cap. *Tua nos* 19, c. *Joannes* 23, c. *Petitio* 24, et cap. *Quidam* 25, De homicid., cap. *Sententiam* 9, Ne clerici vel monachi, c. *De his clericis*, 36., dist. 50, cum similibus. Pirhing tamen *loc. cit.*, n. 65, et Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 195 et sequent., cum Covarruvia, Navarro, Avila, Palao, Suarez, et Sanchez ibi allegatis volunt, quod probabilius irregularitas non incurratur ob homicidium casuale dando operam rei illicitæ, et adhibita debita diligentia, nisi actio illicita ex se, et natura sua inducat propinquum periculum homicidii. *Vide* v. IRREGULARITAS, art. 1, nec non *Addit. Casin.* sub. ead. rubr.

(42. Hinc clericus, qui sese exercens cum sclopeto, hominem, quem non videbat, occidit; seu venando telum in feram misit, et hominem occidit, irregularis est, etiamsi omnem adhibuerit diligentiam, juxta terminos l. *Perspiciendum* 11, § 2, ff. *De pœnis*; Fagnanus, lib. V *Decret.*, in cap. *Ad audientiam* 12, De homicid., num. 20; Sylvester, verb. *Homicidium* 2, fn. 7, vers. sexto; Pontas, verb. *Irregularitas*, casu 47, ubi, adductis ad id variis sacris canonibus, adducit etiam hæc præcisa verba Toleti: « Clericus venationi, in qua sagittæ, aut sclopeta emitti solent, incumbens, et casu occidens, quantumcunque omnem prius diligentiam adhibuerit, irregularis est, quia operam dabat rei illicitæ, et talibus personis prohibitæ. » Ex cap. *Episcopum* 1, et cap. *Omnibus* 2, De clerico venatore; cap. *Episcopum* 2, et cap. *Omnibus* 3, dist. 34; Concil. Agathen., canon. 53; concil. Matisconen., canon. 13; concilium Vermarien., canon 6; concil. Turonen. III, canon. 8; concil. Parisien., part. II, cap. 13; concil. Nanneten., canon. 3; concil. Ravennaten. IV, rubrica 17; concil. Senonen., art. 20; concil. Re-

Digitized by Google

men., tit. *De clericis in genere*, num. 6; concil. Lateranen. IV, canon. 15; concil. Trident., sess. XXIV, *De reformat.*, cap. 12. Tum quia clerici sine justa, et necessaria causa arma deferre non possunt, cap. *Nimirum* 1, cap. *Cum a Judæis* 2, cap. *Non pila* 3, cap. *Clerici qui* 5, cap. *Quicunque ex clero*, caus. 23, q. 8; cap. *Clerici arma* 2, De vita et honestat. clericor; c. *In audientia* 25, De sentent. excommunic.; Clementin. 1, *De vita et honestat. clericor.* in fine, cum similibus. Arma enim clericorum debent esse orationes, et lacrymæ, c. *Non pila* 3, et c. *Convenior* 21, caus. 23, q. 8; c. *Si quis* 3, dist. 36; c. *Porro* 14, caus. 16, q. 3, cum similibus. *Vide* verb. ARMA per tot., et verb. CLERICUS, art. 6, per tot. Covarruvias tamen, Castropal. et alii citati, et secuti a Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 201, volunt clericum vacantem venationi, ex qua sequitur homicidium casuale, non esse irregularem, si pro eo vitando debitam adhibuit diligentiam, quia licet venatio sit prohibita, et illicita clericis ex citatis juribus, quia tamen apud peritos ex se non est periculosa, et mortis inductiva, homicidium ex ea fortuito secutum irregularitatem non inducit.

(43. Item irregularis evadit ex homicidio casuali, qui non adhibuit diligentiam, quam debuit ad ipsum evitandum, licet daret operam rei licitæ. Sic expresse S. Thomas *loc. cit. supra*, num. 41; Fagnan., in cit. cap. *Ad audientiam*, num. 33 et sequent., cum aliis ibi allegatis; Sylvester, verb. *Homicidium* 2, n. 2, vers. secundo, qui dat operam rei licitæ; Pontas, cit. cas. 47, et alii plurimi per text. in c. *Qui arborem* 49, dist. 50; cap. *Presbyterum* 7, cap. *Continebatur* 8, et cap. *Ad audientiam* 12, De homicid.; cap. *Quæsitum* 7, De pœnitent. et remissionib., cum similibus. Et ratio est quia, ut dicit *Glossa* in cit. c. *Quæsitum*, verb. *Negligentibus*, dissoluta negligentia prope dolum est, l. *Si fidejussor.* 29, ff. *Mandati*; cap. *Sæpe contingit* 50, et habetur pro conscientia, l. *Cum sex.* 55, De ædilitio edicto; et quamvis hoc homicidium non sit voluntarium directe, quia in illud voluntas non fertur, dicitur tamen voluntarium indirecte, quia voluntas potest illud prohibere, et non prohibet, ut declarat S. Thomas in 1-2, q. 77, art. 7. Unde tenetur etiam de casu fortuito, licet daret operam rei licitæ, uti habetur in summario d. c. *Presbyterum* 7, De homicid., sic expresse dicente: « Homicidium casuale imputatur ei qui dat operam rei licitæ, si non adhibuit diligentiam, quam debuit; » quod idem habetur in summario cit. cap. *Continebatur* 8, De homicid. Hinc Abbas, Covarruvias, et alii apud Pirhing, *l. c.*, n. 62, volunt, quod incurratur irregularitas etiam ob culpam levem, et levissimam, si talis culpa non sit in omittendo, seu non impediendo homicidium, sed sit in committendo, dum non adhibetur debita diligentia in evitando periculo homicidii proveniente ex propria positiva actione; quod et cum aliis tenet Fagnanus in c. *Quidam* 25, De homic., n. 9 et 10, dicens, quod etiam contrariæ opinionis auctores concedunt culpam levissimam in committendo inducere irregularitatem; juxta c. *Consuluisti* 20, caus. 2, q. 5, propterea quod ea transit in culpam levem, juxta Gloss. 2, in lege Cornelia 25, ff. *De senatusconsulto Silaniano. Vide* verb. IRREGUL., art. 1, n. 11 § decimo, vers. *Assignantur.*

(44. Non evadit tamen irregularis ex homicidio casuali, qui dat operam rei licitæ, et debitam adhibet diligentiam ad ipsum evitandum. *Communis* per text. in cap. *Dilectus* 13, cap. *Significasti* 16, cap. *Exhibita* 22, et cap. *Quidam* 25, De homic.; cap. *Qui arborem* 49, c. *Sæpe contigit.* 50, et c. *Si duo fratres* 51, dist. 50, cum similibus. *Vide* verb. IRREGULARITAS, *loc. cit.*, vers. *Assignantur.*

(45. Neque evadit irregularis furiosus, si, durante furore, occidat hominem. *Communis*, textu expresso in cit. Clementin. *Si furiosus*, unic. De homicid., quia cum tunc usum rationis non habeat, immunis est a culpa, et consequenter ab omni pœna; l. *Sed etsi* 5, § 2, ff. *Ad leg. Aquil.*, cum similibus. (46. Evadit autem irregularis, si dilucida intervalla habeat, et hominem occidat, dum sanæ mentis est; quia et in foro civili tunc punitur, l. *Divus Marcus* 14, § *Si vero*, ff. *De officio præsidis*; Covarruvias, in cit. Clementin. *Si furiosus*, part. III, n. 1, et 2; Pirhing., *l. c.*, n. 71, et communis aliorum. (47. Non est autem irregularis, quamvis gravi culpa sua in furorem, vel amentiam inciderit. Pirhing, *loc. cit.*, n. 71; Navarr., in *Manual.*, cap. 27, n. 230; Avila, *De censuris*, disp. 6, sect. 1, dub. 12, et alii passim. Et ratio est, quia licet prius peccaverit, superveniente tamen furore, amplius peccare non potest; et consequenter neque fieri ob homicidium irregularis, per text. in cit. Clementin. *Si furiosus.*

(48. Item non evadit irregularis dormiens, propter homicidium a se commissum in somnis: textu expresso in d. Clementin. *Si furiosus.* Et ratio est, quia et is usu rationis, et libero arbitrio caret, ac furioso comparatur, ut in d. Clementin. *Si furiosus*, et in cap. *Major.* 3, § *Item quæritur*, De baptismo, et sic communis doctorum, teste Covarruvia in d. Clementin., part. III, n. 6, et Fagnan. in cit. cap. *Ad audientiam* 12, De homicid., n. 37. (49. Esset tamen irregularis ob commissum casuale homicidium, si sciebat, se solitum esse noctu dormiendo e lecto surgere, arma arripere, et obvios percutere, et similia facere, et nihilominus non adhibuit debitam diligentiam ad hujusmodi periculum præcavendum, claudendo ostium, vel removendo arma, aut alias arbitrio boni viri providendo, quia tunc tale homicidium sic prævisum, et non impeditum esset indirecte volitum, et intentum in causa, adeoque sufficienter culpabile ad inducendam irregularitatem; et hunc esse puniendum pœna extraordinaria, tradit Bartolus in l. *Pœna parricidii* 9, ff. *Ad leg. Pompej.*, De parricidio; et est communis opinio, teste Covarruvia, *loc. cit.*, et Claro, in § final., q. 6, n. 13, v. *Quæro etiam*, ac Fagnan.,

Digitized by Google

loc. cit., n. 37, ubi refert quod Guglielmus ponebat exemplum de quodam socio suo Angelico, qui dormiendo Pisis in ecclesia S. Bened. prope Arnum fluvium, accessit ad filiam cujusdam alibi existentem, et ibi puerum interfecit, et dormiens ad lectum redivit, ut refert Marianus Socinus in cap. *Ad audientiam*, n. 51, subdens, se habuisse Bononiæ vicinam puellam, quæ in somnis surrexit, et panem fecit.

(50. Sic pariter est dicendum de ebrio, qui dedit operam ut inebriaretur, et sciebat se consuevisse in ebrietate arma sumere, et homines ferire; hic enim procul dubio hominem occidendo, evadit irregularis, si non adhibuit debitam diligentiam ad pericula illa cavenda, quia in tali casu homicidium, saltem indirecte, et in causa, est voluntarium; et consequenter sufficiens ad inducendam irregularitatem. Sic Covarruvias, in cit. Clementin. *Si furiosus*, par. III, num. 4; Barbosa, *ibid*, num. 10; Fagnan., *loc. cit.*, num. 26; Pirhing, *loc. cit.*, num. 75; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 207, et, ipso teste, communis aliorum. (51. Non esset tamen irregularis ebrius usu rationis privatus, ob homicidium in ebrietate commissum, si ebrietas ex vino, vel alio potu, plusquam æstimabatur, forti, et generoso, vel alias inopinato, et ex improviso absque culpa bibentis accidit. Sic communis cum citatis doctoribus, arg. cit. Clementin. *Si furiosus*, quia sicuti ibi declaratur, quod ob homicidium non incurrit irregularitatem furiosus, aut infans, vel dormiens ob defectum usus rationis, ita etiam ob talem defectum eam non incurret dictus ebrius; quia ubi eadem est ratio, eadem debet esse juris dispositio, l. *Ideo* 27, ff. *De legibus*; l. *Illud* 32, ff. *Ad leg. Aquil.*, cap. *Inter corporalia* 2, De translat. episcop. Imo Pirhing, *loc. cit.*, num. 74; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 205 et seq., cum Covarruvia, Barbosa, Navarro, Azorio, et aliis ibi allegatis volunt, quod ebrius non incurrat irregularitatem, etiamsi voluntarie, et gravi cum culpa, se inebriet, dummodo homicidium prius non intendat, nec prævideat, nec rationabiliter prævidere possit, arg. cap. *Inebriaverunt* 9 et sequent., caus. 15, qu. 1, ubi Lot ob ebrietatem ex nimio vino sibi obvenientem culpabilis quidem, ob incestum tamen cum filiabus in ea commissum, a culpa immunis declaratur.

(52. Irregularitas ob homicidium casuale saltem indirecte voluntarium in casibus supra expressis, et consimilibus incurritur ab homicida, quamvis ob id non fuerit a tribunali laicali condemnatus, sed innocens declaratus : quia licet tale homicidium non reputetur sufficienter culpabile ad effectum condemnandi homicidam in pœnis juris, est tamen sufficiens ad effectum incurrendi irregularitatem, quæ incurritur etiam sine culpa, imo etiam ex facto meritorio, ut patet de pugnantibus contra infideles, et hæreticos ob defensionem fidei, et patriæ, de deferentibus ligna pro comburendis hæreticis, ut acquirant indulgentias; de judicibus juste condemnantibus reos ad mortem, et hujusmodi propter jura, et decreta adducta, ac dicta sub verb. BELLUM, art. 5, a num. 5 usque in finem, et sub verb. IRREGULARITAS, art. 1 sub num. 11, ad longum de variis consimilibus merito ibi videndis.

(53. Tum quia, ut supra dictum fuit num. 39, *Glossa* communiter recepta cap. *Referente* 2, De delictis pueror. verb. *Indultum*, in fine, expresse dicit quod puer decem annorum, qui alium puerum casu fortuito sagitta occiderat, « effectus fuit irregularis, et pœna spirituali debet puniri, sive canonica; » quamvis de mandato Summi Pontificis fuerit omnimode absolutus a pœna pecuniaria a suo judice ordinario sibi imposita; et concordat tit. cap. *Pueris* 1, De delictis pueror., et cit. Clementin. *Si furiosus*, De homicidio, ex qua Layman lib. I, tract. 4, cap. 10, num. 7, De legibus, colligit quod irregularitatem incurrit impubes, qui septennii ætatem consecutus, et doli capax voluntarium homicidium committit, prout docent etiam Sylvester verb. *Homicidium* 3, 2, dist. 3; Sanchez, lib. I *Moral.*, cap. 12, num. 8; Avila, part. VII, *De censur.*, d. 6, sect. 1, dub. 13; Pontas, verb. *Irregularitas*, casu 46; Pirhing, l. V *Decret.*, tit. 12, n. 72; Reiffenstuel., *ibid.*, nu. 181 et seq., testans de communi; arg. cap. *Presbyterum* 7, c. *Continebatur* 8, et cap. *Ad audientiam* 12, De homicid., et cap. *Is qui* 3, De homicid., in 6, cum similibus.

(54. Et etiam dato quod adesset aliqua contrarietas inter judicia prolata secundum jura civilia, et prolata secundum jura canonica, adhuc esset standum horum dispositioni, alia illorum relicta, per text. in c. *Bene quidem* 1, c. *Denique* 5, c. *Cum ad verum* 6, cap. *Satis* 7, et cap. *In scripturis* 9, dist. 69; c. *Ecclesia* 10, De constitutionib.; c. *Decernimus* 2, De judiciis, et c. *Relatum* 11, De testamentis, ubi expresse statuitur : « Mandamus, quatenus cum aliqua causa talis ad vestrum fuerit examen deducta, non secundum leges, sed secundum decretorum statuta tractetis ; » et sic in pluribus consimilibus; et tenent canonistæ communiter.

(55. Pro dispensatione autem hujusmodi irregularitatis adeunda est Apostolica Sedes, cum ad id non se extendat episcopalis auctoritas, ex cap. *Continebantur* 8, De homicid., ubi Alexander III mandat ut diaconus, qui homicidium, licet casuale, commiserat, non possit sine licentia Romani Pontificis ad superiorem gradum ascendere, et ex concilio Trident., sess. XXIV, *De reformat.*, cap. 6. « Liceat episcopis in irregularitatibus omnibus, et suspensionib. ex delicto occulto provenientibus (excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum) dispensare; » et expresse sacra congr. Conc. in *Zagabrien.* 16 Novembr. 1686, in responsion. ad 3; apud cardin. Petra, tom. II *Commentar. ad constit. unic. Gregorii VIII*, sect. 1, nu. 17, ubi refert etiam decisionem ejusd. S. congr. *in Salisburgensi* 14 Maii 1689.

(56. Et tanto magis id currit, si agatur de

Digitized by Google

dispensatione pro promovendo, quæ difficilius conceditur, quam pro jam promoto, ex c. *Si quis* 13, caus. 13, q. 1, et *Glossa* in l. *Ambiguis* 85, § *Non est novum*, ff. *De reg. jur.*, et tenent Surdus, consil. 174, n. 12; Pignatell., tom. VII, consult. 10, num. 4; Fagnan., lib. v *Decretal.*, cap. *Henricus* 1, De clericis pugnantibus in duello, n. 23, ubi adjicit insuper, quod proposito in sac. congr. Conc. 2 Septemb. 1613, coram Summo Pontifice dubio, « an decretum conc. Trid., cap. 7, sess. XIV, *De reform.*, excludens voluntarium homicidam a spe dispensationis, vindicet sibi locum in eo, qui ante homicidium ad sacros jam erat ordines promotus. » Et eminentissimis cardinalibus in diversa abeuntibus S. D. N. id est Paulus V probavit hanc opinionem, « ut concilium promotum non includat. » Unde Panimoll., decis. 89, adnotat. 6, num. 62; Corrad., in *Praxi dispensat. Apostolicar.*, lib. v, cap. 1, num. 11; Majolus, *De irregular.*, lib. IV, cap. 48, et alii plures recte concludunt, quod quamvis homicidium sit casuale, adhuc tamen petenda sit dispensatio a Summo Pontifice, non obstante quod homicidium absque culpa sit perpetratum; et de homicidiis commissis in bello, aliisque etiam commissis ex facto meritorio ob defensionem fidei, et hujusmodi, colligitur ex cap. *Petitio* 24, De homicid. et variis sacræ congregationis Concilii decretis relatis sub verb. IRREGULARITAS, art. 1, sub num. 12, et supra, num. 55, et a Fagnan., in cit. cap. *Petitio*, et a card. Petra, *loc. cit.*, ubi in fine concludit, quod etiam in militibus Hierosolymitanis (vulgo cavalieri di Malta) aliisque approbatis a S. Sede Apostolica ad pugnandum contra infideles, est necessaria, vel præventiva, vel subsequens dispensatio Apostolica.

(57. Potest tamen episcopus dispensare super irregularitate orta ex homicidio casuali occulto. Sic Barbosa, *De offic. et potest. episcop.*, allegat. 39, n. 48; Navarr., in *Manual.*, c. 27, num. 218; Laym., lib. III, tr. 3, par. III, cap. 12, num. 2; Guttierez, *Canon. qq.*, l. I, can. 56, num. 13; Nicolaus Garcias, *De benefic.*, part. VII, c. 11, num. 27; Miranda, in *Manual. prælator.*, tom. II, q. 8, art. 13, conclus. 2 et 3; Marchin., *De sacrament. ordin.*, tr. 1, part. IX, diffic. 3, num. 9; Alzed., *De præemin. episcop. dignitat.*, part. II, cap. 6, num. 6; Avila, *De censur.*, part. VII, disp. 6, sect. 5, dub. 2, concl. 2; Reiffenstuel, lib. v *Decret.*, tit. 12, n. 223; Pirhing, *ibid.*, num. 127; Rosignol, *De ordin. in communi*, part. I, q. 3, art. 7, num. 44, et alii plures contra Molinam, Azorium, et alios. Et ratio est quia a concilio Trident., sess. XXIV, *De reformat.*, c. 6, conceditur episcopis facultas dispensandi super omnibus irregularitatibus provenientibus ex delicto occulto, excepta irregularitate proveniente ex homicidio voluntario, pro quo non venit homicidium mere casuale, adeoque ibi non excipitur; cum exceptio unius firmet regulam in contrarium in non exceptis, per jura adducta *supra*, num. 37 præsertim cum irregularitas sit odiosa, adeoque potius sit restringenda, quam amplianda, nec extendenda de casu ad casum, per jura adducta *supra*, num. 35.

(58. Sicque dispensare potest episcopus cum eo, qui hominem occidit, non intendens occidere, et cum eo, qui mandavit servo, ut alterum baculo percuteret, sed caveret, ne occideret, quia homicidium inde sequens non est proprie voluntarium respectu mandantis, sed est casuale culpabile. Sic Barbosa in *concil. Trident.*, cit. sess. XXIV, cap. 6, num. 54 et seq.; *De offic. et potest. episcop.*, cit. allegat. 39, num. 50 et seq., cum pluribus aliis ibi citatis, ubi ad id affert expressam decisionem sacræ congregationis in responsione ad dubium his verbis: « An is, qui mandavit aliquem baculo vulnerari, eo expresso ne occideretur, si mandatarius armis percusserit, et occiderit, intelligatur incidisse in decretum concilii, sess. XXIV, *De reformat.*, cap. 6, ut in omni ordinatione a beneficio, et officio, absque spe dispensationis perpetuo carere debeat; congregatio censuit negative, cum concilium requirat homicidium per industriam, per insidias, et ex proposito. » Sic referunt Garcias, Riccius, et alii ibi citati a dicto Barbosa, num. 52, ubi insuper refert ex Campanil. et Aloysio Riccio fuisse etiam decisum, quod mandans homicidium in persona alterius, non incurrit irregularitatem, quæ contrahitur ex homicidio voluntario.

(59. Episcopus dispensare potest super irregularitate proveniente ex homicidio occulto causa defensionis facto, non servato moderamine inculpatæ tutelæ; Navarr. in *Manual.*, cap, 27, num. 239; Layman, *loc. cit.*, num. 2; Avila, *De censuris.* disp. 6, sect. 5, concl. 1; Molina, *De justit. et jur.* disp. 79, num. 8 et 11; Guttierez, *loc. cit.*, lib. VI, cap. 65, num. 13; Reiffenstuel., *loc. cit.*, n. 221; Pirhing, *loc. cit.*, num. 118; Barbosa, *in concil. Tridentin.*, sess. XXIV, *De reformat.*, cap. 6, num. 32, et cit. allegat. 39, num. 53, cum pluribus aliis ibi citatis. Et ratio est, quia hujusmodi homicidium, quamvis ob excessum moderaminis inculpatæ tutelæ sit illicitum, et injustum, non comprehenditur sub homicidio voluntario excepto a concil. Trid., cit. cap. 6. Imo potius licet non sit mere necessarium, necessarii vim habet, quatenus non sponte, sed coacte vitandæ mortis causa fit, et nonnisi quoad modum illicitum et injustum est.

(60. Quando autem homicidium causa defensionis commissum, vel aliud casuale est notorium, et publicum, vel ad forum contentiosum jam deductum, super irregularitate, inde orta dispensare nequit episcopus, Colligitur ex Trident., sess. XIV, *De reformat.*, cap. 7, ubi loquens de facultate dispensandi super irregularitate orta ex homicidio causa defensionis, vel casualiter commisso, intelligitur de homicidio, publico, vel deducto ad forum contentiosum, ut patet ex his subjunctis verbis: « Qui nonnisi causa cognita, et probatis precibus, ac narratis, nec aliter dispensare possit; » et in

Digitized by Google

tali casu declarat, dictam dispensandi facultatem non competere de jure, nec esse commissam episcopo, sed primum per Papam esse ei committendum. Sic Pirhing, *loc. cit.*, n. 128; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 225; Guttierez, *Canonic.* qq., lib. I, c. 3, ad finem; Bonacina, *De censur.*, disp. 1, qu. 3, punct. 2, n. 2; Sanchez, *De matrimon.* lib. II, disput. 37, num. 12; Barbosa, *in concil. Trident.*, sess. XXIV, cap. 6, num. 37, cum pluribus aliis ibi allegatis.

(61. Neque potest episcopus dispensare super irregularitate absque delicto orta ex defectu perfectæ lenitatis, ut ex homicidio auctoritate publica in malefactores juste, et recte facto a judicibus, accusatoribus, testibus ministris, et aliis ad mortem propinque concurrentibus, et a militibus in bello etiam juste pugnantibus. Sic Navarr., in *Manual.*, c. 17, n. 217, et l. v *Consilior.*, consil. 39, De homic.; Laym., *loc. cit.*, n. 5; Suarez, *De irregular.*, disp. 47, sect. 6, in fine; Avila, *De cens.*, disp. 6, sect. 5, dub. 1, concl. 1; Guttierez, *loc. cit.*, lib. II, c. 6, n. 170; Garcias, *De benefic.*, part. VII, c. 11; n. 40: Castropal, *De censur.*, disp. 6, punct. 14, § 7, n. 6; Pirhing., *loc. cit.*, n. 129; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 220, cum communiori aliorum. Et ratio est, quia concilium, cit. sess. XXIV, c. 6, concedit episcopis facultatem dispensandi solummodo super irregularitatibus provenientibus ex delicto occulto; irregularitas autem prædicta oritur ex defectu perfectæ lenitatis, et non ex delicto, cum tale homicidium sit juste, et licite factum. Tum quia nullus episcopus solet cum similibus irregularibus dispensare, sed illi curiam Romanam ab omnibus dirigi solent, ut, teste Reiffenstuel, *loc. cit.*, docet communis praxis, et consuetudo, quæ est optima legum interpres; cap. *Cum dilectus* 8, De consuet., et l. *Si de interpretatione* 37, ff. *De legibus*, prout etiam servat stylus curiæ, qui pro lege habetur, c. *Ex litteris* 11, De constit.; c. *Quam gravi* 6, De crimine falsi.

(62. Potest tamen episcopus dispensare super irregularitate proveniente ex mutilatione quacunque, etiam injusta et voluntaria, ac directe intenta, dummodo tamen sit occulta. Sic Barbosa, *in concil. Trid.*, *loc. cit.*, n. 36, cum pluribus ibi allegatis; Suarez, *De censur.*, disp. 44, sect. 1, n. 5; Navarr. in *Manual.*, cap. 23, n. 249; Layman, *loc. cit.*, n. 2; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 226, et alii communiter. (63. Et sic respondit expresse sacr. congr. Conc. ab episcopo Tremonensi consulta, teste Fagnano l. I *Decr.*, in cap. *Dilectus* 15, De temporibus ordination., n. 29. Et ratio est quia concilium, cit. sess. XXIV, cap. 6, excipit solam irregularitatem ex homi. voluntario provenientem, exceptio autem firmat regulam in contrar. in casibus non exceptis, per jura adducta sup., n. 37, et dicta sup. n. 34 et 37, in fine. V. *Add. Casin.*, V. IRREGULARITAS.

(64. Quamvis episcopus nequeat dispensare ad ordines minores, sive recipiendos, sive exercendos, neque ad beneficium simplex super irregularitate proveniente ex homicidio voluntario, etiam occulto, cum id sit expresse prohibitum a concilio Tridentino, sess. XIV, cap. 7, ibi: « Omni ordine ac beneficio, et officio ecclesiastico perpetuo careat; » et tenent communiter doctores: tamen potest episcopus dispensare super irregularitate proveniente ex homicidio casuali, sive indirecte tantum voluntario, quamvis notorio, ad ordines minores et beneficium simplex. Sic expresse Barbosa in cap. *Ad audientiam* 2, De homic., n. 8, et cit. alleg. 39, n. 62, cum Henriquez, Covarruv., Campanil., Miranda, Gerola, Bonacina, et Homobon., ibi allegatis; Layman, *loc. cit.*, n. 8, cum Sylvestro, Navar., Sayro, Avila, et aliis ibi citatis, ac plures alii ex cap. *Ad audientiam* 12, De homicid., ibi: « Poteris concedere, ut minoribus ordinibus sit contentus; et ex cap. *Henricus* 1, De clericis pugnant. in duello, ubi de simili homicida statuitur, quod non debeat in sacris ordinibus ministrare, sed ad habendum beneficium misericorditer dispensetur; quæ jura per concil. Trident. non sunt mutata circa homicidium indirecte tantum voluntarium, cum ipsum concilium cit. cap. 6, prohibeat tantum ne episcopi dispensent cum homicida voluntario, adeoque ejus prohibitio non extenditur ad homicidas casuales; non enim facienda est extensio de casu ad casum, præsertim in odiosis per totios repetita jura allata *supra* n. 35 et 37.

(65. Hinc juvat ad eruditionem referre quæ ex aliis refert Pignatell., t. VII, consult. 19, sub. 1, § *Refert*, ibi: « Refert Paris. de Put., *De syndicat.*, fol. 32, quem allegat Felin., in c. *Si quando*, De rescript., col. 2, casum, qui evenit Romæ Joanni Papæ XIII. Jussit Pontifex quemdam Romanum capite plecti; at ille cum adeo clamasset quod ob id Papa esset irregularis, ut populus de irregularitate Pontificis scandalizaretur, fuit jussu Papæ liberatus. Simile contigit Hostiensi, qui cum esset legatus Bononiæ, quidam reus pœna capitali condemnatus petiit ut prius sibi permitteretur alloqui legatum de re ardua; quod cum obtinuisset, et nihil arduum dixisset, turbatus legatus dixit: Suspendio necetur; illo autem clamante: « Vis esse irregularis? » Respondit legatus: « Maledictus qui te docuit; » eumque remissum ad carcerem postea liberavit, ut tradit Felinus ubi supra post Joann. de Lignano, in cap. *Sententiam*, in fin. Ne clerici vel monach., dicentem id se audivisse a domino Paulo, dum legebat fundamentum ex cap. *Ex litteris*, De excessib. prælator., ubi dicitur, quod prælati non debent imponere proprio ore sententiam sanguinis; dicitque Baldus post Innocent. in cap. 2, *De majorit. et obed.*, quod licet Papa possit statuendo imponere pœnam mortis, non tamen potest exsequendo. Ex quo infert, quod si Papa propriis manibus occideret aliquem, statim esset irregularis. Quod dictum posset sustineri sequendo opinionem illorum, qui volunt quod irregularitas ex homicidio voluntario est de jure divino, ut tenent multi in cap. *Ad audientiam*, De homicid.; sed

Digitized by Google

sequendo illos, qui dicunt, quod est de jure positivo, dictum Baldi non careret dubio, juxta Felin., in cap. 2, *De major. et obed.*, cum Papa sit supra jus positivum, cap. *Proposuit*, De concession. præbend., ubi concludit inveniri in locis per ipsum allegatis, quod quamvis irregularitas ex homicidio habeat in se rationem, ac mentem juris divini, per text. in § 1 *De consecrat.*, d. 1; tamen super ea potest Papa ex causa dispensare: quod etiam voluit Hostiens., in cap. *Sicut dignum*, De homicid. in d. cap. *Audientiam*, eod. tit., ac Panormitan., in cap. *Ego N.*, in fine De jurejur. » Hactenus ad litteram Pignatell., *loc. cit.* Cui adde, quod Papa revera non potest canonicam irregularitatem incurrere, cum ipse sit supra omne jus canonicum; cap. *Proposuit* 4, De concessione præbendæ; Fagnan., l. v *Decret.*, in cap. *De cætero* 11, De homicid., n. 22; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 91; Pirhing, *loc. cit.*, n. 96; Majolus, *De irregularit.*, lib. II, cap. 4; Suarez, disp. 40, lib. VII, n. 7; La Croix, lib. VII, n. 477; Castropal., *De irregularit.*, d. 6, pag. 2. n. 4, cum pluribus aliis ibi citatis. Imo est adeo incapax irregularitatis ut statim ac evehitur ad Papatum, fiat liber etiam ab irregularitate prius contracta, cum statim desinat esse subjectus juri canonico quoad vim coactivam et pœnas; ut recte ex cap. *Licet*, De vitanda 6, De election., et cap. *Ubi periculum* 3, eod. in 6, deducunt Reiffenstuel, Majolus, La Croix, Castropal., et alii *locis citatis*, et jam diximus verb. IRREGULARITAS, artic. 1, sub num. 11, § undecimo. V. *Addit. Casin.*, v. IRREGULARITAS.

(66. Potest episcopus dispensare super irregularitate contracta ab eo, qui duos sacros ordines, vel acolythatum cum subdiaconatu eodem die suscepit, si delictum sit occultum. Item super irregularitate, quam quis contraxit exercendo ordines, quos non habebat. Item super suspensione, et irregularitate contracta ab eo, qui ante legitimam ætatem ordines suscepit. Item in suspensione contracta ab eo, qui ordines suscepit dum vinculo censuræ obstrictus esset. Item in suspensione contracta a conjugato suscipiente ordinem sacrum. Item in suspensione contracta ab eo qui furtive ordines suscepit. Item in suspensione occulta, quam quis contraxit recipiendo ordines sine litteris dimissoriis. Item dispensare potest cum eo, qui per saltum promotus ad ordines celebravit. Item cum eo, qui ordines minores suscepit ab episcopo qui renuntiavit episcopatui. Item cum simoniaco occulto. Item dispensare potest super irregularitate contracta ab excommunicato celebrante, quando excommunicatio est occulta, licet celebratio sit manifesta. Sic quoad omnes supradictos casus cum pluribus aliis Barbosa *in concil. Trident*, sess. XXIV, De reformat., cap. 6, a num. 11 ad 22, et num. 29, dummodo in omnibus delictum sit occultum, ut etiam alii passim tenent DD. Vide *Additiones Casinenses* sub verb. IRREGULARITAS, ubi plura, et quidem notabilia invenies ad rem.

(67. Occultum autem quantum ad hoc dicitur, quod probari non potest; unde, ubi delictum probari potest per duos testes, occultum non est, nec absolutus, et dispensatus est tutus in conscientia; ut declaravit sacra congreg. Conc. quæ ad dubium : « An absolutus, et dispensatus a proprio episcopo in materia delicti perpetrati coram duobus, vel tribus testibus, quod tamen non fuit notorium, esset tutus in conscientia. » Respondit : « Non esse tutum, quia concilium utitur termino occulto, quod proprie loquendo est illud quod probari non potest. » Sic refert Fagnan., lib. I *Decretal.*, in cap. *Requisivit* 1, De ordinatis ab episcop., n. 38, et verba concilii debent accipi secundum proprietatem; quod repetit lib. III *Decret.*, in cap. *Vestra* 7, n. 127, De cohabit. clericor. et mulier.

(68. In casibus quomodocunque occultis post conc. Trident. ex nova lege Sedi Apostolicæ reservatis, nequeunt episcopi dispensare et absolvere, ut expresse declaravit sacr. congr. Conc., teste Fagnano lib. I *Decretal.*, in cap. *Dilectus* 15, De temporib. ordinat., n. 30, ubi n. 37; (69. insuper refert, eadem sacram congregationem, approbante Pontifice, declarasse, quod dicta facultate dispensandi et absolvendi in casibus occultis tributa episcopis a concilio, non possunt uti cardinales in suis titulis; quia licet habeant jurisdictionem quasi episcopalem, ibi tamen vere, et proprie episcopi non sunt. Sicuti neque abbates, aliique prælati jurisdictionem quasi episcopalem habentes, et Sedi Apostolicæ immediate subjecti.

(70. Quinto, requiritur, quod nulla censura sint ligati. *Communis;* qui enim sunt aliqua censura irretiti, ipsa durante, nequeunt licite ullum ordinem suscipere, cap. *Illorum* 22, De sent. excom.; cap. *Sæpe contingit* 1, De temporib. ordinat.; in 6. Quotuplex autem sit censura, et quid sit quælibet in specie? *Vide* verb. CENSURA, EXCOMMUNICATIO, INTERDICTUM et SUSPENSIO.

(71. Sexto, requiritur, quod sint in ætate canonica constituti. *Communis*, arg. c. *Nullus* 4, De temporibus ordinat., in 6, ubi Bonifacius VIII sub pœna suspensionis per annum ipso facto incurrenda, prohibet ne quis infanti clericalem præsumat conferre tonsuram. (72. Infantes tamen quamvis illicite, valide tamen ordinantur ad quemcunque ordinem, etiam presbyteratus. *Communis* cum S. Thoma, S. Bonaventura, et Scoto in 4, dist. 25, et desumitur ex c. unico, De clerico per saltum promoto; ubi de clerico, qui ante annos discretionis inferiores ordines susceperat, postea falso, et temere credens, se etiam suscepisse diaconatum, absque diaconatu sacerdos ordinatus fuerat, rescribit, et statuit Innocentius III ut post injunctam, impletamque pœnitentiam, diaconatus solum suppleatur : ubi clare supponit Pontifex posse quem infra annos discretionis ordinari. Nec lex divina reddit infantem incapacem sacramenti. (73. Imo infantes ordinantur valide etiam ad episco-

Digitized by Google

patum, ut communius tenent doctores, et signanter Dominicus Sotus, Vasquez, Castropal., Filliuc., Dicastil., et alii apud Tamburin., *De sacrament.*, lib. VII, cap. 6, § 1, n. 12; Sporer., *loc. cit.*, n. 65, cum Gobat et Diana ibi citatis, et alii passim; et constat experientia fuisse Hugonem, filium Heriberti comitis Aquitaniæ, in ætate puerili quinque annorum promotum ad archiepiscopatum Rhemensem, ut ex aliis refert Berninus, t. II *Histor. omnium hæresum sæculo decimo*, capitul. unico, fol. 585, ubi adducit S. Bernardum epistol. 42; sic scribentem : « Scholares pueri, et impuberes adolescentuli ob sanguinis dignitatem promoventur ad ecclesiasticas dignitates, et de sub ferula transferuntur ad principandum presbyteris : lætiores interim, quod virgas evaserint, quam quod meruerint principari, nec tam illis blanditur adeptum quam ademptum imperium. » Et insuper, variis aliis omissis in infantili ætate ad episcopatum promotis, ex historiis habetur, quod adolescentes et juvenes fuerunt interdum ad Pontificatum assumpti, ut Joannes XII vix natus annos duodeviginti, ut testatur Graveson, *Historia ecclesiastica*, tom. IV, fol. 71, primæ impressionis Romanæ, et Baronius ad annum 955, n. 3 et 4; et Joannes XI fuit Summus Pontifex constitutus, cum ætatis suæ annum vigesimum quintum vix attigisset, ut testatur idem Graveson, *ubi supra*, fol. 67. *Vide* verb. PAPA, artic. 1, n. 54.

(74. Ætas igitur canonica pro prima tonsura, ostiariatu, lectoratu et exorcistatu sunt anni septem completi, c. *In singulis* 2, dist. 77. (75. Pro acolythatu sunt anni duodecim completi, cit. c. *In singulis* 2, dist. 77. Et colligitur ex textu et *Glossa* in c. De iis 5, dist. 28, et c. *Cum nullis* 4, De temporibus, ordinandorum, in 6. (76. Pro subdiaconatu sunt anni 21. Concil. Trident., sess. XXIII, c. 12, *De reformat.*, infra adducend. (77. Pro diaconatu sunt anni 23. Concil. Trident., *loc. cit.* (78. Pro presbyteratu sunt anni 25. Concil. Trident., cit. sess. XXII, c. 12, *De reformat.*, ibi : « Nullus in posterum ad subdiaconatus ordinem ante vigesimum secundum; ad diaconatum ante vigesimum tertium ; ad presbyteratum ante vigesimum quintum ætatis suæ annum, promoveatur. » (79. Qui anni requisiti a Tridentino pro his tribus sacris ordinibus sufficiunt incœpti, ut tenet communis doctorum cum Barbosa in cit. sess. XXIII, c. 12, n. 2, et in praxi receptum est apud omnes. (80. Pro episcopatu requiruntur anni 30 completi, c. 1, 2 et 4, dist. 78, et concil. Trident. sess. VII, c. 1, *De reformat.*, et cap. *Cum in cunctis*, De elect., et Gregor. XIV, constitut. incip. *Onus Apostolicæ*, et communis doctorum cum Barbosa, in cit. sess. VII, c. 1, n. 4.

(81. Septimo, requiritur quod sint scientia sufficienti instructi pro quolibet ordine suscipiendo; c. 1, dist. 39, ubi Gelasius papa expresse habet : « Illiteratos nullus præsumat ad clericatus ordinem promovere, quia litteris carens sacris non potest esse aptus officiis. » Unde concil. Trident., sess. XXIII, cap. 4, *De reformat.*, statuit, quod « prima tonsura non initientur, qui... fidei rudimenta edocti non fuerint, quique legere et scribere nesciant. » Et *ibidem*, c. 11, pro ordinibus minoribus requirit « ut saltem latinam linguam intelligant, et sciant quæ ad officium suum spectant. » Et *ibidem*, c. 17, pro subdiaconatu et diaconatu requirit « ut sint litteris et iis quæ ad ordinem exercendum pertinent, instructi. » Et *ibidem*, c. 14, pro presbyteratu requirit, quod « ad populum edocendum ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, ac ministrandi sacramenta, diligenti examine præcedente, idonei comprobentur. »

(82. Octavo requiritur quod ordinentur a suis propriis respective episcopis, vel ab aliis de eorum licentia et cum suis dimissoriis. Sic expresse concil. Trident., sess. XXIII, cap. 8, *De reformat.*, ibi : « Unusquisque a proprio episcopo ordinetur ; quod si quis ab alio promoveri petat nullatenus id ei, etiam cujusvis generalis aut specialis rescripti, vel privilegii prætextu permittatur, nisi ejus probitas, ac mores ejusdem ordinarii testimonio commendentur : si secus fiat, ordinans a collatione ordinum per annum et ordinatus a susceptorum ordinum exsecutione, quandiu proprio ordinario videbitur expedire sit suspensus. Et novissime Innocentius XII, constitut. incip. *Speculatores domus Israel.* (83. Nono, requiritur, quod ordinandi in sacris habeant legitimum titulum sustentationis, scilicet aut beneficii ecclesiastici pacifice possessi, aut patrimonii sufficientis ad honestam sustentationem, aut paupertatis religiosæ, ejus scilicet, quam solemniter vovent religiosi. Sic Pontificale Romanum, tit. *De ordinatione subdiaconi*, et communis doctorum. Et ratio hujus dispositionis est, ut clerici ordinati in sacris habeant unde honeste ali possint, ne cogantur ut dicit concilium Tridentinum, sess. XXI, cap. 2, *De reformat.*, « cum ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quæstum exercere. »

(84. Ad titulum autem beneficii, ut quis licite ordinetur, requiritur quod sit beneficium proprie dictum; quod definitur : « Jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis, ratione spiritualis officii personæ ecclesiasticæ auctoritate Ecclesiæ constitutum. » *Vide* verb. BENEFICIUM, art. 1, a n. 6. (85. Et quod tale beneficium sit sufficiens ad honestam ipsius sustentationem et pacifice possessum. Sic expresse Tridentinum, cit. sess. XXI, c. 2, ibi : « Nisi prius legitime constet, eum beneficium ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficiat, pacifice possidere. » (86. Unde, qui non habet beneficium sufficiens, non debet ordinari cum supplemento patrimonii, nisi necessitas aut utilitas Ecclesiæ id exigat. Sacr. congreg. Concil. *in Signina* 18 Septemb. 1685, et *in Civitat. Plebis* 10 Jun. 1684. (87. Et si beneficium ad cujus titulum ordinatur ab episcopo non suo, non esset sufficiens juxta taxam sui ordinarii, esset suspensus quoad exercitium ordinum,

Digitized by Google

Sac. cong. Concil. *in Arimin.* 10 Januar. 1705. (88. Imo nedum ipse ordinatus esset suspensus ab exercitio ordinum, quandiu proprio ordinario videbitur expedire, sed etiam episcopus ordinans esset suspensus per annum a collatione ordinum, et uterque subjaceret gravioribus pœnis pro modo culpæ arbitrio Summi Pontificis infligendis. Sic expresse statuit Innocentius XII, 6 Novembris 1694, constitut. incip. *Speculatores domus Israel.* (89. Et tale beneficium non potest ordinatus postmodum resignare, nisi facta mentione quod ad illius beneficii titulum sit promotus; neque ea resignatio potest admitti, nisi constet quod aliunde vivere commode possit, aliter autem facta resignatio nulla est. Sic expresse Trident., cit. sess. XXI, c. 2, ibi : « Id vero beneficium resignare non possit, nisi facta mentione, quod ad illius beneficii titulum sit promotus, neque ea resignatio admittatur, nisi constito, quod aliunde vivere commode possit, et aliter facta resignatio nulla sit.

(90. Ad titulum patrimonii vel pensionis, ut quis licite ordinari possit, requiritur, quod episcopus judicet talem pro necessitate vel commoditate suarum ecclesiarum esse assumendum, illudque patrimonium, vel pensionem et ad vitam sustentandam sufficiens esse et vere ab ipso obtineri. Sic expresse Trident., cit. sess. XXI, c. 2, ibi : « Patrimonium vero, vel pensionem obtinentes ordinari posthac non possint, nisi illi, quos episcopus judicaverit assumendos pro necessitate, vel commoditate ecclesiarum suarum, eo quoque prius perspecto, patrimonium illud vel pensionem vere ab eis obtineri, taliaque esse quæ ei ad vitam sustentandam satis sint. »

(91. Unde clericus suscipiens ordines sacros cum patrimonio ficto, sicuti etiam cum ficto beneficio, suspensionem incurrit; cap. *Neminem* 1, et cap. *Sanctorum* 2, dist. 70, quoad hoc a concilio Trident. cit. sess. XXI, c. 2, innovatam, ibi : « Antiquorum canonum pœna super his innovando. » Et sic pluries declarasse sacram cong. Episcopor. et Regularium, et sacram congr. Concilii, refert Pignatell., tom. VI, consult. 77, num. 15 et 16, ubi et de stylo curiæ, et praxi Pœnitentiariæ testatur et plurimos affert doctores. Sic etiam Monacell., tom. II, tit. 13, formul. 3, n. 4, et tom. III, tit. 2, formul. 1, n. 1, ubi ex Nicolio testatur, sic plenis votis declarasse sacram congreg. Concil. 27 Novemb. 1610 quoad eum qui per fraudem et culpam decepit episcopum ordinantem, fingendo se habere titulum, quæ declaratio relata reperitur in synodo Farfensi, in tit. *De sacrament. ordin.* n. 5, et tom. V *Supplement.* ad tom. I, n. 437, ubi monet ordinandos, quod caveant a contraria sententia, quia laxa est, erronea, et pluries decretis sacrarum congregationum reprobata, quæ referuntur a Pignatell., tom. V, consult. 77, num. 15 et 16, et ibi aliis doctoribus a se allegatis tom. II et tom. III, *loc. cit.*; et sic etiam tenent Nicolaus Garcias, part. II *De beneficiis*, cap. 5, n. 20; Barbosa, *De officio et potestate episcop.*, allegat. 20, num. 27 et 33; Pirhing., in *Jus canonic.*, lib. I, tit. 11, num. 112; Reiffenstuel, *ibidem*, num. 197, ubi refert supra dictam declarationem sacr. cong. Concil. 27 Novemb. 1610, quam refert et tenet etiam Fagnanus, in cap. *Cum secundum* 26, De præbend., n. 69, in fine; et sic tenent alii passim per constitutionem 33 Urbani VIII incip. *Secretis*, ubi sic expresse habetur : « Insuper promotos hujusmodi ac etiam eos qui cum falsis, vel fictis, aut fiduciariis patrimonii titulis, scienter se ad ordines hujusmodi promoveri fecerint, non solum prædictis (scilicet inter alias pœnas suspensionis perpetuæ absque spe dispensationis a Sede Apostolica obtinendæ), verum etiam majoribus arbitrio nostro et pro tempore existentis Romani Pontificis infligendis pœnis subjectos esse volumus. »

(92. Non esset tamen suspensus ipse ordinatus, si bona fide et sine ulla sua fraude et dolo absque legitimo titulo ordinaretur, ut tenent supra citati doctores et alii passim, arg. cap. *Cum secundum* 16, De præbend., ubi suspensio ordinati per jura antiqua inducta, fuit sublata ex parte bona fide, et sine ulla sua fraude ordinati et solus episcopus ordinans per impositionem oneris ordinatum sustentandi fuit punitus, et ex cit. constitut. Urbani VIII incip. *Secretis*, ubi declarantur suspensi solum, qui « scienter se ad ordines hujusmodi promoveri fecerint. »

(93. Et tale patrimonium, vel pensio, posthac sine licentia episcopi alienari, aut extingui, vel remitti nullatenus potest, donec ordinati beneficium ecclesiasticum sufficiens statui suo sint adepti, vel aliunde habeant, unde vivere possint. Sic expresse Trident., cit. sess. XXI, cap. 2, ibi : « Atque (illa) deinceps sine licentia episcopi alienari, aut extingui, vel remitti nullatenus possint, donec beneficium ecclesiasticum sufficiens sint adepti, vel aliunde habeant, unde vivere possint (163). »

(94. Unde patrimonii titulus non extinguitur etiamsi ordinatus acquirat alia bona, donec ab episcopo loco patrimonii subrogetur. Licet enim quis habeat patrimonium

(163) « Dubitatur, an clericus possit renuntiare patrimonium sine licentia episcopi, si habeat aliunde sustentationem? Adsunt tres sententiæ. Prima sententia affirmat, quam tenent Azor., part. II, l. III, c. 4, quæst. 3; Palaus p. II, num. 13, cum Steph. Gratiano, Flamino, et communiori ut asserit; item Garcia, et Molf apud Salm., cap. 6, n. 84, et probabilem putant Tamb., *De ord.*, l. VII, cap. 6, § 4, n. 19; Diana, part. IX, tr. 8, resol. 23; et Barb., alleg. 19, n. 90, cum Menoch., Surdo, Cevallo, et Cassano; « expresse huic sententiæ consentiunt Sanchez, Cons. lib. VII, c. 1, dub. 43, et Viva, quæst. 8, art. ult., 6, v. *Circa*. Eam probant ex Tridentino, sess. 21, cap. 2, ubi dicitur : « Atque illa (nempe patrimo- « nia, beneficia, etc.) deinceps sine licentia episcopi « alienari nullatenus possint, donec beneficium « sufficiens sint adepti, vel aliunde habeant unde « vivere possint. » Si igitur, aiunt, non potest ele-

Digitized by Google

sibi constitutum sub hac conditione : « Donec et quousque provisus fuerit de beneficio ecclesiastico aut aliunde habuerit, unde commode sustentari valeat quo casu eveniente patrimonium redeat ad constituentem absque alia declaratione » : non dicitur spoliatus tali patrimonio, quamvis beneficium, vel bona acquirat, sed viget patrimonium, ut prius, obstante dicta conditione, donec ab episcopo non fiat subrogatio. Sic declaravit sac. cong. Conc. 12 Jul. 1687, confirmando decreta olim emanata *in Terracinen.* 8 August. 1602 et 20 Jul. 1691, et idem censuit novissime *in Senogallien.* 20 Jun. 1705, in respons. ad 4.

(95. Neque ordinatus potest absque expressa licentia Episcopi donare patrimonium libere constitutum, reservato sibi usufructu ad vitam. Sac. congreg. Consil. 10 Octobr. 1676. (96. Neque potest absque dicta licentia episcopi illud in emphyteusim concedere, reservato desuper annuo canone fructibus correspondente. S. C. Cong. *in Parmen.* 20. Jul. 1641, in qua licet concessor esset beneficiatus, adhuc quia ordinatus fuerat ad titulum patrimonii in emphyteusim concessi, declaravit, concessionem non sustineri; et idem probavit *in alia Aquilana* 24 Febr. 1652. (97. Neque patrimonium potest sine licentia episcopi alienari, etiamsi ordinatus consequatur beneficium. Sacra congreg. Conc. 16 April. 1622, lib. XIV *Decret.* pag. 231, et faciunt decreta relata *supra*, n. 39.

(98. Prohibitio concilii Tridentini alienandi patrimonium extenditur ad fidejussionem ordinati, adeo ut fidejussio et obligatio respectu dicti patrimonii non sustineatur, si facta sit ab ordinato sine consensu episcopi. S. cong. Conc. quæ ad dubium sibi propositum sub die 11 Martii 1642, respondit « extendi etiam ad fidejuss. ; » et jussit dari declarationem sequentem. Die 5 Febr. 1604. « S. cong., etc., censuit, neque in hujusmodi patrimonio, neque in ejus fructibus ad clericum alendum necessariis exsecutioni locum esse posse, licere autem capere in causam judicati eam fructuum portionem, quæ quotannis superest, ultra ea quæ ad ordinati sustentationem, non laute, sed tenuiter vivendo judicis ecclesiastici arbitrio fuerint necessaria. Posse autem ipsum creditorem accipere in solutum, atque vendere jus sibi competens ad hujusmodi patrimonium, quod post mortem ipsius promoti ad creditorem, uti res hæreditaria pertinebit. »

(99. Patrimonium constitui potest etiam in censibus, dummodo constituentes tale patrimonium in forma juris valida se obligent, quod in casu redemptionis pro sufficienti ordinati victu providebunt, donec iterum investiantur. Sacra congreg. Conc. *in Nullius* 21 Jul. 1629, lib. XIV *Decret.*, pag. 109. (100. Ordinibus sacris initiari non potest, qui bonis cessit. Sac. cong. Conc. *in Atrien.* 22 Junii 1725, apud Ursayam, in *Miscell. 1 sacro et profano*, litt. *O*, n. 82.

(101. Ad titulum paupertatis, seu professionis religiosæ, ut quis licite ordinari possit, requiritur, quod sit vere professus. Pontifical. Roman., tit. *De ordinatione subdiaconi*, et communis doctorum. (102. Unde novitii sine titulo beneficii, vel patrimonii, aut pensionis nequeunt promoveri ad sacros ordines. Arg. concil. Trid., cit. sess. XXI, cap. 2, et expresse S. Pius V, constit. 75, incip. *Romanus Pontifex*. *Vide* verb. NOVITIUS, num. 89. (103. Et hoc ipsum habet locum non solum in novitiis, seu non professis, sed etiam in nulliter professis ; *Vide* d. verb. NOVITIUS, num. 90. (104. Patres autem Societatis Jesu, quia tria vota paupertatis, castitatis et obedientiæ in Societate emiserunt, de licentia præpositi generalis possunt promoveri ad sacros ordines absque titulo etiam ante solemnem professionem. *Vide ibidem*, num. 91. (105. Patribus Societatis Jesu sic ordinatis nulla debentur alimenta a dicta Societate, si contingat eos ante solemnem professionem a præposito generali a dicta Societate dimitti. *Vide ibidem*, num. 92.

(106. Pro hujus articuli complemento addendum est, quod in calculandis reditibus beneficii pro titulo ordinandi, non sunt detrahenda onera missarum eidem beneficio adjecta, maxime si ordinandus, donec ascendat ad sacerdotium, pro rata missarum

ricus sine licentia episcopi alienare patrimonium, donec aliunde habeat unde vivat, ergo bene potest, si habet unde vivat, etiam sine licentia episcopi : qui cæterum in aliquo casu, puta ad redimendos parentes captivos, et simili, potest dare licentiam alienandi patrimonium, quamvis Clericus non habeat unde vivat. Secunda sententia, quam tenet Ledesma, et alii apud Vivam, quæst. 7, art. 9, num. 6, dicit, talem alienationem esse illicitam, sed non invalidam; imo Suarez, *De cens.*, dist. 31, sect. 1, num. 38, dicit esse validam, etiamsi clericus non habeat unde vivat. Tertia vero sententia, quam tenet La Croix, num. 2286; Barbosa, allegat. 19, num. 90, cum Quintanad. Campanile, et Ugol. Escob., num. 382, cum Marchino, Cenedo etc., ac Salm., c. 6, num. 382, cum Vasquez, Philib. et Leand. dicit, hujusmodi alienationem esse invalidam, et illicitam. Ratio, tum quia, si clericus non habet aliunde sustentationem, nec etiam episcopus (ordinarie loquendo, ut intelligendum est concilium), potest licentiam alienandi concedere : hoc enim significat particula illa *donec*, nempe quod episcop. tum solum licentiam dare potest, cum clericus habet unde vivat; tum quia patrimonium connumeratur inter bona ecclesiast. et gaudet eodem privilegio... Ergo tale patrimonium sine licentia episcopi est inalienabile. Et huic tertiæ sententiæ mihi magis lubet adhærere, ob decretum S. C. quæ die 4 Febr. 1652 (apud Bened. XIV. notif. 26, n. 29) sic respondit : « Renuntiationem patrimonii, ad « cujus titulum clericus simpliciter sacris ordinibus « fuit initiatus, absque licentia episcopi factam, non « sustineri, etiam post assecutionem beneficii ad « ejus vitam sustentandam sufficientis. » Adverte hic aliud Decretum emanatum a S. D. Concilii, 5 Febr. 1604, ubi decisum fuit, non esse vetitum clerico hypothecare patrimonium, quoad eam tamen partem fructuum, quæ supersit ad ejus sustentationem, non laute, sed tenuitur vivendo, juxta judicis ecclesiastici arbitratum. » Sic D. de Ligorio, *Theol. moral.*, cap. 2, *De sacram. ordin.*, n. 824. « (Editores Casinenses.)

Digitized by Google

aliunde habeat unde vivere possit. Sic tenent Ursaya, tom. V, part. 1, disceptat. 4, per tot.; card. de Luca, in *Tract. de donationibus*, disc. 11; Lamperez, in *Veter. Ecclesiæ disciplina*, num. 366, fol. 209; P. Ludovic. Nogueira, *Quæst. singul.*, disput. 1, tit. *De sacrament.*, q. 26, n. 3, fol. 35; Joannes Morinus, in *Commentar. ad constit. 44 Innoc. XII*, incip. *Speculatores;* Monacell., tom. I, tit. 3, formul. 13, num. 2, et in *Appendic. adnotat. ad dictam constitutionem Innocent. XII*, n. 1, et alii. Quamvis enim in d. constitutione *Speculatores*, § *Licet vero*, requiratur quod « beneficium sit talis reditus, ut ad congruam vitæ sustentationem, sive juxta taxam synodalem, sive, ea deficiente, juxta morem regionis promovendis ad sacros ordines, detractis oneribus, per se sufficiat; » tamen illa verba « Detractis oneribus, » non sunt referenda ad onera missarum, sed ad alia onera etiam post emanatam dictam Innocentii XII constit. ut declaravit sacr. Cong. conc. *in Signina ordinationis* 14 April. 1699, et in *Neapolitana* seu *Scalen.* 18 Febr. 1701, apud Monacell., t. I, tit. 3, formul. 12, num. 2, et in *Appendic. adnotat. ad d. constitutionem Innoc. XII*, incip. *Speculatores*, num. 11, et in *Firmana Cappellaniæ* 14 Januar. 1708, apud Ursayam, tom. V, part. 1, disceptat. 4, num. 49, qui eod. tom. V, in additionibus, § 4, refert quod proposita causa in sac. congr. Conc., die 17 Julii 1723, sub dubio : « An a beneficio, seu capellania, ad cujus titulum quis intendit ad sacros ordines promoveri, detrahenda sint onera missarum eidem adjecta, quando beneficiatus non tenetur eas per se ipsum celebrare. Vel potius oneribus missarum non detractis, sive illæ celebrandæ sint per se ipsum, sive possint celebrari per alium, faciendus sit calculus omnium fructuum pro constituenda summa a synodali constitutione vel regionis more requisita pro sacris ordinibus suscipiendis? » Responsum fuit : « Esse relinquenda arbitrio et conscientiæ ordinariorum. »

(107. Onera, ad quæ referri debent verba illa « detractis oneribus, » et detrahi debent a fructibus beneficii, sunt contributio pro fabrica ecclesiæ et refectione domus beneficialis, census, sive tributa super possessionibus beneficii imposita, pensiones a beneficiato solvendæ pro paramentis, hostiis, cereis, pro visitatione, cathedratico, seminario, salario ministrorum ecclesiæ et hujusmodi. Sic card. de Luca, *De beneficiis*, disc. 90, n. 80; Monacell., tom I, in *Appendice, loc. cit.;* Ursaya, cit. disceptat. 4, n. 40, et alii.

(108. Non autem, ut dictum fuit, sunt onera missarum, sive per se ipsum, sive per alium a beneficiato celebrandarum, nisi numerus missarum esset ita excessivus, quod superaret missam quotidianam, nec possent omnes missæ per capellanum, seu beneficiatum intra annum celebrari, vel essent beneficio adjectæ multæ missæ in cantu majori eleemosyna per alios ab ipso beneficiato quotannis celebrari faciendæ, quia in tali casu, detractis his stipendiis, fructus beneficii taxam synodalem vel regionis morem non exæquarint, adeoque tale beneficium non esset sufficiens titulus ut beneficiatus promoveri posset.

(109. Alias autem non, quia licet obligationes missarum beneficio adnexæ vocentur quoque onera, quia tamen stipendium earum percipitur, seu percipi potest ab eodem beneficiato, cedit in congruam sustentationem ipsius, et sic non debent detrahi a supputatione, cum per ipsas ordinatus diminutionem non patiatur in reditibus, sicuti illam non patitur ordinatus ad titulum capellaniæ perpetuæ cum obligatione per se, vel per alium quotidie celebrandi, ut recte advertunt Lamperez, *loc. cit.*, Ursaya *loc. cit.*, num. 20, et alii. Tum quia hæc videmus practicari in dies in Ecclesiis receptitiis, in quibus sacerdotes ordinantur ad titulum aggremiationis, vel ascriptionis dictis ecclesiis, cum obligatione celebrandi tot determinatas missas, vel ad ratam redituum, dummodo isti sufficiant ad congruam ordinatorum sustentationem, et tamen nullum aliud obtinent emolumentum, nisi ratione missarum, quæ celebrari debent, juxta præcisa verba card. de Luca, *De donationibus*, disc. 11, num. 8, loquentis ad præcisum effectum nostri casus; et in *Adnotat. ad concil. Trid.*, disc. 14, num. 39, expresse dicit : « Assumunt sacerdotium, quod sufficientem provisionem ad victum præbere solet cum eleemosyna celebrationis missæ diurnæ; » quem sequitur Ursaya, d. disceptat. 3, a num. 57 ad 60, pluribus ad id allegatis et etiam individuali oraculo Sixti V, ibi adducto.

(110. Nec officit quod ordinandus possit ratione absentiæ, irregularitatis, seu censuræ incursæ, morbi incurabilis, vel delicti, se impotentem reddere ad celebrandas per se ipsum missas beneficio adnexas et cum in tali casu missarum celebrationi per alium teneretur satisfacere, non amplius remaneret ei rata pro congrua sustentatione et dispositio concilii Trid., sess. XXI, cap. 2, *De reform.*, et d. constitutionis Innocentii XII, non observaretur. Non officit, inquam, quia etiam beneficium, seu sacrum patrimonium constitutum super domibus, prædiis, censibus, locis montium et hujusmodi, licet ab omni onere exemptum, subjacet multis periculis, ac majoribus infortuniis sterilitatis, siccitatis, incursionibus hostilibus, cessationis, seu diminutionis locorum montium et hujusmodi, et sic in totum, vel in parte reddi potest infructiferum et inutile, tamen ex communi omnium curiarum ecclesiasticarum praxi, hæc pericula et infortunia non attenduntur, sed solum exquiritur et attenditur rigorosa recognitio facienda a peritis circa beneficii, seu sacri patrimonii reditus facienda tempore constitutionis ipsorum. Leges enim adaptantur ad ea quæ ut plurimum contingunt, non autem ad illa quæ raro accidunt et ab accidentalibus casibus dependent, ad text. in Authent. *Ut sine prohibitione matres*, ibi : « Quod raro

Digitized by Google

fit etc., non observant legislatores, sed quod plerumque et respiciunt et medentur; » et in l. *Ex iis*, ff. *De legibus*, ibi : « Ex iis, quæ forte uno aliquo casu accidere possunt, jura non constituuntur; et in l. *Nam ad ea*, ff. eod., ibi : « Ad ea potius debet aptari jus, quæ et frequenter, et facile, quam quæ perraro eveniunt. » Unde in nostro casu, cum ordinandus regulariter per se ipsum missas beneficio adnexas celebrare possit, et sic percipere integros fructus beneficii, verificatur, quod habeat validum et sufficientem titulum, ut ordinari possit, juxta decreta sacræ congregationis Concilii, allegata *supra*, n. 70, ut recte docet Monacell. cit. tom. II, titul. 3, form. 13, num. 3; et cum aliis Ursaya, cit. disceptat. 4, per tot., ubi n. 34, concludit expresse : « Onus missarum nunquam detrahendum esse ab illo beneficio, seu capellania, ad cujus titulum quis ordinari cupit, sive missæ præcise celebrandæ sint per beneficiatum, sive celebrari possint a quocunque alio sacerdote, sed esse faciendum cumulum omnium fructuum beneficii, seu capellaniæ, ad constituendam summam a synodali constitutione, et in illius defectum a solito regionis, pro sacro patrimonio requisitum. »

(111. Tum quia potest quis promoveri ad sacros ordines ad titulum beneficii residentialis, cujus fructus una cum distributionibus quotidianis sufficiunt ad congruam et honestam beneficiati sustentationem, quamvis multis de causis possit contingere quod beneficiatus nequeat ipsas distributiones quotidianas lucrari, ut expresse declaravit sacr. cong. Conc. *in Veronen.*, registrata in lib. XV *Decret.*, fol. 433, ibi : « Posse clericum, cæteris requisitis necessariis concurrentibus, ad sacros ordines promoveri ad titulum capellaniæ, cujus fructus una cum distributionibus quotidianis ad victum honeste sufficiunt. » Sic apud Ursayam, cit. tom. V, part. I, disceptat. 5, n. 30.

(112. Ad complementum hujus articuli advertendum est quod circa preces, vel missas quæ in ordinatione injunguntur ab episcopo, secundum Pontificale Romanum, ipse episcopus sic dicit : « Singuli ad primam tonsuram, vel ad quatuor minores ordines promoti dicite semel septem psalmos pœnitentiales cum litaniis, versiculis, et orationibus. Ad subdiaconatum vel diaconatum, nocturnum talis diei. Ad presbyteratum vero ordinati post primam vestram missam tres alias missas, videlicet unam de Spiritu sancto, aliam de B. Maria semper virgine, tertiam de fidelibus defunctis dicite, et omnipotentem Deum etiam pro me orate. » Quod illi devote suscipiunt, et respondent, sic facturos. Unde Suarez, Azorius, Lessius, Layman, et alii cum Aversa, qu. 2, sect. 13, volunt, ista persolvenda esse sub mortali; quam sententiam Stephanus, tract. 5, disp. 4, num. 72, dicit esse probabiliorem; quia episcopus potest, et quando aliud non declarat, censeri debet graviter imperare; cum hæc materia sit gravis. Econtra Diana, Sotus, Valentia, Castropal., Pellizzar., Lohner, Gobat in *Experient.*, tract. 3, n. 713 et tract. 8, num. 771, defendunt esse tantum obligationem decentiæ, non autem sub peccato, præsertim mortali; quia licet sub mortali possint id episcopi imperare, tamen id hactenus non declaraverunt; unde videtur tenenda benignior sententia, quod non peccetur mortaliter, sed solum venialiter, si id negligatur. La Croix, lib. VI, part. II, num. 1319, argum. cap. *Statutum* 22, De election., in 6, cap. *In pœnis* 49, De regulis juris, in 6; l. *Cum quidam* 19, ff. *De liberis et posthumis*; l. *Factum* 155, § 2, ff. *De regulis juris*.

(113. Nocturnum autem, quod præscribitur subdiaconis et diaconis, non necessario est illud ipsius diei quo fit ordinatio, sed cujuscunque quem episcopus designat. Gobat, *loc. cit.*, tract. 8, n. 771; La Croix, *loc. cit.*, num. 2320, et alii. Si vero episcopus nullum determinatum diem designat, probabilius debet recitari nocturnum talis diei ordinationis, uti colligitur ex verbis Romani Pontificalis ab episcopo post ordinationem prolatis, nempe, *ad subdiaconatum vel diaconatum, Nocturnum talis diei*, ut patet num. antecedenti. Sic Gobat, *loc. cit.*, num. 772, et alii. Missæ tamen presbyteris injunctæ non debent necessario celebrari primis diebus post ordinationem impeditis post ipsam missam; sed primis diebus non impeditis, id est quibus licebunt post primam missam missæ votivæ et de requiem. Ita Sennyei *De missa*, num. 152; La Croix, *loc. cit.*, num. 2310, et alii. Et has tres missas possunt neopresbyteri offerre pro quibuscumque voluerint stipendium accipiendo. Et sufficit quod pro episcopo ordinante orent, ut patet ex verbis solitis ab episcopis post ordinationem proferri, relatis numero antecedenti, ibi : « Et omnipotentem Deum etiam pro me orate. »

(114. Item possunt neomystæ primam missam cum episcopo ordinante lectam, seu celebratam, offerre pro altero, non aliter ac si soli illam legerent; reipsa enim consecrant et substantialiter ponunt sacrificium. At vero videtur, quod pro tali missa non possunt stipendium accipere, quia petens et offerens eleemosynam pro una missa censetur velle aliam cum omnibus ordinariis cæremoniis, actionibus solitis ad altare peragendam; tum quia dubium est an consecrent; cum dubium sit quod forte verba consecrationis non absolvant cum episcopo, sed post, jam ab ipso peracta consecratione.

(115. Hinc monendi sunt neomystæ, quod omni diligentia curent verba consecrationis incipere, et absolvere una cum episcopo, non ante, nec post; sicque consultum est, ut consimilem forment intentionem : « Si verba consecrationis incœpero et absolvero cum episcopo, volo consecrare, alias non; » quia si aliquis neopresbyter absolute volens consecrare verba consecrationis absolveret ante episcopum, episcopus nihil consecraret, cum jam esset tota materia consecrata : quod videtur inconveniens. Et

Digitized by Google

econtra, si dicta verba alsolveret post episcopum, ipse neomysta nihil posset consecrare, quia nihil superesset consecrabile, adeoque frustra proferret formam volens consecrare, ut recte notat Gobat. tract. 3, num. 141; Suarez, Aversa, citati et secuti a La Croix, *loc. cit.*, num. 2322, ubi subdit, quod ad tollendum omnem scrupulum, sufficit, quod neopresbyter conetur verba absolvere cum episcopo, et velit solum facere, quod ibi vult fieri Ecclesia, aut sicut meliori modo fieri potest, uti cum aliis monet etiam Gobat, *loc. cit.*, tract. 8, n. 131. Quamvis tamen nullam (præter consuetudinem et præscriptum Pontificalis) exstare legem positivam obligantem sub gravi neomystas proferre illa verba consecrationis, seu tunc consecrare una simul cum episcopo, tradat cum aliis Gobat, *loc. cit.*, n. 133, ipsumque etiam citet La Croix, *loc. cit.*, n. 2322, recte concludens nihilominus esse standum consuetudini Ecclesiæ et præscripto Pontificalis.

(116. Ordinationes ministrorum Ecclesiæ cum magno delectu fieri jubentur. Benedict. XIV, constit. incip. *Ubi primum.*

(117. Ordinandi examinari debent in doctrina Christiana. Idem, constit. 42, incip. *Etsi minime.* § 10, et docere debent, se operam dedisse instruendis fidelibus in doctrina Christiana. *Ibidem*, § 6. (118. Ætas in Ecclesia occidentali requisita ad recipiendos ordines assignatur ab eodem Pontifice, constit. 120, tom. I, incip. *Eo quamvis tempore*, § 19. *Vide* verb. Ætas. Pro recipiendis ordinibus quoad Græcos, eadem, quæ pro Latinis, requiritur. Idem, const. 56, tom. I, incip. *Etsi*, § 7, num. 19.

(119. Hinc ordinatio infantis est illicita, sed valida, et ordinatus in infantili ætate non tenetur ad onera ordini sacro adnexa, nisi ordinationem ratam habuerit, sive expresse, sive tacite; nec ministrare potest in ordine suscepto ante complementum ætatis legitimæ. Idem, cit. constitut. *Eo quamvis tempore*, § 20, 21, 22, 23 et 26.

(120. Quare pro ordinatis apud Cophtos ad diaconatum in infantili ætate, præscribitur exploratio voluntatis, quæ fiat ad normam concilii Toletani secundi post expletum annum decimum sextum. *Ibid.*, § 27, 28. Si quis sæcularia vota elegerit, suspensus erit ab exercitio ordinis sacri. *Ibid.*, § 22. Nec tenebitur ad recitationem horarum canonicarum. *Ibid.*, § 28. Et nuptias etiam iterato contrahere poterit. *Ibid.*, § 28 et 29. Eligentibus autem perseverare in ministerio Ecclesiæ prohibentur secundæ nuptiæ, et omnis bigamia, sub pœna depositionis. *Ibid.*, § 30, 31, 32.

(121. Ordinationes ad ordines majores in cathedrali, vel insigniori diœcesis ecclesia haberi debent. Idem, constitut. incip. *Ad audientiam*, § 17, ex concil. Trident., sess. XXIII, cap. 8, *De ref.* Id tamen intelligendum est ordinationibus generalibus. *Ibidem*, § 18. Ex mitiori tamen interpretatione apud omnes recepta, non prohibetur episcopus, quin, justa aliqua suadente causa, possit aliquos privatim in episcopii sacello majoribus ordinibus initiare. *Ibidem.* An autem, quod de capella episcopi, idipsum dicendum sit hac in re de capella cardinalis episcopi suburbicarii in Urbis palatio sita? *Vide* dicta verb. Cardinales, art. 3 a n. 30. (122. Ordinari a quo debeant subditi episcopis suburbicariis, et a quo exteri in Urbe commorantes? *Vide loc. cit.*, et verb. Vicarius urbis.

(123. Ordinari a pontifice possunt clerici de quacunque ecclesia, sive diœcesi, non solum ut eorum opera utatur, sed etiam honoris causa. Idem, constitut. incip. *In postremo*, § 16. Ordinatus a Papa, etiam honoris causa, sine licentia Papæ non potest ab inferiori ad superiores ordines promoveri. *Ibidem*, § 3 et 7. Ordinatus a Papa non est propterea a jurisdictione sui episcopi exemptus. *Ibidem*, § 18.

(124. Episcopus potest ob crimen occultum, etiam extrajudicialiter cognitum clericis interdicere ascensum ad ordines superiores, et susceptorum ministerium, seu exercitium. *De synodo diœc.*, l. VII, c. 71, n. 3, ad 5, ubi scite adducuntur con. Trid. sess. XIV, c. 1, *De reform.*, et decreta sacræ congregationis ejusd. concilii interp. *in Aleriensi* die 24 Novemb. 1656; *in Capritanen.* 19 Decemb. 1730, et *in Oritana seu Tarentina* 20 Aug. 1735, ut in *Thesauro resolutionum*, tom. V et VII. (125. Et adeo verum est, posse episcopum, virtute prædicti decreti concilii Tridentini ex causa sibi nota clericum interdicere tam sacrorum exercitio, quam ascensu ad altiores ordines, ut neque teneatur « causam suspensionis, seu delictum manifestare ipsi reo, sed tantum Sedi Apostolicæ, si suspensus ad eam recursum habuerit; » quod præcisis verbis respondit S. congreg. Conc. episcopo Vercellensi die 21 Mart. 1643, lib. XVII *Decret.*, p. 170 et seq. V. *Append.* in fine art. 4 h. rubr.

(126. Et universim loquendo, episcopum renuentem alicui ordines conferre, nullo jure obstringi ad manifestandum causam cur eum repellat, neque ei, qui repulsus est, nullam competere appellationem, sed tantum permitti adire Sedem Apostolicam, eique suas querelas exponere, declaravit ead. sac. congregatio *in Remensi*, die 21 April. 1668. (127. *Ibidem*, n. 14, et n. 15 additur, quod si sic suspensus ab episcopo, nihilominus appellationem interponere, ejusque obtentu, in altari ministrare, seu quovis modo suum ordinem solemniter exercere præsumat, statim incidat in irregularitatem, uti, quidquid in contrarium senserint nonnulli doctores, expresse definivit ead. sacr. congreg. Concilii *in Sagonen.* 21 Junii 1626, lib. XXIV *Positionum*, p. 1, ibi: « Episcopus Sagonensis ex facultate sibi attributa decreto concil. cap. 1, sess. XIV, ex causis tibi notis suspendit parochum ab exercitio curæ; sed ille appellavit, et præcepto episcopi contempto, celebravit, et curam exercuit. Quæritur an a dicta suspensione detur appellatio, ita ut parochus, non obstante appellatione inter-

Digitized by Google

posita, per exercitium curæ effectus fuerit irregularis? S. congreg. Conc. censuit, ab hujusmodi suspensione non dari appellatione; et parochum, qui sacramenta, ut supra, ministravit, irregularitatem contraxisse. » Hæc Benedict. XIV, *lit. coco.*, qui subjungit, « id tamen ab episcopo non debere in synodo statui, et declarari. » *Vide* verb. SUSPENSIO, artic. 1, per tot., et artic. 7.

(128. Beneficium, ad cujus titulum ordines conferuntur, debet tantum ex reditibus ferre, quantum sufficit ad clerici honestam sustentationem, juxta taxam ab episcopo definiendam, detractis tamen oneribus, non tamen missarum, saltem nisi aliter episcopus statuerit. Si vero clericus ordinetur in loco domicilii, et beneficium obtineat in alia diœcesi, tunc si beneficium poscit perpetuam residentiam, sustentatio ista dirigenda est juxta taxam synodalem loci ubi est beneficium; secus vero statuendum est, si residentiam non exposcat, juxta ac statuit Innocentius XIII in sua constitut. incip. *Apostolici ministerii*. Hæc in *Synod. diœc.*, lib. VII, cap. 72, § 2.

(129. Ordines sacri conferendi sunt primario titulo beneficii ecclesiastici; nec, nisi in subsidium, pro necessitate, vel commoditate ecclesiarum conferri possunt ab episcopo ad titulum pensionis, vel patrimonii, ex Tridentino, sess. XXI, cap. 2, *De reform.* Nec nisi concurrat necessitas, vel commoditas Ecclesiæ, licitum id esse edixit sacra congregatio Concilii in encyclica die 13 Maii 1679 jussu Innocentii XI exarata. *Instit. eccl.* 26, § 1.

(130. Ad ordines conferendos censet Pontifex ex Con. Trid., sess. XXIII, *De reform.*, cap. 2., non esse positum in arbitrio episcopi, ut ordines minores det ignorantibus linguam latinam, si spem ostendant futuri profectus: nam concilium exigit, ut saltem linguam latinam intelligant; et arbitrium episcopi, de quo ibidem, cadit super interstitia, non super scientiam latinæ linguæ. *Instit. eccl.* 42, § 2.

(131. Quoniam vero ad sacros ordines requirit Tridentinum, *ibid.*, can 14, scientiam requisitam ad docendum populos necessaria ad salutem, ac ad ministranda sacramenta; ideo subdiaconatui convenit, ut præcedat annus integer studii, sive theologiæ moralis, sive scholasticæ, sive juris canonici. Biennium vero ad diaconum ordinandum: triennium ad sacerdotem. Nec impletur mens Tridentini, si quis in theologia morali tantum studuerit de contractibus, cambiis, etc. Concilium enim exigit, ut possit erudiri populus quoad necessaria ad salutem. *Ibid.*, § 3.

(132. Ordinum sacrorum interstitia dispensare etiam quoad regulares, non quidem ad eorum præsules, sed ad episcopum ordinantem spectat, ut ex responso sacr. congregationis, *Instit. eccl.* 58, § 1. Quanquam ab episcopo deferendum sit judicio superiorum regularium, ut ex aliis decretis sacr. congregationis. *Ibidem.*

ADDITIONES CASINENSES.

Præstat hic notare, id quod idem Bened. XIV postea hac de re tradidit in *Synod. diœces.*, in hæc sane verba: « Episcopus Midensis in sua synodali constitutione... expresse declaraverat, se nulli sive sæcularium, sive regularium ordines collaturum, qui non servasset temporum interstitia a concilio Tridentino præscripta; a quibus, an quemquam absolvendum Ecclesiæ necessitas, aut utilitas exposceret, id non a prælato regulari, sed a se fore judicandum edixerat: Hæc... constitutio innixa videbatur Tridentino, sess. XXIII, cap. 11 et 13 DE *reformat.*, quibus in locis soli episcopo permittitur causam examinare, propter quam sit aliquis citius, quam jura requirant, ad altiorem ordinem promovendus. Fulciri insuper videbatur pluribus decisionibus sacræ congregat. Concilii, quæ sæpius censuit, a sacra Tridentina synodo soli episcopo ordines collaturo, nequaquam autem prælato regulari litteras dimissoriales concedenti suo subdito regulari, facultatem fieri, hunc ex justa causa ab Interstitiorum lege eximendi. Ita quippe ab eadem responsum comperimus *in Nullius* 31 Junii 1597, l. IX *Decretor.*, pag. 18, *in Aquen.* mense Julii 1589, lib. VI *Decretor.*, pag. 18; et in *N. N.* 12 Septembr. 1609, lib. XI *Decretor.*, pag. 65. Attamen, quia Sedes Apostolica post Tridentinum nonnullis regularium ordinum institutis privilegium concessit exemptionis ab interstitiis, idcirco sac. Congreg., die 24 Augusti 1686 rescripsit hanc constitutionem synodalem Midensem « esse reformandam quoad eos regulares, qui habent privilegium concessum post Tridentinum. » l. IX, c. 16, n. 6.

(133. Quoad clericum sæcularem episcopus dispensare potest, si agnoverit id postulare utilitatem, aut necessitatem Ecclesiæ. Utilitas tunc resultat, cum pauci ministri suppetunt; cum ordinandus sit provectioris ætatis, et simul etiam maxime provectus in studiis; seu tandem cum agitur de parœcia, seu alio beneficio exigente intra annum ordinem sacrum, ut ex DD. *Ibidem.*

(134. Cæterum, si quis obtinuerit, ad dispensationem interstitiorum indultum Sedis Apostolicæ, permissa est ista dispensatio arbitrio episcopi, ut Innocentius XII in sua resolutione, die 4 Decembris 1693. *Ibid.*

(135. Si quis obtinuerit privilegium a Sede Apostolica, ut ordinari possit extra tempora tribus diebus festivis interpolatis cum dispensatione interstitiorum, non potest ordines recipere tribus diebus interpolatis quidem, sed festivis tantummodo, quia celebratur in illis festum duplex, sed non festum de præcepto. (136. Licet enim in brevi dicatur *festivis diebus*, attamen festivum, stylo Sedis Apostolicæ, indicat diem festum de præcepto. Accedit decretum sacr. congregationis Concil. definiens dies festos accipiendos esse pro festis de præcepto. *Institut. eccl.* 106, § 6.

Digitized by Google

(137. Si clericus sacris initiandus, sit consuetudine aliqua peccandi astrictus, modo vero ita sincera exhibeat resipiscendi argumenta, ut confessarius vere eum contritum judicare possit, nolit autem pœnitens ille confessario suadenti ut differat susceptionem sacri ordinis acquiescere, firmusque statuat statim se solemni voto obstringere; utrum in ea voluntate sic obfirmatus possit absolvi, quæstio est anceps, adeoque suadendum est illi, ut prudentem et doctum virum consulat, a quo remedia petat, et consilium. *De synod. diœc.*, lib. XI, cap. 2, § 17, 18, nov. edit.*

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(138. Privilegium recipiendi ordines extra tempora illis duntaxat regularibus suffragatur, quibus post concilium Tridentinum nominatim, atque recta concessum fuerit in forma non communi sed specifica postmodum confirmatum. (139. Per communicationem igitur privilegium hoc haud acquiritur, ut ex constitutione S. M. Benedicti XIV incipiente *Impositi* probe monet clarissimus Giraldi, in *Addit. ad Mascat.*, lib. I, tit. *De tempor. ordinat.*, sub n. 15. (140. Quocirca locum amplius non habet, quod auctor, n. 11, innixus concilio Romano, tit. 5, cap. 2, ait, acquiri scilicet posse mox dictum privilegium per communicationem, tum suffragari ante concilium concessum.

(141. Recteque monet idem Pater Giraldi consentanee ad mox allegatam constitutionem S. M. Benedicti XIV privilegium hoc recipiendi ordines extra tempora regularibus concessum non arctare episcopos diœcesanos ad eos extra tempora ordinandos, vel dimittendos ad ordinationem alibi suscipiendam.

(142. Vide et alia pertinentia ad ordinationem regularium in eadem constit. Benedicti XIV, etc. (143. Illud vero hic non est prætereundum; male auctorem n. 105 et plur. seq., generaliter asserere, non esse detrahenda onera missarum a beneficio, ad cujus titulum quis ordinatur. (144. Fuit enim olim hæc gravissima quæstio, in qua non una erat doctorum sententia. Tenebant nonnulli detrahi debere onera missarum, si possit beneficiarius ea, vel per se, vel per alium implere, nequaquam vero, si per se ipsum illis satisfacere teneatur. Contra vero alii sustinebant, onera missarum neutro in casu esse detrahenda.

(144. « In hac opinionum varietate (ut refert S. M. Benedictus XIV, *De synod. diœc.*, lib. XII, cap. 9, n. 7 et seq.) satius duxerunt aliquot episcopi sacræ congregationis Concilii sententiam efflagitare, et Nos, qui eidem eramus a secretis, ut patres unico intuito omnia inspicerent, quæ ad materiam pertinerent, etc., diligentem exaravimus dissertationem, etc., ubi cujuslibet ex diversis, quas retulimus auctorum sententiis præcipua expendimus rationum momenta. Actum fuit de hac quæstione die 8 Augusti 1722, iterumque die 24 Aprilis 1723; ac tandem die 17 Julii ejusdem anni decisum, rem esse relinquendam conscientiæ et arbitrio ordinariorum, qui, spectatis locorum, et personarum conditionibus, vel in particularibus eventibus statuant, vel etiam in synodo per modum legis decernant, an onera missarum sint, aut non sint detrahenda e reditibus beneficii, e quibus ordinandus suam honestam sustentationem est percepturus.

(145. « Quamobrem (rectissime concludit mox laudatus summus Pontifex ubi supra) absque periculo obviandi juri communi, et sacro concilio Tridentino, tuto poterit episcopus in sua synodo non solum præfinire quantitatem proventuum, qui censeantur sufficientes ad alimoniam subministrandam clerico suam incolenti diœcesim, sed etiam statuere, et determinare, num inter ejusmodi proventus sit numeranda, an potius detrahenda stipes respondens numero missarum, ad quas celebrandas clericus, sive per se, sive per alium adigitur lege sibi indicta a fundatore beneficii, quod possidet. » Confer eumdem summum Pontificem, *Institut. eccl.* 26, n. 6.

RESPONSIO AUCTORIS.

Circa privilegia recipiendi ordines extra tempora, etc., plura hic adduntur, quæ jam fuerant a me allata et tradita in *Supplementis* ad verb. ORDO, ubi inter alia datur summarium dict. constitut. Benedicti XIV incip. *Impositi*.

An autem quod subjungitur n. 142, nempe, « male auctorem n. 105 et plur. seq. generaliter asserere, non esse detrahenda onera missarum a beneficio, ad cujus titulum quis ordinatur; poterit urbane dici, judicet prudens lector. » Non enim male asseritur, quod ego auctor tradidi à cit. n. 105 ad 110 tot suffultus solidis fundamentis, una cum celeberrimis doctoribus, et signanter Card. de Luca, Lamperez, Ludovico Nogueir, Morin. Monacello, et Ursaya, clarissimo Romano advocato, maxime, si, ut fert conclusio, ordinandus, donec ascendat ad sacerdotium, pro rata missarum aliunde habeat, unde vivere possit. Et rec. memor. Benedictus XIV, *De synodo diœcesana*, l. XII, c. 9, relinquit arbitrio, et conscientiæ episcopi id decernere, afferens ad id, inter alia, decretum sacr. congr. Conc. 17 Jul. 1723 jam allatum ad litteram a me, *loc. cit.*, n. 105. Videatur etiam doctissimus Ubaldus Giraldi unus ex dignissimis revisoribus, *Instit. canonic.*, part. I, § 18, ubi sic expresse tradit: « Post publicationem constit. *Speculatores* usque a die 14 April. 1696, vivente adhuc ipso Innocent. XII legislatore, pluries exorta est controversia: an ab eadem constit. aliquid innovatum fuerit circa detractionem onerum missarum beneficio, ad cujus titulum quis ordinatur, adnexorum, ad effectum constituendi summam taxæ in synodo præfinitæ; sive beneficiatus teneatur eas celebrare per se ipsum, sive per alium. » Libratisque in congreg. Conc. rationum momentis hinc inde militantium, respondit, id in utroque casu relin-

Digitized by Google

quendum esse arbitrio ordinariorum, ut videre est in *Thesauro resolutionum* ejusdem congr, sub die 8 Augusti 1722, et 17 Julii 1723; cui responso adhæret etiam Bened. XIV, lib. XII *De synod diœces.*, cap. 9, n. 6 et 7. Sic ille ad litteram.

(146. De eo etiam hic necessario agendum, an ubi quis ordinatur ad titulum beneficii in aliena diœcesi obtenti, *sufficientia* præfinienda sit ad normam taxæ synodalis vigentis in diœcesi domicilii, an in diœcesi in qua beneficium est situm? Hæc autem recepta est distinctio, ut si beneficium continuam, et perpetuam exposcat residentiam, *sufficientia* desumi debeat a taxa synodali præfinita in diœcesi, in qua beneficiarius possidet beneficium; sin autem beneficium oneri hujus continuæ, et perpetuæ residentiæ non sit obnoxium, desumenda *sufficientia* sit a taxa synodali præfinita in loco, ubi beneficiarius habet domicilium, ut respondit sacra congregatio Concilii interpres *in Alatrina* 9 Julii 1702; *in Arimin. Ordinationis* 10 Jan. 1708; *in Romana* seu *S. Agathæ Gothorum* 20 Maii 1715, et statuit Innocentius XII in constitutione incipiente *Apostolici ministerii*. Confer et Bened. XIV, *De synod diœc.*, d. lib. XII, cap. 9, n. 6.

ARTICULUS III.

Quoad ea quæ concernunt facultatem prælatorum ordinandi suos, vel alienos subditos, et concedendi litteras dimissorias.

SUMMARIUM.

1. Suos subditos possunt ordinare episcopi quoad omnes ordines. — 2. Abbates possunt de jure conferre ordines minores suis subditis, licet non sint benedicti. — 3. Abbates, et alii quicunque intra fines alicujus diœcesis existentes, etiamsi nullius diœcesis, vel exempti esse dicantur, non possunt hodie cuiquam, qui regularis subditus non sit, tonsuram, et minores ordines conferre. — 4. Nec etiamsi alii regulares non subditi, et clerici sæculares afferant dimissorias suorum respective superiorum. — 5. Imo talis ordinatio abbatum conferentium ordines minores sibi non subditis, licet cum dimissoriis sui superioris, esset irrita, et invalida. — 6. Abbates regulares non possunt promovere ad ordines minores neque suos novitios. — 7. Novitii respectu minorum ordinum ordinandi sunt a proprio episcopo. — 8. Episcopus autem proprius est episcopus loci monasterii, in quo novitii agunt novitiatum. — 9. Cardinales presbyteri, etiamsi episcopi non sint, possunt in suis titulis conferre primam tonsuram et ordines minores suis subditis, et familiaribus. — 10. Subditus episcopi, quoad ordines licite ab ipso recipiendos, potest quis fieri quatuor modis, scilicet ratione originis, ratione domicilii, ratione beneficii, et ratione triennalis familiaritatis, seu commensalitatis cum episcopo. — 11. Quoad quatuor dictos modos, quibus potest quis fieri subditus episcopi quoad ordines licite ab ipso recipiendos adest novissima constitutio Innocentii XII, quæ hic ad litteram datur. — 12. Ut quis ordinari possit ab alieno episcopo ratione beneficii in ejus diœcesi obtenti, requiritur, quod beneficium sit ibi revera obtentum, et pacifice ab ordinando possessum. — 13. Item requiritur, quod tale beneficium, detractis oneribus, per se sufficiat ad congruam clerici sustentationem, adeo ut non possit defectus fructuum ejus suppleri per adjectionem patrimonii. — 14. Item requiritur quod ordinandus ante ordinationem obtineat testimoniales litteras proprii episcopi, tam originis quam domicilii super suis natalibus, ætate, moribus, et vita; et eas exhibeat episcopo ordinanti in actis illius curiæ servandas. — 15. Insuper requiritur quod episcopus sic ordinans, tam de prædictis testimonialibus litteris quam de reditu beneficii hujusmodi expressam in consueta collatorum ordinum attestatione mentionem faciat. — 16. Ut quis fiat subditus episcopi, et ab ipso ordinari possit ratione originis, requiritur, ut naturaliter ortus sit in ea diœcesi, in qua ad ordines promoveri desiderat, dummodo tamen ibi natus non fuerit ex aliquo accidenti. — 17. Si quis autem tanto temporis spatio in eo loco, in quo ex accidenti natus est moram traxerit, ut potuerit ibidem canonico aliquo impedimento irretiri, tunc etiam ab ordinario illius loci litteras testimoniales, ut supra, obtinere debet. — 18. Si vero pater in alieno loco, ubi ejus filius natus est, tandiu, ac eo animo permanserit, ut inibi vere domicilium de jure contraxerit, tunc non origo patris, sed domicilium de jure per patrem legitime contractum pro ordinatione ejusdem filii attendi debet. — 19. Origo matris quoad receptionem ordinum non attenditur. — 20. Si autem filius sit illegitimus, debet attendi origo matris et non patris. — 21. Expositus tamen, cujus parentes ignorantur, potest ordinari in diœcesi in qua, ut supra, naturaliter ortus est; vel si de hoc constare nequeat, potest ordinari in diœcesi loci ubi expositus est. — 22. Ut quis fiat subditus episcopi, et ab ipso ordinari possit ratione domicilii, requiritur, quod illud adeo stabiliter constituerit in aliquo loco, ut satis, superque suum perpetuo ibidem permanendi animum demonstraverit, et nihilominus ulterius se vere, et realiter animum hujusmodi habere jurejurando affirmet. — 23. Verum enim domicilium, non nuda voluntate, et assertione, sed animo, et facto, simul constituitur. — 24. Unde domicilium contrahitur *animo* permanendi videlicet *perpetuo* in tali loco; alioquin enim non contrahitur domicilium. — 25. Hinc, si quis inhabitet locum animo inde recedendi, non contrahet ibi domicilium, quamvis mille annis ibidem habitet. — 26. Exacto tamen alicubi decennio, si de opposito non constet, præsumptione juris censetur ibidem contractum domicilium. — 27. Sufficit autem animus perpetuo manendi in tali loco perpetuitate saltem propositi, licet hujusmodi propositum, sicuti et domicilium mutari ob supervenientem causam possit. — 28. Si quis a propriæ originis loco in ea ætate discesserit, qua potuerit alicui canonico impedimento obnoxius effici, etiam ordinarii suæ originis testimoniales litteras, ut supra, afferre debebit. — 29. Ut quis fiat subditus episcopi, et ab ipso ordinari possit ratione familiaritatis seu commensalitatis, requiritur, quod sit vere familiaris, et commensalis episcopi. — 30. Item requiritur quod ipsum secum retinuerit per integrum, et completum triennium. — 31. Item requiritur, quod is ante receptionem ordinum obtineat testimoniales litteras proprii, originis scilicet, aut domicilii, episcopi. — 32. Item requiritur quod episcopus ordinans suum familiarem statim, id est saltem intra terminum unius mensis a die ordinationis, quacunque fraude cessante, reipsa conferat illi beneficium sufficiens ad ejus congruam sustentationem. — 33. Tali facultate ordinandi suos triennales familiares non gaudent episcopi titulares, adeoque nequeunt ipsos ordinare absque sui proprii episcopi expresso consensu et dimissoriis. — 34. Imo ordinati ab episcopo titulari sine expresso consensu proprii episcopi ipso jure suspensi sunt, donec suo proprio episcopo visum fuerit. — 35. Et ipse episcopus titularis sic ordinans est suspensus per annum ab usu Pontificalium. — 36. Litteras dimissorias pro ordinibus ab alieno episcopo recipiendis ultra Romanum

Digitized by Google

Pontificem, qui eas concedere potest pro omnibus ordinandis totius orbis, potest quilibet episcopus concedere suis subditis, sive is sit episcopus originis, sive domicilii, sive beneficii, — 37. Item dimissorias concedere possunt episcopi et cardinales suis familiaribus triennalibus. — 38. In supradictis omnibus semper est servanda dispositio Innocentii XII constitut. incip. *Speculatores*. — 39. Vicarius generalis episcopi non potest dimissorias concedere, nisi episcopo absente, seu si præsente, id ei concedente. — 40. Vicarius capitularis, sede vacante, non potest infra annum a die vacationis computandum, dimissorias concedere, præterquam illi, qui alicujus beneficii recepti, vel recipiendi causa arctatus fuerit; alias vicarius capitularis contraveniens subjacet interdicto; et sic ordinati, si in minoribus ordinibus fuerint constituti, nullo privilegio clericali præsertim in criminalibus gaudent; in majoribus vero ab executione ordinum ad Beneplacitum futuri episcopi sunt ipso jure suspensi. — 41. Electo vicario capitulari, dimissorias concedere, tam intra annum, quam non arctatis post annum a die vacationis sedis, non ad capitulum, sed ad vicarium capitularem omnino spectat. — 42. Vicarius enim capitularis privative, et non cumulative quoad capitulum jurisdictionem obtinet. — 43. Et hoc, etiamsi capitulum illum constituisset, et elegisset cum tali, aut alia restrict. et limitat. facultatis ad n. 45. — 46. Arctatus ratione beneficii recepti ad finem obtinendi a vicario capitulari infra annum a die vacationis sedis dimissorias ad ordines, quis dicatur? — 47. Arctatus quis dicatur ratione beneficii recipiendi? — 48. Si quis nondum tonsuratus vocetur ad aliquod beneficium, potest vicarius capitularis infra annum concedere ei dimissoriam pro recipienda prima tonsura. — 49. Vicarius capitularis, sede vacante, concedens intra annum dimissorias non arctato incidit in pœnam decreti concilii Tridentini sess VII, cap. 10, quamvis is, cui concessit, usus non fuerit. — 50. Vicarius capitularis, sede vacante, concedens dimissorias intra annum non arctatis, non incurrit secundum multos pœnam suspens. per annum, juxta c. 10, sess. XXIII, sed tantum pœnam interdicti juxta dict. cap. 10, sess. VII, ad n. 51. — 52. Abbates, aliique exempti, licet in parochos et parochianos jurisdictionem habeant quasi episcopalem privative ad episcopum, nequeunt suis subditis sæcularibus litteras dimissorias ad ordines suscipiendos concedere. — 53. Neque ipse episcopus tanquam abbas, nec alius prælatus loci, potest subditis sæcularibus nullius diœcesis concedere dimissorias, sed has debet concedere episcopus vicinior. — 54. Dimissoriæ ab episcopis aliisque ordinariis dirigi non possunt abbatibus regularibus, sub suspensionis pœna a collatione ordinum, præter alias pœnas arbitrio sacræ congregationis reservatas, tam contra concedentes, quam contra ordinantes. — 55. Prælati regulares possunt concedere suis subditis regularibus dimissorias ad ordines. — 56. Sed, secluso speciali privilegio, non possunt ipsas dimissorias concedere, nisi ad episcopum diœcesanum. — 57. Affertur ad id decretum sacræ congregationis Concilii editum de mandato Clementis VIII. — 58. Et dictum decretum Clementis VIII, quoad ordinationes regularium fuit novissime confirmatum per Innocentium XIII, pro regnis Hispaniæ, constit. incip. *Apostolici ministerii* confirmata per Benedictum XIII, constit incip. *In supremo*. — 59. Unde, ad hoc, ut regulares possint ab alio episcopo ordinari, sufficit, quod in litteris dimissoriis prælatus religionis, seu conventus testetur de absentia diœcesani, vel quod nolit habere ordinationes. Nec est necessarium habere de hac re ex curia episcopali fidem authenticam. — 60. Insuper, quid eis sufficiat, ut possint ab alio episcopo ordinari, stante dicta constitutione Innocentii XIII confirmata a Benedicto XIII. — 61. Si regulares ordinandi morentur in monasterio nullius diœcesis, dimissoriæ concedendæ sunt ad episcopum viciniorem. — 62. In casu, quo proprius episcopus ordinationes non teneat, possunt dimissoriæ regularium dirigi ad quemcunque alium episcopum, etiam ultra montes. — 63. Nec regulares comprehenduntur in decreto generali mandante, ut ultramontanis absque sanctitatis suæ, vel sacræ congregationis episcop. et Regul. licentia ordines non conferantur. — 64. Expedit. tamen, ut dimissoriæ in similibus casibus dirigantur a superioribus regularibus ad aliquem episcopum viciniorem. — 65. Superiores regulares, si ex industria, et per fraudem transferant subditos de una diœcesi ad aliam, ut facilius ad examen admittantur, ac statim ordinati redeant ad primam diœcesim, peccant, et sunt punibiles in foro externo. — 66. Per quantum tempus regulares ordinandi commorari debeant in conventu diœcesis episcopi ordinantis, ad hoc ut dici possint de familia ipsius conventus? — 67. Regulares, si fuerint ab episcopo diœcesano in examine reprobati, non possunt a suis superioribus mitti ad alios episcopos pro ordinibus suscipiendis, et hoc sub gravibus pœnis. — 68. Superiores regulares nequeunt concedere suis novitiis dimissorias ad ordines recipiendos, sed hoc spectat ad episcopum loci monasterii in quo novitius agit novitiatum. — 69. Regulares, qui speciale privilegium ad id post concilium Tridentinum a Sede Apostolica obtinuerunt, possunt adhuc a quolibet antistite ordines suscipere, et consequenter eorum superiores ad quemlibet catholicum antistitem dimissorias concedere. — 70. Tali speciali privilegio gaudent patres Societatis Jesu. — 71. Dicto speciali privilegio gaudent Fratres Minores de observantia in partibus Indiarum occidentalium existentes. — 72. An tali speciali privilegio gaudeant omnes alii regulares? — 73. De privilegio Patrum congregationis Oratorii vide ibi. — 74. Quoad ordinationes regularium attendenda est constitutio Benedicti XIV (quæ in fine h. art. per extensum refertur) ad n. 76. — 77. Nuntii Apostolici possunt ordines conferre illis qui habent dimissorias proprii episcopi, cum clausula quod possint a quocunque antistite ordinari. — 78. Græci et Albanenses græco ritu viventes, et commorantes in Italia, quomodo promovendi sint ad ordines? — 79. Ultramontani non possunt ordinari ab episcopis Italis, nisi illorum dimissoriæ fuerint recognitæ, et approbatæ per nuntios, seu collectores Apostolicos earum regionum, ac per vicarium Urbis. — 80. Et hoc quamvis ordinandi permanerent in collegiis Italiæ. — 81. Hoc tamen non procedit in ultramontanis regularibus. — 82. Commorantes in Urbe per quatuor menses non possunt ordinari extra Urbem cum litteris dimissoriis proprii ordinarii, sed debent se præsentare eminentissimo vicario, a quo debent ordines recipere. — 83. Ordines subditis sex episcopatuum cardinalitiorum prope Urbem, in quibus non sunt suffraganei, si proprius cardinalis episcopus non accedat ipse ad suam diœcesim, ut ibi ordinationes habeat, debent conferri per cardinalem vicarium Urbis, cum dimissoriis sui ordinarii, nec prædictæ dimissoriæ possunt dirigi aliis episcopis. — 84. Metropolitani patriarchæ, et nuntii, seu legati nequeunt subditis ordinariorum conferre ordines, seu dimissorias ad alios episcopos concedere. — 85. Papa potest ordinare quoscunque sine dimissoriis suorum ordinariorum. — 86. Ordinatos a Papa nullus ad superiores ordines promovere potest sine ipsius licentia. — 87. Litteræ testimoniales proprii episcopi originis, et domicilii de necesse requisitæ ut clericus possit ab alio episcopo ad ordines promoveri, non videntur necessariæ ut possit beneficium in aliena diœcesi obtinere, ac in illo institui, quamvis alioquin valde expediant, ad num. 95-96. Coadjutor cum futura successione, et assignata congrua, est eo ipso subditus ordinarii beneficii ad effectum suscipiendi ordines absque alia dimissoria

Digitized by Google

episcopi suæ originis. — 97. Regulares ad ordines promovendi non tenentur exhibere ordinario fidem sui baptismatis ad docendum de legitima ætate, si de ea constet in litteris obedientialibus sui superioris. — 98. Pro ordin. suscipiendis potest fieri variatio de uno episcopo ad alium; dummodo non fiat in fraudem. — 99. Alia ad rem cum *Add. ex al. manu* ad n. 110.

(1. Suos subditos possunt ordinare episcopi quoad omnes ordines, *Communissima* per clarissimos textus in cap. *Illud* 1, cap. *De aliena* 2, cap. *Si quis* 3, cap. *Clericus* 5, cap. *Primatus* 6, cap. *Extraneo* 7, et cap. *Hortamur* 8, dist. 71, et in cap. *Clericum alienum* 2, dist. 72., et c. *Eos qui* 3., et cap. *Nullus episcopus* 4, De temporibus ordin., in 6, et concil. Trid., sess. XIV., cap. 2 et 3 *De reformat.*, et sess. XXIII., cap. 8, *De reformat.*, ubi sub gravibus pœnis prohibetur, ne quis alienum, seu extraneum audeat ordinare absque proprii superioris licentia.

(2. Abbates possunt de jure conferre ordines minores suis subditis, licet non sint benedicti; cap. *Quoniam* 1, dist. 69; cap. *Cum contingat* 11, De ætat. et qualit.; cap. *Abbates* 3, De privileg., in 6, cum similibus; et sic fuisse decisum a sacra congreg. Concilii die 16 Februar. 1619, testantur Barbosa in *Summa Apostolic. decis.*, verb. *Abbas*, n. 19, et in Conc. Trid., sess. XXIII, cap. 10, *De reformat.*, n. 7; Sellius in *Select. canonic.*, cap. 19, n. 9, Navarr., verb. *Ordo* n. 4.

(3. Abbates, quamvis de jure communi possent olim ordines minores conferre sibi subditis, non solum monachis, verum etiam et laicis, in quos ordinariam et ecclesiasticam habebant jurisdictionem, ut probat textus in cap. *Abbates* 3, De privileg., in 6, et cum aliis advertit Barbosa in cit. sess. XXIII, cap. 10, n. 2, hodie tamen ipsi abbates et alii quicunque intra fines alicujus diœcesis existentes, etiamsi nullius diœcesis, vel exempti esse dicantur, non possunt amplius cuiquam, qui regularis subditus non sit, tonsuram, vel minores ordines conferre. Sic expresse conc. Trident., cit. sess. XXIII, *De reformat.*, cap. 10, et pluries decrevit sacra congreg. Concilii, et signanter 26 Jun. 1709 et 16 Decembr. 1713. Barbosa in Trid., *l. cit.* n. 2; card. Petra. tom. V *Comment. ad const.* 4 *Caliati III*, n. 68, et alii communiter.

(4. Nec, etiamsi alii regulares non subditi, et clerici sæculares afferant dimissorias suorum respective superiorum. *Vide* verb. ABBAS, num 22.

(5. Imo talis ordinatio abbatum conferentium ordines minores sibi non subditis, licet cum dimissoriis sui superioris, esset irrita, et invalida. *Vide* verb. ABBAS, num. 23.

(6. Abbates regulares non possunt promovere ad ordines minores, neque suos novitios. *Vide* verb. NOVITIUS, num. 93.

(7. Novitii respectu minorum ordinum ordinandi sunt a proprio episcopo. *Vide* dict. verb. NOVITIUS, num. 94.

(8. Episcopus autem proprius est episcopus loci monasterii, in quo novitii agunt novitiatum. *Vide* d. verb. NOVITIUS, num. 95.

(9. Cardinales presbyteri, etiam si episcopi non sint, possunt in suis titulis conferre primam tonsuram, et omnes ordines minores suis subditis, et familiaribus. Barbosa, p. II *De offic. et potest. episcop.*, alleg. 3, n. 15, et lib. I *Juris ecclesiast. univers.*, cap. 4, num. 40, cum plurimis ibi citatis; Rossignol., *De ordinib. in communi*, part. I, qu. 2, art. 1, num. 12, et alii passim.

(10. Subditus episcopi quoad ordines licite ab ipso recipiendos potest quis fieri quatuor modis; scilicet, ratione originis, ratione domicilii, ratione beneficii, et ratione triennalis familiaritatis, seu commensalitatis cum episcopo. *Commun.* per textum in cap. *Cum nullus* 3, De temporib. ordinat. in 6, ubi comprehenduntur primi tres modi his præcisis verbis: « Superior intelligitur in hoc casu (scilicet quantum ad dandam licentiam recipiendi ordines ab alieno episcopo, et a fortiori ipsos conferendi) episcopus, de cujus diœcesi est is, qui ad ordines promoveri desiderat, oriundus; seu in cujus diœcesi beneficium obtinet ecclesiasticum: seu habet (licet alibi natus fuerit) domicilium in eadem; » et per textum in Conc. Trid., sess XXIII, *De reformat.*, cap. 9, ubi additur quartus modus, triennalis videlicet familiaritatis, seu commensalitatis cum episcopo his præcisis verbis: « Episcopus familiarem suum non subditum ordinare non possit, nisiper triennium secum fuerit commoratus, et beneficium, quacunque fraude cessante, statim re ipsa illi conferat, consuetudine quacunque etiam immemorabili in contrarium non obstante. »

Et quoad quatuor dictos modos, quibus potest quis fieri subditus episcopi quoad ordines licite ab ipso recipiendos, adest novissima constitut. Innocentii XII edita 4 Novemb. 1694 quæ cum debeat inservire pro quotidiana regula, hic ad litteram datur.

CONSTITUTIO

Qua plura declarantur ac præscribuntur pro tollendis abusibus et fraudibus circa ordinationes alienorum subditorum.

INNOCENTIUS EPISCOPUS, ETC.

« Speculatores domus Israel, quæ est sancta Dei Ecclesia, per ineffabilem divinæ bonitatis abundantiam constituti, eo potissimum ab ipsis Pontificatus nostri primordiis pastoralis vigilantiæ nostræ studia convertenda esse duximus, ut, qui in sortem Domini vocantur, sacrisque addicuntur ministeriis, quippe quos irreprehensibiles esse convenit, ut præesse valeant corrigendis, ac in quos tanquam in speculum reliqui oculos conjiciunt, ex iisque sumunt, quod imitentur, tales sint, qui digne possint Dominica sacramenta tractare, ac ædificent cunctos, tam fidei scientia quam operum disciplina.

Digitized by Google

« § 1. Sane hoc inito concilio, non alios, quantum fieri potest, quam qui in sanctitate, per ordinatissimos ecclesiasticæ militiæ gradus statis intervallis ambulaverint, ac pie, et fideliter in ministeriis anteactis se gesserint, ad sacerdotium assumi, sacrasque ordinationes juxta priscum Ecclesiæ morem, præscriptis ajure temporibus, orationi, et jejunio consecratis, haberi cupientes, severiorem quamdam in concedentis indultis suscipiendi sacros ordines extra tempora hujusmodi, et interstitiis ad id designatis minime servatis, ultro Nobis proposuimus adhibendam rationem, qua videlicet servata, ante meritum laboris, ante tempus examinis, ante experientiam disciplinæ, sacerdotalis honor non probatis minime tribuatur, nec unquam heri profani, hodie sacrorum antistites, veteres vitio, virtute rudes, et recentes, discipuli simul, ac magistri pietatis creentur; sed ii tantam juxta constitutas a majoribus leges ab humili gradu fidelis populi ad sacrorum administrationum sublimitatem promoveantur, qui post mutatum habitum sæcularem diuturna conversatione inter clericos fuerint comprobati, ac multo tempore didicerint, quæ postmodum alios docere tenentur.

« § 2. Cæterum per ea ipsa indulta, quæ super præmissis parcius quidem, ac ex certis tantum et magis rationabilibus causis concedere decrevimus, contraria quavis illorum interpretatione penitus improbata, salutarem illam, quam sacri generalis Tridentini concilii decreta de non ordinandis ad patrimonii titulum, nisi illis, quos episcopi pro necessitate, vel commoditate suarum ecclesiarum assumendos judicaverint, præscribunt disciplinam nequaquam relaxatam intelligi, quin imo nec unquam ad indulta hujusmodi exsequenda episcopos ipsos arctare, sed illorum exsecutionem arbitrio semper eorumdem episcoporum, quorum conscientias hac in re strictissime oneratas voluimus, prorsus relinquere declaravimus. Sperantes in Domino eos, qui juxta Apostoli monitum, nemini cito manus imponendas esse, probe norunt, sibi, et universo gregi attendentes, in quos eos posuit Spiritus sanctus regere Ecclesiam Dei, et reverenda ipsis spiritibus angelicis ministeria ab hominibus sine consideratione apprehendi unquam permissuros, nec temere percipi passuros, quæ vita probata duntaxat accipere promerentur.

« § 3. Omnes insuper, et singulos cujuscunque tandem gradus, ordinis et dignitatis fuerint, quibus ex hujus Sanctæ Sedis gratia sacros ordines præfatos extra eadem tempora conferre valeant, indulgendi potestas fieri consuevit, cum divinos ordines largiri districti semper esse judicii oporteat, serio monitos voluimus, ut præscriptos sibi desuper in suis quique facultatibus terminos religiose custodiant, nec eas cujusvis consuetudinis, aut exempli prætextu ullatenus transgrediantur.

« § 4. Verum quo impensius Apostolicæ gubernationis curam, et cogitationes in hæc intendimus, eo majori cum animi nostri dolore ex quamplurium venerabilium fratrum nostrorum archiepiscoporum et episcoporum in diversis regionibus existentium delatis ad Nos querelis accepimus, et graviora quotidie malignari inimicum in sancto, sacrilega scilicet illorum impudentia in dies crescente, qui propriæ salutis immemores, clericales ordines sibi forsan a propriis præsulibus denegatos, seu quos aliquibus canonicis sibi obstantibus impedimentis, denegari merito verentur, ab alienis episcopis, non quæ Jesu Christi, sed eas, quæ ad ipsos non pertinent, oves, in animarum suarum perniciem quærentibus nec tot canonicas damnationes contra usurpantes alienæ plebis hominem latas perhorrescentibus, absque suorum prælatorum commeatu, hoc est dimissoriis, commendatitiisve eorum litteris destituti, quinimo eis insciis, et sæpe etiam invitis, sub minus legitimis beneficii ecclesiastici, originis, domicilii, seu etiam familiaritatis, ac continuæ ordinantium episcopor. commensalitatis quæsitis titulis, in sacrarum legum fraudem et contemptum, illegitime suscipiunt, atque ita non intrantes per ostium, et nihilominus tabernaculum Domini cum macula inhabitare non dubitantes, sacrificium in sacrilegium convertunt, judicium absque misericordia sibi conciscunt, Deoque minime placentes, et tamen placere velle præsumentes, non modo eum non placant, sed magis irritant, dum videntur in cordibus suis dicere : non requiret.

« § 5. Hinc est quod Nos ex commissæ Nobis divinitus Apostolicæ servitutis munere, abusus, fraudes, ac scandala hujusmodi penitus, et omnino e medio tollere, ac irreligiosam contrafacientium audaciam, quantum Nobis ex alto conceditur, compescere, et reprimere volentes, necnon fel. rec. Urbani VIII contra male ordinantes, et male ordinatos, quæ incipit: *Secretis*, aliorumque Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, ac etiam conciliaribus hac in re editis constitutionibus, et ordinationibus inhærentes, illasque quoad ea quæ præsentibus non adversantur, quatenus opus sit, innovantes, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium ejusdem concilii Tridentini interpretum, qui quæcunque antehac super præmissis ab ipsorum cardinalium congregatione in particularibus casibus edita decreta, declarationes, seu responsa ad earumdem præsentium limites reducenda esse censuerunt, consilio, ac etiam motu proprio, et ex certa scientia, et matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ad Omnipotentis Dei gloriam, Ecclesiæ utilitatem, veteris disciplinæ instaurationem, totiusque Christiani populi ædificationem, hac generali nostra, et perpetuo valitura constitutione decernimus et declaramus.

« § 6. Nulli episcopo, seu cujusvis loci ordinario, tametsi cardinalatus honore fulgeat, licere externum quempiam, ac sibi

Digitized by Google

ratione originis, seu domicilii juxta modum inferius declarandum legitime contracti non subditum ad clericalem tonsuram promovere, cujusvis beneficii ecclesiastici, ei, statim ac tonsura hujusmodi insignitus fuerit, conferendi, seu ad quodvis a patronis jam præsentatus, seu nominatus fuerit prætextu, etiamsi beneficium prædictum de novo ea expresse adjecta lege fundatum fuisse constiterit, ut quis immediate post clericalem characterem susceptum ad illud instituatur.

« § 7. Præterea clericum, qui legitime jam a proprio episcopo ad eamdem clericalem tonsuram, seu etiam ad minores ordines promotus fuerit, non posse ab alio episcopo, ratione, ac titulo cujuscunque beneficii in illius diœcesi obtenti, ad ulteriores ordines promoveri, nisi ante eorumdem susceptionem testimoniales litteras proprii episcopi, tam originis, quam domicilii super suis natalibus, ætate, moribus, et vita sibi concedi obtinuerit, easque episcopo ordinanti in actis illius curiæ conservandas exhibuerit.

« § 8. Licet vero clericus, ratione cujusvis beneficii in aliena diœcesi obtenti, subjici dicatur jurisdictioni illius episcopi, in cujus diœcesi beneficium hujusmodi situm est, eam tamen de cætero hac in re inconcusse servari volumus regulam, ut nemo ejusmodi subjectionem ad effectum suscipiendi ordines acquirere censeatur, nisi beneficium prædictum ejus sit reditus, ut ad congruam vitæ sustentationem, sive juxta taxam synodalem, sive, ea deficiente, juxta morem regionis, pro promovendis ad sacros ordines, detractis oneribus per se sufficiat; illudque ab ordinando pacifice possideatur, sublata quacunque facultate supplendi quod deficeret fructibus ejusdem beneficii, cum adjectione patrimonii etiam pinguis, quod ipse ordinandus in eadem seu alia quavis diœcesi obtineret : ac episcopus sic ordinans, tam de prædictis testimonialibus litteris, quam de reditu beneficii hujusmodi expressam in consueta collatorum ordinum attestatione mentionem facere debebit.

« § 9. Cæterum subditus ratione originis is tantum sit, ac esse intelligatur, qui naturaliter ortus est in ea diœcesi in qua ad ordines promoveri desiderat ; dummodo tamen ibi natus non fuerit ex accidenti, occasione nimirum itineris, officii, legationis, mercaturæ, vel cujusvis alterius temporalis moræ, seu supermanentiæ ejus patris in illo loco : quo casu nullatenus ejusmodi fortuita nativitas, sed vera tantum, et naturalis patris origo erit attendenda. Quod si quis tanto temporis spatio in eo loco, in quo ex accidenti, sicuti præmittitur, natus est, moram traxerit, ut potuerit ibid. canonico aliquo impedimento irretiri, tunc etiam ab ordinario ejus loci litteras testimoniales, ut supra obtinere, illas que episcopo ordinanti per eum in collatorum ordinum testimonio similiter recensendas præsentare teneatur.

« § 10. At si pater in alieno loco, ubi ejus filius natus est, tandiu, ac eo animo permanserit, ubi inibi vere domicilium de jure contraxerit, tunc non origo patris, sed domicilium per patrem, legitime, ut præfertur, contractum, pro ordinatione ejusdem filii attendi debeat.

« § 11. Subditus autem ratione domicilii ad effectum suscipiendi ordines is duntaxat censeatur, qui licet alibi natus fuerit, illud tamen adeo stabiliter constituerit in alio loco, ut vel per decennium saltem in eo habitando, vel majorem rerum, ac bonorum suorum partem cum instructis ædibus in locum hujusmodi transferendo, ibique insuper per aliquod considerabile tempus commorando, satis superque suum perpetuo ibidem permanendi animum demonstraverit, et nihilominus ulterius utroque casu se vere et realiter animum hujusmodi habere jurejurando affirmet.

« § 12. Si quis tamen a propriæ originis loco in ea ætate discesserit, quo potuerit alicui canonico impedimento obnoxius effici, etiam ordinarii suæ originis testimoniales litteras, ut supra, afferre debebit, ac de illis expressa similiter mentio in susceptorum ordinum litteris facienda erit.

« § 13. Ad hæc nullus episcopus alienæ diœcesis subditum familiarem suum ad aliquos sacros seu minores ordines, vel etiam primam tonsuram promovere, seu ordinare præsumat absque ejus proprii originis scilicet, seu domicilii prælati testimonialibus litteris, ut supra, et nisi ad præscriptum Conc. Trid. præfati sess. XXIII, c. 9, *De reform.*, familiarem prædictum per integrum et completum triennium in suo actuali servitio secum retinuerit, ac suis sumptibus aluerit, beneficium insuper, quod ei ad vitam sustentandam, juxta modum superius præfinitum, sufficiat, quacunque fraude cessante, statim, hoc est, saltem intra terminum unius mensis a die factæ ordinationis, re ipsa illi conferat, ac in ordinationis hujusmodi testimonio expressam itidem familiaritatis, ac litterarum prædictarum mentionem facere teneatur.

« § 14. Porro, ut quibuscunque fraudibus aditus omnino præcludatur, volumus, et Apostolica auctoritate statuimus, atque decernimus ut episcopus quilibet suos ratione originis sive domicilii subditos clericos quoscunque ab alienis episcopis quavis auctoritate, etiam cum suis commendatitiis litteris promotos, nedum ad formam concilii Tridentini, supradicti sess. XIV, cap. 3, *De reform.*, quoad scientiam examinare valeat, verum etiam ordinum eis collatorum testimoniales litteras, gratis tamen, recognoscere ac diligenter perquirere an quoad illos præsentis constitutionis forma, et dispositio adimpleta fuerit, assignato sic promotis termino competenti ei magis beneviso ad docendum de ejusmodi adimplemento, ita ut quos, eo termino elapso, id minime præstitisse compererit, a susceptorum ordinum exercitio, et si ita, quandiu ei expedire videbitur, suspendere, illisque, ne in altari aut in aliquo ordine ministrent, interdicere possit.

Digitized by Google

« § 15. Ita vero præmissa omnia, et singula perpetuo, ac inviolabiliter observari, atque adimpleri volumus, ut si quid in iisdem præmissis, seu eorum aliquo secus fiat, ordinans quidem a collatione ordinum per annum, ordinatus vero a susceptorum ordinum exsecutione quandiu proprio ordinario videbitur expedire, eo ipso suspensus sit, aliisque insuper gravioribus pœnis pro modo culpæ, nostro, et pro tempore existentis Romani Pontificis arbitrio infligendis uterque subjaceat.

« § 16. Decernentes pariter easdem præsentes litteras semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocunque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime, et inviolabiliter observari; sicque, et non aliter per quoscunque judices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac ejusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, ac sedis præfatæ nuntios, aliosve quoslibet, quacunque præeminentia et potestate fungentes et functuros; sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique judicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

« § 17. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, necnon quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, ac quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et litteris Apostolicis sub quibuscunque verborum tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus, in genere, vel in specie, seu alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis specifica, expressa, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, et singulorum tenores, ac si de verbo ad verbum exprimerentur, et insererentur, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, eisdem præsentibus pro expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

« § 18. Volumus autem ut præsentes litteræ in valvis ecclesiæ Lateranensis, et basilicæ Principis Apostolorum, necnon cancellariæ Apostolicæ, ac in acie campi Floræ, de Urbe, ut moris est, publicentur et affingantur, sicque publicatæ et affixæ, omnes, et singulos, quos illæ concernunt, perinde arctent, et afficiant, ac si unicuique eorum nominatim et personaliter intimatæ fuissent.

« § 19. Quodque earumdem præsentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides, tam in judicio, quam extra illud, ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

« 20. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum decretorum, declarationis, voluntatis, statuti, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

« Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo nonagesimo quarto, pridie Nonas Novembris, pontificatus nostri anno quarto.

« B. card. prodatarius.

« R. F. card. Albanus. »

(12. Ut quis ordinari possit ab alieno episcopo ratione beneficii in ejus diœcesi obtenti, requiritur quod beneficium sit ibi revera obtentum et pacifice ab ordinando possessum. Sic expresse statutum est in d. Constitutione *Speculatores*, § 8. (13. Item requiritur, quod tale beneficium, detractis oneribus, per se sufficiat ad congruam Clerici sustentationem, adeo ut non possit defectus fructuum ejus suppleri per adjectionem patrimonii, cit. § 8. (14. Item requiritur, quod ordinandus ante ordinationem obtineat testimoniales litteras proprii episcopi, tam originis, quam domicilii super suis natalibus, ætate, moribus, et vita, et eas exhibeat episcopo ordinanti in actis illius curiæ conservandas. *Ibid.*, § 7. (15. Insuper requiritur quod episcopus sic ordinans, tam de prædictis testimonialibus litteris, quam reditu beneficii hujusmodi expressam in consueta collatorum ordinum attestatione mentionem faciat, *Ibid.*, § 8, in fine.

(16. Ut quis fiat subditus episcopi, et ab ipso ordinari possit ratione originis, requiritur, ut naturaliter ortus sit in ea diœcesi, in qua ad ordines promoveri desiderat; dummodo tamen ibi natus non fuerit ex accidenti, occasione nimirum itineris, officii, legationis, mercaturæ, vel cujusvis alterius temporalis moræ, seu permanentiæ ejus patris in illo loco : quo casu nullatenus ejusmodi fortuita nativitas, sed vera tantum, et naturalis patris origo erit attendenda. *Ibid.*, § 9. (17. Si quis autem tanto temporis spatio in eo loco, in quo ex accidenti, ut præmittitur, natus est, moram traxerit, ut potuerit ibidem canonico aliquo impedimento irretiri, tunc etiam ab ordinario ejus loci litteras testimoniales, ut supra obtinere

Digitized by Google

debet et illas præsentare episcopo ordinanti per eum in collatorum ordinum testimonio recensendas. *Ibidem*, § 9, in fine. (18. Si vero pater in alieno loco, ubi ejus filius natus est, tandiu ac eo animo permanserit, ut inibi vere domicilium de jure contraxerit, tunc non origo patris, sed domicilium per patrem legitime, ut præfertur, contractum, pro ordinatione ejusdem filii attendi debet. *Ibidem*, § 10.

(19. Origo matris quoad receptionem ordinum non attenditur, quia filius sequitur solummodo originem patris et non matris; l. *Filios* 3, cod. *De municipibus et originariis*. (20. Si autem filius sit illegitimus, tunc si super defectum natalium dispensetur ad ordines recipiendos, debet attendi origo matris et non patris, quia filii illegitimi sequuntur matrem, ejusque originem. L. *Cum legitimæ* 19, ff. *De statu hominum*; l. *Municipium* 1, § final., ff. *Ad municipalem*, et l. *Ejus qui* 19, ff. eodem. (21. Expositus tamen, cujus parentes ignorantur, potest ordinari in diœcesi, in qua, ut supra, naturaliter ortus est. Vel si de hoc constare nequeat, potest ordinari in diœcesi loci ubi expositus est. Stephanus Gratian., *Discept. forens.*, cap. 75, num. 12; Mandos., *De ætate minori*, c. 1, a n. 22; Barbosa, *De offic. et potest. episcop.*, part. II, allegat. 4, n. 17, cum aliis ibi citatis, Reiff., lib. I *Decretal.*, tit. 11, n. 93 et alii passim.

(22. Ut quis fiat subditus episcopi et ab ipso ordinari possit ratione domicilii, requiritur, quod illud adeo stabiliter constituerit in aliquo loco, ut vel per decennium saltem in eo habitando, vel majorem rerum ac bonorum suorum partem cum instructis ædibus in locum hujusmodi transferendo, ibique insuper per aliquod considerabile tempus commorando, satis superque suum perpetuo ibidem permanendi animum demonstraverit; et nihilominus ulterius utroque casu se vere et realiter animum hujusmodi habere jurejurando affirmet. Cit. const. *Speculatores*, § 11.

(23. Verum enim domicilium, non nuda voluntate et assertione, sed animo et facto simul constituitur, textu expresso in l. *Domicilium* 20, ff. *Ad municipalem*, ibi: « Domicilium re et facto transfertur et non nuda contestatione. » Ubi *Glossa* inquit: « Facto subintellige et animo; nam hæc duo sunt necessaria. » (24. Unde domicilium contrahitur *animo* permanendi, videlicet perpetuo in tali loco, alioquin enim non contrahitur domicilium, ut l. *Postliminii* 5, ff. *De captivis*; l. *Ejus qui manumisit*, § *Celsus*, ff. *Ad municipalem*. (25. Hinc, si quis inhabitet locum animo inde recedendi, non contrahet ibi domicilium, quamvis mille annis ibidem habitet. Menochius, l. II *De arbitrariis judic.*, cas. 86, num. 7; Barbosa, *De offic. et potest. episcop.*, part. II, alleg. 4, num. 25; Marchin., *De sacrament. ordinis*, tract. 1, part. V, cap. 7, num. 1, et alii passim. (26. Exacto tamen alicubi decennio, si de opposito non constet, præsumptione juris censetur ibidem contractum domicilium. L. *Nec ipsi* 2, cod. *De incolis*. (27. Sufficit autem animus perpetuo manendi in tali loco perpetuitate saltem propositi, licet postea progressu temporis hujusmodi propositum, sicuti et domicilium mutari ob supervenientem causam possit, ut capit. ultim. *De parochiis*, et cit. l. *Ejus qui manumisit*, § *Celsus*, ff. *Ad municipalem*; dummodo quoad ordines se vere et realiter animum hujusmodi habere jurejurando affirmet, ut cit. constit. *Speculatores*, § 11.

(28. Si quis tamen a propriæ originis loco in ea ætate discesserit, qua potuerit alicui canonico impedimento obnoxius effici; etiam ordinarii suæ originis testimoniales litteras, ut supra, afferre debebit, ac de illis expressa similiter mentio in susceptorum ordinum litteris facienda erit. Cit. constitut. *Speculatores*, § 12.

(29. Ut quis fiat subditus episcopi et ab ipso ordinari possit ratione familiaritatis, seu commensalitatis, requiritur, quod sit vere familiaris episcopi, id est dominicæ potestati episcopi vere subjiciatur, ejusque expensis tanquam domesticus commensalis continue alatur, ut cap. ultimo, De verbor. significat., in 6, juncto concilio Tridentino sess. XIV, c. 2, *De reform.*, ibi: « Etiam prætextu familiaritatis continuæ commensalitatis suæ, » et concordat cit. constit. *Speculatores*, § 13, ibi: « In suo actuali servitio secum retinuerit, ac suis sumptibus aluerit. » (30. Item requiritur quod ipsum secum retinuerit per integrum et completum triennium. Concil. Trident., sess. XXIII, cap. 9, *De reformat.*, ibi: « Nisi per triennium secum fuerit commoratus; » et cit. constitut., *Speculatores*, § 13, ibi: « Familiarem prædictum per integrum et completum triennium in suo actuali servitio secum retinuerit. » 31. Item requiritur quod is ante receptionem ordinum obtineat testimoniales litteras proprii, originis scilicet, aut domicilii, episcopi super suis natalibus, ætate, moribus et vita, et eas episcopo ordinanti consignet in actis illius curiæ conservandas. Sic expresse cit. const. *Speculatores*, § 13. (32. Item requiritur quod episcopus ordinans suum familiarem, statim, id est saltem intra terminum unius mensis a die ordinationis, quacunque fraude cessante, reipsa conferat illi beneficium sufficiens ad ejus congruam sustentationem, ac in ordinationis hujusmodi testimonio expressam itidem familiaritatis, ac litterarum prædictarum mentionem faciat. Conc. Trid., cit. sess. XXIII, cap. 9, *De reformat.*, et expresse quoad omnia cit. constit. *Speculatores*, § 13.

(33. Tali autem facultate ordinandi suos triennales familiares non gaudent episcopi titulares, adeoque nequeunt ipsos ordinare absque sui proprii prælati expresso consensu et dimissoriis. Sic expresse concil. Trid., sess. XIV, cap. 2, *De reform.* (34. Imo ordinati ab episcopo titulari sine expresso consensu proprii episcopi, ipso jure suspensi sunt donec suo proprio episcopo visum fuerit. Sic expresse concil. Trid., *loc. cit.*, (35. Et ipse episcopus titularis

Digitized by Google

ordines conferens, seu Pontificalia exercens sine licentia ordinarii diœcesani, est suspensus per annum ab usu Pontificalium. Sic expresse concil. Trid., *loc. cit.*

(36. Litteras dimissorias pro ordinibus ab alieno episcopo recipiendis ultra Romanum Pontificem, qui eas concedere potest pro omnibus ordinandis totius orbis, potest quilibet episcopus concedere suis subditis, sive is sit episcopus originis, sive domicilii, textu expresso in c. *Cum nullus* 3, De temporib. ordinat., in 6. Qui enim potest ordinare, potest etiam dimissorias ad ordines dare; *Glosa* ibi, verb. *Ordinandi;* arg. cap. *Potest* 67, De regul. juris, in 6, ibi: « Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum. » (37. Et eadem ratione potest etiam episcopus dimissorias concedere suo familiari triennali, sicuti etiam posse ipsas dimissorias concedere cardinales suis familiaribus triennalibus, declaravit sac. cong. Conc. 22 Januarii 1602, ut testantur Sellius, in *Selectis canonicis*, cap. 19, num. 3, et Barbosa, *in Trid.*, sess. XXIII, c. 9, num. 3. (38. In supradictis omnibus tamen semper est servanda dispositio Innoc. XII in cit. const. incip. *Speculatores* supra adducta num. 11.

(39. Vicarius generalis episcopi non potest dimissorias concedere, nisi episcopo absente, seu, si præsente, id ei concedente, alioquin enim ad hoc se non extendit ejus officium; c. *Cum nullus* 3, § *Inferiores*, De temp. ord., in 6, ubi late *Glossa* in *Expositione casus;* Aloysius Riccius, in *Praxi aurea*, par. III, res. 232, num. 1 et seq.; Reiffenst., *loc. cit.*, n. 125; Barbosa, *De offic. et potest episc.*, part. II, allegat. 7, n. 9, cum communi aliorum.

(40. Vicarius capitularis, sede vacante, non potest infra annum a die vacationis computandum, dimissorias concedere, præterquam illi, qui alicujus beneficii recepti, vel recipiendi ratione arctatus fuerit; alias vicarius capitularis contraveniens, ecclesiastico subjacet interdicto. Et sic ordinati, si in minoribus ordinibus constituti fuerint, nullo privilegio clericali, præsertim in crimin alib. gaudent. In majoribus vero, ab executione ordinum ad beneplacitum futuri prælati, sunt ipso jure suspensi. Sic expresse conc. Trid., sess. VII, cap. 10, *De reform.* (41. Quamvis enim concilium ibi nominet solum « capitulum contraveniens, » tamen quia capitulum intra octo dies post mortem episcopi tenetur constituere vicarium, juxta præscriptum ejusdem concil., sess. XXIV, *De reform.*, cap. 16, non potest amplius, electo vicario, ejusmodi dimissorias concedere per se ipsum, sed solum per suum vicarium capitularem. Unde sac. cong. episcop. et regular. *in Neapolitana* 12 Jan. 1604, declaravit, dimissorias concedere tam arctatis intra annum, quam non arctatis post annum a die vacationis sedis, non ad capitulum, sed ad vicarium capitularem omnino spectare. (42. Vicarius enim capitularis privative, et non cumulative quoad capitulum jurisdictionem obtinet, ut declaravit ead. S. cong. Episcop. et Regul. *in Neriton.* 17 Septemb. 1655, et *in Hydruntina* 1 Octobris ejusdem anni 1655. (43. Et hoc, etiamsi capitulum illum constituisset et elegisset cum tali aut alia restrictione et limitatione facultatis; cum capitulum non possit in electione vicarii aliquid sibi reservare, nec potestatem electi coarctare, ut sæpe sæpius respondit S. cong. episc. et reg., et signanter *in Cajetana* 20 Octob. 1567; *in Regiensi* 26 Julii 1593; *in Brandusina* 8 Maii 1606; *in Salernitana* 16 Junii 1628; *in Tudertina* 11 Decemb. 1654, apud Nicolium, *in Flosculis*, verb. *Vicarius capitularis*, a num. 54 ad 59; et *in Venusina* 14 Novemb. 1698, apud. Monacell., tom. I, tit. 1, formul. 2, num. 16. *Vide* verb. CAPITULUM, art. 3, num. 62 et 63. Hic tamen addendæ, et attendendæ sunt duæ sequentes epistolæ, ut sequitur.

(44. EPISTOLA,

Qua nuntio Apostolico in regno Neapolitano jussu Summi Pontificis mandatur, ut omnibus vicariis capitularibus ejusdem regni Pontificio nomine inhibeat, ne litteras dimissorias pro prima clericali tonsura, aliisve ordinibus cuicunque concedant, tametsi annus a die vacationis ecclesiarum elapsus sit, absque speciali facultate sacræ congregationis.

« La Santità di nostro signore ha ordinato d' ingiungere a V. S. affinchè con lettera circolare proibisca in nome della Santità Sua a tutti li vicarj capitolari di cotesto regno il concedere le lettere dimissoriali per la prima tonsura, ed altri ordini, quantunque sia passato l'anno della vacanza delle chiese, senza speciale licenza di questa sagra congregazione sopra li negozj de vescovi e regolari; obbedisco al supremo comando di Sua Beatitudine, e le prego ec.

« Roma, 9 Settembre 1701.

« G. card. DI CARPEGNA, prefetto.

« G. D. PARRACCIANI, prosegretario. »

(45. EPISTOLA,

Qua præcedens mandatum nuntio Apostolico in regno Neapolitano injunctum instauratur, et ad vicarios capitulares et Apostolicos ecclesiarum, quarum vacatio post illud contigerat, extenditur.

« Con lettera delli 9 Settembre prossimo passato per comandamento espresso della santità di Nostro Signore fu ingionto a Monsignor arcivescovo di Cesarea antecessore di V. S. di proibere in nome della Santità sua a tutti li vicarj capitolari di cotesto Regno di conceder le lettere dimissoriali per la prima tonsura, ed altri ordini, quantunque fosse trascorso l' anno della vacanza delle Chiese, senza speciale licenza di questa sacra congregazione sopra i negozj di vescovi e regolari: essendo pertanto vacate altre chiese in detto regno dopo l' ordine accennato, Sua Beatitudine mi ha ordinato di rinnovarlo a lei, affinchè faccia la mede-

Digitized by Google

sima proibizione agli altri vicarj capitolari, ed Apostolici delle chiese, che dopo il primo ordine restano vacanti, ed il signor Iddio la prosperi.

« Roma, 5 Maggio 1702.

« G. card. DI CARPEGNA, prefetto.

« N. GRIMALDI, segretario. »

(46. Arctatus ratione beneficii recepti ad finem obtinendi a vicario capitulari etiam infra annum a die vacationis sedis dimissorias ad ordines, dicitur omnis ille qui obtinet aliquod beneficium requirens servitium personale, et ratione cujus de jure, consuetudine, privilegio, statuto Ecclesiæ intra annum tenetur se ordinari facere, ut qui assumitur ad parochiam, cum is teneatur intra annum se promoveri facere ad sacerdotium. C. 14, *De elect.*, in 6. Et qui obtinet dignitatem, seu canonicatum, seu capellaniam habens sibi adnexum ordinem, cum is teneatur intra annum ad talem ordinem se promoveri facere. Conc. Trid., sess. XXII, cap. 4, *De reformat.*, et sess. XXIV, cap. 12, *De reform.*

(47. Arctatus autem ratione beneficii recipiendi dicitur omnis ille, qui habet jus, seu vocatus est ad aliquod beneficium vacans requirens actu certum ordinem, quo ille caret. Huic enim potest vicarius capitularis concedere infra annum dimissoriam pro tali ordine recipiendo, juxta Tridentinum, cit. sess. VII, cap. 10, *De reform.* (48. Imo si quis nondum tonsuratus vocetur ad aliquod beneficium, potest vicarius capitularis infra annum concedere ei dimissoriam pro recipienda tonsura. Card. de Luca, *De beneficiis*, decis. 71, n. 7; Garcias, par. V, *De beneficiis*, cap. 7, n. 102, ubi pro hac sententia refert declarationem sacræ congregationis, et rursus par. VII, cap. 1, n. 30, ubi aliam refert ejusdem sacræ cong. super cap. 10, sess. VII, concil. Trid., quæ ait: « Vicarius capituli, sede vacante, infra annum potest concedere dimissorias ad primam tonsuram ei qui est præsentatus a patronis laicis ad beneficium ecclesiasticum jurispatronatus ipsorum, ut illud obtinere valeat. »

(49. Vicarius capitularis, sede vacante, concedens intra annum dimissorias non arctato, incidit in pœnam supradicti decreti Tridentini sess. VII, capit. 10, quamvis is cui concessit, usus non fuerit, nam actus fuit perfectus quoad concedentem, per quem non stetit. Sic decisum fuisse refert ex Garcia, et March., Barb., in cit. sess. VII, c. 10, n. 10. (50. Qui *ibidem*, num. 18 antecedenti dicit, quod vicarius capitularis, sede vacante, concedens dimissorias intra annum non arctatis, non incurrit pœnam suspensionis per annum, juxta cap. 10, sess. XXIII, sed tantum pœnam interdicti, juxta d. cap. 10, sess. VII, et citat Franciscum Leonem, Molinam, et Rotam *in Burg. canonicatus* 19 Octob. et 28 Nov. 1589, coram Gipsio.

(51. *Nota.* Circa dimissorias a vicario capitulari concedendas, vel non, in dominiis regis Sardiniæ nunc attendenda, et exacte est observanda instructio Benedicti XIV dependenter a concordatis Benedicti XIII in qua sub § 15 sic expresse habetur: « I vicarj capitolari non potranno d'ora innanzi senza il voto del pieno capitolo da darsi nel luogo solito capitolare, per maggioranza di voti segreti da calcolarsi secondo il costume di ciascun capitolo, e da registrarsi negli atti capitolari, concedere le lettere dimissoriali a laici, benchè siano realmente artati per cagion di beneficio, o di cappellania, che sia veramente ecclesiastica, nel modo spiegato di sopra; oppure a coloro, che avendo già la prima tonsura, sono presentati a qualche benefizio, o cappellania, che *actu requirat ordinem*, e coll' espressa condizione, che così nell' uno, che nell' altro caso, colui, che chiede esser promosso non sia stato altre volte rigettato dal vescovo antecessore: Ma ove si tratti di persone, che non sono veramente artate nel senso di sopra accennato, non potranno concedere le lettere dimissoriali neppure *post annum luctus Ecclesiæ*, senza una espressa licenza della sac. congregazione del Conc. » *Vide ibi*, ubi insuper statuuntur pœnæ contrà trangressores, et multa alia ad rem sanciuntur merito observanda, et exsequenda: Et dicta dispositio militat etiam pro aliis dominiis gaudentibus similibus concordatis.

(52. Abbates aliique exempti, licet in parochos et parochianos jurisdictionem habeant quasi episcopalem privative ad episcopum, nequeunt suis subditis sæcularibus litteras dimissorias ad ordines suscipiendos concedere. *Vide* verb. ABBAS, num. 24, ubi adducitur ad id textus concilii Trident., sess. XXIII, *De reform.*, cap. 10, et decret. sacra congr. quibus adde, ultra alia, varia decreta antiqua relata ab eminentissimo Petra, tom. V *Comment. ad constit.* 4 *Calixti III*, sect. 2, a num. 67, alia novissima edita, die 26 Junii 1709, et die 16 Decembris 1713, apud eumdem Petram, *ibidem* n. 68, et die 30 Januarii 1717, apud eumdem, *ibid.*, sect. 3, n. 16.

(53. Neque ipse episcopus tanquam abbas, nec alius prælatus loci potest subditis sæcularibus nullius diœcesis concedere litteras dimissorias, sed has debet concedere episcopus vicinior. *Vide* verb. ABBAS, num. 26, ubi ad id adducuntur varia decreta, quibus adde novissimum decretum sacræ cong. Conc. editum die 30 Januarii 1717, in respons. ad 6 ubi cum quæreretur: « An eminentiss. abbati competat jus concedendi dimissoriales pro ordinandis, tam super vita et moribus, quam patrimonio, vel titulo beneficii; » sacra congreg. respondit: « Ad sextum *Negative*. » Sic refert card. Petra, d. tom. V *Commentar. ad const.* 4 *Calixti III*, sect. 3, n. 19.

(54. Dimissoriæ ab episcopis aliisque ordinariis dirigi non possunt abbatibus regularibus sub pœna suspensionis a colla-

Digitized by Google

tione ordinum, præter alias pœnas arbitrio sacræ congregationis reservatas, tam contra concedentes quam contra ordinantes. *Vide* verb. ABBAS, num. 22, ubi adducitur decretum per extensum.

(55. Prælati regulares possunt concedere suis subditis regularibus litteras dimissorias ad ordines. *Communis:* et habetur ex cap. *Abbas* 3, De privileg., in 6. Ex conc. Trid., sess. XXIII, *De reform.*, cap. 10, et expresse ex decreto sacræ congreg. Concilii de mandato Clementis VIII edito 15 Maii 1596. (56. Sed, secluso speciali privilegio, non possunt ipsas dimissorias concedere suis regularibus subditis, nisi ad episcopum diœcesanum, id est ad episcopum intra cujus diœcesim situm est monasterium ordinandi, dummodo ipse episcopus diœcesanus ordinationes habuerit; alioquin, si diœcesanus ordinationes non sit habiturus, possunt prælati regulares, servatis servandis, concedere suis subditis regularibus dimissorias ad quemcunque alium episcopum. Sic expresse cit. decret. de mandato Clement. VIII, editum, quod hic ad litteram datur.

DECRETUM

Sacræ congregationis Concilii Tridentini emanatum auctoritate fel. rec. Clem. VIII super ordinatione regularium.

« De mandato S. D. N. Clementis divina Providentia Papæ VIII tenore præsentium mandatur omnibus et singulis quorumcunque regularium superioribus, ut de cætero observari faciant quæ in decreto sacræ congreg. Concilii Trident. continentur, cujus tenor est talis:

« Congregatio concilii censuit superiores regulares posse suo subdito itidem regulari, qui præditus qualitatibus requisitis ordines suscipere voluerit, litteras dimissoriales concedere ad episcop. tamen diœcesan. nempe illius monasterii, in cujus familia ab iis ad quos pertinet is regularis positus fuerit: et si diœcesanus abfuerit, vel non esset habiturus ordinationes, ad quemcunque alium episcopum, dum tamen ab eo episcopo, qui ordines contulerit, examinetur quoad doctrinam, et dum ipsi regulares non dissuaserint de industria concessionem dimissoriam in id tempus quo episcopus diœcesanus, vel abfuturus, vel nullas habiturus esset ordinationes. Verum cum a superioribus, episcopo diœcesano absente, vel ordinationes non habente, litteræ dimissoriæ dabuntur, ab eis utique hujusmodi causam absentiæ diœcesani episcopi, vel ordinationum ab eo non habendarum exprimendam esse. Quod qui non fecerint, officii et dignitatis, seu administrationis, ac vocis activæ, et passivæ privationis, ac alias arbitrio ejusdem S. D. N. Papæ reservatas pœnas incurrent. » In quorum fidem, etc. Datum Romæ die 15 mensis Martii 1595. »

(58. Decretum Clementis VIII quoad ordinationes regularium fuit novissime confirmatum per Innocentium XIII pro regnis Hispaniæ, constit. incip. *Apostolici ministerii*, confirmata per Benedictum XIII, constit. Incip. *In supremo*, die 23 Septembris 1724, ibi: « Quoties vero regulares ad ordines erunt promovendi, servetur omnino decretum congregationis Cardinalium concil. Trid. interpretum a piæ memoriæ Clemente Papa VIII prædecessore etiam nostro confirmatum die 15 Martii 1595 quo sancitur non ad alium quam ad episcopum diœcesanum litteras dimissorias pro eorumdem ordinum susceptione a suis superioribus esse dirigendas, præterquam in casu quo diœcesanus a diœcesi abesset, vel ordinationes non esset habiturus; quo etiam casu in litteris dimissoriis ad alium episcop. dirigendis expressa fieri debeat mentio, vel de prædicta episcopi diœcesani absentia, vel de illa alia causa, videlicet, quod ordinationes non sit habiturus; exceptis tamen quoad prædicta regularibus illis, quibus per speciale privilegium a Sede Apostolica post concilium Tridentinum fuerit concessum, ut a quolibet catholico antistite ordines suscipere possint, super quo indulto nihil per præsentes innovare intendimus. Noverint autem episcopi se debere per semetipsos, secluso ægrotationis casu, ordines conferre, et sacrorum ordinum collationem, statutis a jure temporibus, in cathedrali ecclesia, vocatis et astantibus canonicis, publice habendam, vel si in alio diœcesis loco, semper tamen in ecclesia, quantum fieri poterit, dignior, et præsente clero ejusdem loci. Ne vero incertitudo an ipsi ordinationes sint habituri nimis grave afferat incommodum promovendis varia diœcesis loca inhabitantibus, per mensem ante singulis vicibus publice edicto ab iisdem episcopis denuntietur, se ordinationes esse habituros, adeo ut quoties denuntiatio hujusmodi facta non fuerit, inde satis intelligant regulares, episcopum diœcesanum ordinationes ea vice minime esse habiturum, sibique idcirco licitum futurum ordines ab alio episcopo suscipere cum litteris dimissoriis suorum superiorum ad eum directis, servata in iis forma superius expressa. »

59. Unde ad hoc, ut regulares possint ab alio episcopo ordinari, sufficit quod in litteris dimissoriis prælatus religionis, sive conventus testetur de absentia diœcesani, vel quod nolit habere ordinationes, ut clare patet ex verbis dicti decreti, et adductæ constitutionis; nec est necessarium habere de hac re ex curia episcopali instrumentum, vel fidem authenticam. Sic Piasec., in *Praxi nova episcop.*, part. 1, cap. 1, num. 14; Ugolin, *De potest. episcopi*, cap. 23, § 20, num. 8; Campanil., in *Diversorio juris canonici*, Rubric. 12, cap. 13, num. 37; Madius *De sacris ordinibus*, c. 10, num. 8; Miranda, in *Manual. prælator.*, tom. I, q. 28, art. 2; Molfesius, in *Summa theol. mor.*, tract. 2, cap. 2, n. 23; Barbosa, *De offic. et potest. episcop.*, allegat. 7, num. 18, et alii

Digitized by Google

passim. Secus nunc ex const. Ben. XIV, *Vid. infra*, n. 75.

(60. Insuper cum eminentissimus card. Petra in indice tomi quinti suorum *Commentariorum ad constitutiones Apostolicas*, verb. *Ordines*, expresse dicat, quod «decretum Clementis VIII quoad ordinationes regularium fuit confirmatum per Innocentium XIII pro regnis Hispaniæ, et generaliter per Benedictum XIII,» stante hac asserta generali confirmatione et innovatione Benedicti XIII, sufficeret ut regulares cum dimissoriis suorum superiorum possent ab alio episcopo ordinari, quod proprius eorum diœcesanus, per mensem ante singulis vicibus publico edicto non denuntiaverit, se ordinationes esse habiturum, ut ex dispositione dictæ novissimæ constitutionis tenentur facere episcopi, ut patet ex ipsius præcisis verbis *supra* adductis, n. 55. Ubi enim eadem ratio est eadem est legis dispositio, l. *Ideo* 27, ff. *De legib.*, l. *Illud* 32, ff. *Ad leg. Aquil.*, cap. *Inter corporalia* 2, De translat. episc. Cum ratio legis sit anima legis; l. 7, ff. *De ben. damn.* Sed *vid.* n. 75.

(61. Si regulares ordinandi morentur in monasterio nullius dioecesis, dimissoriæ concedendæ sunt ad episcopum viciniorem. Sic expresse cit. decret. Clement. VIII adduct. *supra* n. 53 confirmat. et innovat. ab Innocentio XIII et Benedicto XIII, ut patet ex verbis adductis *supra*, num. 55. (62. In casu, quo proprius episcopus ordinationes non teneat, possunt dimissoriæ regularium dirigi ad quemcunque alium episcopum, etiam ultra montes, dummodo sit catholicus episcopus. Sic expresse Passerin., *De statu homin.*, l. III, q. 189, n. 814; card. Petra, l. I *Comment. ad const. unic. Urban. II*, sect. 2, n. 41; Marchinus, tract. 1, *De sacrament. ord. in communi*, part. V, cap. 11, n. 17, et alii. Decretum enim Clementis VIII et constitutio Innocentii XIII confirmata a Benedicto XIII dicit absque ulla distinctione et restrictione: « Ad quemcunque alium episcopum. » Et ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus; c. *Quia circa* 22, De privileg., et l. *De pretio*, ff. *De publiciana in rem actione*. (63. Nec regulares comprehenduntur in decreto generali mandante, ut ultramontanis absque Sanctitatis suæ, vel sacr. congr. episcop. et regul. licentia ordines non conferantur, prout declaravit eadem sacr. congr. episcop. et regular. *in Neapolitan.* 30 Decembr. 1617, quia in decreto generali non comprehenduntur regulares, nisi de iis fiat expressa mentio. Sic referunt, et tenent Sellius, in *Selectis canonic.*, c. 18, n. 30, Barbosa *in conc. Trid.*, sess. XXIII, c. 8, *De reformat.*, n. 34; cardin. Petra, tom. V *Comment. ad constit.* 8 *Pii II*, n. 76 et alii.

(64. Expedit tamen ut dimissoriæ in similibus casibus dirigantur a regularibus superioribus ad aliquem episcopum viciniorem, tum ad tollendas religiosorum divagationes, tum ad evitanda multa absurda et inconvenientia, tum ad se conformandum constitutioni Urbani VIII incip. *Secretis* edit. die 11 Decembr. 1624, in qua statuitur ut ultramontani non ordinentur ab episcopis Italiæ, neque ad ordines minores, aut clericalem tonsuram, nisi dimissoriæ requisitæ propriorum ordinariorum per nuntios Apostolicos, seu collectores earum regionum, ac per vicarium Urbis approbatæ fuerint.

(65. Superiores regulares, si ex industria et per fraudem transferant subditos de una diœcesi ad aliam, ut facilius ad examen admittantur, ac statim ordinati redeant ad primam diœcesim, peccant, et sunt punibiles in foro externo, ut contraventores præcepti Summi Pontificis, ut ex multis probat card. Petra, tom. I *Comment. ad constit. unic. Urbani II*, sect. 2, n. 34, ubi sub n. 37 subjungit, quod ad rem proposito dubio in sacra congreg. Conc. *in una Neapolitana*, die 8 Augusti 1692. (66. Secundo, « per quantum tempus regulares ordinandi commorari debeant in conventu diœcesis episcopi ordinantis, ad hoc, ut dici possint de familia ipsius conventus? » Sacra congregatio respondit: « Providebitur in casibus particulariter proponendis. » Et ita ad aliud dubium: « An regulares sint licite ordinati in eadem Neapolitana, in qua cardinalis archiepiscopus conquestus fuerat, regulares per quatuor dies remotos fuisse a conventibus Neapolis ante ordinationem et fuisse ordinatos ab aliis episcopis, ubi morabantur? » Respondit: « Providebitur in casibus particularibus. »

(67. Regulares, si fuerint ab episcopo diœcesano in examine reprobati, non possunt a suis superioribus mitti ad alios episcopos pro ordinibus suscipiendis, et si hoc faciant, ultra pœnas in cit. decreto Clementis VIII, quas incurrunt superiores regulares, episcopus non diœcesanus sic eos ordinans, a collatione ordinum per annum erit suspensus, et ordinati a susceptorum ordinum exsecutione suspensi erunt, quandiu episcopo diœcesano expedire videbitur manere suspensos, ut sacra congr. Concil. respondit archiepiscopo novi regni Granatæ 14 Maii 1620, lib. LVI *Decr.*, pag. 610. Sed si rejiciantur, debent recurrere per viam appellationis ad legitimum superiorem. Ead. sac. cong. 23 Aprilis 1604, lib. *Decret.* LV, p. 859, apud Monacell., t. II, tit. 13, formul. 4, n. 29.

• (68. Superiores regulares nequeunt concedere suis novitiis dimissorias ad ordines recipiendos, sed hoc spectat ad episcopum loci monasterii, in quo novitius agit novitiatum. Marchinus, tract. 1, *De sacrament. ord. in communi*, part. VI, c. 4, num. 15; Barbosa, *De offic. et potest. episcop.*, part. II, allegat. 7, n. 32 et 33, cum multis ibi citatis, et omnes doctores citati, verb. NOVITIUS, n. 93, 94, 95. *Vide* ibi dicta ad rem.

(69. Notanter autem *supra* sub n. 56 fuit dictum quod, « secluso speciali privilegio, non possunt ipsas dimissorias concedere suis regularibus subditis, nisi ad episcopum diœcesanum: » quia, qui speciale pri-

Digitized by Google

vilegium ad id post concilium Tridentinum a Sede Apostolica obtinuerunt, possunt adhuc a quolibet catholico antistite ordines suscipere, et consequenter eorum superiores ad quemlibet catholicum antistitem dimissorias concedere. Habetur expresse ex citata novissima constitutione Innocent. XIII, const. incip. *Apostolici ministerii*, confirmata a Ben. XIII, const. inc. *In supremo*, ut patet ex propriis verbis adductis *supra* n. 55, ibi : « Exceptis tamen, quoad prædicta, regularibus illis, quibus per speciale privilegium a Sede Apostolica post concilium Tridentinum fuerit concessum ut a quolibet catholico antistite ordines suscipere possint, super quo indulto nihil per præsentes innovare intendimus. »

(70. Tali speciali privilegio gaudent Patres Societatis Jesu, ut eis concessit Gregorius XIII constitut. 77, incip. *Pium et utile*, confirmata a Paulo V post Clementem VIII et nunc vigere ex oraculo Innocentii XII testatur eminentissimus Petra, tom. V *Commentar. ad constit. 7 Pii II*, n. 87, et refert Monacell., t. II, tit. 13, formul. 4, n. 31, quod dictus Pontifex Innocentius XII, instante Patre Thyrso Gonzalez generali, et referente eminentissimo card. Sperello, tunc vices gerente sub die 17 Augusti 1695, declaravit, prædictum decretum non comprehendere clericos Societatis, sed in illorum ordinatione servandam esse constitutionem Gregorii XIII. Et jam antea, proposito in sacra congreg. Concil. ab archiepiscopo Mechliniensi duplici dubio, nempe, ut refert Monacell., *loc. cit.*, n. 32.

« I. An clerici Societatis Jesu sacros ordines ab archiepiscopo Mechliniensi suscepturi debeant se subjicere examini prout cæteri regulares?

« II. An clerici Societatis Jesu habitantes in diœcesi Mechliniensi, archiepiscopo ordinationem habente, possint extra diœcesim Mechliniensem ordinari ab alio episcopo in propria diœcesi? »

Sacra congregatio Concilii die 5 Julii 1681 respondit :

« Ad I, *negative*, nisi adsit consuetudo in contrarium. »

« Ad II, *affirmative*. »

(71. Dicto speciali privilegio gaudent Fratres Minores de Observantia in partibus Indiarum occidentalium existentes, ex concessione post concilium Tridentinum et Clementem VIII eis facta ab Urbano VIII, constitut. incip. *Cum sicut*, ibi : « Nos ejusdem, etc., supplicationibus.... » et infra : « Nobis humiliter porrectis inclinati, omnibus et singulis ejusdem ordinis S. Francisci in partibus Indiarum occidentalium hujusmodi tantum existentibus expresse professis, ut de superiorum suorum licentia a quocunque, quem maluerint, catholico antistite, gratiam et communionem Apostolicæ sedis habente in propria diœcesi residente, vel in aliena de diœcesani loci consensu Pontificalia exercente, per eos eligendo, ad omnes, et etiam sacros et presbyteratus ordines, etiam temporibus ad id a jure statutis, ac interstitiis a sacra cong. Trid. designatis, minime servatis, annique curriculo non exspectato, etiamsi in unoquoque ex dictis S. Ordinibus susceptis, antequam ad alium promoveantur, se minime exercuerint; dummodo tamen ad id idonei reperiantur, et promoti in illis etiam in altaris ministerio ministrare libere et licite possint et valeant, Apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus, et indulgemus, ac facultatem impartimur. Non obstantibus, etc. »

72. An autem tali speciali privilegio gaudeant omnes alii regulares, quamvis multi id negent, plurimi tamen id affirmant ex concessione facta a Clemente VIII die 23 Nov. 1596, congregationi S. Joannis evangelistæ in Portugallia, quibus indulsit ut a quocunque antistite communionem Ecclesiæ habente cum prælatorum suorum licentia, seu dimissoriis ordinari valeant. Unde quod ejusmodi religiosi non sint adstricti ad eam formam concedendi dimissorias suis subditis, quæ in sæpius citato decreto Clementis VIII adducta *supra*, num. 54 præscribitur, notant Piasecius, part. I, *Praxis episcopalis*, c. 1, art. 2, n. 5; Barbosa, part. II *De offic. et potest. episcop.*, allegat. 4, n. 60; Pirhing, lib. I *Decret.*, tit. 11, num. 61, vers. *Porro etsi;* Reiffenstuel, *ibidem*, n. 136; Sporer, t. III, part. I, c. 5, n. 123, cum multis aliis; nec immerito, quia allegata concessio Clementis VIII est posterior dicto suo decreto, uti patet ex data, cum decretum datum sit 15 Martii 1596 et concessio data sit die 23 Novemb. ejusdem anni. Tum quia privilegium a Papa concessum debet aliquid speciale operari, c. *Abbate* 25, De verbor. significat. Si autem dicti religiosi non possent dimissorias concedere ad alios episcopos, nisi in casu quo proprius diœcesanus abesset, vel nullas ordinationes haberet, nihil speciale operaretur, cum jam id fuerit ipsis, sicuti et omnibus aliis regularibus concessum ab ipsomet Clemente VIII in priori decreto edito 15 Martii 1596. Cum dictis autem religiosis communicant in privilegiis alii regulares. *Vide supra*, art. 2, num. 13, ubi varia ad rem.

(73. Patres congregationis Oratorii Urbis et Neapolis habent indultum, quod promoveri facere possint ad quoscunque ordines suos alumnos a locorum ordinariis, in quorum diœcesi habent domicilium absque litteris dimissoriis episcoporum originis. Sic declarasse sacram congregationem Concilii anno 1604, lib. LV *Decret.*, pag. 575, refert Monacell., tom. II, tit. 13, formul. 4, num. 41, et card. Petra, tom. V *Commentar. ad constit. 7 Pii II*, n. 84, ubi subjungunt non videri derogatum tali indulto per constitut. Innoc. XII incip. *Speculatores*, quia lex generalis nunquam censetur comprehendere casum privilegiatum, et specialem, per textum in c. *Cum Ordinem* 6, et c. *Abbatem* 40, ubi *Glossa*, verb. *Per litteras*, De rescriptis; Gonzalez, ad regul. 8 *Cancell.*, gloss. 9, § 2, n. 9; Rota coram Peutinger., decis. 354, n. 10, cum ibi allegatis.

Digitized by Google

(74. Verum quoad hæc de quibus hucusque, ordinationes scilicet regularium, nunc attendenda est omnino et observanda novissima constitutio Benedicti XIV incip. *Impositi Nobis desuper*, edita die 27 Februarii 1747.

In qua, relata veteri controversia de ordinatione regularium inter ipsos, et episcopos, ac sanctione sub Gregorio XIII, Sixto V et Clemente VIII quod nempe superiores regulares possint suis subditis regularibus pro eorumdem ordinatione litteras dimissorias duntaxat concedere ad episcopum diœcesanum, et solum, si diœcesanus abfuerit, vel non esset habiturus ordinationes, ad quemcunque alium episcopum, prædictam sanctionem confirmat, superiores regulares decreti Clemente VIII transgressores omnibus pœnis in ipso contentis subjicit, ac regulares contra dicti decreti præscriptum promotos et episcopos eos sic promoventes, pœnas omnes atque censuras, quæ adversus sacram ordinationem suscipientes ab episcopo qui proprius ad hunc effectum dici et haberi nequit, nec non adversus episcopos alienos subditos indebite ordinantes, in jure canonico, et in constitutionibus Apostolicis statutæ habentur, incurrere ipso facto absque alia declaratione decernit; clementer respective absolutis, dispensatis ac rehabilitatis iis omnibus qui in prædictis deliquissent, et ob hoc sententias, censuras ac pœnas ecclesiasticas antehac incurrissent.

(75. Præterea statuit ut superiorum regularium dimissoriæ, quæ ideo ad alium antistitem directæ fuerint, eo quod episcopus diœcesanus extra diœcesim commoretur, vel ordinationem non sit habiturus, nullius sint valoris et momenti, nisi illis adjuncta fuerit authentica attestatio vicarii generalis, vel cancellarii, vel secretarii ejusdem episcopi diœcesani, ex qua constet vel ipsum a diœcesi abesse, vel clericorum ordinationem habiturum non esse proximo legitimo tempore per ecclesiasticas leges ad hunc effectum statuto. Quod si aliquis antistes regularem virum in sua diœcesi proprium domicilium non habentem, solis ipsius superioris dimissorialibus litteris contentus, sine adjuncta præfata attestatione in forma probante, ad ordines promovere præsumpserit, decernit et declarat hunc ipso facto incurrere in pœnas canonicas adversus eos constitutas, qui alienum subditum legitimis dimissoriis destitutum ordinaverint. Declarat tamen regulares volentes se promovere ad ordines non teneri ostendere dimissorias ordinariorum propriæ originis, sed sufficere ut observent formam præscriptam in decreto Clementis VIII, ut censuit etiam sacra congregatio Concil. 28 Februarii 1654, et amplissime confirmavit 7 Martii 1674.

(76. Privilegia autem suscipiendi ordines a quocunque catholico antistite decernit illis solis regularibus suffragari, quibus post Tridentinum concilium nominatim atque directe, non autem per communicationem concessa fuerint, ut jam in quadam congregatione particulari ab Innocentio XIII deputata fuit declaratum, et ipsemet Innocentius XIII statuit constitutione incipien. *Apostolici ministerii*, confirmata a Benedicto XIII constitut. incip. *In supremo*. Dicta vero privilegia declarat nequaquam post concilium Tridentinum indulta censeri, nisi vel post ipsius concilii confirmationem reipsa fuerint concessa, vel quatenus antea concessa et posterius confirmata esse asserantur, hujusmodi confirmationes, quæ in forma communi nuncupantur, nemini ad præmissum effectum ullo pacto suffragari. Quod vero spectat ad eorumdem privilegiorum usum et exercitium, vult monendos esse illos qui vere ipsis, ut supra concessis, gaudent, ut non sine justa causa, nec extra debitas circumstantias, pro libito ipsis utantur; minime vero ad ostendendam duntaxat ipsorum privilegiorum singularitatem, quemadmodum aliquibus in more positum esse cognovit, qui pridie illius diei, quo ab episcopo diœcesano clericorum ordinationes publice habendæ sunt, ad alterius episcopi diœcesim consulto migrant, moxque, suscepto ibidem ordinationis munere, ad pristinum domicilium redeunt : idque se facere aiunt, ut jurium suorum indemnitati consulant; quasi vero Apostolica privilegia, non nisi cum aperto episcopi diœcesani contemptu suam vim et robur habitura forent. Sic ipse expresse in citat. constit. incip. *Impositi Nobis*, ubi etiam ad rem multa sapientissime tradit, ac episcopos et regulares omnes, maximo quo potest Apostolicæ voluntatis studio, per misericordiam Dei nostri, ut tam in hoc negotio, quam in cæteris omnibus solliciti sint unitatem spiritus et sinceræ dilectionis concordiam servare, hortatur, etc

(77. Nuntii Apostolici possunt ordines conferre illis qui habent dimissorias proprii episcopi cum clausula, quod possint a quocunque antistite ordinari; supplicante enim nuntio Apostolico Tauriensi pro resolutione dubii : « An ipsi nuntio competeret facultas absque licentia episcopi diœcesani ordines in propria capella conferendi habentibus litteras dimissoriales a propriis episcopis cum clausula, quod possint a quocunque antistite ordinari? » Sacra congreg. Concilii, sub die 23 Aug. 1653, respondit, « posse; » lib. XIX *Decr.*, pag. 271.

(78. Græci et Albanenses Græco ritu viventes, et commorantes in Italia, sine litteris dimissoriis proprii ordinarii loci Latini et diœcesani nequeunt promoveri ad ordines, sub pœna suspensionis; et si suspensi, in suis ordinibus ministraverint, irregularitatem incurrunt. Et si ordinentur ab episcopo Latino, illi qui a presbyteris Græcis sunt confirmati, debent ante ordinationem iterum confirmari, sub conditione videlicet : « N. Si es confirmatus, ego te non confirmo, sed si non es confirmatus, ego signo te signo crucis ✠, confirmo te chrismate salutis. ✠ In nomine Patris, etc. »

Digitized by Google

Clemens VIII, constitut. 34, incip. *Sanctissimus.*

(79. Ultramontani non possunt ordinari ab episcopis Italiæ, nisi illorum demissoriæ fuerint recognitæ et approbatæ per nuntios Apostolicos earum regionum, ac per vicarium Urbis. Urban. XIII, const. 33, incip. *Secretis.* (80. Et hoc quamvis ordinandi permanerent in collegiis Italiæ. Sacr. congreg. Concil. *in Bononien.* 15 Martii 1692, apud Monacell., t. I, tit. 3, formul. 19, n. 3. (81. Hoc tamen non procedit in ultramontanis regularibus, ut jam dictum est supra, num. 60, ex declaratione sacræ congregationis. *Vide* ibi.

(82. Commorantes in Urbe quatuor menses non possunt ordinari extra Urbem cum litteris dimissoriis proprii ordinarii, sed debent se præsentare eminentissimo cardinali vicario, a quo debent ordines recipere vigore edicti tempore Clementis VIII de anno 1603 emanati, ac Alexandri VII anno 1664, die 15 Maii, et declarationis congregationis deputatæ ab eodem Pontifice approbatæ; alias contraveniendo incurrunt suspensionem Papæ reservatam.

(83. Ordines subditis sex episcopatuum cardinalitiorum prope Urbem, in quibus non sunt suffraganei, si proprius cardinalis episcopus non accedat ipse ad suam diœcesim, et ibi ordinationes habeat, debent conferri per cardinalem vicarium Urbis cum dimissoriis sui ordinarii, nec dictæ dimissoriæ possunt dirigi aliis episcopis sub pœna suspensionis. Alexander VII, constit. 129, incip. *Apostolica sollicitudo.*

(84. Metropolitani, patriarchæ et nuntii seu legati, nequeunt subditis ordinariorum conferre ordines, seu dimissorias ad alios episcopos concedere. Sic declaravit sacra congregatio *in una Burgensi* 16 Novemb. 1621, et refert Pignatell. tom. II, consult. 1, n. 5, et per tot., in *Compend.*, verb. *Nuntius*, et Card. Petra, tom. I *Comment. ad constit. unicam Urban. II*, sect. 1, num. 44, ubi refert, S. M. Innocentium X prohibuisse legato Bononiæ se ingerere in materia ordinum, prævio voto sacra congreg. Episcopor. et regular. 30 Septemb. 1650. Et de archiepiscopo sacra congreg. Concil. *in Calaguritana*, die 17 Januar. 1693, censuit dandas esse litteras monitoriales metropolitano Burgen. ut abstineret a conferendo ordines iis qui fuerunt ab ordinario rejecti, et episcopus uteretur jure suo in ordinationibus, non obstante jussu metropolitani in contrarium, et in casibus hujusmodi certioret sacr. congregationem. Et propositis pluribus dubiis in congregatione die 16 Aprilis anni 1695 et dilata resolutione die 16 Julii 1695 iterum propositis inter alia: «IX. An metropolitanus possit cogere suffraganeum ad conferendum ordines, et an possit admittere appellationes ab ordinum denegatione? X. An et in quibus casibus teneatur episcop. exprimere causas denegationis ordinum, et an ad id possit per metropolitanum? » Sacra Congreg. cum alia octo dubia fuissent proposita circa gravamina prætensa per episcopum contra archiepiscopum quoad appellationes, respondit : « Ad primum usque ad nonum. Dentur decreta alias a sacra congreg. Episcopor. edita, » apud Quarantam in *Summa Bullarii*, verb. *Archiepiscopi auctoritas*, impressa. Ad decimum censuit pariter dandum esse decretum in *Remen.* 21 Aprilis 1668, tenoris sequentis: « Propositis in sacra congregatione eminentissorum S. R. E. Cardinalium concilii Tridentini interpretum dubitationibus, circa quas Eminentia vestra pro sua egregia pastorali sollicitudine Apostolicam Sedem consuluit, eminentissimi PP. illius zelum charismata meliora æmulantem, peculiari laude prosecuti sunt. Cæterum eas dubitationes, quæ primis quinque capitibus, seu numeris digestæ, et exscriptæ sunt, unico responso ex declarationibus alias editis definiri posse censuerunt. Etenim cum nullus ordinari debeat, quem suus episcopus suæ Ecclesiæ utilem, aut necessarium non judicaverit, congregatio non semel declaravit ab hujusmodi judicio nullam dari appellationem, sed recursum duntaxat ad Sedem Apostolicam, quæ juxta ipsius congregationis sententiam per Gregorium XIII fel. rec. approbatam, quotiescunque ordinarius recusaverit quemquam ordinare, metropolitano, aut viciniori episcopo committit, ut ab eodem ordinario prius requirat causam recusationis, quo legitimam non allegante, liceat illi eumdem recusatum ordinare. Itaque, si quis ex diœcesanis episcoporum [emin. vestræ provincialium Sedem Apostolicam adiverit, juxta prænarratam formulam eorum querimoniis consulatur, cui formulæ, ut unum in præsens addatur, censuerunt expedire eminentissimi PP. videlicet ut metropolitanus aut vicinior episcopus, antequam commissas sibi partes exsequi aggrediantur, paterne curent, ut illi denuo apud suos episcopos per tres vices suppliciter instent. Ad XI. « censuit discutiendos esse casus particulares. »

(85. Papa potest ordinare quoscunque sine dimissoriis suorum ordinariorum. *Communissima*, cap. *Nunc vero* 20, cap. *Per principalem* 21, caus. 9, q. 3, et arg. c. *Proposuit* 4, De concessione præbendæ, ibi : « Qui secundum plenitudinem potestatis de jure possumus supra jus dispensare ; » et expresse Pius II, constitut. 7, incip. *Cum ex sacrorum*, ubi excipit ordinatos a summo Pontifice, ibi : « Præterquam si per Sedem Apostolicam juxta ejus stylum ordinati fuerint. » (86. Ordinatos autem a Papa nullus ad superiores ordines promovere potest sine ipsius licentia, cap. *Filium* 122, caus. 1, qu. 1, et cap. *Cum in distribuendis* 12, De temporibus ordinat.; Barbosa, lib. I *Juris Ecclesiast. univers.*, cap. 2, n. 82, et c. 33, n. 59, et *De offic. et potest. episc.*, part. III, alleg. 50, num. 22, cum aliis ibi citats, et Benedictus XIV, constitut. incip. *In postremo.*

(87. Quamvis ex dictis supra n. 14 ratione allatæ constitutionis *Speculatores*, lit-

Digitized by Google

teræ testimoniales proprii episcopi originis et domicilii de necesse requirantur, ut clericus legitime ad primam tonsuram, seu etiam ad minores ordines a proprio episcopo promotus, possit ab alio episcopo, ratione ac titulo cujuscunque beneficii in illius diœcesi obtenti, ad ulteriores ordines promoveri; non videtur tamen necessario requiri ut talis clericus possit in alia diœcesi beneficium obtinere, et in illo instituì; cum circa hoc nihil dicta constitutio decernat; imo ex ipsa videtur posse contrarium colligi, cum § 7 expresse dicat talem clericum « non posse ab alio episcopo ratione, ac titulo cujuscunque beneficii in illius diœcesi obtenti, ad ulteriores ordines promoveri, nisi ante eorumdem susceptionem testimoniales litteras, etc., » quæ verba *ratione ac titulo cujuscunque beneficii in illius diœcesi obtenti*, clare denotant beneficium jam fuisse legitime sine dictis testimonialibus in illius diœcesi obtentum; alias si ad illud obtinendum fuissent necessariæ, sicuti constitutio statuit, non posse clericum in tali diœcesi beneficiatum sine dictis testimonialibus ad ulteriores ordines promoveri, statuisset etiam, non posse sine ipsis aliquod beneficium in aliena diœcesi obtinere; quod enim voluit, expressit: unde si etiam id voluisset, expressisset; arg. cap. *Inter corporalia* 2, De translation. episcopor., § *Sed neque istud*; cap. *Ad audientiam* 12, De decimis, et cap. *Quia circa* 22, De privilegiis, cum similibus.

(88. Tum quia hoc colligitur etiam ex resolutione sacræ congreg. Concil. *in Pientina seu Ilcinen. ordinationis*, in qua cum episcopus Pientinus conquestus fuisset apud ipsam sacram congregat. quod clericum Laurentium Medicheschium sibi originis et domicilii jure subditum, et jam ab ipso ad ordines minores promotum, sine suis litteris, aut dimissoriis, aut testimonialibus, ad omnes sacros ordines evexerit episcopus Ilcinensis, ratione ac titulo cujusdam beneficii in ejus diœcesi obtenti, propositis quatuor sequentibus dubiis :

« I. An clericus Laurentius Medicheschius fuerit licite ordinatus ad titulum beneficii de quo agitur?

« II. An prædictus Laurentius licite fuerit ad sacros ordines promotus ab episcopo Ilcinen. in cujus diœcesi beneficium illud existit, sine litteris dimissoriis episcopi Pientini?

« III. An litteræ testimoniales, quas idem Laurentius impetravit ab episcopo Pientino, fuerint sufficientes ad licitam ordinationem?

« IV. An, et qui ordines contulit, et qui eos suscepit, inciderint in pœnas statutas a sacro concilio Tridentino, et a bulla *Speculatores*, in casu, etc.

Dicta sacr. Conc. congreg. die 18 Julii 1733 respondit :

« Ad I. *Affirmative*. Ad II. *Affirmative*. Ad III. *Affirmative* in casu de quo agitur. Ad IV. *Negative*. »

Sic apud *Thesaurum resolutionum sacræ congregationis Concil.*, tom. VI, pag. 111, ad 116, ubi multa ad rem merito ibi legenda.

(89. Ubi, ut vides, ne minimum quidem dubium excitatum fuit super facultate conferendi ipsi clerico beneficium, in eoque ipsum instituendi. Quod si aliqua adfuisset ratio, etiam minima, excitandi tale dubium, et solum, ut ita dicam, ad id canonicum fundamentum somniasset episcopus Pientinus, certe excitare, et omnem movere lapidem non omisisset, utpote sibi persuasus graviter se offensum ab episcopo Ilcinensi. Sed tota controversia restricta fuit, ut supra patet in propositis et decisis in sacra congregatione Concilii dubiis, ad dicti clerici promotionem ad ulteriores sacros ordines, juxta sancita ab Innocentio XII in allata constitut. incip. *Speculatores*. Unde nullus videtur adesse ambigendi locus super facultate conferendi in nostro casu alicui clerico sic jam a suo episcopo originis et domicilii ad primam tonsuram, seu etiam ad minores ordines promoto, beneficium in sua diœcesi, in eoque ipsum instituendi ab alio episcopo, dummodo non procedat ratione ipsius beneficii in sua diœcesi obtenti ad conferendos ei ulteriores ordines, sine testimonialibus proprii episcopi originis et domicilii, juxta disposita in d. constit. *Speculatores*.

(90. Tum quia experientia constat non paucos adesse clericos qui, nolentes ad ulteriores et sacros ascendere ordines, et aliunde digni, nulla habentes impedimenta canonica, in alienis diœcesibus sine dictis testimonialibus obtinent in dies beneficia simplicia, nullam personalem residentiam, et celebrationem per se missarum requirentia : quamvis tamen non desint episcopi qui ad mutuam inter se venerationem et reverentiam conservandam, ac magis fovendam ut valde decet, et summe præstat pro conferendis solis dignis atque dignioribus beneficiis, dictas testimoniales exquirere consueverint.

(91. Nota tamen atque adverte quod a præfata resolutione sacræ congregationis conc. *in Pientina seu Ilcinen.*, hic adducta n. 88, ead. sacra congregatio, die 8 Augusti ejusdem anni 1733, recessit quoad tertium et quartum dubium; reproposita enim causa ex noviter deductis sub dub. : « An quoad III et IV dubium sit standum, vel recedendum a decisis die 18 Jul. proxime præteriti in casu? » Eadem sacra congregatio, dicta die 8 Augusti 1733, respondit : « Quoad tertium recedendum a decisis, ad quartum vero consulant conscientiæ suæ. » Sic apud *Thesaurum resolutionum sacræ congregat. Conc.*, tom. VI, *in dict. Pientina seu Ilcinen. ordinationis* sub die 8 Augusti 1733 in cujus expositione clar. mem. Eminentissimus cardinalis de Lanfredinis, tunc ejusd. sacræ congregationis secretarius, plura eruditissime tradit ad rem. Et signanter, quod testimoniales litteras impetrari oportet ab episcopo originis, etiamsi quis inde discesserit in tali ætate, in qua nullum canonicum

Digitized by Google

impedimentum contrahere potuerit (ac proinde in casu quo de natalibus solum, ac de ætate testari queat episcopus originis), ut deducitur ex resolutione edita *in Laquedonien. seu Bituntina ordinationis* 16 *Novembris* 1709, ut in lib. XIX *Decret.*, pag. 365.

(92. Et scite advertit quod magna intercedit differentia inter litteras dimissorias, et litteras testimoniales. Nam litteræ dimissoriæ exprimunt traditam facultatem, ut alter episcopus possit clericum illum ad ordines promovere; litteræ autem testimoniales non hanc facultatem impertiuntur, quia supponitur facienda ordinatio ab alio episcopo non indigente traditione hujus facultatis, sed ea potituro jure suo; solumque continent testimonium quod clericus promovendus sit dignus, cui tales ordines conferantur, quemadmodum hæc diversitas clare deducitur ex litteris utriusque generis, quarum formulam tradit. Monacell., tom. I, tit. 4, formul. 3 et form. 9. (93. Et insuper etiam differunt litteræ testimoniales, quæ dantur eo fine ut ad prescriptum bullæ Innocentianæ exhibeantur alteri episcopo ordines collaturo ei qui beneficium in sua diœcesi fuerit assecutus, a litteris testimonialibus, quæ concedi solent ad commendandum clericum e diœcesi proficiscentem, ut illarum quoque formula habetur apud eumdem Monacell., dict. tit. 4, formul. 6. Sed si istiusmodi litteræ nullum exprimentes respectum promotionis ad ordines, approbarentur tanquam idoneæ, et bullæ Innocentianæ satisfacientes ad suscipiendos ab alio episcopo ordines, facilis sterneretur via fraudibus cum non mediocri ecclesiasticæ disciplinæ discrimine, quemadmodum conquestus fuit episcopus Pientinus sic scribens: « Si de testimonialibus agatur, non inficior quod a mea curia concessæ fuerint clerico Laurentio Medicheschio paulo ante ejus discessum, prout clericis omnibus illas postulantibus, et præsertim discessuris conceduntur, sed limitate ad mores, et absque ullo prorsus respectu ad ordines suscipiendos, de quibus nec per umbram fuit cogitatum. » Et infra: « Prius audivi dictum Medicheschium celebrasse missam in hac mea diœcesi, quam fuisse ordinatum.

(94. Litteræ autem testimoniales concessæ ab episcopo Pientino clerico Medicheschio sunt istæ: « Testamur clericum Laurentium Medicheschi nostræ diœcesis minoribus ordinibus constitutum, nullo excommunicationis, irregularitatis, aut cujusvis alterius canonici impedimenti vinculo, saltem quod sciamus, innodatum existere, neque ullo crimine postulatum, sed esse bonis et honestis moribus præditum, ac talem qualem in sortem Domini vocatos decet. »

(95. Quibus omnibus, aliisque diligenter ponderatis, eadem sacra cong., die 8 Augusti 1733, prudentissime recessit a decisis sub die 18 Julii ejusdem anni 1733, quoad tertium dubium propositum sub his verbis: « Tertio, An litteræ testimoniales, quas idem Laurentius impetravit ab episcopo Pientino, fuerint sufficientes ad licitam ordinationem? » et resolutum; « Ad tertium *Affirmative* in casu de quo agitur. » Et quoad quartum dubium propositum sub his verbis: « Quarto, an et qui ordines contulit, et qui eos suscepit, inciderint in pœnas statutas a sacro concilio Tridentino, et a bulla *Speculatores* in casu, etc. » ac resolutum, « Ad quartum, *negative.* » Quibus postea repropositis die qua supra his verbis: « An quoad tertium et quartum dubium sit standum, vel recedendum a decisis die 18 Julii proxime præteriti, in casu, etc. » Respondit: « Quoad tertium, recedendum a decisis; ad quartum vero, consulant conscientiæ suæ. » Hæc apud laudatum eminentissim. de Lanfredinis, *loc. cit.*, *Vide ibi* plura alia ad rem erudite congesta.

(96. Coadjutor canonicus cum futura successione, et assignata congrua, alias exterus, eo ipso debet dici subditus capitulo Elborensi, seu respective alteri, ad effectum suscipiendi ordines absque alia dimissoria episcopi suæ originis. Propositis enim in sacra congregatione Concilii sequentibus dubiis,

« I. An coadjutor cujusdam canonicatus cum futura successione, et assignata congrua, alias exterus, eo ipso dici possit subjectus capitulo Elboren. ad effectum suscipiendi ordines, absque alia dimissoria episcopi suæ originis?

« II. An supradicta coadjutoria sufficiat saltem ut talis coadjutor dicatur habere domicilium requisitum a constitutione san. memor. Innocentii XII incip. *Speculatores*, ad effectum suscipiendi ordines, ex eo quod ex possessione talis coadjutoriæ perpetuæ, videtur sufficienter demonstratus animus perpetuo permanendi?

« III. An idem episcopus auxiliaris teneatur inquirere utrum circa illos, qui sibi ab ordinario, seu capitulo proponuntur, seu dimittuntur ordinandi, satisfactum sit supradictæ constitut. *Speculatores*, non obstante quod ipsi non competat habilitare, et expedire ordinandos, sed provisori capituli, a quo non in genere, sed expresse personæ habiles, et expeditæ proponuntur? »

Ead. sacr. congr. Conc. die 23 Augusti 1721 respondit:

« Ad I. *Affirmative.* Ad II. Satis provisum in primo. Ad III. Non teneri requirere, sed posse, et debere, juxta subsistente causa, se abstinere ab ordinatione. »

97. Regulares ad ordines promovendi, præter litteras obedientiales sui superioris, non tenentur exhibere ordinario fidem sui baptismatis, ad docendum de legitima ætate, dummodo in litteris obedientialibus exprimatur ætas. Sic expresse sacra congr. Concil. die 12 Decembr. 1733 *in Brixien.* in respons. ad 2. dub. apud *Thesaurum resolution. sacr. congr. Concil.*, tom. VI, impressionis Venetæ.

(98. An pro ordinibus suscipiendis possit fieri variatio de uno episcopo ad alium, attendendæ sunt sequentes resolutiones sacr.

Digitized by Google

congregat. Concilii. Cum enim *in Fundana ordinum* 27 Febr. 1666, proposita fuissent hæc dubia : « I. An in suscipiendis minoribus ordinibus sit permissa variatio, ita ut qui ab episcopo originis, seu domicilii tonsura, aut altero ex minoribus ordinibus initiatus fuerit, possit ad alium ordinem minorem ab episcopo beneficii promoveri ? II. An sit permissa variatio in ascensu ab acolytatu ad subdiaconatum ? III. An sit permissum subdiacono in promotione ad diaconatum, vel diacono in promotione ad sacerdotium variare ? » Sacr. cong. Conc. respondit : « Variationem in unoquoque ex prænarratis casibus (dummodo non in fraudem fiat) licitam esse ; » ut in lib. XXV *Decret.*, pag. 26. Sicque conciliari possunt dissidentes doctorum opiniones, ut scilicet variatio bona fide facta liceat, secus vero in fraudem, ut observat eminentissimus Petra, tom. I *Ad constitut. unic. Urbani II*, sect. 1, num. 64. Et ad hoc facit alia ejusdem sacræ congregationis resolutio, quæ in *Mutinen.* 26 Januar. 1658, ad dubium : « An laico, cui a proprio episcopo fuit denegata prima tonsura, possit ipsa prima tonsura conferri, vel concedi litteræ dimissoriales ab ordinario alterius diœcesis, coram quo ipse laicus præsentatus fuerit ad beneficium ecclesiasticum. » Respondit : « Non posse ; » ut in lib. XXI *Decret.*, pag. 166; *et in Aversana seu Casertana ordinationis....* Cum quidam laicus prima tonsura initiari petiisset ab episcopo originis et domicilii, et ab eo repulsam passus, deinde fuisset clericali militiæ ascriptus ab alio episcopo, in cujus diœcesi fuerat presentatus ad tenue beneficium, discusso dubio : « An ordinans et ordinatus inciderint in pœnas statutas in c. 8, sess. XXIII, *De reformat.* ? » Eadem sacra congreg. respondit : « *Affirmative ;* » ut in lib. XLIII. *Decr.*, pag 128 et 491. Sic referuntur tom. V. *Thesauri resolut. sac. congregationis Concilii in Pisana seu Clusina, dubium ordinationis*, in qua cum quidam Petrus Christophorus, fraudulenter extortis litteris testimonialibus, episcopum pro suscipiendis ordinibus, variasset, proposito dubio : « An Petrus Christophorus fuerit licite ad sacros ordines promotus cum litteris dimissoriis episcopi Clusini, et sine litteris dimissoriis archiepiscopi Pisani ? » Eadem sacra congreg. 27 Januarii 1732 respondit « *Affirmative*, sed Petrum Christophorum esse suspendendum ab exercitio ordinum ad tempus arbitrio sacr. congr. » Et id etiam comprobant resoluta dubia in supradicta *Pientina seu Ilcinen. Ordinationis* de clerico Laurentio Medicheschio prius ad ordines minores promoto ab episcopo Pientino, et deinde ad omnes majores seu sacros ab episcopo Ilcinensi evecto.

(99. Ordinatio ad titulum religiosæ paupertatis, an ratificare censenda sit professionem initio nullam, adhuc disputatur, donec a sanctissimo ut in præmissis, cum alliis similibus quæstionibus explanetur et decidatur. Benedict. XIV, tom. II. const. 57, incip. *Si datam.*

(100. Ordines minores collati ab abbate nullum ad id obtinente privilegium, neque licite conferuntur, neque valent. Si vero conferantur ab abbatibus habentibus jus conferendi illos certo personarum generi, et quos initiaverint ad alterum genus pertineant, illicite conferuntur, sed tamen valide ; ita ex variis decretis sacræ congregationis. *De synodo diœces.*, lib. II, cap. 10., § 13.

(101. Cum regularibus faciliorem se præbere potest episcopus in ordine ad examen, ut ex Salmantic., *Theol. moral.*, tract. 8, cap. 5, dub. 2, punct. 2, n. 47. Facilius etiam dispensare cum illis potest ab interstitiis, conformando se judicio superioris regularis testantis de sufficientia causæ. *Institut. eccles.* 23, § 1. Sed *vid.* n. 132. art. super.

(102. Episcopus alienos subditos ordinaturus per dimissorias ad se directas, non tenetur quidem ordinandum novo examini subjicere, cum id a proprio episcopo sit præstandum, ut ex communi doctorum sententia ; at, si velit novæ discussioni illum subjicere, potest, ut sæpius a s. congregatione Concilii definitum est. At episcopus suffraganeus ad supplendas diœcesani vices assumptus, nec tenetur, nec potest, ut ab eadem congregatione decisum est in causa *Elboren. dubior.* die 22 Augusti 1721 cui tamen fas est ab ordinatione illius abstinere, si aliqua justa causa suppetat ad eum removendum. *De synodo diœces.* lib. XII, cap. 8, § 7, nov. edit. *

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(103. Opinio auctoris n. 2, quod abbas possit conferre subditis suis ordines minores, tametsi non sit benedictus, haud potest indistincte recipi. Ea tribus tantum casibus admitti potest. (104. I. Si abbas hoc a S. Sede privilegio donatus sit, ut nondum benedictus ordines minores suis subditis conferre valeat. II. Si munitus sit diurna consuetudine. III. Demum si episcopus fuerit in mora illum benedicendi. Extra autem tres hosce casus amplecti nequit. Confer Sanchez, *Consil. moral.*, lib. VII, cap. 1, dub. 19, n. 7. et seq., et qui alios allegat Thesaur., *De pœn.*, verb. *Ordo* cap. 23. versic. *Verum est.* (105. Mora autem episcopi dicitur adesse, si ter abbas petierit benedictionem, eamque ipse epscopus haud fuerit impertitus, attenta constitutione S. M. Benedicti XIII quæ incipit : *Commissi.*

(106. Quinimo juxta eamdem constitutionem non aliter abbas non benedictus ex privileg. potest conferre subditis suis minores ordines, quam si privilegium recta, et nominatim ipsi sit concessum. Cæterum si agatur de abbate qui privilegium illud allegare queat per communicationem, nequit is, spectata dicta constitutione, conferre amplius minores ordines suis subditis non benedictus.

(107. De facultate cardinalium presbyterorum circa collationem primæ tonsuræ et minorum ordinum in suis titulis, familia-

Digitized by Google

ribus et subditis, de qua disserit auctor n. 9, consulenda est constitutio S. M. Innocentii XII cui initium est *Romanus Pontifex.*

(108. Recte notavit auctor, n. 77, quod vicarius Urbis conferre debet ordines subditis sex episcopatuum suburbicariorum, in quibus non sunt episcopi suffraganei, si proprius cardinalis episcopus non accedat ad suam diœcesim, ibique habeat ordinationem. (109. Nuper vero auctor quidam affirmare non dubitavit quod cardinalis episcopus in Urbe residens, possit in ea ordinare subditos suos absque licentia vicarii Urbis, ex ineptissima illa ratione, quod scilicet capella palatii ejusdem cardinalis in Urbe existentis, censeatur per fictionem juris adhærere ipsius episcopatui. At novam hanc opinionem, uti contrariam concilio Tridentino, constitutioni Alexandri VII incipient. *Apostolica*, tum inconcussæ praxi improbavit S. M. Benedictus XIV, ut ex ejus epistola typis data, quæ incip. *Nell' ultima udienza*, asservaturque in secretaria cardinalis vicarii, et quidem de mandato ejusdem Summi Pontificis Bened. XIV.

(110. De bulla *Speculatores*, quam refert auctor sub n. 11, vide Lamperez et Moreno, licet caute legendos, ob nonnullos errores in quos inciderunt, eosque notatos a Monacello, Riganti aliisque.

ADDITIONES CASINENSES.

Affertur hic quoad ordinationes regularium constitutio fel. recordationis Benedicti XIV, de qua fit mentio sub n. 74 h. art. tenoris ut sequitur.

DE ORDINATIONIBUS REGULARIUM

« BENEDICTUS EPISCOPUS

« SERVUS SERVORUM DEI.

« *Ad perpetuam rei memoriam.*

« Impositi Nobis licet immerentibus Apostolici ministerii ratio postulat, ut ad tuendum ecclesiasticæ disciplinæ vigorem, non modo novas interdum leges provide constituamus; verum etiam veteres a prædecessoribus nostris sapienter statutas, si quidem fallacium rationum præsidio debitis fraudentur effectibus, novis et invincibilibus sanctionibus communiamus; si vero earum claritas pravis et captiosis interpretationibus involvi et obumbrari dignoscatur, easdem perspicuis apertisque declarationibus in propria luce collocemus: « § 1. Sane, quæ olim de ordinationibus regularium controversia viguit, an scilicet regulares a quocunque catholico antistite indistincte ordinari possent, an vero id juris privative pertineret ad episcopum illius diœcesis, intra quam sita est religiosa domus, quam regularis ad ordines promovendus inhabitat, providis Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum constitutionibus et declarationibus jamdudum sublata fuit. In qua quidem controversia episcopi locorum ordinarii jura sua fundantes in generalibus canonum statutis, et in ipsis exemptionum privilegiis, quæ regularibus indulta sunt, aiebant ipsorum ordinationes, utpote diœcesanis episcopis expresse reservatas, neque spectare posse ad ordinarios eorum originis, quam regulares a se abdicant, dum sæculo nuntium remittunt, neque porro ad ordinarios beneficii, quoniam ipsi ad titulum beneficii non promoventur; proindeque unice spectare ad episcopos ordinarios eorum domicilii, nimirum illius diœcesis ac loci in quo ipsi ordinarii commorantur. Contra vero regulares Apostolicis privilegiis innixi, quæ certis ordinibus recentius elargita, ac deinceps per viam communicationis ad omnes extensa fuerant, licitum sibi esse contendebant sacros ordines a quocunque catholico antistite, juxta eorum privilegiorum tenorem, pro arbitrio suscipere.

« § 2. Verum cum felicis recordationis prædecessor noster Gregorius Papa XIII per suam Apostolicam constitutionem, quæ incipit *In tanta rerum*, datam apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MDLXXIII, Kalendis Martii, justis gravibusque de causis alteram constitutionem sui nostrique pariter prædecessoris S. Pii Papæ V, cujus initium est *Etsi mendicantium*, ad juris communis et sacri concil. Trid. terminos reduxisset; eodem quoque anno in causa monachorum ordinis Carthusiani decretum edidit, quo ipsos ab episcopis diœcesum, in quibus eorum monasteria respective sita sunt, vel nonnisi de istorum licentia, ab aliis quibusque episcopis ordinandos esse declaravit; quemadmodum legitur lib. I *Decretorum cong. Conc.*, pag. 75, a terg. dub.: « An nostri ordinandi obligentur ha« bere expressam licentiam ordinarii in cu« jus diœcesi sunt, pro ordinibus conferen« dis ab episcopo alterius diœcesis: SS. Do« minus Noster, etiam ex sententia sacræ « congregationis Concilii, declaravit obli« gari. »

« § 3. Contigit autem sub illius successore Sixto Papa V eamdem quæstionem retractari instante universo ordine Fratrum Prædicatorum. Qua de re idem prædecessor, post maturum causæ totius examen in præfata congregatione Concilii habitum, constituit, licere superioribus regularibus litteras dimissoriales concedere suis respective subditis ad ordines suscipiendos; sed eas tamen diœcesano duntaxat episcopo directas, nec alteri unquam, nisi cum forte is a diœcesi abfuerit, aut quatenus in diœcesi exstiterit, clericorum tamen ordinationem non sit habiturus. Ita relatum habetur, lib. IV, prædictorum *Decretorum*, pag. 108: « Sanctis« simus dominus noster Xistus V ex sen« tentia congregationis, respondit regulares « posse concedere dimissorias ad episco« pum diœcesanum, eoque absente, vel « etiam præsente et ordinationem non te« nente, ad quemcunque, dummodo ab eo « episcopo qui ordines contulerit, exami« nentur quoad doctrinam. »

« § 4. Demum a sanctæ memoriæ prædecessore quoque nostro Clement. Papa VIII ad hujusmodi controversias perpetuo exstin-

Digitized by Google

guendas, sequens decretum editum fuit: « De mandato sanctissimi domini nostri « Clementis divina Providentia Papæ VIII, « tenore præsentium mandatur omnibus et « singulis quorumcunque regularium superioribus, ut de cætero observent et observari faciant ea quæ in decreto sacræ congregationis Concil. Trident. continentur, « cujus tenor est talis. Congregatio Concilii « censuit superiores regulares posse suo « subdito itidem regulari, qui præditus « qualitatibus requisitis, ordines suscipere « voluerit, litteras dimissorias concedere, ad « episcopum tamen diœcesanum, nempe « illius monasterii, in cujus familia ab iis, « ad quos pertinet, regularis positus fuerit; « et si diœcesanus abfuerit vel non esset « habiturus ordinationes, ad quemcunque « alium episcopum; dum tamen ab eo epi- « scopo qui ordines contulerit, examinetur « quoad doctrinam, et dum ipsi regulares « non distulerint de industria concessionem « dimissoriarum in id tempus quo episco- « pus diœcesanus vel abfuturus, vel nullas « esset habiturus ordinationes. Verum cum « a superiorib. regularibus, episcopo diœ- « cesano absente, vel ordinationes non ha- « bente, litteræ dimissoriæ dabuntur, in eis « utique hujusmodi causam absentiæ diœ- « cesani episcopi, vel ordinationum ab eo « non habendarum, exprimendam esse. « Quod qui non fecerint, officii et dignitatis, « seu administrationis ac vocis activæ et « passivæ privationis ac alias arbitrio ejus- « dem sanctiss. domini nostri Papæ reser- « vatas pœnas incurrant. In quorum fidem, « etc. » Datum Romæ, die 15 mensis Mart. 1596.

« § 5. Hoc emanato Pontificio decreto, eoque tam claris verbis concepto, jure sperandum videbatur hujus generis lites non amplius auditum iri: sed contra accidit, dum ex una parte nonnulli episcopi ultra montes constituti contendere cœperunt necessarias esse regularibus dimissorias etiam ordinariorum eorum originis, quo possent ab episcopis aliorum locorum ad sacros ordines promoveri; ex altera vero regulares obtendentes, in præfato Clementis VIII decreto derogatum non fuisse Apostolicis privilegiis quæ eorum ordinibus, sive directe, sive per communicationem indulta fuerant, ut scilicet a quocunque catholico antistite ordinari possent, hujusmodi decreti vim et observantiam declinare se posse putarunt.

« § 6. Verum, quod attinet ad episcopos, ipsa congreg. Concil. die 28 Februar. ann. MDCLIV, ut notatum reperitur libro XIX ipsius *Decretor.* pag. 316, ita rescripsit: « Regu- « lares volentes se promovere ad ordines, « non teneri ostendere dimissorias ordi- « nariorum propriæ originis, sed sufficere, « ut observent formam præscriptam in de- « creto san. mem. Clement. VIII. » Quod etiam amplissime confirmatum fuit in alio decreto edito die 17 Mart. MDCLXXIV *Decretorum* libro XXVIII, pag. 261 et sequentibus.

« § 7. Quod vero spectat ad regular.; eum eorum præsumptum jus, una cum rationibus ab ipsis plenissime deductis in quadam congreg. particulari nonnullorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium a felicis recordationis prædecessore nostro Innocentio Papa XIII deputata, cui Nos in minoribus tunc existentes, nostram qualemcunque operam, pro demandato Nobis secretarii munere, contulimus, diligenter expensum et examinatum fuisset; cumque ad hujusmodi quæstionem definiendam, id potissimum visum esset in jure statuendum, an ad effectum eximendi regulares a præfati decreti Clementini observantia, sufficeret, quod privilegia suscipiendi ordines a quocunque ipsis concessa fuissent post concilium Tridentinum, a quo hujusmodi antiqua privilegia abrogata fuisse satis constat; an vero oporteret eadem concessa fuisse post ipsum Clementis prædecessoris decretum; ac præterea, an hujusmodi privilegia æque suffragarentur iis ad quos per viam communicationis extensa dicerentur, ac iis quibus directe et expresse indulta fuerunt; idem Innocentius prædecessor, audito præfatæ congregationis particularis consilio, decrevit satis esse ad supradictum effectum, quod hujusmodi privilegia post concilium Tridentinum concessa fuerint, quamvis præfato Clementino decreto posteriora non sint: dummodo tamen directe concessa fuisse constat, non vero in communicationem privilegium de uno in alium ordinem derivata asserantur, quemadmodum ipse Innocentius in suis Apostolicis litteris incipientibus *Apostolici ministerii*, die 30 Martii anni MDCCXXIII, datis ac deinde confirmatis a sanctæ memoriæ prædecessore pariter nostro Benedicto Papa XIII per alias similes litteras datas die 23 Septembr. anni MDCCXXIV quarum initium est *In supremo*, aperte declaravit, his verbis: « Quoties ergo « regulares ad ordines erunt promovendi, « servetur omnino decretum congregationis « Cardinalium Concilii Trident. interpretum « a piæ memoriæ Clemente VIII prædeces- « sore etiam nostro confirmatum die 15 « Mart. 1596 quo sancitur ad episcopum « diœcesanum litteras dimissorias pro eo- « rumdem ordinum susceptione a suis su- « perioribus esse dirigendas, præterquam « in casu quo diœcesanus e diœcesi abesset « vel ordinationes non esset habiturus, quo « etiam casu in litteris dimissoriis ad alium « episcopum dirigendis expressa fieri debeat « mentio, vel de prædicta episcopi diœcesani « absentia, vel de ulla alia causa, videlicet « quod ordinationes non sit habiturus; ex- « ceptis tamen, quoad prædicta, regularib. « illis, quibus per speciale privilegium a « Sede Apostolica post concilium Triden- « tinum fuerit concessum, ut a quolibet ca- « tholico antistite ordines suscipere pos- « sint, super quo indulto nihil per præsen- « tes innovare intendimus. »

« § 8. Porro si aliqui vigilias laboresque suos non tam in extricandis inutilibus quæstionibus, vel forte in rebus profanis, et ab ecclesiastica professione alienis addi-

Digitized by Google

scendis consumerent, quam in studio sacrarum legum, quibus ecclesiastica disciplina continetur, utiliter collocarent; ac nisi aliquibus arbitrium pro lege, præjudicata opinio pro ratione, atque in legum etiam clarissimarum interpretatione suus cuique sensus pro auctoritate esset, nec olim Nobis in nostro Bononiensi archiepiscopatu residentibus contigisset, ut regularis quidam ex ea urbe repente digressus, suique superioris dimissorias ad episcopum finitimum deferens, tametsi nullo pacto docere posset, Nos clericorum ordinationem non habituros sacrum presbyteratus ordinem susciperet, nullaque interjecta mora, Bononiam ad primum sacrificium non sine pompa offerendum reverteretur. Quam tamen intolerandam audaciam Nos ad canonicarum sanctionum rigorem exigere, atque etiam, servata pastorali mansuetudine, vindicare non prætermisimus, ut videre est in monito pastorali a Nobis tunc edito, inter impress., notif. 3, lib. II. Neque rursus ex quo universalis Ecclesiæ regimen, Deo sic disponente, assumpti fuimus, plurium episcopor. fratrum nostrorum querelæ ad apostolatum nostrum delatæ fuissent; qui nimirum non sine magno animi nostri dolore, apud Nos expostulare non desinunt, a pluribus sæpe regularibus in eorum diœcesibus respective commorantibus similia perpetrari in spretum ecclesiasticarum legum atque pœnalium sanctionum, quibus ipso facto adstringuntur (siquidem in authographo supra relati Clementini decreti distincte legitur *incurrant* non autem quod falso non nemo asseruit, *incurrent*), dum scilicet superiores regulares, qui subditis suis, non ad præscriptum ejusdem decreti dimissorias litteras concedunt suorum officiorum ac dignitatum et vocis activæ atque passivæ amissione mulctantur, ordinati vero suspensionis pœnam, atque etiam, si in suscepto ordine ministraverint, irregularitatem incurrunt; ac denique antistites, qui ipsius manus imponunt, non facile effugiunt canonicas pœnas adversus eos propositas, qui alienos subditos absque sufficientibus dimissoriis ordinare præsumunt. Qui etiam plerumque culpa non vacant in eo, quod, cum ex usu rerum intelligere possint, complures regulares non alia de causa, proprio domicilio relicto, iter arripere, quam ut se subducant examini episcopi diœcesani, cujus hac in re jurisdictionem aut nimium rigorem perhorrescunt, aliumque inveniant qui, vel nullo vel admodum levi præmisso examine, ordines ipsis impertiatur; quoties hujusmodi facilitate erga illos utuntur, toties adversus consultissima Tridentinæ synodi decreta delinquunt. Ea siquidem sess. XXVII, cap. 12, *De reformatione*, sic statuit: « Regulares « quoque, nec in minori ætate nec sine di- « ligenti episcopi examine ordinentur, pri- « vilegiis quibuscunque quoad hoc penitus « exclusis. »

« § 9. Nos autem consueta Sedis Apostolicæ clementia uti volentes, libenter abstinemus a designandis aut nominandis hoc loco regularibus de quorum excessibus in hoc rerum genere graves episcoporum querimoniæ ad Nos delatæ fuerunt. Quæcunque etiam hac in re inordinate ad hunc diem admissa sunt, a districtioris judicii inquisitione liberamus; quinimo omnes et singulos in hoc delinquentes, sive superiores regulares, sive regulares ad ordines promotos, sive antistites qui eos ordinaverint, a quibuscunque sententiis, censuris et pœnis ecclesiasticis quas hac de causa respective antehac incurrerint, quibusve innodati forsan existant, auctoritatis nostræ plenitudine ac de Apostolica benignitate, tenore præsentium absolvimus et absolutos esse censeri decernimus, et cum iisdem super quacunque irregularitate per eos forsan, causa et occasione præmissis, quomodolibet contracta, ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines, eorumque exercitium, atque ad omnia et singula eorum respective religionum munera pari auctoritatis plenitudine dispensamus. De cætero tamen infra scriptas leges in posterum omnino observandas, motu proprio, et ex certa scientia nostra, ac matura deliberatione præmissa edicimus atque statuimus.

« § 10. Quæcunque nimirum hac in re a præfatis prædecessoribus nostris Greg. XIII, Sixto V, Clemente VIII et Innocentio XIII in supra citatis ipsorum litteris seu decretis, statuta, mandata, definita atque sancita fuerunt, ea omnia et singula, motu, scientia et potestatis plenitudine præfatis, eorumdem præsentium serie confirmamus, roboramus et innovamus; atque ab omnibus ad quos spectat, seu quandocunque in futurum spectabit, inviolabiliter observari præcipimus et jubemus; transgressores quoque omnibus pœnis in præmissis contentis, aliisque per Apostolicas constitutiones, et per sacros canones latis atque statutis, cum effectu subjacere, easque ipso facto et absque aliqua declaratione incurrere decernimus; superiores nimirum regulares, eas omnes, quas, ut præfertur, supradictus Clemens VIII prædecessor constituit et sanxit; regulares autem, qui contra illius decreti præscriptum promoti fuerint, et antistites eos promoventes, canonicas pœnas atque censuras, quæ adversus sacram ordinationem suscipientes ab episcopo, qui proprius ad hunc effectum dici et habere nequit, nec non adversus episcopos alienos subditos indebite ordinantes, in jure canonico et in constitutionibus Apostolicis statutæ habentur.

« § 11. Præterea volumus atque decernimus, ut superiorum regularium dimissoriæ, quæ ideo ad alium antistitem directæ fuerint, propterea quod episcopus diœcesanus extra diœcesim commoretur, vel ordinationem non sit habiturus, nullius sint roboris et momenti, nisi illis juncta fuerit authentica attestatio vicarii generalis, vel cancellarii aut secretarii ejusdem episcopi diœcesani, ex qua constet vel ipsum a diœcesi abesse, vel clericorum ordinationem habiturum non esse proximo legitimo tempore per

Digitized by Google

ecclesiasticas leges ad hunc effectum statuto. Hoc enim expresse declarari opus est, ad excludendam nonnullorum arrogantiam, qui cum privilegio gaudeant suscipiendi ordines extra tempora, existimarunt episcopos ipsorum voluntati adeo addictos esse debere, ut si quandocunque ipsis placuisset ad ordines promoveri, non statim, ipsoque die ab ipsis designato voti compotes fierent, jam dici posset ordinationem ab episcopo non haberi proindeque alius episcopus pro suscipiendis ordinibus adeundus esset. Quod si aliquis antistes regularem virum in sua diœcesi proprium domicilium non habentem solis ipsius superioris dimissorialibus litteris contentus, sine adjuncta præfata attestatione in forma probanti, ad ordines promovere præsumpserit; decernimus et declaramus hunc ipso facto incurrere in pœnas canonicas adversus eos constitutas qui alienum subditum legitimis dimissoriis destitutum ordinaverint.

« § 12. Quemadmodum vero eorum ordinum regularium privilegia firma et rata esse volumus, quibus ab Apostolica Sede reperitur indultum, ut eorum alumni a quolibet catholico antistite ipsius Sedis gratiam et communionem habente, ordinari valeant, dummodo hujusmodi privilegia post Tridentinum concilium et ipsis ordinibus nominatim atque directe, non autem per communicationem concessa fuerint; ita porro omnia similia privilegia, quæ aliis ordinibus ante præfatum concilium Tridentinum, ab ipsa etiam Apostolica Sede et sub quibuscunque tenoribus et formis, indulta sint, vel etiam post ipsum concilium non ipsis directe concessa, sed per communicationem ad eos extensa esse dicantur, iisdem auctoritate et tenore, nulla et irrita, omnique vigore ac robore ad effectum de quo agitur, penitus destituta et vacua esse volumus et statuimus. Decernentes hujusmodi privilegia nequaquam post concilium Tridentinum indulta censeri, nisi, vel post ipsius concilii confirmationem reipsa fuerint concessa, vel, quatenus antea concessa et posterius confirmata esse asserantur, hujusmodi confirmationes *in forma specifica* cum litterali veteris indulti insertione, ejusque expressa innovatione factæ dignoscantur; ac declarantes, alterius generis confirmationes, quæ *in forma communi* nuncupantur, nemini ad præmissum effectum ullo pacto suffragari. Quod vero spectat ad eorumdem privilegiorum usum et exercitium, monendi sunt ii, quibus eadem, juxta præmissa, pleno jure competere dignoscuntur, ut non nisi justa causa, nec extra debitas circumstantias, pro libito ipsis utantur, minime vero ad ostentandam duntaxat ipsorum privilegiorum singularitatem; quemadmodum aliquibus in more positum esse novimus, qui pridie illius diei, quo ab episcopo diœcesano clericorum ordinationes publice habendæ sunt, ad alterius episcopi diœcesim consulto migrant, moxque suscepto ibidem ordinationis munere, ad pristinum domicilium redeunt, idque se facere aiunt, ut jurium suorum indemnitati consulant, quasi vero Apostolica privilegia, nonnisi cum aperto episcopi diœcesani contemptu, suam vim et robur habitura forent.

§ 13. Denique tam venerabiles fratres patriarchas, archiepiscopos et episcopos, quam dilectos filios omnium regularium ordinum professores, quam maximo possumus Apostolicæ voluntatis studio, per misericordiam Dei nostri, et per charitatem sancti Spiritus hortamur in Domino, et obtestamur, ut tam in hoc negotio quam in cæteris omnibus, solliciti sint unitatem spiritus et sinceræ dilectionis concordiam servare. Meminerint regulares, quo loco Spiritus sanctus posuerit episcopos regere Ecclesiam Dei; quod ipsis a sacrosancta œcumenica Lateranensi synodo sub Leone X habita inculcatum fuit per hæc verba: « Eosdem insuper « fratres in virtute sanctæ obedientiæ, ut « eosdem episcopos loco sanctorum Apostolorum subrogatos, pro debita, et nostra, « ac Apostolicæ Sedis reverentia, congruo « honore et congruenti observantia veneren« tur. » Neque obliviscantur episcopi, regulares viros ipsis datos esse adjutores in Dominicæ vineæ cultura; subdit enim eadem sancta synodus: « Ipsos quoque episcopos « hortamur, ac per viscera misericordiæ Dei « nostri requirimus, ut fratres ipsos affectu « benevolo prosequentes, charitative tra» ctent ac benigne foveant, etc., et tanquam « in agro Dominico cooperatores, eorumque « laborum participes prompta benignitate « recipiant. » Demum et episcopi et regulares simul animum advertant ad id quod ibidem subjicitur: « Una est regularium « et sæcularium, prælator. et subditorum « exemptorum, et non exemptorum univer« salis Ecclesia, extra quam nullus omnino « salvatur, eorumque omnium unus Domi« nus, una fides, et propterea decet eos, qui « ejusdem sunt corporis, unius etiam esse « voluntatis. »

§ 14. Hæc profecto Christianæ veritatis et charitatis documenta, quum utrinque servata fuerint, omnibus in rebus, adeoque in hac etiam ordinationum materia, importunæ partium querelæ penitus conticescent. Neque enim regulares conqueri poterunt quod, recusantibus episcopis sacram ordinationem administrare, præterquam in temporibus ab Ecclesiæ statutis, eorum privilegia de ordinibus extra tempora suscipiendis effectu vacua remaneant; episcopi enim alios etiam opportunos dies ordinandis regularibus facile invenient. Episcoporum autem cessabunt querelæ, quod superiores regulares ad eludendam decreti Clementis observantiam, advenientibus ordinationis temporibus, subditos suos domicilio moveant; eosdemque statim post susceptos ordines falsis de causis ad pristinum monasterium reverti jubeant; si quidem regulares hujusmodi agendi rationem (quam et alias in foro externo, graviterque vindicatam fuisse, et in posterum directe coercendam fore noverint) tum a probi viri honestate, et fide alienam, tum etiam debitæ erga sacros Ecclesiarum anti-

Digitized by Google

stites observantiæ contrariam esse, ipsi per se facile cognoscent.

§ 15. Præsentes vero nostras litteras, et in eis statuta quæcunque, etiam ex eo quod quilibet in præmissis, seu eorum aliquo, jus vel interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, cujusvis status, gradus, ordinis, præeminentiæ, vel dignitatis existant, sive alias specifica et individua mentione et expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, et auditi, neque causæ, propter quas eædem præsentes emanaverint, adductæ, verificatæ, vel sufficienter, aut ullo modo justificatæ fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumvis juridica et privilegiata causa, colore, prætextu et capite, etiam in corpore juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno, ac formali et substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas apertionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut etiam motu pari, et de Apostolicæ potestatis plenitudine sibi concesso, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare, ullo modo posse; sed ipsas præsentes semper firmas, validas et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis ad quos spectat, et pro tempore quandocunque spectabit inviolabiliter et inconcusse observari.

§ 16. Sicque et non aliter in præmissis censeri, atque ita per quoscunque judices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et Apostolicæ Sedis prædictæ nuntios, aliosve quoslibet quacunque præeminentia, ac potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet aliter judicandi et interpretandi facultate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§ 17. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostra et cancellariæ Apostolicæ regula de jure quæsito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in universalibus, provincialibus, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, etiam immemorabilibus privilegiis quoque, exemptionibus et indultis, etiam in corpore juris clausis, aut litteris Apostolicis quibusvis personis, collegiis, locis, ordinibus, etiam militantibus, congregationibus, societatibus et institutis, aliisque quibuslibet specifica et individua mentione dignis, etiam sub quibuscunque verborum tenoribus et formis; et cum quibusvis etiam clausulis et decretis etiam derogatoriarum derogatoriis, et irritantibus, in genere, vel in specie, etiam motu simili, et de Apostolicæ potestatis plenitudine, seu consistorialiter, ac alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis; ac pluries confirmatis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque tenoribus specialis, specifica et individua mentio, seu quævis alia expressio ad id servanda foret, illorum tenores, formas, causas et occasiones præsentibus pro plene et sufficienter expressis, et exactissime servatis, et specificatis respective habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat, ad præmissorum effectum, plenissime et amplissime, motu pari derogamus, et derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscunque.

§ 18. Volumus insuper, et eadem auctoritate prædicta mandamus, ut eædem præsentes, et in eis contenta quæcunque ad omnium notitiam facilius deducantur, nec quisquam de eis ignorantiam prætendere valeat, ipsas præsentes, seu earum transumpta, ad valvas ecclesiæ Sancti Joannis in Laterano, et basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, nec non Cancellariæ Apostolicæ, curiæ generalis Innocentianæ in monte Citatorio, et in acie campi Floræ, per aliquem ex cursoribus nostris, ut moris est, publicari et affigi, sicque publicatas et affixas, omnes et singulos ad quos spectat seu spectabit in futurum, perinde afficere, et arctare, ac si unicuique illorum personaliter intimatæ et notificatæ fuissent.

« Utque earumdem præsentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, ac sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides, tam in judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

« § 19. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum confirmationis, approbationis, innovationis, voluntatis, mandati, statuti, decreti et declarationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

« Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ MDCCXLVI, Kalend. Martii, pontificatus nostri anno VII.

« D. card. Passionei.

« J. datarius.

« Visa de Curia.

« J. C. Boschi.

« J. B. Eugenius. »

Loco + plumbi.

Registrata in secretaria brevium.

Publicat. die 4 Martii 1747.

Digitized by Google

ARTICULUS VI.

Quoad ea quæ concernunt culpam et pœnam male ordinantium et ordinatorum.

SUMMARIUM.

1. Ordines absque speciali dispensatione, seu privilegio illiciie, sed valide conferuntur, et suscipiuntur, aut extra tempora, vel ante legitimam ætatem, aut sine litteris dimissoriis. — 2 Quod illicite conferantur, et suscipiantur, ostenditur. — 3. Quod valide adhuc conferantur, et suscipiantur, demonstratur. — 4. Si episcopus ante ordinationem protestaretur se vere et absolute non habere intentionem ordinandi eos qui non habent legitimam ætatem, dimissorias, vel alia requisita necessaria, invalida esset illorum ordinatio. — 5. Adducitur, et solvitur instantia. — 6. Si vero dubium esset de vera et absoluta intentione habita in tali protestatione, vel de mutatione intentionis prius expressæ, tunc ordinatio saltem sub conditione esset reiteranda.— 7. Episcopus ordinans scienter aliquem ante legitimam ætatem, suspenditur a collatione omnium ordinum. — 8.Non est tamen ipso jure suspensus, sed solum per sententiam suspendendus. — 9. Episcopus sic suspensus a collatione ordinum, non est suspensus ab alio actu ordinum. — 10. Ordinati scienter ordinibus majoribus ante legitimam ætatem sunt ipso jure suspensi.— 11. Et si, durante tali suspensione, in eisdem ordinibus ministraverint, eo ipso irregularitatem incurrunt, et, ultra alias pœnas, possunt etiam privari beneficiis ecclesiasticis.— 12. Talis suspensio est perpetua, et tandiu durat, quandiu sic ordinati absolutionem non obtinuerint. — 13.Sic suspensi ob dolose acceptos sacros ordines, et facti irregulares ob ministrationem in ipsis factam, durante suspensione, solent recurrere ad sacram pœnitentiariam, cum delictum est occultum, quamvis tamen possint absolvi, et respective dispensari a proprio episcopo. — 14. Si autem delictum evadat publicum, causa devolvitur ad sacr. congregationem episcoporum et regularium. — 15. Episcopus scienter ordinans aliquem extra tempora a jure statuta sine dispensatione, aut privilegio, non est suspensus ipso jure, sed suspendendus est per sententiam, et privandus potestate conferendi ordines, quos illicite contulit. — 16. Episcopus autem sic suspensus a collatione ordinum, a quorum ordinum collatione censeatur suspensus. Vide ibidem sub eod. numer. — 17. Ordinati scienter in sacris extra tempora sine legitima dispensatione, seu privilegio, sunt de facto ipso jure suspensi. — 18. Sic suspensi, et consequenter ob ministrationem facti irregulares, si talis suspensio et irregularitas sit occulta, possunt absolvi, et respective dispensari ab episcopo. — 19. Si tamen sit publica, non possunt absolvi, et respective dispensari, nisi per Summum Pontificem.— 20. Episcopus ordinans scienter alienum subditum sine dimissoriis, seu consensu sui proprii superioris, est ipso facto suspensus per annum a collatione ordinum. — 21. Episcopus autem sic suspensus censetur solum suspensus a collatione illius ordinis, quem male contulit, et aliorum majorum, sed non a collatione inferiorum illius. — 22. Ordinati scienter ab alieno episcopo sine dimissoriis, seu consensu sui proprii ordinarii, sunt suspensi ipso facto ab exsecutione susceptorum ordinum, quandiu proprio ordinario videbitur expedire. — 23. Sic ordinantes, et ordinati sine dimissoriis proprii diœcesani, possunt insuper puniri aliis pœnis, quæ assignantur. — 24. Suspensio sancita contra ordinatos sine dimissoriis, non est reservata Papæ, sed proprio episcopo.— 25. Suspensio tamen sancita contra ordinatos cum falsis dimissoriis est reservata Summo Pontifici.— 26. Item Summo Pontifici est reservata suspensio lata contra eos qui, postquam permanserunt per quatuor menses in Urbe, faciunt se promoveri extra Urbem cum litteris dimissoriis proprii ordinarii.— 27. Item reservata est Summo Pontifici suspensio lata contra ordinatos ex sex episcopatibus cardinalitiis prope Urbem cum litteris dimissoriis ab alio, quam a cardinali vicario.— 28. Ab irregularitate incursa ob administrationem in ordinibus sic male susceptis, si sit publica, dispensat solus Summus Pontifex; si autem sit occulta, dispensare potest episcopus. — 29. Episcopus scienter ordinans aliquem ad sacros ordines titulo sustentationis, ultra grave peccatum commissum, tenetur eidem sic ordinato providere de necessariis alimentis, donec beneficium ecclesiasticum consequatur. — 30. Et, ipso episcopo ordinatore jam mortuo, tenetur sic ordinato providere de necessariis alimentis capitulum, sede vacante et deinde novus episcopus. — 31. Imo si clericus sine titulo fuerit scienter ordinatus a pluribus episcopis, domicilii videlicet et originis, tunc quilibet ipsorum tenetur in solidum sic ordinato providere de necessariis alimentis. — 32. Quinimo nedum episcopus sic scienter ordinans, sed etiam episcopus scienter dans licentiam alteri episcopo promovendi, vel certis et determinatis promovendis ad sacros ordines sine titulo, tenetur ipsis alimenta præstare.— 33. Si vero episcopus alienus ex generali commissione, et licentia episcopi diœcesani ordinationes habeat, et scienter ordinet aliquem sine titulo, tunc ad ipsi alimenta præstanda non tenetur proprius episcopus, sed alienus.— 34. Talis obligatio providendi de necessariis alimentis sic ordinatis scienter sine titulo incumbit episcopis solummodo, quando tales ordinati aliunde non habent, nec habere possunt suam sustentationem.— 35. Item talis obligatio incumbit episcopis solum, quando scienter sine titulo ordinant, vel concedunt aliis determinatam facultatem aliquas certas personas sic ordinandi, et sic ordinati bona fide, et absque dolo et fraude propria tales ordines susceperunt; non autem quando sic ordinati fuerunt ipsi soli in culpa, et dolo.— 36. Si episcopus aliquem ordinet sine titulo sub pacto; et promissione, quod ordinatus non possit ex post ab ipso petere alimenta, tunc episcopus ordinans suspenditur a collatione ordinum per triennium, et sic ordinatus est perpetuo suspensus ab ordine recepto, donec a Summo Pontifice dispensetur.— 37. Si episcopus religiosum nondum professum, aut non nisi ad certum tempus, ordinet ad sacros ordines sub prætextu religionis, et absque titulo beneficii, vel patrimonii, tunc ipse est ipso jure suspensus per annum a collatione talium ordinum, et religiosus sic ordinatus est suspensus ab exsecutione ordinum, donec beneficium ecclesiasticum sit adeptus, vel aliunde habeat, unde vivere possit; et si interim in ipsis ordinibus ministraverit, efficitur irregularis. — 38. Excipiuntur tamen Patres societatis Jesu, qui tria vota in societate emiserunt, quia de licentia præpositi generalis possunt ipsi promoveri ad sacros ordines absque titulo, etiam ante solemnem professionem.— 39. Promoti ad sacros ordines cum falsis et fictis titulis, sunt ipso facto perpetuo suspensi absque spe obtinendæ dispensationis a Sede Apostolica, et subjacent adhuc majoribus pœnis arbitrio Summi Pontificis infligendis.— 40. Episcopus ordinans aliquem eodem die ad duos sacros ordines, secundum aliquos, est ipso facto suspensus a collatione utriusque ordinis, donec a Sede Apostolica absolutionem et dispensationem impetraverit; secundum plures alios non est ipso facto suspensus, sed solum suspendendus. — 41. Ordinatus eodem die ad duos sacros ordines, an sit suspensus solum ab exsecutione ultimi ordinis, illo die recepti, vel ab exsecutione omnium? — 42. Episcopus conferens ordines sacros absque celebratione missæ graviter peccat, sicuti et graviter peccant ipsos sacros ordines extra missam recipientes, et tam ordinans, tam

Digitized by Google

ordinati possunt gravi pœna puniri. — 43. Ipsa missa debet celebrari ab eodem ordinante, nec sufficit, ut celebretur ab eodem sacerdote coram illo. — 44. Missæ tamen celebratio non est de substantia ordinationis. Unde quamvis collatio, et receptio sacrorum ordinum sine celebratione missæ sit illicita, est tamen valida. — 45. Hinc non est reiteranda tota ordinatio, sed solum suppleuda est missa ipsius ordinantis, et donec suppleatur dicta Missa, remanent suspensi dicti ordinati. — 46. Ordinans et ordinatus non expectatis temp. Interst., graviter peccant, et uterque potest a superiore puniri pœna arbitr. ad n. 47. — 48. De ordinatis per saltum aliisque ad rem cum additt. ex al. man. ad n. 66.

(1. Ordines absque speciali dispensatione, seu privilegio, illicite, sed valide conferuntur, et suscipiuntur, aut extra tempora, vel ante legitimam ætatem, aut sine litteris dimissoriis. *Communis*, quoad utramque partem (2. Et quidem quoad primam partem, nempe quod *illicite* conferantur, et suscipiantur, est evidentissima, cum id sit contra gravem, et expressam prohibitionem Ecclesiæ, ut patet tot. tit. *De temporibus ordinationum*. Et eodem in 6, et cap. *Illud* 1, c. *De aliena* 2; cap. *Si quis ausus* 3; cap. *Clericos* 4; cap. *Primatus* 6, et cap. *Extraneo* 7, dist. 71; c. *Quoniam* 2, c. *Ordinationes* 3, c. *Quod a patribus* 4, et c. *Ordinationes* 7, dist. 75, cum plurimis similibus. Concil. Trid., sess. XIV, can. 2, *De reformat.*, sess. XXIII, cap. 8, et c. 13, *De reformat.*, et sæpe alibi, Pius II, constit. incip. *Cum ex sacrorum*; Urban VIII, constit incip. *Secretis*; Innocent. XII, constit. incip. *Speculatores*, et in aliis constitutionibus variorum aliorum Pontificum; (3. Quoad secundam partem, nempe quod *valide* adhuc conferantur et suscipiantur, clare constat ex variis sacris canonibus, et signanter ex c. *Consultationi* 16, De temporibus ordinationum, ubi expresse definitur, quod ordinati ad sacros ordines extra tempora a jure statuta sine ullo dubio characterem recipiant, ex c. *Cum quidam* 8, c. *Quod translationem* 11, c. *Vel non est compos* 14, De temporibus ordination., *Sæpe contingit* 1, et c. *Eos qui* 2, eod in 6, ubi sic ordinantes et ordinati suspenduntur quidem a collatione, et respective ab exsecutione ordinum, et non declarantur invalidæ ordinationes. Et hoc quamvis in aliquibus canonibus præfata prohibentibus dicatur irrita aliter facta ordinatio, ut in cap. *Si quis ausus* 3, dist. 71, cap. *Nullus* 1, caus. 9, quæst. 2, et aliis, quia dictum verbum *irritum* intelligendum non est, quod ordinatio sit nulla et invalida in se ipsa, ita ut non recipiatur character, quia vere eum recipit, ut expresse cavetur in cit. c. *Consultationi* 16, De temporib. ordinat., sed intelligendum est, quod sit sine usu licito talis ordinatio. Turrecremata, in cit. canon.; Sanchez, *Opuscul.*, l. VII, c. 1, dub. 20, n. 14; Campanil., in *Diversorio juris*, rubr. 6, c. 3, n. 18; cardinal. Petra, tom. V *Commentar. ad const. 7 Pii II*, sect. unica, n. 1, et alii passim docentes, quod neque defectus ætatis, neque defectus dimissoriarum, aut statutorum, atque hujusmodi non servata præcepta Ecclesiæ infringant validitatem ordinum collatorum, et receptorum.

(4. Si autem episcopus ante ordinationem protestaretur se vere et absolute non habere intentionem ordinandi eos, qui non habent legitimam ætatem, dimissorias, vel alia requisita necessaria, invalida esset ordinatio illorum, qui ordinati essent contra dictam absolutam, et veram non retractatam intentionem episcopi eos non ordinandi; deficeret enim in tali casu intentio ministri quæ necessario requiritur ad validitatem sacramenti. Hinc sacr. congr. conc. die 31 Januar. 1688 declaravit: « Nullam fuisse ordinationem quondam Simonis Tarcii, qui, confectis sibi falsis dimissoriis, accessit ad episcopum N., qui agnoscens, vel saltem dubitans dimissorias esse subreptitias, protestatus fuit in ipsa ordinum celebratione, ordines exposcenti conferre, quoties ipse sufficientem haberet ætatem, ac dimissoriæ veræ et non adulteratæ essent. » Sic apud Monacell., t. II, tit. 13, form. 3, n. 43, et card. Petram, *loc. cit.*, n. 5, in fine.

(5. Nec valet objicere, quod sac. cong. Conc. *in una Portalegren.* 5 April. 1704 declaravit quemdam clericum, qui falsis dimissoriis ordinatus fuerat, fuisse valide ordinatum, non obstante, quod episcopus ordinans fuisset protestatus se non habere intentionem. Non valet, inquam, quia ideo sac. congreg. declaravit validam talem ordinationem quia talis protestatio fuerat generaliter emissa a secretario, et non ab episcopo, et insuper ipse episcopus interrogatus respondit, se habuisse intentionem faciendi in ordinandis eis et si requisitis carentibus, quod facit, et mandat Ecclesia, et sic non constabat de vera et absoluta intentione negativa ipsius episcopi ante ordinationem per ipsiusmet protestationem, et quatenus adfuisset, constabat de retractatione dictæ negativæ intentionis in actu ordinationis per supradictam suam confessionem seu responsionem. Sic card. Petra, *loc. c.*, n. 5; Monacell., *l. c.*, n. 42, et tenent plures alii apud ipsos, aliique passim. (6. Si vero dubium esset de vera, et absoluta intentione habita in tali protestatione; vel de mutatione intentionis prius expressæ, tunc ordinatio, saltem sub conditione est reiteranda juxta stylum Pœnitentiar., de quo testatur Pignatell., tom. IV, consult. 140, n. 7; Monacell., *loc. c.*, n. 44; card. Petra, *loc. c.*, n. 6 et alii. Et sic pluries respondit sacr. cong. Conc., et signanter in *Aprutina ordinum* 11 Januar. 1710; in *Perusina ordinationis* 19 Julii 1732, et in *Ugentina* 3 Augusti 1743, apud *Thesaurum resolutionum sacr. congregationis Concilii* dictorum annorum.

ADDITIONES CASINENSES.

Præstat hic sequentia ex Benedicto XIV exscribere. *De synod. diœc.*, l. IX, c. 11, n. 1 et seq.

« In Pontificali Romano habetur edictum, quo episcopus ordines collaturus, sub pœna excommunicationis præcipit, ne quisquam

Digitized by Google

canonico impedimento irretitus ad ordines suscipiendos accedere audeat. Idem solent episcopi in suis synodis clarius adhuc edicere, et explicare, ac præcipue solent illorum audaciam censuris compescere, qui emendicato et ficto patrimonii titulo, quo revera carent, ad sacros ordines promoveri præsumunt. Hæc omnia laudabiliter fiunt, neque ulli sunt reprehensioni obnoxia. At plerique episcopi, his diligentiis nequaquam contenti, alias ulteriores adhibent, quæ non omnibus probantur : solent quippe, priusquam sacræ ordinationis cæremonias incipiant, per archidiaconum, aliumve, publice denuntiare, se intentionem non habere ordinandi irregulares, censuris innodatos, carentes legitimo patrimonio, aut beneficio, vel litteris dimissorialibus proprii ordinarii, etc. Quanquam autem præsumendum sit, unicum ejusmodi protestationis scopum esse, deterrere, qui aliquo ex enuntiatis vitiis laborans, ad ordines sacrilege suscipiendos se accingit ; ne enim gravis peccati reus fiat, tenetur episcopus absolutam intentionem habere ordinem conferendi homini præsenti, cui manus imponit, et consueta porrigit instrumenta, quemadmodum recte animadvertunt Navarrus consil. 5, De temporib. ordinat., Gobat., *Theolog. experim.*, tract. 8, num. 316, et cardin. de Lugo, *De sacram.*, disput. 8, sect. 7, num. 119, nihilominus tamen, cum prædictam protestationem ordinationi præmittit, innumeris scrupulis, et animi anxietatib. occasionem præbet, et quandoque etiam probabilis, et prudens dubitatio exinde excitatur, num revera quis fuerit legitime ordinatus, eo quod aliquo ex enuntiatis impedimentis esset obstrictus. Quare, ne cum maximo totius Christianæ reipublicæ detrimento, et perturbatione, dubii atque incerti ministri sacris ministeriis addicantur, præstat omnino, ut episcopus ab illa generali protestatione abstineat, quod opportune monet citatus de Lugo his verbis : « Ego quidem « usum talis protestationis nullo modo pro« bo : tum quia in ritibus ecclesiasticis fun« damentum non habet ; nam, licet in Pon« tificalibus antiquis, et modernis apponа« tur formula, qua ordinandi moneantur ex « parte episcopi, ne ullus accedat irregula« ris absque ætate, vel facultate legitima, etc., « in nullo tamen pontificali invenitur talis « protestatio de defectu intentionis... tum « etiam quia, licet existente gravissima « causa, posset aliquando episcopus habere « intentionem sub conditione... Cæterum « ejusmodi voluntas conditionata universa« lis cum omnibus haberi non potest, abs« que gravissimis inconvenientibus propter « dubia, quæ inde oriuntur circa valorem « ordinis. » Minus itaque decet, aliquid synodo inseri, quod prædictam protestationem contineat, aut eidem æquivaleat : et enim, cum synodales sanctiones sint de se stabiles, et perpetuæ, simile edictum in synodo promulgatum, incertos redderet etiam ordines ab episcopis successoribus conferendos, quamvis enim isti nihil fortasse dicant, quo significent, se non habere intentionem quemquam initiandi, qui canonico detineatur impedimento, semper nihilominus dubitari poterit an suam intentionem conformaverint synod. statuto nondum revocato.

« At quid faciendum, si re ipsa contingat, aliquem canonico impedimento ligatum ordines recepisse ab episcopo, qui eam solemnem protestationem sacræ ceremoniæ præmisit. Fuse de hac quæstione a nobis actum est in nostro tractatu *De sacrificio missæ*, sect. 2, § 70 (164), ubi ex sacræ con-

(164) Hæc porro in cit. tract. *De sacrificio missæ*. « Quæstio hæc versata est, et accurato subjecta examini in sac. congregat. Concilii, quæ propensior semper fuit in eam sententiam, ut invalida esset ordinatio ejus, qui cum canonico impedimento ordinem suscepisset ab episcopo, qui declarasset sibi intentionem non esse ordinandi accedentes cum ejusmodi impedimento : ut videre est in Addit. ad Navarrum constit. 1, *De eo qui furtive ordinem suscepit*, et quanquam non nemo dubitat, an revera exstet ejusmodi sac. congregationis resolutio, ut est apud Bossium tom. II *Moral.*, tit. 3, § 18, n. 160, tamen qui de ea dubitandum censet, vehementer fallitur ; eam enim resolutionem refert celebris Fagnan., qui tot annos secretarii munere obeundo inclaruit, in cap. *Tuæ litteræ*, num. 15, *De clerico per saltum promoto* : atque ipsi nos eam reperimus in veteri manuscripto. Est autem ejusmodi : « Quæsitum fuit, an ordinati ante ætatem legi« timam ab episcopo, qui ante ordinationem in Ec« clesia publico edicto protestatus est, quod non in« tendebat ordines conferre, nisi iis, qui in ætate « legitima erant constitutis, receperint vacuam ma« nus impositionem : Responsum fuit ex *communi « sententia*, recepisse vacuam manus impositionem. » Quæ resolutio edita fuit in congreg. habita die 23 Januarii 1586..... « Itaque res omnis in eo est, ut ordinantis exploretur intentio ; nam si episcopus non habuerit intentionem ordinandi, et in actu ordinationis non revocaverit contrariam intentionem adversus eum, qui cum canonico defectu ad ordinem percipiendum accessit, inficiari nemo potest, ordinationem fuisse nullam. Idcirco vetus resolutio anni 1586, approbata fuit a Summo pontifice in consistorio, qui etiam jussit, antequam executioni mandaretur, scribi ad episcopum, ut edicti a se promulgati formam mitteret, quo cognosci posset num episcopus revera intentionem habuerit non ordinandi eum, qui cum defectu canonico ad suscipiendos ordines accessisset. « Et cardinalis de Lugo (*De sacram. in genere*, disput. 8, sect. 7, num. 119) ita scribit : « Non debet res adeo gravis dubiis ex« poni : unde si casus accideret, ergo sacerdoti eo « modo ordinato cum tali impedimento consulerem, « ut, si commode potest, adeat eumdem episcopum, « ejusque intentionem exploret, qualis fuerit. Quod « si hoc fieri non possit, recipiat iterum sub condi« tione ordinem, ne maneat in illo dubio cum peri« culo invaliditatis aliorum sacramentorum, quæ ex « sacerdotio dependent. » Hanc autem esse S. Pœnitentiariæ praxim testatur Thesaurus, *De pœnis ecclesiast.* part. II, verbo *Ordines*, cap. 7, n. 2... « Quod si vel clara defuit probatio contrariæ inten« tionis in ordinante, vel dubitari potuit, num aliquo « modo fuerit revocata, S. congregatio censuit ite« randos esse ordines *sub conditione*, ut apparet ex « aliquibus Decretis in *causa Aprutina ordinum* 11 « Januarii 1710, et in *Ugentina ordinum* 3 *Augusti* « 1743. » (Lib. III, cap. 10, num. 5 et 7 *De sacrif. missæ*.)

Digitized by Google

gregationis Concilii sententia diximus interrogandum episcopum, si sit superstes, a quo ordines sunt collati : et si is asserat suam intentionem vere alligasse præmissæ protestationi, ordinationem diximus absolute iterandam : si vero dubia, et incerta remaneat episcopi intentio, eo quod non satis constet qua mente eam protestationem emiserit, et an illi revera suam aptaverit intentionem, ordinatio erit sub conditione repetenda. Quare, ad consulendum conscientiarum securitati et quieti, omnemque dubitationem de re sane gravissima removendam, cavere utique debet episcopus, ne ullus ad ordines suscipiendos admittatur, qui, diligenti præhabita inquisitione, non fuerit dignus et idoneus repertus, omnibusque ornatus qualitatibus, quæ a sacris canonibus requiruntur ; at, in ipso actu collationis ordinum, opus est, ut absolutam habeat intentionem initiandi omnes et singulos sive a se antea approbatos, sive quoquo modo intrusos, qui ad illos suscipiendos accedunt, et per consuetam materiæ exhibitionem, formæque prolationem voti compotes fiunt ; neque expedit, ut aliquid, ne ad terrorem quidem, tunc dicat, unde fas sit ejus intentionis defectum conjicere, aut leviter suspicari. » Sic Ben. XIV, *l. c.*

(7. Episcopus ordinans scienter aliquem ante legitimam ætatem, suspenditur a collatione omnium ordinum. *Communis*, textu expresso in cap. *Vel non est compos* 14, De tempor. ordinat., ibi : « Prædictum episcopum (qui puerum 13 annor. in diaconum ordinavit) a collatione ordinum suspendentes. » Non est tamen ipso jure suspensus, sed solum per sententiam suspendendus. (8. Colligitur ex cit. cap. *Vel non est compos*, ubi Papa mandat prædictum episcopum per sententiam suspendi, ibi : « Mandamus, quatenus, si rem inveneritis ita esse, prædictum episcopum a collatione ordinum suspendentes, etc. » Et nullibi in jure reperitur statuta suspensio latæ sententiæ contra episcopum sic delinquentem. Imo ex cap. *Sane* 2, De temporibus ordinat., cit. cap. *Vel non est compos*, et aliis juribus, est tantum suspendendus. Glossa penultima et interlinear. in Clementin. final. *De ætat. et qualitat.* Nec cit. const. Pii II incip. *Cum ex sacrorum*, suspensionem ipso jure imponentis, loquitur de episcopis male ordinantibus, sed solum de clericis male ordinatis, ut ipsam legenti patet. Et Bulla Sixti V incip. *Sanctum et salutare* infligens suspensionem, aliasque pœnas etiam contra episcopos male ordinantes, moderata est a Clemente VIII, const. incip. *Romanum Pontificem*, et redacta ad dispositionem sacrorum canonum, et concilii Tridentini, nec non citatæ constitutioniis Pii II. Et sic tenent card. Petra, *loc. cit.*, n. 32, cum Riccio, Ventriglia, et Thesauro ibi citatis, Reiffenstuel, lib. I *Decretal.*, tit. 11, n. 184 et 176 ; Fagnan., in cit. c. *Vel non est compos*, num. 4, et alii passim.

(9. Episcopus sic suspensus a collatione ordinum, non est suspensus ab alio actu ordinum ; unde, si talis episcopus, durante illa suspensione, missam celebret, non efficitur irregularis. Abbas, in cap. *Cum dilectus*, n. 20, vers. *Si ergo suspensio*, De consuetudine ; Rebuffus, in *Praxi benefic.*, tit. *De clericis ad sacros ordines male promotis*, gloss. 2, n. 7 ; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 175 ; Fagnan., in cit. cap. *Vel non est compos*, n. 45, et alii plures.

(10. Ordinati scienter ordinibus majoribus, ante legitimam ætatem, sunt ipso jure suspensi. Communis hodie ac certa ex constit. Pii II incip. *Cum ex sacrorum*, ubi expresse declarat quod « qui ad aliquem ex sacris ordinibus se fecerint promoveri, a suorum exsecutione ipso jure suspensi sint. » (11. Et si, durante tali suspensione, in eisdem ordinibus ministraverint, eo ipso irregularitatem incurrunt, et ultra pœnas, possunt etiam privari beneficiis ecclesiasticis. Sic expresse cit. const. Pii II *Cum ex sacrorum*, ibi : « Et si hujusmodi suspensione durante, in eisdem ordinibus ministrare præsumpserint, eo ipso irregularitatem incurrant. Præterea ultra alias pœnas in tales generaliter a jure inflictas, beneficiis ecclesiasticis possint jure privari. »

(12. Talis suspensio est perpetua et tandiu durat, quandiu sic ordinati absolutionem non obtinuerint, quia cum sit simplex, et indeterminata, non stat in nobis eam limitare ad certum tempus ; jura enim, ubi volunt suspensionem esse temporalem, id solent exprimere, ut in cap. *Eos qui* 2, De temporib. Ordinat., in 6, cum aliis allegatis per Glossam in Clement. final., in verb. *Suspensi*, De pœnis. Unde et Pius II si voluisset suam suspensionem durare solummodo usque ad ætatem legitimam, hoc expressisset, sicuti expressit Honorius III in cap. *Vel non est compos* 14, De temporib. ordinat., arg. cap. *Inter corporalia* 2, De translation. episcop., § *Sed neque istud* ; c. *Qui* 22, De privileg., et cap. *Ad audientiam* 12, De decimis. Sic Fagnanus, in cap. *Vel non est compos*, n. 13 ; Gonzalez, *ibid.*, n. 7 ; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 179 ; card. Petra, *loc. cit.*, n. 13, et alii apud ipsos. (13. Sic suspensi ob dolose receptos sacros ordines et facti irregulares ob ministrationem in ipsis factam durante suspensione, solent recurrere ad sacram pœnitentiariam, cum delictum est occultum ; et sacra pœnitentiaria solet concedere facultatem confessario eos absolvendi a suspensione et dispensandi ab irregularitate, cum clausula, « dummodo de præsenti habeant ætatem, » et solet injungere dicto confessario exsequenti, ut tales pœnitentes per aliquod tempus sibi benevisum suspensos detineat ab ordinibus. Marcus Leo, in *Praxi sacræ Pœnitentiariæ* pag. 3, in formul. a mala promotione ante ætatem, p. 290 et seq. ; card. Petra, *loc. cit.*, n. 23. Quamvis tamen possint absolvi et respective dispensari a proprio episcopo vigore concilii Tridentini sess. XXIV, *De reformat.*, cap. 6. *Vide* verb. IRREGULARITAS,

Digitized by Google

art. 3, n. 7. (14. Si autem delictum evadat publicum, causa devolvitur ad sacr. congreg. Episcop. et Regul. ut de simili casu testatur card. Petra, *loc. cit.*, n. 24.

(15. Episcopus scienter ordinans aliquem extra tempora a jure statuta sine dispensatione, aut privilegio, non est suspensus ipso jure, sed suspendendus est per sententiam et privandus potestate conferendi ordines quos illicite contulit. *Communis* per textum in cap. *Sane*, etc. *Cum quidem* 8, et cap. *Litteras* 13, De temporibus ordinat. (16. Episcopus autem sic suspensus a collatione ordinum censetur solum suspensus a collatione illius ordinis, quem male contulit, et aliorum majorum, sed non a collatione inferiorum illius. Card. Petra, *loc. cit.*, num. 34; Abbas, in cit. cap. *Vel non est compos*, n. 5; Fagnan., *ibidem*, num. 16; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 182, et alii passim, arg. cap. *Qualis hinc* 4, dist. 25, ibi : « Quod enim de uno negatur, consequens intellectus patet, de quibusdam conceditur, » juncto cap. *Odia* 15, et cap. *In pœnis* 49, De regul. juris, in 6.

(17. Ordinati scienter in sacris extra tempora sine legitima dispensatione, seu privilegio, sunt de facto ipso jure suspensi. Sic expresse citata constitutio Pii II incip. *Cum ex sacrorum*. Unde non sunt amplius attendenda jura antiqua in cap. *Sane* 2, et c. *Quidam* 8, De temporib. ordinat., ubi censebantur suspendendi per sententiam et non suspensi ipso jure.

(18. Sic suspensi et consequenter ob ministrationem facti irregulares, si talis suspensio et irregularitas sit occulta, possunt absolvi et respective dispensari ab episcopo virtute concilii Tridentini sess. XXIV, cap. 6; Barbosa *De offic. et potest. episcop.*, part. II, allegat. 17, n. 14; Bonacin., *De censuris*, dip. 3, qu. 6, punct. 5, n. 5, vers. tertio, et alii passim. (19. Si autem sit publica, Barbosa, *loc. cit.*, num. 14, docet non posse absolvi et respective dispensari, nisi per Summum Pontificem, et testatur sic tenere communem doctorum et nuncupatim de suspensione agentes adducit Rebuffum, Guttierez et Bonacinam. Oppositam tamen sententiam, scilicet proprium episcopum posse ab hac suspensione et irregularitate absolvere et respective dispensare, probabiliter docent Suarez, *De censuris* disp. 7, sect. 1, n. 18; Pirhing, lib. I, *Decretal.*, tit. 11, num. 107; Reiffenstuel, *ibid.*, n. 184; Armil., verb. *Suspensio*, num. 22; Sylvester eod. verb., n. 8, vers. *tertium*; Clement., § penult., verb. *Excommunicationis*, De hæretic. Papa enim Pius II in cit. const. non reservavit sibi talem absolutionem et dispensationem, adeoque hoc ipso concessisse videtur facultatem absolvendi et dispensandi episcopo, ut in simili dicitur cap. *Nuper* 29, § *In secundo*, De sentent. excomm., cum citatis a Guttier., *Canonic.*, l. II, cap. 5, a princip. Concessum enim dicitur, quod expresse prohibitum non reperitur; leg. *Nec non*, ff. *Ex quibus causis*.

(20. Episcopus ordinans scienter alienum subditum sine dimissoriis, seu consensu sui proprii superioris, est ipso facto suspensus per annum a collatione ordinum. *Communis*, textu expresso in cap. *Eos qui* 2, De temporib. ordinat, in 6, et concil. Trident. sess. XXIII, cap. 8, *De reform.*, et in cit. const. Innoc. XII incip. *Speculatores*. Episcopus autem sic suspensus censetur solum suspensus a collatione illius ordinis quem male contulit et aliorum majorum, sed non a collatione inferiorum illius ; *supra* n. 16.

(22. Ordinati scienter ab alieno episcopo sine dimissoriis, seu consensu sui proprii ordinarii, sunt suspensi ipso facto ab exsecutione susceptorum ordinum, quandiu proprio ordinario videbitur expedire. *Communis*, textu expresso in concil. Trident., cit. sess. XXIII, c. 8, *De reform.*, et in cit. const. Innocent. XII, incip. *Speculatores*.

(23. Ultra alias pœnas arbitrio Summi Pontificis infligendas in sic ordinatos ab alieno episcopo sine dimissoriis, seu consensu proprii diœcesani et in alienum episcopum sic ordinantem, possunt insuper sic ordinati puniri privatione beneficii ecclesiastici, ut expresse statuit Pius II in cit. constit. incip. *Cum ex sacrorum* ; et episcopi sic ordinantes puniri insuper possunt in hoc, quod postquam eorum suspensio fuerit manifesta possint sui subditi absque ipsorum licentia interim a vicinis episcopis ordinari, ut est expresse statutum in cap. *Eos qui* 2, De temporib. ordinat., in 6, ut sic puniantur in eo, in quo deliquerunt, nempe quod sui subditi absque eorum licentia ordinentur ab illis episcopis, sicuti ipsi alienos subditos sine propriorum, seu diœcesanorum facultate ausi sunt ordinare.

(24. Suspensio sancita contra ordinatos sine dimissoriis, licet non sit reservata Sedi Apostolicæ in cit. constit. Pii II, incip. *Cum ex sacrorum*, fuit tamen reservata propriis episcopis a concil. Trident., sess. XXIII, cap. 8, *De reform.*, et a constit. Innocentii XII, incip. *Speculatores*. (25. Suspensio tamen sancita contra ordinatos cum falsis dimissoriis est reservata Summo Pontifici, ut expresse statuit Urbanus VIII, constitut. incip. *Secretis*. (26. Item Summo Pontifici est reservata suspensio lata contra eos qui postquam permanserunt per quatuor menses in Urbe, faciant se promoveri extra Urbem cum litteris dimissoriis proprii ordinarii, ut expresse fuit statutum per publicum edictum tempore Clementis VIII et Alexandri VII. *Vide supra*, art. 3, num. 79. (27. Item reservata est Summo Pontifici suspensio lata contra ordinatos ex sex episcopatibus cardinalitiis prope Urbem cum litteris dimissoriis ab alio quam cardinali vicario. Sic expresse statuit Alexander VII, constit. incip. *Apostolica sollicitudo*.

(28. Ab irregularitate incursa propter administrationem in ordinibus sic male susceptis, si sit publica, dispensat solus Summus Pontifex. Campanil., in *Diversorio jur.*, rub. 7, cap. 5, n. 2; cardin. Petra, *loc. cit.*,

Digitized by Google

num. 28, et alii passim. Si autem esset occulta, tunc posset dispensare episcopus vigore concilii Tridentini, sess. XXIV, *De reform.*, cap. 6, ubi statuit, quod episcopi possint dispensare in irregularitatibus occultis, exceptis iis, quæ oriuntur ex homicidio voluntario. Barbosa, *ad cit. cap.* 6, sess. XXIV, *De reform.*, num. 12; *De offic. et potest. episcop.*, allegat. 36, num. 41; Campanil.; *loc. cit.*; card. Petra, *loc. cit.*, et alii passim.

(29. Episcopus scienter ordinans aliquem ad sacros ordines sine titulo sustentationis, ultra grave peccatum, quod committit agendo contra justam prohibitionem Ecclesiæ in materia gravi, tenetur item sic ordinato providere de necessariis alimentis, donec beneficium ecclesiasticum consequatur. *Communis*, textu expresso in cap. *Episcopus* 4, et cap. *Cum secundum* 16, De præbendis. (30. Et, ipso episcopo ordinatore jam mortuo, tenetur sic ordinato providere de necessariis alimentis capitulum, sede vacante et deinde novus episcopus, textu expresso in cit. cap. *Cum secundum* 16, De præbend., ibi : « Tandiu per ordinatores, vel successores eorum provideri volumus ordinatis, donec per eos ecclesiastica beneficia consequantur. » (31. Imo si clericus sine titulo fuerit scienter ordinatus a pluribus episcopis, domicilii videlicet et originis, recipiendo v. gr. ab episcopo originis diaconatum et ab episcopo domicilii presbyteratum, tunc quilibet ipsorum tenetur in solidum sic ordinato providere de necessariis alimentis. Fagnan., in cit. c. *Cum secundum* 16, De præbend., num. 24; Reiffenstuel, *l. c.*, n. 192, et alii passim.

(32. Quinimo nedum episcopus sic scienter ordinans, sed etiam episcopus sic scienter dans licentiam alteri episcopo promovendi, vel certis et determinatis promovendis ad sacros ordines sine titulo, tenetur ipsis alimenta præstare, textu expresso in cap. *Si episcopus* 37, De præbend., in 6, ubi assignatur justa ratio, quia nempe episcopus, antequam det talem licentiam pro determinatis personis ab alienis episcopis ordinandis, prævidere debet, an habeant titulum et repertis sine titulo, nequit talem facultatem concedere. (33. Si vero episcopus alienus ex generali commissione, et licentia episcopi diœcesani ordinationes habeat et scienter ordinet aliquem sine titulo, tunc non tenetur proprius episcopus, utpote sine culpa, sed alienus episcopus, utpote qui in culpa fuit, alimenta præstare sic ordinato, textu expresso in cit. cap. *Si episcopus* 37, De præbend., in 6.

(34. Talis autem obligatio providendi de necessariis alimentis sic ordinatis scienter sine titulo, incumbit episcopis solummodo, quando tales ordinati aliunde non habent, nec habere possunt suam sustentationem, puta ex sua, vel paterna hæreditate. Sic enim expresse limitatur in cit. cap. *Episcopus* 4, *De præbendis*, ibi : « Nisi talis ordinatus de sua paterna hæreditate subsidium vitæ possit habere. » (35. Item talis obligatio incumbit episcopis solum, quando scienter sine titulo ordinant, vel concedunt aliis determinatam facultatem aliquas certas personas sic ordinandi, et sic ordinati bona fide, et absque dolo, et fraude propria tales ordines susceperunt. Non autem quando sic ordinati fuerunt ipsi in culpa decipiendo episcopos, ac fingendo per fraudem titulum, quem non habebant : tunc enim episcopi non tenentur alimenta præstare sic ordinatis, cum ipsi episcopi, ut supponitur, sint quoad hoc sine culpa, et rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non conveniat, ut expresse dicitur in cap. *Cognoscentes* 2, De constitutionibus, et ipsi soli sic ordinati sint in culpa, dolo, et fraude, quæ patrocinari non debent. c. *Sedes* 15, cap. *Ex tenore* 16, De rescriptis, c. *Ex litteris* 2, De dolo et contumac.; cap. *Tuæ* 12, De cleric. non resident.; l. *In fundo*, ff. *De rei vindic.*; l. *Cum hi*, ff. *De transactionib.*; l. *Si legatarius*, cod. *De legatis*, cum similibus; ne videantur de sua malitia commodum reportare; cap. *Intelleximus* 7, De judiciis; l. *Non ex suo delicto*, ff. *De regul. jur.* Et sic tenet Fagn., in cit. c. *Cum secundum* 16, De præbend., num. 6; Hugolin., *De offic. et potest. episcop.*, c. 26, § 15, vers. *Tertio non tenentur*; Pirhing, lib. 1 *Decretal.*, tit. 21, num. 111; Reiffenstuel, *ib.*, n. 193 et 198, et alii passim.

(36. Si episcopus aliquem ordinet sine titulo, sub pacto, et promissione, quod ordinatus non possit ex post ab ipso petere alimenta, tunc episcopus ordinans suspenditur a collatione ordinum per triennium, et sic ordinatus est perpetuo suspensus ab ordine recepto, donec a Summo Pontifice dispensetur; textu expresso in cap. *Si quis ordinaverit* 45, De Simonia.

(37. Si episcopus religiosum nondum professum, aut non nisi ad certum tempus ordinet ad sacros ordines sub prætextu religionis, et absque titulo beneficii vel patrimonii, tunc ipse est ipso jure suspensus per annum a collatione talium ordinum et religiosus sic ordinatus est suspensus ab exsecutione ordinum, donec beneficium ecclesiasticum sit adeptus, vel aliunde habeat unde vivere possit. Et si interim in ipsis ordinibus ministraverit, efficitur irregularis. Sic expresse statuit S. Pius V, const. incip. *Romanus Pontifex*. (38. Excipiuntur tamen Patres Societatis Jesu, qui tria vota paupertatis, castitatis et obedientiæ in Societate emiserunt, quia isti de licentia præpositi generalis possunt promoveri ad sacros ordines absque titulo, etiam ante solemnem professionem. *Vide supra*, art. 2, num. 68 et 69.

(39. Promoti ad sacros ordines cum falsis et fictis titulis sunt ipso facto perpetuo suspensi absque spe obtinendæ dispensationis a Sede Apostolica, et subjacent adhuc majoribus pœnis arbitrio Summi Pontificis infligendis. Sic expresse statuit Urbanus VIII, constit. incip. *Secretis*.

(40. Episcopus ordinans aliquem eodem die ad duos sacros ordines, secundum ali-

Digitized by Google

quos, est ipso facto suspensus a collatione utriusque ordinis, donec a Sede Apostolica absolutionem et dispensationem impetravit. Sic Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 205; Barbosa, in cap. *Litteras* 13, De temporib. ordinat., cum aliis ibi citatis, arg. cit. cap. *Litteras* 13, § final., et capit. *Dilectus* 15, De temporib. ordinat. Secundum autem plures alios non est ipso facto suspensus, sed solum suspendendus. Pirhing, in *Jus canonic.*, tit. x, De temporib. ordinat, num. 108; Layman, *De sacris ordinat.*, lib. v, capit. 10, num. 10; Suarez, disp. 31, sect. 1, n. 41; Pignat., com. 4, consult. 228, num. 5; card. Petra, *loc. cit.*, num. 49; Thesaur., *De pœnis*, part. II, cap. 15, § 4, vers. *Episcopus conferens;* ubi testatur de communi; suspensio enim de qua in cit. c. *Litteras*, et cap. *Dilectus*, De temporib. ordinat., non est latæ sententiæ respectu ordinantis, sed solum sententiæ ferendæ. Hinc sacra congregat. Concilii *in Bovensi* 7 Maii 1707, respondit : « Quoad ordinatos dandam esse absolutionem, imposita pœnitentia salutari arbitrio episcopi viciniorris (quia episcopus fuerat particeps actionis prohibitæ) : Quo vero ad ordinantem, ad mentem, ut scilicet non solum acriter coarguatur, sed etiam acriter moneatur, quod licet ipsi gravior esset pœna infligenda, quia plus deliquit scienter conferendo dictos ordines sacros eodem die; attamen ex benignitate sacræ congregat. omnis pœna pro hac vice ei remittitur, quodque in posterum a similibus committendis omnino abstineat. » Sic card. Petra, *loc. cit.*, n. 49, qui tamen *supra* in *Comment. ad eamdem constit. 7 Pii II*, n. 44, refert quod casus *in d. Bovensi* propositus erat : « An ordinatus eodem die ad minores, et subdiaconatum, ille, necnon episcopus ordinans, in pœnas, et quas, inciderint? » et postea sub n. 48 refert dictam resolutionem sacræ congreg. Concilii emanatam esse respectu clericorum, qui scienter receperunt, et respectu episcopi, qui scienter contulit minores cum subdiaconatu eodem die.

(41. Ordinatus eodem die ad duos ordines sacros, secundum aliquos, est suspensus solum ab exsecutione ultimi ordinis sacri illo die sibi collati. Sic Barbosa, in c. *Litteras* 13, De tempor. ord., n. 5, et p. 2, *De offic. et potest. episcop.*, alleg. 14, n. 11, citans alios, Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 306; Layman, *loc. cit.*, cap. 10, num. 10, et alii; arg. cap. cit. *Litteras* 13, De temporib. ordinat., et cap. 2, *De eo qui furtive*. Alii autem dicunt, ordinatum ad duos sacros ordines eodem die esse suspensum quoad omnes ordines receptos. Navarrus in *Manual.*, cap. 27, num. 241, et alii, quos refert *Thesaur.*, *De pœnis*, par. II, cap. 15, § *Recipiens duos sacros*. Sed quidquid sit circa intelligentiam cit. capit. *Litteras*, aliorumque textuum id prohibentium, tollitur difficultas ex cit. const. Pii II, incip. *Cum ex sacrorum* contra male promotos, ut suspensi maneant indefinite loquendo. Scortia *ad dictam bullam*, theorem. 108; Pirhing. in *Jus canon.*, tit. 11, De temporib. ordinat., § 11. Unde sacr. congreg. Concil. indiscriminatim hujusmodi ordinatos supponit incursos in suspensionem, et concedit absolutionem, quæ reservata est Sedi Apostolicæ tantum, sed etiam dispensationem ab irregularitate ob administrationem ordinum in fortioribus terminis ordinatorum eodem die in ordinibus minoribus et subdiaconatu, ut *in d. Bovensi* 7 Maii 1707; *in Neapolit.* 6 Aug. 1711, et *in Melevitana* 12 Maii 1714. Sic præcise apud card. Petram, *loc. cit.*, num. 48.

(42. Episcopus conferens ordines sacros absque celebratione missæ graviter peccat, sicuti et graviter peccant ipsos sacros ordines extra missam recipientes, et tam ordinans, quam ordinati possunt gravi pœna puniri, quia agunt contra ordinationem Ecclesiæ, et contra illud, quod ipsa Ecclesia servat. Sic *Glossa* in cap. *Quod sicut* 28, De election., verb. *Dividatur ;* card. Petra, *loc. cit.*, num. 50, et alii passim observantes, quod semper fuerunt sacri ordines collati cum celebratione missæ ordinantis, et quod sacrum concilium Tridentin. sess. XXIII, cap. 8, *De reformat.*, voluit collationes sacrorum ordinum in cathedrali ecclesia inter missarum solemnia publicæ celebrari.

(43. Ipsa missa debet celebrari ab eodem ordinante, nec sufficit ut celebretur ab alio sacerdote coram illo, quia debet esse unicus actus concelebrationis, ut in simili, nempe de consecratione episcopi, recte notant *Glossa* in cit. cap. *Quod sicut* 28, De election., verb. *Dividatur;* Hallier, *De sac. ord.*, part. II, cap. 5, art. 2; card. Petra, *loc. cit.* num. 39, et, ipso teste, alii communiter.

(44. Missæ tamen celebratio non est de substantia et essentia ordinationis; unde quamvis collatio et receptio sacrorum ordinum sine celebratione missæ sit illicita, est tamen valida. Sic expresse *Glossa* in cit. c. *Quod sicut*, verb. *Dividatur;* Barbosa, part. II, *De offic. et potest. episcop.*, allegat. 14, num. 16, et *ad concil. Trid.*, sess. XXIII, c. 8, num. 14; Giribald., tract. 9 *De ordine*, cap. 3, dub. 4, n. 35; Sanchez, in *Opuscul. moral.*, lib. VII, cap. 1, dub. 6; Campanil., in *Diversorio jur.* can., rubr. 2, num. 36, et rubr. 5, cap. 3, num. 21; cardin. Petra, *loc. cit* , num. 41, ubi testatur de communi theologorum et canonistarum.

(45. Hinc non est reiteranda tota ordinatio, sed solum supplenda est missa ipsius ordinantis, et donec suppleatur dicta missa, remanent suspensi ordinati. Glossa, *loc. cit.;* Hallier, *loc. cit.*, cap. 5, art. 2; Sanchez, *loc. cit.*, dub. 13, qui ait omnem suppletionem debere fieri ab eodem, qui ordinavit, si est possibile; quod si fieri nequeat, ab alio, nec non in tempore, quo ordinationes possunt celebrari. Campanil., cit. rubr. 2, n. 36, ubi advertit quod missa debet suppleri cum omnimoda cautela, ne cæteris innotescat error, ac propterea consulit, ut patiens defectum accedat quasi minister episcopi.

(46. Ordinans, et ordinatus, non exspectatis temporum interstitiis, graviter peccant,

Digitized by Google

quia uterque est voluntarius culpabilisque transgressor sacrorum canonum in materia gravi. Et quamvis in jure nulla reperiatur expressa pœna contra ipsos, potest superior eos punire pœna arbitraria. Zerola in *Praxi episcop.* part. I, verb. *Ordo*, § *Ad quintum*; Reiffenstuel, lib. I *Decretal.*, tit. 11, num. 213 et 204; Barbosa, part. II, *De offic. et potest. episc.*, alleg. 18, num. 14, cum plurimis ibi citatis.

(47. Alia ad rem *vide* verb. INTERSTITIA.

(48. Ordinati per saltum, vel alias male promoti dispensationem obtinere possunt in casibus occultis a Pœnitentiaria Apostolica. Bened. XIV, const. 95, incip. *Pastor bonus*, § 18. (49. Ordinati a schismaticis, exercitium ordinis non recipiunt, sed absolutionem recipere tenentur, et dispensationem ab irregularitate, et schisma, erroresque abjurare. Idem, constitut. 57, incipient. *Etsi pastoralis*, § 7.

(50. Non ordinati ad sacrum presbyterat. ordinem, qui missam celebrasse, aut confessiones sacramentales audisse reperti fuerint, curiæ sæculari puniendi tradi debent. Idem, constit. 57, incip. *Sacerdos*. (51. Ordinationis probatio in tali casu a reo facienda est, nec incumbit fisco onus eam excludendi, ubi ex relatione ordinarii constat eum non promotum fuisse. Idem, *ibidem*, § 5.

(52. Pro ordinum collatione nihil a collatoribus, aut eorum ministris, etiamsi sponte oblatum, est accipiendum. Sic expresse concilium Tridentinum, sess. XXI, cap. 1, *De reformat.*, ibi : « Quoniam ab ecclesiastico ordine omnis avaritiæ suspicio abesse debet, nihil pro collatione quorumcunque ordinum, etiam clericalis tonsuræ, nec pro litteris dimissoriis, aut testimonialibus, nec pro sigillo, nec alia quacunque de causa, etiam sponte oblatum episcopi et alii ordinum collatores, aut eorum ministri quovis prætextu accipiant. » Benedict. XIV, *De synodo diœcesana*, lib. V, cap. 6, num. 1. *Vide* tamen verb. TAXA, num. 1.

(53. Sacerdotio initiandum, qui licet omnes consuetas manuum impositiones ab episcopo accepisset, ad episcopum tamen, solita patena cum hostia, et calicis cum vino instrumenta porrigentem, ad alia tunc temporis distractus non accessit, iterum sub conditione esse ordinandum, respondit sacr. cong. Concil. teste eod. Benedicto XIV, *loc. cit.*, lib. VII, cap. 25, n. 1 et 13, qui, ibi, num. 2, ex Isamberto, *De sacram. ordinis*, disp. 3, art. 6, dicit sane ridiculam et plane absurdam esse opinionem illorum qui tenent ante impressionem Evangeliorum in ordinatione diaconorum fuisse eis traditam loco libri Evangeliorum chartam in qua fidei nostræ mysteria erant conscripta.

(54. Episcopus ordines collaturus laudabiliter sub censuris præcipit ne quis canonico impedimento irretitus, aut sine legitimo patrimonio, vel beneficio, ad sacros ordines accedat; sed improbatur episcopi protestatio, se non habere intentionem ordinandi irregulares, censuris innodatos, legitimo patrimonio, beneficio, vel litteris dimissorialibus sui ordinarii carentes, cum ex ipsa variæ oriantur animi anxietates, et etiam prudens dubitatio excitetur, num revera quis fuerit legitime ordinatus, eo quod aliquo ex enuntiatis impedimentis esset obstrictus. Idem, *loc. cit.*, c. 26, n. 1. Si quis aliquo ex iis impedimentis ordinetur sub tali protestatione, cui alligata fuerit episcopi intentio, erit iterum absolute ordinandus. Si dubia sit episcopi intentio, ordinatio sub conditione erit iteranda. Idem, *ibidem* num. 2. *Vide supra*, num. 4 et 5, ubi ad id varia afferuntur decreta sac. congregat. Concilii. Quare ad evitandas omnes dubietates, et securius procedendum expedit, ut episcopus se abstineat a simili protestatione, et prius diligenter inquirat de ordinandorum omnimoda idoneitate, et postea in actu collationis ordinum, absolutam habeat intentionem omnes ordinandi quotquot ad ordinationem accesserint, *De synod. diœces.*, l. VIII, c. 11, n. 1 et seq. *V. sup.* sub n. 5.

(55. Ab ordinibus supensus, ad superiorem ordinem ascendens, licet grave committat sacrilegium, non incurrit tamen irregularitatem, nam sic non exercet ordines, a quibus est suspensus, ad incurrendam irregularitatem indictam in cap. *Apostolica* 9, De clerico excommunicato, deposito, vel interdicto ministrante; cap. 1, De sentent. excommunicat., in 6, et cap. 1, De sentent. et re judicata, pariter in 6. Idem, *ibid.*, lib. VII, cap. 67, n. 7, ubi refert sic censuisse sacra cong. Concil. *in Carinolen. seu Neapolitana ordinationis* die 31 Januar. 1688, et multos ad id adducit etiam doctores contra alios oppositum sentientes.

(56. * In sacra congregatione die 31 Martii 1685 agitatum est, num clericus, qui falsaverat testimoniales ordinum præcedentium, adeoque metu censurarum, quæ in eo casu comminari solent in edicto, habuit intentionem non suscipiendi ordinem subdiaconatus qui tunc sibi ab episcopo conferebatur, reipsa ordinatus esset? Respondit vero die 24 Augusti ejusd. anni, « esse iterum ordinandum sub conditione; nam illa animi perturbatione, qua agitabatur clericus, non satis constare poterat, utrum verum animum suscipiendi ordinem non habuerit. » Bened. XIV, *De sacrific. missæ*, lib. VII, cap. 10, § 13.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(57. In can. *Neminem* dist. 79, pœna suspensionis statuitur, si quis ordines accipiat absque sufficienti patrimonio : « Decrevit sancta synod. vacuam haberi manus impositionem. » In alio canone sanctorum id ipsum verbis hisce decernitur : « Decernimus ut sine titulo facta ordinatio irrita habeatur. » (58. Innocentius III, in c. *Cum secundum*, De præbend. et dignitat., severitatem hanc veterum canonum mitigavit, et obstringit eum qui haud ignarus fraudis, atque imparis patrimonii, contulerit ordines, ut subministret ordinato necessaria ad vitam agendam : « Licet autem prædecessores nostri ordinationes eorum, qui sine certo

Digitized by Google

titulo promoventur, in injuriam ordinantium irritas esse voluerint et inanes; Nos tamen benignius agere cupientes, tandiu per ordinatores, vel successores eorum provideri volumus ordinatis, donec per eos ecclesiast. beneficia consequantur. » (59. Concil. Trid., sess. XXI, c. 2, *De reform.*, iterum præscripsit veterum canonum pœnas illis, qui titulo imparis beneficii, sive pertinentis ad alium quempiam, aut patrimonii fictitii ordinantur : « Antiquorum canonum pœnas super ipsos innovando. » Sixtus V, in sua constitutione 91, rursus confirmat suspensionis pœnam a priscis sanctionibus inflictam et Clem. VIII in sua const. 40 iis terminis concludit Sixtinam, qui decernuntur a conc. Tridentino.

(60. Patet ex his quod, ut recte judicetur, an ordinatus titulo imparis beneficii, vel ad alium quempiam pertinentis, aut patrimonii fictitii, incurrat suspensionem, investigandum sit, an concilium Trident. dum veterum canonum decreta renovavit, pœnam suspensionis promulgaverit, vel solum edixerit, ut qui fraudis conscius ordines administraverit, alimenta præstare debeat ordinato, donec honestam vitæ sustentationem alio pacto consequatur ?

(61. Sacra autem congregatio Concilii interpres, cui hac in re standum omnino est, pœnam superius expositam solummodo in eum, qui ordines contulerit, renovatam asseruit, non item suspensionem, nisi forte ordinatus fuerit ante conscius doli et ordinatorem ipsum in fraudem adduxerit. (62. Tunc enim eadem suspensionis pœna liberari nequit, uti die 27 Novem. anno 1610 constitutum fuit: « Sacra congregatio Concilii, proposito suprascripto dubio, omnium sententiis censuit hoc casu pœnam suspensionis ante concilium non esse correctam, et hodie a Tridentino concilio esse innovatam, et propterea hujusmodi clericum, qui, adhibito dolo, confictoque titulo, ordinatorem decepit, esse ipso jure suspensum, carereque ordinum exsecutione. » Confer Fagnanum, in c. *Cum secundum*, n. 63, usque ad finem, de præbend.

APPENDIX EDITORUM CASINENSIUM.

Quoad denegationem ordinum quomodolibet ob occultum crimen, etiam extrajudicialiter, de qua re agit auctor noster, in art. 2, num. 124, et in art. 3, n. 84, lubet notare, quod Fagnanus tradit, in hæc sane verba : « Sacra congreg. (Concilii), re ad Gregor. XIII delata, edidit decisionem, quæ postea perpetuo obtinuit in Dataria, videlicet : « Quotiescunque ordinarius recusaverit quemquam ordinare, committendum esse metropolitano, vel viciniori episcopo, ut ab eodem ordinario prius requiral, cur recusaverit; quo causam legitimam non allegante, liceat illi eumdem recusatum ordinare. » Cap. *ad Aures*, De tempor. ordinat., n. 22.

In praxi vero in dies videmus servari, quod in hujusmodi casibus S. congregatio Concilii, absque eo quod metropolitano, vel viciniori episcopo hocce negotium demandet, solet per epistolam eumdem ipsum ordinarium rogare, quo causas et motiva occulta pro denegatione ordinum sibi (sacræ congregationi) pandat, aperiatque indeque concessionem, vel denegationem hujusmodi decernat. Id quod etiam a sacra congregatione episcoporum et regularium præstari potest. Audiamus clarissim. cardinalem de Luca, qui hæc habet : « Stante decreto concilii Tridentini, sess. XIV, *De reformat.*, cap. 1, non tenetur episcopus exprimere causas denegationis ordinum, neque desuper formare processum, cum non solum ad hujusmodi denegationem, sed etiam ad suspensionem ordinum jam collatorum ex dicto Decreto procedere valeat, etiam per notitias extrajudiciales, ideoque admittenda non est appellatio in forma judiciali, tanquam in causa contentiosa, sed est recurrendum ad ipsam sac. congregationem (Concil.), vel illam episcoporum, quæ, audita episcopi informatione in forma extrajudiciali per litteras juxta stylum, atque cognito an causæ per episcopum allegatæ subsistant nec ne... decernere solet concessionem vel denegationem... » *De benefic.*, discurs. 71, n. 5.

ORDO, PROUT EST IMPEDIMENTUM MATRIMONII

Vid. verb. MATRIMONIUM QUOAD IMPEDIMENTA, *art.* 2, *a num.* 1 *ad* 7.

ORGANA.

Vid. verb. MUSICA, n. 20, *et verb.* PARAMENTA, *n.* 37, *et verb.* SACERDOS, *n.* 53.

OSTIARIATUS.

Vid verb. ORDO, ORDINARE, *art.* 1, *num.* 3, 4, 28 *ad* 30.

P

PABULATIO

Vid. verb. BELLUM *art.* 3, *num.* 27, 28, 29, *et verb.* PASCUA *per totum; in primo namque loco breviter expenditur pabulationis usus respectu militum tempore belli in terra hostili, et in terra amica; in secundo autem loco pascua declarantur quoad nomen et esse, ac*

Digitized by Google

qd quos spectent, nec non quinque tradantur modi, quibus pascendi jus acquiri potest, et per totum exponitur, quod hac de re scitu dignum est.

PACTUM.

ARTICULUS I.

Quoad ea quæ concernunt naturam, divisionem et effectus pactorum.

SUMMARIUM.

1. Pactum unde sic dictum? — 2. Pactum quid sit. — 3. Pactum (omissis aliis minus scitu necessariis divisionibus) præcipue dividitur in pactum nudum, et vestitum. — 4. Pactum nudum quale sit? — 5. Pactum vestitum quale sit? — 6. Pactum pluribus modis vestitur. — 7. Primo vestitur specifico nomine contractus. — 8. Secundo vestitur legis assistentia, seu juris auxilio. — 9. Tertio vestitur cohærentia cum contractu nominato. — 10. Quarto vestitur traditione rei, seu impletione promissi. — 11. Quinto vestitur adjectione juramenti. — 12. Sexto vestitur vestimento verborum, seu per stipulationem. — 13. Septimo vestitur litteris seu proprio chirographo. — 14. Primarius ac principalis effectus pactorum est obligatio naturalis. — 15. Princeps, licet sit solutus legibus, nihilominus obligatur ex nudo pacto etiam inito cum propriis subditis. — 16. Princeps ex pacto obligatur jure naturali, et divino, cui etiam Papa et imperator subjiciuntur. — 17. Quicunque non servat pacta etiam nuda, dummodo deliberate et serio facta, peccat mortaliter. — 18. Pacta quæcunque ratione naturalis obligationis pariunt quosdam alios notabiles effectus etiam pro foro externo. — 19. Primo igitur quælibet pacta etiam nuda, ac pro foro externo pariunt exceptionem. — 20. Secundo impediunt debiti soluti repetitionem. — 21. Tertio tribuunt jus compensandi. — 22. Quarto quibuslibet pactis etiam nudis potest accidere fidejussor, et efficaciter obligari. — 23. Quinto pacta omnia etiam nuda pariunt facultatem retinendi pignus. — 24. De jure canonico ex pacto nudo datur actio. — 25. De rigore juris civilis ex pacto nudo non datur actio, sed solum exceptio. — 26. Secundum autem hodiernos mores etiam in foro civili datur actio ex pacto nudo. — 27. Subnect. *Add. ex al. man.* ad n. 35.

(1. Pactum est sic dictum a pactione, textu expresso in leg. *Hujus edicti* 1, ff. *De pactis*, § 1, ibi : « Pactum autem a pactione dicitur, » vel quasi ex pace factum, quia per pacta fieri solet pax, cap. *Pactum* 11, De verbor. significat., ibi : « Pactum quasi ex pace factum, » et concordat cit l. *Hujus edicti*, § 1, ibi : « Inde etiam pacis nomen appellatum est. »

(2. « Pactum (165) est duorum, pluriumve in idem placitum consensus. » Sic præcisis verbis definitur in cit. l. *Hujus edicti*, § 2, seu ut definitur in l. *Pactum* 3, ff. *De pollicitationibus* : « Pactum est duorum consensus, atque conventio; » et concordat definitio, quæ refertur in cap. *Pactum* 11, De verbor. significat., ibi : « Pactum dicitur inter partes ex pace conveniens scriptura legibus et moribus comprobata. » Ly enim *scriptura*, non denotat, quod pactum sine scriptura fieri non possit, sed solum demonstrat, quod solet in pactis interponi scriptura ad faciliorem et clariorem pactorum probationem, ut recte explicat Glossa *ibidem*.

(3. Pactum (omissis aliis minus scitu necessariis divisionibus) præcipue dividitur in pactum nudum et vestitum, seu legitimum. Abbas. in c. *Antigonus* 1, De pactis, n. 4 et alii communiter. (4. Pactum nudum est illud, quod in sola conventione paciscentium consistit; et dicitur *nudum*, quia stat in puris, simplicibus et nudis finibus conventionis, sicut ille dicitur nudus, qui est sicuti de utero processit, ut declarant Bartolus in leg. *Juris gentium*, § *Igitur*, n. 1, ff. *De pactis*; Abbas, in cit. cap. *Antigonus* 1, De pactis, n. 4; Fagn., *ibid.*, n. 18 et alii passim. Non enim intercedit aliquod extrinsecum, quo vestiatur, videlicet, nec stipulatio, nec solemnitas scripturæ, aut hujusmodi. (5. Pactum vestitum, seu legitimum est illud, quod, præter conventionem partium, aliquod aliud juris adminiculum habet, ratione cujus actio civilis in foro externo oritur, leg. *Legitima conventio*, ff. *De pactis*, ibi : « Legitima conventio est, quæ lege aliqua confirmatur, et ideo interdum ex pacto actio nascitur, vel tollitur, quoties lege, vel senatusconsulto adjuvatur; » et concordat textus in leg. *Juris gentium* § 1, et seq., ff. eodem.

* Rectius mutuanda est pactorum divisio ex ipso textu in l. 5, § 1, ff. *De pactis*. « Conventionum autem tres sunt species: aut enim ex publica causa fiunt, aut ex privata; privata aut legitima, aut juris gentium. Publica conventio est, quæ fit per pacem, quoties inter se duces belli quædam paciscuntur; » dummodo tamen duces mandatum habeant ex ipso principe, vel princeps ipse paciscatur. In lege autem 6, ff. eodem, definitur quod privata, et « legitima conventio ea est, quæ lege aliqua confirmatur. Et ideo interdum ex pacto actio nascitur, vel tollitur, quoties lege, vel senatusconsulto adjuvatur. » Hæ legitimæ conventiones, vel scricte dicuntur legitimæ, cum specialiter aliqua lege civili confirmantur, vel prætoriæ sunt, cum nulla quidem civili lege, sed jure prætorio specialiter confirmantur, ut conventio de hypotheca. Privata conventio juris gentium illa est, quæ nec ulla lege civili, nec prætoria confirmata est, sed unice pendet ex privatorum arbitrio. Conventionum etiam celeberrima divisio est in contractus tam nominatos quam innominatos et in

(165) In allegato textu non *pactum* legitur, sed *pactio*. Nonnulli quidem doctorum aliquod, alii vero nullum inter pactionem et pactum constituunt discrimen. Cujacius quippe censet *pacti*, seu pactionis appellatione nunquam contineri contractum, sed tantum nomine conventionis definitionem pactionis, quæ hic affertur, non convenire contractui, qui contractus præter duorum consensum, adhuc aliquid habet, scilicet aut nomen, aut causam. Contra Gerardus Noodt, *pactum* et *pactionem* largo sensu idem sonare, ad conventionem, ut tam contractus, quam pacta simpliciter dicta complectatur, et eo sensu *pactionem* hic definiri.

Digitized by Google

pacta stricte dicta. Enimvero, ut ait textus in dicta l. 1, § 4, ff. eod. « Conventiones pleræque in aliud nomen transeunt, veluti in emptionem, in locationem, in pignus, vel in stipulationem. » Hæ conventiones dicuntur contractus nominati, quæ scilicet inter innumeras conventionum species selectæ a primis juris auctoribus, ut actionem certam parerent sub certo ac speciali nomine. Omnes aliæ conventiones nomen quidem non habent, sed si habeant causam, id est, si in his intervenerit aliquod factum, aut alicujus rei datio, per quod factum, dationemve conventio impleri ex una parte cœpta sit, fiunt contractus et hi dicuntur contractus innominati. Denique conventiones, quæ nec nomen, nec causam habent, sunt conventiones simpliciter dictæ, seu pacta stricte dicta. Hæc pacta stricte dicta sunt vel legitima, vel prætoria, vel adjecta alicui contractui, vel nuda de quibus in decursu agemus.

Est et alia pactorum divisio, quod « pactorum quædam in rem sunt, quædam in personam, » l. 7, § 8, ff. *Hoc tit. In rem* sunt, cum nulla fit limitatio personarum, quibus prodesse pactum debeat. *In personam* sunt, cum hoc agitur, ut pacti utilitas ultra certam personam non porrigatur, puta ultra personam paciscentis v. g. Pacta « in rem sunt, quoties generaliter paciscor, ne petam; in personam, quoties ne a persona petam, id est ne a Lucio Titio petam. » Hinc patet discriminis ratio inter utramque pacti speciem; nimirum pactum *in rem* omnibus prodest, quibus pactum prodesse posse videbimus. Contra vero in personali pacto, ut « Si quis paciscatur, ne a se petatur, sed ut ab hærede petatur, hæredi exceptio non proderit; » l. 17, § 3, ff. *Hoc tit.* Multo minus proderit fidejussoribus et similibus personis. Nam generaliter « personale pactum ad alium non pertinere, quemadmodum nec ad hæredem. » Labeo, ait l. 25, § 1, ff. *Hoc tit.*

Vidimus quæ pacta dicantur *in rem* quæ *in personam* et in quo differant. « Utrum autem in rem, an in personam pactum factum sit, non minus ex verbis quam ex mente convenientium æstimandum est. Plerumque enim, ut et Pedius ait, persona pacto inseritur, non ut personale pactum fiat, sed ut demonstretur cum quo pactum factum est. » Ita docet Ulpianus, in l. 7, § 8, ff. *Hoc tit.*, vers. *Utrum.* Cum in limitando ad certas personas pacti effectu mens convenientium magis quam verba attendi debeant, hinc sequitur, quod Papinianus definit in specie sequenti; « Pater qui dotem promisit, pactus est, ut post mortem suam, in matrimonio sine liberis defuncta filia, portio dotis apud hæredem suum fratrem remaneret. Ea conventio liberis e socero postea susceptis, et hæredibus testamento relictis per exceptionem doli proderit, cum inter contrahentes id pactum sit, ut hæredibus consulatur, et illo tempore, quo pater alios filios non habuit, in fratrem suum judicium suprenum contulisse videatur. » L. 40, § 3, ff. *Hoc tit.* Nam etsi liberi paciscentis verbis pacti non contineantur, quam ob causam non competit illis exceptio pacti, nihilominus continentur sententia pacti. Etenim pater, qui fratri suo, quem sibi hæredem fore putabat, dotis portionem reddi pactus est, multo magis voluisset eam liberis suis reddi, si liberos se suscepturum scivisset. Et inde manifeste eruitur hæc voluntas, quod liberos illos testamento hæredes reliquerit, cum antea fratrem hæredem instituisset, eique quasi hæredi pactus esset. Illud etiam patet, quod *tale pactum* PROFITEOR TE NON TENERI, non in personam dirigitur, sed cum generale sit, locum inter hæredes quoque litigantes habebit, ut pariter docet Papinianus in dicta l. 40, ff. *Hoc tit.* Divisionem pactorum *in rem*, et *in personam* fecimus ex parte ejus, cui quid promittitur. Similis divisio fieri potest ex parte alterius paciscentis, qui promittit. Possunt autem pacta sic esse in rem ex una parte et in personam ex alia. Et quidem « si ex altera parte in rem, ex altera in personam pactum conceptum fuerit; veluti ne ego petam, vel ne a te petatur; hæres meus ab omnibus vobis petitionem habebit et ab hærede tuo omnes petere poterimus. » L. 57, § 1, ff. *Hoc tit.*

Quemadmodum hactenus recensitæ sunt divisiones conventionum simpliciter dictarum, ita in opportunum non erit enumerare divisiones contractuum, qui ab hujusmodi conventionibus procedunt. Contractus quippe dividuntur ratione originis, in civiles et juris gentium; ratione obligationis, quam pariunt, *unilaterales*, qui scilicet unum tantum in contrahentibus obligant, et *bilaterales* seu synallagmaticos, qui obligant utrinque. Ratione eorum effectus circa judicia, dividuntur in contractus stricti juris et bonæ fidei; ita dicti, quia in actionibus, quæ ex his descendebant, libera facultas judici permittebatur judicandi quod æquum ac bonum sibi videretur. Contra erat astrictus formulæ, quæ ex contractibus stricti juris dabatur. *

(6. Pactum pluribus modis vestitur, seu jure civili confirmatur, et hos præcipuos modos enumerat *Glossa* magna in cit. l. *Juris gentium*, § *Sed cum nulla*, verb. *Quinimo*, ff. *De pactis*; Bartolus, *ib.*; Pirhing, lib. 1 *Decret.*, tit. 35, a num. 4; Reiffenstuel, *ib.*, a n. 20, et alii passim.

(7. Primo igitur vestitur, si pactum simplex transeat in contractum specificum, seu nominatum, seu in genere perfectum, v. g. in emptionem, venditionem, locationem, commodatum, depositum, et hujusmodi; generatim enim omnes contractus nominati sunt vestiti, et pariunt actionem, quando in suo genere sunt perfecti. Citat. l. *Juris gentium*, § 1, ff. *De pactis.*

(8. Secundo, pactum nudum, seu simplex vestitur, seu confirmatur legis assistentia, seu juris auxilio, ita ut ex eo oriatur actio civilis ex juris privilegio, ut colligitur ex l. *Legitima* 6, De pactis, et notat Glossa, *ib.* Sic quippe ex simplici donatione, postea quam acceptata est ante traditionem rei, jure novo codicis oritur actio civilis ad rei ita promissæ traditionem; l. *Si quis* 55,

Digitized by Google

§ *Sed si quidem*, cod. *De donation.* Item ex nudo pacto dotis præstandæ, seu ex simplici promissione dotis acceptata in favorem matrimonii, oritur actio civilis. L. *Unica*, cod. *De rei uxor. action.*; leg. *Ad exactionem* 7, cod. *De dotis promissione.*

(9. Tertio, vestitur, et confirmatur pactum nudum, seu simplex, cohærentia cum contractu nominato, vel alio pacto vestito, videlicet si pactum incontinenti, et non ex intervallo adjiciatur altari contractui nominato, vel pacto vestito, sive pactum nudum præcedat contractum nominatum, vel pactum vestitum, sive confestim subsequatur. Cit. leg. *Juris gentium* 7, ff. *De pact.*, § *Quinimo*, et seq. Sic quando quia locat alteri domum, adjecto simul pacto, ut agrum suum adjacentem colat, tale pactum non dicitur amplius nudum, quia cum cohæreat cum illo primo pacto vestito, seu contractu locationis, hoc adimpleto ex parte locantis domum, firmatur etiam illud pactum nudum, et simplex, ita ut pariat actionem civilem, sicut primum pactum vestitum, seu contractus locationis domus.

(10. Quarto, vestitur, et confirmatur pactum nudum, seu simplex, per traditionem rei, seu impletionem promissi, cit. l. *Juris gentium* 7, § 2, ff. *De pactis.* Sic quando quis dat alteri aliquid, ut aliud ipsi, vel pro se faciat, tale pactum non est amplius nudum, sed ex parte ejus, qui dedit, seu promissum implevit, dicitur vestitum, et parit actionem civilem, cum ipse petere possit, ut etiam alter adimpleat, et præstet id, quod conventum est, vel ut sibi restituat quod dedit, vel quantum sua interest, leg. *Naturalis* 5, ff. *De præscriptis verbis*, l. *Si ob rem* 1, leg. *Dedi* 3, § *Sed si sibi*; l. *Si pecuniam* 5, in princip., De conditione causa data, causa non secuta.

(11. Quinto, vestitur, et confirmatur pactum nudum, seu simplex, adjectione juramenti, ita ut exinde etiam de jure civili concedatur actio. Arg. l. *Ut jurisjurandi*, ff. *De operibus libertor.*, et tenent Covarruv., in cap. *Quamvis*, part. II, § 4, num. 27, *De pactis*, in 6; Pirhing, lib. I *Decretal.*, tit. 35, n. 5; Reiffenstuel, *ibid.*, n. 25; Engel., ibid., n. 8, cum aliis ibi citatis. Omne enim juramentum, quod sine salutis æternæ dispendio servari potest, in utroque foro servandum est; cap. *Cum contingat* 28, De jurejurando.

(12. Sexto, vestitur et confirmatur pactum nudum, seu simplex, vestimento verborum, sive per stipulationem, quæ stipulatio valet, sub quacunque verborum forma sit concepta, § 1, *In hac re*, instit. *De verbor. obligationibus*, leg. *Omnes stipulationes* 10, cod. *De contrahenda stipulatione.*

(13. Septimo, vestitur, et confirmatur pactum nudum, seu simplex, litteris, sive per proprium chirographum; ut quando quis sub suo chirographo aliquid paciscitur, sive alteri promittit. Arg. § unico, *Olim Scriptura*, Institut. *De litterarum obligationibus.*

(14. Primarius, ac principalis effectus pactorum est obligatio naturalis. C. *Antigonus* 1, De pactis, ibi: « Inita pacta suam obtineant firmitatem.... pacta custodiantur; » et in ejus summario expresse dicitur: « Pacta quantumcunque nuda servanda sunt, » et c. *Qualiter* 3, eod., ibi: « Studiose agendum est, ut ea, quæ promittuntur, opere compleantur. » Et concordat l. *Hujus edicti* 1, ff. *De pactis*, in principio, ubi expresse dicitur: « Quid enim tam congruum fidei humanæ, quam ea, quæ inter eos placuerunt, servare? » (15. Et propterea princeps, licet sit solutus legibus, leg. *Princeps*, ff. *De legibus*; nihilominus obligatur ex nudo pacto etiam inito cum propriis subditis. Arg. c. *Ex Epistolæ verbis* 1, De probationibus, adeo ut ab eo recedere non possit etiam de plenitudine potestatis; Bald., in c. 1, § *Ad hæc*, col. 5, ff. *De pact. juram. firmand.*; Paul. de Castr., in l. *Digna vox*, cod. *De legibus*; card. Zabarell., consil. 147, *Dominus noster Papa*; Socin., consil. 86, n. 14, lib. IV; Fagnan., in cit. c. *Ex epistolæ verbis* 1, De probationibus, num. 23, cum aliis ibi citatis, et in cap. *Antigonus* 1, De pactis, n. 7; Reiffenst., l. I *Decret.*, tit. 35, n. 28. (16. Et hoc non alia ratione, nisi quia princeps ex pacto obligatur jure naturali et divino, cui etiam Papa et imperator subjiciuntur, Clementin. *Pastoralis*, De re judicat.; card. Zabarella, citat. consil. 147, n. 7; Abbas, in cap. 1, *De constitutionibus*; Fagnan., *loc. cit.*; Reiffenstuel, *l. c.*, et alii.

(17. Hinc quicunque non servat pacta etiam nuda, dummodo deliberata et serio facta, peccat mortaliter; arg. cap. *Prædicandum* 22, q. 1, l. *Antigonus* 1, et c. *Qualiter* 3, de pactis; et l. *Hoc edicto* 1, De pecunia constituta, ibi: « Hoc edicto prætor favet naturali æquitati, qui constituta ex consensu facta custodit; quoniam grave est fidem fallere. » Et probatur efficaciter ex cit. cap. *Antigonus* 1, De pactis, ubi recedens a pacto potest excommunicari. Excommunicatio autem non infligitur, nisi pro mortali, ut est textus in c. *Nemo episcoporum* 11, q. 1, adeoque, etc. Et sic tenent *Glossa*, Hostiensis, Joann. Andreas, Bellarm., cardin. Butrius, Imola, Archidiaconus, et alii communiter, teste Fagnano, in cit. c. *Antigonus* 1, De pactis, n. 5.

(18. Pacta quæcunque ratione naturalis obligationis pariunt quosdam alios notabiles effectus, etiam pro foro externo. Molina, tom. II *De just. et jure*, tract. 2, disp. 257, n. 1; Lessius, lib. II *De justit. et jure*, c. 17, n. 23; Layman., lib. III, tr. 4, c. 9, n. 9; Pirhing, lib. I *Decret.*, tit. 35; Reiffenstuel, *ib.*, num. 29.

(19. Primo igitur quælibet pacta etiam nuda, ac pro foro externo pariunt exceptionem; l. *Juris gentium* 7, § *Sed cum nulla*, ff. *De pactis*; ita ut licet promissarius non possit instituta actione petere, quod sibi promissum est ex simplici et nuda promissione, potest tamen pacto illo tanquam exceptione uti, ut se defendat ab actoris petitione, eumque repellat. Hinc si Petrus, v. g., simpliciter promisit se centum aureos mutuo daturum Paulo, isque vicissim Petro

Digitized by Google

debeat centum ex venditione, in tali casu Paulus Petrum petentem centum aureos sibi debitos potest repellere exceptione promissi mutui (166).

(20. Secundo pacta omnia impediunt debiti soluti repetitionem, unde quod semel ex tali pacto solutum est, potest retineri, non solum in foro conscientiæ, sed etiam pro foro externo, ita ut non debeat neque in judicio restitui; arg. cit. l. *Juris gentium* 7, § *Sed cum nulla*, ff. *De pactis*, et § *Præterea*, instit. *De exceptionibus*.

(21. Tertio, pacta omnia etiam nuda tribuunt jus compensandi; unde debitor potest facere compensationem in eo quod sibi ex pacto nudo creditor debebat, neque in foro etiam externo compelli potest ad plus solvendum quam excessum. Arg. cit. leg. *Juris gentium* 7, § *Sed cum nulla*, ff. *De pactis*, et § *Præterea*, inst. *De exceptionibus*.

(22. Quarto, quibuslibet pactis etiam nudis potest accedere fidejussor, et hic efficaciter obligari, ita ut contra eum detur actio. Arg. l. *Fidejussoribus*, ff. *De fidejussoribus*.

(23. Quinto, pacta omnia etiam nuda pariunt facultatem retinendi pignus; unde potest retineri pignus datum, donec solvatur id, quod ex nudo pacto est debitum; Molina, tom. II *De justitia et jur.*, tract. 1, disp. 25, n. 1; Lessius, lib. II *De justit.*, cap. 17, n. 23; Pirhing, *loc. cit.*, num. 35, argum. cit. l. *Juris gentium* 7, § *Sed cum nulla*, ff. *De pactis*, et § *Præterea*, instit. *De exceptionibus*.

VI. Nudo pacto dominium rei in alium transferri non potest: et ideo, si quis vendat pacto adjecto, ut emptor statim ejus rei dominus fiat, illud pactum nullius efficaciæ est quantum ad dominii translationem. Duaren., *Oper.* tom. I, p. 73, in tit. *De pact.*, n. 4.

(24. De jure canonico ex pacto nudo datur actio, id est jus exigendi in judicio illud, de quo inter paciscentes conventum fuit; sic colligitur aperte ex cap. *Antigonus* 1, et c. *Qualiter* 3, De pactis, et tenet *Glossa* in cit. cap. *Antigonus*; Abbas, *ib.*, n. 3; Bald., n. 11; Felin., n. 4; Fagnan., num. 24, et canonistæ communiter, ut testantur Fagnan., *loc. cit.*; Reiffenstuel, *loc. cit.*, *Decret.*, tit. 36. n. 31 et seq.

(25. De rigore juris civilis non datur actio ex pacto nudo, sed solum exceptio. *Communis* textu expresso in l. *Juris gentium* 7, § *Sed cum nulla*, ff. *De pactis*, ibi: « Igitur nuda pactio obligationem non parit, sed parit exceptionem, » ubi per ly *obligationem* *Glossa*, *ibid.*, dicit quod intelligitur obligatio efficax, id est talis, qua quis actione instituta possit petere in judicio, quod sibi ex nudo pacto promissum fuit. Et concordat l. *Ex placito* 3, cod. *De rer. permutat.*

(26. Dicitur autem notanter « de rigore juris civilis, quia secundum hodiernos mores, etiam in foro civili datur actio ex pacto nudo, prout tradunt uno ore interpretes, testibus Christ. Clingensperger, l. III, instit. 14, q. 16; Reinffestuel, lib. I *Decretal.*, tit. 35, n. 37; Pirhing., *ibid.*, num. 37; card. de Lugo, disp. 22, *De contractibus*, sect. 5, n. 56. Et hoc merito, ne forum internum discordet ab externo, et ut delictis janua non aperiatur.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(27. De vi pactorum, attento jure naturæ, attento jure civili Romanorum, attento jure canonico, tum attentis hodiernis moribus gentium, vide quæ diximus in *Addit.* ad verb. CONTRACTUS.

(28. Illud hic denuo inculcandum est, haud confundenda esse pacta cum tractatibus; illa negotium in se perfectum, hi perficiendum continent, et ita actum imperfectum continent. (29. *Imperfectum* autem dicitur, juxta *legem penultim.*, in fin. c. De his quibus ut indign. Ad quod perficiendum, seu agendum aliquid superest; adeoque etsi plura jam acta sint inter partes, ita ut prope res peracta sit, nihil tamen actum intelligitur, quandiu totum negotium non pleno est absolutum. Confer Coccej., *Dissert. de jur. circ. act. imperfect.*, sect. 2, § 4, in fine.

(30. In sponsalibus quæ pacto perficiuntur, observatio hæc insignem præbet usum. Ea non sunt perfecta, nisi paciscentes consensum categoricum adeo ad futurum matrimonium ediderint, ut nihil determinandum supersit. Si adhuc quædam determinanda reservata sunt, imperfecta sunt ex doctrina jam proposita.

(31. Quid sentiendum sit de pactis præparatoriis contractuum, facile ex dictis dijudicari potest. Meo judicio meris tractatibus referri debent pacta præparatoria contractuum. (32. Hinc etiam, si quis indefinite promiserit, se rem alteri venditurum, locaturum, seu societatem cum altero initurum esse, hæc promissa sunt indefinita, et respiciunt negotium futurum adhuc determinandum, adeoque imperfecta dicenda. Et ita quandiu nondum apparet eo usque partes consensisse, ut jam subsistere, nihilque amplius isti rei addere, sed ei quod jam placuit acquiescere valeat, imperfectus est actus. Coccej., cit. dissert., sect. 3, § 3.

(33. Contra vero, si pactum, quod contractum præcedit, in se sit determinatum definitumque, ut contractu accedente nihil amplius sit determinandum, hic actus non nudum tractatum, sed pactum absolutum continet.

(166) Non quælibet pacta, pront auctor firmat, exceptionem pariunt, sed ea tantum, quæ de non petenda pecunia aliisque similibus interponuntur. Si enim pactus sim tecum, ut fundum quem possides, Titio tradas, Proculus, lib. v epistolarum respondit vindicantem me eum fundum a te, non aliter me conventionis exceptione excludi debere, quam si aut jam ante tradidisse, aut si tua causa id inter nos convenisset, et per te non staret quominus jam traderes. Leg. *Si cum fundum* 37, ff. *Hoc tit.* Quamvis autem ex nudo pacto non detur actio, si tamen pacto adjecta sit pœna, hæc solvenda es, ut alibi notavimus.

Digitized by Google

(34. Huc referri debent sponsalia, quæ sunt negotium præparatorium futuri matrimonii contrahendi, in quibus omnia determinantur, quæ inservire possunt futuro matrimonio contrahendo. (35. Huc quoque referendum pactum de mutuanda certa, ac determinata pecuniæ quantitate ad certum tempus. Et propterea apud illas gentes, apud quas ex pacto actio oritur, actio ad interesse ei, cui promissio facta est, denegari nequit.

ARTICULUS II.

Quoad illos qui possunt, vel non, pacisci; quoad res de quibus licet, vel non, pacisci; et quoad pacta quædam illicita, et a jure reprobata.

SUMMARIUM.

1. Omnes illi pacisci possunt, vel non, qui possunt, vel non, contrahere. — 2. Qui autem possint, vel non, contrahere? *remissive.* — 3. Pacisci solum potest de iis rebus, quæ sunt paciscentium propriæ. — 4. Hinc pacisci non potest de rebus sacris et religiosis. — 5. Nec de rebus, quæ sunt publicæ et communes — 6. Pacisci solum potest de rebus possibilibus. — 7. Item solum de rebus licitis et honestis. — 8. Omne pactum pro obtinenda re spirituali est penitus irritum, ac nullius momenti. — 9. Sic omne pactum circa spiritualia est illicitum, et continet Simoniam, saltem ecclesiasticam, quando illud intervenit in beneficiis ecclesiasticis, etc. — 10. Pactum, vi cujus beneficium ecclesiasticum debet pecunia resignari, nullum est atque Simoniacum. — 11. Et hoc etiam procedit de pacto illo, quo una pars litigans, privata convent., et sine auctorit. Super. cedit liti, et altera pars vicissim dat aliquid temporale. — 12. Interveniente autem auctoritate superioris, scilicet Papæ, vel episcopi pars cedens liti super beneficio exortæ, licite potest recipere aliquid temporale, vel propter bonum pacis, vel ob aliam hujusmodi justam causam. V. *Add. Casin.* in fin. — 13. Pactum, quo quis promittit novam pensionem, vel augmentum anti quæ, ut in Beneficio instituatur, est illicitum et Simoniacum. — 14. Pactum de succedendo in eccl. benef, est nullum. — 15. Non valet pactum factum in præjudicium juris parochialis. — 16. Pactum, quod filia dote contenta patri ab intestato non succedat, a jure improbatur, et non valet. — 17. Valet tamen tale pactum si fuerit juramento firmatum, et non vi nec dolo ab eadem præstitum fuerit. — 18. Pactum talis filiæ juramento firmatum valet etiam in foro civili. — 19. Ad hoc autem, ut talis filiæ pactum juramento firmatum valeat, et servandum sit, requiritur, quod juramentum non sit, nec vi, nec dolo extortum. — 20. Si vero fuerit extortum vi, aut dolo, tunc vel nullatenus est obligatorium, vel saltem non est efficaciter obligatorium. — 21. Hinc talis filia, quæ dote accepta, cum juramento renuntiavit paternæ hæreditati, atque enormiter, seu ultra dimidium inde læsa fuit, post obtentam absolutionem a juramento, potest petere rescissionem dictæ suæ renuntiationis, atque hæc a judice est concedenda. — 22. Pactum additionis in diem, quid, et quid juris de eo? *remissive.* — 23. Pactum legis commissoriæ, quid, et quid juris de eo? *remissive.* — 24. Pactum antichryseos quid, et quid juris de eo? *remissive.* — 25. Pacta hypothecæ, seu pigniori adjecta quænam, et quomodo valeant? *remissive.* — 26. Pacta retrovendendi, seu redimendi quando, et quomodo liceant, vel non, et quid juris de ipsis? — 27. Pacta et conventiones seu compositiones, quas superiores locales regularium sine licentia generalium seu provincialium ineunt cum prælatis seu rectoribus parochialium ecclesiarum super juribus parochialibus, et aliis articulis de jure communi sunt valida, et observanda. — 28. Secus autem spectatis eorumdem Apostolicis privilegiis, quæ, quid disponant post dictas decretales, sunt diligenter attendenda. — 29. Alia ad rem ad n. 30. — 31. subnect. *Add. ex al. man.* ad n. 50.

(1. Omnes illi pacisci possunt, vel non, qui possunt, vel non, contrahere. Pactum enim non differt a contractu, nisi sicut genus a specie. *Communis*, et patet ex l. *Hujus edicti* 1, ff. *De pactis*, ubi dicitur, quod « conventionis, seu pacti nomen generale est, quamvis postmodum conventionum pleræque in aliud nomen transeant, veluti in emptionem, in locationem, in pignus, » et hujusmodi ; respectu quarum proinde conventio seu pactum ut sic obtinet rationem generis. (2. Qui autem possint, vel non, contrahere. *Vide* verb. CONTRACTUS.

Quamvis tamen omnes, qui contrahere possunt, possint etiam pacisci, nihilominus nequit pro omnibus pactum iniri. Etenim « quæcunque gerimus; cum ex nostro contractu originem trahunt, nisi ex nostra persona obligationis initium sumant, inanem nostrum actum efficiunt. Et ideo neque stipulari, neque emere, vendere, contrahere, ut alter suo nomine recte agat, possumus. » L. 11, ff. *De oblig. et act.* Quare « nec paciscendo, nec legem dicendo, nec stipulando quisquam alteri cavere potest, » per text. in l. 73, § fin. ff. *De reg. jur.* Hoc adeo verum est, ut nec convalescat conventio, licet is, cui quis pactus est, paciscentis hæres postea exstiterit : puta : « Si pactus sim, ne a me, neve a Titio petatur, non proderit Titio, etiamsi hæres exstiterit : quia ex postfacto id confirmari non potest. Hoc Julianus scribit in patre, qui pactus erat, ne a se, neve a filia peteretur, cum filia patri hæres exstitisset. » Leg. 17, § 4, ff. *Hoc tit.*

Hæc regula suas patitur limitationes. Nam quis utiliter paciscitur, nec videtur alteri pacisci, qui sibi, et hæredi suo paciscitur; nec solum omnibus, sed uni ex hæredibus meis paciscor utiliter, ne ab ipsis petatur. Hæc docet Celsus, in l. 33, ff. *Hoc tit.* « Avus neptis nomine, quam ex filio habebat dotem promisit, et pactus est, ne a se neve a filio suo dos peteretur. Si a cohærede filii dos petatur, ipse quidem exceptione conventionis tuendus non erit, filius vero exceptione conventionis recte utetur. Quippe hæredi consuli concessum est : nec quidquam obstat uni tantum ex hæredibus provideri, si hæres factus sit, cæteris autem non consuli. » In eamdem Celsi sententiam descendit etiam Pomponius, et iisdem fere utitur verbis in l. 10, ff. *De pact. dotal.* Utiliter etiam quis paciscitur ei, in cujus potestate est, cum ille jure potestatis per ipsum acquirere possit. Hinc « filius, servusve, si paciscantur ne a patre, dominove petatur, » ut ex l. 17, § fin. ff. hoc tit., « sive de eo paciscantur, quod cum patre, dominove contractum est, » l. 18, ff. eod., « acquirent actionem. *Idem est*, et in his,

Digitized by Google

qui bona fide serviunt. » L. 19, ff. eod. Enim vero « per quos stipulatione acquiri nobis potest, per eosdem etiam pactis conventis meliorem nostram conditionem fieri posse placet. » Leg. 59, ff. eod.

Notandum insuper quod dum extraneo paciscor, licet per se inutilis conventio sit, nihilominus si id, quod ei paciscor, mea intersit, utiliter paciscor, nec videor alteri pacisci. Hinc Paulus : « Si sine persona sua reus pepigerit, ne a fidejussore petatur, nihil id prodesse fidejussori quidam putant, quam id rei intersit, quia ea demum competere ei debet exceptio quæ, et reo. » Atqui hoc pactum non potest parere exceptionem reo, cum non sibi pactus sit, sed reo, ergo nec fidejussori. At prosequitur Paulus : « Ego didici prodesse fidejussori exceptionem, non sic enim illi per liberam personam acquiri, quam ipsi, qui pactus sit, consuli videtur, quo jure utimur. » L. 29, § 1, vers. *Quod si sine*, ff. hoc tit.

Observandum etiam, quod pactum, quo paciscimur extraneo, cum nostra non intersit, quamvis secundum juris regulas inutile, interdum tamen prodest per exceptionem doli. Exemplum affert Papinianus leg. 26, § 4, ff. *De pact. dotal.* : « Filia cum pro se dotem promitteret, pepigit, ut si in matrimonio sine liberis decessisset, matri suæ dos solvatur, pacto filiæ nulla matri quæritur actio. Si tamen hæres puellæ matri pecuniam dotis solverit, viro contra placita petenti dotem, obstabit exceptio. » Non pacti exceptio, cum pactum inutile sit, sed exceptio doli, quia contra bonam fidem maritus facit, cum desiderat ut hæres uxoris, qui ex ipsius viri voluntate, et secundum id, quod ipsi viro placuit, dotem matri uxoris solvit, eam ipsi iterum solvat. Quod si hæres uxoris non jam solvisset eam matri, teneretur eam viro petenti ex promissione dotis solvere, nec ullam ex illo pacto, quod inutile est, exceptionem posset ei opponere, eo magis quod ejus non intersit viro, an matri solvat.

Una superest quæstio, nimirum si quis sibi et extraneo paciscatur, an ex ea conventione jus in solidum paciscenti acquiratur ? Ita obtinere debere definit Javolenus, in l. 64, ff. *De contrahend. empt.* « Fundus ille est mihi et Titio emptus. Quæro utrum in partem, an in totum venditio consistat, an nihil actum sit. Respondit : « per« sonam Titii supervacuo accipiendam puto, « ideoque totius fundi emptionem ad me « pertinere. » Non tamen hoc obtinet in omnibus conventionibus. In stipulationibus enim, cum stricti juris sint, si quis sibi et extraneo stipuletur, stipulatio in partem tantummodo valet, per text. in l. 110, ff. *De verb. oblig.* Quemadmodum nemo alteri pacisci potest, pariter nemo paciscendo promittere potest, nisi de se non vero de alterius persona, ut infra fuse pertractabimus, ubi sermo erit de verborum obligationibus *.

(3. Pacisci solum potest de iis rebus quæ sunt paciscentium propriæ ; § *Idem juris* 2, inst. *De inutilibus stipulationibus*, ibi : « Quæ enim natura sua dominio nostro exempta sunt, in obligationem deduci nullo modo possunt. » (4. Hinc pacisci non potest de rebus sacris, et religiosis, quæ cum sint juris divini, in nullius bonis sunt, § *Nullius* 6, instit. *De rerum divisione*, ibi : « Nullius autem sunt res sacræ, et religiosæ, et sanctæ ; quod enim divini juris est, id nullius in bonis est ; » et concordat cit. § *Idem juris* 2, instit. *De inutilibus stipulationibus*, ibi : « Idem juris est, (id est inutilis erit stipulatio), si rem sacram, aut religiosam, quam humani juris esse credebat, etc. » (5. Item pacisci non potest de rebus, quæ sunt publicæ, et communes, ut sunt flumina, littora, forum, theatra, studia, et similia ; quæ enim communibus et publicis usibus populi perpetuo exposita sunt, sub pactis privatorum cadere non possunt, § 1, 2, 3, 4, 5 et 6, instit. *De rer. div.*, et cit. § *Idem juris* 2, *De inutilibus stipulationibus*.

* Rursus in quamcunque conventionem, sive sit simplex conventio, sive sit contractus, deduci non potest, nisi quod intersit ejus, cui promittitur. Hinc Proculus respondit in l. 36, ff. eod. « Si cum fundum meum possideres, convenisset mihi tecum ; ut ejus possessionem Attio traderes, vindicantem eum fundum a te, non aliter te conventionis exceptione excludi debere, quam si aut jam tradidisses, aut si tua causa id inter nos convenisset, et per te non staret quominus traderes. » Dicitur *tradidisses*. Cum enim desieris possidere, utpote ex voluntate mea rem Attio tradendo, non es obnoxius vindicationi, quæ nonnisi adversus possessorem competit. Dicitur *tua causa* ; nam si non tua causa, id est, si nihil tua intersit, rem Attio tradi, conventio inutilis est, nec de ea excipere potes : nec enim in conventionem deduci potest, nisi quod paciscentis intersit. Quamvis tamen hujusmodi pacta inutilia sint, quoties paciscentis non intersunt, possunt nihilominus confirmari adjecta stipulatione pœnali, qua stipulabitur aliquid, si id pactum non fuerit sibi dari, per textum in l. 11, ff. *De religios. et sumpt. funer.* « Si locus monumenti hac lege venierit, ne in eum inferrentur, quos jus est inferri, *Pactum quidem illud non sufficit* ad pariendam actionem, quamvis contractui bonæ fidei adjectum, quia non potest quis agere, ne fiat aliquid, quod ipsius non interest fieri necne ; *sed stipulatione id caveri potest*, pœnali scilicet, quia si adversus conventionem factum fuerit, quasi existente conventione poterit stipulator petere pœnam, et recte aget, cum ipsius intersit, ei dari, quod pœnæ nomine promissum est.

(6. Pacisci solum potest de rebus possibilibus. Pactum enim rei impossibilis, sive de jure, sive de facto nullam obligationem inducit, textu expresso in c. *Pactionis* 8, De pactis, verbis mox in numero sequenti adducendis. Impossibilium enim nulla est obligatio, l. *Impossibilium* 185, ff. *De regul. juris*. Et nemo potest ad impossibile obli-

Digitized by Google

gari. C. *Nemo potest* 6, De reg. juris (167). Et de jure illud tantum possibile, et dari posse censetur, quod licite fieri potest; cap. *Fraternitatis* 16, caus. 22, quæst. 2, juncta *Glossa*, verb. *Quod potest*. Unde pacisci solum potest de rebus licitis, et honestis; pacta enim de rebus illicitis, et inhonestis, quæ sunt contra leges, vel contra bonos mores, nullam vim habent, et nullius penitus sunt momenti; textu expresso in l. *Pacta* 6, cod. *De pactis*, ibi : « Pacta, quæ contra leges constitutionesque, vel contra bonos mores fiunt, nullam vim habere, indubitati juris est; » et in cit. capit. *Pactiones* 8, De pactis, ibi : « Nam etiam juxta legitimas sanctiones pactum turpe, vel rei turpis, aut impossibilis de jure, vel de facto, nullam obligationem inducit. »

* Inhonesta et contra bonos mores ea reputantur pacta, quibus quis peccandi licentiam videretur concedere. Hinc exempli gratia « in commodato hæc pactio, ne dolus præstetur, rata non est. » l. 17, ff. *Commodati*. Iniquum enim est et contra leges dolum non præstari. Præterea « pacta, quæ turpem causam continent, non sunt observanda : veluti, si paciscar ne furti agam vel injuriarum, si feceris. Expedit enim timere furti vel injuriarum pœnam. Sed post admissa hæc pacisci possumus. » l. 27, § 4, ff. hoc tit. « Nam et de furto pacisci lex permittit l. 7, § 14, in fin. ff. *H. t.* Quare de dolo admittendo, non de eo, qui jam admissus est, accipiendus Pauli locus in l. 27, § 3, ff. *Hoc tit.* Illud nulla pactione effici potest, ne dolus prestetur. Quamvis, si quis paciscatur, ne depositi agat, vi ipsa id pactus videatur, ne de dolo agat, quod pactum proderit. » Quia frequens in jure est regula, « expressa nocent, non expressa non nocent. » Enim vero, « si quis paciscatur, ne depositi agat, secundum Pomponium valet pactum, » ut testatur Ulpianus, in l. 7, § 15, ff. *Hoc tit.*

Pactis quibus peccandi licentiam quis pacisci videtur, proxima sunt ea, quibus quis pretio magis, quam virtutis amore, a flagitio abstinere videretur. Hinc, « si ob maleficium, ne fiat, promissum sit, nulla est obligatio ex hac conventione, » ut idem Ulpianus in citata l. 7, § 3, ff. *Hoc tit.* Sed licet hæc inhonesta reputetur, conventio honesta tamen illa reputatur, qua quid ab eo stipulamur si peccaverit. Id mirifice declaratur exemplo Papiniani in l. 121, ff. *De verb. oblig.*, § 1. Mulier ab eo in cujus matrimonium conveniebat, stipulata fuerat ducenta, si concubinæ, tempore matrimonii consuetudinem repetiisset. Nihil causæ esse respondit cur ex stipulatu, quæ ex bonis moribus concepta fuerat, mulier impleta conditione, pecuniam assequi non possit. »

Bonis moribus civitatis adversari videtur, si quis ita de sua hæreditate paciscatur, ut indirecte sibi testandi licentiam auferat quæ facultas in tanto fuit pretio apud Romanos. Hinc imperatores Valerianus et Gallienus rescripserunt, in l. 15, cod. *De pactis* : « Pactum, quod dotali instrumento comprehensum est ut si pater vita fungeretur, ex æqua portione ea, quæ nubebat cum fratre, hæres patri suo esset, neque ullam obligationem contrahere, neque libertatem testamenti faciendi mulieris patri potuit auferre. »

Adversus bonos mores censentur etiam ea pacta, quæ mortis alicujus votum quoddam continere videntur, aut saltem huic voto causam aliquam præstare. Ea de causa pacta de hæreditate personæ viventis inter eas personas facta, quæ ad hanc hæreditatem sperant vocari, Justinianus voluit esse irrita, nisi is de cujus hæreditate agitur, pactis voluntatem suam accommodaverit, et in ea voluntate usque ad mortem perseveraverit, l. fin. cod. de hoc tit. Simili ratione reprobatur pactum mutuæ successionis, quod tamen inter milites sustineri jure ultimæ voluntatis statuerunt Diocletianus et Maximianus in l. 19, cod. eod. Neque solum duo de hæreditate tertii viventis aut de mutua invicem successione pacisci possunt, sed nec olim de hæreditate defuncti, quam quis post mortem suam restituere mihi ex fidei commisso tenebatur, pacisci mihi aliquid cum eo licebat, quamvis mutua esset inter nos substitutio. Ita enim Paulus testatur, *Recept. sent.*, lib IV, tit. 1, § 13. « Rogati invicem sibi, si sine liberis decesserint, hæreditatem restituere; altero decedente sine liberis, hæreditas ad eum pervenit, qui supervixit, nec de eo pacisci contra voluntatem testatoris possunt; » quia de jure necesse est ut integra perveniat. Verum hoc pactum ab imperatoribus inde permissum est, ut constat ex l. 1 et l. 16, cod. hoc tit., et l. 11, cod. *De transact.*

Contra bonos mores videtur etiam pactum, quo medicus ab ægroto aliquid pro salute ipsius paciscitur. Hinc Valentinianus et Valens rescripserunt in l. IX, cod. *De profess. et medic.* « Archiatri scientes annonaria sibi commoda a populi commodis ministrari, honeste obsequi tenuioribus malint, quam turpiter servire divitibus. Quos etiam ea patimur accipere, quæ sani offerunt pro obsequiis non ea quæ periclitantes pro salute promittunt. » Pariter contra bonos mores videtur pactum, quo procurator de parte litis paciscitur de quo infra agendum erit in titulo de procuratoribus. At quæritur Ul-

(167) Inter impossibilia videtur posse etiam recenseri, quod ab alterius pendet facto, et arbitrio, atque ideo id pacisci non posset. Nihilominus sunt quidam casus, in quibus quis tenetur servari pactum tertiam respiciens personam. Ita quippe Ulpianus in l. 50, ff. *Hoc tit.* « Non impossibile puto in contractibus depositi, commodati, locati, et cæteris similibus hoc pactum; ne facias furem servum meum, hoc est ne sollicites, ut fur fiat, vel fugitivus fiat, nec ita negligas servum, ut fur efficiatur; sicuti enim servi corrupti actio locum habet, ita potest etiam hæc pactio locum habere, quæ ad corrumpendos servos pertinet. » Notandum tamen quod in conventionem interdum deduci potest, quod in alicujus tertiæ personæ, aut etiam alterius ex contrahentibus, ntaquam in arbitrium boni viri committatur, modo sit liber homo, qui arbitretur. Nam «ille verba arbitrio Lucii Titii fieri» jus significant, et in servum non cadunt. » L. 68, ff. *De verb. signif.* De his plura in titulo *De verbor. obligat.*

Digitized by Google

pianus an bonis moribus adversetur: « Si quis crediderit pecuniam, et pactus sit ut, quatenus facere possit, debitor eatenus agat nempe juxta vires debitoris, an pactum valeat? » Et magis est pactum valere. Nec enim improbandum est, si quis eatenus desideret conveniri, quatenus facultates ejus patiuntur. L. 49, ff. *Hoc tit.*

Circa pacta quæ sunt contra bonos mores et turpitudinem continent, observandum superest, propter turpitudinem ejus qui sibi pactus est, irritum esse pactum, non vero propter ejus duntaxat qui promisit. Hinc Diocletianus et Maximianus in l. 25, cod. *De transact.* « Si majores viginti quinque annis cum patruo, sive avunculo vestro transegistis, vel ei debita donationis causa, sine aliqua conditione remisistis; non idcirco quod hoc ejus hæreditatis captandæ causa, id est spe futuræ successionis vos fecisse proponatis, aliis ei succedentibus instaurari finita debent. »

His pactis affinia sunt quæ fiunt contra leges et constitutiones principum. Id autem fit vel ratione personæ quæ paciscitur vel ratione rei quæ in pactum deducitur. Ratione personæ, ut si pupillus sine tutoris auctoritate paciscatur, ne a debitore suo petatur, licet pupillus etiam sine tutoris auctoritate possit licite pacisci ne quod debet, a se petatur, l. 28, ff. *De pact.* Ratione vero rei, ut si quis promittat quod legibus prohibitum est. « Nam jus publicum privatorum pactis mutari non potest, » L. 38, ff. *Hoc tit.*, l. 45, § 1, ff. *De reg. jur.* Item si id promittatur quod repugnat publicæ utilitati, uti « pactum, ne experiar interdicto; *unde vi*; quatenus publicam causam contingit, pacisci non possumus. Et in summa, si pactum conventum a re privata remotum sit, non est servandum. » L. 27, § 4, vers. *Item ne experiar*, ff. *Hoc tit.*, quod idem statuit etiam Ulpianus in l. 7, § 16, ff. eod. Super his tamen legibus videndus est Cujacius, *Observat.* lib. I, cap. 24, qui putat *a re publica* legendum non *a re privata*, ut in vulgato textu legimus quæ nihilominus lectio retineri potest hoc sensu, ut nempe improbandum sit pactum quod privatam rem non respiciat. Cæterum adversus illud jus, quod non publicam, sed privatam paciscentis utilitatem respicit, nihil vetat pacisci, ut videre est in l. 7, § 13, 14, 15, ff. *Hoc tit.*, in l. 31, l. 43, et l. 46, ff. eod., et in l. 27, et l. 156, § fin., ff. *De reg. juris.*

Prætermittendum denique non est ea omnia irrita esse pacta quibus error causam dedit, ut constat ex l. 51, in princip., et § 1, ff. *Hoc tit.*

(8. Omne etiam pactum pro obtinenda re spirituali est penitus irritum, ac nullius momenti, textu expresso in cit. c. *Pactiones* 8, De pactis, ibi: « Pactiones factæ a vobis (ut audivimus), pro quibusdam spiritualibus obtinendis, cum in hujusmodi omnis pactio, omnisque conventio debeat omnino cessare, nullius penitus sunt momenti; » et concordat cap. *Quæsitum* 5, De rerum permutat., ubi additur quod « pactio circa spiritualia vel connexa spiritualibus, labem semper continet Simoniæ. »

(9. Sic omne pactum circa spiritualia est illicitum et continet simoniam, saltem ecclesiasticam, quando illud intervenit in beneficiis ecclesiasticis, aut aliis jure ecclesiastico prohibitis, tanquam continentibus labem simoniæ; ut si fiat permutatio præbendarum propria auctoritate et sine interventu superioris, scilicet episcopi, cap. *Quæsitum* 4, De rerum permut., aut si quis resignet præbendam cum pacto, ut sibi solvatur certa pensio absque auctoritate Papæ, cap. *Super eo* 7, De transactionibus; vel si eligendus, v. g. in episcopum, in provincialem, in generalem et hujusmodi promittat alteri beneficium ecclesiasticum, dignitatem, personatum, suum votum et hujusmodi, ut det sibi votum in electione, cap. *Quam pio* 2, caus. 11, q. 2, cap. *Plerique* 7, et cap. *Pactiones* 8, De pactis; cap. *Quæsitum* 5, De rer. permutat.; cap. *Præterea* 9, De transactionibus; cap. *De hoc* 11, et cap. *Tua nos* 34, De Simonia, cum similibus.

(10. Pactum vi cujus beneficium ecclesiasticum debet pecunia resignari, nullum est atque Simoniacum, cap. *Cum pridem* 4, De pactis; cap. *Consulere* 38, De Simonia, cum similibus. (11. Et hoc etiam procedit de pacto illo, quo una pars litigantium privata conventione et sine auctoritate superioris cedit liti, et juri super beneficio litigioso si quod in eo habeat et altera pars vicissim dat aliquid temporale, v. g. expensas factas restituit. In spiritualibus enim omnis pactio cessare debet, cap. *Pactiones* 8, De pactis; cap. *Quæsitum* 5, De rerum permutat., cum similibus. Et sic tenet Abbas, in cit. cap. *Cum pridem* 4, De pactis, n. 1 et 2; Barbos., ib., num. 15, et communis aliorum.

(12. Dicitur autem notanter « privata conventione ac sine auctoritate superioris, » quia interveniente auctoritate superioris, scilicet Papæ vel episcopi ex gravi causa id concedentis, pars cedens liti super beneficio exortæ licite potest recipere aliquid temporale, non quidem in compensationem sui juris, si quod in beneficio habeat, cum hoc sit simoniacum; sed vel propter bonum pacis, arg. cap. *Nisi essent* 21, De præbend., vel ob aliam hujusmodi justam causam; Fagnan., in cit. cap. *Nisi essent*, n. 3 et 28; Barbosa, *ibid.*, n. 8, Reiffenstuel, l. I *Decretal.*, c. 25, num. 70; Layman, l. IV, tr. 10, c. ult., num. 56, et alii*. Vid. *Additiones Casin.* in fin*.

(13. Pactum quo quis promittit novam pensionem vel augumentum antiquæ, ut in beneficio instituatur, est illicitum et simoniacum, et qui illud, mediante tali pacto, obtinuit, non solum est eo spoliandus, sed etiam aliis pœnis canonicis est puniendus; cap. *Cum clericis* 6, De pactis; cap. Matth. XXIII, *De Simonia*, et extravagant. *Cum detestabilis*, De Simonia, inter communes, cum similibus.

(14. Pactum de succedendo in ecclesiasticis beneficiis, ita videlicet, ut ista clericis

Digitized by Google

concedantur sub hac conditione, quod post eorum mortem alii nominatim succedant, est nullum, cap. *Accepimus* 5, De pactis et com. doct.

(15. Non valet pactum factum in præjudicium juris parochialis, ut si clerici sæculares, vel regulares res suæ ecclesiæ locent vel in feudum concedant cum pacto, quod conductores vel feudatarii decimas eis persolvant, aut apud ipsos sepulturam eligant. Cum enim hujusmodi pactum præjudicet juribus parochialibus, nullius est roboris, et sic paciscentes tenentur reddere quidquid ratione similis pacti receperunt, et servare indemnem ecclesiam illam parochialem, quæ exinde læsa fuit; textu expresso in cap. *Plerique* 7, De pactis.

(16. Pactum, quod filia dote contenta, patri ab intestato non succedat, a jure improbatur, et non valet, textu expresso in l. *Pactum dotali instrumento* 3, cod. *De collationibus*, ibi : « Pactum dotali instrumento comprehensum, ut contenta dote, qua in matrimonio collocabatur, nullum ad bona paterna regressum haberet, juris auctoritate improbatur, nec intestato patri succedere filia ea ratione prohibetur; » et refertur etiam in c. *Quamvis* 2, De pactis, in 6, per verba mox adducenda in numero sequenti. Valet tamen tale pactum, si fuerit juramento firmatum, et non vi, nec dolo ab eadem præstitum fuerit, textu expresso in cit. c. *Quamvis*, ibi : « Quamvis pactum patri factum a filia, dum nuptui tradebatur, ut dote contenta, nullum ad bona paterna regressum haberet, improbet lex civilis. Si tamen juramento, non vi, nec dolo præstito, firmatum fuerit ab eadem, omnino servare debebit, cum non vergat in æternæ salutis dispendium, nec redundet in alterius detrimentum. »

(17. Pactum talis filiæ juramento firmatum valet etiam in foro civili : cum enim hic agatur de evitando peccato, ac perjurio, dicta Pontificia dispositio in cit. cap. *Quamvis*, valet etiam in foro civili, et per judicem sæcularem est servanda. Sic, pluribus juristis et juribus adductis, *Glossa* in cit. cap. *Quamvis*, verb. *Servari;* Alexander, consil. 29, lib. III; Zoesius, tit. *De pactis*, num. 37; Covarruvias, part. III, in cap. *Quamvis pactum*, § 4, num. 18, De pactis, in 6; Reiffenstuel, lib. I *Decretal.*, tit. 35, num. 82, ubi testatur de communi. Et colligitur ex cap. *Novit.* 13, § *Licet autem*, De judiciis, ubi dicitur quod « Pontifex procedere valeat super quolibet criminali peccato, ut peccatorem revocet a vitio ad virtutem, ab errore ad veritatem. » Et additur, quod « de juramenti religione cognoscere, ad judicium Ecclesiæ non est dubium pertinere. » (18. Et hoc etiam habetur ex præscripto legum civilium. Nam Authentic. *Ut clerici apud provios episcopos*, § *Si vero ecclesiasticum*, collat. 6, imperator expresse hoc sancivit his verbis : « Cum oporteat talia ecclesiastice examinari et emendari animas delinquentium per ecclesiasticam multam secundum sacras et divinas regulas, quas etiam nostræ sequi non dedignantur leges. » Unde in c. *Intelleximus* 1, De novi operis nuntiatione dicitur quod, « leges non dedignantur sacros canones imitari. »

(19. Ad hoc, ut talis filiæ pactum juramento firmatum valeat, et servandum sit, requiritur quod juramentum non sit nec vi, nec dolo extortum, ut expresse cavet Pontifex in cit. cap. *Quamvis* 2, De pactis, in 6, ibi : « Juramento, non vi, nec dolo præstito. » (20. Si vero fuerit extortum vi, id est si filia juravit se renuntiare paternæ hæreditati, gravi metu majoris mali adducta, puta quia alias dotem a patre obtinere non posset; seu fuerit extortum *dolo*, id est si parentes scienter et dolose persuaserint filiæ, minores esse facultates suas, quam revera essent, sicque ipsa seducta, et modica dote contenta, reliquæ hereditati sub juramento renuntiaverit; tunc juramentum sic vi aut dolo extortum, vel nullatenus est obligatorium, ex quo talis vis seu dolus valuerit auferre consensum, ut dicunt Abbas in cap. *Cum contingat*, n. 2, De jurejurando; Joann. Andreas, in cap. unic. de consuetud.; Pirhing., lib. I *Decretal.*, tit. 35, n. [illegible]; Reiffenstuel, *ibid.*, num. 83; Molina, t. II, *De justitia et jure*, tract. 2, dis. 579, n. [illegible], et alii; vel saltem non est efficaciter obligatorium, cum possit peti et obtineri ejus relaxatio, et dispensatio, quæ per Ecclesiam solet in similibus casibus passim concedi, cap. *Virum* 25, De jurejurando; imo et magistratus sæcularis potest cogere eum qui vim aut metum intulit, ut juramentum remittat; Pirhing., *loc. cit.*, num. 32; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 83, et alii passim.

(21. Hinc talis filia (idem dic de filio, vel quovis alio necessario hærede) quæ, dote accepta, cum juramento renuntiavit paternæ hæreditati, atque enormiter, seu ultra dimidium finde læsa fuit, post obtentam absolutionem a juramento, potest petere rescissionem dictæ suæ renuntiationis, atque hæc a judice est concedenda ob ejusmodi enormem læsionem rite probatam; juramentum enim junctum enormi læsioni, nempe ultra dimidium, censetur dolo extortum; nam tunc *ipsa res in se dolum habet*, ut dicit. l. *Si quis cum aliter* 36, ff. *De verbor. obligationibus;* Covarruvias, part. III, in cap. *Quamvis pactum* 2, De pactis, in 6, § 4, num. 11; Gailus, lib. II *Practic.*, observ. 147, num. 8 et 9; Layman, in cit. cap. *Quamvis* 2, De pactis, in 6, num. 2; Menoch., *De arbitrar. jud.*, caus. 149, n. 17 et 18; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 84; Fachineus, lib. VIII, *Controvers. juris*, canon. 69, citans alios, et solvens contraria.

(22. Pactum addictionis in diem quid, et quid juris de eo? *Vide* verb. CONTRACT. EMPTION., art. 5, a num. 46 ad 55.

(23. Pactum legis commissoriæ quid, et quid juris de eo? *Vide* d. verb. CONTR. EMPT., a n. 40 ad 45, et verb. HYPOTHECA, num. 34 et 35.

(24. Pactum antichryseos quid, et quid

Digitized by Google

juris de eo? *Vide* d. verb. HYPOTHECA, num. 32 et 33.

(25. Pacta hypothecæ seu pignori adjecta quænam, et quo modo valeant? *Vide* verb. HYPOTHECA, a num. 36 ad 40.

(26. Pacta retrovendendi, seu redimendi quando, et quomodo liceant, vel non, et quid juris de ipsis? *Vide* dict. verb. CONTR. EMPT., art. 3, num. 54 ad 56.

(27. Pacta et conventiones seu compositiones, quas superiores locales regularium sine licentia generalium seu provincialium ineunt cum prælatis seu rectoribus parochialium ecclesiarum super juribus parochialibus, et aliis articulis, de jure communi sunt valida, et observanda, textu expresso in cap. *Quia eo* 3, De pactis, in 6, in cujus summario sic expresse habetur: « Pacta inita per Fratres Prædicatores vel Minores, vel alios Mendicantes cum rectoribus parochialium ecclesiarum super parochialibus juribus, si facta sunt per priores, vel guardianos de conventuum ipsorum locorum consensu, licet auctoritas Sedis Apostolicæ non intervenerit, vel licentia prioris, vel ministri generalis, aut magistri vel provincialis ministri, vel capituli provincialis, servanda sunt, dummodo sint licita et honesta; » et concordat cap. *Pactum* 1, eodem in 6, in cujus summario sic præcise habetur: « Monachi habentes liberam a Sede Apostolica sepulturam, si paciscantur de non recipiendis aliquibus vel certis parochianis Ecclesiæ alicujus, servare compelluntur pactum, nec illos sepelire poterunt, licet apud eos elegerint sepeliri, cum per pactum privilegio renuntiaverint. »

(28. Verum prædictas decretales Bonifacii VIII iterum sublatas esse per Sixtum IV, et privilegia Mendicantibus prius concessa iterum restituta esse et confirmata per ipsum Sixtum IV variosque alios Summos Pontifices, testatur Emmanuel Rodericus, tom. 1, q. 27, art. 3, addens ita servari in nostra religione. Et ita etiam docent Layman, in cit. cap. *Quia ex eo* 2, De pactis, in 6; Pirhing, lib. 1 *Decretal.*, tit. 35, num. 14; Reiffenstuel, *ibid.*, num. 7, et alii. Et ratio ipsorum est, quia sicuti rector ecclesiæ collegiatæ inferioris non potest jura et bona immobilia ecclesiæ alienare, nisi ultra consensum capituli cum licentia episcopi, ut colligitur ex cap. *De cætero*, et cap. *Veniens* 8, De transactionibus; ita etiam rector seu prior ecclesiæ conventualis, seu regularis non potest alienare sine consensu generalis sui ordinis, qui quasi episcopalem jurisdictionem in suos subditos habet, vel saltem provincialis in illis religionibus, in quibus habet facultatem præbendi similem consensum. Sic prædicti doctores, qui tamen recte monent in hac re attendendas esse consuetudines, statuta, et privilegia apostolica, cuique religioni post dictas decretales Bonifacii VIII facta et concessa.

(29. Pacta abolendarum pensionum contemporaneæ resignationi beneficiorum, et earumdem pensionum resignantibus, damnantur et annullantur. Bened. XIV, tom. I, constit. 30, incip. *In sublimi*, § 3. (30. Pacta pœnalia de non appellando a sententia super nullitate matrimonii damnantur et annullantur. Idem constit. 85, incip. *Nimiam*, § 4 et 7. Earumque observantia prohibetur sub pœna excommunicationis. Idem, *ibidem*, § 7.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(31. Plura sunt pacta quæ tum jure civili, tum jure canonico speciatim improbantur. De omnibus agere haud patiuntur angusti limites additionum. Agemus de uno a jure civili, tum de uno a jure canonico improbato.

(32. Jure civili improbatum est pactum de hæreditate tertii, si tertius ille certus sit, nec aliter subsistit, nisi tertio illo consentiente, et in eodem consensu subsistente usque ad mortem. (33. Improbatum autem fuit pactum hoc tanquam plenum tristissimi eventus, et votum captandæ mortis continens, leg. 15, et in fin. c. De pact. Rota *in Monopolitana immissionis* 3 Martii 1749, § 9 et sequent., coram eminent. Bussio.

(34. Pactum hoc non sustinetur, etiamsi tendat in favorem certi ac determinati matrimonii, quod alias secutum non fuisset.

(35. Imo etiamsi juramento munitum sit. Rot., coram Rat., dec. 142, num. 2 et 3.

(36. Nec si inter nobiles conventum sit cum juramento. Idem supremum tribunal *in Lucana immissionis* 16 Febr. 1731, cor. Calcagnin. (37. Nec a statuto, vel a consuetudine vim accipere potest. Confer. Treutler.; vol. I, disp. 6, thes. 8, cap. final.

(38. Debet autem esse hoc pactum vel de tota hæreditate, vel de ejus parte, ut prohibitionem incurrat. (39. Occurrit vero non semel dubitatio, utrum pactum hoc sit de quota aliqua hæreditaria, an de rebus particularibus. *Vide*, ubi res postulat, Rotam, cor. Rat., dict. decis. 142, num. 4, ad plur. seq.

(40. Consentiente tertio illo, ut dictum est, sustinentur. (41. De tertio vero quæritur an is, si juramento consenserit, possit non obstante juramento, discedere a consensu, et testamentum condere, variant doctores. Meo judicio separari debet casus. Si dixerit: « Juro me in hoc pactum consentire, » resilire adhuc valebit, quippe quia juramentum actus naturam sequitur. Aliud, si dixerit: « Juro me consentire, nec me unquam consensum hunc revocaturum esse; » hoc casu (recte ait Stryk., *in usu modern. Pandect.*, lib. II, tit. 14, § 17) pœnitere non posset, ne facultatem testandi amitteret; testamentum enim ut faciat, nulla lege obstringitur.

(42. Jure canonico improbatur pactum, quo præsentatus pensioni vel favore patroni vel favore tertii consentit, cap. 6, De pact. Cæterum interest scire utrum pactum hoc sit conceptum per viam *conditionis*, an per viam *modi*. (43. Priori enim casu ipsa quoque præsentatio irrita est, idque quia

Digitized by Google

conditio vel jure impossibilis, addita actui inter vivos vitiat. Fagn., *De jurepatron.*, part. II, can. 12 et 13, cas. 5, n. 6 et plur. sequent.: Gagliard., eodem tract., cap. 16, numer. 10; Rot. cor. Emer. jun., decis. 100, numer. 3; coram Crisp., decis. 335, numer. 14. (44. Posteriori vero casu firma manet præsentatio, ipsumque pactum habetur pro non apposito. Cardinal. de Luc., *De jurepatronat.*, discurs. 48, fer. per tot., et card. Lanfredin. (45. *Respons. eccl.*, 2, pariter fere per tot., qui una tradit, quando mox dictum pactum appositum dici queat per viam conditionis et quando per viam modi: confutatque in hoc cardinalem de Luca; et quidem non immerito.

(46. Quid, si reservatum fuerit beneplacitum Apostolicum? Interest pariter scire utrum fuerit pactum adjectum per *viam conditionis*, an per *viam modi*. (47. Nam priori casu beneplacitum accedere debet intra quadrimestre, ut sustineatur præsentatio; posteriori vero potest supervenire, elapso ipso quadrimestri. (48. Lanfredin., *ubi supra*, Piton., *De controvers. patron.*, allegat. 56, num. 5, Rot., coram Crisp., dec. 335, num. 14 et seq.; *in Faventina beneficiorum* 5 Martii 1736, § *Et quod attinet*, cor. bon. memor. de Vais.

(49. Quod si ex aliquo impedimento, puta secutæ interim vacationis Sedis Pontificiæ, impetrari nequit beneplacitum, an subduci debeat tempus impedimenti, magna quæstio est? Rota nec assumere voluit hunc articulum *in Regien. benef.* 4 Jun. 1759, cor. R. P. D. Ratto. Proposita vero denuo fuit hæc causa die 2 Jun. hujus anni 1760, a R. P. D. Corpelio. Sed an in hac altera propositione deciderit articul. videbitur edita decisione.

(50. Coronidis loco ea hic examinanda est quæstio, an hodiernis moribus alter alteri pacisci possit hoc effectu, ut illi inde competat actio. Negat post alios Carpzov., *Jurispr. forens.* par. II, constitut. 33, defin. 25 et sequent., qui retinendam autumat et hodie definitionem juris civilis. At affirmant Bruneman., ad l. 25, in fin. ff. *De pact.*; Mev., par. IV, dec. 112, n. 2; Christin., vol. III, dec. 35, num. 12. Adde Grœneveg. et plures ab eo citatos ad § 18 *Instit. de inutil. stipulat.*

ADDITIONES CASINENSES.

Traditis a Lucio nostro sub n. 12 h. artic. quod nempe, interveniente auctoritate superioris, puta Papæ vel episcopi, ex gravi causa id concedentis, licite possit pars cedens liti super beneficio exortæ recipere aliquid temporale, non quidem in compensationem sui juris, si quod in beneficio habeat, cum hoc sit simoniacum, sed propter aliquam justam causam (prout etiam rite tenent Reiffenstuel, *De pactis*, § 3, n. 70 aliique); non supervacuum sit addere, quæ sapientiss. Benedictus XIV habet per modum normæ, ac regulæ generalis, in *Inst. Eccles.* 93, quam hic integram exscribere placet. Est porro hujusmodi.

EPISTOLA AD VICARIUM GENERALEM HABITA.

« Utrum simoniæ labe afficiatur is qui pecuniam largiter impendit, ut se lite eximat, in causis beneficialibus. Quænam requirantur, ut hoc jure fieri possit. De arbitris causarum ad beneficia spectantium, et cuinam præcipue rei animum, mentemque adjungere ipsi debeant.

« 1. Cum in ecclesia collegiata hujus diœcesis vacatio contigerit canonicatus de jure patronatus laicalis, suisque suffragiis patroni inter se maxime discrepaverint, qui diversos omnino clericos nominarunt, lis excitata est inter ipsos electos ad beneficium, in qua tanquam judex ordinarius, cujus est rem primo dijudicare, sententiam clerico A. propitiam tulisti. Clericus autem B. ad sac. Romanæ Rotæ tribunal ab hac sententia provocavit, ubi, causa bis proposita, nihil definitum fuit. Quamobrem clericus idem B., post gravissimas expensas rationibus etiam suis parum confidens, pollicitus est competitori se cessurum esse causæ, si pecunia, quam in peragendo hoc judicio solverat, sibi redderetur. Id minime inficiatur clericus A., qui, remoto competitore, nequaquam dubitat quin unanimes patroni sibi tantum suffragentur: sed monitus fuit cavendum esse magnopere ne veræ simoniæ labem contraheret, si eam pecuniam restitueret. Qua de re consilium a peritissimis viris postulavit, iique responsum ejusmodi fecerunt, unum vel plures arbitros accersiri posse, qui judicarent abdicandum esse a clerico B., ipsique pecuniam expensam a clerico A. persolvendam, quod rite cum arbitris constitui posset. Heri vesperi, cum nos de more convenires, opinionem nostram super hac re poposcisti, eamque breviter nunc explicabimus. Ac primum, cum agitur etiam de beneficiis, lites numerata pecunia licite dirimuntur; negotium tamen, de quo agitur, componi hac ratione nequit, quin simoniæ labes intercedat. Quamobrem ab æquitate alienum est consilium quod nuper exposuimus, idque clericis iisdem dissentibus statim patefacies. Nos pariter de errore, in quo versantur maximo, ipsos ad nos accitos clare graviterque admonebimus.

« 2. Lites numerata pecunia dirimi posse affirmavimus, quod Cœlestini III præclara decretali comprobatur, cap. *Dilect.* 27, De Simonia, etenim præpositus Eboracensis suo archiepiscopo pecuniam erogaverat, ut finem molestiis faceret ob quædam beneficia, quibus præpositus ipse fruebatur. Qua de re Pontifex arguit vehementer archiepiscopum, qui, post datam fidem acceptamque pecuniam, præpositum novis molestiis persequeretur; nec iisdem litteris Cœlestinus III præpositum improbat, quia pecuniam ob eam causam tradiderat; ex his constat pecuniam licite solvi posse, etiam cum de beneficiis res agatur, ut ligitiis aditus occludatur.

« 3. Porro id ecclesiasticæ historiæ monumentis exemplisque corroboratur. Pru-

Digitized by Google

ditum est ab Odoacre rege Herulorum, qui totam Italiam invaserat, tributum Romano Pontifici imperatum fuisse antequam pontificatum susciperet : eamdem legem et institutum Gothorum reges, qui deinde Odoacri suffecti sunt, per maximam vim et injuriam retinuerunt. Justinianus Augustus idem tributum elicuit, asserens quod imperium simul et jura Gothorum obtineret. Injustissima hæc consuetudo ad Constantinum IV imperatorem permansit, qui *Barbatus* vulgo nuncupatur. Ipse S. Agathonem Pontificem, et cæteros in posterum, qui ad gerendum pontificatum eligerentur, ab ejusmodi tributo vindicavit. Anastasius Biblioth., in *Vita S. Agathonis*.

« 4. Cum S. Gregorius Pontifex omnium suffragiis renuntiatus hunc honorem declinare vellet, ad Mauritium imperatorem litteras dedit, ipsumque maximo studio rogavit ne suam electionem confirmaret. Hæc tamen epistola intercepta fuit a Germano Urbis præfecto, qui ad Mauritium scripsit gravissimis verbis ac sententiis, commune bonum ac felicitatem id requirere, ut summa Ecclesiæ regendæ potestas Gregorio traderetur. Quamobrem Mauritius, qui Gregorii virtutem cognitam satis ac perspectam habuerat, cum ille Constantinopoli versaretur, ejus electionem probavit. Joannes Diaconus, lib. I *Vitæ S. Gregorii*, c. 39 et seqq. Itaque S. Gregorius, coactus rerum administrationem suscipere, iniquum tributum solvere non prætermisit.

« 5. Idem Pontifex gravissime queritur lib. X, cap. 1 *Gallicæ Historiæ*, etc., de hujus tributi conditione, et Mauritium imperatorem vehementer redarguit. In dubium tamen vocatur an commentaria, quibus ejusmodi querimoniæ continentur, S. Pontifici Gregorio tribuenda sint. Graveson, t. II *Historiæ ecclesiast.*, pag. 323; Cave, in *Histor. scrip. ecclesiast.* Nam Cave potissimum advertit, eam scribendi rationem haud S. Gregorio Magno, sed S. Gregorio VII potius convenire ; quam opinionem Thomassinus quoque amplectitur, uti inferius demonstrabimus. Hanc igitur controversiam missam faciemus, et id solum quod Christianus Lupus scriptum reliquit, tom. III in *Concil. general.*, 1 edit., pag. 127, commemorabimus : « Persolvit tamen optimus « Gregorius, quod nempe, nec Papatum de- « clinare posset, nec principis avaritiam « moderari. Solus princeps, non ipse fuit « simoniacus, quia iniquam atque inevi- « tabilem vexationem redemit. » Idem etiam exemplo Constantinopolitani patriarchæ magis ostenditur, qui postquam designatus est, ordinari nequit, nisi tributum antea Turcarum præfecto exsolverit : Quippe : « Non ea « crimini (ait Thomassinus *De benefic.*, par. « III, lib. 1, c. 60, n. 10) vertenda est Græ- « cis necessitas tributi, sed in ambiendo « certatim Patriarchatus culmine nefanda « cupiditas, qua ad majus in dies tributum « solvendum ultro prosiliunt. »

« 6. Postremo affirmavimus, lites etiam circa beneficia componi quidem posse, si pecunia numeretur ; id tamen accommodari nullo modo posse causæ, quæ nunc in disceptatione versatur. Nam rerum ejusmodi scriptores inter cætera quæ necessaria putant, ut liceat pecunia finem imponere dissidiis circa beneficia, illud præ cæteris requirunt, ut qui solvit pecuniam, non tantum jus ad *beneficium*, sed jus *in beneficio* obtineat ; quæ sane conditio ex decretali Lucii III desumitur, cap. *Matth.* XXII, *De simonia*. Admonitus fuerat Pontifex quemdam clericum ad dignitatem ecclesiasticam electum *paucis contradicentibus*. Perceperat etiam quod, eodem clerico sciente ac probante, ipsius amicus « ei, qui discordiæ magister videbatur, certæ quantitatis munus exsolvit, et sic, quam prius sustinebat, contradictio quievit. » Quam ob causam electo clerico Pontifex indicit, ut dignitatem quamprimum dimittat, eaque sententia utitur : « Nihil prodest homini, si uni- « versum mundum lucretur, animæ vero suæ « detrimentum patiatur. » Canonum interpretes simul conferunt superius allatam sententiam in cap. *Dilectus*, De Simonia, cum hac Lucii III in cap. *Matthæus*, pariter De Simonia, atque unanimes advertunt fuisse *jus in re* pro beneficiis, si prima illa sententia spectetur : si vero secunda perpendatur, fuisse *jus ad rem*, nempe ad dignitatem, quod sane jus imperfectum existimatur. Quippe minor pars, quæ ad eligendum clericum non consenserat, litem instituere, ac rationes proferre poterat, ne electio illa confirmaretur. Gonzalez, cap. cit. *Matthæus* 22. Id apertissime tradit S. Thomas 2-2, q. 100, art. 2, ad 5 : « Antequam alicui ac- « quiratur jus in episcopatu, vel quacunque « dignitate, vel præbenda, per electionem, vel « provisionem, seu collationem, simonia- « cum esset adversantium obstacula pecunia « redimere, sic enim per pecuniam pararet « sibi viam ad rem spiritualem obtinendam ; « sed postquam jus alicui jam acquisitum « est, licet per pecuniam injusta impedi- « menta removere. » Et quarto *Sententiar.*, dist. 15, q. 4, art. 2, quæstiunc. 1, ad sept. « Si non est sibi acquisitum jus per ele- « ctionem, nullo modo potest pecuniam « dare adversario, ut desistat. Si autem est « ei acquisitum jus, potest aliquid dare, « non ut pretium prælationis, sed ut re- « demptionem vexationis propriæ. » Sic autem S. Raymundus sanctissimi doctoris discipulus idem testatur, in *Summ.*, a lib. I, tit. 1, *De Simonia*, § 20.

« 7. Altera conditio, quæ pariter exigitur, ut liceat pecunia dissidium circa beneficia componere, in eo posita est, ut jus clare suffragetur illi qui pecuniam solvit, et injuste vexetur ab eo qui pecuniam accipit. Quod si aliter fuerit, qui pecuniam expendit, non animi tranquillitatem et quietem eo pretio sibi comparat, quæ inter res temporarias recensentur, sed jus quoddam in rem spiritualem pecuniæ vi sibi conciliat ; equidem S. Thomas eo loco quem nuper memoravimus, pro certo has duas conditiones interponi statuit : « Injusta im-

Digitized by Google

« pedimenta, et jus in re manifestum ; » iisdem fere verbis utitur S. Antonius part. II *Summ.*, tit. 1, cap. 4, in fin., § 2 : « Quinto, ratione redimendæ vexationis, « et antequam jus acquiratur alicui in be- « neficio vel dignitate, non licet dare ad « redimendam vexationem suam, alias si- « monia esset ; sed postquam fuerit ade- « ptus, et jus sibi acquisitum, vexationem « sibi injuste factam super ecclesia, vel « beneficio, vel dignitate, licet pecunia re- « dimere, sed non justam vexationem, ut « si juste accusaretur, vel hujusmodi. » Ob has causas *injustissimæ vexationis, et apertissimi juris*, Summi Pontifices tributum absque simonia persolvebant, ut ipsorum electio ab imperatoribus confirmaretur. Ob causas easdem Jacob improbandus non videtur, qui ab Esau jus primogeniti sibi comparavit : « Jus (inquit S. Thomas, 2-2. q. « cit. 100, art. 4, in respons. ad quintum « argument.) primogenituræ debebatur Ja- « cob ex divina electione... et suam vexa- « tionem redemisse intelligitur. »

« 8. Cum hæc ita se habeant, si hæc omnia conferre velis cum causa de qua agitur, certo deprehendes a veritate alienum non esse id quod initio diximus, pecuniam solvi jure posse ad lites circa beneficia componendas, id tamen quæstioni, quæ in medium adducitur, minime suffragari. Nam, ut pecuniam liceat exsolvere, non debet intercedere *jus ad rem, sed in re*, illudque aperte constet necesse est. Insuper injustam vexationem competitoris, qui pecuniam accipit, manifeste probari oportet. Clerici vero B et C *jure ad rem* solummodo prædili sunt, si ratio *præsentationis* habeatur, quæ de utroque per legitimos dominos facta fuit. Neque *ullum jus in re* clericus A consequitur ex prima sententia, quam propitiam retulit, cum interposita fuerit provocatio ad alios judices, qui rem totam secundo loco dijudicare possunt, idque primæ sententiæ effectum impediverit. Postremo, quis affirmare unquam valeat jus certum et manifestum a clerico A possideri, ipsumque a clerico B competitore certissime atque injuste vexari ? Siquidem contrarium desumitur ex eo quod hæc causa bis proposita fuit in sacro Romanæ Rotæ tribunali, ubi, post accuratam disquisitionem, nihil peculiare sancitum est.

« 9. Sed jam de consilio eligendi arbitros pro dirimenda hac controversia verba faciamus. Qua ratione id excogitatum fuerit intelligere sane non possumus. Nam si ipsi judicium æquitati consentaneum ferre velint, illud procul dubio expendere debent, utrum clericus A *jus habeat ad rem, vel in re*, an illud manifestum sit ; utrum tandem a clerico B injuste divexetur, atque ita causa reducitur ad eadem principia quæ modo exposuimus, ipsique arbitri fateri cogentur haud licere pecuniæ solutione hanc litem componere.

« 10. Si qui consilium hoc dederunt, parumper in jure canonico versarentur, haud novam et insuitatam esse deprehenderent ejusmodi arbitr. electionem. Alexander III cap. *Non sine*, De arbitris, nequaquam pecuniam in causa beneficiali solutam improbavit, quam delecti arbitri constituerant. Insuper canonum interpretes in cap. eod. *Non sine*, De arbitris, docent æquum esse laudum ab arbitris præscriptum, si jus pecuniam solventis manifestum appareat ; injustum vero laudum, si pecuniam solvens omni jure careat ; postremo dubium esse laudum, et simoniæ speciem præ se ferre, si dubium jus obtineat, qui pecuniam erogat. Item tradunt, arbitros accersendos esse ab episcopo, qui rationes laudi ab illis exposcere debet, illudque vel probare, vel rejicere juxta leges quæ a jure pontificio decernuntur. Fagnanus, in eodem cap. *Non sine*, a num. 3 ad 9, sub titulo De arbitris.

« 11. S. Carolus Borromæus de hac re sapienter et æquissime judicavit part. II, *Constitut.*, cap. 11, in primo provinciali concilio, quod Mediolani celebravit. Sic enim statuit : « Ne redimendæ vexationis » specie in causis beneficiorum simoniacæ « pactiones intercedant, nemini licere vo- « lumus ad redimendam vexationem, ne in « casibus quidem jure permissis pecuniam « dare, quidquamve pacisci aut transigere, « nisi episcopi consensus accesserit, cujus partes erunt, et perspicere diligenter an « subsit aliqua fraus ; et ubi rem fraude ca- « rere, et jure permissam esse cognoverit, « non denegare ei, qui petierit, facultatem « se a vexatione liberandi. » Hæc habui- « mus, qui tibi, etc. » Ita, in terminis præl laud. Pontif., inst. cit.

PACTORUM (DE) INTERPRETATIONE.

ARTICULUS III

SUMMARIUM.

1. In quolibet legis articulo nihil est tam necessarium quam recta interpretatio : quod idem in pactis locum habet. — 2. Afferuntur regulæ decem pro pactorum, et conventionum interpretatione, ad n. 11.

(1. In quolibet legis articulo nihil tam necessarium est quam recta interpretatio. Idem profecto contingit in pactis, quæ si recte non interpretentur, plerumque contra paciscentium voluntatem judicium fertur. Quare non abs re duximus adjungere saltem brevem de interpretandis pactis tractatum, sive potius decem proponere regulas, ex quibus aliæ etiam poterunt proponi.

(2. Primam regulam habemus ex Paulo in l. 21, ff. *De reb. dub.* « Ubi est verborum ambiguitas valet quod acti est ; » veluti ea interpretatio sumenda est, quæ, quod actum, gestumque est, conservet. Conservatur autem, seu ut mox ait jurisconsultus, *in tuto est res*, de qua actum est, quando id-

Digitized by Google

ipsum quod voluerunt contrahentes efficitur; hoc ergo in primis quærendum est. Et si id non possit aperte percipi, aliquis saltem debet esse pacti effectus, quem verisimile sit contrahentes voluisse; « veluti cum stichum stipuler, et sint plures stichi, vel hominem, vel Carthaginem, cum sint duæ Carthagines, semper in dubiis id agendum est, ut quam tutissimo loco res sit bona fide contracta, nisi cum aperte contra leges scriptum est. » Idem statuit Ulpianus in l. 80, ff. *De verb. obligat.* « Quoties in stipulationibus ambigua oratio est, commodissimum est id accipi, quo res, qua de agitur, in tuto sit. »

(3. Secunda Regula : « In conventionibus contrahentium voluntatem potius quam verba spectari placuit. » L. 219, ff. *De verbor. signif.* Hæc tamen regula ita ibidem declaratur. « Cum igitur ea lege fundum vectigalem municipes locaverint, ut ad hæredem ejus, qui suscepit, pertineret, jus hæredum ad legatarium quoque transferri potuit. » Licet enim hoc casu conventionis verba hæredem tantum contineant, voluntas tamen contrahentium cum debeat prævalere verbis, evidens est conductorem posse quovis titulo, ad quem libuerit, jus suum transferre.

(4. Tertia regula : « Hæc ex prioribus aperte consequitur; quoties idem sermo duas sententias exprimit, ea potissimum accipiatur, quæ rei gerendæ aptior est. » L. 67, ff. *De reg. jur.* Hujus regulæ exemplum habes in l. 7, *De contrahen. empt.* In allato textu legitur *rei gerendæ aptior*, nam plusquam probabile est contrahentes aliquid, quod ad effectum perduci posset, non vero vanum aliquod voluisse.

(5. Quarta regula : « In obscuris inspici solet quod verisimilius est, aut quod plerumque fieri solet. » L. 114, ff. *De reg. jur.*

(6. Quinta regula : « Semper in stipulationibus et in cæteris contractibus id sequimur quod actum est; aut si non appareat quod actum est, erit consequens ut id sequamur quod in regione in qua actum est frequentatur. Quid ergo, si neque regionis mos appareat, qui varius fuit? Ad id quod minimum est, reddenda summa est. » L. 34, ff. *De reg. jur.*

(7. Sexta regula : « Cum quæritur in stipulatione quid acti sit, ambiguitas contra stipulatonem est. » L. 26, ff. *De reb. dub.*, quod confirmatur etiam iisdem fere verbis in l. 38, § 18, ff. *De verb. oblig.* Hæc eadem regula, quæ obtinet in stipulationibus, locum etiam habet in reliquis contractibus. « Hinc in contrahenda emptione ambiguum pactum contra venditorem interpretandum est. » L. 172, ff. *De reg. jur.* Obiter nota : « Ambigua autem intentio ita accipienda est, ut res salva actori sit. » D. l. 172, § 1. In hoc textu opponuntur judicia conventionibus. In conventionibus fit interpretatio contra eum qui sibi pactus est : in judiciis vero ambigua intentio pro auctore recipit interpretationem, ut in ambiguo non videatur petiisse, quam quod jus petendi haberet, ne causa cadat. Allatam regulam confirmant Paulus et Papinianus in l. 21, ff. *De contrahen. empt.*, et l. 39, ff. *Hoc tit.* Hujus sextæ regulæ si quæris exempla, quamplura reperies in corpore juris, præsertim, in l. 30, ff. *De servit. præd. rust.*; l. 33, ff. *De contrahen. empt.*; l. 17, § 3 et 4, ff. *De servit. Urb. præd.*; et in l. 39, ff. *De contrahen. empt.*

(8. Septima regula : Cum verba conventionis aperte favent ei qui sibi pactus est, non oportet ab eis recedere. Hinc est, quod « si stipulatus fuero de te, vestem tuam, quæcunque muliebris est, dare spondes? magis ad mentem stipulantis, quam ad mentem promittentis id referri debet : ut quid in re sit, æstimari debeat, non quid senserit promissor. Itaque si solitus fuerat promissor muliebri quadam veste uti, nihilominus debebitur. » L. 110, ff. *De verb. oblig.* Cum enim re ipsa sit muliebris, non ideo minus censebitur esse muliebris, et in stipulatione contenta, quod vir ea uteretur. Super hac et præcedenti regula omnino omittenda non est lectio l. 99, ff. eod., quæ utramque complectitur et declarat regulam.

(9. Octava regula : « Quamvis aperta sint verba quæ ex priori conventionis parte leguntur, ad alium, quam præ se ferunt, sensum detorquebuntur per ea quæ in posteriori parte scripta sunt. » L. 126, ff. *De verb. sign.*, et passim Rota.

(10. Nona Regula : « Quæ dubitationis tollendæ causa contractibus inseruntur, jus commune non lædunt. » L. 81, ff. *De reg. jur.*

(11. Decima regula : « In orationibus quæ conventiones exprimunt, eadem forma loquendi pro subjecta materia varie accipitur. » Et quidem primo : « Hæc verba, *ille aut ille*, non solum disjunctivæ, sed etiam subdisjunctivæ orationis sunt. Disjunctivum est : veluti cum dicimus : *aut dies, aut nox est*, quorum posito altero, necesse est tolli alterum : item sublato altero, poni alterum. Ita simili figuratione verbum potest esse subdisjunctivum. Subdisjunctivi autem duo sunt genera. Unum, cum ex propositis finibus ita non potest utrumque esse, ut possit neutrum esse : veluti cum dicimus, aut sedet, aut ambulat. Nam ut nemo potest utrumque simul facere, ita aliquis potest neutrum, veluti is qui accumbit. Alterius generis est, cum ex propositis finibus ita non potest neutrum esse, ut possit utrumque esse : veluti cum dicimus : « Omne animal aut facit, aut patitur. » Nullum est enim quod nec faciat, nec patiatur : at potest simul facere et pati, l. 124, ff. *De verb. signif.* Secundo : « Oratio quæ neque conjunctionem, neque disjunctionem habet, ex mente pronuntiantis, vel disjuncta, vel conjuncta accipitur, » l. 28, ff. eod. Conjunctionem enim nunquam pro disjunctione accipi Labeo ait, ut in illa stipulatione, *mihi hæredique meo; te hæredemque meum.* L. 29, ff. eod. Tertio : « In usu juris frequenter uti nos Casellius ait singulari appellatione, cum plura generis ejus

Digitized by Google

dem significare vellemus. Nam et multum hominem venisse Romam et piscem vilem esse dicimus. Item in stipulando satis habemus (nempe curamus) de hærede cavere: si ea res, *secundum me, hæredemque meum* judicata erit, et rursus quod ob eam *rem te, hæredemve tuum;* nempe æque si plures hæredes sint, continentur stipulatione.» *Enimvero* « hæredis appellatione omnes significari successores credendum est, etsi verbis non sint expressi. » L. 158 et l. 170, ff. *De verb. sign.* Item in conventionibus, « cum generaliter adjicimus, *sive ad quem res pertinebit*, et adrogati, et eorum qui jure nobis succedunt, personas comprehendimus. » L. 53, § ff. *De obligat. et act.* Pronomina et adverbia comparationis non semper accipiuntur in sensu comparativo. Sic si stipulatus sum quantominus a debitore meo mihi solutum erit: *minus solutum intelligitur, etiamsi nihil esset solutum*, L. 32 ff. *De verb. signif.* Alia habes exempla in stipulatione legis Falcidiæ, in stipulatione *de rato**.

PAGANA PROPOSITIO.

Vide verb. Propositiones damnatæ *num.* 28

PALATIUM

Vid. verb. Immunitas, *art.* 2 *a num.* 71 *ad* 88, *ubi late de immunitate qua gaudere possunt palatia cardinalium, legatorum, principum, regum, nuntiorum et episcoporum.*

PALLIUM.

SUMMARIUM.

1. Instantiæ pro pallii concessione ab advocatis consistorialibus proponi debent, ad n. 2. — 3. Alia ad rem ad n. 14. De pallio Græcorum, quod *omophorion* appellant, vide additamentum in fine.

(1. Instantiæ pro pallii concessione ab advocatis consistorialibus proponi debent. Bened. XIV, constit. 106, incip. *Inter conspicuos*, § 18. (2. Pallium conceditur et transmittitur patriarchæ Antiocheno Græcorum Melchitarum. Idem const. 92, incip. *Dum nobiscum.* Pallium transmittitur patriarchæ Maronitarum. Idem, const. 101. incip. *Litteras.*

(3. Pallia patriarchis et archiepiscopis a Sede Apostolica Sede concedi et mitti consueverunt a primis usque Ecclesiæ sæculis. Idem, tom. II, const. 60, incip, *Rerum Ecclesiasticarum.* (4. Eadem antea solemni ritu benedicta fuisse non dubitatur. Idem, *ibid.* (5. Palliorum benedictio in ecclesia S. Petri, præviis cleri vigiliis, aliisque sacris cæremoniis fieri solebat. Idem. *ibid.*

(6. Ritus hujusmodi nonnullas subierunt mutationes, quæ assignantur. Idem, *ibidem.*

(7. Palliorum benedictionem in posterum a Summo Pontifice fieri statuitur in pervigilio Apostolorum post vesperas in Vaticana basilica celebratas. Idem, *ibid.* (8. Vel absente Pontifice ab eo cardinale, qui Pontificalia peregerit. Idem, *ibid.* (9. Hujusmodi benedictionis ritus et formula statuitur: idem, *ibidem*, et est sequens.

(10. Post vesperas, Pontifex, seu cardinalis, qui illius vice in Pontificalibus officio astiterit, ipsa pallia ter aspergit aqua benedicta, dicendo antiphonam: *Asperges me*, etc. (11. Ac ter incenso adolet, deinde dicit:

℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.*
℟. *Qui fecit cœlum et terram.*
℣. *Dominus vobiscum.*
℟. *Et cum spiritu tuo.*

Oremus. *Deus Pastor æterne animarum, qui eas ovium nomine designatas, per Jesum Christum Filium tuum, beato Petro apostolo, ejusque successoribus, boni Pastoris typo regendas commisisti, atque ipsis sacrarum vestium symbolis pastoralis curæ documenta significari voluisti; effunde per ministerium nostrum super hæc pallia de bestiorum apostolorum principum altari sumpta copiosam benedictionis ✠ et sanctificationis tuæ gratiam, ut quam mystice repræsentant pastoralis officii plenitudinem, atque excellentiam, pleno quoque operentur effectu. Humilitatis nostræ preces benignus excipe, atque eorumdem apostolorum meritis et suffragiis concede, ut quicunq. ea, te largiente, gestaverit intelligat se ovium tuarum pastorem, atque in opere exhibeat, quod signatur in nomine. Sit boni, magnique iltius imitator pastoris, qui errantem ovem humeris suis impositum cæteris adunavit, pro quibus animam posuit. Sit ejus exemplo in custodia gregis sibi commissi sollicitus, sit vigil, sit circumspectus, ne qua ovis in morsus incidat, fraudesque luporum. Sit disciplinæ zelo districtus, quod perierat requirens, quod alienum reducens, quod confractum alligans, quod pingue et forte custodiens. Videat humeris suis impositam crucem, quam filius tuus proposito sibi gaudio sustinere non recusavit; sitque illi crucifixus mundus et ipse mundo. Tollat injectum collo suo evangelicum jugum, sitque ei ita leve ac suave, ut in via mandatorum tuorum cæteris exemplo et observatione præcurrat. Sit ei hoc symbolum unitatis et cum Apostolica Sede communionis perfectæ tessera, sit charitatis vinculum, sit divinæ hæreditatis funiculus, sit æternæ securitatis pignus, ut in die adventus et revelationis magni Dei, pastorumque principis Jesu Christi, cum ovibus sibi creditis, stola potiatur immor-*

Digitized by Google

talitatis et gloriæ. Per eumdem Dominum nostrum, etc.

(12. Pallium suscipientes absentium antistitum nomine præstare debent juramentum in manibus cardinalis S. R. E. diaconorum prioris pro tempore existentis, dum pallium ipsis ferendum, seu transmittendum suscipiunt, ut sequitur :

(13. « Ego N. procurator et procuratorio nomine et pro parte revendissimi in Christo Patris et Domini N. electi Ecclesiæ N. instanter, instantius et instantissime peto mihi tradi et assignari pallium de corpore beati Petri sumptum, in quo est plenitudo pontificalis officii, et promitto illud reverenter portare, vel portari facere eidem reverendissimo Patri domino N. Sic me Deus adjuvet et hæc sancta Dei Evangelia. »

(14. Pallia archiepiscopalia in Vaticana Basilica prope corpus S. Petri semper asservari jubentur in capsula argentea auro obducta, quam Pontifex dono dedit. Idem, *ib.* Ejus arculæ custodia ad altaristam canonicum spectat. Idem, *ibid.*

* ADDITAMENTUM.

Pauca addam de pallio Græcorum, quod *omophorion* appellant. Ingens inter Latinorum et Græcorum pallium intercedere discrimen scite monuit Bona, *Rer. liturg.*, lib. I, c. 24, num. 16, idque sive formam spectes, sive etiam usum. Nimirum Latinum solis archiepiscopis, aut ex singulari privilegio paucis aliis episcopis tribuitur ; Græcum omnibus episcopis commune est, qui, cum Evangelium legendum est, illud deponunt et paulo ante communionem reassumunt; ut docet Simeon Thessalonicensis lib. *De templo et missa.*

Quod commune omnibus eorum episcopis sit, privilegium fecit malis artibus a Joanne XI extortum in gratiam Constantinopolitani patriarchæ, ut tum Theophylactus tunc patriarcha, tum ejus successores absque Romani Pontificis auctoritate pallio uti possent, *Ex quo turpi commercio*, inquit Liutprandus æqualis illorum temporum in legatione 11 Constantinopolitana « vituperandus mos inolevit, ut non solum patriarchæ, sed etiam episcopi totius Græciæ pallio utantur. »

Ut huic abusui aliquid remedii adhiberetur statutum a consilio Lateranensi fuit, ut orientales patriarchæ, postquam pallium ipsi a Romano Pontifice suscepissent, illud suis quoque suffraganeis tribuerunt, accepto antea ab illis fidelitatis et obedientiæ jurejurando. Confer Goardum, *Echolog. Græcor.*, p. 238.

Alia de pallio *vide* tom. I, verb. ARCHIEPISCOPUS, art. 3, per totum

PANTHEISMUS.

ARTICULUS NOVUS EX ALIENA MANU.

SUMMARIUM.

1. Pantheismus quid sit. — 2. Pantheistæ realiter athei, ad n. 7. — 8. Refertur impietas illorum qui Moysem, D. Paulum, aliosque probatissimos inter pantheistas recensent. — 9. Varii philosophi a pantheismo excluduntur, ad num. 14. — Pantheistarum et atheorum error refutatur, ad n. 16.

De pantheismo quoque in hac *Bibliotheca* disputandum constitui, ut ea in nova hac editione titulo ab auctore præfixo, quoad fieri possit, respondeat. Cum enim etiam dogmaticam theologiam tractandam auctor proposuerit, facile patet, pantheismi errorem et impietatem exponi in eadem ac refutari oportere. Est enim error hujusmodi omnium pessimum, ac theologiam a fundamentis evertit ; in eo enim situs est pantheismus, ut Deum mundi auctorem, conservatorem, atque rectorem de medio tollat; ad declinandam vero atheismi infamiam, Deum profiteri fingit. At si roges quinam sit hujusmodi Deus, respondere cogitur, esse mundum ipsum, ac ipsam rerum universitatem. Pantheismus ergo error est, qui totum mundum, sive rerum universitatem pro prima causa, ac pro Deo rerum omnium auctore habet. Quamobrem pantheistæ re quidem, etsi non nomine, athei sunt.

(2. Athei dicuntur qui Deum esse negant ; nam qui nunquam norint, nonnisi improprie, vel negative athei nuncupantur. Ii vero vel practici sunt, vel theoretici. Athei practici appellantur, qui ita passionibus et cupiditatibus indulgent, ut certa indicia præbeant, ita se vivere, quia Deum non credunt. Theoreticorum vero duplex est ordo : alter eorum, qui Dei naturam aperte sustulerunt, cujusmodi fuere Diagoras, Protagoras, Theodorus, aliique pauci; eorum alter, qui Deum aperte non negarunt, sed eas statuere, ac probavere philosophiæ hypotheses, ex quibus id per legitimam consecutionem sequeretur : hujusmodi fuere Epicurei, Anaximandri et Stratonis sectatores, atque ex recentioribus Hobbesius, Tollandus, ac Benedictus Spinosa. Addi quoque possunt sceptici, qui de omnibus dubitantes, Dei quoque existentiam in dubium revocant.

(3. Athei secundi ordinis pantheistæ appellari solent : quia, sublata superna mente, quæ res condiderit et regat, primam causam, ac primum principium rerum, mutationumque omnium, materiam habent, ex qua omnia constant, cujusque res singulæ partes sunt, et mutationes, actionesque, formæ, modi, aut affectiones. Hinc totum ipsum, Deum : ipsius vero partes, Dei partes, vel attributa, et actiones, mutationesque, Dei operationes, et affectiones, aut modos vocant.

(4. Sunt autem quædam in quibus pan-

Digitized by Google

theistæ omnes conveniunt, et quædam in quibus invicem dissident. Inter omnes convenit materiam esse ens necessarium, increatum, æternum, secundum totum immutabile, ac mutabile secundum partes, et motum quemdam, aut conatum ad motum habere, ac ex hac materia, ejusque naturali virtute universum, sive res omnes quæ in universo sunt, atque mutationes singulas oriri. Dissidium vero est circa materiæ naturam, atque proprietates, per quas res omnes, ac functiones singulas efficiat. Epicurei atque Stratonici materiam in particulas, sive minutas moleculas, vel atomos divisam natura sua adstruunt. Illi atomis diversa figura præditis motum quemdam inditum esse aiunt, ac Epicurus in nonnullis atomis motum quoque declinationis confinxit, quo combinari facilius possent. Stratonici vero addidere particulis illis vitam quamdam, et plasticam virtutem per omnia diffusam, quæ initia in se habeat motus, sensus, rationis, atque consilii, licet ipsa sensus rationisque sit expers. Epicurei itaque fingunt, ex fortuito illo motu atomorum in immenso spatio, post innumeras per infinitum tempus combinationes, tandem ea omnia prodiisse quibus universum constat, et conservatur, mentem quoque hominis, ejusque libertatem, quam per declinationem atomorum explicare conantur. Stratonici per illam plasticam virtutem res omnes necessarie productas fingunt, ac pro materiæ dispositione varios effectus fieri, hoc est vegetationem in plantis, sensum in brutis, et in homine rationem etiam atque consilium.

(5. Anaximander et Spinosa materiam, unam, immensam, infinitam, et secundum se totam immutabilem, mutabilem vero secundum partes confingunt. Anaximander vero ait materiam per motum, et naturales qualitates frigoris, caloris, humiditatis, et siccitatis producere reales formas magnitudine, figura, motu et quiete distinctas, inter quas formas vitam quoque animalem, sensum et rationem constituebat, et hac ratione infinitos antea genitos mundos, atque infinitos gignendos imaginabatur, qui corrupti in naturæ infinitatem redirent, cujus deinde virtute novi successive, non secus ac Epicurus, de fortuito atomorum concursu philosophatus est.

(6. Benedictus autem Spinosa, gente ac religione Judæus, qui natus Amstelodami die 14 Nov. 1632, obiit Hagæ Comitum 21 Febr. 1677 in impia sua *Ethica* atheismum mathematica demonstrare methodo conatus est, absurda quadam conficta hypothesi, in qua materiæ infinitæ, et immensæ, infinitam quoque cogitationem asseruit. Hypothesis autem hæc est. Fingit substantiam unam tantum esse posse, eamque æternam, necessariam, infinitam, immensam; substantiæ vero præcipuas proprietates esse extensionem immensam, et cogitationem infinitam. Modos autem, et affectiones, quibus substantia illa, quatenus extensa est, particularia corpora constituit, et quatenus cogitans, belluas, hominesque efficit, substantias, sive Dei attributa, et affectiones vocat, quæ determinato quodam modo Dei essentiam exprimunt. Hinc lapis, e. g., non est, nisi substantia, sive Deus, quatenus extensus, qui particulari modo per illud attributum exprimitur: bellua quoque Deus est, qui per illius organa et animam, extensionem et sensum, finito ac determinato modo exprimit: hominis denique mens eadem substantia est, quatenus cogitans, non ut infinita, sed « quatenus humanæ mentis essentiam constituens, hanc, vel illam habeat ideam, et sibi conscia hoc, vel illo particulari modo delectabiliter operatur, » licet semper necessarie. « Vide, inquit doctissimus Salignac, Spinosisticum Deum! duo homines, quorum unus negat, alter ait, unus fallitur, alter verum assequitur, unus adorat, blasphemat alter Deum, nil sunt nisi unum indivisible ens, una substantia, sive Deus, qui in uno ait, negat in altero, fallitur in uno, non vero in alio, colit in illo Deum, in hoc blasphemat. En Spinosæ numen! » Quis vero finget in indivisibili infinita substantia tot diversos modos, in perfecta unitate tantam rerum varietatem et multitudinem, in invariabili et infinito, mutationes et limites? Hæc sunt profanorum ætatis nostræ hominum deliria. Hæc portentosa eorum sapientiæ inventa sunt, qui, ut supra cæteros sese extollant, *spiritus fortes* appellari solent.

(7. Hactenus pantheistarum hypotheses exposuimus. Quoniam vero in describenda pantheismi historia, et in pantheistis recensendis impii quidam Angli, ac Bailius, Buddeus, et etiam Antonius Genuensis turpiter erraverunt non sine maxima injuria etiam sanctorum hominum, et cum aliquo religionis detrimento, animadvertere hic operæ pretium duximus, satis non esse ad insimulandum hominem pantheismi, ut vel vocabula quædam adhibuerit a veris pantheistis usurpata, vel hypotheses usurpaverit ad naturæ phenomena explicanda, quæ aliqua in parte supra recensitis sint similes: sed necessarium præterea esse, ut Deum non agnoscant universi auctorem rectoremque. Ii ergo qui Deum astruunt a rerum universitate distinctum, atque diversum, qui mundum condiderit, conservet et regat, nonnisi per summam injuriam pantheismi accusantur. Ac multo major injuria est, si ii Deum etiam materiæ creatorem esse fateantur. Hæc adeo clara sunt, ut demonstratione non egeant, et ut pro explorata regula haberi possint in texenda pantheismi historia.

(8. Quæ cum ita sint, quis non rideat impios illos Anglos, qui Moysem, sanctum Paulum aliosque probatissimos viros veriti non sunt inter pantheistas recensere? Quid enim clarius in Mosis libris, atque in Paulinis *Epistolis*, quam quod Deus creaverit cœlum et terram, quodque omnia virtute sua conservet et regat? Scio hos fingere, Moysem nomine Spiritus Dei, qui ferebatur super aquas, vim quamdam in natura ac-

Digitized by Google

tivam, et genitricem, aut plasticam virtutem designasse. At quid hoc cum pantheismo commune habet? Nam vis illa, quæcunque fuerit, ex Deo est, qui mundum condidit atque regit. Ait quoque Paulus: *In Deo vivimus, movemur et sumus;* sed cum eumdem Deum opificem summum, rectoremque astruat universi, qua ratione verba illa in Spinosisticum sensum trahi poterunt, cum satis perspicue exprimant, Deum mundi auctorem immensitate sua nobis præsentem esse, ac actione sua ita nos conservare et fovere, ut in ipso simus, ac per ipsum moveamur atque vivamus? Sed mittamus hæc, atque ad alia veniamus.

(9. Primo itaque constat perperam inter pantheistas recenseri antiquos philosophos, qui hypotheses adhibuere iis etiam similes, quas exposuimus ad explicandam mundi genesim, rerumque propagationem, et effectus, dum constat, hos non negasse, sed præsupposuisse Dei existentiam, et providentiam; cum enim id nobis constet, palam fit illas hypotheses excogitasse ad modum explicandum, quo causæ secundæ juxta leges a prima causa præscriptas, Mundi genesim, effectusque reliquos efficiant. Ita sane egisse philosophos omnes qui ante Anaxagoram physicam rerum causam investigarunt, ac etiam eos qui ex minimis moleculis ante Democritum cuncta fieri autumarunt, observatum a pluribus est, ut optime advertunt Gerdil, Ansaldus, Cudwortius, Jo. Albertus Fabricius, aliique.

(10. Secundo, nec inter pantheistas haberi posse Stoicos, aliosque antiquos, qui Deum mundi auctorem rectoremque asseruere, quod Deum quandoque dixerint animam mundi. Nam exploratum est, hos animæ nomen nonnisi improprie usurpare, et longe alio diverso sensu, ac mens anima hominis nuncupatur; cum hæc corporis, hominisque auctor non sit, sed pars sit hominis, humanarumque functionum principium. At multo minus pantheismi suspecti sunt, qui Deum continuata actione creaturas conservare, cum ipsis concurrere, aut etiam præmovere eas asserunt. Nam ii Deum cum rerum universitate neutiquam confundunt, sed supremi illius dominii exercitium explicant in res, earumque functiones: quod notatum iis velim, qui Genuensis metaphysicam legunt.

(11. Tertio, nec jure pantheismi suspecti habentur Morus, Clarkius, Cudwortius, Rapsonius, aliique, qui spatium pro Dei immensitate habent. Nam ii existentiam et providentiam Dei asserunt, probant et explicant, atque ab hac fieri regique omnia tuentur. Ubi ergo pantheismus est? Nunquid ex eo quod, penetrato a rerum universitate spatio, hoc una cum illa rem indivisam constituit? At id Genuensis cerebrum fingit, sed nunquam probabit; cum spiritum corpus penetrare, quin eadem cum illo substantia fiat, norint fere omnes; cumque mutuam corporis penetrationem contingere per miraculum posse, nostri theologi omnes propugnent, ac philosophorum plerique, quin jactata ab illo inde sequatur identitas. Ii ergo reprehendi ea unice de causa pos sunt, quod immensitatem Dei rite non explicant, sed pantheismi accusari non possunt.

(12. Quarto, neque ii pantheistæ existimari possunt, qui licet mundum æternum putaverint, Deum tamen illius auctorem rectoremque norunt atque probarunt, ut Aristoteles et recentiores Platonici; sed dici duntaxat potest, Aristotelem beneficam Dei libertatem negasse. Excusari autem nequeunt illi qui naturas homine præstantiores astruebant, sed ortas illas fingebant cum tota rerum universitate *ex chaos et Oceano* in ipso rerum exordio. Nam naturas illas ex materia prodiisse, aiunt, atque partes esse universi, sive conflicti ab pantheistis Dei.

(13. Quinto denique, injuria Bailium et alios Scotistas ob assertas naturas a parte rei metaphysice universales, et univocationem entis, pantheismi et spinosismi insimulare. Nam præterquam quod longe diverso a Spinosæ sensu entis unitatem, quæ sola abstractione mentis continetur, agnoscunt, perspicuum est eos admittere Deum etiam materiæ creatorem ac moderatorem rerum omnium. Eadem ratione constat, nonnisi per summam impudentiam suspectos prædicari pantheismi Peripateticos ob admissas reales formas iis similes quas Anaximander confinxerat. Nam ii recte de Deo ejusque providentia sentiebant.

(14. Præter hæc, ad cognoscendum quam levia et suspecta sint indicia quibus profani homines moventur, ad augendum atheorum numerum, atque ad conciliandam per aliorum auctoritatem quamdam impietati verisimilitudinem, observare etiam necesse est, homines plerumque atheos, aut sine religione dictos a nonnullis fuisse, vel quod receptam apud suos religionem non servarent, vel quod falsa numina colerent, vel quod datam fidem facile infringerent, vel denique, quod efferatis moribus ostenderent parum apud eos potuisse minarum supremi Numinis metum atque terrorem. Hæc omnia exemplis probantur. Anaxagoras, Socrates et Evehemerus ab antiquis nonnullis athei appellati fuere, licet Deum mundi auctorem rectoremque agnoscerent atque docerent: quia primus solem a deorum numero expunxit; alter deos gentium recusavit; tertius vero, quia deorum Græciæ popularium ortum, et sepulcra demonstraverat, ut Clemens Alexandrinus ostendit; accedit etiam Judæos, et Christianos atheos a gentibus passim appellatos fuisse, quod idola, ut ipsi, non colerent, ut ex Justino, Athenagora, Tertulliano aliisque Christianæ religionis apologistis, novimus. Item Atlantes, ut refert Mela, atque Æthiopes, qui ad torridam zonam habitant, teste Strabone, athei appellati fuere, quod solem exsecrarentur, veluti ipsis noxium, licet aliunde constet religionem servasse. Sanctus Nilus atheos vocavit Arabes, quos adorasse matutinam stellam recenset. Ob efferatos mores a Macrobio gigantes, a Porphyrio Troes, et

Digitized by Google

a Dionysio Pariegete Nasamones athei vocati fuere, de quorum sane religione aliunde constat. Denique, ut alia mittam, Galli, quos maxime religioni deditos Cæsar exhibuit in suis de bello Gallico Commentariis, a Cicerone *Or. pro Fontejo* sine religione dicuntur, ea fortasse de causa, quod fidem datam facile infringerent. Atque hæc satis quoad historiam.

(15. Ad errorem quod spectat, qui sola explicatione refellitur, satis duximus argumenta per summa capita indicare, quibus confutatur, ac celebriores, qui hanc oppugnaverunt, auctores recensere. Primum itaque consensus omnium cujusq. ætatis gentium in asserendo mundum statuto tempore a supremo Numine conditum esse, ejusque providentia gubernari, invictum argumentum depromptum est ex traditione a primis hominibus ad posteros ubique locorum diffusos transmissa, quo ostenditur Deum esse supremum mundi opificem, conservatorem atque rectorem. Inter plures qui de hoc argumento scripserunt, videri poterunt opera Patris Moneliæ, ac Patris Vincentii Patuzzi, celebrium e Dominicana familia theologorum, quorum primus adversus fatalistas et materialistas, alter vero de vitæ futuræ statu nuperrime scripsit : videri quoque poterit auctor principiorum religionis naturalis, et revelatæ, qui circa operis initium hujusmodi argumentum accurate tractat, et Joannes Albertus Fabricius in *Delectu argumentorum et Syllabo scriptorum*, qui veritatem religionis Christianæ adversus atheos, Epicureos, etc., asseruerunt. Is sane, cap. 8, argumentum a consensu generis humani erudite prosequitur, et nullas unquam esse, vel fuisse gentes atheas ostendit, ac n. 5, plures auctores recenset, qui ex professo de hoc argumento tractarunt.

(16. Argumenta reliqua ex rerum natura, motu, et finibus petita, ab omnibus fere philosophis, et theologis nostris recensentur, dum Dei existentiam et providentiam adversus atheos et epicureos demonstrant. Inter hæc vero plurimum ad pantheismum refutandum valet argumentum ex rerum contingentia desumptum, de qua fuse disputat laudatus Pater Monelia in suo opere contra materialistas, ubi luculenter demonstrat, non solum rerum individua, atque species, et aspectabilem mundum, sed etiam materiam ipsam contingentem esse, ideoque esse non potuisse, ac sola libera supremi Opificis actione creatam esse, atque conservari. Et sane ens contingens est, quod ita existit, ut possit non existere. Materia vero ita se habet. Etenim in notione materiæ idea existentiæ non relucet; cum æque bene concipere possimus nullam materiam existere, ac concipiamus posse non existere materiam, de qua urbs nostra constat, vel ex qua formatus est sol, luna, etc. Nil enim prohibet quominus fingamus materiam hujusmodi non existere. Concipere ergo possumus nullam existere materiam. Ergo materia universa per notionem quam ingerit, nobis veluti ens contingens exhibetur. Si contingens est, in se sufficientem rationem existentiæ suæ non habet, sed in causa aliqua libera, cujus libera actione sit, et conservetur. Atque hæc causa Deus est, auctor, conservator et rector universi. Vide etiam auctores qui contra pantheistas et Spinosam ex professo scripserunt, scilicet Antonium Genuensem in sua *Metaphysica*, Franciscum Lamy Benedictinum congregationis S. Mauri, Henricum Morum, Isaacum Jaquelotum, Samuelem Clarck, aliosque bene multos, quos recenset. Jo. Albertus Fabricius in opere supra citato. *Vide* infra verb. RELIGIO.

PAPA.

ARTICULUS I.

Quoad ea quæ concernunt Papæ electionem, consecrationem et coronationem.

SUMMARIUM.

1. Papa non potest sibi successorem eligere. — 2. Papa prohibetur eligere sibi successorem, non solum de jure ecclesiastico, sed etiam de jure divino et naturali. — 3. Adducitur et solvitur instantia de Christo qui sibi successorem elegit S. Petrum apostolum, ad num. 4. — 5. Adducitur et solvitur instantia de S. Petro Apostolo, qui traditur sibi elegisse successorem S. Clementem, ad num. 6. — 7. Non parva est controversia inter doctores, an Clemens fuerit secundus, vel quartus Summus Pontifex? — 8. Ostenditur veritas de assumptione S. Clementis in Pontificem. — 9. Adducitur et solvitur instantia de Bonifacio II qui dicitur elegisse sibi successorem Vigilium diaconum, ad num 10. — 11. Hinc plures Pontifices etiam ex non primævis, licet rogati, et persuasi ad sibi successorem eligendum, id facere omnino recusarunt. — 12. Unde a papa nequit valide fieri constitutio etiam de consensu cardinalium, quod Summus Pontifex possit sibi successorem substituere. — 13. Summus ergo Pontifex assumi debet per electionem quæ post S. Petrum fuit apud Ecclesiæ Romanæ senatum ex 24 presbyteris et diaconis Romanæ Urbis, quos ipse S. Petrus tanquam senatores Romanæ Ecclesiæ in locum absentium Apostolorum instituit ad instar 24 Seniorum. — 14. Deinde vero post tempora S. Silvestri, orientibus scandalis, et scissuris inter hujusmodi Ecclesiæ senatores, reliquus clerus Romanus, ac populus ad præsentiam, et corroborationem exhibendam adjunctus est electioni Pontificis. — 15. Processu autem temporis ad sedandas adhuc contentiones et tumultus qui in ejusmodi electione nihilominus oriebantur, imperatores suas manus huic electioni interponere cœperunt, non quidem auctoritate electiva, seu vere confirmativa, sed solum opitulativa, seu auxiliativa et exsecutiva. — 16. Adducitur, et solvitur instantia, ad num. 18. — 19. Papa non potest alteri impertiri facultatem eligendi Summum Pontificem. — 20. Nicolaus ad sedandas seditiones, tumultus et rixas quæ in electione Summi Pontificis orjebantur, statuit, ut electio Papæ a cardinalibus episcopis peragereturr, ac deinde reliqui cardinales, clerus, ac populus Romanus ad eam comprobandam accederent; salvo tamen honore et reverentia imperatoris. — 21. Sed quia adhuc quandoque violentia imperatorum in electione papæ schismata oriebantur, ab Alexan-

Digitized by Google

dro III in solum collegium cardinalium posita fuit Papæ electio, ita ut ille censeretur canonice electus, in quem duæ ex tribus partibus omnium cardinalium consensissent, excluso penitus ab illa cleri, et populi, et imperatoris consensu, quod et fuit confirmatum a pluribus aliis Pontificibus, et servatur adhuc in dies. — 22. Insuper, ne diuturnæ vocationis incommodis Romana Ecclesia premeretur, neve cardinales possent ambientium studiis corrumpi, plures Summi Pontifices circa electionem Papæ varia statuerunt, quorum aliqua magis notabilia hic referuntur. — 23. Primo igitur ante Papæ electionem, statim, priore defuncto, cardinales absentes sunt monendi, ac per decem dies a die mortis Pontificis computandos, exspectandi.—24. Si tamen ante dictos decem dies elapsos ex aliqua justa causa præveniendi, fiat Papæ electio a communi cardinalium præsentium, vel duorum partium eorum consensu, non exspectatis cardinalibus absentibus, talis electio erit valida. — 25. Cardinales absentes non sunt solemni vocatione vocandi, seu citandi. — 26. Cardinales præsentes solent certiorare cardinales absentes, de obitu Pontificis per litteras particulares a secretario Sacri Collegii suscriptas. — 27. Cardinales absentes, licet desint ex publica causa, et de licentia Romani Pontificis, ad electionem successoris exspectandi non sunt ultra decem dies. — 28. Cardinales præsentes per novem dies debent celebrare exsequias defuncti Pontificis. — 29. Secundo, dum exsequiæ per dictos novem dies a cardinalibus celebrantur, singulis diebus Cardinales non impediti, in basilica Vaticana conveniunt, et in ejusdem sacristia varia peragunt, quæ assignantur. — 30. Decima vero die, celebrata prius in eadem basilica missa de Spiritu sancto, cardinales in Urbe existentes, et legitime non impediti, processionaliter conclave ingrediuntur; legitime autem impediti solent sero privatim ingredi. — 31. Omnibus autem de sero exclusis, præter eos qui in conclavi cum cardinalibus sunt, varia interim peraguntur, quæ hic notantur. — 32. In conclavi sub clausura, ultra cardinales, quinam regulariter remanere soleant? ad num. 33. — 34. Circa cibum et potum intra conclave cardinalibus portandum, quid fuerit statutum? — 35. Tertio, ad hujus rigoris observantiam constituuntur exsecutores ex præcipuis magnatibus civitatis, ubi electio celebratur. — 36. Electio Summi Pontificis est celebranda ab ipsis tantummodo cardinalibus. — 37. Unde cardinales omnes, etiam nuper creati et publicati vocem habent in electione Pontificis, etiamsi nondum insignia cardinalatus acceperint, neque os clausum, aut si clausum fuerit, nondum tamen apertum sit. — 38. Cardinales omnes ad electionem Pontificis admittuntur, quamvis excommunicati, suspensi aut interdicti. — 39. Cardinales vero nondum ordinati ad diaconatum, in electione Pontificis vocem non habent ex constitutionibus variorum Pontificum; quibus tamen constitutionibus quoad hoc hactenus derogare solent Summi Pontifices, quando cardinales nondum diaconos creant, et ad hoc expedire jubent breve particulare. — 40. Si ante factam electionem plurimi cardinales decedant, vel recedant, et nolint electioni intervenire, electio pertinet ad solos superstites et electioni interessentes, quamvis duo tantum remaneant. — 41. Imo, quamvis unus solus remanserit, ad ipsum spectabit electio. — 42. Non potest tamen ille eligere seipsum. — 43. Assignatur modus quo possit talis cardinalis seipsum eligere. — 44. Si omnes cardinales morerentur ante factam electionem, ad quem spectabit electio? — 45. Sede vacante tempore concilii generalis legitime congregati, electio Pontificis spectat ad cardinales, et non ad concilium. — 46. Licet ex quibusdam canonibus antiquis videretur non posse eligi in Summum Pontificem, nisi qui esset cardinalis. — 47. Tamen nunc potest eligi etiam non cardinalis. — 48. Imo etiam laicus potest eligi in Pontificem. — 49. Nec electionis validitati obstabit, si uxoratus in Pontificem eligatur. — 50. Si autem vir absque licentia uxoris ad Summum promoveretur Pontificatum, posset ab ipsa revocari, et ei debitum reddere teneretur. — 51. Femina Papa esse non potest. — 52. Hinc explodituir fabula de Joanna Papissa. — 53. Eligendus in Summum Pontificem congruit ut sit maturæ ætatis, unde non potest licite eligi minor triginta annis. — 54. Si tamen eligeretur in Summum Pontificem aliquis nondum in tali ætate constitutus, electio esset valida, ut de facto fuit valida reputata, et habita electio Joannis XII ætatis 18 annorum, et Benedicti IX ætatis decem annorum. — 55. Modus seu forma pro eligendi Summo Pontifice ubi habeatur? — 56. Triplici tantum forma, seu modo potest fieri Papæ electio; scilicet per scrutinium, per compromissum, et per quasi inspirationem. — 57. Triplex hic modus eligendi Summum Pontificem ubi tradatur? — 58. Electio Papæ debet celebrari in conclavi clauso, et uno ex dictis tribus modis, alia nulla est et invalida eo ipso absque ulla declaratione; et tam electus, quam eligentes, ejusque fautores, et complices incurrunt excommunicationem aliasque censuras et pœnas Summo Pontifici reservatas, ad num. 60. — 61. Papa statim ac est canonice electus, est verus Papa quoad omnes effectus, et plenam absolutamque habet jurisdictionem exercibilem supra totum orbem. — 62. Unde Papæ electio non indiget confirmatione, uti aliæ inferiores electiones. — 63. Hinc mere cæremonialia sunt, quod papa non nisi post coronationem, Lateranensis Ecclesiæ possessionem nanciscatur, et quod ante consecrationem et coronationem, nec pontificatus annum scribat in litteris, nec integras bullas expediat, sed tantum brevia, nec simpliciter episcopum se nominet, etc. — 64. Imo aliter sentiens incurrit excommunicationem. — 65. Et de facto, quando protrahitur coronatio, Papa expedit etiam bullas sub plumbo cum intitulatione episcopi, et cum data Pontificatus, etsi ante coronationem. — 66. Papa, postquam suæ electioni consensum præstitit, aliud nomen sibi imponit. — 67. Assignatur ratio hujus mutationis. — 68. Quis fuerit primus qui e Romanis Pontificibus cœpit nomen mutare? — 69. Non tenetur autem Papa nomen proprium mutare. — 70. Papæ consecratio seu intronizatio a quo fiat? — 71. Consecratio Papæ in episcopum, si non erat episcopus, ac benedictio, et coronatio ejusdem sunt diversa, et a quibus fiant? — 72. In die coronationis Papæ comburitur stupa, et interim sic inclamatur: *Pater sancte, sic transit gloria mundi.* — 73. In coronatione Papæ tertia collecta canitur de sancto P. N. Francisco. — 74. Alia ad rem ad n. 731 subnect. *Add. Cas.* de fab. Papiss. Joan.

(1. Papa non potest sibi successorem eligere, et si eligeret, irrita esset electio. Sic *Glossa* in c. *Apostolica*, § *His omnibus*, verb. *Beatus* 8, q. 1, quam sequuntur omnes, teste Felino in cap. 2, sub num. 23, col. 5, vers. *Fallit quarto*, De const. Item *Glossa*, in c. *Si transitus*, verb. *Non possit*, dist. 79, et ibi etiam archidiaconus, Bellamer., Geminian., et Præpositus, Abbas in c. *Accepimus* 5, De pactis, n. 2. ubi testatur hanc esse communem conclusionem. Doctores passim in c. *Licet de vitanda*, De electione, et ibi in specie Joann. Andreas, num. 15; Butrius, num. 3 et 21; Card., n. 9; in 6, q.; Abbas, n. 2; Decius, n. 7 et 8; S. Joann. de Capistrano, *De potestate Papæ*, n. 2, inter tract. *Com.*, t. XIII, fol. 32; cardinal. Zabarella in c. *Licet*, n. 9, De elect., et in Clement. *Ne Romani*, in 5 q., n. 5, De

Digitized by Google

elect.; card. Jacobatius, *De concil.*, l. x, art. 7, in solutione undecimi argumenti, fol. 34; card. Turrècremata, in *Summa de Eccl.*, l. I, c. 13, et lib. II, c. 51; card. Gajetan, t. I *Opuscul.*, tr. 3, *De potestate Papæ*, et *Concil.* apol. 2, c. 22; card. Alban., *De cardinalibus*, qu. 32; card. Baronius, *ad annum Christi* 11, et ad 571; August. Triumph., *De potest. Ecclesiæ*, qu. 2, art. 3, in corpore; Fagn., lib. I *Decretal.*, in cap. *Accepimus* 5, De pactis, n. 29 et seq., cum plurimis aliis ibi citatis, Barbosa, *Juris ecclesiast. univers.*, l. I, n. 40, cum aliis pluribus ibi adductis. Et plures alii citati a card. *Petra*, tom. IV *Comment. ad const.* 5 *Clementis VI*, contra Victorium, Bonacina, Suarez, Vasquez, Turrianum, Ledesmam, et alios.

(2. Papa prohibetur eligere sibi successorem, non solum de jure Ecclesiastico, ut habetur ex c. *Episcopo* 3; c. *Plerique* 5; cap. *Moyses* 6, caus. 8; quæst. 1, cum similibus, et tenent communiter doctores; sed etiam de jure divino et naturali, Fagnan., *loc. cit.*, a num. 38 usque in finem; ubi, plurimis adductis, id suo more solide probat, et omnia solvit argumenta contraria; Barbosa, *loc. c.*, a n. 44 ad 47, ubi ex multis id clare ostendit, et sic plures alii citati a card. Petra, *loc. cit.*, a n. 7 ad 9.

(3. Nec valet objicere exemplum Christi, qui sibi successorem elegit S. Petrum Apostolum; adeoque idipsum licebit Romanis Pontificibus, qui vices Christi gerunt; c. *Ad Apostolicæ* 2, § *Nos itaque*, De sentent. et re judicata, in 6, quia omnis Christi actio, nostra est instructio, c. *Significasti* 5, De electione. (4. Non valet, inquam, quia Christus uti supremus Dominus potuit de re sua, id est de sua Ecclesia absolute disponere, et eam suo arbitrio fundare; non sic autem alii Pontifices, qui non domini, sed dispensatores existunt; sum quia, ut recte dicit Augustinus Triumph., *De potest. Eccl.*, q. 2, art. 2, in corpore : « Christus fuit Deus et homo, ideo in suo judicio non potuit falli neque fallere; sed quia judicium humanum est fallibile, quia purus homo potest falli et fallere, ideo conveniens fuit post Christi ascensionem, et post mortem illius qui immediate a Christo electus fuit, ut promotio cujuslibet alterius Summi Pontificis fieret per electionem; ut ex collatione, et concordia plurium talis electio careret errore, et mereretur suscipere divinam inspirationem. » Quinimo, ut notat Fagnan., *l. c.*, n. 54, ipse quoque S. Petrus ministerialiter etiam ab apostolis electus fuit post Domini in cœlum ascensum, ut patet in cap. *In novo*, dist. 21, ibi : « Cæteri vero apostoli cum eodem pari consortio honorem et potestatem acceperunt, ipsum quoque principem eorum esse voluerunt. » Et cap. *Sacrosancta* 2, dist. 22, ibi : « Petro tamen a Domino concessum est (et ipsi inter se voluerunt idipsum), ut reliquis omnibus præesset apostolicis, et Cephas, id est caput, et principem teneret apostolatus, qui etiam eamdem formam suis successoribus, et reliquis episcopis tenendam tradiderunt. » Ad id autem, quod dicitur, quod omnis Christi actio nostra est instructio, conceditur de omni actione quam fecit ut homo, non autem quam fecit ut Deus, nam ipse ambulavit super aquas, et jejunavit absque omni cibo et potu quadraginta diebus, et ad hæc nos non astringimur, quia talia miraculose fecit ut Deus. Et sic quod Christus Petrum sibi constituerit successorem, eique contulerit potestatem ligandi et solvendi, non est trahendum ad exemplum, cum non ut homo, sed ut Deus operatus sit; c. *Ita Dominus* 7, dist. 19; cap. *Omnes* 1, dist. 22, et cap. *Solitæ*, § *Potuisses*, De majorit. et obed.

NOTA ROMANI THEOLOGI.

Christus constituit Petrum suum vicarium in terris, non successorem; ipse enim est sacerdos in æternum. Quare argumentum corruit. Deinde post Christi Domini ascensionem ab Apostolis Petrus non electus, ut ait auctor, sed recognitus fuit eorum princeps.

RESPONSIO AUCTORIS.

Advertendum erat, quod allata *ibi* a me objectio est objectio adversariorum, et non mea conclusio. Dico enim : Nec valet objicere, etc. Et prius in summario sic : *adducitur et solvitur* instantia, etc., prout iisdem terminis adducitur, et solvitur pluribus adductis a celeberrimo Fagnano, lib. I *Decretal.*, in cap. *Accepimus* 5, De pactis, num. 18, 54 et seq. Videat ipsum *ibi* theologus, et certe recedet ab indebite facta nota, et fatebitur quod non corruit, sed subsistit argumentum. Ultraquamquod non desunt magni nominis doctores, qui id expresse tradunt; ut inter alios Barbosa, *Juris ecclesiastici* l. I, cap. 1, *De Summo Pontifice*, num. 16, ubi in summario sic expresse habet : « Petrus vicarius et successor Christi multis ostenditur, » in corpore sic : « Quod autem Christus voluerit Petrum sibi vicarium et successorem existere, ipsemet ostendit, dum dicit, etc. » *Vide ibi* ad longum. Et card. Petra, tom. IV *Commentar. in constitut.* 5 *Clementis VI*, in summario, num. 3, sic præcise : « Christus, qua forma divum Petrum sibi successorem elegerit. » Et in corpore num. 6, sic præcise : « Qui primam sententiam tuentur, potissime adducuntur, cum Christus Dominus sibi successorem instituerit Petrum. » Pro eodem enim quantum ad hoc, salva in reliquis debita differentia, et proportione, videtur hic accipere vicarium et successorem. Sicuti pro eodem sumit sanctissime regnans Summus Pontifex Clemens XIII in Apostolicis litteris, quibus facultatem concedit ordinariis eam poscentibus, impertiendi cum indulgentia plenaria Apostolicam benedictionem suis diœcesanis vere pœnitentibus, et confessis, ac sacra communione refectis in duabus cujuscunque anni solemnitatibus, videlicet die Paschatis et alio die festo eorum arbitrio et voluntate eligendo; ibi :

Digitized by Google

« Exemploque suo edocuit, quid eos quos in gubernanda catholica Ecclesia successores ac vicarios suos in terris relinquebat, in Domino facere oporteret. » Et ad id quod subjungit Theologus dicens : deinde post Christi Domini ascensionem ab apostolis Petrus non electus, ut ait auctor, sed recognitus fuit eorum princeps, jam patet responsio ex traditis a Fagnano, *loc. cit.*, num. 54, merito a me, *loc. cit.*, n. 4 secut., per ipsissima sua verba, *ibi :* quinimo ut notat Fagnanus, *loc. cit.*, n. 54, ipse quoque S. Petrus ministerialiter ab apostolis electus fuit post Domini in cœlum ascensum ; in cap. *In novo* 2, dist. 21, ibi : « Cæteri vero apostoli cum eodem pari consortio honorem et potestatem acceperunt, ipsum quoque principem eorum esse voluerunt. » Nonne Fagnani, et meam conclusionem satis aperte demonstrant illa verba : « ipsum quoque principem *eorum* esse voluerunt, etc. » Et in c. *Sacrosancta* 2, dist. 22, ibi : « Petro tamen a Domino concessum est (et ipsi inter se voluerunt idipsum), ut reliquis omnibus præesset apostolis, etc. » Ponderentur illa verba : « et ipsi inter se voluerunt idipsum ; » et satis patebit, per ipsa denotari saltem ministerialis electio Petri in eorum caput et principem facta a cæteris apostolis, ut tradit clariss. canonista Fagnanus, in intelligentia, et expositione sacrorum canonum nemini certe secundus.

(5. Nec valet instare ex cap. *Si Petrus* 1, caus. 8, quæst. 1, quod sanctus Petrus apostolus sibi elegit successorem sanctum Clementem (168), quod ipsemet Clemens attestatur in epistola prima ad Jacobum fratrem Domini, dicens : « Simon Petrus in ipsis diebus, quibus vitæ finem sibi præsensit, apprehensa manu mea repente consurgens in auribus totius Ecclesiæ hæc protulit verba : Clementem hunc episcopum verbis ordino, cui soli meæ prædicationis et doctrinæ cathedram trado. » Sic præcise refertur in cap. *Unde* 2, cit. caus. 8, et quæst. 1, et latius in eadem epistola, quæ habetur integra, tom. I *Concilior.*, part. I, fol. 27, col. 1. Hoc autem sanctus Petrus non fecisset, si jure divino et naturali prohibitum fuisset. Dist. 5, in summario, § *Naturale jus*, cap. *Sunt quidam* 6, caus. 25, quæst. 1.

(6. Non valet, inquam, quia in primis illa epistola videtur falso inscripta ejusdem Clementis nomine, ut insinuat card. Baronius, *Annal. eccles.* tom. I, anno Christi 60, pag. 680, quia longe ante mortem Petri obierat Jacobus Alphæi Frater Domini, dictus justus, et minor, qui constitutus fuerat a Petro episcopus Hierosolymitanus, et ex templi vertice fuit præcipitatus, anno Domini 63, Petri vero 19, Neronis 7, ex Tabula chronographica Jacobi Gault, primo sæculo, fol. 8, et ex *Breviario chronologico* Fr. Francisc. a Coriolano, fol. 15 ; ex card. Baronio, d. tom. I, anno Christi 69, pag. 628 et 680, et ex Barbosa, *loc. cit.*, n. 45. Et non debet confundi iste Jacobus cum altero Jacobo filio Zebedæi, qui primus Apostolorum cæsus obiit anno Domini 44, sub Herode Agrippa. Unde cum d. epistola scripta sit post obitum S. Petri, et sic post annum Neronis decimum tertium, scribi non potuit ad Jacobum Alphæi, qui jam obierat anno 7 ejusdem Neronis, nec ad Jacobum Zebedæi, qui primus Apostolorum jam obierat anno Domini 44 sub Herode Agrippa, et sic multo prius ante mortem S. Petri. Et propterea card. Bellarmin., *De scriptoribus ecclesiast.*, in S. Clemente, dicit dictam epistolam non carere scrupulo ; et multis rationibus hoc ipsum ostendit Jul. Lavorius, *Variar. lucubrat.*, tom. I, tit. 4, cap. 3, num. 51. Et de ipsa dubitant Fagnan., *loc. cit.*, n. 59 ; Barbosa, *loc. cit.*, num. 45, aliique multi canonistæ et theologi apud card. Petram, *loc. cit.*, num. 8 ; Possevin., in *Appar. sac.*, in verb. *Clemens Romanus* ; Mendoz., qu. 4, schol., § 11, vers. quarto.

(7. Nec parva est controversia inter doctores, an Clemens fuerit secundus vel quartus Summus Pontifex ? Unde *Glossa* in cit. cap. *Si Petrus* 1, caus. 8, q. 1, verb. *Aut ligandi*, habet sequentem versum :

Disputat hic mundus, quartus, fuerit ne secundus.

(8. Sed dato etiam, quod S. Petrus eum sibi successorem nominaverit, ut communius sentiunt doctores, respondetur cum Barbosa, *loc. cit.*, num. 47, quod melius dici potest, Petrum ex omnibus presbyteris et diaconis Romanæ Urbis 24 elegisse, cum quibus omnia ardua negotia Ecclesiæ resolveret, eosque sibi coadjutores et consiliarios, et Summi Pontificis electores instituit ordinavitque ; ut ex sacro hoc 24 Senatorum collegio, quos postea Sylvester I sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales nuncupavit, Pontifices eligerentur, ut colligitur ex c. *Oportebat* 3, dist. 79. In præsentia igitur horum electorum Petrus in ultimis vitæ

(168) *Nota editorum Casinensium.* — Hæc profecto sunt verba in cit. cap. *Si Petrus* : « Si Petrus princeps apostolorum adjutores sibi adscivit Linum et Cletum, non tamen potestatem Pontificii aut ligandi et solvendi eis normam tradidit ; sed successori suo sancto Clementi, qui Sedem Apostolicam post eum, et potestatem Pontificalem tradente sibi B. Petro, tenere promeruit. » Quæ verba exscripta sunt ex asserta epistola Joannis III Pontificis maximi (qui anno 560 ad Petri cathedram fuit evectus) ad episcopos per Germaniæ et Galliæ provincias constitutos.

Verum epistolam hujusmodi supposititiam esse tenent merito eruditissimi viri Baronius, Binius, Possevinus, Natal. Alexander, aliique. Enimvero integra epistola de chorepiscopis agit, quos ex eorum abusib. a decess. Pontificib. jampridem damnatos ib. asseritur. At si epistola hæc genuina esset, nequaquam concipi posse videtur, quo pacto iidem chorepiscopi in abusus proni, et ante sæculum sextum a Romanis Pontific. damnati, ad sæculum decimum usque, nempe per alios quingentos annos amplius in Germania et in Galliis omnia episcopalia officia contra jus fasque explicando perstitissent. Ut merito dicamus oportet, non nisi posteriori ævo epistolam, de qua sermo est, nempe longe post Joannis III tempora, fuisse exaratam.

Digitized by Google

diebus consurgens Clementem in Pontificem nominavit, quod tamen ita factum creditur, si a sacro illo Romanæ Ecclesiæ senatu admitteretur. Cognoscentes vero hujusmodi nominis formam graviter in futurum Ecclesiæ posse nocere, non Clementem, sed Linum elegerunt, et illum post Petrum pontificatui Romano præesse voluerunt, quamvis deinde Clemens, decedentibus Lino et Cleto, ab ipso senatu in Pontificem fuerit electus. Colliguntur hæc ex *Cæremoniali Romano*, lib. I, sect. 1, cap. 3. Unde apparet sanctum Petrum non sibi Clementem necessario successorem elegisse, sed tantum nominasse, ut a sacro illo Collegio juxta formam sibi traditam eligeretur; et ita intelligendus est textus in d. cap. *Si Petrus* 1, cum seq., caus. 8 quæst. 1. Hactenus Barbosa.

EJUSDEM ROM. THEOL. NOTA

Quæ ex Barbosa auctor recenset, haud facile eruditus lector probabit. Quamobrem Romani censores addendum hic voluere, quod Antonius Sandinius in sua *Historia Apostolica* hac de re scripsit. « Irenæus, inquit ipse, memoriæ prodit, Lino episcopatum administrandæ Ecclesiæ a Petro traditum, Tertullianus Clementi datum; hoc enim modo, ait, Ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt : sicut Smyrneorum Ecclesia Polycarpum ab Joanne collocatum refert; sicut Romanorum, Clementem a Petro ordinatum itidem : perinde utique, et cæteræ exhibent, quos ab Apostolis in episcopatum constitutos Apostolici seminarii traduces habeant. » Itaque sicut Polycarpus ab Joanne inauguratus est, ut esset antistes Ecclesiæ Smyrneorum; ita Clemens a Petro ordinatus dici debet, ut esset Pontifex Romanorum : alioquin non recte Tertullianus duas illas Ecclesias inter se comparasset. Ex scriptoribus tam antiquis, quam recentibus, alii Irenæum sequuntur, alii Tertullianum. Baronius, cujus præ cæteris sententiam probant Natalis Alexander, Cotelerius, Bollandus, Tillemontius, secutus conjecturam Epiphanii, utrosque ita componit. Scribit enim, S. Clementem accepisse quidem a D. Petro episcopatum, modestiæ tamen causa de suo cedentem jure collatam sibi dignitatem recusasse, donec Linus et Cletus Petri ipsius in episcopali munere administri alius post alium, opera, crediderim, ejusdem Clementis a clero electi, Romanam Ecclesiam gubernarent. At vide eminentiss. Orsium tom. I suæ *Hist. ecclesiast.*

RESPONSIO AUCTORIS.

Quæ ex Barbosa, *loc. cit.*, ego recenseo, nedum facile, sed facillime probant eruditissimi, et magni nominis viri, ut videre est in card. Petra, num. 4 *Comment. in constit.* 5 *Clem. VI*, a num. 5 ad 17, ubi post multa ipse concludit : « Verumtamen probabilissimum etiam est, quod a clero Romano fuerit Linus in cathedra Petri locatus. Pro comperto enim est, quod a primordiis Ecclesiæ Summi Pontificis electio apud presbyteros et diaconos urbis Romæ erat, qui a Petro in loco absentium Apostolorum per regiones urbis constituti erant. » Fagnan., lib. I *Decretal.*, in cap. *Accepimus*, De pactis, n. 58 et 59. Matthæucci in opere dogmatico, controvers. 6, num. 15, et alii plures, ut eruditis liquet, sed dato etiam, quod omnino non consistant, quæ tradit Barbosa, gravis alioquin auctor, quid inde contra me : qui tantummodo ad eruditionem ea recenseo ex mente Barbosæ, ut clare demonstro cit. num. 8, sic concludendo : Hactenus Barbosa.

(9. Nec valet, inquam, instare, quod Bonifacius II in Concilio Romano I Vigilium diaconum sibi successorem elegerit anno Christi 531 ut refert Anastasius bibliothecarius in Vita ipsius Bonifacii, et habetur tom. I *Concil.*, par. I, fol. 463, col. 2, et fol. 646, col. 3, in hæc verba : « Hic, scilicet Bonifacius II « congregavit Synodum in basilica Beati Petri Apostoli, et fecit constitutum, ut sibi successorem ordinaret. Quo constituto, cum chirographis sacerdotum, et jurejurando ante Confessionem B. Apostoli Petri in successorem Pontificem diaconum Vigilium constituit. » Nec desunt alia exempla his similia. Nam Gregorius VII anno 1085 elegit Victorem III; Victor III anno 1086 elegit Urbanum II; Urbanus II anno 1099 elegit Paschalem II, ut videre est apud Baronium *ad annum Christi* 1085, fol. 188, et *ad annum* 1087, et apud Fagnan., *loc. cit.*, n. 22. Et ad hoc facit textus, in cap. *Si transitus* 10, dist. 70, ibi : « Si transitus Papæ inopinatus evenerit, ut de sui electione successoris non possit ante decernere, etc. : » per quæ verba innuitur, posse Papam ante transitum suum de successore decernere et deliberare.

(10. Non valet, inquam, quia factum illud Bonifacii II in concilio iterum congregato, ab omnibus fuit reprobatum, ut testatur idem Anastasius bibliothecarius in dicta Vita ejusdem Bonifacii, dicens : « Eodem tempore, facta iterum synodo, hoc censuerunt sacerdotes omnes propter reverentiam Sedis Sanctæ : et quia contra canones fuerat hoc factum, et quia culpa eum respiciebat, ut successorem sibi constitueret, ipse Bonifacius Papa reum se confessus est majestatis, quod diaconum Vigilium sua subscriptione chirographi ante confessionem B. Petri Apostoli constituisset, ac ipsum constitutum in præsentia omnium sacerdotum, et cleri, et senatus incendio consumpsit; » et etiam refertur tom. II *Concilior.*, par. I, fol. 643, col. 2, lit. *C*. Unde merito S. Sylverius Papa in epistola ad eumdem Vigilium diaconum Pseudo-Pontificem exprobravit : « Quia contra jura canonica temporibus sanctæ memoriæ Bonifacii Papæ, et ipso vivente desiguari conabaris, nisi tibi amplissimus senatus obviasset, justa tunc Providentia, pastorali ac pontificali auctoritate tua exsecranda jam debuerant auspicia detruncari; sed dum parvum vulnus in te est neglectum, insanabile tunc crevit apostema. » Alia vero exempla in contrarium adducta, si accurate considerentur, nullam

Digitized by Google

vim faciunt, nam illæ non fuerunt electiones, et substitutiones successorum; sed potius designationes, et commendationes personarum, quæ sibi ad tantum munus subeundum præstantiores viderentur. Pontifices enim a cardinalibus rogati indicarunt, quem dignum putarent cathedra Petri, salvis tamen cardinalium suffragiis : ideoque nullus ex designatis post obitum Pontificis designantis gessit se pro Papa, nisi post subsecutam cardinalium electionem, et ad hoc facit c. *Petisti* 17, caus. 7, q. 1, ibi. « Si eum aptum.... cognoveris, tibi successorem designa, ut huc veniat ordinandus. » Ad textum autem in citat. cap. *Transitus*, respondetur cum *Glossa*, *ibidem*, quod aliud est de sui successoris electione cum fratribus seu cardinalibus deliberare, quod ibi permittitur, et potest fieri, et aliud est ex testamento, quasi dignitatis suæ hæredem substituere, quod penitus prohibetur, ut cap. *Episcopo* 3, c. *Episcopo* 4, c. *Plerique* 5, c. *Moyses* 6, caus. 8, quæst. 1, cum similibus. Sic respondet ad litteram Gratianus in c. *Apostolica*, § *His omnibus* 7, caus. 8, q. 1, et *Glossa* in cap. *Transitus;* et *ibi* archidiaconus, Bellamer., Turrecrem., et reliqui omnes, teste Fagnano, *loc. cit.*, n. 62.

(11. Hinc plures pontifices, etiam ex non primævis, licet rogati, et persuasi ad sibi successorem eligendum, id facere omnino recusarunt. Sic Cœlestinus III cum gravi morbo laborans, renuntiare vellet Papatui et cardinalis Joann. de S. Paulo titul. S. Priscæ in ipsius locum subrogari, et assumi summopere cuperet, tanquam inauditum in Ecclesia Dei id minime fecit. Paulus III persuasus a cardinali Francisco Pisano Veneto, episcopo Patavino, ut sibi successorem eligeret, omnino respuit. Pius IV in consistorio cardinales alloquens, ipsisque suam senectam exponens, adjecit se utique scire quæri a jurisconsultis : « An Romanus Pontifex sibi successorem deligere queat? » Et sub Paulo IV agitatam fuisse quæstionem : « An idem Pontifex adjutorem cum futura successione adsciscere possit? » Et quamvis nonnulli id affirment, eam tamen sententiam Pius uti falsam rejiciendam censuit, volebatque declarare Pontificem, cardinalibus etiam assentientibus, id facere non posse; major pars cardinalium decretum faciendum judicavit, sed cardinalis Gambara dixit, declaratum olim a Pontifice in consistorio et decreto firmatum hoc a Pontifice. Sic ex aliis refert card. Petra, tom. IV *Commentar. ad constit.* 5 *Clementis VI*, n. 9.

(12. Unde a Papa nequit valide fieri constitutio etiam de consensu cardinalium, quod Summus Pontifex possit sibi successorem substituere. Cardinal. Zambarell., in Clement. *Ne Romani*, in 5 quæst., n. 5, De election.; card. Turrecrem., in *Summa de Eccles.*, lib. I, cap. 13, et lib. II, cap. 15, et in cap. *Si transitus* 10, n. 1, dist. 79; Augustin. Triump., *De potest. Eccles.*, q. 3, artic. 3, in corpor.; Martin. Lauden., *De cardinal.*, quæst. 39, inter *Tract. commun.*, tom. IV, fol. 63; Hieronym. Manfred., *De cardinalib.*, decis. 15, tom. XIII *Tract.*, par. II, fol. 86; cardinal. Cajetan., *Opuscul.*, tom. I, tract. 2, *De potest. Papæ et concil. apolog.*, cap. 12; Petrus de Palud. *De potest. Eccles.*, lib. IV; Sylvester, in verb. *Excommunicatio*, 9, n. 3; Gregorius de Valentia, tom. III, disp. 10, quæst. 3 *De statu episcop.*, punct. 3, § *Quarta assertio;* card. Baron., *ad annum Christi* 11, fol. 188, et passim moderni, teste Fagnano, *loc. cit.*, n. 31, qui numeris sequentibus quinque præcipuis solidis fundamentis hanc conclusionem propugnat.

(13. Summus ergo Pontifex assumi debet per electionem; quæ primo post S. Petrum fuit apud Ecclesiæ Romanæ senatum ex 24. presbyteris et diaconis Romanæ Urbis, quos ipse S. Petrus tanquam senatores Romanæ Ecclesiæ in locum absentium Apostolorum instituit ad instar 24 seniorum, quos in *Apocalypsi* IV Joannes super throno in conspectu Dei sedere conspexit, et ipsos Romani Pontificis consiliarios, coadjutores et electores pro tunc esse voluit, inter quos præcipui erant Linus, Cletus et Clemens, ut in cap. *Si Petrus*, caus. 8, qu. 1, qui postea singuli successive Romanam Sedem tenuerunt.

(14. Deinde vero post tempora S. Silvestri, a quo cœpit Ecclesia bonis temporalibus, ac terrena potestate perfrui, orientibus scandalis, et scissuris inter hujusmodi Ecclesiæ senatores reliquus clerus Romanus, ac populus ad præsentiam et corroborationem exhibendam adjunctus est electioni Pontificis, ut colligi videtur ex capit. *Factus* 5, caus. 7, qu. 1. Et hoc tribus potissimum rationibus : primo ad removendas seditiones clericorum; secundo ut omnibus in eligendo esset dicendi facultas, et liceret vitia, vel virtutes eligendi proferre, et sic electioni suo consensu testimonium perhibere; cap. *Reliqui* 1. dist. 67. Tertio ne populus invitus, et non optatum Prælatum acciperet; cap. *Nullus invitis* 12, dist. 61, cap. *Si forte* 36, dist. 63. Hactenus Barbosa, *loc. cit.*, num. 49 et 50.

(15. Progressu autem temporis ad sedandas adhuc contentiones et tumultus, qui in hujusmodi electione nihilominus oriebantur, imperatores suas manus huic electioni interponere cœperunt, non quidem auctoritate electiva, seu vere confirmativa, sed solum opitulativa, seu auxiliativa et executiva, quatenus rempe in publicæ pacis officium electionem promovebant, et jam factam sua auctoritate ipsi favebant et defendebant, ne schisma oriretur, et si quod ortum esset, comprimebant, tumultusque sedabant; sub his enim restrictionibus eis concessum erat ut electioni intervenirent, ac electioni eorumdem auctoritas inserviret, nunquam tamen quod electioni præessent, vel in ea suffragium ferrent, aut eamdem factam confirmarent, vel infirmarent.

(16. Nec valet dicere, quod imperatores habuerint jus eligendi Romanos Pontifices, ut concessum fuisse Carolo Magno ab Adria-

Digitized by Google

no I habetur in cap. *Adrianus* 22, dist. 63, et Othoni I a Leone VIII, ut habetur in cap. *In synodo* 23, eodem dist. 63. (17. Non valet, inquam, quia canones illos esse apocryphos, commentitios et fictitios scribunt cardinal. Bellarminus, *De Summo Pontific.*, l. II, cap. 22, et *De clericis*, cap. 9, in *Apolog. pro responsione sua ad lib. regis Angl.*, cap. 7, tom. VI suorum *Operum*; cardinal. Baron., *Annal. eccl. ad an.* 526, num. 555, et præsertim *ad ann.* 774, a num. 10, et *ad annum* 964, a num. 22; Suarez, *De defensione fidei cathol. contra Anglicanæ sectæ errores*, lib. III, cap. 29, num. 7; Azorius, *Institution. moral.*, part. II, lib. IV, cap. 2, quæst. 3; Jacobus Grexer., in *Apologia Baron.*, cap 1 et 2: Seraphin. de Freitas, *De justo imperio Lusitan. Asiatico*, cap. 6. num. 100 et 101; Solorzan., *De jure Indiarum*, l. II, cap. 22, num. 39, tom. I; Bonacina, *De election. Pontificis;* quæst. 1, punct. 1, proposit. unic., num. 9; Fagnan., in cap. *Accepimus*, De pactis, num. 64, et alii plures apud cardin. Petram, *loc. cit.*, num. 26, dicentes fabellam et imposturam esse a Sigiberto monaco Gemblacensi schismatico historico, atque imperatoris Henrici partes adversus Romanos Pontifices propugnante, in fine suæ *Chronographiæ* adjectam. Hic enim in gratiam schismatici imperatoris Henrici vindicantis sibi Ecclesiarum investituras, eosdem canones primus contexuit, cum nullus plane alius, qui ante eum scripserit, res Francorum, de recensitis in illis vel levem mentionem fecerit, ut notarunt Coriolanus in *Breviario* ad annum 774; Spondanus, ad eumdem annum, num. 3; Gonzalez lib. I *Decr.*, tit. 6, cap. 6, n. 12, plures allegans. Qui omnes nimiæ credulitatis, prout in aliis fuit, et levitatis virum appellant Gratianum, eo quod illud concilii decretum suæ canonum collectioni improvide nimis consarcinaverit. Unde Cabassut., *Notit. ecclesiastic.* ad ann. 1274, dissertat. 2; *ad Concil. Lugdunens.* II, numer. 4, dicit, canones allegatos cum eo qui præcedit, merito deberi ex collectione expungi et oblitterari.

(18. Sed quatenus prædictis canonibus aliqua esset adhibenda fides, tamen confirmatio electionis, quam ex asserto indulto Apostolicæ Sedis tunc temporis concedebant imperatores, non conferebat Papæ auctoritatem Papatus, alioquin Papatus esset ab imperatore, quod est hæreticum, cum sit a Deo tantum; cap. *Omnes* 1, et cap. *Sacrosancta* 2, dist. 22, cum similibus, sed solum dabat robur facto, ut schismatici et hæretici non auderent contravenire, ut optime probant cardinal. Turrecremata, in dict. cap. *Adrianus*, n. 1, Fagnan., *loc. cit.*, num. 65, et alii plures. (19. Tum quia Papa non potest alteri impertiri facultatem eligendi Summum Pontificem, quia regula juris est quod nemo possit per alium facere, quod per se ipsum facere non potest; cap. *Nemo* 79, De regul. juris, in 6, ibi: « Nemo potest plus juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur. » Nemo enim dat, quod non habet; cap. *Dalbertum* 24, caus. 1, qu. 7, cap. *Quomodo*, De consecrat., dist. 4; cap. *Quod autem* 5, De jurepatronat. Papa autem nequit sibi eligere successorem, ut supra probatum est a num. 2, et neque de consensu cardinalium potest facere constitutionem, quod Summus Pontifex possit sibi successorem substituere, *ut supra*, num. 12. Unde tanto minus potest concedere imperatoribus jus eligendi et confirmandi Summum Pontificem. Sic optime probant card. Alban., in tract. *De cardinalibus*, qu. 32; Fagnan., *loc. cit.*, num. 66, et alii passim.

(20. Imo cum post decretum Nicolai II relatum in cap. *In Nomine Domini* 1, dist. 23, in quo notat cardin. Petra, tom. IV *Commentar ad constitut.* 5 *Clementis VI*, n. 33, ad sedandas seditiones, tumultus et rixas, quæ in electione Summi Pontificis oriebantur, sancitum fuerit ut electio Papæ a cardinalibus episcopis perageretur, ac deinde reliqui cardinales, clerus ac populus Romanus ad eam comprobandam accederent, salvo tamen honore et reverentia Henrici imperatoris. (21. Cum adhuc quandoque ex violentia imperatorum in electione Papæ schismata orirentur, Alexander III qui et illa suo tempore non semel expertus fuerat, statuit in generali concilio, ut ille demum canonice electus conseretur, in quem duæ ex tribus partibus omnium cardinalium consensissent, prout refertur in cap. *Licet* 6, De electione, et sic excluso cleri et populi et imperatoris consensu, qui requirebatur, attento Nicolai II decreto, in cit. cap. *In nomine Domini* 1, distinct. 22, postea tota Pontificis electio ad solum Cardinalium collegium redacta fuit per dictum Alexandrum III, in cit cap. *Licet* 6, De elect., quod deinde fuit confirmatum, et plenius statutum a Gregor. X in concilio generali Lugdunensi relato in cap. *Ubi periculum* 3, De electione, in 6, et a Clemente V in concilio Viennensi relat. in Clem. *Ne Romani* 2, De electione. *Vide* Barb., *loc. cit.*, n. 55 et 56; card. Petram, *loc. cit.*, a n. 35 ad 38.

(22. Insuper, ne diuturnæ vacationis incommodis Romana Ecclesia premeretur, neque cardinales possent ambientium studiis corrumpi, Gregorius X in dicto cap. *Ubi periculum* 3, De elect., in 6; Clemens V, in cit. Clementina *Ne Romani* 2, De elect.; Clemens VI, in constitut. incip. *Licet;* Clem. VII, constit. incip. *Cum charissimus;* Paulus IV, constitut. incip. *Cum secundum;* Pius IV, constitut incip. *In eligendis;* Gregorius XV, constitut. incip. *Æterni*, et alias ejusdem Gregor. incip. *Decet Romanum Pontif.*; Urbanus VIII, constit. incip. *Ad Romani*, et novissime Clemens XII, constit. incip. *Apostolatus officium*, plura circa electionem Papæ statuerunt, quorum aliqua magis notabilia ex Barbosa, *loc. cit.*, a num. 60. et card. de Luca, in part. II, relat. *Romanæ Curiæ*, disc. 3, referre placet.

(23. Primo igitur ante Papæ electionem, statim, priore defuncto, cardinales absentes sunt monendi, ac per decem dies a die mor-

Digitized by Google

tis Pontificis computandos, exspectandi, cit. cap. *Ubi periculum* 3, De electione, in 6, et cit. constit. Pii IV in cap. *In eligendis*. (24. Si tamen ante dictos decem dies elapsos, ex aliqua justa causa præveniendi, fiat Papæ electio a communi cardinalium præsentium, vel duarum partium eorum, consensu, non exspectatis cardinalibus absentibus, talis electio erit valida, cum exspectatio dicti temporis non pertineat ad substantiam electionis; Lavorius, *Variarum lucubrat.*, tom. I, titul. 4, cap. 7, num. 4; Diana, part. v, tractat. 2, resolut. 75; Azorius, *Institut. moral.*, part. I, lib. IV, cap. 2, qu. 5; Bonacina, *De election. Pontific.*, disput. 1, qu. 3, in princip., a num. 1; Barbosa, *loc. cit.*, a num. 61, et alii passim.

(25. Cardinales absentes non sunt solemni convocatione vocandi, seu citandi eo modo, quo de jure in aliis electionibus, et actibus capitularibus alii electores sunt vocandi. *Glossa* in cit. c. *Ubi periculum*, verb. *Decem dierum*, et ibi Archidiaconus, verb. *Expectare;* cardin. de Luca, par. II, *Relat. Romanæ Curiæ*, disc. 3, num. 27; Lavor., *loc. cit.*, tit. 4, cap. 7; Mendoza, in *Regul.* 32 *Cancellar.*, qu. 8, num. 8; Barbosa, *loc. cit.*, num. 62 et alii. (26. Cardinales præsentes solent certiorare cardinales absentes de obitu Pontificis per litteras a secretario sacri Collegii subscriptas. Barbosa, *loc. cit.*, num. 63; Lavorius, in fine dicti tit. 4, pag. 554, ubi dat formulam ipsarum litterarum.

(27. Cardinales absentes, licet desint ex publica causa, et de licentia Romani Pontificis, ad electionem successoris exspectandi non sunt ultra decem dies. Pius IV, in d. const. incip. *In eligendis*, § *Declarandis*. (28. Cardinales præsentes per novem dies debent celebrare exsequias defuncti Pontificis cit. c. *Ubi periculum* 3, De electione, in 6, § *Quia vero*.

(29. Secundo, dum exsequiæ per dictos novem dies a cardinalibus celebrantur, singulis diebus cardinales non impediti in basilica Vaticana conveniunt, et ante dictarum exsequiarum celebrationem congregari solent in ejusdem basilicæ sacristia, ut principum oratores, ac etiam officiales et magistratus audiant, aliasque congruas præbeant provisiones pro utriusque principatus regimine, ac etiam pro conclavis ordinatione, quod intra id temporis fabricari debet in Pontificio palatio, nullo intermedio pariete, et ibi commanere debent cardinales, donec per ipsos Summus Pontifex fuerit electus, cit. c. *Ubi periculum*, § *Hoc sacro*.

(30. Decima vero die, celebrata prius in eadem basilica missa de Spiritu sancto, cardinales in Urbe existentes, et legitime non impediti processionaliter conclave ingrediuntur; legitime autem impediti solent sero privatim ingredi, cardinalibus jam existentibus in propriis cellis, quæ per sortem absque aliqua personarum acceptione distribuuntur; per totam illam diem liber patet aditus principum oratoribus ac magnatibus et prælatis aliisque omnibus, tam nobilibus quam popularibus conclave peragrandi, atque benevolos cardinales in cellis visitandi; et præsertim principum et rerumpublicarum oratores et magnates totum collegium visitant, eisque obsequia præstant, atque felices faciunt adulatorias augurationes, ut refert card. de Luca, part. II *Relat. Romanæ curiæ*, disc. 3, n. 13.

(31. Omnibus autem de sero exclusis, præter eos, qui in conclavi cum cardinalibus remansuri sunt, illud ad formam rigorosæ clausuræ undique redactum clauditur per ejusdem conclavis custodes, qui duo sunt fixi ac principales, ille scilicet prælatus, qui ab eodem collegio ante ingressum electus fuerit, qui conclavis gubernator dicitur; et alter sæcularis, qui conclavis marescallus nuncupatur: alii vero custodes sunt prælati, ac etiam respective conservatores populi custodientes rotas, per quas victualia, aliaque necessaria transmittuntur, ad formam clausuræ monasteriorum monialium; dictique custodes per turnum deputari soliti singulis diebus invigilant, ne Apostolicis constitutionib. contraveniatur circa allocutiones, vel litterarum transmissionem; cit. cap. *Ubi periculum*, § *Hoc sacro;* et cit. constit. Pii IV, incip. *In eligendis*.

(32. In conclavi sub clausura, ultra cardinales, remanent regulariter duo cujuslibet cardinalis familiares, qui vulgo conclavistæ nuncupantur, pro eorum servitio, solumque cardinalibus senibus vel infirmis, ac etiam iis qui de principum genere sint, indulgetur tertius familiaris seu conclavista, ratione majoris servitii, quo indigere dignoscantur judicio ejusdem collegii, a quo pendet concessio tertii familiaris, seu conclavistæ; et tales familiares, seu conclavistæ non debent esse mercatores, ministri principum, domini temporales, et jurisdictionem habentes, neque fratres, aut nepotes cardinalium, etiamsi expensis eorum viverent, sed debent esse ipsorum cardinalium vere servientes, familiares, domestici et continui commensales, cujusque respective saltem ab anno ante, et adhuc pro tunc tales existere; cit. const. Pii IV, incip. *In eligendis*, § *Qui servientes*.

(33. Ultra prædictos familiares cuilibet cardinali specialiter necessarios, remanent in conclavi alii quoque officiales vel ministri pro servitio cardinalium in communi; scilicet unus sacrista cum clerico coadjutore, duo magistri cæremoniarum qui cælebranti ministrent, unus religiosus pro confessionibus audiendis, unus collegii secretarius cum uno tantum famulo; duo medici, unus chirurgus cum uno aut duobus servitoribus; duo barbitonsores, unus faber lignarius, unus cæmentarius; item octo, aut decem servientes bajuli publicæ utilitati et commoditati omnium, veluti pro lignis portandis, et pro aliis hujusmodi ministeriis, qui omnes a collegio cardinalium, non tamen ex familia alicujus cardinalis, eligi debent per secreta suffragia; ita tamen ut is obtineat qui plura vota tulerit, et eis salaria de publico persolvan-

Digitized by Google

tur; cit. const. Pii IV incip. *In eligendis*, § *Sacrista*.

(34. Circa cibum et potum intra conclave cardinalibus portandum, Greg. X in cit. cap. *Ubi periculum*, § *Hoc sacro* statuit, quod si intra tres dies post ingressum conclavis non fuerit electus Papa, per spatium quinque dierum immediate sequentium singulis diebus, tam in prandio, quam in cœna uno ferculo solo sint contenti, quibus, provisione non facta decursis, tunc tantummodo panis, vinum, et aqua ministrentur. At Clemens VI in constitut. incip. *Licet*, præter panem, vinum et aquam in prandio et cœna unum duntaxat ferculum, seu missum carnium utriusque speciei tantummodo; aut piscium seu ovorum cum uno potagio de carnibus vel piscibus specialiter non confectis et decentibus salsamentis habere permittit, ultra carnes solitas, herbas crudas, caseum, et fructus seu electuaria, quibus tamen nullum specialiter ferculum vult confici, nisi ad condimentum fieret vel saporem; et prohibet ut nullus de alterius ferculo vesci possit. Pius vero IV cit. const. incip. *In eligendis*, § 22, vers. *Cardinales autem*, statuit, ut primo ipso die, quo conclave ingressi fuerint, tam in prandio, quam in cœna uno ferculo unius speciei tantum, atque moderato, alios juxta constitutionem Clem. IV qualificato contenti esse debeant, et ut quispiam in alterius cella, vel de alterius ferculo vesci non possit.

(35. Tertio ad hujus rigoris observantiam constituuntur exsecutores ex præcipuis magistratibus civitatis, ubi electio celebratur, qui, præstito juramento, curare debent, ut prædictus ordo, rigorque servetur, d. c. *Ubi periculum*, § *Præterea*. Romæ autem sunt prælati diversorum graduum, qui bis in die singulis diebus, mane scilicet, et vesperi mutantur; intimaturque a cursoribus, servato ordine eorum omnium qui in Romana curia reperiuntur, incipiendo a patriarchis, sequentibus archiepiscopis, episcopis, cæterisque prælatis, juxta ordinem eorum promotionis, semperque assistit gubernator burgi, et duo cursores pro occurrentibus necessitatibus, tam collegii quam prædictorum gubernatorum; qui quidem prælati sub perjurii pœna, ac suspensionis a divinis, maxima et exquisita diligentia uti debent in inspiciendis et perscrutandis epulis quæ prandii et cœnæ tempore afferuntur, ac aliis rebus et personis conclave intrantibus et de eo exeuntibus, ne sub earum rerum velamine litteræ aut notæ vel signa aliqua transmittantur: si qui vero reperiantur, qui contra prædicta aliquid commiserint, familiares cardinalium, aut alii delinquentes pœnam privationis officiorum et beneficiorum, ac inhabilitatis ad obtenta et obtinenda incurrunt, et ulterius per gubernatorem carceribus mancipandi erunt, et inde nisi de mandato novi Pontificis minime relaxandi, sed ejus arbitrio acrius puniendi, omni facultate cardinalibus, in favorem quorumcunque, qui in præmissis, vel eorum aliquo deliquerint, omnino interdicta, prout latius continetur in sæpe cit. constit. Pii IV, § *Prælati*, et § *Quia vero*.

(36. Electio autem Summi Pontificis est celebranda ab ipsis tantummodo cardinalibus. Sic in primis statuit Nicolaus II anno 1059, in *Conc. Rom.* c., 2, cum hoc tamen, quod facta a cardinalibus episcopis Summi Pontificis electione, deinde reliqui cardinales, clerus ac populus ad eam comprobandam accederent, prout expresse habetur in c. *In nomine Domini* 1, dist. 23, et notat cardin. Petra. tom. IV *Comm. ad Const.* 5 *Clem. VI*, n. 33. Et hic mos eligendi Pontificem perduravit usque ad tempora Alex. III optime meriti de hac mea patria Alexandrina civitate, utpote qui eam sede episcopali condecoravit, et suo nomine appellandam pro sibi præstita fidelitate, obedientia et ope constituit. Unde quia pro simili electione, et approbatione constituta a Nicolao II adhuc quandoque schismata oriebantur, hic providissimus Pontifex Alex. III in generali Lateranensi concilio statuit, ut ille demum canonice electus censeretur, in quem duæ ex tribus collegii cardinalium partes consensissent, et sic excluso cleri et populi consensu requisito ex supra laudato decreto Nicolai II, in cit. c. *In nomine Domini* tota Pontificis electio ad solum cardinalium Collegium redacta est per ipsum Alexandrum III, ut expresse patet in c. *Licet* 6, De election. Unde, ut dicit Onuphrius in annotatione ad vitam d. Alexandri III, in electione Lucii III sui immediati successoris, ea tunc primum redacta fuit ad solos cardinales, clero omnino et populo a Summi Pontificis electione exclusis; et lex salutaris a dicto Alex. III in concilio generali Lateranensi anno 1179 celebrato lata de duobus tertiis suffragiorum cardinalium ad evitanda in posterum schismata, exsecutioni mandata fuit, quod dicit sibi constare ex ejusdem Pontificis diplomate apud se asservato. Et hæc facultas eligendi Summum Pontificem solis cardinalibus demandata, fuit confirmata, et plenius statuta a Gregorio X in concilio Lugdunensi 1274 celebrato, ut habetur c. *Ubi periculum* 3, De election., in 6, et a Clemente V in concilio Viennensi 1310, prout refertur in Clementina, *Ne Romani* 2, De electione. et ex post fuit semper in ipsis inviolabiliter conservata. Barbosa, lib. 1 *Juris ecclesiastici univers.*, c. 1, n. 55 et seq., cum pluribus aliis ibi citatis, et alii passim.

(37. Unde cardinales omnes, etiam nuper creati et publicati vocem habent in electione Pontificis, etiamsi nondum insignia cardinalatus acceperint, neque os clausum, aut si clausum fuerit, nondum tamen apertum sit. S. Pius V, sub die 26 Jan. 1571, const. quam refert Jul. Lavorius, *Variar. lucubrat.* tom. 1, act. 4, cap. 6, num. 21, et citat Fagnan. in cap. *Licet* 6, De electione, num 19; Barbosa, *loc. citat.*, num. 62; Bonacina, *De electione Pontific.*, qu. 1., punct. 1, proposit. unica, num. 4; Diana, part. v, tract. 1, resol. 74 et alii. Et idem quoque statuit Gregorius XV, const. incip. *Decet Romanum Pontificem*, in Cæremoniali, § *Porro*. (38.

Digitized by Google

Cardinales omnes ad electionem Pontificis admittuntur, quamvis excommunicati, suspensi, aut interdicti: Clement. *Ne Romani* 2, De electione; Pius IV, constitut. incip. *In eligendis*, § *Et ne dissensiones*; Gregorius XV, const. incip. *Æterni*, vers. *Volumus etiam*.

(39. Cardinales vero nondum ordinati ad diaconatum in electione Pontificis vocem non habent ex constitutione Pii IV incip. *In eligendis* § *Statuimus*. Idem quoque statuerunt Sixt. V, constitut. incip. *Postquam*, § *Neque posthac*, et Greg. XV, in *Cæremoniali* ipsius jussu composito et confirmato ab ipso constit. incip. *Decet Romanum Pontificem*; et ab Urbano VIII, constit. incip. *Ad Romani*; quibus tamen constitutionibus et *Cæremoniali* quoad hoc hactenus derogare solent Summi Pontifices, quando cardinales nondum diaconos creant, et de hoc expedire jubent breve particulare, ut testantur Lavorius, *loc. cit.*, cap. 9, n. 22; Barbosa, *loc. cit.*, num. 72, cardinalis de Luca part. II, *Relat. Romanæ curiæ*, disc. 3, num. 10, et alii.

(40. Si ante factam electionem plurimi cardinales decedant et recedant et nolint electioni intervenire, electio pertinet ad solos superstites electioni interessentes, quamvis duo tantum remaneant, quia unus potest eligere alium. Anan., in c. final. *De appellat.*; Lavorius, *loc. cit.*, cap. 6, num. 25; Sylvester, verb. *Excommunicatio* 9, n. 2; Barbosa, *loc. cit.*, num. 74, et alii passim. (41. Imo quamvis unus solus remanserit ad ipsum spectabit electio. *Glossa* in c. Clementin. *Ne Romani* 2, De election., verb. *Omnes*; Alban., *De cardinalibus*. quæst. 23 et 25; Laudens., *De cardinalibus*, quæst. 15; Panvin., *De offic. et potestat. capituli, Sede vacante*, prælud. 5, num. 8; Manfred., *De cardinalibus*, dec. 268, 269 et 291; Villadieg., *De orig. et potest. card.*, quæst. 5, num. 26; Bonacina, *De legibus*, disp. 1, qu. 1, punct. 3, et *De elect. Pontific.*, quæst. 1, punct. 1, § 4, num. 2, disp. 1; Barbosa, *loc. cit.*, num. 74, et alii passim; jus enim et nomen universitatis propter casus supervenientiam conservari potest etiam in una sola persona; L. *Sicut* 7, § 2, ff. *Quod cujuscunque universitatis nomine*, et ibi Bartol. *Glossa* in l. *Neratius*, ff. *De verbor. signif.*; card. de Luca, part. II, *Relat. Romanæ curiæ*, disc. 3, num. 9; Albanus, *De cardinalibus*, quæst. 24; Barbosa, *loc. cit.*, num. 74 et alii. *Vide* verb. ELECTIO, art. 2, num. 5, et art. 4, n. 23 et 24.

(42. Non posset tamen ille eligere seipsum, arg. c. *In scripturis* 9, caus. 8, quæst. 1; cap. *Ad nostram* 7, De instit.; cap. *Per nostras* 26, De jurepatron., et *Glossa* communiter recepta in cap. *Cum in jure* 33, De election., verb *Ex se vel aliis*. *Vide* verb. ELECTIO, art. 3, num. 28, art. 2, num. 6. (43. Abbas autem in cap. *Licet in fine*, De election., dat remedium quo possit talis cardinalis seipsum eligere, ut scilicet is totius sacri Collegii nomine alteri eligendi potestatem demandet qui veluti compromissarius ipsum eligat. Albanus vero, *De cardinalibus*, quæst. 14, dicit talem opinionem Abbatis procedere, quando ille solus remansisset, cæteris exeuntibus vel absentibus, non autem mortuis. *Vide* Barbos., cit. lib. I *Juris ecclesiast. univ.*, cap. 1, n. 74.

(44. Si omnes cardinales (quod Deus avertat) morerentur ante factam electionem Pontificis et nullus exstaret, non conveniunt doctores ad quem spectaret Pontificis electio. Multi enim dicunt quod in hoc casu electio spectaret ad canonicos Lateranenses, quorum Ecclesia est propria Sedes Pontificis super omnes orbis et Urbis, et hanc sententiam aliis probabiliorem et tutiorem dicunt Abbas, Hostiens., Ludovicus Roman. in c. *Licet* 6, De election.; Imola, in Clementin. *Ne Romani* 2, De election.; Barbosa, *ibid.*, num. 23, et *De jur. Eccles. univers.*, lib. I, num. 75; divus Antonin., part. III *Summæ*, tit. 22, § 2, num. 5; Lavorius, *Variar. resol.*, tom. I, tit. 4, cap. 6, num. 27; Azorius, part. II, lib. IV, num. 2, quæsit. 11, Dionysius, *De vera quatuor patriarchar. sedium erection.*, cap. 16. num. 13; card. Petra, tom. IV *Comment. ad const.* 5 *Clementis VI*, num. 20, *et ad constitut.* 1 *Gregorii XI*, num. 14. Alii vero affirmant quod in tali casu electio Pontificis spectaret ad concilium generale, quia Pontifex non solum urbis Romæ sed totius Ecclesiæ universalis est Pastor. Sic Decius, in cit. cap. *Licet* 6, De elect., Aug. de Ancona, in *Summa*, quæst. 5, art. 3 et alii. Nonnulli tamen dicunt tunc temporis electionem Pontificis pertinere ad patriarchas. Sic Baldus, in l. *Ubi absunt*, ff. *De tutor. et curator.*; Conrad., in *Templo omnium judic.*, lib. I, § 2, n. 6.

(45. Sede vacante tempore concilii generalis legitime congregati, electio Pontificis spectat ad cardinales et non ad concilium. Diana, part. V, tract. 2, resolut. 73; Bonacina, *De electione Pontif.*, quæst. 1, puncto 1, § 4; Barbosa, cit. cap. 1, num. 76, et alii plures. Unde in concilio Pisano, in quo tanquam dubii Pontifices Gregorius dictus XII et Benedictus dictus XIII de Sede depositi fuerunt, non quidem deponendo veros Pontifices in ratione auctoritativa, sed in ratione declarativa, aperiendo scilicet quod neuter eorum bene et legitime occuparet Sedem Papalem, eamque pro vacua, seu vacante habendam, cardinales conclave ingressi et non concilium, elegerunt in Summum Pontificem Petrum Philargi (vel Philareto) ex meo Minorum ordine, archiepiscopum Mediolanensem, virum magnæ sanctitatis et eximiæ doctrinæ, qui appellari voluit Alexander V. Item in concilio Constantiensi, in quo, tanquam dubii Pontifices, Gregorius dictus XII, Joannes dictus XXIII, et Benedictus dictus XIII, eodem modo, quo supra, de Sede depositi fuerunt et declarata Sede vacante, cardinales et non concilium, elegerunt in Summum Pontificem Odonem, seu Othonem Columnam, virum tum claritate sanguinis tum nobilitate virtutum undequaque insignem, postea Martinum V appellatum. Vide *Historiam ecclesiasticam* eruditi-

Digitized by Google

lissimi Patris Ignatii Hiacynthi Amat de Graveson, tom. VI, fol. 500, postremæ impressionis Venetæ, ubi de electione Alex. V sic præcise habet: « Cardinales numero viginti quatuor, concordibus suffragiis die 14 Jun. 1409 in Summum Pontificem elegerunt Petrum Philargum, vulgo *de Candia* nuncupatum, ordinis Fratrum Minorum, cardinalem et archiepiscopum Mediolanensem, qui Alexandri V nomen sibi sumpsit. Et eodem, tom. VI, fol. 110, de electione Martini V, sic præcise habet: « Concordibus suffragiis die 11 Novemb. 1416, Odo de Columna, patria Romanus, ex illustrissima Columnensium prosapia oriundus, cardinalis tituli S. Georgii in Velabro, seu ad Velum Aureum, Pontifex Romanus electus est, dictusque Martinus quintus, qui tamen juxta ordinem Romanorum Pontificum, qui eo Martini nomine nuncupati fuerunt, dicendus esset Martinus III. » Et eodem tom. VI, fol. 248, iterum commemorat electionem Alexandri V, et a fol. 270, electionem Martini V. *Vide* ibi (169).

(46. Licet ex quibusdam canonibus antiquis videretur non posse eligi in Summum Pontificem, nisi qui esset cardinalis; ut innuunt cap. *Oportebat.* 3, et cap. *Nullus* 4, dist. 79. (47. Tamen nunc potest eligi etiam non cardinalis. Cardinal. de Luca, *Relat. Romanæ Curiæ*, dist. 3, num. 22 et sequent., et alii infra citandi. Colligitur ex cap. *In nomine Domini* 1, dist. 23, vers. *Eligatur*, et cap. *Licet* 6, De electione, ubi Alexander III statuit quod « ille absque ulla exceptione ab universali Ecclesia Romanus Pontifex habeatur, qui a duabus partibus (scilicet cardinalium) concordantibus electus fuerit, et receptus. » Et post hanc Alexandri III constitutionem sex numerantur non cardinales, qui ad apostolatus apicem electi sunt; videlicet Urbanus IV, Gregorius X, Cœlestinus V, Clemens V, Urbanus V et Urbanus VI, ut recte observat Fagnanus, lib. 1 *Decret.*, in cit. cap. *Licet* 7, De electione, n. 15. *Vide* tamen const. 50 Sixti V incip. *Postquam*, § 2.

(48. Imo etiam laicus potest valide eligi in Pontificem maxime ob eximia vitæ merita et clericorum inopiam. Cœlestinus enim V ex eremo vocatus, cum nec esset in sacris, Pontifex est creatus; colligitur ex *Cæremoniali Romanæ Ecclesiæ*, ubi datur forma ordinandi eum, qui ex laico fuerit assumptus. Sic tenent *Glossa* in cap. *Si quis pecunia* 9, distinct. 79, verb. *Non apostolicus*; Decius, in cit. cap. *Licet* 5, De electione, num. 9; Lavorius, *Variar. resolut.*, tom. 1, tit. 4, cap. 12, num. 10; Barbosa, lib. 1 *Juris ecclesiast. univers.*, cap. 2, num. 58, cum pluribus ibi

(169) Hic notandum in electione Summi Pontificis Martini V, *pro illa vice duntaxat*, et ex cardinalium consensu, adhibitos fuisse sex viros ex unaquaque natione, Italica, Gallica, Anglicana, etc., qui una cum ipsis cardinalibus electionem hujusmodi peregerunt.

Id ex actis ipsis concilii Constantiensis exploratissimum est, hoc sane pacto. « Ad laudem, etc., ut electio futuri Romani Summi Pontificis proxime celebranda firmiori auctoritate, et plurium roboretur assensu, et ne, attento statu Ecclesiæ super dicta electione, in posterum ulla retractio, ullusque scrupulus in mentibus hominum resideat,... Sacrosancta synodus Constantiensis, communi utilitate pensata, de speciali, et expresso consensu, et voluntate concordi sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium in eadem synodo personaliter existentium, et collegii eorumdem, ac omnium nationum præsentis concilii, ordinat, statuit et decernit, quod hac vice duntaxat ad eligendum Romanum et Summum Pontificem, una cum cardinalibus sex prælati vel aliæ honorabiles personæ ecclesiasticæ in sacris ordinibus constitutæ, de qualibet natione in eadem synodo pro tunc existentes, quos, seu quas quælibet ipsarum nationum pro se ad hoc infra decem dies duxerit eligendas; ipsis cardinalibus adjungantur. Quibus omnibus eadem synodus eligendi Romanum Pontific. secundum formam hic expressam (quatenus opus est) tribuit facultatem, videlicet, quod ille absque ulla exceptione ab universali Ecclesia Romanus Pontifex habeatur, qui a duabus partibus cardinalium in conclavi existentium, et a cujuslibet nationis duabus partibus eisdem cardinalibus adjungendorum, et tunc adjunctorum, electus fuerit, et receptus, quodque non valeat electio, nec electus pro Summo Pontifice habeatur, nisi duæ partes cum cardinalibus ad eligendum adjungendorum, et tunc adjunctorum consentiant, et consenserint in Romanum Pontificem eligendum. Statuit insuper, ordinat, et decernit, quod vota quorumcunque in electione hujusmodi emittenda, sint nulla, nisi (ut præmittitur) duæ partes cardinalium, et duæ partes cujuslibet nationis adjungendorum, et tunc, adjunctorum prædictorum præsentialiter, seu per accessionem in unum concurrant. » Apud Philippum Labbe, *Sac. Conc.* tom. XII (Lutetiæ Parisiorum); Conc. Constant., sess. XL, pag. 243, col. 2, *De modo ac forma eligendi Papam.*

Quibus cohærenter Cabassutius, *Notit. eccles. histor. Concil.*, in *Synops. historic. sæcul.* XV, num. 20, hæc tradit: « Nominati sunt nationum electores cardinalibus *ista vice duntaxat adjungendi*, qui simul omnes præparatum..... conclave sunt ingressi. Atque isti simul tertio post die.... elegere in Summum Pontificem Odonem Columnensem.... qui.... Martinus V dici voluit. » Et rursus in *Notit. eccles. sæc.* XV, § 13, in hæc verba scripsit: « Delecti sunt nationum electi, *hac utpote extraordinaria vice* cardinalibus adjungendi, num 30 erant, vero cardinales viginti, qui ex tribus obedientiis ad concilium convenerant. Hi omnes simul conclave... ingressi... simul... Summum dixere Pontificem Odonem Columnensem. »

Sic pariter Natalis Alexander: « Denique (ait) forma eligendi Romanum Pontificem præscripta est *de consensu cardinalium*, ut scilicet *hac vice duntaxat*, ad eligendum Romanum Pontificem, ipsis adjungerentur sex prælati vel aliæ honorabiles personæ ecclesisasticæ in sacris ordinibus constitutæ, de qualibet natione in eadem synodo pro tunc existentes, quos, seu quas quælibet ipsarum nationum per se ad hoc infra decem dies eligeret. Utique nemo verus et legitimus Pontifex haberetur, nisi a duabus partibus cardinalium, et ab adjunctorum e qualibet natione duabus etiam partibus electus esset. » *Hist. Eccles. sæcul.* XV *et* XVI, dissert. 3, *De concil. Constant.*, num. 42. Neque P. Graveson hisce per nos deductis adversatur, sed tantum in locis a Lucio nostro allatis breviori calamo rem enarrat. Cæterum id duntaxat pro re historica assequenda notatum volumus, procul ab infirmando auctoris doctrinam, quam ultro sequimur. (*Editores Casinenses.*)

Digitized by Google

citatis, et num. 78; Boet. Epo. lib. I, *De regul.*, num. 208, pag. 137, ubi dicit quod laicus interim Pontifex mitra nihilominus ornatus clericatum suscipit, ac ad ordines omnes ecclesiasticos promovetur.

(49. Nec electionis validitati obstabit, si uxoratus in Pontificem eligatur, quia si uxore consentiente hoc contingat, videtur eam cogi posse, ut convertatur prout arg. c. *Qui uxorem* 10, caus. 33, quæst. 5, resolvit Archidiaconus in cit. cap. *Si quis pecunia* 9, dist. 79, et tenent Fagnan., *loc. cit.*, num. 15, cum duplici *Glossa* ibi citata. Machado en su *Perfetto confessor*, tom. II, lib. IV, par. VII, tract. 4, docum. 2, num. 3; Bonacina, *De election. Pontif.*, disp. 1, quæst. 2, in princip., num. 4; Barbosa, *loc. cit.*, num. 79 et alii. (50. Si autem vir absque licentia uxoris ad Summum promoveretur Pontificatum, posset ab ipsa revocari et ei debitum reddere teneretur; quia cum hoc sit debitum justitiæ, non potest lædi per pontificatum, quamvis bona fide assumatur, eo quod uxor mortua credatur. Ita Abbas in c. *Constitutus*, II. ult., De convers. conjug., et in cap. *Uxoratus*, num. 1, eod. tit.; Sylvester, in *Summa*, verb. *Matrimon.* 8, quæst. 12, dist. 2; Majol., *De irregul.*, lib. I, cap. 34, num. 3; Perez, lib. I, gloss. 3, versic. *In tantum*, tit. 1, lib. V *Ord.*, p. 23; Flamin., Paris., *De resign. benefic.*, lib. III, quæst. 18, num. 126 cum sequent.; Sanchez, *De Matrim.*, lib. VII, disp. 38, num. 12; Azor., *Inst. moral.*, part. I, lib. XXIII, cap. 14, quæst. 13, in fine; Trot., *De vero et perfecto clerico*, lib. II, cap. 8, num. 3; Barbosa, *loc. cit.*, num. 80, et alii.

(51. Femina Papa esse non potest, *Commanissima* arg. c. *Nova* 10, De pœnitent. et remissionibus. Hinc fabulosissimum est illud, quod aliqui scribunt, feminam quamdam sub nomine Joannæ fuisse electam Romæ in Summum Pontificem. Quomodo enim potest rationabiliter dici, quod Christus Dominus voluerit permittere Pontificatum et claves Ecclesiæ committi uni feminæ peccatrici, cum nec suæ sanctissimæ Matri Virgini Mariæ commiserit; cit. c. *Nova*, De pœnitent. et remissionibus, ibi: « Quia licet beatissima Virgo Maria dignior et excellentior fuerit apostolis universis, non tamen illi, sed istis Dominus claves regni cœlorum commisit. » Unde merito rejicitur communiter hæc fabula de Joanna papissa, ut videre est apud Panvin., in *Annot. ad Platinam*; cardin. Bellarmin., tom. II, controvers. 3, c. 24; card. Baron., in *Annalib. ecclesiast.*, anno Christi 853; Spondan., eodem anno, num. 6, vers. hoc ipso anno; Bonac., *De legitima Summi Pontificis election.*, quæst. 3, in princip., a num. 2; Barbosa, *loc. cit.*, num. 82; Graveson., *Histor. eccles.* tom. III, fol. 307, ad 312, postremæ impress. Venetæ; et innumeros alios (170).

(52. Eligendus in Summum Pontificem congruit, ut sit maturæ ætatis; sanctus enim Hieronymus contra Jovinianum, p. I *Epistol.*, lib. V, cap. 24, dum causam perquirens, quare Christus potius Petrum elegerit quam Joannem, quem summo prosequebatur amore, dicit postposuisse Joannem juniorem Petro seniori, illique propterea commisisse Ecclesiæ regimen. Unde ex hac, et aliis rationibus, et juribus Joannes de Selva, *De benefic.*, par. III, quæst. 5, num. 14; Bonacina, cit. quæst. 2, in princip., num. 6; Barbosa, *loc. cit.*, num. 83, et alii plures tenent, non posse eligi in Summum Pontificem minorem triginta annis. (53. Cum enim Papa comprehendatur sub nomine episcopi, et de facto ipse se episcopum nominet, debet saltem esse constitutus in illa ætate quæ requiritur pro episcopis, pro quibus sub. verb. ORDO, art. 2, num. 44, ex variis juribus ibi adductis, diximus requiri ætatem triginta annorum completorum. Si tamen eligeretur in Summum Pontificem aliquis nondum in tali ætate constitutus, electio esset valida, ut de facto fuit valida reputata et habita electio Joan. XII vix nati annos duodeviginti, ut testatur Graveson, *Histor. eccles.*, tom. IV, fol. 71, supr. impressionis Venetæ; Baronius, *ad annum* 955, n. 3 et 44, et alii; et electio Benedicti IX decem annorum pueri, ut testantur Graveson, *l. cit.*, fol. 89; Vincentius Fuga, in *Comp. notitiæ orbis sacri et profani*, fol. 187; Baronius, *ad ann.* 1003, num. 6, ubi dicit fuisse electum puerum annorum circiter duodecim, uti ex aliis refert etiam Berninus in *Hist. omnium hæresum*, t. III, cap. 3, fol. 24 et alii. Cum enim supradicta ætas solum de congruentia requiratur in Summo Pontifice, si minor eligatur, dummodo usum rationis habeat, ejus electio non erit invalida. Sic cardin. Jacobat., in tract. *De conc.*, lib. III, art. 2, vers. *Et idem de infante*; Majol., *De irregul.*, lib. II, cap. 30, num. 23; Campanil., in *Diversor. juris canon.*, rub. 5, cap. 9, num. 5; Lavorius, *loc. cit.*, tit. 4, cap. 22, num. 5 et 6; Didac. Narbona, *De ætate ad omnes actus humanos requisita*, anno 30, qu. 3; Perez de Lata, in *Compend. vitæ hominis*, cap. 27, num. 22; Machado, cit. tom. II, lib. IV, document. 2, num. 4; Roderic. a Cunha, in cap. *Episcopus*, dist. 77, num. 27; Barbosa, *loc. cit.*, num. 83, et alii passim. *Vide* verb. ÆTAS, num. 8 et 9.

(55. Modus seu forma pro eligendo Summo Pontifice habetur in constit. Greg. XV incip. *Æterni Patris Filius*; et in alia ejusdem Greg. incip. *Decet Romanum Pontificem*: ubi traditur ad id cæremoniale observandum, et in const. Urbani VIII incip. *Ad Romani Pontificis providentiam*; ubi tam dicta constitut. Gregorii XV de electione, quam hujusmodi cæremoniale, approbatur et confirmatur.

(170) Non omittendi tamen fuerant, qui Joannæ papissæ fabulam penitus convellerunt, Philippus Labbeus in *Joannæ papissæ cenotaphio everso*, et eminentissimus Garampius in celeberrima *De nummo argenteo Benedicti III* dissertatione; Romæ 1749, in-4°.

Digitized by Google

(56. Triplici tantum forma, seu modo potest fieri Papæ electio, scilicet per scrutinium, per compromissum, et per quasi inspirationem; Gregor. XV in dict. const. incip. *Æterni Patris Filius*, § 1, et in dicto Cæremoniali approbato et confirmato ab eodem in cit. constitut. incip. *Decet Romanum Pontificem;* et ab Urbano VIII in cit. constitut. incip. *Ad Romani Pontificis.*

(57. Triplex hic modus eligendi Pontificem traditur in dicta constit. incip. *Æterni Patris Filius*, et diffusius in d. Cæremoniali incluso in cit. constit. *Decet Romanum Pontificem;* ubi cum omnibus aliis ibi dispositis potest videri apud *Bullarium*, t. III, in *constitut.* 29 *Greg. XV.*

(58. Electio Papæ debet celebrari in conclavi clauso, et uno ex dictis tribus modis, alias nulla est et invalide eo ipso absque ulla declaratione, et tam electus, quam eligentes, ejusque fautores, et complices incurrunt excommunicationem, aliasque censuras et pœnas Summo Pontifici reservatas. Sic expresse Gregorius XV in citat. constitut. incipient. *Æterni Patris Filius. Vide* ibi per tot.

(59. In dicta constitutione, § 24, Gregor. XV expresse quoad hoc derogat decretali Alexandri III. incip. *Licet* 3, De electione, et omnibus aliis Pontificiis constitutionibus etiam in conciliis generalibus promulgatis, et in corpore juris clausis. (60. Et quamvis ibi Gregor. XV dicat *Pro hac vice duntaxat*, ad tollendam omnem difficultatem, quæ propter dicta verba oriri posset, Urbanus VIII eamdem constitutionem confirmavit, atque perpetuo in omnibus futuris Romanorum Pontificum electionibus observari præcepit, cit. sua constit. incip. *Ad Romani Pontificis providentiam.*

(61. Papa statim ac est canonice electus, est verus Papa quoad omnes effectus, et plenam, absolutamque habet jurisdictionem exercibilem supra totum orbem; *Glossa* verb. *Et dispensandi*, in cap. 1, dist. 37, ubi archidiaconus, num. 29, Bellamer. sub. num. 22 et 23; Geminian., sub. num. 26 et 27; Turrecremata, n. 20, 21 et 22; *Glossa* final. in cap. *Licet de vitanda* 7, De election.; Barbosa, l. I, *Juris ecclesiastic. univers.*, n. 113; cardin. Petra, tom. I *Commentar. ad constit. Apostol.*, § 3 *Proœmial.*, num. 46, et *ad constit. unic. divi Gelasii I*, num. 9, et tom. IV, *ad constit.* 5 *Clem. VI*, num. 25, Corrad., in *Praxi dispensat.*, lib. II, cap. 8, num. 20, et communis aliorum. (62. Unde Papæ electio non indiget confirmatione, uti aliæ inferiores electiones, quia confirmatio electionis per superiorem fieri debet. Papa autem, nullum in terris habet superiorem, adeoque, etc. *Communis* cum supra citatis.

(63. Hinc mere Cæremonialia sunt, quod Papa non nisi post coronationem Lateranensis Eccles. possessionem nanciscatur, et quod ante consecrationem, et coronationem nec Pontificatus annum scribat in litteris, nec simpliciter episcopum se nominet, sed duntaxat se scribat « Data suscepti a Nobis apostolatus officii anno, etc., N. electus Episcopus. Sic. Card. Petra., *l. c.*, et alii passim. (64. Imo si quis ad jus ea reducere præsumpserit, Apostolicas litteras impugnando ex hujusmodi prætextibus, quod scilicet Summus Pontifex ante suæ coronationis insignia, providere, reservare, dispensare non possit, nec se in litteris episcopum simpliciter, sed tantum electum episcopum scribere, nec etiam uti integra bulla, in qua ipsius nomen exprimatur, incurrit excommunicationem latam a Clemente V in extravagan. *Quia nonnulli*, De sent. excommunic., inter communes. (65. Et de facto quando protrahitur coronatio, Papa expedit etiam Bullas sub plumbo cum intitulatione episcopi, et cum data Pontificatus, etsi ante coronationem; ut inter alios fecit Urbanus VIII qui cum fuerit electus die 6 August. 1623 et coronatus die 29 Sept. ejusdem anni, tres bullas expedivit cum intitulatione episcopi, et data Pontificatus ante dictam diem 29 Septembris, ut patet in *Bullario*, et observat. cardinal. Petra, t. I, *Comment. ad constit. unic. divi Gelasii I*, num. 9.

(66. Papa postquam suæ electioni consensum præstitit, aliud nomen sibi imponit ad instar principis apostolorum Petri, qui antea Simon vocabatur, *Matth.* XVI : *Beatus es Simon Bar-Jona*, etc., *et ego dico tibi, tu es Petrus.* (67. Ratio autem hujus mutationis varia assignatur, sed verior est, ad ostendendam novam regenerationem. Quapropter sicut in baptismate imponitur nomen, ita ingressuris religionem, cujus professio, quasi alter baptismus novo nomine novitium regenerat, idque a Summis Pontificibus, uti novis hominibus, seu potius vicediis, usurpatur non sine mysterio veteris hominis exuendi, Christumque prorsus induendi, juxta illud Samuelis ad Saul, *I Regum* X, ibi : *Ecce unxit te Dominus super hæreditatem suam in principem... et mutaberis in virum alium.* Sic card. Pallavicin., in *Historia concilii Tridentini* lingua Italica, par. II, lib. XIII, cap. 1, n. 2; card. Petra, tom. II *Commentar. ad const.* 1 *Cœlestini III*, n. 4, et alii.

(68. Quis autem fuerit primus, qui e Romanis Pontificibus cœpit nomen mutare, non satis constat inter historiographos. Nam Platina Martinum Polonum secutus, et post eum Duard, in *Comment. ad Bullam in cœna Domini*, lib. I, c. 4, q. 5, dicunt fuisse Sergium secundum, qui ante *Os porci* vocabatur, nomine videlicet indigno Pontificia dignitate et majestate. Idem referunt Petrus Messia in *Silva variar. lect.*, lib. I, cap. 2; Illescas in *Historia Pontif.*, lib. IV, cap. 33, *De Sergio II;* Menochius, *De arbitr.*, casu 218, a n. 3; Gonsal., ad regul. 8 *Cancell.*, gloss. 1, n. 44 et 45; Paulus Fusc., littera *P.*, sing. 2, vers. 2, *Qui in sua electione;* Thomas Actius, *De ludo scaccorum*, quæst. 12, n. 133; Boet. Epo., lib. I *De Regalib. in ecclesiast. benefic.*, n. 211, et plures alii citati a Cenedo, *ad Sextum*, collect. 15, n. 1. Sed hanc fabulam esse, et Martinum Polo-

Digitized by Google

num primo eam tradidisse, scribit Vincentius Fuga, in *Compendio notitiæ orbis sacri et profani*, fol. 270, et ut falsam opinionem rejiciunt Camil. Borel., *De præstantia regis catholic.*, cap. 1, n. 16; Barbosa, *l. c.*, n. 115, et alii dicentes, constare secundum Anastasium Bibliothecarium prædictum Pontificem, etiam ante pontificatum, Sergium fuisse appellatum. Alii cum Azorio, *Institut. moral.*, par. II, lib. IV, cap. 42, quæst. 6, ad Adrianum III ante vocatum Agapetum, hujus mutationis initium referunt. Alii autem, ut Vincentius Fuga, *loc. cit.*, fol. 18; Graveson, *loc. cit.*, tom. IV, fol. 71; Baronius, *ad annum* 956, dicunt quod Joannes XII primus nomen mutavit; qui cum Octavianus vocaretur, in gratiam patrui Joannis XI Joannes vocari voluit hujus nominis XII. Alii vero cum cardin. Petra, t. III *Comment. ad constitut.* 1 *Cœlestini III*, dicunt Sergium IV fuisse primum qui nomen mutaverit: cum enim vocaretur Petrus, ob reverentiam tanti apostoli primi Christi vicarii nomen sibi commutavit in Sergium, ut constat ex epitaphio ejusdem, quod exstat in Lateranensi basilica, et refert cardinalis Pallavicinus Societatis Jesu in *Historia concilii Tridentini*, lingua Italica, par. II, lib. III, cap. 11, n. 2 (171).

(69. Non tenetur autem Papa nomen proprium mutare, cum ad id nullum jus obligatorium reperiatur, et constet, non solum antiquiores Pontifices hac nominis mutatione usos non fuisse; sed etiam sæculo decimo sexto Adrianum VI et Marcellum II nomen proprium baptismatis retinuisse; primum ad preces Cæsarei oratoris propter excellentiam Pontificum ita nuncupatorum; secundum ob maximam dilectionem erga martyrem Summum Pontificem dicti nominis, ut referunt card. Pallavicin. et card. Petra, *loc. cit.*

(70. Papæ consecratio, seu inthronizatio fieri consuevit per card. episcopum Ostiensem, qui in eo actu metropolitani vice fungitur c. *In nomine Domini* 1, dist. 23. Unde pallio archiepiscopali utitur et ei Portuensis et Albanensis cardinales episcopi solent assistere. Et hodie cardinalium decanus, id est primus inter cardinales episcopos, quamvis non esset episcopus Ostiensis, id munus cum duobus aliis senioribus subit. Barbosa, *loc. cit.*, n. 116, et alii passim. (71. Consecratio autem Papæ in episcopum, si non erat episcopus, ac benedictio et coronatio ejusdem sunt diversa. Consecratio enim, seu benedictio fit a cardinali episcopo Ostiensi, seu decano, ut supra, inter missarum solemnia ante hymnum angelicum, et postea ipse missarum solemnia incipit, et perficit consecratus, quo tempore potest etiam ordines conferre, si velit; quod ab episcopo in die consecrationis suæ fieri nequit, cap. *Quod sicut* 28, § *Super eo*, De election. Coronatio autem fit per antiquiorem diaconum cardinalem. Barbosa, *loc. cit.*, n. 117, ut patet ex *Cæremoniali Romano*, tit. 2, *De ordinat. et consecr. novi Pontificis.*

(72. In die coronationis Papæ, ut conditionis humanæ memor sit, ante illum in summitate arundinis comburitur stupa, et ab uno cæremoniarum magistro interim sic inclamatur: « Pater sancte, sic transit gloria mundi. » Barbosa, *loc. cit.*, c. 2, n. 23, et alii passim, et patet ex *Cæremoniali Romano*, tit. 2, *De ordinat. et consec. novi Pontif.*

(73. In coronatione Papæ tertia collecta canitur de S. P. N. Francisco; canitur enim prima de Spiritu sancto, ut illuminet; secunda de B. V. Maria, ut protegat; tertia de S. P. N. Francisco, ut sicut reparavit Ecclesiam, eamdem sustentet. Ita Kazemberger, in *Supplement theol.*; Sporer, in *Prærogativis ord. nostri Ser.*, n. 10. (172).

Alia *vide* verb. CARDINALES, art. 5, per tot.

ADDITIONES CASINENSES.

Fabula de muliere Papissa Joanna inter Leonem IV et Benedictum III in Sedem Romanam evecta, plenissime confutatur et evertitur.

Et revera Leoni IV defuncto 17 Julii 855 *statim ac immediate* Benedictus III successit: id quod coævorum ac gravissimorum auctorum testimoniis luculentius probare aggredimur. Et sane Lupus Ferrariensis abbas, illius temporis scriptor (quique de Caroli Calvi mandato penes laudat. Pontif. Leonem IV an. 847, legatione functus fuerat), in Epistola 103 ad Benedictum III missa, de illius exaltatione ad Pontificatum gratulatus, subjungit: « Tempore decessoris vestri beatæ memoriæ Leonis functus legatione Romæ, cui auctore Deo præsidetis, et ab eodem antistite exceptus benigne, atque tractatus, postquam vos non esse inferiores religione fama declaravit... ausus sum tantillus cognitioni Vestræ Sublimitatis me scriptis ingerere. » Ex edit. Baluzii an. 1661.

Clarius et expressius S. Ado, pariter monachus in cœnob. Ferrariensi, ac anted. Lupi abbatis discipulus, quique an. 860 Viennensis episcopus fuit electus: siquidem in *Chronico* ad an. 855 hæc refert: « Pontifex Romanus Gregorius (nimirum Greg. IV qui Pontifex creatus an. 827 superis concessit an. 844) moritur, atque ejus loco Sergius (Sergius II) ordinatur. Illo defuncto, Leo (Leo IV de quo supra) succedit. Quo obeunte, Benedictus in Sede Apostolica substituitur. » Ubi quæso illa Papissa Joanna, quæ post Leonem solium Pontificium conscendisse tam impudenter, tamque ignoranter ab heterodoxis plerisque jactatur?

Audiamus Anastasium Bibliothecarium,

(171) Idipsum Muratorio placuit *Antiquit. Italic.*, t. III, diss. 41, p. 764, et Josepho de Novaes, p. 95, operis cujus titulum dabimus sub hujus articuli finem.

(172) In argumento, quod hactenus pertractatum fuit, a. 1769 luculenter versatus fuit eruditissimus Lusitanus Josephus de Novaes edito Romæ apud Casalettum libro, cui titulus: *Il sacro rito antico, e moderno della elezione; coronazione, e solenne possesso del Sommo Pontefice*, in-8°.

Digitized by Google

illis ipsissimis temporibus florentem, auct. famiger, ac testem oculatum, utpote Romæ degentem, qui in *Pontificali*, seu in *Vitis Pontificum*, in Vita Benedicti III, ita scriptum reliquit: « Leo quidem, ubi hac luce subtractus Præsul occubuit, mox omnis clerus istius Romanæ protectæ Sedis, universique proceres cunctusque senatus ac populus congregati sunt, Domini clementiam exorantes ut beatificum illis omnibus demonstrare dignaretur Pastorem, qui culmen Apostolatus regere valuisset tranquille. Divinitus igitur æthereo tunc lumine inflammati, uno consensu, unoque conamine Benedictum, pro tantis, quibus pollebat, sacris operibus, Pontificem promulgaverunt eligere (173). » Et quod magis est, idem scriptor de schismate in ejusdem Benedicti electione fuse loquitur, promoto ab Anastasio presbytero cardinali iniquitatibus celebri (hic nequaquam cum Anastasio Bibliothecario confundendus), qui Apostolicam Sedem impium quidem in modum invadere conatus est; sed frustra : quippe cum omnes episcopi in Urbe astantes, nec non clerus ac populus hujusmodi pseudopapæ obstitissent. Quid plura, lector?

Id ipsum plane constat ex Hincmaro archiep. Remensi, viro undique insigni, qui sub memorat. Leone IV, Bened. III, et aliis seqq. Pontific. Nicol. I, Hadriano II, etc., inter vivos versabatur. Namque in epistola 26 hæc habet: « Missos meos cum litteris Romam direxi. Quibus in via nuntius venit de obitu Papæ Leonis. Pervenientes autem Romam cum præfatis litteris.... Domnus nomine, et gratia Benedictus, mihi, quod nostis, privilegium direxit. » Quod si nuntii istiusmodi per viam de obitu Leonis certiores facti, Romam pervenientes, novum Pontificem, Benedict. nempe, jam electum invenerunt, luce meridiana clarius patet, hunc postremum immediate antedicto Leoni successisse.

Amplius Photius, Ecclesiæ Romanæ hostis infensissimus, quique patriarchatum Constantinopolitanum sub Nicolao I, Benedicti III, immediato successore invasit, post Leonem IV eumdem Benedictum in Apostolica Cathedra consedisse disertissimis verbis ostendit, in l. 1 De *Spiritus sancti process. adversus Latinos*, hoc sane pacto. « Heri... nobilis.... ille Leo.... Inclytus Benedictus post eum in archieratico throno successor. » Insuper metrophanes Smirnæus Phot. coævus, pariterque in Romanam Sedem animi hostilis, in lib. *De Spiritus sancti divinitate*, Pontificum sui temporis catalogum pertexens, Benedictum immediatum Leonis successorem ponit, postque eum, Nicolaum I, Hadrianum II, Joannem VIII ordinatim commemorat.

Deinde, si Romana sedes feminæ Pontificatu dedecorata fuisset, Græcis non exprobrasset tanta confidentia Leo IX Pontif. Max. feminam in sed. Constantinopolit. irrepsisse; aut certe ipsi istud opprobrium in Romanam Sedem retorsissent. Lubet afferre verba Leonis in epistola ad Michaelem Cerularium patriarcham Constantinopolitan. « absit, autem, sic ille, ut velimus credere, quod publica fama non dubitat asserere, Constantinopolitanæ Ecclesiæ contigisse, ut.... feminam in Sede Pontificum suorum sublimasset aliquando. Hoc tam abominabile scelus, detestabileque facinus, etsi enormitas ipsius, vel horror, fraternaque benevolentia non permittit credere : considerata tamen incuria vestra erga sanctorum censuram canonum, quia eunuchos, et aliqua parte corporis imminutos, non solum ad clericatum, seu ad pontificatum etiam indifferenter, et solemniter adhuc promovetis, fieri potuisse pensamus. » Quis, inquam, sibi

(173) In quibusdam Anastasii codicibus per maximam impudentiam, et contra fidem vetustorum omnium exemplarium ejusdem auctoris, assuta legitur fabula de papissa Joanna, per hæc sane verba. « Post hunc Leonem, Joannes Anglicus, natione Moguntinus sedit annis duobus, mense uno, diebus quatuor, et mortuus Romæ, et cessavit episcopatus mense uno. Hic, ut asseritur, femina fuit, et in puellari ætate a quodam suo Amasio habitu virili Athenas ducta, sic in diversis scientiis profecit, ut nullus sibi par inveniretur, adeo ut post, Romæ legens magnos magistros, et auditores haberet; et cum in Urbe vita, et scientia magnæ opinionis esset, in Papam concorditer eligitur : sed in Papatu per suum familiarem imprægnatur. Verum tempus partus ignorans, cum de Sancto Petro in Lateranum tenderet, angustiata inter Colisæum et S. Clementis ecclesiam, peperit, et post mortua, ibidem, ut dicitur, sepulta fuit. Et quia Dominus Papa, cum vadit ad Lateranum, eamdem viam semper obliquat, creditur a nonnullis, quod ob detestationem facti hoc faciat; nec ponitur in catalogo Pontific. propter muliebris sexus deformitatem quantum ad hoc. » Verum hanc narrationem falsissimam esse, et nequaquam Anastasio tribuendam, ex eo luculentissime evincitur, quod in omnibus ejusdem vetustissimis codicibus omnino deest, in quibus insuper ea traduntur, quæ de Benedicti electione, deque schismate tunc exorto, hic supra ad verbum retulimus. Deinde verba in hujusmodi narratione inserta, *creditur*, *asseritur*, *dicitur*, aperte indicant, scriptorem minime illis temporibus, sed longe post hujusmodi somniatam papiss. vixisse. Quis enim sibi persuadeat Anastasium, eo ipso tempore Romæ degentem, proindeque tam clamorosæ rei gestæ testem oculatum, phrases, et conceptus dubios vel tanquam de facto obscuræ traditionis, contra quod ipse vidisset oculis suis, adhibuisse; rerumque, quæ tunc agerentur scipso teste historiam, velut incerto rumore ad se perlatam litteris consignasse? Amplius ibi refertur, femin. hanc Athenis diversas scientias fuisse edoctam; quod evidentius fabulatoris ignorantiam ostendit. Siquidem tunc temporis nulli Athenis studiorum universitas exstabat, quippe a Justiniano a tribus circiter sæculis penitus sublata, atque exstincta. Neque hocce Justiniani factum Anastasium Bibliothecarium latere poterat, qui loca imperii Orientis, ac ipsam Constantinopolim callebat, ibique aliquantisper moratus fuit, cum scilicet synodus octava œcumenica haberetur an. 869. Quæ omnia clarissime probant, narrationem memoratæ papissæ ab impostore, quisquis fuerit, rerum ac temporum imperito confictam ac per vetitum nefas in dicti Anastasii exemplaribus intrusam, ac substitutam genuinæ historiæ electionis Summi Pontificis Benedicti III a nobis allatæ, prout in omnibus vetustissimis codicibus, nullo discrepante, invenitur.

Digitized by Google

persuasum velit, hunc Pontificem tanta dignitate, et animo Græcos sic increpandos suscepisse, si, vel etiam incerta fama, narratio de papissa Joanna vulgata fuisset? Quid hisce testimoniis, atque inductionibus ad rem, de qua agimus, demonstrandam optari potest illustrius?

Frustra vero testimonia Mariani Scoti Martini Poloni, Sigeberti in *Chronico* ad an. 854, S. Antonini Florentini archiepiscopi *Chronicorum*, p. 11, tit. 16, cap. 1, § 6, ac demum Platinæ in lib. *De vitis Pontificum*, ad papissæ figmentum firmandum quis objiciet. Enimvero cum de auctoribus quam longe posterioribus, uti sunt hi nunc recensiti, agatur, nequaquam hosce gravissimorum, ac coævorum script. supra aliatorum auctoritatem, fidemque infirmare potis esse, ex omnibus artis criticæ legibus compertissimum est, ex quibus utique constat scriptores illos in re historica præponendas, qui coævi vel propinquiores eventis fuere, nullamque sui suspicionem, sive quoad factorum notitiam, sive quoad probitatem reliquerunt.

Et revera Marianus Scotus annis centum septuaginta tribus post Benedicti III exaltationem natus est : Sigebertus an. 1112 superis concessit, adeoque ducentis quinquaginta et amplius annis post epocam Benedicti III Martinus Polonus tempore Nicolai III qui an. 1277 Pontifex creatus fuit, inter vivos egit, cujusque fuit pœnitentiarius, proindeque quatuor circiter sæculis ab æra, de qua sermo est, S. Antoninus, et Platina sæculo XV exordiente, ac procedente floruerunt. Quæ cum ita sunt, quis sanæ mentis his scriptoribus recentioribus illos veteres, et coævos posthabendos putet? Undenam, quæso, ejusmodi moderniores historiam papissæ mutuati sunt?

Præterea in sinceris, et vetustioribus Mariani Scoti codicibus fabella ista nusquam invenitur; ut propterea colligas licet aliena manu intrusam fuisse.

Quod attinet ad testimonium Sigeberti, utique negamus laciniam de papissa in ipsius *Chronico* exstare, cum nequaquam inveniatur in ejus autographo in cœnobio Gemblacensi asservatum, quodque a Miræo editum fuit.

Ad alterum testimonium, quod est Martini Poloni, haud dubitanter affirmamus, Chronicon ipsius fuisse interpolatum, fabulamque, de qua agimus, in codice ms. Vaticanæ Bibliothecæ omnium antiquissimo, et integerrimo desiderari, ut Leo allatius testatur.

Quoad vero auctoritatem S. Antonini, notandum, sanctissimum præsulem non nisi dubitanter, vel potius tanquam de re falsa locutum esse; siquidem *loc. supr. cit.* scribit : « si verum fuit quod vulgo dicitur... Et quoddam signum sculpturæ marmoreæ (de quo infra*) in via, ubi hoc contingit, ob hujus rei memoriam positum dicitur. Vincentius tamen (Bellovacensis), et Joannes de Columna nihil de hoc referunt. Sed etsi fuit verum, nulli tamen ex hoc salutis præjudicium : quia nec Ecclesia tunc fuit sine capite, qui est Christus... » Quod si S. Antoninus ex falsis et apocryphis monumentis revera fuisset deceptus, ejus testimonium (agitur de scriptore sæculi XV) nihil ponderis profecto, salva erga tant. vir. reverentia, dictæ fabellæ conciliaret.

Idem dicimus de Platina, qui cæterum, ut in Pontific. plerosque parum æquus, satis aperte significavit, fabularum numero historiam de papissa esse habendam; en ejus verba in *Vitis* (ut supra) *R. Pontificum*, in Pap. Joan. VIII. « Hæc quæ dixi, vulgo circumferuntur, incertis tamen et obscuris auctoribus... *Erremus etiam nos hac in re cum vulgo.* »

Quod vero de sede perforata, tanquam ad explorandum sexum, ab inimicis Romanæ Ecclesiæ vel ab imperitis vulgatum est, id fabulosum omnino esse et ipse Platina testatur, qui et amplius ait Pontificem in sede illa perforata collocari, ut se hominem esse, et necessitatibus naturæ obnoxium meminerit; ex quo insuper sedes illa stercoraria dicta est; sic apud Platinam.

Verum quidquid sit de hujusmodi Platinæ testimonio, illud utique exploratum est, de illa sede, ut et aliis duabus ante capellam S. Silvestri quondam positis, primam mentionem occurrere apud *Concium*, uno sæculo ante natam fabulam de papissa Joanna. Hinc magis, magisque corruit exinde petitum argumentum.

Tandem quoad statuam marmoream mulierem nempe adumbrantem cum infante, atque ad ipsam viam positam, qua papissa enixa erat, quæque tractu temporis inde sublata fuit, præstat adnotare statuam ejusmodi nec mulieris speciem præ se tulisse, nec infantem recens natum, pannisque involutum, vel inter matris ubera positum, sed puerum grandiorem qui præire videbatur. Quocirca simulacrum illud quid diversum omnino significasse planum est. Qui enim concipi potest, ut hocce Apostolicæ Sedis opprobrium Romani Pontifices æquo animo tulissent, simulacro publico in loco posito expressum?

Quod vero senis in templo majori statua papissæ aliquando extiterit, nihil quemquam movere debet, si ad supra memorata falsa monumenta attendat, quibus sculptor deceptus statuam istiusmodi effingendam ratus fuit.

Sed si quæras unde fabula de papissa Joanna orta sit, rationem reddere Baronius visus est, in persona scilicet Sum. Pontif. Joannis VIII Photium in Roman. Eccl. communionem suscipientis, atque in patriarchatum Constantinop. restituentis; « qui (Pontifex) ob nimiam animi facilitatem et mollitudinem, abjecta penitus omni virilitate, fractus animo, sacerdotalis constantiæ expers, atque robore enervatus, non Papa, ut Nicolaus et Hadrianus, sed papissa fuerit contumeliæ loco dictus, utpote quod qui nec resistere sciret eunucho, quique vinceretur a semiviro, non vir,

Digitized by Google

sed femina esset potius nuncupandus. » Verba sunt Baronii, *ad an.* 879, n. 5 (174).

ARTICULUS VII.

Quoad ea quæ concernunt papæ dignitatem, auctoritatem, seu potestatem, et infallibilitatem.

SUMMARIUM.

1. Papa tantæ est dignitatis et celsitudininis, ut non sit simplex homo, sed quasi Deus, et Dei vicarius. — 2. Papa adeo summæ et supremæ dignitatis est, ut proprie loquendo non sit in dignitate constitutus, sed potius in ipso culmine dignitatum positus. — 3. Papa idem est ac Pater patrum. — 4. Et hoc nomine uti potest solus Summus Pontifex. — 5. Papa appellatur Sanctissimus, et quare? — 6. Neque sanctissimi appellari possunt imperatores et reges? — 7. Merito solus Papa appellatur nomine Sanctissimi, et quare? — 8. Papa præ excellentia suæ supremæ dignitatis vocatur episcopus episcoporum. — 9. Item appellatur Ordinarius ordinariorum. — 10. Item episcopus universalis Ecclesiæ. — 11. Item episcopus seu diœcesanus totius orbis. — 12. Item divinus monarcha, ac imperator supremus et rex regum. — 13. Hinc Papa triplici corona coronatur tanquam rex cœli, terræ et infernorum — 14. Imo Romani Pontificis excellentia, et potestas, nedum est circa cœlestia, terrestria et infernalia, sed etiam super angelos, quorum ipse major est. — 15. Ita ut si foret possibile, quod angeli errarent in fide, vel contra fidem sentirent, per Papam judicari et excommunicari possent. — 16. Papa tantæ est dignitatis et potestatis, ut faciat unum, et idem tribunal cum Christo. — 17. Adeo ut quidquid facit Papa, ab ore Dei videatur procedere. — 18. Deveniendo ad Papæ auctoritatem, Papa est quasi Deus in terra unicus Christifidelium princeps, regum omnium rex maximus, plenitudinem potestatis continens, cui terreni simul, ac cœlestis imperii gubernacula ab omnipotenti Deo credita sunt. — 19. Congruunt ulterius quoad Papæ summam auctoritatem et potestatem textus juris Cæsarei. — 20 Non minus summam Papæ auctoritatem, et potestatem extollunt rescripta et dogmata virorum aliorum Imperatorum. — 21. Magis magisque supremam Papæ auctoritatem, potestatemque extollunt plurimi sacri canones et ibi canonistæ communiter. — 22. Egregium dictum S. Cyrilli Alexandrini de admirabili auctoritate, seu potestate Summi Pontificis. — 23. Hinc jam communis opinio docet, quod Papa utrisque gladii habeat potestatem, spiritualem, scilicet, et temporalem. — 24. Quæ opinio auctoritate sanctorum Patrum, juris canonici et civilis dispositione, et Apostolicis constitutionibus latissime confirmatur. — 25. Adeo ut contrarium affirmantes videantur adhærere fere illi opinioni hæreticorum reprobatæ per Bonifacium VIII in extravagant. *Unam Sanctam* 1, De obedient. — 26. Unde principes et reges, infideles possunt per sententiam Papæ privari in certis casibus Dominio, quod habent super fideles. — 27. Et inde Papa provincias, quæ olim Christianorum erant, ab infidelibus occupatas, alicui ex principibus Christianis regendas concedit. — 28. Imo Papa in casibus, quibus propter hæresim regis, videat periclitari religionem illius regni, fidemque aliorum, nec aliter tanto damno succurri possit, tunc potest non solum a rege regnum, sed etiam ab ejus successoribus, si illud debellaverit, concedere — 29. Afferuntur ad id varia exempla. — 30. Papa tantæ est auctoritatis et potestatis, ut possit quoque leges divinas modificare, declarare, vel interpretari, ad num. 31. — 32. Papa id potest de se solo etiam sine generali concilio. Est enim Papa supra concilium generale, et non e contra. — 33. Quanto vero Papa major, et excellentior est omnibus, tanto humiliorem se reputat, et nominat, ac se vocat Servum servorum Dei. — 34. Papa quare se vocet Servum servorum Dei? — 35. Quis fuerit primus Pontifex qui se Servus servorum Dei nominavit? — 36. Papa potest cedere et renuntiare Papatui. — 37. Talis renuntiatio fieri debet apud Collegium cardinalium. — 38. Quantum ad Papæ infallibilitatem, potest Papa considerari dupliciter: primo, quo ad se, ut persona privata, privatusque doctor; secundo, quo ad alios, ut persona publica, et magister universalis Ecclesiæ, eam ex cathedra docens, proponendo quid credendum, quidve agendum sit. — 39. Loqui ex cathedra quid sit? — 40. Loqui ex cathedra non arctatur præcise ad ea, quæ Papa proponit ut a Deo revelata, et a nobis credenda fide theologica, sed insuper extenditur ad cætera quæ proponit seu tenenda, seu servanda. — 41. Decreta, quæ edit Papa ex cathedra circa doctrinam fidei et morum, sunt infallibilia. — 42. Affertur probatio primæ partis conclusionis, scilicet, quod infallibilia sint decreta Papæ circa doctrinam fidei. — 43. Adducitur et solvitur instantia. — 44. Adducitur et solvitur alia instantia, ad num. 45. — 46. Affertur probatio secundæ partis conclusionis, scilicet quod infallibilia sint decreta Papæ circa doctrinam morum. — 47. Adducitur objectio contra conclusionem. — 48. Adducitur responsio et solutio dictæ objectionis. — 49. Papa errare non potest in canonizatione sanctorum. — 50. Affertur probatio, quod id sit de fide. — 51. Adducitur et solvitur objectio. — 52. Adducitur et solvitur alia objectio. — 53. Papa secundum multos licet errare non possit, et infallibilis sit in beatificatione beatorum infallibilitate morali, et infra fidem, non tamen infallibilitate fidei. — 54. Affertur ratio hujus sententiæ. — 55. Papa secundum multos alios est absolute infallibilis infallibilitate fidei, non solum in canoniz. sed etiam in beatificatione. — 56. Affertur ratio istius sententiæ. — 57. Adducitur responsio ad rationes prioris sententiæ. — 58. Pontifex errare non potest in approbatione religionum. — 59. Affertur ratio. — 60. Adducitur et solvitur objectio. — 61. Adducitur et solvitur instantia. — 62. Papa probabilius etiam ut persona privata non potest in hæresim incidere et in fide deficere. — 63. Affertur ratio. — 64. Ex Romanis Pontificibus nemo unquam repertus fuit qui in hæresim vel apostasiam fuerit prolapsus. — 65. Adducitur et solvitur objectio. — 66. Adducitur et solvitur alia objectio. — 67. De fide est Benedictum XIV v. g. legitime electum, et talem ab Ecclesia acceptatum, esse verum Papam. — 68. Affertur probatio ex concilio Constantiensi sub Martino V et ex constitutione Leonis X damnantis hæresim Lutheri. — 69. Affertur probatio ex ratione. — 70. Adducitur et solvitur objectio. — 71. Adducitur et solvitur alia objectio. — 72. Primatus Ecclesiæ universalis, seu Papatus est annexus Romano episcopatui de jure divino. — 73. Affertur probatio ex sacris canonibus et conciliis. — 74. Adducitur et solvitur objectio ad num. 75. — 76. Adducitur et solvitur instantia. — 77. Adducitur et solvitur alia instantia concludendo, quod primatus Ecclesiæ nequeat a Romano episcopatu ulla humana potestate separari, ad num. 78. — 79. Quamvis aliqui Pontifices Avenione manserint, semper tamen episcopatum Romanum tenuerunt, et Romani Pontifices fuerunt appellati. — 80. Ubi Papa ibi Roma. — 81. Papa etiamsi salutet excommunicatum, aut ipse scienter participet quovis modo, non idcirco censetur eum absolvere, nisi expresse se declaret id velle. — 82. Alia ad rem ad num. 88.

(174) Non desunt tamen, qui Joann. Papam a culpa liberandum esse censent, ex eo quod restitutio Photii ex necessitate exorta, et imperatoris, omniumque patriarcharum Orientis consensu probata fuit. Ita cum de Marca sentit P. Phil. Angelicus Becchetti in sua *Hist. eccles.*, tom. VI, lib. LVII, § 98.

Digitized by Google

(1. Papa tantæ est dignitatis et celsitudinis, ut non sit simplex homo, sed quasi Deus et vicarius Dei; c. *Ita Dominus* 7, dist. 19, ibi: « Hunc enim in consortium individuæ unitatis assumptum, id, quod ipse erat Dominus, voluit nominari, dicendo, *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam;* » et ibi explicat *Glossa*: « Id, quod ipse erat, scilicet petra. voluit eum vocari Petrum; » et concordat textus in cap. *In novo* 2, dist. 21, et c. *Fundamenta ejus* 17, De election., in 6, annotat. 1, ad decis. 2, n. 2, par. in *Rot. recent.* (2. Unde Papa adeo summæ et supremæ dignitatis est, ut proprie loquendo non sit in dignitate constitutus, sed potius in ipso culmine dignitatum positus, ut observat card. Zabarell. in Clement. 1, in 5, notabil. *De renuntiat.*, et cit. annotat. 2 ad decis. 2, n. 2, part. in *Rot. recentior.*

(3. Hinc Papa idem est ac Pater patrum, ut notat *Gloss.* communiter recepta in *Proœmio Clement.*, verb. *Papa.* (4. Et hoc nomine (175) uti potest solus summus Pontifex, ut maxima ratione, teste card. Petra, tom. I *Comment. ad constit.* 1 *divi Leonis*, n. 8, fuit statutum a Gregorio VII anno 1063, VII Kalend. Maii *in Synodo Romana*, quia vere solus ipse dici potest Pater Patrum, cum contineat primatum omnium, omnibusque sit vere major, omniumque maximus; cap. *Solitæ* 6, De majorit. et obedient., ibi: « Fecit Deus duo magna luminaria in firmamento cœli; luminare majus, ut præesset diei, et luminare minus, ut præesset nocti, utrumque magnum, sed alterum majus. Ad firmamentum igitur cœli, hoc est universalis Ecclesiæ, fecit Deus duo magna luminaria, id est duas instituit dignitates, quæ sunt Pontificalis auctoritas et regalis potestas, sed illa quæ præest diebus, id est spiritualibus, major est; quæ vero carnalibus, minor, ut quanta est inter solem et lunam, tanta inter Pontifices et reges differentia cognoscatur (176). » (5. Papa Sanctissimus appellatur, quia talis vere præsumitur; cap. *Non nos* 2, dist. 40, ibi: « Quis enim sanctum dubitet esse, quem apex tantæ dignitatis attollit? In quo, si desint bona acquisita per meritum, sufficiunt quæ a loci prædecessore præstantur; aut enim claros ad hæc fastigia erigit, aut qui eriguntur, illustrat ». 6. Neque sanctissimi appellari possunt imperatores et reges, quamvis enim in legibus civilibus videatur aliquando usurpatum ab imperatoribus nomen sacratissimi, ut observat card. Petra, tom. I *Commentar. ad const.* 1 *divi Leonis Magni*, n. 9, 7. Et merito solus Papa appellatur nomine Sanctissimi, quia solus ipse est vicarius Christi, qui est fons et origo, atque plenitudo omnis sanctitatis, cap. *Inter corporalia* 2, cap. *Quanto* 3, cap. *Licet* 4, de translatione episcopi, cum similibus.

(8. Papa præ excellentia suæ supremæ dignitatis vocatur Episcopus episcoporum, cap. *Novatianus* 6, caus. 7, qu. 1, cap. *Loquitur* 18, caus. 24, q. 1. (9. Item appellatur Ordinarius ordinariorum, c. *Cuncta per mundum* 17, c. *Per principalem* 21, caus. 9, q. 3. (10. Item Episcopus universalis Ecclesiæ, prout definit Pelagius II, constit. incip. *manifesto.* Item Episcopus seu Diœcesanus totius orbis, c. *Ad honorem* 4, De auctoritate et usu pallii, *Glossa*, verb. *Privata*, in c. *Felicis*, § final. *De pœnis*, in 6. —(12. Item divinus monarcha ac imperator supremus, et rex regum; adnotat secundæ partis ad decis. 2 *Rotæ recentior.*, n. 7.

(13. Hinc Papa triplici corona coronatur, tanquam Rex cœli et terræ et infernorum; adnotat. 1 ad decis, 2, part. in *Rotæ recentior.*, § 45, num. 61

NOTA ROMANI THEOLOGI.

De triplici Papæ corona Nicolaus Alemannus de Lateranensibus parietinis cap. 13, p. 48, tom. VIII, part. VI *Thesauri antiquit. et historiarum Italiæ*, ita scribit. « Tiaram triplicis coronamenti ex Pontificibus primus gestavit ante annos non amplius ducentos quinquaginta Urbanus V duplicis vero Bonifacius VIII. Nam superiorum Pontificum tiaras in vetustis imaginibus ac monumentis unius coronamenti, et Romæ cernimus, et Sugerius describit: Capiti ejus (Innocentii VI) phrygium ornamentum imperiale instar galeæ circulo aureo concinnatum imponunt. » Circa ea quæ de triplici Papæ regno, deque potestate in sanctos angelos, quorum ipse sit major, auctor recenset, consulendi sunt theologi. Quæ enim ex jurisconsultis ipse refert, eruditis theologis suspecta, et quandoque etiam ridicula habentur. Capiti enim, ac visibili Ecclesiæ principi, non alii sane quam visibiles subditi, fideles scilicet homines designari videntur, atque in hoc tantum solvendi, ligandique potestatem exercet, eos scilicet regendo, absolvendo vel per

(175) De Papæ nomine, ejusque origine atque etymo confer doctissimum P. Sollerium in *Patriarcharum Alexandrinorum historia chronologica*, a n. 136, in *Actis sanctorum* Bollandianis.

(176) Commune tamen id nomen olim episcopis fuit, ut ex pluribus exemplis, quæ congessere Savaro ad Sidonii lib. VI, ep. 1; Joannes Georgius Walchius, *De episcopo patre spirituali*, § 7, et cl. Mamachius, *Orig.*, etc., *antiquit. Christian.* t. IV, p. 297 seq. Ennodius tamen, ut magnus Sirmundus notavit ad ejusdem Sidonii epistolam primam lib. IV, Papæ nomen uni Romano Pontifici, tanquam proprium, et peculiare primus, ut videtur, asseruit. Nam cum episcopos omnes Papas cæteri fere, qui ejus ævo proximi fuerunt, appellare soleant, ut Sidonius, Faustus, Ruricius, ipse perpetuo discrimine antistites reliquarum Ecclesiarum episcopos vocat, Papam solum Romanæ Sedis Pontificem, sive cum illi scribit, ut Symmacho Papæ, et domno Papæ, sive cum de illo apud alios agit, ut lib. III, ep. 10, lib. VI, ep. 53, et passim. Pari post Ennodium discrimine ejus vocis usurpatione usus est Cassiodorus, qui cum Bonifacium, Agapetum, et Joannem Romanæ Sedis episcopos Papas nominat, Eustorgium, et Datium Mediolanenses, et alios aliarum civitatum præsules, non aliter quam episcopos nominat. Confer etiam Zachariam in *Historia litteraria Italiæ*, t. VI, p. 503.

Digitized by Google

censuras ligando dum vivunt, et per Indulgentias juvando vita functos.

RESPONSIO AUCTORIS.

Mirandum, quod theologus noster sic parvipendat jurisconsultos; ut quæ ipsi tradiderint, eruditis theologis suspecta, et quandoque etiam ridicula haberi pronuntiet! Nonne classici jurisconsulti sunt etiam sæpe eruditi theologi? Talis certe fuit celeberrimus Paulus Ruheus, qui in cit. adnotat. ad decis. 2, part. III *Recentior. Sac. R. Rotæ* innumeros allegat pro suis conclusionibus theologos, ac in multis etiam SS. Patres. Et si talis non fuisset, sacrum illud supremum tribunal nequaquam permisisset quod suis decisionibus adnecterentur Rubei eruditissimæ adnotationes. Legant itaque eruditi omnes dictas sapientissimi jurisconsulti adnotationes ad decis. 2, part. III *Sac. Rom. Rotæ recentior.*, et judicium ferant.

(14. Imo Romani Pontificis excellentia et potestas, nedum est circa cœlestia, terrestria, et infernalia, sed etiam super angelos, quorum ipse major est. cit. adnotat. 1, ad decis. 2, part. III *Rotæ Romanæ recent.* § 5, n. 24. (15. Ita ut, si foret possibile, quod angeli errarent in fide, vel contra fidem sentirent, per Papam judicari, et excommunicari possent. cit. adnotat. 1 ad decis. 2 *Rotæ Romanæ recent.*, § 5, num. 24. Hinc in materiis fidei ad eum, tanquam ad solem intendere debemus. Ita in cit. *S. Rot. Rom. in Compend. redact.*, § 3, in secund. adnot. ad decis. 2, § 5., num. 32.

(16. Tantæ enim est dignitatis et potestatis, ut faciat unum, et idem tribunal cum Christo, ut per textum in c. *Quanto* 3, De translatione episcopi, tenent passim doctores adducti in cit. adnot. 1, n. 68, ad decis. 2, p. III. (17. *Rotæ recent.* Adeo ut quidquid facit Papa, ab ore Dei videatur procedere, ut post plurimos doctores, ratiocinatur Rota *in Foro Sempronien. et Eugubina, seu Nullius, Emphyteusis* 16 Junii 1636, coram Coccino, § *Hinc inferendo*, vers. *Ita ut, quod fit a Papa, ab ore Dei videtur procedere;* cit. adnotat. 1 ad decis. 2, § 5, n. 31, part. III *Rotæ recent.*

(18. Deveniendo igitur ad Papæ auctoritatem; Papa est quasi Deus in terra, unicus Christifidelium princeps, regum omnium rex maximus, plenitudinem potestatis continens, cui terreni simul ac cœlestis imperii gubernacula ab omnipotenti Deo credita sunt, prout clare habetur in cap. *Omnes* 1, dist. 22, ibi : « Qui (scilicet Christus) æternæ vitæ clavigero terreni simul, et cœlestis imperii jura commisit; et in extravagant. Joannis XXII, cap. *Si fratrum unic.* Ne sede vacante, aliquid innovetur, et in alia celebri extravagant. Bonifacii VIII, cap. *Unam sanctam catholicam*, De majorit. et obed., inter communes.

(19. Congruunt ulterius quo ad Papæ summam auctoritatem, et potestatem textus Juris Cæsarei, nempe in l. *Reddentes honorem*, cod. *De summa Trinitate et fide catholica;* l. *Bene a Zenone*, cod. *De quadriennii præscriptione;* l. *Omnes dies*, cod. *De feriis., et authent. Demonachis*, § *Si vero relinquens; authentic. De ecclesiast. titul.*, § 1, collat. 9, cum similibus.

(20. Non minus summam Papæ auctoritatem et potestatem extollunt rescripta, et dogmata variorum aliorum imperatorum, nempe Valentiniani, Othonis, Caroli Magni, Constantini etc., quæ ex eorum constitutionibus refert Gratianus in c. *In memoriam* 3, dist. 19, ibi : « Per legatos Apostolicam interpellet sublimitatem, ut potissimum sua sancta legatione dignetur decernere. etc.; » et in summario expresse dicitur : « Tolerandum est jugum, quod a sancta sede imponitur, licet intolerabile videatur, c. *Valentinianus* 3, dist. 36, ibi : « Nos, qui gubernamus imperium, Pontificibus sincere capita nostra submittimus; cap. *Tibi domino Joanni Papæ* 33, eod. dist. 63, ibi : « Sanctam Romanam Ecclesiam, et te rectorem ipsius exaltabo; cap. *Constantinus* 14, dist. 96, ibi. Ut sicut Beatus Petrus in terris vicarius Filii Dei fuit constitutus, ita et Pontifices ejus successores in terris principatus potestatem amplius, quam terrenæ imperialis nostræ serenitatis mansuetudo habere videtur ».

(21. Magis, magisque supremam Papæ auctoritatem potestatemque extollunt plurimi sacri canones, et ibi canonistæ communiter et signanter in c. *Cleros* 1, cap. *In novo* 2, et c. *Quamvis universæ* 3, dist. 21, cap. *Non nos* 1, et cap. *Si papa* 6, dist. 40, c. *Si inimicus* 1, dist. 94, cap. *In scripturis* 8, cap. *Qui dubitet* 9; cap. *Duo sunt* 10, et cap. *Si Imperator* 11, dist. 96; cap. *Auctoritatem* 2; cap. *Alius* 3; cap. *Nos sanctorum* 4; cap. *Juratos* 5, caus. 15, q. 6; cap. *Si quis suadente* 29, caus. 17, q. 4; cap. *Venerabilem* 34, De election., cap. *Solita* 6, De majorit. et obed., cap. *Quanto* 3, et cap. *Licet in tantum* 4, De translation. episc., cap. *Cum ex eo* 14, De pœnit. et remission., cap. *Novit* 13, De judiciis; cap. *Per venerabilem* 13, *Qui filii sint legitimi*, cap. *Significasti.* 4, et cap. *Licet.* 6, De electione; c. *Licet.* 20, De foro competent.; cap. *Fundamenta* 17, De election., in 6; cap. *Ad Apostolicæ dignitatis* 1, De sentent. et re judicata, in 6; cap. *Periculoso*, unic., De statu regul., in 6; Clementin. *Dudum* 1, De judiciis; Clementin. *Romani Principes* unic., De jurejurando, cum aliis infinitis similibus.

(22. Unde ad hanc mirabilem auctoritatem, seu potestatem Summi Pontificis reflectendo S. Cyrillus Alexandrinus in *Libro thesaurorum* admirabundus sic altissime de eo loquitur : « Filius Dei, quemadmodum ipse a Patre accepit Ecclesiæ, et gentium sceptrum et potestatem super omnem principatum, et super omne quodcunque est, ut ei genua cuncta curventur, ita eamdem amplissimam potestatem Petro et ejus successoribus plenissime commisit. »

(23. Hinc jam communis docet opinio, quod Papa utriusque gladii habeat potestatem, spiritualem scilicet et temporalem, quam jurisdictionem, et potestatem Christus ipse commisit Petro, et ejus successo-

Digitized by Google

ribus, *Matth.* XVI, 19. dicens: *Tibi dabo claves regni cœlorum, et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis, et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis.* Ubi notant doctores quod non dixit *clavem*, sed *claves*, per hoc comprehendens temporalem ac spiritualem potestatem. Annotat. ad decis. 2 partis tertiæ *Rotæ recent*, § 2, numer. 6. (24. Quæ opinio auctoritate sanctorum Patrum, juris canonici et civilis dispositione, ac apostolicis constitutionibus latissime confirmatur, c. adnotat. et § 2, n. 1 et seq. (25. Adeo ut contrarium affirmantes videantur adhærere fere illi opinioni hæreticorum reprobatæ per Bonifacium VIII in extravagant. *Unam sanctam* 1, De majoritat. et obedien., cit annotat., § 4, num 9. et seq. Et concordant Extravagant. Joannis XXII, cap. *Si Fratrum* unic., Ne Sede vacante aliquid innovetur, et constitut. Gregorii IX incip. *Cum juxta testimonium veritatis;* cum aliis similibus.

(26. Unde principes et reges infideles possunt per sententiam Papæ privari in certis casibus dominio quod habent super fideles, ut si terras Christianorum vi occupaverint, vel subditos fideles a fide avertere satagant, et hujusmodi, ut satis aperte demonstrant card. Bellarm. in *Apolog. contra regem Angliæ c.* 4; Suarez, in *Defensione fidei catholic. contra eumdem regem Angliæ* lib. III cap. 23, Barbosa, in cap. *Si Papa*, 6, dist 40, et in cap. *Venerabilem*, De elect. et electi potestate, et in Clement. unic. *De jurejurando;* Gonzalez; in cap. *Venerabilem*, De election.; card. Petra, t. I *Commentar. ad constitut. unic. Gregorii VII*, a num. 33 et seq. et alii passim. Cum primis vero inter recentiores thologos viri clarissimi P. Bianchi *Della potesta e della polizia della chiesa*, t. I, lib. I, et P. Mamachius, *Origin. et antiquit. Christianar.*, pag. 181 seqq.

(27. Et inde Papa provincias, quæ olim Christianorum erant, ab infidelibus occupatas alicui ex principibus Christianis emendas concedit, ut inquit Bartolus, in l. *Liber homo*, ff. *De verbor. obligat.*, et in l. final., ff. *De actionib. empti*, et in l. *Is qui apud hostes*, ubi Jason ff. *De legatis* 1; Bald., in l. 1, cod. *De emanc. filior.*, et in l. 1, cod *De paganis;* Barbosa, in *Collectan. juris canon.*, in c. *Vergentis*, De hæreticis, et plurimi alii dicentes, regem effectum hæreticum posse per Papam amoveri a regno, et ad eum spectare jus eligendi, si ejus filii, et propinquiores sint quoque hæretici. Adnotat. ad decis. 2, p. III *Rotæ recent.*, § 30, n. 5.

(28. Imo Papa in casibus, quibus propter hæresim regis videat periclitari religionem illius regni fidemque aliorum, nec aliter tanto damno succurri possit, tunc potest non solum a rege regnum, sed etiam ab ejus successoribus in totum auferre, et principi Christiano, suisque successoribus, si illud rebellaverit, concedere. Molina in tract. *De primogenit. Hispaniar.*, lib IV, tit. 11, n. 37, vers. *Ex qua causa potest regnum Romanus Pontifex regi hæretico et ejus successoribus auferre;* Jacob. Menoch., in concil. 808. n. 65, vers. *Jure potest Summus Pontifex privare regno non solum regem*, etc., lib. IX, cit. adnotat ad decis. 2, p. III *Rotæ recentior.*, § 30, num. 5. Et de hoc exemplum habetur in Joanne rege Navarræ, qui a Julio II Pontifice damnatus fuit ob crimen schismatis; unde eum, ac successores regno privavit, omniaque ejus bona publicavit, et primo occupantibus ample concessit; donavitque in persona regum Hispaniarum catholicorum tunc viventium, eorumque successorum. Alvarez, in *Specul. Roman. Pontif.* c. 16; Ferdinand. Vasquez, *De successionib.*, part. II, lib. I, n. 155, adnotat. ad decis. 2, part. III *Rotæ recentior.*, § 45, n. 56.

(29. Unde nil mirum, si Romano Pontifici, tanquam vicario ejus, cujus est terra, et plenitudo ejus, orbis terrarum, et universi qui habitant in eo etc. non solum spirituali, sed etiam gladio materiali evaginato, attributa sit, justa suadente causa, plenissima auctoritas, atque potestas transferendi imperia, sceptra frangendi, coronas auferendi. Qua plenitudinis potestate, non semel, sed sæpius Romani Pontifices usi sunt toties, quoties opus fuit, accingendo gladium suum super femur suum potentissime, ut satis superque palam est, atque de hoc amplissimum testimonium faciunt tam theologi, quam juris Pontificii ac Cæsarei professores, atque innumeri inculpatæ fidei historici, tam profani, quam sacri, tam Græci, quam Latini, ut videre est in adnotat. ad decis. 2, part. III *Rotæ recentior.*, § 45, n. 53 et seq. et n. 57, ubi ad id referunt multa exempla, et signanter de Gregorio Papa II quia a celsitudine imperiali deposuit Leonem III Cæsarem; de Gregorio Papa VII qui deposuit Henricum IV imperatorem; de Alexandro Papa III qui deposuit Federicum I imperatorem; de Innocentio Papa II qui deposuit Othonem Cæsarem; de Innocentio Papa IV qui deposuit Fredericum II imperatorem; de Clemente Papa VI qui deposuit Ludovicum Bavarum. Et insuper. possunt adduci exempla diversorum regum aliorumque supremorum principum, quæ brevitatis gratia omittuntur, cum sint nota, et videri possint in caterva doctorum adducta in cit. annotat. ad decis. 2, part. III *Rotæ recentior.*, § 45, n. 53. *Vide* ad id jura supra adducta n. 21; card. Bellarm. t. I *Controv. de translation. imperii Romani* per tot., et *Depotest. Summi Pontificis in temporalibus* per tot.; card. Petram, tom. I *Commentar. ad constit. unic. Gregorii VII*, et t. II *Commentar. ad constit. 4 et 6 Innocentii III, et ad const. 1 Honorii III*, sect. 2, et t. III *Comment. ad const. 7 Alexandri IV.*

(30. Papa tantæ est auctoritatis et potestatis, ut possit quoque leges divinas modificare, declarare, vel interpretari; adnotat. ad decis. 2, par. III *Rotæ recentior.*, § 4, n. 24 et seqq., ubi plures adducuntur, refertque Surdus, decis. Manduan. 30, num. 27, vers. *Hinc dicimus, quod Papa potest contra legem divinam aliquando venire limitan-*

Digitized by Google

do, declarando, etc., et clarissime id asserit Petrus de Anchar. in consil. 373, n. 3, vers. *Papa jus divinum potest modificare, cum ejus potestas non sit ex homine, sed ex Deo, et in terris Dei vices fungitur cum amplissima potestate oves suas ligandi, et solvendi;* et sub. n. 7, subjungit, « quod ipse Deus Dominus, et Redemptor dicitur facere, quod facit ejus vicarius; dummodo non faciat contra fidem. » Covarr., lib. I *Variar. resol.*, cap. 17, n. 8, § *Henricus tandem*, vers. *Summi Prœsulis dispensatione*, post Abbat. et Felinum hanc esse communem opinionem testatur Scacc., in tract. *De judiciis*, lib. II, c. 9, n. 382, vers. *Papa potest interpretari, et ex causa limitare jus divinum*, ut tradunt communiter omnes; cit. adnotat. ad decis. 2, part. III *Rotæ recentior.*, § 4, n. 24. Et quoad hoc, *vide* etiam verb. DISPENSATIO, n. 20. (31. Et quod Papa ipse solus possit jus divinum declarare, et certitudinaliter interpretari, meminit Rota *in Gerunden.*, *Scribaniæ* 21 Maii 1628, coram clar. mem. Merlino, § *Causa semper præsumitur in gestis, vers. Papa, quippe est supra omne jus positivum imo declarat ex epicheia ipsum jus divinum*; cit. adnotat. ad decis. 2, part. III *Rotæ recent.*, § 4, n. 25. (32. Papa enim hoc potest etiam sine concilio generali; cum concilium generale non sit supra Papam, sed Papa sit supra generale concilium, ut abunde probatum est verb. CONCILIUM, art. 1, a n. 76. ad 86. *Vide ibi.*

(33. Quanto vero Papa major et excelsior est omnibus, tanto humiliorem se reputat et nominat ac se vocat Servum servorum Dei, ut patet in c, *Relatum* 37, in fine De sentent. excomm., et *Glossa* verb. *Servus*, in proem. sexti decret.; Flamin. Paris, *De resignat. benefic.*, lib. VIII; qu. 7, n. 101, ubi subdit, quod Papa de stylo ita se Servum servorum Dei appelat, ut si appareat bulla sine hujusmodi inscriptione, de falso sit suspecta tanquam contra stylum. (34. Ideo autem Papa se vocat Servum servorum Dei, ne ex tali, tantaque dignitate et auctoritate in superbiam incidat, præ oculis semper habendo illud salubre Dominicum præceptum: *Qui major est vestrum, fiat sicuti minister, Matth.* XX; *Luc* XXII; *Marc.* X; cap. *Nullus primas* 7, caus. 9., qu. 3, vere sic imitans Jesum Christum qui non venit ministrari, sed ministrare, et cum esset coæqualis Patri omnipotenti, et omnia verbo, id est, per ipsum fecerit, *Joan.* I; nihilominus pro nostra omniumque redemptione formam servi accepit, *ad Philippens.* II; adnot. 2. ad decis. 2 p. III *Rotæ recentior.*, n. 10; Barbosa, lib. I *Juris ecclesiast. univers.*, cap. 2, n. 29, et alii passim.

(35. Primum Pontificem, qui se Servum servorum Dei nominavit fuisse S. Gregorium Magnum referunt. *Additio ad Gloss.*, verb. *Servus*, in prœm. sexti decret.; card. Petra, tom. II. *Comment. ad const. unic. Joan. XV* n. 3; Alvar. Pelagius, *De planctu Eccles.*, lib. II, cap. 13; vers. *Iste Gregorius;* And. Gommar, in *Extr. Julii II*, De simoniaca Papæ elect., in verb. *Julius*, n. 10; Dionysius Paul, *De vera quatuor patriarchal. Sedium* erect., 17, n. 72. Ast vero prior omnium fuit S. Damasus Papa, ut constat ex epistola ejusdem ad Stephanum archiepiscopum, quæ invenitur inter opera S. Clementis Papæ, et egomet ipse pluries legi, et tom. I *Concil. in actis S. Damasi Papæ* fol. 229, cujus vestigia postmodum secutus fuit S. Gregorius Magnus in omnibus suis Epistolis, ut refert Azorius, *Instit. moral.*, par. II, lib. V, c. 3, vers, *Gregorius Magnus;* Barbosa *loc. cit.*, n. 30. Sanctus enim Damasus multo tempore præcessit. S. Gregorium Magnum, cum S. Damasus fuerit trigesimus nonus Pontifex Maximus a S. Petro, et fuerit ordinatus Papa die prima mensis Octobris anni trecent. sexag sexti, et S. Gregorius Magnus fuerit sexagesimus sextus, et fuerit consecratus Pontifex maximus die tertia mensis Septembris anni quingentesimi nonagesimi, juxta *Tabulam chronologicam* eruditissimi Patris Graveson, tom. VIII, part. I, *Histor. ecclesiast.* (177).

(36. Papa potest cedere, et renuntiare Papatui, abdicando a se dictam supremam et omnium maximam potestatem juridictionis per modum voluntatis sufficienter expressum, textu expresso in c. *Quoniam* 1, De renuntiatione, in 6. (37. Et talis renuntiatio fieri debet apud Collegium cardinalium, cum ad ipsum duntaxat spectet Papæ successoris electio, ut fuit ostensum articulo præcedenti, n. 21. Et de facto S. Cœlestinus V apud dictum sacrum Collegium fecit sui Papatus renuntiationem, ut patet ex forma dictæ renuntiationis, quam tradit Carillus, in suis *Annal. Chron.*, lib. IV, an. 1294, fol. 373, et Barbosa, *loc. c.*, n. 213, his verbis: « Ego Cœlestinus Papa V motus ex legitimis causis, id est causa humilitatis, et melioris vitæ, et conscientiæ illæsæ, et debilitate corporis, defectu scientiæ, et malignitate populi, et infirmitate personæ, et ut præteritæ consolationis vitæ possim reparare quietem, sponte ac libere cedo Papatui et expresse renuntio loco et dignitati, oneri et honori, dans plenam et liberam facultatem ex nunc sacro cœtui cardinalium eligendi et providendi duntaxat canonicæ universali Ecclesiæ de pastore. »

(38. Quantum ad Papæ infallibilitatem advertendum est, quod Papa potest considerari dupliciter. Primo quoad se, et ut persona privatusque doctor. Secundo quoad alios, ut persona publica, et magister universalis Ecclesiæ, eam ex cathedra docens, proponendo quid credendum, quidve agendum sit. (39. Loqui autem Papam ex cathedra nihil aliud est, quam ipsum esse a Deo constitutum magistrum universalis Ecclesiæ, et hujus regulam visibilem, indeque auctoritate suprema sui Pontificatus judi-

(177) *Vid.* quæ hoc de titulo Servi servorum Dei commentatus est eruditissimus P. Raynaldus in *Ann. mast. Pont.*

Digitized by Google

care, et definire de dubiis fidei, et doctrina morum, ac factis dogmaticis, et sic Ecclesiam docere quid credere vel agere debeat. Est in re communis. (40. Hinc loqui ex cathedra non arctatur præcise ad ea, quæ Papa proponit ut a Deo revelata, et a nobis credenda fide theologica, uti quando aliquam doctrinam damnat ut hæreticam, vel definit esse de fide; sed insuper extenditur ad cætera, quæ proponit seu tenenda, seu servanda, uti quando aliquam doctrinam proscribit ut temerariam, scandalosam, et hujusmodi, seu declarat aliquem contractum, aut factum esse illicitum, et hujusmodi.

(41. His breviter notatis concluditur quod decreta, quæ edit Papa ex cathedra circa doctrinam fidei et morum, sunt infallibilia. Est de fide (178).

(42. Probatur prima pars conclusionis, scilicet quod infallibilia sint decreta Papæ circa doctrinam fidei; Christus enim promisit et dedit Papæ in persona Petri suam assistentiam, ne in definiendis rebus fidei erraret, ut patet ex illo *Lucæ* XXII, 41, ibi : *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum; ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* (43. Nec valet dicere quod hic textus debeat intelligi de tota Ecclesia, et quod Dominus oraverit pro Petro, quatenus totius Ecclesiæ figuram gerebat. Non valet, inquam, quia hæc interpretatio, seu expositio omnino falsa est, cum ipi Dominus unam tantum personam designaverit dicens bis : *Simon, Simon*, et addens pluries pronomen secundæ personæ, *pro te, fides tua, et tu, fratres tuos*, quæ verba clare indicant fuisse a Christo Domino impetratum aliquid speciale Petro. Si enim de tota Ecclesia fuisset locutus, multo rectius dixisset *rogavi pro vobis*, quam *rogavi pro te;* tum quia Deus pro illo rogat, cui dicit, *et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Hæc enim verba nequeunt toti Ecclesiæ convenire, quia ipsa non habet unde convertatur, cum nunquam defecerit, nec unquam sit defectura juxta infallibilem Christi promissionem *Matth.* XVI, 18, ibi : *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Nec Ecclesia habet fratres, quos debeat et possit confirmare, cum omnes fideles sint ejus filii.

(44. Nec etiam valet dicere quod auctoritas illa pertineat præcise ad personam solius Petri, non vero ad ejus successores Romanos Pontifices. Non valet, inquam, quia Petro mortuo, debuit jure divino, seu ex Christi institutione, alius pro regimine Ecclesiæ succedere, alias Christi promissiones, quibus promisit Ecclesiam suam usque ad finem mundi duraturam, *Matth.* XXVIII, 20, *et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi; Joan.* XIV, 16, *et ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum;* essent prorsus inutiles, et sine effectu. Nam quomodo Ecclesia esset usque ad mundi finem duratura, si mortuo Petro, alius non esset caput visibile Ecclesiæ, qui eam in externo regimine gubernaret? Tum quia dum Christus *Joan.* XXI, 17, dixit Petro : *Pasce oves meas*, et *Matth.* XVI, 10, dixit eidem : *Et tibi dabo claves regni cœlorum, et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis; et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis*, ordinarium et perpetuum pastoris officium constituit. Hinc optime sciens Petrum duraturum, Petri nomine ejus etiam successores intellexit, in quibus perpetua esset ordinaria cura et potestas gubernandi et pascendi suas oves, modo per officium pastoris, quod ex maxima parte consistit in pabulo vero doctrinæ spiritualis exhibendo, modo per aliam metaphoram ligandi et solvendi, seu clavium, tollendo scilicet impedimenta, quæ claudere nt ingressum regni cœlorum.

(45. Propter quod Patres et concilia verba illa : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, tibi dabo claves regni cœlorum, et quodcunque ligaveris*, etc. *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos; Pasce oves meas*, declararunt esse intelligenda, nedum de Petro, sed etiam de omnibus ejus successoribus Romanis Pontificibus; sic enim declararunt Leo I, relatus in cap. *Ita Dominus* 7, dist. 19; Innocentius III, relatus in cap. *Majores* 3, De baptismo, et varii alii antiquiores Pontifices et Patres, quos refert cardin. Bellarmin., tom. II *Controv. de Romano Pontifice*, lib. IV, c. 3. Ita etiam declararunt concilia generalia, et signanter Chalcedonense act. 1, 2 et 16; Lateranense IV, can. 5, et aliis brevitatis gratia omissis, clarissime concilium Florentinum in *Litteris unionis*, ibi : « Definimus sanctam Apostolicam Sedem, et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse B. Petri principis apostolor. et verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, et omnium Christianorum patrem ac doctorem existere, et ipsi in B. Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse. »

(46. Probatur secunda pars conclusionis, scilicet quod infallibilia sint decreta Papæ circa doctrinam morum. Est de fide quod Ecclesia sit sancta, ut in Symbolo apostolorum vocatur; ergo et de fide est quod Papa docens ex cathedra errare non possit in tradenda doctrina morum, adeoque decreta ab ipso ex cathedra edita circa morum doctrinam sunt infallibilia. Si enim posset errare, approbando doctrinam falsam et malam, pro vera et bona; et reprobando

(178) *Vide* § 10 et seqq. artic. qui sequitur edit. Pa. atque integrum illum articulum consule.

Digitized by Google

veram et bonam pro falsa et mala, jam Ecclesia non esset sancta, quia Ecclesia dicitur sancta potissimum ob sanctam suam professionem, quia nimirum legem, et professionem sanctam profitetur; quæ nihil docet falsum, nihil præcipit malum; tum quia si Papa posset errare circa doctrinam morum, docendo falsa pro veris, et approbando mala pro bonis, Ecclesia necessario erraret circa fidem, quia contra fidem catholicam docentem omnem virtutem esse bonam, omne vitium esse malum, teneretur credere virtutem esse malum, et vitium esse bonum, utpote sic sibi propositum a suo magistro, cui tanquam vivæ regulæ fidei tenetur obtemperare; Ecclesiam autem errare circa fidem est impossibile cum sit *columna et firmamentum veritatis* (*I Timoth.* III) cui assistit Spiritus sanctus, ne erret, docensque ei omnem veritatem (*Joan.* XVI) ibi : *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.*

(47. Objiciuntur contra nostram conclusionem varii Summi Pontifices, qui prætenduntur errasse, et decreta contra fidem et bonos mores ex cathedra edidisse. Sanctus enim Petrus (*Gal.* II) erravit cogendo gentiles judaizare; Liberius subscripsit formulæ fidei Arianæ et condemnationi D. Athanasii veræ fidei defensoris; Zephyrinus Montani hæresim approbavit; Vigilius damnavit doctrinam de duabus naturis in Christo; Stephanus VI et Sergius III irritaverunt acta Formosi, quæ tamen postea, cassatis circa hoc Stephani et Sergii decretis, approbavit Joannes IX. Honorius primus admisit cum Monothelitis unicam in Christo voluntatem; Gregorius II cap. *Quod proposuisti* 32, qu. 7, erravit definiendo quod si mulier propter infirmitatem non possit debitum reddere, possit vir aliam ducere; Nicolaus primus in cap. *A quodam Judæo*, De consecr., dist. 4, falso definivit validum esse baptismum in nomine Christi collatum; Gelasius in cap. *Comperimus*, De consecrat., dist. 2, falso dicit non posse citra sacrilegium sumi unam speciem eucharistiæ sine alia.

(48. Respondetur tamen, quod nullus ex adductis Pontificibus erravit in decretis ex cathedra circa doctrinam fidei et morum. Non erravit S. Petrus proponendo Ecclesiæ falsum dogma, sed solum erravit facto, quatenus abstinendo coram Judæis a conversatione gentilium conversorum, indirecte eos inducebat ad judaizandum. Sic Liberius non approbavit definitive hæresim Arianam, sed solum metu tormentorum subscripsit condemnationi Athanasii, et communicavit cum episcopis Arianis. Unde solum peccavit contra confessionem fidei, inciditque solum in hæresim externam, sicuti et metu mortis thurificavit idola Marcellinus, et Christum negavit Petrus, qui ideo fidei confessionem externam non sustinuerunt, sed non ideo amiserunt fidem internam, quam in corde vere servaverunt, ut colligitur ex verbis Christi *Luc.* XXII, 31 ad Petrum : *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* Hinc Liberius, *Epistol. ad Ursacium*, anathematizat Arianos. Unde quamvis Petrus, Marcellinus, et Liberius peccaverint, nihil tamen per hoc ex cathedra decreverunt contra doctrinam fidei et morum. Zephyrinus Montani hæresim nullatenus approbavit, sed misit solum litteras pacis ad ejus sectatores, putans doctrinam Montani non esse fidei Romanæ contrariam, quas tamen revocavit statim ac a Praxæa, et aliis fuit edoctus de Montani erroribus. Vigilius, quando damnavit doctrinam catholicam de duabus naturis in Christo, non erat verus Pontifex, sed intrusus in pontificatum ope Theodoræ imperatricis hæreticæ, vivente adhuc Liberio vero Pontifice. Quando vero, mortuo Liberio, fuit verus et legitimus Pontifex, ipsam imperatricem cum aliis hæreticis excommunicavit, et doctrinam catholicam usque ad mortem in exsilio propugnavit. Stephanus VI et Sergius III errarunt solum in quæstione facti : putantes enim Formosum non fuisse legitimum Pontificem, ejus acta annullarunt; quæ restituit Joannes IX ubi deprehendit fuisse legitimum. Honorius primus, dum in Christo unam voluntatem esse rescripsit, non intellexit cum Monothelitis esse solum divinam, sed non esse duas humanas contrarias et pugnantes; sicuti sunt in nobis post peccatum in quibus « caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem; » volens Honorius per id ostendere quod a Christo non fuerit assumpta natura variata et Adami labe corrupta, sed incorrupta et integra, quæ vacua erat concupiscentiæ morbis et motibus spiritui ac rationi contrariis, et sic omnia, quæ in ejus carne erant, subjicerentur perfecte et sine ulla rebellione spiritui. Gregorius II, *loco citato*, intelligendus est de impotentia perpetua matrimonium dirimente. Nicolaus primus docuit quidem in eo textu, baptismum in nomine Christi collatum esse validum, sed addidit statim. « Sicut conferebatur tempore apostolorum. » Etenim *Actorum* II dicitur : *In nomine Christi baptizantur viri ac mulieres.* Cum autem tempore apostolorum baptismus conferretur, vel in nomine Christi ob specialem dispensationem, ut redderetur venerabile nomen illud tum temporis exosum, ut docet D. Thomas, vel potius, ut alii putant, quia in forma baptismi etiam nomen Christi exprimebatur dicendo : « Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii Jesu Christi, et Spiritus sancti. » Idcirco recte Nicolaus primus ad Bulgaros respondit validum esse baptismum hoc pacto a Judæo collatum. Gelasius *loco citato* loquitur de sacerdote sacrificante, cui non licet unam tantum eucharistiæ speciem sumere. Hinc universim, si quando Pontifices errarunt, vel errarunt ut doctores privati, vel in quæstionibus facti non habentibus connexionem cum quæstionibus juris ad fidem, vel mores spectantibus, ut passim controversistæ dogmatici ostendunt. Et sic solvuntur omnes objectiones quæ possunt et solent

Digitized by Google

adduci de variis Pontificibus qui prætenduntur errasse (179).

(49. Papa errare non potest in canonizatione sanctorum. Est de fide. Ita Lauræa *De fide*, disp. 7, art. 3, § 1; Leytan., *Synops. de Eccles. milit.*, discept. 6, sect. 1, ubi plures allegat; Diana, *Coordin.*, t. IX, tract. 3, resol. 15; Castropal., p. I, tr. 4, disp. 1, punct. 5, § 5, n. 2; Joannes de Neapoli, in quodlibet 11, relatus a S. Antonino in III part., tit. 12, § 2, et a Fagn., lib. II *Decretal.*, in cap. *Venerabili* 25, num. 29 et seq.; Valentia, 2-2, dis. 1, q. 1, p. VII, art. 6, § 4, vers. *Itaque;* Matthæucc., in *Opere dogmatic.*, controvers. 7, cap. 5, num. 3; Felix Potestas, tom. II, part. II, cap. 7, num. 307; Henno, tom. I *Tract. de virtutibus*, disp. 2, qu. 5, art. 6, conclus. 2; Viva, in *Quæstion. prodroma ad propositiones damnatas*, num. 11, ubi dicit esse communiorem cum S. Bonaventura, Bellarmino, Amico, Valentia, et aliis; Bord., resol. 113, n. 15; Vericelli, tract. 8, qu. 24 et 25, et plurimi alii, et signanter Lucas Castellinus, *De certitudine gloriæ sanctorum*, cap. 3, punct. 48, et cap. 4, punct. 3, 4 et seq.; Rodericus de Arriaga, in *Disputationibus theologicis, in* 2-2 *divi Thomæ*, tract. *De fide*, disp. 9, sect. 5, num. 27; Adamus Tannerus, *Theolog. scholast.*, tom. III, disp. 1, *De fide*, q. 4, dub. 7; Aloysius Turianus, in *Disputationibus in* 2-2 *divi Thomæ*, disp. 16, dub. 3; Alphonsus a Castro, *De justa hæreticorum punitione*, tom. II, cap. 6; Ricciolus in libro cui titulus: *Immunitas ab errore tam speculativo quam practico definitionum sanctæ Sedis Apostolicæ*, et alii relati ab eminentissimo cardin. Prospero de Lambertinis in præclarissimo suo opere *De servorum Dei beatificatione et beatorum canonizatione*, tom. I, cap. 45, ubi doctissime et eruditissime more suo, adductis hinc inde pro et contra auctoribus et rationibus, tandem concludit quod contrarium sentientes, licet non sint formaliter hæretici, ex quo id nondum sit ab Apostolica Sede expresse definitum, tamen sunt temerarii, impii, scandalosi, in sanctos injuriosi, faventes hæreticis, sapientes hæresim, assertores erroneæ propositionis, et gravissimis pœnis obnoxii. Vide ibi ipsum, ubi plurima egregie adducit ad rem merito legenda, addiscenda et observanda.

(50. Probatur igitur quod sit de fide Papam errare non posse in canonizatione sanctorum; hæc enim propositio: « Romanus Pontifiex in canonizatione sanctorum errare non potest, » sequitur ex duplici præmissa de fide, scilicet: « Romanus Pontifex docens Ecclesiam in iis quæ spectant ad materiam fidei et doctrinam morum, errare non potest; » sed canonizatio sanctorum spectat ad materiam fidei: ergo est de fide quod Papa errare non possit in canonizatione sanctorum. Major constat, tum ex dictis *supra*, a num. 41 ad 48, tum ex Evangelio Joann. cap. XIV, ubi dicitur: *Ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum spiritum veritatis;* et c. XVI, ubi dicitur: *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem;* et *Matth.* XVIII ubi habetur: *Ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Unde Apostolus *I Timoth.* III, ait: *Ecclesia Dei vivi columna et firmamentum veritatis.* Firmitas autem Ecclesiæ, et securitas eam non erraturam, est fundata in firmitate capitis et securitate non erraturum magistrum, et *Matth.* XVI, ibi: *Tu es Petrus, et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Minor etiam clare patet, quia canonizatio sanctorum est actus externæ confessionis fidei contentæ in articulo de communione sanctorum. Papa enim in canonizatione definit sanctum, quem canonizat, esse vere in gloria et in consortio aliorum sanctorum, et decernit sic firmiter ab omnibus tenendum, ut patet in bullis canonizationum, et signanter in bulla Leonis X incip. *Excelsus*, ubi in canonizatione S. Francisci de Paula sic habet: « Decernimus, et definimus, esse receptum in gloria; » et in bulla Sixti IV incip. *Superna*, ubi in canonizatione S. Bonaventuræ sic loquitur: « Hunc sanctum esse, fideliter firmiterque teneri debere decernimus, » et consimiliter in aliis aliarum canonizationum bullis, quas omnes adducere nimis operosum esset. Unde S. Thomas, quodlibet 9, qu. 7, art. 16, in corpore quæstion., dicit: « Honor quem sanctis exhibemus est professio quædam fidei, qua sanctorum gloriam credimus. » Et S. Bonaventura in *Opusculo contra Gulielmum* ait: « Ad infidelitatem spectat de sancti canonizati gloria dubitare. »

(51. Nec valet objicere quod judicium Papæ in canonizatione est humanum, cum innitatur testimoniis humanis, adeoque est fallibile. Non valet, inquam, quia licet judicium Papæ sit humanum *dispositive*, est tamen divinum *directive*, roboratum nimirum assistentia Spiritus sancti, qua ita regitur, ut in definitione errare non possit. Quamvis enim Papa utatur testimoniis hominum in se fallacibus, illis tamen utitur solum dispositive, ut maturo procedens consilio et examine, se disponat ad recipiendam motionem Spiritus sancti, sine qua nunquam devenit ad canonizationem. Hinc

(179) *Ejusdem Romani theologi notæ.* Circa responsionem ab auctore allatam consule Natalem Alexandrum cum adnotationibus P. Mansi, clariss. P., postea eminentiss. cardinalem Orsi de Romano Pontifice, emin. Gotti, Antonium Morphi, aliosque theologos, qui longe melius illos Romanos Pontifices ab objectis criminibus et erroribus vindicant, ac ne quidem in externam hæresim incidisse demonstrant. *Vide* etiam cl. Bart. in *Vind. Honorii.* Adde his Ballerinium, et Zaccariam tum in *Antifebronio*, tum in peculiari dissertatione *De Libello* Summo Pontifice, atque eruditissimi D. Xaverii de Marco librum inscriptum: *Difesa di S. Pietro, e di altri Pontefici Romani accusati di errore*, Romæ, 1780, in-8°.

Digitized by Google

Spiritus sancti motio, directio et assistentia est unica causa, ut dubitari non possit de judicio Pontificis, ac etiam ut falsa hominum testimonia rejiciat, et vera admittat.

(52. Nec etiam valet objicere illud satis vulgatum, quod divo Augustino tribuitur: « Multa corpora sanctorum venerantur in terris, quorum animæ cruciantur in inferno. » Non valet, inquam, quia ultraquam quod dictum istud non reperitur in veris operibus S. Augustini, ut observarunt Bellarminus tom. II, lib. I, cap. 9, *De sanctorum canonizatione*; Viva, *loc. cit.*, num. 11; Matthæucc., *loc. cit.*, num. 19; Felix Potestas, *loc. cit.*, n. 313, et plurimi alii; dato adhuc quod esset divi Augustini, seu alterius S. doctoris, nihil probaret contra nostram conclusionem, quia dictum illud est intelligendum de hæresiarchis et falsis martyribus, qui apud multos nomen sancti obtinent et superbissimis sepulcris honorantur, cum tamen eorum animæ torqueantur in inferno. Sic Donatistæ suos martyres honorabant, quos carpit S. Augustinus, serm. 325, *De Natal.* 20 *martyrum*. Sic Hussitæ ut martyrem colunt suum hæresiarcham Hussium; sic Lutherani ut sanctum venerantur suum hæresiarcham Lutherum, et sic de aliis. Non autem est intelligendum de veris sanctis a Papa canonizatis et Ecclesiæ propositis, de quibus canit regius Psaltes: *Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis. Gaudent in cœlis animæ sanctorum*, etc.. Sic doctores citati, et alii passim.

(53. An autem etiam sit de fide quod Papa nequeat errare, et sit infallibilis in beatificatione beatorum, variant doctores. Multi enim, licet concedant Papam errare non posse, et infallibilem esse in beatificatione beatorum infallibilitate morali, et infra fidem, id tamen negant infallibilitate fidei. Unde tenent quod qui negaret beatificatum a Papa esse in gloria, non esset hæreticus formalis, sed ejus propositio esset temeraria, scandalosa, impia, sapiens hæresim, et hujusmodi. Sic Valentia, tom. III, disp. 1, quæst. 1, punct. 7, § 40; Tannerus, 2-2, tom. I, disp. 17, dub. 6; Henno, *loc. cit.*, concl. 2; Arriaga cum Viva, *loc. cit.*, num. 11, et alii quos sequitur Diana, *Coordinat.* tom. IX, tract. 3, resol. 18, num. 6, et plures alii.

(54. Et ratio istorum est, quia beatificatio non est ultimum judicium Papæ, seu Ecclesiæ, quia post illud, antequam ad canonizationem deveniatur, fit novum examen, quod non fieret et injuriosum fidei esset, si de fide esset Papam non posse errare in beatificatione; nam quod est de fide certum, ulteriori examine, et certitudine non eget, cum sit infallibilis veritatis. Tum quia Pontifices in bullis beatificationis uti solent solum verbis *concedimus*, *indulgemus*, *impartimur*, ut talis beatus appellari, et de eo sacrum, et officium in tali loco, et a talibus personis fieri possit. In bullis vero canonizationis utuntur verbis explicitis *declaramus*, *definimus*, *decernimus*, et *mandamus* talem sanctum ab omnibus venerandum esse, et uti talem ubique, et ab omnibus firmiter tenendum esse. Unde, dicunt ipsi, de fide est quod Papa non possit errare in canonizatione, et non est de fide quod non possit errare in beatificatione.

(55. Multi autem alii absolute tenent quod de fide est quod Papa non possit errare, non solum in canonizatione, sed etiam in beatificatione. Sic Leytan, *loc. cit.*, num. 436; Verricelli, in *Qq moral.*, tract. 8, q. 55, num. 3; Castropalao, t. I, tr. 4, disp. 2, punct. 5, § 5, n. 4; Matthæucc., *loc. cit.*, num. 42; Felix Potestas, *loc. cit.*, num. 309; Bordon., *loc. cit.*, et alii plures.

(56. Ratio istorum ultraquam quod eadem potest deservire pro beatificatione, quæ supra num. 50 adducta est pro canonizatione, insuper est, quia Papa etiam ad beatificationem nunquam devenit, nisi prius implorata divina ope, et habita motione, illustratione, directione, et assistentia Spiritus sancti, ex qua certo judicat, et deducit eum infallibiliter esse in gloria, sicque implicite declarat ac definit, dum eum beatificat et ut beatum Ecclesiæ ac fidelium cultui et venerationi proponit: ergo de fide quoque est non posse Papam errare in beatificatione; alias, si Pontifex posset errare in beatificatione, tota Ecclesia posset errare in iis quæ pertinent ad cultum et venerationem, quia Papa beatificans aliquem, eum toti Eccl. venerandum implicite proponit. Quamvis enim divinum officium et sacrum Deo offerre in ejus honorem non concedatur omnibus, omnibus tamen in Ecclesia licet se illius precibus etiam publice commendare, eumque beatum vocare, et pro tali reputare, colere et venerari. Quod omnimode repugnaret Ecclesiæ sanctitati et infallibilitati, si non esset de fide beatum infallibiliter esse in gloria, cum sic tota Ecclesia posset errare venerando et colendo hominem sibi propositum ut vere beatum, qui posset forsan esse damnatus in inferno.

(57. Ad rationes autem prioris sententiæ respondent negando, quod beatificatio non sit ultimum et completum judicium, quod vir Dei sit in gloria, imo per beatificationem ut talis toti Ecclesiæ proponitur, et ideo ubique a fidelibus beatus certo absque formidine in gloria creditur et ad gratias impetrandas invocatur, quamvis uni soli provinciæ, aut regno, vel religioni officio ac missa colendus permittatur. Nec obstat quod pro canonizatione novum fiat examen, quia tale novum examen non fit de virtutibus viri Dei, neque de miraculis in vita, aut ante beatificationem patratis, quibus probata fuit sanctitas vitæ et infallibilis existentia servi Dei in gloria: sed fit solum novum examen de continuatione miraculorum post beatificationem a Deo ad intercessionem beati patratorum, ut, inde publico cultu officii et missæ in tota Ecclesia colendus decernatur. Nec etiam obstat quod Pontifices in bullis beatificationis uti soleant solum verbis *Concedimus*, *indulgemus*, *impartimur*. In bullis vero canonizationis utantur verbis explicitis *Declaramus*, *definimus*,

Digitized by Google

decernimus et *mandamus*, quia, ut recte dicit Trullench, in *Decalog.*, tom. I, lib. I, cap. 9, dub. 5, n. 3, Pontifices per canonizationem et beatificationem declarant servum Dei esse in gloria; per canonizationem quidem in forma explicite definitiva et pronuntiativa; per beatificationem vero in forma indultiva, concessiva et implicite definitiva

(58. Pontifex errare non potest in approbatione religionum. Sessa, *Scrutin. doctrin.*, cap. 2, art. 13, num. 38; Diana, *Coordinat.*, tom. IX, tract. 5, resolut. 23; Viva, *loc. cit.*, n. 12; Leytan, *Synops. de Eccles. milit.*, discept, 6, sect. 3; Matthæucc., *loc. cit.*, controvers. 7, cap. 3, n. 3; Barbosa, lib. I *Juris eccles.*, cap. 2, n. 46; Valentia, 2-2, disp. 1, quæst. 1, punct. 7, § 41; Azorius, *Instit. moral.*, part. II, lib. V, c. 7, quæst. 2; Bellarminus, Banner, et alii passim contra Canum. (59. Et ratio est, quia approbatio religionum spectat ad materiam morum, cum sic decernatur institutum talis religionis esse sanctum, salutare, honestum, et medium aptum ad assequendam evangelicam perfectionem, cujus falsitas officeret puritati, doctrinæ et sanctitati Ecclesiæ. Cum autem Pontifex errare non possit in decretis morum, consequenter neque errare poterit in religionum approbatione.

(60. Nec valet objicere quod nullibi reperitur fuisse religiones a Deo revelatas, adeoque Papam posse errare in earum approbatione, cum solum circa revelata sit infallibilis. Non valet, inquam, quia esto religiones non sint revelatæ quantum ad existentiam, earum tamen honestas et sanctitas revelata est in hoc principio : « Ecclesia est sancta, Ecclesia in suo capite habet infallibilem potestatem circa necessaria, et utilia saluti fidelium. » Unde sequitur omnino : « Religio hæc est a Pontifice approbata; ergo est sancta, honesta, utilis ad salutem; cum Pontifex ex officio sui pastoratus nequeat proponere Ecclesiæ, nisi bonum, honestum et sanctum, alias portæ inferi prævalerent adversus eam.

(61. Nec valet instare quod religiones sunt contingentes, cum possint supprimi, et de facto plures fuerint suppressæ, adeoque non possa cadere sub revelatione, quod sint bonæ, honestæ et sanctæ, alias Pontifices suppressores errassent. Non valet, inquam, quia licet religiones sint contingentes quoad existentiam, non tamen quoad honestatem et sanctitatem. Nec per hoc, quod possint supprimi et de facto fuerint aliquæ suppressæ, valet inferre quod in se fuerint vel evaserint inhonestæ et malæ, adeoque vel Pontifices suppressores erraverint, aut Pontifices approbatores Ecclesiam decepcrint, approbando aliquod institutum de se malum et inhonestum; quia causa suppressionis fuit pravitas et malitia earumdem professorum, ex quorum relaxatione cessabant religiones illæ esse utiles Ecclesiæ; unde suppressio non tangit sanctitatem religionum suppressarum, nec officit infallibilitati Pontificum prædecessorum, qui ea approbarunt, sed tangit solum abusus, corruptelas et relaxationes sine spe emendationis in ipsas a suis professoribus introductas, propter quas, vel alias extrinsecas circumstantias, pro statu præsenti minus utiles et convenientes Ecclesiæ apparebant; quemadmodum in dies videmus leges ipsas positivas a prædecessoribus latas revocari a suis respective successoribus, tam principibus laicis quam pontificibus seu præsulibus ecclesiasticis, non quia malæ per se et sui natura censeantur, sed quia per accidens et ob extrinsecas circumstantias, aliasque rationabiles causas pro statu præsenti, vel minus necessariæ, aut inutiles, seu minus idoneæ ad bonum publicum reputantur.

(62. Papa probabilius, etiam ut persona privata, non potest in hæresim incidere, et in fide deficere. Ita Albertus Pighius, lib. III *De ecclesiast. hierarch.*, cap. 8; Gravina, t. IV, part. II, disp. 1, art. 1, in *Appendic.*, ad finem; Tirinus, tom. II *Commentar. in Scripturam*, controv. 6, n. 18; Fragosus, *De republ.*, tom. II, lib. I, disp. 1, § 2, n. 32; Joannes Wiggers, 2-2 *divi Thomæ de Pontific.*, lib. IV, cap. 6; Jadertin., *Introduct. ad lect.*, disp. 1, art. 8; Suarez, t. I, *De fide*, disp. 10, sect. 6, n. 11; Bellarmin., *De Pontifice*, lib. IV, cap. 6; Matthæucc., controvers. 7, cap. 1, n. 3 et seq., aliique plures, et hanc sententiam valde probabilem censet etiam Barbosa, lib. I *Juris eccles. univers.*, cap. 2, n. 51, et probabiliter tenent plurimi alii contra Turrrecrematam, Canum, Cajetanum, Sotum, Bannez, Valentiam, Castropalaum, Turrianum, et plurimos alios, quos referunt Barbosa, *loc. cit.*, n. 47; Pegna, comment. 74 in quæst. 25, par. III *Director. inquisitor.*; Fagnan., in cap. *Significasti*, n. 68, De elect.; Diana, *Coordinat.*, tom. IX, tr. 5, resol. 12., et alii.

(63. Probatur autem nostra conclusio ex verbis a Christo dictis divo Petro *Lucæ* XXII, ibi : *Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos;* quæ verba non personaliter ad solum Petrum, sed ad omnes successores in ejus cathedra pertinere ostendimus *supra* a n. 44. Unde cum constet Petrum sic a Deo fuisse confirmatum, ut ejus fides etiam personalis minime posset deficere, ut clare denotant illæ particulæ *pro te* et *tua*, quas expendimus *supra* n. 43, idem dicendum est etiam de aliis Romanis Pontificibus ejus successoribus. Ideo enim tale privilegium est illis impetratum, ut fratres suos in fide confirment; sed quomodo confirmabunt, si sint ipsimet vel hæretici vel infideles? An in aliis eam fidem stabilient, quam ipsimet animo exsecrantur et impugnant? Tum quia, cum Pontifex sit viva regula, quam omnes fideles sequi et præ oculis semper habere debent, oportet muniri singulari aliquo privilegio, quo ab errore in iis quæ sunt fidei, non solum sedes ipsa, sed etiam illius persona præservetur; alias si et ipsum Papam in hæresim labi et a fide deficere admittamus, quid aliud spe-

Digitized by Google

rari poterit, nisi quod cæcus ipse nos cæcos simul in foveam trahat, juxta illud *Matth.* xv, 14, ibi : *Cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt;* et *Lucæ* vi, 39, ibi : *Nunquid potest cæcus cæcum ducere? nonne ambo in foveam cadunt?* et cap. *Cum sit ars artium* 14, De ætate et qualitate, ibi : « Quia si cæcus cæcum ducit, ambo in foveam dilabuntur? »

(64. Hinc hæc Romanæ Ecclesiæ præ omnibus aliis prædicatur excellentia et prærogativa singularis, quod omnes aliæ principaliores et antiquiores Ecclesiæ, non solum hæreticos, sed etiam hæresiarchas habuerunt opiscopos : Antiochena videlicet Paulum Samosatenum; Alexandrina Dioscorum; Constantinopolitana Dioscorum (180) et Macedonium, et sic de reliquis, ut prosequitur Mendoza, in quæst. 4 *Scholast.*, § 4, arg. 7. Ecclesia vero Romana nunquam. Ex tot enim Romanis Pontificibus, quamvis aliquibus subinde moribus utcunque dyscolis, nemo unquam repertus fuit qui in hæresim vel apostasiam fuerit prolapsus, ut fuse demonstrant Bellarminus, *De Pontifice*, l. iv, cap. 8, et seq.; Lauræa, *De fide*, disp. 8, art. 5, usque ad § 11; Albertus Pighius, *De ecclesiast. hierarch.*, lib. iv, cap. 7; Barbosa, lib. i *Juris ecclesiast. univers.*, cap. 2, a num. 52; Matthæucc., *loc. cit.*, controv. 6, cap. 4, et controv. 7, cap. 1, et fatentur omnes alii, teste Fagnan. in cap. *Significasti* 4, De electione, n. 69. Et expresse id testatur Agatho Papa in *Epistol. ad Constantinum imperatorem*, quæ lecta est in iv synodo, act. 4, et postea act. 8, ab omnibus approbata. « Hæc est, inquit, veræ fidei regula, quam, et in prosperis, et in adversis vivaciter tenuit Apostolica Christi Ecclesia, quæ per Dei gratiam a tramite apostolicæ traditionis nunquam errasse probabitur, nec hæreticis novitatibus unquam depravata succubuit, quia dictum est Petro : *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum; ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos;* hic Dominus fidem Petri non defecturam promisit, et confirmare eum fratres suos admonuit, quod Apostolicos Pontifices meæ exiguitatis prædecessores confidenter fecisse semper cunctis est agnitum. » *Vide* etiam dicta *supra*, num. 48.

(65. Nec valet objicere quod si omnis Papa, ut S. Petrus, neque ut persona privata, posset in hæresim incidere et a fide deficere, hoc esset de fide, et consequenter essent hæretici contrariam sententiam tenentes, quod non est dicendum, cum illam teneant clarissimi doctores, tum canonistæ, tum theologi, ut patet ex adductis *supra* num. 62, et notat Fagnan., in cit. cap. *Significasti* 4, De elect., n. 68. Non valet, inquam; quia etiamsi dicatur id esse de fide, ut volunt aliqui, inter quos Matthæucc., *loc. cit.*, controv. 7, cap. 1, n. 7, utpote revelatum saltem implicite, et virtualiter in illa propositione, *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*, adhuc tamen contrarium sentientes non essent hæretici, quia propriam opinionem non sustinent cum pertinacia, ut requiritur ad hæresim; sed parati sunt parere Ecclesiæ definitioni.

ROMANI THEOLOGI NOTÆ.

Dum auctor noster ait Papam, ne quidem ut personam privatam, incidere in hæresim posse, atque id *esse de fide*, non ita intelligendum est, ut Ferraris exponit, ut contrariam opinionem tuentes hæretici habendi sint, si pertinaciam non exuant. Nam hæc quæstio scholastica est, et nondum Ecclesiæ judicio definita, ac salva fide cuique opinari fas est, non solum de fide non esse Romanum Pontificem, quatenus personam privatam, non posse in hæresim incidere, quod verum omnino est, sed etiam errare posse. Item dum theologi cum auctore nostro aiunt de fide esse Romanum Pontificem in canonizatione sanctorum errare non posse, ac de fide esse hunc numero Romanum Pontificem esse legitimum Petri successorem, non ita intelligi debent, ut id veluti fidei dogma amplectendum cuilibet sit; cum enim Ecclesiæ sententia id definitum non sit, pro fidei dogmate proponi non potest; sed intelligi hoc sensu debent, quod privati doctores ex principiis revelatis deducere contendant, id adeo certum esse, ut ad fidem pertineat. At aliis, salvo dogmate, contrarium opinari licet; ut revera opinantur Ludovicus Antonius Muratorius in opere suo *De ingeniorum moderatione*, atque alii, qui contendunt inerrantiæ privilegium Ecclesiæ concessum ad fidei dogmata constabilienda, versari circa ea quæ sunt a Deo revelata, non vero circa res humanas. Quamobrem cum Romanus Pontifex ferendo judicium in canonizatione sanctorum nitatur testimonio hominum, qui de hominis sanctitate, deque patratis in istius confirmationem miraculis testantur; cumque judicium de legitimo Pontifice ferendum pendeat ab ipsius baptismate, rata ordinatione atque legitima electione, quæ res ab hominibus pendent, putant auctores isti ad fidei dogma non pertinere canonizationem sanctorum, nec fidei dogma esse hunc Roman. Pontificem esse legitimum successorem S. Petri, licet de his certi simus certitudine morali, ac non nisi per summam temeritatem revocare ea in dubium valeamus. Accedit etiam quod dum nos propugnamus de fide esse Romanum Pontificem esse infallibilem, non ita sententiam nostram sustinere debemus, ut Gallos theologos aientes infallibilia non esse decreta Romanorum Pontificum, nisi accesserit consensus majoris partis episcoporum, hæreticos declaremus; hæretici enim non sunt, nisi homines qui proposito ab Ecclesia dogmati pertinaciter obsistunt. Ecclesia vero Gallos theologos huc usque non damnavit, eorumdemque opinionem tolerat.

(180) E. R. scilicet Nestorium; Dioscorus enim non fuit patriarcha Constantinopolitanus.

Digitized by Google

RESPONSIO AUCTORIS.

Quod ego assero, Papam, nequidem ut personam privatam, incidere in hæresim posse, atque id esse de fide, etc., intelligendum est, prout expono ipso *loc. cit.* ubi expresse dico : adhuc tamen contrarium sentientes non essent hæretici, quia propriam opinionem non sustinent cum pertinacia, ut requiritur ad hæresim, sed parati sunt parere Ecclesiæ definitioni. Et en de qua pertinacia loquor ego, de pertinacia nempe non parata parere Ecclesiæ definitioni, quoties explicita habeatur. Scio enim ego quod hæc quæstio scholastica est, ideo eam non resolvo ut certam, sed tantummodo ut probabiliorem, ut expresse in mea conclusione ibidem, n. 62, ibi : Papa probabilius, etiam ut persona privata, non potest in hæresim incidere et in fide deficere, juxta classicos illos auctores ibi allegatos, inter quos doctissimus noster Matthæucci in opere dogmatico Romæ prius edito, et deinde Venetiis, controv. 7, cap. 1, num. 3, ibi : « dicendum, Pontifex Romanus ut persona privata, non potest in hæresim incidere et in fide deficere. » Et sic etiam juxta eumdem sensum intelligenda sunt tradita a me, quoad infallibilitatem Papæ in canonizatione sanctorum et quod hic Romanus Pontifex, Clemens XIII v. g., legitime electus et ut talis ab Ecclesia acceptatus, sit verus Papa et legitimus Petri successor.

(66. Nec etiam valet dicere, quod sacri canones supponunt, Papam ut personam privatam posse a fide deficere, ut de facto supponitur in canone *Si Papa* 6, dist. 49, ubi statuitur Papam a nemine propter quodcunque crimen posse judicari : « Nisi deprehendatur a fide devius, » adeoque Papa, quoad se et ut persona privata, potest in hæresim incidere et a fide deficere. Non valet, inquam, quia textus ille non est alicujus Pontificis, aut concilii generalis, sed cujusdam Bonifacii martyris, episcopi Moguntini, qui potuit illius esse opinionis, ut fuerunt et sunt plures alii ; et ideo nobis, utpote privati doctoris, vim non facit, cum nostra sententia majoribus sit suffulta auctoritatibus et rationibus, adeo ut, si non sit de fide, est tamen certa certitudine infallibili infra fidem.

(67. De fide est Benedictum XIV v. g. legitime electum, et ut talem ab Ecclesia acceptatum, esse verum Papam. Est communis inter Catholicos.

(68. Probatur primo ex concilio Constantiensi, sess. ultim., ubi Martinus V const. incip. *Inter cunctos*, decernit ut ab iis qui de hæresi ad fidem revertuntur, petatur inter alia « Utrum credant quod Papa canonice electus, qui pro tempore fuerit, ejus nomine proprio expresso, sit successor B. Petri habens supremam auctoritatem in Ecclesia Dei ? » adeoque supponit esse articulum fidei, cum hæresim abjurantes nonnisi de fidei veritatibus interrogentur. Tum quia est hæresis Lutheri, quod Papa non sit vicarius Christi, cujus error 25 a Leone X cum aliis proscriptus fuit constit. incip. *Exsurge*, ibi : « Romanus Pontifex Petri successor non est Christi vicarius super omnes totius mundi Ecclesias ab ipso Christo in B. Petro constitutus. »

(69. Probatur secundo. Illa conclusio est de fide, cujus duæ præmissæ sunt de fide ; sed hæc conclusio : « Benedictus XIV est verus Papa, » sequitur ex duabus præmissis de fide ; ergo est de fide. Major est certissima : Probatur minor, quia hæ duæ præmissæ (ex quibus sequitur dicta conclusio) « omnis in Papam legitime electus, et ut talis ab Ecclesia acceptatus est verus Papa ; sed Benedictus XIV est talis » sunt de fide ; et quidem de majori nulli Catholici dubitant, alias non esset de fide, legitimum Petri successorem esse verum Papam. Minor quoque est certa, quia eo ipso quod Ecclesia ipsum recepit ut legitime electum, revelat Deus ipsius electionem esse legitimam, cum promiserit Christus nunquam Ecclesiam suam erraturam in materia fidei, ut patet ex evangelicis textibus adductis supra a n. 42 ad 44 ; erraret autem in tali fidei materia, si non staret conclusio ; quandoquidem Ecclesia agnoscens electum ut legitimum Papam, ipsum agnoscit ut fidei regulam infallibilem, qui tunc esset fallibilis, adeoque, etc. Tum quia definitiones Bened. XIV ex cathedra loquentis sunt de fide ; sed non essent de fide, nisi esset de fide Benedictum XIV esse verum Papam ; ergo, etc.

(70. Nec valet objicere quod non est de fide quod Benedictus XIV sit valide baptizatus et canonice electus, cum id non sit revelatum ; ergo neque de fide est quod sit verus Papa. Non valet, inquam, quia licet non sit revelatum explicite, est tamen revelatum implicite per pacificam Ecclesiæ universalis acceptationem ; eo enim ipso quod Deus revelet esse legitimum Papam, etiam implicite revelat habere omnia ad Papatum necessario requisita.

(71. Nec etiam valet objicere quod, licet sit de fide Christum esse in eucharistia, non est tamen de fide esse in hac numero hostia, adeoque licet sit de fide verum Petri successorem esse Papam, non est tamen de fide hunc numero hominem esse Papam. Non valet, inquam, quia negatur consequentia, et paritas ; et disparitas est, quia non est certum quod hæc numero hostia sit valide consecrata. Secus autem est de acceptatione Papæ, cum revelatum sit hunc hominem esse Papam, eo ipso quod per Ecclesiam indefectibilem agnoscitur et recipitur ut talis.

(72. Primatus Ecclesiæ universalis, seu Papatus est adnexus Romano episcopatui de jure divino. Sic tenet Abbas, in cap. *Per venerabilem* 13, Qui filii sint legitimi ; Joannes Andreas, in cap. *Fundamenta*, De election., in 6, ubi Ancharanus, n. 12 ; card. Tuscus, *Practic concl. juris*, tom. III, conclus. 3, n. 19, et tom. VII, lit. *R*, conclus. 372 ; Bellarmin., tom. I, *De Rom. Pontifice*, lib. II, a princ. ; S. Antonin., p. III, tit. 23, cap. 5, § 7 ; Cajetan., tom. I *Opusc.*, tract. 3, *De Pontif. institut.*, cap. 13 ; Canus, lib. VI,

Digitized by Google

De locis theolog., cap. 4; Turrecremata, *De potest. Eccles.*, lib. II, c. 10, cum seq.; Jacobat., *De concil.*, lib. VIII, art. 6 et 7; Alvar. Pelag., *De planctu Eccl.*, lib. I, c. 32; Valentia, *De fide*, disp. 1, quæst. 1, punct. 7, § 36; Guarnieri, *De cap. militant. Eccl.*, discept. 5, sect. 4, n. 409; Baronius, in *Addit. ad Martyrologium Romanum*, die 18 Jan., pag. 130; Tirinus, tom. II *Comment. in Scripturam* in *Summar. controvers.*, controv. 6, n. 11; Leytan, *Synop. de Eccles. militant.*, discept. 5, sect. 4, num. 409, cum pluribus ibi relatis, Azorius, *Instit. moral.*, p. II, lib. IV, cap. 11, qu. 2; Cordub., in *Qu.*, l. IV, quæst. 2, proposit. 8; Alphon. Mendoza, in *Qu. Quodlibet.*, quæst. 4, *Scholast.*, per tot.; Matthæuc., *loc. c.*, contcov. 6, cap. 2, n. 2; Barbosa, *De offic. et potest. episcop.*, part. I, tit. 3, cap. 2, n. 12, et lib. I *Juris ecclesiastic. univ.*, cap. 1, n. 31 et 32, et alii passim.

(73. Probatur nostra conclusio ex sacris canonibus et conciliis. Si enim Pelagius Papa in cap. *Quamvis* 3, dist. 21, omnibus orthodoxis scribens sic expresse habet: « Quamvis universæ per orbem catholicæ Ecclesiæ unus thalamus Christi sint, tamen Romana catholica et apostolica Ecclesia nullis synodicis constitutis, cæteris Ecclesiis prælata est, sed evangelica voce Domini et Salvatoris nostri primatum obtinuit. » Nicolaus II in c. *Omnes* 1, dist. 22, Mediolanensibus scribit: « Qui Romanæ Ecclesiæ privilegium ab ipso summo omnium Ecclesiarum capite traditum auferre conatur, hic procul dubio in hæresim labitur. » S. Anacletus Papa, in c. *Sacrosancta* 2, dist. 22, sic præcise habet: « Sacrosancta Romana et apostolica Ecclesia, non ab apostolis, sed ab ipso Domino Salvatore nostro primatum obtinuit et eminentiam potestatis super universas Ecclesias, ac totum populi gregem assecuta est. » S. Marcellus Papa, in c. *Rogamus* 15, caus. 25, qu. 1, episcopis per provinciam Antiochiæ constitutis scribit: « Ejus enim (Petri) sedes primitus apud vos fuit, quæ postea, jubente Domino, Romam translata est, cui, adminiculante gratia divina, hodierna præsidemus die. » Innocentius III, in c. *Per venerabilem* 13, Qui filii sint legitimi, sic habet: « Locus enim, quem eligit Dominus, Apostolica Sedes esse cognoscitur; cum enim Petrus Urbem fugiens exivisset, volens eum Dominus ad locum quem elegerat revocare, interrogatur ab eo: *Domine, quo vadis?* respondit: *Venio Romam iterum crucifigi.* Quod intelligens pro se dictum, ad locum ipsum protinus est reversus. » Bonif. VIII, in cap. *Unam sanctam* 1, De majorit. et obedient., inter communes sic præcise definivit: « Unam sanctam Ecclesiam catholicam et ipsam apostolicam, urgente fide, credere cogimur et tenere; Nosque hanc firmiter credimus et simpliciter confitemur, extra quam nec salus est, nec remissio peccatorum; » et ibi est sermo de sola Ecclesia Romana catholica, ut expressis verbis *ibidem*, in § final., declaratur; ibi: « Porro subesse Romano Pontifici omnem humanam creaturam declaramus, dicimus, definimus et pronuntiamus omnino esse de necessitate salutis. » Concilium Constantiense damnavit sequentem errorem Wicleffi in ordine 41: « Non est de necessitate salutis credere Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias. » Concilium Florentinum sub Eugenio IV in litteris unionis sic expresse definivit: « Definimus sanctam Apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem, esse B. Petri Principis apostolorum et verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, et omnium Christianorum patrem ac doctorem existere, et ipsi in B. Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse. » Quæ omnia clarissime ostendunt primatum Ecclesiæ universalis esse annexum episcopatui Romano, ex institutione et dispostione Christi, et sic de jure divino.

(74. Nec valet objicere quod primatus Ecclesiæ ex prima sui a Christo facta institutione fuit personalis, hoc est adnexus et connexus personæ Petri; *Matth.* XVI: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Et tibi dabo claves regni cœlorum*, etc.; et *Joan.* XXI: *Pasce oves meas;* non vero affixus particulari loco, vel determinato episcopatui. Nam Christus Petrum constituit generalem totius Ecclesiæ primum episcopum, supremumque pastorem, adeoque quod primatus Ecclesiæ sit Romano episcopatui potius adnexus quam Viennensi, Parisiensi, Toletano, Mediolanensi, Neapolitano, vel Taurinensi, non est ex Christi institutione, sed quia Petrus Romæ sedem fixit, vel a Nicæna synodo fuit sic ei adnexus, et consequenter non ei adnexus de jure divino.

(75. Non valet, inquam, quia licet primatus Ecclesiæ ex prima Christi institutione fuerit personalis, id est adnexus personæ Petri, non tamen ut Petrus erat persona privata, sed ut publica, ipsi nimirum collatus et in ipso omnibus ejus legitimis successoribus, et ex tunc fuit jussu Christi etiam localis, seu certo loco, Romanæ Urbi nimirum, affixus, non statim pro illo tunc, sed pro tempore subsequenti Petro a Christo, ut supra dictum est, significato; adeoque non ex voluntate Petri, sed ex voluntate et jussu Christi fuit primatus Ecclesiæ adnexus episcopatui Romano; et tanto minus dici potest quod primatus Ecclesiæ fuerit unitus Romano episcopatui a concilio Nicæno, canon. 6, ut falso volunt Græci schismatici, quia sextus canon concilii Nicæni sic expresse habet: « Ecclesia Romana semper habuit primatum, » ut notat Bail., *Summ. concil.*, tom. I, *in Concilio Chalcedonensi*, ad canon. 37; Cabassutius, *Notit. ecclesiastic.*, ad. d. canon. 6 Nicæni, et alii passim. Imo in præfatione dicti concilii Nicæni, teste Bail., *loco citato*, expresse dicitur quod « Ecclesia Romana nullis synodicis decretis prælata est cæteris Ecclesiis, sed

Digitized by Google

evangelica voce Domini et Salvatoris nostri primatum obtinuit.

(76. Nec valet instare quod, hoc dato, de fide tenendum esset primatum Ecclesiæ universalis esse adnexum episcopatui Romano, adeoque sententia contraria esset hæretica; et sic non posset a catholicis doctoribus defendi, prout a pluribus defenditur. Non valet, inquam, quia etiam dato quod id de fide tenendum esset, ut non deficiunt doctores qui id velint, inter quos Matthæucci, *loc. cit.*, controv. 6, cap. 2, num. 19, adhuc tamen doctores contrariam sententiam propugnantes non essent hæretici, quia non sunt contumaces et propriam opinionem non sustinent cum pertinacia, ut requiritur ad hæresim, sed parati sunt parere Ecclesiæ definitioni.

(77. Neque etiam valet instare, quod si primatus Ecclesiæ esset de jure divino adnexus Romano episcopatui, non possent ad invicem separari: quod est manifeste falsum, cum possint Pontifices ad aliam civitatem transferre Sedem Pontificiam, ut de facto fuit translata Avenionem, et per multum temporis ibi remansit; vel possit funditus destrui Roma et sic cessare episcopatus Romanus.

(78. Non valet, inquam, quia revera primatus Ecclesiæ nequit a Romano episcopatu ulla humana potestate separari; cum, ut cum multis recte notat Barbosa, lib. I *Juris eccles. univers.*, c. 1, n. 32, Sedes Pontificia ex necessitate divini præcepti Romæ remanere debeat, ac proinde e Roma contra Domini jussum alio transferri non possit, ut colligi etiam videtur ex sacris canonibus adductis supra num. 73, et aliis juribus et auctoritatibus relatis per Abbatem, in cap. *Per venerabilem* 14, Qui filii sint legitimi, num. 18, per Jacobat., *De concil.*, lib. VIII, art. 9, per Alphons. Mendozam in *Quæstion. Quodlibet.*, qu. 4, *Scholast.*, per tot.; per card. Tusch., tom. VI, lit. *P*, conclus. 50, num. 30 et 31, per card. Bellarmin., tom. I, *De Romano Pontif.*, lib. IV, cap. 4, et per alios plurimos. (79. Et quamvis aliqui Pontifices Avenione manserint, semper tamen episcopatum Romanum tenuerunt et Romani Pontifices fuerunt appellati, ut eorum bullæ clarissime demonstrant. Et dato etiam quod Romana civitas penitus exstingueretur (qui casus tamen creditur impossibilis, et speratur a divina Providentia Romam usque ad mundi finem esse conservandam), adhuc tamen non exstingueretur episcopatus Romanus, siquidem ut semper duret, sufficit aliquando fuisse cum connotatione ad illos terminos materiales Urbis, ut recte notant Guarnieri, *De capite militant. Eccles.*, lib. II, cap. 8, num. 6; Matthæucci, *loc. cit.*, controvers. 6, cap. 2, num. 20, et alii. (80. Et pro tunc, sicuti in casu quo Papa alio se transferat ad residendum, valeret illud vulgatum adagium, quod *Ubi Papa, ibi Roma*, ut in terminis Eugenianæ constit. incip. *Divina*, edita ab Eugenio IV octavo Idus Martii 1432, dixerunt Marchesan., *Decommis. Eug.*, part. II, cap. 11, num. 38; Ridolphin., in *Prax.*, part. III, cap. 4, n. 164; card. Petra, tom. IV, *Comment. ad const. 4 Eugenii IV*, n. 6, et alii.

(81. Papa, etiamsi litteris Apostolicis salutet excommunicatum; imo quamvis scienter ipsi excommunicato participet, litteris, verbis, osculo, aut quovis alio modo, non idcirco censetur eum absolvere, nisi expresse se declaret velle per hoc ipsum absolvere. *Communis*, textu expresso in cap. *Si aliquando* 41, De sent. excommunicationis; et in Clement. « Si Summus Pont. scienter etiam excommun. participet litteris, verbo, vel osculo, seu alio quovis modo, ipsum per hoc absolvere nulla ratione censetur, nisi se velle forsitan exprimat illum ex hoc pro absoluto haberi; » juncto ejus summario sic expresse habente: « Si Papa etiam scienter excommunicato participat, illum per hoc non absolvit, nisi exprimat hoc se velle. » *Vide* verb. PROBATIO. a num. 37 ad 39.

(82. Papæ primatus a Græcis est agnoscendus. Bened. XIV, tom. I, constitut. 57, incip. *Etsi pastoralis*, § 8. (83. Papæ commemoratio in missa fieri debet a Græcis Italiæ et insularum. Idem, *ibid.*, § 9.

(84. Papa ex absoluta potestate, etiam inconsulto diœcesis episcopo, potest concedere exemptionem ab ordinaria jurisdictione. Idem, tom. II, constitut. 40, incipient. *Causarum palatii.* (85. Papa, non autem ullus inferior antistes, potest dispensare in iis quæ sunt de jure communi canonico. Idem constit. 51, incip. *Magnæ Nobis.*

(86. Papa est supremus dispensator bonorum Ecclesiæ; imo canonistæ communiori suffragio Dominum eum agnoscunt. Bened. XIV, constit. incip. *Cum encyclicas litteras*, § 4. (87. Papa bona Ecclesiæ potest injustis detentoribus concedere, quoties id religionis utilitas et detentorum salus postulare videntur. Idem *ibid.*, § 5 et 6, ubi ad id affert exempla prædecessorum Pontificum; id autem Pontifex jure potest, non solum cum res est de hæreticis ad Ecclesiam revocandis, sed etiam cum Christi fideles a probabili apostatandi periculo revocantur. Idem, *ibid.*, § 6 et 7.

(88. Papa potest Ecclesias quibuscunque in diœcesibus sitas, per se, vel quatenus nolit, aut non possit, per suum delegatum, irrequisitis locorum ordinariis, consecrare. Benedict. XIV, const. incip. *Jam inde*, § 25 et 28. Imo olim privativa fuit ipsi auctoritas consecrandi Ecclesias. Idem, *ibid.*

Plura de Papa minus exacte hic dicta emendantur in novo articulo addito a Romanis editoribus, * quem heic subnectere lubet *.

ARTICULUS EX ALIENA MANU (181).

I. Romanus Pontifex Petro in Ecclesiæ

(181) E. R. *Monitum ad lectorem.* Non ut abjicias quod verum et justum est, sed ut æquus rerum æstimator sis, moneo, lector veritatis amans, ne more pecudum eas in sententias omnes, quas in

Digitized by Google

regimine succedit. Qui enim mortuo Petro, ejus loco electus est, atque in illius Sede positus ad regendam Christi Ecclesiam, Petro succedit in Ecclesiæ regimine. Romani vero Pontifices ii sunt qui, martyrio sub Nerone coronato sancto Petro, electi ac positi fuere in ejusdem Petri sede ad pascendas Christi oves. Scio Calvinum, Franciscum Turretinum, ac nonnullos alios Calvinianos et Lutheranos, eo impudentiæ devenisse, ut negaverint fuisse Petrum Romæ, ac sub Nerone ibidem passum. At quis non videat id hæreticorum cerebro fuisse confictum, ut miserrimo hoc effugio, invictissima illa argumenta declinarent, quæ Romani Pontificis in Ecclesia Christi primatum demonstrant? Cum enim Romana Petri sedes, martyrium, quod ibidem Petrum subiisse asserimus et quæ hinc sequuntur, res facti sint, sola constanti atque perpetua populi Romani traditione publicis monumentis antiquissimis comprobata, extra omnem controversiam ponitur. Nam Romani semper asseruere fuisse Petrum eorumdem pastorem, ac, Nerone imperante, in carceribus primum inclusum, cruci deinde affixum fuisse; et demonstravere semper, ac etiam nunc ostendunt locum carceris, supplicii locum, sepulcrum, sacras eidem Petro in Dei honorem dicatas ædes, sacrique corporis reliquias, ac alia monumenta. Accedunt etiam catalogi omnes Romanorum Pontificum a primis quoque sæculis descripti: omnes enim a Petro initium sumunt. Cum hujusmodi catalogis consentiunt series Romanorum Pontificum, quas exhibuere Tertullianus, lib. *De præscriptionibus hæret.*, cap. 33; Cyprianus, epist. 55, *ad Cornelium Romanum Pontificem*, et S. Hieronymus, epist. 57, quæ est *ad Damasum*, atque Augustinus, ep. 263; omnes quoque antiqui ecclesiasticæ historiæ scriptores idem testantur. Videatur Hegesippus, lib. *De excidio urbis Hierosolymitanæ*, cap. 1, et Eusebius, lib. II *Hist. eccles.*, cap. 24, ubi refert etiam testimonia Dionysii episcopi Corinthiorum, et Caii, qui circa initium tertii sæculi contra Montanistas scripsit. Quibus si addantur aliorum Patrum testimonia, ac universi orbis Christiani fides, quæ semper Romanam Petri cathedram venerata est, facile patet, Calvinum ejusque sectatores nonnisi per summam impudentiam dubitasse de Romana sancti Petri cathedra (182).

II. Itaque Roman. Pontif. sedem tenet a Petro per mortem relictam, ac Petro succedit in Ecclesiæ regimine: idcirco enim electus post Petri mortem successor fuit, ut loco Petri oves Christi pasceret, Ecclesiamque gubernaret. Habet ergo concessam Petro a Christo Domino, pro regenda Ecclesia, potestatem, auctoritatem et juridictionem. Ecclesia enim Christi perpetuo duratura est, secundum facta a Deo promissiones ac manserunt post Petri mortem et supersunt adhuc oves Christi. Collata ergo a Christo Petro potestas pascendi oves Christi, regendique Ecclesiam, in Petri persona etiam ipsius successoribus concessa fuit. Ergo sicut Petro, ita et ejus successoribus a Christo Domino tributa potestas et auctoritas fuit. Id adeo perspicuum est, ut Ecclesiæ naturam consideranti facile pateat. Si enim semper futuræ sunt Christi oves, futuri semper sunt in Ecclesia pastores, in quibus potestas insit, primis a Christo institutis pastoribus communicata, cum hæc non minus illis, ac istis necessaria sit. Is ergo, qui Petro in regenda Ecclesia successit, collatam a Christo Petro potestatem habuit. Quod quidem ex eo quoque luculenter patet, quia hujusmodi auctoritatem et potestatem semper Ecclesia universa in Petri successoribus venerata est, ac semper exercuere Romani Pontifices, veluti a Christo ipsis collatam. Etenim sancti Ecclesiæ Patres Sedem Romanam Petri cathedram vocarunt. S. Cyprianus, epist. 52 et 55; ita optatus Milevitanus, lib. II, *contra Parmenianum;* ita Hieron., epist. quæ est *ad Damasum;* ita denique S. Petrus Chrysologus, epist. *ad Eutychetem* relata in prima parte conc. Chalcedon., n. 13, ubi hortatur hæreticum hominem ut Romano Pontifici pareat per hæc verba: « Quia D. Petrus in ejus sede et vivit, et præsidet, et præstat quærentibus fidei veritatem. » Hinc Philippus diaconus Romani Pontificis in Ephesina synodo legatus, actione 2, dixit: « Nulli dubium est quod S. Petrus a Domino claves regni acceperit, qui ad hoc usque tempus semper in suis successoribus vivit, et judicium exercet; » et PP. conc. Chalcedonen., lecta S. Leonis Romani Pontificis epistola,

medium promit Lucius Ferraris. Illas cribra et auctoritatem quære in Scripturis sanctis, in doctrinis sanctorum Patrum, in sacrorum conciliorum canonibus, atque in Summorum Pontificum sinceris decretis. Scias velim, neque Ecclesiam neque Summos Pontifices indigos esse falsitatis, ut auctoritatem, decorem splendoremque tueantur. Ridebis, cum leges num. 13 Papam esse regem cœli et terræ et inferorum; indignaberis, quando omnia, quæ sub num. 49 congesta sunt, perlegeris, dicesque Lucium velle definire, quod nondum ab Apostolica Sede expresse definitum est, teste Lambertino. A suspicione hæresis ille non absit (inquit Lamindus Pritanius *De Ingen. moder.*, l. 1, c. 17) atque intolerandam, et pœnis dignam temeritatem, ac impudentiam præ se ferat, qui rite cœlitum catalogo ascriptos explodat, et in iis, ut aiunt, canonizandis Ecclesiam reipsa, et Romanum Pontificem errasse dicat. Suspicionem hæresis memoravi, non autem hæresim formalem; quippe non video, qui conciliari possit cum certissimis regulis hactenus traditis eorum sententia, qui firmissimo assensu, divinaque fide credendum censent Ecclesiam, aut Romanos Pontifices, talia decernentes, falli nunquam posse. Videant ipsi, an non inde sequatur, novas revelationes, nova de factis dogmata in Ecclesiam induci, quod abhorrere a catholica doctrina et ipsi non negant. Nam quæ argumenta pro sua opinione producunt, aut nihil, aut nimium in ista quæstione probare facile cognitu est; dictorum suorum probationes legeris apud eumdem Pritanium, quem si legisset Ferraris, in negotio religionis moderatius scripsisset.

(182) *Vide* Zaccariæ *De sancti Petri primatu, Romanaque Ecclesia ab eo condita, atque episcopi jure administrata* dissertationem; Romæ, 1776.

Digitized by Google

unanimi consensu exclamarunt : « Petrus per Leonem locutus est. » Vide ex his, lector, quæ fuerit Orientalium fides an. 431, dum coacta Ephesina synodus fuit, et an. 451, dum celebrata fuit synodus Chalcedonensis, de Romano Pontifice sententia. Dubitarine potest quin episcopi illi, qui vivere in Romano Pontifice Petrum, ac Petrum per istum loqui asseruerunt, jura Petri in Romano Pontifice agnoverint? Qua vero persuasione ducti ea palam prædicarunt, quæ antea diximus, nisi ex fide, quam quilibet Orientalis episcopus a suis majoribus accepisset, et qua certissime crederent Romanum Pontificem Petri prærogativas, auctoritatem, juridictionemque ex Christi institutione recipere? Vide ergo num stare possit illa novatorum hypothesis, quæ asserit collatam utique Petro fuisse a Christo potestatem, sed hanc in Petri successores neutiquam transmitti : qua ratione hæc poterit cum antiquorum Patrum fide conciliari? Ecquis credat voluisse Christum necessariam ad Ecclesiam regendam potestatem soli Petro, non vero ejus successoribus tribuere? Nunquid post Petrum sine rectore esse voluit fideles suos, sine pastore oves?

III. Sed finge potestatem finire in Petro debuisse. Quis credat Christianos ac episcopos totius orbis passos fuisse, Romanos episcopos exercere in se auctoritatem, potestatem et jurisdictionem illam, nemine penitus relutancte? Neque enim verisimile est episcopos, Christianos principes, ac fideles omnes, iis tantum exceptis qui et communione Ecclesiæ dejecti essent, et quos vel ipsi novatores pro hæreticis habent, passos fuisse Romanos Pontifices in universam Ecclesiam potestatem et jurisdictionem exercere, nisi divina ab apostolis derivata traditione instructi, agnovissent Romanum Pontificem successorem esse Petri in primatu ac regimine totius Ecclesiæ? At res explorata est a primis sæculis, Romanos antistites exercuisse in universam Ecclesiam jurisdictionem. Calvinus ipse id fassus est lib. IV *Instit.*, c. 7, dum scripsit : « Nullum fuit tempus quo non Romana Sedes imperium in alias Ecclesias appetierit. » Sed age, paucis indicemus antiquiores hujusmodi jurisdictionis actus. Victor Romanus Pontifex circa finem secundi sæculi, cum accepisset Polycratem Ephesinorum episcopum, cum nonnullis aliis Asiæ minoris episcopis, detrectasse decreto a se promulgato obtemperare de celebrando Paschate non die Lunæ 14, sed Dominico die Lunam 14 Martii subsequente, minis excommunicationis in eos usus est; Eusebius, lib. V *Hist. eccles.* cap. 14, epistolam refert ab Irenæo Victori scriptam, in qua rogabatur Pontifex ne tot Ecclesias a Christi corpore separaret. Id vero probat de potestate Romani Pontificis dubitatum non fuisse. Tertio sæculo Stephanus Romanus Pontifex minis excommunicationis studuit Cyprianum et Firmilianum obligare ad opinionem deserendam Romanæ Ecclesiæ traditionibus contrariam, de iis rebaptizandis qui baptizati ab hæreticis essent. Quarto sæculo celebris est historia Julii Romani Pontificis, qui in causa S. Athanasii, Pauli Constantinopolitani, Marcelli Ancyrani, et Asclepæ Gazensis episcopi, quos Orientales deposuerant, Apostolica sua auctoritate eosdem propriis sedibus restituit. Rem narrat Sozomenus, lib. III *Hist. eccles.*, cap. 8, qui Julium Romanum Pontificem id fecisse asserit : « Quoniam propter Sedis dignitatem omnium cura ad ipsum spectabat. » Idem ait Socrates lib. II., cap. 15. Constat præterea Liberium causam agnovisse Eustathii Sebasteni in Armenia episcopi; Cœlestinum Nestorii episcopi Constantinopolitani; atque Innocentium I exercuisse jurisdictionem in Ecclesias Africæ, Hispaniæ, Illyrici et Galliæ, ut liquet ex ipsius epistolis. Mitto sequentium sæculorum exempla, quæ satis obvia et frequentiora sunt.

IV. Atque hæc indicasse sufficiat, ut tria inde colligamus. 1° Certum esse Romanum Pontificem successorem esse sancti Petri, ac divino jure, lege scilicet a Christo stabilita, auctoritatem ac potestatem habere Petro collatam. 2° Non ab Urbis dignitate, ut Photius schismaticique illius sectatores somniarunt, sed a persona Petri, cui succedit, Romanum Pontificem habere in Ecclesia principatum; non enim quia in regia urbe sedit, sed quia in Petri cathedra locum tenet Petri, collatam huic potestatem obtinet; ut antiqui Patres supra citati loquuntur. 3° Jure meritoque ab Innocentio XI damnatam fuisse propositionem, quæ Petrum et Paulum duos Ecclesiæ principes asserebat, atque hanc ita explicatam, « Ut ponat omnimodam æqualitatem inter SS. Petrum et Paulum, sine subordinatione et subjectione S. Pauli ad S. Petrum in potestate suprema, et regimine universalis Ecclesiæ, » hæreticam esse, ut decreto suo Pontifex ille declaraverat : Nam contraria est perpetuæ et constanti Ecclesiæ traditioni, quæ unum Petrum Ecclesiæ caput agnovit, atque etiam sacræ Scripturæ in locis mox afferendis.

V. Ostendimus Romanos Pontifices Petro succedere, atque ut ipsius successores in Ecclesiam universam potestatem ac jurisdictionem semper exercuisse : videndum superest, quæ collata Petro fuerit potestas in ipsius successores transmittenda. Visibile caput totius Ecclesiæ constitutum fuisse a Christo contendimus, cui jus esset supremum in fideles et episcopos omnes, definiendi fidei controversias, ferendi leges, ac alia disponendi, quæ ad monarchicum Ecclesiæ regimen necessaria forent. Id probamus primum, quia conveniens fuit ut in Ecclesia fundata a Filio Dei homine facto, qui per visibiles notas, et characteres doctrinæ divinitatem, missionem suam, ac reliqua demonstravit necessaria ad fundandam Ecclesiam, visibile caput semper esset, quod nomine Christi, ac veluti ab ipso missum, revelatam religionem custodiret, præcepta daret, quæ facilia redderent religionis officia, omnes regeret, ac lites circa religionem ortas suprema sua auctoritate finiret : nam

Digitized by Google

sine hujusmodi supremo principe non eadem Dei providentia haberetur in conservatione Christianæ Ecclesiæ, quæ fuit in ipsius fundatione, nec adesset in Christi Ecclesia medium, quo certo finiri lites religionis possent, quæ mutuam inter homines pacem et charitatem lædunt atque disrumpunt. Deinde ita Christum constituisse Ecclesiam sacra Scriptura aperte demonstrat. *Matthæi* XVI Christus Dominus futuram Ecclesiam suam prænuntiavit, atque occasione illius factæ per Petrum confessionis, *Tu es Christus Filius Dei vivi*, qua basis et fundamentum Christianæ doctrinæ continetur, per hæc verba eam designavit: *Beatus es, Simon Bar-Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est.* Beatum ergo Petrum nominat, quod speciali favore, et gratia divinæ istius revelationis præcipuus præco, et depositarius constitutus esset; et statim subnectit: *Et ego dico tibi, quia tu es Cephas* (hoc est petra), *et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis, et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis.* Quis non videt Christum de Petro locutum esse, dum dixit, *et ego dico tibi, quia tu es Cephas*, sive lapis, seu petra, ut Syriaca usurpata a Christo vox sonat, et *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, etc.? Is etenim obvius legenti sensus apparet, et aliunde Patres omnes Petrum dictum fuisse petram, in qua fundanda Christi Ecclesia esset, unanimi consensu affirmarunt. Ita Tertull. lib. *De præscript.*, cap. 21 et lib. *De pudicit.*; ita Origenes, hom. 5 *in Exodum*; S. Cyprianus, *Epist. ad Jubajanum*, et lib. *De unitate Ecclesiæ*; Firmilianus, *Epist. ad Cyprianum*; S. Epiphan. in *Ancorato*; Gregor. Nazian., orat. *De moderatione in disputationibus servanda*; Basilius, *Hom. de pœnit.*, et l. II *adversus Eunomium*; Ambrosius serm. 47, *De fide Petri*; Hilarius, c. 16 *in Matth.*, et alibi, et Hieronym., epist. 57 *ad Damasum*, et *Epist. ad Marcellam.* Qui vero *petræ* nomine, vel Christum intelligunt, ut Augustinus; vel fideles omnes, ut Origines, tract. 1 *in Matth.*, vel factam a Petro confessionem, ut Hilarius et Cyrillus Alexandrinus, Chrysostomus, aliique, Petri personam non excludunt, ut videre est apud Originem loco supra a nobis citato, apud Hilarium, apud Chrysost., *Hom. in psal.* L, et apud Cyrill. Alex., lib. II *in Joan.*, c. 12, atque apud Augustinum lib. I *Retract.*, c. 21, ubi ex professo *petram* de Christo, et de sancto Petro interpretatur. Huic autem multiplici interpretationi occasionem dedit multiplex, quod distingui potest, Ecclesiæ fundamentum; aliud est enim primarium cujusmodi, est Christus; aliud secundarium, et ministeriale, ut fuit S. Petrus; aliud veluti materiale, ut sunt ipsi fideles; et tandem aliud quasi formale, atque istud est ipsa fides. Atque hinc factum est, ut Patres, pro controversia quam tractabant, et re de qua agebant, modo per petram, quæ est Ecclesiæ fundamentum, Christum, modo Petrum, modo fideles, modo Petri fidem intellexerunt. Vix vero invenies unum S. Patrem, qui Petrum ministeriale ac visibile fundamentum, sive caput Ecclesiæ fuisse neget. Qui autem Petri fidem per supradictam confessionem explicatam, Ecclesiæ fundamentum vocavere, locuti sunt de formali et meritoria causa primatus Ecclesiæ, ut theologi exponunt.

VI. Quæ cum ita se habeant, ex obvio, quem præferunt, sensu Matthæi verba, atque ex perpetua et constanti eorumdem facta per antiquos Ecclesiæ Patres interpretatione, clare conficitur: 1° Petro omnium primo revelatum a Deo fuisse, Christum esse æternum Dei Filium, qui in mundum pro nostra salute venit. 2° Hanc ob causam Beatum fuisse a Christo Domino appellatum, ac simul mutatum illi nomen fuisse, veluti ad innuendum destinari ad nobile ac præstantissimum quoddam munus debuisse; nunquam enim Deus mutare consuevit nomen, quin eum cui nomen mutavit insigni aliquo beneficio non donaverit. 3° Vocatum Petrum fuisse firmam illam petram, quæ ita sustentatura esset Ecclesiam, supra ipsam fundandam, ut hæc deficere nunquam posset; hoc enim innuunt verba illa: *et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* 4° Denique promissas fuisse Petro claves regni cœlorum, ac ligandi solvendique potestatem. Nemo vero est qui ignoret secundum phrasim Scripturarum, potestatem clavium summam et supremam potestatem designare: sequentia vero verba, *quodcunque ligaveris super terram*, etc., clarius exponunt hanc eidem promissam fuisse potestatem. Quid enim ligandi solvendique potestas est, nisi summa potestas leges ferendi, quibus ligantur homines et dispensandi? qua ratione solvi homines, jam per leges obligati, dicuntur. Vides ergo ex hoc capite erui, promisisse Christum Petro, se fundaturum Ecclesiam, quam recturus ipse esset, ac daturum ipsi fuisse claves regni cœlorum, Ecclesiæ scilicet cœlestis et e cœlo descendentis, atque ad cœlum homines dirigentis, et summam potestatem imperandi ac præcipiendi super universam terram. Qua quidem in promissione, quis non videt delineatum primatum illum, ac illam jurisdictionem, quam cum Petrus, tum ipsius successores in fideles exercuere universæ terræ?

VII. Sed expendamus alias Christi de Petro sententias; *Luc.* XXII, 32, Christus Dominus postquam dixit: *Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum; ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo et sedeatis super thronos judicantes duodecim tribus Israel;* ad Petrum conversus deinde subdit: *Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.* Omnes ibi alloquitur apostolos, et ad solum Petrum conversus inquit, *rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando confirma fratres tuos*, hoc est alios Ecclesiæ pastores. Cur Petro confirmandi etiam

Digitized by Google

fratres in fide cura commissa a Christo fuit, nisi quia universæ Ecclesiæ pastor ac rector vice ipsius Christi designatus fuerat? Luculentioria vero sunt Christi verba, quæ apud Joannem, cap. ultimo leguntur. In quibus collata Petro in universam Ecclesiam potestas confirmatur et declaratur. In tertia, qua sese manifestavit Christus omnibus apostolis apparitione; *dicit Jesus Simoni Petro : Simon Joannis, diligis me plus his? Dicit ei : Etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei : Pasce agnos meos. Dicit ei iterum : Simon Joannis, diligis me? Ait ille : Etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei : Pasce agnos meos. Dicit ei tertio : Amas me? Et dicit ei : Domine, tu omnia nosti; tu scis quia amo te. Dicit ei : Pasce oves meas.* Liquet ergo Christum ovium agnorumque suorum curam Petro commisisse; omnium ergo pastorem ipsum constituit; nam agnorum nomine fideles omnes veniunt, quibus nec gignendi filios in Ecclesias jus est, nec munus instruendi, alendi scilicet Christi doctrina fideles subditos, nomine vero ovium veniunt episcopi prælatique omnes, qui baptizando gignunt Ecclesiæ filios, ordinando inferiores ministros constituunt ac docendo filios cœlesti doctrina nutriunt. Id sane allegoria innuit, atque hoc sensu exposita legitur ab antiquis Ecclesiæ Patribus. Si pastorem Christus constituit Petrum universæ Ecclesiæ, necesse est ut summam eidem potestatem indiderit. Hæc enim regendæ fidelium societati necessaria est, ac necessaria itidem est assistentia, ne in instruendis fidelibus erret, alioquin missus a Deo esset sine necessaria auctoritate pastor Ecclesiæ, et fideles audire veluti Dei ministrum deberent illum, a quo induci in errorem possent. Quæ sane res dedeceret omnino divinam providentiam. Accedit etiam quod in Scripturis pascere idem ac regere significat, ut patet ex *Psal.* LXXIX, 10, ex *Psal.* LXXVII, 70, *Jeremiæ* III, 15, et *II Reg.*, 2. Petro ergo munus gubernandi, ac regendi universam Ecclesiam inditum fuit; quotquot enim fideles sunt, apostoli, evangelistæ, doctores, principes, reges, oves, vel agni Christi sunt, ut est manifestum; collata ergo ipsi suprema in omnes potestas. Aiunt vero pascendi Christi oves curam omnibus apostolis commissam fuisse, omnibus enim dictum a Christo fuit: *Prædicate Evangelium omni creaturæ*, etc.; et : *Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata remittuntur eis.* Non nego hæc dicta fuisse omnibus apostolis, ac hos habuisse jure apostolatus amplissimam potestatem; sed Petrum fuisse Ecclesiæ caput ac supremum rectorem, contendo. Cur enim singulariter uni Petro cura ovium agnorumque committitur? Cur sub pastoris allegoria eidem pascendi omnes, regendique universam Ecclesiam munus inditum fuit? Cur uni Petro Christus promisit clavium, ligandi, solvendique potestatem, nisi ad indicandum regendam ab ipso ejusque successoribus fuisse universam Ecclesiam? Qua denique ratione se fundaturum dixit supra Petrum Ecclesiam, nisi quod hic caput ipsius visibile, ac visibilis rector futurus erat? Adsunt quoque aliæ Petri prærogativæ in Scripturis indicatæ, quæ ipsius primatum demonstrant, quas designant et explicant theologi fere omnes.

VIII. His addi quoque possunt, cum ea quæ de Romani Pontificis Petri successoris jurisdictione diximus circa initium articuli ex Patribus et conciliis, tum etiam quod alia afferri non possit causa, cur Petrus sedem Antiochenam primum per seipsum fundaverit, ac relicto deinceps ibidem alio episcopo, sedem suam Romam transtulerit et Alexandrinam fundaverit per Marcum, et cur Alexandrina et Antiochena Ecclesiæ semper vastissimam jurisdictionem habuerint, nisi quod Petrus fuerit a Christo supremus Ecclesiæ suæ pastor constitutus. Non alia enim afferri posse causa videtur, nisi quia ex tribus illis conspicuis urbibus facile esset per universam Ecclesiam jurisdictionem exercere, nec aliunde repeti antiqua prærogativa potest Antiochenæ et Alexandrinæ Ecclesiæ, nisi quod ab apostolorum Principe ac supremo Ecclesiæ pastore fundatæ fuerint. Quid ad hæc omnia Calvini Lutherique sectatores? Nunquid invisibilem Christi Ecclesiam prædicabunt, ac a solo invisibili capite Christo Jesu regulatam? At si Deus, ut humano generi consuleret, misit Filium suum hominem factum, qui visibilibus characteribus Christianam religionem hominibus ostenderet : si Christus Dominus, sicut missus ipse a Patre fuit, ita apostolos misit, qui per visibiles et omnino conspicuas notas missionem suam, ac religionem quam prædicarent demonstrarunt; si Petrus ac apostoli reliqui per manuum impositionem ac sensibiles alios ritus potestatem a Christo concessam dedere hominibus, qui succedere ipsis in Ecclesiæ regimine debuissent; si semper ac ubique locorum visibilis illa in Ecclesia forma fuit, per quam episcopi auctoritate a Christo derivata, concreditum sibi gregem gubernarent et secundum quem omnes Petri successori uniti ac subjecti essent veluti Christi vicario; quis est qui non videat visibilem Ecclesiam Christi esse, ac ea regiminis forma donatam, ut inferiores ministros episcopis subjectos habeat, ac episcopos omnes uni Petri successori subditos? Ita enim eam Christus expressit, dum illam domui, in qua residet Paterfamilias, ovili, in quo unus supremus est pastor; navi, in qua unus inest gubernator, ac aliis rebus comparavit, quæ unum habere Ecclesiam supremum visibilem rectorem repræsentarent, cui omnes adhibere fidem ac parere teneantur. Videantur etiam ea, quæ in art. de Ecclesia disputavimus.

IX. A Calvinianis et Lutheranis gradum facimus ad Photianos et Edmundum Richerium Facultatis Parisiensis doctorem et syndicum; illi enim asserere visi sunt, Romanum Pontificem favore imperatorum et quod in regia urbe sedem habuisset, ac-

Digitized by Google

quisivisse primatum; Richerius vero in libello *De ecclesiastica et politica potestate*, an. 1611 in lucem edito, contendit, claves seu jurisdictionis potestatem uni et soli Ecclesiæ, cœtui scilicet credentium, immediate a Christo datam fuisse, Petro vero et apostolis, ac eorum successoribus episcopis *mediate*, hoc est per Ecclesiam, concessam esse, opinatur. Hinc enim Romanum Pontificem, ac episcopos omnes ita Ecclesiæ ministros statuit, ut potestas, et jurisdictio pœnes Ecclesiam sit, ministerium vero, seu jurisdictionis exercitium penes illos, qui sunt veluti instrumenta, per quæ suam Ecclesia potestatem exercet. Damnatum illico fuit Richerianum systema in Gallia, et ab Apostolica Sede, atque auctor palinodiam cecinit. Quæ supra sunt a nobis exposita, aperte Photianos et Richerium confutant. Nam Romanus Pontifex primatum exercuit in Ecclesia etiam antequam imperatores Romanos Pontifices favoribus prosequerentur, ab ipso quoque persecutionis tempore, ut de Victore, Stephano, aliisque primorum etiam sæculorum Pontificibus liquet, atque hujusmodi primatum tribuere Patres et concilia Romano Pontifici, ac vindicavere semper sibi Petri successores, ut supra probavimus, non quia in urbe regia essent, sed quod Petri Sedem occuparent et jus in se a Petro Christo collatum suscepissent. Nec video, qua fronte potuerit Richerius asserere, non Petro immediate, sed Ecclesiæ, ac per Ecclesiam Petro collatam potestatem et jurisdictionem fuisse. Nam Christus Dominus Petro dixit : *Tibi dabo claves*, etc. *Quodcunque ligaveris*, etc. *Pasce oves*, *Pasce agnos meos*, etc. Et Ecclesia semper professa est, divino a Christo constituto jure Petri potestatem in ipsius successores, descendere, ac Deum esse, qui designato per electionem Petri successore, eidem promissam per Christum potestatem contert. Id sane innuunt Patrum et conciliorum, quæ quinto Ecclesiæ sæculo fuere celebrata, verba supra a nobis relata. Hinc concilium Florentinum antiqua concilia universæ Ecclesiæ secutum, ita rem definivit : « Definimus, sanctam Apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum et ipsum Romanum Pontificem successorem esse B. Petri principis apostolorum et verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiæ caput et omnium Christianorum caput et doctorem existere, et ipsi in B. Petro pascendi, regendi et gubernandi universam Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis œcumenicorum conciliorum et in sacris canonibus continetur. »

X. Hactenus contra hæreticos, ac damnatas ab Ecclesia sententias disputavimus. Agendum nunc est cum Gallis theologis, quorum opinio nullo Ecclesiæ judicio damnata est, ac salva fidei unitate defenditur. Clerus Gallicanus in conventu Parisiis habito an. 1681. « Romanus Pontifex, inquit, caput est Ecclesiæ, centrum unitatis : obtinet ille in nos primatum auctoritatis et jurisdictionis sibi a Christo Jesu in persona S. Petri collatum : qui ab hac unitate dissentiret schismaticus, imo et hæreticus esset. » Et in declaratione facta an. 1682 ita idem clerus loquitur : « In fidei quæstionibus præcipuæ Romani Pontificis partes sunt, ejusque decreta ad omnes et singulas Ecclesias pertinent. » At in hac declaratione, quatuor posuere propositiones, quæ certis limitibus Pontificiam auctoritatem circumscribunt; aiunt enim : 1° Non esse Romanum Pontificem supra generale concilium; 2° decreta ipsius ad fidem pertinentia infallibilia non esse, dum nullus accedat Ecclesiæ consensus; 3° auctoritatem et jurisdictionem ipsius obligare omnes omnino, dum canonicas leges servari jubeat, sed novas leges condendo, non astringere omnes, nisi Ecclesiæ consensus accedat : 4° neque directam, neque indirectam potestatem habere in bona temporalia, ac temporales principum subditos. — Hujusmodi propositiones damnatæ ab Ecclesia non sunt, imo veluti fideles Romanæ Ecclesiæ filii illarum assertores habentur, qui sese paratos exhibent ad obtemperandum Romano Pontifici, atque veluti supremum a Christo rectorem constitutum eum venerantur. Alphonsus vero Turretinus pyrrhonismi insimulat catholicam Ecclesiam ob hujusmodi Gallos inter aliosque theologos dissidium, circa subjectum infallibilitatis Ecclesiæ. At ubinam pyrronismus est? Utrique conveniunt, hanc prærogativam Ecclesiæ concessam esse; Galli fatentur decreta Romani Pontificis ad fidem pertinentia, ad universam Ecclesiam pertinere, maximam venerationem mereri, ac revocari in dubium non posse sine temeritate, tum ob maximam quam sibi vindicat Apostolica Sedes auctoritatem, tum etiam quia dum nunquam hæc erraverit, veluti peculiari assistentia prædita nobis exhibetur : constat denique indubiam fidem facere definitionem Romani Pontificis, dum aliquis Ecclesiæ consensus accedat ex Gallorum confessione. Constat ergo de infallibili Ecclesiæ judice. Nec disputatio illa de concilio Pontifici superiore, hanc dubitationem ingerit, cum Galli quoque consentiant convocandi concilia generalia, ac in iis præsidendi jus esse penes Romanum Pontificem, qui visibile Ecclesiæ caput, ac supremus rector et doctor est. Sed de his satis.

XI. Venio nunc ad expendendas quatuor supra indicatas propositiones (183). Principio vero advertendum est, opinionem quæ Romanum Pontificem concilio inferiorem asserit, ortam esse tempore diuturni schismatis, quod circa finem quarti decimi sæculi in Ecclesia Romana fuit, quo quidem tempore, cum plures, iique dubii Romani Pontifices essent, affirmare theologi cœpe-

(183) Quas fusius confutatas invenies ab emin. Orsio, a Petro Ballerinio, et a Zaccaria in utroque Antiphronio.

Digitized by Google

runt subjectos illos fuisse generali concilio, cujus unice judicio schisma illud auferri posse censebant; ubi vero certo constet de Petri successore, nunquam ab antiquis theologis, Patribus atque conciliis assertum legimus hunc concilio subjectum esse; imo constat præfuisse semper saltem per suos legatos conciliis, atque in conciliis Ephesino et Chalcedonensi veluti Christi vicarium agnitum fuisse ab universa Ecclesia ibidem congregata jure divino superiorem. Nec diverso modo sentire Patres potuere, dum antiquorum fidem, ac traditam a Christo Petro potestatem profiterentur. Petro enim jus in omnes Christi oves, atque in fideles omnes concessum fuit, ut nos supra ostendimus : ergo in omnes episcopos. Scriptura vero, atque antiqui Patres nunquam distinguunt inter separatos et congregatos pastores; ergo jus illud, quod in omnes extenditur separatim existentes episcopos, viget etiam dum isti sunt in concilio congregati; ergo ut episcopi singuli subditi sunt Romano Pontifici, ita eorum concilium. Vide hac de re celebre eminentiss. cardinalis Orsi, *De Romano Pontific.* opus, tomum V *Orig. ecclesiast.* P. Mamachi et alios auctores (184). Deinde jus pascendi et clavium potestas Petro tradita conjunctam habet auctoritatem condendi leges, quæ fideles obligent; ex hoc enim jure deducimus, potestatem in Ecclesia reperiri ferendi leges, ut nos in aliis articulis ostendimus, et nullibi legitur in Scripturis, leges per Romanum Pontificem latas vim obligandi ab aliorum consensu accipere; omnes enim ad Romanum Pontificem comparati, Christi oves dicuntur ac subditi ipsius revera sunt; quis vero dicat ex subditi confessione pendere vim præcepti a superiore lati, vel ab ovium acceptatione vim pendere Pastoris imperii? At inquiunt etiam aliis apostolorum successoribus jus pascendi concessum fuisse. Assentior. At hoc non obstante jure, subditi constituti sunt Christi vicario et ad hunc comparati ovium nomine a Christo designantur : ergo sicut episcopi ferentes leges in sua diœcesi, non pendent a consensu inferiorum ministrorum et plebis, ut subditos obligent, ita Romani Pontificis leges exspectare non debent episcoporum consensum ut obligandi vim in universa Ecclesia habeant. Disputandum quoque esset de indirecta in subditos principum potestate, de qua plura scripsit ex ordine meo, Joann. Anton. Bianchi in opere *contra Petrum Giannone*, sed hanc controversiæ partem omittimus, cum ad rem hanc sufficere videantur, quæ in articulo de Papa ab auctore exposita sunt. Nec sane video qua ratione theologi Christianos principes ab hac liberare potestate possint. Si enim sunt ipsi Christi oves ac oves Christi itidem eorumdem subditi, utique ergo obedire tenentur Romano Pontifici, dum se ut Christi vicarium gerant; ergo Pontifex ea poterit adhibere media, quæ ad contumaciam vincendam et ad Ecclesiæ perduelles puniendos, Ecclesiæ concessa sunt. Per hæc vero indirectam illam auctoritatem exercere quandoque poterit, de qua disceptatur.

XII. Expendamus modo quæstionem de infallibilitate. In hac sane Galli theologi majores suos deserunt, nec sibi consentanei videntur. Duas tantum afferam solemnes Gallorum declarationes, quarum prima facta fuit sub Ludovico XI anno 1461, in qua senatus Parisiensis ita ore clarissimi DD. Loselier loquitur : « Protestatur curia Vestræ Majestati, se nullo modo propter quæcunque inferius dicenda, excellentiæ, sanctitati, dignitati, honori et auctoritati sancti Patris Papæ sanctæque Sedis Apostolicæ derogare; sed econtra ei honorem, reverentiam et obedientiam, quam omnes boni fideles catholici supremo Ecclesiæ Pastori præstare tenentur. Protestans insuper, si quid dictum factumque a se fuerit, quod correctione egeat, istud totum velle se omnino Ecclesiæ sanctæ, Apostolicæ et Romanæ determinationi submittere, quæ errare non potest, » juxta canon. *Recta* 24, quæst. 1. Præterea Universitas Parisiensis coram Clemente VII perorante Petro de Alliaco magno regiæ Navarræ moderatore, tum cardinale eminentissimo, circa prærogativam Romani Pontificis et Apostolicæ Sedis mentem ac sententiam declaravit his verbis : « Hæc est fides, beatissime Pater, quam in catholica Ecclesia didicimus, in qua si minus perite ac parum caute forte aliquid positum est, emendari petimus a te, qui Petri fidem et sedem tenes. Non ignoramus enim, sed firmissime tenemus et nullatenus dubitamus, quod S. Sedes Apostolica est illa cathedra Petri, super quam fundata est Ecclesia..... De qua Sede in persona Petri apostoli in ea sedentis dictum est : *Petre, rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* Hæc est igitur, ad quam determinatio fidei, et approbatio veritatis catholicæ, ac hæreticæ impietatis detestatio maxime pertinet. » Nunc ita : Qui ait Romanum Pontificem errare non posse et ad ipsum spectare verba hæc Christi Domini : *Rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua*, Romanum Pontificem, secluso aliorum episcoporum consensu, infallibilem decernit in fidei decretis : id vero asseritur in duabus supra expositis declarationibus, quarum altera senatus Parisiensis, altera universitatis est. Ex quo colligere possumus, communem fuisse etiam apud theologos et canonistas Galliæ, sententiam, quæ inerrantiæ privilegium Romano Pontifici adjudicat, antequam solemni illo decreto an. 1682, ad quatuor defendendas cleri Gallicani propositiones astringerentur. Quæ quidem res a pluribus nostris theologis demonstrata fuit. Neque aliter,

(184) Peculiarem hanc de suprema Romani Pontificis in ipsa generalia concilia potestate propositionem egregie confirmavit doctiss. Joannes Vincentius Bolgeni in egregio libro, quem prænotavit : *Esame della vera idea della S. Sed.*; Maceratæ, 1715, pag. 102 seqq.

Digitized by Google

dempto partium studio, decerni posse videtur. Nam si Romanus Pontifex constitutus a Christo est caput totius Ecclesiæ, Romano Pontifici concessa fuit potestas clavium et ligandi, atque solvendi, eidem ovium Christi cura demandata. Rursus, si omnes fideles subditi sunt Romano Pontifici, cum omnes sint oves Christi, omnes audire et finem habere debent Romano Pontifici Christi vices in docendo gerenti. At si Deus voluit ut certam nos fidem haberemus supremo Pastori Christi in terris vicario, necesse est, ut eidem non errandi privilegium concesserit, alioquin incidere nos in errorem possemus, audiendo ac fidem præstando illi quem Deus audire et cui fidem adhibere nos jubet; errare ergo Deo obtemperando possemus, id vero dedecet quam maxime divinam providentiam : ergo ex ipso pastoris universalis, ac Christi vicarii munere privilegium non errandi deducitur, quia sine hoc privilegio finem Deus vellet sine mediis ad finem necessariis, quod cum Dei providentia pugnat. Quid vero, si id ex iisdem textibus Scripturæ constet, quibus adversarii infallibilem Ecclesiam demonstrant? ex verbis illis *Matth.* XVI : ***Portæ inferi non prævalebunt adversus Ecclesiam***, errare, sive a recta fide deficere Ecclesiam non posse omnes theologi nostri argumentantur; neque id potest in dubium revocari cum in pluribus conc. generalibus ex verbis illis infallibile esse judicium Ecclesiæ comprobatum sit. At verba illa concessum a Christo Petro ejusque successoribus privilegium demonstrant; Petro enim ibi dictum est, ut supra vidimus: ***Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.*** Quinam vero est obvius horum verborum sensus, nisi iste; Te, Petre, rectore, portæ inferi non prævalebunt adversus Ecclesiam, hoc est, te servante, ac exponente depositum divinæ revelationis, errare ac deficere Ecclesia mea non poterit. Ecquis enim dicat de Petro Christum locutum esse, cum dixit, ***Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam***, et ad Ecclesiam a Petro sustentatam, sive regulatam, atque directam, non pertinere verba quæ statim sequuntur, ***Et portæ inferi***, etc.? Itaque si consentanei suis velint esse principiis adversarii nostri, fateantur oportet Petro ejusque successoribus inerrantiæ prærogativam fuisse concessam; episcoporum vero consensum nil aliud efficere posse, nisi testari in suis quoque Ecclesiis veritatem illam custoditam fuisse, quæ infallibili Romani Pontificis judicio, veluti a Deo revelata proponitur et credenda inculcatur. Quamobrem cum quæstio movetur de subjecto, in quo privilegium non errandi reperiatur, extra Romanum Pontificem inquirere, ac invenire istud non possumus; cum Scriptura Petro ejusque successoribus promissum asserat, eumque vicario Christi, vel ex ipsa muneris dignitate debeatur. Magni sane fieri debet omnium, vel fere episcoporum consensus, in veritate aliqua veluti ex Deo revelata asserenda, cum testes ipsi quoque sint sacri divinæ revelationis depositi Ecclesiæ pastoribus concrediti; sed infallibile judicium, quo fidei dogma constituatur, Romani Pontificis auctoritate ferendum est. At hæc sufficiant de Romano Pontifice. Vide auctores qui ex professo scripsere, præsertim viros cl. P. Orsi nunc eminentissimum cardinalem, P. Joannem Antonium Bianchi Minoritam in supracitato opere, atque P. Mamachi, tom. V *De orig. antiq. Eccl.*, (185).

(185) Huc spectant cl. Laurentii Veith dissertatio *De primatu et infallibilitate Romani Pontificis*, Augustæ Vindelicorum 1781, celeberrimum opus D. Soardii *De suprema Rom. Pont. auctoritate;* Bolgenii hac de re disquisitio in libro citato p. 128, seqq., et insigne Gallicum opusculum a. jam. 1768 vulgatum hoc titulo : *Essais du quatrième article de la déclaration du clergé de France assemblé en* 1682, quod nuper Italice redditum exiit Firmi.

Digitized by Google

APPENDIX

SACRARUM CONGREGATIONUM DECRETA.

NEC NON

S. PŒNITENTIARIÆ RESPONSA,

PRO REBUS NOTATU DIGNIS JUXTA SERIEM VOCUM HUJUS QUINTI TOMI DIGESTA.

M

MATRIMONIUM.

DECLARATIONES SACRÆ CONGREGATIONIS CONCILII SUPER PUNCTO, QUIS DICATUR PROPRIUS PAROCHUS AD EFFECTUM VALIDITATIS MATRIMONII.

In una Romana 22 Februarii 1631, lib. XIV *Decretorum*, pagina 390, a tergo.

Romana nullitatis matrimonii, sacra, etc. censuit dandam esse declarationem in abstracto in forma sequenti.

Vir et mulier a loco suæ habitationis absque animo illam relinquendi discedentes, et ad locum alterius parochiæ, solo animo illic matrimonium celebrandi, non autem domicilium contrahendi, se transferentes, ibi coram parocho illius loci matrimonium inter se contraxerunt. Supplicatur per sac. congreg. declarari: « An hujusmodi matrimonium sit nullum, vel validum. »

Die 22 Februarii 1631, Sacra, etc. Secundum ea quæ proponuntur, censuit esse nullum.

In una Urbinaten. 1 Decembris 1640, lib. XVI *Decret.*, pag. 456, a tergo, et 457.

Urbinaten. Nullitatis matrimonii, sacra, etc. Inhærendo declarationibus alias factis respondit, parochum ruralem non esse proprium, et verum parochum, quando rus itur causa recreationis, vel pro rusticanis negotiis; ideoque matrimonium valide coram hujusmodi parocho celebrari non posse; Patribus tamen dentur declarationes antiquæ scilicet:

In una Florentina, sac. etc., censuit, quod parochus ruralis, non est verus parochus, quando rus itur causa recreationis, vel pro rusticanis negotiis.

In Florentina similiter, sacra, etc. respondit, parochum ruralem non esse proprium parochum, ideoque matrimonium coram eo celebratum fuisse nullum.

In una Abulen., sacra, etc., censuit non valere matrimonium contractum coram parocho loci, ubi contrahentes reperiuntur, non animo ibi domicilium contrahendi.

In una Theatina matrimonii 13 Novembr. 1683, l. XXXIII *Decret.*, pag. 336, a tergo, et pag. 337.

Theatina matrimonii. Dominico Antonio Coradetto Civi Theatino, et Antoniæ de civitate Pennarum incolis Theani matrim. contrahere desiderantibus, assensum denegavit archiepiscopus, eo quod mulier debitas attestationes status liberi non exhibuerit; quocirca præfati vir et mulier ad terram Faræ filiorum Petri nuncupatam, abbatis montis Casini subjectam se contulerunt, ibique per triduum commorati matrimonium celebrarunt coram parocho loci, prævia fide duorum civit. Theat. super eorum statu, et illico, nempe quarta die Theanum redierunt.

Hujusmodi facti serie inter supplices libellos relata in congregatione habita die 17 Julii proxime præteriti, rescriptum fuit archiepiscopo, ut congruum terminum prætensis conjugibus assignaret ad eorum jura coram ipso deducenda, istaq. deinde una cum animi sui sententia referret, et interim dictos prætensos conjuges separaret.

Decreto paruit archiepiscop. At asserti conjuges in termino sibi præfixo nil aliud allegarunt, nisi eatenus ad dictam terram perrexisse, quatenus fuit sibi significatum, majorem illic experturos fore facilitatem contrahendi matrimonium, quod proinde censet minime sustineri.

Reliquum est igitur, ut eminentissimi PP. decernant.

« An matrimonium hujusmodi sit validum, vel potius nullum. »

Die, etc. Sacra, etc., respondit esse nullum.

Digitized by Google

In una Bovinen. Matrimonii die 7 Septembr. et 28 ejusd. mensis an. 1697, lib. XLVII *Decret.*, pag. 416 et 453.

Bovinen. Matrimonii. Marcus Atello natus in civitate Bovini, post defunctam primam ejus uxorem in civitate S. Severi, consuetudinem habere cœpit in oppido Foggiæ diœcesis Trojanæ cum Joanna Spera muliere conjugata, quam in statu concubinatus ibidem retinuit spatio annorum septem. Reversus postmodum ad patriam una simul cum dicta Joanna continuavit in eodem concubinatu per alios quindecim annos, venditans apud omnes, dictam Joannam esse sibi in matrimonio junctam. Comperto autem per decanum curatum cathedralis, nullum inter eos exstare matrimonium, injunctaque per episcopum separatione, decreverunt inter se ad illud realiter devenire. At non habentes fidem obitus primi viri præfatæ Joannæ, ambo de mense Octobr. 1692, Foggiam se contulerunt animo contrahendi inibi matrimonium, eoque secuto illico repetendi Bovinum, ut coram testibus fide dignis, et tota vicinia declararunt. Sed postquam commorati fuerant per paucos dies in dicto loco, simulata per Marcum mortali infirmitate, prævio examine trium testium super statu libero utriusque, præmissis duabus tantum denuntiationibus, fuerunt de licentia episcopi in matrimonium copulati ab archipresbytero illius loci.

Paulo post reversi ad civit. Bovini exhibuerunt fidem hujusmodi matrimonii coram decano cathedralis, qui dubitans de illius validitate tanquam contracti in fraudem parochi proprii domicilii, recursum habuit ad hanc sacram congregat. pro declaratione, datisque litteris ad episcopos Trojanum, et Bov. cum eorum relationes inter se discordarent, asserente primo, dictos conjuges domicilium contraxisse in terra Foggiæ per decennium, et ultra, inibi habitando, et ulterius dictam Joannam nunquam alteri viro junctam fuisse; altero vero referente, illos habere domicilium Bovini a quindecim annis, et ultra, et præsertim de tempore contracti matrimonii, et insuper dictam Joannam in virum habuisse Franciscum Rampam, de cujus obitu non constabat, necessarium fuit ad eruendam veritatem, exquirere informationem episcopi Ausculani in Apulia, qui ex ore proprio ejusdem Joannæ confirmavit in omnibus relationem E. Bovinen. Ortaque ex dictis relationibus poligamiæ dubitatione, causa remissa fuit ad sac. congreg. Supremæ Inquisitionis, quæ postquam, factis variis diligentiis, compertum habuit, virum præfatæ Joannæ jam decessisse usque de anno 1673 causam denuo remisit ad hanc sac. congr. Quare hodie ad instantiam dicti decani Bovinen. utroque conjuge monito, sed ratione paupertatis non informante, decernendum superest.

« An præfatum matrimonium inter Marcum et Joannam, ut supra contractum sustineatur in casu, etc. »

Die, etc., sac., etc., distulit propositionem.

In eadem die 28 Septembris 1697. Bovinen. Matrimonii.

Dubium. — « An matrimonium contractum inter Marcum et Joannam in casu de quo agitur, sustineatur. »

Die etc., sac., etc., respondit *Negative*, et ad mentem, quæ est, ut insinuetur episcopo, ut curet renovari matrimonium coram proprio parocho. (Ex *Thesaur. Resolut. sacr. congr. Concil.*, tom. II, pag. 284 et seqq.)

MISSIONARII, MISSIONES.

SACRÆ CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE DECRETA.

Die 12 Martii 1759.

Resolvitur dubium pro conjugibus diversi ritus.

(1. In congregatione generali de Propaganda Fide : *Inter cætera*, etc. Cum propositum a quibusdam fuerit dubium, quem ritum sequi conjuges debeant, si forte diversi ritus fuerint; sac. congregatio, SS. Domini nostri Papæ auctoritate, permitti posse censuit, ut uxores suorum virorum ritum sequantur, dummodo uxor non sit ritus latini, quo casu, inconsulta Sede Apostolica, ad mariti ritum transire non permittatur.

Relatione autem facta per R. P. D. Nicolaum Antonellum ejusd. congregat. secretarium sanctissimo domino nostro divina Providentia Papæ Clementi XIII in audientia habita die 13 mensis Maii, Sanctitas Sua omnia benigne approbavit, et Apostolicæ auctoritatis robore confirmavit, mandavitque ab omnibus servari, quibuscunque in contrarium non obstantibus.

Datum Romæ, ex ædibus dictæ sacræ congregationis die 19 Maii 1759.

Universis et singulis, quorum interest, notum sit, supra scriptum decretum extractum fuisse ex actis originalibus existentibus in archivio sacræ congregationis de Propaganda Fide; idoque plenam, et omnimodam fidem eidem adhibendam esse. In quorum, etc. Datum Romæ ex ædibus prædictæ sacr. congregationis, die 15 Maii 1779.

JOSEPH MARIA, card. CASTELLI, præf.

Loco ✠ sigilli.

Stephanus BORGIA, secretarius.

DECRETUM

Sacræ congregationis de Propaganda Fide, quo reprobantur nonnullæ praxes Christianorum occultorum, Mahumetanam sectam simulantium,

Habitæ die 31 Januarii 1774.

(2. Cum ad aures sacr. congregat. pervenerit, in quibusdam Albaniæ diœcesibus, aliisque finitimis provinciis Christianos

Digitized by Google

nonnullos adhuc existere, qui, non obstante saluberrimo synodi Albanensis decreto, ac repetitis S. M. Benedicti XIV constitutionibus, videlicet *Inter omnigenas* diei 2 Februarii 1744, et *Quod provinciale* diei 1 Augusti 1754, Christum erubescentes ejusque præcepta, infidelitatem simulare audent, actusque peragere a veræ fidei sinceritate prorsus alienos : sollicitudinis suæ partes esse duxit, facto verbo cum Sanctissimo Domino Clemente XIV die 6 Februarii 1774 declarare, sequentes præfatorum Christianorum praxes innoxias nec esse, nec ullo modo tolerandas.

In primis itaque a simulatæ infidelitatis nota excusari non posse declarat subdolam agendi rationem illorum, qui dum diebus solemnioribus missæ sacrificio intersunt, astantium ex curiositate Turcarum præsentiam formidantes, nunquam omnino caput aperiunt, nec signant se crucis signo, abstinentque a cæteris catholicæ religionis actibus, qui ab aliis, qui Christiano censentur nomine, palam solent exerceri, atque ita agentes, id obtinent, ut Mahumeticæ superstitionis sectatores reputentur, nec alia, quam curiositatis, aut levitatis causa ad ecclesiam vel ad conventus locum advenisse, ibique manere credantur.

Quoniam vero non desunt qui conantur excusare excusationes suas in peccatis, asserentes, se simili prorsus modo gerere, cum, nemine Turcarum astante, aliis diebus missæ, cæterisque functionibus præsentes sunt : ideo eademmet sacra congregatio pariter declarat, hujusmodi responsum non tam valere ad purgandam eorum agendi rationem, quam ad ostendendam desidiam, ac fidei languorem in his, quæ sunt ad Deum, vel potius indicio esse posse, jam tunc ab eis præconceptam mentem esse falsæ religionis simulandæ, cum tempus et occasio tulerit.

Præterea gravi culpa non caret, quod iidem occulti credentes, cum, diebus ecclesiastico jejunio, aut abstinentiæ consecratis, Turcarum mensis accumbunt, vetitis in illis diebus ab Ecclesia vescuntur cibis, aut se manducare fingunt; simulatio enim hæc non alio animo facta præsumi potest, quam ut Christianorum legibus nequaquam obstricti videantur, sed plane Mahumetani inter Mahumetanos existimentur.

Nec quidquam eis prodest, quod identidem propositum jactant palam profitendi catholicam religionem, quoties a publica potestate interrogentur : id enim fieri ab eis necessario debet, sed simul opus est, ut in privatis actibus ab illis simulationibus abstineant, per quas fieri nequit, quin veræ fidei exortes, et falsæ sectæ addicti exterius appareant.

Multo minori dubitatione damnanda sac. congregationi visa est illorum agendi ratio, qui, Turcarum verentes offensionem, profana eorum templa ingrediuntur, precationesque apud Mahumetanos in more positas peragere fingunt; factum enim ipsum nimis apertam præsefert Mahumeticæ religionis simulationem, licet ab aliis damnatæ sectæ observationibus, et cæremoniis abstineant.

Idipsum dicendum de praxi illorum censet, qui ad funera deducenda Mahumetanum ministrum advocant, ut vel ipsi, vel defuncti a falsa secta non recessisse existimentur. Quare, si ex defunctorum voluntate quomodocunque explicata, nec ante obitum retractata id fieri constiterit, sacra congregatio eosdem defunctos ecclesiasticæ sepulturæ, et suffragiorum beneficio incapaces esse decernit : si vero ex solo damnabili superstitum arbitrio supra dictus Mahumetanus minister assistentiam funeri præstabit, eo in casu illorum crimine defunctos non illigari, bene vero superstites ipsos gravissimæ impietatis reos, et canonicis pœnis obnoxios fore declarat. Hoc enim, ut cætera omnia superius expensa in enuntiatis circumstantiis, (et fortasse aliæ etiam praxes, quæ ad notitiam sacræ congregationis nondum advenere) Mahumeticæ sectæ simulationem, Christianæque fidei negationem saltem virtualiter includit, summamque Christo Domino injuriam, et proximo scandalum parit.

Cæterum eminentissimi Patres archiepiscopos, episcopos et superiores missionum Albaniæ, Serviæ, aliarumque provinciarum, quæ Turcarum imperio subsunt, in Domino hortantur, ut zelo fidei succensi a gregibus pastorali suæ curæ commissis supra dictos damnatos abusus avertere satagant; pari zelo, et charitate unumquemque illorum, qui præmissa facitare non verentur, arguentes, increpantes, admonentes, se in nullo casu posse Christum erubescere, falsamque religionem simulare, quin spem æternæ retributionis abjiciant. Factum insuper magni Eleazari ante illorum oculos constituant, qui, cum compelleretur simulare de sacrificii carnibus lege vetitis manducasse, ut vitæ periculum effugeret, gloriosissimam mortem magis quam odibilem vitam elegit, memorandam illam sententiam pronuntians : *Etsi in præsenti tempore suppliciis hominum eripiar, sed manum Omnipotentis nec vivus, nec defunctus effugiam.*

Quod si forte, hac solerti pastorum cura non obstante, aliqui adhuc obstinati, ac cœlestis vocationis immemores reperiantur, qui impiorum viam insistere pergent, detestabiles simulationes in fidei negotio adhibentes, iidem archiepiscopi, episcopi et missionum superiores, ut supra, illos sacramentorum participatione in vita, et, si impœnitentes decesserint, ecclesiastica sepultura, et suffragiorum beneficio post mortem incapaces declarabunt.

Datum Romæ, ex ædibus dictæ sacr. congregationis, die 19 Februarii 1774.

J. M. card. Castellus, præfectus.

Loco ✠ sigilli.

Stephanus Borgia, secretarius.

Digitized by Google

DECRETUM

Sacræ congregationis generalis de Propaganda Fide

Habitæ die 21 Martii 1774.

De necessitate pro missionariis addiscendorum idiomatum.

(3. Etsi pluries cautum fuerit, ut Apostolici missionarii officium suscepturi omni diligentia, et alacritate curarent locorum, ad quæ ablegantur, idiomata addiscere, ne linguarum imperitia in medio messis multæ contra S. Sedis exspectationem otiosi, ac inutiles remanerent : nihilominus, cum experientia constet, nonnullarum regionum missionarios, posthabito propriæ conscientiæ, atque animarum ab eis divini verbi pabulum exposcentium detrimento, desides in hoc, et negligentes existere; eminentissimi Patres, R. P. D. Stephano Borgia secretario referente, partes sollicitudinis esse existimarunt, facto verbo cum SS. Domino nostro Papa Clemente XIV omnibus, et singulis, qui pro Christo in terris hæreticorum, et infidelium legatione funguntur, modis omnibus, ac etiam in virtute sanctæ obedientiæ, iterum præcipere, ut cum primum ad stationes sibi assignatas pervenerint, sedulo studeant vernaculum illius gentis sermonem percipere, atque in id nervos omnes intendere. Ne vero præceptum hujusmodi impune a quoquam violari in posterum contingat, episcopis, vicariis Apostolicis, præfectis, seu superioribus missionum, mandant, ut post sex menses ab ingressu novorum missionariorum ad suas stationes, eos coram duobus missionariis, si commode fieri poterit, alias per se tantum super linguæ peritia examinent, vel alteri, ut examinentur committant. Quod si deprehenderint, illos nequaquam, prout opus erat, addiscendis idiomatibus populorum, quibus præsto esse, et sacramenta administrare debent, operam dedisse, in primis serio moneant, ne in re tam gravi diligentiam suam desiderari permittant, facultates, nisi urgeat necessitas, eis denegent, injungantque, ut, elapso sex aliorum mensium spatio, se iterum examini omnino sistant. Quo termino elapso, et missionariorum desidia, atque socordia durante, de ea sacr. congregationem certiorem reddant, ut statuere valeat, num servi hujusmodi a bono opere torpentes, atque ad sacrarum missionum opus prorsus inutiles. ad regularem provinciam sint revocandi, ac privatione privilegiorum, quæ alias possent eis competere, aliisque pœnis usque ad condignam satisfactionem puniendi.

Datum Romæ, ex ædibus dictæ sacræ congregationis, die 5 Maii 1774.

J. M. card. Castelli, præfectus.
Stephanus Borgia, secretarius.

DECRETUM

Sacræ congregationis generalis de Propaganda Fide

Habitæ die 22 Julii 1774.

De missæ eleemosyna ultra taxam synod. vel consuetudinem regionum non exigenda.

(4. Cum in nonnullis missionum locis abusus irrepserit, ut sacerdotes, quibus ab Apostolica Sede indultum altaris privilegiati personalis concessum est vel ii, qui in altari alias privilegiato sacrum faciunt, præter consuetam missæ eleemosynam, aliquid audeant a Christifidelibus exigere, ea de causa, quod missæ in altaribus alterutro modo privilegiatis celebratæ, magis prosunt illis, quorum favore applicantur : eminentissimi Patres, ad relationem R. P. D. Stephani Borgia secretarii, decreverunt, mandandum esse præfatorum locorum ordinariis, sive superioribus, ut ecclesiasticis utriusque cleri sibi respective subjectis denuntient, nulli prorsus licere intuitu privilegii, sive localis, sive personalis, pro missæ eleemosyna plus recipere, quam taxa synodalis, vel consuetudo regionum firmaverit, alias ad restitutionem teneri, quinimo privilegium, si personale sit, in perpetuum amittere, nec gaudere locali, quatenus ad altare privilegiatum sacrum faciant, ut declaratum est per sacram congregationem super Indulgentiis, sacrisque reliquiis præpositam.

Datum Romæ, ex ædibus supradictæ sacræ congregationis, die 13 Augusti 1774.

J. M. card. Castelli, præfectus.
Loco ✠ sigilli.
Stephanus Borgia, secretarius.

EX AUDIENTIA SANCTISSIMI

Habita per me infra scriptum sacræ congregat. de Propaganda Fide secretarium, die 7 Maii 1775.

De juramento quotannis per missionarios renovando.

(5. Sanctissimus Dominus noster Pius divina Providentia Papa VI pro eximio, quo flagrat catholicæ religionis latius propagandæ studio, animadvertens bono, ac incremento Apostolicarum missionum plurimum posse conducere, si ii, qui in collegiis, sive seminariis utriusque cleri, Evangelii præcones mox futuri, educati sunt; vel qui titulo missionis ad ecclesiasticos ordines fuere promoti, animo identidem recolant jusjurandum, quo se obstrinxerunt, cooperandi Deo in salutem animarum : eos vehementer hortatur, ut in annos singulos in anniversaria die præstiti juramenti illud repetere curent, serio meditantes divinam erga se bonitatem, quæ eos constituit Verbi ministros ad annuntianda mirabilia virtutis, ac potentiæ suæ : quam immarcescibilis gloriæ corona eis in cœlis parata sit, si officium suum sancte riteque impleverint : quamque econtra districtum maneat judicium, si negligentia, vel socordia sua, quod absit ! quemquam perire contigerit.

Id autem ut promptius, et alacrius præstent, Sanctitas Sua unicuique illorum ple-

Digitized by Google

nariam indulgentiam, animabus quoque in purgatorio detentis applicabilem, et perpetuis valituram temporibus peramanter impertitur, non modo cum prædictum juramentum primo emiserint, verum etiam cum illud statuta jam die renovaverint; dummodo in utroque casu conscientiam suam Pœnitentiæ sacramento expiare non omittant, ac eucharisticam communionem suscipiant, vel missæ celebrent sacrificium.

Datum Romæ, ex ædibus ejusdem sacr. congreg., die 17 Maii ann. 1775.

Stephanus Borgia, secretarius.

Ego
Emisi supra dictum juramentum die mensis anni.

DECRETUM

Sacræ congregationis generalis de Propaganda Fide

Habitæ die 26 Januarii 1778.

Quo iterum idiomatum peritia inculcatur.

(6. Cum vehementer intersit, ut qui ad peragendas Apostolicas missiones inter infideles et hæreticos expediuntur, ob linguarum imperitiam otiosi in medio messis multæ non evadant, pluries cautum fuit, ac præsertim decreto die 21 Martii 1774 edito, ut omnes missionarii, cum primum ad stationes sibi assignatas pervenerint, sedulo studeant vernaculum illius gentis sermonem addiscere, atque in id nervos omnes intendere. Ut autem ad hujusmodi decreti observantiam efficacius excitentur missionarii ordinis Minorum Conventualium, emi. Patres, referente R. P. D. Stephano Borgia secretario, ad humillimas preces R. P. Ferdinandi Mariæ Garzillo procuratoris generalis ejusdem ordinis, decreverunt, ut postquam prædicti regulares præfinitum suæ moræ spatium in missionibus compleverint, nullo modo privilegia sibi concessa per constitutionem a fel. record. Clemente PP. XI editam sub die 21 Januarii 1710, quæ incipit: *Crediti Nobis*, in posterum consequi valeant, nisi prius accurato examini se subjiciant jussu, atque arbitrio sacræ congregationis subeundo super peritia linguarum, ubi munus exercuerunt, ac in ipso bene instructi, atque idonei deprehendantur.

Quam sacræ congregationis sententiam per eumdem dom. secretarium SS. D. N. Pio PP. VI relatam in audientia habita die 31, præfati mensis, et anni, Sanctitas Sua benigne in omnibus approbavit, et Apostolicæ suæ auctoritatis robur adjecit, contrariis quibuscunque non obstantibus.

Datum Romæ, ex ædibus prædictæ sac. congregationis, die 7 Martii 1778.

J. M. card. Castelli, præfectus.

Loco ✠ sigilli.

Stephanus Borgia, secretarius.

EX AUDIENTIA SANCTISSIMI

Habita die 21 Novembris 1779

De suffragiis pro defunctis.

(7. Ut animæ Christifidelium, qui ex hoc

sæculo migrarunt, consuetis Ecclesiæ suffragiis opportune juventur; Sanctissimus Dominus noster Pius divina Providentia PP. VI referente me infra scripto sacræ congregationis de Propaganda Fide secretario, ad preces missionariorum in Indiis orientalibus existentium, benigne indulsit:

I. Ut defunctorum cadavera, quæ ob fetorem ante horas 24 sepulta sunt, tanquam præsentia censeantur, ideoque intra id temporis spatium missæ defunctorum pro iis celebrari possint, etiamsi officium sit duplex.

II. Ut missa solemnis defunctorum celebrari valeat pro animabus confratrum, qui alicui confraternitati addicti fuerunt, ea die quæ sequitur commemorationem omnium fidelium defunctorum, quamvis idem adsit officii diplicis impedimentum.

III. Ut die, quæ immediate subsequitur octavam Corporis Christi, solemne missæ sacrificium peragi possit pro defunctis confratribus sanctissimi Sacramenti, licet officium duplex, ut supra, recurrat.

IV. Denique, ut absentibus missionariis die mortis, vel sepulturæ alicujus defuncti, iidem missam cantatam, vel lectam defunctorum celebrare possint, etiamsi officium sit duplex, cum primum ad locum pervenerint.

Declaravit tamen Sanctitas Sua, ut in reliquis prædicti missionarii se omnino conforment Rubricis generalibus et decretis sac. Rit. congregationis; cæteris quibuscunque in contrarium non obstantibus.

Datum Romæ, ex ædibus dictæ sacræ congregationis die, et anno, quibus supra.

Stephanus Borgia, sacræ congregationis de Propaganda Fide secretarius.

DECRETUM

Sacræ congregationis generalis de Propaganda Fide

Habitæ die 29 Novembris 1779.

De sacris supellect. non distrahendis.

(8. Cum relatum fuerit eum apud Cophtos vigere abusum, ut sacræ supellectiles, aliæque res ecclesiasticæ, quæ sacerdotibus et monachis ejusdem ritus, vel a sac. congregatione transmissæ, vel piis fidelium largitionibus donatæ fuerunt, post eorum obitum ab hæredibus distrahantur et alienentur, haud mediocri nationalium Ecclesiarum detrimento, sacra congregatio, referente eminentissimo ac reverendissimo domino card. Thoma Maria Ghilini Ponente, inhærens decretis alias latis, ac præsertim sub die 17 Augusti 1772 statuit ac decrevit, sacras omnes supellectiles, vasa, libros, et alia quælibet instrumenta penes sacerdotes et monachos Cophtos post eorum mortem reperta, si hæc, vel præfatæ sacræ congregationis, vel fidelium pietate acquisita fuerint, ad easdem Ecclesias omnino spectare, proindeque illius missionis beneficio eroganda esse, cui sub defunctis sacerdotibus vel monachis addicta erant. Quod si probetur, et con-

Digitized by Google

stet prædicta sacra non Ecclesiæ favore, sed directe vel sacerdotibus vel monachis a fidelibus donata fuisse, tum indulget sacra congregatio, ut sacra eadem ad illorum hæredes transire valeant: quo tamen casu superioris nationis Cophtæ partes erunt, id sedulo curare, ne præfatæ supellectiles ad sanctum Ecclesiæ ministerium destinatæ, vel infidelibus turpis lucri causa vendantur, vel in profanos alios usus ab hæredibus erogentur.

Quam sacr. congregationis sententiam SS. D. N. Pio PP. VI relatam in audientia habita per R. P. D. Stephan. Borgia secretarium die 19 Dec. 1779, Sanctitas Sua benigne approbavit, et Apostolica auctoritate munivit.

Datum Romæ, ex ædibus dictæ sacr. congregationis, die 25 Decembris 1779.

Joseph-Maria card. Castelli, præfectus.
Stephanus Borgia, secretarius

DECRETUM

Sacræ congregationis generalis de Propaganda Fide

Habitæ die 26 Junii 1780.

De non admittendis mulieribus intra cubicula hospitiorum.

(9. Cum deceat viros, qui sæcularibus soluti curis per regularia vota arctioris vitæ institutum sunt professi, ab omni mulierum familiaritate abhorrere, hinc est, quod tam generalium ac provincialium conciliorum decretis, quam Summorum Pontificum, præsertim S. Pii V, Gregorii XIII, ac novissimis Benedicti XIV constitutionibus sancitum est, ut intra religiosorum virorum sepla, mulieribus quibuscunque non pateat aditus, sub gravissimis pœnis inflictis, tam viris, qui feminas quocunque prætextu intra regularium domorum ambitum admiserint, quam feminis, quæ earumdem domorum clausuram violaverint. Saluberrimis hisce sanctionibus inhærens sacra congregatio, etsi præfectos missionum identidem monere non destiterit, si quos aliquando ea in re non admodum vigilantes fuisse intellexerit: temporis tamen intervallo, vel legis oblivione, vel quod proclive est hominis ingenium ad legum quarumcunque sanctissimarum vim elevandam, sæpius accidit, quemadmodum multorum litteris eidem congregationi renuntiatum est, quod in stationibus ac hospitiis missionariorum admissæ quandoque fuerint mulieres, et in cubiculis, vel in aliis locis intra hospitiorum ambitum pœnitentiæ sacramentum susceperint. Quod quidem quam indecorum sit, quamque periculosum, probe noscens sacra congregatio, quæ missionarios suos inter Christiani nominis hostes versantes, non solum a malo, sed etiam ab omni specie mali abstinere desiderat, ut juxta Apostoli monitum sine offensione sint Judæis et gentibus et Ecclesiæ Dei, referente R. P. D. Stephano Borgia secretario, statuit ac jussit, hospitia et stationes, seu domos quaslibet cujuscunque ordinis, congregationis, aut instituti regularis in locis missionum ubicunque existentes, in quibus duo, vel tres missionarii Latini ritus commorantur, seu commorari contigerit, Clausuræ legibus subjici, ita ut nemini regulari cuicunque omnino liceat ullam feminam intra privata eorumdem hospitiorum seu stationum cubicula, mansiones, recessus, sub quovis titulo, specie ac prætextu introducere, multoque minus sanctissimum pœnitentiæ sacramentum ibidem ipsis administrare; nec mulieribus sub quarumcunque licentiarum obtentu prædicta hospitiorum privata cubicula, mansiones, recessus ingredi, sub pœnis a sacris canonibus ac supra memoratis Pontificum constitutionibus inflictis adversus clausuræ violatores. Ut autem ad eorumdem hospitiorum interna oratoria, ecclesias ac loca ubi sacra peraguntur, mulieribus quoque pateat accessus, ut sacrosancto missæ sacrificio, aliisque ecclesiasticis functionibus intersint atque sacramentum pœnitentiæ suscipiant; eadem sacra congregatio declarat ac decernit admitti posse mulieres in internis ecclesiis, capellis aut oratoriis publicis hospitiorum prædictorum, ad quæ tamen recto tramite accedant, nec in cubicula, aut privatas mansiones deflectant et per eamdem, per quam accesserunt viam, revertantur. Jubet præterea ac præcipit sacra congregatio, ut mulierum confessiones palam in ecclesiis, capellis aut publicis oratoriis, ubi adsunt, ubi vero desiderantur, in alio loco patenti ac pervio et januæ hospitii, quantum fieri potest viciniore, a respectivis ordinariis, et his deficientibus, a localibus missionum superioribus designando, interposita crate ferrea vel alio repagulo inter os confessarii ac mulieris pœnitentis, audiantur. Qui secus fecerint ac saluberrimis hisce ordinationibus contraiverint, pœnas contra clausuræ violatores ac sacrorum canonum et Apostolicarum constitutionum præfatarum contemptores incurrant.

Quod sacræ congregationis decretum sanctissimo domino nostro Pio Papæ VI relatum in audientia habita per eumdem D. secretarium die 2 Julii currentis anni, Sanctitas Sua benigne confirmavit, Apostolicæ suæ auctoritatis robur adjiciens, et ab omnibus sub memoratis pœnis inviolabiliter observari jussit.

Datum ex ædibus prædictæ sacræ congregationis, die 26 Augusti 1780.

L. card. Antonellus, præfectus.

Loco ✠ sigilli.
Stephanus Borgia, secretarius

DECRETUM

Sacræ congregationis generalis de Propaganda Fide

Habitæ die 27 Augusti 1781.

De profectione in loca missionum non differenda.

(10. Cum compertum fuerit nonnullos missionarios, qui ad apostolicum exercendum ministerium mittuntur, de suo adventu

Digitized by Google

parum sollicitos, vel profectionem differre, vel diutius in itinere immorari; proindeque multum temporis, quod ipsis ad sacras missiones obeundas præfinitum est, frustra teri non sine spirituali earumdem missionum detrimento; sacra congregatio, referente R. P. D. Stephano Borgia secretario, statuit ac decrevit, tempus in missionariorum deputatione præfixum in posterum non ab expeditione decreti, sed a die singulorum adventus, sive ingressus in designatam missionem omnino esse inchoandum; adeoque mandavit missionum præfectis, ut hujusmodi ingressus diem in litteris patentibus eorumdem missionariorum notare teneantur, ut exinde tempus cuique decernatur ad peragendas missiones præstitum.

Hac ipsa occasione renovat sacra congregatio, seduloque inculcat missionum præfectis observantiam decreti alias editi, ac præsertim sub die 2 Martii 1665 ac 28 Septembris 1722 nimirum non licere præfectis licentiam concedere missionariis redeundi, etiam completo tempore suarum facultatum, nisi prius sacra congregatione præmonita, atque exspectato adventu in missionem aliorum operariorum, qui per eamdem sacram congregationem deputati fuerint.

Datum Romæ, ex ædibus dictæ sac. congregationis, die 8 sept. 1781.

L. card. Antonellus, præfectus.

Loco ✠ sigilli.

Stephanus Borgia, secretarius.

DECRETUM

Sacræ congregationis generalis de Propaganda Fide

Habitæ die 27 Augusti 1781.

De jure sepulturæ quoad parochos.

(11. Referente eminentiss. ac reverendissimo domino card. Boschi Ponente controversiam exortam inter Patres Minores Observantes et parochos orientales urbis Cayri de jure sepeliendi in duobus cœmeteriis Cayri veteris; eminentissimi Patres, re mature perpensa, decreverunt, licere, et permittendum esse Græco-Melchitis, aliisque Orientalibus Catholicis, qui propriis parochis subsunt, in eadem civitate Cayri corpora defunctorum Catholicorum proprii ritus sepelienda deferre ad bina cœmeteria Cayri veteris; idemque plane licere eorum parochis, petita singulis vicibus venia a Patre propræfecto Minorum Observantium pro tempore, quæ tamen ab ipso denegari non possit; et quatenus denegata fuerit, posse nihilominus eosdem parochos, sive licentia obtenta fuerit, sive non obtenta, super mortuorum fidelium sibi subjectorum cadavera sacros extremos ritus peragere in præfatis cœmeteriis, juxta probatos nationis suæ ritus, et consuetudines.

Quod sacræ congregationis decretum sanctissimo domino nostro Pio Papæ VI relatum in audientia habita per R. P. D. Stephanum Borgia secretarium die 2 Septembris 1781, Sanctitas Sua benigne approbavit, et Apostolicæ suæ auctoritatis robur adjecit.

Datum Romæ, ex ædibus dictæ sacr. congregationis, die 3 Septemb. 1781.

L. card. Antonellus, præfectus.

Loco ✠ sigilli.

Stephanus Borgia, secretarius.

DECRETUM

Sacræ congregationis generalis de Propaganda Fide

Habitæ die 27 Augusti 1781.

Quo facultas Catholicis orient. conceditur explendi S. functiones ad normam, ut infra.

(12. Ut ecclesiasticæ functiones Catholicorum orientalium in urbe Cayri degentium æquo deinceps ordine, certisque temporibus peragantur, neque ulla ex præfatis nationibus ob exortas jamdudum controversias circa ecclesiarum pertinentiam a libero exercitio sacrorum rituum prohibeatur; sacra congregatio, referente eminentissimo ac reverendissimo dom. cardinale Boschi Ponente, statuit ac decrevit, licere Cophtis catholicis absque ulla venia P. vicepræfecti Minorum Observant. sacras functiones juxta proprium ritum explere in Ecclesia PP. Reformatorum urbis Cayri; Græco-Melchitis autem, aliisque Catholicis orientalibus, qui parocho nationali non carent, easdem functiones juxta proprium, ac probatum cujusque ritum peragere in ecclesia parochiali Minorum Observantium, qui locum, et cætera omnia ad ejusmodi rituum celebrationem necessaria quolibet anni tempore iisdem nationibus suppeditare tenebuntur. Ne autem in tanta rituum varietate et nationum concursu aliqua perturbatio exoriatur, eadem sacra congregatio mandavit, ut præfatæ nationes tempora, et horas earum cuique assignandas ad rituum celebrationem communi prius consensione decernant; quibus statutis, veniam petere debeant a P. propræfecto eorumdem Minorum Observantium; et quoties ipse veniam aliquibus denegaverit, liceat iis ad præfatam Ecclesiam PP. Reformatorum sese conferre, ibique sacra mysteria juxta ritum proprium peragere; non obstante decreto diei 26 Septemb. 1769 et cæteris in contrarium quibuscunque.

Quam sacræ congregationis sententiam Sanctissimo Domino nostro Pio Papæ Sexto relatam in audientia habita per R. P. D. Stephanum Borgia secretarium die 2 Septembris 1781 : Sanctitas sua benigne approbavit et ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari jussit.

Datum Romæ, ex ædibus dictæ sacr. congregationis, die 3 Septemb. 1781.

L. card. Antonellus, præfectus.

Loco ✠ sigilli.

Stephanus Borgia, secretarius (186).

(186) Placet hic afferre Breve Summi Pontificis feliciter regnantis Papæ Pii Noni, incip. *Quod in religiosis*, pro missionariis ordinis Cappuccinorum, quo facultas ipsis conceditur se posse peccata sua

Digitized by Google

MUTUUM.

DECRETA SUPREMÆ CONGREGATIONIS SANCTI OFFICII, AC S. POENITENTIARIÆ RESPONSA.

Animadversiones editorum Casinensium in hac materia præmittendæ.

Circa materiam mutui, an scilicet liceat exigere aliquid supra sortem, præstat, post decreta S. congregationis Sancti Officii, nec non S. Pœnitentiariæ responsa infra afferenda, sequentem regulam tradere, juxta quam tam fideles in conscientia, quam confessarii in tribunali pœnitentiæ se gerere debeant.

1. *Ad fideles quod attinet*, qui capitalia sua aliis tradunt, ut ex illis fructus percipiant juxta taxam a lege civili præscriptam, dicimus, ipsos « non esse inquietandos, neque cogendos ad restitutionem fructuum perceptorum, neque in foro pœnitentiæ absolutione

confiteri in casibus, et circumstantiis, ut ibi, cuilibet presbytero sæculari vel regulari legitime approbato : estque tenoris ut sequitur :

PIUS PAPA IX,

Ad perpetuam rei memoriam.

« Quod in religiosis familiis a generalium comitiorum sanctionibus statutum fuit, ut nimirum cujuslibet regularis Instituti sodales expresse professi, sive presbyteri, sive laici apud confessarios ejusdem religionis duntaxat rite approbatos peccata sua confiteri, ab eisque sacramentalem absolutionem recipere possent, id etiam in ordine Fratrum Minorum Sancti Francisci Cappuccinorum a definitorio generali constitutum jam pridem fuit, et in pluribus generalibus ejusdem ordinis comitiis confirmatum. Verum cum ex ea lege persæpe contingeret, ut ejusdem instituti alumni, qui sacris missionibus, vel prædicando verbo Dei addicti, vel alia legitima de causa a suis cœnobiis et longe, et diu abessent, ob confessarii defectum, vel a faciendo sacro, vel a sanctissimo Eucharistiæ sacramento percipiendo se abstinerent, non sine populi, apud quem versarentur, vel admiratione, vel scandalo, aut etiam evitandi scandali gratia ad divinum sacrificium celebrandum, vel angelorum panem sumendum accederent cum animi et conscientiæ anxietate.

« Hinc ad occurrendum huic malo glo. me. Benedict. XIV prædecessor Noster per similes in forma brevis litteras datas die 30 Martii an. 1752, contrarium quodlib. decretum, seu statutum a generali ejusdem ordinis definitorio editum, et a capitulis generalib. probatum, atque etiam a Sede Apostol. confirmatum revocando, statuit, decrevitque, ut quilibet ex Fratribus ordinis Minorum Sancti Francisci Cappuccinorum, sive in sacro presbyteratus ordine constitutus, cujuscunque gradus, dignitatis, conditionis, sive laicus, sive conversus, qui de suorum superiorum licentia ex legitima qualibet causa sive prædicandi verbum Dei quocunque tempore, sive sacras missiones obeundi, sive iter agendi, et alicubi commorandi, ubi nullum cœnobium, seu hospitium, ac nullus frater dicti ordinis existat, libere ac licite possit quemlibet presbyterum sæcularem ab ordinario loci, seu regularem a superiore suo ad sacras confessiones rite probatum, adire, eique peccata sua confiteri, atque ab eodem sacramentalem absolutionem obtinere etiam quoad casus per constitutiones et statuta dicti ordinis reservatos, incursasque proinde censuras, recepta salutari pœnitentia, præstitaque obligatione se statim, quoad ei licuerit, coram suo regulari superiore præsentandi, iterumque super casibus, et censuris hujusmodi absolutionem impetrandi.

« Hac tamen memorati decessoris Nostri providentia consultum haud est in singulis casib. conscientiar. tranquillitati ; quippe religiosi fratres, iique præsertim, qui sacras missiones obeunt, cum iter agentes unum tantum habeant religiosum sodalem presbyter. penes quem sua peccata queant confiteri, si aliquam ob causam deterreantur a confessione apud illum peragenda, in maxima conscientiæ anxietate versentur oportet, atque idcirco a dilecto filio Felice a Lipari hodierno ejusdem ordinis procuratore generali supplicatum nobis est, ut memoratam Benedicti XIV prædecessoris nostri concessionem ad illam etiam causam extendamus, quo unus tantum præsto sit ex eadem religiosa familia sacerdos, a quo sacramentalis peccatorum absolutio possit obtineri.

« Nos igitur cuique incommodo occurrere volentes, quod in perniciem animarum redundaret, exemplum secuti fel. rec. Benedict. XVI prædecessoris nostri, de Apostolicæ potestatis plenitudine, quodcunq. statutum a generali ordinis definitorio editum, et per capitula generalia probatum, atque etiam a S. Sede confirmatum, hac tantum ex parte revocantes, et infirmantes, concedimus, atque indulgemus, ut quilibet ex Fratrib. ordin. Minor. S. Francisci Cappuccinorum, sive in sacro presbyteratus ordine constitutus, cujuscunque status, gradus, et dignitatis, sive laicus, sive conversus fuerit, qui de superiorum suorum licentia quacunque legitima ex causa, sive prædicandi verbum Dei quocunque tempore, sive obeundi sacras missiones, sive iter agendi, et in locis commorandi, ubi nullum cœnobium, sive hospitium sui ordinis existat, atque unum tantum habeat religiosum ejusdem ordinis sacerdotem, apud quem sua peccata confiteatur, hoc casu libere, et licite possit quemlibet presbyterum sæcularem ab ordinario loci, seu regularem a superiore suo regulari rite probatum, adire, eique peccata sua confiteri, ab eoque obtinere sacramentalem absolutionem etiam quoad casus per statuta ordinis reservatos, incursasque proinde censuras, præstita tamen obligatione, se statim, ut primum licuerit, superiori suo regulari præsentandi, atque iterum super casibus et censuris hujusmodi absolutionem ab ipso impetrandi.

Decernentes has præsentes litteras firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis in omnibus, et per omnia plenissime suffragari ; sicque in præmissis per quoscunque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum Palatii Apostolici auditores, et S. R. E. cardinal. sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionib. et sanctionibus Apostolicis, nec non dicti ordinis statutis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, aut quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscunque.

« Datum Romæ, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die 27 Septembris 1852, Pontificatus nostri anno septimo.

A. card. LAMBRUSCHINI.

Loco † sigilli.

Digitized by Google

sacramentali idcirco esse privandos; » si tamen 1° sint in bona fide (187); 2° si vere parati sint stare mandatis, et definitionibus Sanctæ Sedis, si quando edentur.

2. *Quod attinet ad confessarios*, dicimus, 1° « Non esse inquietandos, neque absolutione privandos presbyteros illos, » qui contendunt, legem principis esse titulum sufficientem percipiendi aliquid ultra sortem, absque titulo, vel lucri cessantis, vel damni emergentis, « quousque Sancta Sedes definitivam decisionem emiserit, cui parati sint se subjicere; » 2° Non esse inquietandos confessarios, qui pœnitentes lucrum eodem modo percipientes absolvunt, si isti objicientes sententiam lucro faventem non fuisse damnatam a S. Sede, « promittant se obedire judicio S. Pontificis, si illud aliquando intercedat. »

Hæc est summa decretor. mox adducendorum, quæ a Sancta Sede organo antedictæ S. Pœnitentiariæ, ac supremæ congreg. S. Officii edita sunt ab an. 1822 ad an. 1833.

Notandum denique.

1. Allata verba *non esse inquietandos*, non meram tolerantiam, sed positivam permissionem significare.

2. Ecclesiasticos, qui in publicis concionibus decretorie prædicant, licitum esse auctarium ex mutuo juxta legis civilis dispositionem, reticendo clausulam « modo sint parati stare decretis S. Sedis, » probari non posse: « quia privata auctoritate definiunt quæstionem, quam S. Sedes nondum voluit definire. » Ita responsum fuit episcopo Vivariensi 7 Martii an. 1835 (188).

His ita præmissis, responsa, de quibus supra, S. congr. S. Officii ac S. Pœnit. ordinata serie subnectimus.

(187) Cum prima conditio indicata in mox afferendis responsis prædictæ S. congr. S. Officii, atque S. Pœnitentiariæ, sit *bona fides*, et hæc non parvam adhuc in quorumdam opinione lacesseret difficultatem; ad eam penitus de medio tollendam, atque aliis simul dubiis cujuscunq. generis occurrendis, quæ fortasse suboriri possent, episc. Nicæensis hanc quæstionem sacræ congregat. an. 1837, proposuit: « An pœnitentes, qui moderatum lucrum solo legis titulo ex mutuo dubia, vel mala fide perceperunt, absolvi sacramentaliter possint, nullo imposito restitutionis onere; modo de patrato ob dubiam, vel malam fidem peccato sincere doleant, et Filiali obedientia parati sint stare mandatis S. Sedis? » sub die 17 Jan. an. 1838 responsum fuit: « *Affirmative*, dummodo parati sint stare mandatis S. Sedis. »

(188) Cum vero in cit. responsis adducendis, sæpe in *relationibus* mentio fiat encyclicæ Bened. XIV ad episcopos Italiæ incip. *Vix pervenit*, perutilem rem facturam putamus, Encycl. ejusmodi integram afferre, in hæc sane verba.

« De usuris, aliisque injustis quæstibus.

« *Venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis, et ordinariis Italiæ.* »

« BENEDICTUS PAPA XIV.

« Venerabilis frater, salutem, et Apostolicam benedictionem.

« Vix pervenit ad aures nostras, ob novam controversiam (nempe, an quidam contractus validus judicari debeat), nonnullas per Italiam disseminari sententias, quæ sanæ doctrinæ haud consentaneæ viderentur; cum statim nostri Apostolici muneris partem esse duximus, opportunum afferre remedium, ne malum ejusmodi, temporis diuturnitate ac silentio, vires magis acquireret; aditumque ipsi intercluderet, ne latius serperet, et incolumes adhuc Italiæ civitates labefactaret.

« § 1. Quapropter eam rationem, consiliumque suscepimus, quo Sedes Apostolica semper uti consuevit: quippe rem totam explicavimus nonnullis ex venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus, qui sacræ theologiæ scientia, et canonicæ disciplinæ studio, ac peritia plurimum commendantur. Accivimus etiam plures regulares in utraque facultate præstantes, quorum alios ex monachis, alios ex ordine mendicantium, alios demum ex clericis regularibus selegimus; præsulem quoque juris utriusque laurea præditum, et in foro diu versatum adhibuimus. Diem quamdam indiximus Julii, qui nuper præteriit, ut coram Nobis illi omnes convenirent, quibus naturam totius negotii declaravimus, quod illis antea cognitum, perspectumque deprehendimus.

« § 2. Post hæc præcepimus, ut omni partium studio, omnique cupiditate soluti, rem totam accurate perpenderent, suasque opiniones scripto exararent; non tamen expetivimus ab ipsis, ut judicium ferrent de contractu, qui controversiæ causam initio præbuerat, cum plura documenta non suppeterent, quæ necessario ad id requirebantur; sed ut certam de usuris doctrinam constituerent, cui non mediocre detrimentum inferre videbantur ea, quæ nuper in vulgus spargi cœperunt. Jussa fecerunt universi; nam suas sententias palam declararunt in duabus congregationibus, quarum prima coram Nobis habita est die 18 Julii, altera vero die prima Augusti, qui menses nuper elapsi sunt; ac demum easdem sententias congregationis secretario scriptas tradiderunt.

« § 3. Porro hæc unanimi consensu probaverunt:

« I. Peccati genus illud, quod usura vocatur, quodque in contractu mutui propriam suam sedem, et locum habet, in eo est repositum, quod quis ex ipsomet mutuo, quod suapte natura tantumdem duntaxat reddi postulat, quantum receptum est, plus sibi reddi velit, quam est receptum; ideoque ultra sortem, lucrum aliquod, ipsius ratione mutui, sibi deberi contendat. Omne propterea hujusmodi lucrum, quod sortem superet, illicitum et usurarium est.

« II. Neque vero ad istam labem purgandam, ullum arcessiri subsidium poterit, vel ex eo quod id lucrum non excedens, et nimium, sed moderatum, non magnum, sed exiguum sit; vel ex eo quod is, a quo id lucrum solius causa mutui deposcitur, non pauper, sed dives existat; nec datam sibi mutuo summam relicturus otiosam, sed ad fortunas suas amplificandas, vel novis coemendis prædiis, vel quæstuosis agitandis negotiis, utilissime sit impensurus. Contra mutui siquidem legem, quæ necessario in dati atque redditi æqualitate versatur, agere ille convincitur, quisquis, eadem æqualitate semel posita, plus aliquid a quolibet, vi mutui ipsius, cui per æquale jam satis est factum, exigere adhuc non veretur: proindeque si acceperit, restituendo erit obnoxius, ex ejus obligatione justitiæ, quam commutativam appellant, et cujus est, in humanis contractibus æqualitatem cujusque propriam et sancte servare, et non servatam exacte reparare.

« III. Per hæc autem nequaquam negatur, posse quandoque una cum mutui contractu quosdam alios, ut aiunt, titulos, eosdemque ipsimet universim naturæ mutui minime innatos, et intrinsecos forte

Digitized by Google

DECRETA SUPREMÆ CONGREGATIONIS SANCTI OFFICII.

Feria IV, 3 Julii 1822.

I.

Ad preces cujusdam innominatæ mulieris Lugdunensis, Emin. D. card. Galeffi transmissas, quibus, descripto generali rerum statu post notos publicos eventus, et leges a civili auctoritate latas, in Galliis obtinente, exponebat, se sua capitalia quibusdam tradidisse, ut fructus ex illis juxta taxam a lege civili præscriptam perciperet, suum autem directorem ipsi absolutionem denegare, nisi proventus inde receptos restitueret, aut obligationes erga eos, qui solverent, emitteret.

concurrere, ex quibus justa omnino, legitimaque causa consurgat quiddam amplius supra sortem ex mutuo debitam rite exigendi. Neque item negatur posse multoties pecuniam ab unoquoque suam, per alios diversæ prorsus naturæ a mutui natura contractus, recte collocari, et impendi, si ad proventus sibi annuos conquirendos, sive etiam ad licitam mercaturam, et negotiationem exercendam, honestaque indidem lucra percipienda.

« IV. Quemadmodum vero in tot ejusmodi diversis contractuum generibus, si sua cujusque non servatur æqualitas, quidquid plus justo recipitur, si minus ad usuram, (eo quod omne mutuum tam apertum quam palliatum absit); at certe ad aliam veram injustitiam, restituendi onus pariter asserentem, spectare compertum est; ita si rite omnia peragantur, et ad justitiæ libram exigantur, dubitandum non est, quin multiplex in iisdem contractibus licitis modus, et ratio suppetat humana commercia, et fructuosam ipsam negotiationem ad publicum commodum conservandi ac frequentandi. Absit enim a Christianorum animis, ut per usuras, aut similes alienas injurias, florere posse lucrosa commercia existiment; cum contra ex ipso oraculo divino dicamus, quod *justitia elevat gentem, miseros autem facit populos peccatum.*

« V. Sed illud diligenter animadvertendum est, falso sibi quemquam, et nonnisi temere persuasurum, reperiri semper, ac præsto ubique esse, vel una cum mutuo titulos alios legitimos, vel, secluso etiam mutuo, contractus alios justos, quorum vel titulorum, vel contractuum præsidio, quotiescunque pecunia, frumentum, aliudve id generis alteri cuicunque creditur, toties semper liceat auctarium moderatum, ultra sortem integram, salvamque, recipere. Ita si quis senserit, non modo divinis documentis et catholicæ Ecclesiæ de usura judicio, sed ipsi etiam humano communi sensui, ac naturali rationi procul dubio adversabitur. Neminem enim id saltem latere potest, quod multis in casibus tenetur homo simplici, ac nudo mutuo alteri succurrere, ipso præsertim Christo Domino edocente: *Volenti mutuari a te, ne avertaris:* et quod similiter multis circumstantiis, præter unum mutuum, alteri nulli vero justoque contractui locus esse possit. Quisquis igitur suæ conscientiæ consultum velit, inquirat prius diligenter oportet, vere ne cum mutuo justus alius titulus, vere ne justus alter a mutuo *justus* contractus occurrat, quorum beneficio, quod quærit lucrum, omnis labis expers, et immune reddatur

« § 4. His verbis complectuntur, et explicant sententias suas cardinales ac theologi et viri canonum peritissimi, quorum consilium in hoc gravissimo negotio postulavimus; nos quoque privatum studium nostrum conferre in eamdem causam non prætermisimus, antequam Congregationes haberentur, et quo tempore habebantur, et ipsis etiam peractis; nam præstantium virorum suffragia, quæ modo commemoravimus, diligentissime percurrimus. Cum hæc ita sint, approbamus, et confirmamus quæcunque in sententiis superius expositis continentur; cum scriptores plane omnes, theologiæ et canonum professores, plura sacrarum litterarum testimonia, pontificum decessorum nostrorum decreta, conciliorum, et Patrum auctoritas, ad easdem sententias comprobandas pene conspirare videantur. Insuper apertissime cognovimus auctores quibus contrariæ sententiæ referri debent; et eos pariter, qui illas fovent ac tuentur, aut illis ansam, seu occasionem præbere videntur; neque ignoramus quanta sapientia et gravitate defensionem veritatis susceperint theologi finitimi illis regionibus, ubi controversiæ ejusmodi principium habuerunt.

« § 5. Quare has litteras encyclicas dedimus universis Italiæ archiepiscopis, episcopis et ordinariis, ut hæc tibi, venerabilis frater, et cæteris omnibus innotescerent, et quoties synodos celebrare, ad populum verba facere, eumque sacris doctrinis instruere contigerit, nihil omnino alienum proferatur ab iis sententiis, quas superius recensuimus. Admonemus etiam vehementer, omnem sollicitudinem impendere, ne quis in vestris diœcesibus audeat litteris, aut sermonibus contrarium docere: si quis autem parere detrectaverit, illum obnoxium et subjectum declaramus pœnis per sacros canones in eos propositis, qui mandata Apostolica contempserint ac violaverint.

« § 6. De contractu autem, qui novas has controversias excitavit, nihil in præsentia statuimus; nihil etiam decernimus modo de aliis contractibus, pro quibus theologi et canonum interpretes in diversas abeunt sententias; attamen pietatis vestræ studium ac religionem inflammandam existimamus, ut hæc, quæ subjicimus, exsecutioni demandetis.

« § 7. Primum gravissimis verbis populis vestris ostendite, usuræ labem, ac vitium a divinis litteris vehementer improbari, illud quidem varias formas, atque species induere, ut fideles Christi sanguine restitutos in libertatem et gratiam, rursus in extremam ruinam præcipites impellat; quocirca si pecuniam suam collocare velint, diligenter caveant, ne cupiditate omnium malorum fonte rapiantur: sed potius ab illis, quod doctrinæ ac virtutis gloria supra cæteros efferuntur, consilium exposcant.

« § 8. Secundo loco; qui viribus suis, ac sapientiæ ita confidunt, ut responsum fere de iis quæstionibus non dubitent, (quæ tamen haud exiguam sacræ theologiæ et canonum scientiam requirunt), ab extremis, quæ semper vitiosa sunt, longe se abstineant; etenim aliqui tanta severitate de iis rebus judicant, ut quamlibet utilitatem ex pecunia desumptam accusent, tanquam illicitam et cum usura conjunctam; contra vero nonnulli indulgentes adeo, remissique sunt, ut quodcunque emolumentum usuræ turpitudine liberum existiment. Suis privatis opinionibus ne nimis adhæreant; sed priusquam responsum reddant, plures scriptores examinent, qui magis inter cæteros prædicantur; deinde eas partes suscipiant, quas tum ratione, tum auctoritate plane confirmatas intelligent. Quod si disputatio insurgat, dum contractus aliquis in examen adducitur, nullæ omnino contumeliæ in eos confingantur, qui contrariam sententiam sequuntur, neque illam gravibus censuris notandam asserant, si præsertim ratione et præstantium virorum testimoniis minime careant; siquidem convicia atque injuriæ vinculum Christianæ charitatis infringunt, et gravissimam populo offensionem et scandalum præseferunt.

« § 9. Tertio loco, qui ab omni usuræ labe se immunes et integros præstare volunt, suamque pecuniam ita alteri dare, ut fructum legitimum se-

Digitized by Google

Quærebat ergo.

« 1. An ad restitutionem perceptorum fructuum esset obligata;

« 2. An duntaxat, postquam ejus bona fides desierat;

« 3. Quandonam cessatio bonæ fidei locum haberet;

« 4. An sufficeret de ea audivisse, etiamsi loquentis opinio non fuisset adoptata. »

Em. Decreverunt: « Oratrici pro nunc dicatur, quod responsa ad propositos casus ipsi opportuno tempore dabuntur. Interim vero, licet non peracta ulla illarum restitutionum, de quarum obligatione S. Sedem consuluit, a proprio confessario absolvi sacramentaliter posse, dummodo vère parata sit stare mandatis. »

Hujusmodi decretum em. D. card. Galeffi traditum, ab eoque transmissum fuit, qui de illo gratanter recepto certior factus est.

[Transmissum fuit a cancellaria S. Officii.]

ALIUD RESPONSUM PRO EPISCOPO RHEDONENSI.

II.

Episcopus Rhedonensis in Gallia exponit sacræ congregationi Inquisitionis, non eamdem esse confessariorum suæ diœcesis sententiam de lucro percepto ex pecunia negotiatoribus mutuo data, ut ea ditescant.

De sensu epistolæ encyclicæ *Vix pervenit*, acriter disputatur. Ex utraque parte momenta afferuntur ad tuendam eam, quam quisque amplexus est, sententiam, tali lucro faventem, aut contrariam. Inde querelæ, dissensiones, denegatio sacramentorum plerisque negotiatoribus isti ditescendi modo inhærentibus et innumera damna animarum.

Ut animarum damnis occurrant, nonnulli confessarii mediam inter utramque sententiam viam se posse tenere arbitrantur. Si quis ipsos consulat de istiusmodi lucro, illum ab eo deterrere conantur. Si pœnitens perseveret in consilio pecuniam mutuo dandi negotiatoribus, et objiciat sententiam tali mutuo faventem multos habere patronos, et insuper non fuisse damnatam a Sancta Sede non semel ea de re consulta; tunc isti confessarii exigunt, ut pœnitens promittat, se filiali obedientia obtemperaturum judicio Summi Pontificis, si intercedat, qualecunque sit: nec, hac promissione obtenta, absolutionem denegant, quamvis probabiliorem credant opinionem contrariam tali mutuo. Si pœnitens non confiteatur de lucro ex pecunia sic mutuo data, et videatur in bona fide, isti confessarii, etiamsi aliunde noverint ab eo perceptum esse, aut etiam nunc percipi istiusmodi lucrum, eum absolvunt, nulla ea de re interrogatione facta, quando timent, ne pœnitens admonitus restituere, aut a tali lucro abstinere, recuset.

Inquirit ergo dictus episcopus Rhedonensis,

« 1. Utrum possit horum posteriorum confessariorum agendi rationem probare:

« 2. Utrum alios confessarios rigidiores ipsum adeuntes consulendi causa, possit hortari, ut istorum agendi rationem sequantur, donec Sancta Sedes expressum ea de quæstione judicium ferat. »

Loco ✠ sigilli.

✠ C. L. episcopus Rhedonensis.

Feria IV, die 18 Augusti 1830.

Responsio Summi Pontificis Pii VIII, 1830, 18 *Augusti*

Sanctissimus dominus noster dominus

lummodo percipiant, admonendi sunt, ut contractum instituendum antea declarent, et conditiones inserendas explicent, et quem fructum ex eadem pecunia postulent. Hæc magnopere conferunt non modo ad animi sollicitudinem, et scrupulos evitandos, sed ad ipsum contractum in foro externo comprobandum. Hæc etiam aditum intercludunt disputationibus, quæ non semel concitandæ sunt, ut clare pateat, utrum pecunia, quæ rite data alteri esse videtur, revera tamen palliatam usuram contineat.

« § 10. Quarto loco vos hortamur, ne aditum relinquatis ineptis illorum sermonibus, qui dictitant, de usuris hoc tempore quæstionem institui, quæ solo nomine contineatur; cum ex pecunia, quæ qualibet ratione alteri conceditur, fructus ut plurimum comparetur. Etenim quam falsum id sit, et a veritate alienum plane deprehendimus, si perpendamus, naturam unius contractus ab alterius natura prorsus diversam et sejunctam esse; et ea pariter discrepare magnopere inter se, quæ a diversis inter se contractibus consequuntur. Revera discrimen apertissimum intercedit fructum inter, qui jure licito ex pecunia desumitur, ideoque potest in utroque foro retineri, ac fructum, qui ex pecunia illicite conciliatur; ideoque fori utriusque judicio restituendus decernitur. Constat igitur haud inanem de usuris quæstionem hoc tempore proponi, ob eam causam, quod ut plurimum ex pecunia, quæ alteri tribuitur, fructus aliquis excipiatur.

« § 11. Hæ potissimum vobis indicanda censuimus, sperantes fore, ut mandatis exsecutioni, quæcunque per has litteras a Nobis præscribuntur: « Opportunis quoque remediis consultetis, uti con« fidimus, si forte ob hanc novam de usuris con« troversiam in diœcesi vestra turbæ concitentur, « vel corruptelæ ad labefactandum sanæ doctrinæ « candorem, et puritatem inducantur. Postremo « vobis et gregi curæ vestræ concredito, Apostolic. « benedict. impertimur. »

« Datum Romæ, apud S. Mariam Majorem, die prima Novembris 1745, Pontificatus nostri anno sexto. »

Notandum sapientissimum Pontificem neque directe neque indirecte definivisse controversiam circa usuras. Quippe anno 1746 id est vix post editam anno superiori præd. encyclicam, idem Summus Pontifex permisit Romæ sub suis oculis typis edi, imo, et sibi dedicari opus Scipionis Maffei, cui titulus *Sull'impiego del danaro*, ubi aperte tuetur thesim, licere ex capitalibus mutuo traditis moderat. fructus percipere, ex norma ut ibid.

Hoc adeo verum est, ut etiam post Bened. XIV thesis ipsa, quoad auctarium ex mutuo, fuerit adhuc apertissime in scholis catholicis propugnata, et adhuc defendatur, sciente, nec reclamante Sede Apostolica; uti videre est in operib. Bolgeni S. Pœnit. theologi, *Dissertaz. sopra l'impiego del danaro*; Mastrofini, *Le usure*, lib. III (Romæ sub. Pio VIII); cardinal de la Luzerne, *Sur le prêt de commerce*, etc., aliisque. Neque in anted. encyclica ullum verbum fit *De titulo extrinseco legis civilis*, ac si *etiam hoc titulo intercedente*, Pontifex auctarium ex mutuo prohibitum omnino intendat.

Digitized by Google

Pius divina Providentia PP. VIII in solita audientia R. P. D. assessori S. Officii impertita, audita relatione superiorum dubiorum una cum voto eminentissimorum DD. cardinalium inquisitorum generalium, respondit:

Ad primum: « Non esse inquietandos. »

Ad secundum: « Provisum in primo. »

Loco ✠ sigilli S. Inquisitionis.

Pro D. Nicolao Soldini.

S. Romanæ et universalis Inquisitionis notario:

Angelus Argenti, secretarius.

Gratis apud S. Officium.

III.

QUÆSITA AD SACRAM POENITENTIARIAM FACTA

Cum responsis ejusdem sacræ Pœnitentiariæ.

Quæsita professoris theologiæ in seminario Lugdun.

Quando S. Pœnitentiariæ dubia circa materiam usuræ proponuntur, semper remittit ad doctrinam S. P. Benedicti XIV quæ revera sat clara et perspicua est pro iis, qui bona fide eam perscrutari volunt.

Attamen sunt quidam presbyteri, qui contendunt, licitum esse percipere auctarium quinque pro centum solius vi legis principis, absque alio titulo vel damno emergentis, vel lucri cessantis; quia, inquiunt, lex principis est titulus legitimus, cum transferat dominium auctuarii, sicut transfert dominium in præscriptione, et sic prorsus annihilant legem divinam et legem ecclesiasticam, quæ usuras prohibent.

Cum hæc ita se habeant, orator infra scriptus, existimans nullo pacto esse licitum recedere a doctrina Benedicti XIV denegat absolutionem sacramentalem presbyteris, qui contendunt, legem principis esse titulum sufficientem percipiendi aliquid ultra sortem, absque titulo vel lucri cessantis, vel damni emergentis.

Quare infra scriptus orator humiliter supplicat ut sequentia dubia solvantur:

« 1. Utrum possit in conscientia denegare absolutionem presbyteris præfatis.

« 2. Utrum debeat. »

Lugduni, 25 Maii 1830

Denavit, prof.

Responsio sacræ Pœnitentiariæ. 1830, 16 *Sept.*

Sacra Pœnitentiaria, diligenter ac mature perpensis dubiis propositis, respondendum censuit, presbyteros, de quibus agitur, non esse inquietandos, quousque Sancta Sedes definitivam decisionem emiserit, cui parati sint se subjicere, ideoque nihil obstare eorum absolutioni in sacramento pœnitentiæ.

Datum Romæ, in Pœnitentiaria, die 16 Septembris 1830.

E. de Gregorio, M. P.

F. Fricca, S. P. secretarius.

S. Præfata responsa, alias per Sacræ Pœnitentiariæ Officium data, vera esse et omni fide digna testamur.

Datum Romæ, in S. Pœnitentiaria, die 11 Januarii 1833.

Loco ✠ sigilli sacræ Pœnitentiariæ.

E. card. de Gregorio, M. P.

IV.

VENERABILI IN CHRISTO PATRI EPISCOPO VERONENSI

Salutem et sinceram in Domino Charitatem

Ex sacra Pœnitentiaria.

Responsio sacr. Pœnitentiariæ episcopo Veronensi, 1831, 14 *Augusti.*

Sacra Pœnitentiaria, perlectis expositis a ven. in Christo Patre episcopo Veronensi in supplici libello 1 mensis nuper elapsi, abstinendum sibi duxit a resolutione quatuor dubiorum, quæ in eo proponebantur, sed oratori communicat responsa data a suprema congregatione Sancti Officii ad alia quædam dubia eamdem materiam respicientia. Hæc autem sunt hujusmodi.

« 1. Utrum confessarius possit in conscientia denegare absolutionem presbyteris, qui contendunt legem principis esse titulum sufficientem percipiendi aliquid ultra sortem, absque alio titulo vel lucri cessantis, vel damni emergentis.

« 2. Utrum debeat. »

Resp. ad utrumque: « Non esse inquietandos: quousque S. Sedes definitivam decisionem emiserit, cui parati sint se subjicere: adeoque nihil obstare eorum absolutioni in sacramento pœnitentiæ. »

ALIA DUBIA.

Ad S. Pœnitentiariam

1. An confessarius ille possit absolvi, qui licet Bened. XIV et aliorum Summorum Pontificum de usura definitiones noverit, docet ex mutuo divitibus, aut negotiatoribus præstito percipi posse, præter sortem, lucrum quinque pro centum, etiam ab iis, qui nullum omnino alium, præterquam legem civilem, titulum habent mutuo extrinsecum:

2. An peccet confessarius, qui dimittit in bona fide pœnitentem, qui ex mutuo exigit lucrum lege civili statutum, absque extrinseco lucri cessantis, aut damni emergentis, aut periculi extraordinarii titulo:

Resp. ad primum: « Confessarium, de quo in dubio, non esse inquietandum, quousque S. Sedes definitivam decisionem emiserit, cui paratus sit se subjicere: adeoque nihil obstare ejus absolutioni in sacramento pœnitentiæ. »

Ad secundum: « Provisum in præcedenti, dummodo pœnitentes parati sint stare mandatis Sanctæ Sedis. »

ALIA DUBIA

Ad S. Pœnitentiariam.

Vir quidam persuasus erat, Encyclicam Bened. XIV non inhibere lucrum ex colla-

Digitized by Google

tione pecuniæ perceptum juxta disposita a lege civili. Ejus hæredes quærunt :

« 1. An Encyclicam recte acceperit :

« 2. Etiam supposito, quod male acceperit, persuasus tamen recte accepisse, an hæredes ab omni reparatione se exemptos existimare valeant. »

Resp. ad primum : « Acquiescant, dummodo parati sint stare mandatis S. Sedis. »

Ad secundum : « Provisum in primo. »

ALIA DUBIA

Ad S. Pœnitentiariam.

1. An possit eorum confessariorum agendi ratio probari, qui dum tenent uti probabiliorem opinionem contrariam lucro ex pecunia negotiatoribus mutuo data, pœnitentes eo modo lucrum percipientes ut ditescant, absolvunt, quando nempe isti objicientes sententiam lucro faventem non fuisse a Sancta Sede damnatam, promittunt tamen obedire judicio S. Pontificis, si intercedat : et similiter agunt, quando pœnitentes lucrum percipientes in bona fide, de eo non confitentur, licet aliunde noverint, ipsos percipere lucrum ut supra, nulla ea de re facta interrogatione, quando timent, ne pœnitentes admoniti restituere, aut a tali lucro abstinere, recusent.

2. Utrum episcopus possit hortari rigidiores confessarios consulendi causa ipsum adeuntes, ut priorum confessariorum agendi rationem sequantur, donec S. Sedes expressum ea de quæstione judicium ferat.

Resp. ad primum : « Non esse inquietandos. »

Ad secundum : « Provisum in primo. »

Datum Romæ, in S. Pœnitentiaria, die 14 Augusti 1831.

V. D. Solimei, S. P. secr.

V.

Observationes ep. Vivariensis circa responsum datum episc. Rhedonensi.

Beatissime Pater

Pervenit ad me judicium SS. Pii VIII sub data diei 18 Aug. 1830 ad postulata episcopi Rhedonensis super agendi ratione confessariorum erga pœnitentes, qui inter disceptationes theologorum circa mutuum expositas in supplici libello, mediam se posse sequi viam arbitrantur.

Idem judicium loquitur de voto eminentissimorum cardinalium inquisitorum generalium ; et rescripto subjiciuntur responsa data ab iisdem eadem die ad diversa dubia relativa ad opinionem eorum, qui contendunt, legem principis solam, esse titulum sufficientem aliquid percipiendi ultra sortem in mutuo.

Ex isto judicio, et istis responsis datis nova exorta sunt dubia, novæ disceptationes, nova quæsita. Nam dictum judicium in pluribus diœcesibus divulgatum est, et hæc est occasio talium disceptationum.

In exposito episcopi Rhedonensis nulla fit mentio dicti tituli, quem volunt quidam theologi reperiri in lege principis ; sed unice de mutuo dato negotiatoribus, et de sensu encyclicæ *Vix pervenit* circa tale mutuum negotiatoribus factum.

Unde alii dicunt, judicium SS. Pontificis Pii VIII in se solo attendendum esse, et separatim a responsis datis ab eminentissimis cardinalibus, ita ut sensus istius judicii sit : « Sententiam faventem mutuo facto negotiatoribus non fuisse damnatam a S. Sede, ea de re non semel consulta : ideoque si pœnitentes promittant, se filiali obedientia obsecuturos judicio SS. Pontificis, si intercedat, non esse inquietandos confessarios, qui ipsis absolutionem non denegant. » Qui sic judicium SS. Pontif. interpretantur, aures avertunt a littera Encyclica Benedicti XIV ut a 1 et 2 *De synodo diœcesana* ejusd. Pontificis, ad quam plures responsiones S. Sedis remittunt, ab instructione data p. Carolo Felici, 17 Aprilis 1749 et a diversis responsis datis a S. Sede Apostolica.

Alii, non concipientes, qua via præfatum judicium conciliari possit cum dictis decisionibus Benedicti XIV et aliorum SS. Pontificum circa mutuum negotiatoribus factum, si sic seorsim attendatur, putant dictum judicium non sic esse intelligendum, sed conjunctim cum responsis datis ab eminent. cardinalibus, ad quæ remittere videtur SS. Pontifex, qui dicit in proœmio judicii : « Audita relatione superiorum dubiorum cum voto eminentissimorum cardinalium ; » et judicium esse referendum ad dubia de titulo legis principis, qui titulus damnatus non fuit a S. Sede.

Sed oritur nova difficultas circa sensum responsionum S. Officii. Eminentissimi enim cardinales loquuntur de lege principis sine addito, non verba facientes de conditione, quam in medium proferunt patroni tituli ex tali lege desumpti ad percipiendum interesse, nempe quod princeps lege sua declaret, non quidem licitum esse percipiendi in mutuo usuras (quæ jure naturali et divino sunt prohibitæ), sed se ex causa publica et in quibusdam circumstantiis concedere jus ad moderatas præstationes a subditis suis exigendas, ita ut tunc transferat dominium sicut per legem præscriptionis.

Punctum istud magni momenti est in Galliis ubi lex civilis omnino silet de dato jure ad percipiendum usuras et potius supponit mutuantem ad lucrum jus certum habere. Motivum illius legis a gubernii illius temporis legislatoribus expositum erat quod gubernii consultores interesse consideraverant ut justam compensationem beneficiorum quæ eventura erant mutuanti ex usu pecuniæ mutuatæ, si eum usum sibi retinuisset. In discussione legis hæc insuper habuit tribunatus orator : « Legitimitas stipulationis lucri in mutuo pluries agitata, et tam impolitice proscripta propter æquivocationem verborum, amplius dubia non erit. Apud omnes certum est, pecuniam esse signum valoris, omnesque consentiunt valorem locari posse, at, nolunt nec possunt convenire, signum valoris pariter posse lo-

Digitized by Google

cari. » Legis Gallicanæ hæc sunt verba : « Licitum est stipulari interesse pro solo mutuo sive pecuniæ, sive aliarum rerum mobilium. »

Porro si legislatores Gallicani habuerunt lucrum in mutuo perceptum, vel ut justam compensationem beneficiorum, quæ mutuanti evenire poterant ex usu pecuniæ sibi retentæ, vel ut pretium locationis signi valoris quod juxta illos locari poterat; si lex simplicem permissionem stipulandi lucrum in mutuo concedit; certum videtur, legem civilem in Galliis noluisse transferre dominium hujus lucri et illud acquisitum mutuanti supposuisse. Unde si alii dicant responsionem eminentissimorum cardinalium applicandam esse legi Gallicanæ, prout est in codice civili; alii illud negant propter motiva allata.

Itaque quæritur :

(*Quæsita.*) « 1. An præfatum judicium S. Pontificis intelligendum sit ut verba ipsius sonant et separatim a titulo legis principis, de quo eminentissimi cardinales loquuntur in his responsis, ita ut unice agatur de mutuo negotiatoribus facto;

« 2. An titulus ex lege principis de quo eminentissimi cardinales, sic intelligendus sit ut sufficiat legem principis declarare, licitum esse cuique convenire de lucro ex solo mutuo facto sicut fit in codice civili Francorum, quin dicat se concedere jus tale lucrum percipiendi. »

Ad pedes Sanctitatis Vestræ enixe provolutus, suppliciter et cum filiali affectu orat pro resolutione humillimus nec non obsequentissimus servus.

✠ P. Fr., episcopus Vivariensis.

Feria IV, die 31 Augusti 1831.

Decretum congreg. S. Officii. In congregatione generali S. Officii habita in conventu Sanctæ Mariæ supra Minervam coram eminentissimis et reverendissimis DD. S. R. E. cardinalibus contra hæreticam pravitatem generalibus inquisitoribus, propositis superioribus precibus R. P. D. episcopi Vivariensis, iidem eminentissimi et reverendissimi DD. præhabitis DD. consultorum suffragiis, dixerunt :

« Provisum in decretis feriæ IV, 18 Augusti 1830, atque dentur decreta. »

(Approb. S. P. Gregorii XVI, 1831, 31 Augusti.) Eadem die et feria SS. D. N. Gregorius, div. Provid. PP. XVI in aud. R. P. D. assessoris sancti Officii resolutionem ab em. captam approbavit.

§ VI

DECRETA

Feriæ IV, 18 Augusti 1830.

Edita ab eminen. et sub eadem feria approbata a S. M. Pio VIII super sequentibus dubiis.

(*Decreta em. inquisitor.* 18 *Augusti* 1830.) « 1. Utrum confessarius possit in conscientia denegare absolutionem presbyteris, qui contendunt legem principis esse titulum sufficientem percipiendi aliquid ultra sortem, absque alio titulo vel lucri cessantis, vel damni emergentis.

« 2. Utrum debeat. »

Resp. ad utrumque : « Non esse inquietandum, quousque S. Sedes definitivam decisionem emiserit, cui parati sint se subjicere : adeoque nihil obstare eorum absolutioni in sacramento pœnitentiæ. »

ALIA DUBIA.

(*Responsio ad alia sex dubia.*) « 1. An confessarius ille possit absolvi, qui licet Benedicti XIV et aliorum SS. Pontificum de usura definitiones noverit, docet ex mutuo divitibus aut negotiatoribus præstito percipi posse, præter sortem, lucrum quinque pro centum, etiam ab iis qui nullum omnino alium, præter quam legem civilem, titulum habent mutuo extrinsecum.

« 2. An peccet confessarius, qui dimittit in bona fide pœnitentem, qui ex mutuo exigit lucrum lege civili statutum, absque extrinseco lucri cessantis, aut damni emergentis, aut periculi extraordinarii titulo. »

Resp. ad primum : « Confessarium de quo in dubio non esse inquietandum, quousque S. Sedes definitivam decisionem emiserit, cui paratus sit se subjicere : adeoque nihil obstare ejus absolutioni in sacramento pœnitentiæ. »

Ad secundum : « Provisum in præcedenti dummodo pœnitentes parati sint stare mandatis S. Sedis. »

ALIA DUBIA.

Vir quidam persuasus erat encyclicam Benedicti XIV non inhibere lucrum ex collatione pecuniæ perceptum juxta disposita a lege civili : ejus hæredes quærunt :

« 1. An encyclicam recte acceperit.

« 2. Etiam supposito quod male acceperit persuasus tamen recte accepisse, an hæredes ab omni reparatione se exemptos existimare valeant. »

Resp. ad primum : « Acquiescant, dummodo parati sint stare mandatis. »

Ad secundum : « Provisum in primo. »

ALIA DUBIA.

(*Renovatur responsio data ep. Rhedonensi.*) Episcopus Rhedonensis in Gallia exponit sacræ congregationi Inquisitionis, non eamdem esse confessariorum suæ diœcesis sententiam de lucro percepto ex pecunia negotiatoribus mutuo data, ut ea ditescant.

De sensu epistolæ encyclicæ *Vix pervenit* acriter disputatur. Ex utraque parte momenta afferuntur ad tuendam eam, quam quisque amplexus est, sententiam tali lucro faventem, aut contrariam. Inde querelæ, dissentiones, denegatio sacramentorum plerisque negotiatoribus isti ditescendi modo inhærentibus et innumera damna animarum.

Ut animarum damnis occurrant, nonnulli confessarii mediam inter utramque sententiam viam se posse tenere arbitrantur. Si

Digitized by Google

quis ipsos consulat de istiusmodi lucro, illum ab eo deterrere conantur. Si pœnitens perseveret in consilio pecuniam mutuo dandi negotiatoribus, et objiciat sententiam tali lucro faventem multos habere patronos, et insuper non fuisse damnatam a S. Sede non semel ea de re consulta; tunc illi confessarii exigunt, ut pœnitens promittat, se filiali obedientia obtemperaturum judicio SS. Pontificis, si intercedat, qualecunque sit: nec, hac promissione obtenta, absolutionem denegant, quamvis probabiliorem credant opinionem tali mutuo contrariam. Si pœnitens non confiteatur de lucro ex pecunia sic mutuo data et videatur in bona fide, isti confessarii, etiamsi aliunde noverint ab eo perceptum esse, aut etiamnum percipi istiusmodi lucrum, eum absolvunt, nulla ea de re interrogatione facta, quando timent, ne pœnitens admonitus restituere, aut a tali lucro abstinere, recuset.

Inquirit ergo dictus episcopus Rhedonensis:

« 1. Utrum possit horum posteriorum confessariorum agendi rationem probare:

« 2. Utrum alios confessarios rigidiores ipsum adeuntes consulendi causa possit hortari, ut istorum agendi rationem sequantur, donec S. Sedes expressum ea de quæstione judicium ferat. »

E. G., ✠ episcopus Rhedonensis.

Resp. ad primum: « Non esse inquietandos. »

Ad secundum: « Provisum in primo. »

Testor ego infra scriptus notarius S. Romanæ et universalis Inquisitionis, decreta, de quibus supra, revera esse talia, qualia lata sunt in feria IV, 18 Augusti 1830, et in feria IV, 31 Augusti 1831.

Datum Romæ, ex Cancellaria S. Officii, hac die 24 Septembris 1831.

Angelus Argenti, S. Rom. et univ. Inqu. notarius.

QUESITI DEL CAPITOLO DI LOCARNO.

Esposizione del capitolo di Locarno.

Beatissimo Padre, il Capitolo di questa collegiata di Locarno, diocesi di Come, territorio Svizzero, ha la maggior parte delle proprie prebende in danaro, ricavato principalmente dall' estinzione delle decime avvenuta per decreto governativo: il qual danaro egli impiegar deve, per viverne dei frutti, ed adempire ai pesi annessi ai benefici.

Per le circostanze de' tempi e de' luoghi, o non si trova affatto come investire il danaro suddetto in stabili fruttiferi, i quali scarseggiano assai in proporzione della popolazione, o per la carezza dei detti stabili non frutterebbe, che il due e mezzo per cento annualmente, il che peggiorerebbe eccessivamente le prebende già per se stesse meschine.

I censi si vogliono proibiti da queste leggi municipali, e sono mal sicuri, non esistendo in queste parti l' officio delle ipoteche, che accerti la libertà, e sufficienza de' fondi su' quali voglionsi stabilire. Inoltre quegli stessi che per fare i loro interessi ci chiedono il danaro, ricusano ordinariamente di sottoporsi ai censi, e amano meglio di riceverlo a prestanza col contribuire il quattro o il cinque per cento annualmente.

Ciò premesso, si domanda:

« *Quesiti* 1. Se la necessaria onesta sostentazione dei beneficiati, che dee provenire dal frutto dei capitali di tali prebende è dessa in tali circostanze un sufficiente titolo equivalente agli altri già approvati dalla Chiesa, per cui sia lecito un tale contratto di dare il danaro dotale di dette prebende a interesse del quattro o cinque per cento, dietro ipoteca di beni stabili e cauzione di persone note e solvibili, affine di assicurare la perpetuità delle prebende:

« 2. Se questo titolo supposto ammisibile si possa estendere anche a favore delle chiese, monasteri e altri luoghi pii, come anche dei pupilli e di altre persone, che si ritrovano nelle circostanze medesime di sopra descritte, ed hanno bisogno di far fruttare il proprio danaro per sostentarsi onestamente:

« 3. Se le leggi e procedure civili che ormai approvano generalmente tali contratti e li fanno eseguire, non che il comune tacito consenso dei popoli, che per l' uso invalso de' secoli sembra li abbiano per maggior comodo e facilità sostituiti ad altri contratti più complicati e difficili, bastino a giustificarli;

« 4. Se sia attendibile l'autorità del nostro ordinario e di molto savi, e dabbene ecclesiastici, che avute di mira le circostanze suddette opinano favorevolmente e simili contratti approvano.

« 5. Qual considerazione meritino in proposito le ragioni che adduce Scipione Maffei ne' suoi tre libri *Dell' impiego del danaro*, dedicati a Benedetto XIV ed approvati dall' inquisitore di Padova l'anno 1744.

« 6. Se la bolla *De usuris* emanata dalla fel. me. di Benedetto XIV l'anno 1745 probabilmente in sequela dell' opera del Maffei al n. 3 di essa, all' articolo *De contractu autem*, e seg. si possa interpretare favorevolmente a tali contratti:

« 7. Supposti illeciti tali contratti che si ha a risolvere intorno a quelli già fatti ed ai frutti già percepiti?

« Se tali contratti si possano rendere leciti almeno coll' assumere il pericolo fortuito del fondo assegnato in pegno a carico della prebenda, colle dovute proposizioni, come nei censi. »

I sottoscritti oratori umilmente da V. S. desiderano ed implorano una chiara ed opportuna decisione di questi loro dubbi per regolamento delle proprie e delle altrui coscienze generalmente agitate in proposito.

Locarno 13 Maggio 1831.

L'agente aggiunge la generale e grandissima scarsezza di numerario, o dei fondi, e questi ordinariamente in possesso di pochi.

Tolta la prestanza di danari, i possidenti per la maggior parte inabili al commercio e

Digitized by Google

allo arti, consumati i pochi capitali si ridurrebbero facilmente alla miseria.

Gli altri non potrebbero sprovvisti di danaro proprio e di fondi stabili da cambiare in contanti, non potrebbero avvantaggiare coll'industria.

Mancando Monti di Pietà, sarebbero obbligati sovente a vendere la piccola eredità paterna, e sovente a vilissimo prezzo, nelle loro necessità.

L'agitazione delle coscienze è oltre modo grande. Onde diversi ordinarii, tutto considerato, si sono pronunciati in favore. Altrimenti nascerebbe un disesto generale, e totale impedimento degli affari e dell'industria.

Feria IV, Augusti 1831.

Responsio cong. S. Officii 1831, 31 *Augusti.*

Propositis superioribus capituli Collegiatæ Locarni precibus, quæ jam per manus una cum DD. consultorum suffragiis distributæ fuerant, eminentissimi et reverendissimi DD. dixerunt:

Ad 1, 2, 3, 4: « Non esse inquietandos et acquiescant, dummodo parati sint stare mandatis Sanctæ Sedis. »

Ad 5, 6, 7, 8: « Consulant encyclicam Benedicti XIV *Vix pervenit*, et probatos auctores. »

Feria IV, 7 Septembris 1831.

Approbatio S. Pontificis Gregorii XVI, 1831, 7 *Septembr.*

Sanctissimus D. N. Gregorius XVI in solita audientia R. P. D. assessori S. Officii impertita, eminentissimorum resolutiones approbavit.

AD SACRAM POENITENTIARIAM.

Iterum exponit orator infra scriptus.

(Denavit, professor theologiæ in seminario Sancti Irenæi Lugdunensis.

Iterata expositio professor. Denavit.

Ex responso sacræ Pœnitentiariæ ad oratorem infra scriptum directo die 16 Septembris 1830 absolvendi sunt presbyteri qui contendunt legem principis esse titulum sufficientem et legitimum aliquid percipiendi ultra sortem in mutuo, absque alio titulo a theologis communiter admisso, donec S. Sedes definitivam decisionem emiserit, cui parati sint se subjicere: et huic responso humiliter et libenter acquiesco.

Attamen, salvo sacræ Pœnitentiariæ responso præfato, consultis auctoribus probatis, et attenta doctrina omnium fere seminariorum Galliæ, ac præsertim eorum quæ a presbyteris congregationis Sancti Sulpitii diriguntur, sententia, quæ rejicit titulum legis civilis tanquam insufficientem, videtur longe probabilior, securior et sola in praxi tenenda, donec S. Sedes definierit.

Quapropter fidelibus qui a me consilium petunt, utrum possint auctarium percipere ex mutuo et qui nullum habent titulum a theologis communiter admissum, præter titulum legis civilis, respondeo, eos non posse præfatum auctarium exigere et denego absolutionem sacramentalem, si exigant. Pariter denego absolutionem iis qui perceptis hujuscemodi usuris, id est vi solius tituli legis nolunt restituere.

Quæritur 1. « Utrum durius et severius me habeam erga hujuscemodi fideles. »

2. « Quæ agendi ratio in praxi tenenda erga fideles, donec S. Sedes definitivam sententiam emiserit. »

Lugduni, 24 Septembris 1831.

DENAVIT, prof.

Iterata responsio S. Pœnitentiariæ, 1831, 11 *Novembr.*

Sacra Pœnitentiaria, perpensis dubiis quæ ab oratore proponuntur, respondet:

Ad primum, « *affirmative*: quandoquidem ex dato a sacra Pœnitentiaria responso liquet fideles hujusmodi, qui bona fide ita se gerunt non esse inquietandos. »

Ad secundum: « Provisum in primo: unde orator priori sacræ Pœnitentiariæ responso sub die 16 Septembris 1830 sese in praxi conformare studeat. »

Datum Romæ, in sacra Pœnitentiaria, die 11 Novemb. 1831.

A. F. DE RETZ, S. Pœnitentiariæ regens.

F. FRICCA, S. Pœnitentiariæ secretarius.

Præfata responsa alias per sacræ Pœnitentiariæ officium data, vera esse et omni fide digna testamur

Datum Romæ, in S. Pœnitentiaria, die 11 Januarii 1833.

Loco ✠ sigilli S. Pœnitentiariæ.

E. card. DE GREGORIO, M. P.

Expositio professoris Avvaro

Em. et rev. domine. Regia lex pedemontana universim et sine ulla restrictione permittit, ut quisquis alteri cuicunque pecuniam mutuat, stipulare et exigere possit annuum auctarium 5 pro 100 supra sortem. Hinc in Pinaroliensi, aliisque finitimis diœcesibus gravissima inter theologos fervet controversia, an in casibus, in quibus ex una parte nullus adest titulus lucri cessantis vel damni emergentis, vel periculi extraordinarii sortis amittendæ; ex altera vero præceptum charitatis erga proximum non obligat ad mutuandum simplici ac nudo mutuo, licet mutuanti illud auctarium recipere et retinere? Alii enim auctarium illud omnino usurarium et illicitum, alii vero ab omni usuræ labe immune prorsus, licitumque esse propugnant; et quod controversiam valde implicatiorem reddit, omnes gloriantur se niti auctoritate Benedicti XIV aut saltem eum sibi nullatenus adversari.

Nimirum theologi qui primam sententiam tuentur, dicunt auctarium de quo agitur a Benedicto XIV reprobatum fuisse, implicite quidem in encyclica diei 1 Novembris 1745 *Vix pervenit*, ut patet ex attenta ejus lectione, explicite vero in opere *De synodo diœces.*, l. x, cap. 4, num. 2 et 3, his verbis: « Gallicis (schismat.) ex parte consensit Calvinus,

Digitized by Google

qui ad cap. 18 Ezechielis, licere docuit aliquod moderatum lucrum, non quidem a paupere, sed divite, præcise ratione mutui, exigere. Errorem a Calvino obiter insinuatum, ex professo propugnavit Carolus Molinæus in suo tractatu *De usuris*, ubi num. 10, audacter affirmat usuram non esse prohibitam, nisi in quantum est contra charitatem... Eamdem pravam opinionem amplexatus, alia ratione defendit Claudius Salmasius in duplici tractatu, altero inscripto *De usuris*, altero *De trapezitico fenore*, quibus in locis usuram, nisi charitatem lædat, ab omni culpa absolvit, eo quod sit merces locatæ pecuniæ. Impiæ Calvini et Molinæi opinioni non veriti sunt subscribere pauci quidam doctores catholici... (et cum agitur de mutuo) quo pecunia, aliave res datur ad negotiationem... a fenoris labe excusant lucrum, quod ex mutuo percipitur, dummodo sit moderatum, modumque servet a patriæ legibus definitum. » Porro etsi Benedict. XIV in *Synodo diœcesana* solum loquatur ut privatus doctor, ipse tamen sine dubio omnium optime sciebat quid in sua encycl. reprobare voluisset, adeoque quidquid circa usuram postea scripsit in synodo, et signanter citato 4, n. 10, doctrinam in encyclica definitam summatim refert, habendum est tanquam ejusdem encyclicæ explicatio, a qua recedere piaculum sit.

Theologi vero qui tuentur secundam sententiam, dicunt auctarium illud non percipi ex mutuo « ipsius ratione mutui, vel solius causa mutui, vel vi mutui ipsius, vel præcise ratione mutui, hoc est lucri cessantis, damni emergentis, aliove extrinseco titulo remoto; » quod veluti usurarium, atque omni jure illicitum meritissime reprobavit Benedictus XIV tum in encyclica, § 3, num. 1 et 2, tum citato loco de Synodo num. 2 : sed *ratione, causa, vi, ac titulo extrinseco legis civilis* dominium auctarii ex mutuatario in mutuantem transferentis, eo modo quo rerum dominium ex uno in alium transfertur per legitimam præscriptionem; vel *ratione publici boni*, quod, mutatis circumstantiis, in præsenti rerum statu, absque illo auctario, vix aut ne vix quidem obtineri posset; vel *ratione ultronei* taciti ac mutui consensus in auctarium a lege permissum ex parte totius generatim societatis, cui inest jus disponendi de rebus suis, prout ei libuerit, et speciatim ex parte eorum qui modo pecunia abundant, et modo indigent; ac modo pecuniam mutuo dant, modo vero accipiunt; vel *ratione consuetudinis* in orbe catholico fere ubique receptæ, etiam apud homines timoratæ conscientiæ, auctarium moderatum, et a patriæ legibus definitum exigendi; vel ob alias hujusmodi causas, quas Bened. XIV nullibi expendit, aut memoravit. Ad argumentum autem quod ex encyclica et ex opere *De synodo diœces.* deducunt primæ sententiæ patroni, quadrupliciter respondent.

Respondent 1° Benedictum XIV in encyclica *Vix pervenit* hoc unum statuisse, tunc scilicet ex mutuo nullum auctarium, etiam moderatum, ultra sortem recipi posse, cum quis vel tenetur simplici, ac nudo mutuo, absque ullo auctario, alteri succurrere; quod ex præcepto charitatis, ex eoque solo, locum habet in multis casibus, idque ex eo quod tunc nullus cum mutuo concurrere potest legitimus titulus aliquid supra sortem exigendi : vel mutuum dat in iis casibus in quibus nullum alium justum contractum, præter unum mutuum, celebrare potest; quod etiam accidit in multis circumstantiis, v. gr. cum alteri credit vinum, oleum, etc., ut patet ex § 3, num. 5, ubi postquam definivit, falso et temere affirmari, reperiri semper, ac præsto ubique esse vel una cum mutuo titulos alios legitimos, vel, secluso etiam mutuo, contractus alios justos, quorum vel titulorum, vel contractuum præsidio, quotiescunque pecunia, frumentum, aliudve id generis, alteri cuicunque creditur, toties semper liceat auctarium moderatum, ultra sortem integram, salvamque recipere : « eumque (qui ita affirmaret) non modo divinis documentis, et catholicæ Ecclesiæ de usura judicio, sed ipsi etiam humano communi sensui ac naturali rationi procul dubio adversari; » hujus definitionis rationem reddit, et concludit his notabilibus verbis : « Neminem enim id saltem latere potest, quod multis in casibus tenetur homo simplici, ac nudo mutuo alteri succurrere, ipso præsertim Christo Domino edocente : *Volenti mutuari a te, ne avertaris :* et quod simpliciter multis in circumstantiis, præter unum mutuum, alteri nulli vero justoque contractui locus esse possit. » Ac proinde, juxta Benedictum XIV, quoties mutuo datur pecunia, et præceptum charitatis non obligat ad eam mutuandam simplici, ac nudo mutuo, semper una cum mutuo reperiri posse, quinimo præsto ubique esse legitimum aliquem titulum, v. gr. *Legem civilem, publicum bonum*, etc., cujus præsidio liceat auctarium moderatum ultra sortem recipere, juxta tritam illam regulam : *In necessariis expressio unius est exclusio alterius :* aut saltem Benedictum XIV huic sententiæ nullatenus adversari.

Respondent 2° huic quoque sententiæ nullatenus adversari Benedictum XIV in iis quæ circa usuram scripsit cit. cap. 4 *De synodo*, num. 2 et 3, quia ibi solum docet, perpetuæ catholicæ Ecclesiæ de usura doctrinæ post Græcos schismaticos contradixisse tum Calvinum, qui erronee docebat aliquod moderatum lucrum ex mutuo, *præcise ratione mutui* (in quo sita est usuræ essentia) licite a divitibus exigi posse; tum Carolum Molinæum, qui audacter affirmabat hujusmodi *usuram* a Calvino admissam, et suapte natura malam, non esse prohibitam, nisi in quantum est contra charitatem; tum Claudium Salmasium, qui eamdem *usuram*, nisi charitatem læderet, ab omni culpa prave absolvebat, falso eo quod sit merces locatæ pecuniæ; tum demum paucos quosdam doctores illos catholicos, qui impiæ Calvini et Molinæi opinioni *subscribere* non verentes, una cum ipsis audacter affirmabant

Digitized by Google

et erronee docebant *usuram non esse prohibitam, nisi quantum est contra charitatem*, atque a fenoris labe excusari lucrum quod a negotiatoribus exigitur, percipiturque ex mutuo, *præcise ratione mutui*, dummodo sit moderatum, modumque servet a patriæ legibus definitum. Hæc omnia profecto, ne latum quidem unguem differunt a doctrina quæ continetur in encyclica. At vero aliud est, usurarium, et illicitum esse auctarium, etiam moderatum, et a patriæ legibus definitum, quod percipitur ex mutuo, *præcise ratione mutui*; aliud est, usurarium, ac illicitum esse moderatum illud auctarium a patriæ legibus definitum, quod percipitur ex mutuo, non *præcise ratione mutui*, sed *ratione legis civilis*, vel ob extrinsecas alias causas paulo supra commemoratas: primum affirmat Benedictus XIV, de altero ne verbum quidem facit.

Respondent 3° in hypothesi quod Benedictus XIV in synodo huic sententiæ reipsa adversaretur, nullo modo culpandum fore qui, solidis rationibus innixus, a privata ejus opinione, seu explicatione modeste recederet, quum ille ipse in fine præfationis ad synodum diœcesanam aperte profiteatur, *omnibus in rebus, quibus nullum ex publica Ecclesiæ auctoritate pondus accessit*, qualis procul dubio est explicatio, de qua agitur, *nihil se in synodo definire, ac veluti decretorium exhibere velle*, allata etiam ad hoc comprobandum auctoritate Melchioris Cani, et exemplo Innocentii IV, qui, etsi commentaria sua in libros decretalium scripserit, cum summum pontificatum gereret, « non tamen hoc sibi unquam arrogavit, ut quidquid in eo opere scripsisset, pro re definita haberetur, sed facile passus est opiniones suas, quas tamquam privatus doctor proposuerat, ab aliis doctoribus oppugnari, ut patet, » etc.

Respondent 4°, in hypothesi quoque quod Benedictus XIV huic sententiæ adversaretur in encyclica, jam inde nullum amplius argumentum peti posse ad reprobandum moderatum illud auctarium a lege permissum, quod percipitur in præsenti rerum statu: quia circumstantiarum mutatio aliquam inducere potuit, imo vero manifestam induxit variationem, non quidem quoad principia, quibus nititur catholicæ Ecclesiæ de usura, et mutuo doctrina, quæque eadem semper ac omnino invariabilia sunt, sed quoad eorum applicationem.

Ego, diligenter considerata, prout tenues ingenii mei vires ferunt, Benedicti XIV doctrina, ut moderatius, sic probabilius illud existimo: dubitari merito posse, utrum ea doctrina, se sola, huic controversiæ dirimendæ sufficiat, necne. Verum cum, etiam posita hac mea opinione, cui parum fidere debeo, incertum adhuc remaneat, num auctarium illud tuta conscientia recipi possit; ut, sublata omni incertitudine, sit mihi parata facultas apte respondendi quibusdam confessariis, qui novissime circa eamdem controversiam me consuluerunt, tum et aliis, qui ratione munerum, quibus perfungor, sive intra, sive extra sacrum pœnitentiæ tribunal consulturi sunt, Vestram Eminentiam suppliciter rogo obtestorque in Domino, ut mihi transmittat resolutionem trium quæstionum, quas hic subjicio.

(Quæsita.) « 1° An auctarium, de quo agitur, licitum sit. Et quatenus hæc quæstio ex doctrina Benedicti XIV aliisque Sedis Apostolicæ judiciis directe resolvi nequeat:

« 2° An pœnitentes, qui auctarium illud, sive bona, sive dubia, aut mala fide receperunt, sacramentaliter absolvi possint, nulla facta aut promissa hic et nunc restitutione, dummodo serio promittant, se esse paratos ad exsequendum, quidquid super hoc negotio Sedes Apostolica determinaverit: Et quatenus affirmative, prout asserunt nonnulli ad hanc, aliasque similes quæstiones jam pluries nomine S. Officii, et Sedis Apostolicæ provisorie rescriptum fuisse, de quibus tamen rescriptis eorumque tenore mihi non constat:

« 3° An iis pariter, qui neque ullum habent titulum lucri cessantis, vel damni emergentis, vel periculi extraordinarii sortis amittendæ, neque versantur in casibus, in quibus præceptum charitatis erga proximum eos obligat ad mutuandum simplici, ac nudo mutuo, liceat pecuniam mutuo dare, stipulato, aut convento annuo auctario 5 pro 100 supra sortem, prout lex regia permittit, sub eadem conditione de parendo futuris Sedis Apostolicæ super hoc negotio determinationibus. »

Maxima fretus fiducia, quod Eminentia Vestra votis meis in re mihi adeo necessaria benigne obsecundabit, sum, eroque semper,

Eminentiæ Vestræ,
Humil. obseq. et addict. servus.

Joseph. Antonius Avvaro, sacræ theologiæ doctor, et regius ejusdem facultatis professor, canonicus theologus et provicarius generalis.

Pinerolii, die 22 Januarii 1832.

SACRA POENITENTIARIA.

(Responsio Sacræ Pœnitentiariæ, 1832, 11 Februarii.) Dil. in Christo Josepho Antonio Avvaro transmittendas censuit resolutiones alias datas ad quædam dubia circa usuras, scilicet:

« 1. Utrum confessarius possit in conscientia denegare absolutionem presbyteris, qui contendunt legem principis esse titulum sufficientem percipiendi aliquid ultra sortem, absque alio titulo vel lucri cessantis, vel damni emergentis:

« 2. Utrum debeat. »

Resp. ad utrumque: « Non esse inquietandos, quousque S. Sedes definitivam decisionem emiserit, cui parati sint se subjicere: adeoque nihil obstare eorum absolutioni in sacramento Pœnitentiæ. »

Digitized by Google

ALIA DUBIA.

(Renovatur responsio data ep. Veronensi.) 1° An confessarius ille possit absolvi, qui, licet Benedicti XIV et aliorum SS. Pontificum de usura definitiones noverit, docet, ex mutuo divitibus, aut negotiatoribus præstito percipi posse, præter sortem, lucrum quinque pro centum, etiam ab iis qui nullum omnino alium, præterquam legem civilem, titulum habent mutuo extrinsecum :

« 2. An peccet confessarius, qui dimittit in bona fide pœnitentem, qui ex mutuo exigit lucrum lege civili statutum, absque extrinseco lucri cessantis, aut damni emergentis, aut periculi extraordinarii titulo. »

Resp. ad primum : « Confessarium, de quo in dubio, non esse inquietandum, quousque S. Sedes definitivam decisionem emiserit, cui paratus sit se subjicere : adeoque nihil obstare ejus absolutioni in sacramento Pœnitentiæ. »

Ad secundum : « Provisum in præcedenti, dummodo pœnitentes parati sint stare mandatis S. Sedis. »

ALIA DUBIA.

Vir quidam persuasus erat encyclicam Benedicti XIV non inhibere lucrum ex collatione pecuniæ perceptum juxta disposita a lege civili : ejus hæredes quærunt :

« 1° An encyclicam recte acceperit.

« 2° Etiam supposito quod male acceperit, persuasus tamen recte accepisse, an hæredes ab omni reparatione se exemptos existimare valeant. »

Resp. ad primum : « Acquiescant, dummodo parati sint stare mandatis S. Sedis. »

Ad secundum : « Provisum in primo. »

ALIA DUBIA.

« 1. An possit eorum confessariorum agendi ratio probari, qui, dum tenent uti probabiliorem opinionem contrariam lucro ex pecunia negotiatoribus mutuo data, pœnitentes eo modo lucrum percipientes ut ditescant, absolvunt, quando nempe isti, objicientes sententiam lucro faventem non fuisse damnatam a S. Sede, promittunt tamen obedire judicio S. Pontificis, si intercedat : et similiter agunt, quando pœnitentes, lucrum percipientes in bona fide, de eo non confitentur, licet aliunde noverint, ipsos percipere lucrum, ut supra, nulla de ea re facta interrogatione, quando timent, ne pœnitentes, admoniti restituere aut a tali lucro abstinere, recusent.

« 2. Utrum episcopus possit hortari rigidiores confessarios consulendi causa ipsum adeuntes, ut priorum confessariorum agendi rationem sequantur, donec S. Sedes expressum ea de quæstione judicium ferat. »

Resp. ad primum : « Non esse inquietandos. »

Ad secundum : « Provisum in primo. »

Datum Romæ, in sacra Pœnitentiaria, die 16 Februarii 1832.

E. card. DE GREGORIO, m. p.
D. FRATELLINI, S. P. secr.

VII.

RESPONSUM

S. POENITENTIARIÆ APOSTOLICÆ

Ad preces moderni episcopi Aquensis Sanctæ Sedi porrectas ad impetrandam normam circa varias quæstiones, quæ de usura diversimode ab auctoribus definiuntur, idque pro quiete tam fidelium quam confessariorum.

(Responsum S. Pœnitentiariæ ep. Aquensi, 1832, 23 Nov.) Sacra Pœnitentiaria ven. in Christo Patri episcopo oratori communicandas censuit resolutiones alias datas ad quædam dubia circa usuram, scilicet :

DUBIA.

« 1. Utrum confessarius possit in conscientia denegare absolutionem presbyteris, qui contendunt legem principis esse titulum sufficientem percipiendi aliquid ultra sortem, absque alio titulo vel lucri cessantis, vel damni emergentis :

« 2. Utrum debeat. »

Resp. ad utrumque : « non esse inquietandos, quousque S. Sedes definitivam decisionem emiserit, cui parati sint se subjicere : adeoque nihil obstare eorum absolutioni in sacramento pœnitentiæ. »

ALIA DUBIA.

(Renovatur responsum datum ep. Veronensi.) An confessarius ille possit absolvi, qui, licet Benedicti XIV et aliorum Summorum Pontificum de usura definitiones noverit, docet ex mutuo divitibus, aut negotiatoribus præstito percipi posse, præter sortem, lucrum quinque pro centum, etiam ab iis qui nullum omnino alium præterquam legem civilem titulum habent mutuo extrinsecum :

« An peccet confessarius qui dimittit in bona fide pœnitentem, qui ex mutuo exigit lucrum lege civili statutum, absque extrinseco lucri cessantis aut damni emergentis, aut periculi extraordinarii titulo. »

Resp. ad primum : « Confessarium, de quo in dubio, non esse inquietandum, quousque S. Sedes definitivam decisionem emiserit, cui paratus sit se subjicere : adeoque nihil obstare ejus absolutioni in sacramento pœnitentiæ. »

Ad secundum : « Provisum in præcedenti, dummodo pœnitentes parati sint stare mandatis S. Sedis. »

ALIA DUBIA.

Vir quidam persuasus erat encyclicam Benedicti XIV non inhibere lucrum ex collatione pecuniæ perceptum juxta disposita a lege civili. Ejus hæredes quærunt :

« 1° An Encyclicam recte acceperit :

« 2° Etiam supposito quod male accepe-

Digitized by Google

rit, persuasus tamen recte accepisse, an hæredes ab omni reparatione se exemptos existimare valeant. »

ALIA DUBIA.

« 1° An possit eorum confessariorum agendi ratio probari, qui, dum tenent uti probabiliorem opinionem contrariam lucro ex pecunia negotiatoribus mutuo data, pœnitentes eo modo lucrum percipientes ut ditescant, absolvunt, quando nempe isti, objicientes sententiam lucro faventem non fuisse damnatam a S. Sede, promittunt tamen obedire judicio S. Pontificis, si intercedat : et similiter agunt, quando pœnitentes, lucrum percipientes in bona fide, de eo non confitentur, licet aliunde noverint ipsos percipere lucrum, ut supra, nulla de ea re facta interrogatione, quando timent ne pœnitentes admoniti restituere, aut a tali lucro abstinere, recusent.

« 2. Utrum episcopus possit hortari rigidiores confessarios consulendi causa ipsum adeuntes, ut priorum confessariorum agendi rationem sequantur, donec S. Sedes expressum ea de quæstione judicium ferat. »

Resp. ad 1 : « Non esse inquietandos. »

Ad 2 : « Provisum in primo. »

Datum Romæ, in S. Pœnitentiaria, die 23 Novembris 1832.

A. F. DE RETZ, S. P. regens.

D. FRATELLINI, S. P. secret.

Loco ✠ sigilli.

OFFICIUM DIVINUM, MISSA.

Decreta, et quidem non pauca, S. Rit. cong. divini officii recitationem ac missæ celebrationem spectantia, sub v. RUBRICÆ *ad calcem tom. VI inseremus.*

OLEUM INFIRMORUM.

S. ROMANÆ, ET UNIVERSALIS INQUISITIONIS DECRETA.

Dubium propositum fuit a R. P. D. episcopo Veronensi : « Utrum, deficiente oleo infirmorum, liceat administrare sub conditione sacramentum extremæ unctionis oleo a simplici sacerdote benedicto, saltem in casu extremæ necessitatis, ut cum moribundus sensibus destitutus, nullum doloris signum, neque ante dedit, neque præbet. »

Feria IV, die 15 Junii 1850 in congregatione generali S. Officii habita in palatio apostolico Vaticano coram eminentissimis et reverendissimis DD. S. R. E. cardinalibus contra hæreticam pravitatem generalibus inquisitoribus, proposito supra scripto dubio una cum voto DD. consultorum, iidem eminentissimi et reverendissimi DD. dixerunt, « Dentur decreta anni 1611 et 1842. »

Eadem die, et feria. Sanctissimus D. N. Pius div. Prov. P. IX, in audientia R. P. D. assessori S. Officii impertita, audita relatione suprascripti dubii una cum eminentissimorum DD. cardinalium generalium inquisitorum suffragiis, resolutionem ab iisdem eminentissimis DD. datam approbavit.

Angelus ARGENTI, S. R. et universalis Inquisitionis notarius.

Decreta lata a S. congregatione Romanæ et universalis inquisitionis super dubio : « An sacramentum extremæ unctionis oleo ab episcopo non benedicto ministrari valide possit. »

Feria V coram SS. die 13 Januarii 1611, SS. D. N. P. Paulus V in congregatione generali coram se habita, prævio maturo examine, et censura propositionis, quod nempe « Sacramentum extremæ unctionis, oleo ab episcopali benedictione non consecrato ministrari valide possit : » auditis DD. cardinalium suffragiis, « dictam propositionem temerariam, ac errori proximam. »

Feria IV, die 14 Septembris 1842.

In congregatione generali habita in conventu S. Mariæ supra Minervam, coram eminentissimis et reverendissimis DD. S. R. E. cardinalibus inquisitoribus, proposito dubio : « An in casu necessitatis parochus ad validitatem sacramenti extremæ unctionis uti possit oleo a se benedicto; » iidem eminentissimi et reverendissimi DD. decreverunt : « Negative, ad formam decreti » feriæ V, coram SS. diei 13 Junuarii 1611, eadem die, et feria SS. D. N. D. Gregorius div. Prov. P. P. XVI, in audientia assessori S. Officii impertita, resolutionem eminentissimorum approbavit (188).

Angelus ARGENTI, S. R. et universalis Inquisitionis notarius.

(188) *Vide* Benedict. XIV, *De sy[illegible] diœces.*, lib. VIII, cap. 1.

Digitized by Google

ORDO

S. CONGREGATIONIS CONCILII DECRETUM

De titulo ordinationis, ubi plura notatu digna.

Die Sabbati 8 Julii 1719.

Sanctæ Crucis della sierra in Indiis Occidentalibus. Licet a sacro conc. Tridentino sess. XXI, cap. 2, *De reform.*, statutum fuerit, neminem promoveri posse ad sacros ordines, nisi prius legitime constet, eum habere beneficium ecclesiasticum sufficiens ad honestam sustentationem, vel ad minus patrimonium, vel pensionem (190), in hypothesi tamen, in qua episcopus judicaverit, quod obtinens patrimonium seu pensionem sit ad sacros ordines assumendus pro necessitate, vel commoditate Ecclesiæ, et antiquorum canonum pœnæ fuerint ibidem a sacro concilio innovatæ, non ita quidem, ut ordinatus sine titulo sufficienti sit suspensus, et ministrando fiat irregularis, juxta textum in can. *Neminem*, et in can. *Sanctorum*, dist. 70, sed ita ut ordinans teneatur sic ordinato alimenta subministrare, donec ille beneficium ecclesiasticum consequatur, juxta textum in cap. *Cum secundum*, De præbendis, et late disputata ad sensum hujus sacræ congregationis per Fagnanum in cit. cap. *Cum secundum*, n. 63 et seqq., ubi solum sub num. 68 docet, pœnam suspensionis clericum sine titulo sufficienti ordinatum afficere in casu, in quo ipse ordinantem decepit falsas producendo probationes super sui tituli congruitate; et licet interpretando allegatum textum concilii, sacra hæc congregatio de mense Octobris anni 1589 ut in *Regestis*, lib. VI, pag. 58, plura proposuerit generalia dubia examinanda, inter quæ illud reperitur: « An habens ex propria industria, et honesto labore tantum iuorum, quantum satis est ad vitæ sustentationem, promoveri valeat: » negative responderit.

Exempla nihilominus non desunt, in quibus, urgente Ecclesiarum necessitate, concessum fuit, ut fieri posset ab episcopis ordinatio clericorum sæcularium, etsi illi nec beneficium, nec patrimonium obtineant; et prætermisso quidem exemplo ecclesiæ metropolitanæ Florentinæ, in qua usque adhuc viget privilegium ab Eugenio IV concessum, ut clerici qui eidem inservierint spatio decem annorum, ordinibus sacris initiari subinde valeant, licet nec beneficium, nec patrimonium obtineant, a Summo Pontifice Urbano VIII, die 13 Martii 1640, concessum fuit alumnis seminarii Pragensis, ut ordines recipere valeant sine titulo beneficii, aut patrimonii, sed solum ad titulum missionis, prout ab eodem Pontifice præcedenter concessum fuerat die 18 Maii 1638 alumnis collegii de Propaganda Fide. Alumni collegii Illyrici a Gregorio XIII instituti, et ab Urbano Papa VIII restaurati in civitate Lauretana, privilegio potiuntur ordinationis sine beneficio ecclesiastico, et patrimonio, nulla facta mentione tituli missionis, ut legitur in privilegio ab eodem Urbano concesso prima Junii anno 1627. Consimile est privilegium ab eodem Pontifice concessum collegio Fuldensi pro scholaribus Germanicæ nationis, nec non collegio Pragensi, uti plenius deprehendi valet ex collectione

(190) Necessaria vitæ alimenta ne clericorum quis emendicare turpiter cogatur, consuevit ab initio Ecclesia providere, ut quisque de altare vivat, cunctique singulatim sacros ordines suscepturi congruam ab Ecclesia, cui addicuntur, accipiant præbendam, olim diurnam, vel menstruam, mox annuam; vel perpetuo fruantur beneficio, saltem simplici, aut capellania itidem perpetua, aut ecclesiastica pensione, aut certis tandem patrimonii profanis reditibus capellanias quod attinet, mobiles, et ad nutum patronorum amovibiles, et manuales, non idoneas titulo ordinationis sæpe judicavit S. congregatio Concilii, præsertim *in Bariensi* 2 Julii 1641. P. Corrad. in *Prax. benefic.*, lib. I, cap. 2, num. 46. Nisi patroni aliquam sui patronatus hæreditarii capellaniam *ordinando* contulerint in perpetuum, cum pacto eum nunquam amovendi, vel consenserint eam perpetuo ordinationis titulo subjici. Id enim fas esse in patronatu hæreditario, quia hæredes factum defuncti nequeunt revocare, secus in patronatu familiari, aut gentilitio, quem consanguinei successores, non beneficio ac voluntate morientium possessorum, sed jure proprio nanciscuntur, probe monent Pitonius *De controv. patron.*, allegg. 100, num. 47; Amostaz. *De causis piis*, lib. III, cap. 1, num. 42, et cæteri. At publica necessitas, et alicujus Ecclesiæ paupertas fecit aliquando, ut S. congregatio Concilii ordinationem titulo capellaniæ gentilitiæ, et nobilis indulgeret, spondentibus patronis *ordinandum* vita durante non amoturos, ut in *Mutinensi* 17 Dec. 1690, et *Eugubina* 17 Aprilis 1706. Item S. congregatio Episcoporum in *S. Agath. Gothorum* 17 Octob. 1617, apud Monacellum, tom. II, tit. 13, formul. 13, num. 17. Tum ea frequentius indulta *deputationum ad vitam* Sedes Apostolica dare per Datariam consuevit. In iisque adjicitur quandoque clausula, ut statim ac *ordinandus* congruam vitæ sustentationem aliunde quæsiverit, capellania ad suam mobilem redeat naturam.

Quantum denique ad pensionem spectat, notandum, illam pro sufficienti titulo ordinationis haberi, quam scilicet Apostolica Sedes jure perpetuo reservaverit, et indulserit ad ipsius pensionarii vitam super alicujus beneficii, vel Ecclesiæ fructibus. Nam quæ ob bonum pacis ad conciliandos animos contendentium in foro episcopali patronorum, pluriumque ab eis præsentatorum; vel ob paupertatem benemerentis clerici; vel ob permutationem inæqualium beneficiorum reservatur aliquando ab episcopis, ea, moriente beneficiario, exstinguitur, nec successorem afficit, quamvis pensionarius supervixerit. — Ex Carolo Gagliardo *Inst. canonic.*, lib. II, titul. 10, *De sacram. ordin.*, num. 67. (Edit. Casinenses.)

Digitized by Google

bullarum et decretorum congregationis de Propaganda Fide, impressa, sed nunquam absoluta, nec publicata.

Cohærenter ad hæc, episcopus S. Crucis de la Sierra in Indiis occidentalibus, cum in suis litteris ad Summum Dominum nostrum datis, exposuerit, quod in civitate S. Laurentii della Baranca, quæ loco alterius S. Crucis, quæ amplius non existit, subrogata fuit, duo tantum sunt parochi, et duo ministri in cathedrali, decanus videlicet et archidiaconus, quodque nullus superest modus capellanias aut beneficia erigendi, ad quorum titulos clerici ordinari valeant, et quod tandem impossibile est extraneos advocare, qui ad dictas regiones accedant, ex quo nullum est hujus provinciæ cum aliis commercium, et sic Sanctitati Suæ supplicaverit pro facultate initiandi sacris ordinibus hujus regionis incolas, licet titulum beneficii, aut patrimonii non habeant, et multo magis, cum nullum adsit periculum, quod promoti mendicare conspiciantur, quia nullus in dicta regione est, qui mendicet, et a Sanctitate Sua fuerint preces remissæ ad hanc sac. congreg., disputandum in præsenti proponitur dubium.

« An episcopo Sanctæ Crucis de la Sierra sit indulgendum, ut promovere valeat ad sacros ordines in civitate S. Laurentii della Baranca eos, quos ipse necessarios judicaverit, licet nec beneficium, nec pensionem, nec patrimonium obtineant. »

Pro gratia dummodo non excedat numerum duodenarium. Ex *Thes. Resolut. S. C. Conc.*, tom. I, pag. 215 *et seqq.*

FINIS TOMI QUINTI.

Ex. J. M.

Imprimerie MIGNE, au Petit-Montrouge.

Digitized by Google